Adoptio filiorum. V, 348. Adoptandi consuetudo antiqua in populo Dei. III, 1072. Adoptionis vinculum ab antiquorum moribus alienum non fuit. VIII, 215, 216; neque a sacris litteris. V, 349. Adoptionis varia exempla. VIII, 215. Adoptans dici potest genuisse non carne, sed caritate, quem filium sibi adoptaverit. III, 1073. Adoptionis lex filios etiam mortui adoptabat. I, 633. Adoptionis genus duplex. VIII, 206.

Adoptionis nomen plurimum valet in nostræ fidei Sacramento. VIII, 215. Adoptio filiorum Dei quæ. III, 1268. Adoptio hominum quomodo fit a Deo. VIII, 215. Adoptionem parvulorum in baptismate agnoscebant Pelagiani. X, 578, 583. Dei misericordia et benevolentia homines adoptando. III, 1394. Adoptio credentium jam facta, spiritu, non corpore. III, 2075. Adoptio nostra non erit perfecta nisi in cælo. VII, 729. Adoptio et glorificatio hominis non ex meritis ipsius, sed ex gratia Dei. III, 1276.

Adorare et rogare non convertuntur. VIII, 751. Adoratio humanitatis Christi. IV, 1264. Nemo Christi carnem manducat, nisi prius adoraverit; et non solum non peccamus adorando, sed peccaremus non adorando. IV, 1264. Homo fit similis ei quem adorat. III, 1466. Non adorandæ creaturæ unde aliqua similitudo ducitur ad Christum vel sanctos significandos. IV, 1193. Christiani nullum mortuorum colunt, nihil ut numen adorant quod sit factum et conditum a Deo. II, 83. Adorare in templo et ad templum differunt. IV, 86.

Adquirere quid significat. VII, 537.

*Adrastus* Cyzicenus nobilis mathematicus. VII, 720.

*Adrumetum*. IX, 204.

*Adrumetini* monachi turbantur quibusdam in illis sic gratiam prædicantibus, ut negent liberum arbitrium, Deumque redditurum unicuique secundum opera ejus; non recte intellecta Aug. epistola ad Sixtum, de qua Evodium consulunt. II, 969. Illis Aug. epistola rescripsit Evodius. II, 969. *Vide* Notas. Augustini epistolam ad Sixtum apud ipsos interpretatur Sabinus presbiter, nec sedatur contentio. II, 976. Adrumetinorum monasterii Cresconius et Felix erant monachi. II, 969. Cresconius et Felix ad Augustinum perrexerunt ante festum Paschæ, II, 970; et cum eis alter Felix, et cum eo Pascha egerunt. II, 971. Augustinus Valentinum rogat mittatur ad se is a quo se turbatos dicebant, II, 970, scilicet Florus. II, 973. Florus ad Augustinum venit. II, 977, cum Valentini litteris quibus ab erroris suspicione liberatur. II, 976. Adrumetini monachi inter se de gratia et libero arbitrio dissidentes consulunt Augustinum, qui ad eos librum super ea re scribit. I, 656. Librum *de gratia et libero arbitrio* ad ipsos scribit Augustinus. II, 972. Ad ipsos mittit Augustinus quæ contra Pelagianum errorem collecta erant. II, 972. Adrumetinorum monachorum occasione de *correptione et gratia* prodit liber. II, 1002.

Adscensionis et adventus Spiritus sancti festa traditione recepta sunt. II, 200.

Adscensio Christi pignus nostræ. V, 1210. Non adscendit in cælum, nisi qui inhæret Christo. V, 570.

Adscensus interior in Deum. IV, 413, 1629, 1630, incipit ab humilitate. IV, 1603, 1672.

Advenæ, adventitii perhibentur. IV, 1518.

Adventus Christi duplex. IV, 1255, 117; V, 121, 128,

vel in Ecclesia, vel in corpore proprio. II, 920. Adventus Christi primus et secundus quid differant. III, 1624. *Vide* Christus. Comparantur inter se duo adventus. IV, 1238. Adventum Christi Danielis hebdomades transactum significant, non futurum. II, 899, 911. Ita censent ejusdem prophetiæ expositores. II, 912, 917, et Hesychii mens est. II, 905, 911. An ad utrumque adventum pertineant hebdomades Danielis II, 911. Adventus Christi quæ fuit utilitas. IV, 1766.

Adventus Domini ad judicium, computatis annis ab Adam, post septem annorum millia futurus a nonnullis creditur. IV, 90. Refutatur hæc opinio. IV, 90. Qui dicit Domini adventum citius esse futurum, et qui dicit tardius esse futurum, uterque errat. II, 924, 925. Adventus Christi optandus. IV, 811, quomodo. IV, 811. Diligendus et exspectandus. II, 909. Si amamus Christum, utique adventum ejus desiderare debemus : perversum enim est, si tamen verum, quem diligis, timere ne veniat; petere adventum ejus, et timere ne exaudiaris. IV, 1915. Adventus Christi durus est duris, mitis est piis. IV, 1237. Tribulationes facit Christus ad inflammandos animos desiderio adventus sui. IV, 125. In potestate tua est quomodo exspectes venturum Christum : ideo differt venire, ut cum venerit, non te damnet. IV, 1257. Adventum Domini vere desiderat et exspectat, qui pie vivit. II, 904, 905, 909. Ad eum quisque se præparare debet. II, 905, 906, 907, 908. Non resistamus primo adventui, ut non exaveseamus secundum. IV, 1255.

Adversarius occultus grande malum. VII, 632. Adversarius a nobis vincendus ut coronemur, quis sit. VI, 289. Adversarius auxilio Christi vincitur. VI, 291. Adversarii et nocentes tolerandi ut phrenetici, parvuli et infirmi. III, 1258. Adversarius tuus cui debes consentire dum fueris in via, quis sit. IV, 542; V, 76, 245, 656, 1171, 1698. Adversarius est voluntatis tuæ sermo Dei, donec fiat auctor salutis tuæ. V, 656.

Adversa quare justis et injustis communia. VII, 20, 21. Amatores hujus sæculi crebrius inter adversa quam inter prospera cordis aures admovent veritati. II, 958. In adversis magis cogitant amatores hujus sæculi evadere unde anguntur, quam capere unde curentur. II, 958. In ferendis adversis constantia. V, 623. Adversis in rebus contra Deum non murmurandum. V, 1557. *Vide* Flagellum. Tribulatio. Non deest suis Deus in adversis. VII, 28. Deus affligi permittit quos diligit. II, 424. Adversitates temporales necessariæ sunt exercendæ atque perficiendæ virtuti. III, 1220. Adversitas, vel supplicia quibus puniuntur peccata, vel exercitationes quibus diluuntur. VIII, 588. Adversitates temporales a Deo possunt imperari, et propter Deum debent tolerari. VIII, 451. Adversitas donum est admonentis Dei. II, 957. Ad sedes felicitatis æternæ venire non possumus, nisi temporalibus malis exerciti non detecerimus. II, 267. In tormentis beati dicuntur pii, quia spe beatitudinis adipiscendæ mala hujus vitæ fortiter perferunt. II, 675. Adversitas quælibet temporalis facile toleratur, ut æterna pœna vitetur, æterna quies comparetur. V, 444. Spe beatitudinis adipiscendæ mala hujus vitæ pii fortiter perferunt. II, 668, mala sæculi tolerant recti corde. III, 1025. *Vide* Afflictiones.

Adversitates quibusdam utiles sunt, quibusdam perniciosæ. VIII, 451. Adversitas nulla frangit quem felicitas nulla corrumpit. IV, 1058, aut quem non decipit sæculi hujus prosperitas. V, 687. Adversitas omnis corporalis atque spiritalis eleemosynis et jejuniis atque orationibus superandæ sunt. V, 1042. Adversitas et prosperitas, utraque cavenda est, ista ne corrumpat, illa ne frangat. IV, 1824. Adversitates devitandæ cum Deus apertissime adjutor est. III, 613. Per malos et iniquos Deus flagellat pœnis temporalibus quos voluerit. II, 995.

Adulatio est fallaci laude seductio. V, 1561, falsa laus. IV, 1824. Adulatione plerumque homines mentiuntur. IV, 87. Adulatio comes est omnibus malis. IV, 142. Adulatio oleum peccatoris. IV, 1824; IX, 66. Nemo gratuletur homini qui prosperatur in via sua, cujus peccatis deest ultor, et adest laudator : major hæc ira Domini est. IV, 126.

Adulator. V, 579, 1229. Adulatores laudem suam tanquam oleum venditant stultis. II, 571 ; IV, 1921 ; VI, 46. Peccatoribus adulari quantum malum. IV, 581. Adulantium linguæ alligant animas in peccatis; delectat enim ea facere in quibus non solum non metuitur reprehensor, sed etiam laudator auditur. IV, 126. Adulatione trahunt in se, quos ad peccata illectant, et eos tanquam devorant. IV, 87. Adulator, adstipulator est facti. IV, 581.

Adulantes amici pervertunt ; inimici litigantes plerumque corrigunt. I, 772. Magis amat objurgator sanans, quam adulator ungens caput. II, 114. Adulatoris lingua plus persequitur, quam manus interfectoris. IV, 869. Non timebis comminatorem, si non amas. IV, 675. Aliqui dicunt bona nostra malo animo, alii mala nostra bono animo : utrique cavendi. IV, 449.

Adulteri male utuntur corporis dono. X, 1451. Adulterorum membra, et divina opera, et membra naturæ ; attamen vitio, et per hoc diabolo subjecta. X, 1407. Adulteri redarguuntur. V, 85. Adulterantem virum, non propter carnem, sed propter caritatem dolere debet femina Christiana. V, 83. Adulterorum fœda excusatio. V, 84. An mulier marito permittente possit misceri alteri viro, et vicissim. III, 1254. Historia de hac re. III, 1254.

Adulteræ quamvis aliqua damnatione, morte tamen non plectebantur. VII, 82. Adultera mulier cur non fuerit lapidata. IV, 1525. De muliere adultera. V, 109, 1589. Adulteræ mulieris historia in Græcis plerisque exemplaribus non legebatur. VI, 451. Adulter permanens in adulterio ad baptismum non admittitur. VI, 220, 482. Adulteris pœnitentibus recte pax datur. II, 341. Antonini Lex contra adulteros. VI, 474. *Vide* Conjugium.

Adulteræ quædam animæ, quædam fornicariæ. V, 117. *Vide* Fornicatio.

Adulter serpens antiquus. IV, 451.

Adulter ut lætatur carne corrupta, sic diabolus corrupta mente. IV, 452

Adulterium, quid sit. VI, 575, unde dictum. V, 345. Adulterii malum quam late patens. V, 78, 83. Adulterium unde malum convincatur. I, 1225. Adulterium, non ideo malum est quia vetatur Lege, sed ideo vetatur Lege quia malum est. I, 1225. Adulterium duplici præcepto prohibitum. V, 71. Adulterio non solvitur conjugium. VI, 452. Infantes ex adulterio nati non ob hoc peccatores. III, 418. Adulterinis conceptibus Deus juste animas largitur. II, 778. Contra adulteria quidam in totum pœnitentiæ locum claruserunt. II, 340. De adulterinis conjugiis liber. VI, 451. Adulterium inter deos frequentatum. VII, 81. Adulterium carnis, et adulterium cordis. V, 1459. Adulterium animæ colentis dæmonia. V, 76. Adulterium est amare aliquem hominem pro Christo. III, 1497.

Adulterinam pecuniam erogare. VI, 228.

Advocatus, qui causam malam egit, restituere tenetur. II, 665.

Advocati nostri sic Martyres sunt, ut tamen unus sit Advocatus noster Christus. V, 1295.

Adytum templi. IV, 204.

Ædificantium duo sunt genera, aut super arenam, aut super petram. III, 1441. Ædificare in petra, et ædificare in arena, quid. IV, 1535. Ædificant in petra, qui ad tentationes præparant ; ædificant in arena, qui felicitatem terrenam promittunt. V, 275. Ædificare aurum, argentum, et lapides pretiosos, quid. IV, 222. Nil amantes præter Christum, ædificant aurum, argentum, etc. Amantes cum Christo terrena, quæ tamen ei non præferant, ædificant liguum, stipulam, etc. IV, 222. Qui ædificat amorem terrenorum super fundamentum regni cælorum, salvus fiet, sic tamen quasi per ignem. IV, 1044, 1045.

Ædificatio civitatis spiritalis. IV, 1620. Ædificatio et dedicatio domus Dei in nobis. V, 1471. Ædificatio in labore, dedicatio in lætitia . V, 1476.

Ædificium Dei sumus, quia qui colit nos, habitat in nobis. IV, 802. Gratia Dei, non meritis præcedentibus ædificamur in locum sanctum Dei. IV, 816.

Æger. *Vide* Ægrotus.

*Ægeria* nympha Pompilii conjux habita. VII, 225,

*Ægialeus* primus rex Assyriorum. VII, 561.

Ægis, scutum Jovis. III, 1056. Unde sic nominatur. III, 1056.

Ægritudo alterius quomodo suscipienda ex caritate, ut sublevetur. VI, 80.

Ægrotare. Nasci hic in corpore mortali, incipere ægrotare est. IV, 1320. Ægrotare et convalescere non æque habet homo in potestate. V, 850, 1269. Ægrotat periculosius, qui se sanum putat. V, 495.

Ægrotorum duo genera. V, 495. Ægrotus et infirmus in quo differunt. V, 277. Æger medico consilium dare non audeat. IV, 1914, 1915. Ægroti concordia cum medico. V, 82. Æger non exauditur ad voluntatem, sed ad sanitatem. V, 1299. Ægrotus præcepta medici observando, non nisi paulatim fit sanus. V, 1270. Ægroto, qui irridet medicamentum suum, nihil est superbius. IV, 1858. Ægrotantium illicita remedia. V, 1459. Ægrotus sanari nolens remediis superstitiosis, fit martyr in lecto. V, 1501. Ægrotos duos facilius fert sanus unus, quam duo ægroti se invicem singulos : sic malos facilius ferunt boni. IV, 190. Ægrotos omnes Christus medicus invenit. V, 495. Ægroti quo remedio per Christum sanati. V, 496. Ad poculum sumendum exemplo medici Christi invitamur. V, 545, 781. Ægroti multi in lecto diabolum vincentes. V, 52.

Ægroti ad piscinam sanatio figurativa. V, 686, 690, 695.

*Ægyptii* ex semine Cham oriundi. IV, 1398. Ægyptiorum regnum florebat Abrahæ temporibus. VII, 497. Ægyptiis tradidit litteras Isis. VII, 597, 599. Ægyptiorum sapientia commentitia, antiquitate posterior est prophetia Abrahami.

VII, 597. Et Patriarcharum nostrorum. VII, 599. Ægyptiorum sapientiæ commentitiæ antiquitas refellitur. VII, 599. Ægyptiorum sapientia, maxime Astronomia. VII, 599. Ægyptii Geometricam dilexerunt. III, 549.

Ægyptiorum mos circa mortuorum corpora. V, 1605. Ægyptii condiendis corporibus mortuorum præcellunt. III, 502. Ægyptiorum religionem casuram prædixit Trismegistus. VII, 248, 251. Et hoc accepit a dæmonibus. VII, 248, 251.

Ægyptiis pastores abominabiles. III, 605. Ægyptiis sacrificia Israelitarum abominationes sunt. III, 605. Ægyptii Hebræis proximi dicti. III, 507.

Ægyptiorum plagæ decem exponuntur. IV, 1001; V, 67. Ægyptii cur ranis et muscis domiti sunt. III, 2059. In Ægyptiis figura præsentis sæculi.

Ægyptiorum spoliatio male a Fausto reprehensa. VIII, 445. Ægyptios ab Israelitis in mutua auri et argenti acceptione decipi, quomodo permisit Deus. VI, 34. Ægyptiorum divitiæ, quas Israelitæ abstulerunt, ipsis erant debitæ. IV, 1400. Ægyptii spoliati, figura Christianorum proficientium ex Ethnicorum scientia. III, 64. Ægyptiorum submersio in rubro mari, figura abolitionis peccatorum in baptismo. III, 1722; V, 37.

Ægyptiaci dies. III, 2150.

Ægyptus. V, 291, 292, 768. Ægyptus terra Cham. IV, 1598. Ægyptus in Hebræa lingua tenebras vel tribulationes significat. IV, 1001. Ægyptus interpretatur afflictio, et figuram sæculi refert. IV, 1477, 1750. Ægypti situs. IX, 423. Eductus populus Dei de Ægypto, quid figuravit. IV, 487. Exitus Israel ex Ægypto mystice exponitur. VIII, 269. In Ægypto frumentorum copia ex inundatione Nili, pascuorum vero e contra. III, 591.

*Æinan* vel *Æinaim* interpretatur Fontes. VIII, 457.

*Ælianus* Proconsul. II, 399. Ælianus Proconsul Africæ. IX, 540, 611, 649, 686. Quo tempore Felicis causam audivit. IX, 687. Æliani sententia qua Felix Aptugnensis purgatus et absolutus est. IX, 540.

*Ælius* diaconus. IX, 513.

*Æmilianus* episcopus. II, 759.

*Æmilius* et *Castus* martyres. V, 1295.

Æmulari ut velint iniquos, moventur boni, cum florere illos vident. IV, 1201.

Æmulatio et invidia quid differant. III, 2142. Æmulatio proclivis ad suspicandum malum. IV, 1435.

*Æneæ* pater, Anchises; mater, Venus. VII, 81. Quo tempore Æneas in Italiam venit. VII, 576. Æneam venisse Carthaginem non est verum. I, 671. Æneas, pius appellatur. VII, 16. Æneæ domus, id est, Romani. VII, 462. Æneas deus a Latinis factus est. VII, 576, 577.

Ænigma quid. VIII, 1068, 1069. Ænigma est obscura parabola quæ difficile intelligitur. IV, 546. Ænigmata valent ad amorem veritatis acuendum. VI, 320.

Ænigmatistæ poetæ vocantur. III, 739.

Æqualitas ipsa vera, atque ipsa vera et prima unitas, non sensu sed mente conspicitur. III. 146.

Æquanimitas quomodo servanda. IV, 1212.

Æquitas ab æqualitate dicta. I, 1043.

Æquitatem perdere Deus non potest. IV, 744.

Æonas triginta admittebat Valentinus, quomodo. VIII, 28.

*Vide* Ptolemæus. Marcus.

Aer non est prætermissus in Genesis historia. III, 281, 282. Aer quando et cur factus sit. III, 238. Aer, cælum dicitur. I, 865; VI, 292; VII, 684. Aer, cæli et cælorum nomen accepit. III, 265, 279, 281. Aer terræ, aquæ, cælo, firmamento pro sua puritate vel impuritate deputatur. III, 238, 259, 274, 281, 282. Aer Junoni datur. VII, 119. Aerem deum esse sensit Anaximenes. I, 782; II, 443. Aeri infinito rerum causas tribuit Anaximenes. VII, 226, 230.

Aer est quid aliud ab æthere secundum Poetas. VII, 119. Venti, tonitrua, nubes, pluvia, grando, serenitas, fiunt in inferiore aeris parte. III, 284. Non in sublimiore. III, 257. Aer comparatione aquarum siccus sentitur. III, 238. Aerem aqua superiorem esse probatur. III, 264. Aer in humidam naturam conversus creditur tempore diluvii. III, 280. Aer quomodo gestandis volatibus avium sit accommodatus. III, 238, 282, 286.

Aer alimentum est. I, 1251. Sine aere, nullus sensus aut motus corporis. III, 365.

Aer est carcer peccantium angelorum. III, 285, 730; IV, 1945. Aeris animalia dæmones. I, 915, 1007. Qui nos acumine ac subtilitate sensuum superant, non ratione. I, 916.

*Aerius* a quo Aeriani. VIII, 39, 40.

*Aeriani* quid addunt Arianis. VIII, 39, 40.

Æs inventum ante ferrum. VII, 214. Ære antiqui colebant terram. VII, 214.

*Æschines*. IX, 468. Æschines Atheniensis tragicus actor rempublicam capessivit. VII, 56.

*Æsculanus* deus. VII, 128.

*Æsculapius* deus medicus. VII, 128. ab Epidauro Romam advocatus. VII, 87, 97. Æsculapio naviganti Romam Epidaurius serpens comes adhæsit. VII, 294. Templum Æsculapio consecratum in monte Lybiæ. VII, 254. Æsculapius homo idem et deus. VII, 254.

*Æsopi* fabulæ. VI, 538. Æsopi fabulas versibus prosecutus est Socrates. III, 1048.

Æstas nostra quæ. IV, 1947. Æstas prosperitatem sæculi, hiems adversitatem designat. IV, 475, 804. Ferventes spiritu per æstatem, novelli in fide per ver significantur. IV, 941. Æstas nostra, Christi est adventus; hiems nostra, Christi occultatio. V, 217

Æstimare Dei, est ordinare. IV, 1863. Æstimator integer rerum, quis. III, 29. Juste et sancte vivit. III, 29.

Ætates mundi sex. III, 1515, 1461; VI, 13, 358; per sex hydrias significantur. III, 1461. Sex mundi ætates ad sex creationis dies comparantur. IV, 1182. Unde incipiat ætas quælibet, et quo finiatur. III, 190. Sex illæ ætates operosæ sunt, in septima speratur requies. III, 190. Ætates mundi septem per septem dies designatæ. III, 190. Ætates quatuor ab Abraham usque ad finem sæculi. VIII, 158. Ætatem sextam inchoavit Nativitas Christi. VIII, 892. Cur istæ ætates sint inæquales. III, 195.

Ætatis gradus. II, 966. Ætatis quot gradus, tot mortes ætatum. IV, 1686. Ætates duæ, senectus et senium. IV, 894. Ætas senioris et senis quo differant. III, 191. Ætas non est, ubi est æternitas. VIII, 773, 774. Ætas etsi longa videatur, cum pervenerit, convincitur brevis, quia finitur. IV, 1615.

Ætates spiritales. V, 1081. Ætates sex hominis cum veteris tum novi. III, 143. Ætas viginti annorum fideles significat. III, 718. Ætas nulla ab uberibus Philosophiæ excluditur. I, 908.

*Aetius* a quo Aetiani, qui et Eunomiani appellantur. VIII, 40.

Æternitas quid sit. VII, 751. Omnia stant in æternitate. IV, 1623. In æternitate nec præteritum quidquam est, nec futurum, sed præsens tantum. IV, 71. Æternitas non habet quando. IV, 1459. In æternitate stabilitas est, in tempore autem varietas: in æternitate omnia stant, in tempore alia succedunt, alia accidunt. V, 666. Æternitas dicitur longitudo dierum. IV, 1613. Æternitas unus dies, et multi dies, et multi anni. IV, 727. Æternitatis dies simul sunt omnes: ideo satiant. IV, 1147. Æternitatis dies non venit, neque transit; quia nec hesterno præitur, ut veniat, nec crastino urgetur, ut transeat. IV, 1463. Æternitas in verbo quatuor syllabis constat, in se sine fine est. IV, 1898. Vera æternitas est, ubi temporis nihil est. III, 1588. Æternitas quomodo differt a tempore. VII, 321; quomodo exprimitur in Scripturis. IV, 1510.

Æternitas vera solius Dei. VIII, 563. Non ejus æternitatis est hic mundus, cujus æternitatis est Deus. III, 175. Æternitas Dei æternitas semper stans. I, 814. Æternitas, ipsa Dei substantia est, quæ nihil habet mutabile, nihil præteritum, nihil futurum; nec est ibi nisi est. IV, 1511. Æternitate misera melior est temporalis felicitas. VII, 241. Æternitas non est sine veritate et caritate. VIII, 909. Æternitas facta est nobis refugium, ut ad eam de hac temporis mutabilitate fugiamus. IV, 1142. In cælo est æternitas et veritas; in terra duo ista, quod ortum est, et fides. III, 1070. Æternitas quantum ad id quod ortum est valet, tantum ad fidem veritas. VIII, 904. Æternitatem aliquando significat nomen sæculi. IV, 1715. Æternitatis imitatio quædam in vicissitudine temporum. IV, 120. Omnia sæculorum spatia definita si æternitati interminatæ comparentur, sunt nulla. VII, 359.

Æternitas quærenda. III, 1658. Æternitatem, veritatem, beatitudinem omnis homo quærit. VIII, 887. Non est hic quod quærimus. VIII, 887. Ab omni forinsecus strepitu requiescat, qui cogitare vult annos æternos. IV, 976.

Æternum dicitur cujus temporis finis non est. III, 511, 536. Æternum antecedit tempora, nec clauditur tempore. IV, 915. In æterno neque quidquam præteritum, neque quidquam futurum, sed quidquid est, tantummodo est. VI, 15. Æternum hoc vere habendum, quod nullo tempore variatur. IV, 906. Æternum duobus modis intelligi potest. III, 608, 680. Æternum quod habet initium, est tanquam numerus. VII, 320. Æternum deinceps esse non posse nisi quod semper antea fuisset, falso docebant Platonici. VII, 311. Plato contraria sensisse videtur. VII, 314. Æternum omne est immortale, et non e contrario. VI, 15. Æternum et perpetuum inter se differre Priscillianistæ censebant. VIII, 668.

Æterna bona non carnaliter cogitanda. IV, 488. Æternæ vitæ meritum non apprehenditur nisi dono Dei. III, 419. Ad æterna capessenda quomodo mens efficiatur idonea. VIII, 903. Æterno creatori adhærentes et nos æternitate afficiamur necesse est. III, 131. Æternum ardentius diligitur adeptum quam desideratum. III, 55. Æterna ad fruendum, temporalia præstat Deus ad utendum. V, 413. Æternum infernum. I, 768.

*Æthan* interpretatur Robustus. IV, 1120.

Ætherem aliud esse, aliud aerem antiqui Poetæ volunt. VII, 120. Æther mobilior aere. III, 225. Æther, animus Dei mundi. VII, 212. Æther Jovi datur. VII, 119.

*Æthiopes* nigri, quosnam significant in Scripturis. IV, 938. Ætiologia. VIII, 68.

*Ætna* mons flammarum flumina evomit. VII, 111. Ætneis ignibus ita ferbuisse mare legitur, ut rupes urerentur, navium pices solverentur. VII, 111. Catinensis urbis tecta vi favillæ ex Ætna erumpentis diruta. VII, 111.

Affectantes mala, quamvis aliis ad salutem valeat quod fecerint, bona invenire non possunt. IV, 212.

Affectiones nostræ, motus animorum sunt. III, 1732. Aliud affectio, aliud affectionalis qualitas. X, 854. Affectiones quæ a Græcis εὐπάθειαι, a Cicerone Constantiæ dicuntur, tres sunt. VII, 411. Affectiones seu affectus animi qui a Græcis πάθη, a Cicerone Perturbationes appellantur, quatuor sunt. VII, 258, 406. Affectiones quare Deo et Angelis tribuuntur, cum his careant. VII, 261. An primi parentes affectiones timoris et doloris habuerint ante peccatum. VII, 449. Affectiones cadere in sapientem dicunt Platonici, Stoici negant. VII, 258. Affectiones quasdam in animum sapientis admittunt Stoici. VII, 411. Affectionibus Christus non caruit. VII, 415; non tamen ex conditionis infirmitate. VII, 415.

Affectiones in usus justitiæ convertit Christiana disciplina. VII, 260. Affectiones omnes recta vita rectas habet, perversa perversas. VII, 416. Affectiones si nullæ sunt, tunc recte non vivitur. VII, 415. Affectiones seu delectationes suas habent etiam pia opera. IV, 978. Affectiones hujus vitæ sunt, non futuræ quæ speratur. VII, 415. Affectiones quædam tamen erunt in patria. VII, 416. Affectiones corporis tres, sanitas, stupor, immortalitas. IV, 650.

Affectus humani quasi pedes sunt. III, 1789. Affectus nostri, pedes nostri sunt in itinere ad Deum. IV, 1217. Affectibus ad Deum currimus, non passibus. VI, 681. Vox non est ad aures Dei, nisi animi affectus. VI, 322. Affectus punitur etiam cui non succedit effectus. VII, 483.

Affinitates futuræ etiamsi Adam non peccasset. I, 605, 615; contra quam alias crediderat Augustinus. III, 161. Affinitas spiritalis. III, 162.

Afflictionibus laborant boni, dum hic mali florent. IV, 190. *Vide* Quare boni malis temporalibus affliguntur. VII, 20. Affligi in hac vita justis expedit. VI, 98. Affliguntur homines, ut Deum quærant, III, 863, et ut affectiones suas a terrenarum delectationum fluxu colligant. III, 871. Afflictionibus purgatur et exercetur Ecclesia. III, 25. Quibusdam parcitur in hoc mundo, ut abundantius torqueantur in altero : quibusdam hic non parcitur, ut ibi parcatur. III, 1577. Nunquam immerito affliguntur homines. III, 871. *Vide* Adversitas, Tribulatio, Prosperitas.

*Africa* tertia pars Orbis. VII, 497. Africæ dimensio. VII, 497. Africa num in meridie. V, 291, 768. Africæ situs. IX, 425. Africa in ordine credendi non est novissima. IX, 419. Africa an communicet Orienti et Oriens Africæ. IX, 538. Africa a barbaris divexata. II, 529. In Africa facilius corniculas audieris quam, etc. II, 436. Afrorum traditorum crimen non potuit maculare Orbem terrarum. IX, 100, 538, 539, 541. *Vide* Donatistæ, Traditores. Africa Pelagiana hæresi infecta. X, 396.

*Africanus* de Christi Genealogia scripsit. I, 633.

*Africanus* episcopus. II, 759, 780.

*Agamemnon* Rex Mycenarum. VII, 572.

Agapes. Sacrificia gentium Christiani non verterunt in agapes. VIII, 585.

*Agar* ejusque filius, carnales veteris Testamenti significabant. VII, 512. Agar fugiens a facie Saræ, figura hæresum. V, 32.

Ἄγαν et σφόδρα quid differant. IV, 1444, 1509.

*Agareni* interpretantur proselyti. IV, 1053.

*Agellius* noctium Atticarum auctor. VII, 259, cujusdam Philosophi in maris tempestate perturbationem narrat. III, 551.

*Agenoria* dea. VII, 122, 125.

Agendum nihil quod ratio non approbaverit. III, 746. Nemo melius ordinat quid agat, nisi qui paratior est non agere quod divina potestate prohibetur, quam cupidior agere quod humana cogitatione meditatur. VI, 326. Quidquid egeris, bene age : et laudasti Deum. IV, 341. Actio animæ talis esse debet, quæ tendat ad quietam securitatem, non quæ augeat inquietum laborem. IV, 1489. Actio bona perducit ad semper vigilantem quietem. IV, 1489. Actio quietorum, et otium beatorum. IV, 1463. Ad bene agendum spes non habenda in homine. X, 886. *Vide* Gratia, Opera. Agere, nec perficere bonum sive malum, quid sit. V, 818. *Vide* Actio.

Agi plus est, quam regi. X, 323. Aguntur homines ut agant. X, 373, 918. Agis, si agaris; et bene agis, si a bono agaris. V, 748, 856.

*Agenses* in rebus duo cognita Antonii vita nuntium sæculo remittunt. I, 755

*Aggæus*, quid et quo tempore prophetaverit. IV, 1467; VII, 593; propheta erat in captivitate Babylonica. IV, 1917, prophetavit reparationem Jerusalem. IV, 1917. Aggæi locus vindicatur contra Manichæos. V, 330. Aggæus non favet Donatistarum schismati. IX, 670.

*Aggya*. IX, 235.

*Agilis* et Romanus a Paulino ad Augustinum missi. II, 122, ab Augustino cum magna jucunditate suscipiuntur. II, 122.

*Aginesis*. II, 1063.

*Agnes* Virgo et Martyr. V, 1250, 1565.

Agnoscere in Scriptura aliquando idem sonat, atque gratum habere. IV, 1374. Agnoscere Dei multis Scripturæ locis, servare est; non agnoscere, damnare est. IV, 1856. Agnoscere Deum peccata, pro non ignoscere. IV, 947.

*Agnosius* Episcopus Maximianista. IV, 380.

Agni vel agnæ pro tempore partus ovium. III, 572. Agnus in lacte matris suæ non occidendus, prophetia de Christo. III, 652. Agnus Paschalis figura Christi. III, 608. Ejus mysteria. VI, 663. Agnus significat innocentiam sapientiæ ruminantis. IV, 1834. Agnus immaculatus Christus, quomodo. IV, 763. Agnum sequi quocumque ierit, proprium Virginum. VI, 407.

Agon Christianus. VI, 289.

*Agonistici* appellati a Donatistis Circumcelliones. IV, 1732.

Agonotheta diabolus. IV, 1859.

Agri nomine, castella, municipia et coloniæ vocari solent. III, 1206. Ager Domini mundus iste. III, 198; IV, 1950. Ecclesia Dei. IV, 1440. Agri Dominici cultura. VI, 693. Duo in agro, clerici sunt qui gubernant Ecclesiam. IV, 1279, 1750.

Agrariæ leges. VII, 107.

Agricola perdit quod seminat; sic perdenda nunc anima. V, 1456. Agricolarum peccata. IV, 886. Agricola noster est Deus. IV, 802. Homines vero operarii hujus Agricolæ. IV, 802. Deo quasi agricolæ, fructus de eo quod seminavit, affertur. IV, 1318.

Agricultura plurimi delectantur. III, 1304. Ejus encomium. III, 1304, 1305. Agricultura omnium artium innocentissima. VIII, 37. In usu esse cœpit apud Græcos regnante Argo. VII, 564. Ante peccatum non erat afflictio laboris. III, 378. Agriculturæ opus allegorice. III, 379. Agriculturam cur auditoribus suis permittunt Manichæi, in cæteris accusant. VIII, 37.

*Agrippinus* episcopus Carthaginensis. IX, 606, prædecessor Cypriani. IX, 133; baptizatos ab hæreticis non rebaptizandi consuetudinem deserere prior tentavit. IX, 133, 134, 140, 143, 159. Difficultas opponitur. IX, 135. Agrippinus etsi aliter sentiret, unitatem non deseruit. IX, 140.

*Ajax*. VIII, 585.

Αἰών, quomodo Latine reddi soleat. IV, 1020, 1187, 1393.

Αἰώνιον. VII, 506.

Alæ duæ caritatis. IV, 1547, 1791, 1952. Alæ orationis duæ, jejunium et eleemosyna. IV, 482.

*Alaricus*. V, 624, Romam evertit. I, 647; prima urbis obsidione an. CCCCVIII exeunte hanc cladem populo Romano infert. II, 365. *Not.* a. Urbe capta jussit inviolatos servari qui ad loca sancta confugissent. VII, 13, *not.* 2, 17, 45, 48. Militum Alarici humanitas. VII, 48.

*Alba* ab Ascanio ædificata est. VII, 89; quo tempore. VII, 577. Alba Romæ mater est propior quam Troja. VII, 89. Tullo Hostilio expugnata est. VII, 89. Latinorum reges, post Albam conditam, Albanorum reges dicti sunt. VII, 577. Albanis impie bellum intulerunt Romani. VII, 89, et injuste. VII, 89.

*Albicerius* divinus professione apud Carthaginem. I, 925, consulentibus mira quædam et certa respondebat. I, 925, interroganti cuidam ut diceret quid anima volveret; Virgilii versum eum cogitare respondit; eumdemque versum securus recitavit; licet ineruditus. I, 915.

*Albina* mater Melaniæ. X, 359. *Not.* Albina, Pinianus, Melania, etc. II, 471. *Not.* Alypium et Augustinum per Hieronymum salutant. II, 928.

*Albinus* Acolythus ecclesiæ Romanæ. II, 867, 868, 871, 874.

Albor in cute lepra est, non candor. IV, 937.

*Albula* fluvius, nunc Tiberis. III, 203.

Album ad Deum pertinere dicunt Manichæi, nigrum ad Hylen. VIII, 396. Albis vestibus induti post baptismum. V, 678, 1092.

*Alcibiadis* tristitia. VII, 413.

*Alcimus* pontifex factus, licet a genere sacerdotali esset alienus. VII, 606.

*Alecto* furia infernalis. VII, 88.

*Alexander* rex atque Pontifex apud Judæos. VII, 606.

*Alexander* Macedo Alexandriam condidit. II, 795; regnum ejus magnum locis, sed brevissimum tempore. VII, 117, mi-

rificentissima, sed minime diuturna potentia. VII, 602; in Dei templo hostias immolavit. sed non vera pietate. VII, 606. De sacris deorum ad Olympiadem matrem scripsit. VII, 256, 358.

*Alexander* vetus hæreticus cujus meminit Hieronymus. II, 252, 286, in epistolam ad Galatas commentariolos reliquit. II, 252.

*Alexandra* Regina Judæorum. VII, 606.

*Alexandria*. VIII, 944, 966.

Alienari a vita Dei, quam magna pœna. VI, 339.

Alienatio a sensibus et a spiritu malo, et a bono fieri potest. III, 470, quonam discrimine. III, 470.

Alienigenæ qui. IV, 648, 721. Alienigenæ, qui totam felicitatem non putant, nisi præsentem. V, 204, 205.

Aliena possidentur, cum superflua possidentur. IV, 1922. Alienum a conscientia, quod alienum ab opere : quod alienum est a conscientia, alienum videtur a scientia. IV, 334. Alienus est, quisquis ex tuis nihil tibi prodest. IV, 333.

Alimentum. Præter cibum et potum, tertium est alimentum aurarum. X, 513. Alimenta, medicamenta quotidiana. VII, 690. Augustinus a Deo edoctus, ut quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedat. I, 797, 798. Alimentorum sumendorum regulæ. III, 1337. Alimentum sola salutis causa sumendum. I, 797. Usus alimentorum et ligni vitæ in paradiso. X, 772.

Allegoria quid. IV, 1347; VIII, 1068. Allegoriæ plures species. VIII, 1068. Allegoria quadruplex, historiæ, facti, sermonis et sacramenti. III, 166. Hæc regula in omni allegoria retinenda est, ut pro sententia præsentis loci consideretur, quod per similitudinem dicitur. IV, 116. Allegoriarum utilitas. II, 214. Allegoria usus est ipse Christus in Evangelio. VIII, 70.

Alleluia. *Vide* Halleluia.

Allevare aliquem, pro interficere. III, 824.

Alligamenta contritionum, sacramenta. IV, 1903.

Alloquia mystice. III, 118; IV, 648, 721.

*Almon* fluvius non procul ab Urbe in Tiberim influens. VII, 50. *Not.* (*c*).

Alogia dicitur, cum epulis indulgetur, ut a rationis tramite devietur. II, 141. Alogiare est epulis indulgere, ita ut a ratione devietur. III, 1423.

*Alogi* Hæretici. VIII, 31.

Altare. I, 778; IX, 202. Altare Christi. IX, 220. Altare ligneum. IX, 190. Altare cæleste, quod nemo tangit indignus; et altare visibile, quod multi tangunt indigni. IV, 193. Altare sublime invisibile, quo non accedit injustus : ad illud altare ille solus accedit, qui ad istud securus accedit. IV, 479. Altare erectum super reliquias Stephani. V, 1438, et super corpus Cypriani. V, 1425. Altaria Martyribus ipsis non eriguntur, sed Deo. V, 1251, 1438. Ad altare Dei recitantur suo loco Martyres et sanctimoniales defunctæ. VI, 423. Martyres ad altare meliore loco recitantur. V, 1251.

Altaris oblatio. II, 657. Altaris sacrificium pro mortuis. VI, 609. Ad altare fieri memoriam sui desiderat Monnica in extremis. I, 778. Altare, vel quod accipitur de altari. V, 562. Ex altari dispensatur victima sancta. I, 778. Recipitur apud Carthaginem mos cantandi psalmos ad altare. I, 634.

Altare spiritaliter fidem accipere debemus. III, 1242. Altare Dei cor nostrum. VII, 280.

Altercandi studium damnatur. III, 1308.

Alternantia in creatura mutabili movere nos non debent. VI, 151.

Altitudo. Nullum corpus est quod longitudine, latitudine, et altitudine careat. I, 1038, 1048. Altitudo corporis, aliæque dimensiones explicantur. I, 1038. Altitudo spiritalis. IV, 1728.

Altus est Deus, et ab humilibus contingitur. IV, 947, 1205.

*Alypius* Thagaste oriundus. I, 724, parentibus primatibus municipalibus. I, 724, corporis statura brevis. I, 967. Alypii cognatus Romanianus. II, 110. Alypius, natu minor Augustino. I, 724. Augustino amicissimus a primis annis. I, 724, ab eoque frater cordis sui dictus. I, 766. Alypius Augustini Thagaste et Carthagine in Rhetorica auditor. I, 724. Alypius a minori ætate magnam virtutis indolem præferebat. I, 724. Carthagine ut fur apprehenditur, sed mox liberatur. I, 726, Carthagine spectaculis deditus, a Circensium insania revocatur objurgatione Augustini. I, 725; Romam venit ante Augustinum ut jus discat. I, 726. Alypius fortissimus domitor corporis Italicum glaciale solum nudo pede obterit insolito ausu. I, 769. Spectaculorum gladiatoriorum amore incredibili, incredibiliter abreptus est. I, 726. Manichæorum superstitione cum Augustino involvitur. I, 726.

Alypius Mediolanum cum Augustino proficiscitur. I, 727, continentissime vivit. I, 730. Augustinum ab uxore ducenda prohibet, quo simul sapientiæ libere vacent. I, 730. Assessoris munere tertium fungitur. I, 727, 734. Dum assidet Comiti largitionum Italicianarum, ejus integritas a potentissimo senatore, et pollicitationibus et minis tentatur. I, 727. Alypius abstinet se ab ærarii Prætoriani usu præ justitiæ amore. I, 727.

Alypius putat credi a Catholicis non esse in Christo mam et mentem hominis, ideoque ad fidem pigre mov . At postea errorem hunc Appollinaristarum esse intelligit. I, 746. Alypius, Augustini ad Deum conversi proposito bono sese adjungit. I, 761. Alypius secedit cum illo in agrum Cassisiacum, catechumenus cum catechumeno. I, 766. Disputat cum Augustino de finibus bonorum et malorum. I, 732. Christi nomen litterariis illis lucubrationibus inseri deditur, sed postea resipiscit. I, 766. Illic Augustino suam operam confert in edendis libris, de Ordine, et de Academicis; interlocutoris personam in istis ita sustinens, ut ipsa ejus verba sint, quæ litteris mandata fuerunt. I, 908. Alypius remeat Mediolanum nomen inter baptizandos cum Augustino daturus. I, 769. Alypius baptizatur. IV, 169.

Alypius Thagastensis episcopus. IX, 697, 700. Alypium papam et fratrem salutat Hieronymus. II, 156. Ad Alypium Eusebii episcopi Constantinopolitani historiam mittit Paulinus. II, 212, mittit et panem unum. II, 100. Alypium quanti Augustinus æstimaret. II, 90. Alypius ob abdicationem sæculi, ob repulsam carnis et sanguinis, et solitudinem laudatus. II, 95. Alypii historiam Augustinus Paulino scripturum se spondet. II, 110. Alypius ad Sixtum rescribit. II, 867. Alypius et Augustinus Julianam et ejus familiam bonis moribus imbuerunt. II, 848. Alypio et Augustino cohortantibus, nuptiis jam paratis nuntium remisit Demetrias. II, 848. Alypius benignissime ac sincerissime acceptus a Bonifacio Papa. X, 519. In Alypium multa contumeliosa et indigna clamarunt Hipponenses cum Pinianum ad presbyterium postulabant. II, 477. 481. Juliani calumnia in Alypium. X, 1065, 1066. Alypius vernula peccatorum Augustini a Juliano dictus. X, 1053. Augustinus Alypio verborum, Alypius Augustino rerum magister effectus est, professione ipsius Augustini. I, 1007.

*Amaccura*. IX, 221.

*Amalech*, interpretatur Populus linguens. IV, 1053.

*Aman*, interpretatur Frater ejus. IV, 1110.

Amaricantes. IV, 88, 796, 816, 1750.

Amaritudo. Quocumque se converterit anima, in terrenis rebus amaritudinem invenit : unde dulcescat non habet, nisi levet se ad Deum. IV, 1083, 1086. Amaritudines dulcedini vitæ temporalis cur Deus miscet. IV, 1213, 1793. Amaritudines miscet Deus delectationibus etiam innocentibus, ut amorem non habeamus nisi vitæ æternæ. IV, 458.

*Ambacum* Propheta quid quando prophetavit non invenitur. VII, 587.

Ambitiosorum miseria. I, 724.

*Ambivius* episcopus. II, 759, 778.

*Ambrosius* episcopus Mediolanensis. X, 866, laudatur. I, 717. Cælibatus ejus, occupationes et studia. I, 720, 721. Ambrosius in litteris sæcularibus et ecclesiasticis eruditus. X, 1157. Omni die Dominico verbum Dei tractat ad populum. I, 721. Ambrosius diligitur a Monnica perinde atque Angelus Dei. I, 719. Ambrosius benigne excipit Augustinum, qui studiose ipsum concionantem audit. I, 717. Ambrosius, consulenti Augustino quid potissimum de Scripturis legere debeat, quo sese ad baptismum comparet, Isaiam præscribit. I, 769. Augustinus per Ambrosium conversus et baptizatus. X, 645. Ambrosii ore potissimum Deus Augustinum ab errore liberavit, et per illius ministerium gratiam salutaris baptismi huic indulsit. II, 152, 620.

Ambrosii persecutio. II, 177. Ambrosius persecutionem a Justina Augusta Ariana patitur. I, 770. Excubat plebs in Ecclesia mori parata cum Episcopo. I, 770. Tunc Hymni et Psalmi ut canerentur secundum morem Orientalium partium, ne populus mœroris tædio tabesceret, institutum est, et ex illo retentum. I, 770.

Ambrosius synaxes ad memorias martyrum prohibet. I, 719. Ambrosius corpora SS. Protasii et Gervasii divinitus detegit. I, 770; VII, 761; IX, 430. Ambrosium adhuc vivum, obsecrabant dæmones ut sibi parceret. VI, 608. Ambrosius in observando sabbati jejunio, servandum esse morem Ecclesiæ in qua quisque versatur, respondit. II. 151, 201.

Ambrosii dilectione Paulinus ad fidem mnutritus est. II, 102. Ambrosium Paulinus patrem suum vocat. II, 102. Ambrosii presbyter censetur Paulinus. II, 102.

Ambrosii mors contigit an. CCCXCVII, 4. April. II, 151, 152. *Notas vide*.

Ambrosius hæreticorum expugnator. X, 1368. Ambrosius Pelagio opponitur. X, 381. Ambrosii doctrina opposita Pelagianis. X, 681. Ambrosius peccatum originale agnovit. X, 1052, 1157. Neminem sine peccato esse docuit. X, 284. Ambrosii sententia pro peccato originali. X, 378, 400. Ambrosii testimonia contra Pelagianos. X, 632. Ambrosii doctrina tribus Juliani erroribus opposita. X, 674, 675. Ambrosii fidem et purissimum in Scripturis sensum, ne inimicus qui-

dem, teste Pelagio, ausus est reprehendere. X, 1052. Ambrosium, si viveret, primum seipsum, deinde cæteros emendaturum in materia de peccato originali, dicebat Julianus. X, 1408, 1414. Ambrosius quamlibet sanctus nequaquam auctoritati Scripturæ canonicæ comparandus. X, 381.

Ambrosius inter scriptores Ecclesiasticos flos quidam enituisse speciosus, dicitur a Pelagio. 1228, 1230. Ambrosius Pelagii ore magnopere laudatus. X, 381, 383, 384, 409, 410, 436, 445, 466, 632, 661, 671, 695, 1070, 1080, 1157, 1274, 1345, 1378, 1402, 1411, 1412.

Ambrosius Mariæ virginitatem defendebat. X, 445. Hanc ob rem Manichæus a Joviniano appellatus. X, 445. Ambrosius scripsit contra eos qui Dominum profecisse de libris Platonis contendebant. II, 125. Ambrosii de Christi justitia sensus. X, 1084. Ambrosii sententiam de videndo Deo amplectitur Augustinus II, 620. Ad veteris legis interpretationem quasi regulam commendans, sæpe inter concionandum dicebat, Littera occidit; spiritus autem vivificat. I,722 Ambrosius interpretationem Origenis in quibusdam sequutus est. II, 261.

Ambrosii expositio in Isaiam. X, 632, 633, 654, 647. In psalmum XLVIII. X, 646. In librum Tobiæ. VI, 579. In Lucam. X, 645, 1024. Ambrosii lib. de Isaac et Anima. X, 671. De Sacramento regenerationis seu de philosophia. X, 683, 687, 690. Apologia prophetæ David. X, 632, 645, 1024. Ambrosii liber de Fuga sæculi. X, 633, 654, 689, 1005. de Arca Noe. X, 632, 674. De Bono mortis. X, 655. Liber I. De Pœnitentia contra Jovinianos. X, 652. Lib. de Paradiso. X, 682, 688.

Ambrosiani versus. I, 777.

Ambrosiana Basilica. I, 770.

Ambulare secundum carnem et secundum spiritum. V, 846. Ambulare non secundum hominem, sed secundum Deum. VI, 356. Ambulare nostrum, est fervere in itineribus bonorum operum. IV, 290. Ambulare viam pigrius melius est, quam præter viam fortiter currere. IV, 259. Ambulans in via fidei, perducitur ad speciem. IV, 1854.

Amen vox hebræa. III, 1694. Quare non est interpretata. III, 1694. Quid significet. *Ibid.* Amen, idem ac verum est. V, 1633. Amen interpretatur verum, non quomodocumque, sed mystica religione. VIII, 513. Amen, ad invocationes Antistitum respondet populus. VI, 320. Amen, fideles Eucharistiam accipientes respondent. V, 1247, 1469. Amen et halleluia diebus Passionis et Resurrectionis Dominicæ per totum mundum canitur. IV, 177. Amen et halleluia propter sanctiorem auctoritatem servata sunt. III, 42. Amen et halleluia tota erit beatorum actio. V, 1530. Amen amen ad aliquid affirmandum assumitur. III, 649.

Amicitia quid sit. VI, 22; X, 550. Amicitia est rerum humanarum et divinarum cum benevolentia et caritate consensio. I, 941; II. 1071. Amicitia mutuo amore constat. VI, 173. Amicitia similibus moribus confit. III. 245. Amicitia vera ex caritate æternitatis et veritatis manat. II. 667. Non est vera amicitia, nisi eam Deus adglutinet inter ipsi hærentes caritate. I, 696. Amicitia nusquam nisi in Christo fidelis est. X, 550. Illa est lex amicitiæ justissima, ut sicut non minus, ita non plus quisque amicum, quam seipsum diligat. I, 873.

Amicitia nullius repudianda. VI, 82. Amicitia hominis parum prodest, et quandoque multum nocet: secure optatur amicitia Christi. IV, 1718. Amicitia offerenda his qui eam a nobis petere non audent. VI, 83. Illum in amicitiam receptum possumus dicere, cui omnia consilia nostra refundere audeamus. VI, 83. Temerarium benevolentiæ judicium cavendum est erga eum, cujus nonnisi bona statim apparent. VI, 83. Ab animo non repellendus, cujus primo non nisi mala innotescunt. VI, 83. Sine fide de amicitia non constat. VI, 173. Amicitiæ amor amat quod non videtur. V, 1692.

Amicitia alia consuetudinis, alia rationis. V, 1691. Amicitia an propter se solum petenda sit. VI, 21. Amicitiæ amor sit gratuitus. V, 1692. Amicitia non pensanda temporalibus commodis, sed gratuito amore putanda. II, 667. Amicitia perennte, connubiorum, cognationum et affinitatum vincula in animo non servabuntur. VI, 173. Amicitia simulata nihil amarius. VII, 652. Amicitia res plena timoris et sollicitudinis. VII, 654.

Amicitia malorum inimica. I, 682. Amicitia mundi hujus, fornicatio est a Deo. I, 670. Amicitias civium Babyloniæ cum affectas, vide ne incipiat te delectare Babylonia, et obliviscaris Jerusalem. IV, 1768. Miser est omnis animus vinctus amicitia rerum mortalium. I, 697.

Amicum nihil est homini sine homine amico in quibuslibet rebus humanis. II, 495. Bene quidam dixit de amico suo, Dimidium animæ meæ. I, 698. Amicus nullus inter iniquos. IV, 1179. Amicum ille veraciter amat, qui Deum amat in amico, aut quia est in illo, aut ut sit in illo. V, 1472. Amicum propter Deum amat, qui Dei amorem amat in amico. VIII, 451. Amicus amicum in Deo certius habet. II, 72. Solus nullum earum amittit, cui omnes in illo cari sunt qui non amittitur. I, 699. Beatus qui amat Deum et amicum in Deo, et inimicum propter Deum. I, 699. Amici veri indicium, si in religione consentit. I, 941. Amici non sunt, qui in rebus tantum humanis consentiunt. II, 1072. Inconstantia ejus qui ex caritate amicus est non timenda. II, 250.

Amicorum verorum et bonorum fides non ficta et mutua dilectio consolatur nos in hac vita. VII, 634. Amici objurgare metuentes, plerumque minus utiles quam inimici jurgantes. II, 247. Amicus ne admoneat amicum, verecundia impedire non debet. II, 671. Amicus non omnis qui parcit, nec omnis qui verberat, inimicus. II, 323. Nihil sic probat amicum, quemadmodum oneris amici portatio. VI, 80. Amicorum vitia non amanda. V, 525. Amicus malum suadens. V, 501. Amici et boni ad bonum, et mali ad malum, multum valent. V, 537. Amicus hominis veraciter esse non potest, nisi fuerit ipsius primitus veritatis. II, 667. Amicus recti non est, qui mallet id quod rectum est non juberi. IV, 825.

Amicus et inimicus nunc vix dignoscitur. V, 522. Amici bona voluntas non videtur, sed creditur. VI, 171. Nec benevolentia ejus nobis constat sine fide. VI, 171.

Amici mors amara, amarior mutatio. VII, 635. Quid in morte amicorum vere consolatur. VII, 655. Prodest aliquid, cognoscere quæ amara et tristia sunt erga carissimos nostros. II. 365.

Amicus Dei non efficitur quisquam nisi purgatissimis moribus et sincera caritate. III, 175. Si voluntatem Dei nosse quisquam desiderat, fiat amicus Deo. III, 175.

Amicus media nocte interpellatus ut det tres panes ad reficiendum amicum. V, 619. Amissionem rerum quas habet natura, devitat. III, 386. In amissione rerum temporalium, nihil perit sanctis. VII, 23.

Amisisse aliquid dicitur, qui speratum non acceperit. III, 355.

*Ammanitæ* ex Lot propagati. III, 762.

*Amedera.* IX, 221.

*Ammon* interpretatur Filius populi mei, sive Filius mœroris. III, 818; IV, 1055.

*Ammonianus* episcopus. X, 652, 663.

*Ammonius* medicus. VII, 761.

Amo. Amare, quid sit. VI, 23. Non amamus aliquid nisi pulchrum. I, 701, 1185. Amat homo unde se putat fieri beatum. VI, 672. Amari incognita an possint. VIII, 952, 954, 971, 873, 974, 910. Qui amat, non laborat. III, 1741. Non omnia quibus utendum est diligenda sunt. III, 27. Quod amas ad tempus, aut subducitur tibi, aut subduceris illi. V, 1653. Sine dolore non pereunt, quæ cum amore possessa sunt. VI, 156, 265. In sæculo non est quod possit amare Christianus. VI, 679.

Amatoria patriæ nostræ cantanda, non vetera. IV, 807.

Amatores lubrici, ut sint formosi fallaces, non curant reprehensores veraces. IV, 282.

Amate Deum, nihil melius invenitis. V, 1531. Ad amorem Dei, magnum incitamentum ex Christi incarnatione ductum. VI, 314, 339. *Vide* Amor. Amari Deus non potest, nisi habeatur. V, 211. Deus continuo cum amatur, habetur. V, 211. Amandus Deus super parentes. V, 1512. Amandus est Deus gratis. V, 905, 1046. Amare Deum gratis, pietas est. V, 568. Amare gratis Deum, quid sit. IV, 626, 658, 265, 1404, 1745. Amare Deum gratis hoc est, de Deo Deum sperare. ipse sufficit tibi, præter illum nihil sufficit tibi. V, 1469. Si adhuc propter pœnas times Deum, nondum amas quem sic times. III, 2049. *Vide* Caritas, Dilectio. Id quod nihil est aliud habere quam nosse, non potest deesse dum amatur. VI, 23. Præceptum diligendi Deum toto corde, nullam vitæ nostræ partem relinquit, quæ vacare debeat. III, 27. Amor iste fluvio comparatur. III, 27.

Amandus Deus propter ipsum, et proximus propter Deum. V, 1472. Amare aliquem hominem pro Christo, adulterium est. III, 1497. Amamus Deum de Deo. V, 210, 923. Novit Deus in unoquoque nostrum, et odisse quod fecimus, et amare quod fecit. II, 1923. Amat Deus suum, etiam in vitiosis, vel sanatione beneficium, vel damnatione judicium. III, 1923. Quantum nos Deus, et quales dilexerit, cur necesse est cognoscere. VIII, 888.

Amat recte proximum qui agit etiam ut ipse toto corde, tota anima, tota mente Deum diligat. III, 27. Qui diligit fratrem, Deum diligit, quare. VII, 957, 958. Quinam et proximum et seipsos juste diligunt. VIII, 956. Amare non sic debemus homines, quomodo gulosi turdos. III. 2058. Amamus homines in quibus est aliqua scintilla caritatis, et e contra. III, 1405. Unde amatur aliquis qui putatur justus, et non est. VIII, 966. Bonos imitare, malos tolera, omnes ama. VI, 347. Amandi nondum justi, ut sint; qui jam sunt, ardentius diligendi. VI, 344. Quid in his diligendum. VI, 348. Animus plus amatur quam corpus, etiam in alio homine. II 1420. Non opus est ut qui amat, excitetur ad opem

amico ferendam. II, 1750. Amari cupiebat Augustinus non in se, sed in Christo. II, 1425. Amari et superiores ab inferioribus amant. VI, 315. Amare. *Vide* Amor.

Amat semper se et suum corpus homo. III, 27, 29. Præcipiendus est modus homini quo se et corpus suum diligat. III, 28. Amare se, et negare se. V, 1456

Amas caritate, quidquid bene amas. V, 160. *Vide* Amicitia, Amor, Diligere. Tanto sumus dilectione pleniores, quanto saniores sumus a tumore superbiæ. VIII, 957, 958.

Amandi inferiora modus. V, 1654. Amarus factus mundus, amari non desinit. V, 1419. Amor mundi si habitet, non est qua intret amor Dei. III, 1093. Amando Deum efficimur Dii: amando mundum, dicimur mundus. V, 678.

Amor pondus est, quo animus fertur quocumque fertur I, 848; II, 677; VII, 542. Amor hoc animis, quod pondus est corporibus. II, 212, 213. Amor manus animæ. V, 694. Pes animæ. IV, 124. Amore anima movetur tanquam ad locum quo tendit. IV, 124. Amor cursus est. IV, 441. Amor vacare non potest. IV, 260, 1618. In eo quod amatur, aut non laboratur, aut et labor amatur. VI, 448. Amor a dolore an vacare possit. IV, 598. Amoris vulnus. V, 1366.

*Apuleius* Afer Platonicus nobilis. VII, 237. Librum de mundo scripsit. VII, 113; et de deo Socratis. VII, 238. Librum quem de deo Socratis scripsit, de dæmone Socratis debuisset appellare. VII, 239. Asini aurei libros scripsit. VII, 574.

Apuleius Madaurensis, magus. II, 583, 514, 534. De magicis artibus accusatus. VII, 242. Se contra magicarum artium crimina defendit. II, 521, 534; copiosissima oratione. VII, 244. Apulcius Madaurensis magus cum omnibus suis magicis artibus, ne ad aliquam quidem judiciariam reipublicæ potestatem, potuit pervenire. II, 534. Apuleium magum conferre Christo vel etiam præferre quidam impie conati sunt. II, 535.

Aquam non a Deo creatam, sed ipsi coæternam, quædam hæresis dixit. VIII, 45. Aquas a Deo factas esse, impie negatur. VII, 348. Aqua quando creata. III, 256. Aquæ nomine materies informis insinuatur in Genesi. III, 233, 250; VIII, 612. Et tota materia corporalis intelligitur in Scriptura. VI, 167. Quare super aquas Spiritus sanctus superferebatur. III, 250, 251. Cur solus Spiritus sanctus, non vero Pater et Filius. I, 847, 848.

Aqua, quando speciem propriam accepit. III, 275. Aquarum divisio. III, 181. Naturam aquarum non posse esse super sidereum cælum, multi asserunt. III, 263. Non refelluntur recurrendo ad omnipotentiam Dei. III, 263. Aquas esse supra cælos, quomodo quidam conatus est demonstrare. III, 263. Aquas esse super cælum non dubitandum est, quælibet, aut quoquomodo sint. III, 267. Aquas super cælos non vaporali tenuitate, sed glaciali soliditate pendere, quidam autumant. III, 267. Aquas esse etiam super sublime cælum, non repugnat. III, 266. Aquas supra firmamentum, et sub firmamento, quomodo intelligenda. III, 232.

Aquarum congregatio est ipsarum formatio. III, 181, 252. Aquarum congregatio, quomodo facta. III, 253; VIII, 612. Omnis aquarum congregatio, Hebræis dicitur mare. III, 181. Non omnis aqua, mare est. III, 234.

Aquam rerum omnium principium putavit Thales. VII, 226, 230. Ex aqua generantur omnia. V, 67. Cuncta genera vel animalium, vel herbarum, atque lignorum. III, 528.

Aqua aeri similis. III, 280. Aquarum tenues halitus aeri vaporaliter inseruntur. III, 283. Aqua sumpta pro aere crasso III, 184; et terris contiguo. III, 257, 258. Terræ vocabulum aquis etiam tribuitur. III, 393. Aqua omnem potum significat. III, 514, 652. Aqua viva quæ. III, 1514.

Aqua in sanguinem versa, V, 62, 67; significat de rerum causis sentire carnaliter. IV, 1000. Aqua marina sterilitatem indicit. IV, 1554. Vapor aquarum marinarum decoctarum sinuato cooperculo exceptus, humorem dulcem gustantibus exhibet. III, 259. Aqua sine substantia, quæ. IV, 1645.

Aquæ in Scripturis significationes diversæ. III, 1528, 2026. Aquæ nomen ubi in Scriptura reperitur, non statim baptismus intelligendus est. IX, 384. Aqua vitæ salutaris. IV, 270. Aqua irrigat aut abluit, et significat Christum. IV, 175. Aquæ nomine, Spiritus sanctus significatur. III, 216; IV, 1553. Aqua et populum significat, et spiritum sanctum. III, 79. Aquæ nomine, Angeli intellecti. I, 852. Aquæ populos in Scripturis significant. IV, 68, 213, 980, 986, 1038, 1425, 1865; V, 690; IX, 65, 148, 339, 367. Aquæ nomine, peccatores populi intelliguntur. IV, 1644. Aqua quinque porticibus cincta, populus Judæorum Lege conclusus. IV, 1065. Aquæ contradictionis, populi persequentes. IV, 1865. Aqua piscinæ turbata, passionem Christi figurabat. IV, 1065. Aquæ quomodo intraverint in animam Christi. IV, 842. Aqua, caritas. IV, 1555. Aqua est symbolum gratiæ. III, 737. Vis quædam rationi subjecta, qua ratione Deus veritasque cognoscitur, recte aqua divinitus appellata est. III, 232. Potest et intelligi vita spiritalis informis, nomine aquæ. III, 250. Aqua, prosperitas sæculi. IV, 797. Aquæ multæ, variæ doctrinæ. IV, 269.

*Aquarii* hæretici. VIII, 42.

Aquatilibus solis cur benedictio, sicut homini impertita. III, 286.

*Aquila* Scripturam ex Hebræa lingua in Græcam transtulit. VII, 603. Quo tempore. VII, 603, *Not.* (*b.*) Aquilam cæteris interpretibus Judæi anteponunt. VII, 470.

Aquilas non vixisse carnibus in arca magis credendum est. III, 580. Aquilæ non egent potu. I, 1566. Aquilarum oculi perspicaciores nostris. I, 1049; III, 176. Aquilas quando

vis oculorum VI, 799. Aquilæ pulli quomodo probantur. III, 1666. Aquilæ renovatio, resurrectionis similitudo. IV, 1323. Aquila rostri partem in senecta exuberantem ad petram excutit, ut possit cibum capere. IV, 1323. Aquila symbolum Christi. III, 884. Aquila ideo te quærit, quia cepisti leporem. IV, 1646. Aquila quomodo nobis imitanda. IV, 1323, 812.

Aquilo numquam sumitur in bono in Scripturis sacris. III, 876. Aquilo significat diabolum et regnum ejus. IV, 534. Glaciem peccati. II, 561. Aquilonis latera, quæ. IV, 534.

*Arabia* gentes figurat. IV, 911.

*Arabici* hæretici. VIII, 46.

*Aralius* vel Analius, quintus rex Assyriorum. VII, 562.

*Aratus* astrologus. VII, 500.

Arbiter, medius ad componendam causam dicitur. IV, 1383.

Arbitrium liberum a Manichæo agnitum. VIII, 543, 558, 1087. Arbitrium voluntatis non omnibus naturis datum. III, 390. Arbitrium liberum asseritur. VIII, 121. Arbitrium liberum in Angelis et hominibus. VIII, 537, 538, 542, 543. Primus homo per liberum arbitrium suum stare et ipse potuit. X, 953. Arbitrio nostro ut facti sumus ex bonis mali, ita ex malis bonos fieri posse qui dicunt refelluntur. V, 409; X, 1541, 1542, 1544.

Arbitrium laudabiliter liberum, quodnam sit. X, 1102. Arbitrium tunc vere liberum, quando est liberatum. X, 234. Arbitrium hominis liberandum a servitute peccati, quod ei nunc cum morte dominatur. VI, 282. Arbitrium voluntatis tunc est vere liberum, cum vitiis peccatisque non servit. VII, 418. Non liberatur arbitrium, nisi per gratiam. VI, 282. Arbitrium liberum pertinet ad gratiam. X, 241.

Arbitrium liberum non sic defendendum est, ut adjutorium Dei non putetur necessarium. III, 1778. Arbitrium voluntatis sine Dei gratia tentationes vincere, et præcepta Dei implere posse, suadent Pelagiani. VI, 329. Liberum arbitrium extollendo præcipitant Pelagiani. X, 1246. Arbitrii libertate non fidendum. VII, 467. Arbitrium voluntatis cum gratia commendatur. X, 342. Liberum arbitrium sine gratia non sufficit. X, 202, 203. Liberum arbitrium adjuvatur per gratiam, ut quod naturaliter volumus, hoc est, beate vivere, bene vivendo habere possimus. X, 1566. Liberum arbitrium parum est naturæ ad non peccandum, nisi adjuta, sanetur gratia. X, 293. Deo volenti salvum facere, nullum hominum resistit arbitrium. X, 942. Deus non aufert, sed adjuvat bonæ voluntatis arbitrium. III, 757. *Vide* Libertas.

Arbores quomodo et quando creatæ. III, 275. Tertia die creatæ secundum rationes causales. III, 259. De herbis et arboribus non solum dicitur, secundum genus, sed, et secundum similitudinem. III, 287. Arbor scientiæ boni et mali cur appellata est. IV, 897. Arbor scientiæ boni et mali ex se non perniciosa, sed ex obedientia violata. X, 172. Arbor paradisi bona erat, et ideo solum tangi non debuit, quia Deus prohibuerat. IV, 896, 897. Arbor paradisi interdicta ad commendandum obedientiæ bonum. VII, 394.

Arbor vitæ. III, 214. Ad eam nemo nisi per tolerantiam et scientiam pervenit. III, 214.

Arbor bona et arbor mala in Evangelio, quid. X, 461, 1455, 1458. Arbor bona vel mala, voluntas est. X, 667, 668, 672, 754, 1454. Arborem bonam vel malam quo sensu faciat homo. X, 370.

Arborum insitio. III, 405. Arbor ex semine, et semen ex arbore, quomodo. III, 358. Omnia quæ ad arborem pertinent, primitus in semine fuerunt vi et potentia causali. III, 357. Arbores sic vivere putant Manichæi, ut sentiant et doleant, cum lædantur. VIII, 37.

Arca Noe de lignis imputribilibus. IV, 1917. Et de lignis quadratis exstructa, quo mysterio. IV, 1103. Arca quomodo bicamerata et tricamerata. III, 349. Cubita in mensura Arcæ, an fuerint geometrica. VII, 474. Cubita fuisse geometrica, putat Origenes. III, 349. Arca diluvii secundum rationem corporis humani, a Philone explicata. VII, 472; VIII, 274. Arca cur tot annis ædificata. V, 1610. Arcam aliam ædificans Christus, quid nos admoneat. V, 1611. Quænam animalia in Arcam introducta sint. VII, 475. Cur de Arca conjuncti exeant, qui disjuncti intraverunt. VIII, 265. Difficultatibus eorum qui Arcæ historiam impugnant, satisfit. VII, 473.

Arcæ significationes exponuntur. VII, 472. Arcæ Noe allegorica expositio. VII, 262, 263. Neque historia sola sine allegoriis, neque allegoriæ solæ sine veritate historiæ admittendæ, ubi de Arca et diluvio agitur. VII, 472. Arcæ bituminatæ allegoria, Donatistarum errori accommodata. IX, 397. Arcæ altera allegoria veritati magis consentanea. IX, 397. Arca Noe figura Christi. VII, 477. Figura Crucis, III, 1464. Et Ecclesiæ. III, 1434; IV, 1358; VII, 472, 476; IX, 397. In Arca quædam ad Christum, quædam ad Ecclesiam referuntur. VIII, 274, 275. Arca qualiter Ecclesiam figurarit. IX, 196. Ut illa omnia animalium genera continebat, ita Ecclesia omnes gentes. IV, 1358. Arca Noe, prophetia nostrorum fuit temporum. VII, 598. Arcam Noe, nomine pancarpi exagitabant Manichæi. VIII, 598.

Arca in qua Lex inclusa est, unde dicta est Arca testimonii. VII, 295. Miracula quæ per Arcam facta sunt, Divinitati adtestantur. VII, 295. Arca testamenti, pro sacratiore quadam præsentia Domini, accipi potest. VI, 144. Arcæ et propitiatorii mystica expositio. III, 633. Arca sanctificationis Christi, Ecclesia vel Corpus quod ex Maria natum est. IV, 1722. Arca Domini in æternum manet, quomodo. IV, 1005.

*Arcades* a dæmonibus Arcadibus homines in lupos conversi dicuntur. VII, 575.

*Arcadius* Imperator. VI, 722. Arcadius Augustus, bis Consul. VIII, 111, 112. Arcadius III consul. IX, 529, 574. Arcadii tempore Constantinopolis igne cœlesti peritura revelatur. VI, 722.

*Archelaus*, auditor et successor Anaxagoræ, quid de rerum principiis sensit. VII, 226.

*Archesilas* Zenonis condiscipulus sub magisterio Polemonis. I, 955. Polemoni eidem successit. I, 955. Academiæ sententiam dissimulavit. I, 955. Archesilas auctor academiæ novæ. VII, 226.

Ἀρχιμάγειρος, præpositus militiæ, vel coquorum. III, 582, 584.

*Archimedis* geometricæ litteræ, pertinaciter impugnatæ ab Epicuro. VIII, 74.

Architectonica etiam dicitur ars opificum ex auro, argento, et metallo. III, 654. Architectonicum opus in textilibus. III, 515, 516.

Archisynagogi filia, et hæmorroissa, quid figurent. V, 485, 486.

*Archontici* hæretici, eorumque dogmata. VIII, 29.

Arcus in nubibus quid significet. VIII, 265, 266, 630.

Arcus Dei extentus, sunt minæ ejus. IV, 686. Arcus nomine, Scripturæ sanctæ intelliguntur; IV, 106. Arcus Domini quas sagittas habeat, et quæ vasa mortis. IV, 106. Arcus iniquorum, insidiæ ipsorum. IV, 365.

*Ardea* civitas. VII, 93.

Area Dominica, Ecclesia. III, 127. Area Domini in qua nunc triticum, non sine palea. V, 119, 1174. Area ante ventilationis tempus non deserenda. IV, 190.

*Arelatum*. IX, 41.

*Arelatense* Concilium in causa Cæciliani. II, 161, 169, 198; IX, 41, 640.

Arenæ maris nomine, infirmi et carnales in Ecclesia intelliguntur. II, 336.

*Areopagos* Atheniensium Curia. V, 808. Unde sic dicitur. VII, 567.

*Argentinus* deus, dei Æsculani filius. VII, 105.

*Argentius*. II, 120.

Argentum probatum. III, 586. Argento probati, qui? IV, 1429.

*Argirius* in Priscillianistas aut nesciens irruit, aut ejusdem hæresis retibus implicatus. II, 1034.

*Argivis* primus regnavit Inachus. VII, 597. Argi seu Argivi unde sic dicti. VII, 564. Series regum Argivorum. VII, 562. Argivorum regnum simul cum Abrahæ nepotibus ortum est. VII, 562. Argivorum regni occasus. VII, 572.

*Argus*, filius Apis, rex Argivorum. VII, 564. Argus post obitum ut deus haberi cœpit. VII, 564.

Arguendi mali. V, 78, 549. Neque consentientes sitis malis, ut approbetis; neque negligentes, ut non arguatis; neque superbientes, ut insultanter arguatis. V, 550. Arguit in misericordia, qui non odio arguit. IV, 1824. Arguentur in ira Dei quidam, et non emendabuntur; quidam vero in emendatione fient salvi. IV, 397. Argui non vult in ira Dei, quisquis in hac vita sanari desiderat. IV, 91.

Aridum. Non omne aridum terra est. II, 254.

Aries hærens cornibus, figura Christi crucifixi. IV, 244. Aries rubricatus, figura Christi et Martyrum. III, 635.

*Ariminense* Concilium. VIII, 710, 711, 730, 772; X, 1100. Ariminensis Concilii auctoritate non se teneri dicit Augustinus. VIII, 711.

*Aristippus* philosophus Socraticus, voluptatem summum bonum esse dixit. VII, 227, 601.

*Aristobolus* filius Alexandræ reginæ Judæorum. VII, 607. Primus apud Judæos et rex et pontifex factus est. VII, 607. Vinctus ducitur Romam. VII, 607.

*Aristodemus* tragicus actor, sæpe ad Philippum legatus ab Atheniensibus missus. VII, 56.

*Aristonicus* rex a Romanis victus. VII, 86.

*Aristoteles* sectam Peripateticam condidit. VII, 237. Aristoteles vir excellentis ingenii, eloquio Platoni impar. VII, 237. Cum Platone consentire visus. I, 956. Aristoteles loquente Christo apud inferos, contremiscit. IV, 1828.

Arithmetica non est ex instituto hominum. III, 61.

*Arionis* Methymnæi nobilissimi citharistæ fabula. VII, 28.

*Arius*. V, 1641; VI, 714. Heresiarcha a quo Ariani. VIII,

39. Arius non intravit per ostium in ovile. III, 1721. Arii hæresis de Filio Dei. III, 1609; IV, 288, 857, 1040, 1712; VIII, 923. Arium et Eunomium Pascentius anathematizat. II, 1039.

*Ariani*. V, 55; IX, 395, 469, 589. Arianorum fides de SS. Trinitate. II, 1049. Patris et Filii et Spiritus sancti diversas substantias esse dicunt. II, 792. Patrem invisibilem dicebant, Filium vero visibilem. III, 1779. Patrem invisibilem, Filium vero et Spiritum sanctum visibiles dicebant. II, 626; III, 1779. Ariani putant substantiam Filii Dei nullo assumpto corpore, per seipsam esse visibilem. III, 392. Et Patrem solum esse invisibilem. III, 392.

Ariani Filium Dei negant verum Deum. VIII, 930. Dicunt aliud esse Patrem, aliud esse Filium. III, 1737. Patrem dicunt non genuisse id quod est. II, 750. Negant Filium esse æqualem Patri. III, 1672, 1711, 1796, 1820. Et Spiritum sanctum Filio. III, 1796. Refelluntur. III, 1537, 1559, 1560, 1802. Ariani aut non colunt Christum, aut non unum Deum colunt. VIII, 743, 763. Ariani duos Deos et Dominos consequenter admittebant. VIII, 769, 770. Christum sine anima carnem suscepisse sentiunt. VIII, 39. *V.* Christus, Filius. Ariani diversas dicere naturas Patris et Filii convincuntur. VIII, 779, 780. Ariani per Filii injuriam, Patrem falso honorant. V, 772. Ariani cujusdam interrogationi utrum Deus volens genuerit Filium, an nolens, quomodo responsum. VIII, 1087. Ariani peccabant in Spiritum sanctum. II, 814. Ariani refelluntur asserentes Patrem majorem, Filium minorem, Spiritum sanctum multo inferiorem. VI, 640, 648, 658, 683, 692, 697. Ariani refelluntur. V, 664, 665, 701, 746, 770, 774, 989, 1150, 1496, 1676, 1689. Ariani minus intelligentes quam Judæi. III, 1744. Concilium Sardicense, quod Donatistæ proferebant, Arianorum fuisse advertit Augustinus. II, 176

Ariani Sabellianos nos esse criminantur. X, 458, 1461. Ariani dum Sabellianos fugiunt, in pejus aliquid inciderunt. X, 1462. Ariani Donatistas sibi sociare tentarunt. II, 176; IX, 516. Arianorum fidem si Donatistæ aliquando profitessi sunt. II, 793. Inter errorem Arianorum et Donatistarum quid intersit. II, 793. Arianus et Photianus, ambo hæretici, adversum se divisi. V, 447. Ariani damnati. VI, 650.

Arianis ad Ecclesiam redeuntibus gradus honoris servabantur. II, 813. Hoc displicuit Lucifero Calaritano, unde et in tenebras schismatis cecidit. II, 813. Quidam Reges ab Arianorum hæresi, conversi. VIII, 759. Ariani rebaptizant. VI, 652, 692, 706; VIII, 39. Persecutio per Arianos facta. VI, 308. Imperiales leges contra Arianos. VIII, 709. Ariani toto orbe abjecti. VI, 685. Ariana hæresis Augustini tempore pene exstincta, similis cadaveri putrescenti, aut homini animam agenti. III, 1689. Arianus olim mortuus et renascens. VI, 696. Arianorum sermo, seu synopsis dogmatum eorum. VIII, 678, 679, 680.

Arma dextera et sinistra. IV, 426, 1215. Armatur Deus pro nobis. IV, 325. Magnum spectaculum est videre Deum armatum pro te. IV, 325. Armatus Deus, quomodo intelligendus. V, 1423. Arma Dei, si bene profecerimus, et nos erimus, quomodo. IV, 325. Arma contra tentationes fortissima, desideria æternæ vitæ. IV, 1774. Arma quibus expugnatur inimicus, et invictissimum scutum. IV, 80. Arma contra diabolum. VI, 637, 658 Arma nostra comburenda sunt igni, prius quam armet nos Deus armis Evangelicis veritatis, continentiæ, etc. IV, 523. Arma templis deorum detracta. VII, 100. Arma diaboli. VI, 657, 658.

*Armamiter* octavus rex Assyriorum. VII, 562.

*Armemanensis* fundus. II, 255.

Arreptitii. VII, 50. Arreptitii idolorum, tanquam ranæ de paludibus. IV, 520.

Arrha et pignus quo differant. V, 158, 858, 1673.

Arrogantia non ita caveatur, ut veritas relinquatur. III, 1712. Cum omnis arrogantia odiosa est, tum illa ingenii et eloquentiæ multo molestissima. III, 1794.

Ars unde dicitur. VII, 128. Ars in animo residet. I, 1024; III, 179. Ars affectio quædam animi. I, 1182. Ars constat imitatione et ratione. I, 1086. Artium genus triplex. III, 57. Artium omnium lex, æqualitas et unitas incommutabilis. III, 147. In artibus sapientia, quo sensu. III, 515. *Vide* studium. Ars non habet vitium, non novit. IV, 534. Ars Dei nescit vitia, et judicat vitia. V, 579.

Artis genus duplex. I, 1053. Artium liberalium utilitas. I, 1015. Ars vulgaris quid. III, 146. Artem malam qui delegerunt unde vitam transigant, puniendi sunt; quia inde se volunt pascere, unde offendant eum a quo omnes pascuntur. IV, 1692. Artium professores unde sic appellantur. III, 1795. Artium cognitio aliquid confert ad intelligentiam Scripturæ. III, 57 Ars in brutis non reperitur. I, 1086.

Artifex vix ullus est, qui non habeat artem suam pecuniaria mercede venalem. VII, 197.

Artificia discere, quam jocunde sit pueris. VII, 728. Artefactorum forma per artificis manum trajicitur a sapientia Dei, VI, 90.

*Artemon* seu Artemonius hæresiarcha. VIII, 34.

Arteriæ aeris venæ. X, 527.

Articuli temporum quinque. VI, 313, 338.

*Artotyritæ* hæretici unde sic dicti VIII, 31. Artotyritas jungit Pepuzianis Epiphanius. VIII, 31.

Aruspicum libri superstitiosi. III, 50.

*Asaph* interpretatur Synagoga. III, 1347; IV, 916, 929, 1011: congregatio. IV, 970, 1035, 1051.

Asbestos Arcadiæ lapis, semel accensus non potest exstingui, VII, 715, 719.

*Ascanius* filius Æneæ, tertius Latinorum rex. VII, 576. Albam ædificat. VII, 89.

*Ascatades* rex Assyriorum. VII, 568.

Ascensus. *Vide* Adscensus.

*Ascitæ* hæretici. VIII, 42.

*Asclepius* nepos Æsculapii. VII, 253.

*Asellus* diaconus. II, 718.

Asellus Domini, populus mitis. IV, 272, 310.

*Asia* totius orbis ad numerum partium tertia dicitur, ad magnitudinem dimidia reperitur. VII, 561. Asiæ dimensio. VII, 578. Asia nomen provinciæ, et etiam tertiæ partis terræ. III, 783; VII, 497. Asia a Nino subjugata. VII, 578. Asiam pene universam Scythæ aliquando tenuerunt, III, 794.

Asiatica luxuria. VII, 103.

Asina Balaam loquens quid significet. III, 742.

*Asinius* Pollio. II, 265.

*Asinus aureus* liber ab Apuleio scriptus. VII, 574.

*Aspasius* Paternus, proconsul. V, 1410.

*Asper* Grammaticus. V, 85.

Aspis ne audiat vocem incantantis, allidit unam aurem terræ; et de cauda obturat alteram. IV, 680, 681; V, 1432. Aspidi comparantur surdi verbum Dei audire nolentes. IV, 117. Aspides insidiosæ. IV, 684.

Aspidiscæ. III, 636.

*Assaraci* domus, id est, Romani. III, 553; VII, 462.

*Assur* figurate pro diabolo. IV, 1055.

*Assuri*, IX, 235. Assuritana civitas. IX, 253, 507, 528, 550.

*Assuritani*. IX, 108, 180.

*Assyrii* interpretantur dirigentes. IV, 1021. Assyriorum regnum, a Nino longe lateque porrectum. VII, 116. Assyriorum regnum, Asiæ universæ, excepta India, dominabatur. VII, 497. Assyriorum regnum florentissimum. VII, 560, 561. Florebat Abrahæ temporibus. VII, 497. Assyriorum regnum, mille ducentos et quadraginta annos permansit. VII, 117, 577. Assyriorum regnum ad Medos translatum. VII, 117, 577. Assyriorum regnum quo tempore desiit. VII, 577. Assyriorum regnum series. VII, 561.

*Astaroth*, et Astarte nomen Junonis. III, 797.

Asterisci in codicibus Græcis significant ea quæ habent Hebræi, nec habent LXX interpretes. III, 590; IV, 821.

*Asterius* Cretensium rex. VII, 569, *not. b.*

*Asterius* subdiaconus litteras Hieronymi ad Augustinum retulit. II, 257, 245. Asterius creatur episcopus. II, 276.

*Asterius* scythopolitanus Psalmos interpretatus est. II, 262.

Astrologia, ejus inventio. I, 1014 Astrologia magnum religiosis argumentum, tormentumque curiosis. I, 1014. Astrologorum vanæ divinationes. I, 694, 707, 737, 915. Astrologia fatalibus stellis homines colligatos, et corpus secundum duodecim cœli signa compositum, volunt Priscillianistæ. VIII, 44.

Astrologorum nugæ refutantur. VI, 112. Astrologi unde vera respondeant. VII, 147. Astrologorum perspicacia et cæcitas. V, 438. *Vide* Mathematici.

Astuti, male cordati intelliguntur. III, 431.

Asystaton. X, 1095.

Asylum constituere Romulus et Remus. VII, 45. Asylum Romuleum, umbra quædam remissionis peccatorum. VII, 161. Asylum Apostolorum longe tutius, quam deorum. VII, 17.

*Athanarici* regis Gothorum persecutio in Gothia adversus Catholicos. VII, 616, et *not. b.*

*Athanasius* Alexandrinus episcopus catholicus. IX, 516. Vir magnæ constantiæ, et fidei sanissimæ. X, 1101. A Constantino specialiter quærebatur. II, 1016. Pro utilitate Ecclesiæ se servavit. II, 1017. Athanasii tempore omnis pene mundus a fide Apostolorum dilapsus. X, 1100. Ex DCL. Episcopis vix septem cum Athanasio in Trinitatis confessione permanserunt. X, 1100. Athanasius modulationes in Psalmorum cantu non probabat. I, 800. Mos ille cantandi non improbatur ab Augustino. I, 800.

*Athanasiani* vel homousiani vocabantur ab Arianis Catholici. X, 1101.

*Athenarum* civitas sub Cecrope rege vel instaurata est, vel condita. VII, 566. Athenæ unde dictæ. VII, 566. sub Cecrope rege sic dictæ sunt. VII, 566. Qua occasione. VII, 566, 567. Athenis nihil habuit Græcia clarius. VII, 567. Athenis non

x ntteris et philosophus gloria accedit. VII, 561.

*iensium* in omni litteratura apud omnes fama. V,

- Athenienses claruerunt in Græcia, plus fama quam re ipsa. VII, 561. Athenis loquacissimæ philosophorum hæreses exstiterunt. IX, 454. Atheniensium regnum in rempublicam mutatum. VII, 577. Athenienses feminæ publicis intererant consultationibus. VII, 566. Quare e publicis consultationibus expulsæ. VII, 567.

Atheus quomodo convincendus. I, 1246. Nonnihil pro Deo habet, cui cultum impendit. III, 153.

*Atlas* astrologus rex Mauritaniæ, frater Promethei, maternus avus Mercurii majoris. VII, 599. Florebat tempore quo Moyses natus est. VII, 599. Cursum solis, lunæ ac siderum primus observavit. VII, 254, *not.* 1. Quare cœlum portare fingitur. VII, 565. Atlas laturarius. VIII, 307, 309, 374.

*Atlas* mons. VII, 565.

*Atlantici* philosophi. VII, 254.

Atomi, principia rerum secundum Epicurum. VII, 230. Atomorum concursu fortuito, et mundos innumerabiles, et animantia, et animas, et deos ipsos fieri dicit Epicurus. II, 444. Refellitur a Cicerone. II, 444, 445. Atomus in corpore et in tempore. V, 1624.

Atria, ampliora spatia domus intelliguntur. IV, 1736. Atria Domini, pro futura beatitudine. IV, 1067, 1059, 1281. Atrium sanctum Domini, Ecclesia Catholica. IV, 1253.

*Atys*, formosus adolescens, abscisus. VII, 183. Atys fabula. VII, 215.

Avaritia quid. VII, 336. Avaritia generalis, qua plus appetit quisque, quam sat est. IV, 1550. Avaritia est velle esse divitem, non jam esse divitem. V, 523. Avaritia crescit copia. IV, 1639. Avaritia inexplebilis. IV, 330, 422, 438; V, 1651. Avaritia pereat, et dives est natura. V, 395. Avaritiæ fauces major pecunia non claudit, sed extendit; non irrigat, sed accendit. V, 328. Avaritia sæpe crevit in iis qui lasciviam compresserunt. VI, 448.

Avaritia grave peccatum. IX, 89. Opus est mali hominis, non Dei. IV, 1691. Avaritiæ crimen et pœna. V, 958. Avaritiæ onus. V, 897. Avaritia catena pedum. III, 2057. Avaritia inimica Christi. IV, 1249. Damna eorum, qui ob lucra peccant. IV, 1645. Avaritia excusatur specie pietatis erga filios. V, 89.

Avaritia quædam vitæ, etiam ipsa cavenda. V, 663. Avaritia quædam est in libidine et in idololatria. V, 630. Avaritia pro amore privato ponitur. III, 436. Qui sua repetunt, caveant ab omni cupiditate. IV, 1570. Amat et avaritia unitatem, IV, 451. Avaritia plures allicit, quam peritia. VII, 197. Avaritiæ consilium imprudens et stolidum. V, 527. Consilium Dei id jubentis, quod avaritia. V, 529. Avaritia aliud contra Deum jubet, aliud Deus contra avaritiam. IV, 675. Avaritia omnis præcidenda. V, 627, 630.

Avaritiæ remedium. IV, 1636. Christianis quæ fugiendæ avaritiæ doctrina traditur. V, 954. Avaritiæ dura jubenti impigre obeditur. V, 257. Avaritiæ homo servit, non Deo. V, 1205. Avaritia jubet dura, et obeditur; levia Deus, et non obeditur. IV, 1691. Ab avaritiæ et luxuriæ jugo Christus liberat. V, 526. Avaritia omnis a nobis circumciditur, si gratis colatur Deus. IV, 1531. Ab avaritiæ sordibus purgat amor sapientiæ. VII, 204. Ut saccellus tuus impleatur nummis, anima tua febrit curis. V, 403. Avaritia, cum arguitur, incipit odisse et criminari. IV, 1691. Avaritia verbis apud omnes damnatur, non factis. V, 953. Avaritia et luxuria, dominæ duæ contraria jubentes. V, 526. *Vide* Cupiditas.

Avaritia sancta. V, 526.

Avaritia vitæ æternæ optima. IV, 1169.

Avari. Non essent homines amatores pecuniæ, nisi eo se putarent excellentiores, quo sunt ditiores. III, 437. Tanto avari sunt homines, quanto elati. IV, 1909. Avarorum adagium : Quantum habebis, tantus eris; frange lunam, et fac fortunam. IV, 610; VI, 674. Avarus est, non solum qui rapit aliena, sed et qui cupide servat sua. V, 628. Avari vel sua cupide servantis periculum. V, 631. Avarus suorum reconditor, damnatur. V, 961. Avarus hydropis. V, 410, 956. Avari æstus quanti et quam inutiles. V, 403. Avarus quasi Martyr auri. V, 1461, 1470. Auro torquetur unde misericors adjuvatur. V, 327. Avari, pauperes. VII, 204. Avarus non tam habet, quam se credit habere. VI, 674. Fides ei potior proponitur. VI, 674. Avari insania. IV, 422. Avarus ministrum lucri sui facit Deum. IV, 250. Avarus lucrum invocat, non Deum. IV, 250, 617. Avarorum crudelitas. IV, 1778. Avarorum sarcina, pauperibus erogando, minuenda. VI, 673.

Avarorum inepta excusatio. V, 956. Avarorum falsa pietas in filios. V, 89, 528. Avari excusatio crudelis, filiorum obtentu. VI, 675. Avarus vocem habet pietatis, sed excusationem habet iniquitatis. IV, 422. Avari filio mortuo sua pars transmittenda. V, 528. Mortuo filio debetur, quod vivo servabatur. V, 528. Christus filiis annumerandus in patrimonii divisione. V, 528; VI, 673.

Avari formicis comparati. III, 361. Acute in quosdam avaros cæcos. VI, 674. In eos qui res alienas concupiscunt. IV, 451. Avarus laborat, ut habeat unde impleat arcam, perdat securitatem. III, 2056. Avarus cum labore amat quod amat; sine labore amatur Deus. III, 2056.

Avarus est Deus ad salutem nostram. V, 580. Avarus et amor Dei. VI, 674. Avare, Deus si ad te veniat sine auro et argento, non vis illum? quid tibi de his quæ fecit Deus sufficit, cui Deus ipse non sufficit? IV, 250. Avaris quid sufficit, si Deus ipse non eis sufficit? V, 141. Avarorum colloquia cavenda. VI, 675.

Auctoritas. Gemino pondere impellimur ad discendum, auctoritatis et rationis. I, 957, 1001, 1007. Tempore auctoritas, re autem ratio prior. I, 1007, 1311. Ad discendum, auctoritati credere, magnum compendium. I, 1042. Auctoritas duplex, divina et humana. I, 1007. Rationi roborandæ, hominum auctoritatem quærere, est imbecillitatis. I, 1152.

Auctoritatis culmen, lumenque rationis, in uno Christi nomine, atque in una ejus Ecclesia constitutum est. I, 1009. Auctoritate divinitus constituta, velut gradu quodam ad Deum adtollimur. VIII, 89. Auctoritas divinitus constituta quomodo nos movet. VIII, 89, 90. Auctoritate decipi miserum est, sed certe miserius non moveri. VIII, 89.

Auctoritas utilis ad bonos mores populis persuadendos. VIII, 90, 91. Bonorum vita facillime, non disputationum ambagibus, sed mysteriorum quibus initiamur, auctoritate, purgatur. I, 1007. Juvat sequi auctoritatem et præcepta sapientum, et per hæc loqui sibi Deum credere. I, 1075. Auctoritas velut canonica non constituatur in scriptis Doctorum. VI, 160. Disputatorum quorumlibet sententiæ non tanquam auctoritas canonica. X, 194.

Auctores sacri pauci esse debuerunt, quare. VII, 600.

Aucupes insidiosi. VIII, 67.

*Audientes* et Catechumeni V, 754.

Auditorum erga doctores officium. V, 155. Auditor negligens, prædicatoris vitia ne causetur V, 971. Auditores, terræ nomine significati; prædicatores, cœli. V, 1234. Auditores quinam carnales, quinam spiritales. V, 156. Auditorum verbi divini, alii ædificant super petram, alii super arenam. V, 971. Auditorum acclamatio. V, 135, 1373, 1388, 1415.

Audire coram Deo, quid. IV, 193. Audiat Deum qui vult audiri a Deo. V, 126. Non audire, quasi non ædificare, malum est. V, 971; IV, 1812. Audire et non facere, in arena ædificare est; audire et facere, in petra ædificare est; nec audire nec facere, nihil ædificare est. IV, 1335. Qui bona audit et mala operatur, pro dulci pluvia spinas generat. IV, 1345. Quomodo fortis poterit esse in faciendo, qui deficit in audiendo? IV, 1211. Audiendo credimus, et credendo videbimus. IV, 510. Prius audi, postea vide. IV, 537. An audire et auribus percipere differant. IV, 544. Audire vocem laudis, est intelligere intus; quia quidquid in te mali est, tuum est; quidquid boni est, Dei est. IV, 193. Audire verbum Dei tutius est, quam prædicare. V, 966. Audire magis optet servus Dei, quam dicere. IV, 1812. Audire, trahi et discere a patre. X, 972. Omnis qui audivit a Patre et didicit, venit ad Christum. X, 971. Audire et discere, est manducare. IV, 1874.

*Auditores* apud Manichæos. VIII, 35; IX, 557. Merito a mandatis Evangelicis alienati. VIII, 228. Auditorum suorum animas in Electos aut in Electorum escas resolvi, arbitrantur Manichæi. VIII, 37. *Vide* Manichæi.

Auditus fit ex percussione aeris. I, 252. Auditus duplex, bonus et malus. IV, 344, 1256. Audiendi libido etiam in divinis canticis. X, 770.

Aduras, nomen fundi. VII, 767.

*Aventinus* rex Latii, deorum numero additus VII, 577.

*Aventinus* mons. V, 63. Unde dictus. VII, 577.

Averni puteus. X, 1069.

Avertere. Rogandus Deus ut faciem non a nobis avertat, sed a peccatis nostris. V, 132.

Aversio voluntatis ab incommutabili bono ad mutabile bonum, vel proprium, vel exterius, vel inferius, efficit hominem superbum, curiosum, lascivum. I, 1269. Aversione a Deo, homo tenebratur; conversione ad Deum, illuminatur. IV, 193.

Aves ex aquis a Deo creatæ, ut intelliguntur. III, 183. Aves non in firmamento volant, sed secundum firmamentum. III, 283. Aves in aere sublimiore volare non possunt. III, 237. Aves quadrupedes. I, 636. Avium vita et memor et garrula, et in nidis construendis, et educandis fetibus, solertissima. III, 283. Aves pollent memoria. I, 790. Inter aves nonnullæ sunt quæ aquam non bibunt. III, 237. Aves, non animæ vivæ, sed volatilia animarum vivarum dicuntur. III, 284. Aves cur Abraham in sacrificio non divisit. IV, 1562.

Avo nomen patris aliquando tribuitur. III, 494.

Auferre et tollere, quo differant, IV, 908.

*Augendiarcusis* sive Augendus Arensis episcopus. IV, 381. Augurationes illicitæ in quo a signis licitis differant. Id, 564. Auguria irridet Cicero. VII, 136.

Augustinus natus est idibus novembris. I, 962. Thagastæ, municipio Africæ. I, 677. Apud mediterraneos natus atque nutritus. II, 70. Madaurenses, et fratres et parentes vocat. II, 1029. Parentes ejus Patricius et Monnica. I, 870. Ejus pater, municeps Thagastensis, admodum tenuis. I, 677. Augustinus hominem pauperem et de pauperibus natum se profitetur. V, 1580. Augustini parentes, fide ac moribus dispares. I, 669, 677. Frater ejus Navigius. I, 962, 980. Soror monialibus præposita. II, 959. Consobrini, Lasti filius et Rusticus. I, 962. Consanguineus, Licentius. II, 106. Et Severinus Donatista. II, 194. Mater ejus, et omnis domus, præter patrem, credebant in Christum. I, 669.

Augustini infantia. I, 664. Unde loqui didicerit. I, 666, 671.

Augustini pueritia. I, 666. Augustinus, ab utero matris in christiana religione fuit educatus. I, 668, 921. Positusque a parentibus in Catechumenorum gradu. I, 729. Signatus signo Crucis et Sacramento salis initiatus. I, 668, 921. Satagebat Monnica ut Deus pater esset Augustino. I, 669. Pater ejus non evicit in eo jus maternæ pietatis, quo minus in Christum crederet. I, 669. Augustinus stomachi pressu laborans adhuc puer, baptismum pie instanterque flagitat. I, 669. Reparata valetudine baptismus differtur. I, 669.

Augustinus datur in scholam ut discat litteras. I, 667. Refugit litterarum rudimenta, ubi legere, scribere et numerare discitur. I, 670. Litteras latinas amat, græcas odit. I, 670. Latinas litteras inter blandimenta nutricum didicit. I, 671. Sentiebat tunc, ut poterat, Deum esse magnum aliquem, qui posset, etiam non apparens sensibus, exaudire et subvenire. I, 667. Quantum metuebat ne in schola vapularet. I, 667. Fatetur peccasse, minus scribendo, aut legendo, aut cogitando de litteris, quam exigebatur. I, 668. Ludere amabat, in certaminibus superbas victorias, et scalpi aures suas falsis fabellis. I, 668. Innumerabilibus mendaciis fallebat pædagogum, magistros, parentes. I, 674. Furta ejus domestica. I, 674. Fraudulentas victorias aucupabatur in ludo. I, 674. Gulæ et iræ deditus erat. I, 674. Quid recte vivere ipsi proponebatur. I, 667. Cura tantum erat ut disertus fieret. I, 677. Ipsi in scholis sese exercenti, acclamatur præ multis coætaneis et condiscipulis suis. I, 673. Ob progressum in litteris *bonæ spei puer* appellatur. I, 673. Reducitur a Madauris, in quam urbem, litteraturæ atque oratoriæ percipiendæ causa, peregrinatus fuerat. I, 677.

Augustinus annum ætatis XVI in paterna domo intermissis studiis transigit, genio ac libidinibus indulgens. I, 675. Interposito otio creverunt vepres libidinum. I, 675. Matris monitus, pro muliebribus habet. I, 678. Nunquam tamen in matrem contumeliosus, aut verbo durus. I, 776. Augustinus furtum nocturnum committit. I, 678. Inter coætaneos pudebat eum minoris dedecoris. I, 678. Libebat malum facere, non solum libidine facti, verum etiam laudis. I, 678. Hac de causa fingebat se fecisse quod non fecerat. I, 678.

Augustinus studiorum causa Carthaginem mittitur ætatis anno XVII. I, 683. capitur theatricis spectaculis. I, 683. Amore capitur. I, 683. Amari et amare, dulce ei si erat, magis si et amantis corpore frueretur. I, 683. In solemnitatum sacrarum celebritate, intra ecclesiæ parietes concubuit. I, 685. Ob quod peccatum a Deo verberatur. I, 685. Augustinus, in schola rethoris, major est. I, 685. Studia ejus ad fora litigiosa tendebant. I, 685. Augustinus, a moribus protervis condiscipulorum qui eversores dicebantur, abhorret, pudore tamen impudenti, quod talis non esset, I, 685, 712. Sub id tempus orbatur patre. I, 685.

Augustinus prosequitur studia, matre sumptus suppeditante. I, 685. Et adjuvante Romaniano ejus Mæcenate. I, 920. Augustinus Ciceronis Hortensio ad sapientiæ studium incenditur. I, 685, 757, 961. Ardebat revolare a terrenis ad Deum. I, 686. Quam alte a puero Christi nominis amorem et reverentiam imbiberat. I, 686. Scripturam negligit, ut indignam quam Tullianæ dignitati compararet. I, 686.

Augustinus adolescens, laicus, catechumenus in Manichæorum hæresim incidit. I, 686; VIII, 174, 304; IX, 591. A Manichæis deceptus. IX, 545. Duplici ratione deceptus. VIII, 102. Qua de causa in Manichæos incidit. VIII, 66. Non Electus, sed Auditor fuit apud Manichæos. VIII, 113. Ejus interim errores de Deo. I, 687, 703, 704, 705, 715, 736. De Christo. I, 716. De natura mali. I, 715. De veteri Lege. I, 688. De peccati causa. I, 735. In cujus inquisitione torquetur. I, 736. De rationali et irrationali natura. I, 703. De terræ fructibus. I, 691. Augustinus in Manichæorum hæresim alios inducit. I, 695. Inter illos Romanianum. I, 920. Et Alypium. I, 725. In ea novem annos, scilicet ab anno ætatis XIX ad XXVIII, persistit. I, 692, 710, 1326, 1374; VIII, 65, 80. Præconcepta ejus opinio de sanctitate Manichæi. I, 710. In difficultatibus quas Augustinus proponebat, ad Faustum remittebatur. I, 710. Augustini convictum refugit Monnica detestans errores ejus. I, 691. Apud Deum plangit ejus perditionem. I, 691. Monnica de ejus futura resipiscentia admonetur per somnium. I, 691. Et per Episcopi cujusdam responsum. I, 691. Augustinus *filius lacrymarum* ab ipso appellatus. I, 692.

Augustinus liberales doctrinas docet. I, 695. Et Rhetoricam. I, 695. Primum Thagaste. I, 696, 925. Tum Carthagine. I, 712, 724. Quo impatientia doloris ex amici cujusdam sui morte, migraverat. I, 698. Nec non illustrioris professionis gratia. I, 920. Utraque in urbe auditorem habet Alypium. I, 724. Quem a circensium insania convertit. I, 725. Vanæ gloriæ cupiditate ductus, poetices agonem subit. I, 695 Haruspicem sibi palmam in litterario certamine promittentem detestatur. I, 694. Augustinus consulere solet Mathematicos. I, 694. A quibus evocare eum frustra nititur Vindicianus senex. I, 695. Et Nebridius. I, 696, 737. Istud divinationis genus vanum esse intelligit demum, audita narratione Firmini, et prorsus rejicit. I, 737. Augustinus concubinam fovet, servatque ipsi thori fidem. I, 695, 732. Ex ea filium suscepit, Adeodatum nomine. I, 769. *Vide* Adeodatus.

Augustinus categorias Aristotelis, et liberalium artium libros, annos natus ferme XX, per sese intellexit. I, 704. Ingenii Augustini quanta solertia, quanta perspicuitas. I, 705. Deformiter et sacrilega turpitudine, in doctrina pietatis errabat. I, 706. Falsa tunc de Deo cogitabat. I, 705. Unde in amorem eorum quæ tempore rapiuntur, lapsus sit. I, 701. Augustinus, libros *de Pulchro et Apto* duos aut tres scribit. I, 701. Circiter annum ætatis XXVI. aut XXVII. I, 704. Quos Hierio, Romanæ urbis oratori nuncupat. I, 702.

Augustino diu optatus, diu exspectatus Faustus venit Carthaginem. I, 707. Augustinus a Manichæis alienari incipit comperta Fausti imperitia circiter annum ætatis XXIX. I, 711. Non tamen omnino recedit. I, 711. Augustinus inveniendæ ac retinendæ veritatis desiderio, ab ineunte adolescentia, flagravit. VIII, 65, 66, 78, 79. Augustinus credit, precibus matris datam sibi eam mentem, ut inveniendæ veritati nihil omnino præponat. I, 1019.

Augustinus, pertæsus licentiæ scholarium Carthaginensium, Romam navigat. I, 712. Invita et decepta matre. I, 712. Augustinus, Romæ febri correptus, periculose laborat. I, 713. In domo cujusdam Manichæi ubi convalescit. I, 714. Romæ jungebatur Manichæis, tam Auditoribus, quam Electis. I, 714. Ab insana eorum de natura mali opinione, nondum liber erat. I, 714. De invenienda apud Manichæos veritate desperat. I, 715. Academicis omnia dubia æstimantibus, suffragatur. I, 715. Familiaritas Manichæorum, studium ejus ad verum indagandum infringebat. I, 715. Errores ejus circa malum, circa naturam Dei, circa Incarnationem. I, 715. Quid Augustinum in errore retinebat. I, 716.

Augustinus Rhetoricam docet Romæ. I, 716. Sedatiores Augustini discipuli Romæ, quam Carthagine. I, 716. Multi ne mercedem magistro reddant, subito conspirant. I, 716. Cur tales tunc odio haberet. I, 716.

Augustinus Mediolanum mittitur a Symmacho urbis præfecto, Rhetoricam docendi causa. I, 717. Augustinus excipitur benigne ab Ambrosio. I, 717. Ejus amore capitur. I, 717. Et facundia delectatur. I, 717. Veritatem in Ecclesia catholica inveniri posse desperabat. I, 717. Audiendo Ambrosium, sensim veritatem admittit. I, 717. Manichæos relinquendos decernit. I, 717. Quid Augustinum a secta Manichæorum revocavit. VIII, 66. Movetur Nebridii disputatione contra Manichæos apud Carthaginem. I, 716. Necnon Nebridii contra eosdem argumento. I, 734. Quo timore, qua cupiditate Manichæos reliquit. VIII, 577, 578. Quo pacto a duabus naturis admittendis revocatus. VIII, 130. Augustinus, audita unius aut alterius loci Scripturæ tractatione, cognoscit fidem catholicam defendi posse contra Manichæos. I, 718. Sed adhuc de omnibus dubitans catechumenus in Ecclesia catholica esse statuit, donec aliquid certi eluceat. I, 718. Ab errore facile resiliisset, si substantiam spiritualem cogitare potuisset. I, 718. Cur conatus Augustini ad indagandam veritatem, inutiles. I, 720.

Augustinus ætatis anno XXX, nec Manichæus est, nec Catholicus. I, 719. Quod Monnicæ matri Mediolanum adventanti renuntiat. I, 719. Ecclesiæ doctrinam magis magisque intelligit concionante Ambrosio. I, 721. Necessitatem fidei et Scripturarum auctoritatem agnoscit. I, 722. Inhiat adhuc honoribus, lucris, conjugio. I, 723. Ambitionis et cupiditatum vanitatem edocetur, viso mendico præ vino jocan e et lætante. I, 723. Augustinus panegyrim habet in laudem Imperatoris. I, 723. Forte Valentiniani minoris. I, 723. Bautoni consuli panegyrim dixit Mediolani. IX, 562.

Augustinus anxius de vitæ ratione ineunda. I, 728. Conversionem de die in diem differt. I, 729. Augustinum ab incundo conjugio revocare conatur Alypius. I, 731. Augustino uxor quæritur, ut conjugatus baptizetur. I, 730. De

ejus futuro matrimonio revelationem expetit mater, sed frustra. I, 729. Augustinus, concubina in Africam redire permissa, aliam ipse procurat. I, 730. Augustinus, a gurgite carnalium voluptatum metu mortis et futuri judicii revocabatur. I, 732. Qui metus ab ejus pectore nunquam recessit. I, 732. De vita communi agenda cum amicis deliberat. I, 731. Decem ferme venturi erant in unam societatem, quo ex numero bini annui necessaria curarent, cæteris quietis. I, 731. Consilium istud abjicitur. I, 731.

Augustinus ætatis anno XXXI, ignorantiæ tenebris involutus errat adhuc circa Dei naturam. I, 735. Verum contemplatione gradatim adsurgens, pervenit demum ad id quod est; sed figere aciem non valet. I, 745. Augustinus credit in Christum stabili fide, sed informi. I, 737. Et erronea. I, 746. Paulatim assuescit Ecclesiæ doctrinæ, quam tantopere damnaverat. I, 721. Eamque præfert Manichæorum doctrinæ. I, 722. Ecclesiam catholicam semper illi commendaverant parentes. I, 718.

Augustinus qua via venerit ad catholicam Religionem. VIII, 78, 79. De Dei existentia numquam dubitavit. I, 723. Non tamen recte de Deo sentiebat, quia corporeum adhuc aliquid cogitare cogebatur. I, 725. Platonicorum librorum lectione ad inveniendam veritatem adjuvatur. I, 740, 961. Ex his libris peritior quidem, sed inflatior evadit. I, 746. Augustinus transit ad Scripturam sacram, maximeque ad Apostolum. I, 747. Cujus lectione mirum in modum proficit. I, 747, 921.

Augustino, anno ætatis XXXII, displicet agere in sæculo. I, 749. Amore tamen feminæ detinetur. I, 749. Vis malæ consuetudinis in Augustinum. I, 754. Ligatus erat non ferro alieno, sed sua ferrea voluntate. I, 755. Quam implicatus olim vitæ hujus mundi. VIII, 67. Augustinus Simplicianum adit. I, 753. Movetur et angitur, audita a Simpliciano conversione Victorini. I, 751. Movetur audita vita Antonii narrante Pontitiano. I, 755. Et audita conversione ducum Agentium in rebus. I, 756. Augustinus adolescens petebat a Deo castitatem, sed cito exaudiri nolebat. I, 765.

Augustinus secedit in hortum sequente ipsum Alypio. I, 758. Spiritus ejus et carnis luctamina. I, 758. Augustinus nec plene volebat, nec plene nolebat converti; ideo secum contendebat. I, 759. Plus in ipso valebat deterius inolitum, quam melius insolitum. I, 760. De difficultatibus ab ipso superatis. I, 921, 961. Augustinus ab Alypio paululum secedit, et sub ficu se sternens, vim lacrymarum profundit ac Dei misericordiam deprecatur. I, 761. Augustinus vocis admonitu legit Apostolum et totus convertitur. I, 762. Indicat matri. I, 762. Gaudet mater, exsultat, triumphat de filii conversione, et Deo benedicit. I, 762.

Augustinus per Ambrosii os potissimum ab errore liberatur, et ab ipso baptizatur. II, 621; X, 436, 645. Trans mare baptizatus est in Ecclesia nota universo orbi terrarum. IV, 394. Conversio Augustini fidelibus et quotidianis matris ejus lacrymis concessa. X, 1026. Augustinus coelibem vitam amplectitur, abjecta omni spe sæculi. I, 762. Deserere professionem Rhetorices usque ad vindemiales ferias differt. I, 762. Quam paucissimorum dierum dilationem excusat. I, 764. Quamquam haud culpa vacasse non diffitetur. I, 765. Augustinus munus docendi tandem deserit. I, 767. Cogente quidem dolore pectoris. I, 764, 769, 907, 961, 980. Sed magis alliciente desiderio vacandi Deo. I, 764; II, 67.

Augustinus, feriarum vindemialium tempore, in Verecundi villam, Cassiciacum secedit cum suis. I, 765. Ruris otium in studio sapientiæ insumit. I, 907. Inveniendi veri gratia dimidiam fere noctis partem pervigil agere solitus. I, 981. Quotidianis fletibus Deum rogat ut sanentur vulnera sua. I, 991.

Augustinus Ambrosium per litteras consulit quid potissimum de Scripturis sibi legendum sit, ut ad baptismum se digne comparet. I, 760. Isaiam legere jubetur. I, 769. Augustinus libros aliquot ibi conscribit et ad Nebridium Epistolas. I, 766. Augustinus instituendis discipulis Licentio et Trigetio curam adhibet. I, 908, 980. Quotidie ante cœnam dimidium Virgilii volumen audit. I, 989, 924. Ipsis morum præcepta tradit. I, 620. Pueriles æmulationis et inanis jactantiæ motus reprimit. I, 991. Hanc rogat magistro mercedem reddant, boni sint. I, 991. Augustinus inchoat libros contra Academicos, paucis diebus post secessum, exeunte anno ætatis suæ XXXII, Christi CCCLXXXVI. I, 905, 908. Augustinus scribit librum *de Beata Vita*, Idibus Novemb. anni Christi CCCLXXXVI, quo ipse die in annum ætatis XXXIII progrediebatur. I, 959, 962. Disputat cum Alypio, et Nebridio de finibus bonorum et malorum. I, 732. Libros *de Ordine* edit eodem tempore. I, 977, 980. Augustinus perficit postmodum libros *contra Academicos*. I, 924. Recitatione Psalmorum vehementer afficitur Augustinus catechumenus, in villa cum catechumeno Alypio feriatus. I, 766. Psalmum quartum meditatur, adversus Manichæos pie excandescens. I, 766. Augustinus dolore dentium acerrime cruciatur. I, 768, 880. Augustinus orat cum suis, et dolor fugit. I, 768. Augustinus *Soliloquia* scribit ætatis anno XXXIII, Christi CCCLXXXVII. I, 869, 878. Quinam tunc ejus mores et affectus. I, 877.

Augustinus Mediolanum revertitur, nomen daturus inter baptizandos. I, 769. Ibi librum *de Animæ Immortalitate* anno Christi CCCLXXXVII scribit. I, 1021. Et inchoat libros *Disciplinarum*. I, 591. Augustinus baptizatur cum Alypio et Adeodato. I, 769. Gaudium ejus spiritale post baptismum, fugiente omni sollicitudine anteactæ vitæ. I, 769. Lacrymæ et motus pietatis ad hymnos et cantica Ecclesiæ. I, 769, 801.

Augustinus reditum in Africam cum suis suscipit. I, 771. Augustinus apud Ostia Tiberina cum matre colloquitur de æterna vita, atque in ejus contemplationem ambo rapiuntur. I, 774. Vilescit ipsis mundus iste cum delectationibus suis. I, 775. Hinc elapsis vix quinque diebus ægrotat Monnica, et die nono ægritudinis suæ, anno ætatis LVI, et ætatis Augustini XXXIII, corpore solvitur. I, 776. Mortem ejus luget Augustinus. I, 776. Funus pro solemni more celebratum prosequitur absque lacrymis. I, 777. Augustinus orat pro ejus salute. I, 778. Augustinus Romæ moratur, ibique libros *de moribus Ecclesiæ et de moribus Manichæorum* anno Christi CCCLXXXVII scribit. I, 1310. Ibidem libri *de Libero arbitrio* ab ipso inchoati eodem anno; postea autem in Africa anno CCCXCV absoluti. I, 1222. Augustinus reversus in Africam scribit libros duos *de Genesi contra Manichæos*. III, 171, 172. Circiter anno Christi CCCLXXXIX. III, 174. Sub id temporis absolvit libros *de Musica*, quos Mediolani anno CCCLXXXVII inchoaverat. I, 1082. Item librum *de Magistro* cum Adeodato. I, 769, 1194. Librum *de Vera Religione* nondum presbyter. III, 121, 122. *Vide* infra ubi de Operibus Augustini. Augustinus trans mare peregrinatus, alius ivit, alius redivit, IV, 394. Quandonam Africam repetiit. IX, 362.

Augustini deliciæ, occupari Dei memoria. I, 794. Spes ejus nonnisi in magna valde misericordia Dei. I, 796. Augustinus ab actionibus necessitatis, quantum relaxari potest, ad Dei contemplationem refugit. I, 807. Castæ ejus deliciæ, Scripturæ divinæ. I, 810. Si quid temporis liberum habet, in illis totum impendit. I, 810. Augustinus, secessum in solitudinem aliquando animo agitans, prohibetur a Deo, ut non sibi soli, sed aliis vivat. I, 808. Amor ejus in Deum vehemens. I, 782, 795. Non dubia, sed certa conscientia Deum amat. I, 782. Augustinus incitatur a diabolo ut signum a Deo aliquod petat. I, 805. Dolet spectaculis aliquando se interfuisse. IV, 1919.

Augustinus juvenis, abjecta omni spe sæculi, dum quærit ubi monasterium constituat, Hipponem venit, invisendi amici causa, quem secum in monasterio habere cupit servientem Deo. V, 1569. Augustinus monasterium Hipponе instituit in horto dato per Valerium. V, 1569. Augustini monasterium. X, 1017.

Augustinus ante presbyteratum fama pollet inter servos Dei. V, 1569. Augustinum ad clericatum petunt Hipponenses. II, 480. Augustinus apprehensus fit presbyter. V, 1569: et ordinatur invitus. II, 88. Augustino Valerius prædicandi onus imponit. II, 117. Augustinus spatium temporis usque ad Pascha petit, ut in secessu vacet precibus et studio. II, 89. Augustinus rarissime tacere permissus est, ubicumque Valerio præsente, loqui opus esset ad populum. I, 584. Augustinus presbyter Hipponensis jam creatus, disputat contra Fortunatum Manichæum. I, 612. Et biduo contra Felicem. I, 633.

Augustinus coepiscopus Valerii creatur. II, 123, 126; V, 1570. Imminente Christi Natali. II, 123. Quam vehementer episcopatum timebat. V, 1569. Augustinus a Megalio Calamensi episcopo ordinatus. IX, 557, *Not.* (*a*), *et in app.* 854. Tempore ordinationis lacrymas fundit. II, 88. Augustinus ordinatus est et sedit episcopus vivente adhuc Valerio, utroque ignorante, id Concilio Nicæno fuisse prohibitum. II, 967. Augustinus Ecclesiæ non tam præesse quam prodesse desiderat. II, 511.

Augustinus omnia dimisit. II, 692. Non divitias dimisisse, sed ad divitias venisse dum episcopus factus est, sibi videri ait. II, 480. Augustinus secum habet monasterium clericorum in domo episcopii. V, 1570. Augustino objiciebat Petilianus, quod ab ipso monasticæ vitæ genus fuerit institutum. IX, 572. Augustinus calceatus fuit. V, 809.

Augustini domus vigilanti cura administrata. II, 271. Augustinus solo victu ad corporis valetudinem necessario contentus esse decernit. VIII, 67. Augustinus in victu et vestitu non decere se putat, nisi id quod cæteris sodalibus suis diaconis et subdiaconis conveniat. V, 1580. Augustinus clericis non permittit aliquid habere proprium, sed bene de fratribus sentiens, ab inquisitione dissimulat. V, 1569. Augustinus suos foris prandere aut cœnare non permittit. V, 1580. Hereditatem cujusquam, filiis exheredatis, non suscipit. V, 1571. Acriter dolet testamentum a Januarii

clericeo factum. V, 1570. Testamentum Januarii in gratiam Ecclesiæ factum licet, irritum habet. V, 1570. Augustinus de suorum clericorum vita apud plebem agere cogitur. V, 1575. Augustini cura de fama. V, 1577. Augustinus statuerat nullum ordinare clericum, nisi qui sanctæ societatis propositum amplecti vellet, ut postea si discederet, clericatu careret; mutato aliquando consilio offert clericis licentiam discedendi, servato clericatu. V, 1575. Comperta denique sodalium suorum firma voluntate, clericorum albo expungendum statuit, qui paupertatis propositum violaverit. V, 1580. Augustinus in communem usum cedere vult, quæ clericis suis offeruntur a fidelibus. V, 1579.

Augustinus nunquam abfuit Hippone, licentiosa libertate, sed necessaria servitute. II, 470. Augustinus in Mauritaniam Cæsariensem necessitatis Ecclesiasticæ causa perrexit. I, 650; II, 869. *Vide Notas.* Missus a Zozimo Papa. II, 857. Augustino grave est prolixas epistolas scribere, ne officio pastorali desit. II, 421. Augustinus omnia alia officia etiam caritatis, dignitatis suæ muneribus postponit. II, 421. Conqueritur per diem integrum se negotiis hominum, ut antea, implicari. II, 968. Otium postulat ut Scripturis vacet. II, 968. Plebs Hipponensis adquieverat ut Augustino propter curam Scripturarum, per quinque dies hebdomadæ nemo molestus esset. II, 967. Augustinus quam studiose in lege Domini meditaretur. VIII, 823. Ad divinas Scripturas non piam mentem afferens, aliquando, decipitur. V, 356.

Augustinus in dicendo Grammaticorum censuram non veretur, dum omnes instruantur. IV, 1796, 274; V, 228. Augustinus non præparatus, ex occasione sermonem habet. V, 1549. Augustinus maluit in errore lectoris voluntatem Dei sequi, quam suam in proposito ante psalmo ad enarrandum. IV, 1784. Augustinus Scripturam gestat in manibus inter concionandum. III, 1685; V, 221. Augustinus legit ex codice. V, 1628. Augustinus sæpe verba non latina dicit ut populi intelligant. IV, 1644. Augustinus diebus solemnibus differt concionem, quod multi sint quibus onerosus est Dei sermo. V, 333. Augustinus aliquid auditoribus meditando discutiendum relinquit. V, 364. In sermonibus ad populum, fatetur se semper vitasse quæstionem de peccatis in Spiritum sanctum. V, 449. Eam impulsus a Deo tractat. V, 449. Augustinus a pauperibus interpellatus, tamquam eorum legatus rogat, monet, jubet eis dari. V, 413. Augustinus factus mendicus mendicorum. V, 433. Augustini fatigatio in vigilia Paschæ. V, 1442.

Augustini prudens caritas in rudibus imbuendis. VI, 328. Augustini in reprehendendis palam feminis modestia et verecundia. V, 205. Augustino concionanti acclamant auditores. V, 134, 530, 1374. Inter prædicationem Augustini lacrymæ auditoribus obortæ. II, 117. Pugnæ civilis immanem consuetudinem apud Cæsaream Mauritaniæ Augustinus populo dissuasit. III, 115. Augustinus canem gregis se vocat. IX, 355. Augustini in prædicando modestia. IV, 741, 1668, 1945. Augustinus non se commendat plebi, sed Deum, cui et ipsos commendat. IV, 1952. Ad populum de loco quasi sublimiore loquebatur, sed timore sub pedibus audientium erat. IV, 812. Augustinus suos hortatur ut ipsum bene viventes relevent. V, 1481. Augustinus non delectatur nisi profectibus auditorum suorum. IV, 812. Et ovium suarum bona vita. V, 128. Augustinus salvus esse non vult sine ovibus suis. V, 125. Augustinus mercedem suam non vult securam esse perditis ovibus inobedientibus, sed iis inventis. V, 514, 1597. Augustinus pastor, non mercenarius. V, 762. Augustini studium ad juvandos verbi Dei ministros. VI, 311. Augustinus quæ lecta fuerant, libro accepto a diacono, iterato legit. V, 1374. Augustinus Cyprianum in manus sumit et legit. V, 1347.

Augustinus antiquæ fidei appellatur rursum conditor. II, 891. Augustinus laborat contra hæreticos disputando, convincendo, conveniendo, terrendo; tamen omnes diligendo. IV, 433. Augustinus Fortunatum Manichæum in disputatione vincit. II, 273. *Vide Notas.* Cum Fortunio publicam disputationem habuit. II, 174. Augustinus trepidissime agressus mysterium Trinitatis insinuandum, ne tardioribus tædium faceret, gratias Deo agit secus contigisse. V, 363. Augustini manu subsignata epistola Leporii mittitur. II, 992. Augustinus ad Provectum et Cylinnium scribit ut Leporium jam pœnitentem et correctum suscipiant. II, 992.

Augustinus qua mentis affecti ne adversus Donatistas disputat. IX, 449, 450, 451. Quo animo ad recellendum Concilium Carthaginense a Cypriano habitum accedat, IX, 202. Augustinus a Donatistarum criminibus recensendis abstinet eaque ut potest excusat. V, 306, 1595. Supplicium mortis ab aliquibus Donatistarum magnorum scelerum reis amoliri conatur. II, 535, 536. Augustinus litteras scribit ad laicos Donatistas. II, 537. Sentiebat non petendas leges ab Imperatoribus contra Donatistas. II, 801. Ad unitatem Christi neminem esse cogendum senserat. II, 529. Mentem postea mutavit. II, 529. Augustinus legem Theodosii contra hæreticos observandam sentiebat. II, 801. Augustino apud Cirtenses loquente et hortante, multi ex Donatistis conversi sunt. II, 591. Augustini torta viscera, dum Donatista ad Ecclesiam revertens a fratribus repulsus est. V, 1358. Augustinus appellatus hæreticus ab iis quos eo nomine appellare posset, non appellat. V, 1348. Augustinus Donatistarum insidias sæpe patitur. IV, 1605. Augustini felix error in bivio. VI, 239. Augustinus Orosio de Priscillianistarum hæresi et Origenis quibusdam opinionibus, uno libro respondit. II, 748.

Augustinus ceterique Africani episcopi contra Pelagianos exerceri incipiunt. II, 537. Anno Christi CCCCXI, aut CCCCXII. II, 537. *Notas* Augustinus quatuor de animarum origine sententias refert in libris *de Libero arbitrio*. II, 723. De ea origine nihil definit. II, 857. Augustinus cum Catholicis de animarum traduce accusatus. X, 1218. Augustinum jam Manichæum esse, temere accusatur. IX, 545. Augustinus si Manichæus quia asserit peccatum originale, Manichæus et Ambrosius. X, 1402, 1404, 1414, 1417.

Augustinus fatetur se non recte aliquando de gratia Dei sensisse. X, 964. Aliquando credidit fidem, Dei donum non esse. III, 2061, *Retr.* Episcopali judicio contra Celestium Carthagine habito non interfuit. I, 644. Gratiam negari in disputationibus Pelagianorum detestatur et horret. X, 252, 272. Augustinus Apostoli mentem de electione gratiæ, primo non erat assecutus. III, 2061. Et *Retr.* lib. 1, c. XXIII. Juliani libros ad Augustinum mittit Claudius episcopus. II, 949. Augustinus opus aliud contra Julianum mittit ad Claudium episcopum. II, 950. Juliani calumnia adversus Augustinum de gratia et libero arbitrio. X, 762, 1122. Julianus Augustinum Apollinaristam facere conatur. X, 814. Augustinum, Epicurum sui temporis appellat. X, 726, 1464. Diaboli cultorem appellat. X, 720. Epistola Primatis adversus Augustinum scripta, in Concilio episcoporum damnata. IX, 591.

Augustino Patres duorum Conciliorum Numidiæ et Carthaginis curam Scripturarum imposuerunt. II, 968. Honorius et Theodosius de hæresi Pelagiana scribunt ad Augustinum. II, 927. *Vide Notas.* Testimonium quod Augustinus ex Sap. 4, II, adtulerat, tamquam non canonicum definiunt omittendum Massilienses et Semipelagiani. II, 1009. Augustini fides de SS. Trinitate. II, 1042, 1050. Augustinum et Hieronymum omnes hæretici detestantur. II, 891.

Augustinus Hieronymum summo affectu diligebat. II, 289. Augustinus a libris veteris Testamenti ex Hebræo vertendis Hieronymum dehortatur. II, 242. Quomodo libros veteris Testamenti in latinam linguam ab Hieronymo verti velit. II, 112. Hieronymum hortatur ut LXX versionem depravatam ac variantem, reddat latinæ veritati. II, 244. Hanc de LXX quam ediderat Hieronymus interpretationem petit. II, 291. Augustinus Hieronymi apologiam adversus Ruffinum accipit. II, 247. Dolet inter tam familiares personas (Hieronymum videlicet et Ruffinum) discordiæ malum exstitisse. II, 248. Hieronymum rogat ut prodat Origenis et hæreticorum errata. II, 157. Ab Hieronymo litteras poscit et scripta. II, 241. Litteras ab Hieronymo accipit. II, 154. Julianus Augustinum asseclam Hieronymi vocat. X, 1417.

Augustinus disputat cum Hieronymo de Legis observatione. II, 257, 260. Augustini et Hieronymi sententia de Legis observatione in quo differat. II, 260. Augustinus de Petro eprehenso a Paulo II, 111, 156, 255, 256, 257. Augustini sententia menti Cypriani et Ambrosii consentit. II, 286. Augustinus adversus Hieronymum scripsisse se librum et Romam misisse negat. II, 257. Augustinum in scribenda adversus Hieronymum epistola gloriolam populi requisivisse quidam Hierosolymis accusabant. II, 244. In epistola Augustini ad Hieronymum quædam hæretica ipse Hieronymus judicat. II, 244. Augustinus respondet Hieronymo cum humilitate. II, 246, 249, 289. Ab Hieronymo veniam petit. II, 246, 276, 290. Et edoceri postulat. II, 276. Ad Augustini sententiam accessit Hieronymus. II, 290, *not.* 779.

Augustinus quantum veritatis studiosus. VIII, 887. Qua ratione indagandæ veritati se comparabat. VIII, 68. Et qua animi affectione de quæstionibus disputabat. VIII, 822. Quomodo ad solutionem quæstionis ancipitis se compararet. VIII, 98. Augustinus resurrectionem corporalem futuram ante universalem, aliquando opinatus est. VII, 667. Quod instituitur præter consuetudinem, ut quasi observatio Sacramenti sit, non approbat Augustinus. II, 221. Idola paganorum frangi non vult, nisi prius data potestate. V, 422. Consuetudo jurandi ab ipso victa. V, 977, 1407.

Augustini modestia inter laudes. II, 848, 1076. Quomodo se gerit ad humanas laudes. I, 804; II, 93, 109, 420; V, 414, 1480. Augustinus sciens falsis detractionibus mercedem crescere, hanc non vult cum aliorum detrimento. V, 1581 A reprehensore falsitatis, quamvis ejus non esset conscius, reprehendi, quam ab ejus laudatore laudari, malebat, VIII, 825, 824, 844. Augustinus qualibus laudibus et a quibus laudari velit. II, 1023. Augustinum non tam delectant vo-

ces laudantium, quam voces confitentium, et facta rectorum. IV, 812.

Augustinus ut se habet ad tentationes libidinis carnalis. I, 796. Et ad tentationes gulæ. I, 797. Augustinus, ebriosus nunquam fuit. I, 798. Ut se gerit ad odorum illecebras. I, 799. Ut se habet ad secundum tentationis genus, quod est curiositatis. I, 800. Ut se habet ad oculorum illecebras. I, 800. Quomodo se gerit ad tertium tentationis genus, superbiæ. I, 804. Ut se habet ad voluptates aurium. I, 799.

Augustini modestia. III, 1574; VI, 146, 159; VII, 337, 363, 365, 682, 686, 776; VIII, 678, 911; X, 523, 526, 547, 1027, 1054. Augustini pietas et modestia. VIII, 678, 911. Augustini modestia post expositionem Scripturæ difficilioris. V, 436. Augustini modestia inter calumnias. II, 136; IX, 351, 353, 355. Augustinus detractiones hominum non timuit. IV, 1152. Augustinus a detractionibus se purgat, sed detractores non nominat. V, 1579. Augustinus qualis in criminationibus et calumniis adversus eum prolatis. IX, 351, 353, 355. Augustinum Tertulli oratoris vocabulo propter Rhetoricam denotabat Petilianus. IX, 356. De Augustino adhuc presbytero cum malam in partem scripsisset, a sancto Concilio veniam petivit et meruit. IX, 357. Augustinum Manichæum esse dicebat. IX, 354, 356, 545. Et presbyterum Manichæorum esse dicebat. IX, 357. Augustinum Academici damnabile ingenium habere Carneadis dicebat Petilianus. IX, 359. Et Messiani proconsulis sententia fuisse percussum temere dixit. IX, 362 Augustinus quando cuique vel dicendo vel scribendo respondet, maledicta pro maledictis non reprendit. IX, 347. Ineptæ Cresconii calumniæ adversus Augustinum. IX, 544. Augustini de sua conscientia, fiducia. IX, 545. Augustinus nomina declinare nondum nosse concedit Cresconio. IX, 467.

Augustinus Mediolani constitutus, inscius apparens in somnis Eulogio Carthaginis rhetori, locum Ciceronis exponit. VI, 601. Sæpe etiam apparet duobus infirmis, pariter et ipse nescius. V 1444, 1445.

Augustinus amorem suum nititur disjungere ab eo quod a se invito abesse potest. II, 63. Augustinus in judicando, aut aliquid mali suspicando de aliquo maxime cautus. II, 267, 269. Augustini mansuetudo et misericordia in malos elucet occasione cujusdam tumultuose cæsi. V, 1389. Augustinus satagit ut sibi reconcilietur Episcopus, quem litteris asperioribus offenderat. II, 623. Juvenis contra se arroganter scribentis, libros benigno et æquo animo suscipit. X, 473.

Augustini humilitas. II, 516; III, 121. Modestia. III, 411, 593, 451, 469, 470; X, 523. Augustinus in Scripturis sacris multa sibi latere ait. II, 222. Hebræam linguam ignorare se ait. II, 369. Augustino lingua græca parum familiaris. VIII 868, 869. Augustini modestia in definiendo. IX, 242, 243, 575. Ejus animus in accipiendis viri sapientis responsis. VI, 597. Augustinus non vult se haberi magistrum. V, 1555.

Augustinus plus amat discere, quam docere. II, 643. Magis audire, quam dicere. VI, 161, 170; IV, 1612. Augustinus jam senex, non dedignatur ex ministerio et studiis adolescentium, aliquid discere. IV, 1554. Inter prædicatores, nebulosam nubem se dicit. IV, 1545. Augustino suus sermo prope semper displicet. VI, 311. Non ita aliis. VI, 312. Augustinus non hæret pertinaciter suæ sententiæ. III, 315. Facile est ut quisque Augustinum vincat, de se ipso ait. II, 1048. Augustinus de Verbi generatione loquens ait: si non potuero ego explicare, non rationem putetis, sed hominem defecisse. V, 664.

Augustinus quid a suis lectoribus exposcat. VIII, 822, 823. Quomodo libros suos legi aut corrigi volebat. VIII, 869. Auctoritatem velut canonicam scriptis suis tribui non vult. II, 628, 873. Quantum scriptis suis tribui velit. II, 585. Neminem vult sic amplecti omnia sua, ut ipsum sequatur, nisi in iis, in quibus ipsum non errasse perspexerit. X, 1027. Augustinus meditationes suas, ne oblivione fugerent, stilo alligabat. VIII, 823.

Augustinus cupit ut opuscula sua eo legantur ordine, quo scripta fuerunt. I, 584. Augustini libri tres *contra Academicos*. I, 905. Libros de Academicis scripsit, ut in spem reperiendæ veritatis reduceret, quos forte a rerum comprehensione, Academicorum sententia deterruerat. II, 62. Augustinus scribit Romæ librum *de Quantitate Animæ*, circiter initium an. CCCLXXXVIII. I, 1036. Augustini libri tres *de Libero Arbitrio*. VIII, 588; X, 286. Hos libros ad Paulinum mittit. II, 125. Augustinus scripsit *de Genesi ad Litteram*. VI, 166. Expositionem Genesis ad litteram neque impossibilem esse, neque ipsi auctoritati Scripturæ repugnare, demonstrandum Augustinus suscepit. III, 401: et de facto explicat ad litteram. III, 374. Duos libros *de Genesi contra Manichæos*, initio conversionis scripsit secundum allegoriam. III, 373. Quare. III, 373. In libris de Genesi loquitur Augustinus secundum proprietatem rerum gestarum, non secundum ænigmata figurarum. III, 259. Quare Augustinus interpretando Genesim, sæpius nihil asserat. III, 261. Augustinus in exponendis Scripturis ad litteram, succumbit. III, 219.

Augustinus poeticam nobilitavit libris *de Musica*. II, 513, *Not*. Augustinus Romæ absolvit libros de Musica, quos Mediolani an. CCCLXXXVII inchoaverat. I, 1082. Augustinus quo fine libros de Musica scripserit. II, 569. Augustini libri sex de Musica qui exstant, agunt de solo rhythmo. II, 369. Augustini liber sextus de Musica, eorum qui exstant fructum omnem habet. II, 359. Augustinus disponebat alios sex libros de melo scribere. II, 559.

Augustinus *de Religione Catholica* quiddam scripsit. II, 81. Scripsit librum *de Vera Religione* nondum presbyter, circiter an. CCCXC. III, 121, 122. Augustini liber *de Utilitate credendi* quo tempore scriptus. VIII, 63, 64. et quo animo VIII, 65, 66. Augustini liber *contra Adimantum*. VIII, 664, 665, 666. Augustinus *de Fide et Symbolo* sermonem habet, in plenario Africæ concilio apud Hypponem. I, 612. Augustinus libros contra Manichæos ad Cælestinum misit. II, 85. Augustini libri duo *ad Simplicianum*. X, 1027. Libri *de Doctrina Christiana*. VIII, 461. Libri *Confessionum*. VIII, 186. Confessionum liber tertius. IX, 357. Augustinus libros Confessionum circa an. CCCC edit, jam pridem episcopus. I, 658, 659. Augustini Confessionum libros petit Darius. II, 1022. Augustini Confessionum libri scripti antequam Pelagiana hæresis exstitisset. X, 1026. Mores Augustini per id tempus, quo libros Confessionum scribit, quinam sint. I, 779 et sequentibus ad finem lib. X.

Augustini opus *contra Faustum*. III, 555, 597, 1045, 1575; VI, 166, 442; VII, 473; VIII, 664. Augustinus opus *de Civitate Dei* pollicetur. III, 437. Liber 1. de Civitate Dei. III, 816. Augustinus libros *de Trinitate* juvenis inchoavit, edidit senex. II, 758. Libros de Trinitate absolutos et emendatos mittit ad Aurelium. II, 758. Augustinus libros de Genesi et de Trinitate citius edere non vult, quia periculosissimas quæstiones continent, quas discuti sedulo necesse est. II, 587. Augustini libri de Trinitate, de Genesi ad litteram contra Faustum. IX, 245, 246. *Petr.* Augustini *Breviarium de Trinitate* VIII, 1058, 1059. Quo instituto et quo tempore Augustinus scripserit libros XII *de Genesi*. III, 244. Hos libros laudat Cassiodorus. III, 244. Augustini libri *de Bono Conjugali* X, 142. Augustinus scribit *de Bono Conjugali et de Sancta Virginitate*. VI, 442, 450; X, 142. Augustinus rogatus a Juliana scribit *de Professione Viduitatis*. VI, 431.

Augustini opus *de Baptismo Parvulorum*. VII, 379. Augustini liber *ad Marcellinum*. X, 254, 260, 535, 1401, 1402: epistola *contra Petilianum*. IX, 480. Augustini liber *de Spiritu et Littera*. III, 83; VI, 211: *de Fide et Operibus*. VI, 149, 154. Augustinus commonitorium scribit ad Fortunatianum Siccensem *de Videndo Deo* II. 596. Augustini liber *de Natura et Gratia*. X, 338, 347. Augustini libri *de Civitate*. VIII, 34, 615, 1023. Augustinus quinque priores libros de Civitate absolvit. II, 742. Augustinus *adversus Emeritum* disputat apud Cæsaream mense Septembri an. CCCCXVIII. I, 650: quando scriptus est Augustini liber *de Nuptiis et Concupiscentia*. X, 535, 1049. Augustinus librum primum de Nuptiis et Concupiscentia mittit ad Valerium Comitem. II, 950. Ex Juliani libris contra Augustinum decerpta nonnulla ad Valerium Comitem missa erant. II, 950: quibus responderat Augustinus in libro 2. de Nuptiis et Concupiscentia. II, 950. Adversus Augustini scripta de Nuptiis et Concupiscentia, quatuor libros edit Julianus. II, 950. Augustini libri *contra Julianum*. X, 1051. Augustini *Enchiridion de Fide, Spe, et Caritate*. VI, 154, 158: sermo *de Decem Legis et Præceptis*. IV, 1001: liber *de Cura pro Mortuis* ad Paulinum. VI, 157: liber *de Gratia et Libero Arbitrio* causa perturbationis in monasterio. X, 875, 876, 911, 912. *Not.* (*a*). Augustini liber *de Correptione et Gratia*. X, 1027.

Augustinus retractat opuscula sua simul et respondet Juliano. II, 1001: Augustinus senex scribit *Retractationum* libros. I, 583: quare consilium cœperit recensendi scriptiones suas. I, 584. Augustini Retractationum libri quo fine et quando scripti. X, 1028. Augustinus libros suos numero CCXXXII esse cognovit. I, 659; II, 1000. Libri quidam post Retractationes ab eo conscripti. I, 656. *Not.* Augustinus homilias non retractaverat anno CCCCXVIII, nec de epistolarum saltem plurimarum retractatione quidquam dictaverat. II, 1001.

Augustini *Opus Imperfectum*, qua occasione scriptum. X, 1049, 1050. Augustini opusculum contra Porphyrium. X, 973. Epistola ad Probam. VI, 450. Epistola ad Pelagium. X, 349. Epistolam ad Pelagium per Innocentium mittendam scribit. II, 770. Augustini et aliorum quatuor episcoporum epistola ad Innocentium. X, 389. Augustini epistola ad Hilarium. X, 331. *Not.* 8. Ad Sixtum Romanæ Ecclesiæ presbyterum. X, 879, 880, 1027. Ad Mercatorem. VI, 159. Epistola decima *de Fine Sæculi* ad Hesychium. VII, 664. Augustini epistola ad sanctum Paulinum Nolanum. X, 1028. Augustinus suis litteris inserit magis necessaria aliis, quam quibus

scribit. VI, 431, 441.

Augustini liber *de Hæresibus* instante Quodvultdeo scriptus. VIII, 21. Qualiter Epiphanium in libro de hæresibus secutus sit. VIII, 41. Speculum Augustini memoria maxime tenendum est. III, 902. Augustini scopus in Speculo. III, 889. Libri cæteri ab Augustino scripti. *Vide* Retractationes. I, 655. Augustini opusculorum Indiculus. II, 576.

Augustinus contulit sacram scripturam cum LXX interpretatione. III, 547. Augustinus psalmum LXXII nocte qua illuscebat solemnitas beatissimi Cypriani, exposuit. II, 543. In exsequiis cujusdam fidelis, psalmum exposuit. IV, 1352. Jubentibus fratribus et coepiscopis, psalmos aliquot interpretatus est. IV, 322, 563, 1216, 1552, 1803. Non interpretatus est Psalterium, sed codicum latinorum nonnullas mendositates emendavit. II, 1077. Augustini interpretationem in psalmos, ab interpretationibus veterum Græcorum discrepare ait Hieronymus. II, 246. Augustini sermones in Psalmos stilo excipiuntur. IV, 599. Augustini sermo XLIV de Diversis, laudatus. III, 567. Sub Augustini nomine opuscula quædam in Hispaniam delata. X, 331. De libris Augustini quid sentiret Julianus. X, 1033.

Augustinus et Alypius Julianam et ejus familiam bonis moribus imbuerunt. II, 848. Augustino et Alypio hortantibus, Demetrias nuptiis jam paratis nuntium remisit. II, 848. Augustini desiderium videndi Paulinum et alloquendi. II, 108. Augustinus a Paulino panem accipit. II, 103. Ad Paulinum dono panem mittit. II, 125. Paulino spondet se Alypii historiam scripturum. II, 110. Augustinus a Palatino missa cilicia gratissime accepit. II, 930.

Augustinus in Fussalensium et episcopi eorum Antonii periculo, timore tanto et mœrore excruciatur, ut ab officio cogitet gerendi episcopatus abscedere. II, 956. Augustinus rerum ecclesiasticarum procuratione, si salvo officio possit, carere desiderat. II, 481. Inter urgentissimas occupationes. VI, 431. Et corporis infirmitates. VI, 576. Mallet more monachorum operari certis horis. VI, 576. Augustinus Evangelio terretur, ne episcopali onere posito, securi rem vitam deligat. V, 1481. Augustinus nollet habere rationem cum potestatibus sæcularibus. V, 1592.

Augustinus infirmæ valetudinis. II, 470. Rhagadis et exochadis dolore ex tumore laborat. II, 152. Augustinus senex per ætatem, sed per infirmitatem corporis jam ante senex. V, 719, 1374. Augustinus cum morte familiaritatem quærit. II, 74. Augustinus presbyterum Eraclium successorem sibi exoptat. II, 967, 968. Hujus electionem populus cum plausu excipit. II, 967, 968. Augustinus onera occupationum suarum Eraclio refundit. II, 968. Augustinus præ corporis imbecillitate vix loquebatur, cum ad eum Bonifacius venit. II, 995.

De gestis Augustini vide vitam ejus a Possidio scriptam. I, 38.

Augustini alumni Alypius. II, 90. Bonifacius. II, 268, 271. Donatus. II, 227. Evodius. II, 697. Licentius. I, 908, 981. Privatus. II, 697. Possidius. II, 368. Profuturus. II, 111, 697. Servilius. II, 111, 697. Trigetius. I, 908, 981. Inter Augustini familiares S. Paulinus. II, 107. Augustinus et Alypius, corpore tantum, non animo, duo. II, 111.

Augustini elogium. II, 644. Augustinus vir probitatis justitiæque documentum appellatur. II, 514. Augustinus ab Ambrosio laudatus. X, 1081. Augustinum magistrum in fide vocat Paulinus. II, 470 : et magistrum et medicum spiritalem. II, 349. Augustinum mortuum esse sæculo ait Paulinus. II, 349. Augustini scientiam et litteras, plurimi facit Paulinus. II, 347, 350. Augustinum, benedictum Doctorem Israel vocat. II, 462. Sal terræ, lucernam digne super candelabrum Ecclesiæ positam. II, 101. Augustini os, fistulam aquæ vivæ, et venam fontis æterni appellat. II, 101. Augustini libros, ut dictata divinitus verba Paulinus miratur. II, 99. Augustini verba, cœlestia appellat. II, 126.

Augustinus oraculum Legis, sacrator justitiæ, instaurator spiritalis gloriæ, dispensator salutis æternæ vocatur ab Audace. II, 1076. Augustinum legendo, gentiles ritus contempsit Darius. II, 1022. Augustinum Tullio comparat Nectarius. II, 386. Augustini epistolæ Christum, Platonem, Plotinum, Nebridio sonabant. II, 67. Orosius juvenis presbyter ab ultima Hispania ad Augustinum transit, litterarum ardore inflammatus. II, 748. Augustinus laudatur a Secundino. VIII, 574. Theodosius ad Augustinum scribit, ut Concilio Ephesino adsit. II, 927. *Not.* Augustinum longe a linea a fide Christiana sepositum, et studiis olim deditum litterarum, quietis et bonestatis fuisse cultorem dicit Vincentius. II, 548. Cum ad Augustinum venitur, legi deest quidquid contigerit ignorari, ex Volusiano. II, 514.

*Augustinus* quidam Donatistarum episcopus. IX, 48.

*Augustus* Cæsar Caii Cæsaris filius adoptivus. VII, 110. Cum multis gessit bella civilia. VII, 109. Augusti pietas. X, 1034.

Augustus mensis sic appellatus in honorem Imperatoris Augusti. III, 51; VIII, 346.

*Avitus*, duo hujus nominis cives Hispani. VIII, 667, 668.

Avocamentum cordis. IV, 202.

Aulæ favor res fragilis. I, 756. Aulici per multa pericula perveniunt ad grandius periculum. I, 756.

*Aurelianus* Christianorum persecutor VII, 614.

*Aurelius* episcopus ecclesiæ catholicæ Carthaginensis. II, 389, 392 ; 490, 493, 577, 758, 779, VI, 547; VII, 762, VIII, 817, 818, IX, 700; X, 319, 586. Aurelius auctor est Augustino edendi libri, *de opere Monachorum*. I, 659. Ad Aurelium Sixtus scribit. II, 867. Et Paulinus II, 101. Sixti epistolam ad Aurelium descripsit Augustinus. II, 867. Aurelii Carthaginensis factum laudabile. V, 1372. Aurelii Carthaginensis, Ordinationis dies anniversarius. V, 645.

*Aurelius* ab Utica. IX, 228.

*Aurelius* a Chullabi. IX, 238.

Auriga. V, 136, 562, 1026, 1511 ; VI, 560, 638. Auriga et venator, in iis qui populo spectaculum exhibebant. IV, 458, 459, 626, 1954. Auriga laudatur a populo in theatro secundum suarum studia partium. VII, 262.

*Aurimum* deum Romani non colebant. VII, 155.

Aurium voluptas. I, 779. Auris peccata. V, 382. Audisti verbum ab irato moriatur in te. V, 523. Auris Dei, intelligenda est potentia ejus qua exaudit. IV, 130. Aures cordis, non corporis, requirit Deus. IV, 544. Aures audiendi voluntas est obediendi. X, 1016. *Vide audire*. Auris dextera servo amputata a Petro, allegorice in Donatistas. VI, 306. Auribus præstare sensum videndi et oculis audiendi non est impossibile Deo. X, 559.

Aurum pallor terræ, argentum livor terræ. V, 136. Aurum terra fulgens. V, 1655. Aurum et argentum terra est ei animo, qui terra non est. IV, 1481. Aurum fecit Deus, et te super aurum, ut illius sis Dominus, non servus. IV, 1646. Aurum post te debet ire, non tu post aurum. V, 1417. Debet duci, non ducere ; possideri, non possidere. V, 1417. Aurum per se et natura sua bonum, quamvis non summum. V, 528. Aurum bonis et malis cur datur. V, 527. Conditum est ad Conditoris laudem, ad bonorum probationem, ad malorum supplicium. V, 528. Aurum et argentum res est non hominis, sed Dei ; quia id Deus non modo condidit, sed pro nutu administrat, aliis ad subsidium et probationem, aliis ad supplicium. V, 526, 527. Auro torquetur avarus, unde misericors adjuvatur. V, 527. Auri cupiditas damnatur, rectus usus a Domino commendatur. V, 529. Auri usus quis bonus, quis malus. V, 148. Aurum ille habet, qui auro uti novit ; qui autem auro uti non novit, habetur, non habet. IV, 1646. Aurum ejus proprie est, qui bene illo utitur, adeoque veritas est Dei. V, 527. Aurum et argentum malis malum est, bonis bonum est. V, 468. Aurum et argentum bonum est, non quod te faciat bonum, sed unde facias bonum. V, 410. Auro bonus multa bona præstat; malus multa mala. V, 1417. Aurum ipsum ornat ille, qui bene utitur. V, 148. Aurum ab avaris Deo præponitur. V, 144. Et fidei V, 146. Aurum multi ut acquirant, fidem perdunt. IV, 1645. Aurum acquisisti, perdidisti sommum. III, 2056. Auri martyres, avari. V, 1461, 1470. *Vide Divitiæ*. Aurum non recte vituperari potest. V, 528, 529. Auri contemptus in Propheticis litteris commendatus. V, 332.

Aurum et argentum allegorice. V, 331. Aurum significat sapientiam. III, 655. Auro sapientia, argento prudentia figuratur. IV, 823, 911. Aurum fides est, æramum concupiscentia. IV, 1242. Auro boni similes sunt, ferro mali. IV, 1575.

*Ausafa*. IX, 256, 507, 528, 550.

*Ause* prius appellabatur qui postea Josue. V, 1555 ; VIII, 327.

Auster ventus calidus. IV, 1664. Auster non aliquid mali significat in sanctis libris, sic ut nec aquilo aliquid boni. III, 876. Auster fervorem caritatis significat. II, 561.

*Ausuaga*. IX, 250.

Auxilii divini necessitas ad bonum. *Vide Adjutorium*. Gratia. Auxilium Dei cum poscit Julianus ad libros suos scribendos, Deum in voluntatibus hominum operari nesciens fatetur. X, 1249. Auxilium Dei justum dicitur, quod jam justo tribuitur. IV, 104. Ut de auxilio Dei diffidamus, suadet diabolus. IV, 325. Auxilium a Domino quærendum. IV, 326. Auxilium gratiæ fides impetrat, quæ est in Christo Jesu. II, 760. Auxilium gratiæ quibusdam adest. VIII, 82.

*Auxilius* anathematizat Classicianum cum omni ipsius homo. II, 1066.

*Axa* filia Caleb. III, 795.

*Aymnius* ab Ausuaga. IX, 250.

*Aynan* interpretatur mœror eorum. VIII, 457.

Azymorum primus dies, quinta sabbati a Matthæo appellatur. II, 150. Azymorum diebus contaminatio in Deum erat, in anicmgenæ habitaculum intrare. III, 1956. Azymorum manducatio quomodo spiritualiter intelligenda et observanda VII, 257, 505.

# B.


Baal nomen Jovis. III, 797. Baalsamen quasi Dominus cæli Punice dicitur. III, 797.

*Babylon* confusio interpretatur. IV, 773, 774, 1659, 1761; VII, 482, 490, 497, 550, 601. Babylon a Nemrot condita est. VII, 482. Babylonicam turrem ædificantium superbia. VII, 482, 490. Isthæc superbia quomodo punita est. VII, 490, 491. Babylon in intimis Persidis regionibus condita est. IV, 773. Babylon caput regni Assyriorum. VII, 497. Babylonia quasi prima Roma. VII, 561. Babylonem condidit aut instauravit Semiramis. VII, 561.

Babylon mundum istum significat. IV, 336, 1659. Babylon civitas diaboli. VII, 550; IX, 56. Typus societatis iniquorum. VI, 337. Babylonia civitas, societas est omnium perditorum, et ipsa regnum habet terrenum. IV, 208. Babylonia, prima fuit mater nostra. IV, 208. Primo nos genuit in captivitate. IV, 1795. Babylon et Jerusalem figuræ justorum et reproborum. IV, 773. Babylon incœpit a Cain, Jerusalem ab Abel. IV, 733, 773. Babylon regem diabolum, Jerusalem regem habet Christum. IV, 733. Babylon et Jerusalem modo permixtæ sunt, IV, 773. Quinam ad civitatem illam aut istam pertinent. IV, 733, 1106. Babyloniam et Jerusalem faciunt duo amores; Jerusalem facit amor Dei, Babyloniam facit amor sæculi. IV, 773. Babylonia habet amatores suos, et quales. IV, 1762.

Babylonia. Quomodo de medio Babylonis spiritaliter fugiendum. VII, 574. Incipit exire de Babylonia, qui incipit amare. IV, 774. Etsi corpus adhuc in Babylonia tenetur, cor ad Jerusalem præmittatur. IV, 1940. In Babylonia qui fideliter versantur, non pereunt, quia prædestinati sunt cives Jerusalem. IV, 1762, Babyloniæ cives, filii alieni. IV, 1770. Babylon ipsa quomodo filia Babylonis. IV, 1773. Babyloniæ parvuli, qui. IV, 1773. Babylonis flumina sunt, omnia quæ hic amantur et transeunt. IV, 1762. Babyloniæ gaudium est pax temporalis. IV, 1761. Captivitas Judæorum in Babylonia, figura est captivitatis nostræ in mundo. IV, 1659.

Babylonica captivitas et in ea gesta, quid significent. VI, 336. Babylonia Judæorum captivitas quo tempore contigit. VII, 582. Transmigratio in Babyloniam et reditus ex ea quid significat. VIII, 272, 273. Babylonis transmigratio figura transitus Evangelii ad gentes. V, 340.

*Bacchæ*, feminæ non tam virtute nobiles quam furore. VII, 571.

Bacchanalia. II, 84. Bacchanalia, sacra Libero patri instituta. VII, 571. Bacchanalia a senatu in Urbe Roma, prohibita. VII, 187, 571.

*Bacchus*. Vide *Liber*.

Baculus misericordiæ. V, 1650.

Baculus Elisæi Legis figura. V, 176.

Baculus arundineus. IV, 1058.

*Badesilitana* ecclesia. II, 233.

*Badi* vel *Beda*. IX, 211.

*Bagai* et *Thamugade* oppida Donatistarum præcipua. IV, 177.

*Bagaiense* oppidum. IX, 209, 503,

*Bagaiense* seu Bagaitanum Concilium. IV, 645, 685; IX, 47, 51, 113, 137, 251, 370, 503, 504, 506, 509, 519, 585, 685, 704. Bagaitanum Concilium Donatistarum adversus Maximianistas. An. CCCXCIV, habitum. II, 580; IX, 529. Bagaitanum Concilium trecentorum et decem episcoporum. IX, 527, 547, 555, 585, 586. Nomina nonnullorum. IX, 555. Felicianum Mustitanum et Prætextatum Assuritanum Donatistæ in eo Concilio damnaverunt et postea in eodem episcopatu in quo damnati sunt receperunt cogente Optato Gildoniano. II, 192, 198, 263, 309. Bagaiense Concilium cæteris in eodem Maximiani schismate constitutis, Primiani etiam damnatoribus, tantum quia Maximiani ordinationi non interfuerant, dilationem dedit. IX, 528, 550, 552, 555, 569. Terminus dilationis. IX, 530, 550, 572. Prætextatus et Felicianus etiam post diem præstitutum cum Maximiano fuerunt. IX, 574. Bagaiensis Concilii sententia in Maximianum et duodecim ordinatores. IX, 506, 530, 552, 709, 745. Bagaiensis Concilii sententia dictata ab Emerito Cæsariensi. IX, 507, 704. Bagaitanum Concilium, Mortuorum funeribus plena sunt littora, dixit de Maximianistis. II, 756. Bagaiensis basilica a Donatistis incensa, et codices sancti in ignem conjecti. IX, 636.

*Bagrada* flumen. VII, 769.

*Baianense* oppidum. IX, 528, 550.

*Bala* interpretatur inveterata. VIII, 454, 455.

*Balaam* reprobus et damnatus. VI, 136.

*Balbus* apud Tullium. X, 766. Balbus disputat in lib. Ciceronis de *Nat. deorum*. VII, 149.

*Baleus* decimus rex Assyriorum. VII, 563.

Balneum ideo dictum, quia anxietatem pellit ex animo. I, 777. Balnei effectus. I, 777. Balneorum usus semel in mense conceditur sanctimonialibus. II, 963.

Baptizari. Verbum hoc ex græco latina consuetudo sic habet, ut non soleat alibi, nisi in Sacramento regenerationis intelligi. X, 857.

Baptismi Joannis finis. IX, 182. Baptismus Joannis militat Christo, sicut Legis vetera sacramenta præcursorio quodam et præfiguratorio fungebantur officio. IX, 599. Baptismus Joannis ad Christi baptismum non pertinuit tamquam pars aut gradus. IX, 289. Joannis baptismo regeneratio non fiebat. VI, 253. Nec remittebantur peccata, nisi in spe. IX, 183. Baptizandis præcepta morum a Joanne tradita. VI, 210. Baptismum Joannis suscepit Christus. VI, 256; IX, 174. Suscepit ad ipsius sacramenti consecrationem. V, 1335. Et propter superbiam futurorum. IV, 1164. Baptismus Joannis cur non perseveravit IX, 182. Baptismus qui dabatur a Joanne, dictus est Joannis; non vero qui dabatur a Paulo, dictus est Pauli, quare. IX, 435.

Baptismus Christi. V, 947, 1303. Joannis baptismo discernendus. V, 1048. Baptismus, Sacramentum. III, 70. Sacramentum nativitatis, sacramentum magnum, divinum, sanctum, ineffabile. III, 2016. Ejus institutor. II, 180. Baptismus ad dispensationem Christi, quæ per ejus humilitatem facta est, pertinet. X, 131. Baptismus, Christi morte consecratus, V, 1562, 1635; et sanguine. IV, 1420. Baptismi aqua. Christi nomine consecrata, et cruce ipsius signata. V, 1551, Aquæ virtus per consecrationem verbi. VI, 694. Homo spiritualis judicare potest de solemnitate sacramentorum, sive Baptismi, sive mysterii in quo ille piscis (id est Christus) exhibetur I, 861. Baptismus in nomine sanctæ Trinitatis datur. I, 851; V, 803. Ideo vocatur Baptismus Trinitatis, V, 1235.

Baptismatis mysterium insinuatur initio libri Genesis. VI, 133. Baptismus diluvio significatus. VIII, 263. Et Israelitarum per mare rubrum transitu figuratus. III, 1723; IV, 917, 1037, 1411, 1420, 1760; V, 37, 1551, 1555, 1562, 1635, 1637; VI, 335, 695. Baptismum Christi significabat aqua adspersionis. III, 735, 736; VIII, 651. Et ambulatio Christi super aquas. VI, 694. Circumcisio figura fuit baptismatis. X, 833. Et baptismi vice olim fuit. II, 845. Sacramentum baptismi Christus in Ecclesia pro circumcisione dedit. II, 1085. Baptismus circumcisionem spiritalem exprimit. X, 403.

Baptismum respuunt Seleuciani. VIII, 41, 42. Et Manichæi. VIII, 38.

Baptismus propter quid institutus. X, 1120. Instituta est secunda nativitas, quia prima est damnata. X, 857. Quia in Adam damnata est generatio, in Christo quæritur regeneratio. V, 1345. Secunda nativitas est ex Deo et Ecclesia. V, 680. Vulva matris, aqua baptismatis. V, 674. Homo ante baptismum sub diabolo est, nec tamen ipsi Dei Potestati subtrahitur. X, 857. Unde homines, qui non regenerantur, sunt sub diabolo. X, 821. Hoc inter se fœdus iniisse Deum et diabolum, ut quidquid perfunditur, Deus, quidquid nascitur, diabolus sibi vindicet, Juliani vanum acumen. X, 837.

Baptisma omnibus necessarium VI, 253; X, 189, 190, 199. Etiam post baptisma Joannis. IX, 182. Paulus baptizavit post Joannem baptismo Christi. II, 345. Baptismus necessarius etiam perfecte viventibus. III, 1495. Et in quolibet provectu interioris hominis. IX, 173. Ad baptismum nemo innocens venit. IX, 338. Baptismi necessitatem asserit Innocentius Papa. X, 576.

Baptizatos Judam et cæteros Apostolos ante passionem Domini fuisse probatur. II, 178. Cum Petrus negavit Dominum, nondum fuerant Apostoli baptizati, non tamen aqua, sed Spiritu sancto. II, 1086. Apostolos a Christo baptizatos magis credibile est. II, 1088.

Baptismum ad quid omnibus ætatibus necessarium credebant Pelagiani. X, 609, 613. Baptismum cur tantopere extollunt Pelagiani. X, 621.

Baptismus Christi necessarius parvulis. III, 418; V, 657. Baptismus parvulorum non superfluus, quia peccato originali obligantur. II, 678. Baptismus necessarius parvulis ob peccatum originale, non ob personale. X, 121. Regenerari spiritualiter opus habet, quisquis carnaliter generatur. X, 121 A damnatione Adæ nemo liberatus nisi in Christo renatus VI, 256. Baptismus in parvulis sufficit, ne post mortem obsit quod carnalis generatio cum morte contraxit. VII, 730.

Baptizari parvuli debent, ut a diaboli potestate et a peccato liberentur. X, 1438. Per baptismum de potestate tenebrarum eruuntur parvuli morientes. II 982; X, 426. Ab originali peccato liberari parvuli non possunt nisi baptismo Christi. II, 685. Baptizantur parvuli, non tantum ut justi sint, sed ut originalis in eis ægritudo sanetur. X, 122. Baptizantur parvuli in remissionem peccatorum. V, 751. Baptismus qui traditur in remissionem peccatorum, falsus est in iis qui nullum habent omnino peccatum. X, 978. Parentes solicitos esse oportet, ut baptizentur infantes. X, 199.

Baptismum parvulorum ad quid admittebant Pelagiani

VIII, 48; X, 570, 1067, 1438. De baptismo parvulorum, dogmata Pelagianorum et paradoxa. X, 705, 708. Baptisma iisdem Sacramenti verbis in infantibus, quibus in majoribus, celebrandum esse dicit Pelagius. X, 396. Parvulos propter salutem baptizandos negant Pelagiani, eo quod nullum ex Adam contagium damnationis attraxerint. II, 761, 765, 773. In parvulis per baptismum remissionem fieri peccatorum fatentur aliqui Pelagiani, quo sensu. X, 146. Etsi ateantur Pelagius et Cœlestius parvulos baptizari in remissionem peccatorum, negant eos ullum habere originale peccatum. X, 377, 385, 387, 388. Massilienses dubitasse videntur, parvulos erui de potestate tenebrarum per baptismum. X, 1009.

Baptizandos parvulos Pelagiani concedunt, non propter vitam æternam, sed propter regnum cœlorum. V, 1336; X, 142, 394, 395. Infantes etsi non baptizentur, habere vitam æternam, dogma Cœlestii. X, 334. Addebant Pelagiani, æternæ vitæ præmiis, sine baptismatis gratia, posse parvulos donari. II, 788. Non tantum ad regnum cœlorum obtinendum, sed et in peccati remissionem baptismo opus habent parvuli. X, 121. Sine baptismo, parvuli non possunt habere vitam in semetipsis. X, 615. Præter Christi societatem nemo salutem vitamque æternam consequi potest. X, 122, 128, 196. Parvuli non baptizati manent in tenebris. X, 129, 131. Parvulos sine baptismo mortuos posse pervenire ad regnum cœlorum, error Vincentii. X, 480, 481. Non baptizatis mortuis, veniam peccatorum promittit Vincentius et paradisum a regno cœlorum separatum. X, 503, 504, 518, 520, 522. Parvuli ante vel post susceptum baptismum mortui an resurgent. II, 730. Pro parvulis ante baptismum mortuis offerendum esse sacrificium Corporis Christi, error Vincentii. X, 480. Parvulis non baptizatis regnum cœlorum promittere non ausi sunt Pelagiani. X, 481, 520; tribuunt salutem et vitam æternam; sed eos a regno cœlorum faciunt alienos. X, 123. Locus secundæ felicitatis parvulis non baptizatis ædificatus a Pelagianis. X, 1130. Medium locum inter regnum cœlorum et damnationem eis promittunt. X, 481. Et ob id a Conciliis et Sede Apostolica damnati. X, 505. Medius ille locus impugnatur. III, 1813; X, 481. Sententia Dominica excludens non baptizatos a regno Dei, fatentibus Pelagianis. V, 1340. Parvuli non baptizati damnantur. X, 188, 189. In damnatione erunt cum diabolo. X, 140, 189. In mitissima tamen damnatione. X, 120.

Baptizandi filii etiam fidelium. X, 175, 812, 847. Baptizatorum filii cur baptizentur. X, 177, 178. Nec pater non regeneratus obest filio regenerato ad capessendam vitam æternam, nec pater regeneratus prodest ad hoc filio non regenerato; nec vicissim, etc. X, 1272, 1273. Nemo in suo parente renasci potuit non natus. X, 177. Non superfluo baptizantur baptizatorum filii. X, 194, 195, 199.

Baptizatis infantibus prodest Christus. V, 1346. Baptizatos infantes Ecclesia fidelium numero adjungit. X, 124. Et suo corpori Christus gratia inserit. X, 114, 196. Parvuli oblati per Sacramentum caritatemque fidelium, ac si incorporati Christi corpori, quod est Ecclesia, reconciliantur Deo. X, 131. Adoptantur ex filiis hominum in filios Dei in baptismate. X, 578, 583. Neminem nisi baptizatum, ad altare admittit Ecclesiæ traditio. IX, 138. Inscrutabile cur infantes alii decedunt frustrati baptismo, alii non. X, 125. In quæstione de parvulis cur alius baptizetur, alius non baptizetur, confugiendum ad auctoritatem divinam. V, 1339. De parvulis ante baptismum decedentibus scriptum esse, Raptus estne malitia, etc. error Vincentii. X, 517. Baptismum procurari infantibus, quorum pietatem futuram, si diu vixissent, Deus prænidit, an dici possit. III, 419, 420. Hæc refellendi gratia excogitatum est ab Augustino. III, 420. Variæ responsiones, juxta varias de animæ origine sententias. III, 419, 420. Non fato, non fortuna, non acceptione personarum infans unus præ altero ad baptismi gratiam pervenit. X, 581. Non parentum aut ipsius parvuli merito, non ex prævisione bonorum vel malorum operum. II, 885; X, 578. Quid dicendum de infante per incuriam parentum sine baptismo decedente. III, 419.

Baptizari prodest parvulis in fide offerentium et Ecclesiæ. I, 1504. Fides aliena prodest infantibus. III, 418; V, 1557. Valet ad consecrationem parvulorum, responsum offerentium. IX, 175. Parvulus credit in altero, quia peccavit in altero. V, 1342, 1346. Ad verba aliena sanatur, quia ad factum alienum vulneratur. V, 1342. Infantibus prodest offerentium ad baptismum voluntas per societatem unius ejusdemque spiritus, ex quo fit regeneratio. II, 360. Quia non tam offeruntur a gestantibus, quam ab universa societate fidelium. II, 361. Ea propter nec offerentium prava intentio impedire potest virtutem sacramenti. II, 361, 362. Infantes ab aliis quam a parentibus offerri possunt ad baptismum. II, 362. Per baptismum de potestate tenebrarum eruuntur parvuli morientes; quia parvulum, etsi nondum fides illa, quæ in credentium voluntate consistit, jam tamen fidei sacramentum fidelem facit. II, 364. Cum homo ad usum rationis venit, Sacramentum baptismi non repetit, sed intelligit; ejusque veritati consona voluntate coaptatur. II, 364.

Baptizare parvulos, regula antiqua. V, 959. Et traditio Apostolica. III, 426; X, 131. Non imputatur parvulis ad culpam quod reluctantes baptismum recipiant. II, 841.

Baptisma Christi non nisi in sua communione Donatus asserebat esse. I, 618. Baptismum verum, nec in toto orbe terrarum, nec in grandiore parte Donati, sed apud se tantum remansisse, quælibet minutissima pars Donati asserit. IX, 114. Baptismum suum sanctum dicebant Donatistæ, aliorum autem, nullum. IV, 1890. Baptismum verum non esse dicebant Donatistæ, nisi qui ab homine justo datur. II, 311. Baptismum Donatistæ nisi ipsi dederint, inanem esse volunt. VI, 306. Justificari vero eum, quem ipsi baptizaverant. II, 809. Baptismum talem esse volunt, qualis est ille a quo habetur, vel datur, vel sumitur. IX, 286. Dictum eorum, *Qualis sum ego qui baptizo, tales facio quos baptizo*, refellitur. V, 1323. In hoc ore proprio damnantur. X, 287.

Baptismi minister non attendendus, sed Deus. IV, 1890. Ostenditur ex exemplo Christi. IX, 77. Ostenditur et ex ipsis Donatistis. IX, 76. Testimonia a Donatistis allata, ad hanc rem non pertinent. IX, 367. In quæstione baptismi non considerandum quis det, habeat, aut accipiat: sed quid detur, habeatur, accipiatur. IX, 163. Baptismi virtus non ex meritis ministri pendet. II, 401. Nec a bonitate vel malitia ejus. III, 1421. Sed ex Dei gratia mundat. V, 602. Et constat propria sanctitate. IX, 559, 560. Baptismus per se ipse considerandus verbis Evangelicis consecratus, non adjuncta perversitate sive accipientium sive tradentium. IX, 163.

Baptismus Christi unde agnoscendus et approbandus. IX, 142. Baptismus in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, Christum habet auctorem, non quemlibet hominem. IX, 279. Baptismus secundum Evangelium datus, Christi est, non ministrorum. IX, 110, 260, 262, 345, 438. Baptismus Christi sive per iniquum, sive per justum ministratus, nihil aliud est quam baptismus Christi. IX, 368, 369, 371, 372. Sacramentum Christi sanctum est, etiamsi per minus sanctum, vel non sanctum hominem ministretur. IX, 361. Si quisquis inter homines fuerit, jus sibi baptismatis non debet usurpare, nemo est qui audeat baptizare. IX, 487. Baptismi sanctitas non impar, propter impares ministros. II, 344; III, 1428; IX, 173, 435, 499. Aliud est baptizare per potestatem, aliud baptizare per ministerium. III, 1427. Baptizandi potestas in neminem transit a Domino, ministerium transit in omnes, sive bonos sive malos, III, 1419, 1428, 1437. Non minister, sed ipse Christus est qui baptizat. II, 311. Baptizabat Jesus, et non baptizabat, quomodo. III, 1511. Baptismus quem dederunt Apostoli ante passionem Christi, et post Christum, non erat eorum, sed Christi. II, 344; IX, 435. Baptismum Christi nemo Apostolorum ita ministravit, ut auderet dicere suum. IX, 385, 386. Sicut dixit aut Evangelium aut ministerium. IX, 185. Baptismus a sacrilegis datus, est Christi, sicut est Christi nomen quod a sacrilegis dicitur; sed utrisque non prodest. IX, 602, 603. Non talis quisque redit a baptismo, qualis fuit a quo baptizatus est. IX, 358, 374, 375, 376, 377. Alioquin Donatistæ redeunt peccatores. IX, 338, 340. Quotquot ab Optato baptizati sunt, Optati facti sunt. IX, 358, 340: sequeretur ut baptizandi denuo forent quam plurimi Donatistarum, quos tamen non rebaptizant. IX, 237, 366, 367, 368.

Baptismata duo dicunt qui aliud habere justos existimant, aliud iniquos. IX, 280. Baptismus communis bonis et malis. V, 561. Justis et injustis. IX, 195, 196. In zizaniis et in palea verus est baptismus. IX, 280. Baptismi Sacramentum et in sacrilegis per se sanctum est. IX, 346. Baptismus etiam in sacrilego bonus, sicut lex in Judæo mala bona est. IX, 181, 596. Baptismi sanctitas cujusquam sceleribus pollui non potest. IX, 144, 167. Baptismus et in perversis est, et nullius perversitate perversus fit. IX, 190, 191, 197, 198, 200, 214, 215, 223. Exemplis ex veteri Testamento desumptis ostenditur. IX, 225. Sacramenta ritu Evangelico celebrata, etiamsi a traditoribus, haberentur, non sunt sacrilega. IX, 602. Baptismum quidem habent iniqui quandiu iniqui sunt, sed non habent salutem cujus baptismus est Sacramentum. IX, 217. Baptismus in malis integer est, sed non prodest ad salutem. IX, 171, 219, 221. Cum a malignitate discedit, incipit jam prodesse ad salutem, qui prius inerat ad perditionem. IX, 179, 509. Baptismus et esse potest in perversis, et ab eis etiam manifestis dari. IX, 240, 286.

Baptismum sancte dantis conscientia attenditur, quæ adhiberi accipientis, falsa Petiliani doctrina quæ refellitur. IX, 247, 260, 353, 356, 358, 365, 364, 373, 374, 377, 481, 586. Baptismum ab impio latente recte datum putabant Donatistæ; non vero ab impio manifesto. IX, 73, 250. Si tunc per se abluit Deus aut Angelus cum latet conscientia polluta baptizantis, satius est baptizari ab occulto malo, quam a

manifesto homine bono. IX, 67, 248, 250, 373, 374, 375, 376, 377, 378, 480, 481, 592. Consequentia hæc non est Augustini, sed ab illo necessaria ostenditur. IX, 376. Conscientia dantis an debet attendi tantum secundum famam quæ de illa seu vera seu falsa est. IX. 478, 480, 481, 498, 500, 557. Baptismum non dant verum Donatistæ, si reus vel occultus vel manifestus non dat. IX, 279, 280, 281. Argumenta quibus baptismum a perfidis datum nullum esse probabant Donatistæ, in ipsos retorquentur. IX, 250.

Baptizari a mortuo, quid. IX, 218. Baptizantur a mortuis, qui baptizantur in idolorum templis. IX, 484. et in deorum nomine. IX, 486. Baptizatores mortuos quosnam intelligere possint Donatistæ. IX, 250. Baptizare si non potest omnis peccator tamquam mortuus, nec occultus potest. IX, 485, 486. Baptismus a malis et improbis datus, non potest dici non datus. IX, 75. Baptismus a malis sive occultis sive manifestis datus integer est. IX, 509. Baptismus tantum valet per hominem contemptibilem, quantum per Apostolum datus. IX, 184. Baptismus sicut Evangelium, potest per bonos et malos dispensari a Deo. IX, 498, 500. Dispensator verbi et Sacramenti Evangelici si bonus est, consocius est Evangelii; si malus, non ideo non est dispensator Evangelii. IX, 384. Judas in exemplum adducitur. IX, 385.

Baptismi vis, sicut nec Evangelii, non pendet a ministro. IX, 260, 261, 262. Baptizati justificatio a baptizatoris justitia non pendet. IX, 145, 369, 370, 371, 374. Baptizantis meritum in gratia baptismi non cogitandum. IX, 64, 455, 499. Ipsi idololatræ non a sacerdotibus suis se accipere arbitrantur sanctificationem quam putant, sed a diis suis. IX, 484, 486. Baptizati innocentia si ex innocentia baptizantis exspectatur, incommoda sequuntur multa. IX, 261. Baptizati spes vana et inanis, si conscientia baptizatoris attenditur. IX, 247, 260. Spem suam ponit in homine, qui baptizatoris conscientiam attendit. IX, 500. Hinc schismata. IX, 502. In baptizatore non spes ponenda. IX, 378, 379, 380. Sive a fideli, sive a perfido baptismi Sacramentum quisque percipiat, spes ei omnis in Christo sit. IX, 249, 260. Baptizati seu Christiani caput et origo solus Christus. IX, 500, 502, 518, 560. Hoc vi veritatis oppressus concessit tandem Petilianus. IX, 490. Baptizator non sequendus. IX, 350. In nomine baptizatoris non baptizatur. IX, 353. Baptismi ministros cur per aliquod signum excellentioris sanctitatis noluit Christus demonstrari. IX, 184. Aliud Sacramentum, aliud Sacramenti effectus et usus. IX, 197. Baptizare non tamen cuicumque licet. IX, 489, 498. In Sacramento baptismatis an nonnisi fidelis et justissimus operarius adhibendus. IX, 500. Baptismi ministrum justum esse præstat, quam injustum. IX, 499. Quare. IX, 361. Quomodo aliter Deus per bonos, aliter per malos ministros operetur. IX, 67. Baptizati ab hominibus sua quærentibus, et mundum diligentibus, quasi ancillæ filii. III, 1486. Minister malus, canalis lapideus. III, 1422.

Baptismum amitti discedendo ab Ecclesia, dogma Donatistarum IX, 590. Refellitur ex modo quo Maximianistæ reciperantur. IX, 588, 590, 593. Baptismum orbis terrarum quibus rationibus exsufflant Donatistæ, iisdem exsufflant et suum. IX, 293. Baptismus non amittitur discedendo ab Ecclesia. IX, 109, 145, 195, 236, 237, 262, 298. Ex ipsomet Donatistarum consensu. IX, 109. Nec in apostatis baptismi character deletur. IX, 71, 72. In errante et deserente milite crimen est desertoris, character autem non est desertoris, sed imperatoris. IX, 691. Baptismum sic habent hæretici, quomodo desertor characterem. VI, 636. Unde damnantur, non unde coronentur. VI, 636. Baptismus eis redeuntibus non mutatur. VI, 636. Baptismus non amittitur discedendo ab unitate, incipit prodesse redeundo. IX, 204, 207, 208, 244. Baptismus communis esse potest, quibus non est Ecclesia communis. V, 1232; IX, 232, 238, 464. Baptisma qui Ecclesiæ commune cum hæreticis facit, non prodit sponsam Christi adulteris. IX, 230. Baptisma unum est, et in Ecclesia sancta est, sed non in sola Catholica. IX, 210, 219. Nec in solis sanctis. IX, 219. Baptisma potest esse et unde se aufert Spiritus sanctus, et ubi non est Ecclesia. IX, 193. Baptismus et Ecclesia a se dividi possunt et separari. IX, 186, 191, 193, 200. Baptismi in Ecclesia dati veritas, a Petiliano diversis rationibus et exemplis impugnata, propugnatur. IX, 280. Baptismi veritas exemplo Christi in hæreticis non neganda, improbanda, aut destruenda, sed ipsorum iniquitas. IX, 601. Baptismi aqua sicut Euphratæ fluminis extra paradisum effluit. IX, 210, 221, 227, 229, 476. Baptismum Christi posse esse extra Ecclesiam, probat aqua quæ de corpore Domini exivit foras. IX, 440.

Baptismum qui amittere non potest, nec potest amittere jus dandi baptismum. IX, 70, 72. Ad integritatem Sacramenti nihil interest quæ sit fides suscipientis. IX, 146. Aut ministri. IX, 147. Nihil accipientis, habentis, aut dantis bonitas aut malitia. IX, 199, 200, 212. Baptismus verbis Evangelicis consecratus non est aqua mendax. IX, 557. Et apud hæreticos est, sicut et Evangelium. IX, 239. Scripturæ testimonia quæ contraria videntur; de veritate baptismi extra Ecclesiam dati, conciliantur. IX, 114. Baptismus etiam in hæreticis agnoscendus. IX, 630. Baptizare possunt thurificatores, traditores, persecutores. IX, 558. Baptismum habent qui quamvis fallaciter accipiant, in Ecclesia accipiunt, aut ubi putatur esse Ecclesia ab eis, a quibus accipitur. IX, 243. Baptismum verum habere possunt nonnulli, etiamsi non habeant veram fidem. IX, 604.

Baptismi duo non sunt quia hæretici possunt baptizare. IX, 230. Baptizandi potestatem non habent mali, si non habent hæretici. IX, 158, 160, 215, 216, 217, 221, 222, 230, 231, 236, 244. Baptismus nomine Patris et Filii et Spiritus sancti consecratus, apud hæreticos datus, Christi est et Ecclesiæ, non ipsorum. IX, 121, 140, 145, 151, 165, 220, 231. Sicut et ordinatio non est hæreticorum, sed Christi. IX, 691. Sola Ecclesia catholica, per hoc quod suum habet in communionibus separatis, generat filios spiritales. IX, 117, 121, 125, 126. Baptismus evangelica regula datus, etiam ab hæretico de Trinitatis unitate dissentiente, integer est. IX, 597.

Baptismus ab hæreticis datus, bonus, sicut et a malis. IX, 190, 191. Baptismus Christi violari non potest hæreticorum perversitate, cum apud eos datur et sumitur. IX, 177, 178, 179. Baptismus malorum non valet, si non valet hæreticorum. IX, 193, 203, 204, 205, 206, 207, 209, 211, 212. Baptismum ab hæreticis et schismaticis dari posse, in Concilio Nicæno definitum est. IX, 72. Utrum baptismus extra Ecclesiam posset conferri ante Concilii plenarii definitionem, inter magnos viros salva pace controvertebatur. IX, 114, 124. Quidquid de baptismo hæreticorum Cyprianus ejusque collega in Concilio Carthaginensi dixerunt, de baptismo iniquorum dici potest. IX, 259. et *lib.* 6 *et* 7 *de Bapt.* Quæ ex Cypriani epistola ad Jubaianum probare videntur baptismum Christi non posse ab hæreticis conferri, refelluntur. *tom.* IX *lib.* 3 *et* 4 *de Bapt. cont. Donat.* Donatistæ jam non permittuntur ignorare quin valeat baptismus, extra Ecclesiam acceptus. IX, 113. Baptismus in schismate datus, approbatus a Donatistis. IX, 630. Baptismum Trinitatis non habere Catholicos contendebat Petilianus, id ipsum de Donatistis probat Aug. IX, 286. Catholicos inter et Donatistas cardinales, nulla jam de baptismi bonitate extra Ecclesiam collati controversia est. IX, 115. Per Maximianistas finita est. IX, 630, 551. Baptismum Christi posse extra Ecclesiam dari, ex schismate Maximiani noverunt Donatistæ. VIII, 43, 44.

Baptismus unus etiam extra Ecclesiam ab ignorantibus datur, sicut extra Ecclesiam ipse unus Deus ab ignorantibus colebatur. IX, 599, 604. Utrumque tamen non prodest. II, 408, 415; IX, 599, 604. Baptismum etiam extra Ecclesiam, valere ostenditur ex illo Christi dicto, *Qui contra vos non est, pro vobis est.* IX, 313. Baptismum non accipiunt mali si non accipiunt hæretici. IX, 228, 229, 235, 244. Baptismus etsi sit apud Donatistas, non sequitur tamen illic accipiendum esse. IX, 460, 462, 466, 467, 550. Aqua præter Ecclesiæ societatem, non solum non valet ad salutem, sed valet potius ad perniciem. VIII, 263, 264, 265. Qui per baptismum nascitur de Ecclesia catholica, tanquam de Sara nascitur: qui nascitur de bæresi, tanquam de ancilla, sed ex semine Abraham. III, 1477. Baptismus ubicumque conferatur, venerandus est. II, 301. Ex duobus in errore pari ac malitia constitutis, qui foris baptizatur, pejor est quam qui intus. IX, 169. Baptizari in schismate qui eligit, baptismum sciens non recte ibi dari, perversus et iniquus est. IX, 110, 111, 112. Certa incertis præponenda cum agitur, ubi baptismus recte accipiatur. IX, 115. Propter pacem Ecclesiæ non putat Cyprianus eos ab Ecclesiæ muneribus separandos, qui extra eam baptizati sunt. II, 359.

Baptismus apud hæreticos collatus valet, nec iterandus est. II, 362; V, 462, 797. Necesse non est ut rebaptizentur Donatistæ qui ad Ecclesiam catholicam transeunt. II, 345. Hæresum sectatores, imo et conditores, in catholica baptizati, si redeant non rebaptizantur. IX, 225. Post illos, qui baptismum dederunt, quamvis hæreticos et perversos, non baptizatur, quia non eorum, sed Christi baptismus est. II, 343, 344. Qui baptismum super baptismum imponit, lapidem super lapidem ponit, sed qui destruetur. IV, 433, 1229. Qui rebaptizat, non facit ut baptismus non habeatur, sed ut ad pœnam habeatur. IV, 432. Baptismum non iterandum venientibus ab hæreticis, apta similitudine ostenditur. IV, 181; V, 797. Urgentur Donatistæ, quod Catholicos rebaptizent. IV, 134. Baptismum iterato dantes Donatistæ, baptizandum docent ut se Christianum non esse profiteatur. IV, 432, 1895. Baptismus non potest repeti. III, 1477, 1485; IX, 70, 72. Baptismus non propterea debet repeti quoties peccatur. X, 435. Rebaptizatio grande scelus. IX, 54. Sicut in Judæis, cum Christiani fiunt, non bona Dei destruenda, sed mala ipsorum; ita et in schismaticis vel hæreticis, cum catholici fiunt, non Sacramenta violanda, sed schisma aut bæresis

rescindenda. IX, 596. Baptismus impie iteratur propter traditionis crimen aut ignotum, aut non probatum. IX, 515. Baptizandum non est post hæreticos, si non baptizatur post ebriosos, luxuriosos, etc. IX, 218, 457. Baptisma ab hæreticis aut a malis datum non repetendum ostenditur. *tom.* IX *lib.* 3 *et* 4 *de Bapt.* Baptisma non iterandum in illo qui male credidit. IX, 77. Baptizatos foris, Ecclesia suscipit. IX, 186. Baptismum non iterandi consuetudo Ecclesiæ. IX, 226, 227, 234, 237. Et baptizatos in hæresi vel schismate non rebaptizandi. IX, 219, 220, 491. Etiam ante Cyprianum. IX, 145. Et ex Apostolica traditione veniens. IX, 133, 134, 135, 159, 170, 194. Hanc quasi cœpit corrigere vel potius corrumpere Agrippinus prædecessor Cypriani. IX, 133. Et Agrippini auctoritate mutavit Cyprianus. IX, 159. Rebaptizare hæreticos, ut voluit Cyprianus, tunc fuit humani erroris ; rebaptizare Catholicos, quod adhuc Donatistæ faciunt, semper est diabolicæ præsumptionis. IX, 606. Baptizatos extra Ecclesiam denuo non baptizandos censuit Ecclesia Catholica, antequam esset pars Donati. IX, 465. Si baptismum non habebant, qui apud hæreticos baptizati sunt, cum ad Ecclesiam sine baptismo admissi sint, unum ex duobus fatendum est, aut periisse tunc Ecclesiam, aut non obesse aliena etiam nota peccata. IX, 175. Ab hæreticis venientem, denuo baptizatum, in Scripturis canonicis probare non possunt Donatistæ. IX, 465. In Scripturis nec schismatici inveniunt hæreticos ad Catholicam venientes denuo baptizatos, nec catholici hæreticos in baptismo quem in hæresi acceperant fuisse susceptos. IX, 604. Baptismum iterandum esse non sequitur ex eo quod post Moysen aut Joannem Apostoli baptizarunt. IX, 501, 563, 599, 606. Cur post baptismum Joannis baptizavit Paulus. IX, 181, 183. Testimonia Evangelica ad adstruendam baptismi iterationem solvuntur aut explicantur. IX, 601, 602. De baptismo post hæreticos iterando necne, nihil præceperunt Apostoli. IX, 192. Baptismum non iterandum quomodo ex Apostolis habeamus. IX, 605. Baptismum non iterandi consuetudo jam plenario Concilio firmata est. IX, 158, 159, 162, 190, 192, 197, 199, 206, 219, 223, 232, 234. Hæreticos non rebaptizandos Ecclesiæ Deus revelavit. IX, 221. Ex hæresi venientes non rebaptizandos vel ipsi Donatistæ consentiunt. IX, 745. Baptizatos a schismaticis suis recipiebant Donatistæ. IX, 251, 253. Baptismus in parte Cæciliani collatus optimus ostenditur contra Donatistas. IX, 69. Aut post Primianum baptizare debent Donatistæ, aut non debent post Cæcilianum. IX, 520. Si pro unitate partis Donati baptizatos in schismate nemo rebaptizat, pro unitate Christi lex vera et plenaria illius hereditatis deberet agnosci. IX, 509. Baptismi iterationem occulta nescio qua inspiratione Dei, homines detestantur. IX, 180. Etiam ipsi hæretici. IX, 180. Baptismi iterationem perversam esse, ex ipso Cresconio Donatistarum ostenditur. IX, 469, 470, 471. Rebaptizare non debent neque hæretici neque Catholici, sed ex diversa causa. IX, 145. Baptismus cur non iteratur a Catholicis. IX, 546. De iis qui de hæresi in Ecclesiam sine baptismo admissi sunt, quid senserit Cyprianus. IX, 490, 492. Hæretici qui ideo vellent ad Ecclesiam venire, quia baptismum non habere putarent, quomodo erudiendi. IX, 179. Utrum pernitiosius sit non baptizari, quam rebaptizari. IX, 158.

Baptismus ab hæreticis aut malis datus integer est. IX, 207, 244. Sed non prodest ad salutem. IX, 110, 144, 170, 233, 236, 239, 257, 457, 756. Nec recte datur. IX, 110, 111. Baptismum legitimum possident hæretici et perversi, sed non legitime. IX, 180, 186. Legitime habent cum ad unitatem catholicam, aut ad vitam tanto sacramento dignam convertuntur. IX, 180, 186. Baptizatis extra Ecclesiam cum ad illam redeunt, tum accedit, quæ nisi intus dari non potest, unitas Spiritus. V, 462. Baptizati extra Ecclesiam an ad veniam pertinent. IX, 138, 146. Baptismus tanto magis valet ad exitium separato, quanto magis posset ad salutem valere conjuncto. IX, 200. Baptismum habere possunt hæretici et mali, sed non habent remissionem peccatorum. IX, 227, 228, 232, 238, 244. Baptismus extra Ecclesiam datus non prodest ad remissionem peccatorum, nisi cum quis unitati reconciliatus fuerit. IX, 119, 121, 200. Baptismo etiam in schismate dato dimittuntur peccata, replicantur tamen propter perseverantiam in schismate. IX, 120, 227. Non tamen oportet rebaptizare. IX, 120, 121, 227. Baptismus ad irrevocabilem peccatorum remissionem non valet extra Ecclesiam. IX, 146, 147, 149, 150. Unde per malos ministros intra Ecclesiam datus, peccata dimittit. IX, 149. Baptismus Ecclesiæ potest esse extra Ecclesiam, munus autem beatæ vitæ nonnisi intra Ecclesiam. IX, 155. Apud hæreticos valet et sufficit ad consecrationem, non ad vitæ æternæ participationem. II, 362. Baptismum usque ad sacramenti celebrationem hæretici perceperunt, vitam tamen æternam, nisi per unitatis sacramentum, non consequuntur. IX, 155, 219. Baptismi aqua sicut aqua diluvii constitutis intra arcam salutaris, extra arcam vero mortifera. IX, 221. Baptismus tunc incipit prodesse, cum ad Ecclesiam transitur. IX, 109, 113, 487, 711. Baptizatis in schismate quid præstatur, cum ad unitatem redeunt. IX, 372, 551. Baptismus a malis acceptus an peccatorum remissionem operetur. IX, 165, 166. Baptismum dare possunt hæretici et perversi, peccatorum remissionem dare non possunt. IX, 192. Sacramentum interdum danti nocet, accipienti prodest. IX, 488 Baptismum habere et dare possunt boni et mali, boni utiliter, mali perniciose. IX, 199, 200. Baptismum quinam utiliter accipiunt et tradunt, quinam inutiliter. IX, 241. Baptismum qui dant caritatem unitatis non habentes, ad perniciem suam dant. IX, 71, 72. Fidelem inter perfidumque plurimum distat, non ad sacramentum, si uterque dat aut habet, sed ad meritum. IX, 560, 562, 563.

Baptismum dare possunt boni et mali, abluere autem conscientiam nonnisi Christus. IX, 482. Baptismi minister non justificat, sed Christus. IX, 249, 260, 261. Baptismi sacramentum corporaliter opere ministrorum adhibetur, sed per hoc Deus hominis consecrationem spiritaliter, operatur IX, 192. Hominis in baptismate consecratio unica Christi est. IX, 596. Qui ab hæreticis aut iniquis baptizantur, si non falso corde convertuntur, a Christo baptizantur. IX, 219. Christus baptizat non visibili ministerio, sed occulta gratia. IX, 379, 385. Non aqua visibilis sufficit ad mundandum ; requiritur præterea fons ille signatus, cui nemo communicat alienus. IX, 476. Aqua exhibens forinsecus sacramentum gratiæ, et Spiritus operans intrinsecus beneficium gratiæ, regenerant hominem. V, 312. Quæstiones variæ de accipientibus, aut tradentibus baptismum veraciter aut fallaciter. IX, 242. In quæstione de baptismo erraverunt multi in Ecclesia. III, 1422. Concilia duo facta in Africa de quæstione baptismi. IX, 144. Ad baptismum exhortatio. V, 754, 1555.

Baptismi virtus. VIII, 572 ; IX, 165. Effectus. X, 570, 847. Sine eo non intratur in regnum cœlorum. I, 857. Baptismum ipsum nihil aliud quam salutem vocant Christiani Punici. X, 128. Ad baptismum currebant Catechumeni in periculis. VII, 674. Baptizati in Oriente et Africa multi ob terræ motum. V, 136. Baptismus Christi omnia peccata delet. V, 53, 382, 385, 390, 401, 752, 1064, 1537, 1635 ; VI, 262, 288, 659 ; VII, 40 ; X, 430, 600, 688. Baptismus dat omnium indulgentiam peccatorum et auert crimina, non radit. X, 562, 563. Perfecta mundatio non in Joannis, sed in Domini baptismo est. II, 178. Nemo eorum qui ad Christum accesserunt per baptismum, exceptus est a gratia remissionis peccatorum, X, 140. Post baptismum, homo mundus est totus I.I, 1789, 1790. De fonte Christi consecrata in sanguine tota pulchra ascendit anima. VI, 689. Baptismus a nobis expellit exterminatorem, si cor nostrum recipiat salvatorem. III, 1759.

Baptismus quatenus parvulis prosit et adultis. X, 125. Baptismus parvulorum. IX, 174. Quid valeat. IX, 175. Baptizatis gratia collata. V, 1003. Parvulis in baptismo latenter gratia infunditur. X, 114. Innovantur parvuli in baptismo. X, 1077. Per baptismum etiam in infantili ætate originalis peccati pœna solvitur. III, 419. Per baptismum, commendante Ecclesiæ caritate, a damnatione liberantur ante usum rationis morientes. II, 364. Sacramento regenerationis imbutus moriens ante usum rationis non perit. VI, 288. Qualiter per baptismum evacuetur peccatum in parvulis similiter et in adultis. X, 150. Baptismi Sacramento abluitur omnis reatus peccatorum, qui in decem Legis præceptis admittitur. VIII, 263 Baptizatus aut sanus de stabulo egressus est, aut sanus in stabulo est. X, 276. Qui sacramento baptismi recte abluitur, spiritualiter et in carne et in anima mundatur. III, 756. Baptismi effectus est, ut reatus peccatorum præteritorum solvatur in omnibus, et in grandibus etiam sanetur voluntas et præparetur a Domino spiritu fidei et caritatis. I, 604. Non solum peccata, sed et ipsa desideria vitiosa baptismatis lavacro purgantur. X, 407. Et si in baptismo plena perfectaque remissio fiat, non tamen plena renovatio. X, 177.

Baptismus omnia delet peccata, non tamen omnem mox sanat infirmitatem. V, 752 ; X, 590. In baptismo, vitiorum reatus solutus est, manet infirmitas. X, 682, 685. Remittitur culpa, non languor quem culpa meruit. VI, 360. Baptismus concupiscentiam non aufert. X, 678, 1116. Sed reliquit sine reatu. V, 391, 752, 820, 1537. Scil. ad pugnam. V, 391. Hinc baptizatis sanctis pugnandi necessitas, unde. X, 679, 856. Baptizati quamvis peccato mortui, habent quod in se mortificent. X, 846. Etiam ipsis baptizatis cura contraria est, ac proinde gratia necessaria. X, 276, 280. Quatenus baptismus a concupiscentiis solvit. X, 846. Juvenis carnalem concupiscentiam non domabit, nisi adjutus sacramento baptismi. III, 419. Augustini amicus nesciens baptizatus mirum in modum animo mutatus est. VI, 686 Regeneratio plus præstat, quam generatio. X, 1185, 1188 Baptismo accepto hominem non posse peccare docebat Ja-

vinianus. VIII, 45, 46. Non solum potest homo peccare post baptismum, verum etiam quamvis venialia, tamen aliqua peccata committit. X, 1117. Baptismus est unus, sed in oratione accipimus unde quotidie lavemur. V, 401. Propter quid baptizati orant, *Dimitte nobis debita nostra*. X, 563. Baptizati solvuntur reatu malorum quæ remanent post baptismum. X, 853. Generatio ex Adam uno delicto obligat, regeneratio ex Christo tam illud, quam quidquid postea ex iniquis operibus humanæ conversationis accedit, solvit. II, 679. Baptismo universus reatus est solutus, cum omnibus quæ illi obedientes, fecimus, diximus, cogitavimus; nec nobis deinceps obesset languor unde illicita desideria commoventur, si illis numquam obedientiam præberemus. IV, 1507. Omni peccato caret baptizatus, non omni malo. X, 850. Vis consuetudinis non deponitur in baptismo. X, 666. Baptismus non nos eximit pœnis hujus vitæ. VII, 728.

Baptismatis sanctitate non solum peccata, sed mala prorsus omnia tollenda. X, 435. Cur non statim eruuntur baptizati omnibus malis. X, 1179. Nec statim eis datur resurrectio sanctorum. X, 1180. A quibusnam malis perfecta sanitas et novitas in baptismate perficitur. X, 855. Absurda quæ sequuntur ex illa sententia, quæ nulla mala in baptizatis remanere tenet. X, 853. Baptismatis beneficio ad futuri etiam sæculi perfectionem pervenitur. X, 844. Baptismo omnis peccatorum remissio, plenaque in resurrectione sanatio et ab omni malo liberatio, accepta referri debet. X, 434, 591. Infirmitas quæ post baptismum remanet, resurrectione consumetur. X, 590.

Baptismo sanctificatur et corpus. X, 844. Baptizati corpus restauratum est ad statum primi hominis ante peccatum. VI, 694. In baptismate ægri multi sanati. VII, 764.

Baptizati recens dicti dies. V, 1092. Dicti infantes. V, 1092, 1099, 1101. Quare sic vocentur. V, 1101.

Baptizari in morte Christi quid. X, 824. Baptizari in Christi morte nihil aliud est, quam peccato mori. X, 660. Baptismus mortis ac resurrectionis Christi similitudo in parvulis ut in majoribus. VI, 256. In baptismo nullus non moritur peccato. VI, 253. In baptismo parvuli peccato moriuntur. X, 824, 827, 830, 1239. Mors mystica in baptismo. X, 683. Baptismus datur ut et moriamur et reviviscamus. VI, 253. Qui in morte Christi baptizantur, moriuntur peccato, ut Deo vivant. VIII, 744, 745. Baptismum qui desiderat, vitam novam concupiscit. VI, 677. Baptizatus signatus est regio caractere. II, 307. Baptizatus quietem et operationem Dei imitari debet. III, 305. Baptizati hic et adhuc filii sæculi, et tamen filii Dei, quomodo. X, 157, 844. Baptismo parvuli qui abluuntur, eliguntur de mundo. X, 823. Tunc tempus est post baptismum cavendi omnia futura peccata, cum omnia sunt deleta præterita. VII, 40. Post baptismum major est delictorum reatus. I, 669. Baptizati recens monentur, ut morum innocentiam præ se ferant. V, 1560. Bonos Christianos imitentur, non malos. V, 796, 1092, 1094, 1102, 1670.

Baptismus non omnibus prodest. IX, 462. Ubicumque est ipse est; sed non ille qui accipit, ubicumque est ipse est. II, 301. Commune est lavacrum regenerationis, sed ipsa gratia non communis est omnibus. IV, 984. Baptismo Christi potest homo baptizari, et tamen non fieri in eo remissio peccatorum. IX, 118, 119. Baptismum Christi quisquis habet, non propterea de peccatorum remissione securus esse debet. IX, 218. In baptismo Christum induunt usque ad sacramenti perceptionem et boni et mali, usque ad vitæ sanctificationem solli boni. IX, 193. Baptismus aliis in vitam, aliis in mortem. IV, 1760. Quosnam vivificat, vel non. IX, 189. Baptismum qui recipiunt, et sæculo verbis et non factis renuntiant, verum habent baptismum, sed non vivificantur. IX, 189. Baptismus tamquam character infixus ornat militem, convincit desertorem. IV, 433. Baptizatos ubicumque et quomodocumque, gratiam baptismi non consequi, quomodo intelligendum. IX, 167.

Baptismum habere eos qui ubicumque et a quibuscumque illum verbis evangelicis consecratum, sine sua simulatione et cum aliqua fide accepissent, sed sine caritate, non prodesse, Aug. sententia. IX, 243. Sacramenta, scientia, prophetia, fides, magna quidem sunt, quamvis nihil ille sit qui ea sine caritate habuerit. IX, 601. Baptismus sine caritate nihil prodest. III, 1432. Qui fictus ad baptismum accedit, an accipiat remissionem peccatorum. IX, 119. Baptismum Christi potest quisque sine contagione mali ministri percipere, qui bona fide accedit ad Christum. IX, 586. Baptismo eodem et boni catholici salvi fiunt, et mali catholici vel hæretici pereunt. IX, 198.

Baptismus ab hæreticis datus aut a malis, nec ipsis prodest nec accipientibus, nisi mutentur. IX, 156, 157. Ex baptismo et conversione cordis salus completur, unum tamen sine altero esse potest. IX, 176. Baptismus sine justitia non perducit ad regnum, nec vicissim. IX, 457. Præcepta duo de dilectione Dei et proximi, a nonnullis male dicuntur referri, alterum ad baptizandos, alterum ad baptizatos. VI, 207. Baptismum sine mandatorum observatione sufficere ad vitam, male quidam putabant. VI, 210. An baptizati peccatores exituri sunt de gehenna. VI, 149, 154. Baptizatis omnibus, etiam hæreticis, quidam promittunt liberationem ab æterno supplicio. VII, 755. Quidam solis baptizatis apud Catholicos quamvis male viventibus. VII, 741, 742. Pœna transitoria baptizatis scelerate viventibus non promittenda. VI, 226. Baptismo nisi vita respondeat, non obtinebitur regnum cœlorum. VI, 227.

Baptismi forma seu ritus. II, 97; X, 145. Baptizandi parvuli ad Ecclesiam deferuntur. V, 1333. Ordo curationis erga baptizandos tenendus. VI, 221. Ad baptisma recipiendum fides necessaria. VI, 649. Baptismus non prodest, si desit fides. III, 736. Baptizandus interrogabatur utrum ad Deum converteretur et in illum crederet. IX, 352. An sæculo renuntiaret. IX, 190. Cur pro eo qui respondere potest, non debet alius respondere. IX, 175. Baptizandis symbolum tradebatur, reddendumque reposcebatur, VI, 206. Pueri septennes cum baptizantur, reddunt symbolum. X, 481, 517. Baptizamur regulam fidei confitentes. V, 1614. Fidei professio de loco eminentiori coram fidelibus memoriter fieri Romæ consueverat a baptizandis. I, 751. Ab offerentibus infantem ad baptismum, citra mendacium respondetur ipsum fidem habere propter fidei sacramentum, et convertere se ad Deum propter conversionis sacramentum. II, 364. Infantes per eos fiunt credentes, a quibus baptizandi offeruntur, et per eos increduli, qui eos, dum nihil prodesse credunt, offerendos esse non credunt. II, 870, 984. Parvulis accommodat Ecclesia aliorum pedes ut veniant, cor ut credant, linguam ut fateantur. V, 950. Si dixeris eum quem offers habere quod in illo salvum fiat, confitendo deles; si dixeris, non habet; negando tenes. V, 950. Si hanc fidem in corde non habueritis, pro quibus respondetis, negando occiditis. V, 944. Quo sensu dicat Cyprianus parentum sacrilegiis amisisse parvulos quod fuerant consecuti. II, 361.

Baptismo præmittenda pœnitentia de suis prioribus peccatis, quæ tamen non est utilis, nisi etiam baptizentur. II, 1088. Sicut et post baptismum si post illum peccaverint. II, 1088. A Petro non sola fides, sed et pœnitentia baptizandis indicta. VI, 204. Pœnitentia non solius infidelitatis, sed vitæ veteris quæ mutanda in novam. VI, 204. A baptismo prohibebantur pertinaces adulteri et meretrices. VI, 150, 470. Prohiberi pertinaces malos a baptismo, non novum. VI, 219. Error quorumdam, omnes citra discrimen, etiam adulteros notos et pertinaces admittendos ad baptismum. VI, 197. Morum doctrinam nonnisi post baptismum esse tradendam. VI, 197. Et propter fidem Christianam salvandos omnes baptizatos, etiamsi mores quantumlibet malos non correxerint. VI, 197. Triplex hic error refellitur. VI, 202. Baptizandi quid cavere, quid amare, pro quibus debeant orare, VI, 692. Abstinentia, jejunium, exorcismi, et continentia, præparationes necessariæ ad baptismum. VI, 202. Baptizandis exponitur Psalmus XXII. V, 1646.

Baptizandi diabolo renuntiant. II, 889; X, 403, 427. In baptismo exorcismus et exsufflatio. II, 890; VI, 628; X, 649, 653. Cur baptizandos exsufflet et exorcizet Ecclesia. X, 1073, 1078, 1079, 1081. Signo crucis baptismatis unda consecratur. V, 1064; X, 861. Aquæ virtus per consecrationem verbi. VI, 694. Baptismus Christi non est, si verba Evangelica quibus symbolum constat, illic non fuerint. IX, 214. Baptismus sine certis illis Evangelicis verbis non potest consecrari. IX, 214. Facilius inveniuntur hæretici qui omnino non baptizent, quam qui non illis verbis baptizent. IX, 214. Baptismum non vitiat perversa Evangelicorum verborum seu ministri seu accipientis intelligentia. IX, 166, 167, 168, 170. Error qui per imperitiam in verbis illis contigit, non evacuat integritatem sacramenti. IX, 213, 214. Vitium precis superat affectus precantis. IX, 214.

Baptismus unum. VI, 706. Qui Baptismum duplicare volunt, duplicia corda necesse est requirant. II, 97. Baptismum tribus gradibus consecratum dicere, error magnus. IX, 284, 285. Baptizatus, unctus oleo. VI, 693. Imponitur ei manus. V, 1147. Spiritus sanctus invocatur super eum. V, 1163. Baptismus parvulorum et communio. V, 943. In baptismo osculum dabatur infantibus. X, 625. Baptismus ante octavum diem conferendus. X, 625. Ad baptizandum parvulos octavus dies non exspectandus. X, 190, 191. Baptismi sacramentum, dies Sabbati. III, 305. Baptismus omni die dari potest. V, 1048. Baptismus superstitiosus in mari die natali S. Joannis. V, 1021. Baptismus per solemnitates Paschales. IX, 180. Cur baptizandorum numerus major in his diebus. V, 1048. Ex diebus paschalibus septem vel octo infantium Sacramentis deputati. V, 1101. Cur Quadragesimale jejunium ante baptismi Christi celebrationem. V, 1048. Baptizati recens vestibus albis induti. V, 678, 1072. Baptizatorum in vestibus signum Christi apparuit apud Jerosolymam. V, 137. Baptizatorum infantium octavæ. V,

1101, 1196, 1201, *et nota*, 1560, 1669. Graviter puniri solere qui per octavas suas terram nudo pede tetigerint. II, 221. Octava in albis. II, 133. Baptizatorum capita in die octavarum revelantur. V, 1669. Baptizatorum octavo die, quid celebratur. IX, 290. Necesse est ut infans baptizetur vivus. III, 420. Baptismus Catechumenis in ultimo vitæ an dandus non petentibus nec respondere valentibus, diversæ sententiæ. VI, 469. Baptismum dandum sentit Augustinus in casu proposito etiam adulterina conjugia retinentibus. VI, 469. Baptizari pro mortuis quid secundum Julianum. X, 1596. Baptismus quid in Cornelio valuit. IX, 174, 175. An qui baptizati sunt a discipulis Christi ante mortem ipsius, acceperint Spiritum sanctum. VI, 53. Quidam parvulos ad baptismum percipiendum ferunt, quod eos putent hoc remedio temporalem retinere vel recipere sanitatem. II. 361.

Baptismus sanguinis, quis. IX, 276. Baptismi vicem implet martyrium et in articulo necessitatis vera conversio. IX, 173. Nolentium negare Christum, passio pro baptismo deputatur. II, 1087. Supplet benignitas quod necessitas excluserit. IX, 175. Deputatum est baptisma credenti latroni, et pro accepto habitum in animo libero, quod in corpore crucifixo dari non poterat. VI, 53. Baptismus quotidianus. V, 1005.

Baptizari non potest sine ministro. IX, 499. Baptismus mimice et joculariter administratus, an ratus habendus. IX, 243. Baptismum dandi jus in Ordinatione habetur. IX, 71. Presbyterum baptizare solere innuitur. II, 343. Laicus in necessitate baptizat. IX, 71. Baptismus sine ulla necessitate a laico datus, non potest dici non datus, sed illicite datus. IX, 71. Exemplis id declaratur. IX, 71. Baptismus in extrema necessitate etiam ab hæretico vel schismatico accipi potest. IX, 109, 200, 242 Baptismus an dari possit ab iis qui numquam Christiani fuerunt. IX, 242.

Baptismum auferet secundus Christi adventus sicut circumcisionem abstulit primus. II, 96. Mater quædam filios imprecatura, ad sacrum fontem cucurrit. V, 1115.

Baptismum suum habebant idololatræ. IX, 250. Baptismi novi institutor quidam Cœlicolarum major. II, 180.

*Barabbas* culicis nomine intelligitur III, 1529.

Barba virili est ornamento, non munimento, VII, 791. Barba non intelligitur nisi in perfectis. IV, 1756. Virtus divina Christi barba figuratur. IV, 509. Barba significat fortes. IV, 1733. Barbata fortuna. VII, 122.

Barbarismi. VIII, 417. Barbarismus quid. III, 44.

Barbari in Urbis vastatione pepercerunt Christianis propter Christum. VII, 14, 17. Barbaricum tempus. VI, 699.

*Barbarus* servus Dei. II, 698.

*Bardesanes* a quo Bardesanistæ hæretici. VIII, 31, 32.

*Barjesu* magus. IX, 372.

*Barnabas* cum Paulo psallens in vinculis. III, 1935. Barnabæ et Petri simulatio merito a Paulo reprehensa. VI, 536.

*Barnabas* Presbyter. II, 966. V, 1580.

*Barnabam* servum Dei ad Augustinum mittit Pinianus dum a populo ad presbyterium cogeretur. II, 479.

*Baruch*, scriba Jeremiæ. VII, 591.

*Lazan* interpretatur siccitas. IV, 852. Confusio. IV, 852, 1751, 1760.

Basilicæ asylum vel ipsis barbaris venerabile. VII, 14, 17, 20, 45, 110, 113, 170. Confugientes ad loca sancta in direptione Urbis, a barbaris servati. VII, 170. *Vide* Ecclesia

Basilica Celerinæ. V, 316, 959. Basilica Fausti. V, 643, 1202. Basilica Florentia. V, 1597. Basilica Gratiani. V, 849. Basilica Honoriana. V, 889. Basilica Leontiana. V, 1201, 1207. Basilica Major. V, 1194. Basilica majorum Carthagine. V, 209, 902, 1535; X, 334. Basilica Martyrum Scillitanorum. V, 840. Basilica viginti Martyrum. V, 799. Basilica ad octo Martyres. V, 1522. Basilica Novarum Carthag. V, 111. Basilica Petri Carthag. in regione tertia. V, 116. Basilica Restituta Carthag. V, 132, 185, 559, 643, 1257. Basilica Tricillarum. V, 364.

Basilicarum forma. III, 660.

Basilicæ apud Carthaginem incensæ a Donatistis. IX, 709.

*Basilides* a quo Basilidiani hæretici. VIII, 26. Basilides primus ausus est dicere Deum quem Judæa gens coluit, non fuisse verum Deum. VIII, 664.

Basiliscus nutu quodam regali inter serpentes excellere dicitur. IX, 54. Basiliscus rex est serpentium, sicut diabolus rex dæmoniorum. IV, 1168.

*Basilius*, natione Græcus. VIII, 668. Episcopus Cæsariensis. X, 865. An Basilius faveat negantibus originale peccatum. X, 650. Basilii testimonium pro peccato originali. X, 652. Basilii sermo de Jejunio. X, 652. Liber contra Manichæos. X, 649.

*Bassus* Syrus. VII, 767.

*Basterna*. II, 75.

Bastaga, ferculum. II, 181.

*Bathanarius* comes Africæ. VII, 714.

Batorum amaritudo. V, 1505.

*Baetem* consuli panegyrum Mediolani dixit Augustinus. IX, 362.

Beatitudinem omnes appetunt. I, 792, 795, 1220, 1512; IV, 293; V, 365, 366, 1401; VII, 277. Beatitudinem, Æternitatem, Veritatem quærunt omnes. VIII, 887, 1018, 1034. Beati esse omnes volunt. X, 1521, 1524. Etiam perditi. II, 497. Mali propterea sunt mali, ut sint beati. IV, 1502. Ideo volunt mali esse, ne miseri sint. IV, 203. Beatos omnes esse velle, et ipsi hujus sæculi Philosophi, et Academici de rebus omnibus dubitantes, coacti sunt confiteri. X, 1567. Propter beatitudinem omnium philosophorum invigilasse videtur industria. VII, 226.

De beatitudine quanta varietas voluntatum. VIII, 1018, 1019. In sola veri inquisitione illam ponebant Academici. I, 908. Beatitudo in animo non est, ut contendebant Stoici. II, 439. Philosophi falso in doloribus et cruciatibus sapientem beatum esse asseverarunt. II, 667, 668. Beatitudo Philosophorum superborum ridenda et miseranda. VIII, 1021. Non ille beatus dicendus, qui secundum suam vivit voluntatem. II, 497. Beatitudo non est vivere ut quisque vult. VIII, 1019, 1020. Præclara ea de re Ciceronis sententia. VIII, 1019. Beatitudo in quo sita secundum Ciceronem. VIII, 1016. De beatitudine præclarum Plotini dictum. VII, 271.

Beatitudo quid sit. V, 1401. Beatitudo, bonorum omnium summa et cumulus. IV, 72. Beatitudinis notitia impressa est mentibus nostris. I, 1254. Beatitudo est adipisci summum bonum. I, 1254, 1260. Bonum summum id dicitur quo cuncta referuntur. II, 438. Vita beata in eo constituitur quod propter se diligendum est. III, 26. Beatitudo in fruitione veri et summi boni consistit. VII, 233, 703. Eo fruendo quisque beatus est, propter quod cætera vult habere, cum illud jam non propter aliud, sed propter se ipsum diligatur. II, 438; VII, 621. Beatitudo inhæsio summo bono. VIII, 950.

Beatitudo est Deus ipse. I, 848, 965, 968; II, 505; VIII, 163, 554. Beatitudo hominis Deus, vel notitia Dei. II, 840. Consecutio Dei. I, 1315, 1319. Fruitio Dei. I, 587. Inhærere Deo. I, 795. Gaudere de Deo ad Deum propter Deum. I, 795. A multis ad unum currere, et apud unum manere. V, 587. Beatitudo est gaudium de veritate. I, 795. Perfecta cognitio veritatis qua est fruendum. I, 976. Beatitudo in sola visione Dei est certa et perpetua. III, 1288. Unde fiat perpetua. V, 663. Beatitudo hominum et Angelorum ex Deo solo. VII, 217, 220, 269, 279, 280, 290, 549, 656. Et hoc agnoverunt Platonici. VII, 279, 290.

Beata vita Epicureo est voluptas corporis. Stoico virtus animi, Christiano donum Dei. V, 812. Nihil magis Dei donum dicendum est. I, 962. Beatitudo, in opibus non consistit, etiamsi quis se eas non amissurum certo sciat. I, 965. Beatitudinem in bonis terrenis non ponunt, nisi qui non pertinent ad regenerationem filiorum Dei. II, 669. Non ille beatus dicendus qui salutem temporalem in se ipso, vel in aliis quos diligit, fuerit adeptus. II, 498.

Beatam vitam nemo novit et miser est. VI, 24. Conditiones duæ ad beatitudinem, fruitio boni incommutabilis, securitas de non amittendo illo. VII, 528. Beata vita non est nisi æterna sit. V, 1403; VI, 24; VIII, 605. Beatitudinis æternæ promissiones in Prophetis. VII, 755. Beatitudo, æternitas, veritas, felicitas. VII, 569. Æternitas et securitas ad beatitudinem requiritur. V, 1401; VII, 327, 360, 370, 433. Beatitudinis non secura possessio, amorem Dei destruit. VII, 571. Beatitudo fallax et falsa, in qua miseria futura aut ignoratur, aut timetur. VII, 571. Beatus non est qui timet ne amittat quod possidet. I, 965. Qui præscit se in miseriam casurum. X, 932, 933. Beatitudinem futuram esse vere sempiternam non argumentationibus humanis, sed fidei auxilio didicimus. VIII, 1023. Beatitudinis perfectæ immortalitas sola potest implere mensuram. VIII, 607, 1022. Beatitudinis immortalitas ex filii Dei incarnatione credibilis fit. VIII, 1023.

Beatitudo futuræ vitæ perfecta. VIII, 1018. In civitate superna nulla erit toleranda calamitas, nulla frænanda cupiditas, sed sola Dei et proximi retinenda caritas. II, 525. Ibi vita, ibi dies boni, ubi nihil concupiscit adversus spiritum, ubi non dicitur, pugna, sed gaude. IV, 1862. In beatitudine, nec quod pugnet erit, nec quod titillet; totum cedet in pace. IV, 1860. Ibi non relinquetur nec in animo nec in corpore, quod rebellet adversus amorem Dei. IV, 1862. In beatitudine victoria, veritas; in beatitudine dignitas, sanctitas; in beatitudine pax, felicitas; in beatitudine, vita, æternitas. VII, 78.

Beatitudo in hoc mundo non reperitur. I, 701. Beatitudo vera non est hujus vitæ. VII, 435, 628, 651. Non est hic quærenda. 1106, 1503. Non est hic quod quærimus. VIII, 887. Beata vita ubi quærenda. V, 1106. Nulla hic beata vita, nisi qua in philosophia vivitur. I, 928. Beatitudo qualis potest esse in hac vita. VII, 656. Beatitudo spe tantum in hac vita tenetur. VII, 651, 648. Beatitudo hic perfecta quæ sit. V, 1179. Beatitudo nostra in hac vita intrinseca est. III, 1256

Beatitudo in vita sociali non hic reperitur. VII, 631.

Beatitudinem non omnes qui volunt, adipiscuntur. II, 393. Nec erratur illam appetendo, sed ad illam tendendo. I, 1254. Cur tam pauci ad illam perveniant. I, 1237. Multi adipisci eam non tantum volunt quantum sat est, ut valeant. I, 793. Beatitudinem omnes quidem concupiscunt, sed quonam modo ad eam perveniatur, plurimi nesciunt. IV, 1502. Id sine quo ad illam non pervenitur, pauci volunt. IV, 1502. Nosse quomodo homo possit esse beatus vera scientia, et omnibus anteponenda. II, 436. Homo peccato beatitudinem amisit, non tamen amisit illius recuperandæ facultatem. I, 1280. Ad beatitudinem non invenitur via certa sine divina auctoritate. VII, 600. Ad beatitudinem tendendum per fidem. VIII, 1020, 1033. Ad eam tendit qui bene vivit. I, 1321. Ad eam per bona opera pervenitur. I, 976, 1018. Beatus esse non potest nisi qui notitiam Dei habeat et imitationem. VII, 233. Deus unus colendus ad beatitudinem obtinendam. VII, 280. Via ad beatitudinem, similitudo cum Deo. VII, 271. Beatitudinem quemquam assecuturum negant Platonici, qui non incommutabili Deo puritate casti amoris adhæserit. VII, 277. Ad beatitudinem via, Christus. V, 813. *V.* Felicitas. Beatitudo et immortalitas haberi non potest nisi per Christum. X, 747. Ad patriam cœlestem et unam viam esse, et multas vias Scripturæ exhibent. II, 393. Beata vita si non amatur, non habetur. VII, 433. Regum, Principum, etc., labor in procuranda populis quiete inutilis ad vitam beatam, nisi curent ut hæc ipsa quies ad Dei cultum referatur. II, 680. Beatitudinis nomen, etiam ad homines in diversis conditionibus constitutos, extenditur. VII, 328. Beatitudo carnalis in veteri Testamento promissa, spiritalem in novo exspectandam docebat. VII, 539. Beatorum vita significata est paradiso corporali in quo Adam fuit. III, 478.

Beatus quis. I, 989. Ille beatus est qui non eget, hoc est, qui sapiens est. I, 976. Veritas perquirenda si beati esse volumus. I, 919. Ut quid vultis beati esse de infimis? sola veritas facit beatos, ex qua vera sunt omnia. IV, 79. Beatus ille qui ad summum modum per veritatem pervenit. I, 976.

Beatum faciunt duæ res, bene velle, et posse quod velis. VIII, 1020. Beatus non est qui quod vult non habet, nec tamen omnis qui quod vult habet, beatus est, I, 964. Ille beatus dicendus qui omnia quæ vult habet, nec aliquid vult male, VIII, 1020, 1021. Aut quod non decet. II, 498. Velle quod non deceat miserrimum est, I, 964. Quare magis eligunt homines, cum utrumque non possunt, ut omnia quæ volunt habeant, quam ut omnia bene velint, etiamsi non habeant. VIII, 1020. Beatus neque ille dici potest qui non habet quod amat, qualecumque sit, neque qui habet quod amat si noxium sit, neque qui non amat quod habet, etiamsi optimum sit. I, 1312. Vere est beatus, non qui id habeat quod amat, sed qui id amat quod amandum est. IV, 202. Et qui eo fruitur, quod est optimum. I, 1312. Beatus non est continuo dicendus, qui eo fruitur quod amat. VII, 233. Beatus nullus nisi qui virtute aliisque bonis sine quibus virtus esse non potest, fruitur. VII, 626. Beatus nemo nisi eo pervenerit, ubi mori, falli, offendi omnino non possit. VII, 433. Beatus nullus, nisi justus. VII, 433. Beatus populus, quis. V, 206. Beati spe qui scrutantur testimonia Dei, non quia scrutantur, sed quia inventuri sunt quod exquirunt. IV, 1503.

Beatus fieri a se non potest homo. VI, 672. Philosophi in hac vita beati, et a se ipsis beati fieri, mira vanitate voluerunt. VII, 627. Beati volunt esse omnes habendo aliquid, sed fieri non potest ut res deterior te faciat esse beatum. IV, 293. Hoc solo beati eritis, re meliore quam vos estis; Deus est melior te, qui fecit te. Hoc ama, hoc posside; hoc enim vis, habebis, hoc gratis habebis. IV, 294. Beati nos sumus ex ipso Deo et per ipsum, et in ipso. VIII, 928. Beatos nos fac, Domine, de te, non de auro, non de fundis, etc. V. 651. Non facit beatum hominem, nisi qui fecit hominem. II, 667, 669, 670. Inde necesse est ut fiat homo beatus, unde fit bonus. II, 495. Non aliunde beatus homo, aliunde civitas beata. II, 669, 670. Beati erimus Deum possidendo. IV, 295. Qui me longe positum misericorditer respexit, secum prope positum quomodo beabit? IV, 214. Beatissimos quid facit. VIII, 63, 64, 1061.

Beatorum præmium ipse Deus erit. VII, 801. Beatis spectaculum est ipse Deus. IV, 1901. Beatæ mentis cibus, Deus. V, 709. Beatorum requies et cibus erit veritas. V, 1633. Beate vivere est perfrui Deo. III, 30. Quomodo homo fruitur Deo. VII, 233. Beati non convertuntur in Dei substantiam. X, 265.

Beatorum status. III, 476. Dei domum omnes habent beati, et singuli habent totam. IV, 1061. Cum audis recumbent cum Abraham, etc., non pares ventrem, sed mentem. V, 489. Ubi de beata vita agitur, contrectationum corporalium mentio fieri non debet. VII, 271. Beatorum jucunditas. IV, 1108. Ut natura beatificetur intrinsecus, doctrina ministratur extrinsecus. III, 380. Beati jam in luce veritatis positi. IX, 188. Pax æterna, beatitudo finalis. VII, 636, 637. Hæc superat omnem intellectum. VII, 796. Præmium quod in fine Deus daturus est beatis, non potest verbis explicari. III, 25. Summam in se ipsis, inter se et cum Deo pacem obtinebunt. VII, 797. Beatis Dei fruitio erit bonorum omnium loco. V, 1189. Deus erit omnia in omnibus. V, 376, 867. Quæcumque hic varia quæris, ibi Deus ipse tibi unus omnia erit. V, 376. Beatorum gaudium. VII, 691. In beatitudine erit vera gloria, verus honor, vera pax. VII, 801. Beati ex requie in requiem transibunt. VII, 694.

Beatum hominem faciunt cognitio et actio. VI, 299. Beatus dicitur aliquis, aut habendo aut agendo. IV, 1061. Beati quid habituri, quid acturi sint. IV, 1061. Beatorum actio quænam erit. V, 1147. Beati vacabunt, videbunt, amabunt, laudabunt. V, 1185; VII, 804. In cœlo erit laus Dei sine cessatione, sine fastidio. V, 1147. Beatorum negotium non aliud nisi laudare Deum. IV, 1061, 1062, 1403; V, 235; VII, 801. Et cantare halleluia. V, 1147, 1176, 1186. Perpetua Dei laus erit otiosorum negotium: quo jam nemo accedet, unde jam nemo discedet. VIII, 314, 315. Inest in quiete patriæ non desidiosa segnitia, sed quædam ineffabilis tranquillitas actionis otiosæ. II, 212. Non satiabit beatos laus Dei, amor Dei. IV, 1062. Beati ideo laudant, quia amant; ideo amant, quia vident. IV, 1916. Beati etiam membris corporis Dei laudibus vacabunt. VII, 801. Beatorum tota actio erit dicere Amen et halleluia. V, 1632. Non sonis transeuntibus, sed affectu animi. V, 1632. Beatis nihil jucundius erit cantico in gloriam gratiæ Dei. VII, 805.

Beati visuri sunt Deum in ipso corpore. VII, 797. An per corpus visuri sint Deum. VII, 797. Oculis corporis jam spiritalibus, incorporalia videbunt. VII, 799. Ad omnia videnda non indigebunt oculis corporeis. VII, 798. Oculi corporei habebunt suum officium. VII, 798. Beati se omnes invicem divine videbunt quando Deo pleni erunt. V, 1146. Suas invicem cogitationes videbunt. V, 1145; VI, 387. Omnia videbunt unde absentes sunt corpore. VII, 797. Id quod extra est, cognituri sunt. VII, 784. Cognituri sunt pœnas damnatorum. VII, 784. Beatæ vitæ adesse debet veritas et amicorum cognitio sine metu deceptionis. V, 1404. Beatorum scientia et sapientia erit plena et perfecta. VII, 724.

Beati omnes immortales erunt. VII, 751. Beatorum immortalitas peccato auferri non poterit. VII, 403. Beati non facient opera iniquitatis, quia ibi nulla est iniquitas; non opera necessitatis, quia ibi nulla est necessitas; non opera misericordiæ, quia ibi nulla est miseria. IV, 1062, 1099, 1108, 1941. Beatorum liberum arbitrium quale erit. VII, 802. In beatis erit inamissibilis voluntas pietatis et æquitatis, quomodo est felicitatis. VII, 802. In beatis voluntas, in damnatis facultas non poterit ulla esse peccandi. VI, 283. Quomodo beati malorum suorum obliviscentur. VII, 803. Beatis erit insatiabilis satietas. V, 1633.

Beatitudo quomodo æqualis omnibus et diversa. V, 533. In beatitudine erunt quidam præmiorum gradus. VII, 802. Nulla tamen invidia. VII, 802. Beatorum felicitas, et miseria damnatorum, alia aliorum major. VI, 283. Minores et majores in beatis quinam. X, 225. Sanctorum communis erit vita æterna, qualibet honorum distantia concorditer fulgeant. VI, 285. In vita beata, una erit virtus quæ virtutes omnes complectetur, aut potius quæ ipsa erit virtutes omnes. II, 671, 673. Pro virtutibus quibus constituta in laboribus utitur anima, tales quædam potentiæ in altera ei vita sperandæ sunt. I, 1191. Beatam vitam similes actiones atque virtutes indicant. III, 243. Fides, spes, patientia non erunt in vita beata. III, 479. Beatissimi sunt, quibus hoc est Deum habere quod nosse. II, 840.

Beatitudinis bona conjicienda sunt ex bonis hujus mundi. VII, 792. Ex morte Christi. VII, 792. Pro beatitudine minimum justi laborant, et in ea veraciter semperque regnant. VII, 77. Multi beati, non propter quod adest, sed propter quod aderit. IV, 1504. Beati spe, qui scrutantur testimonia Dei, non quia scrutantur, sed quia inventuri sunt quod exquirunt. IV, 1503. Si beatitudinis futuræ præmia non consolarentur martyres, qui tanta sustinerent? V, 1425. Beatitudo et gloria Martyrum post resurrectionem major. V, 1283, 1454. Beatitudinis adipiscendæ spe, mala hujus vitæ pii fortiter perferunt. II, 668. Hinc in tormentis beati dicuntur. II, 673.

Beatitudo sicut animæ promittitur, sic carni resurrectio. IV, 751. *Vide* Felicitas. Beatitudo etiam corporum merces bonorum operum. X, 239. Beatorum corpus erit plene subjectum spiritui. VII, 802. Beatorum corpora quanta pulchritudine prædita erunt. VII, 781. Beatitudo corporis illa erit plenitudo sanitatis, id est incorruptionis vigor. II, 439. Beatorum corpora, etsi post resurrectionem spiritalia, linguas et voces habebunt quibus divinas laudes deprom̃ant II, 550.

Beatitudo an statim post hanc vitam comparetur an in fine sæculi tantum, magna quæstio est. III, 1351. *Vide* Vita æterna. Beatitudinem an possideant homines sancti defuncti, merito quæritur. VIII, 63, 64. Bene viventes hinc exeunt ad requiem, ad beatitudinem. VI, 677.

Beatitudinem inter et miseriam non est medius status in quo possit esse creatura rationalis. VII, 266.

Beatus Deus vere. VII, 328.

Beatus solus vivit ut vult. VII, 433.

Beate vivere quid sit. VI, 24.

Beatitudinis sola creatura rationalis capax. VIII, 554.

Beatitudinis nostræ perfectio in denario, quia redit ad primum. II, 218.

Beatitudines octo, sunt veluti gradus ad perfectionem. III, 1233. Beatitudines comparantur cum septiformi operatione Spiritus sancti. III, 1234; V, 1525.

*Lebius* unco tractus sparsis visceribus interiit. VII, 107.

Cælestius Constantinopoli damnatus. X, 703. Cælestius et Pelagius damnati a conciliis episcopalibus, ab Innocentio et Zosimo. II, 865. Cælestium et Pelagium in Ecclesia sanari malunt Patres Milevitani, quam desperata salute ab Ecclesia resecari. II, 764, 773. Exempla sententiæ in Pelagium et Cælestium latæ a Conciliis, ab Innocentio, et a Zosimo, Augustinus mittit ad Optatum II, 865. Cælestius catholica communione privatus. II, 894. Qui doctrinam ejus defendunt. II, 785. Damnationi Cælestii et Pelagii qui subscribere neglexerint episcopi, episcopatus amissione multati, interdicta, in perpetuum civitatibus expulsi, communione privantur. II, 927. Præscriptæ in Pelagianos pœnæ addi untur, qui Cælestium et Pelagium propellere aut prodere distulerint. II, 927. In Cælestium et Pelagium nona Imperatorum sanctio. II, 927. Ut Pelagius et Cælestius urbe Roma pellerentur constitutum est. II, 927. Cælestium apud Hilarium (in Sicilia) dogmatizare suspicatur Augustinus. II, 685.

Cælestii definitiones. X, 292, 293. Has refellit Augustinus. X, 292, 293. Cælestii dogmata Pelagio objecta tanquam ejus magistro, sed aliter ab illo intellecta. X, 357. Et ab ipso reprobata. X, 334, 344. Cælestius Pelagio audacior. X, 388. Cælestius apertior et pertinacior hæreticus, Pelagius occultior et mendacior. X, 391.

Cælestiana hæresis ab Augustino et Alypio jugulata. II, 928.

*Cælestiani* hæretici. V, 980. Dicti sunt Pelagiani. II, 685. *Not. a.* Cælestiani et Pelagiani odio habebant Hieronymum, quare. II, 928.

*Cælestinus* diaconus. II, 868. In sede Romana sine ulla plebis discissione constitutus. II, 953.

*Cælestinus* ad quem Libri contra Manichæos mittuntur. II, 85. Cælestinus Augustini amicus. II, 85. Cælestinus Augustini presbyter. II, 429.

*Cælestis* dea apud Afros et Carthaginenses maximo in honore habita. IV, 752, 1270; V, 624; VII, 75. *Not. a.* Sacra deæ Cælestis turpia. VII, 75.

Cælibi sanctæ vitæ concubitus est omnis illicitus, cui conjugalis nec est licitus. X, 1590. Cælibatum servans Daniel, figura servorum Dei. IV, 1731.

Cæli, Samen appellantur apud Punicos. III, 797.

Cælum patrem Saturni, fabulantur. VII, 209. Cælum esse Jovem innumerabiliter affirmant. VII, 210.

Cæli locum igni tribuit Plato. VII, 256. Cælos trecentos sexaginta quinque esse dicebat Basilides. VIII, 26. Alii septem, alii octo, alii novem vel etiam decem perhibent cælos. III, 478. Primum, secundum, et tertium cælum corporale, spiritale, et intellectuale significat. III, 483. Tertii cæli occasione, corporalis et animalis et spiritalis hominis differentias quidam accipi volunt. III, 484. Cælestia spatia quam sint terrestribus latiora, obscurum. V, 1262. Cælesti corpore nihil in corporibus melius. III, 252. Cæli porta quomodo vocetur aliquis locus. III, 570. Cælos stare non putandum ob firmamenti nomen. III, 272. Quæstiones variæ de motu cæli. III, 271. De figura ejus. III, 270. In cælo æthereo pacata sunt atque firmata omnia, infra illud omnia mutabilia sunt et dissolubilia. III, 252. Turbulentæ qualitates hujus cæli inferioris non casibus volvuntur. III, 336. Cælum interius terræ nomine deputatur. III, 336. Cæles aerios diluvio periisse quomodo intelligendum. III, 279. An perituri sunt cæli in conflagratione novissimi judicii. VII, 697. Cæli quinam igne perituri sint, disceptatur inter doctos. IV, 1313. Quomodo cælum fiet novum post judicium. VII, 682, 684.

Cælum cæli est cælum quod non cernimus. I, 826, 830. Cæli cælorum, cæli superiores; cæli inferiores, spatia aeris. IV, 1313. Cæli superiores quomodo sint super invicem, vel quot sint, vel quibus modis distincti, quibus incolis impleti, qua dispositione regantur, multum est ad nos invenire, satagimus tamen illuc pervenire, ubi est patria nostra. IV, 288.

Cæli et terræ nomine intelligitur materia informis initio creata. III, 178, 223, 257, 272, 326. Machina ætherea. III, 255. Universa creatura. I, 815; III, 197, 199, 225, 248, 321, 322, 334, 750. Mundus. I, 1317. Angeli I, 830, 855. Cæli nomine intelligitur spiritalis creatura. III, 252, 258. Spiritales et carnales in Ecclesia. I, 850; III, 264; V, 380, 388.

Cælum undique terram protegens, misericordiæ divinæ figura est. IV, 1331. Cæli nomine significatur Scriptura sacra. IV, 1341, 1909. Cæli sunt libri utriusque Testamenti. IV, 112. Sunt Apostoli. IV, 157, 1473. Unde cæli, homines infirmi. IV, 1959. Cæli Apostoli misericordiam Domini ubique comluerunt. IV, 288. Cæli sunt Evangelistæ. IV, 154, 170. Cæli animæ sanctæ. III, 1256. Cæli sunt sancti. IV, 157, 159; V, 891. Ut pote a terra suspensi, Deum portantes, præceptis tonantes, sapientia coruscantes. IV, 159. Sancti et justi recte cælum appellantur. VII, 698. Cælo justus, terra peccator significatur. IV, 136, 275, 276. Cælum, sancti; terra, terreni. V, 370. Cælum quilibet fidelium esse potest. IV, 1245. Cæli fundamenta dicuntur ii, quibus regnum cælorum superædificatur in sanctis et fidelibus. IV, 1049. Quomodo allegorice intelligendum sit cælum sicut pellis extentum, dixit Aug. lib. 13. Conf. c. 15. III, 271. Cælum æthereum spiritales significat. IV, 1748. Cælum Ecclesia, ipsa terra inimici Ecclesiæ. V, 380, 388, 394. Cælum et terra quomodo in oratione Dominica accipiantur. X, 997. Cælum et terra in dominica precatione, quasi vir et femina convenienter intelligitur. III, 1279. Cælum mens, terra caro. V, 380, 388, 394, 401. Cæli ad serenam intelligentiam veritatis significandam pertinent. III, 264. Per cæli superiora, caritas intelligenda. IV, 1542.

Cælorum regnum variis nominibus exprimitur. III, 1235. Etiam in vetere Testamento promissum est. II, 768. Toto desiderio tendendum in cælum. V, 932. *Vide* Regnum cælorum. Cælum nulli clausum, nisi ei qui se excluserit. V, 1450. Homines a patria cælesti repercutiuntur pravorum morum flatibus. III, 23. Cælum qui vult adscendere, Christo uniatur. IV, 1650. Adscendere vis? adscendentem tene; membrum ipsius esto qui solus adscendit. V, 570. Christus de forma servi stravit viam, de forma Dei condidit patriam. V, 571, 573. Cælum adscenderunt Apostoli. V, 570. Nos

fide, spe et caritate cum capite nostro sumus in cælo; quia et ipsum divinitate, bonitate, unitate, nobiscum est in terra. IV, 205. Cælorum regnum venale Deus proposuit. IV, 1211. Emitur tanti, quantum quisque habere potuerit. IV, 1470; V, 707. Cælum indocti rapiunt. I, 757. Cælum latro primus intravit, Stephanus violenter invasit. V, 1425. Cæli, ubi nulla miseria, non indigent misericordia, indigent tamen Domino. IV, 287. In patria nullus erit orandi locus, sed tantum laudandi. V, 868. In futuro sæculo bene qui erunt, peccare non poterunt. X, 1235.

Cælestis patriæ opus. V, 615. In cæli patria vespere, mane et meridies reperitur, non nox. III, 316.

Cælicolarum major novi baptismi institutor. II, 180.

Cærimoniari. V, 1412.

*C. Cæsaris* bellum adversus Pompeium. VII, 109. Cæsar victor Pompeii clementer exercuit victoriam civilem. VII, 109. Cæsar in domo sua victoria Mariana trucidatus. VII, 107. Tamquam appetitor regni in ipsa curia trucidatus. VII, 109. Cæsar Aug. libertatem jam quidem languidam, omni modo extorsit Romanis. VII, 103. Remp. veluti instauravit ac renovavit. VII, 103. Cæsar nihil oblivisci solitus nisi injurias. II, 528. Cæsaris clementia. II, 528. Cæsar ad Deos immortales sublatus a Romanis. III, 1037. Cæsaris laudem in qua re Sallustius posuit. VII, 155.

*Cæsares* appellati sunt qui Cæsari Aug. successerunt. VII, 577.

Cæsaris vicus. IX, 216.

*Cæsarea* Cappadociæ. V, 1445.

*Cæsarea* urbs Mauritaniæ. II, 857. Cæsariensis provincia. IX, 395.

*Cain* possessio interpretatur. VII, 460, 461. Qua ratione potuerit Cain civitatem ædificare, cum tres aut quatuor tantum homines fuerint. III, 548; VII, 445. Quantum interfuerit temporis inter parentes primos factos et Cain Scriptura non expressit. III, 396. Cain et Romulus qui differunt. VII, 441. Cain reprobus cur prius natus Abele electo. VII, 437, 438. Cain invidia sua Deo odibilis. VII, 444. Ex invidentia diabolica fratrem occidit. VII, 441. Et ex odio. III, 2013. Cain culpa videtur ingens et levis pœna, sed hominum judiciis hoc videtur. X, 1556. Cain corporalem mortem magis timet quam spiritalem. VIII, 260. Vita carnifice punitus est. IX, 34, 319. An maledictio, qua Cain sterilitate terræ punitus est, sit contraria Evangelio. VIII, 134.

Cain filiæ, filiæ hominum dictæ. VII, 469. Cain posteri cur non recensentur in historia sacra. VII, 456. Cain successio in octo ab Adam generationes clauditur. VII. 463. Undenario numero finitur. VII, 465. Cur filiæ inter posteros Cain recenseantur, et non inter posteros Seth. VII, 460. Cain ex Eva matre genuisse cur putatum a quibusdam fuerit. X, 268. Cain sacrificium, veteris Testamenti terrenas opes exprimit. VIII, 258. Cain, filius diaboli. III, 2013. Cain est primus civis civitatis terrenæ. VII, 437, 441. A Cain cœpit civitas Babylonia. IV, 733, 773. Cain accepto signo a Deo, ne occidatur, typus Judæorum. IV, 442, 703, 997. Cain Judæ et Judæorum figura. VI, 688; VII, 445; VIII, 258, 259, 260. Et persequentium justos. VII, 456.

*Caiani* hæretici unde sic appellati. VIII, 28, 29. Eorum dogmata. VIII, 28, 29.

*Caiphas* et Annas ambo Pontifices, alternos annos agere solebant. III, 1955.

*Caius* Cæsar. *Vide* C. Cæsar.

*Caius* Servilius Prætor. VII, 106.

*Calama* urbs. VII, 433, 766. Calamense oppidum. IX, 337, 385, 523, 524. Memoria sancti Stephani Calamam advecta a Possidio episcopo. VII, 766. Miracula quæ Calamæ facta sunt in memoria sancti Stephani a Possidio episcopo illuc advecta. VII, 766, 768. Calamensis colonia. II, 313. Ejus vis et injuria erga catholicos et Ecclesiam. II, 316. Illic cum esset Augustinus, qui se gessit. II, 317.

Calamitatum omnium causa, peccatum. V, 1131. Calamitates publicæ divinæ providentiæ tribuendæ. VII, 15. Calamitatis tempore multitudo objurganda. IX, 95. Impii in calamitatibus positi se justificant, et Deum accusant. IV, 1637.

Calamus Scripturas significat. IV, 836.

Calcaneum diabolus quomodo observat. IV, 548.

Calculonum et librariorum professio velut quædam Grammaticæ infantia. I, 1012.

*Caldonius* episcopus. IX, 192.

*Calibius* junior curator Aptungitanæ civitatis. IX, 540.

Caliginem patitur quam non sentiebat, qui incipit velle capere veritatem. IV, 1933.

*Calligonus* eunuchus ob meretricem attentatam gladio percussus. X, 845.

*Caliphonis* philosophi mens de virtute et vitio. X, 1085, 1084.

Calix an in bonum an in malum accipi debeat, in ℣. 9. Psal. 79, incertum est. III, 80. Calicem salutaris accipere, passiones Domini imitari. IV, 1318. Calicem nisi prius biberet medicus, tangere timeret ægrotus. V, 1455. Calix Dominicus aquam vino mixtam debet habere. III, 111. Aug. loquens de calice aquæ frigidæ, quem Deus dari jubet, frigida hominum pectora inflammavit. III, 106. Calix in manu Domini vini meri plenus mixto quid? IV, 954. Quare peccatorum pœna appellatur calix. IV, 137.

Caloris sedes in jecore. III, 562.

*Calphurnius* Lanarius vocatur Ruffinus. II, 258.

*Calvariæ* locus quid significat. V, 1085.

Calvities Elisæi a pueris irrisa quid significet? IV, 1056, 1069.

*Calvianensis* fundus. IX, 521.

Calumnia non est nisi quando falsi criminis objectione proximo læditur. III, 707. Calumniæ sine rixa refellendæ. V, 1579. Calumniæ qualiter ferendæ. IX. 351, 352. Calumniæ infidelium, hæreticorum, schismaticorum, dæmonum vincuntur, cum Christus crucifixus attenditur. IV, 1578. Calumniam perpesso Dei adjutorium cur differatur. V, 1510. Nec malam conscientiam sanat laudantis præconium, nec bonam vulnerat conviciantis opprobrium. IX, 352. Calumnia quod crimen falsum est, reum non facit hominem, nisi apud judicem hominem: ubi autem Deus judex est, nullus falso crimine læditur, quia non cui objicitur, sed objicienti potius imputatur. IV, 1582. Calumnia Gentium et Judæorum in Christianos maxima est, quod ab ipsis mortuum calumniantur soli. IV, 1578. Qui nodosas calumnias facere quærunt, prius implicantur, quam quos implicare contendunt. IV, 654. Calumnia græca. I, 948.

Calumniatores verba omnia aucupantur. IV, 654. Calumniator, diabolus. IV, 905.

Calx miraculum. VII, 715. Calx cur viva dicitur. VII, 715. Calx oleo perfusa non fervescit. VII, 713, 719.

*Camæna* dea canere docet. VII, 122.

*Camillam* Diana dolluit. VII, 86.

*M. Camillus* quam ingratam sensit Romam, de qua optime meritus erat. VII, 62. Romam quam senserat ingratam, a Gallis tamen iterum liberavit. VII, 117.

Caminus diem judicii significat. IV, 1362. Caminus, lingua adulatoris. IV, 869.

Campestria quid sunt et unde dicta. VII, 426; X, 467.

Campestrati quinam dicantur. VII, 426; X, 565.

Cancellus vel cancellum. VIII, 534. Intra cancellos collocari, honoris nota. II, 132.

Cancer nullis medicamentis sanabilis. VII, 763 Cancri curatio miraculosa. VII, 765.

Candelabrum quis sit. V, 1479.

*Candidianus* presbyter. VI, 610.

*Candidus* episcopus. II, 739, 780.

*Candidus* villa-regiensis ex Donatista episcopo apud Catholicos episcopus. IX, 473.

*Candorius* episcopus. II, 739, 780.

Canes non semper in malo accipiendi sunt. II, 634. Canes Christi vigilant et latrant, et pro domo et pro Domino, et pro grege et pro pastore. II, 634. Canes, qui non pro veritate sed pro consuetudine latrant. IV, 175. Canis pro extremo vel hominum vel pecorum. III, 507. Et pro hoc quod est contemptibile. III, 805. Canes, hæretici. IV, 1925. Canibus comparati maledici. II, 271. Canis dominum suum jam suis hominibus oblitum recognoscens. I, 1087.

Canere in jubilatione, est intelligere verbis explicari non posse quod canitur corde. IV, 283. Hoc est bene canere Deo, cantare in jubilatione. IV, 283. *Vide*, Cantare.

*Cannæ* urbs seu vicus Apuliæ. VII, 100. *Not. b.* Cannense prælium quam cruentum, et Romanis infaustum. VII, 100.

Canon ecclesiasticus. IX, 489. Canon librorum veteris et novi Testamenti. III, 41.

Cantare et psallere quo differunt? IV, 814, 1173, 1390. Curandum ut intelligamus quæ cantamus. IV, 157. Cantare scienter naturæ hominis divina voluntate concessum est. IV, 157. Nemo Deo cantat digna, nisi qui ab illo acceperit, quod cantare possit. IV, 323. Qui desiderat, etsi lingua taceat, cantat corde. IV, 1101. Cantantes Deo, timeamus ne non bene cantemus. IV, 283. Cantandum Deo et oribus et moribus. V, 211. Cantandum corde, non carne. IV, 774. Cantandum ore et corde. V, 1024. Cantamus voce, ut nos excitemus; corde cantamus, ut Deo placeamus. IV, 1917. Cantatio labiorum tuorum exigitur de corde tuo. IV, 563. Caritate cantatur canticum novum. V, 207. Caritatem qui non habet, portare psalterium potest, cantare non potest. IV, 1866. Cantare amantium negotium. V, 207. Cantor amantis est, vox hujus cantoris, fervor sancti desiderii. V, 1472. Non valde attendas ad vocem cantantis, sed ad mores operantis. IV, 1950. Cantat Deo, qui vivit Deo; psallit nomini ejus, qui operatur in gloriam ejus. IV, 814. Non poteritis probare, quam vera cantetis, nisi coperitis facere quod cantatis. IV, 1604. Cantantes in decachordo quinam sint. V, 81. Cantatio ipsa confessio est, confessio peccatorum tuorum, et virtutis Dei. IV, 808.

Canticum et psalmus quid differant? IV, 78, 815. Canticum vetus et novum. V, 81, Canticum novum. VI, 678. Canticum novum cantare. V, 209, 890. Canticum vetus cantat cupiditas carnis; novum cantat caritas Dei. IV, 1227. Canticum novum nihil aliud est quam laus Dei. II, 557. Est ipsa dilectio. IV, 1227. Canticum novum gratiæ est, hominis novi, et Testamenti novi. IV, 283, 1866, 1949. Canticum Jerusalem, lingua nostra; canticum dilectionis hujus sæculi, lingua barbara est, lingua aliena quam in captivitate didicimus. IV, 1771. Canticum novum, canticum pacis, canticum caritatis. IV, 1949. Canticum Dei, est gaudium sanctum. IV, 1917. Cantica divina, deliciæ spiritus nostri. IV, 1884. Canticum novum, mandatum novum. V, 1471. Canticum nostrum cui moribus tamquam saltatione oportet consonare. V, 1416. Canticum cum cithara significat sermonem cum opere bono conjunctum. IV, 1174. Canticum quod nemo cantat præter virgines. VI, 410. Canticum novum ad novum hominem pertinet, vetus ad veterem. IV, 435, 807. Canticum nullum aliud docet nos Deus, nisi fidei, spei et caritatis. IV, 1171. In cantico passionis Christus quasi præcentor, martyres vero quasi succentores. IV, 1109. Canticum divitum et pauperum de canticis Sion quale? IV, 1768.

Canticum Moysis exponitur. V, 1634. Cantica graduum sunt quindecim, quia totidem fuerunt templi gradus. IV, 1960. Canticum graduum mystice quid. IV, 1596, 1639, 1667. Cantica canticorum, sancta cantica amatoria, etc. V, 289. Ænigmata. V, 289. Canticum canticorum amores sanctos Christi et Ecclesiæ commendat. III, 925. Difficillimum est ad intelligendum. III, 925. Ostendit quantum appetenda, quantique pendenda divina caritas. III, 925. Narratio in Cantico canticorum genere locutionis figuratarum rerum est. III, 372. Canticum amatorium Manichæorum. VIII, 507.

Cantus est sonus speciosus. I, 845. Ejus melodiæ utilitas magna. I, 800. Utilis est ad movendum pie animum. II, 221. Cantus psalmorum in Ecclesia. IV, 157. Cantus ecclesiasticus instituitur Mediolani a sancto Ambrosio. I, 768. Eo mirum in modum afficitur Augustinus. I, 768. Delectatio carnis etiam in divino cantu cavenda. I, 799. Peccatur cum cantus amplius delectat quam res. I, 799. Cantus gravitate furentium adolescentium petulantia sopita. X, 797.

Cantionum vanarum periculosa delectatio. V, 79. Ad cantiones vanas, quam ad salutaria monita audienda, major hominum propensio. V, 79. Cantica profana et saltationes pulsæ de ecclesia ubi sepultus est Cyprianus. V, 1415. Cantantes turpia reprehenduntur. IV, 157. Cantat ipse in nobis cujus gratia cantamus. II, 558. Cantandi in ecclesia tempus, utilitas, sanctitas. II, 221. Cantant Donatistæ psalmos humano ingenio compositos, miscentque ebrietates. II, 120, 220.

*Capharnaum* caput civitatum Galilææ. III, 1106.

Capilli cum secantur non sentimus, quare. I, 1171. Capillos nudare feminas nec maritatas decet. II, 1060. Capilli temporalium rerum superflua significant. IV, 605. Inde tergendi pedes Domini. IV, 605, 1820.

Capitolium rex Tarquinius fabricavit. VII, 87. Capitolium Jovi dicatum fuit. VII, 119. Capitolium Jovi cedere noluerunt, Mars, Terminus, et Juventas. VII, 130. Capitolii incendium. VII, 72. Capitolio pepercerunt Galli, non vero Sylla. VII, 109.

Capitolinus lapis, Jovis simulacrum in Capitolio lapideum. VII, 77, *Not. c.* Capitolinus collis, anseris vigilantia servatus. VII, 70, 84.

*Capraria* insula. II, 189.

Capræ nomine Ecclesia de Gentibus significatur. IV, 1562.

*Capses.* IX, 255.

Captivitas justorum, religioni Christianæ probro esse non debet. VII, 30. Captivitatem religionis causa sponte tolerandam etiam pagani noverunt. VII, 28. Sunt in Scripturis sanctis, captivitatis religionis causa, magna solatia. VII, 28. Captivitas ad probationem vel emendationem a Deo permittitur. VII, 37. Captivitas Marci Attilii Reguli. VII, 28. Captivitas feminarum castarum et sanctarum multum dolenda: qui eas non deserat Deus. II, 426.

Captivitas nostra prima. IV, 891. Totus mundus sub captivitate. V, 179. Captivitas nostra demonstratur. IV, 1765. Captivitas nostra in quo consistat. IV, 1765. Captivitas est peregrinatio nostra. IV, 1917. Totum mundum velut massam infidelium diabolus possidebat. V, 890. Captivitas hominis ex peccato. V, 188. Captivitas hominis injusta non est, qui deseruit Imperatorem Deum, et divertit ad desertorem diabolum. IV, 990. Captivitas de qua per Christum liberamur. V, 179. Captivitatis nostræ instrumenta Redemptor noster sanguine suo delevit. V, 890. Captivi facti sumus, quia venumdati sumus sub peccato: vendere nos potuimus, redimere non possumus; vendidimus nos consensione peccati, redimimur in fide justitiæ, dato pro nobis sanguine innocenti. IV, 1251, 1658. Confitere te esse in captivitate, ut dignus sis liberari. IV, 1071. Captivatores nostri diabolus et angeli ejus. IV, 1765.

Captivitas Judæorum figura est captivitatis nostræ. IV, 772, 876, 1658, 1765. Captivitas felix per quam homines ad bonum capiuntur. IV, 830. Captivare captivitatem quid. IV, 830.

Caput circuitus impiorum superbia. IV, 1810. Caput erigere, levitatis et superbiæ signum. IV, 401. Capita draconum qui sint. IV, 937. Caput vituli quem Moyses misit in ignem, corpus erat impiorum. IV, 756. Caput insultantium Christo quare nutabat. IV, 1339. Capita inimicorum suorum Christus quomodo conquassabit? IV, 851. Caput operiebant Africani in luctu, Judæi nudabant. III, 690.

Caput omnium justorum et Angelorum Christus. IV, 385. Caput bonorum Christus, caput malorum diabolus. IV, 1807. Caput nostrum quomodo Christus, et corpus Ecclesia. IV, 1805. Caput dici non potest, ubi corpus nullum est, cui sit caput. IV, 1803. Capitis excellentia ad cætera membra. IV, 217. Caput connexione caritatis adhæret corpori suo. IV, 231. Caput ubi est, ibi cætera esse membra proverbium est. IV, 223. Caput et corpus quomodo unum sunt. IV, 251. In capite membrorum vox agnoscenda. IV, 1295.

*Carbo* Cneus Papyrius Marianas partes sequutus, a Sylla victus, a Pompeio interfectus. VII, 69. *Not. d.* Carbonis Cnei Papyrii crudelitas. VII, 107. Carbones multi fuere ex gente Papyria. VII, 69. *Not. d.*

Carbones sunt incorruptibiles. VII, 715, 719. Ideo limitibus substernuntur. VII, 719. Carbones ignis congerere super caput alterius quid sit. III, 75. Carbones ignis apud Apost. Rom. 12. non indignationem Dei, sed ignem pœnitentiæ significant. IV, 1018. Carbones dicuntur, qui se convertunt ad Dominum, quia de mortuis reviviscunt. IV, 1601.

Carbunculus lucet in tenebris. III, 47.

*Carcedonius.* II, 250, 251, 252.

Carcerem merita faciunt. IV, 1842. Unum habitaculum alteri facit domum libertas, alteri carcerem servitus. IV, 1842. Carcer latus est homini gaudenti, et pratum tristi angustum est. IV, 1844. Carcer mundus iste. IV, 1845. Carcer, corpus dicitur a quibusdam. IV, 1845. Et caro propter corruptelam. IV, 1845.

*Carchabia.* IX, 507, 528, 550.

*Cardea*, dea præfecta cardini ostii. VII, 119.

Cardines astrologici. VII, 145.

Carere. Non est in carendo difficultas, nisi cum est in habendo cupiditas. III, 76.

Caritas quid sit. V, 143; VI, 25. Caritas virtus est, qua id quod diligendum est, diligitur. II, 739. Caritatem donum Dei esse negant Pelagiani. X, 1292. Caritatem inter gratiæ adjutoria nominare cur nolint Pelagiani. X, 1296. Pelagianorum tenebræ, cum scientiam Legis ex Deo, caritatem vero ex nobis esse volunt. X, 905. Posse habere fidem vel caritatem, naturæ est hominum; habere autem, gratiæ fidelium. X, 968. Caritas non ex libero arbitrio, sed ex dono Dei. X, 302, 303. Caritas non per vires nostras; id est humanas, diffunditur in cordibus nostris. II, 990.

Caritas est donum Dei. II, 576, 595; V, 210, 577, 620, 715, 793, 1223, 1241, 1462; X, 237, 240, 290, 904, 905. Caritas donum majus gratia. X, 905. Caritate nullum Dei donum excellentius. VIII, 864, 865. Caritate minus est quidquid tibi Deus dederit. V, 793. Caritas qua præcepta implentur, non ex nobis est, sed ex Deo. X, 905. Caritas tota ex Deo. X, 586. Caritas et scientia ex Deo. X, 905. Si scientia Legis ex Deo, multo magis caritas. X, 1112. Caritas et vita æterna munus hereditatis filiorum promissionis. III, 566. Caritatem a nobis habere non possumus, sed a Deo per Spiritum sanctum. X, 1105. Caritas donum est Spiritus. III, 2067. Caritas cordis est dilatatio a Spiritu sancto. V, 923. Effectus est præsentiæ Spiritus sancti. V, 1673. Caritas verius arra, quam pignus dicitur. V, 159. Caritas ut ab illo detur, a quo jubetur, orandum. II, 595, 1016. Caritas fide impetratur. II, 818. Caritas in quantum adest, exerceatur bene vivendo; in quantum autem minus est, impetretur petendo. V, 1016.

Caritas nequit esse sine fide. V, 564. Ubi dilectio est, ibi necessario fides et spes. III, 1846. Caritas languescit fide titubante. III, 35. Caritas de corde puro, et de conscientia bona, et fide non ficta quid sit. III, 36. Sine fide, spe et caritate anima nulla sanatur, ut possit Deum videre. I, 876. Post hanc vitam sola caritas. I, 876. Caritas sola semper manet. V, 867. *V.* Amor, Dilectio. Caritas nullo modo recta esse potest, si ea quæ diliguntur, non vera, sed falsa sunt. III, 119. Caritatis via nihil excelsius, et non in illa ambulant, nisi humiles. IV, 1857.

Caritas ab Apostolo commendata. X, 902. Caritas commendatur. III, 1461, 2033; IV, 1949. Caritas quantum bonum. V, 764; maximum omnium bonorum. II, 811. Caritatis laus. II, 854; V, 1533, 1534. Caritas est Deus ipse. II, 818. Usque adeo caritas est donum Dei, ut Deus

vocetur. V, 832. In caritate tria quædam, velut vestigium Trinitatis. VIII, 857, 858, 960. Tria hæc considerantur. VIII, 961, 962. Per Mediatorem Deo reconciliati, hæreamus uni, fruamur uno, permancamus unum. VIII, 895, 896.

Caritas est magna et vera virtus. II, 737; V, 1397. Virtus animæ. IV, 1533. Virtus civitatis Dei. IV, 541. Caritas vera Christianorum, quæ. IV, 1816. Caritas major est fide et spe, quia adveniente objecto hæ cessant, illa vero crescit. IV, 1171. Caritas in omnibus et super omnia habenda. I, 1340. Quorumnam in cordibus diffunditur. X, 297. Caritas nova et æterna. IV, 1949. Caritas gratia est novi Testamenti. III, 755. Caritas vita cordis est. II, 564. Caritas, magna via est, magnum miraculum habet. IV, 1837. Mandatum est novum. V, 1236. Præceptum breve et apertum. VI, 669. Verbum consummatum et breviatum. II, 854; VI, 670. Caritas finis omnis præcepti. VI, 288. Præcepti finis, non quo consumuntur, sed quo perficiuntur præcepta. IV, 261.

Caritas supereminentissimum locum in Scripturis obtinet. IV, 1232. Ad caritatem pertinent quæ scripsit Moyses. I, 840. Concentus utriusque Testamenti de præceptis caritatis. I, 1316, 1317. *Vide* Amor Dei et proximi. Caritas est latitudo mandati. III, 2058. In caritate latitudo est, in odio angustia. IV, 1736. Caritatis latitudo, longitudo, sublimitas, et profundum. II, 564, 565, 611. In cruce Christi figuratur. II, 565, 612. Qui cognovit quæ sit latitudo et longitudo et altitudo et profundum, et supereminentem scientiæ caritatem Christi, vidit et Christum; vidit et Patrem, ex Ambr. II, 604. Caritas latitudinem facit, unde Deus in nobis deambulat. V, 889. Caritatis præceptum continet physicam, logicam, ethicam, et reipublicæ salutem. II, 521.

Caritatis duo præcepta semper cogitanda, semper meditanda, etc. III, 1531. Duo præcepta caritatis significata per biduum quod Jesus mansit in Samaria et Galilæa. III, 1522, 1523. Caritatis pedes duo. IV, 313. Caritatis præcepta duo in omnibus Scripturæ sermonibus reperit Augustinus. II, 225.

Caritas dicitur amor Dei et proximi. IV, 260. Caritate et Deum diligimus, et invicem diligimus. III, 1852. Caritas est nexus, quo homines invicem sibi et Deo connectuntur. III, 878. Deus et proximus una caritate diliguntur, etsi non sunt unum qui diliguntur. V, 1223. Binario numero in Scripturis, bipertita caritas commendatur. III, 1531. Caritas est motus animi ad fruendum Deo propter ipsum, et se atque proximo propter Deum. III, 72. Caritas est amor Dei, et proximi, suique ipsius secundum Deum. VII, 410. Caritas alia divina, alia humana. V, 1529.

Caritate Deus colitur. II, 737. Caritas gluten quo anima agglutinatur post Deum. IV, 758. Amandus Deus ita, ut si fieri potest, nos ipsos obliviscamur. V, 779. Amare Deum gratis, non sibi extra illum ponere mercedem quam exspectet ex illo. V, 568. Si amas, gratis ama: si vere amas, ipse sit merces quem amas. V, 905. Hoc est Deum gratis amare, de Deo Deum sperare, de Deo properare impleri, de ipso satiari. V, 1469. Omnia quisque faciat cum caritate, non exspectans retributionem temporalem, sed faciem Dei. V, 865. Si promissis quibuslibet bonis, tantum faciem Dei negandam audiens expavisti, gratis amasti. V, 966. Gratis Deum diligere invenitur Job, eum amans non quia aliquid dedit, sed quia se ipsum non abstulit. V, 569. Deus bono nostro diligitur, non bono suo. IV, 1952. Non minus Deus habebit divinitatem, si homo in illum non habeat caritatem. IV, 1952. Caritas Dei in nos major, quam nostra in Deum. IV, 1353. Deus est abundantia nostra per caritatem. IV, 1628. Deus sedet in eo, qui habet caritatem, tanquam in cælo. IV, 1951. Non est vera Dei caritas in eo qui ingratus est Spiritui sancto. IV, 903. Caritate et humilitate Deo nunc proinquamus. V, 142.

Caritate Christo cohæremus, non timore pœnæ. II, 595. Nemo ad Christum pervenit, nisi per caritatem. IV, 149. Caritas Christi in unitate ejus. II, 229. Caritas clamat ad Christum de nobis, caritas clamat de Christo pro nobis. IV, 1817. Si per caritatem nobiscum Christus est in terra, per eamdem cum eo in cælo sumus: Christus deorsum est compassione caritatis, nos sursum sumus spe caritatis. IV, 1630. Dominus adscenditur, superior esset cælis et inde mitteret caritatem. IV, 1344. In via caritatis qua ratione Christus ambulavit. III, 1985.

Caritas capaces reddit ad capienda divina. V, 705. Caritas reipublicæ divinæ nos adsciscit. II, 555. Caritas divina amorem illicitum meretricis non compatitur. V, 1531.

Caritate fideles in uno incommutabili unum sunt. X, 109. Quomodo Christus vult omnes in se unum esse. VI, 712. Caritas unitatis vinculum fortissimum. VI, 137. Caritas de multis cordibus hominum facit cor unum. III, 1538. Caritatis fervor ex multis unum conflat. III, 2056. Caritatem qui non habent, non habitant in unum. IV, 1736. Caritatis fraternæ commendatio. III, 2014.

Caritas est nota discipulorum Christi. III, 1809. Cur hanc fere solam Joannes apostolus commendat. III, 2037. Caritas Pauli et Stephani commendatur. III, 2014.

Caritatem non habent, qui ab Ecclesiæ catholicæ communione præcisi sunt, aut non diligunt unitatem. IX, 148, 149. Caritas nisi in unitate Ecclesiæ non potest custodiri. IX, 312. Non habetur extra Ecclesiam. V, 1223. Caritas laudat Dominum, discordia blasphemat Dominum. IV, 1950. Caritatis fons Spiritus sanctus, principium unitatis in Deo. III, 1684. Caritas compagem facit, compages complectitur unitatem, unitas servat caritatem, caritas pervenit ad claritatem. IV, 239. Nulla est caritas Christiani, a quo non custoditur unitas Christi. V, 1422. Mater caritas quomodo scindi unitatem dolet. III, 1434. Qui caritatem habet, securus est: nemo illum movet de Ecclesia catholica, et si foris incipiat illam habere, intromittitur, quomodo ramus olivæ a columba. IV, 176. Caritas, vita; dissensio, mors. VI, 715. Fraternam caritatem oppugnare, est peccatum in Spiritum sanctum. III, 1267. Dissensiones aliquando aut a caritate nascuntur, aut caritatem probant. II, 957. Aliorum tribulatio communis est, quibus probatio, spes, dilectio, spiritusque communis est. II, 365. Caritas in commune magis quam in privatum consulit. II, 564. Quisque etiam ipse habet, cum amat in altero, quod ipse non habet. III, 1812. Qui per aliquam necessitatem non potest implere quod jubet Deus, amet illum qui implet, et in illo implet. IV, 1627. Caritati nihil adversius invidentia. VI, 315. Caritatem quinam habere non possunt. IV, 1343, 1344. Caritas est in eo qui non sua quærit in hac vita. IV, 1629. Caritatis societatem duo Cherubim commendant. III, 654. Qui habent caritatem, portant invicem onera sua; qui non habent, graves sunt sibi. IV, 1698. Quanto major caritas, tanto majores plagæ de peccatis alienis. IV, 1269. Non est socius iniquitatis, qui impios ex caritate diligit, iis benefacit, pro iis intercedit. II, 654, 655, 658. Gratior est Deo pro fratre deprecatio, ubi sacrificium caritatis offertur. II, 87. Caritas sola exstinguit delicta. III, 1982.

Caritatis unitas præponenda est terrenæ commodo hæreditatis. V, 1577. Fideles de requie fratrum suorum lætantur, etiam in propriis anxietatibus. II, 593. Omnis qui peccat, adversus caritatem facit: unde qui in uno offendit, factus est reus omnium. II, 759. Qui clades hostiles non fugit ne deserat ministerium Christi plebi necessarium, majorem caritatis invenit fructum, quam qui propter se ipsum fugiens, atque comprehensus non negat Christum, suscipitque martyrium. II, 1015.

Caritas duplex severitatis et mansuetudinis. IX, 81. Ignoscendum est et vindicandum ex caritate. II, 660. Sicut parata est severitas peccata quæ invenerit vindicare, ita non vult caritas quod vindicet invenire. II, 958. Caritas sæviens. IV, 1755. Caritas cædit, blanditur iniquitas. III, 2053. Caritas sævit more columbino, non corvino. III, 2055. Caritas quo usque irasci potest. IV, 1373. Aliquando amicis molesta esse non timeat. V, 559. Caritas intus non intermittatur, caritatis officia pro tempore exhibeantur. III, 2057.

Caritatis officia. VI, 328. Caritas non sic impenditur, ut pecunia. II, 869. Caritas exactor dulcis. III, 2045. Caritas semper debetur, et sola, etiam reddita, detinet semper debitorem. II, 869; V, 800. Caritas nos semper debitores tenet, quia illa una est quæ etsi quotidie redditur, semper debetur. IV, 307, 393. Caritas cum impenditur, non deficit. VIII, 272. Crescit cum erogatur. IV, 1922. Caritatem erogat, qui misericordiam facit. IV, 1922. Dilectio Dei sit gratuita, proximi benefica. V, 571. Difficile invenitur, qui non habeat unde præstet alteri. V, 571. Caritas semper habet unde det. IV, 371. Caritas dimittit, caritas dat. IV, 1861. Caritas non permittit te non præstare quidquid potes, etiam inimicis. IV, 260. Proximo quid quisque præstare debeat. V, 571. Caritas circa quæ debeat occupari. V, 1599. Caritas proximi in hoc comprehenditur, *quod tibi fieri non vis*, etc. IV, 281. Hæc sententia, omnia flagitia et facinora exstinguit. III, 74. Caritas Dei in tribus consistit, caritas proximi in septem. IV, 281.

Caritatis ordo. VII, 643. Caritatem ordinare. V, 603. Non ordine amandi, sed ordine subveniendi, infirmiores fortioribus anteponit. II, 537. Caritas ad inimicos extendi debet. V, 564. Caritas inimicis cauta impenditur, amicis secura rependitur. II, 869. Caritas non tantum præsentes, sed et toto orbe dispersos fratres complectitur. III, 2025. Caritatem non solum in fratres, sed etiam in eos qui foris sunt, exhibere debemus. IV, 299. Caritatis opus in futuro sæculo. II, 565.

Caritas qua se diligunt homines malæ conscientiæ. V, 562. Caritatem quam vocant habent inter se etiam latrones. VIII, 225. Caritas humana alia licita, alia illicita. V, 1529, 1530. Caritas humana licita. V, 1529, 1530. Caritas ad inimicos extendi debet. V, 564. Caritas inimicis cauta impenditur, amicis secura rependitur. II, 868. Caritas non tantum præsentes,

sed et toto orbe dispersos fratres complectitur. III, 2048. Caritatem non solum in fratres, sed etiam in eos qui foris sunt, exhibere debemus. IV, 299. Caritatis opus in futuro sæculo. II, 565.

Caritas radix omnium bonorum. X, 570, 574. Sicut malorum omnium radix cupiditas. IV, 1154. Ex caritate tamquam ex capite exoriuntur cætera bona. III, 1852. Non fructus est bonus, qui de caritatis radice non surgit. X, 217. Caritatem tolle, non est quo te moveas ad bonum opus; aut si moves, ut servus moves. V, 369. Sine caritate nihil est homo, quidquid aliud habuerit. III, 1439. Caritas sola bene operatur. V, 904. Sola bene utitur donis Dei. VI, 137. Caritate amas quidquid bene amas. V, 160. Quod fit sine caritate, nullo modo fit bene. X, 905. Ubi caritas non est, non potest esse justitia III, 1236. Omnia bona opera unum est opus caritatis. IV, 1148. Cum vere fit opus Legis, caritate fit, non timore. III, 755. Lex non impletur sine caritate. V, 267, 696, 1241. Caritatis latitudine opus est, ne pereat quidquid boni facis. V, 904. Nihil boni fieret, nisi esset caritas; et cum adest caritas, non potest bonum non fieri. X, 574. Caritate quid pretiosius, quid luminosius, quid firmius, quid utilius? V, 764. Ubi caritas est, quid possit deesse? Ubi autem non est, quid est quod possit prodesse? III, 1141, 1151, 1845. Cum caritate omnia habentur; sine illa nihil prodest, quidquid haberi potest. III, 1646; IV, 1627. Caritatem adde, prosunt omnia: detrahe caritatem, nihil prosunt cætera. V, 44, 562, 575, 764, 783. Sine caritate omnia bona nihil prosunt. II, 229, 755. Nihil prosunt quæcumque sancta potuerint haberi. IX, 193. Nec veritas, nec sacramenta, scientia, prophetia, aut fides IX, 512, 514, 601. Universa inutiliter habet, qui unum illud quo universis utatur, non habet. V, 550. Caritas si desit, frustra habentur cætera; si adsit, recte habentur omnia. III, 1462. Caritatem non habenti cætera dona auferentur. IV, 1905. Caritatem aufer a corde, solum superat mendacium. V, 1645. Caritate sola distinguuntur boni a malis: cætera habent communia. V, 583. Nisi caritatis delectatione vincitur delectatio peccati, invicta servitutis necessitas. X, 1121.

Caritas appellatur bona voluntas. VII, 410. Caritas de te operatur, quando agis volens. V, 795. Caritas facit ut illi tantum imputetur qui modicum dedit, quantum illi qui multum. IV, 1627. Caritas occidit quod fuimus, ut simus quod non eramus. IV, 1628. Caritas vincit carnis concupiscentias. III, 2061, 2062. *Retr.* Servi eramus cupiditatis; liberati servi efficimur caritatis. III, 1696. Caritas non privata excellentia lætatur, unde et non inflatur. III, 437. Caritas sectanda, ut vitetur inflatio V, 783, 1565. superflua sollicitudo, ne ubi fervet caritas, desit humilitas. VI, 427. Caritas instanter petenda, ut cæteræ delectationes contemnantur, et quælibet passiones perferantur. IV, 1548. Caritatis vulnere qui non fuerit vulneratus, ad veram sanitatem pervenire non potest. IV, 399.

Caritatis lex, libertatis lex est. II, 710. Caritatis consilio facienda sunt multa, non jussa præcepto legis. VI, 459. Caritatis lex cum lege veteri comparatur. IV, 1698. Caritas sarcina levis. IV, 823; X, 289. Sarcina passionum infirmitati gravis, caritati levis. X, 901. Levis fuit Petro quando passus est pro Christo, non quando eum negavit. X, 901. Caritate fiunt præcepta levia. V, 584. Nonnisi caritati sunt præcepta facilia. III, 632. Caritatis præceptor homo sine fructu admoneretur ut quæreret Dei donum, nisi prius acciperet aliquid dilectionis. X, 905. Pœnæ ex caritate coronam parturiunt. IV, 1844. Caritati quanto sunt futura meliora, tanto sunt infirmitati violentiora præsentia. II, 595. Ut cupiditas nihil sine angustia, ita nihil cum angustia caritas tenet. III, 1348. Caritatis sarcinæ suscipiendæ, pro sarcinis cupiditatis. V, 897.

Caritatis vis. IV, 541. Persecutionibus sola caritate resistitur. IV, 124. Caritas omnibus quæstionibus difficilibus fortior. V, 1612. Caritas sic violentissima est ad salvandum, quomodo mors ad auferendum violentissima. IV, 541. Cur morti comparetur fortitudo caritatis. IV, 1628. Caritas transfert de morte ad vitam. III, 2017. Caritas mortem evangelicam efficit in nobis, ait Paulinus. II, 549. Pro caritate patientes debemus etiam mundi odia sustinere. III, 1855.

Caritas mittit foras timorem, sed servilem. II, 560. Quomodo. IV, 1680. Caritas timorem alium pellit, alium introducit. V, 883. Timore casto peccare timet caritas, etiamsi sequatur impunitas; quia nec impunitatem judicat securam, quando amore justitiæ peccatum ipsum deputat pœnam. IV, 1576. Timor id agit, ne facias; caritas, ut nolis facere, etiamsi impune possis admittere. V, 882, 883. Caritas de timore ædificanda. VI, 316. Pietas timore inchoatur, caritate perficitur. III, 136. Caritatis profectus signum, imminutio timoris; signum perfectionis ejus, nullus timor. VI, 25. Caritas tunc perfecta erit, cum pœnalis timor omnino abscesserit. X, 304. Caritas perfecta nec cupiditatem sæculi compatitur, nec timorem. VI, 309 Caritate se agi non timore, unde quis dignoscat. V, 795. Vetus Testamentum ad timorem pertinet, novum ad caritatem. III, 2074.

Caritati subservit scientia. II, 223, 737. Fidei, spei, et caritati omnis scientia et prophetia militat. III, 35. Quidquid salubriter concipitur mente, vel ore profertur, vel de qualibet pagina divina exsculpitur, non habet finem nisi caritatem. IV, 1815, 1816. In nullis scripturis aliud requiratis, nemo vobis aliud præcipiat: quidquid obscurum est in Scripturis, hæc ibi occulta est; quidquid ibi planum est, hæc ibi aperta est. IV, 1816. Caritas ad intelligentiam veritatis ducit. III, 1876, 1877. Caritas facit ut intelligere divina possimus. I, 1324. Caritatem scientiæ plenitudo consequatur necesse est. IV, 1022. Caritatem qui tenet in moribus, ille tenet et quod patet et quod latet in divinis sermonibus. V, 1534. Caritate doctrina Scripturarum tota possidetur. V, 1534.

Caritatis dulcedo. IV, 1729. Caritas sine gaudio talis esse non potest. IV, 974. Caritas amatur, nec tamen sentitur. V, 160. Sine caritate nulla est pax. IV. 1685. Caritas latum mandatum, quo pax redintegratur. V, 1588. Caritatem non libet, nisi quod licet. X, 256. Caritatem qui habet, conscientiam suam attendat, et ibi videt Deum. IV, 1951.

Caritas et cupiditas in homine. V, 562. Merguntur homines pondere et terrenis affectibus, et emergunt caritatis sublevatione et spiritu sanctitatis. I, 847. Ipsi qui fructu prævalent caritatis, possunt tamen aliquid habere purgandum. IX, 125. Homo tanto plenior iniquitatis, quanto inanior caritatis. II, 740. Qui noluerit servire caritati, necesse est ut serviat iniquitati. IV, 163. Caritas si defuerit, iniquitas erit. IX, 601. Quanto magis regnat in quocumque Dei caritas, tanto minus ei dominatur iniquitas. IV, 1582. Regnat carnalis cupiditas, ubi non est Dei caritas. VI, 287. Caritas carnalis sperantium carnalem felicitatem in futuro sæculo. V, 34. Caritatis venenum est spes adipiscendorum aut retinendorum temporalium. VI, 25. Anima amans terrena, vel etiam se ipsam, tantum deficit, quanto id quod amat, minus est quam Deus. V, 779. Ex abundantia iniquitatis fit torpor caritatis. IV, 455. Caritas si nata est, labendo crescit, crescendo perficietur, perfecta permanebit. V, 858. Caritas quanto major est, tanto melior in quo est. VI, 286.

Caritas semper hic augeri potest. II, 739. Qualem caritatis mensuram Christus nobis indixit. IV, 661. Caritas quomodo nutriatur. V, 966; VI, 25. Caritatis nutrimentum est imminutio cupiditatis, perfectis nulla cupiditas. VI, 25. Caritate crescente minuitur cupiditas, donec veniat hic ad tantam magnitudinem qua major esse non possit. VI, 288. Caritas inchoata, inchoata justitia est; caritas provecta, provecta justitia est; caritas perfecta, perfecta justitia est. X, 290, 295. Caritatis si quid minus est, ex vitio est. X, 269. Caritas tunc maxima est in hac vita, quando pro illa ipsa, contemnitur vita. X, 290.

Caritatis fons summum bonum. V, 159. Caritas facit cives Jerusalem. IV, 773. Sancti non sunt, nisi qui habuerint caritatem. V, 44. Caritate matre parturiti et parti sunt filii cœlestis Jerusalem. IV, 1923. Qui in caritate compaginatus est lapidibus vivis, ad domum Dei pertinet. IV, 1721. Cum animæ Deum intelligere contigerit, caritati non solum nihil detrahetur, sed addetur etiam plurimum. I, 876. Tunc illa erit plenissima. I, 593. Caritas an habet quo crescat, cum de mortali excesserit vita. X, 290. *Vide* Dilectio. Abundantia caritatis Dei facit ut beati cadere non possint. X, 933.

Caritas cur aquæ comparetur. IV, 1353. Caritas per superiora cœli designatur. IV, 1342. Caritatis symbolum coccinum. III, 734. Tabernaculum decem aulæorum. III, 634. *Vide* Præceptum, Scriptura, Lex. Caritas est fructus qui super Libanum extollitur. IV, 912. Caritas lex civitatis Dei. IV, 1261. Caritas lux est. II, 561; III, 1598. Margarita Evangelii pretiosa. VI, 670. Caritas quasi navis. IV, 1689. Caritas est oleum. III, 1433; V, 575. Panis. III, 1342. Radix nostra. IV, 557, 607. Caritas sapientia Dei est. II, 557. Tunica Christi desuper texta. IV, 176. Christi vestimenta sunt sancti ejus, tota Ecclesia ejus. IV, 507. Tunica vero desuper texta, caritas. IV, 176; V, 149. Caritas vestis nuptialis. V, 563; IX, 669. Fides, spes, caritas in pisce, ovo et pane in Evangelio Lucæ significantur. II, 500. Caritas Ecclesiæ figurata in Rebecca. V, 44; Caritatis alæ geminæ. IV, 825, 1791, 1952. Caritas quo pretio comparanda. V, 211. Caritas gratis constat. III, 2034.

Caritas ea dicenda, quæ non est vilitas. V, 1527.

Caro. De origine carnis error Manichæorum. V, 189. Carnis opificium non Deo bono et vero, sed malignis angelis tribuunt Priscillianistæ. VIII, 44. Carnis alium auctorem, alium spiritus putant Manichæi. VI, 709. Carnem compe-

dem et carcerem putant. VI, 710. Carnem non pertinere ad hominem, error. V, 1191. Caro animata et sentiens unde et quomodo nascatur. III, 404. Carnis artifex Deus, contra Manichæos. VIII, 392, 393, 394, 395. Caro a Deo creata non est malum. V, 852. Sed parvum bonum. V, 853. Per carnem nos benedicit Dominus. V, 58. Carnis non natura mala est, sed vitium. X, 1529. Carnis substantiam vel naturam malum non esse ostendit Christi incarnatio. VII, 501. Carnis et spiritus coinquinatio. V, 268.

Caro peccati est quæ per concupiscentiam nascitur. X, 1237. Caro peccati omnium est qui de commixtione nascuntur. X, 421, 1384, 1403, 1404, 1406. Cur mortalis carnis assumptio peccatum dicitur. III, 2072. Caro Christi solius non caro peccati. V, 823. Cæterorum autem hominum a Christo, non est nisi caro peccati. X, 1220, 1589. Omnis caro præter Christi carnem ex Deo, ex carne et ex peccato. X, 678. Caro peccati et similitudo carnis peccati, quid differant. V, 1114. In carne peccati mors et peccatum, in similitudine carnis peccati mors sine peccato. V, 844.

Caro concupiscens adversus spiritum quid. III, 416. Manichæi aliam animam admittebant, quæ cum carne concupisceret adversus spiritum. III, 1350. An caro dolet et concupiscit sine anima. VII, 424. Caro quomodo sine anima concupiscat? III, 417. Carnis et spiritus quasi quoddam conjugium. VI, 710. Carnem concupiscere est animam carnaliter concupiscere. X, 845. Carnis inobedientia peccatum habitans in membris nostris. X, 172. Caro tanto minus animæ subditur, quanto magis adversus spiritum concupiscit. VII, 629. Caro nunc onerosa, quia indiga, infirma, mortalis, corruptibilis. V, 1259.

Carnis discordia et spiritus non ex creatore. X, 1332. Non diaboli accedente concubitu corporali, sed spiritali Dei gratia recedente, secuta est. X, 864. Carnis adversus spiritum pugna, vitium est, non natura. X, 278. Deformitas est. X, 1355. Ex primi parentis prævaricatione est. X, 1324, 1336. Carnis corruptio ex peccato contracta, non peccatum, sed pœna. VII, 406. Carnis concupiscentia adversus spiritum, justa pœna inobedientiæ primorum parentum. III, 400; X, 417. De damnatione hominis veniens. X, 287. Sic est peccatum inobedientiæ, ut sit pœna peccati. X, 173. Carnis fragilitatem, dolorum tormentum, vinculum mortis et laqueos tentationum ex Adam duximus. IV, 1072. Carnis rebellio pœna est hominis, rebellio vero hominis non est pœna Dei. VII, 424. Caro hominis et pecoris licet materiæ conveniant, tamen sicut fine, sic et initio suo differrent, si homo non peccasset. X, 1359.

Carnis inobedientia non erat in primis hominibus ante peccatum. X, 172. Caro etiam post peccati remissionem in baptismo, captiva sub lege peccati. X, 433. Caro contraria, etiam ipsis baptizatis. X, 276, 280. Quam juste per carnem nos exerceat Deus. VI, 362. A molestiis carnis alieni esse non possumus in hac vita. VI, 60. Carnis opera hostes nostri. VI, 354. Carnalia duo opera quibus sancti et prudentes ab imprudentibus secernuntur. V, 346. Eva nostra interior, caro nostra est. IV, 548. Quomodo Adam per Evam diabolus supplantavit, sic per carnem vult nos supplantare. IV, 548. Carnis opera, opera hominis; hominis autem, quæ non Dei. VI, 369. Carnis opera enumerantur. VI, 60.

Caro quomodo domanda. VI, 681, 709. Carnis mortificatio, opus nostrum in hac vita. V, 854. Caro peccati laboribus et molestiis erudienda. X, 183. Carnis delectatio aliquantum et a licitis refrenanda. VI, 711. Servi tu ei qui fecit te, et tibi servat quod factum est propter te : si contemnis servire tu Deo, nunquam efficies ut tibi caro. IV, 1860. Qui vult ut caro serviat sibi, admonetur ipse servire Deo. V, 715; VI, 362. Caro pugnans contra spiritum, quasi uxor contra maritum. IV, 1860. Caro tua conjux tua, famula tua : quodlibet deputa, opus est ut subjicias. IV, 1860. Caro tanquam conjux amanda et castiganda. IV, 1826. Caro propter animam diligenda. I, 625. Caro est famula animæ. IV, 1884, 1885, 1887.

Carnem suam quisque diligit, etiam cum sibi subjecit. VI, 710. Carnis vitiis quando resistitur, ipsa amatur, quia ipsa curatur. VI, 361. Carnem suam sancti diligunt et desiderant. VII, 393. Carnem suam non odit homo, qui corpus suum castigat. VIII, 391, 392. Carnem suam nullum animal odit quamlibet abjectissimum. VIII, 391, 392.

Carni spiritus dupliciter consulit. VI, 364. Carnis opera mortificant eos a quibus per continentiam non mortificantur. VI, 355. Operum carnis quamvis indictis mortificatoribus, non desunt vulnera peccatorum. VI, 357. Etsi lex peccati captivum teneat aliquid carnis aliquando, tamen non regnat. X, 433.

Carnis concupiscentia et bonum quando perficiatur. X, 735. Sensus carnis distinguendus a concupiscentia. X, 1332. Carnis affectus. X, 432. Caro agit desideria sua, age et tu tua. V, 820. Carni nihil plus permittas, nisi desideria. V, 820. Per desideria carnis famem scilicet, sitim, etc., quamvis inculpabilia sint, quidam in culpas incidunt. X, 282.

Carnis peccata non contemnenda. V, 511, 512. Et arguuntur qui dicunt Deum ea non curare. V, 511, 512. Carnis peccata diabolus levia facit, cum sint gravia et mortifera. V, 1094. Carnis voluptas, unum ex tribus vitiorum, quibus omnia peccata concluduntur. IV, 115.

Carnem inter et spiritum concordiam fieri petunt baptizati in oratione Dominica. X, 676. Non virtus humana, sed divina gratia inter spiritum et carnem facit concordiam. X, 676. In pugna carnis adversus spiritum auxilio Dei indigemus. VI, 80. Carnis opera ut spiritu nostro mortificemus, spiritu Dei agimur. VI, 357. Ne dicas, non possum tenere et portare et frenare carnem meam; adjuvaris ut possis. IV, 457. Caro quos possideat aut a quibus possideatur. V, 1620. Lectulus doloris infirmitas est carnis. IV, 457. Caro si spiritui subjiciatur, pax recta; si vero spiritui dominetur, pax perversa est. IV, 1860. Carnem qui vicerit, diabolum continuo superabit. IV, 1858. Caro per cor mundatur. VII, 503. Per carnem quæ bona opera fiant? IV, 1060.

Continentibus quam maxime cavenda superbia. V, 1567. Continens cogitet quid sibi desit, non quid adsit. V, 1565. Continente superbo melior conjugatus humilis. V, 1564, 1567. Continentium superbiam quo pacto Deus aut punit, aut prævenit. VII, 41. Continentibus superbis expedit cadere. V, 1567. In eos qui putant continentiam non prodesse nisi ad præsentem vitam. VI, 401. Continentes hujus temporis non abjecte sentiant de sanctis patribus conjugatis VI, 395.

Contractus humani supernæ justitiæ quædam habent impressa vestigia. VI, 120.

Contradictio mundi. V, 1531. Contradictores patitur qui cœpit sequi Christum. V, 586.

Contraria ad decorem universi pertinent. VII, 332. Contrariorum reciprocatio. X, 858. Significatio quarumdam vocum a contrario debet intelligi. III, 800. Contraria a contrariis notis pleraque intelliguntur ignota. III, 386. Contraria nulli rei duo simul inesse dicunt dialectici. VI, 258.

Contritio cordis quæ. IV, 947, 1902. Qui cor non conterunt non sanantur. IV, 1902. Contritiones cordis, vox magna ad Dei misericordiam. I, 739. Contritionis signum pectoris tunsio. IV, 1903. Contritionum alligamenta sunt sacramenta temporalia. IV, 1903.

Contubernales dicuntur milites, tamquam simul habentes tabernacula. IV, 143.

Contumeliæ hæreticorum pro laudibus habendæ. X, 1254.

Contyrones. V, 1077.

Convenientia et inconvenientia universale bonum et malum est. I, 1350. Convenientia omnia pulchra sunt. III, 146. Summa convenientia est veritas. III, 154. In voluptate corporis tenetur convenientia. III, 154.

Conversationis bonæ coram fratribus sit cura. V, 301, 303. Propter ipsorum utilitatem, non propter nostram dignitatem. V, 302. Conversatio sine querela secundum legem. V, 929.

Conversio ad Deum. I, 988. Ut homo sit aliquid, convertit se ad illum a quo creatus est. IV, 896. Semper a Deo fieri, semperque perfici debemus inhærentes ei, et in ea conversione quæ ad illum est permanentes. III, 404. Vita spiritalis conversione ad Creatorem formatur atque perficitur. III, 247. Avertendo nos ad peccatum, illuminationem amittimus, convertendo nos ad Deum percipimus illuminationem. III, 1566. Conversio animæ ad Deum quomodo fit. III, 418. Conversio oritur, et ex confusione peccati fame et siti justitiæ. IV, 832. Bono meo male mihi fuit sine te; nam si bene mihi esset sine te, nollem forsitan redire ad te. IV, 1787. Deus fugientis dorsa persequitur, faciem redeuntis illuminat. V, 780. Habes judicem fugiens, patrem habeto rediens. V, 780. Cæcitatis inflictione conversus est Paulus. II, 803.

Converti est ab immoderatione vitiorum virtute ac temperantia in sese attolli. I, 988. Conversionem ad Deum debet præcedere renuntiatio huic sæculo. V, 1654. Converti ad Deum nemo potest, nisi ab hoc mundo se avertat. VIII, 102. Non convertitur anima ad Deum, nisi dum ab hoc sæculo avertitur, nec opportunius ab hoc sæculo avertitur, nisi noxiis ejus voluptatibus dolores misceantur. IV, 121. Mutandæ vitæ malæ in bonum, dum vivitur, semper est locus, semper est tempus. IV, 772. Conversionis tempus nunc, in altera vita nonnisi retributio meritorum. IV, 93. Bis miser homo ante conversionem. IV, 1658.

Conversionem plerique male sperando differunt. V, 140, 244, 536. Alii sperando, alii desperando differentes. V, 139, 244. Conversio in crastinum non differenda. V, 141, 150, 241, 245. Conversionem suam qui differunt, fit in illis vox corvina, cras, cras. IV, 1550. Conversioni tuæ Deus indulgen-

tiam promisit sed dilationi tuæ diem crastinum non promisit. IV, 1301, 1877; V, 513, 536. Conversionem ad confusionem habebunt, qui ad salutem habere noluerunt. IV, 96.

Conversionis impedimenta. I, 1170. Conversionis labor et difficultas unde. IV, 93. Convertenti se ad Deum animæ difficultates et morbi non statim tolluntur, quare. IV, 92. Angustiæ hominis ad Deum conversi, et lætitia spiritali non recreati. III, 1341. Conversio homini ad Deum non subtrahitur delectatio, sed mutatur. IV, 946. Conversio nostra perfecta, paratum invenit Deum. IV, 92. Converso omnia prorsus peccata dimittuntur, ac donatis debitis fiunt cum illo tabulæ novæ. V, 535. Si mutaris, Deus mutatur. V, 152. Converso mutatio vitæ non sufficit, nisi adsit et satisfactio pro commissis. V, 1548.

Conversio. Peccator non potest resurgere per se a peccato absque gratia. V, 137. Quod nos ad Deum convertimus, nisi ipso excitante atque adjuvante, non possumus. X, 169. Conversio Deo tribuenda non operibus humanis. II, 591. Conversio de gratia Dei est. III, 1779; IV, 1119, 1073. Non ex meritis. V, 1648. Conversio nostra ad Deum, donum Dei. X, 888. Anima se convertens ad Deum, orat ut ad eam se convertat Deus. IV, 92. Facit de malo bonum, qui semper est bonus. V, 410. Peccator in libero arbitrio habet ut convertatur. V, 48, 51, 56. De conversione peccatorum plus laudandus Deus, quam de resurrectione mortuorum. IV, 1123. Ut durum est conniventiam præbere peccantibus, ita impium manum negâre conversis. II, 784. In conversione peccatorum Deus et Angeli magis gaudent. I, 751. In conversione nobilium quare plus lætandum. I, 752. Gaudium quod percipimus quando aliqui correcti in melius mutantur, nulli gaudio in hac vita comparari potest. II, 1085. Exhortatio ad vitæ mutationem in melius. V, 1482. Reprehensione digniores qui nunc Christo ædificante Ecclesiam non convertuntur, quam qui olim Noe ædificante arcam. V, 1611.

Conversio gentium figuratur. III, 1333. *Vide* Peccator, Viæ Domini.

Convescimur cum extraneis, cum Paganis, facilius quam cum fratribus et Christianis si male vivant, idque propter correptionem et medicinam. IV, 1289, 1290.

Convicia quomodo cedunt in utilitatem justorum. IX, 355. Ut sese gerere oporteat audito convicio. IV, 1185, 1434. Convicium grave presbyteri quomodo ferat Augustinus. II, 136. Convicium convicio non reddendum. V, 1584. Conviciatus si percutias, non est ista fortitudo, quoniam ab ira victus es. IV, 1184.

Convivium dominicum duplex, aliud hic fidelium, aliud in cœlis beatorum. V, 559. Convivii cœlestis panis justitia, potus sapientia. V, 417. Qualis qui ad convivium invitavit. V, 582. Discumbens sine veste nuptiali reprobatus. V, 583. Mali a convivio exclusi, quinam intelligendi. V, 560. Uno excluso a convivio multos exclusos significari. V, 560.

Convivia in Ecclesiis celebrari solita aboleri curat Augustinus. II, 115, 116. Convivia in basilica B. Petri olim celebrata. II, 119. Convivia luxuriosa in templo celebrasse Judæi non leguntur. II, 115.

Copia omnis quæ Deus non est, egestas est. I, 848.

Copula nuptialis propter quid instituta. X, 730. Copula nuptialis fieret sine concupiscentia si nemo peccasset. X, 730.

Cordium lux Deus. II, 560, 561. Vita cordium Christus. II, 564, 565. Cor nostrum verbo suo Deus tamquam agrum suum visitare dignatur, et de corde nostro fructum quærit. IV, 706. Cor radix unde vel spinæ vel fructus procedunt. V, 569. Cor quærit Deus, cor inspicit, intus testis est, judex, approbator, adjutor, coronator. IV, 1746. In corde homo est, quicumque est. I, 781. In corde hominis sedet Imperator, si bonus bona jubet, bona fiunt; si malus mala jubet, mala fiunt. IV, 1938. De cordibus judicat Deus, non de verbis. III, 726. Cor os suum habet. VIII, 1070. Cordis os et lingua. IV, 1660, 1661, 1775. Ex ore cordis quidquid procedit si malum est, inquinat nos; si bonum est, mundat nos. IV, 1660. Corde laudas, corde in aram conscientiæ victimas sacras imponis. IV, 1746. Lacrymæ, sanguis vulneradi cordis. II, 1081, 1082. Per cor caro mundatur. VII, 303. Deus legem suam in corde ponit, ut ea casto amore diligatur. IV, 1565. Ex corde nullo modo fieri potest, quod formidine fit pœnæ, non dilectione justitiæ. IV, 990, 991.

Cor hominis cum thesauro suo. V, 1519. Cor ubi ponendum. V, 136. Cordis et thesauri nostri locus cœlum est. IV, 1170. Cor tardum, securum est quando in cælo est; et actum cor nihil est, quando in terra est. II, 296. Cor figendum in Deo æterno ut stet. I, 814. Cor nostrum inquietum donec requiescat in Deo. I, 661. Cor nostrum ubi totum Deo est, non perit nobis. V, 212. Cor volitans in præteritis et futuris rerum motibus, adhuc vanum est. I, 814. Cor humanum quam multa figmenta parit. VIII, 887. Cor ex multitudine ad unum gratia Dei convertitur. V, 1200. Corda quærentium Deum sincera pietate, sensim ipse ab affectuum terrenorum labe purgat. I, 775. Cor gravidum. IV, 1775. Cor tuum putrescerat in terra: non gratis audis sursum cor, ne putreat. IV, 271; 1941.

Cor sursum. V, 135, 168, 170, 369, 523, 623, 904, 956, 1456. Cor sursum quandonam pietatis, quandonam superbiæ. V, 1202. Cor sursum habere ad semetipsum, est superbiæ; ad Deum, est obedientiæ. VII, 421. Cor sursum ad Deum habere munus est Dei. X, 1013. Cor cum ad Deum sursum est, ejus est altare. VII, 280. Cor quomodo effunditur coram Deo. IV, 739. Frigus caritatis silentium cordis est, flagrantia caritatis clamor cordis est. IV, 404. Cordis nostri fundamentum est Christus, si sæcularia ei non præponantur. V, 1616. Pavor et conturbatio cordis ex amissione fortitudinis nostræ. IV, 404, 405. Cinis est cor, quod ex temporali damno agitur. IV, 1651.

Cor rectum quid. VI, 162. Cor rectum quale. IV, 991, 1207, 1287, 1468, 1649. Corde recti et corde pravi quinam. IV, 273, 274, 277, 352, 1649. Corde perverso est qui vult detorquere cor Dei quod semper rectum est, ad pravitatem cordis sui. IV, 771. Corde rectus est qui laudat flagellum patris. V, 146. Cor cum directum non est, opera recta non sunt, etiamsi recta videantur. IV, 991. Corde rectus et mundus qui differant. X, 311. Cor simplex et mundum. III, 1304. Cor mundum, est cor simplex. III, 1252. Non habet simplex, id est mundum cor, nisi qui transcendit humanas laudes et illum solum intuetur qui conscientiæ solus inspector est. III, 1270. Quisnam vere purus est corde. III, 40. Cor castum. IV, 658, 928, 1246.

Cor unde mundetur. V, 569. Cor per quæ immaculatum. IV, 1556. Ad munditiam cordis quomodo pervenitur. X, 286, 310. Cor conterendum ut fiat mundum. V, 134. Cordis purgatio, sextus ad sapientiam gradus. III, 40. Cor mundandum quo videatur Deus. V, 1204. Mundi corde Deum videbunt. II, 604, 608, 618, 620, 621. Ut interiores oculi aperiantur et serenentur, fide corda mundantur. IV, 1552. Cor tamquam oculus quo videtur Deus. III, 1269. Oculus cordis ad videndum Deum requiritur. III, 1510, 1527, 1539. In corde est imago Dei. III, 1542. Deus habitare vult in corde mundo. V, 1205. Cor fidelis templum non angustum Deo. V, 158. Corda sanctorum, magna Dei tabernacula. IV, 508.

Cordis puri vitales deliciæ Deus. I, 857. Voluptas cordis. III, 1608. Cordi tribuuntur delectationes bonæ, renibus non bonæ. IV, 104, 192. Cordis tranquillitas de serenitate bonæ conscientiæ. V, 1242. Quando dicatur cor nostrum nos reprehendere vel non reprehendere. X, 305. Cor impiorum est tundum maris. IV, 782, 1425. Cordis tempestas quomodo sedatur. III, 1755.

Cordis cubiculum. IV, 1834. Cor cubile sanctum virtutis. VIII, 448. Cor justi, domus ejus. VI, 162. Cor viri justi domus ejus est, ubi Deo laudante opulentius habitat, etc. IV, 1469. In corde libenter habitamus, si id ab iniquitate mundemus. IV, 943. *Vide* Conscientia. Cordis pennæ quibus volat in domum suam, fides, spes, caritas. IV, 1030. In cor regrediatur quisquis studet Deo vacare. I, 834. Et illum invenire. I, 701. Cor diligenter claudendum. IV, 1834. Cordis ostium duas quasi valvas habet, cupiditatis, et timoris. IV, 1838. Virginitatem cordis violat seductio linguæ. III, 1499. Cordis silentium orationi tam necessarium quid perturbet. I, 803. Cor non in corde sed in oculis habet hominum multitudo. IX, 43. Cor in auribus. IX, 338. Cor duplex mentientis. V, 739. Infidus homo malo suo cordatus est. I, 972.

Cor hominis, abyssus. IV, 473, 1749. Cordis res judicem habere non potest nisi Deum. V, 569. Cordis accusator et inspector Christus. V, 569. Cor clausum non excludit oculum Dei. I, 705. Cordis intima Deo nuda. I, 779.

Cor tortum et durum. IV, 1903. Cor confortari, pro obdurari. III, 783. *Vide* Induratio. Cor lapideum et cor carnale, quid. X, 898. Cor carneum et cor lapideum quomodo intelligendum. III, 85. Duritia cordis ex vitio uniuscujusque est. III, 601. Cordis duritia usque ad finem vitæ peccatum in Spiritum sanctum. II, 814. Cordis hominum duritia manum Dei non repellit, sed solvit eam Deus cum vult, aut miserans aut vindicans; et non est qui se abscondet a calore ejus. I, 705. Deus in cordibus hominum agit, et illud quo voluerit inclinat. X, 907, 908, 909. Deus operatur bona in cordibus electorum. X, 909. In corde hominis operatur conversionem. X, 1296. Deus agit in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum. X, 908. Deus in cordibus etiam malorum agit quidquid vult. X, 907. Deus cordibus malorum utitur ad laudem et adjumentum bonorum. X, 907.

Corde dilatari quid sit. IV, 79. Cordis dilatatio et in bono et in malo accipi potest. III, 532. Cordis dilatatio ex caritate. V, 158. Cordis dilatatio, justitiæ est delectatio. IV, 1527. Corda nostra invicem videbimus post hanc vitam. V, 321, 322.

*Corax* rex Sicyoniorum. VII, 569.
*Core* interpretatur calvus, calvitium aut calvaria. IV, 464, 482, 493, 514, 525, 533, 605, 1056, 1069. Estque figura Christi. IV, 1069.
*Cornelius* Ruffinus Senatu pulsus, quod decem pondo argenti in vasis habere compertus est. VII, 164.
*Cornelius* Celsus sensit summum bonum esse sapientiam, summum malum dolorem corporis. I, 881.
*Cornelius* Censor. II, 265.
*Cornelius* et qui cum illo erant, primi fuere, in quos nondum baptizatos Spiritus sanctus descendit. IV, 1247. Cornelius ante visibilem baptismum, Spiritum sanctum accepit. III, 735; V, 1235. Cornelius centurio accepit Spiritum sanctum sine manus impositione. V, 601. Cornelium centurionem mundaverunt eleemosynæ ad quemdam modum. V, 802. Cornelius centurio non sine aliqua fide orabat et donabat. X, 970. Cornelius Petro traditur imbuendus. III, 18.
*Cornelius* nondum catechumenus a vitio impudicitiæ temperatissima voluntate se correxerat. II, 1074. Hujus pravos mores non palpando, Augustinus se vere amicum ostendit. II, 1075.
Corniculas facilius in Africa audieris quam, etc., proverbium. II, 456.
Cornos in Africa non esse innuitur. II, 70.
Cornu altitudinem, non carnalem sed spiritalem significat. IV, 1728.
*Cornutus* presbyter. II, 899, 901.
*Cornutus* Grammaticus. VIII, 77.
Corona vincentibus promissa. VI, 289. Coronari non potest quisque, nisi vicerit; nec vincere, nisi certaverit. IV, 724. Corona debita servantibus fidem. V, 1369, 1371. Corona non redderetur debita, nisi gratia prius data fuisset indebita. V, 1366. Corona ut reddatur digno, gratia datur indigno. X, 341 Coronat nos Deus de misericordia. V, 753. Nisi primo Deus per misericordiam parceret, non inveniret quos per judicium coronaret. IV, 1282. Coronabit sua dona Deus, non merita tua. IV, 895, 1280, 1321, 1783, 1784.
Corona spinea Christi. IV, 1942. Quantacumque patiaris, non pervenies ad illas insultationes, ad illa flagella, ad illam ignominiosam vestem, ad illam spineam coronam, ad illam postremo crucem. IV, 366.
Corona aurea in vitulino jecore ostensa Syllæ inter sacrificandum. VII, 72, 73.
Corpus a diabolo fabricatum secundum Manichæos. VIII, 380, 386. Et opificium gentis tenebrarum. VIII, 498. Corpora terrena tamquam mali naturam Manichæi detestantur. VII, 408. Corporis humani partes inferiores non a Deo sed a diabolo dicunt Paterniani. VIII, 46.
Corpus omne est a Deo. VI, 14. Corpora a Deo solo formari possunt et creari. VIII, 95, 556. Corpus fictum a Deo, animam vero ab ipso factam dixere quidam. IV, 1551.
Corporis nomen quot modis intelligi valeat. II, 722. Corpus quid sit. X, 534, 544. Corpus est natura quælibet longitudine, altitudine latitudine, spatium loci occupans. III, 566. Corporibus tolle locorum spatia, jam non erunt. II, 838. Id quod corpus non est, quidam putant nullam esse substantiam. II, 619. Corpus nullum est sine partibus. I, 1023. Corpus sine pace continuatarum partium ac similitudine, fingi aut sentiri non potest. VIII, 195, 199. Corpus habet innumerabiles partes. I, 1252. Corpus tanto est melius, quanto est numerosius. I, 1167. Corpus proprie dici unum non potest. I, 1252. Corpuscula etiam minutissima infinite dividuntur. VIII, 998. Corpus quodlibet in infinitum secari potest. I, 1027; II, 64; III, 266, 301. Corpus nullum est omnino quod non minus sit in parte, quam in toto. VIII, 185.
Corporis proprium est in loco esse, de loco in locum moveri. V, 360, 361. Corporum ordo ex diversitate ponderum. V, 1142. Corporum cœlestium celeritas. V, 1266. Corporum graviorum celerior quorumdam motus. V, 1142. Corporibus terrenis corpora superiora non sunt potentiora. III, 278. Corporis proprii motus et naturam norunt paucissimi. X, 528. Corporis naturam nec ipsa anima novit. X, 527. Quæstiones de corporis natura. X, 527.
Corpora quomodo sint in intellectu. VII 231. Corpus non habet vim ut formet aliquid spiritale. III, 470. Corporis imaginem non corpus in spiritu, sed spiritus in seipso facit. III, 467, 470. Corporis imago præstantior est in spiritu, quam ipsum corpus in substantia sua. III, 467. Corporum similitudines quas habemus in somnis, cujus naturæ. X, 540. Corporum quæ vel in somnis, vel in exstasi demonstrantur, velut materies spiritalis non corporalis. X, 539. De corporalibus secundum rationes incorporales et sempiternas judicare, sublimioris est rationis. VIII, 999. Quanto magis quis lucem mentis præponit luci corporis, tanto melius valet. II, 616.
Corpus sine aliqua specie esse non potest. VIII, 195. Corpus aliqua forma et specie continetur. I, 901. In eo sola pulchritudo laudatur. II, 64. In corpore pulchritudo quædam rationis. VII, 791. Ipsi non hoc est esse, quod pulchrum esse. I, 846. Corporis humani fabrica quam pulchra et admirabilis. VII, 790. Membra corporis si etiam singula pulchra sunt, in universi corporis compage pulchriora sunt III, 296. Corporis structura, compositio, opificium indicat artificem suum Deum verum. VIII, 392. Corpus quomodo factum ad similitudinem Dei. VI, 32. Corpus imaginem Dei non capit. X, 537. Corporum conditio non deformis in sexuum diversitate, etiam si esset semper mala utriusque commixtio. X, 710. In corporis conditione dignitas necessitati fuit prælata. VII, 791. Corporis elementa et qualitates quatuor. IV, 91. Corpus, terra. VII, 531. Medicorum sententia de corpore humano. III, 362. Membrorum diversa officia cum summa in corpore consensione. IV, 1707. Corporis sanitas, membrorum concordia. VI, 712. Corporis compago, symbolum caritatis. VI, 125.
Corporis pulchritudo, magnitudo, fortitudo, bona communia bonis et malis, quare. VII, 471. Corporis bona aut mala nolunt appellare Stoici, sed commoda aut incommoda et externa. VII, 258, 260. Est tantum verborum certamen, non examen rerum. VII, 260. Corporis bona nonnisi ex Deo. II, 568. Corporis bona si minuantur, bonam justamque vitam omnino non minuunt. VII, 31. Corpori non subduntur Angeli, sed subditum regunt. VIII, 870. Corpora Angelis esse verisimilius probat Augustinus. II, 355. Corpus non esse animi bonum. II. 438. Corpus secundum id quod in cœlum erectum est, animæ rationali congruit. III, 348. Corporis bonum est anima. I, 1313. Quæ etiam peccati sui pœnas luens, ipsum ornat. I, 1284. Corpus animæ vestimentum. IV, 1314.
Corpus non vegetatur nisi per animam. III, 1585. Corporis sensus unde. III, 466. Corporis vires unde majores. I, 1056, 1057. Corporis vires qui extenuentur. V, 1617. Corporis affectiones tres, sanitas, stupor, immortalitas. IV, 650, 651. Tria sunt ejus incrementorum genera. I, 1054. Corpore melior quælibet incorporea natura, etiam vitiosa et misera. II, 561. Corpore præstantissimo anima vilissima præstantior est. IV, 1885. Corpore melior animus. II, 64. Corpus inter et animam, quod melius sit corpore, deterius anima, non invenitur. VI, 38. Deterius omni corpore nihil est. VI, 38. Corpora non se colere dicebant gentiles, sed numina quæ illis regendis corporibus præsiderent. IV. 1484. Corpora quasi animarum, quæ alibi peccaverint, carceres arbitrantur nonnulli. V, 1259. Omnis animi motus aliquid facit in corpore. II, 72. Corpus quomodo mutetur in affectu voluntatis, noscere difficile est. VIII, 871. Corporibus suis quidam homines utuntur ut volunt, ad mirabiles effectus producendos. VII, 433.
Corporale omne est passibile ex Tertulliano. III, 427. Corpus nihil forte in animam agere posset, nisi præcessisset peccatum. I, 1166. Omnis corporeæ mutationis causa superior, voluntas Dei. VIII, 871. Exemplo demonstratur. VIII, 871. Alius status corporis ante Adæ peccatum, alius nunc. X, 1449. Corpori dominabantur primi parentes. III, 283. Corpus ante peccatum regebatur pro arbitrio animæ, etiamsi nondum spiritale. II, 588. Corpus regitur ab anima post peccatum ordinata, sicut leges universitatis sinunt. II, 587. Aliter corpori, aliter libidini animus imperat. X, 767. Corpus nostrum deterioris conditionis quam Adæ. III, 354, Corpora priorum hominum majora, quam hujus temporis hominum. VII, 447, 448. Corpus hominis ante peccatum erat in suo genere optimum. III, 134. Ægritudinem non patiebatur. I, 601. Corpus an dolere possit, nec tamen mori. VII, 710, 711.
Corpus Adami ante peccatum non erat corruptibile. VI, 332. Adæ corpus mortale simul et immortale. III, 354, V. Adam. Corporis Adami immortalitas ex ligno vitæ. VII, 394. Corpus animale primorum hominum et eorum qui ex eis nascerentur, si nullum peccatum exstitisset, in spiritale transire potuisset sine media morte. X, 1599. Si non peccassent primi parentes, corpora eorum accepturi erant angelicam formam. III, 283. Corpus post peccatum cœpit subjacere morti. III, 200. Corporis mors ex peccato. X, 114. Corpus quomodo mortuum ob peccatum. X, 112. Mortuum ab Apostolo dicitur propter hanc moriendi necessitatem. I, 628. Corpus moriturum est in nobis etiam juste viventibus. III, 354. Quare Apostolus vocat corpus mortis, aut corpus mortuum, non vero mortale. III, 354, 399. Corpus etiam nunc mortuum esse dicitur, quamdiu non perfecte servit spiritui. VI, 62, 65. Corpus sepulcrum est animæ mortuæ. IV, 1117. Corpus carnis quid. X, 545. Corpus mortis, an peccata an carnem intelligere oporteat. X, 1089. Corpus mortis de vitio, non de substantia dictum. X, 279. Vitia corporum vel ingeniorum congenita probant originale peccatum. X, 1452. Vitia corporum sive animarum naturæ a non tribuenda Deo conditori. X, 1420. Corpora non nasce-

rentur vitiosa, si non esset peccatum. X, 1194, 1288. Et nisi natura esset peccato vitiata. X, 1290.

Corporis gratia amissa, pœna peccati Adæ. X, 120. In corpore duo consideranda, figmentum Dei, et pœna meriti. IV, 1843. Corpus tuum fecit Deus bonum, quia bonus est; corruptionem intulit justus, quia judex est. IV, 1843, 1844. Corpori humano et belluino licet materie communi, potuit tamen corruptio et libido non esse communis. X, 1363. Consuetudo tegendi corpus orta ex peccato. X, 1376. Pax carnis et spiritus non est in corpore mortis hujus, fuit vero in corpore vitæ illius hominum ante peccatum. X, 1551.

Corpus animale, mortuum et spiritale, quid. VII, 397. Corpora animalia et spiritalia quænam sint. VII, 395. Et qui differant. VII, 402. Corpora animalia, id est animata. VII, 401. Corpus dicitur animale propter mortis dissolutionem, spiritale autem quod jam cum spiritu immortale est, non quod mutetur in spiritum. II, 945. Omne corpus in omne corpus posse mutari quidam asseruerunt. III, 362. Et hoc fieri posse credibile est. III, 365. Nullum corpus in animam aut in naturam incorpoream converti potest. III, 362. Corpus corruptibile non gravaret animam, si non esset peccatum. X, 1529. Corporis onus in hac vita semper manet. V, 1260. Corpora corruptibilia sunt omnium, sed alias animas minus, alias plus gravant, pro diversitate judiciorum Dei occultorum quidem, sed tamen justorum. X, 1424. Corpus nostrum ornamentum nobis fuit; peccavimus, et compedes inde accepimus. IV, 1896. Corpus homini gravissimum vinculum est. I, 1328. Corpus servum est et hominibus cum belluis commune. VII, 264. Corpus animæ famulus. III, 400.

Corpus castigandum, ut diabolus et mundus vincatur. VI, 294. Corpus subjiciendum est servituti. VI, 294. Id fit, si prius nos ipsos subjiciamus Deo. VI, 294. Corpus domare. V, 107. Corpori non parcendo, ei consulitur. V, 1258, 1261. Corpora diligendo, quare peccamus. VIII, 109. Corpus suum nemo odit. III, 28. Et si amplius aliquid diligitur quam corpus, non tamen corpus odio habetur. III, 29. Corpus omne fugiendum esse Porphyrius docuit. I, 590; V, 1108. Propter animæ purgationem. VII, 375. Ut anima beata esse possit. VII, 308. Corporis castigatio sacrificium est. VII, 283. Corpora fidelium, hostia sunt Deo, membra Christi, templum Spiritus sancti. VIII, 791.

Corpus fidelium, templum Dei. X, 433. Corpora nostra, ob corpus Christi, membra sunt Christi sicut animæ nostræ. V, 878. Corpora nostra, propter inhabitantem Spiritum Christi, templa sunt Spiritus sancti. V, 878, 880. Et quia empta sunt sanguine Christi. V, 886. Quomodo in ipsis Spiritus sanctus inhabitet. V, 881. Corpus baptismate quatenus sanctificatur. X, 847. Corporum sanctificatio perfecta speratur, non tenetur. X, 425. Corpus peccati evacuare, quid est. III. 2069. Corpus sanctum fit usu sanctæ voluntatis. VII, 30. Sanctitatem non aufert corpori violentia libidinis alienæ. VII, 32. Corpus dicitur vas et domus hominis. IV, 561. Corpora justorum, tamquam vasa et organa, quibus ad opera bona usus est Spiritus sanctus. VII, 27. De corporis sepultura parum curant sancti. I, 775, 778.

Corporis et mors et resurrectio. III, 25. Corporum resurrectio negata a Paganis, contra eos adstruitur. VII, 754. Corporum resurrectionem negant Manichæi. VIII. 146. Corporum resurrectionem mundus non temere credit. VII, 793. Corporis vita speranda est, præcedente jam spiritus vita. X, 113. Resurrectio corporum ad perfectam animæ beatitudinem necessaria. III, 483. Corpus non obstabit felicitati animæ. VII, 794. Corpus quod nunc est onus, post resurrectionem erit honor; quod nunc sarcina, tunc levamen. V, 1259. Nulla corpora, quantum ad ea pertinet, vel beata possunt esse vel misera. I, 1283. Corporum resurrectio, et qualis futura est sæculo venturo. X, 112, 113. Corporibus humanis, etiamsi belluina et terrena sint, debetur resurrectio et incorruptio sempiterna, X, 1359, 1362. In talem statum revocantur corpora, cum sanantur, qualem jam sortita est post peccatum natura mortalium, quæ illos in mortem compellit. X, 1449.

Corporum salus erit in resurrectione mortuorum. III, 1527. Aliud exire, aliud liberari de corpore mortis hujus. X, 299. A corpore mortis hujus non liberantur qui sunt ad pœnam resurrecturi. X, 433. Corpus mortis in resurrectione redit ad impium. V, 840. Quid de corpore nostro post mortem futurum sit, parum curandum. III, 289. Corpus idem erit, quod ante. I, 613. In resurrectione quo pacto corpora redintegrabuntur. VII, 27. Corpus in futura vita pristinæ stabilitati restituetur I, 603; III, 132, 133.

Corpora sanctorum qualia post resurrectionem futura. VII, 395, 403. Corpus melius erit post resurrectionem, quam fuit primorum parentum in paradiso. I, 601. Corpus hominis quale erit in cœlo. VII, 793. Corpus erit spiritale. I, 620, 647. Quomodo futurum spiritale in resurrectione. VIII, 145. Corpora nostra nunc terrena et animalia, post resurrectionem fient spiritalia, et quomodo. II, 355, 618, 629; VI, 188, 274. Corporum, post resurrectionem, spiritalem futuram qualitatem non dubitat Augustinus, etsi non valeat explicare. II, 355. *Vide* Resurrectio. Corpora spiritalia post resurrectionem unde dicta. V, 1143. Spiritui sine molestia subdetur corpus. I, 588. Non indigebit alimentis. I, 603. Corpora sanctorum sic erunt spiritalia, ut non, nisi velint, possibilitate non necessitate vescantur. VII, 395. Corporis spiritalis velocitas. V, 1263. Corpus cœleste, Christi instar, clausis ostiis poterit domum intrare. V, 1264.

Corpus erit incorruptibile et immortale. I, 588. Corporis sanitas perfecta, totius hominis immortalitas. II, 438. Corpus manet incorruptum, si ab animo incorruptio non recedat. VI, 495. Immortalitas et incorruptio corporis de sanitate animi exsistit. III, 27. Est præmium meriti illius quod Adam amisit. III, 355. Corporum immortalitas post mortem. VII, 240. Et æternitas. VII, 309. Corpus immortale et æternum esse post mortem, absurdum philosophis videbatur. VII, 389. Corporum immortalitatem et æternitatem post mortem, non impossibilem esse ostenditur. VII, 390. In corpore semper vivere, Dei munus ingens secundum Platonem. VII, 392.

Corpus terrenum quomodo in cœlo erit. V, 1140. Corpora terrena in cœlo esse non posse, dogma philosophorum. VII, 390, 773. Refellitur. VII, 772. Corpus nostrum quomodo in cœlo erit, si non sit ibi corruptio. V, 1622. *Vide* Resurrectio. Mirabilius est animos incorporeos terrenis corporibus illigari, quam corpora terrena cœlestibus sublimari. VII, 755. Latent nunc in corpore cogitationes, at non ita in corpore cœlesti. III, 213.

Corporalia an solo corpore possunt videri. VII, 800. An Deus videbitur per corpus spiritale. V, 1264. An per corpus spiritale videri possit substantia quæ non videtur in loco, adhuc incompertum. V, 1265. Corporalem speciem amare an sit alienari. VIII, 817, 818, *Retr.* An præter corporis formam possit cognitio provenire. X, 537. Corpus pavimenti nomine significatum. IV, 1525.

Corpus pro toto homine ponitur. III, 1739. Corporum traditio. III, 265. Corpora pro rebus quæ corporaliter possidentur posita. III, 265. Et pro servis. III, 496.

Corporale et proprie et translate dicitur. III, 459. Corporalium servitute juste premuntur, qui corporalibus ultro se manciparunt. I, 740.

Corporis et sanguinis Christi sacramentum. III, 612; V, 729. *Vide* Eucharistia. Corporis et sanguinis Christi sumptio. III, 704. Corporis Christi sumptio quotidiana, et alicubi non quotidiana. III, 1280, 1614. Corpus Christi manducare et sanguinem ejus bibere, quid sit. III, 1614, 1618. Corpora nostra sunt membra Christi propter corpus Christi. V, 878. Corpus Christi, quod est Ecclesia, dicitur Christus: et corpus diaboli, diabolus. III, 442. Corpori Christi per fidem copulamur, per intellectum vivificamur. III, 1618.

Correctio cujusquam non est desperanda, nisi diaboli. IV, 630. Correctio vitæ non procrastinanda. V, 512, 1095. *Vide* Conversio. Correctionem morum suorum differre periculosum. III, 1651.

Correctio fraterna. III, 708; IX, 81, 82. Correptio et disciplina non negligenda. V, 111, 549; IX, 98; X, 918. Licet odiosa. II, 247, 957. Correctio non negligenda, cum fieri potest vel consilio, vel auctoritate, vel potestate. III, 1263. Correctionem fraternam negligere grave malum est. IX, 83. Feriens pius, parcens crudelis. V, 111. Correptio ex cupiditate aut infirmitate neglecta, peccatum est. VII, 21. Correptio facienda. X, 931. Correptionis necessitas et utilitas. X, 919, 921. Correptio utilis et necessaria, etiamsi gratia a Deo pendeat. X, 920. Quamvis prædestinatio certa, seu quamvis prædestinatorum nullus perire possit, non est tamen negligenda correptio. X, 945. Quoniam incertum nobis est quos Deus salvare decreverit, omnium et singulorum debemus procurare salutem voto, prædicatione, et correptione. X, 944. Omnibus correptio est adhibenda. X, 946. Corripiuntur boni ut filii, dimittuntur mali ut alieni. IV, 883, 1177. Cui ignoscitur in futuro sæculo, corripitur de peccato in isto sæculo. IV, 595. Correptio non solum ejus qui corripitur, sed et aliorum utilitati servit. VII, 641. Correptio medicamentum contra quædam peccata. VI, 228 Domini præceptum de corrigendis malis. VI, 200.

Correptionem facere tenentur omnes. VII, 21. Maxime episcopi. VII, 21. Et qui præpositi sunt aliis. VII, 21. Corripiendi munus præpositis impositum. V, 124, 1697. Non regit, qui non corrigit. IV, 504. Corripere eos qui ad nostram curam pertinent, ne negligamus. V, 549. Pastores ne vitiis parcant multitudinis conciliandæ causa. V, 274. Corripere veri pastoris est. V, 762. Non corripere mercenarii. V, 761. Qui correptionem negligit, jure cum male agentibus temporaliter flagellatur. VII, 21. Libertas Augu-

stini in corripiendo amico qui consolationem ab ipso petierat de morte uxoris. II, 1074.

Correctio quæ et quatenus licita. IX, 432. Reprehendi officium, quo animo suscipiendum et implendum. III, 1261, 1262, 1263, 1298, 2143. Correptio quo animo facienda. II, 531; V, 507, 549, 1698; VI, 199. Correctio fraterna quo modo facienda et quomodo recipienda. I, 1381. Correptio inquietorum non est mali pro malo redditio. IX, 350. Correptione non malum, sed bonum pro malo redditur. X, 946. In malos sævire non licet. V, 1389. De malitia vis vincere mali iam? erunt duæ malitiæ. V, 1389. Si ille qui corripit, reddere vult malum pro malo ei qui corripienti indignatur, non fuit dignus qui corriperet sed dignus plane qui etiam ipse corripi deberet. II, 958. Correptio non sit ut insultet, sed ut confusione sanet. V, 779. Ut anima quæ ibat effusa, redeat confusa. V, 780. Correptio cum caritate facienda. X, 902. Correptio ex caritate proficiscitur. X, 942, 944. Correptio officium dilectionis est. V, 54. Qui corripit ex caritate, adhibendo severitatem non amittit caritatem. II, 550. Melius est cum severitate diligere, quam cum lenitate decipere. II, 323. Agenda sunt multa etiam cum invitis benigna quadam asperitate plectendis. II, 531. Vindicta ultima juste poscitur, quando nullus jam restat correctionis locus. II, 550.

Correptio quandonam proficit. X, 920. Correptio unde habet vim et efficaciam. X, 942. Correptio unde habet ut utilis sit. X, 944. Dei est correptionem utilem facere. X, 946. Correptio non nisi per Deum proficit. X, 921. Correptio humana non fit nisi opitulatione divina. X, 1246. Correptio sine gratia intrinsecus operante non prodest. VII, 442. Cur juste corripiantur qui non obediunt, tametsi gratiam obediendi nondum acceperint. X, 920. Sive sint regenerati sive non sint. X, 921. Correptio prædestinato est salubre medicamentum, reprobo pœnale tormentum. X, 942. Corripi a Deo et erudiri, ad eamdem mansuetudinem revocantur. IV, 1145. Usus præcepti, correptionis et orationis. X, 919. Correctiones fiunt objurgatione, monitione, oratione. II, 231. Correptio et gratia non se invicem tollunt. X, 942.

Correptio quomodo facienda. IX, 83, 84; X, 946. Correptio pro culparum diversitate diversa. X, 944. Correptio alias secreta, alias publica esse debet. V, 510. Quando secreta esse debet, quando publica. V, 510. Cur secreto fiat. V, 511. Publice publica tantum corripienda peccata. X, 946. Si solus nosti quia peccavit frater, et eum vis coram omnibus arguere, non es corrector, sed proditor. V, 510. Correptio publica in Ecclesia. V, 127. Ad correptionem faciendam magna consideratione opus est ne peccetur. II, 353. In correptione facienda se quotidie peccare fatetur Augustinus. II, 353. Melius homo corrigitur parvus, quam frangitur durus; et melius indoctus docilis corrigitur, quam pervicax. II, 873; VI, 160. Correptio aliquando ex consilio caritatis omittitur. VII, 21. Corrigi qui non possunt, tolerandi sunt. IV, 1692.

Correptio a minore quolibet non refugienda vel dedignanda. II, 290. Contra eos qui corripi nolunt. X, 920. Excusationi nolentium corripi occurritur. X, 921. Correptionem qui moleste ferunt, litigiosos et contentiosos vocant qui secum sedulo agunt. IX, 450. Qui non vult in se fieri sanus, in eum qui corripit fit insanus. V, 78. Corrigi pudere, vitium est superborum. VII, 309. Correptione quam bene utantur honestiores. I, 725. Facilius est videre quid in alio corrigas atque corrigere, quam videre quid in te corrigendum sit, libenterque corrigi. III, 2114. Multo est mirabilius et laudabilius libenter accipere corrigentem, quam audaciter corrigere deviantem. II, 286. Petrus accipiendo humiliter correptionem a Paulo, rarius et sanctius exemplum posteris reliquit, quam Paulus corripiendo Petrum. II, 285. Peccata videntur veniabiliora, cum is qui reus est, correctionem promittit. II, 654. Dum verum nobis cum aliqua asperitate dicitur, non ab homine, qui forte peccator est, sed a Christo emendamur. II, 150. Paulus eorum vitiis a quibus sibi honor exhibetur non parcit. V, 273. Quomodo Deus corrigit. VIII, 159. Corripientis Dei flagellum patienter ferendum. V, 146. *Vide* Flagellum. Correctio hæreticorum quomodo tentanda. VIII, 173. Correptio hominis per visum cæsi. V, 1410.

Corruptela ingenii et indolis multis signis se prodit in pueris. I, 674.

Corruptioni et mutationi perpetuæ corpus obnoxium est in hac vita. IV, 752. Corruptio unde est. VIII, 202, 203. Corruptibiles naturæ, quia ex nihilo factæ. VIII, 554. Corruptio tendit ad non esse. VIII, 204. Per corruptionem omnia tendunt ad non esse. I, 1348. Sed eo usque pervenire a Deo non sinuntur. I, 1349. Corruptio non est natura, sed contra naturam. VIII, 201. Corruptio non est substantia, sed est in substantia. I, 1348. Nihil corrumpitur nisi bonum. I, 1349. Corruptio nihil est aliud quam exterminatio boni. VI, 238. Ubicumque corruptio, ibi bonum fuit. VIII, 201.

Corruptio quare a Deo permittitur. VIII, 203. Bonitas Dei res quæ corrumpuntur congruentissime ordinat. I, 1349. Non omnis corruptio vituperatione digna est. I, 1290. Sola quæ vitiosa est vituperatur. I, 1291. Corruptio animæ per illicita desideria. IV, 1920, 1921. Corruptio a mala fide incipit, inde itur in turpes mores, inde in acerrimas iniquitates. IV, 614. Corruptela mentis est, fastidire quod dulce est. IV, 1425.

Corruptores sui non innocentes. V, 1272. Quis ab alio corrumpi possit, et quis non. I, 1290.

Coruscationes miracula significant. IV, 1865.

Corvus ex arca dimissus potuit cadaveri insidere. III, 551. Corvus ex arca emissus nec reversus, quid significat. VIII, 264. Corvi, gentiles; pulli corvorum, filii gentilium. IV, 1911, 1912. Corvina vox. V, 512, 1035. Corvina vox, cras cras, in illis qui conversionem differunt. IV, 1550. Non quærit Deus dilationem in voce corvina, sed confessionem in gemitu columbino. IV, 1550. *Vide* Peccatores pœnitentes.

Costa cur dormienti Adæ, et non vigilanti, detracta. IV, 668.

Cotem Tarquinius novacula secuit. VII, 294.

*Cotta* disputat in lib. Cicer. de Natura deorum. VII, 149.

Coturnices non datæ sunt Israelitis in eremo, sed orygometra. III, 617.

*Cranaüs* Cecropis regis in regnum Atheniensium successor. VII, 568.

*Crassi* duo, pater et filius, in conspectu mutuo mactati tempore victoriæ Marianæ. VII, 107.

Cras, cras, corvina vox, cum qua multi clauso ostio, foris remanserunt. V, 512.

Crastinum. Quomodo de crastino non cogitandum. VIII, 167. Præceptum non cogitandi de crastino, ut intelligendum. III, 1805; VI, 507.

*Crates* Thebanus Cynicorum sectam amplexus. X, 1362.

Creare et condere idem est. VI, 184. Creare, condere, constituere, facere pro uno indifferenter et eodem ponuntur in Script. VIII, 632, 633. Creare non potest ulla creatura. III, 602. Ideo non possunt homines de nihilo aliquid fabricare, quia per corpus operantur. VI, 90.

Creator. Quisnam creator solus est. VIII, 877, 878. Solus Deus potest esse creator cujuslibet naturæ. III, 403, 405. Creator nullorum vitiorum offensione vituperandus, et omnium naturarum consideratione laudandus. VII, 355. Creatori nihil in creatura coæternum. VII, 365. Creatoris omnipotentia. III, 406. Creatoris opera quam admirabilia. III, 1450. Creator est omnipotens virtute sapientiæ, non potentia temeraria. III, 406. Creatoris omnipotentia est causa subsistendi omni creaturæ. III, 304. Juste creator laudatur in omnibus quæ fecit omnia bona valde. III, 369. Qui mutabilia et temporalia non commutabilibus et temporalibus motibus condat, multum est vel tenuiter sapere. II, 948. Creaturæ, gradus ad creatoris cognitionem. I, 744, 745. Creaturam non amemus neglecto creatore: sed creaturam attendamus, et laudemus creatorem. V, 1204.

Creatum idem esse quod genitum Ariani existimabant. VIII, 633, 634. Creatoris proles non est creatura. VIII, 583, 584. Creatoris proles omnino est illi æqualis. VIII, 585.

Creationis beneficium. V, 172. De creatura tria scienda, quis eam fecerit, per quid fecerit, quare fecerit. VII, 354. In creatione universi quam admirabilis sapientia creatoris. VIII, 591. Creationis opera non videri debent incredibilia. VII, 376. Universam creaturam Deus non per aliquam creaturam, sed solus fecit. IV, 1758. Nihil nascitur, si non id operetur Deus. IV, 1552. Creatura nulla est, quæ ab omnipotente non creata sit. VI, 183 Scriptura non prætermisit aliquod genus creaturæ in historia creationis. III, 341. In rei natura est, ut quid esse possit; ut futurum sit, nonnisi in Dei voluntate. III, 330. Creatura undique clamat, Deus me fecit. IV, 205. Creaturæ clamant, *ipse fecit nos*: clamor earum est species earum. I, 783. Creatura universa habere se præstantissimum conditorem proclamat. VIII, 1061. Creaturæ quamvis nihil esse possint sine Deo, non sunt quod ipse. VII, 220.

Creatio. Ex nihilo Deus fecit omnia. I, 811, 828; III, 137. Quare. VIII, 117. Contra eos qui negant de nihilo fieri posse aliquid. I, 1191. Creatura non de Dei natura, sed de nihilo facta est. III, 247. Creaturæ ex nihilo factæ, non de Deo. VIII, 559. Creaturæ quomodo ex Deo. X, 497. De nihilo factum esse, idem ac naturam Dei non esse. X, 1479. Omne quod fit, ei a quo fit par esse non potest. VI, 11. Creaturæ in se habent naturæ suæ terminum, quo non sint quod Deus est. III, 309. Creatura non est Deo consubstantialis aut coæterna. III, 247. Creaturam nec a Deo alienam esse, nec tamen ejusdem cum illo substantiæ, ex Paulo ostendi-

tur. VIII, 583. Creatura quomodo a Deo facta, non de Deo genita. VIII, 548. Creaturas omnes ex sola bonitate sua condidit Deus, non ex indigentia. I, 845.

Creaturæ in Deo. III, 332. Creaturæ quæcumque in Deo vita sunt. III, 1587. Quomodo. III, 1587. Creaturæ non in se, sed in Deo vita sunt. III, 332. Qualis vita sunt. III, 332. Quæ facta sunt, in Deo sunt meliora; quia ibi veriora, æterna, et incommutabilia III, 332. Omnia priusquam fierent, erant in notitia facientis. III, 332. Creatura antequam fieret, vita erat in sapientia Dei. III, 1397. Creaturæ in ipsa Dei sapientia. III, 287. Creaturæ quomodo in Dei sapientia ante creationem. VIII, 674. Omnia antequam facta apparerent, semper in Dei sapientia facta mansisse docebant Priscillianistæ. VIII, 668. Quomodo hoc recte intelligi possit. VIII, 674. Creaturæ omnes virtute et sapientia Dei conditæ. VIII, 586. Quam facilis sapientiæ efficacissimus motus est, tam facile Deus condidit omnia. III, 318. Creaturæ omnes in Dei Verbo. III, 1674. Creatura quælibet, præter lucem, primo erat in Verbo Dei, deinde facta est in cognitione rationalis creaturæ, postea in genere suo. III, 269. Creaturæ aliter se habent in Verbo Dei, aliter ut primitus a Deo conditæ sunt, aliter ut nunc producuntur. III. 331.

Creaturæ omnes a Deo per Filium suum factæ. VIII, 579. Patris jussio ut fierent omnia, non est nisi Verbum Patris per quod facta sunt omnia VIII, 685. Quid est quod in creatione commemoratio fiat Filii, modo ut est Principium, modo ut est Verbum. III, 248. Opinio quorumdam, Deum Verbo fecisse omnia, et tamquam præstantiorem cæteris hominem suis manibus fecisse, refutatur. IV, 158. Deus per Filium in unitate S. Spiritus universam creaturam constituit. III, 221, 241. Creaturam qui negat a Deo Patre per Filium in bonitate Spiritus sancti de nihilo factam esse et mutabilem, sacrilegia de Deo dicere cogitur. VIII, 584.

Creatio mundi opus totius Trinitatis. VIII, 129. Omnis creatura a Trinitate creatrice habet esse speciem et ordinem. III, 129. In creatura vestigia Trinitatis. VII, 342. SS. Trinitas insinuatur in inchoatione et perfectione creaturæ. III, 251. Creaturæ spiritalis principium est æterna Sapientia. III, 250.

Creatura non ante sæcula, sed a sæculis facta est. III, 335. Argumenta quibus creatio naturarum in tempore impugnatur. VII, 366. Solvuntur. VII, 366. Res mundo novas facere, et mutabilem voluntatem non habere, Deo non est impossibile. VII, 371. Aliquid jam de nihilo fieri violentum est velle monstrare. III, 411. Principium Genesis de creatione cœli et terræ, varie sumi potest. III, 247. Omnia simul creata sunt. III, 231, 234, 317, 322, 327, 328, 330, 388. Quomodo itaque sex dies narrentur. III, 319, 326. Et singulis diebus singulæ tribuantur operationes. III, 251. Creata sunt omnia simul in rationibus creaturæ spiritalis. III, 234. Sine cognitione creaturæ spiritalis cæteræ creaturæ non factæ sunt. III, 312 Creaturæ qua ratione a Deo et ab Angelis noscuntur. III, 334. Aliter nota est Angelis creatura Dei, aliter nobis. III, 325. Mens nostra non est idonea creaturas videre apud Deum in ipsis rationibus quibus factæ sunt. III, 333. Creaturas non tam facile novimus, quam Deum, quare. III, 219, 220. Creaturas in Verbo Dei et in prima creatione non per sensus novimus, sed ex divina auctoritate credimus. III, 331. Creaturæ plures nobis ignotæ. III, 334. In creaturis *mane* significat earum speciem, *vespera* earum privationem seu defectum. III, 235. Cognitio creaturæ in seipsa faciebat vesperam. III, 314. Non incongrue tamen dicitur dies sub aliquo respectu. III, 312. Creatura habet in se vesperam, non in Deo. III, 308.

Creationis opera sexto die consummata et adhuc inchoata, quomodo. III, 318, 348, 393. Unus tantummodo dies creatus, cujus repetitione multi qui dicuntur dies præteruent. III, 310, 314. 321. Ordo creationis rerum per sex dies, non intervallis temporum, sed connexione causarum. III, 325, 326. Cur certis diebus certa opera edita sint. III, 273. Initium creaturæ in quiete creatoris, mane septimi diei significatum est. III, 309. Non apparet quando dies septimus fuerit creatus. III, 310. *Vide* Dies. In die septimo creationis, plenitudo et requies commendatur. VII, 344. Creationis dierum numerus, mysticus. VII, 347. Quomodo condita sunt, quæ temporalibus intervallis moventur ad peragenda quæ suo cuique generi competunt. III, 318. Rerum creatio prima facta est sine corporis mora, administratio non ita. III, 330, Productio et vicissitudo rerum quæ jam fit, est explicatio sæculorum quæ Deus universæ creaturæ indidit. III, 336. In creatura quæ facta narratur sine intervallis temporalium morarum, distinctus mirabiliter ordo rerum invenitur. VIII, 609, 610. Creaturæ genus duplex tempori non subjacens. I, 851.

Creaturæ universæ species non nisi opere Dei formatur. VII, 374. Omnia quæ arte divina facta sunt, et unitatem quamdam in se ostendunt, et speciem, et ordinem. VIII, 932. Creaturæ habent mensuras, numeros, ordines suos. III, 288. Creaturæ omnes gradibus suis conditæ et ordinibus distinctæ. VIII, 538. Creaturarum gradus, ordo, numerus cognitus a Deo ante creationem. VIII, 674. Modus, species et ordo, generalia bona in rebus a Deo factis. VIII, 555. Unde interdum dicatur malus modus, etc. VIII, 558. In creaturis est ordo rationis, ordo utilitatis, et ordo justitiæ. VII, 331. Creaturæ omnes certis gradibus ordinatæ sunt, aut locorum intervallis, aut meritis naturalibus, aut meritis præmiorum atque pœnarum. VIII, 586, 595. Quam mirabilis et diversa creaturarum pulchritudo. VII, 791. Unde creaturæ formam accipiunt. I, 845. Informes penderent, si solam a Deo traxissent exsistentiam. I, 845. Creaturarum mira ordinatio. IV, 1878. Creaturæ omnes ordine quodam reguntur. VIII, 873.

Creatio cœli et terræ. I, 811. Ut varie intelligitur quod Scriptura dicit de creatione rerum. I, 841, 842. Ut respondendum quærenti quid faciebat Deus ante cœli et terræ creationem. I, 815. Creavit Deus hominem per Verbum suum, et per Verbum recreavit. IV, 1855. Mirabilia seu miracula creationis ideo insolita, quia prima. III, 373.

Creaturas omnes bonas esse adversus Manichæos. I, 743. Creatura omnis bona in genere et ordine suo. VIII, 538, 607. Sed non æqualiter, quare. VIII, 606. Cum omnia Deus fecerit, quare non æqualia fecit. VI, 27. Deum de nihilo fecisse omnia bona valde, quomodo probetur. VIII, 580. Creatura ex nihilo facta, non de Deo, ideo non summe bona. VIII, 595. Creaturæ in tantum bonæ sunt, in quantum acceperunt ut sint. III, 32. Ex corruptione creaturæ, et ex ipsa etiam vituperatione vitii, ostenditur bonitas naturæ ejus. I, 1289. Creaturæ omnes ita sunt bonæ, ut etiam ipsas quæ cum vitiis creantur, ratio bonas esse demonstret, ipsorum quoque attestatione vitiorum. X, 1537. De bonitate creaturarum semper sunt urgendi Manichæi, ut earum bonum Deum, quod negant, fateantur auctorem. X, 1557.

Creaturam quatenus laudant Catholici. X, 611. Cur laudant Pelagiani. X, 606, 609. Pelagiani in laude creaturæ a Manichæorum errore sani videntur, sed alia sua pestilentia moriuntur: utrique a Catholicis redarguuntur. X, 611. Creaturarum vera laus. VIII, 300. Creatoris opera quatenus laudanda. X, 770.

Creaturæ Deo non comparatæ, sunt; quoniam ab illo sunt: illi autem comparatæ, non sunt. IV, 1741, 1863. Creatura rationalis, quæ non nisi malorum comparatione cavet malum, non parvi boni est. III, 434. Creaturarum defectum non fecit Deus, sed ordinavit. III, 240. Nihil homini secundum vitia corporalia, quod Deus nolit. III, 598. Creatura omnis sponte peccavit, et inimica facta est veritati; sed ut merito puniretur, non sponte subjecta est vanitati. IV, 1532. Amor Dei in opera sua ex beneficentia venit. III, 250, 251. Rebus quæ quotidie oriuntur condendis efficaciam virtutis suæ adhibet Deus. II, 948. Creat Deus interius, extrinsecus adhibentur opera creaturæ. VIII, 876. Si Dei se bonitas rebus conditis subtrahat, ad nihilum relabentur. X, 712, 858. Creatura sive corporalis, sive spiritalis, semper multiplex. VIII, 928.

Creaturarum subjectio Deo et sibi invicem. III, 390. Spiritalem creaturam corporali Deus præposuit. III, 388. Res alias, præter hominem, quas creavit Dominus, sapientissima ordinatione sive bonis sive malis angelis subjecit. X, 1421.

Creaturæ spiritalis creatio. I, 846. Creatura rationalis, quam magnum bonum. VIII, 554. Creatura intellectualis in Deo quietis habet locum. III, 309. Creatura spiritalis quam infirma sit, unde pateat. I, 848. Creatura in quantum est, bona est; in quantum deficit, se non de Deo genitam, sed ab ipso de nihilo factam ostendit. VIII, 191. Cur deficiunt et mutabiles sunt creaturæ. III, 136. Creaturæ omnes mutabiles, non quia a Deo, sed quia de nihilo factæ. X, 666, 667, 1481. Et tamen sunt bonæ. X, 1495. Creatura corporalis per tempora et loca, spiritalis per tempora tantum mutari potest. III, 388. Creatura intellectualis contemplatione veritatis omnia tempora excedit. III, 252.

Creatura rationalis quænam melior. VIII, 614. Creatoris participatione incorporeæ creaturæ rationales fiunt meliores. II, 562. Creatura spiritalis potest habere vitam informem, quare. III, 249. Informitas creaturæ est aversio ejus a sapientia incommutabili, pulchritudo vero conversio ad eam. III, 249. Creatura spiritalis est imperfecta et tenebrosa abyssus, dum ad creatorem non convertitur. III, 247, 252. Creatura deserto incommutabili lumine, in se obtenebratur; ad illud autem conversa, fit lux, non in se, sed in Domino. VIII, 602. Quomodo creatura potest illuminari. III, 247. Et dici lumen. I, 846. Creatura tunc imitatur Verbi divini formam, cum ad creatorem suæ substantiæ convertitur. III, 249. Creaturæ intellectuali non cessat loqui Sapientia æterna, ut convertatur ad id ex quo est. III, 249. Creatura ad creatorem suum non conversa, tendit ad nihilum. III, 247. Creatura, quia de nihilo facta est, quando

peccat, potest ad nihilum vergere, quomodo. VIII, 583, 584, 587, 590, 594. Creatura rationalis cum creatori suo dilectionis obedientia cohæret, naturam suam in illius æternitate, veritate, caritate custodit. VIII, 595.

Creatura rationalis aut beata aut misera. VII, 266. Creaturæ rationalis beatitudinum et miseriarum alternantes vices semper fuisse, semper fore, docuit Origenes. VIII, 55. Creaturæ spiritalis felicitas et perfectio in quo sita. I, 846 Creatura rationalis ita facta est, ut sibi ipsa bonum, quo beata fiat, esse non possit. II, 561, 568. Creaturæ rationalis aversio ab incommutabili bono, vitium et miseria; conversio vero, virtus et beatitudo. II, 561, 568, 569. Recedenti a Deo, creaturæ in supplicium convertuntur. IV, 1887.

Creatura rationalis, aut mortalis aut immortalis. VII, 266. Creaturæ omnes cœperunt esse, sed aliæ desinunt, aliæ permanent. VIII, 604. Quod creatur in tempore, potest esse immortale. II, 727. Creaturam nullam Deus conderet quam præsciret futuram esse malam, nisi nosset quibus eam bonorum usibus commodaret. VII, 332. An crudele sit, Deum creare quos scit esse damnandos. X, 1442. Creatura nulla secundum se ipsam vivere debet. VII, 408. Creaturæ indigentiæ explendæ non sufficit nisi Deus. VII, 349. Rationalis creaturæ verus cibus, solus Deus. X, 255. Creatura spiritalis cœlum cœli. III, 252. Universa creatura spiritalis et corporalis sæpe cœlum et terra nominatur. III, 273.

Creaturæ sunt vestigia et nutus Dei. I, 1264. In creaturis quomodo Deus contineatur. IV, 1480, 1481. Omnia opera Dei testimonium dicunt bonitatis et magnitudinis Dei, IV, 1580. Creaturæ omnes laudant Deum, quomodo. IV, 205, 845, 846, 1691, 1878, 1946. Creaturarum species, voces sunt creatorem laudantium. IV, 206. Creaturæ omnes testimonium perhibuere Christo. III, 1598. Creatura spectaculum homini facta est. IV. 1851. Creatura amplissima quædam immensaque respublica. VIII, 873. Creatura universa, magnus quidam liber naturæ rerum. VIII, 509. Creatura non fruitur Deus, sed utitur. III, 32. Quatenus utatur Deus ut vult creaturis omnibus, describitur. VIII, 872. Creatura voluntatem creatoris numquam superat. IV, 1464.

Creata quomodo amanda. III, 1995. Creatura et bene potest amari, et male. VII, 467. Creatura non ob aliud perniciosa est amatori, nisi quia præponitur creatori. IV, 1028. Creaturam Deo præponentes reprehenduntur. V, 144. Creaturarum amor, ebrietas. I, 677. Hominem quasi dispergit et discindit. I, 675. Nullam creaturam licet colere cultu qui soli Deo debetur. VII, 217. Creaturam qui colit ritibus scelestis et obscœnis, bis peccat in Deum. VII, 217. Ex creaturis assurgendum ad creatorem. V, 699.

Creatura Dei nulla mala, sed ea male uti est malum. VIII, 562. *Vide* Malum. Peccatum. Creatura quomodo utendum aut fruendum. VIII, 968. Sine creatoris amore nemo bene utitur creaturis. X, 755. Creaturarum usus miserorum sunt damnatorumque solatia, non præmia beatorum. VII, 792. Creaturis perverse utens anima non effugit ordinationem creatoris. II, 539. Creatura quot modis assumitur ad significandum. VIII, 879. Creatura hominis in homine. VIII, 583. Creatura omnis partim corporalis, partim incorporalis. II, 378.

Credentibus vehementer insultabant Manichæi. VIII, 183. Credere non est turpe in religione antequam scire. VIII, 81. Credere in multis quam necessarium ad humanam societatem. VIII, 84, 85. Credere aliquando sine vitio est, aliquando cum vitio, quandonam. VIII, 83. Credere inter et opinari quid distat. VI, 488. Credentes ab opinantium temeritate quomodo alieni. VIII, 84.

Credere est cum assensione cogitare. X, 963. Creditur quod non capitur. III, 1667. Alia sunt, quæ nisi intelligamus, non credimus; et alia sunt, quæ nisi credamus, non intelligimus. IV, 1552. Creditur ut intelligatur. III, 1667. Credere non idem est quod mentis aspectu contueri. II, 597, 599. Creduntur absentia, præsentia videntur. II, 600. Credere nolle, nisi quod videas, perversum est. V, 698. Credita videre mente dicimur, quomodo. II, 600. Cum aliqua corporalia lecta vel audita quæ non vidimus, credimus, fingat sibi aliquid animus in lineamentis formisque corporum necesse est, et hoc ad aliquid utile. VIII, 951, 952. Crede quod nondum vides, ne erubescas cum videris. IV, 1208. Credere vel non credere licet testibus vel testimoniis humanis, quantum ea momenti ad faciendam fidem vel habere vel non habere perpenditur. II, 598.

Credere in Deum quid. III, 1631. Credere in Deum hoc est, credendo adhærere ad bene cooperandum bona operanti Deo. IV, 988. Credere est ad Deum accedere. III, 1741. Non credimus in Apostolum, vel in hominem, quare. III, 1781. Vivis, si credis; si credis, efficeris templum Dei. IV, 1620, 1704. Credentium tres gradus. V, 1297. Fides in Christum pauperem et crucifixum. V, 251, 730. Quicumque in Christum non credit, damnatur. V, 1343. Credere Christum et credere in Christum differunt. V, 788. Credere in Christum, quid. III, 1778. Credere in Christum hoc est, diligere Christum. IV, 1704. Habere fidem quæ per dilectionem operatur. VI, 217. *Vide* Fides. Corde credere non sufficit, nisi et ore non negetur Christus. VI, 526. Non perfecte credunt, qui quod credunt, loqui nolunt. IV, 1492. Difficile est ut male vivat, qui bene credit. V, 321. Venire ad Christum est credere. X, 568. Parvulis credere est baptizari. X, 132. Multi nolle se in Christum credere dicunt, quia nemo potest implere quod jubet. IV, 1370. *Vide* Fides. Credis in Christum natum in carne, pervenies ad Christum natum de Deo. IV, 1641. De Christo quid credendum. V, 1072, 1124. *Vide* Christus.

Credere Evangelio donum Dei est. X, 972. Credere datur nobis a Patre III, 1618. Nemo credit, nisi qui audivit a Patre: et omnis qui audivit et didicit, venit. X, 970. Credendi voluntas unde. X, 237. Ad credendum voluntas sine gratia non sufficit. II, 830, 831. Voluntas credendi non propterea Deo tribuitur, quod ex libero arbitrio est, quod cum crearemur accepimus. X, 240. Qui nimium viribus suis tribuunt, non possunt credere in Christum. III, 1778. Credere est opus Dei, et eadem ipsa justitia. V, 320. Ipsum velle credere Deus in homine operatur, quomodo. X, 240. Et credere et bonum operari, per Spiritum sanctum datur, et simul nostrum est. X, 964. Credere et velle quomodo nostrum est. III, 2061, 2062. *Retr.* Difficilia non creduntur aut capiuntur, nisi donante Deo. III, 1815. Credere nemo potest, nisi aliqua vocatione tangatur. VI, 126. Ut credamus, misericordia Dei vocamur; et credentibus præstatur ut bene operemur. III, 2061, 2062. *Retr.* Judæi et qui cum eis non credunt, voluntatis suæ vitio non credunt. II, 830. Pœna justa fit, ut homines non credant excæcato corde; gratia vero gratuita, ut credant libera voluntate. X, 1518. Posse aut non posse credere non prodest aut obest, nisi habita ratione prædestinationis. X, 1014. Etsi quidam naturaliter apti sunt ad credendum, si vel dicta vel facta quædam adhibentur, non adhibentur tamen si non sint ex prædestinatis. X, 1014. Non profuit Tyriis posse credere, quia non erant prædestinati: non obfuisset Judæis non posse credere, si fuissent prædestinati. X, 1014. Cur illis datum sit ut credant, aliis non datum, inscrutabile judicium est Dei. X, 1016. Omnes gentes, non omnes homines omnium gentium credent in Christum. II, 923.

Credibilium tria genera. VI, 31. Ex eo quod Deus fecit, credibile fit quod promisit. V, 727. Credibiliorum fit fides ex incredibilioribus creditis. X, 144. Creduntur vix, quæ multum læta sunt, etsi certa sunt. IV, 1927.

Credulum inter et credentem plurimum interest. VIII, 80. Creduli nomen pro vitio solet objectari. VIII, 80. Non cuilibet spiritui credendum. V, 984. *Vide* Fides.

Creditoris et debitoris officium. III, 764. Creditores suos Deus convenit ipsi ut recipiant. V, 525.

*Crescens* a Cirta. IX, 208.

*Crescentianus* Murensis Episc. IV, 381.

Crescere. Creverunt juvenes, pro, crescendo facti sunt juvenes. III, 493.

*Cresconius* Tribunus. II, 428, *Not.* (*b*).

*Cresconius* Adrumetinus monachus. II, 968, 971.

*Cresconius* Episc. Maximianista. IV, 376.

*Cresconius* alter Maximianista. IV, 376.

*Cresconius* grammaticus Donatista. I, 641.

*Cresconius* nulla functione clericatui adstrictus. IX, 447.

*Creso* Conjustiacensis Episcopus. IV, 381.

*Creso* sive Cresoconius Titianensis. IV, 381.

Creticam accessionem medici vocant, per quam transitur ad sanitatem. IV, 923.

*Creüsa* Æneæ uxor. VII, 576.

*Criasus* rex Argivorum. VII, 565.

*Criatus* quintus rex Argivorum. VII, 565.

Crimen est peccatum grave. III, 1697. Crimina mortifera tria tantum esse quidam putarunt. III, 995. Refelluntur. III, 995. Satius est incertum de futuro crimen, quam certum de præsenti eligere. VII 570. Crimine falso delectari, crimen est verum. VII, 570 Crimen falsum quod est calumnia, reum non facit hominem, nisi apud judicem hominem. IV, 1582. Quod equo natura est, homini crimen est. IV, 1339.

Crimen alienum non maculat. II, 86; IX, 31, 40, 233. Præsertim si ignotum. II, 86; IX, 31, 40, 233. *Vide* Mali, Peccata, Traditio. Crimina etiamsi vera sint, bonorum caritati pro unitate in unitate omnia tolerandi, nihil nocent. IX, 57. Criminis aliorum non fit particeps, nisi qui iniqua agit aut approbat. IX, 79. Etsi a crimine longe simus, non tamen sine peccato. IV, 1508. Multi sine crimine esse possunt, nemo sine peccato. X, 565. *Vide* Peccatum.

Crimina quælibet in Ecclesia remittuntur. VI, 202. Crimina eleemosynis non redimuntur, nisi vita mutetur. VI, 265. *Vide* Peccatum. Crimina criminibus aliquando vindicantur, et supplicia peccantium non sunt tormenta, sed incrementa vitiorum. VIII, 655. Criminationes ab Ecclesiæ

inimicis cum ipsa Ecclesia perpeti, gloriosum est. IX, 611.
Criniti monachi castigantur. VI, 578. Cur in Samuele aliisque antiquis coma laudabilis. VI, 578.
*Crispina* martyr. IV, 1616, 1775, 1777, 1785; V, 1298, 1565; VI, 422. *Not.* (*a*).
*Crispinus* Calamensis episcopus Donatista. IX, 523, 528, 535. Hesternus tyro appellatur. IX, 523.
Crispinus presbyter Crispini Calamensis Donatista. IX, 523. Ejus immanitas. IX, 523. Quare adversus Crispinum leges commotæ a catholicis. IX, 524. Ad Theodosii filios provocat Crispinus. II, 306; IX, 524, 525. Crispinus pœna decem librarum auri per mansuetudinem catholicam feriri non est permissus. II, 236, 306, 307. Intercedente Possidio. IX, 524. Crispinus apud Hipponem comparavit fundum. IX, 316, 336. Crispinus non dubitavit octoginta ferme animas rebaptizando submergere. IX, 316, 336. Crispinus hæreticus rebaptizavit Mappalienses metu et pecunia subactos. II, 236.
*Crispulus* episcopus. II, 759, 780.
*Crispus* consul. IX, 687.
Critica medicis, quæ aliis accessio dicitur. I, 719.
Crocodilus solus superiorem in mandendo partem movet. I, 891; X, 831. Crocodilorum littus. VII, 255.
χρόνους inter et καιρούς discrimen. II, 900.
Cruciatibus non delectatur Deus, sed justitia nostra; nec quæritur quid quisque patiatur, sed quare. V, 1295. Cruciatus omnes qui corporaliter inferuntur, aut exercent conversos ad Deum, aut ut convertantur admonent, aut juste damnationi ultimæ præparant obduratos. IV, 117, 118. Cruciatus corporis malos affligit, bonos purgat. VI, 295. Qui cruciatur, si inde nihil adquirat boni, dolet damnum salutis. VII, 641.
Cruciatus cum gehenna comparatus, quam levis. VI, 719.
Crucis supplicium cur Christus elegit. VI, 17, 630. Crucem ignominiosissimum mortis genus ideo suscepit Christus, ut non solum nullam mortem, sed etiam nullum mortis genus christiana libertas formidaret. VIII, 166. Portans crucem suam Jesus, grande spectaculum. III, 1945. Quid significet quod Christus crucem suam portavit. V, 1084. Titulus super crucem. V, 1084. De cruce cur non descendit Christus. V, 535, 543. Cruce Christus vicit orbem terrarum. V, 534. Crux muscipula qua captus est diabolus. V, 726. Crucis virtute conterantur hæreses, ut virga Moysi magorum serpentes. VI, 696. Videtur consummata nequitia hominum, qui crucifixerunt Filium Dei: sed eorum major est qui nolunt recte vivere, et oderunt præcepta veritatis, pro quibus crucifixus est Filius Dei. IV, 103.
Crux genus mortis pessimum. III, 1665. Crucis supplicio nihil exsecrabilius videbatur. IV, 1829. Crux jam de pœna generis humani sublata est, modo nullus crucifigitur. IV, 366. Crux modo in pœnis reorum non est apud Romanos. III, 1664. A locis suppliciorum fecit transitum ad frontes Imperatorum. IV, 366. Jam in fronte regum crux illa fixa est, cui inimici insultaverunt. IV, 637, 665, 1839. Christus de cruce sua vicit reges, et subjugatis ipsam crucem in fronte fixit. IV, 1228. Jam in frontibus regum pretiosius est signum crucis, quam gemma diadematis. IV, 292, 934. Crucis ignominiam in loco pudoris nostri constituit Christus. IV, 1839. Crucem suam cur hic honoravit. V, 543. Qui tantum honorem dedit pœnis suis, quid servat fidelibus suis. IV, 292, 366. Crucem Christi qui irrident, a dæmonibus tamquam a bestiis devorantur. IV, 525.
Crux clavis Testamenti veteris. V, 1377. Clavis fuit, qua clausa aperirentur. IV, 514. Crucis mysterio omnia revelata. V, 1378. Crux novi Testamenti signum, ut circumcisio veteris. V, 876. Crux virga regni Christi. VI, 696. Crux Christi tribunal fuit. III, 1642. Tribunal fuit, non supplicium. VI, 69, 695. Tribunal judicis. V, 1293. Tribunal unde Christus insultantem damnavit, confitentem coronavit. V, 1460, 1471. Crux Christi magnum candelabrum. V, 1311, 1456. Crux schola et cathedra Christi V, 1116, 1430. Crux non ad potentiæ documentum, sed ad patientiæ exemplum a Christo suscepta est. III, 1597. In cruce Christi abscondita erat virtus, sicut in grano numeri seminum latent. IV, 720. Crux ipsa et pro ipsis persequentibus facta est. IV, 487.
Crucis grande commercium. V, 1454. Crucem tollere. V, 586, 1436. Quænam crux tollenda ad sequendum Christum. VIII, 166. Crucem ferre debet Christianus in præsenti vita. II, 215. Crux Christi amplectenda, ne mundi hujus gurgite abrepti sorbeamur. II, 335. Crux Christi, navis qua transeamus mare hujus sæculi. III, 1589, 1590. Cruce Domini portemur necesse est, ut ad patriam transeamus. V, 475. Christianus debet perpetuo pendere in cruce. V, 1059. A cruce non recedendum, et ipsa ad patriam perducet. III, 1589. Melius est non videre mente id quod est, et a Christi cruce non recedere, quam videre illud mente, et Christi crucem contemnere. III, 1589.
Crux Christi nos firmat adversus colluviem morum pessimorum generis humani. II, 533.
Crux non erubescenda. V, 1074. De cruce non erubescit Christianus, sed in fronte eam portat. IV, 1859. Glorificatio sit in cruce Christi, non in nostra justitia. V, 877. Crux medicamentum. IV, 1858. Crux signum humilitatis, unde sanatur tumor superbiæ. IV, 1858. Crucis humilitas, via ad celsitudinem. V, 875. Crucis lignum appellatur vita. III, 1586.
Crucis signum. I, 668; II, 694. Crucis signum Ecclesiæ inimicos superat. V, 1638. Crux Christi, signum Christi: quod signum nisi adhibeatur, nihil rite perficitur in celebratione sacramentorum. III, 1950. Crux, sepultura, et resurrectio Christi observanda in celebratione Paschæ. II, 215. Crucis signum in fronte. V, 181, 201, 876, 941, 1295, 1386, 1501; VI, 335. Signantur signo dominicæ passionis in frontibus populi ad tutelam salutis. VIII, 270. Continuo se signant in fronte Christiani, si aliqua ex causa expavescant. IV, 585. Moriens adolescens signare se cœpit in fronte. II, 694. Goliæ percussio in fronte, ubi crucis signum non habuit, non est sine mysterio. IV, 1857. Crux tamquam tropœum in frontibus fidelium. III, 1596, 1665, 1709, 1780, 1946. Si portas in fronte signum humilitatis Christi, porta in corde imitationem humilitatis Christi. V, 201. Crux fidelibus est triumphus, et vexillum contra diabolum. VI, 664. Crux in fronte cathecumenorum. III, 1476. Per crucis signum catechumenos Ecclesia suscipit. VI, 659. Crucis signo cancer curatus. VII, 763. Crucis signum in vestibus baptizatorum apparens. V, 136. Crucis clavorum virtus. V, 1646.
Crux Christi allegorice. III, 1949. Crux nostra mortalitas nostra. II, 1058. Crucem suam quodam modo tollit, qui continentia regit mortalitatem suam. V, 1085. Crucis quatuor dimensiones. V, 371, 903. Crucis dimensiones quid significent. II, 566, 611; IV, 1348. Crucis latitudo, longitudo et profundum omnem actionem christianam describit. III, 64. Crucis latitudo, hilaritas; altitudo, exspectatio retributionis de sublimi justitia Dei; longitudo, tolerantia; profundum, secretum sacramenti. II, 216. Crucis profundum, quod gratia alii detur, alii non detur. V, 905. Crucis quatuor gradus ad cœlum perducentes quomodo ascendendi. VI, 698.
Crucis figura fuit arca Noe. VI, 334. Necnon Moyses manus extendens. VIII, 901. Lignum immissum in aquas ut dulces fierent. III, 616. Littera græca T. III, 804. Virga qua petra percussa est. III, 737. Duo ligna crucis per geminam percussionem petræ significata. III, 1612.
Crucifixum Christum scire magna sapientia. V, 874. Crucifixi sumus et resurreximus in Christo. III, 2063 Crux, sepultura et resurrectio spe et fide geritur. II, 215, 216. In cruce Domini crucifixio veteris hominis designatur. III, 2069. Crucifixio hominis interioris, pœnitentiæ dolores, continentiæ quidam salubris cruciatus. VIII, 891. Crucifigendæ in Christo similitudinis carnis peccati, figura fuit et similitudo serpentis per Mosen exaltata. IV, 1578. Crucifigi mundo quid sit. VI, 207. Quis mundo crucifixus, et cui mundo crucifixus est. V, 1312. Crucem luminis lædere, apud Manichæos quid significet. IV, 1825.
Crudelitas parcens, misericordia sæviens. II, 660.
Crystallum quid et quomodo fiat. IV, 1914.
Cubile nostrum interius est cor nostrum. IV, 343, 515.
Cubitus geometricus sex cubitis nostris æquivalet. III, 549; VII, 474. Per cubitum geometricum areæ capacitas ad continenda omnia animalia demonstratur. III, 549.
Cucurbitæ occiduntur secundum Manichæos cum decerpuntur. VIII, 230.
*Cuiculis*. IX, 256.
Culpam etiam pœnam esse peccantis confessus est Julianus. X, 1354.
Cultus Dei unico verbo non potest exprimi. VII, 278. Cultus, qui dicitur latria, soli Deo debetur. VII, 279, 280. Hæc est religio Christiana, ut unus colatur Deus; quia non facit animam beatam, nisi unus Deus. III, 1585. Cultus Dei in quo constitutus est. X, 211. Cultus Dei amor ejus. VIII 1010. Cultus Deo debitus est, vel aliqua nostra, seu nos ipsos religionis ritibus consecrare. VII, 277. Homo fit similis ei quem adorat. III, 1466. Cultus Dei pietas: nec colitur ille, nisi amando. II, 537, 737. Nobis prodest colere Deum, non ipsi Deo. II, 377. Colimus nos Deum, et colit nos Deus. V, 316, 531, 651. Cultus Dei gratuitus. IV, 207, 488; V, 207, 865. Legis veteris servitus est, cum Deus colitur propter terrena. V, 167. Cultum Dei vilissimo pretio addicit, qui pro illo terrenam felicitatem quærit. V, 135. Cultus gratuitus Dei solus animam satiat. V, 865. Cultoribus suis præmium Deus ipse est. V, 136. Cultus Dei servilis quis, quis liberalis. X, 597.
Cultores veri Dei, dii. VII, 279. Sancti conservi sunt nostri, non pro Deo colendi. V, 1442. Martyres honorandi,

Deus colendus. V, 1249. Cultum Deo debitum impendi sibi horrent sancti. V, 1251. Cultus mortuis hominibus a paganis impensus. V, 1249. Cultus multorum deorum et falsorum, fornicatio. III, 1702. *Vide* Latria.

*Cumæa Sibylla* multa de Christo cecinit. VII, 580. Cumæa vates aliquid de unico Salvatore in spiritu forte audiit. II, 1073. Cumæum carmen. II, 595; III, 2089. Cumææ sibyllæ tribuuntur carmina de Christo, nomine Erytrææ vulgata. VII, 580.

Cumana colonia Græca erat. VII, 86.

Cunæ nutritoriæ. I, 841.

*Cunina* dea, quæ cunas infantum administrat. VII, 118, 122.

Cupiditas quid sit. VI, 24, 25; VII, 409. Cupiditas est improba voluntas. I, 1295. Cupiditas abusive dilectio dicitur. VIII, 956. Cupiditas vocatur amor, cum pravus est. IV, 124. Cupiditas est amor earum rerum, quas potest quisque invitus amittere. I, 1227. Cupiditas cum non additur cujus rei sit, nonnisi in malo potest intelligi. VII, 411. Cupiditas in malis flagitiosisque dicitur. III, 1503. Non est vocanda cupiditas rerum quæ propter aliud requiruntur. I, 880.

Cupiditatem nemo præter Pelagianos negat esse malam. X, 1366. Cupiditas mala non est a Deo. IV, 291. Nulla in Adamo ante peccatum cupiditas resistebat voluntati. X, 1530. Cupiditas nos facit Deo dissimiles. VII, 271. Cupiditas culpabilis est non ex objecto suo, sed ex inordinatione sua. III, 1824. Cupiditas omnium malorum radix. IV, 1154; X, 370. Cupiditates meretrices. I, 705. Cupiditas triplex, voluptatis, dominationis et cognitionis. I, 807; III, 153. Christus a diabolo tentatus eas vicit. I, 807; III, 153. Amor auri, laudis, feminarum, congruentius cupiditas vel libido nominatur. I, 1329. Amor mundi, amor hujus sæculi cupiditas dicitur. IV, 260. Cupiditatem ventosam et turbidam, avidam rerum extra nostram potestatem constitutarum, pellit ex animo humilitas. II, 485. Ibi labor, ubi multa quæruntur et diliguntur, quibus adipiscendis et retinendis voluntas non satis est. II, 485. Nescit cupiditas ubi finiatur necessitas. X, 773. Cupiditates non finiuntur, sed augentur, si præsentia propter terrenas promissiones contemnantur. V, 265. Cupiditas rerum æternarum cupiditati rerum temporalium non debet misceri. V, 204.

Cupiditates non exstinguunt res temporales. IV, 1411. Plus augent cupiditatem illis qui res temporales possident. IV, 1639. Cupiditatis ardorem dum scalpimus, accendimus. I, 684. Cupiditas viscum. IV, 1792. Dominus rerum suarum est, qui non est irretitus cupiditate; qui autem cupiditate tenetur, possessus est, non possessor. IV, 544. Cupide servantis sua quæ sint pericula. V, 631. Cupiditas temporalium quomodo in proximum iniqua. V, 205. Cupiditates et libidines solent de repentino successu terrenæ felicitatis exsistere. III, 799. Cupiditas malus dominus. IV, 163.

Cupiditates omnes vitæ hujus sunt satellites. V, 1282. Cupiditas pondus. I, 847. Cupiditas sua unicuique tempestas est. V, 482; VI, 456. Omnia peccata duæ res faciunt in homine, cupiditas et timor. IV, 1026. Cupiditas animi progressio; timor animi fuga, etc. III, 1732. Cupiditas et timor duæ januæ diabolo tentatori. V, 200, 201. Per quas intrat et regnat inimicus. VI, 310. Per cupiditatem diabolus regnat in homine. VI, 291. Vincuntur invisibiles potestates, ubi vincuntur cupiditates. VI, 291. Cupiditates pravæ sunt portæ mortis. IV, 125. Cupiditas peccatum vocatur. VI, 106. Cupiditate inferiorum quisque peccat. IV, 950. Cupiditas quanto major est, tanto quemque efficit ad mala quæcumque perferenda fortiorem. VI, 618, 622. Cupiditas quamdiu est in membris nostris, lege quadam sua repugnat legi mentis. II, 771.

Cupiditates aliquæ nobiscum nascuntur, aliquas consuetudine facimus. V, 817. Cupiditas natura et consuetudine roboratur. VI, 106. Cupiditas mundi initium habet ex arbitrio voluntatis, progressum ex jucunditate voluptatis, firmamentum ex vinculo consuetudinis. VI, 619. Humana voluntas non libera dicenda est, quamdiu est vincentibus et vincientibus cupiditatibus subdita. II, 595. A cupiditatum vinculis expediri, quantum bonum. I, 765. Cupiditates quando validæ sunt, eisque servimus, necessitates vocantur. IV, 258. Cupiditas frustrata vertitur in dolorem. VII, 711. Non tam satietas est de plenitudine cupiditatum, quam pressura. III, 846. Cupiditas, sicut radix spinarum, dulcem pluviam ad punitiones convertit. IV, 1805. Cupiditatem omnem sua culpa consequitur. I, 674. In ipso animo, ubi appetitus voluntatis humanorum omnium est mensura factorum, continuo pœna sequitur culpam, plerumque major non sentientis cæcitate graviore. II, 581. Animæ cupiditates quomodo carnis dicantur, et quomodo curentur. X, 802.

Cupiditates quæ putantur ad innocentiam pertinere et licitæ, legibusque concessæ. VI, 615. Cupiditas facit cives Babyloniæ. IV, 775, 774.

Cupiditates malæ nascentes, parvuli Babyloniæ IV, 1775. Cupiditas, cum parvula est, elidenda. IV, 1775. Cupiditas hîc perimenda, ut consumatur; non differenda, ut ibi (in cœlo) satietur. IV, 1466. Cupiditas in beatis nulla erit. VI, 289.

Cupiditatis aut caritatis suæ quisque onus portat. V, 898. Quanto sunt caritati futura meliora, tanto sunt infirmitati violentiora præsentia. II, 595. Cupiditas et caritas quo differunt. VIII, 967. Regnat carnalis cupiditas, ubi non est Dei caritas. VI, 287. Merguntur homines pondere cupiditatis, et terrenis affectibus; et emergunt caritatis sublevatione, et spiritu sanctitatis. I, 847. Pro sarcinis cupiditatis, suscipiendæ sarcinæ caritatis. V, 897. Cupiditas te male subjugaverat, salubriter te subjuget caritas. V, 897. Cupiditates facilius resecantur in eis qui Deum diligunt, quam in eis qui mundum diligunt aliquando satiantur. II, 994. Cupiditas minuitur caritate crescente. VI, 288. Cupiditatis minuendæ initium est Deum timere. VI, 25. Quanto magis regnum cupiditatis destruitur, tanto caritatis augetur. III, 72. Cupiditatum servitus tunc oneri est, cum ipsæ defervere cœperint. I, 749. Imminutio malarum cupiditatum, sanctitatis est profectus. X, 845. Cupiditas cupiditate alia pellitur. X, 747. Non sanatur. X, 594 Multum interest utrum animi desperatione obruatur cupiditas, an sanitate pellatur. I, 879. Cupiditatis malæ negotium dum foris non impletur timore pœnæ, ipsa intus manet hostis. II, 595. Cupiditas quiescendo frenatur. VII, 445. Cupiditas vitæ, extrema et omnium maxima. X, 691. Cupiditatum omnium victor est, qui subjugat amorem vitæ hujus. V, 1282. A concupiscentiæ dominatu sola gratia Dei per Jesum Christum liberamur. I, 620, 621. *Vide* Concupiscentia et Libido.

Cupiditas ubi domita censenda sit. V, 963. Cupiditas carnis expulsa per pœnitentiam, aliquando avidius redit. III, 1525. Nihil tibi prodest si eges facultate, et ardes cupiditate. IV, 609. Non pecunia, sed avaritia damnatur. IV, 609. Non attendit Deus facultatem, sed cupiditatem. IV, 1727. Qui ex cupiditate ad ea quæ foris sunt in hoc mundo nimis intenti sunt, per corvum ex arca dimissum significantur. VIII, 264.

*Cupido* cur puer volitans et sagittans fingitur. VIII, 574.

Cupsones. In Cupsonibus habitantes Donatistæ. V, 293.

Curæ finis delectatio est. IV, 105. Securitatem hîc cum vix sperare liceat, agendum ut curis exuamur inutilibus, et induamur utilibus. II, 85. Cura est Deo de omnibus, quantum ad universitatis providentiam attinet: non est ei cura de bobus, hoc est, præceptum de illis homini non dedit. IV, 1803. Infelix homo, Deus ut esses curavit, ut bene vivas non curas? IV, 1201.

Curari qui velit, opus est ut manus omnipotentis medici non refugiat. IV, 712.

Curator. II. 162.

Curator civitatis. II, 504.

Curia a cura dicta videtur. VII, 285. Curias populi triginta quinque habet Roma. IV, 1624.

*Curiatiorum* trium contra tres Horatios certamen. VII, 89.

Curiositas a cura nomen sortitur, inimica securitati. I, 1184. Curiositas dicitur desiderium oculorum. III, 1906. Cur sic nuncupata. I, 802. Curiositas unum ex tribus vitiorum generibus, quibus omnia peccata concluduntur. IV, 115. De curiositatis vitio. I, 802. Omnis anima indocta curiosa est. VI, 295. Curiositas quod comprehenderit, minus miratur. X, 852. Curiositate admonemur ad contemplandam veritatem. III, 164, 165. Curiositas sensibus nosse quærit, voluptas gaudere. I, 802. Curiositatis pericula. I, 726. Curiositas quinque sensuum est impedimentum filei. V, 644, 645. Curiositas manis rerum difficilium, vel inutilium plerumque separat a Deo, nisi vincat caritas quæ ad spiritalia invitat. III, 2077. Curiosa attendere vetat debitus Deo honor. I, 687. Curiosis tractandis quæstionibus tempus esse non debet iis, qui suæ saluti et Ecclesiæ utilitati studere debent. III, 271, 277. Curiosis quæstionibus non occupandum tempus, rebus impendendum melioribus. II, 75. Scripturarum perscrutatio in curiositatis medelam. III, 166. Curiositas sacris Litteris prohibetur. I, 1527. Curiositas hominis carnalis tantum, non spiritalis objurgata est ab Apostolo. VI, 70. Curiositatis pœna. VII, 722. Curiositate instigante divini honores dæmonibus delati. VI, 584. Contra curiositatem incomprehensibilia sunt judicia Dei. X, 852.

Curiosus in quo differt a studioso. VIII, 80. Curiosos homines reprimere ac refrenare inter curas Augustini vel maxima cura est. II, 452. Homines curiosum genus ad cognoscendam vitam alienam, desidiosum ad corrigendam suam. I, 780.

*Curma* curialis. VI, 602.

*Curma* faber ferrarius. VI, 605.

Currere proficere est. X, 315. Quotquot in stadio nostro perseveranter currunt, omnes coronam accipiunt; et qui prior venerit exspectat ut cum posteriore coronetur. IV, 441.

Cursus publicus. I, 717. *Not.* (*a*).

*Curtius* in abruptum terræ hiatum se præcipitem dedit pro patria. VII, 127, 165.

*Curubis*, oppidum. V, 1410; VII, 764.

Curvatus dicitur, qui se pronum fecit ad terrenas concupiscentias. IV, 595. Qui terram sapit. IV, 1849. Qui peccatorum pondere pressus non se potest erigere. IV, 401.

Curvus, qui in prosperis laudat Deum, in adversis blasphemat. IV, 278. De inferioribus cogitare, hoc est dorsum curvum habere. IV, 860.

Custodia. Lex qua conceduntur cui velit, triginta dies quibus agat sub moderata custodia in ea civitate in qua detentus est. II, 429, 430.

Custodiæ, nocturni temporis spatia significant. III, 718.

*Cutzupitæ* vocati sunt Donatistæ in urbe Roma. II, 196. *Vide not.* (*a*).

*Curubitanus* ex mimo, a paralysi, etc., cum baptizaretur salvus effectus est. VII, 764.

Cutem animalia quædam ibi tantum movent, ubi sentiunt: quod non potest homo. VII, 432.

*Cylinnius* episcopus. II, 991.

*Cyneqius* filius Floræ. VI, 157, 591.

*Cynici* Philosophi. I, 956. Unde dicti sint, et in quo a cæteris differant. VII, 624. Cynicorum habitus differentiam nullam facit in religione. VII, 647. Eos quædam vitæ libertas atque licentia delectat. I, 956. Cynicorum turpitudo et impudentia. VII, 428; X, 428. Herculea Cynicorum auxilia. I, 943.

*Cynocephalus* unum ex numinibus Romanorum. VII, 59. Cynocephalus ex Ægypto Romam venit. VII, 87.

Cynocephali. VII, 485.

Cynomyia, canina musca. V, 69. Caninos mores significat. IV, 1000.

*Cyprianus* martyr IV, 1099; VII, 255. Prænomine Tascius. V, 1412. Carthaginensis episcopus. IX, 259. Cyprianus qualis ante conversionem ad fidem. V, 1420. Quam nefariæ, quam impiæ, quam detestandæ vitæ. V, 1416. Cyprianus a cypro vere factus est, quando factus est Christianus. V, 1421. In Cyprianum gratiæ beneficia. V, 1422. Cyprianus ex forensi oratore factus est prædicator Christi. V, 1023, 1421. Cyprianus linguam suam ab redundantia revocavit, et ad graviorem eloquentiam modestioremque restrinxit. III, 102. Cypriani exsilium. V, 1410. Cypriani reditus ab exsilio. V, 1410. Inde regressus, in hortis suis manet. V, 1410. Cyprianus bonus pastor. V, 763, 764. Cypriani sollicitudo pastoralis. V, 1411.

Cypriani comprehensio a duobus apparitoribus. V, 1411. Proconsulis verba ad Cyprianum, et hujus responsum. V, 1411. Cypriani verba V, 1412. In Cyprianum sententia. V, 1412. Cyprianus martyr confessionem promsit, in fide permansit, sanguinem fudit, diabolum vicit. V, 110. Pro sanguine Christi quem bibit, sanguinem fundere non dubitavit. VI, 689. Cyprianus ab inferiore accepit sententiam, a superiore coronam. IV, 391. Cyprianus pro fide in Christum natum, martyrium passus. VIII, 225. Locus in quo occisus est. IV, 290. Cypriani sepulcri locus. V, 1422. Cypriani martyris mensa. IV, 1036, 1046; V, 107. Apud Carthaginem. V, 320, 632, 729, 835, 915, 1413. Cypriani memoria. V, 1415. Altare erectum super ejus corpus. V, 1424. Cypriani martyris memoria non procul a mari. I, 713. Cypriani solemnitas. II, 648. Cypriani martyris natale Africa tota percelebre. V, 1412. Cypriani orationibus adjuvari optat Augustinus. IX, 188. Et petit. IX, 225. Nocte qua illucescebat solemnitas B. Cypriani, Augustinus psalmum LXXII exposuit. II, 543. Cypriani episcopatu et martyrio ecclesia Carthaginensis nobilitata. V, 1413. Cyprianus et passione et scriptis suis per orbem clarus. V, 1413, 1422. Cyprianus ante exortam Manichæorum hæresim martyrium passus. X, 465. Cyprianus multos ad vincendum diabolum, flagrantissimis exhortationibus accenderat. V, 1412, 1421.

Cyprianus spectacula damnavit. VI, 639. Cyprianus a Pelagio cum debito honore commemoratus. X, 625. Cyprianus Pœnus, magna hæresis Pelagianæ pœna antequam nasceretur. X, 1035. Cyprianus peccatum originale defendit. X, 466. Cypriani testimonium pro originali peccato. V, 1547; X, 623. Cyprianus, pro fide de concupiscentiæ origine, Pelagianis futuris resistit. X, 1511. Cypriani testimonium de gratia Dei. X, 626.

Cyprianus aliter sensit de baptismo, quam forma et consuetudo habebat Ecclesiæ. II, 340. Cyprianus baptismum Christi non esse apud hæreticos et schismaticos censuit. IX, 187, 190, 201. Cyprianus nihil habet de baptismo apud hæreticos aut schismaticos date. IX, 208. Fatetur in præteritum sic esse admissos in Ecclesiam qui fuerant alibi baptizati, ut denuo non baptizarentur. II, 339. Ac licet illos sine baptismo arbitretur, non credit tamen ab Ecclesiæ muneribus separari. II, 339. Quid de salute baptizatorum extra Ecclesiam sentiret. IX, 138. Cyprianus hæreticos denuo baptizandos docuit. IX, 124, 131, 607. Unde in errorem lapsus est. IX, 134. Cyprianus excusatur. IX, 124, 129, 130, 490, 491, 606. Rationes Cypriani verisimiles potius, quam veræ. IX, 159. Cyprianus circa baptismum, sicut Petrus circa circumcisionem erravit. IX, 225, 232. Cyprianus ex fide Ecclesiæ eos correxit, qui ante octavum diem parvulum non baptizandum putabant. II, 731. Ipse cum quibusdam coepiscopis, mox natum rite baptizari censuit. II, 731; X, 190, 191. An censuit hæreticos denuo baptizari, subdubitare videtur Aug. IX, 465. Cypriano pravam de baptismo sententiam fuisse affictam quidam contendunt. II, 340. Germanam ejus esse sententiam arbitratur Augustinus. II, 340, 410. Solius Agrippini auctoritate consuetudinem non iterandi baptismum mutavit. IX, 159. Cyprianus sententiam mutasset post Concilii plenarii definitionem. IX, 129. Quid acturus fuisset, si quæstio de baptismo finita fuisset plenario Concilio conjicit August. IX, 157, 159.

Cyprianus quam doctus et docilis. IX, 157, 194. Cyprianus num mutaverit sententiam, ignoratur. IX, 129. Suam de baptismo sententiam correxisse, etsi non invenitur, non incongrue tamen existimatur. II, 340. Cypriani sententiæ de baptismo correctio forte suppressa est. II, 340. Cyprianum suam de baptismo pravam sententiam postea aut correxisse in regula veritatis, aut hunc quasi nævum cooperuisse ubere caritatis, et falce passionis purgatum fuisse censet Aug. II, 340, 341, 409. Cur Cypriano veram de baptismo sententiam Dominus non revelarit. IX, 124, 129, 159. Et permiserit de baptismo non recte sentire. IX, 198. Multosque coepiscopos in eam Cypriani sententiam consentire. IX, 200. Cyprianus favet Augustini sententiæ de reprehensione Petri. II, 286. Cypriani auctoritatem cur tanti habeant Donatistæ. IX, 739.

Cypriani concilium aut non est factum, aut a cæteris unitatis membris, a quibus ille non est divisus, superatum. IX, 465. Cypriani concilium diem habet. IX, 663. Cypriani auctoritate Donatistarum error obtunditur. II, 340. Cypriani auctoritas Donatistas confundit; nedum juvat. IX, 141, 489. Cyprianus Donatistas sua auctoritate abutentes damnat. IX, 225, 231. Cypriani litteræ et factum plurimum valent ad refellendos Donatistas. IX, 107, 108, 109. Donatistis Cypriani auctoritatem in quæstione baptismi objicientibus, quomodo respondendum. IX, 126, 746. Inter Cypriani et Donatistarum errorem quid distat. IX, 126. Argumentum quod ex Apostolo contra rebaptizationem opponebant, recte refellit Cyprianus. IX, 160. Cypriani auctoritas magis pro Catholicis, quam pro Donatistis proponenda. IX, 139. Cypriani auctoritas Catholicos non obligat. IX, 490. Cypriani dicta aliorumque doctorum quomodo accipienda. IX, 490. Cypriani sanctitati nihil præjudicat error circa baptismum. IX, 186. Cyprianus etsi de baptismo aliter sensit, quam veritas monstravit, sarmentum tamen fuit in radice Christi, quod Pater purgaret, etc. IX, 746. Cyprianus licet aliud de baptismo sentiens, non deseruit unitatem. IX, 124, 130, 151, 161.

Cyprianus quantum dilexit unitatem Ecclesiæ. V, 1422. Cyprianus unitatis studiosissimus. IX, 88, 89, 90. Et amantissimus. II, 340, 341, 410; IX, 566. Radicem non deseruit unitatis. II, 340. Quam studiosum unitatis se exhibuit Cyprianus in Concilio Carthaginensi. IX, 201. Quantum unitatis caritatem coluit et custodivit Cyprianus IX, 187, 188, 198, 200. Cyprianus quanti fecerit unitatem Corporis Christi. IX, 491, 496, 497. Cypriani testimonium de unitate Ecclesiæ. II, 410. In Cypriano Deus ostendit specimen caritatis et unitatis. V, 1422. Cyprianus in unitate manendum putavit cum eis, qui baptizandum post hæreticos non censebant. IX, 194, 198. Episcopos diversa sentientes, a communionis jure amoveri nolebat Cyprianus. IX, 201, 203, 214, 219, 226, 227, 234, 244. Cyprianus a collegis suis malis non separavit se, sed graviter eos arguit. IX, 85. Quandonam. IX, 88, 89. Cyprianus non tantum collegas diversa sentientes toleravit caritatis patientia, sed et malos manifestos. IX, 95. Toleravit avaritiam collegarum. II, 318. Eamque redarguit. II, 410. Cyprianus ejusque collegæ et perversos, et diversum a se sentientes, in unitate tolerarunt. IX, 228, 229, 231, 233, 234, 244. Ecclesiam non esse deserendam propter malos bonis permixtos semper docuit Cyprianus. IX, 492, 494, 495, 521. Cyprianus coronatus, non quia pro Christi nomine passus est, sed quia pro Christi nomine in gremio unitatis passus est. II, 410. Cyprianus exemplo est Donatistis ab unitate non recedendi. IX, 138, 139, 140.

Cypriani epistola ad Antonianum. II, 340; IX, 157, 158, 165. Ad Donatum. V, 1421. Ad Fidum episcopum. X, 624,

644. Ad Jubaianum. IX, 239, 490, 496. Expenditur hæc epistola. IX, 141, 143, 144, 145. In Concilio Carthaginensi recitata est. II, 340. Cypriani epistola ad Magnum. IX, 202, 240. Ad Maximum. II, 410, 411; IX, 492, 742. Ad Pompeium. IX, 192, 193, 201. Ad Quintum. IX, 192, 201. Ad Quirinum. X, 627, 630. Ad Saturninum, Maximum et alios. IX, 192, 201. Ad Stephanum. IX, 208.

Cypriani epistola de patientia. X, 624. Libellus de bono patientiæ. IX, 161, 187. Epistola de lapsis. II, 690; VI, 220, 230; IX, 161. Ex illa locus explicatur de parentibus parricidis. II, 360. Cypriani liber de mortalitate, multis ac pene omnibus qui ecclesiasticas litteras amant, laudabiliter notus. X, 624, 629, 690, 979, 1528. Librum hunc quo fine scripsit. II, 986. Cypriani epistola de opere et eleemosynis. X, 629, 691. Tractatus de oratione Dominica. X, 626, 629, 676, 877, 878, 922, 996, 997. Cyprianus omnia quibus recte vivimus, a patre nostro qui est in cœlis, esse poscenda docuit in lib. de oratione dominica. II, 972, 979, 980. Cypriani liber Testimoniorum. X, 623. Cypriani epistola de unitate, seu liber de simplicitate Prælatorum. IX, 491. Epistola de zelo et livore. IX, 161, 164. Cypriani stilus habet quamdam propriam faciem. II, 340.

Cypriani encomium. IX, 141, 187, 198. Cyprianus ab invidia alienus. IX, 161. Cypriani anima, framea magna Dei. V, 1424. Cyprianus electum granum. V, 1417. Lapis pretiosus. V, 223.

*Cyprianus*, unus Patrum Carthaginensis Concilii. II, 759, 780.

*Cyprianus* diaconus Augustini ad Hieronymum epistolæ perlator. II, 241, 245, 251, 288, 291.

*Cyprianus* a Thubursicubure episcopus Donatista a Primiano damnatus. IX, 568. In lupanari deprehensus. IX, 568.

*Cyprius* rex uxori suæ formosam picturam proponere solitus in concubitu, ne deformes parceret. I, 655.

*Cyrus* rex Persarum. VII, 117. Chaldæis etiam et Assyriis imperat. VII, 583. Cyrus quinquaginta millia Judæorum ad instaurandum templum regredi fecit e Babylonia. VII, 583.

# D.

*Dacianus*. V, 1257, 1260.

Δάκτυλος, digitus. VIII, 42.

*Dædali* fabula. I, 894; VII, 570.

*Dæmonum* definitio secundum Apuleium. VII, 263. Secundum Platonem. VII, 241. Dæmones ob scientiam sic nominati. VII, 273. Dæmonum scientia sine caritate. VII, 273. Dæmones angelos cœlestes vel supercœlestes fuisse, nonnulli non putant. III, 285, 430. Dæmones ab Angelis distinguit Porphyrius. VII, 287. Dæmones ex hominibus fieri putarunt Platonici. VII, 265.

Dæmonum peccatum superbia. VII, 221, 555. Amor fastus et honoris. VIII, 585, 592. Dæmones cur superbi sunt. VII, 273. Dæmones ante lapsum beati, sed non plene. X, 933.

Dæmonia de cœlis dejecta sunt. IV, 1220. De spiritali paradiso ceciderunt. VII, 419. Dæmones in cœlo inferiore, id est, in aere habitant, non in summo cœlo ubi sol et stellæ. VI, 291. Dæmones detrusi tamquam in carcerem caliginis hujus aeriæ. II, 378; III, 285, 443; V, 1091; VIII, 562, 875. Dæmonum sedes in aere. VII, 239. Velut in congruo sibi carcere. VII, 246. Dæmones a luce atque fervore caritatis aversi, velut glaciali duritia torpuerunt: et ideo per figuram, tamquam in aquilone ponuntur. II, 564. Dæmones aeria æthereave animantia. II, 72; III, 284. Animalia aeris vilissima. I, 916. Dæmones a quibus subtilitate sensuum superamur, non ratione. I, 916; II, 72. Quare dæmones morte non dissolvuntur. III, 284. Dæmonum corpus aerium. VI, 584, 585.

Dæmones communitatem habent cum diis et hominibus. VII, 239. Dæmones sola corporum æternitate, non animo, diis similes, secundum Apuleium. VII, 263. Quam hoc sit absurdum. VII, 263. Dæmones corporei. VII, 239, *not.* (*a*), 537, 710. Dæmones neque propter aeria corpora, neque propter superiora habitacula, hominibus antecellunt. VII, 239, 240, 246. Cur excellentia corporali voluit Deus dæmones antecellere hominibus, quibus vitæ bonitate sunt inferiores. VII, 210. Vitæ bonitas in homine, præferenda excellentiæ corporali dæmonum. VII, 240, 246. Dæmones miseriores in corpore æterno, quam homines in mortali. VII, 265. Quare. VII, 265. Nihil boni est dæmonibus esse æternos, si sint miseri. VII, 271. Dæmonum corpus æternum vinculum damnatorum. VII, 265.

Dæmones nomine deorum quidam appellarunt. VII, 255. Dæmon quomodo ab homine factus deus. VII, 252. Dæmonia non simpliciter dii, sed dii gentium dicuntur. IV, 1757. Dæmonia alia majora, alia contemptibiliora. IV, 1575. Dæmones a diis quidam distinxerunt. VII, 257.

Dæmones medios inter deos et homines quidam statuerunt. VII, 257. Dæmones aut immundi sunt, si misceri homini sit contaminari; aut diis meliores. VII, 269, 270. Quatenus dæmones medii esse possint inter deos et homines. VII, 266. Dæmones quibusdam persuaserunt se esse deos, quibusdam se deorum saltem internuntios. VII, 247. Dæmones etsi deos factos ab hominibus asserat Hermes, non dixit tamen internuntios esse et intercessores. VII, 252. Dæmones nuntios esse et interpretes deorum, absurdum est fingere. VII, 245. Dæmones medii deos inter et homines frustra finguntur, ut diis bonis homines commendentur. VII, 243, 244, 245, 246. Et ipsis concilientur. VII, 257. Per dæmones ad deorum amicitias frustra homines ambiunt. VII, 264. Dæmones, tamquam redeundi ad Deum mediatores, infeliciter coluerunt nonnulli. I, 807. *Vide* Diabolus. Dæmones non solum non præbent viam ad Deum, sed ne via teneatur impediunt. VII, 272. Dæmones falsi sunt ac fallaces mediatores. VII, 264, 272. Dæmonum mediatio nihil prodest homini. VII, 268, 269, 270, 272. Non prodest ad beatitudinem obtinendam. VII, 275. Felicitas etiam terrena, non in potestate dæmonum. II, 554. De dæmonibus varia inquirit Porphyrius ab Anebonte Ægyptio. VII, 288. Dæmonum cavendam societatem dixit Porphyrius. VII, 287. Dæmonis alicujus amicitia cuique utendum sentiebat Porphyrius. VII, 287.

Dæmones negotium suum agunt, ut pro diis habeantur et colantur. VII, 72. Dæmones se per miracula coli volunt. VII, 296. Dæmones ἀγαθοὺς invitandos, et κακοὺς placandos monent Romani. III, 1055. Dæmones alios malos, alios bonos, hosque propter vitam æternam colendos, quidam censuerunt. VII, 257. Quid de iis sentiendum. VII, 257. Dæmones deos quidem negat Apuleius, sed cultum eorum a superiorum deorum religione non separat. VII, 247. Dæmones omnino indignos honore divino, quidam dicere non ausi sunt. VII, 248. Dæmonum animæ evocatæ, imaginibusque et mysteriis inditæ. VII, 253, 254. Dæmonia gentium affectu ad possidenda simulacra invitabantur. IV, 1485. Dæmones quomodo illiciuntur. VII, 717. Dæmonum cultus a principibus civitatum introductus. VII, 139. Dæmonum cultum declinare rudiori populo difficile fuit. VII, 139. Dæmoniis cultus qualis exhibitus a paganis. IV, 1220. Dæmonibus fercula exhibita. VII, 49. Dæmones cur gaudent sacrificiis. VIII, 901. Dæmoniorum sacrificiis sanitas parvulis quæsita. II, 559. In dæmonum cultu et invocatione, quot absurda, quot sibi contraria. VII, 288. Quando liceat in proprios usus convertere, quæ usui fuerint ad cultum dæmoniorum. II, 185. Quando sine culpa nostra tollatur aliquid de area nostra, ad sacrificia dæmoniorum. II, 185.

Dæmones non colendi. VII, 276. Dæmonum cultus impugnatur. IV, 209, 1246. Dæmones non colendi, neque propter ea quæ in eis nunc sunt, neque si virtutem sapientiamque haberent. VII, 241. Dæmoniis periculosius servitur, quam idolis. IV, 1245. Non uno modo eis sacrificatur a peccatoribus. I, 675. A cultu dæmonum liberat nos sacrificium Christi, et donum Spiritus sancti. VII, 138. Dæmonum immunditiam, jussaque impura detestari admonuit Plato. VII, 259.

Dæmones propter immunditiam et infirmitatem concupiscentiarum et pœnarum suarum, præsentem intrinsecus veritatem contueri et consulere non valent. VI, 146. Dæmones æternas temporum causas in Dei sapientia non contemplantur. VII, 274. Dæmones quomodo futura prospiciunt. VI, 143, 164; VII, 274. Unde ventura præmuntient. VI, 586. Dæmones ob acrimoniam sensus, celeritatem motus, ac diuturnam experientiam multa futura prædicunt. VI, 584. Nec ideo hominibus sunt præponendi. VI, 584. Quam distans eorum divinatio ab altitudine prophetiæ divinæ. VI, 586. Dæmones quædam prædixerunt, quæ ex oraculis propheticis aut angelicis didicerant. VI, 587, 588. Cur ea diu siluerint, ac tandem protulerint. VI, 587. Non est mirum dæmones nuntiare alicubi longe jam facta. III, 467. Dæmones in cognitione futurorum sæpe falluntur. VI, 586; VII, 274. Cum aliquid veri præmuntiant, fallacias miscent. VI, 145.

Dæmones quomodo fallant. VI, 587. Cur dæmones aliquando vera dixisse per suos vates reperiuntur. VIII, 905. Si spiritus mendax aliquid veri dixerit, non ideo negandum, quia hoc detestandus spiritus dixerit. IX, 368. An indignum sit ut veritas per eos innotescat. VI, 585. Dæmones quomodo signis forinsecus ad faciendum, vel non faciendum moveantur. VI, 146. Quomodo hominum dispositiones cogitatione tantum conceptas pervideant. II, 72, 73; VI, 582, 586. Dæmones sentire possunt quæ in memoriam nostram incurrerint, veluti si versum recogitamus. I, 916. Sic eorum ope versum, quem Augustini discipulus quidam animo volvebat, divinavit Albicerius. I, 915. Dæmones apud memoriam sanctorum mirabiliter et terribiliter Mediolani con-

tentur. II, 269. Dæmones Christum Filium Dei confitebantur timendo, non sicut Petrus, diligendo. V, 993, 1117.

Dæmones delectantur certis quibusdam creaturis Dei. VII, 717. Quare dæmones ludorum obscœnitatibus et poetarum figmentis delectantur. VII, 238, 239. Quid de moribus dæmonum dixit Apuleius, quid quod laudaret in eis invenit. VII, 239, 240. Dæmones a luna et infra ordinatos solum, passionibus agitari censuit Apuleius. VII, 304. Dæmones passionibus agitantur. VII, 242. Quare. VII, 242, 257, 261, 263. Dæmones non esse colendos hinc evincitur, quod nobiscum sunt passionibus similes. VII, 242.

Dæmones maxime superbiæ fastu et invidentiæ malitia sunt perversi. VI, 585. Dæmonum invidia erga homines. VII, 78; VIII, 585, 592. Dæmonibus æterna hominum felicitas pœna est. VII, 78. Dæmones pascuntur miseria damnatorum, et bonorum liberatione præ malevolentia torquentur. III, 156. Errore delectantur et quodam modo pascuntur humano. II, 378. Dæmonibus similes sunt, qui alicnis gaudent miseriis. III, 156. Dæmones qua nocendi arte velint vel falsa de se crimina, vel vera narrari. VII, 55. Hoc malevolentiæ illorum proprium est, ut nec si placentur, nec si rogentur, desinant nocere velle. IV, 209, 1246.

Dæmonum maxima vitia sunt superbia atque fallacia. VIII, 409. Dæmonibus maxima est fallendi cupiditas. VII, 139. Dæmones ad decipiendum sunt vigilantissimi. VII, 84. Dæmones quomodo mala malis suadeant. VI, 586. Dæmones dum probitatis præcepta paucis tradunt, omnibus vero spectacula turpia exhibent, deceptionis negotium implent. VII, 75, 76. Dæmones exemplo suo velut divinam auctoritatem sceleribus præbere voluerunt. VII, 75. Dæmones mentes iniquas agitant occulto instinctu. VII, 75.

Dæmones possessione cordis mortalium potissimum gloriantur. VII, 717. Dæmones maxime possident corda mortalium, cum se transfigurant in angelos lucis. VII, 717. Dæmones transfigurant se velut angelos lucis ad tentandos eos quos ita vel erudire opus est, vel decipi justum est. VII, 656. Dæmones possidere non possunt, nisi quos deceperint. VII, 139. Dæmones minus forte deciperent, si otiosos homines minime reperirent. VII, 84. Dæmones non tentarent, si virtutum internam speciem possent in hominibus cernere. III, 467. Dæmon per omnes aditus sensuales incestat animæ sanctitatem. VI, 14.

Dæmonum esca, quæ. IV, 1292, 1374, 1375. Dæmones carnalium divisione pascuntur. VII, 502. Neminem diabolus manducat, nisi per tribulationem everterit. IV, 1292. Dæmones non aliquem vincunt, nisi societate peccati. VII, 500.

Dæmon mundi hujus auctor creditur a nonnullis, quare. VIII, 651, 655, 659. Angelis prævaricatoribus infima pars mundi subjecta est. III, 52. Dæmonibus non servit ad nutum hæc visibilium rerum materia, sed Deo, etc. VIII, 875, 876. Dæmones cujusnam mundi rectores. IV, 630. Dæmones rectores sunt illius mundi quem fecerunt. IV, 1851. Dæmonibus tota civitas terrena subditur. VII, 654. Dæmones quomodo rectores tenebrarum sunt. VI, 292.

Dæmones multa mira faciunt. VI, 584, 585. Dæmones nonnulla faciunt Angelis sanctis similia, non veritate, sed specie; non sapientia, sed plane fallacia. II, 385. Dæmones magicam artem homines docuerunt. VII, 717. Dæmones magicis artibus evocati, non creatores. VIII, 876, 878. Dæmones naturas non creant, sed commutant. VII, 575. Dæmones infima ministeria. III, 156. Ultimi servi. III, 156. Utitur Deus ministris etiam spiritibus malis ad vindictam malorum, vel ad bonorum probationem. VI, 151. Dæmones dicuntur exterminatores, et angeli iracundiæ. III, 156.

Dæmonum potestas in homines, ex alto justoque Dei judicio. VII, 224. Dæmones in bonis et malis carnalibus non hoc possunt, quod putatur. VII, 78. Dæmones nihil agunt in homines, nisi quando et quantum permittuntur alta et secreta Dei providentia. VII, 70, 251. Dæmonum potestas ut morbos immittant. VI, 586. Dæmones pœnam peccatorum suorum priores patiuntur, ut noceant. VIII, 586. Dæmones nocere cuiquam non possunt, nec valent aliquid, nisi desuper data potestate. VIII, 663, 875. Dæmonibus cur et quomodo aliquando nocendi potestas desuper datur. VIII, 875, 876. Dæmones non operantur nisi quod Deus permiserit. VII, 574. Dæmones non possunt quod non sinuntur efficere. VII, 224. Dæmones benefaciendo magis nocent. VII, 251. Dæmonium meridianum, persecutio vehementior. IV, 1154. Dæmonibus permissa potestas persecutiones excitandi, utilis Ecclesiæ. VII, 298. Quanto majorem eorum potestatem in hæc ima videmus, tanto tenacius Mediatori inhærendum. VII, 574. Contra dæmones patientia et prudentia pugnandum. VIII, 586. Quid ex certamine adversus dæmones Deus intendit. VIII, 586.

Dæmonum incursus patiuntur aliqui. VII, 628. Etiam ex parvulis baptizatis. VII, 714. Quare hoc Deus permittit. VII, 786. Dæmonum incursus non obest parvulis baptizatis. VII, 714. A dæmonio liberatur adolescens ad memorias martyrum Protasii et Gervasii. VII, 765. Et virgo Hipponensis, cum se oleo perunxisset. VII, 765. Dæmones ejiciunt sancti exorcizando, non placando. VII, 399. De expulsione dæmonum nemini gloriandum. IX, 303.

Dæmones in judicio puniendi servantur. III, 443. Quænam dæmonum miseria. VII, 349, 353. Dæmonum miseria non esset æterna, nisi esset magna malitia. VII, 267. Dæmonum transgressorum cœlestia corpora (si forte gesserunt), non mirum est in aeriam qualitatem fuisse conversa, ut possint ab igne aliquid pati. III, 285. Etsi dæmones sint incorporei, pœna corporalis ignis possunt affligi. VII, 724. Quomodo. VII, 724. Dæmonum desperatio. VII, 240. Dæmoniis quid judicando facturi sunt martyres, qui eorum templa moriendo everterunt. V, 1422. Dæmones Ambrosium vivum, et minime conscium, obsecrant ut sibi parcat. VI, 608. Dæmoniorum fides. II, 878. Dæmonia per leones et catulos leonum significantur. IV, 1292, 1374. Dæmones sunt milvi. IV, 1161. Dæmones piratæ. III, 842. Pulli vulturis. III, 829, 841. Dæmones invicem pugnare visi sunt in planitie Campaniæ. VII, 73.

Dæmones in Scripturis in malam partem accipiuntur. VII, 273. Dæmones etiam a Paganis in malam partem accipiuntur. VII, 273. Dæmonum nomen tam detestabile est, ut a sanctis Angelis removeri debeat. VII, 276. Dæmonum nomen omnes vel pene omnes exhorrent. VII, 259.

Dæmoniacus presbyterum ad se ex duodecim millibus venientem domo constitutus cernebat. III, 468. Cum dæmon in dæmoniacis loquitur, nesciunt quid loquantur. III, 444. Quomodo dæmoniaci aliquando verum dicunt. III, 464.

*Damascus*, civitas divitiis florens. V, 1034.

*Damasus*. Dissensio populi Romani ob Damasi Pontificis electionem. X, 842.

Damnatio generationis carnalis ob originale peccatum. X, 160. Damnationis causa, peccatum originale in parvulis qui sine baptismate moriuntur, non facta quæ facturi erant, si viverent. X, 1006. Damnari omnes justitiæ erat. X, 250. Omnes omnino homines in massa perditionis, a qua nemo liberatur, nisi gratia Redemptoris. X, 402. Damnationis vinculo nemo solvitur, nisi per Christum. II, 845, 858, 859. Damnatio in sanctis hic nulla. V, 841. A damnatione, quam peccatum originale meretur, nemo nisi misericordia et indebita gratia liberatur. VII, 727; X, 1606. Quantas gratias debeant agere qui per Christum liberantur a damnatione. X, 250. Qui in damnatione relinquitur, non habet quod queratur. VII, 727. Damnati nullam excusationem habebunt. V, 151, 152. Damnari animas parvulorum, si sine baptismo hinc migrarint, et sancta Scriptura, et sancta testis est Ecclesia. II, 317.

Damnantur juste, qui per gratiam non liberantur. X, 250. Damnantur et ii, qui justificari non potuerunt. X, 251. Inscrutabile cur Deus de stirpe humana damnata creet homines qui futuri sint damnandi. X, 837, 1150. Quod creat Deus quos damnandos præscivit, quidam indignantur. X, 1071. A damnatione si omnis homo liberaretur, lateret quid peccato per justitiam debeatur; si nemo quid gratia largiretur. II, 875. Damnare nos non vult Deus. V, 150, 152, 154. Non potest Deus quemquam sine malis meritis damnare, quia justus est. X, 721. Deus neminem damnat nisi æquissima veritate. II, 820, 882. Justitia et veritate Dei damnantur, quicumque damnantur. IV, 1585. Approbare falsa pro veris, et non posse a libidinosis operibus temperare, est pœna hominis damnati. I, 598.

Damnatorum miseria, privatio participationis Dei. VII, 269. Damnatis perire a regno et alienari a vita Dei tam grandis est pœna, ut ei nulla possint tormenta quæ novimus comparari. VI, 285. Supplicium damnatorum incredibilius, quam beatorum felicitas. VII, 709. Circa damnatorum pœnas variæ sententiæ. VII, 731, 732. Extrema impiorum damnatio, ceræ fluenti a facie ignis comparatur. IV, 814. Damnatio impiorum, perditio ipsorum dicitur. VII, 684. Damnatio mors secunda. VII, 658, 666, 675. Damnatis omnibus mors illa perpetua erit communis, quamvis eorum cruciatus varii. VI, 285. In damnatione mors etiam secundum corpus esse dicitur, quare. VII, 378. Damnatis est cura suorum. IV, 1457, 1458. Damnati an habeant notitiam, quid agatur intus in gaudio domini nescient. VII, 694. Quale bellum damnati sustineant. III, 658. Damnati congruentissime in pœna sunt. I, 601, 1349. Damnationem inter et regnum cœlorum nullus medius locus. X, 140. *Vide* Parvuli. Peccatum originale.

Damnationis gradus. X, 117. In illa damnatione erunt quidam duplo amplius quibusdam gehennæ filii. X, 250. Damnatorum miseria alia aliorum major. VI, 284. Damnati alii aliis tolerabilius damnabuntur. IV, 1406; VI, 275. Damna-

torum quorumnam mitissima pœna. VI, 275. Damnationem tanto quisque habebit tolerabiliorem, quanto minorem habuerit iniquitatem. VI, 275. An futurum sit ut aliquando pœnæ damnatorum mitigentur. IV, 1406. Damnatis quibusdam mediocriter malis prodesse Ecclesiæ preces ad pœnæ mitigationem. VI, 283. *Not. (a)*. Quomodo in damnatos miserationes suas non continere Deus dici potest. VII, 759.

Damnatorum corpora animata et viventia in tormentis æternis durare poterunt, quomodo. VII, 709. Non absurde cadavera dici poterunt. VII, 695. Damnatorum corpora quomodo erunt incorruptibilia, si dolebunt; aut quomodo corruptibilia, si mori non poterunt. VI, 274. Ignis inexstinguibilis et vermis vivacissimus damnatorum, quomodo accipiendus. VII, 694. Quomodo damnatorum dolor non finietur. VII, 658. Damnatorum acriores pœnæ post resurrectionem. V, 1453.

Damnandum neminem novissimo judicio quidam putant, propter intercessiones sanctorum. VII, 732. Refelluntur. VII, 736. Quidam supplicia damnatorum hominum cessatura putant, non vero dæmonum. VII, 731, 733. Supplicium diaboli ac damnatorum non semper duraturum existimavit Origenes. X, 525. Liberationem ab æterna damnatione quidam promittunt omnibus baptizatis, etiam hæreticis. VII, 733. Refelluntur. VII, 741. Alii id spondent solis apud catholicos baptizatis quamvis male viventibus. VII, 734. Refelluntur et hi. VII, 741, 742, 743. Quidam hoc ipsum concedunt catholicis omnibus in Ecclesia perseverantibus quamvis pessime vixerint. VII, 734. Refelluntur. VII, 745. Quidam omnibus qui eleemosynas fecerint, licet non mutarint mores. VII, 734. Pariter refelluntur. VII, 746. Contra hos omnes fidem sine operibus ad salutem non sufficere ostenditur. VI, 211. Damnatorum pœnam æternam fore, probatur contra nonnullos, imo contra plurimos aliter sentientes. VI, 284. Plures damnantur, quam salvantur. VII, 727.

Damnificari. V, 1474.

Damnum nullum timendum, nisi Dei. V, 207. Damna alia dum superflua amputant, prosunt. V, 202. Damna temporalia cur permittat Deus. II, 1060. Non angatur cor Christiani ob damnum, sed quia nondum cum Christo vivit. IV, 1631. Damna a Paganis illata tolerantur, aut resarciuntur per Christianos; nos animarum lucra hoc exemplo non impediri desideramus. II, 317.

*Danae*. I, 672. Danaes concubitum per imbrem aureum appetisse Jovem, quid significat. VII, 571.

*Danaus* decimus rex Argivorum. VII. 569.

*Daniel* propheta. III, 461, 462. Quid et quo tempore prophetavit. VII, 593. Cur peccata sua et peccata populi sui confitetur. X, 159. Daniel vir quietus, qui et inter leones securus erat. IV, 1731. Danielem supra se leones agnoverunt. III, 2059. David in cælibatu serviens Deo, figuram expressit servorum Dei, id est Monachorum. IV, 1751. Daniel, Job, et Noe quos significent. VI, 716.

Daniel ab Angelo hebdomadarum mysterium discebat. II, 911. Danielis hebdomadas ad Christi nativitatem et passionem impletas non putat Hesychius. II, 904, 911. Quidam de secundo Christi adventu eas exposuit. II, 901. Danielis hebdomadæ in præterito Christi adventu completæ sunt. II, 911, 917. Non futurum Christi ventum significant, sed præteritum. II, 899.

*Dardanus* sæculi dignitate illustris. II, 852. Augustini amicus carissimus. II, 848. Ejus quæstionibus respondet Augustinus libro de præsentia Dei. II, 853.

Dare. Solus est Deus qui non novit nisi dare. V, 108. Datorem non habet, qui non habet meliorem. V, 108. Præceptum ut demus omnipotenti quomodo implendum. V, 1592. Id profecto dandum est, quod nec tibi nec alteri noceat, quantum sciri aut credi ab homine potest. III, 1264. Quis præferendus, quando res aliqua duobus vel pluribus dari non potest. III, 30. Cui plus datur, plus exigitur ab eo. II, 885. Omnis res quæ dando non deficit, dum habetur et non datur, nondum habetur quomodo habenda est. III, 49. Dati Christo qui intelligantur. X, 928.

*Dares*. VIII, 574.

*Darius*. II, 801. Rex Persarum. VII, 583.

*Darius* comes missus pacis procurandæ causa. II, 1014. Rescribit Augustino II, 1014. Bella si non exstinxit et occidit, saltem distulit. II, 1015. Darius etsi christianis parentibus natus, tamen gentiles ritus cum aliquotiens sensus pulsarent, Augustini lectione penitus contempsit. II, 1016. Quam hoc Augustino gratum. II, 446. Darius non in superficie, sed in christiana caritate christianus. II, 1025. Libros confessionum ab Augustino petit. II, 1022. Et ab ipso accipit. II, 1025. Una cum aliis libris qui recensentur. II, 1024. Darius plurimi facit verba Augustini. II, 1020. Et ejus bibliothecam adjuvat. II, 1026. Darius medicamenta Lazaro presbytero ad Augustinum deferenda dedit. II, 1022.

*Datianus* Cumicetensis episc. IV, 589.

*Dativus* a Baiis. IX, 211.

Dativus. Pro dativo græco casu, ablativum Latini ponunt. III, 487.

*David* interpretatur manu fortis, et Christi figuram gerebat. IV, 148, 154, 302, 628, 646, 716, 1238, 1717, 1845; VIII, 458. Interpretatur et desiderabilis. IV, 323; VIII, 458. David a Deo electus propter Christum, et tribus Juda propter David. IV, 1007. David cur dicitur secundum cor Dei electus, cum talia tantaque commiserit. VI, 168. David statura parvus, fide magnus. IV, 1856. David ab officio pastorali pecorum ad hominum regnum translatus est, Christus autem a bovibus ad oves; a Judæis ad Gentes. IV, 1007.

Davidi cum Golia confligere permisit Saül, intelligens aliquid divinitatis in eo esse. V, 197. Davidis contra Goliam progredientis confidentia in Deo. V, 197. David quinque lapides quid mysterii habeant. V, 198. David armis Saülis oneratus significabat hominem sub lege. IV, 1859. Davidis cum Golia certamen mystice exponitur. IV, 1855, 1856. David pro beneficio meruit invidiam. IV, 301. David uxorem suam, quam pater ejus Saül alteri tradiderat, tamquam novi Testamenti figurator recepit. VI, 474.

Davidis humilitas et mansuetudo. IV, 1716. Mansuetudo erga Saülem. VIII, 161. David implevit Christi præceptum diligendi inimicos. VIII, 161. David cur non prius regnum tenuit, quam primo a persequentibus liberaretur. IV, 600. David perjurii reus, de duobus peccatis elegit minus. V, 1408. David quomodo ob dinumerationem populi, mortibus tot hominum vapulavit. VIII, 618, 619. Mors, ob dinumerationem populi, illata hominibus quandoque morituris non obfuit. VIII, 619, 625. David per medicinalem providentiam desertus est paululum a Rectore, ne per exitialem superbiam desereret ipse Rectorem. VI, 372. David quare obtulit sacrificium. VIII, 625.

Davidem non suæ injuriæ, sed peccata filii commovebant. III, 77. David persecutione filii sui non dejectus inique, sed humiliatus pie. IV, 1845. Davidis mansuetudo erga filium suum Absalon, III, 77.

David quamquam in adulterium lapsus, longe fuit a libidinosorum intemperantia. III, 77. In Davide immoderatæ libidinis non permansio, sed transitus fuit. III, 77. Davidis humilis confessio. III, 449. David non surrexisset a peccato, nisi gratia Christi cum relevasset, ex epist. Innoc. II, 782. Etsi venia David data est a Propheta, ea tamen quæ Deus comminatus fuerat, subsequuta sunt, quare. X, 1582. David pœnitentia. VII, 554. Castigantur qui in lapsu Davidis quærunt sibi patrocinia peccandi. IV, 586. David peccatum quid præfiguraverit. VIII, 458. David virtutes et vitia. VIII, 441. David peccata et merita fidelis Scriptura non tacuit, quo fine. II, 554.

David regnum amplissimum. VII, 525. David quot annos regnavit. VII, 577. In regno David articulus quidam factus est et exordium juventutis populi Dei. VII, 522.

David quo animo harmoniam musicam dilexit. VII, 547. Piam musicam amavit. II, 369. David Psalterii auctor. V, 197. Davidis nomini totum psalterium tribuitur, et Davidici psalmi appellantur. IV, 130. Davidici versus. II, 369. Quos David psalmos scripsit. VII, 547. Quædam aliter, quam in aliis Scripturæ libris leguntur, dicit : ne vere putetur transacta recolere potius, quam ventura prædicere. IV, 1476. David homo in veteri Testamento, sed non homo de veteri Testamento. III, 2137.

*David* nomine Christus significatur. V, 308. David figura Christi. VI, 356. Figura corporis Christi seu Ecclesiæ. IV, 600, 619, 713. In Davide persecutionem Saülis patiente, regnum salutis æternæ præfigurabatur. IV, 600. David fugiens in speluncam, figura Christi se occultantis in carne. IV, 663. Figura Christi in monumento positi. IV, 664. Davidis proditio per Doech, figura proditionis Christi. IV, 605. David ab Allophylis detentus quid significet. IV, 648. David insaniam coram Achis simulans, figura Christi sacramentum manducandæ carnis suæ prædicantis. IV, 305, 315. David Absalonem fugiens, figura Christi Judam proditorem deserentis. IV, 75. David figuravit sacerdotis personam, quando panes propositionis manducavit. III, 1045; IV, 601. David ex persona Christi loquitur. IV, 723. Promissiones ad David in filio, non in Salomone, sed in Christo inveniuntur. VII, 540.

Debita nostra exsolvit Christus. IV, 1783. Debita quotidiana. V, 381, 392. Debita fratribus et inimicis dimittenda. V, 53, 524, 514, 516, 652, 1274. Debitum relaxare conservo, magni lucri eleemosyna est, ut tibi relaxetur a Domino. V, 1055. Debita donandi pactum in Dominica oratione. V, 383, 1056. Debitum dimittendum volenti litigare. III, 1282. Causa cadit, qui plus petierit quam ei debeatur. IV, 1551.

Debet nemo nisi ei a quo accepit ut debeat. I, 1292. Debet Deus nulli aliquid, qua omnia gratuito præstat. I, 1295.

Debitorem Dominus ipse se fecit, non accipiendo, sed promittendo. I, 714; IV, 1068, 1445; V, 640, 863, 1184. Ut homo exigeret debitum, prius accepit indebitum. V, 1428. Debitor ille factus est fidelis, esto tu avarus exactor. IV, 286. Si Dominus retribuere vellet, nihil nisi pœnam debitam retribuisset. V, 177. Omnia Deo debent, primo quidquid sunt, deinde quidquid melius esse possunt si velint, et quidquid oportet ea esse. I, 1293. Anima Deo reddit quod debet, vel faciendo, vel patiendo. I, 1293. Qui non facit quod debet, statim patitur quod debet. I, 1293. Debitor tenetur tempore judicii, quia inventus est donator tempore misericordiæ. IV, 1283. Debitor Dei est omnis homo, et debitorem habet fratrem. V, 381, 515. Debitores habemus, et debitores sumus : quo pacto debita nobis relaxentur. V, 983.

Debitoris et creditoris obligatio. III, 764. Debitores non nimium urgendos esse. V, 1129.

Decachordum psalterium. V, 79.

Decalogus. V, 517. Decalogum respuunt Manichæi et violant. VIII, 303, 307, 309, 310, 311. Præceptorum Decalogi distinctio. III, 620; V, 1165. Tria ad Deum, septem ad homines pertinent. V, 79; VIII, 306, 310. Decalogi tria prima præcepta ad singulas SS. Trinitatis personas indicandas pertinent. II, 213. Decalogi præcepta omnia continentur præcepto, *Quod tibi fieri non vis*, etc. V, 86. In præcepto dilectionis Dei est castitas nuptiarum Ecclesiæ, in præcepto dilectionis proximi unitas membrorum ejus. VIII, 306. Decalogi præcepta singula exponuntur. V, 76. Decalogus non solum Judæis, sed et nobis ad vitam recte instituendam datus. X, 215, 594. Præceptа justitiæ, quæ continet Decalogus, observare tenemur. X, 222. Decalogus quoque occidit, nisi adsit gratia. X, 215. Præceptum observandi sabbatum solum inter cetera in umbræ figura positum. X, 217.

Decani Monachorum. I, 1338. Eorum munus. I, 682.

Decimæ. V, 89. Decimas rerum suarum dare num Christiano sufficiat. V, 522.

Decipere neminem summa et prope divina virtus est. VI, 35. Hujus virtutis gradus. VI, 34. Decipi aliquem quomodo Deus sinit. VI, 35.

*Decius*. IX, 325, 328. Decius Imperator, persecutor Christianorum. VII, 614. Decii, pater et filius, pro patria se devoverunt. VII, 127, 165.

Declinare in dextra, est velle tribuere sibi quod rectum est, non Dei gratiæ. III, 769.

Decolluire volens Ecclesiam. V, 725.

Decor domus Dei. V, 116.

Decurio civitatis. II, 304. Ingentius suspensus ideo non torquetur, quia se decurionem Ziquensium asseverarit. II, 304.

Dedicatio templi antea profani. V, 889. *Vide* Ecclesia. Dedicatio candelabrorum. V, 1478. Dedicatio templi Dei in nobis nondum fit, sed tantum ædificatio. V, 890. Ecclesiæ fundamentum jam dedicatum, dedicabimur et nos cum surrexerimus. V, 661. Dedicatio domus, quæ modo in tribulationibus fabricatur, fiet in secundo Christi adventu. V, 178; IV, 221. Jam in capite facta est tamquam dedicatio fundamenti. IV, 221.

Defectum in intelligibilibus quam in sensibilibus ægrius toleramus. VIII, 99. Defectus etsi inter intelligibilia numerantur, non tamen rebus sensibilibus præponendi. VIII, 98. Defectus non semper culpæ vel pœnæ deputandus, est etiam defectus laudabilis vel optabilis. IV, 1558. Non omnis defectus culpabilis est, sed solus voluntarius. I, 1291; VIII, 590. Defectus qui non sunt voluntarii, vel sunt ad punitionem peccati, vel ad pulchritudinem universi. VIII, 590. Deus non est auctor mali. I, 1346. Nec defectionis. I, 1347. Defectus profectusque creaturæ non sunt sine supplemento decoris universi. III, 259.

Deficere a te potes, tu te ipsum reficere non potes. IV, 1224. Deficere est ad nihilum tendere. VIII, 587, 592. Deficiunt res aut deficere possunt, quia ex nihilo factæ sunt. II, 439.

Defit. II, 833, 1076.

Defensio peccatorum, magna iniquitas. IV, 701, 854, 1793, 1808, 1821. *Vide* Peccatum.

Defensoris et intercessoris discrimen, et utriusque officium. II, 657.

Definitio nihil complecti debet quod sit alienum. I, 913. Definitionis partes. I, 1038. Definitio quomodo examinanda. I, 1038. Definitionis utilitas. VII, 67.

Deformitas corporum ostendit quam pœnalis sit conditio mortalium. VII, 781. Non remanebit post resurrectionem. VII, 781, 783.

Defunctorum piorum sedes occultæ. VII, 28. An defunctorum spiritus ignem transitoriæ tribulationis patiuntur. VII, 745. Defunctorum quorumdam spiritus pœnas patiuntur. VII, 735. Defuncti fideles membra sunt Ecclesiæ. VII, 671. Eorum memoria ad altare fieri solita. I, 778. Ad altare pro commemoratis defunctis, non pro martyribus oratur. V, 867, 1291, 1295. Oratio pro defunctis. III, 1847. Oblationes pro defunctis. II, 92. Sacrificium missæ pro defunctis. II, 694. Sacrificium pro defunctis posito juxta sepulcrum cadavere. I, 777. Quod pro se postulat Monnica. I, 778. Pro patre suo Patricio et matre sua Monnica vult orari ad altare Augustinus, I. 780. Ac ipsemet orat. I, 778. Sacrificium altaris et eleemosynæ fiunt pro baptizatis omnibus defunctis. VI, 285. Operatio misericordiæ in defunctos. III, 1550.

Defunctorum animæ pietate suorum viventium relevantur. VI, 285. Defunctorum spiritus orationibus Ecclesiæ, sacrificio salutari, eleemosynis adjuvantur, et quatenus adjuventur. V, 936, 937. Ut ad ipsum sacrificium loco suo commemorentur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur, hoc a Patribus traditum, universa observat Ecclesia. V, 936. His ritibus non comparantur mortuis nova merita. V, 937. Pro quibusnam defunctis orationes exaudiuntur. VII, 737. Sacrificium, orationes, eleemosynæ eis prosunt, qui cum viverent, ut hac sibi postea prodessent, meruerunt. VI, 285. Frustra illis impenduntur hæc pietatis officia, cujus pignore dum hic essent caruerunt. V, 937. Quibus prosunt, aut ad hoc prosunt, ut sit plena remissio, aut ut tolerabilior fiat ipsa damnatio. VI, 284, *Not.* (*a*). Pro valde bonis gratiarum actiones sunt, pro non valde malis propitiationes, pro valde malis qualescumque vivorum consolationes. VI, 283. Missa pro defuncto de cujus anima dubitatur. VI, 284, *Not.* (*a*). Pro defunctis impiis et infidelibus non oratur. VII, 736. Defunctis quibusdam nullum misericordiæ auxilium præberi potest. III, 1351.

Defunctorum commemoratio. IX, 655.

Defunctorum exsequiæ quid recogitandum admonent. V, 937. Funeris pompæ, etc., vivorum sunt qualiacumque solatia, non adjutoria mortuorum. V, 936. Hæc tamen, utpote in scripturis inter opera bona deputata, quisque pro viribus præstet. V, 937. Propter eos qui vivunt, fiunt laudes funebres, etc. II, 1074.

Defuncti corporis sui redemptionem exspectant. I, 606. Defuncti absentes potius dicendi sunt, quam mortui. IV, 1897. *Vide* Mortui.

Degradatio clerici, pœna ab ecclesiastica disciplina inflicta. V, 1575; VI, 199, 271. Degradare cui et quando liceat. IX, 669.

*Debbora* judex et prophetissa apud Hebræos. VII, 572.

Delectatio finis est curæ. IV, 103. Delectatio quasi pondus est animæ. I, 1179. Ubi est delectatio ejus, ibi est thesaurus. I, 1179. Non amatur nisi quod delectat. V, 869. Aliquando, etiam si noceat, prodesse creditur quod delectat. II, 963. Quod appetendum cognitum fuerit, non appetitur nisi tantum delectet, quantum diligendum est. X, 242. Sæpe quid agendum sit videmus, nec agimus; quia non delectat ut agamus, et cupimus ut delectet. IV, 1522. Nisi etiam delectet et ametur quod agendum cognoscitur, non agitur, non suscipitur, non bene vivitur. X, 203. Tanto quidque vehementius volumus, quanto certius quam bonum sit novimus, eoque delectamur ardentius. X, 167. Tanto magis delectat opus bonum, quanto Deus plus diligitur. X, 168.

Delectet Deus, a quo habetur quidquid delectat. V, 143. Quis sic delectat, ut ille qui fecit omnia quæ delectant? IV, 281. Delectant bona, quæ non sunt per se bona, qualis erit delectatio incommutabilis boni? IV, 203. Delectatio laudis Dei piis promissa, quæ non datur impiis. V, 1188. Delectatio piorum in Deo amissis terrenis rebus. V, 147 Occupatio beatorum, delectationem ipsius Domini contemplari. IV, 203. Nec ex præterita nostra vita, nec ex præsenti delectari debemus, sed in ea quæ nobis promittuntur, intendere. IV, 681. Nulla creatura sic sibi placet, seque ipsa delectat, ut mens bona. X, 752. Delectatio mentis de justitia et fide. V, 869. Delectationi cordis de lumine veritatis, nulla voluptas comparanda. V, 969.

Delectatio boni non litteræ, sed spiritus donum est. X, 203, 217. Quando delectat bonum, magnum est Dei donum. IV, 1547, 1565, 1566. Delectatio boni gratiæ deputanda. X, 561. Delectatio justitiæ donum Dei. V, 919. Qui fiat ut justitia nunc magis minusve delectet, nunc non delectet, X, 168. Delectatio justitiæ, nisi vincat aliarum rerum delectationes, vincimur in pugna contra peccatum. VI, 271. Delectatione justitiæ vincente non ceditur malæ concupiscentiæ. VI, 287.

Delectatio legis Dei, et delectatio concupiscentiæ. V, 850. Delectationes sensuum licitæ et illicitæ. V, 868. Delectatio perniciosa sequitur cupiditatem, fructuosa caritatem. IV, 124. Delectationes quandonam fiant libidines illicitæ. VIII, 419, 420. Delectationem illiciti non frænare est peccatum. VIII, 419. Delectationi alicui illicitæ consentire,

non tantum in horrendis facinoribus, sed et in levioribus, peccatum est. X, 244, 996. Delectationem carnis qui a nullis refrænat licitis, vicinus est et illicitis. VI, 711. Delectatio justitiæ sperare debet quidquid aliud voluptas, sive dolor impedit. X, 242.

Delectationes vincendæ, et dolores. V, 1470, 1510. Delectationis inest semper aliqua titillatio, etiam in eo qui tentationem superavit. IV, 1860. Delectatione cogitationum lascivarum quis vulneratur, etsi non consentiendo victor abscedat. V, 391. Delectatio voluptatis in corpore non nocet iis, quibus major est delectatio voluptatis verbi sapientiæ, præcepti Dei. IV, 345. Delectationibus terrenis amaritudines cur Deus miscet. IV, 458, 1213, 1795. Homines sancti habent in potestate illicitam delectationem cohibere. III, 455. Delectationes rerum perituraram transiet, qui credet in Christum. IV, 794. Delectationes bonæ, cordi; renibus, malæ tribuuntur. IV, 103, 104.

Deliciæ peccatorum fluxæ. V, 861. In deliciis nihil requirendum præter integram corporis valetudinem. II, 496, 497. Deliciæ a Christiano non conquirendæ, Christi passiones imitandæ sunt. V, 275. Deliciæ contemnendæ. II, 496, 497. Deliciarum matres divitiæ. II, 497. Vita in deliciis temporalibus, in comparatione vitæ æternæ, non vita, sed mors dicenda. II, 223.

Deliciæ sunt justitiæ, ut et iniquitatis. V, 919. Deliciæ spiritales quæ. VI, 447. Deliciæ nostræ Christus. IV, 1795. Deliciæ sanctæ in Scripturis divinis. IV, 413. Deliciæ per Spiritum sanctum Scripturis sanctis inspersæ. IV, 1805. Deliciæ spiritales in ænigmate proponuntur in Scriptura sacra. VIII, 508. Deliciæ spiritus nostri cantica divina, ubi et fletus sine gaudio non est. IV, 1884. Deliciæ homini converso non subtrahuntur, sed mutantur. IV, 946. Deliciæ mansuetorum, pax. IV, 362.

Delicta unde dicuntur. IV, 950. Delicta non intelliguntur, sicut nec videntur tenebræ. IV, 162. Delictorum duo genera, propria et aliena. IV, 162. Delicta nostra, sua delicta Christus fecit, ut suam justitiam nostram justitiam faceret. IV, 172. Delinquens juste relinquitur, ut sibi ipse sit pœna. X, 1355.

*Delphinus* episcopus. II, 537.

*Delphinus* Burdegalensis. II, 100.

*Demænetus* in lupum mutatus, quare. VII, 573.

*Demetrias* virgo. X, 378. Filia Julianæ. VI, 453, 442. Demetrias hortantibus Alypio et Augustino nuntium remisit nuptiis jam paratis. II, 849. Demetrias volens et petens, virgo Deo oblata. VI, 441. Pelagii ad ipsam epistola. II, 854. Libri ad Demetriadem scripti virus notant Alypius et Augustinus. II, 850. Demetriadis sanctimonia virginalis ubique prædicatur. II, 645. Ejus laus. II, 645.

*Demetrius* a Lepti-minus. IX, 222.

*Demetrius* presbyter a Primiano communione interdictus. IV, 379.

*Democritus*. I, 945. Democriti de Deo sententia. II, 445. Et de causa cogitationum nostrarum. II, 444, 445. Democritus ab Epicuro distare hoc in quæstionibus naturalibus dicitur, quod concursioni atomorum vim quamdam animalem et spirabilem inesse senserit. II, 445.

*Demosthenes* clarissimus oratorum. IX, 468. In pronuntiatione omnia eloquentiæ præcepta conclusit. II, 442. Fortunas Græciæ non in eo positas esse illone an illo verbo usus fuerit, Æschini insolentiam locutionis objicienti respondit Demosthenes. IX, 468.

Denarii centum forte mille asses sunt. V, 516. Denarius merces. V, 696. Denarius pro opera vineæ reddendus æqualiter omnibus, non tollit diversitatem præmiorum. VI, 410.

Denarius numerus universitatem significat. VI, 38; VII, 696. Legem. III, 1442; V, 517, 1240, 1241, 1243. Perfectionem. V, 1240. Beatitudinis perfectionem. III, 1556. Et disciplinam quæ insinuat conditorem Deum, et conditam creaturam. VI, 39. Denarii numeri significatio. V, 352, 353. Et mystica explicatio. III, 48. Perfectio beatitudinis nostræ in denario, quia redit ad primum. II, 218.

Dentes ad loquendum ut ad mandendum nos adjuvant. V, 1145. Dentes si obstupescant, quod remedium. IV, 562. Dentes quid ab ossibus distant. X, 527. Deus ingentis molis in Uticensi littore. VII, 448. Dentes peccatorum et dentes Ecclesiæ, qui sunt. IV, 75, 1007, 1224.

Deponderare. V, 1515.

Depravationis publicæ descriptio. VII, 65.

Deprecationes in devitandis malis, precationes in bonis optandis adhibitæ. II, 635.

Derelictio. *Vide* Deserere.

Derelinquens non derelinquit Deus, quando in bonis temporalibus non exaudit. II, 545, 563, 575.

Descendere proprie et cadere differunt. IV, 1598, 1651. Descendens ab Jerusalem in Jericho, homo descendens ab immortalitate ad mortalitatem. IV, 1134. Descendere ad aliquid officio aliud est, aliud per cupiditatem in id cadere. V, 546.

Deseruit homo imperatorem, et defecit ad desertorem IV, 892. Non deseret opus suum Deus, si ab opere suo non deseratur. IV, 1890; X, 261. Dereliquit Adam Deus, quia ipse deseruit Deum. IV, 693. Ira judicis tradidit quosdam concupiscentiis non cogendo, sed deserendo. V, 391. Deserente Deo continuo fit cæcitas. X, 256. Et homo it in malum. X, 567. Possidet tentator. V, 590. Deus conversos adjuvat, deserit aversos. X, 153. Non deserit nisi dignos. X, 259. Deserit aliquantum Deus ne superbiamus. X, 151, 200. Miseriores sunt qui omnino malum desertionis suæ non sentiunt. III, 432. Homo a Deo cum ipsum rogat, non deseritur. V, 171. Tu adjuvas qui condidisti, tu non deseris qui creasti. IV, 208. Pascebat te Deus contemnentem se, et deseret te timentem se? IV, 315.

Desertum propter ariditatem et sterilitatem, ipsum sæculum. IV, 1760. Deserta unde servis Dei impleta. IV, 654. Deserti quælibet pusillanimitas tempestasque minus mihi videtur molesta, quam ea quæ vel patimur vel timemus in turbis. II, 554. Desertum piis est ipsa conscientia. IV, 655.

Desiderium est rerum absentium concupiscentia. IV, 1522. Desiderium sitis animæ. IV, 750. Sinus cordis est. III, 1691. Desiderio tardum videtur etiam id quod tempore acceleratur. II, 905. Desiderata diu dulcius obtinentur. V, 411. Desiderio rei concupitæ extenditur animus, non lætitia consecutæ. IV, 454. Desideria illicita animam corrumpunt. IV, 1920, 1921. Desideriis pravis quando non captivamur. III, 2071. Non in desiderio pravo, sed in consensione peccamus. III, 2066. Desideria illicita quæ ex ingenita concupiscentia nascuntur, nihil obsunt si iis non obedītur sive operatione, sive locutione, sive tacita assensione. IV, 1507. Desideria mala concupiscentiæ, unde. X, 450. Desideria mala ut non sint, velle debemus. X, 451. Aliud est habere mala desideria cordis, aliud tradi eis. X, 789. Tradi desideriis malis quid. X, 789. Desiderio suo ut pereant dimittuntur tantum reprobi, non vero prædestinati. X, 324. Non solum per patientiam, sed et per potentiam tradit Deus desideriis malis. X, 790. Desiderii prohibiti fructus dulcior. III, 2070. Desideriorum diversitate verberata anima, portat plagas saucia, divīsa per amores multos. IV, 1887. Totum mundum dimittit, qui et illud quod habet, et quod optat habere dimittit. II, 692.

Desiderium sanctum est tota boni Christiani vita. III, 2008. Desideria sancta sunt a solo spiritu, non a carne. III, 416. Desiderium nostrum nunc non sit nisi in cœlum. V, 932. Desiderium regni Dei tribulationibus hinc atque hinc contundentibus producitur. IV, 290. Qui non gemit peregrinus, non gaudebit civis, quia desiderium non est in illo. IV, 1641, 1940. Desiderium nostrum, donec ad Dei visionem perveniat, semper extendendum. IV, 1147. Desiderium Christi in omnibus justis ab origine ad finem mundi. IV, 1557. Desideria æternæ vitæ arma sunt contra tentationes. IV, 1774. Desiderium justorum, delectationem ipsius Domini contemplari. IV, 203. Desiderium tuum, oratio tua est; et si continuum desiderium, continua oratio. IV, 404. Desideriorum forma in Dominica oratione. V, 378. Quodnam desiderium Deus se cito exauditurum pollicetur. IV, 1296, 1888. Desiderium justorum differtur ut crescat, crescit ut capiat. IV, 1057. Desiderium Deus extendit differendo, desiderando extendit animum, extendendo facit capacem. III, 2008. Nihil impedit quominus habeantur justificationes Dei, nisi quia non desiderantur. IV, 1522.

Desolati habent consolationem Patris orphanorum. IV, 815.

Desperare. Necesse est ut homo plus gaudeat, cum venerit quod desperaverat. IV. 1927. Desperatio in peccatis perdere se putat, si quid non fecerit quod instigat libido. X, 266. De Deo nihil desperandum. V, 56. Nec de peccatorum venia. III, 871. Ita Deus plenus est adipe misericordiæ, ut ad eum conversis non solum quibuslibet peccatoribus, sed etiam impiis, non sit desperandum. IV, 597. Desperando plus perdit anima, quam delinquendo. V, 138. Peccatum cum desperatione, certa mors. IV, 588, 1705. Desperatione veniæ anima suffocatur. V, 1558. Et spes et desperatio timenda est in peccatis. IV, 1877. Desperatio et spes impœnitentiæ ac perditionis causa. V, 159. Desperationem inter et præsumptionem incedendum. V, 778. Ne quisquam superbe de se præsumat, ne quisquam humilis de Domino desperet. IV, 946. Ne desperatione homines pejus viverent, promisit Deus indulgentiæ portum; rursus ne spe veniæ pejus viverent, fecit diem mortis incertum. IV, 1502, 1876. De nemine quamdiu vivit desperandum. IV, 370, 650; V, 456, 1548; IX, 698. Desperationem salutis suggerens inimicus, quonam invictissimo scuto repellitur. IV, 89.

Destinis responsionum fulcire ruinosas fabulas. V, 106.

Destruuntur a Deo alii ut ædificentur, alii sic ut non ædificentur. IV, 1120, 1462.

Detractio est mordacior, quam veracior reprehensio. V, 1561. Quomodo irasceris alteri, quando de te male loquitur; sic irascere tibi, quando de altero male loqueris. V, 635. Ut amico laudanti, sic nec detrahenti inimico facile credendum. IX, 354. Cum detrahitur nobis, orandum primitus pro nobis, ut ulciscendi cupiditatem vincamus, deinde pro ipsis detractoribus nostris. IV, 1451. Fortitudo necessaria, cum præsenti detrahitur, non ad repellendum, sed ad ferendum convicium. IV, 1184. Detractionibus falsis crescit merces servis Dei, et pœna detrahentibus. V, 1581. Hanc mercedis speciem non amat Augustinus. V, 1581. Detractio quæ fit ab his qui videntur alicujus momenti esse, scandalum est infirmis. IV, 582.

*Deucalionis* diluvium quo tempore contigit. VII, 568. Ad Ægyptum non pervenit. VII, 568.

*Deuerra* numen paganorum. VII, 188.

Devotatio fit cum maledicto. III, 738.

Devotorum hominum oblationes. V, 1572. Nunc non omnia facere Patrem per Filium abigatur a sensu devotorum, etc. V, 556.

*Deum* existere probatur. I. de lib. Arbitr. a cap. V ad XV. Deum esse fide et ratione cognoscitur. I, 1262. Deum esse debere ratiocinando non efficitur. II, 705. Dei notitiam vanitas litigando quærit, pietas credendo. V, 1205. Error disputantium de Deo ex triplici causa. VIII, 819. Quis pejor. VIII, 820. Deum esse agnoscitur ex operibus creaturæ. IV, 944; X, 211. Deus Philosophis notus ex creaturis. V, 776, 1153. Quomodo ad Dei cognitionem devenere Platonici. VII, 231. Ut anima ex motibus et administratione corporis, ita Deus ex administratione mundi, et animarum regimine intelligitur. V, 1022. Hæc est vis veræ divinitatis, ut creatura rationali jam ratione utenti, non omnino ac penitus possit abscondi. III, 1910. Dei nomen gentibus, antequam crederent in Christum, non potuit esse omnino ignotum. III, 1910. Infidelis potest ad tantas tenebras pervenire, ut Deum esse neget. IV, 1117. Quomodo agendum cum atheo. I, 1242. Rarum hominum genus est, qui dicant in corde suo, non est Deus. IV, 615. Non esse Deum, nemo audet dicere, etiamsi ausus fuerit cogitare. IV, 141. Deum ipsum negare aperta insania est. VII, 152. Deum negantium insania paucorum est. V, 441. Deus verus etiam oraculorum responsis agnitus. VII, 651. Deum verum, Jovis nomine Varro designavit. VII, 650.

Deus quid. III, 1658. Optime de Deo sentire, verissimum est pietatis exordium. I, 1224. De Deo falli periculosum, mentiri exitiosum. V, 157. Cum mendacio Deus non possidetur. I, 807. Variæ de Deo opiniones. I, 721; III, 123, 164, 169. Opinio gentium de Deo nostro. III, 1035. Deum esse animam motu ac ratione mundum gubernantem Varroni placuit. VII, 138. Deum se non esse clamat omnis natura. VI, 635. Quid de Deo natura universa nos doceat. VIII, 1061. Quid doceat Ecclesia. I, 1317.

Deus quid sit, sive quid non sit. I, 783; V, 143, 1689. Facilius dicimus quid non sit Deus, quam quid sit. IV, 1090. In rebus divinis pia ignorantia melior, quam præsumpta scientia. V, 663. Non parvæ notitiæ pars est scire quid non sit Deus, antequam sciri possit quid sit. II, 459; III, 1588; VIII, 948.

Deum omnes intelligunt id quo nihil melius est. I, 807; III, 22. Deus est id quo nullus superior. I, 1248. Dei excellentia. III, 1585.

Dei proprie est esse. VII, 256. Deus summe ac primitus est. III, 32. Solus proprie est. III, 1680. Deus habet in se ut sit longe aliter quam creaturæ. III, 333. Ita est Deus, ut in ejus comparatione, ea quæ facta sunt, non sint. IV, 1741. Deus summe est, quia nulla mutabilitate proficit seu deficit. II, 439. In Deo omne quod dicitur, idipsum est. V, 1498.

Dei simplicitas. VII, 251. Deus natura simplicissima. VIII, 1062, 1076. Deus pars ullius rei esse non potest. VIII, 765. Deus simplex et multiplex. VIII, 928, 929, 936. Deus etiam trinus, bonum simplex et incommutabile. VII, 325. Quomodo. VII, 326. In Deo non aliud potestas, aliud prudentia et cæteræ virtutes. V, 1498. Deo hoc est esse, quod posse. III, 1558. Hoc est esse, quod est magnum esse, bonum esse. VIII, 947. Fortem esse, justum esse, etc. VIII, 927, 929, 931, 933, 943. Sapientem esse. VIII, 947, 1076.

Dei natura, qualis. III, 1876. Deus ex factura intelligitur qualis sit. VI, 662. Deus est quædam substantia. IV, 844. Summa substantia. X, 255. Est excellentissima quædam immortalisque natura. III, 21. Incommutabilis. III, 557, 562. Invisibilis et ubique tota. III, 647. Quidquid in Deo intelligi potest, substantia est. VI, 192. In Deo abusive dicitur substantia, essentia proprie. VIII, 942. Deus sive dicatur substantia, sive essentia, ad se dicitur, non relative ad aliquid. VIII, 942. Quidquid secundum qualitates de Deo dici videtur, secundum substantiam vel essentiam est intelligendum. VIII, 1062. In Deo nihil secundum accidens dicitur, sed secundum substantiam aut secundum relationem. VIII, 913, 914. De Deo quidquid dicitur vel intelligitur, secundum substantiam dicitur, falsum Arianorum dogma. VIII, 912, 914. Circa Dei naturam in quo conveniant Catholici et Manichæi, in quo dissentiant. X, 1468.

Deus essentia sua idipsum est summe esse, et summe vivere. I, 665. Ipsi esse et vivere, non aliud atque aliud. I, 665. Deum esse quamdam vitam æternam sapientem, sapientes facientem, intellexerunt Philosophi. V, 776. Ex consideratione mundi. V, 776. Dei vita, ipse Deus. III, 1548. Vita Dei est immutabilis. III, 1548. Deus animam habere tropice dicitur, sicut et corporis membra. VII, 534. Deus summum vitæ principium. VIII, 93. In Deo et causa subsistendi, et ratio intelligendi, et ordo vivendi. VII, 228. Deus non ejusdem cum anima naturæ. VII, 230. Ex Dei anima vitas atque animas cunctorum viventium sorte sumi quidam dixerunt. VII, 125. Dei anima, voluntas ejus. III, 716. Deus nec sexum habet, nec ætatem, nec definita corporis membra. VII, 134.

Deus cum dicitur, quid cogitandum. V, 35. Qualis sit Deus non potest cogitatione comprehendi. III, 790. Deus incomprehensibilis. I, 661; IV, 1742, 1743, 1872; V, 360, 665. De eo quædam in Evangelio propterea præseminata, ut admoneremur, non oportere nos de temeraria comprehensione jactare. II, 1033. Deum comprehendi non posse ait Plato. VII, 270. Deus verius cogitatur, quam dicitur; et verius est, quam cogitatur. VIII, 939. Deum aliquantum mente attingere beatitudo est, comprehendere impossibile. V, 663. Deus incomprehensibilis semper quærendus. VIII, 1057. De Deo nihil potest intelligi sine pietate et quædam pace mentis. VIII, 92. Deus ut ex quantulacumque parte possit intelligi, nonnisi magnis gemitibus et suspiriis fit. VIII, 174. Deum facilius eloqui audet anima, quam videre; et tanto minus eloquitur, quanto sincerius videre potuerit. VIII, 187. Deus prius fide non errante cognoscendus, ut possit amari. VIII, 951. Ad Deum solo intellectu ambiendum est. VIII, 90. Phantasmata quæ sibi cor de Deo fingit. V, 1204. Deum carnaliter cogitans, qua ratione edocendus. V, 157. Respuenda omnis carnalis cogitatio, ut capiatur quomodo Deus veritas est. VIII, 948. Deus quomodo cogitandus. III, 2035. Quisquis talem cogitat Deum, qualis non est Deus, alienum Deum utique et falsum in cogitatione portat. III, 790. Tale aliquid esse, qualis figuraliter spiritui sanctorum demonstratus est, quidam volunt. III, 427. Deum facilius percipimus mente, quam creaturas. III, 333. Deus interior, exterior, antiquior, novior omnibus. III, 333.

Deus ineffabilis. I, 662, 663; III, 21, 333; IV, 1090. Quomodo. I, 662, 663; III, 21, 333; IV, 1090. Dei majestas a spiritalibus cogitari potest, a nullo autem effari. II, 1033. Deus est ineffabilis, ac silendo plus de eo sentire licet quam dicere. V, 665. Deo honorificum potius silentium, quam ulla vox humana competit. VIII, 142. Væ tacentibus de Deo, quoniam loquaces muti sunt. I, 662, 663. Omnia possunt dici de Deo, et nihil digne dicitur de Deo. III, 564; V, 1498; VI, 138; VIII, 138, 142, 627, 628. Ad loquendum de Deo nulla digna comparatio potest inveniri. VIII, 728. Non temere tale aliquid de Deo dicere debemus, quod in Scriptura ejus non legimus. III, 302. Potestas, prudentia et similia de Deo dicuntur, non proprie, sed quia nihil dici melius potest. V, 1497. Divinis rebus vocabula humana tribuuntur, sed ibi remotis imperfectionibus intelligenda. VI, 140.

Dei nomen duplex Moysi declaratum. V, 61, 66. Dei nomen, τετραγράμματον, ineffabile. III, 658. Dei nomen est ipsum esse. IV, 1741. Dei nomen jucundum est amantibus eum super omnes jucunditates. IV, 612. Deus quare appellatur ignis edax. VIII, 148. Lumen. VIII, 938, 939. Lux lucifica, VIII, 404. Veritatis lumen illuminans omnem hominem Deus est. X, 150.

Deus spiritus est secundum Platonicos, secundum Stoicos est corpus. III, 1036. Deum corporeum esse, sicut et animam, contendit Tertullianus. X, 499. Et esse corpus. II, 861; III, 427; VIII, 46. Deo quidam corpus affingunt, ne non sit substantia. II, 619. Aliqui esse corpus igneum, alii candorem lucis finxerunt. III, 164. Sed incorporeus est. I, 721. Deum existimare corporeum omnino nefas est. II, 622, 623. Deus non est quid corporeum, nec aliquid quale formari nostra cogitatione possit. V, 35, 369. Quidquid corporeum occurrit, et in spiritalibus quidquid mutabile, non est Deus. VIII, 958. Nihil quod corporis sensus attingit, pro Deo colendum esse, vel imperitum vulgus prædicat. VIII, 90. Deum non esse corpus probatur. VII, 250. Deo membra adscribi quam absurdum. II, 459. Deus nulla corporis forma definitur. VI, 188, 304. Non est admodum corporis in spatio cogitandus. V, 359. De Deo corporaliter dicta, qui accipienda. I, 1518; III, 166, 186. Deo quæ tribuuntur membra, spiritali-

ter intelligenda. II, 628. Dei membra, potentia operationum ejus. IV, 150. Effectus operationum atque virtutum. III, 716. Deus totus oculus, totus manus, totus pes. II, 628. Dei facies, potentia qua dignis innotescit. IV, 137. Dei auris, non membrum corporeum est, sed potentia qua exaudit. IV, 130. Dei facies et manus et pedes quid. V, 366. Dei brachium et manus, Christus. IV, 484, 894, 1146, 1444, 1253. Filius et Spiritus sanctus. IV, 1551; VII, 575. Dei manus potentia Dei. III, 547; IV, 484, 1551, 1615; VII, 573. Virtus ejus. VIII, 692. Dei dextera, æterna felicitas. IV, 1146, 1782. Dei digitus, Spiritus sanctus. II, 218; IV, 111. Dei zelus, ira, misericordia, patientia, pœnitentia, manus, pedes, etc., quo sensu dicantur. VI, 31, 139, 140, 249, 611. Ira Dei et zelus sine perturbatione. III, 558, 599, 651. Deus perturbationibus non subjacet. III, 2035. In Deo situs, vestimentum, anni, locus, translate dicuntur. VIII, 817.

Dei pulchritudo. IV, 1075. Plenitudo. I, 845; III, 153. In Deo nihil deest et nihil redundat. I, 894. Plenitudo divinitatis in Christo corporaliter, quomodo. II, 847. Quonam discrimine habitet divinitas in Christo et in membris ejus. II, 847.

Dei dictio quomodo accipienda. III, 227. Dei locutio in substantia sua, Verbum Dei incommutabile, quod est Christus. IV, 1788. Verbum Dei. III, 348. Deus Verbum coæternum loquitur. III, 250. Quomodo cum Angelis loquitur Deus. III, 447; VII, 484. Dei loquelam modis ineffabilibus audiunt Angeli, et ad homines deferunt. VII, 293. Quomodo Deus, et quam multis modis hominibus loquitur. IV, 566; VII, 317, 484. Deus loquitur aut per suam substantiam, aut per sibi subditam creaturam. III, 392. Deus loquitur vel in ipsa cogitatione, vel per creaturam corporalem. III, 1284. Illis intus loquitur, qui ei locum præbent. III, 2005. Deus per multa organa ipse sonat ubique, tangendo, modificando, inspirando. IV, 566. Quomodo Deus cum primis hominibus loquebatur. VII, 443. Deus primis parentibus locutus est post peccatum per subditam creaturam. III, 392, 447. Cum illis, aliis modis intrinsecus loquebatur. III, 392, 447. Moysi loquebatur per adsumptam creaturam, non per suam substantiam. IV, 1788. Deus aliquando servis suis in ipsis servis suis loquitur. III, 394. De locutione Dei varia inquiruntur. III, 252. Quomodo naturaliter fieri potuerit, difficile est invenire. III, 252. More humano in Scripturis ad homines loquitur. III, 558. Nuntios habet propter nos et propter ipsos. III, 334.

Deus invisibilis. V, 1266. Non tantum Pater, sed tota Trinitas unus Deus invisibilis natura. II, 605. Quomodo invisibilis, cum Angeli videant faciem ejus semper. VIII, 765. Deus non invisibilis Angelis et iis qui similes illis erunt. VIII, 768. Deus videri non potest oculis corporeis VI, 665. Deus oculis corporeis invisibilis, menti visibilis. II, 318, 319; V, 665; VIII, 171. Deus invisibilis, nullorum corporeis oculis, cordibus autem paucorum mundissimis notus est. IV, 1481. Deus non videri nisi animo potest, nec tamen ita ut animus videri potest. IV, 468. Deum nec cum videbis, poteris dicere, hoc est Deus. V, 369. Deus non potest videri in loco ad modum corporis. V, 1264. Deus invisibilis dicitur, ne corpus esse credatur. II, 618. Deus lux est, sed lux cordis. II, 561.

Deum nemo vidit unquam, quia eam quæ in Deo habitat, plenitudinem divinitatis, nemo mente aut oculis comprehendit, ex Ambr. II, 604. Dei Filium in veteri Testamento visum esse insinuat Ambrosius. II, 604. Quomodo Deus visibilem se præbuit Patribus. VII, 291. Per creaturam primis parentibus Deus in forma humana apparere solebat. III, 448. Dei apparitio Moysi. V, 59, 160. Deum quomodo videbat Moyses. VI, 662. Deum videre cupiebat Moyses in ea substantia, qua Deus est. III, 477. Deum videre pii desiderantes, eam substantiam qua ipse est quod est, non eam speciem qua ut vult apparet, contueri cupiunt. II, 605. Dei apparitio Moysi per Angelum facta est. V, 60. Quare in rubo qui a flamma inhærente non comburebatur. V, 60. Deus apparere solet in igne. VI, 659. Deus potest hic simul apparere et latere; apparere specie, latere natura. V, 161. Deus dum specie corporali apparet, substantia ejus non apparet. III, 394, 632. Refelli non potest, vel Patrem, vel Filium, vel Spiritum sanctum, si tamen est Spiritus sancti visio, videri ea specie quam voluntas elegerit, non natura formaverit, quoniam Spiritum quoque visum accepimus in columba. II, 604, 605. Ex Ambr. II, 618. Deus apparere per suam substantiam, sicuti est, nonnisi mundis cordibus dignatur. V, 59. Dei quædam est manifestatio interior, quam impii non noverunt. III, 1831. Dei forma a solis piis; in Christo forma servi ab omnibus videbitur. V, 711.

Deus an videndus sit oculis corporeis. VII, 798, 799, 800. An videbitur per corpus spiritale. V, 1264. An saltem per corpus glorificatum videri possit. II, 619. Deum esse visuros, receptis in resurrectione corporibus, non modo sanctos, sed et impios, quidam dixerunt. II, 519. Deum visuros per corpus eos qui ad vitam æternam resurgent, putant alii. II, 619. Deus etiam in resurrectione non videbitur visione oculorum. II, 606. Deum invisibilem invisibiliter videri docuere SS. Patres Ambrosius, Hieronymus, Athanasius, Gregorius Orientalis, etc. II, 624. Deum qui potest invisibiliter videre, ipse Deo potest incorporaliter adhærere. II, 615. Dei visio corporea, si aliquando dabitur, non impediet visionem spiritalem. II, 629. Angeli quomodo vident faciem Patris, quomodo et nos videbimus Deum sicuti est II, 605. Deus nunc fortasse videtur a quibusdam Angelis eo modo, quo videtur sicuti est. II, 605. Deus etiam in resurrectione non audietur auditu aurium. II, 609, 618. Deus oculis corporeis videri non potest. II, 319, 618, 619, 622, 623, 625, 626, 627; ne quidem a Christo. II, 707.

Deum videre summa felicitas. I, 1018. V, 711. Deus a filiis videbitur sicuti est. V, 161. Dei visio, merces fidei. VI, 661. Cur differatur. VI, 662. Deus quot modis videri possit a beatis. VII, 801. Oculis cordis videbitur. VII, 799. Quid requiritur ut videatur Deus visione perfecta. VIII, 171. Ad eum videndum mens mutanda est. VI, 14. Purgandus animus. III, 23. Cordis oculus mundandus. V, 542, 670. Deus lux mentium purgatarum, non oculorum corporis. II, 318. Deum in ipsa quoque resurrectione videre non facile est, nisi iis qui corde sint mundo, ex Ambr. II, 604, 608. Ad videndum Deum per ejus auxilium cor mundum præparandum est. II, 622. Deum in futuro sæculo impii non videbunt, sed soli mundo corde. II, 607, 608. Videbunt mundi corde. II, 618, 620, 621. Deum in tantum videbimus, in quantum similes ei erimus. II, 319. Deum nunc in tantum non videmus, in quantum dissimiles sumus. II, 319. Deus quomodo jam videatur. VI, 661. Deum nunc videri a nobis per speculum, quomodo dicat Apostolus. VIII, 1067. Deus videtur ab his qui sæculo moriuntur. III, 40. Deus videri solum in illa vita potest, ubi, ut vivatur, huic vitæ moriendum est. III, 649. Deus diligentibus se ostendit eisque sufficit, adeo ut ab eo non declinent. I, 833. Deus ubique secretus est, et ubique publicus; quem nulli licet, ut est, cognoscere; et quem nemo permittitur ignorare. IV, 952.

Dei faciem videre, et non posse vivere, quomodo moraliter intelligendum. VIII, 864. Faciei Dei visio, ejus est manifestatio. VIII, 797. Dei posteriora unde videri possunt. VIII, 865. Dei posteriora ab Israelitis visa. VIII, 865. Dei posteriora Christus Dei. VI, 663. Caro Christi. VIII, 863, 864. Dei invisibilia per ea quæ in corpore facta sunt, intellecta conspiciuntur. VIII, 392. Divina videntur intelligendo, non oculis carnis intuendo. VIII, 712. De visione Dei. V, 155, 366. In quæstione de visione Dei excitatæ rixæ et contentiones V, 162. Deum scire quid sit. VIII, 951. Dei cognitione fit homo beatus. V, 665. In quantum Deum novimus, similes sumus, sed non ad æqualitatem similes. VIII, 969.

Dei attributa sunt inexplicabilia. I, 662. Dei attributa summatim describuntur. I, 662.

Dei pulchritudo antiqua est et nova. I, 795. Ejus imitatione pulchra, ejus comparatione fœda sunt cætera. I, 1018. Ab ea omnis pulchritudo. I, 801. Et omnis species. III, 151. Dei pulchritudo in intelligibili et incommutabili veritate. II, 444; in justitia. II, 462.

Dei æternitas. VII, 362. Deus manet apud se et in se ipso plena et perfecta æternitas. V, 1073. Deus non ab aliquo factus. X, 571. Deus est, et vere est, et eo ipso quod est vere, sine initio et termino est. IV, 1743. Deus nec esse cœpit, nec cum vacationis suæ tæduit, nec cessando torpuit, nec operando laboravit. VIII, 604. Deus solus æternus est. V, 208. Omne tempus excedit. X, 401, Nescit tempora. I, 814. Deus præcedit omnia præterita. I, 815. In Dei natura non aliquid quasi nondum sit; aut fuit, quasi jam non sit: sed est tantum id quod est, et ipsa est æternitas. IV, 122. Ipsa Dei substantia est, quæ nihil habet mutabile, ubi nihil est præteritum, quasi jam non sit; nihil futurum, quasi nondum sit; et non est ibi, nisi est. IV, 1311. In Deo solum præsens invenitur. III, 1680. Dei æternitas est dies unus. I, 815. Superat omnia futura. I, 815. Æterna ibi est veritas, et æterna caritas; et vera ibi est caritas, vera æternitas; et cara ibi est æternitas, et cara veritas. VIII, 887. Deus sine temporali voluntate universa tempora facit. VIII, 335.

Deus immutabilis. I, 664, 1248, 1518; IV, 1142; VII, 220, 562; VIII, 518, 551, 558, 887, 911. In Dei natura mutabilitatem pouebant Manichæi. VIII, 595. Deus solus est immutabilis. V, 986; VIII, 912. Deus immutabile bonum. III, 581. In substantia summi boni nulla mutabilitas temporis potest inveniri. VIII, 594. Deus est supra id omne quod est mutabile. I, 1248. Non est alias aliud, nec alias aliter; sed idipsum et idipsum. I, 828. Apud eum rerum omnium instabilium stant causæ immutabiles, et mutabilium immutabiles manent origines, et irrationabilium

temporaliumque sempiternæ vivunt rationes. I, 664. Deus scit et vult immutabiliter. I, 835. Incommutabiliter manens format et innovat omnia. I, 1265. In Deo nullus novus motus. I, 815. Semper idem et immotus agit omnia. III, 389, 390, 391. Quomodo Deus immotus moveat creaturas, exemplo animæ deprehendi potest III, 388. Deus non temporalibus motibus operatur. III, 260. Quomodo Deo non temporaliter jubente fiant motus temporales in rebus temporalibus, difficillimum est capere. III, 252. Consilium Dei non mutabile est. III, 300. Deus incommutabili voluntate, veritate, æternitate persistit. VIII, 372. Deus mutabilis non est, quia aliud in veteri Testamento, aliud in novo sibi jussit offerri. II, 528. Deus voluntatem non mutat sed res quas voluit. VIII, 660. Deus cum mutat, opera sua per incommutabile consilium suum, propter ipsam non consilii, sed operis mutationem, pœnitere dicitur. IV, 1416, 1723. Deus mutatur, si mutaris : mutatur ejus sententia, non justitia. VI, 141. Deus immutabilis, omnis boni auctor. VI, 360. Deus solus immortalis, quia solus immutabilis. VIII, 768.

Dei naturam corruptibilem dixere Manichæi. X, 1325, 1328. Est incorruptibilis. VIII, 518. Nulla ei natura contraria. VI, 185. Nisi quæ non est. VII, 350; VIII, 586. Deo nec noceri potest, nec alii naturæ nisi ipso permittente. VIII, 535, 563. Deus nullam necessitatem pati potest. VI, 16. Neque ex aliqua parte violari. VIII, 114.

Dei immensitas. II, 837; VII, 220. Deus ubique est. I, 707, 795. Deus Pater, Filius et Spiritus sanctus sunt simul ubique. II, 837. Difficile invenitur ubi Deus est, difficilius ubi non est. I, 1077. Ipso nihil secretius, nihil præsentius. I, 1077. Falsa de immensitate Dei imaginatio Augustini adhuc Manichæi. I, 735, 736. Sic est per cuncta diffusus, ut non sit qualitas mundi, sed substantia creatrix, sine labore regens, et sine onere continens mundum. II, 837.

Deus ubique totus. II, 443, 517, 622; III, 1640, 1654; V, 1264, 1268. Quomodo ubique totus in se ipso. II, 838. Divinitas est ubique tota, nusquam divisa. V, 560, 367. Deus ubique præsens. IV, 952, 1125. Ubique præsens et omnia videns. V, 441. Spiritali præsentia adest rebus conditis. IV, 1047. Dei præsentia in rebus, causa est exsistentiæ earum. I, 661. Dei præsentiæ omnibus notæ argumentum est illa etiam improbis usurpata juratio, testis est Deus. V, 101. Deus ubique præsens quandonam cuique nostrum simul esse censetur. VI, 14. Cum Deo est quidquid Deum intelligit. I, 995. Dei secretum in quod intrat servus Dei, quale. III, 1603, 1604. Possunt miseri esse ubi Deus est, sed beati soli sunt cum illo. III, 1927. Deus nec mole distenditur, nec partitione minuitur. VII, 280. Dei natura ubique integra, ubique præsens, non in parte minor, et in parte major; sine ulla mole, magna; per locorum spatia non distenditur. VIII, 184. Si anima per locos non extenditur, multo minus Deus. VIII, 188. Qui ubique totus, et nusquam locorum est. I, 721, 795. Ubique præsens est, non locorum spatiis, sed majestatis potentia. III, 1277.

Deus non est in loco. V, 367, 548, 1265, 1268; VI, 15, 661. Si in aliquo loco esset, non esset Deus. IV, 953. Deus nec per locum nec per tempus movetur. III, 387, 395. Quomodo descendere dicitur. VII, 485. Et esse in aliquo loco corporali. III, 752. Esse in cœlis, cum ubique sit totus. II, 459. Effectu miraculi præsentiam suam insinuat hominibus. IV, 484. Deus propinquior nobis quam multæ creaturæ. III, 355. Deus homini corde ipso interior est. IV, 855. In interiori nostro est quærendus. I, 795. Deum non habitare in locis ab hominibus fabricatis in utroque Testamento prædicatur. VIII, 141. Dei habitaculum per manus hominum factum, ad aliquam significationem in utroque Testamento accipitur. VIII, 141. Deus beat suum templum, non indiget illo ut sit beatus. VIII, 604. Dei templum et Angeli, et homines. VIII 604. Dei sedes sancta, cœli et anima justi. IV, 529, 550. Dei sedes, si vis, tu es. V, 367. Deus in sanctis et justis. III, 1276. Deus ubique est per divinitatis præsentiam, sed non per habitationis gratiam. II, 837. Deus quibusdam non est præsens. III, 1392. Non æqualiter habitat in hominibus per gratiam. II, 857. Possidetur ab hominibus pro eorum capacitate. II, 858. Habitat in electis licet adhuc carnalibus. II, 842, 845. In parvulis habitare dicitur, quia in eis occulte agit ut sint templum ejus, idque in proficientibus, et proficiendo perseverantibus perficit. II, 841. Deus inhabitando continet, non continetur. V, 1502. Portat et continet eos in quibus habitat : si se subtraxerit, cadunt. IV, 1632, 1633.

Deus præsens omnibus conscientiis adest, bonis ut pater, malis ut judex. V, 101. Noli cogitare Deum in locis, ille tecum est talis, qualis fueris : opitulator, si bonus fueris; ultor, si malus. IV, 952. Dei præsentia Adæ justo gaudium, peccatori pœna. V, 542. Deo, qui ubique est, et nullo continetur loco, non per loca propinquamus : propinquare illi, est similem fieri; recedere, dissimilem fieri. IV, 557, 1217. Deum amor exhibet præsentem. II, 670. Iniqui Dei præsentiam non effugiunt. I, 766. Quis se abscondere a conspectu ejus dicatur. III, 208. Deus antequam faceret cœlum, terram, sanctos, in se apud se Deus habitabat. IV, 1632. Deus Verbum quomodo erat in mundo. III, 1395, 1398. Deus non implet mundum velut aqua, aer, aut lux. II, 517. Dei plenitudinem nemo comprehendit. II, 606.

Deus magnus est non mole, sed virtute. II, 519. Dei substantia non circumscripta quantitate. V, 157. Quomodo crescit Deus. III, 1504. Deus non participatione magnitudinis magnus. VIII, 918. Deus ita magnus est in operibus magnis, ut minor non sit in minimis. V, 1060; VIII, 391, 665. Deus magnitudo incommutabilis, quomodo ex nobis magnificetur. IV, 1337. Deum magnum Porphyrius confitetur. VII, 650.

Deus sapiens, æternus, etc., non participatione sapientiæ et æternitatis, sed sapientia et æternitate cujus ipse est auctor. VI, 16. Dei sapientia simpliciter multiplex, et uniformiter multiformis. VII, 368. Dei sapientia et virtus in prima creatione, non ex usitatis et quotidianis operibus metienda. VII, 373. Deus sapientum mentibus præsens non contaminatur. VII, 270.

Deus habet omnium rerum scientiam. I, 590. Solus Deus se novit sicut omnino est. I, 853. Nihil ipsi occultum. I, 590. Dei scientia qualis. VIII, 1075. Dei scientia non variatur. I, 826; VII, 291. Non ei decedit aliquid, vel succedit. VIII, 931. Dei scientia, infinita comprehendit. VII, 367. Abyssus est et in corde bono et in corde malo; sed hæc nuda sunt Deo. IV, 1749. Dei oculos vitare nemo potest. IV, 1200. Deus præsentia, præterita, futura incommutabiliter videt. VII, 334. Deo futura præsentia sunt, ut præterita. VII, 291. Apud Deum omne præsens est. VI, 15. Dei cognitio causa est omnium. I, 736. Deus creaturas omnes non quia sunt, ideo novit, sed ideo sunt, quia novit. VIII, 931, 1076. Deus non sic cognoscit ut homo vel angelus, sed incomprehensibili modo. IV, 576, 577. Dei notitia tanta est, ut omnia apud ipsum essent quodam ineffabili modo, antequam creata essent. IV, 577. Scientia nostra scientiæ Dei comparata ignorantia est. I, 811.

Deum præscium esse futurorum negare, aperta insania est. VII, 149. Qualis in Deo scientia et præscientia. VI, 136. Præscientia Dei sicut et sententia, certa et fixa. VII, 472. In Dei dispositione jam tempora facta sunt, quæcumque futura sunt. VII, 291. Non est auctor omnium quæ præscit Deus. I, 1276. Non ei sunt imputanda peccata. I, 1280. Dei præscientia conciliatur cum libertate. I, 1275.

Deus quomodo dicitur scire, nescire, tentare. VI, 48, 106. Deo Scripturæ solent tribuere quod in nobis facit, ubi de eo congruenter dici potest. IV, 75, 615, 616. De Deo sicut quædam laudabilia hominum non recte dicuntur, sic quædam culpabilia hominum recte intelliguntur in Deo. VI, 141. Deus scire dicitur, quod facit sciri. VII, 511. Videre quod facit videri. IV, 697, 699; VII, 485, 755. Cognoscere cum cognosci aut cognoscere facit. III. 334, 563; IV, 490, 615, 697. Deus videre dicitur quando miseretur. III, 1756. Deus cum vidit quia bonum est quod fecit, docuit bonum esse, non dicit. VII, 334. Deus tentat ut sciat, id est ut dono suo scire faciat. III, 757; IV, 490. Deus discere quomodo dicitur. V, 29. Deum esse miratum non repugnat. VIII, 406. Quare de Deo nescire, pœnitere, et similia dicuntur in Scripturis. V, 1498. Deum pœnitere quomodo dicitur. V, 152. Deus quomodo dicitur peccatores nescire. IV, 69. Mandare et loqui nobis. V, 98, 102. Dei cogitatio et recogitatio quid. VII, 472. Deus non tentandus. III, 574. Deus tentare quomodo dicitur. V, 29.

Deus est æterna veritas, quæ grandium est cibus. I, 712. Deus veritas super omnia præsidens. I, 807. Facies Dei nihil est aliud, quam ipsa cui suspiramus, veritas. I, 988. Deus alio modo verax quam homo. III, 1685. Fallere neminem potest cum promittit. I, 826.

Dei voluntas non est creatura. I, 814. Dei voluntas et Dei potentia Deus ipse est. I, 736. Causa omnium quæ fecit, voluntas ejus est. IV, 1745. Semel, simul, et semper vult omnia quæ vult. I, 832. Non nova voluntate Deus creavit mundum. I, 832. Deus multa potest quæ non vult. X, 250. Quomodo Deus multa velit quæ non facit. VII, 753 Dei voluntatem nulla vis vincit, secundum Platonem. VII 389. Dei voluntas semper invicta et numquam mala, sive misereatur, sive obduret. VI, 279. Nihil fit præter Dei voluntatem, etiam dum fit contra ejus voluntatem. VI, 279. Deus per eamdem creaturæ voluntatem qua factum est quod creator noluit, implevit in se quod voluit. VI, 279. Deo servit omnis creatura, velit nolit. VI, 294. Dei voluntas bona per bonas æque ac per malas hominum voluntates semper impletur. VI, 279. Dei voluntas de homine peccante impleta. VI, 282. Non sineret bonus aliquid fieri male, nisi omnipotens et de malo facere posset bene. VI,

279. Nihil homini secundum vitia corporalia potest accidere quod Deus nolit. III, 598. Deus juste omnia vult. III, 598. Dei quæ fuerit voluntas erga salutem Adami, quem peccaturum præscierat. VI, 281. Dei consilia non norunt nisi amici ejus et filii. VI, 71. Dei judicia nemo comprehendit, juste nemo reprehendit. VII, 71. Voluntas Dei dicitur, quam facit in cordibus obedientium mandatis ejus. VII, 753. Deus facit ut homines faciant quæ ille præcipit. X, 975. Optimus minister Dei est, qui non magis intuetur hoc a Deo audire quod ipse voluerit, sed potius hoc velle, quod a Deo audierit. I, 795. Dei voluntas, Prophetis magis cognita quam philosophis. VII, 389.

Dei potentia et Dei voluntas Deus ipse est. I, 736. Ea est causa exsistentiæ creaturarum. I, 736. Deus omnia quæcumque vult facit, quomodo. VII, 753. Facit quidquid vult; quidquid male fit, non vult. VI, 627. Deum dignus aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. II, 519. Deus nullum habet Dominum. I, 803. Sine typho dominatur. I, 804. Animus fit ei similis, dum ei se subjicit. I, 1320.

Deus omnipotens. V, 1060, 1067. Solus omnipotens. VI, 640. Deum omnipotentem nemo negat etiam paganus. V, 1131. Deus non ob aliud vocatur omnipotens, nisi quia quidquid vult, potest. VII, 719. Deus omnipotens qui id solum non potest, quod non vult. V, 1067. Deus omnipotens quo volente fit quod alias fieri non potest. V, 1141. Dei omnipotentis voluntas an fatum potest nuncupari. X, 577. Nihil Deo impossibile. VII, 716. Deus dives est omnipotentia, non pecunia. VII, 204. Si nescis qua ratione fiat, crede non injuste fieri quod sinit aut facit Deus. V, 319. Dei omnipotentiæ nihil adimit quod peccare aut mori non possit. V, 1061, 1068; VII, 349, 795; VI, 627; VIII, 482; X, 285. Quidquid Deus dicitur non posse, non deficienter potest, sed potenter. VIII, 695. Deus omnipotens, iniquis multa contra ejus voluntatem facientibus, non superatur. V, 1067. Deus non victus a diabolo cum Adam deceptus est. VIII, 615.

Deus solus creator. VIII, 878. Solus verus creator. III, 605. Quidquid vera ratione melius occurrerit, scias fecisse Deum. I, 1277. Dominum quidquid non laudat, non fecit Dominus. III, 2002. Naturaliter sentit natura humana se esse factam a Deo. X, 247. Rerum condendarum tam facultas, quam facilitas, est incomparabilis apud Deum. III, 502. Si bona facere non posset Deus, nulla esset potentia; si autem posset, nec faceret, magna esset invidentia. III, 507. An Deus causa rerum dici possit. III, 21. Deum primam esse causam quomodo Platonici noverunt. VII, 231. Ex ipso sunt omnia, non de ipso. VIII, 560. Deus creator omnium quæ cernimus, et quæ meliora non cernimus; quamvis modus quo ea fecerit, comprehendi non possit. VIII, 610, 611. Deus omnipotens factor ostenditur tribus potentiis. VIII, 547, 549. Deum esse omnipotentem negant, qui putant mundum non ex nihilo fecisse, sed ex natura sibi coæterna. VI, 181. Deus omnipotens non esset, si indigeret materia ad faciendum quod velit. VIII, 117. Dei imperium, potentia et benignitas quomodo intelligitur in creatione rerum. III, 228. Dei opera carnalibus membris fuisse fabricata non cogitandum. VII, 373. Non nova voluntate creavit mundum. I, 832. Deus incommutabili consilio et voluntate operatur. VII, 366, 367. Deus fecit nova non novus, temporalia sempiternus, mutabilia nesciens mutari. V, 1204.

Deus creator est temporum. III, 310. Coæternum Deo esse quidquid generavit et ejusdem cum eo substantiæ, error Manichæorum. VIII, 552. Deus omnia creavit in tempore, immutabili tamen æternoque consilio. VII, 362. Deus cum operatur, non fit in ejus natura aliquid quod non ante fuerat. VII, 367. Quod Deus facit ex tempore, manente incommutabilitate consilii sui facit. VII, 320. Quidquid incipere et desinere dicitur Deus, non in natura ejus, sed in ejus creatura intelligendum. III, 227. Deo hoc est natura quod fecerit. III, 349. Deus omnia in mensura, numero et pondere disposuit III, 299, 300. Quomodo. III, 299, 300. A Deo est omnis mensurarum modus, paritas numerorum, ordo ponderum. III, 337. Deus et mensura est, et numerus, et pondus. III, 299. Quomodo. III, 299. Deus miris modis habebat omnia antequam faceret. V, 958. Omnia noverat priusquam fierent. III, 332. Quare, III, 333. Ubi cernebat unde omnia disponeret. III, 300. Deus in vita sua vidit omnia, quando fecit. III, 332. Deum vidisse opera sua, est eum illa approbasse. III, 228. Deus novit omnia incommutabiliter. III, 334. Deus auctor omnium eorum operum propter quæ multos deos physiologi finxerunt. VII, 219. Descriptio compendiaria operum Dei. I, 865.

Deus creator fecit cœlum et terram sine distentione actionis suæ. I, 826. Deus et cœlestia et terrestria, in hisque exigua condidit. VIII, 606. Deus creator est cujuslibet naturæ quamvis minimæ. VII, 373, 374, 376. Deus in minimis operibus suis magnus est. III, 399. Deus ita est artifex magnus in magnis, ut minor non sit in parvis. VII, 333. Dei creatoris omnipotentia quantum in rebus minimis elucet. II, 519. Deus creator non parvus in parvis, sed magna de minimis insinuat. II, 519. In creando hominem, bonitatem suam ostendit. I, 1272. Deus et animæ et corporis conditor. X, 686. Conditor est corporis. III, 131. Deus hominem fecit, hominis vitia non fecit. III, 2002. Deus visibilium et invisibilium conditor, non quantum ad vitia; sed quantum ad naturas ipsas attinet. III, 227. Deus nascentium conditor, sed ita ut naturarum sit auctor, non vitiorum. X, 1300, 1301, 1303, 1312, 1313. Dei regno nullus subtrahitur. V, 1638. Deus non generator malorum. VIII, 632, 633. Quid agat Deus in omni genere et operatione naturæ. VII, 788. Dei potestas in omnes naturas et voluntates. VII, 433. Dei regno nullus subtrahitur. V, 1638. Deus quid sit rationabilibus, irrationabilibus animantibus, et corporibus. VIII, 372. Deum in mysteriis imbecillitate, in præceptis immoderatione, in judiciis immanitate peccare, calumnia Juliani adversus sanctum Augustinum. X, 1418. Deus creator efficaciam sapientiæ suæ rebus quæ quotidie suis temporibus oriuntur condendis adhibet. II, 948.

Deus etiam nunc creat quæ nascuntur. III, 323. Deus usque nunc operatur. III, 304, 334. Quomodo, cum omnia simul creaverit. III, 337. Semper operatur, et semper quiescit. I, 868; III, 1534; IV, 1181. Dei vacatio ab opere sine desidia, operisque sine labore. VII, 367. Deus in operando non laboravit. III, 302. An proprie requievit. III, 302.

Dei requies ab operibus suis quomodo accipienda. III, 304, 320, 336, 338; V, 80. Quia Deus se ipso bono perfecte beatus est, a bonis quæ fecit in se ipso requievit. III, 298, 307. Requievisse dici potest Deus, quatenus creaturæ rationali requiem præbuit in semetipso. III, 302, 303, 306. Deus, quia requiescimus, se dicit requiescere. IV, 1725. Deus semper quietus, sua quies ipse est. I, 868. Requies Dei sine initio, sine termino. III, 310. Nec mane nec vesperam habet. III, 308, 309, 310. Quare Deus septimo die requievit, eique benedixit, III, 305, 306. Ordinatis rerum causis, consilii sui secretissimi immutabilitate disposuit, quæ suis quæque temporibus agnita et præsentia facit, et futura jam fecit. IV, 1416. Deus nihil facit quod non ab æterno se facturum esse præscivit IV, 1416. Facit quod se facturum promisit. X, 224, 1206, 1208. Quomodo fecit Deus quæ futura sunt. III, 1814. Deus quædam per se ipsum facit, quædam per servientem sibi creaturam fieri jubet aut sinit: quænam illa sunt. VI, 36, 37. Deus ita per ministros suos operatur, ut sint etiam ipsi cooperatores Dei. VII, 483. Cur voluerit mundum creare; frustra quæritur. III, 175.

Deus omnia fecit bonitate, non necessitate. IV, 1743. Deus creaturam amat ut sit et ut maneat. III, 251. Dei amor in opera sua ex beneficentia venit. III, 250, 251. Deo inest ex beneficentia veniens, non ex indigentia, amor in opera sua. VI, 166, 167. Deus nihil sibi contulit de operibus bonorum. III, 433. Nullis eget bonis nec factis nec faciendis. III, 306, 308. Nec faciendis eguit, qui factis non eget. VIII, 606, 608. Ad augendam beatitudinem. VIII, 606, 608. Deus nulli quod ex ipso est debet, quod beatus est. III, 306, 308. Deus nulla creatura indiget ut aut melior sit, aut potentior, aut beatior. IV, 896. Nec futurus erat minor nisi fecisset mundum, nec beatior cum fecisset. III, 306. Deus judex est voluntatum, creator naturarum. VIII, 544. Deus naturas creat bonitate, voluntates ordinat potestate. III, 389. Deus naturarum optimus conditor, peccantium vero justissimus ordinator est. III, 296. Deus solus reparator creaturarum. III, 408.

Deus omnipotens non sine ratione facit, unde animus humanus rationem non potest reddere. VII, 716. In rebus suis naturam mirabilibus, tota ratio facti est potentia facientis. II, 519. Habet Deus in se ipso absconditas quorumdam factorum causas, quas rebus conditis non inseruit. III, 406. Valde occulta et abstrusa vis est, qua Deus agit, ut etiam illa quæ sensu carent, confestim ejus obtemperent voluntati. IV, 1410. Occultorum Dei operum utilitas. X, 832. Nonnulla in operibus Dei, quam Deus ipse, in quantum cognosci potest, difficilius cognoscuntur. X, 527. Sicut humana consuetudo verbis, ita divina potentia etiam factis loquitur. II, 383. Deus rerum creatarum effector, cognoscendarum lumen, agendarum bonum. VII, 233, 234. Deus principium naturæ, veritas doctrinæ, felicitas vitæ. VII, 233, 234. Deus naturarum auctor, intelligentiæ dator, amoris quo bene beateque vivitur inspirator. VII, 338. Hæc agnoverunt Platonici. VII, 230. Quærenti quid faciebat Deus ante cœlum et terram, quid responsi reddatur. I, 815.

Deum curare humana negant Epicurei. VIII, 576. Dei providentiam res humanas non curare, impia iniquorum doctrina est. IV, 924. Gubernationem rerum humanarum ad

Deum non pertinere, unde quibusdam est suspicio. V, 318. Dei providentia omnium est moderatrix. I, 978, 979, 1225, 1549; III, 126, 145. Deus administrat universa. III, 285. Quomodo. III, 390; VII, 220. Quomodo Deus administrat humanum genus. III, 391. Et voluntates. III, 390. Sic curat unumquemque nostrum tamquam solum curet; et sic omnes, tamquam singulos. I, 692. Pravi corde tres habent de Deo sententias, aut non est Deus, aut injustus est Deus, aut non gubernat res humanas. IV, 273. Deus infusus carni, curam gubernandæ universitatis non deseruit aut amisit. II, 517. Dei beneficia generalia et particularia erga homines. VII, 220. Deus si rebus efficacem potentiam suam subtrahat, nec agere, nec permanere possunt. VII, 788. Si a gubernatione rerum Deus cessaret, continuo dilaberentur. III, 304. Deus administrat imas et vilissimas mundi partes. III, 336. Deus bipertito opere providentiæ creaturam universam administrat. III, 390, 402, 404. Quædam facit Deus et ordinat, quædam ordinat tantum. III, 229. Dei providentia in rerum gubernatione, et ordinatione malorum. V, 318, 692. Dei providentia ex impiorum felicitate quibusdam in dubium aut in reprehensionem venit. V, 126, 128, 135, 318. Deus rectus perverso non placens. V, 322. Deus non eget justitia recti hominis, quanto minus iniquitate perversi. III, 433. Cur divites ac pauperes facit Deus. V, 523. Musica ad indicandam divinæ gubernationis harmoniam hominibus concessa est. II, 726. Deus cuncta gubernat, et cur non vindicet mala. VI, 661. Deus omnibus bene utitur. I, 809. Etiam errore hominum I, 670. Nequitia peccatorum. I, 772. Et malitia diaboli. III, 219. Deus non solum bonis, sed malis bene uti novit. VII, 435. Quomodo vel quamdiu sinat et bene esse malis et male esse bonis. V, 319. Deus cum diabolum fingeret bonum, præsciebat quomodo illo uteretur et malo. VII, 552. Deum in vetere Testamento improvidum, ignarum futuri, invidum et timentem, sanguinis hominum appetentem, zelantem, irascentem, hominum interfectorem, dicebat Faustus. VIII, 406.

Deus unus. V, 1073, 1076. Deus verus non est, nisi unus. VI, 587. Deus unus est Pater et Filius et Spiritus sanctus. V, 1333. Quid est Deus? Pater et Filius et Spiritus sanctus. IV, 216. De Deo Patre, de Filio, de Spiritu sancto quid credendum. V, 1072. Deum unum ac Dominum esse Patrem et Filium et Spiritum sanctum ex Scriptura ostenditur. II, 1045, 1046. In Deo una essentia, tres Græcis hypostases, Latinis tres personæ. VIII, 917. Dum unum verum Deum significare volunt Græci, articulum apponunt. III, 575.

Deus summum bonum. VII, 233. Bonum nullo indigens bono. I, 845, 868. Deum bonum esse, est ipsum ejus esse. X, 369. Bonum esse per se, simpliciter et sine addito Dei proprium est. IV, 1496, 1740. Deus est bonum omnium bonorum, bonum a quo sunt omnia bona, bonum sine quo nihil est bonum; et quod sine cæteris bonum est. IV, 1712. Ex plenitudine bonitatis ejus subsistit creatura. I, 845. Bonorum summa Deus nobis est et summum bonorum. I, 1516. Apud Deum vivit semper bonum nostrum : et quia inde aversi sumus, perversi sumus. I, 706. Quale bonum sit Deus commendatur, quando nulli ab eo recedenti bene est. III, 432; VIII, 554. Deus solum bonum quo natura intellectualis fit beata. VII, 162, 349. Deum esse summum bonum quomodo cognoscatur. VIII, 949, 950. Dei bonitatis et magnitudinis testimonium dicunt omnes creaturæ. IV, 1865. Deum non esse bonum sed justum docebat Cerdon. VIII, 29.

Deus solus summe bonus, et quod de illo est. VIII, 202. Deus bono suo bonus est, non aliunde participato bono. IV, 1740. Deus bonus est singulariter, et homo a Deo bonus est, de suo vero malus. II, 658. Deus solus a se bonus, a quo cætera bona. V, 119, 185, 559. Nemo habet aliquid boni, nisi ab illo acceperit, qui solus bonus est. IV, 1280, 1670. Deus sic proprietate naturæ bonus est, ut non possit vitiari : secus creaturæ. X, 1537. Deus sine qualitate bonus, sine quantitate magnus, sine indigentia creator, sine situ præsidens, sine habitu omnia continens, sine loco ubique totus, sine tempore sempiternus, sine ulla sui mutatione mutabilia faciens, nihilque patiens. VIII, 912. Deus in omnibus bonis invenitur sive emendans, sive consolans, sive exercens, sive coronans, sive purgans, sive illuminans. IV, 1855. Dei bonitas non est, cur accusetur in malorum procreatione. V, 851. Ipsa est illa mirabilis Dei bonitas, qua bene utitur etiam malis vel angelis vel hominibus. IV, 1598. Deus tam bonus est, ut malis quoque utatur bene. II, 559; III, 1619, 1620; X, 1495. De ipsis peccatis hominum bene operatur. II, 727; V, 95. De malis facit bona. VI, 359. Deus facit bene, etiam sinendo fieri quæcumque fiunt male. VI, 276. Deus bene utitur malis operibus hominum, sicut illi contra male utuntur bonis operibus Dei. IV, 1396, 1397. Recte utitur animarum voluntatibus etiam malis, cum illæ perverse utantur naturis bonis. III, 451. Deus bene utitur cordibus malis ad id quod vult ostendere vel facere bonis. III, 601. Agit Deus in cordibus, ut det exitum rebus quem constituit. III, 801. Ad utilitatem bonorum parcit iis quos malos futuros esse præscit. III, 606. Deus etiam ipsis hominum peccatis usus est ad significanda quæ voluit. III, 815. Deus non operator peccatorum, sed ordinator, distributione meritorum. III, 259. Deus improborum malitiam ad exercendos et comparatione admonendos bonos accommodat. II, 860. Deus omnia largitur et præscit; sed peccata prædicit, supplicia minatur, beneficia pollicetur. II, 558. Deus nostram de malis tristitiam consolatur quod ad provectum sanctorum conducunt. II, 1085. Deus tantum malos permittit esse, quantum novit expedire atque sufficere admonendæ atque exercendæ sanctæ domui suæ. II, 1085. Deus scit ubi ponat peccatorem, haud secus ac pictor ubi ponat nigrum colorem. V, 1382. Mundus totus fornax aurificis, ibi justi tamquam aurum, impii tamquam palea, tribulatio sicut ignis, Deus sicut aurifex. V, 1383.

Deus misericors. I, 1333. Ejus suavitas. I, 1315. Apud Deum non est iniquitas, sive eligat, sive reprobet, quomodo. VI, 120, 121, 122. Deus, cum cujus vult miseretur, et quem vult obdurat, non est injustus. II, 822, 823; VI, 72. Nec acceptor personarum. II, 875. Deus cujus vult miseretur, non justitia, sed misericordiæ gratia : et quem vult obdurat, non iniquitate, sed veritate vindictæ. II, 876. Quomodo Deus adhuc conqueratur, cum misereatur cujus vult. II, 880, 888. De peccatoribus juste et misericorditer conqueritur Deus. VI, 121. Deum, quidquid fecerit homo, in factis suis laudabilem invenit. VI, 332. Deus quantam circa nos exhibuerit misericordiam, in illis demonstrat circa quos non habuit. IV, 704, 707. Deus quare misericordia nostra dicitur. IV, 712, 713. Quomodo velit Deus omnes homines salvos fieri. VI, 280. Deus quos præscit justitiam relicturos, aut in peccatis perseveraturos, non cessat invitare ad pœnitentiam. V, 807. Deus nullius frustra miseretur. VI, 119. Dei misericordia præveniens et subsequens. V, 1650. Deus misericordia et veritate homines convertit. III, 604. Dei gratia non exspectat voluntates hominum, ut præveniant eum. II, 987. Deus præparat voluntatem. III, 2061, 2062, *Retr.* Non tantum instructio oris, sed ipsa etiam apertio, ad Dei voluntatem et gratiam pertinet. III, 598. Deus non mendaciter jubet quod scit non facturum cui jubetur, ut justum judicium consequatur. III, 600. Deus non amat damnare, sed salvare; et Deus patiens est in malos, ut de malis faciat bonos. V, 129.

Dei patientia erga nos. V, 467. Dei patientia secundum corda hominum quibusdam utilis ad pœnitendum, quibusdam inutilis ad resistendum Deo, etc. III, 603. Dei patientia invitat malos; ejus flagellum ad patientiam erudit bonos. VII, 20.

Deus non est auctor mali. VI, 16. Non est auctor peccati. X, 235. Nullius vel levissimi. IV, 1598. Peccatis hominum non inquinatur. VIII, 560. Deus non auctor culpæ in reprobis. II, 884. Deus neminem obdurat, nisi merito. II, 823. Neminem deserit nisi deseratur. I, 699, 700, 707. Non deserit eos qui ex ejus fide vivunt, eumque pie colunt. II, 525. Si Deus deserit, quæ hominis virtus. II, 553. Necesse est ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur, ait Innoc. II, 782. Deus derelinquens non derelinquit, quando in bonis temporalibus non exaudit. II, 563. Deus fomentis lenibus mordacissima quandoque medicamenta adjungit. II, 323.

Dei misericordia et severitas. III, 1290. In peccatores misericorditer sævit. I, 676. Etiam in electos vindicat temporaliter. III, 775. Esse Deum cum hominibus duræ cervicis, est adesse vindicando et puniendo. III, 647. Deus numquam tacet præcepto, sed interim tacet supplicio. IV, 952. Dei misericordiam et patientiam quomodo sequatura est justitia. V, 482. Dei aversio et conversio. V, 780. De Dei misericordia multum sibi pollicetur injustus, ut et injustum faciat Deum. IV, 728. Dulcis pater donans munera, dulcior condonans peccata. I, 673. Ejus misericordia etiam sanctis necessaria. I, 778. Quis sic præsumat de conscientia sua, ut certus sit eam sibi in judicio Dei posse sufficere, nisi misericordes misericorditer judicet. II, 571, 573. Deus si solum judex, et non misericors esset, nemo ante eum staret. IV, 1698, 1700. In Deo solo de bonis nostris gloriandum. II, 851, 852. Cum Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronat quam dona sua. II, 880. Concordia justitiæ et misericordiæ Dei. III, 134. Deus justus et misericors. V, 151. Deo nec misericordia potest auferrè justitiam, neque justitia misericordiam. IV, 505.

Deus justus. I, 1296; X, 688 Deus etsi injustus esse non possit, non tamen non liber est. X, 1116. De justitia Dei dubitare dementis est. I, 1296. Dei æquitas latere potest, esse ibi iniquitas non potest. V, 179. Deus et cum damnat, et cum miseretur, justus est. IV, 1922. Deus semper justus aut remunerator aut damnator. VIII, 538. Re-

munerator aut damnator liberi arbitrii. VIII, 540. Deus quemadmodum et damnet impium, et justificet impium, occultum est. VIII, 590. Deus quomodo nihil odit eorum quæ fecit, cum odio habeat reprobos. VI, 122. Deus iniquos odit et diligit. X, 1422. Deus non exigit quod non dedit, et omnibus dedit quod exigit. IV, 575. Deus quomodo nemini parcat, nec justo nec peccatori. VIII, 407, 411, 412. Deus sive per pœnas sive per præmia justitia moderante omnia disponit. VIII, 159. Deus est justus etiam cum peccata dimittit. IV, 1263. Deus non relinquit impunita peccata eorum, etiam quibus ignoscit. IV, 592. Deus vere est justus, quando et justos sic protegit, ut per seipsum illuminet; et peccatores sic ordinat, ut non ipsius sed sua ipsorum malitia puniantur. IV, 108. Deus semper fuit justus, etiam antequam malum esset quod puniret. I, 1004. Deus justus est etiam dum punit. I, 1241. Et innocens. I, 680. Dei severitatis exemplum in excisione Judæorum, bonitatis vero in incisione gentium. VIII, 51. Dei severitas in pœnis infligendis, non major in veteri Testamento, quam in novo. VIII, 616, 617, 618, 619, 620, 621. Sicut tempore caritatis bonitas, sic tempore timoris severitas Dei maxime commendatur. VIII, 167. Deus in lege terruit carnalibus, in Evangelio spiritalibus pœnis. VIII, 620, 622. Misericorditer sævit, amaritudine adspergens illicitas jucunditates. I, 676. Infatigabili lege spargit pœnales cæcitates super illicitas cupiditates. I, 674. Peccator a Deo leni et bono fugiens, in Deum justum et severum incurrit. I, 706. Deus inter pœnalia mala, etiam bona malis multa præstat. VIII, 1026. Dei misericordiam et justitiam Testamentum utrumque prædicat. VIII, 158. Dei bonitas et severitas cur commendantur a Scriptura. VIII, 617. Deus justus, etiam quando id facit quod homo si faceret, esset injustus. X, 1256, 1257. Justum non est omne quod permittit Deus. VI, 581, 582. Deus justus injusta permittit, etiam in rebus ad religionis cultum pertinentibus, sed non impune. VI, 582. Deus omnia ordinat. I, 999, 1001. Etiam peccata. I, 668, 1180, 1285. Deus justus et Deus zelans, non sibi opponuntur tamquam contraria. VIII, 142.

Dei justitia dicitur non qua justus est, sed qua induit hominem. X, 209, 220, 237, 603. Deus solus justus et justificans. II, 809. Deus fons justitiæ, qua justi sunt quicumque justi sunt. IV, 744. Fons justitiæ quo nullus dignus prohibetur accedere. V, 1515. Fons justitiæ, qui injusta nequit probare. V, 649. Deo qui putat placere facta mala, non eum putat Deum. IV, 614. Deus non premitur necessitate, ut peccare non possit. X, 1116, 1117. Deus vitiatum sanat a reatu statim, ab infirmitate paulatim. X, 679.

Dei ira quid. VII, 472. Deus passione nulla turbatur, licet irasci dicatur. VII, 261. Deus cum tranquillitate irascitur. IV, 690. In Deum non cadit perturbatio. IV, 92, 1415. Dei ira, non animi perturbatio, sed juxta fixaque vindicta. II, 860; VIII, 1030. Et vis qua justissime vindicat. IV, 70. Vindicta primi peccati, et eorum quæ addita sunt, vocatur ira Dei, quia de judicio Dei venit. IV, 690. Quod in ejus sinistris fit, quia per leges ejus fit, ira ejus dicitur. IV, 92. Ira, qua punit Deus, non in ipso est, sed in animis ministrorum ipsius. IV, 105. Dei ira accipi potest ipsa mentis obscuratio, quæ consequitur eos, qui legem Dei transgrediuntur. IV, 70. Dei ira est motus qui fit in anima quæ legem Dei novit, cum eamdem legem videt a peccatore præteriri. IV, 70. Deus et iratus vindicat, et propitius. X, 166. Deus irascendo mitis. V, 166. Dei ira paterna qua per tribulationes irascitur et deducit; sævit et salvat; terret et vocat. IV, 655. Deus temporalia aliquando tribuit, aliquando utiliter subtrahit. II, 575. Deus mala infert malis, non peccata, sed supplicia. II, 558. Ira Dei illa est maxima, qua peccator non patitur quod acriter dolet, sed facit quod turpiter libet. VIII, 635. Dei ira major in peccatorem, cujus peccatis deest ultor et adest laudator. IV, 126. Deus multum irascitur, dum non exquirit, dum quasi obliviscitur et non attendit peccata, et per fraudes et scelera ad divitias honoresque pervenitur. IV, 126. *Vide* Ira. Deus tunc punit infestius, cum impunita peccata dimittit : misericorditer adversatur, cum copiosas libidines inopes reddit. II, 551. Deus in hoc sæculo infidelibus et desperatis bona largitur. II, 957.

Dei odium quid sit. IV, 85. Deus amat in peccatore quod est naturæ, odit quod est culpæ. IV, 504. Deus abominari aliquando dicitur, non ad perditionem, sed ad disciplinam. IV, 1415.

Dei irrisio et subsannatio ut accipienda. IV, 70.

Deum pœnitere quo sensu dicitur. VII, 418, 472, 559. Deum elatum esse gaudio mundi universitate perfecta, dixit Plato. VII, 354. Dei pœnitentia, ira, misericordia, zelus, oblivio, quid. VIII, 141, 147, 148, 410, 412, 627, 628, 629, 661.

Deitas unitas Trinitatis. VIII, 829. Deitatis unitas, et personarum distributio. V, 509. Quomodo in ipsa simplicitate Dei sit Trinitas. VIII, 1065. Deus Trinitas, sed non triplex. VIII, 929. Deitatis unitas et personarum pluralitas insinuatur in creatione hominis. III, 291. Natura Dei in Trinitate creditur a multis, intelligitur a paucis. III, 356. Nec plures dii, sed Deus unius substantiæ. IV, 844. Quidquid de Deo substantialiter dicitur, de singulis personis singulariter et simul de ipsa Trinitate dicitur. VIII, 916, 917. Quæ Deo absolute conveniunt ut essentia, de Trinitate singulariter dicuntur, non pluraliter. VIII, 918. Quod de Deo ex tempore dicitur, relative dicitur, non accidentaliter. VIII, 922. Et sine ulla ejus mutatione. VIII, 922. Quod genuit Deus, æquale est illi, non quod fecit. VIII, 190, 546, 547, 548, 551, 579, 584, 585. Deum mutabilem, prolemque genuisse mutabilem, impium est dicere. VIII, 585. Deus Trinitas, res qua fruendum. III, 21. Deus unus est in tribus personis. VI, 189. Ipsam communionem, sive deitatem Patris et Filii, ac in se invicem dilectionem, amborumque caritatem, quidam credunt esse Spiritum sanctum. VI, 191. Deus crucifixus recte dicitur de Christo. II, 746.

Deus debitorem nostrum se ipse facit, non accipiendo, sed promittendo. I, 714; IV, 1068. Deus fit debitor, quia factus est donator. IV, 1285. Deus idoneus promissor est, fidelis redditor. IV, 455, 454.

Dei juratio quid. VII, 511. Dei juratio promissionis est confirmatio. IV, 1122.

Deum ipsum habemus et Deum, et Dominum, et Patrem. VIII, 216. Deus eorum proprie dicitur Deus, qui eum diligunt. IV, 657, 1809. Deus omnium est, et ab omnibus suis non divisus, sed totus possidetur. V, 315. Deus non omnium eodem modo : noster magis, qui de illo vivimus. IV, 294. Ejus proprie Deus dicitur, quem familiarius habet, tamquam in mancipiis et peculio suo. IV, 575. Dei titulum in corde gestamus. V, 163. Quomodo quæ Dei sunt, fiant nostra. V, 909. Deus protegit nos quia Deus est, ne moriamur; regit nos, quia rex est, ne cadamus. IV, 542. Deus susceptor, ne cadam; erutor, ne hæream, protector, ne feriar. IV, 1862. Deus refugium nostrum. V, 377. Devitanda sedulo quæ adversa sunt, etiam cum Deus apertissime adjutor est. III, 614.

Deus ex tempore appellatur Dominus. VIII, 922. A quo tempore cœpit appellari Dominus. III, 382. Deum semper Dominum fuisse non audet dicere Augustinus. VII, 363, 365. Indigent omnia Domino et misera et felicia. IV, 287. Deus summa utilitas et salus nostra est. III, 382.

Deus Pater noster. V, 409. Pater Christi et hominum, quomodo. III, 1565. Aliud est cum tibi commendatur Deus, quia Deus est; aliud, quia Pater est. III, 1546. Quod Deus a nobis exigit, ut Pater noster sit, misericordiæ est. III, 1276. Ut Deus Pater noster sit, nullo sumptu, sed sola bona voluntate comparari potest. III, 1276. Dei filii dicuntur aliqui secundum prædestinationem, non secundum regenerationem. II, 846. Dei filii non desinunt esse filii sæculi, tempore præsentis vitæ. X, 590. Deus non vocatus est a Judæis Pater, sed Dominus. III, 1275. Deum sic laudavit Porphyrius, ut et Deum patrem, et regem vocaret. VII, 793.

Deus corde laudandus et amore. V, 1613. Deus laudandus in prosperis et in adversis. IV, 309, 1794.

Deum colere justitiæ proprium officium est. X, 283. Nobis unus diligendus et colendus præcipitur. III, 70; VII, 646. Deum unum solum colendum docuit Varro. VII, 158. Et ex eo probatur, quod inter deos munera ejus haberentur. VII, 152. Deo vero fiebat a paganis maxima injuria, quod eum cum diis falsis colerent. VII, 154. Deum cum multis dum volunt habere idololatræ, facilius effecerunt, ut eum non haberent, quam ut diis multis falsisve miscerent. II, 842. Deum perhorrescunt numina paganorum. VII, 754, 795. Rectorum principum labor in procuranda populis quiete inutilis ad vitam beatam, nisi curent ut hæc ipsa quies ad Dei cultum referatur. II, 671. Deus Hebræorum solus colendus est, quo solo fruens, beatus sit cultor ejus, et e contra. VIII, 371; VII, 141.

Deus gratis et casto amore colendus. IV, 626, 658, 660, 661, 928, 1028, 1402, 1404; V, 29. *Vide* Colere. Deum quando glorificamus, nobis prodest, non illi. IV, 456. Magna est utilitas homini quod Deo servit. III, 384. Deus non solum propter æterna, sed etiam propter temporalia beneficia colendus. VII, 202. Deum unumquemque sic coli oportere, quomodo se ipse colendum præceperit, dixit Socrates. III, 1053. Deum verum colere cultu turpi et scelesto, nefarium est. VII, 217.

Deo vero tantum sacrificandum est. VII, 654. Deo illi sacrificiis serviendum, cujus nos ipsi sacrificium esse debemus. VII, 295. Deum colebant Judæi ritu significativo futurorum. VIII, 290. Deo simulacrum nefas esse Christiano in templo collocare. VI, 188. Deo soli cultus latriæ debetur. II, 749. Deo debetur λατρεια ut Deo, δουλεια tamquam Domino. III, 631. Deo perfecta servitute serviri nos

potest. III, 790. Quibus moribus colendus est Deus. VII, 655. Deus colitur caritate. II, 737. Fide, spe et caritate. II, 282. In Deum recta fide credere, illum colere et nosse, quid prosit. VI, 225. Deus in nobis deambulat præsentia majestatis, si latitudinem invenerit caritatis. V, 889. Dei cultus in hoc maxime constitutus est, ut anima non sit ei ingrata. X, 210. Sola pietate obedientiæ colitur Deus. X, 172, 210. Nomen Dei quomodo sanctificatur. III, 1278. Fieri potest ut etiam extra Ecclesiam idem ipse unus Deus colatur. IX, 463.

Deus præcipue et solus diligendus, quia nihil eo melius. II, 672. Deus cum sit sapientia incommutabilis, rebus omnibus anteponendus. III, 22. Omni homine, immo et seipso cuique amplius diligendus Deus. III, 29. Deo non præponendum quod ipse dedit. V, 29. Deus quomodo sapiendus. III, 1562. Quomodo tamquam pecunia amandus. VI, 675. Deus non ad præmium diligendus est. III, 1405. Deo tanto magis inhæretur, quanto minus diligitur proprium. VIII, 1006. Deus non tantum amatur antequam videatur, quantum amabitur cum videbitur. X, 603. Deus omnia cooperatur in bonum iis qui diligunt eum. X, 931. Quibusnam Deum diligentibus omnia cooperantur in bonum. X, 929. Deum ama : quidquid amas ab illo est. V, 1204. Deus quomodo caritas dicitur. VIII, 1080. Deus ipse puri cordis vitales deliciæ. I, 857. Deus fit homini totum horum quæ diligit homo. III, 1495. Optandum et agendum ut omnes Deum diligant. III, 30. Præceptum de Deo et proximo, immo et de seipso diligendo datum est. III, 29. Quare præceptum quo diligamus Deum, a dilectione proximi distinctum est. III, 35. Nihil Deus jubet quod sibi prosit, sed illi cui jubet. II, 527. Deus numquam male amari potest. VII, 467.

Deus et amatur utiliter, et timetur. VIII, 617. Deus quomodo amabilis est et terribilis. IV, 1874. Deus solus timeri sine amore non potest. VI, 25. Ut timeatur, quid agendum. VI, 25.

Deus in hac vita semper quærendus. III, 1804. Deum quærendum Deoque serviendum, et species rerum omnium, et interior nescio quæ conscientia hortatur. VIII, 89. Deus quærendus est inveniendus; quærendus est et inventus. III, 1804. Jam fide inventus qua ratione semper quærendus. IV, 1391. Deus ubi et quomodo quærendus. VIII, 957. Caste quærendus. V, 739. Deus per scripturam et per creaturam quæritur. VIII, 845. Post mortem non efficiemur capaciores Dei inveniendi. III, 1804. Inquisitio de Deo purgat, imitatio deificat affectionem. VII, 655. Actio recti fineris ea est quæ gloriam Dei spectat. II, 189. Qualis sit hæc actio. II, 189. Deus non tam attendit nostram voluntatem quam utilitatem. IV, 277.

Deus testis et judex. III, 1669. Deus testes habere voluit homines, ut et homines habeant testem Deum. III, 1979. Deus non de verbis sed de cordibus judicat. III, 726. Quid sit nos ad Deum venire, et Deum ad nos. VIII, 704. Ad Deum qui ubique præsens est non locis movemur, sed bonis moribus. III, 25, 25. Non motu corporis, sed voluntate cordis. III, 1608. Non pedibus, sed moribus. II, 672. Deus inaccessibilis est viribus nostris, sed acceditur ad eum muneribus suis. IV, 1515. Apud Deum plus habet loci, qui plus attulerit non argenti, sed fidei. V, 316. Quid sit hominem esse cum Deo, et Deum cum homine. VIII, 1048. Deo efficimur tanto similiores, quanto magis in ejus cognitione et caritate proficimus. II, 319. Ad Deum qua ratione accedant beati, cum sit inaccessibilis. VIII, 559. A Deo discedituur non locorum intervallis, sed voluntatis aversione. III, 385. Non pedibus, sed corde. IX, 62. Deus, si non ab illo homo faciat casum, numquam ab homine ipse facit occasum. III, 1654. Deum nemo tibi tollet, tu tibi illum tollis si illum fugis. IV, 1249. Qui non vult habere Dominum Deum suum, quo fugiet Deum omnium. IV, 1809. Deo propinquat homo pie vivendo, peccando recedit ab eo. II, 858. Propinquat similitudine, recedit dissimilitudine. VII, 271; VIII, 946. Tanto anima Deo dissimilior, quanto rerum temporalium cupidior. VII, 271. Dei similitudo in nobis. V, 361. Dei similitudo etiam in peccatis appetitur. VIII, 991. Deflexus ab imagine Dei. VIII, 1005. Quomodo fit. VIII, 1006. Deum inter et homines peccata sola separant. X, 125.

Dei inimici dicuntur, qui non natura, sed vitiis ejus imperio adversantur. VII, 330. In Deum esse inimicum quid sit. VI, 65. Deum in amaricasse quinam intelliguntur. IV, 88, 89. Multi dum putant se non videri a Deo, propterea mala faciunt. V, 441. Dei oblivisci et meminisse quomodo quis possit. VIII, 1049. Necesse est ut aliter quam oportet, humana æstimet, qui divina contemnit. II, 1072. Ad Deum sine gratia, anima non redit. VIII, 1007. Deum propitium et salubrem sola humilitas et pietas capit. III, 646. Dei servis si detrahunt homines non mirum, cum ipsum Deum quotidie blasphemare non cessent. II, 266. Dei in peccatorem beneficia. IV, 571.

Deus altus est, et ab humilibus contingitur. IV, 947, 1205. Deus sic est altissimus, ut non sit ab illo longe miseria nostra et gemitus noster. IV, 665. Deum quisquis intelligit, Deo junctus est. VI, 38. De Deo qui digne cogitare cœperit, inveniet silentium ineffabili cordis voce laudandum. V, 1498. Dei cognitio sapientibus viris cum se a corpore removerint, intermicat interdum. VII, 270. Deum non tangit homo, nisi animam transierit. III, 1562. Tanto fit animus plenior Deo, quanto in superna atque æterna liberius extenditur. III, 619. Nimis intentus humanis actionibus animus, Deo quodammodo vacuatur. III, 619.

Deus finis desiderii nostri est ipse promissor; se ipsum dabit immortalibus immortalem, quia se ipsum dedit mortalibus mortalem. IV, 477. Deus omnis appetitionis est finis. VII, 280. Ipse est præmium nostrum. IV, 575. Hereditas et possessio nostra. IV, 294. Deus quomodo hereditas hominum. III, 1594. Deus terra quam mites hereditabunt. III, 1232. Deus et possidet et possidetur, et totum propter nos, ut beati simus. IV, 295. Præ omnibus quæ dat Deus et bonis et malis, servat seipsum bonis. IV, 918, 1028. Quid dabit amanti se, nisi se? IV, 1840. Deus petitur a se ipso; qui promittit seipsum. III, 1655. Deus omnino me non satiaret, nisi promitteret mihi seipsum Deum. V, 865. Deus nobis sufficit, sine Deo nihil sufficit. V, 492, 865, 958. Quidquid nobis adest præter Deum, non est dulce. IV, 1090. Deus beatis erit, quidquid hic pro magno desideramus. V, 1189, 1190. *Deus meus* non facile audet dicere, nisi qui in eum credit, et qui eum diligit. V, 315.

Deo adhærere, nihil est melius. IV, 928. Qui adhæret superiori, calcat inferiora, si autem recedat a superiore, ista illi in supplicium convertuntur. IV, 1887. Deo non utendum, sed fruendum. VI, 20. Deo frui, beate vivere est. III, 30. Animæ nulla quies nisi in Deo. I, 661, 699; II, 213. Deus quandonam erit omnia in omnibus. VIII, 708. In Deo esse nostrum non habebit mortem, nosse nostrum non habebit errorem, amare nostrum non habebit offensionem. VII, 342. Deum nulli invideas, totum singuli possidebitis. IV, 929.

Deus animæ lumen. III, 479; V, 36 Lux nostra matutina. III, 1532. Lux superior qua mens illuminatur. III, 1517. Deus hoc animæ est, quod lux et aer corpori. IV, 895. Deus cordi lux et odor et cibus. V, 183. Deus est homini panis, aqua, lumen. III, 1495. Lumen mentium ad discenda omnia. VII, 232.

Deus est fons vitæ. III, 131. Vita animarum et vita vitarum. I, 687. In Deo habitare, vivere est. I, 870. Deus habitando continet, non continetur. V, 1502.

Deus verus est cui Christiani serviunt. VII, 650. Deum Israel esse Deum verum convincitur. III, 1054, 1060. Deus Israel nec Jovis, nec Saturnus est. III, 1061. Deum Israel qui rejiciunt, non omnes deos colunt; nec eum colunt, qui alios colunt. III, 1059. Contra Deum Hebræorum nihil a paganorum vatibus prædictum. III, 1055. Deus quare voluit appellari Deus Abraham, Isaac et Jacob. III, 1479, 1486; VIII, 454. Deus Legis et Prophetarum crudelitatis non arguendus. VIII, 618. Deus nec impurus, quod pudenda impiis prænuntiarit tormenta. VIII, 633.

Deus deorum quomodo. VII, 317. Dei veri participatione, non sua veritate dii sunt, dii creati. VII, 422.

Deus Manichæorum quis? III, 165. De Deo quam indigna sentiunt Manichæi. VIII, 381. Manichæorum errores circa naturam Dei. VIII, 92. Unum bonum et alterum malum admittebant. I, 1317. Deos duos a Manichæis admitti ostenditur. VIII, 389, 390. Deos duos fingere, unum bonum propter beneficia donorum, alterum malum propter judicia pœnarum, non est necesse. VIII, 389, 394. Dei prælium cum gente tenebrarum, figmentum Manichæorum. VIII, 398, 400, 533, 534, 536, 585, 595; X, 1071. Deum sibi suisque regnis a gente tenebrarum timuisse, error Manichæorum. VIII, 533, 566, 595. Commentum Manichæorum de permixtione partis naturæ Dei cum contraria et rebelli natura. VIII, 214, 414. Dei partem naturæ dæmonum mixtam fuisse, ligandam, polluendam, etc. error Manichæorum. VIII, 536, 537, 559, 544, 545, 565, 595. Dei naturam primo necessitate, et post inexpiabiliter voluntate corruptam Manichæi dicunt. III, 456. Manichæi ipsam Dei substantiam a substantia mali, ex parte corruptam esse, et ad peccandi necessitatem perductam esse contendunt. II, 724. Dei substantia secundum Manichæos corruptibilis. VIII, 113, 248; X, 1325, 1328. Deus incorruptibilis; non poterat ei nocere gens tenebrarum. VIII, 534, 535, 536, 539, 547, 548, 596. Dei pars naturæ dæmonum mixta et polluta, quomodo purgetur secundum Manichæos. VIII, 540, 544, 551, 567, 569, 570, 571, 585. Dei partem in omnibus conceptibus ligari, opprimi, coinquinari, et nec totam postea liberari posse prædicabant Manichæi. VIII,

218, 222, 229. Dei sui membra in cibis alligata putabant Manichæi; ructando et manducando reformari et liberari. VIII, 230, 231, 252, 284, 294, 320, 597. Maxime in electis. VIII, 35. Dei sui substantiam non solum coinquinatam, sed omni ex parte recuperari mundarique non posse contendebant Manichæi. VIII, 233. Deus Manichæorum partem suam miscet infeliciter, purgat turpiter, damnat crudeliter. VIII, 540, 546, 566, 595, 596, 597. Dei luctus (secundum Manichæos) donec membra sua purgentur. VIII, 214. Deum Legis et Prophetarum non esse verum Deum docent Manichæi. VIII, 37. Absurdiora sunt quæ de Deo suo fatentur Manichæi, quam quæ velut indigna Deo in veteri Testamento reprehendunt. VIII, 413, 1414. Deus Manichæorum pejor hominibus. VIII, 416. Circa Dei naturam in quo conveniant Catholici et Manichæi, in quo dissentiant. X, 1468. Deum Israel non solum dæmonem, verum etiam ceteris dæmonibus pejorem ausus est quidam blasphemare. VIII, 610. Deum quidam esse animum mundi dixerunt. VII, 123. Sola animalia rationalia partes Dei esse quidam dixerunt. VII, 123. Refelluntur. VII, 123. Deos duos quatenus admittit Apelles. VIII, 29. Cerdon. VIII, 29. Gentes non usque adeo ad falsos deos sunt delapsæ, ut opinionem amitterent unius veri Dei. VIII, 585. Dei Monarchiæ opinionem non ex gentibus habent Christiani. VIII, 585. De Deo quam recte senserint quidam pagani. IX, 224. De Deo non potuerunt tacere paganorum scriptores. VIII, 290. Dii Paganorum contra Deum Israel nihil umquam prædicere ausi sunt, aut dicere. VI, 589. Doctissimi eorum auctores magis quæsierunt, quis Deus esset, quam Deum negare potuerunt. VI, 589. Hunc solum verum Deum, solumque esse colendum evincitur. VI, 589, 654. Ipsius cultui dæmonum cultum cessurum Prophetæ prædixerant. VI, 654. Quod prædictum est, quotidie impletur. VI, 591, 592. Deus diis gentium dæmoniis terribilis, diis a se factis filiis amabilis. IV, 566.

Deo laudes, salutandi formula Circumcellionum. IV, 1752; IX, 506, 518. Deo gratias, modus salutandi usitatus Monachis. IV, 1752. Ab hæreticis immerito reprehensus. IV, 1752. Deo gratias, nihil melius et animo gerimus, et ore promimus, et calamo exprimimus. II, 158.

Deos multos rebus humanis conciliandos esse Pagani crediderunt. VII, 645. Ipsa exæstuans est in multa deorum numina libido vesana. VII, 211. Philosophi diversa de deorum natura sentiebant. III, 123. Opiniones Varronis de diis ambiguæ. VII, 208. Deorum multitudinem qua ratione Varro invenit. VII, 189. Popularem de diis persuasionem reprobabat Varro. VII, 137. Ingenia acutissima angustias patiuntur in fabulis deorum interpretandis. VII, 209. Vana quæ de diis prædicantur, senserunt intelligentiores gravioresque Romani. VII, 136. Hominis est, quod ad deorum naturam spectat, opinari; Dei, scire. VII, 208. Deum summum unum esse, sed ejus virtutes per mundanum opus diffusas multis vocabulis invocari scribit Maximus. II, 81. Et sugillatur ab Augustino. II, 83.

Dii alii naturales, alii ab hominibus instituti. VII, 183. Deos gentium quædam Dei unius magni membra dicere, sacrilegæ facetiæ. II, 83. Dii an sint quasi virtutes, vel membra vel partes Jovis. VII, 123. Deos omnes ad mundum referre, frustra conantur. VII, 218. Quidquid ad mundum partesque ejus physiologi retulerunt, ad Deum verum referri debet. VII, 219 Dii non tot fingendi, quot sunt in mundo opera veri Dei. VII, 219. Qui opera hominum Deos putant, altius demersi sunt, quam qui opera Dei, III, 70. Deum unum aliquando res plures faciunt Pagani, aliquando rem unam plures deos. VII, 207.

Dii omnes ex una substantia secundum Paganos, quamvis diversa officia, opera, et potestates habeant. VIII, 576. Deos ex igne esse Heraclitus, ex numeris Pythagoras, ex atomis Epicurus credidit. VII, 181. Ex aere Anaximenes. VII, 226. Ab uno Deo factos sensit Plato. VII, 175. Dii animalia secundum Platonem. VII, 241. Et natura sua non immortales, sed voluntate Dei immortalis. VII, 794. Dii a summo Deo facti immortalia corpora habent. VII, 388, 590. Secundum Platonem in cælestibus corporibus sunt inclusi. VII, 794. Magnum beneficium est secundum Platonem diis a summo Deo factis, immortalia corpora habere. VII, 590. Refellitur. VII, 588. Diis secundum Platonem promisit Deus æternam in corporibus cælestibus permansionem. VII, 794. Deos alios a summo Deo factos, alios ab hominibus, Trismegistus dicit. VII, 247. Error in conficiendis diis. VII, 250. Deos fieri ab hominibus dicitur, cum spiritus invisibiles simulacris per artem quamdam copulantur. VII, 247, 250, 251. Incredulitas, causa hujus erroris. VII, 250. Diis pro anima est dæmon, pro corpore simulacrum. VII, 254.

Dii, spiritus immundi. VII, 221. Fallacissimi dæmones. VII, 111 Qui sibi colligebant deos, a dæmonibus possidebantur. VII, 251. Dii variis nomine dæmonum nuncupati sunt. VII, 255. Deos a dæmonibus diligenter discerni Apuleius. VII, 239. Deos libentius dæmonibus misceri, quam hominibus, absurdum est asserere. VII, 315 Deum nullum misceri homini, aut ex hac attrectatione contaminari, falsum Platonicorum effatum. VII, 269. Deos dæmonibus indigere nuntiis et interpretibus absurdum est. VII, 245. Dii Gentium ex quo nominari cœperunt in Scriptura. III, 572.

Dii Paganorum homines fuerunt. V, 1349. Deos aliquando homines fuisse Euhemerus conscripsit. VII, 184. Maro et Tullius putarunt. II, 84. Cicero confitetur, III, 1056. Leon sacerdos Ægyptius declarat, et Alexandro patefecit. III, 1056, 1057; VII, 229. Et hoc credibilius. VII, 208, 217, 253, 254. Mortui aliquot, vana superstitione Græcorum, in deorum numerum relati. VII, 565. Temporibus Cæsarum nemo referebatur in deos errando, sed adulando. VII, 581. Facilius homo desinit esse homo, quam ut dii esse possint, quos fecit homo. VII, 250. Dii ab hominibus differunt, loco, æternitate, beatitudine. VII, 266. Diis se genitos ut homines mentiantur, utile esse Varro dixit. VII, 81.

Deorum distinctio secundum Labeonem. VII, 105. Dii quidam cælibes, quidam juncti matrimonio, etc. VII, 191. Plato deos masculos cælo, feminas terræ tribuit, postea confundit. VII, 218. Dii certi atque incerti. VII, 87. Deorum tria genera. VII, 133. Ordines tres. VII, 58, *not.* (*c*). Dii selecti. VII, 130, 193, 194. De deorum selectione nulla ratio est. VII, 195. Dii selecti unde sic appellati. VII, 196. Dii selecti nobilitate criminum, non dignitate virtutum. VII, 221. Dii selecti magis ad injurias quam ad honores. VII, 197. Dii selecti magis innotuere propter sua opprobria, quam ceteri. VII, 217. Deorum selectorum vix ullus qui non infametur; deorum vero inferiorum vix ullus qui infametur. VII, 198. Deos selectos hunc esse mundum volunt. VII, 207.

Deos et bonos esse et malos, quidam opinati sunt. VII, 255. Deos omnes bonos beatosque credi voluit Apuleius. VII, 265. Deos tantum esse bonos, quidam opinati sunt. VII, 247, 255. Et Plato est opinatus. VII, 126, 237. Deos bonos, sanctos Angelos forte vocarunt Platonici. VII, 275, 276. Deos bonos, nos sanctos Angelos vocamus. VII, 252. Quare Deos tantum malos, seu dæmones, ludorum scenicorum voluptate privavit Plato. VII, 259.

Deos superiores perturbationibus subjecit Porphyrius. VII, 304, 305. Et subjectos per Theurgicam, adserit. VII, 288. A perturbationum labe eos discrevit Apuleius. VII, 304. Discreverunt et Stoici. VII, 262, 265. Quare. VII, 242. Deos carminibus ligari posse dicebat Porphyrius. VII, 304, 305. Contrariorum studiorum certamina, partes esse dæmonum, non deorum, volunt Stoici. VII, 262. Deorum discordia. VII, 188. Diis litigia vel judicia aliena esse voluit Varro. VII, 567.

Deorum cultus, institutum dæmonum. VII. 179, 187. Negotium suum agunt dæmones, ut pro diis habeantur et colantur. VII, 72. Tempora posteriora etsi mortuos homines, deos non instituerunt; institutos tamen, ut deos colere non destiterunt. VII, 581. Multa prætermiserunt Pagani, quibus divinos honores tribuere potuissent. VII, 127. Deos plures colendos censuerunt Platonici. VII, 277. Contra id quod sapiebat, deorum cultum admisit Porphyrius. VII, 305, 304. Diis bonis et malis sacrificandum dixit Porphyrius; Plato solis bonis. VII, 257. Deos, ex eo quod facti sint, non esse colendos ostenditur. VII, 251. Deorum multitudinem colebant Manichæi. VIII, 142, 307, 308, 321. Dii boni quos vocant Platonici, nolunt se coli pro Deo. VII, 281, 284. Deos colere nefarium, quare. VII, 217. Deorum multorum cultus, fornicatio. VII, 305. Et ita sæpe ac proprie Scriptura vocat. III, 70. Dii falsi alios coli secum non prohibent. III, 1058. Christianus non debet uti re aliqua in honorem deorum alienorum, licet animo contemnat, ne eos qui animum non vident, ad ea honoranda ædificet. II, 185.

Deorum falsorum cultus ipse varie se habuit. II, 373 375. Deorum colendorum scientiam contulisse Romanis Varro vane gloriatur. VII, 122. Deos malos cruentis victimis et tristibus supplicationibus, bonos ludis ac jucundis obsequiis placari Labeo existimat. VII, 56, 257. Deorum placatio per ludorum obscœna, magis noxia hominibus, quam foret eorum indignatio. VII, 76. Deos malos tantum, seu dæmones ludorum scenicorum voluptate privavit Plato. VII, 258. Dii quam malo animo ludos scenicos sibi exhiberi jusserunt. VII, 75. Dii indigne ab honestis coluntur, qui per turpes placantur. VII, 78. Dii inde convincuntur obscœni, quod ludos obscœnos sibi exhiberi jusserunt. VII, 55. Et hinc indigni honore divino videri debebant Romanis. VII, 57, 58. Fabulosa crimina in deorum obsequium per ludos turpiter agebantur. VII, 582. Deorum probra, quæ etiam in theatris spectanda proponuntur. II, 333. Dii falsi

malis moribus cultorum suorum delectantur. V, 1025. Dii inde convincuntur falsi, quod criminibus suis, seu veris, seu falsis delectantur. VII, 78, 111. Dii minime curarunt ne mala morum cultoribus suis acciderent. VII, 60, 74, 79 Nulla umquam cultoribus suis præcepta probitatis dederunt. VII, 49, 51. Nulla umquam præcepta contra luxum et avaritiam dedere Romanis. VII, 64, 69. Leges ad instituendos bonos aut corrigendos malos mores non exspectandæ a diis, qui flagitia seminanda et augenda curarunt. VII, 59, 74. Deos adfuisse cupiditatibus implendis, et non præfuisse refrænandis, ostenditur. VII, 70.

Dii scelerum spectatores et fautores. VII, 92. Auctores se vitæ scelestæ immundæque testantur. VII, 74. Dii auctores doctoresque peccatorum, non ultores. VII, 81. Dii non probandi in eo quod crimina in quibusdam punirent, in aliis non ulciscerentur. VII, 82. Dii velut divinam præbent auctoritatem ad perpetranda crimina, dum ludos scenicos exigunt. VII, 111. Deorum falsorum imitatione nequissimos homines fieri pejores, vel ex ipsis gentilibus philosophis evincitur. II, 315. Nihil enim homines tam insociabiles reddere. II, 314. Deorum exempla magis movent, quam philosophorum præcepta. VII, 52, 53.

Deorum destructioni causam miseriarum suarum frustra imputant Romani. VII, 101. Romanum imperium constituisse, auxisse, conservasse, dii non possunt dici, quare. VII, 119, 135. Nec Romano imperio pacem præstitisse. VII, 84, 85. Ex prohibitione cultus deorum, clades humano generi infligi opinabantur Pagani. VII, 29. Dii frustra coluntur propter commoda hujus temporalis vitæ. VII, 173, 174, 316. Hoc fateri Pagani coguntur. VII, 29. Et exemplis ostenditur. VII, 29. Varietates rerum temporalium non ex favore aut indignatione deorum pendent. VII, 70. Deos aut superfluo coli, aut injustos esse infertur. VII, 70. Mala carnalia a suis cultoribus non averterunt. VII, 79. Cultoribus suis decipiendo et fallendo nocuerunt, nedum eos adjuverunt. VII, 113. Deorum officia scurrilitati mimicæ, quam divinæ consonant dignitati. VII, 187. Dii frustra coluntur propter vitam æternam. VII, 175, 183, 187, 193, 256. Deorum nullum auxilium in regna in quibus coluntur. VII, 117. Aut in urbes sibi commissas. VII, 83. Absurdum est petere ab uno deo, quod sub alterius tutela est. VII, 175, 176. Deorum dearumque turba innumera non requiritur, cum virtus adest et felicitas. VII, 128, 129, 130. Dii paganorum, dii mortui. IX, 65. Pani hordeaceo comparati. III, 802. Deorum templa, asyla male tuta confugientibus ad illa. VII, 15, 17, 18.

Deos sine simulacro plus annos centum et septuaginta coluerunt Romani. VII, 138. *Not.* (*b*). Deorum simulacra quo tempore constituta. VII, 581. Ad quid excogitata. VII, 198. Deos castius sine simulacris Romanos coluisse docuit Varro. VII, 198. Deorum templa eversa et simulacra fracta Carthagine. VII, 620. Alexandria deos suos perdidit. V, 624. Dii aurei et dii lignei ad pretium dispares, ad habere oculos et non videre, pares. V, 624. Deorum falsorum templa, idola, luci possunt in usus communes, vel in honorem veri Dei converti. II, 185. Frustra in templis salubres interpretationes recitari eorum quæ antiquitus de deorum vita et moribus scripta sunt. II, 315.

Deorum varia nomina. II, 84. De Saturno et Jove quid nugati sint Pagani. III, 1056. Dii parasiti Jovis. VII, 184. Dii Manes. VII, 253. Per solam Christianam religionem deorum fallacia manifestari potuit. VII, 221. Dii Paganorum non comparandi Martyribus. V, 1250.

Deorum nomen commune Angelis et hominibus. VII, 275. Angeli sintne vocandi dii. IV, 1757. Dii homines appellati. IV, 1248, 1776. Dii homines, non meritis eorum, sed Dei gratia. IV, 1048. Dii participatione homines, non natura. IV, 1221, 1545. Dii homines ex gratia deificati, non de substantia nati. IV, 565.

*Deogratias* Diaconus. VI, 309. Augustino indicavit pios æstus Restituti. II, 1065.

*Deuterius* episcopus Donatista. IX, 691.

*Deuterius* Macrianensis episcopus Donatista. II, 342.

*Deuterius* metropolitanus Cæsareensis, IX, 697, 700.

*Deuterius* episcopus. II, 1055.

Deuterosis Judæorum, traditiones eorum. VIII, 637, 642.

Dextera in laude ponitur. III, 769. Dextera nominatur in omnibus bonis. III, 493. Dextera Dei, V, 1062, 1070. Dextera Patris, potestas. VI, 646, 658. Beatitudo. VI, 304, 646. Dextera significat id quod carius est. III, 1259, 1261. Quod quis præponit. IV, 1455. Dextera et sinistra beatitudinem miseriamque significat. VIII, 597. Dextera nostra est vita æterna, sinistra vita temporalis. IV, 1770. Salus in dextra, salus æterna; salus in sinistra, salus temporalis. IV, 1782. Dextera est caritas spiritalis, sinistra cupiditas carnalis. V, 806. Dextera prosperitatem significat. III, 493. Dextrum faciunt, quod est sinistrum, qui in temporalibus beatitudinem ponunt. IV, 1770. Ad dexteram sedetur honorabilius. VIII, 792. Dextera aut sinistra ire post deos alienos quid sit. III, 770. Dextera iniquitatis quid significat. III, 770; V, 204.

*Diabolus* latine accusator dicitur. III, 741. Diabolum habere patrem, Manichæi putaverunt. III, 1704. Et in creaturis Dei censeri noluit. III, 436. Urgentur. III, 436. Diabolum non fuisse ex numero Angelorum supercœlestium, sed mundanorum quidam senserunt. III, 438. Diabolus inde, unde et ceteri Angeli. III, 1705. Diabolus princeps angelorum qui ceciderunt. X, 932. Quomodo fuerit in medio Angelorum. V, 103. Diabolus rex dæmoniorum, sicut basiliscus rex est serpentium. IV, 1168. Ex bono Angelo diabolus factus est. I, 1308. Aliquando bonus Angelus fuit. IX, 162. Eo, qui summe est, fruebatur, III, 133. De sublimi veritate gaudebat. III, 209. In veritate fuit, sed non permansit. X, 922. Quo sensu dicitur diabolum in veritate non stetisse. VII, 330.

Diaboli casus unde. VIII, 615. Nonnulli dicunt diabolum cecidisse, quod inviderit homini ad imaginem Dei facto. III, 436. Magis seipsum quam Deum diligendo, subditus ei esse noluit, intumuit per superbiam, et a summa essentia defecit. III, 133. Diabolus ex angelo factus est, cum voluit sibi idipsum esse sibique principari. IV, 1625. Et quia se delectatus est amplius quam illo, cujus participatione beatus erat. III, 313. Diabolus superbus est. VII, 419. Diabolus cecidit ab eo quod acceperturus erat, non vero ab eo quod acceperat. III, 441. Varia de conditione et lapsu diaboli. III, 443. Diabolus natura bestiis omnibus excellentior. III, 431. Diabolum creatum in malitia nonnulli putarunt. III, 439. Refelluntur. III, 439, 441. Diabolus non semper malus fuit. VII, 330. Diabolus bonus et rectus creatus fuit. X, 670. Diabolus auctor vitiorum, natura bonus, vitio malus. X, 1537. Diabolus factus fuit a Deo bonus. X, 734. Diabolus, unde malus. VIII, 592. Diabolum suam quamdam propriam, tamquam ex adverso principio naturam mali habere, Manichæorum hæresis. VII, 329. Diaboli natura in quantum natura est, malum non est. VII, 641. Diabolus in quantum angelus, non est malus, sed in quantum perversus propria voluntate. III, 133. Diabolus non fuit beatus ante peccatum. III, 436, 438, 441. Diabolus non fuit aliquando beatus, si Angeli norunt quales sint, et præsciunt quales postea futuri sint. II, 248. Deum impios visuros et a diabolo fuisse visum quidam dixerunt. II, 602. Refelluntur. II, 607, 608. De sublimi habitatione cœlorum et apparatu superiorum Angelorum lapsus cum angelis suis, ad hunc aerem tamquam ad carcerem damnatus est. IV, 1220, 1382, 1385, 1913. Sedem habet in Aquilone. IV, 1127. Corpus diaboli aerium. III, 436. Diaboli præsens status comparatione explicatur. IV, 1385. De corpore mystico diaboli intelligendum est illud, *Quomodo cecidit de cœlo*, etc. Isai. XIV, 12. III, 441. Et illud Ezech. XXVIII, 12. *Tu es signaculum*, etc. III, 442. Diabolus et angeli ejus in cœlestibus quibusnam habitent. V, 1090. Diaboli corpus diabolus dicitur. III, 442. Diabolus ab initio temporis cecidit. III, 437. Diabolus duobus malis diabolus est, superbia et invidentia. VI, 413. Diabolus sola superbia lapsus, et inde solum puniendus est, IV, 709. Ex defectu inopia, et ex inopia invidentia, qua diabolus, diabolus est. III, 133. Diabolus homini stanti invidit, quia ipse ceciderat. VII, 419. Diabolus hominis adversarius ex invidia. IV, 709, 1245, 1623; VIII, 592.

Diabolus non est permissus tentare feminam nisi per serpentem, III, 431. Nec virum nisi per feminam. III, 443. Cur diabolus serpentem elegit ad tentandam Evam. VII, 419. Diabolus in serpente locutus est, non vero in femina. III, 443. Diabolus in serpente maledictus. X, 1576. Diabolus quomodo audierit vocem Dei. V, 102. Et in conspectum ejus venerit. V, 101, 103. Diabolus homicida ab initio. III, 1703; IX, 266. Quomodo. III, 437. Diabolus vere primus peccator. V, 1344, 1345. Quo sensu dicitur, ab initio diabolum peccasse. VII, 330. Ipsum perpetua peccandi voluntas tenet. I, 1278. Diabolus arbitrium non habet ad bene faciendum, sed ad maximam malevolentiam pœna sui sceleris obduratum. II, 982.

Diabolus infidelium pater, non eos creando, sed quod sint illum imitando filii. IV, 501; V, 1552. Diaboli filii quinam. IX, 266. Imitatores diaboli, filii diaboli. III, 2011, 2023. Per diabolum, peccatum quod peccantes imitarentur intravit in mundum. X, 1162, 1163. Aliud filii diaboli, aliud filii sæculi. X, 589 Diaboli filios non faciunt quævis peccata. X, 589. Infidelitas facit diaboli filios. X, 589, 590. Diabolus in filiis diffidentiæ opera sua mala operatur, diffidentiam et infidelitatem. II, 982. Diabolus dicitur antiquus peccator, præpositus mortis, princeps hujus mundi, id est omnium peccatorum. I, 748, 1286. Operis mali persuasor, supplicii exactor. IV, 1850. Diabolus princeps rexque vitiorum. VI, 357. Diabolus et angeli ejus rectores mundi. V, 1090. Diabolus per peccatum princeps est hujus mundi. III, 1872. Cujusnam mundi princeps, X, 1546. Quo sensu

princeps. III, 1773, 1838; VI, 291. Princeps mundi, id est iniquorum qui corde non habitant nisi in hoc mundo. IV, 209, 1841; V, 790 Principes peccati, et ideo princeps hujus sæculi. V, 100, 455. Diabolus malorum caput. IV, 1807. Captivator noster. V, 726. Non tenebat nos nisi vinculis peccatorum. V, 726. Diaboli dominium in hominem unde. I, 1285. Diaboli ad regnum qui pertineant. V, 447. Diabolo veluti principi subditi omnes peccatores. X, 429. An homo per peccatum possit diabolo subjici. X, 862, 863. Omnes propter Adæ peccatum subditi diabolo. X, 444. Et traditi in potestatem ejus non jussione, sed permissione Dei. VIII, 1026. Si in Christo non renascantur. X, 455. Deus non creat diabolo, quos novit sub peccato nascituros. X, 454. Homo per vitium sub diabolo. X, 1269. Pœna diaboli est, ut in potestate habeat peccatores. III, 209. Diabolus ad voluntatem suam exauditus, sed ad damnationem. IV, 173. Diabolo peccator in cibum datus. VI, 291. *Vide* Dæmones. Omnes propter Adæ peccatum traditi in potestatem diaboli, non tamen alieni a lege potestatis Dei. VIII, 1026. Diabolus ipse non alienus a potestate Omnipotentis, sicut neque a bonitate. VIII, 1026. Nec homo peccator, nec diabolus Dei potestati subtrahuntur. X, 705, 719, 857. Illi soli a diabolo non possidentur, quos gratia Christi liberat. X, 1107. Diabolus accepit potestatem in infima, et amisit maxima summa: et non est ista potestas irati, sed pœna damnati. IV, 201. Diabolus non auctor naturæ humanæ. X, 857. Diabolus vindicat sibi quandoque aliquid eorum quæ naturaliter instituta sunt. X, 1436. Sic sunt in potestate diaboli quæcumque illi Deo judicante subduntur, ut a Dei potestate sub qua et ipse diabolus est constitutus, aliena esse non possint. X, 1055.

Diabolus ejectus per virtutem Christi. V, 445, 447, 787, 1090. Et per mortem ejus. I, 1286. A captivitate diaboli Christus nos redemit. IV, 1657. Quomodo diabolus victus sit a Redemptore nostro. V, 726, 745. Diabolus a Christo justitiæ veritate, non violentia potestatis victus. VI, 256; VIII, 1026. Et nunc ita superari debet. VIII, 1026. Diabolus quomodo victus potentia Christi. VIII, 1028. Quomodo justitia. VIII, 1027, 1029. Diaboli muscipula, mortalitas et crux Domini. V, 745, 726, 1209. Diabolus trophæo suo victus est, dum occidendo novissimum hominem, primum de laqueis perdidit. V, 1209. Diabolus quod ad tempus prævaluisse visus est homine superato, etiam sic in æternum victus est homine reparato. VIII, 615. Diabolum alligare, est potestatem ejus a seducendis et possidendis hominibus cohibere. VII, 668, 670. Diabolus ligatus est, ut non seducat gentes ex quibus constat Ecclesia. VII, 670. Diaboli solutio quare permittetur. VII, 670. Et quando futura est. VII, 670.

Diabolus missus foras dicitur, non quia extra mundum, ut hæretici quidam putant, sed quia ab animis piorum qui non diligunt mundum ejectus est. VI, 291. Diabolus in mysteriis exorcismo et exsufflatione mittitur foras. X, 1383. Diabolus exclusus a credentibus, plus cœpit impios possidere. VII, 668. Diabolus an non ante Christi adventum ejectus est de cordibus justorum III, 1772. Diabolus foras missus, qui intrinsecus dominabatur, extrinsecus præliatur. V, 787. Diabolus propter nostram exercitationem forinsecus oppugnare permittitur. V, 787. Diabolus nihil facit, nihil potest, nisi missus, aut permissus. III, 880, 1441; IV, 201, 1001, 1150, 1246; X, 757. Diabolus si posset aliquid, nullus nostrum remaneret. IV, 1246. Diabolo datur permissio in homines sive probationis causa, sive vindictæ, vel ad damnationem vel ad correctionem irrogatæ. III, 880. Nec tentari quis potest a diabolo, nisi permittente Deo, aut ad damnandos impios aut ad probandos pios. IV, 1375. Tantum tentare sinitur, quantum expedit proficientibus. IV, 761. Et electis. VIII, 1029. Tentandi voluntatem habet diabolus, in potestate autem nec ut faciat habet, nec quomodo faciat. III, 444. Non quiescit in diabolo voluntas nocendi, etiam cum potestas non datur. III, 886. Diaboli tentationes ad utilitatem sanctorum convertit Deus. VII, 332.

Diabolum creavit Deus, ut de illo bonis ipse prodesset. III, 440. Diabolo utitur Deus ad salutem fidelium, VIII, 900. Diaboli persecutionibus bene utitur Deus. X, 757. Diaboli bellum indesinens adversum nos, in nostram fit utilitatem. X, 692. Diabolus malleus universæ terræ, quo in Dei manu posito tunduntur ductiles tubæ. IV, 1255. Diabolus divinæ providentiæ procurator et actor. III, 2128. Diabolus nescit quanta bona de illo fiant, etiam cum sævit. IV, 1709.

Diabolus Agonotheta. IV, 1859. Hostis exercitatus. III, 2006. Diabolus inimicus homo appellatur. IV, 1805. Diaboli furor et in Deum protervus, et in nos nefarius, et in se perniciosus. V, 1080. Diaboli contra Christum et Christi fideles pugna. VI, 664. Diabolus ad solatium malevolentissimum damnationis suæ, cum quibus damnetur imperat. VI, 345. Diabolus cadens stanti invidet idque agit ut homo illuc non perveniat, unde ipse ejectus est. IV, 709, 1807. Diabolus omnibus modis instat, quemadmodum dejiciat. IV, 758. Peccatori quid persuadeat. V, 139. Nihil aliud agit, nisi ut intercludat viam ad Deum. IV, 1751. Nihil sic, ut non credatur in Deum, nec ad Mediatorem a quo solvuntur opera ejus credendo veniatur. II, 982. Diabolus pessimus venator mundi. V, 334. Diabolus non cessat persequi, sive aperte, sive insidiis. III, 1467. Quomodo insidiatur. III, 1441. Diaboli angeli pavidi in latebris insidiarum suarum. III, 1441. Diabolus non audet nobis insidiari, si de via, id est, a Christo, non recesserimus. IV, 1660. Diabolum ipsum aliquando latet qualis sit homo: nisi tentet, non invenit. IV, 660. Diabolus omnia nostra peccata rimatur diligentia invidentiæ. V, 928. Nostris nos armis oppugnat. V, 1077. Diabolo locum damus mala voluntate. V, 435. Diabolo tentatori duæ jannæ, cupiditas et timor. V, 200, 201. Diabolus non tentat, nisi quod in te carnale dominatur. IV, 1838. Diabolus per cupiditatem regnat in homine. VI, 291. In potestate sua eos detinet, quos cupiditate hujus vitæ illaqueat, et morte terret. IV, 227. Diabolus intrat in cor immittendo iniquas persuasiones cogitationibus iniquorum. III, 1159. Diaboli caput, initium malæ suggestionis. IV, 548. Diaboli phantasmata ad irretiendas animas. VII, 289.

Diaboli regnum, regnum fallaciarum. VIII, 897. Diabolus pater mendacii. III, 1704. Diabolus magis metuendus est cum fallit, quam cum sævit. IV, 432. Diabolus quot modis homines decipit. VIII, 897. Diabolus aliquos sinit habere nonnulla veluti opera bona. II, 982. Diabolus et angeli ejus tenebræ sunt infidelibus hominibus exteriores. II, 562. Diabolus eum non decipit, quem Deus non deserit. IV, 1577. Diabolus ubi inane invenerit, ibi nidum facere molitur. V, 1567. Diaboli vasa, qui ei per infidelitatem locum dant. V, 806. Diabolus et per se et per filios infidelitatis impugnat filios lucis. VI, 615. Diabolus per vasa sua agit persecutionem corporis, ut intus fiat ruina cordis. IV, 1841. Diabolus corruptor virginitatis Ecclesiæ. V, 575. Animam Christi persecutus est diabolus et Judas; nunc ad persecutionem corporis Christi diabolus manet, Judas autem Judæ succedit. IV, 1849.

Diabolus tribus annis, et sex mensibus sæviturus est adversus Ecclesiam in novissimis temporibus. VII, 670. Quo sævior erit diaboli persecutio ultimis temporibus, eo fortior Christianorum patientia. VII, 671. Diabolus includitur in cordibus eorum qui oderunt Christianos. VII, 671. Diabolus affligendo exercet, non nocet; saviendo prodest ad coronam. IV, 1129. Diabolum persequentem fugere malle debemus, quam docentem sequi. IV, 119. Diabolus tentat opprobriis hominum et malarum linguarum detractione nos dejicere, et animum nostrum frangere. II, 270; Diabolus calumniosus adversarius. V, 568. Calumniator IV, 905. Scit suas falsas criminationes nihil valere apud Deum: inter homines illas spargit, quo consilio. V, 568. Diabolus quos comprehensos captivosque jam possidet, non ut obtineat persequitur, sed quia obtinet utitur. IX. 720. Diabolus etsi ejectus foras non regnet, tamen tentare non cessat. III, 1772.

Diabolus qui nobiscum pugnat, cur non expugnet. III, 1995. Pugnæ Christianorum modo non sunt cum Tyrannis, sed cum diabolo. IV, 1207, 1687. Magnum prælium, hostem non videre et vincere. IV, 1851. Diabolo quisnam rebellet. X, 865. Diabolus unde nos subjiciat, unde a nobis prosternatur. V, 1542. De diabolo, qui se ipsum interius vincit, foris triumphat. V, 29. Et qui carnem vicerit. IV, 1858. Diabolus adversarius noster vincitur, quando vincuntur cupiditates. VI, 291. De nulla re sic vincitur, quam cum misericordes sumus. IV, 1860, 1861. Diabolo, sicuti Goliæ, de gladio suo caput inciditur. IV, 1857. Diabolus vincitur a pueris et puellis per gratiam. V, 787. Ut resistatur diabolo, adjutorium Dei deposcendum. X. 281.

Diabolus tentans consentientem tenet, non cogit invitum. V, 200. Diabolus cogendi potentiam non habebat cum Adam tentavit, sed persuadendi versutiam. III, 1489. Non oppressor inviti (Adæ), sed tentator volentis. VIII, 539. Diabolus operatur in filiis infidelitatis, nulla vi alia, nisi societate et obligatione peccati. V, 455. Diaboli cum Job certamen. IV. 1582. Diabolus in paradiso vicit, in stercore superatus est. IV, 1583. Diabolus apud Jobum mystice descriptus. IV, 1584. Diabolo renuntiare et pompis et angelis ejus. VI, 291. Diabolo qui locum non præbent, Deo locum præbent. III, 2005. Diabolus si expellatur, admittitur Deus. IV, 391.

Diabolus gravius quam homines puniendus X, 429. Quomodo a justitia Dei ordinatur in pœna diabolus. VII. 611. Diabolo ab Angelis illuditur. IV, 1383. Origenis error de diaboli reditu ad bonum. X, 1518. Et de ejus salute. VII, 731, 733. Diabolum posse Dei misericordiam impetrare quibusnam visum est, Origene ut perhibetur auctore. X, 1481. Diabolum cum damnatis aliquando esse salvandum, doctrina Priscillianistarum. VIII, 668. Refellitur. VIII, 672.

Diabolum, angelos ejus, impiosque omnes, post longissima tempora purgatos atque liberatos, regno Dei lucique restitui; et post longissima tempora ad hæc mala denuo relabi, Origenes docuit. VIII, 33. Diabolus non liberatur cum homine, quia plus peccavit. I, 1285, 1287. Diaboli et angelorum ejus tantum desperanda est correctio. IV, 630. Quare pro diabolo Ecclesia nunc non orat. VIII, 737.

Diabolus draco, inimicus Ecclesiæ. IV, 1381. Diabolus fortis et potentis nomine significatus. IV, 695, 910. Per Goliam figuratus. IV, 302. Diabolus leo. V, 1209. Diabolus leo et draco. III, 1467. Leo et draco propter insidias et iram. III, 879. Leo in impetu, draco in insidiis. IV, 867, 434, 1168. Diabolus, lupus. III, 1731. Diabolus mors dictus. IV, 856. Mortis et inferni nomine significatur. VII, 681. Diabolus præpositus mortis. IV, 223. Diabolus nebulo et pirata. V, 1649. Diabolum legis peritum quare ostendere conatus est Petilianus. IX, 299. Diabolus nisi templum, sacerdotium, et sacrificium uni vero Deo deberi nosset, numquam hæc sibi a cultoribus expetisset. II, 377. Diaboli templa ubique evertuntur, idola franguntur, sacerdotes et arreptitii cæduntur. V, 1453. Dæmoniorum cultus, animæ est adulterium. V, 76. V. Dæmones.

Diaconus, latine minister. V. 1441. Diaconi, in tertio sacerdotio. IX, *App.* 773, Diaconi officium quam periculosum. II, 88. Diaconi officium, ministrare sanguinem Christi. V, 1385. Diaconi voce oratio communis indicitur. II, 221. Diaconorum, qui ex parte Donati ad Ecclesiam venerant, lapsus. II, 271.

*Diagoras* Atheus. IX, 360.

Dialectica, nomen græcum. IX, 456, 457. Peritia est disputandi. IX, 455. Disciplina est disciplinarum. I, 1012. Sola scientes facere et vult et potest. I, 1013. Multa in ea percipiuntur. I, 949. Dialectica nihil aliud docet quam consequentia demonstrare; seu vera veris, seu falsa falsis. IX, 459. Scientia definiendi et dividendi non est falsa, etiam si falsis adhibetur. III, 60. Dialecticæ inventio. I, 1012. Veritas connexionum non instituta est ab hominibus, sed animadversa. III, 58. Veritas sententiarum et connexionum unde eruenda. III, 58. Dialecticæ utilitas. III, 60. Dialectica plurimum valet ad intelligentiam Scripturæ. III, 57. Dialecticam reprehendit Cresconius. IX, 455. Dialectica nec eloquentia metuenda veritatis assertoribus. IX, 466. Dialectica usus est Christus. IX, 458. Et Paulus. IX, 456. Fam sapiens callet. I, 949. Dialectica a Stoicis vehementer amata. VII, 232. Quam maxime apud eos viguit. IX. 455. Et apud Epicureos. IX, 455. Non secundum dialecticam judicant Ecclesiastici judices. X, 819.

Dialecticus quis appellandus. IX, 455, 457, 459. Dialectici non efficiunt, ut si verum est, falsum sit; si falsum est, verum sit. IX, 480. Dialecticorum regula, nulli rei duo simul inesse contraria, ratione malorum et bonorum deficit. VI, 238.

*Diana* germana Apollinis, et Luna, et viarum præses habetur. VII, 207. Quare virgo dicitur. VII, 207. Dianam virtutem interpretantur Pagani. III, 1059.

Diapsalma quid sit. IV, 80.

Dictator in extremis tantum periculis creabatur. VII, 97. Dictatura major honore, quam consulatus. VII, 164.

Dictinius Episcopus Asturicensis. VI, 522. Dictinii liber cui nomen est Libra. VI, 522, 543, 548.

*Didonis* mortem se flevisse, deflet Augustinus I, 670.

Didrachma quid? IV, 1785.

*Didymus* episcopus. II, 759, 780.

*Didymus* Videns in Epistolam ad Galatas commentariolos reliquit. II, 252, 262. Librum scripsit de Spiritu sancto. III, 604. Didymum Videntem Hieronymus reprehendit. II, 286.

Dies diversimode sumitur. III, 231; IV, 1115. Diei et noctis nomen quomodo accipiendum. III, 230, 295. Dies appellatur illa lux, cui nox præcedenti recedentique succedit. III, 275. Dierum et noctium distinctio. III, 185. Dierum et noctium enumeratio valet ad distinctionem ponendam inter Deum et creaturas. III, 235. Dies primos creationis mundi impossibile est cogitare, quanto magis dicere. VII, 522. Quomodo dies unus peractus fuit sive in creatione, sive post creationem lucis. III, 253. Dies et nox quomodo potuerint esse ante solis creationem. III, 251, 275. Quomodo tres dies noctesque sibi succedere ante solis creationem. III, 253. Diem et noctem ante creationem solis factam fuisse emissione et contractione lucis non probatur. III, 258. Dies, vespera, et mane quomodo intelligi debeat in creationis historia. III, 314, 317. Omnia simul facta, et nihilominus per sex dies facta. III, 319. Dies sex creationis quomodo accipiendi. III, 295, 309, 314, 325, 338; VII, 322. Dies et nox quomodo ad lucem sensualem et rationalem possunt cadere. III, 231. Diem et noctem, mane et vesperam quomodo lux spiritalis exhibuit. III, 311. Dies qui primum factus est, natura est Angelica. III, 326. Lux quædam sapiens vocatus est. III, 340. Dies vespera et mane in cognitione Angelica. III, 314. Dies creatura intellectualis, quo sensu dici potest. IV, 1567. Interpretatio data de die spiritali, non figurata existimanda est. III, 314. Initium diei et initium noctis, principatum utriusque intelligere debemus. III, 237. Dies septimus sine vespera. V, 80. Cur dies septimus mane habuerit, non vesperam. III, 306, 314, 326. Septimus dies est septima repetitio diei primitus creati. III, 311. Diei septimi cessatio, ab ipsis creaturis condendis intelligenda est facta, non ab administratione earum quæ conditæ referuntur. II, 948. Dierum septem allegoria de hominis Christiani profectu in operibus bonis. III, 191. Dies septem mystice sunt septem ætates mundi. III, 190.

Dies fit conversione fixorum siderum. III, 236. Dies nunc dicitur mora solis super terram, nunc mora totius circuitus ejus ab Oriente ad Orientem. I, 821. Dies totus circuitus solis verius nuncupatur, non ab Oriente usque in Occidentem, sed ab Oriente usque in Orientem. II, 911. Usitati dies hebdomadæ longe dispares septem diebus Geneseos. III, 314. Quid significent. III, 320. Dies in Genesi incipit a lumine, et finit ad tenebras; nunc e contra, quare. III, 1325; V, 1089. Dies in prioribus temporibus viginti quatuor horarum fuit, ut nunc est. VII, 455. Dies brumalis totidem habet horas, quot æstivus, licet breviores. III, 159. Dies septem hebdomadis, deorum suorum nomine a Gentibus appellati. VIII, 346. Et planetarum. IV, 1192. Improbatur hic loquendi usus in ore Christianorum, qui ritu loquendi Ecclesiastico melius uterentur. IV, 1192. Dies feriati. V, 1201. Dies intercalares. VII, 451.

Dies alii cœli, alii terræ. IV, 1130. Dies vitæ æternæ, unus dies est sine occasu. IV, 202. Dies æterni et multi dies dicti sunt, et unus dies. V, 528. Proprie non multi sunt, sed unus. V, 520. Dies æternitatis semper hodiernus. VI, 253. Dies qui vere sit, hic non est. IV. 418. Dies jungunt se, sequuntur se, et non se tenent. IV, 419. Dies ponitur pro tempore in Scriptura sacra. VII, 659. Maxime cum dies in feminino genere dicitur. IV, 1115. Ponitur pro tempore indeterminato. III, 197. Pro multitudine annorum aliquando. II, 911. Dies unus secundum Scripturas, mille anni sunt. II, 911. Dies tres sæculi, unus ante legem, secundus sub lege, tertius sub gratia. IV, 224.

Dies observare et menses ad aliquid inchoandum, quod fausta vel infausta existimentur tempora, magnum peccatum. VI, 270. Diei electio ad uxorem ducendam, ad plantandum vel serendum, stulta. VII, 146. Dierum quæ observatio culpabilis. II, 210. Dies in celebratione Paschæ Christiani observant ex Patrum Conciliis. II, 217. Judæi in celebratione Paschæ, quæ figura est Dominicæ Passionis, sabbatum occurrere, aut cum mense novorum ad tertiam Lunæ hebdomadam concurrere, non attendunt. II, 215, 218. Ut octo dies Neophytorum distinguantur a cæteris, id est, ut octavus primo concinat, Ecclesiæ consuetudo roboboravit. II, 220. Diei octavi et septimi mysterium. V, 1197.

Dies prosperitatem significat, nox adversitatem. IV, 1110, 1737, 1793, 1794. Dies hominis, quales. IV, 1487. Dies maligni ab initio peccati. V, 168. Dies maligni sunt, in quibus videntur florere peccatores, et laborare justi. IV, 1204. Dies nunc laboris et tristitiæ. V, 1051. Dies mali significant mala quæ in diebus perpetrantur. II, 916. Dies malorum aliter habent impii, aliter fideles. IV, 125. Dies bonus non est homini qui malus est. V, 245. Dies malos duæ res faciunt, malitia et miseria. V, 909. Dies malignos faciunt maligni homines. V, 168, 1363. Dies boni quinam et ubi quærendi. V, 125, 169, 170, 633, 655, 1014. Semper dies mali in sæculo, semper dies boni in Deo. IV, 317. Dies ideo mali, quia transit unus, ut veniat alius: dies boni æterni, unus dies erunt. V, 1084.

Dies novissimus totius generis humani finis est sæculi; at unuscujusque hominis ipse est dies mortis. V, 76, 589, 932. Dies omnis pro extremo computandus. V, 1411. Diem mortis incertum salubriter constituit Deus. V, 241. Dies Domini quando futurus sit, sciri non potest. IV, 90. Signa quæ Christus ad significandum novissimum diem indixit, Hesychius dicit ex parte completa esse. II, 903, Dies novissimus quando futurus sit qui confitetur ignorare se, magis consonat Evangelio, quam qui citius aut tardius futurum esse dicit. II, 924. Dies novissimi dicti sunt, et in ipsis primis Apostolorum temporibus. II, 913.

Dies Dominicus. V, 916. Dicitur una sabbati, secunda sabbati, secunda feria, etc. IV, 1192, 1960. Dies Dominicus, qui octavus et primus a resurrectione Christi incepit declarari. II, 215. Significat resurrectionem. II, 215. Hoc non latuit antiquos Patres II, 215. Sabbatum tamen solum celebrandum traditum est, quia tunc erat tantum requies, non resurrectio mortuorum. II, 215 Dominicum diem nobis consecravit Domini resuscitatio. V, 916. Dies Dominicus præponitur sabbato fide resurrectionis, non consuetu-

dine refectionis, etc. II, 141. Priscillianistæ ad jejunandum die Dominico, testimonium de Actibus Apostolorum adhibebant. II. 148.

Dies Pater de nullo die, Filius dies ex die. V, 1084. Dies ex die Christus. IV, 1417.

*Dies pater*, Deus qui partum perducit ad diem. VII, 122. *Vide* Dispater.

Differre aliquem, pro, accusare. I, 1203.

Difficilia intellectu apud quos et quomodo tractanda. III, 99. Difficilibus in rebus et obscuris cavenda temeritas II, 862. Quod difficilius quæritur, solet dulcius inveniri. IV, 1552.

Difficultas, ad quid in primo homine post peccatum, ad quid in aliis. I, 1298. Difficultas, si esset primordia hominis, ob eam præcise non esset damnandus. I, 1502. Difficultas et ignorantia omni animæ peccanti, duo ista pœnalia sunt. X, 287. Ignorantia et difficultas si naturalis est, inde incipit anima in sapientiæ quietisque beatitudinem surgere. I, 1302. Hoc si neglexerit, in aliam difficultatem quæ pœnalis est præcipitatur. I, 1302. In difficultate quid ad culpam deputatur. I, 1297, 1302. Difficultas sive naturalis, sive non, Deus tamen inde laudandus. I, 1305. Difficultas in posteros Adæ juste dimanavit. I, 1297. Difficultates necesse est exsistant, ut ostendatur homini quod homo est. V, 1539. Difficultas piis est admonitio proficiendi et perfectionis exordium. I, 1298. Studiosis ad coronam valet, negligentibus ad supplicium. I, 1299. Ad eam vincendam implorandum Dei adjutorium. I, 1297, 1303. Per quod facile sit opus pietatis, etiam quod difficile aut impossibile fuit. I, 620. Difficultas in bene operando, facit ut hujus demum largitorem boni Deum agnoscamus. IV, 1421. Difficultas cum superatur, his vincitur dæmon quibus hominem vicerat. I, 1299. Operis ergo difficultas non semper auget meriti rationem. X, 857.

Diffidentia de adjutorio Dei nobis a diabolo suggeritur. IV, 525.

Digitus Dei Spiritus sanctus. III, 604; IV, 111; V, 74. Digiti Dei, ipsius ministri, per quos Spiritu sancto repletos Scripturæ confectæ sunt. IV, 111. Digiti, quibus pugnat corpus Christi, qui. IV, 1857, 1858. In digitis divisio intelligitur operationis et radix unitatis. IV, 1857. Micare digitis. VIII, 955.

Dignationem sumere. I, 720.

Dignitas quid sit. VI, 22.

Dilatari corde quid sit. IV, 79. Dilatatio cordis ex caritate. V, 758. Est justitiæ delectatio. IV, 1527. Munus est Dei, ut in præceptis ejus non timore pœnæ angustemur, sed dilectione et delectatione justitiæ dilatemur. IV, 1527.

Dilectio ab amore non distinguitur. VII, 410. Diligi non potest quod neque scitur, neque creditur. X, 243. Dilectio quomodo Deus est. III, 2031. Dilectio qua Deus diligit, est incomprehensibilis, immutabilis, æterna. III, 1923. Universa in suis generibus ordinata, ordinatissime diligit Deus. III, 1924. Non est alia causa Patri diligendi membra Filii, nisi quia diligit Filium. III, 1923. Dilectio animarum duplex in Deo. X, 1422. Miro et divino modo quando oderat nos Deus, diligebat. III, 1923. Displicentes amati sumus, ut esset in nobis, unde placeremus. III, 1808.

Dilectionis unum est præceptum, si intelligatur. VI, 672. Diligendi Dei ac proximi mandatum exponitur. VI, 670, 671. Quatuor diligenda sunt, et quæ. III, 27. In duobus præceptis dilectionis, tria invenit homo quæ diligat, Deum, proximum, et seipsum. VII, 643. Dilectionis ordo et mensura. VIII, 959, 963. Quænam ordinata dilectio. III, 29. Dilectio Dei et dilectio proximi, et si seorsim aliquando posita in Scriptura, se invicem important. VIII, 956, 958, 1050. Quæcumque jubentur sive monentur, tunc recte fiunt, cum referuntur ad diligendum Deum, et proximum. VI, 288. Dilectio Dei, et proximi. V, 563, 564, 1461, 1527, 1648. In dilectione Dei est tota perfectio. VIII, 136. Justiores tanto utique sumus, quanto Deum diligimus. X, 604. Deum non diligeremus, nisi nos prior diligeret. V, 210. X, 904. Ipse ut diligeretur dedit, qui non dilectus, dilexit. III, 1898. Quid aliud in nobis, quam Deum debemus diligere, aut quia habemus, aut ut habeamus? V, 1189. Ardua quæstio ex Domini verbis nata, dicentis plus eum diligere, cui plus dimittitur. V, 597. Qui Deum non diligit, se odisse dicitur. VIII, 1049. Quomodo Deum toto corde diligere debemus. X, 528. Dilectionis præceptum in futura tantum vita perfecte implebitur. X, 301. Diligendi Deum ex toto corde præceptum cur hic imponitur, cum non impleatur. X, 243. Dilectio Dei nobis, non Deo proficit. V, 212. Diligimus nosmetipsos, si Deum diligimus. II, 499.

Dilectio Dei prior est ordine præcipiendi, dilectio proximi prior ordine faciendi. III, 1551. Vita bona et honesta non aliunde formatur, quam cum diligitur Deus et proximus. II, 524. Ratio cur Deus et homo diligantur. III, 30. Omnis homo, in quantum homo, diligendus est propter Deum, Deus vero propter seipsum. III, 29. Hominem recte diligere non novit, quisquis eum non diligit, qui hominem fecit. II, 1072. Ecclesia propter proximum diligitur, Deus propter Deum. IV, 1615. Diligere invicem jubemur propter regnum Dei. V, 1461. Ad dilectionem Dei pietas pertinet, ad dilectionem proximi innocentia et benevolentia. VI, 514. Dilectio Dei sit gratuita, benefica sit dilectio proximi. V, 571. Dilectio qua invicem diligimus, imitari debet dilectionem qua Christus dilexit nos. III, 1808. Dilectionis fructum Christo nullum possumus reddere meliorem, quam imitationis exemplum. V, 1395. Dilectionis plenitudo, ponere animam pro fratribus. III, 1846.

Dilectionis hæc regula homini figitur, ut imitans Patrem, diligat inimicum. IV, 651. Dilectio inimici, dilectio perfecta. III, 2042. Perfectio misericordiæ. III. 1264. Dilige inimicos tuos, ne incautus oderis et amicos. V, 1404. Dilectio inimicorum. V, 585, 496, 1426, 1456. Diligere inimicum salubre est, licet amarum. IV, 447. Dilectione inimicorum nihil in mandatis Dei mirabilius. IV, 1518. Præcepto de diligendis inimicis nihil in scripturis contrarium. III, 1265. Unde inimicos diligamus. III, 30. *Vide* Inimici.

Dilectio proximi quanta debeat esse. IV, 1170; V, 1461. Diligere nolite vitia amicorum vestrorum, si diligitis amicos vestros. V, 523. Diligere vitium noli propter hominem nec propter vitium odisse hominem. V, 525. Diligere bonos, aut qui creduntur boni, ei prodest qui diligit. II, 87. Unus hic error cavendus. II, 87. Diligat quisque in aliis quod ipse non habet, et in illis Christum amet. V, 589. Proximus et ipse nunc per fidem diligitur. VI, 288. Præceptum de diligendo proximo importat præceptum de diligendo Deo, et vicissim. III, 1809, 1846.

Diligendo proximum iter agitur ad Deum. III, 1552. Dilectio proximi certus gradus est ad dilectionem Dei. VIII, 136. Dilectione proximi purgatur oculus ad videndum Deum. III, 1551. Dilectionem proximi donat nobis Deus. III, 1809.

Dilectio extendenda, ut omnes rapiat ad Deum. V, 566. Omnes æque diligendi sunt. III, 30. Diligantur parentes, sed plus Christus. V, 1552. Amplius alius homo diligendus est, quam corpus nostrum. III 30.

Dilectio proximi a dilectione sui regulam accipit. VII, 54. Ut se quisque diligat, præcepto non opus est. III, 34. Prava sui dilectio quæ. III, 27. Quis se, quis proximum male diligat. VI, 671. Quis sciat diligere se V, 715. Diligere se qui nondum novit, qui norit diligere proximum. V, 715. Non diligit se, qui Deum non diligit. V, 212. Qui se propter habendum Deum diligunt, ipsi se diligunt. III, 1846. Præceptum de proximo et seipso diligendo corpus et animum important. III, 29.

Diligendus peccator quomodo. V, 43. Non est socius iniquitatis, qui pro impiis intercedit. II, 660. Aut qui impios ex caritate diligit, et iis benefacit. II, 654, 655.

Dilectio vera quænam. VIII, 956. Opere est demonstranda dilectio, ne sit infructuosa nominis appellatio. III, 1850. Dilectio sola semper reddenda. V, 1201. Mundum istum diligere, est nequiter vivere. VI, 209. *Vide* Amare. Mores dijudicari solent ex eo quod quisque diligit. II, 672. Talis est quisque, qualis ejus dilectio est. III, 1997. Non poterit labor finiri, nisi hoc quisque diligat, quod invito non possit auferri. IV, 107. Hinc apparet te diligere quod bonum est, si inventus fueris odi se quod malum est. IV, 1219. Non est dignus Christus, cum quo diligas avaritiam. IV, 1248, 1249. Diligere justitiam, et odisse iniquitatem, hæc est tota virga regni Christi. IV, 504. Dilectio lumen est, odium tenebræ. IV, 653. Dilectio frustra prædicatur diligenti mundum. IV, 254. Disce non diligere, ut discas diligere; avertere, ut convertaris; funde, ut implearis. IV, 254.

Dilectio facit in nobis quamdam mortem. IV, 1628. Dilectio est mors nostra sæculo, et vita cum Deo. III, 1808. Dilectio fidei opus. III, 2054. Dilectio sola discernit inter filios Dei, et filios diaboli. III, 2016. Dilectio virtus civitatis Jerusalem. IV, 1628. Præceptum dilectionis quare mandatum novum, et mandatum Christi dicitur. III, 1845, 1808. Dilectio ad novum Testamentum pertinet. III, 623. Dilectio mandatum Christi, per quam peccata solvuntur. III, 2013. Dilectionis mandatum non est grave. X, 289. Cumam grave est. X, 290. Dilectio monendo atque suadendo componi, non invitum cogendo imponi potest. VIII, 365.

Dilectionem ad gratiæ beneficium pertinere docet Ambrosius. X, 382. Id agit gratia, ut dilectione impleantur mandata Dei, quæ timore non poterant. IV, 1579. Tunc fit vere opus bonum, quando dilectionis fine fit mandatum. IV, 1540. Dilectionem spes solet accendere. IV, 1487. Dilige, et quodvis fac. III, 2055. Dilectio nunc est in desiderio, nondum in saturitate. III, 1852. Dilectio Dei et

proximi manet in æternum. IV, 1565. Diligendo fimus vere fortissimi, non superba duritia, sed secura justitia. V, 1526. Per dilectionem fit pax, et abundantia. IV, 1628. Dilectio et fides probatior per hæreses. II, 793. Dilectio fructus noster. III, 1852. Dilectionis præmium ipse est dilectus. IV, 1565. *Vide* Amor. Caritas.

Diligentiæ suæ non debet fidere homo. X, 253.

Diluvium Ogygii. VII, 566. Deucalionis. VII, 568. Universale temporibus Noe. VII, 566. Diluvium universale quoto ab Adam anno contigit. VII, 465. Cur hoc potius quam alio tempore contigit VII, 471. Diluvii duratio, incrementa, decrementa, etc. III, 550. Tempore diluvii universalis nullus filiorum Seth periit. VII, 471. Objectiones contra diluvium solvuntur. VII, 566. *Vide* Arca. Diluvium a calumniis vindicatur. VIII, 631. An diluvii universalis aliqui scriptores meminere. VII, 566, *et not.* Ad memoriam diluvii revocandam, sacra diis falsis instituta sunt a regibus Græciæ. VII, 569. Diluvii sacramentum. VI, 334; VIII, 631. Diluvium quale sancti patiuntur in hoc sæculo, et quomodo evadunt. IV, 214, 269, 270, 1554.

Dimensiones quatuor apud Apostolum, latitudo, longitudo, altitudo et profundum. V, 371. Dimensiones crucis. V, 903. *Vide* Crux.

Dimittere debita debitoribus. VI, 266. Deputare debemus nobis tamquam omnino dimissum, quidquid mali a nobis non est Deo regente commissum. VI, 420, 427. *Vide* Peccata. Dimissio peccati alieni, remedium a Deo datum pro obtinenda misericordia. IV, 1469, 1698. In hoc genere operis boni excusatio nulla est, ubi sola voluntas tota facultas est. V, 1033. Dimissa peccata replicantur non dimittenti. V, 517. *Vide* Debita. De dimissione qualiscumque peccati non diffidendum, quando et interfectio Christi dimissa est confitentibus. IV, 707.

Dimittere patrem aut matrem aut uxorem, etc., tenetur Christianus, ubi necessitas occurrit ut pater, v. g. aut Christus dimittatur. II, 689, 690. Dimittit divitias, qui spem non ponit in illis, qui eis recte utitur, etc. II, 690. Dimittit totum mundum, qui et illud quod habet, et quod optat habere dimittit. II, 692. Omnia contemnit, qui non solum quantum potuit, sed etiam quantum voluit habere, contemnit. II, 124. Paulinus omnia abdicavit. II, 102, 107.

*Dinocrates* frater S. Perpetuæ Martyris an ante baptismum mortuus, sororis precibus a damnatione sit liberatus. X, 481, 503, 505, 516, 517. Dinocrates sororis sanctæ precibus de miseria meruit liberari. X, 541.

*Dinomachi* opinio de summo bono. X, 852.

*Diocletianus.* IX, 323, 328. Octies consul. IX, 510, 513. Novies consul. IX, 643. Diocletianus Christianorum persecutor. VII, 614.

*Dioga* Leptin agnensis. IX, 239.

*Diogenes* Apolloniates Anaximenis auditor, quæ rerum principia agnovit. VII, 226; X, 777. Alter a Cynico. X, 777.

*Diogenis* Cynici turpitudo et impudentia. VII, 428.

*Diomedes* deus factus a Græcis. VII, 573, 576. Diomedææ volucres Græcigenis blandiuntur, alienigenas persequuntur. VII, 576. Diomedearum volucrum transformatio. VII, 576. Diomedæa insula. VII, 573.

*Dion* Neapolites nobilis mathematicus. VII, 720.

*Dionysius* Areopagites, id est Atheniensium principalis. V, 808.

*Dionysius*, idem qui Liber pater dictus est. VII, 569.

*Dionysius* Tyrannus quid agebat ut filios pulchros haberet. X, 815.

Dionysiana vel Josiniana. IX, 230.

*Dioscorus* juvenis Græcus. II, 436. Carthaginem ad litteras ediscendas missus. II, 436. Petit ab Augustino quæstiones ex libris Ciceronis sibi explicari. II, 431.

*Dioscorus* Archiater ad Christianam fidem repetitis miraculis adductus. II, 1012.

Diospolitanæ Synodi episcopi. X, 652, 663. Summa capitum quæ Pelagius in Concilio Diospolitano anathematizavit, quæve Catholicus debet profiteri. II, 828. Pelagius Diospolitanæ Synodi Gestis purgatus ferebatur. II, 761, 765. In judicio Diospolitano Pelagius subterfugit, non se purgavit. II, 787. Patres Diospolitani, qui Pelagium absolverunt, non accusandi. II, 765. Diospolitanæ Synodi Gesta petit Augustinus a Johanne Jerosolymitano. II, 776. De Gestis Diospolitanæ Synodi dubitat Innocentius. II, 787. De auxilio gratiæ Pelagius non sincere scripsit post Concilium Diospolitanum. II, 829.

Diptycha. *Vide* Tabula.

Discedere. Non discedere a Deo ex gratia est. X, 1001.

Discere, quid. I, 787. Ab adversario mota quæstio, discendi exsistit occasio. VII, 477. Ad discendum ducimur auctoritate atque ratione. I, 957, 1007. Rationem præcedere debet auctoritas. I, 1007, 1311. Discere litteras vel artificia, quam pœnale sit pueris. I, 1300. Discentium tormenta in hac vita ad miserias hujus sæculi pertinent. X, 1516, 1525. Vis consuetudinis ad discendum. III, 46. Ad discendas linguas majorem vim habet libera curiositas, quam meticulosa necessitas. I, 671. Quæ in rebus vanis sæpe discunt pueri, in rebus non vanis tutius disci possunt. I, 671, 672. Utiliora magis quam mirabiliora sunt discenda. I, 1054. Ad discendum quod opus est, nulla ætas sera. II, 720. Discere litteras spe commodi temporalis, quam sollemne, et quam vanum. VI, 675. *Vide* Docere. Discunt multi justificationes Dei, et non discunt. IV, 1550. Discere oportet justificationes divinas, quomodo eas discant qui faciunt; non quomodo qui ut habeant quod loquantur, tantummodo meminerunt. IV, 1513, 1514. Nemo docetur, nisi discat; nemo discit, nisi doceatur. IV, 1548. Nemo recte discit quæ pertinent ad vivendum cum Deo, nisi fiat a Deo docilis. III, 104. Qui per gratiam discit, agit omnino quidquid agendum didicit. X, 567. Et venit ad Christum. X, 568. Inter discentes et vescentes est aliqua similitudo. III, 101. Feliciores sunt qui discunt, quam qui docent. IV, 594. Veritas causa cur discamus, necessitas causa cur doceamus. II, 194. Discere Augustinus plus amat, quam docere. II, 194. Discere quidam nolentes, ne superbi fiant, reprehenduntur. IV, 1712. Quod ad arborem, colendi negligentia; hoc ad animam, discendi segnitia. III, 380.

Disciplina a discendo dicta est. I, 1223; VI, 669. Disciplina est quarumque rerum scientia. I, 1021. Disciplinarum omnium excogitatrix est ratio. I, 1011. Disciplinæ immerito dicuntur liberales, nisi adsit studium pietatis Christianæ. II, 368. Disciplina duas habet partes, unam vitæ, alteram eruditionis. I, 1006. Disciplina bonum est, non malum. I, 1223. Liberalium disciplinarum utilitas. I, 988. Efferunt intellectum ad divina. I, 1015. Displicet Augustino quod multum iis tribuerit. I, 588.

Disciplina seu institutio Christiana, quæ. IV, 1204. Magister Christus. VI, 678. Schola, corpus ipsius. VI, 678. Disciplinæ domus, Ecclesia. VI, 669. Discitur ibi bene vivere, ut perveniatur ad semper vivere. VI, 669. Disciplina ecclesiastica fundamentum habet in verbis Christi. VI, 200. Maxime militat contra superbiam invidentiæ matrem. VI, 415.

Disciplina significatur periclitatura per multitudinem in Ecclesia colligendam. V, 1168. Disciplinæ rigorem relaxari in gratiam pacis. II, 812. In rebus ad disciplinam pertinentibus perturbationes multas fieri gemit Augustinus. II, 201. Disciplina ubi diversa est, quæ prudenti Christiano servanda. II, 151, 200. Disciplina ecclesiastica de martyribus ad altare recitandis. V, 866. Disciplina et correctio non negligenda. V, 111, 503, 518, 900. Periculose negligitur. II, 231. Quid debeat intueri. IX, 81, 84. Disciplina ecclesiastica quomodo exercenda. IX, 84, 86, 92. Disciplina domus, quantumlibet vigilet, nemo arrogare sibi audet, ut sit sine malis. II, 271, 272; IV, 1328, 1329. Disciplina erga malos exerceatur, non judicium præcipitetur. V, 299. Disciplina et correctio sine odio adhibenda est. V, 385. *Vide* Correptio. Disciplina danda cum opus est, sed caritas de corde numquam dimittenda. V, 518. Disciplinam leniorem Christus esse voluit in novo Testamento. IV, 1413. Disciplina quæ per emendatoriam tribulationem fit, accipiendo discitur. IV, 1548. Disciplina ecclesiastica per presbyteros data. V, 1221.

Discipuli Christi duobus modis dicti. X, 929. Magis fratres ejus erant. III, 1468. Discipulorum corda mortua invenit Christus. V, 1118. Perdiderant spem ac fidem. V, 1119. In morte Christi. V, 1120. Discipulorum anima quomodo alternabat in fide. V, 1109. Latronis fidem nec imitari potuerunt. Christi discipuli. V, 1110. Discipulorum Christi incredulitas. V, 493. Maxime audita Christi resurrectione. V, 658, 1104, 1108, 1122, 1151, 1154. Discipuli Christi ipsum hominem tantum ante resurrectionem putabant. V, 1149. Humano in eum affectu tenebantur. V, 1238. Discipuli in Christi morte dubitantes in Moyse figurati. V, 1554. Discipulorum error hæreticorum errores figurat. V, 477, 478. Quomodo discipuli opera majora, quam Christus fecerunt. III, 1821. Christi verba ad discipulos, ad nos pariter spectant. V, 721. Renuntiandum est omnibus, ut discipulus Christi quis efficiatur. III, 1343. Discipulum Christi esse est turrim ædificare, et contra regem fortiorem dimicare. III, 1343.

Discordiæ quomodo sedandæ. I, 772. Maxime inter virum et uxorem. I, 772. In discordia duorum quomodo se gerere debet amicus amborum. V, 323. Discordia blasphemat Dominum. IV, 1950. *Vide* Concordia. Divisio. Dissidiorum causæ. VII, 560. Discordia quæ est in spiritu et carne, pro concordia laborat. V, 821.

*Discordia* dea. VII, 105. Bellum Trojanum excitavit. VII, 105.

Discerno. Quis vasa misericordiæ a vasis iræ discernit. X, 582. Discretio ex massa perditionis. V, 446. Per gratiam. X, 925. Nemo nisi gratia Salvatoris discernitur. X, 923, 1422, 1428. Dei filios discernit fides per dilectionem

operans. X, 590. Omnia quæ ad salutem æternam sunt necessaria, procurantur iis qui discreti sunt, sive electis, X, 924. *Vide* Electio. Gratia.

Discretio. Magni et spiritales viri cautissime provident, ne quid populariter agant, quod nondum esse temporis ut cum populo agatur, intelligunt. III, 144. Parvulis nonnulla obtegunt, sed nulla mentiuntur. III, 144.

*Dispater*. VII, 122, 207, 213, 218. *Vide* Orcus. Pluto.

Dispensare potest Deus circa leges a se constitutas. III, 803. Quod ex inspiratione fit contra præceptum, transgressioni imputandum est. III, 803, 816. Dispensative, quid sibi velit. II, 228.

Dispensatio carnis Christi. V, 1217.

Dispensatio salutis nostræ. V, 1122.

Displicere homini debet quod Deo displicet, et contra. V, 134. Semper tibi dis, liceat quod es, si vis pervenire ad id quod nondum es. V, 926. Non in te placet Deo, nisi quod habes ex Deo : quod autem habes ex te, displicet Deo. V, 108.

Disputare quid. IX, 457. In disputationibus a contentione abstinendum. IX, 548. Improbum est aliquid addere verbis alienis contra quæ disputes. IX, 210. Afferenda non sunt ad disputationem quæ utrique parti possunt esse communia. IX, 396. Nec quæ figurata sunt aut obscura. IX, 398.

Disputandi quædam proponuntur conditiones. II, 276. Quid est contentiosius, quam ubi de re constat, certare de nomine. II, 1040. Nusquam sic non invenio quod dicam, quam ubi res de qua dicitur, manifestior est quam omne de quo dicitur. X, 147. Non disputatio veritate, sed veritas disputatione requiritur. III, 547. Disputationum ambagibus non purgatur bonorum vita, sed facili mysteriorum sacrorum, quibus init amur, auctoritate. I, 1007. Disputatur cum Omnipotente quærendo, non convincendo. III, 885. Non parvus in philosophia profectus, cum in comparatione recti verique inveniendi contemnitur a disputante victoria. I, 910. Canonicis libris non æquanda ullius disputatoris auctoritas. X, 625.

Dissensio, mors Christiani; caritas, vita. VI, 713, 714. Dissensio Christianorum, Satanæ triumphus. V, 1055. Dissensiones numquam debent amari, aliquando tamen a caritate nascuntur, aut caritatem probant. II, 957. Dissensiones salva caritate. VI, 388. Dissensio carnis et spiritus unde. X, 1096. *Vide* Concupiscentia.

Dissimilitudine a Deo recedimus. IV, 337.

Distinguere labiis suis, pro definire. III, 675.

Diu. Quid diu est, ubi finis est. V, 688, 1385. Diu videri facit infirmitas, quod cito est. IV, 361. Diu non est, quidquid finem habet. IV, 254, 1889.

Diversorium sanctorum, id est Monasterium. I, 1340.

Divina et incorporea ubique sunt tota. V, 1486. Divina carnalibus insinuare difficile. V, 665.

Divinatio a rebus divinis nominata est. I, 917. Divinationes dæmonum. I, 1007. Divinationis aliquid Deus impertit aliquando dæmonibus. VI, 143, 164. *Vide* Dæmones. Divinationes Mathematicorum fallaces. I, 737. Divinationes et prædictiones plenæ sunt pestiferæ curiositatis, cruciantis sollicitudinis, mortiferæ servitutis. III, 53. Divinatio Mathematicorum genus est fornicationis animæ. III, 52. Dæmonibus cura est animos hominum noxiæ hujus curiositatis retibus implicare. VII, 722. Divinatio per sanguinem. VII, 223. Per aquam. VII, 223. Divinantium dicta seu responsa quomodo accipienda. III, 757. Mira divinatio quorumdam juvenum jocantium. III, 472. Et alectrius qui hominem a leone interemptum iri prædixit. III, 473. Divinationes Albicerii miræ. I, 914. Sed contemnendæ. I, 914. Animam humanam habere vim quamdam divinationis in seipsa nonnulli volunt. III, 464. Impugnantur. III, 464. *Vide* Mathematici. Divinatio in civitatibus gentium ante adventum Christi prohibita. VII, 223. De divinantibus variæ quæstiones a Porphyrio motæ. VII, 289.

Divinitas cur quærenda. VII, 193. Divinitas humano visu nullo modo videri potest. VIII, 826. Divinitatem non esse in Theologia civili, constat. VII, 195. Divina munera quare inter deos colebant pagani. VII, 131. Refelluntur rationes eorum. VII, 152.

Divisio corporis in infinitum. III, 266. Divisionem recipiunt infinitam tam localia, quam temporalia spatia. I, 1174.

Dividere cupit cupiditas, sicut caritas colligere. V, 1224. Divisi inter se possunt ambo pertinere ad regnum diaboli, non item ambo ad regnum Christi. V, 446, 447. Divisio in Christianorum hereditate locum non habet. VI, 716.

Divitiæ, quare mammona iniquitatis vocantur. IV, 532; V, 650; VII, 749. Divitiæ aliud sunt, aliud pecunia. VII, 204. Divitiæ non nisi iniquis est pecunia. III, 1349. Divitiæ multiplicis generis. IV, 1203. Divitiæ veræ et falsæ. V, 328, 650. Divitiarum cupiditas insatiabilis est. V, 956. Divitiarum cupiditas quam periculosa. V, 242, 1457. Corporis et animi est enervatio. VII, 153. In divitiis cupiditas reprehenditur, non facultas. VII, 24, 25. Quinam divitiarum amor salutem impedit. VI, 216. Divitias qui non habent et habere desiderant, inter reprobandos divites computantur. IV, 1057. Divitiæ propter vitam, non vita propter divitias. V, 1518. Divitiæ multis noxiæ fuerunt. IV, 624. Divitiarum illecebræ. I, 880, 906, 907. Divitiæ per superbiam quæruntur. IV, 545. Et superbiam generant. IV, 922, 1769. Divitias tanto plus amant homines, quanto majores in sæculo sunt. IV, 1909. Divitiis colligitur superbiæ nidus, ubi nutriatur et crescat. V, 957. Divitiarum vermis, superbia. V, 215, 242, 412, 521. Divitiæ non nocebunt, si tollis superbiam. V, 242. Si propter divitias inflaris, noli attendere quando eris præda hominum, jam diabolo præda es. IV, 1727.

Divitiæ somnium. V, 1517. Divitiæ, alienæ vocari debent. III, 1349. Hominem felicem non faciunt. I, 906; VII, 162. Divitiæ terrenæ, non facultatis, sed infirmitatis argumenta. V, 488, 1189. Fulcimenta sunt infirmitatis, non ornamenta potestatis. V, 252. Divitiæ non veræ sunt, quibus crescentibus, crescit inopia; quæ amatoribus suis, quanto fuerint amatiores, non afferunt satietatem, sed inflammant cupiditatem. IV, 224, 1638; V, 328. Dicuntur copiosa inopia. I, 670. Divitias habes, egestas aucta est, non potestas. V, 956. Divitias habes, et concupiscis; morbus est, non opulentia. V, 410.

Divitiarum inanitas et incommoda. IV, 1727. Divitiæ nihil præter sollicitudinem afferunt. V, 1520. Divitiarum onus. V, 899. Divitiarum sarcina impedit ne homo Christum sequatur. III, 1655. Cum superflua quærit homo, compedes suas onerare desiderat. IV, 864. Divitiæ flumina sunt, quæ tollunt quos extollunt. IV, 1769. Ex divitiis pressuræ et timores. IV, 1057. Quanto eris ditior, tanto timidior. IV, 1762. Divitiæ malos, cum offeruntur, excæcant; cum auferuntur, excruciant. V, 328. Divitiæ terrenæ perituræ sunt et plenæ periculorum. V, 114, 217. A morientibus hinc non auferendæ. V, 114. Divitias habere non est culpabile, sed amare et spem in eis ponere, et eas præferre aut conferre veritati, justitiæ, etc. VIII, 165. Spes in divitiis non ponenda. V, 958. Cor tuum fugiat aurum, et servus est tuus. V, 955. In hac causa si non vis esse servus, esto fugitivus. V, 955. Qui torqueri quam divitias prodere malunt, boni Christiani non sunt. VII, 25. Divitiæ cum desunt, et cum adsunt, quomodo circa eas se gerendum. II, 856. Divitiæ quomodo petendæ a Deo. IV, 624.

Divitias Deus bonis tribuit ad probationem, malis ad supplicium. V, 327, 328. Divitiarum abundantia reperitur etiam in justis, sed in iis cor non apponunt. IV, 1867, 1868. Animo qui terra non est, aurum et argentum terra est. IV, 1481. Divitiæ et a malis male habentur, et a bonis tanto melius habentur, quanto minus amantur. II, 663. Mirabilius est iis non inhærere cum possidentur, quam omnino eas non possidere. I, 1329. Divitias ab amicis Dei possideri non repugnat novo Testamento. VIII, 162, 163. Nec eas vendere præceptum est novi Testamenti, sed consilium. II, 687. Utilius terrena opulentia tenetur humiliter, quam superbe relinquitur. II, 124. Divitiæ temporales etiam in veteri Testamento contemptæ. VIII, 163, 164. Abraham in divitiis pauper. IV, 1083. Divitiæ, sine cupiditate si habentur, non culpandæ. V, 956. Divitiarum amor talis, ut sine dolore amitti non possint, lignum et fœnum quod super fundamentum ædificatur. VI, 216. Divitias qui affectu carnali sic amat, ut tamen Christo non præponat, per ignem salvabitur, quomodo. VI, 155, 156.

Divitiæ non amandæ, sed iis tantum utendum. III, 1691. Divitias habere censendus non est, nisi qui bene utitur. V, 327. Quomodo iis utendum. I, 163. Divitiarum usus in operibus bonis. V, 90, 217, 219, 242, 328, 415, 522, 959. Per eas Deus bonis subministrat occasiones beneficiorum, malos torquet timore damnorum. V, 327. Divitiæ Christi pauperibus erogandæ. VII, 162. Divitiæ quamdiu in terra sunt, divitiæ non sunt. V, 650. Magnæ opes sunt Christianorum, necessitates egentium; si intelligamus ubi debeamus servare quod habemus. V, 1389. Divitiæ si diliguntur, ibi serventur ubi perire non possunt. II, 485. Unam tuto collocantur. VII, 24. In tuto ponuntur dum eroganter. V, 259. Divitiarum locus tutus in cælo, quo per manus pauperum perferuntur. IV, 425, 549, 550. Divitiæ e terra in cœlum migrandæ. V, 259, 240, 405, 413, 1519. Divitias suas alienis relinquunt omnes qui male vivunt. IV, 553.

Divitiæ Christianorum quæ. VII, 23. Divitiæ quærendæ, quæ auferri nequeant. IV, 1645. Divitiæ illæ veræ sunt, quas cum habuerimus, perdere non possimus. V, 650. Quænam illæ sint. V, 651. Divitiæ spiritales et veræ. IV, 516, 865, 864, 1658, 1659. Divitiæ animæ. VIII, 165. Divitiæ interiores quæ amitti naufragio non possunt. V, 147, 218, 955. Divitiarum interiorum fons non lætet, si cor patet : aperit cor clavis fidei. V, 985. Aurum multis fuge-

filles non fulget. IV, 565. Divitiæ tuæ, Deus tuus. V, 955. Qui vult dives esse, Deo inhæreat. IV, 545. Aurum et si volueris, forte non habebis; Deum cum volueris, habebis. IV, 294. Omnis copia quæ Deus non est, egestas est. I, 848. Divitiæ illius quid nos facturæ sunt, cujus paupertas nos divites facit? V, 916. Divitiæ veræ in cœlis. IV, 620. Divitiæ veræ immortalitas; quia ibi vera copia, ubi nulla indigentia. V, 216, 232. Divitiæ veræ a Deo expetendæ. V, 220, 651, 1520.

Divites quinam dicendi. VII, 204. Divites sunt mundi, et sunt divites Dei. V, 957. Divites hujus sæculi, et divites alterius sæculi. V, 521. Divites non hujus mundi. V, 215. Divites sæculi egent. IV, 316, 317. Divitem tu putas, qui minus egeret, si minus haberet. V, 528. Dives et plenus, et inanis est. V, 366. Semper est mendicus. V, 1521. Divites se pauperes esse agnoscunt. IV, 1628. Desideriis vastantur, cupiditatibus dissipantur, timoribus cruciantur, tristitia contabescunt. IV, 224. Dives re et dives cupiditate differunt. V, 412, 956. Dives hydropi comparatur, et mulieri incurvatæ, de quibus in Evangelio. III, 1343. Si dominus auri es, facis de illo quod bonum est: si servus, facit de te quod malum est. V, 955. Ditescere velle alterius paupertate iniquissimum. V, 1591. Dives sciat se viatorem, et in divitias tamquam in stabulum intrasse; non secum tollit quod in stabulo invenit. V, 114.

Dives et pauper quomodo onera mutua vicissim partiri ac minuere valeant. V, 899. Dives pauperi tribuendo onus minuit. V, 414. Divites facile tribuant eleemosynam. IV, 549. Divitem et pauperem fecit Dominus: per eum qui habet, juvat egentem; per eum qui non habet, probat habentem. V, 243, 525; IV, 1649, 1650. Divites sibi bene fecisse quandiu vixerunt, falso dicitur. IV, 561. Si servaveris, tua non erunt; si erogaveris, tua erunt. V, 961. Dives imprudens et luxuriosus, qui reservare aut epulari proponit, non erogare. V, 529, 629. Dives timeat ne dum vult esse prædo, sit præda majoris, et minor piscis a majore devoretur. IV, 422. Dives sic utatur superfluis, ut tribuat pauperi necessaria. V, 413. Divitum superflua, necessaria sunt pauperum: res alienæ possidentur, cum superflua possidentur. IV, 1922. Divites et pauperes in corde interrogat Deus, non in arca et domo. IV, 545.

Divitibus quid præcipi velit Apostolus. V, 521. Divitibus cavenda superbia. V, 112, 956. Divitem humilem lauda, lauda divitem pauperem. V, 112, 113. Divites animo superbi, et per abundantiam non quærentes æterna. IV, 1814. Divites se pares ceteris non putant. IV, 920. Divites et nobiles adversus pauperes et ignobiles superbire non debent, quare. III, 1276. Dives non dedignetur frater pauperis appellari. V, 217. Dives pauperis contemptor, miser finita vita. V, 249, 250. Dives et pauper in nativitate et morte æquales. V, 412. Dives sit humilis, plus gaudeat quia Christianus est, quam quia dives est. V, 217. Divitibus adulantes. V, 250. Divites, id est superbi, exinaniendi sunt; et esurientes, id est humiles, implendi. V, 1515. Dives qui in multis pecuniarum facultatibus non extollitur, pauper est. IV, 545, 1057. Dives si ideo se magnum putat, superbus et egenus est; in carne crepat, in corde mendicat; inflatus est, non plenus. V, 215. Major animus divitiis suis, qui eas vincit non concupiscendo, sed contemnendo. V, 215.

Divitum superborum labor stultus. III, 882. Divites amarius laborant cogitationibus, quam pauperes operationibus. X, 1578. Divitis cupidi et pauperis tranquilli collatio. VII, 114. Dives in conscientia securior dormit in terra, quam dives in purpura. V, 216. Divites minus securi in perturbationibus sæculi, non solum sua perdiderunt, sed propter illa et ipsi perierunt. V, 217. Divites superbi struthionibus comparantur. III, 881, 882. Divitum in sepulturæ cura soliditas. IV, 555. Divites humiles et misericordes sunt veri pauperes. V, 113. Divites erant antiqui Patriarchæ Abraham, Isaac, Jacob, etc. II, 686. Divites terræ adorant Christum, sed non saturantur sapientia et justitia ipsius. IV, 1726. Non saturantur corpore et sanguine Christi. II, 566.

Divites hujus mundi non contempti a Christo. V, 216. Difficile salvantur. V, 521. Eorum conversio qui fiat. III, 882. Divites intrare in regnum cælorum, Deo facile est. II, 494. Divites correptionem non admittunt. IV, 920. Ut non plura peccata contrahant quam alii, difficile est. IV, 1731. Divites quinam a Deo non exaudiuntur. IV, 1083.

Divitem in divitiis suis manentem, regnum Dei non posse ingredi, etc. falso docebant Pelagiani. II, 686, 687, 688. Divites baptizati nisi omnibus abrenuntient, si quid boni visi fuerunt facere, non reputari illis, nequa regnum Dei posse habere, dogma Pelagianorum. II, 686, 687, 688; X, 554. Divites pauperum cibis vesci non cogit Augustinus. V, 414. Divites qui ecclesias aut monasteria ædificant, sunt cedri Libani, in quibus passeres nidificant. IV. 1371, 1372. Divites clarissimæque personæ utriusque sexus martyrii gloria sunt sublimatæ. II, 691.

Divitis Christiani idea. II, 691. Dives omnis, Dei mendicus. V, 686. Dives si Deum non habet, quid habet? V, 492, 521. Divites quidam inter Domini pauperes numerantur. IV, 1197.

Dives malus Judæus fuit. V, 249. Cur damnatus est. V, 962, 1651. Digerebat apud inferos, quod manducaverat apud superos. IV, 561. In inferis sero misericors. V, 113. Ejus pœnæ. VI, 719. Flamma qua cruciabatur erat spiritalis. VII, 725. Quomodo intelligenda sit flamma inferni, sinus Abrahæ, et cetera quæ in historia divitis referuntur, vix aut numquam invenitur. III, 376. Varia de divite qui sepultus est in inferno. IV, 561. Divitis et Lazari comparatio. V, 217, 249, 550, 611, 911, 1518, 1650.

Divortium. Lex sæculi quoad divortia, alia a lege Evangelii. X, 420.

Diuturnum nihil est, in quo est aliquid extremum. VII, 559.

Docendi munus quam præstans. III, 18. Doctorum officium periculosum, auditorum securior conditio. V, 155. Ut discamus, invitare nos debet suavitas veritatis; ut doceamus, cogere necessitas caritatis. VI, 161. Augustinus magis amat discere, quam docere. VI, 161, 170. Docendi præcepta non superflua, tametsi doctores efficiat Deus. III, 103. Instituit Deus ut homines ab hominibus docerentur, non ab Angelis, quare. III, 18. Quidam sanctorum soli Deo docibiles. IV, 1486. Paucissimis donatum est, ut sine hominis ullius ministerio doctrinam salutis perciperent. X, 1023. Homo post judicium non per hominem docebitur, sed omnes erunt docibiles Deo. III, 1278.

Doctoris Christiani officium. III, 91. Doctoris est petere a Deo mysteriorum intelligentiam, ut de fide interrogantibus respondere valeat. V, 619. Veritatem honorat, qui doctorem honorat. X, 495. Patientissime sustinendi sunt qui docent quod nos ignoramus. X, 526. Doctor non est qui malus est. I, 1225. Docens bona, agens mala, necessarius est, mercenarius est, prodest aliquid. V, 1169. Moribus tuis intenti fiant, qui abs te aliquid accepturi sunt. II, 457. Nolo prius aliquid docear, quod dediscendum est, ut vera docear. II, 437. Qui non facit quæ docet alios, si aliquando utilis est, non ipse facit, sed Deus. III, 1505. Doctores mali, spinæ botrum ferentes. III, 1730. Terrere, et non docere, improba dominatio est. II, 322. Docendum est sine superbia et invidia. III, 18. Doctori sollicitissime cavendum superbiæ vitium. II, 1090. Ut cui facile subrepit elatio. II, 1090. Doctoris solatium. II, 1090. Non ut quod scimus doceamus, aliorum ignorantiam optare debemus. II, 1090.

Docet Deus aliter, aliter homo vel Angelus. X, 130. Homo doctor, exterior cultor arboris. III, 1610. Aures verborum sonus percutit, magister intus est. III, 2004. Docentis hominis vox aurem corporis ferit, Deus aurem animæ. IX, 697. Docet intus Christus; admonet homo. I, 1219, 1220. Christum intus magistrum habemus. III, 1557. Cathedram in cœlo habet, qui corda docet. III, 2004. Quomodo Deus doceat per gratiam. X, 368. Schola Dei Patris valde occulta. X, 970. Docere quando vult Deus, prius dat intellectum, sine quo ea quæ ad divinam doctrinam pertinent, homo non potest dicere. IV, 1548. Deus sic docet, ut scienda sciamus aperiendo veritatem; sic docet, ut facienda faciamus inspirando suavitatem. IV, 1549. Etsi gratia gratuita sit, doctrinæ exhortatio tamen est necessaria. X, 1025. Cur non omnes docet Pater ut ad Christum veniant. X, 971. Docibiles Dei sumus etiam cum homines audimus. II, 874. Et cum ea quæ ad veram pietatem pertinent discimus. VI, 161. Docibilis quis dicendus. IX, 195. Doctores sancti, filii Ecclesiæ discendo, patres docendo. X, 1406. Alia sunt, in quibus inter se aliquando etiam doctissimi atque optimi regulæ catholicæ defensores salva fidei compage non consonant, et alius alio de una re melius aliquid dicit et verius. X, 655. Doctorum sanctorum quatenus valere debeat auctoritas. II, 277, 339, 628, 873. De magistrorum Ecclesiarum sententiis sentit Hieronymus periculose judicari, et alterum alteri præferri. II, 904. Doctores dicti montes, etc. III, 1580.

Doctus vere et sapiens quisnam. III, 62. *Vide* Magister. Docti in Ecclesia, lapides sunt pretiosi. V, 225. Jacent in tenebris, si non sint in ornamento ejus Ecclesiæ. V, 225. Perdunt pretium, ubi non habent caritatem. V, 223. Docti quidam sibi non videntur, nisi labores alienos conentur conscindere. VI, 441. Doctos viros in quibusdam interdum falli cur Deus patiatur. IX, 129. Docti quidam malunt esse, quam justi. IV, 1505.

Doctrinarum duo genera apud Ethnicos. III, 50. Doctrina omnis vel rerum est vel signorum. III, 19. Doctrinarum multiplicitas, diluvium est aquarum. IV, 269, 270. Doctrinæ multæ vel superfluæ vel noxiæ, una utilis ac salubris. II, 1050.

Doctrinam reliquam iis facilem docebat Socrates, quibus persuasum esset, ut nihil mallent, quam se esse viros bonos. II, 1030. Doctrinæ sæculares, siliquæ quibus porci pascuntur. III, 1344. Doctrina salutaris, partim credendis, partim intelligendis rebus constat. VI, 496. Doctrina Christi præcipit humilitatem. V, 876; VI, 413. Morum corruptionem damnat. VII, 64, 74. Doctrina quomodo possit dici gratia. X, 367. Doctrina atque lex Dei quamvis sancta et justa et bona, tamen occidit, si non vivificet Spiritus. II, 985. Adjumenta doctrinæ tunc prosunt animæ adhibita per hominem, cum Deus operatur ut prosint. III, 104. Deus in cathedra unitatis posuit doctrinam veritatis. II, 403. Doctrina accepta, non amaro corde communicanda. V, 500. Doctrina aperta, melli; quæ vero de abstrusioribus sacramentis exprimitur, favo similis est. IV, 1566.

*Doech* interpretantur motus. IV, 601.

Dogmata sunt placita sectarum. III, 1326.

Domesticorum salus omni vigilantia procuranda. V, 581.

Dolor quid sit. III, 364. Dolor duplex, carnis scilicet et animæ. VII, 424. Dolorem in animo et in corpore quid facit. VIII, 557.

Dolor corporis quid. III, 132, 364. Dolor carnis, offensio est animæ ex carne, et quædam ab ejus passione dissensio. VII, 424, 711. Dolor ipse qui dicitur corporis, non potest esse sine anima. IV, 1110. Dolorem carnis non præcedit ullus quasi metus carnis. VII, 424. Inde perniciosus corporis dolor, quia id quod unum erat, discindere nititur. I, 1017. Dolor quem bestiæ sentiunt, indicat quod sint appetentes unitatis. I, 1305. Dolor carnis judicium est vitæ, non argumentum mortis. VII, 712. Dolorem carnis non semper sequitur interitus. VII, 710. Dolor carnis quare occidit. VII, 710.

Dolor animi. III, 132. Dolor animæ est dissensio ab his rebus quæ nobis nolentibus acciderunt. VII, 424. Tristitia nuncupatur. VII, 424. Dolorem animæ præcedit metus, qui non est in carne. VII, 424. Dolor et timor, duo tortores animæ, non simul torquentes, sed cruciatum alternantes. V, 687. Dolor et voluptas, duo incitamenta ad peccandum. V, 1286.

Dolor esse potest, ubi potest esse cupiditas. VII, 711. Quod non sine illiciente amore habuit homo, sine urente dolore non perdit. VII, 744. Dolor nonnisi in naturis bonis. VIII, 557. Dolor est testimonium boni adempti, et boni relicti. VII, 641. Sicut lætitia deserti boni, in peccato testis est malæ voluntatis; ita dolor amissi boni, in supplicio testis est naturæ bonæ. VII, 641. Animis non sunt nisi dolores extra Deum. I, 699.

Dolor alius est fructuosus, alius infructuosus. IV, 621. Dolor salutaris, quem secando medicus facit. IV, 1489. Dolor sectionis ferendus, ut sanemur. V, 1270. Dolorem medicinalem tolera, futuram cogitans sanitatem. IV, 1319. Dolor qui fit in cordibus piorum, quos persequuntur mores impiorum, prodest dolentibus, quare. VII, 614. Semper lenitur animi dolor. I, 698. Dolor de amissione rerum quibus fruendo homo lætabatur, ignis per quem salvus erit. VI, 153, 155, 216; VII, 744, 746. Dolor hujus vitæ transit, alterius vero non finietur. VII, 658. Ab illo robur patientiæ, ne dolore franganur; a quo accipimus victoriam concupiscentiæ, ne voluptate pertrahamur. IV, 1577. Imaginis Dei pœna est, conditioni pecorum in doloribus comparari. X, 1563. Convenientius injustus dolet in supplicio, quam lætatus est in delicto. VII, 641. Dolorem quisque magis fugit, quam appetit voluptatem. VI, 25. Omnino non dolere, immanitatis in animo, stuporis in corpore indicium est. VII, 413, 417. Interest utrum aliquid sanitate, an stupore non doleat. V, 1528. Dolores multi tolerarunt vitio, non virtute. V, 1254, 1287.

Dolus est cum aliud agitur, et aliud fingitur. III, 1446; IV, 86, 143; V, 45, 739, 1561. Dolum loqui, est aliud labiis promere, aliud pectore claudere. V, 123. Doli nomen positum pro figura. V, 45. Dolum numquam probat Deus, sed permittit. IV, 1400. Dolus potentis mali novaculæ comparatur. V, 421. Dolum pro dolore multi imperitiores latinitatis ponebant. III, 1446.

Dolositas est fraus quædam, in verbis aliud promendi, aliud sentiendi. IV, 581.

Dolosus non sequitur Christum. V, 603.

*Domiducus* deus. VII, 188.

Dominari aliis homo appetit. III, 27. Et hoc intolerabilis superbia est. III, 27. *Vide* Servitus. Dominandi cupiditas vitium primum, quod est propria potestate gaudere. V, 644. Dominandi libido a quo tempore maxime cœpit. VII, 90. Perniciosa est. VII, 90. Vastat corda mortalium. VII, 644. Magis debent patres quod dominantur, quam servi tolerare quod serviunt. VII, 644. Sicut prodest humilitas servientibus, ita nocet superbia dominantibus. VII, 644. Dominatio in Romanorum laudibus posita. VII, 155.

Dominicarius. II, 146.

Dominicum celebrare, et ad dominicum venire. V, 205, *et not.* (*b*). Dominicum et collectam agere. IX, 643.

Dominicus dies. V, 916. Resurrectione Domini cœpit habere festivitatem suam. II, 215. Dominicis diebus stantes oramus, et halleluia canimus, quo mysterio. II, 218. Utrum ubique stent orantes his diebus ignorat Aug. II, 220. In iis non sine scandalo quis jejunaret. II, 136, 143, 148, 150.

Dominicus filius. V, 1557.

Dominus Deus solus. III, 382. Deus ideo verus est dominus, qui servo non indiget, et quo servus indiget. II, 527. Dominus a Patribus in Angelis ipsius personam gerentibus adoratus. V, 65. *Vide* Deus.

Dominus quivis homo vocari potest, ob caritatis servitium. II, 94. Homines non valde veri domini, cum egeant servis. IV, 872. Domini quid servis debeant, et servi dominis. I, 1529. Dominum foris hominem noli timere: malum dominum in te time, cupiditatem tuam. IV, 163. Domini iniqui et difficiles tolerandi. IV, 736. Domini appellantur more epistolari in salutatione etiam non Christiani. X, 349. Dominus est rerum suarum, qui non est irretitus cupiditate. IV, 544.

Dominus vobiscum. VIII, 1049.

*Domitianus* crudelissimus. VII, 168, 614. Neronis maxima pars. IX, 323, 328.

*Domitius* deus. VII, 188.

Domitor ferarum homo, domitor hominum Deus. V, 575.

Domnædius dicitur dominus ædium. IV, 429, *not.* 3, IX, 316, *not.* 4.

*Domnio.* II, 100.

Domnus. V, 643, 967. Domne pauper. V, 113.

Domus, et fabrica dicitur et habitatores. V, 1503. Ponitur pro civitate. VII, 462. Pro cubiculo vel tentorio. III, 494. Domus et tabernaculum quo differant. IV, 202. Domus hinc marmorata mala, et domus fumigata bona. V, 929.

Domus Dei ipsi ejus habitores. V, 1477. Esto domus Dei, et erit domus tua. IV, 252. Domus orationum nostrarum Ecclesia, domus Dei nos ipsi. V, 1471. Hæc domus quomodo ædificetur. V, 1471. Domus Dei cantando ædificatur, credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur, in fine sæculi dedicatur. V, 178, 1471, 1476. Domus Dei Ecclesia, præter quam non exaudit Deus ad vitam æternam. IV, 478, 1721. In domum tuam, ut inhabites, intras; in domum Dei, ut inhabiteris. IV, 1721. Omnes fideles et Angeli unam domum Dei faciunt et unam civitatem. IV, 1668, 1669. Ad domum Dei pertinet, qui est in caritate, compaginatus lapidibus vivis. IV, 1721. Domus Dei adhuc ædificatur, multas gentes crescendo occupavit, omnes occupatura est. IV, 1228. Domus Dei decorem diligere quid sit. V. 116.

*Donatianus* primas provinciæ Bizacenæ. II, 759, 780, 891.

*Donatianus* episcopus Donatista. IX, 326, 553.

*Donatianus* Maximianista. IV, 376.

*Donatus* proconsul Africæ. II, 566.

*Donatus* exproconsul. II, 427, 428.

*Donatus* qui cum fratre Monasterium sponte deseruit et renitente Augustino. II, 228.

*Donatus* diaconus rebaptizatus. II, 556.

*Donatus* unus Patrum concilii Zertensis: II, 577.

*Donatus.* VI, 714.

*Donatus.* V, 1587. Donati falsum miraculum. III, 1501.

*Donati* duo, alter Casensis, alter Carthaginensis. IX, 646, 662. *Vide infra.* Donatus Casensis Nigrensis auctor schismatis. II, 813. Et princeps hæresis Donatistarum. VIII, 43. Donatus aliquando doctrinæ seu eloquii ratione lapis pretiosus. V, 223. Superbia elatus, fecit sibi partem. V, 279.

*Donatus* episcopus Donatista. IX, 528, 529, 555.

*Donatus* Bagaiensis schismaticus. II, 175, *not.* Pseudomartyr Donatistarum. III, 1485.

*Donatus* Belmensis ep. IV, 381.

*Donatus* Carthaginensis schismaticus. II, 175.

*Donatus* Cebresitanus ep. IV, 380.

*Donatus* a Cibaliana. IX, 252.

*Donatus* Fiscianensis ep. IV, 380.

*Donatus* Maccomadiensis ex Donatista episcopo apud Catholicos episcopus. IX, 475.

*Donatus* Masculinatus traditor. IX, 511, 612. *App.* 775. Schismaticus. II, 197.

*Donatus* Mutugennensis villæ presbyter. II, 756. Summam illius in schismate pertinacium vincere conatur August. II, 754.

*Donatus* Sabratensis ep. IV, 381; IX, 507, 528, 550.

*Donatus* Samurdatensis ep. IV, 381.

*Donatus* episcopus Donatista in loco Turrensi. IX, 648.

*Donatus* Urbanus. IX, 510.

*Donatus* (a quo Donatistarum schisma.) IV, 134, 177, 347, 1925; VI, 201. Donati duo ejusdem schismatis; primus a quo incipit, episcopus Casensis Nigrensis in Numidia, alter post Majorinum secundus partis Donati Carthaginensis episcopus. I, 617, 618, *et not.* (*a*). Ab eo vocari Donatistas quidam volunt. VIII, 45. Donatistæ a Donato Carthaginis, aut a Donato Casensi sic appellati. IX, 468. Donati pars in Africa. V, 49, 55, 268, 280, 288, 291. Nata est de Numidia. V, 293. Primo apud Carthaginem pars Majorini dicebatur. II, 302. Donati pars nata est auctore Secundo Tigisitano hæretico. V, 293. Donatistarum velut principes, Donatus, Majorinus, Parmenianus. IX, 96. Donati partis schismatis auctores superbi. V, 304.

*Donatus* a Casis nigris altare contra altare primus erexit. IX, 468. Extra Ecclesiam primus sacrificavit. IX, 469 Convictus est Romæ, adhuc diacono Cæciliano, schisma fecisse Carthagine. IX, 637, 642. Carthaginis hæresim maxime roborasse perhibetur. IX, 468, 469. Donatum præ ceteris prædicant Donatistæ. IX, 664. Eum ecclesiæ Carthaginis ornamentum et martyrialis gloriæ virum appellant. IX, 664. Ejus eloquentiam multum laudant. IX, 448 Donatus mirabilia fecisse prædicatur. IX, 428. Per canos Donati jurare solebant Donatistæ. IV. 134. Eidem apertissimis vocibus dicebant, Euge, Euge dux bone, dux præclare. IV, 870. Donatus an princeps Tyri intelligendus. IX, 425, *not.* 3. Donatistarum loca præcipua Bagai et Thamugade. IV, 177.

Donatistæ. Concilium habetur in domo Urbani Donati. II, 197. Sive Urbani Carisi apud Cirtam civitatem. IX, *App.* 774. Ab undecim aut duodecim factiosis episcopis, quibus præest Secundus Tigisitanus primas Numidiæ. II, 161. Hic traditores præsentes et confessos, Deos judicandos relinquit, et in sedibus episcopalibus manere permittit. II, 161, 162, 164; IX, *App.* 775. Maxime Donatum Masculitanum, Marinum ab Aquis Tibilitanis, Donatum Calamensem. II, 197. Per sententias præsentium damnavit absentes. II, 161, 162, 164, 264. Suspicionem traditionis satis probabilem sibi metuebat Secundus Tigisitanus. II, 162, 164. Ab illo Silvanus ordinatur Cirtensis episcopus. II, 197. Mensurius cum apud Imperatorem ob occultatum apud se diaconum causam dixisset, jussus reverti, ad Carthaginem pervenire non potuit. IX, *App.* 775. Libertate Christianis a Maxentio restituta, Botrus et Celesius apud Carthaginem ordinari cupientes, ordinationem absentibus Numidis celebrari curarunt a solis vicinis episcopis. IX, *App.* 775. Cæcilianus totius populi suffragio eligitur; et Felice Autumnitano manus ei imponente ordinatur episcopus. IX, *App.* 775. Ambitores de spe sua dejecti, Lucilla, et seniores quibus pecuniam Mensurius crediderat, causas confingunt contra Cæcilianum, ut vitiosa ejus ordinatio diceretur. IX, *App.* 776. Vocati sunt Numidæ episcopi traditores, qui apud Cirtam celebraverant concilium. IX, *App.* 776. Concilium deinde alterum perversum atque nefarium colligitur apud Carthaginem. II, 160, 163, 164. Convenerunt septuaginta episcopi schismatici. II, 160, 166, 579; IX, 426, 639, 640, 684. Et traditores. II, 164; IX, 511. Adversus Cæcilianum. II, 172. Præsidet Secundus Tigisitanus primas. II, 166; IX, 519. Concilium istud conflavit Lucilla. II, 172. Mulier Hispana. IX, 395. Pecuniosissima. II, 167; IX, 37. Et factiosissima. II, 167; IX, 37. Quam pro Ecclesiæ disciplina Cæcilianus adhuc diaconus læserat. II, 167, 172; IX, 37. 426; *App.* 775. Lucilla corrumpebat animos episcoporum pecunia, ut testatur Nundinarius diaconus in gestis apud Zenophilum consularem. II, 167, 168; IX, 426; *App.* 798. Et Cæciliani damnationem emebat. IX, 426, 445. Quadringentos folles dedit. IX, 513; *App.* 798, 799. Episcopi qui Concilio huic adsunt, empti et instigati damnationem ægre etiam ferentes quod non ipsi ordinaverant Carthagine episcopum. II, 168; IX, 26. Cæcilianus adire noluit hospitium collegarum. II, 164. Eos contra veritatem suæ causæ ab inimicis suis perversos esse sentiebat. II, 163, 168. Et suspectos semper habuit. II, 163, 165, 168. Causam suam integram reservavit ecclesiis transmarinis. II, 164, 167, 168. Ad Numidas episcopos mandavit, ut si est quod in se probetur, exeat accusator et probet, paratum se asserens iterum ordinari, si nihil in illum Felix contulisset. IX, *App.* 776. Numidæ episcopi non communicant Cæciliano. IX, *App.* 776. Nihil tunc in Cæcilianum ab inimicis confictum est : sed de ordinatore, quem falso traditorem dicebant, infamatus est. IX, *App.* 776. Concilium Cæcilianum innocentem et absentem damnavi, quod ad eos venire noluerit; tamquam a traditoribus ordinatus, et quia cum esset diaconus, victum afferri martyribus in custodia constitutis prohibuisse dicebatur. II, 161, 162, 163, 166; IX, 659. Non servata est solita judiciorum forma. IX, 26, 57. Schismatici dederant interventorem populo suæ communionis. II, 177. Cæcilianus deponitur, et alter ordinatur. IX, 37. Instante Lucilla odiis accensa furiosis. IX, 512. Majorinum contra Cæcilianum levaverunt. II, 161. Et ordinaverunt. IX, 469, 553. Majorinus lector in diaconio Cæciliani fuerat, domesticus Lucillæ. IX, *App.* 776.

Donati pars adversus Ecclesiam catholicam exorta est de Carthaginis schismate. IX, 637. Per totam Africam, fertur traditores apud Carthaginem fuisse damnatos. II, 164. Donatistæ Catholicis traditionis crimen objiciunt. II, 264, 396, 403, 578, 588. Falsas indulgentias Imperatorum pro schismate vulgarunt. II, 398. Cum Cæciliano permanet communio orbis terrarum. II, 168. Cæciliano ter mille folles numerari curavit Constantinus per Ursum Rationalem Africæ. IX, *App.* 777. Et monet ut si quid pecuniæ opus habet, ab Heraclida procuratore prædiorum suorum petat. IX, *App.* 777. Constantinus Anulino proconsuli, et Patricio Vicario Præfectorum curam mandat compescendi eos, qui, uti accepit, Ecclesiæ catholicæ populum corrumpunt. IX, *App.* 777. Clericos ab omnibus functionibus publicis facit immunes. IX, *App.* 777.

Donatistarum quidam, adunata secum populi multitudine, Cæciliano contradicendum putarunt. IX, *App.* 778. Ad Imperatorem causam Cæciliani deferunt. II, 302, 310, 327, 329, 331, 392, 580, 794. Per Anulinum proconsulem ea quæ Cæciliano objiciebant crimina accusando miserunt. II, 302; IX, 554, 555, 610, 626, 627, 651, 656, 640, 679, 695, 739. Libellos duos offerunt dirigendos ad Constantinum. IX, *App.* 778. Preces episcoporum partis Majorini ad Constantinum Imperatorem. IX, *App.* 778. Non audet Imperator de causa episcopi judicare. II, 399. Donatistæ cum Cæciliano causam agere *ad duas* apud ecclesias transmarinas eligunt. II, 169. Ab Imperatore petunt judices. II, 161; IX, 27. Ex Gallia. II, 198. Consensit Imperator. IX, 27, 40. Et Miltiadi scribit ut Romæ habeatur concilium. IX, *App.* 778. Cogitur concilium Romæ. II, 166, 399; IX, 27. In domo Faustæ in Laterano, Constantino ter et Licinio ter coss. sexto Nonas Octobres die, sexta feria. IX, *App.* 779. Nomina episcoporum qui concilio interfuerunt. IX, *App.* 778, 779. Huic Melchiades Romanus episcopus præfuit. II, 161, 399; IX, 40. Constantinus denos ex utraque parte episcopos, ad agendam causam, navigare Romam jubet. IX, 637, *App.* 778. Rescribit Anulinus utrosque convenisse, et se missuros episcopos promisisse. IX, 637. Donatus Carthaginensis ad episcopale judicium Melchiadis contra Cæcilianum missus est. IX, 662. Cum Cæciliano causam agens nihil probat. Cæciliani causa jussu imperatoris Constantini discussa Romæ in episcopali judicio Melchiadis Romani episcopi, et aliorum Gallorum et Italorum episcoporum. IX, 637. Profertur libellus. II, 167. Donatistæ nihil probare possunt adversus Cæcilianum. II, 161, 166, 167. Donatus a Casis nigris in præsenti convictus est, adhuc diacono Cæciliano schisma fecisse Carthagine. IX, 647. Donatus præsens damnatus est. II, 399; IX, 637, 642. Quare sententia percussus. IX, *App.* 779. Cæcilianus innocens pronuntiatur, et in episcopatu confirmatur. II, 167, 399. Cæcilianus apud Carthaginem Secundi Tigisitani judicio absens damnatus, Melchiadis postea judicio in Romano concilio præsens absolutus est. IX, 779, 519, 645, 661; *App.* 779. Miltiadis sententia. IX, *App.* 779. Eunomius et Olympius episcopi in Africam missi declarant ubi sit Catholica, et sententiam pro Cæciliano dictam corroborant. IX, *App.* 779. Seditiosa Donati pars fieri non passa est, et de studio partium strepitus quotidiani sunt habiti. IX, *App.* 780. Felicem Aptungitanum Cæciliani ordinatorem traducunt traditorem apud Constantinum. II, 400. Purgato in urbe Cæciliano, Felix in Africa purgari jubetur. IX, 594, *Retr.* 610; *App.* 780. Felix a traditionis crimine absolutus Æliani proconsulis judicio. II, 162, 164, 400, 492, 582; IX, 532. Falsum se fecisse adversus Felicem Ingentius confitetur. II, 582. Gesta proconsularia quibus absolutus est Felix. IX, *App.* 780.

Donatus petiit ut ei reverti licuisset, et nec ad Carthaginem accederet. IX, *App.* 779. Filumino suffragatore ejus, Imperatori suggestum est, ut bono pacis Cæcilianus Brixiæ retineretur. IX, *App.* 780. Cæcilianum majoribus suis accusantibus judicio Imperatoris damnatum esse ut Brixiæ in exsilio degeret, contendebant Donatistæ. IX, 539, 541, 664, 666, 684, 695. Hoc falsum esse convicerunt Catholici. IX, 539, 541, 664, 666, 684, 695. Cæcilianus non damnatus est, sed Brixiæ bono pacis retentus est. IX, 685. Donatus ultro prior Carthaginem rediit. IX, *App.* 780. Hoc audito Cæcilianus ad suam plebem properavit, et sic renovellatæ sunt partes. IX, *App.* 780.

Donatus appellandum esse ab episcopis credit. IX, *App.* 779. Donatistæ datis sibi a Constantino judicibus episcopis non consentiunt. IX, 426. Quare. IX, *App.* 785. Eos postmodum apud Constantinum tamquam iniquos judices accusant. II, 169, 264, 303, 399; IX, 426. Non ausus est Christianus Imperator sic eorum tumultuosas et fallaces querelas suspicere, ut de judicio episcoporum qui Romæ sederant, ipse judicaret. II, 169. Alios episcopos dedit. II, 169.

Dulcedo nominis Dei longe præponenda dulcedini sæculi. IV, 612. Dulcedo fallax, quæ. VI, 104. Dulcedinem nominis Dei soli norunt, qui gustarunt. IV, 612. Hortatio ad gustandam dulcedinem Dei. VI, 296. Dulcedo Dei absconditur timentibus, revelatur sperantibus. V, 791, 794. Dulcedinem amoris abscondit Deus iis quibus utilis est timor. IV, 229. Dulcedo hujus vitæ est muscipula, qua incauti capiuntur. IV, 1647, 1648.

Dulcis est voluptas, sed dulcior Deus. V, 1286. Quamdiu blanditur iniquitas et dulcis est iniquitas, amara est veritas V, 850. Dulcia si sunt in sæculo, cum amaritudine digeruntur. IV, 612. Dulcedo peccati perniciosa per amaritudines tribulationis digeratur. V, 1.

*Dulcitius* tribunus et notarius. VI, 147, 148; IX, 705, *Retr.* 706, 707. In Africa legum Imperialium exsecutor adversus Donatistas. I, 654; II, 939. Institui ab Augustino, cupit qui cum Donatistis se gerat. II, 939. Primum edicto eos apud Thamugadem admonet. II, 939. Hoc edictum altero explicat. II, 939. Scribit ad Gaudentium Donatistarum episcopum Thamugadensem. I, 654. Honorificentius eum tractat quam decebat hæreticum. II, 939. Rescripta Gaudentii Augustino mittit refellenda. I, 654.

Duodenarius numerus pro universitate ponitur. VII, 665. Duodenarius numerus perfectus est. IV, 715. Duodenarius numerus consecratus. III, 1621. Duodenarii numeri Apostolorum, sacramentum magnum. IV, 1105.

Duplex cor mentientis. V, 739.

Dura Dominus jussit, sed magna promisit. V, 120. Quæ dura sunt laborantibus, eisdem iis mitescunt amantibus. V, 444.

Duritia peccatorum in pœnitentiæ lacrymas solvitur a facie Dei, sicut fluit cera a facie ignis. IV, 814. Durissimi licet sint inter prædestinatos, et quasi crystallum facti, duri tamen non sunt misericordiæ Dei. IV, 1955.

*Dusii* dæmones quidam, sic a Gallis nuncupati. VII, 468.

Duumviralitius. VI, 602.

# E.

*Ebionæi* hæretici. VIII, 27.

Ebrietas sancta. V, 1098. Ejus effectus. IV, 331, 955, 1369. Ebrietas mentis sobria, et laudabilis. VI, 296. Ebrietas spiritalis. V, 160. Ebrii Martyres ad passionem ducebantur. IV. 332, 955.

Ebrietas peccatum. X, 159. Ebrietatis peccatum consuetudine viluit, et contemnitur. V, 125. Ebriositatem non solum sine honore nominare, sed et cum hilaritate prædicare populi jam consueverunt. IX, 171. Ebrio nihil insanius. IV, 1370. Ebrietatis et malæ consuetudinis pugna. V, 816. Ebrietas cavenda. V, 1098. Lex æterna eam condemnat. VIII, 426. Ebrietas frequens tempore Augustini. II, 345. Etiam inter ministros Christi. II, 344. Ebrietates in honorem SS. Martyrum quotidie celebrari solitas luget Augustinus. II, 91. Calicibus Martyres persequuntur, qui in eorum solemnitatibus inebriantur. IV, 723. Ebrietatem carpit Augustinus. II, 116. Ebrietates in solemnitate S. Leontii de Ecclesia pulsæ per Augustinum, non sine ipsius periculo. V, 1174. Ebrietates in solemnitatibus martyrum usitatæ, in omnibus aut prope omnibus transmarinis ecclesiis desieruut. II, 91. Ebrietates suas Donatistæ, ad psalmorum canticum, quasi ad tubas inflammant. II, 221. Ebrietas pro saturitate frequenter in Scriptura. III, 586.

Ebriosum inter et ebrium plurimum interest. VIII, 427.

Ecbola. IX, 639, 640.

Ecclesiæ varia nomina. IX, 241. Ecclesia ex vocatione appellata. III, 2089. Tota instituta est ad colendum unum Deum. VI, 259.

Ecclesiæ antiquitas. IX, 122, 123. Ecclesia primitus in cœlo. III, 335. Ecclesia in II Geneseos cap. prænuntiata. VIII, 258. Et in arca diluvii. VI, 334, 346. In benedictione Abrahæ promissa. VI, 174. Ecclesia est verum Abrahæ semen. III, 789. Prædictiones Prophetarum de Ecclesia. VII, 584; VIII, 289. Ecclesia in ipsis etiam promissionibus jam tunc figurata et prophetata, præscientiam parturiit sanctorum. VIII, 305. Prophetiæ de illa impletæ. VI, 175.

Ecclesia mundus reconciliatus. V, 588. Corpus Christi. III, 25; V, 266. Ipse illius est caput. V, 755. Unum est corpus magnum, unius capitis magni. II, 584. Una domus. II, 581. Ecclesia et Christus caput et corpus, unus homo. et unus Christus. IV, 161, 252, 250, 453, 629, 662, 693, 695, 725, 750, 761, 866, 948, 1082, 1156, 1679, 1784, 1785, 1817, 1819, 1846; V, 571, 754; VII, 552; VIII, 896; X, 145.

Ecclesia in Christo etiam a Verbo suscepta est. IV, 77. Verbum ipsum non est pars Ecclesiæ, sed ut ejus caput, factum est caro. IV, 1942. Ecclesia carni Christi adjungitur, et fit Christus totus, caput et corpus. III, 1979. Ecclesia corpus Christi est, et templum, et domus, et civitas; cujus caput, et habitator, et sanctificator, et rex Christus est. IV, 1717. Ecclesia catholica sola est corpus Christi. II, 815. In corpore Christi quid caput, quid barba, quid ora vestimenti. IX, 341.

Christi et Ecclesiæ aliquando una persona intimatur. III, 82. Christus ex persona Ecclesiæ sæpe loquitur. II, 545. Ecclesiæ et Christi vox una. V, 722. Ecclesia in Christo, et Christus in Ecclesia patiebatur. II, 545.

Ecclesia Christi conjux. III, 25; IV, 1672, 1684, 1784. Sponsa Christi. V, 565, 991, 1235. Christo est sponsa in occulto. VIII, 425. Ecclesia sponsa Christi matrem Synagogam reliquit, ut ei adhæreret. V, 570. Ecclesia nurus Synagogæ. IV, 501. Ecclesiæ nuptiæ celebrantur. III, 1990, 2013. Christi et Ecclesiæ matrimonium magna caritate compaginatur. IV, 1140. Ecclesiæ matrimonium cum Deo arctissimum est; nemo offendit unum, et alterum promeretur. IV, 1140. Ecclesiæ tabulæ Matrimoniales. VI, 668. Ecclesia a Deo cui nubit dotata, ab illo decorata, ab illo redempta, ab illo sanata. IV, 510. Sanguine Christi dotata. V, 1331; VI, 645, 668. Ecclesia promissionem vitæ æternæ adamavit in muneribus sponsi sui. VIII, 305. Ecclesiam ut fundaret Christus, induit decorem ad eos quibus placebat, et fortitudinem ad eos quibus displicebat. IV, 1182, 1185. Ecclesiam amavit Christus dum adhuc fœda esset; evertit fœditatem, formavit pulchritudinem. IV, 495. Eam pulchram fecit Christi fœditas. VI, 690. Ecclesia decabatur et decoratur. VI, 289, 290. Ecclesiæ pulchritudo a Christi passione velut ex radice processit. V, 258. Si miraris Christi humilitatem propter Ecclesiam, noli jam mirari Ecclesiæ celsitudinem propter Christum IV, 1540. Quidquid habet sponsa unde Christo placeat, ab illo habet. IV, 510. Ecclesiæ rector, sponsus et redemptor Christus. IV, 1784.

Ecclesia de sponso nascitur. VI, 645. De latere Christi. III, 216, 1513; V, 55. Ecclesia nubit quando sponsus moritur. VI, 645. Ecclesiæ formationem mystice significabat mulieris formatio. III, 407, 1463; IV, 564, 1784. Ecclesiæ velut uterus, fons baptismi. V, 379. Ecclesiæ nidus de ligno crucis Christi. IV, 1300. Ecclesiæ unitatis societas cur tam quam proprium est opus Spiritus sancti. V, 463. Ecclesiæ hoc Spiritus sanctus est, quod nostro corpori anima. V, 1231. Qui Spiritum sanctum in Ecclesia esse negant, similes Pharisæis qui negabant esse in Christo. V, 448. Ecclesia tota una vidua. IV, 1726. Ecclesia vidua est absente sponso. IV, 1897. Ecclesia de patre soror Christi. VIII, 425. Ecclesia Christi soror de sanguine ejus, proxima de accessu, columba de spiritu, perfecta de sermone. III, 1791. Ecclesia mater nostra. IV, 1140, 1141. Ecclesia dicitur filia propter successionem, mater propter prælationem. IV, 1773. Ecclesia Christi uxor, et mater et filii, et fratres et sorores. IV, 1684, 1685. Non habebit Deum patrem, qui Ecclesiam noluerit habere matrem. VI, 668. Ecclesia sibi est et mater et filii. III, 1327. Ecclesia mater est, et ubera ejus duo Testamenta. III, 1998. Ecclesia diligenda ut mater. V, 1512. Amemus Deum sicut patrem, Ecclesiam sicut matrem. IV, 1140. Ad Ecclesiæ amorem adhortatio. VI, 692.

Ecclesiæ sollicitudo pro filiis. VI, 692. Ecclesia puellæ sibi commendatæ quantam curam debeat. II, 1069. Ecclesiæ mansuetudo erga eos qui primum delusi, postea correcti sunt. II, 337. Ecclesia Christi sponsa et virgo fecunda. VI, 645. Ecclesia virgo appellata est. III, 859, 1498. Ecclesia tota virgo dicitur. IV, 1920; VI, 458. Tota una virgo. IV, 1920. Ecclesiæ omnes gradus, una virgo est. III, 1499. Ecclesiæ virginitas in quo sita. V, 1005, 1012. Tota in castitate atque integritate cordis debet virgo esse. IV, 570. Inventa meretrix, et facta virgo. V, 1033. Virgo est in hoc sæculo, nubet in futuro. VI, 47, 48. Et virgo est, et mater. V, 768, 1005, 1010, 1012, 1018, 1063. Perinde ac Maria. VI, 397. In omni terra fecundatur, quando Christus super cœlos exaltatur. VI, 645. Ecclesia appellatur tamquam sterilis quæ non pariebat. III, 1064. Ecclesia sine corruptione fecunda, virgo, mater. VIII, 305. Quotidie parit, et virgo est. VI, 249. Ecclesiæ pariunt per Evangelium. III, 880. Cum dolore. III, 880.

Ecclesiæ firmamenta et columnæ sunt apostoli. II, 553. Sunt ejus ossa et fortitudo. IV, 175, 1297. Fundamenta et portæ, sicut et Prophetæ. IV, 1165. Ecclesiæ filiæ Apostolorum, filiæ regum sunt. IV, 508. Ecclesiæ cœlestis stabilitas. VI, 259. Ecclesiæ virtus, dilectio ejus. IV, 1628. Ecclesiæ fundamentum et caput Christus. V, 1615. Ecclesiæ fundamentum sursum in cœlo, et quare. IV, 225, 1105. Ec-

clesia non super homines, sed super Christum ædificata. V, 479. In Ecclesia vera et salubris est, et quodammodo germana atque radicalis Christiana societas. VIII, 289.

Ecclesia ex omnibus gentibus congreganda prædicitur. VII, 585, 586, 592, 593. Congregatur ex omnibus ætatibus. III, 821. Humilitate, non potestate initio congregata est. II, 757. Christus ostium Ecclesiæ. III, 1721, 1726. In Ecclesiam quem ob finem intrandum. III, 2013. Quatenus ad Ecclesiam vel veniunt Pagani, vel redeunt hæretici. IX, 478. In Ecclesiam intratur per humilitatem. III, 1721. Ecclesia per humilitatem præsentem, futuram comparat celsitudinem. VII, 611. In quantum culmen erecta est. V, 314. Ecclesia Christi cruce exaltatur. VI, 688.

Ecclesiæ doctrina et fides. I, 1536; III, 128. Ecclesia docet quod credidit, non quod novit. V, 1613. Ecclesia catholica venientibus præcipit fidem, hæretici promittunt rationem. VIII, 19. In Ecclesia catholica plebem non intelligendi vivacitas, sed credendi simplicitas tutissimam facit. VIII, 175.

Ecclesia esurit quos lucrari vult. IV, 242. In Ecclesiæ corpus nemo intrat, nisi prius occisus. IV, 1642. Ecclesia quodammodo manducat, quos per sanctos suos in corpus suum trajicit. IV, 242.

Ecclesia una, vera, catholica. V, 49. Ecclesia sursum in Angelis, deorsum in omnibus fidelibus. IV, 1776; VI, 260, 261. Ecclesia ex parte peregrina, ex magna parte manens in cœlo. IV, 1952. Una tamen Ecclesia. V, 1500. Una est vinculis caritatis. VI, 259. Ecclesia in sanctis Angelis beata, suæ parti peregrinanti opitulatur. VI, 258.

Ecclesia una ex Judæis et Gentibus. V, 757; VI, 341. Ex præputio et circumcisione congregata. IV, 534, 1011, 1012. Ecclesia Christi ibi plantata est, unde eradicatæ sunt spinæ Synagogæ. IV, 462. Ecclesiam inter et synagogam differentia ex nominis notione. IV, 1047. Ecclesia Gentium proselyta, adventitia ad patres, non de carne eorum nata, sed imitatione filia. IV, 1896. Ecclesia etiam ante Christi adventum erat in Sanctis. V, 38. Ecclesiæ membra erant sancti qui Christum præcesserunt. VI, 313, 335.

Ecclesia est una. IX, 391. Ecclesia unica, non utique nisi una catholica. II, 556; V, 447. Ecclesiam vocat Christus unicam suam. II, 555; IV, 176. Ecclesia una et multiplex, quomodo. IV, 1857, 1961. Ecclesiæ multæ quidem inveniuntur dictæ in Scripturis, sed illius unica membra esse intelliguntur. IX, 415, 635. Ex omnibus filiis regum fit una quædam regina. IV, 509. Ecclesiæ particulares dicuntur insulæ. IV, 1240. Linguis omnium Gentium loquimur in Ecclesiæ unitate. III, 1645. Ecclesia unitas est. IV, 1509.

Ecclesiæ unitas commendatur. III, 1432, 1433, 1489; IV, 513, 538, 889; V, 693, 1076, 1224, 1233, 1586, 1587, 1593. Christus Ecclesiam nodo unitatis et caritatis tamquam sanitatis adstringit. III, 25. Ecclesia unitatis compage fit salva. IX, 341. Unitas sic ungitur, sicut uncti sunt sacerdotes. IX, 341. Ii sunt in unitate corporis Christi, qui sunt in pace Christi: ii autem sunt in pace Christi, qui sunt bonæ voluntatis. IX, 160. Hæretici, Judæi et Pagani unitatem fecerunt contra unitatem. V, 423. Ecclesiæ pax dimittit peccata. IX, 146, 147, 150. Pax ista non est in malis, sive intra sive extra Ecclesiam sint. IX, 150. Per caritatem membra sibi invicem, et capiti cohærent. IX, 592. Ecclesiam constare unanimis et concordibus docuit Cyprianus, et testimonio Prophetico, et significatione sacramentorum. IX, 240. Orationes sanctorum qui sunt in Ecclesia quantum prosint. IX, 149.

Ecclesiæ mœrorem de amissis filiis consolatur perfectio unitatis. II, 940. Ecclesiæ catholicæ unitas dono linguarum significata. V, 534, 1225. Unus qui sanabatur in piscina unitatem Ecclesiæ figurabat. IV, 889, 1733; V, 693. Sicut et Petro oves a Christo commendatæ. V, 1350. Omnia clamant pro unitate. IV, 1925.

Ecclesia illa unica columba ex solis sanctis perficitur. IX, 219. Ad eam non pertinent hæretici, neque schismatici. VI, 193. Christum caput habere non potest, nisi qui in ejus corpore, hoc est in Ecclesia fuerit. IX, 429. Qui hæretice sentiens, de Ecclesia alicujus sæcularis emolumenti causa exire noluerit, tanto sceleratius ab ea separatus habendus est, quanto magis errori et divisioni fallaciam simulationis adjungit. IX, 169. Extra Ecclesiam sunt qui vel de capite Christo, vel de corpore ejus, a Christi testificatione dissentiunt. IX, 395. Multi, qui extra Ecclesiam sunt et appellantur hæretici, multis et bonis Catholicis meliores sunt secundum Dei præscientiam. IX, 156. De Ecclesia omnes hæreses exierunt, tamquam sarmenta inutilia de vite præcisa. VI, 635.

Ecclesia per hæreticos tamquam civilibus bellis quatitur. IV, 1425. Si tua impatientia concusseris latera matris Ecclesiæ, cum dolore quidem te exeutit foras; sed magis malo tuo, quam suo. IV, 678. Ecclesia, sicuti Rebecca, parturiens, discernuntur quos geminos prægnans pertulit. IV, 1673. Ecclesiam cur Deus turbari sinat. V, 1496. Ecclesia turbatur separatione schismaticorum et hæreticorum. III, 1799. Ecclesiæ membra nonnulla seu frumenta, prævalentibus hæresum et schismatum seditionibus, obumbrata sunt. IX, 443. Ecclesia temporales aliquando in suis frumentis patitur tempestates, ut in quibusdam locis non cognoscantur; sed tamen etiam illic latent. IX, 443. Ecclesia quædam conculcata. IX, 444. Quædam omnino præcisa. IX, 444. Boni ab Ecclesia per seditiosos expulsi, ut se gerere debent. III, 128. Ecclesia omnibus errantibus utitur ad provectus suos. III, 127. Quid in Ecclesia detinere debet Christianum. VIII, 175. Parvuli in nido Ecclesiæ plumescunt, et alas caritatis alimento sanæ fidei nutriunt. I, 706.

Ecclesia interior est, et exterior. IV, 512. Ad Ecclesiam non solum non pertinent schismatici, sed etiam perversi. IX, 117. Multi qui videntur foris, intus sunt; multi qui videntur intus, foris sunt. IV, 1428; IX, 196. In Ecclesia multi qui ad eam non pertinent. IX, 155, 156. In Ecclesia non est dicendus, qui ovibus Christi corporali tantum commixtione miscetur. V, 462. Ecclesiæ paleæ separatæ, et paleæ interiores. IX, 538. An pejores sunt exteriores quam interiores mali, magna quæstio. IX, 163. Ecclesiæ quamdiu quis cohæret, non desperatæ sanitatis est; secus qui præcisus est. V, 754. Intra Ecclesiam falsi Christiani, et inter impios Ecclesiæ filii. VII, 45. Non omnes qui sunt in Ecclesia regnant cum Christo. VII, 673. Ad Ecclesiam non pertinent mali. III, 1431, 1433; IX, 160, 189, 195, 199. Non pertinent avari, et cæteri mali. IX, 149, 150, 155, 156. Mali etsi corporaliter in Ecclesia, spiritaliter foris sunt. IX, 207. Ab Ecclesia ceciderunt aperta et corporali separatione hæretici, occulta vero et spiritali, mali. III, 442. Etsi non rebaptizantur Donatistæ dum ad Ecclesiam transeunt, non tamen suscipiuntur tales, quales sunt. II, 940. Ab illius Ecclesiæ, quæ sine macula et ruga est, unitate semper divisus est, etiam qui congregationi sanctorum in carnali obduratione miscetur. IX, 125, 124.

Ecclesia in iis est qui ædificant supra petram, non vero in iis qui ædificant supra arenam. IX, 436, 437, 440. Extra petram sunt, qui audiunt verba Christi, et non faciunt. IX, 228. Ad Ecclesiam pertinent omnes fideles qui fuerunt, qui sunt, aut qui futuri sunt. IV, 749. Prædestinati dividi nullo modo possunt ab Ecclesia. IX, 491. Nec ab ea sunt exclusi aut separati pœnitentes. IV, 1295. Ab Ecclesia separati, quamdiu contra illum sentiunt, boni esse non possunt. II, 952. Extra illam necesse est in æternum schismatici moriantur. V, 1596. Extra illam non oves Christi, sed hœdi pascuntur a schismaticis. V, 1296. Extra illam exsistens nec audit, nec videt; et qui in illa est, nec surdus, nec cæcus est. IV, 558. In ventre Ecclesiæ veritas manet: quisquis inde separatus fuerit, necesse est ut falsa loquatur. IV, 678. Ab ea præcisi frustra de forma gloriantur. V, 1232. Et foris fiunt aliqua in nomine Christi, non contra Ecclesiam; et intus ex parte diaboli contra Ecclesiam. IX, 164. Et accidere potest ut boni aliquid inutile doceant salva caritate; et mali aliquid salubre sine caritate. IX, 164. Opera bona, quæ præter Ecclesiam fiunt, inutilia sunt. IV, 1060. Extra Ecclesiæ unitatem non prodest quidquid operantur hæretici. IX, 54. Nihil prodest virginitatem servare. II, 952. Aut mori pro Christi nomine. II, 410. Martyres non nisi in Ecclesiæ unitate honorandi. V, 1295. Spiritus sanctus, tamquam anima corporis Ecclesiæ, extra eam non habetur. V, 461, 1221, 1231, 1232. Nec remissio peccatorum. V, 465. Extra eam nemo exauditur ad æternam salutem. IV, 478, 1270, 1721. Quidquid boni haberi potest in orationibus, et eleemosynis, non posse extra Ecclesiam prodesse probatur exemplo Cornelii. IX, 115. De hominibus quidem dici potest, quod extra unitatem Ecclesiæ Deus non habet aliquem suorum, non de sacramentis. IX, 162. Extra Ecclesiam catholicam totum potest haberi præter salutem. IX, 170, 695. Præter caritatem. IX, 476. Orationes sanctorum qui sunt in Ecclesia, quantum prosint. IX, 149. Quosnam adjuvent, vel non. IX, 149.

Ecclesia sancta catholica quæ. V, 1053, 1071; VIII, 78. Unde catholica dicitur. III, 221. Ecclesia hinc catholica dicitur, quod toto orbe diffundatur. II, 194. Ecclesia catholica non est, nisi ea quæ orbe terrarum diffunditur. IX, 112. Ecclesiam toto orbe diffusam et per omnes gentes dilatatam esse, ostenditur contra Donatistas. II, 189, 194, 195, 198, 261, 585, 794, 952; IV, 244, 513, 566, 640, 642, 669, 807, 1159, 1650, 1924, 1925; V, 289, 650, 722, 725, 1126, 1221; IX, 79, 252, 264, 265, 268, 269, 283, 284, 306, 310, 318, 319, 330, 370, 380, 582, 587, 589, 628, 655, 718; VI, 174, 306, 307. Ecclesia quibus præconiis prædicatur, quibus mysteriis commendatur, quibus sacramentis occultatur, qua prædicatione revelatur. IV, 1677. Laus Ecclesiæ catholicæ. VI, 652, 660. Ecclesia magna, sola Ecclesia catholica. IV, 443. Ecclesia homo est ubique diffusus, cujus caput sursum est, membra deorsum. IV, 476. Jam totum corpus loquitur omnium linguis: et quibu

nondum loquitur, loquetur. IV, 1929. Universitas Ecclesiæ quatriduo figurata est. III, 821.

Ecclesia ubique est. VII, 609. A finibus terræ ad Deum clamat. IV, 1602. A quatuor mundi partibus in nomine Trinitatis vocatur. IV, 1104. Ecclesia sanctorum, Ecclesia catholica est, non Ecclesia hæreticorum. IV, 1951. Ecclesia catholica in toto orbe, hæreses quæque in sua tantum parte. V, 280. Ecclesia eadem ubique catholica, hæretici non ubique nisi alii et alii. IX, 558. Ecclesia catholica tabernaculum Domini; Ecclesiæ autem hæreticorum, tabernacula viri, tabernacula peccatorum. IV, 1912. Ecclesia catholica pars Donati non est. II, 189. Non est in sola Africa. II, 396. Ecclesia quæ non communicat omnibus gentibus, non est Ecclesia Christi. IX, 400. Ecclesia transmarina. V, 292, 295. Ecclesia tota una arbor est. IV, 1745. Ecclesia catholica per totum mundum fructificat et crescit. IX, 616. Ecclesiæ ex abjecta radice surgentis gloria per omnes gentes. V, 259. Martyrum sanguine seges Ecclesiæ fertilius pullulavit. IV, 434, 595, 1595; VII, 758. Ecclesiæ propagatio, fructus derelictionis, tribulationis, deprecationis Christi. II, 556. Ecclesiam futuram in omnibus gentibus, Scripturæ promittunt. II, 491. Promissiones Dei de Ecclesia diffundenda per orbem universum. IX, 35, 38. Magna ex parte completæ. IX, 36. Ecclesia quomodo cœpta est ab Jerusalem, inde itura per omnes linguas. IX, 412.

Ecclesia quo judicio cognoscenda. VIII, 289. Et unde demonstranda. IX, 427, 429, 430. Ecclesiam non quisque nostrum in justitia sua quærit, sed in Scripturis divinis. II, 335. Ecclesia ubi sit, in verbis Domini tantum quæri debet. IX, 392, 395, 396. Ecclesia catholica in Scripturis agnoscitur. II, 401, 491. In Scriptura sancta commendatur. IX, 466. In Scriptura significata. IX, 633, 428. Probatur ex Scriptura. IX, 632. Innumerabilibus testimoniis. V, 288, 294, 797. Et primum ex Lege ostenditur. IX, 398, 415. Ex Genesi. IX, 431, 441, 554. Ex Psalmis. IX, 405, 431, 441. Ex Prophetis IX, 400. Ex Isaia. IX, 431, 441. Ex Evangelio. IX, 407, 430, 431, 438, 441. Ex Evangelio Lucæ XXIV agnoscitur. V, 1125. Ex Actibus Apostolorum. IX, 409, 430, 431, 442. Ex Epistolis Apostolicis. IX, 430. Ex Apocalypsi. IX, 430. Ecclesiam per omnes gentes futuram portendebat donum linguarum Apostolis impertitum. IX, 476. Ecclesia catholica Petro in visione ostensa. V, 802. In quibus litteris appareat Christus, appareat et ejus Ecclesia. II, 491, 794. IX, 536. Ecclesia toto orbe diffusa, quam parva erat cum Abrahæ prædicta est. V, 335. Oportet ut Ecclesia sit in omnibus gentibus, non ita tamen, ut omnes qui ibi fuerint, credant. II, 923. Ecclesiæ sponsus super omnes cœlos, ipsa sponsa super omnem terram. V, 308. Obscurius dixerunt Prophetæ de Christo, quam de Ecclesia, de qua majores quam de Christo contentiones excitandas fore prævidebant. IV, 244, 245. De Ecclesia Christi non magis potest dubitari, quam de ejus corpore qui resurrexit a mortuis. IV, 1928. Hæreticorum cæcitas de Ecclesia, par est cæcitati Judæorum de Christo. V, 260. Non sunt tot hæreses contra Ecclesiam, quot sunt testimonia Legis pro Ecclesia. IV, 1925. Testimoniis Scripturæ, quibus Ecclesia toto orbe diffundenda prædicitur, quam inepte respondeant Donatistæ IX, 406. Ecclesia catholica adstruitur, et contra objecta Vincentii defenditur. II, 331. Catholicam dici ex omnium præceptorum observatione aiebat. II, 333, 346. Et ad probandum non ubique Ecclesiam diffundi, locum Hilarii assumebat. II, 333. Locus explicatur. II, 335, 337. Ecclesiæ universitas quomodo contra Donatistas ex ipsis eorum rationibus ostendatur. IX, 588. Et ex ipsa eorum confessione. IX, 583. Ecclesia catholica etiam ab inimicis nominatur. III, 128.

Ecclesia vera non est operta et invisibilis. IX, 422. Abscondi non potest. IX, 343. Cunctis clara est atque conspicua. IX, 493. Neminem latet. IX, 284. Latere non potest. V, 222. In manifestatione posita. IV, 160, 161. Sub nomine quasi secretæ et apocryphæ veritatis, et hominum paucitatis non agnoscenda. VIII, 290. Toto orbe notissima, nec in deserto aut in cubiculis quærenda. IX, 443. Ecclesia post hoc sæculum ex nulla parte se latebit. IV, 514. Ecclesiæ doctrina, Juliano dogma populare. X, 1143. Ecclesiam catholicam humanum esse figmentum, dicere audebant Donatistæ. IX, 732.

Ecclesiam de orbe terrarum periisse Donatistæ volunt. IX, 35, 36, 37, 49, 79, 294, 340. Contagione malorum Afrorum. IX, 494. Cæciliani peccato. IX, 713. Propter crimina Cæciliani seu vera seu falsa. VIII, 43. Et in sola Africa remansisse. IX, 49, 52. Ecclesiam ad exiguam partem terræ redigere conantur Donatistæ. IX, 300, 312, 330. Imperite vel fallaciter quædam Scripturæ testimonia afferunt Donatistæ ut Ecclesiam de toto orbe periisse ostendant. IX, 417, 418, 419, 421, 424. Frustra perituram dicunt. V, 289. Ecclesias totius orbis temere condemnant Donatistæ. IX, 300, 312 Temere et injuste accusant. IX, 491. Ecclesiam catholicam meretricem appellabant. IX, 696. Ecclesiæ toto orbe diffusæ, impie ac calumniose objici crimina Cæciliani, ex Scriptura ostenditur. IX, 633. Ecclesiæ sanctitatem non polluit malorum contagio. IX, 177, 178, 179, 275. Peccata aliena non maculant. IX, 370, 371. Ad eam non pertinent mala quæ in ea committuntur. IX, 310, 312, 315. Nihil ei præjudicant quicumque in ea mali sunt. IX, 234, 616, 617. Justis non obsunt peccata quæ in sua communione committuntur. IX, 417. Ecclesiam transmarinam crimine Afrorum non contaminari confessi sunt Donatistæ in collatione. IX, 681. Ecclesia periisse existimanda est, si peccatum aliorum contaminat. IX, 228, 244. Si mali bonos maculant in eadem communione ante Cyprianum. IX, 493. Ecclesia si contagione malorum de orbe terrarum periit, periit et apud Donatistas. IX, 593 Ecclesiam periisse tempore Cypriani dicere non audent Donatistæ. IX, 746. Si jam perierat Ecclesia temporibus Cypriani; unde ergo origo Donati et Majorini. IX, 131, 133, 607, 608. Ecclesiam polluere non possunt Afri traditores, si Maximianistæ non polluere Donatistas. IX, 583. Ecclesia catholica Afrorum criminibus perire non potuit. IX, 414, 415, 611. Nec maculari. IX, 252. Ecclesiæ prosopopœia ad Donatistas. IX, 31, 41 Ecclesiæ status, et qui non perierit Arianorum tempore. II, 86, 87.

Ecclesia interrumpi non potest quin pereat. IX, 140. An a diluvio usque ad Abraham fuerit interrupta. VII, 475. Ecclesia aliquando in uno solo homine, aliquando in una sola familia fuit. IV, 1689. Ecclesia tota in Abraham, Isaac et Jacob cogitanda. IV, 1743. Ecclesia in aliis abeuntibus, in aliis venientibus transiens, in æternum est fundata. IV, 894, 901, 906, 1007, 1309. Ecclesiam dicunt periisse qui in illa non sunt. IV, 1309. Ecclesiam decollare volunt Donatistæ V, 725. Ecclesia malorum communione non est deleta. II, 339, 341, 342. Ecclesiam non periisse de toto orbe ostenditur. IX, 424, 425. Ecclesia non vincitur, non eradicatur, nec cedit quibuslibet tentationibus, donec veniat sæculi finis. IV, 726. Ecclesia nec perire, nec inclinari potest. IV, 1353. Ecclesiæ fides usque ad finem. V, 224. Ecclesia non deficiet. VI, 53.

Ecclesia bonos cum malis toto orbe permixtos habet. II, 338, 345; III, 1431; IV, 190, 1693; V, 299, 307, 1092; VI, 541; VII, 611; VIII, 291. Palea et zizania cum frumento permixta per totum mundum usque ad diem judicii. V, 119, 1174; IX, 296, 297, 312, 444, 536, 537. Non tamen in ea zizania inter triticum, sed in mundo. IX, 629, 632, 634. Ecclesia non est hic sine macula et ruga. I, 593, 617, 637; II, 842; X, 336, 435, 621. Objectum est Pelagio, quod diceret Ecclesiam hic esse sine macula. X, 336. Ecclesiam esse sine macula quatenus dixit Cælestius, quatenus Pelagius. X, 336, 356. In solis justis jam in præsenti tempore esse Ecclesiam docebant Pelagiani. X, 908. Ecclesia non est hic sine peccato. V, 981. Vocatur tamen regnum colorum. V, 1169. Ecclesia non habens maculam aut rugam non sic accipienda est quasi jam sit, sed quæ præparatur ut sit. IX, *Petr.* 107, 108. Hic agitur ut in cœlis sit sine macula et ruga. V, 982. Malorum ab Ecclesia separatio corporalis fiet in fine sæculi. II, 338. Ecclesia ab omni malorum hominum permixtione pura, non nisi post istam mortalitatem futura est. IX, 658. Ecclesia ista terrestris, post resurrectionem in cœlis congreganda est. III, 335. In futuro tantum sæculo ad immaculatissimam puritatem Ecclesia sancta perveniet. X, 285. Sine macula et ruga non nisi post resurrectionem. II, 810; X, 310. Ecclesia qualis post resurrectionem. V, 1197, 1243. Ecclesiæ claritas post judicium quanta sit futura. VII, 682. Ecclesia tunc non nisi bonos habitura est. V, 1175. Ecclesia sanctorum, Ecclesia frumentorum. IV, 1950. Ecclesia inter malos sicut lilium inter spinas. IV, 1802. Ecclesiæ pulchritudo jam mirabilis. IV, 1340.

Ecclesiæ tempora distinguenda. IX, 658, 659. Ecclesia nunc mortalis, in sæculo venturo erit immortalis. IX, 632, 635. Ecclesiæ tempora duo. IX, 632. Non tamen duæ Ecclesiæ. IX, 633. Ecclesiæ ætates. IV, 385, 894. Ecclesiæ senecta candida erit rectefactis, morte autem non corrumpetur. IV, 1179. Ecclesiæ senecta juvenilis et viridis. IV, 1179. Ecclesia Christi non est jam sub lege, sed sub gratia. VIII, 309, 311.

Ecclesiæ conjugis Christi mores, etc. VIII, 309. Tres gradus viventium in Ecclesia. VII, 40. Tria hominum genera. III, 1357. Singula habent bonos, habent malos suos. IV, 336, 1279, 1730. Duo genera in Dei domo exsistentium IX, 241. Duo genera operariorum, boni et simulatores. V. 94. Ecclesia continet fortes et infirmos. V, 1640, 1670. Nec sine firmis esse potest, nec sine infirmis. V, 480. Continet spiritales et carnales. IX, 193. Utrorumque vita. IX, 195. Ecclesia constat ex spiritalibus et carnalibus, tamquam ex cœlo et terra. IV, 1748. Carnales de Ecclesia in sorte sunt Esaü. V, 39. In Ecclesia qui honores suos et commoda amant, palea sunt. V, 50, 1175. Ecclesia parvulos vel tamquam ova sollicitis alis fovet, vel tamquam infantes lacte nutrit. VIII, 305. Ecclesia docet, et in ea donat Deus no-

res, quos egregii philosophi ad rem requirebant potius quam formabant. II, 515. Qui male vivunt in Ecclesia, domum Dei faciunt speluncam latronum. IV, 1705. Qui sua quærunt in Ecclesia, non quæ Jesu Christi, oves, boves et columbas vendunt. III, 1469. Quonam modo Ecclesia timet inquinare pedes, dum pergit ad Christum. III, 1789. Quomodo intelligendæ sint propheticæ increpationes, quæ in totam interdum multitudinem dicuntur. IX, 417. Unum quemlibet de Ecclesia tamquam Ecclesiam Christus allo quitur. V, 292. In Ecclesia boni et mali. IX, 162, 167, 192, 417, 420, 427. Ex ipsa Donatistarum confessione. IX, 629, 659, 660. Ecclesia modo clauda est, habens bonos et malos. V, 59. Ecclesia fusca est et speciosa. III, 85. Ecclesia non ideo deserenda, quia in ea mali reperiuntur. II, 411, 794, 951. Etiam pastores. II, 951, 952. Ecclesia non deserenda propter zizania, aut malos qui in ea sunt. IX, 348, 349, 417, 514, 566, 585, 657, 658, 675. Nec propter traditores manifestos. IX, 517. Exempla. II, 529, 541; IX, 570, 571. Constans hæc doctrina Cypriani. IX, 165, 514, 564, 685, 741, 742, 744, 747.

Ecclesiam non maculant malorum Christianorum peccata. IV, 1801. Malorum commixtio corporalis nulla perturbat. IX, 295. Ecclesia habet quod ferat foris, quod gemat intus. IV, 1847. Ecclesia hic parturit et dolet, quare. IV, 615. Ecclesia quamdiu parturit, filii sunt intus, boni et mali. IV, 1675. Conciliatio Scripturarum de permixtione bonorum et malorum in Ecclesia. IX, 632. Intra Ecclesiam boni et mali, extra eam boni esse non possunt. IX, 610. Mali cum bonis manducant et bibunt corpus et sanguinem Domini. IX, 669. Apsidas ascendunt etiam mali; in apsidis sunt frumenta, sunt et zizania. V, 472. In comparatione malorum, justi pauci sunt. IX, 417, 418. In Ecclesia cum paucis hæreditas Dei, cum multis autem signacula ejus participanda. VIII, 291. Ecclesia a malis nunc discedit disparitate morum, et eos tolerat in communione Sacramentorum. V, 1071.

Ecclesia. Mali in Ecclesia nunc sic permixti, ut non solum latentes nesciantur, sed plerumque propter unitatem pacis etiam cogniti tolerentur. IX, 631. Mali tolerandi in Ecclesia. II, 529, 405; VIII, 292. Pro unitate Ecclesiæ toleranda aliena peccata. V, 42, 49. Zizania toleranda. IX, 517. Ecclesia multa tolerat quæ non approbat. II, 222. Ecclesia non consentit factis malorum, sed eos tolerat. IV, 1802; V, 55, 56, 59. Ecclesiæ ad filios suos bonos, adversus pravos, preces. II, 1057. Ecclesia non vituperanda ex malorum Christianorum moribus. I, 1342. Ili ut palea tolerantur. I, 1342; III, 127. Jamdiu sustinetur peccatum, aut error cujuslibet, donec aut accusatorem inveniat, aut pravam opinionem pertinaciter defendat. III, 127. Ecclesiæ non præjudicat consortium malorum qui cum bonis permiscentur. II, 529, 492. Si eos a communione prohibendi aut potestas desit, aut ratio pacis impediat. II, 237. Ecclesiæ et innocentibus Christianis nihil præjudicaret, etiam si in ordinem episcoporum, qui ducitur a Petro usque ad Anastasium, quisquam traditor subrepsisset. II, 197. In Ecclesia catholica boni malos tolerant pro bono unitatis, oderunt pro bono æquitatis. II, 170, 179, 198, 335, 338. Quomodo in Ecclesia tolerandi sint perversi, Tychonius tractavit, cujus opus Augustino probatur. II, 1065. In Ecclesia catholica boni non communicant factis malorum, sed altari Christi. II, 170, 265, 298. Crimina quæ ipsi objiciuntur, ad paleam, non ad frumenta pertinent. II, 198. Nec propterea negligitur ecclesiastica disciplina. IX, 570. Ecclesiastica correptio incruenta disciplina vocatur. II, 657. Ad corripiendos malos non solum verbis, sed etiam excommunicationibus et degradationibus, vigilare debet ecclesiastica disciplina. IX, 651. *Vide* Mali. Separatio ab Ecclesia et reconciliatio. VII, 674.

Ecclesiæ tradita facultas peccata condonandi III, 25. Ecclesia sola accepit potestatem remittendi peccata. VI, 263. In Ecclesiam compediti quidam fugiunt, et solvuntur. IV, 1959. Ecclesiæ claves. V, 1545, 1711. Ecclesiæ claves regni cœlorum datæ, cum datæ sunt Petro. VI, 308. Petro scilicet Ecclesiæ personam gerenti. V, 802, 1349. Claves uni datæ sunt, quia Ecclesiæ unitati. V, 1349. Christus peccatores prius resuscitat, et tunc Ecclesia solvit. V, 1349. Ecclesia solvendo quid peccatoribus prosit. V 454. Ecclesia aperuit os suum in confessione peccatorum accipere sanguinem Christi. VIII, 259.

Ecclesiæ catholicæ auctoritas. VI, 319; VIII, 91, 246; IX, 466. Ecclesiæ fundatissimæ auctoritatem stabilissimam conantur hæretici omnes quasi rationis nomine et pollicitatione superare, cur. II, 448. Ecclesiæ auctoritatem qui munierit Dominus. II, 448. Ecclesiæ quanta auctoritas vel in eis quæ gestis testatur. V, 1355, 1536. Ecclesiarum apostolicarum præ ceteris auctoritas. II. 164, 175. Ecclesiæ Occidentalis auctoritas. X, 648. Orientalis et Occidentalis Ecclesiæ fides una. X, 649. Quod tota credit Ecclesia, etiam si nec ratione indagari, nec sermone explicari possit, recipiendum est. X, 829. Ecclesiæ consuetudo antiqua, canonica, fundatissima. V, 1343. Scripturarum tenetur veritas, cum hoc fit quod universæ Ecclesiæ placuit. IX, 466. Circa diversas diversarum Ecclesiarum observationes regula. II, 151, 200, 202. Ecclesia prædestinata, columna et firmamentum veritatis. IV, 1350. In Ecclesia sola perfecta veritas. I, 1325. Sola veritatem habet et in lacte suo, et in pane suo. VIII, 305. Nisi Dominus inhabitaret Ecclesiam, iret in errorem quamlibet studiosissima speculatio. IV, 122. Variæ linguæ in Ecclesia, sed una doctrina. IV, 509. Ecclesia adversus profanas novitates vigilare debet. X, 141. Christus ad Ecclesiam remisit examen eorum quæ ad doctrinam pertinent. III, 1355. Ecclesiæ tantum detulerunt Principes, ut quidquid in ea judicatum fuerit, dissolvi non possit. IV, 196. Improbatio hæreticorum facit eminere quid sentiat Ecclesia. I, 752. Ecclesia contra omnes hæreses pugnans expugnari non potest. VI, 655. Ecclesiæ nihil nocere permittitur diabolus. VII, 615. Ecclesia numquam a diabolo seducetur. VII, 670. Ecclesiæ varia disciplina pro varietate rerum. II, 812. Observandum quod universa frequentat Ecclesia. II, 202.

Ecclesiæ numquam deest persecutio. VII, 613, 614. Ecclesia quamdiu hic est, non deerunt inimici qui ruinam ejus exoptent. IV, 1012. Ecclesia per omnes gentes est in magna gloria, sed in magna tentatione. IV, 724. Simul est in latitudine gaudii, et in angustia tribulationis, propter bonos et malos quos complectitur. IV, 239. Nunc tamquam area cum palea triturantur. IX, 587. Persecutionem semper pro justitia patitur, etsi non semper tormentis corporalibus. IX, 420. Ecclesiæ persecutio triplex, prima per tyrannos, secunda per hæreticos et falsos fratres, tertia per antichristum. IV, 128. Ecclesia martyrum mater. V, 221. Persecutionibus crescit. V, 1351.

Ecclesiæ persecutiones decem numerantur. VII, 614. An ab his decem, usque ad undecimam quæ erit ab antichristo, nullam aliam persecutionem passura est Ecclesia. VII, 614. Ecclesiæ persecutio novissima, quæ. VII, 676. Tempore persecutionis novissimæ, Ecclesia erit ubique diffusa. VII, 676. Ecclesia post ultimam persecutionem, etiam quibusdam tribulationibus purganda est. III, 1326. Persecutiones Ecclesiæ plagis Ægypti non sunt significatæ. VII, 615. Tempus persecutionis et pacis Ecclesiæ in rege Nabuchodonosor figuratum est. II, 325.

Ecclesiæ tribulatio maxima ex malis operibus. IV, 720, 721. Ecclesia ab initio fuit impugnata ab impiis. IV, 1689, 1690. Temporibus persecutionum quasi tota simul in pellebatur, nunc autem per singulos tentatur. IV, 761. Ecclesia persecutionem patitur superbia et impietate carnalium, quos temporalibus molestiis atque terroribus emendare conatur. II, 324. Ecclesia timoribus, doloribus, laboribus et tentationum periculis eruditur. VII, 611. Ecclesiam Deus purgat et exercet quibusdam medicinalibus molestiis. III, 25. Ecclesiæ rebus prosperis consolatio, ut non frangatur adversis; et rebus adversis exercitatio, ut non corrumpatur prosperis, procuratur. VII, 613. Ecclesia modo fabricatur in labore et ærumna, postea dedicabitur in gloria. IV, 219; V, 1471, 1476. Ecclesiæ cœlestis fabrica. V, 1475. Ecclesiæ dedicatio. V, 1475. Pagani non habentes quid in ea reprehendant, Christianorum dissensionem objiciunt. V, 514.

Ecclesiæ patientiam exercent tyranni, sapientiam hæretici, benevolentiam aut etiam beneficentiam inimici. VII, 613. Ecclesia pro salute temporali adversus impios persecutores non pugnavit. VII, 758. Si gladio uti vellet, videretur pro vita præsenti pugnare. IV, 723. Ecclesiastici quantum abhorreant ab occidendi voluntate. II, 367. Ab hoc proposito abhorret id velle, quod sine tormentis corporalibus agi non potest. II, 395. Ecclesia catholica adversus inimicorum impetus, non resistendo, sed perferendo roborata. VI, 298. Quomodo nunc de suis hostibus vincit. VI, 298. Vincit inimicos mansuetudine, sicut vicit Christus. IV, 1717. Orandum pro persecutoribus Ecclesiæ. II, 637. Pia opera fieri debent pro Ecclesiæ obtinenda pace. V, 1585. Contra Ecclesiam de Ecclesia Christianus non se ulciscatur. VII, 162. Contra rationem nemo sobrius, contra Scripturas nemo Christianus, contra Ecclesiam nemo pacificus senserit. VIII, 895. Ad Ecclesiam transeuntes crudeliter vexabantur a Donatistis. II, 798, 800.

Ecclesia belligerantibus adversus se filiis abortivis, justum ac debitum poscit auxilium ab aliis filiis. II, 1057. Ecclesiæ tuitionem apud Imperatores quærere licet. IX, 527, 554. Ad reges sæculi Christianos pertinet, ut pacatam velint Ecclesiam. III, 1485. Etiam sæviendo adversus inimicos Ecclesiæ. III, 1485. Ad eorum curam pertinet, ne quis adversus Ecclesiam rebellet impune. IX, 733, 739. Et in res divinas peccet. IX, 749. Ecclesia filios perditos ut redeant juste cogit. II, 805. Utiliter cogit. II, 512. Potestatem non

tantum invitandi, sed et cogendi ad bonum habet. II, 757. Non mortem peccatorum, sed conversionem eorum et pacem quærit. II, 807. Ecclesia propter damnum nonnullorum deterreri non debet a procuranda salute aliorum. II, 799. Ecclesiæ mœrorem de amissis filiis consolatur vel unius conversio. II, 808.

Ecclesiam catholicam Donatistæ vocant Macarianam. II, 190. Ecclesia ex persecutione Donatistarum profecit. II, 807. Et ex bonis et malis legibus Imperatorum. II, 598, 795. Ecclesia patiente, Christus patitur. IV, 615, 749, 1119, 1132. Ecclesia in Christo patiebatur, quando ille pro Ecclesia patiebatur; sicut in Ecclesia ipse patiebatur, quando pro illo Ecclesia patiebatur. II, 545. Frustra Christianus est, qui non est in ea sorte, propter quam passus est Christus. IV, 176. An Ecclesia illa vera dicenda est quæ persecutionem patitur, non quæ facit. IX, 664, 665. Ecclesia quotidiano sacrificio seipsam per Christum discit offerre. VII, 298. Ecclesia universale sacrificium per sacerdotem magnum. VII, 284.

Ecclesia inops et peregrina. IV, 1119. Ecclesiæ deneganda fuerant bona veteris Testamenti, ut bona novi Testamenti optare atque sperare jam disceret. II, 544. Ecclesiam loculos habituram significavit Dominus, cum ipse loculos habuit. III, 1762, 1805. Ecclesiastica bona jure humano possidentur. III, 1457. Donatistæ immerito querebantur quod ecclesiarum suarum possessiones ad Catholicam transire jusserint Imperatores. II, 809. Ecclesiis oblationes factæ, quando suscipiendæ aut recusandæ. V, 1571. Ecclesiæ ministris necessaria suppeditanda, priusquam petant. IV, 1910. Ecclesiæ prædiis uti fruique putantur episcopi, ac reipsa nonnulli utuntur dominantis animo. II, 480. Eorum procurationem tolerat, non amat Augustinus, atque ea, si salvo officio possit, carere desiderat. II, 481. Ecclesiastici si privatim quæ sibi sufficiant possident, bona Ecclesiæ non sunt illorum, sed pauperum. II, 809. Ecclesiasticæ causæ Marcellino tribuno potissimum injunctæ, tamen ad Proconsulem pertinent. II, 510. Servorum Dei passiones nolumus, quasi vice talionis, paribus suppliciis vindicari. II, 509, 510, 511. Ne passiones servorum Dei, quæ debent esse in Ecclesia gloriæ, inimicorum sanguine dehonestentur. II, 536. Hoc jam in causa clericorum a gentilibus occisorum facile ab Imperatoribus impetratum. II, 536. Id etsi improbant aliqui recentioribus factis turbulentius excitati, postmodum tamen laudabunt. II, 536.

Ecclesia ager. V, 46. Ager Dei. IV, 1744. Ager Domini. VI, 685. Ager Domini primum spinosus. VI, 688. Ager Dei fructuosissimus. III, 926. Ager sanguine Christi rigatus. VI, 688. Ecclesiam nolebant Donatistæ esse agrum Christi, sed mundum præter Ecclesiam. IX, 742.

Ecclesia ancilla Dei. IV, 1140. Ecclesia angulus dicta. V, 557. Est arca Noe. III, 1434. In qua sancti custodiuntur. IV, 214. Ecclesia area. V, 119, 1174. Area quæ paleam habet et frumentum. IV, 109, 115. Ecclesiam areæ esse comparatam in Evangelio Donatistæ tentarunt negare. IX, 660. Ecclesia atrium sanctum Domini est. IV, 1233. Civitas Dei. IV, 533, 534, 680; VII, 387, 585. Quare dicta civitas regis magni, Sion, Jerusalem. VII, 550. Ecclesia civitas supra montem constituta, quæ abscondi non potest. IV, 680. Civitas in monte, et ovis in humeris pastoris. V, 222. Ecclesia cœlum. III, 834. Columba deargentata. IV, 823. Ecclesia confessio et decor. IV, 1340.

Ecclesia domus Dei. IV, 194; V, 1647; VIII, 1085. Ecclesia in Symbolo recte subjungitur Trinitati, tamquam habitatori domus. VI, 258. Ecclesiæ domus Dei ædificatio et dedicatio. V, 1471, 1476. Ecclesia appellatur firmamentum. IV, 552, 553. Fulgur. III, 1530. Hæreditas Dei. IV, 394, 1012. Ecclesia Jerusalem nova, descendens de cœlo, quomodo. VII, 682. Ecclesia hæc ab Jerusalem terrena incipit, ad cœlestem terminat. IV, 1929. Ecclesia Israel secundum spiritum. VIII, 628. Ecclesia mons. IV, 70, 478, 535; V, 265. Mons sanctus Dei. III, 442. Navis. IV, 1188, 1380, 1381. Navis tempestate jactata. V, 415. Ovile Christi. III, 1721. Paradisus. III, 207, 442, 478, 482; IV, 539; VII, 395. Petra. III, 885, 886. Petra super quam ædificanda promittebatur Ecclesia, ipse est Christus. V, 1258, 1548.

Ecclesia nomine pupillorum et viduarum accipitur. III, 859. Quare dicta regina. VII, 549. Vocatur regnum. III, 821. Regnum colorum. VI, 409. Regnum Christi. VI, 76. Regnum Dei. VII, 672. Ecclesia reticulum missum in mare. IX, 25. Sol, luna, stellæ. II, 919. Stabulum. V, 752. Ecclesia universalis, luna: ecclesiæ particulares, stellæ dicuntur. IV, 112. Ecclesia in paucitate firmiorum clariorumque, stellis; in multitudine infirmorum carnalumque, arenæ maris comparata. II, 536. Ecclesia stola Christi. VII, 520. Tabernaculum Dei. III, 1064. Tabernaculum est contra hæreses, schismata, etc. IV, 252, 255. Ecclesia militans est tabernaculum Dei; triumphans, est domus. IV, 252, 469, 1720. Ecclesia summæ Trinitatis templum. VI, 259. Terra beatorum et terra viventium. III, 85. Torculari comparatur. V, 121. Ecclesiæ sunt torcularia. IV, 109, 1056. Ecclesia turtur dicitur. IV, 1300. Christi vestimentum. V, 490. Christi vestis, quæ mundatur ut non habeat maculam, extenditur ut non habeat rugam. IV, 1734. Ecclesiæ vestitus varius et deauratus, quomodo. IV, 509. Ecclesia cum vite comparatur. III, 1990. Quasi vitis pullulat, et putatur. VI, 541.

Ecclesia figuratur per arcam Noe. IV, 115, 1103; V, 1216; IX, 196, 397, 632. Ecclesia sicut arca Noe fluctuat in hac vita. II, 847. Figuratur per aream siccam Gedeonis. III, 813. Ecclesiæ sub regibus hujus sæculi serviturræ figura. VI, 337. Ecclesiæ per cervas exprimuntur. III, 880. Ecclesia figurata est per Evam. III, 215; IV, 1673. Per diluvium. IV, 1354. Per Jephte filiam. III, 823. Lunæ comparatur. II, 209; IV, 132. Ecclesiæ typus in Chananæa. V, 486, 487, 544. In Magdalena. V, 58. In Christi matre. VI, 660. In matre Machabæorum. V, 1580. In muliere cui Christus resurgens dixit, *Noli me tangere*. V, 1144, 1155. In meretrice cui Samson nupsit. V, 1640. In Petro. V, 479, 802, 1548, 1550. Ecclesia respective ad tempus præsens et futurum, figuratur per Martham et Mariam. III, 1341. Figuratur per montem Pharan. III, 775. Ecclesia et Synagoga, mulieres duæ coram Salomone litigantes de filio. V, 92. Mulier patiens fluxum sanguinis, typus Ecclesiæ venturæ de Gentibus. III, 820, 1641. Ecclesia figurata per mulierem ungentem Christum. IV, 171. Per mundi creationem. I, 850. In benedictione filiorum Noe. VIII, 265. In piscatione ante et post passionem Christi. V, 1158, 1161, 1164, 1167; IX, 196, 397, 632. Figurata per Rebeccam. IV, 1673; V, 58. Per secundam Sabbati. IV, 532. Ecclesia in suis primordiis persecutionem sustinens, in Samson figurata est. IV, 1126. Ecclesiæ præsentis imago in Sion, Ecclesiæ futuræ imago in Jerusalem. IV, 122, 70, 1107. Ecclesia significata in vase quod ostensum est Petro. V, 802. In veste Jacob. V, 46. In veste summi sacerdotis. III, 687. In vestimentis Christi transfigurati. V, 490.

Ecclesia vere appellatur populus qui basilica continetur. II, 865.

Ecclesia dicitur locus quo Ecclesia seu fideles congregantur. III, 704, 711. Ecclesiarum forma. III, 660. Ecclesiæ absis. II, 474, 477. Ecclesiæ constructio, bonum opus in quantum ex fide et caritate. V, 1475. Simulacrum Deo nefas esse in templo christiano collocare. VII, 188. Ecclesiæ Memoriis martyrum ornatæ. IV, 1590. Quid in Ecclesiis agatur. VII, 76, 77. In iis quidam recte, quidam male occupati. V, 196. Arguuntur qui in ecclesia corpus, alibi cor habeant. V, 425. Ecclesiæ institutæ ad audiendum verbum Dei. VII, 52. In ecclesiis viri seorsim a mulieribus. VII, 76, 77. Ecclesiæ præpositi sublimius sedeant, cur. V, 569. Quidam ad ecclesiam non pietate, sed solemnitatis occasione concurrentes. V, 1600. Ecclesias implent qui implent et theatra. V, 1165, 1174. Ecclesia solemnibus diebus impletur talibus, qui citius vellent discedere, quam venire. V, 1212. Mulieres ad ecclesiam in superbo vestitu venientes reprehenduntur. V, 205. Ecclesiæ parietes satis muniunt corporalem salutem eorum qui capite plecti timebant. II, 647, 651. Confugientes ad ecclesiam, ibi exspectare solent, donec per intercessionem episcopi sua negotia terminentur. II, 450. Officii sui esse ducit Augustinus non deserere qui ad ecclesiam suam ita confugerat. II, 429. Licet is minus cautus, extra eam raptus fuisset. II, 450. Queritur leges non servatas fuisse, ut sic raperetur. II, 450. Utrum non de ecclesia pellendi sint, qui eo confugiunt, quo fidem filejussoribus frangant, Aug. in Concilio agere aut etiam sedem Apostolicam consulere cupit. II, 1067. Gestis ecclesiasticis confectis, anathematis sententia percussus est, qui perjuros de ecclesia abduxisse videbatur, etsi diceret eos prius sponte egressos. II, 1066. Homo ære alieno obrutus ad ecclesiæ auxilium convolat: et exactores urgent Augustinum ut eum ipsis tradat. II, 1092.

Ecclesiastica munia et populorum regimen cur plerique vitant. VIII, 436, 437. Ad ea plerique vi coguntur. VIII, 437. Ecclesiæ in diversis membris officia sunt diversa, sed vita communis. V, 1231. In acceptione personarum ad honores ecclesiasticos, non leve peccatum. II, 1092. Ecclesia si quam monachi operam desideraverit, nec ille elatione avida suscipiat, nec blandiente desidia respuat. II, 188. Qui in Ecclesia excusationes prætendunt, ne dispensatoris officium suscipiant, comparati servo nolenti talentum erogare. VI, 218. Quis modus teneatur in honorum gradibus conferendis eis qui in Catholicam recipiuntur. IX, 478. In Ecclesia iste ordo est, ut alii præcedant, alii sequantur: et qui præcedunt, habent quem sequantur. IV, 456. Illi pacti debent vigilanti intentione consulere. IV, 901. In Ecclesia sacerdotes et levitæ. VII, 695. Ecclesiæ rectorum sollicitudo et pericula. IV, 1425. Nihil in hoc maxime tempore facilius ac lætius episcopi aut pre-

sbyteri aut diaconi officio, si perfunctorie; nihil difficilius, si ut Deus jubet, res agatur. II, 88. Ecclesiasticis instante vastitatis periculo quando fugere liceat aut non liceat. II, 1013. Solent tum alii baptismum flagitare, alii reconciliationem, omnes consolationem, et sacramentorum confectionem et erogationem. II, 1016. *Vide* Fuga. Antistites Ecclesiæ cum barbarismis et solœcismis Deum invocantes, et verba quæ pronuntiant non intelligentes. VI, 320. Ecclesiam tenere, et primatum tenere, an idem sit. IX, 187.

*Ecclesiastes* liber in Canone sacrarum litterarum a Judæis habetur. VII, 661.

*Ecclesiasticus*, non est in Canone Hebræorum. VI, 165. Ab aliis Jesus Sirach appellatur. VI, 125. Quia hujus libri auctor Jesus Sirach. III, 947; VI, 606. Ecclesiasticus propter similitudinem eloquii, Salomonis dicitur. VI, 606; VII, 551. Libri Sapientiæ et Ecclesiastici non sunt Salomonis. III, 947.

*Ecdicia* religiosa femina. II, 1078.

Echini lunaribus incrementis et decrementis augentur et minuuntur. VII, 146.

Eclipsis. *Vide* Sol.

Ecstasis quid. III, 391, 464, 470; V, 102; VI, 129. Ecstasis est excessus sive alienatio mentis. IV, 226, 538, 851, 1492. Fit vel pavore, vel aliqua revelatione. IV, 1492. In ea res incorporales habent similitudinem corporum. VII, 725. Et imagines quæ cernuntur, aliquid significant. III, 465. Ecstasis descriptio. V, 360. Ecstasi vehementiori quid fieri soleat. II, 610. S. Petri ecstasis. V, 1228. Rusticanus in ecstasi et vigilare se sciebat, et videre quiddam non oculis corporeis. III, 455.

Eculeus cordis. V, 110.

*Eden*, id est deliciæ, vel voluptas, vel epulum. III, 202; VIII, 261.

Edaciores quidam eo magis, quo pluribus curis sunt referti. I, 924.

Edendi libido. V, 771.

*Edesius* exceptor. IX, 513.

*Edom* nomen Esaü. III, 579. Esaü unde dictus est Edom. IV, 1772. Edom interpretatur terrenus. IV, 715. Edom punice, sanguis dicitur. IV, 1772.

*Educa*, sive Edulica dea. VII, 122, 140.

Effectuum insolitorum et præternaturalium rationes quasi seminales Deus posuit in rebus. III, 406. Amant homines inexperta rimari, et causas insolitorum requirere. III, 469.

Effeminatus est qui sustinentiam perdidit. IV, 211.

Efferatio prodigiosa omnium animalium in ditione Romana. VII, 104.

Effractor. V, 422, 1585. Ex effractore fit mel. Hicus. V, 693.

Egeatne omnis qui miser est. I, 970, 971, 972. Egenus et pauper est, qui non est perfectus. IV, 872, 873. Eget pauper ad te, eges tu ad Deum. IV, 410. Egenus alius te quærit, alium tu debes quærere. IV, 1911. Egens gaudeat de dato tuo, ut et tu gaudeas de dato Dei. IV, 410. Egemus omnes, et in se nullius egens, eget in egenis Deus. V, 408. Egentem juvat Dominus per eum qui habet; et per eum qui non habet, probat habentem. V, 525.

Egestas et plenitudo mentis. I, 974. Egestas summa est egere sapientia: et qui sapientia non eget, nulla re omnino egere potest. I, 973. Egestas illa timenda, quæ neque copia neque inopia minuitur. II, 389. Vita egestosa æternam parit calamitatem, ait Nectarius. II, 587. Nullibi hoc legit Augustinus. II, 588.

*Ego* sum in carne, *ego* sum in mente: sed magis *ego* sum in mente, quam in carne. V, 857.

Egressus Dei intelligitur, cum apparet in operibus gratiæ IV, 816. Egredi quomodo Christus dicitur. IV, 1114.

Elationis vitium. VII, 421, 422. Elatio magnis tentat irrepere. II, 881.

*Elcesæi* hæretici. VIII, 31. Hos Ebionæis copulat Epiphanius. VIII, 27.

*Elcis* pseudopropheta. VIII, 31.

Electio ad regnum. X, 924. Electio secundum gratiam. V, 604. Electio gratiæ ineffabilis. III, 1851. Cur ex eadem massa unus eligatur, alter reprobetur, investigabile. V, 177. Et ad inscrutabilia Dei judicia referendum. VI, 121, 122. Judicia Dei occulta in hominum electione. VI, 127, 275. *Vide* Gratia. Electio ex massa perditionis gratuita. X, 581. Electio ex gratia et proposito. VI, 114. Prædestinatio et electio est ex beneplacito Dei. X, 987. De massa illius perditionis quæ facta est ex Adam, non discernit hominem, ut eum faciat vas in honorem, non in contumeliam, nisi Deus. II, 969. Electionis causa, dilectio. III, 1851. Electio per misericordiam et judicium. X, 925. Electio gratiæ non ex operibus. II, 821, 825, 827; VI, 125. Non ex præcedentibus meritis. X, 924, 1155, 1140, 1142. Vel parentum vel parvulorum. II, 887. Electio Gentium, non meritis, sed gratiæ tribuenda. IV, 1744. Electio non supponit meritum. III, 1851, 1855. Prævenit omnia humana merita. VI, 620. Electionem et vocationem nec ipsa fides præcedit. X, 998. Electio gratiæ non est gratia, si eam merita ulla præcedant. I, 621. Electio dicitur, ubi Deus non ab alio factum quod eligat invenit, sed quod inveniat ipse facit. X, 582. Electio non ex operum prævisione. II, 888; X, 792, 1152. Electionem futuris operibus adscribentes Pelagiani, desipiunt. X, 582. Vocatio electorum est ex proposito Dei. X, 987. Electorum tantum est vocatio secundum propositum Dei. I, 621; III, 2061, 2062. *Retr.* Sic Deus gratia electos suos adultos prædestinat, ut etiam eorum præparet voluntates. I, 595. Electio divina non habet personarum acceptionem, etiamsi ex meritis non procedat. X, 580. Electio de mundo seu vocatio supponit electionem ante mundi constitutionem. X, 986. Elegit Deus ante mundi constitutionem eos quos prædestinavit. X, 987. Electionis mysterium in pastorum imperitorum et magorum impiorum vocatione. V, 1030. Electio gratiæ qualis esset, primo non invenerat Augustinus. III, 2061, 2062. *Retr.* Electio ad gloriam. *Vide* Vocatio.

Electi, qui secundum propositum vocantur. II, 825; X, 924. Dilecti secundum electionem, prædestinati. II, 659. Eligendos facit ipse Deus, non invenit. II, 886. Eliguntur qui non sunt, nec errat qui eligit. V, 173. Elegit Deus quos voluit secundum suam gratiam, et secundum illorum justitiam. V, 604. Electi totum debent gratiæ Dei. V, 604. Electi sumus et prædestinati, non quia futuri eramus sancti, sed ut essemus. X, 987. Deus elegit justos, non quos tales per se ipsos futuros prævidit, sed quos ut tales faceret, prædestinavit. X, 987. Pelagianorum sententia de Esaü et Jacob refellitur. II, 887. Christus omnes malos invenit, et gratia sua bonos facit. V, 587. Apostoli quia electi sunt, Christum elegerunt; non quia elegerunt, electi sunt. X, 904. Ignobiles cur prius electi a Christo. V, 537, 1163. Divites in fide quomodo Deus elegerit. X, 986. Operatur Deus ut simus in laudem gloriæ Dei. X, 988. Electi Dei filii, Christi discipuli, duobus modis dicuntur. X, 929. Electi merito nuncupantur omnes boni fideles. VII, 194. Ad electionem non pertinent nisi boni. III, 579. Quomodo electi dici possint, qui non sunt perseveraturi. X, 925. Electorum nullus perit. X, 792, 924, 930. Electis Deus facit etiam peccata proficere in bonum. X, 930. Adducuntur ad pœnitentiam. X, 792. Plures sunt reprobi quam electi, quare. II, 860. Quomodo nunc pauci, nunc multi dicantur. IX, 418. Comparatione reproborum pauci sunt, in se vero multi. II, 338; IV, 1208, 1475. Electorum certus erit numerus, sed tanta multitudo, quantam numerare nemo possit. V, 1161, 1165. Electi stellæ sunt, quæ a Deo numerantur; qui electi non sunt, supernumerarii sunt. IV, 1904. In electis et reprobis et bonitas Dei, et æquitas jure prædicatur. III, 454. Electio, misericordiæ; reprobatio, Dei judicio adscribenda. II, 825. Per reprobos et electos divitiæ Dei manifestantur. II, 824, 876. Electi in reprobis agnoscunt quid eis misericordia divina largita sit. II, 822, 824, 860, 876, 887, 986. Solvitur objectio dicentium, *Quid adhuc conqueritur*, etc. II, 822, 882, 884, 888. Electi in laude dicuntur. III, 1619. Electorum nomen non invenitur in malo, nisi quando mali eliguntur a malis. III, 579. Electorum varia symbola et figuræ. III, 632. Electi comparantur pupillæ oculi Dei. VII, 705. Electi significati numero piscium. V, 1168.

Electi Manichæorum. IV, 1822; VIII, 35; IX, 357. Electorum vita vana, et inepta sacrilegia. VIII, 226. Electi isti non salvandi a Deo, sed salvatores Dei. IV, 1825. *Vide* Manichæi.

Eleemosyna græce misericordia est. V, 1043. Eleemosyna est opus misericordiæ. VI, 268. Eleemosyna commendatur. III, 2023, 2024; IV, 423, 965, 964, 1922; VII, 25. Eleemosynæ bona. V, 524. Virtus ejus ad redimenda peccata. V, 407. Eleemosynam impendi Dominus jubet. II, 1092. Eleemosyna in pauperem sacrificium est Christiani. V, 252. Eleemosyna exordium caritatis. III, 2019 Eleemosynæ, munera sunt in quibus rex adoratur. IV, 511. Consilium Dei de faciendis eleemosynis nunc amplectendum. V, 530. Eleemosynam Christus tacitus exigit; et major est vox tacentis, quia in Evangelio non tacet. IV, 1910. Egenus alius te quærit, alium tu debes quærere. IV, 1567, 1911. Deus egere a te voluit, et tu manus retrahis. IV, 1922. Non sub te ploret primo pauper, ut gaudeat de te pauper. IV, 1863. Christus in paupere eget. V, 240, 243, 1129. In paupere pascendum se præbere dignatur. V, 615. Deus in paupere accipit et pascitur. V, 524, 1067. Christus dat de cœlo, accipit in terra. V, 253. Christus nihil a te petit, nisi quod tibi dedit: ipse largitor vult fieri debitor. V, 686. Eleemosynam præcipiens Deus, non de re illius cui jubet, sed de re sua jubet donari. V, 526. Considerent homines quantum sit meritum Christum pavisse esurientem, et quale sit crimen Christum contempsisse esurientem. V, 408. Eleemosynam erogans ex caritate duos pascit, eum nempe

qui panem esurit, et eum qui justitiam. III, 2011. Deo credimus quæ pauperi largimur. II, 1092.

Eleemosyna pium fœnus Deo. V, 239, 1706. Eleemosynam facientis mercatura. V, 410. Præmittendæ in cœlum divitiæ. V, 405. Necessaria dat homo, ut hîc diutius vel misere vivat; non dat superflua, ut in æternum cum Christo regnet. V, 1587. Eleemosyna tua vide quid emas, quando emas, quanti emas. IV, 1326. Illi dant pretium redemptionis animæ suæ, qui non cessant eleemosynas facere. IV, 549. Non eris egenus tribuendo, quia thesaurus cœlestis certius possidetur. IV, 1469. Vis aliquid invenire in manibus tuis postea? noli contemnere modo manum pauperis; et respice manus inanes, si vis habere manus plenas. IV, 963, 964. Quærendi sunt quibus eleemosynam faciamus. IV, 1366, 1367.

Eleemosyna non de rapinis, sed de justis laboribus facienda. V, 648, 962 Erogari sibi vult Deus ex eo quod dedit. IV, 1922. Eleemosynam qui dat pauperi, non de suo dat; sed de re Domini. V, 326. De illius das, qui jubet ut des: prærogator esto, non invasor. IV, 1923. Eleemosyna redditio est, non largitio. IV, 1256. Simile est fraudi, si quis superflua sua non tribuerit indigenti. V, 1041. Superflua divitum, necessaria sunt pauperum. IV, 1922. Res alienæ possidentur, cum superflua possidentur. IV, 1922.

Eleemosynæ. Sepone aliquid tamquam debitum, quasi fisco reddendum. IV, 1911. Eleemosynæ fixum aliquid deputandum vel ex annuis fructibus vel ex quotidianis quæstibus. IV, 1911. Nam quasi de vivo videris dare, et necesse est trepidet manus tua, quando illam porrigis ad id quod non devoveras. IV, 1911. Eleemosynæ qua mensura, et quo fine faciendæ. V, 243, 255. Decimas redditiuum tuorum dare parum est. IV, 1911. Pharisæi, super quos debet abundare justitia tua, decimas dabant; tu autem nec millesimam. IV, 1911. In eleemosynis habetur modus, non in conquirendis divitiis. V, 89. *Vide* Divitiæ. Qui aliquid pauperi dedit, et alia perdidit, videat quia perdidit quod non dedit. IV, 588. A faciendis eleemosynis tinea malæ cogitationis revocans. V, 959. Avaritia se excusat specie pietatis erga filios. V, 89. Christus cum filiis debet in partem hæreditatis venire. IV, 421, 552; V, 1572. Filiis meis servo, vox pietatis, excusatio iniquitatis. IV, 422. Non perdunt homines quod erogant: servo commendant, et tutum est; Christo commendant, et perit? IV, 423, 552, 1769. Deus ipse servat quod pauperi datur. V, 524. Hoc solum non perit, quod das pauperi: alia vero quæ non dederis, et abundant tibi, aut cum vivis amittis, aut cum moreris dimittis. V, 253. Eleemosyna non perditur, sed servatur pecunia. V, 405. Portio filii mortui debetur Christo. V, 90.

Eleemosyna quomodo facienda. III, 1272, 1273, 1274. Eleemosyna cupiditatem temporalium commodorum misere prohibetur. V, 806. Ex animo facienda. IV, 482. Eroganda est cum humilitate et hilaritate. V, 1200. Non superbe, neque parce facienda. V, 89. Super pauperem non sese efferat, qui ipsum juvat. V, 1128. Eleemosynæ Pharisæorum insufficientes. V, 626. Eleemosyna plerumque fit a tristibus et a murmurantibus, ut careant tædio interpellantis, non ut reficiant viscera indigentis. IV, 482. Si panem dederis tristis, et panem et meritum perdidisti. IV, 482. Eleemosyna de corde procedit. Si manum porrigas, nec in corde miserearis, nihil fecisti: si autem in corde miserearis, etiamsi non habeas quod porrigas, acceptat Deus eleemosynam tuam. IV, 1660. Eleemosynam quomodo jubemur dare omni petenti, et prohibemur dare peccatori. IV, 1327. Eleemosyna in pauperes etiam simulatores. V, 251. Eleemosynam fac et cum malo, ut pervenias et ad bonum. V, 251. Fac misericordiam iniquo, non tamquam iniquo: da operi Dei, noli operi hominis. IV, 1326, 1327. Deus non cui detur, sed quo animo detur attendit. VII, 748. Largiores eleemosynas non faciat uxor sine mariti arbitrio. II, 1079, 1080.

Eleemosynas facere quomodo possint pauperes. IV, 1664, 1665. Habet semper unde det, cui pectus plenum est caritatis. IV, 371. Coronat Deus intus voluntatem, ubi non invenit facultatem. IV, 1551. Quid det qui calicem aquæ frigidæ dederit, expenditur. IV, 1665.

Eleemosyna fiat in occulto. IV, 512. Quomodo publice fieri debet. IV, 512. Eleemosyna dupla est ejus qui manu sua erogat. V, 1200. *Vide* Opera misericordiæ. Eleemosynis amicitia pauperum comparanda. V, 250. Eleemosynæ operam, lilicanda tempore Quadragesimæ. V, 1042, 1045.

Eleemosynæ multum adjuvant orationem. II, 503, 507; VII, 747. Eleemosyna et jejunium duæ orationis alæ. IV, 482. V, 398. Eleemosyna et jejunio oratio volenda. V, 811, 1041, 1046. Hæc justitia hominis in hac vita, jejunium, eleemosyna, oratio. IV, 482. Hæc tria sunt leviuum peccatorum remedia. V, 88. Eleemosynas quomodo oratio ipsa facit. V, 1041.

Eleemosynas dignas non faciunt qui male vivunt. VII, 747, 748. Quibusnam eleemosynæ proderunt in judicio. VII, 750. Illis prosunt, qui vitam mutarunt. V, 243; VI, 265, 267, 268. Nihil prosunt iis qui a libidinibus et criminibus non abstinuerint. II, 675. Nummi tui convertuntur in bonum, et tu remanes malus? V, 650. Si ideo das ut liceat tibi semper peccare impune, non Christum pascis, sed judicem corrumpere conaris. V, 243. Eleemosynam primum facere animæ suæ quisque tenetur. VI, 268; VII, 748. Eleemosyna an sine fide mundare possit. V, 626.

Eleemosynarum multa genera. VI, 265. Eleemosynæ duplex genus, dimittere et dare. V, 252, 1041, 1199, 1557. Eleemosyna una fit de corde, altera de substantia. V, 398. Eleemosynæ genus alterum, parcere inimicis. V, 1042, 1045, 1053. Eleemosyna ea nihil est majus, qua ex corde dimittimus quod in nos quisque peccavit. VI, 266. Nemo pauper in hoc eleemosynæ genere. V, 1042, 1053. Eleemosyna vera quæ fieri jubetur. V, 626. Eleemosynis omnis benevolentia et beneficentia, vel dandi vel ignoscendi significatur. X, 500. Eleemosyna nulla major ea quæ nobis Dei incarnatione collata est. V, 1043.

Eleemosynæ pro mortuis. VI, 158. *Vide* Avarus. Pecunia. Eleemosyna mercenaria non sit. IV, 1327. Eleemosynarum merces. V, 253, 525, 1025. Remuneratio pro eleemosynis unde colligitur. VII, 27. De solis eleemosynis mentio facienda in judicio, quare. V, 407, 1700. Ad eleemosynas faciendas exhortatio. V, 90, 642, 686, 1651, 1671, 1700.

Elementa mundi. VII, 120. Elementa corporis quatuor. IV, 91. Elementa quinque Manichæorum. VIII, 55, 210. Elementa an quatuor an plura sint, præter fidem quæritur. X, 398. Elementorum ordo secundum philosophos. V, 1140. Elementorum ordo et situs non invariabilis. VII, 774. Non tantum locis, sed qualitatibus propriis distinguuntur elementa. III, 263, 264. Elementa habent vim et qualitatem suam definitam. III, 406. In elementis latent occulta quædam semina rerum quæ corporaliter visibiliterque nascuntur. VIII, 875. Quidam philosophi cuique elemento sua animalia tribuunt. III, 284; VII, 242. De elementorum conversione sententiæ variæ. III, 280. Elementorum pondera. V, 1141. Elementa in recensione operum creationis non prætermissa sunt. III, 227, 258, 280.

Elephantiosus. V, 489. Elephantaria. IX, 507, 528, 550.

*Eleusynæ* sacra. VII, 210.

*Eleusinus*. V, 1580, 1581. Eleusinus vir Tribunitius. VII, 768. Apud Thamugadenses Tribunus. II, 941.

*Eleutherius* episcopus. X, 652, 663.

*Elias* et *Enoch* non permissi sunt hîc vivere, quia nemo hîc sine peccato potest vivere. II, 872. Vivunt forte in paradiso unde ejectus est Adam. X, 1593. Nec morbo nec senectute deficiunt. III, 397. Eliæ status inter jam beatorum, et adhuc peregrinantium statum medius. III, 396. Translatio ejus non probat mortem non esse pœnam peccati. II, 871. Elias et Enoch aliquando morituri sunt ex quorumdam sententia. II, 871; V, 1375. Et redituri ad hanc vitam ut mortis debitum solvant. III, 397.

Eliæ adventus ante judicium. VII, 704. Hoc erit Elias ad, secundum adventum, quod Johannes ad primum. III, 1408. Elias docebit Judæos amorem erga Christum. VII, 704. Et Legem intelligere spiritaliter. VII, 704. Eliæ animam in Johannem fuisse revolutam quidam hæretici opinati sunt. III, 725. Elias mortuos suscitavit. II, 521. Non duxisse uxorem nec procreasse filios creditur. III, 396. Licite sacrificavit extra templum Dei. III, 702. Cur ad viduam mittitur. III, 1416. Ad viduam mittitur pascendus, ut beneficium præstetur pascenti. V, 98, 1128, 1258. Elias personam gestavit prophetiæ. V, 1216.

*Eliezer* juramentum, prædictio de Christo. VII, 512.

Eligere bonum ex Deo est. X, 314. Non eligimus Deum, nisi prius eligamur. V, 210. *Vide* Electi.

*Elisabeth* fuit de filiabus Aaron. III, 809.

*Elisæus* in suscitatione pueri typum gessit Domini. V, 176. Elisæi facto, Legis insufficientia et gratiæ necessitas figurata. V, 176, 755.

Elisæi et baculi ejus allegoria. X, 617. Elisæus mortuos suscitavit. II, 521. Elisæi calvities a pueris irrisa quid significet. IV, 1056, 1069.

Elleborum modo cibus, modo venenum, modo medicamentum. I, 1350.

Ellipsis Græco et Hebræo eloquio familiaris. III, 524.

*Elpidius* Arianus Augustinum Bonoso et Jasoni doctissimis, ut scribit, viris mittit, putans eum errare, et ab errore volens revocare. II, 1055.

Elogium, id est, vituperatio. V, 1571.

Eloqui parum, etsi multum loqui. II, 1023.

Eloquentia quid. IX, 447. Eloquentiæ vis. IV, 1762. Ejus inanitas. IV, 1762. Eloquentiam de civitate ac de humani generis societate pellendam judicasse nonnullos refert Plato. IX, 448. Eloquentiam accusat Cresconius. IX 447.

448, 455. Eloquentiæ criminatio refellitur. IX, 547. Eloquentiæ defensio. IX, 447. Eloquentia quatenus utilis. IX, 448. Prava diserte dicta, valde sunt noxia. X, 495. Nullo modo sonat diserte, quod dicitur inepte. IX, 283. Eloquentia cum sapientia in sacris auctoribus juncta est. III, 92. Et in sacris litteris. III, 93, 94, 95. Sapientia sine eloquentia parum prodest civitatibus : eloquentia sine sapientia nimium obest, plerumque numquam prodest. III, 91. Quis sapienter dicit. III, 92. Eloquenter et sapienter dicere, quid sit. III, 119. Qui sapienter et eloquenter dicit, vivit autem nequiter, erudit quidem multos, quamvis animæ suæ sit inutilis. III, 118. Eloquentiæ malus usus quis. X, 476. Eloquentia non ab hominibus instituta. III, 60. De fine, officio, et partibus eloquentiæ agitur in toto libro quarto de doctrina Christiana. Eloquens non immerito dici potest, qui docet, delectat et flectit. III, 104. Eloquentia quæ huic sæculo placet, non pascit fidem. IV, 995. Eloquentes muti sunt, qui dum laudant creaturam, obliviscuntur creatorem. IV, 1873.

Eloquia divina salubria sunt bene intelligentibus, periculosa his qui ea volunt ad sui cordis perversitatem detorquere. IV, 543.

Elysiis campis beatorum gaudia significari videntur. VII, 810.

*Emaüs.* Apertio oculorum discipulorum Emaüs non figurative accipienda. III, 446.

Emendandus est qui odio emendat. IV, 1824. Etiam eos quos emendas, multum amas. IV, 229. Sive laudiatur Deus, sive emendet, eum erudit cui parat hæreditatem. IV, 628. Rectum cor est non resistere patri emendanti, et credere pollicenti. IV, 1468. Sæpe filios per nequissimos servos pater emendat. IV, 1499.

Emendatio non differenda. III, 1651.

Emere. V, 662, 910. Emere vili volunt omnes, et caro vendere. VIII, 1017. Exemplum huic dicto contrarium. VIII, 1018. Emere de hastario. II, 557. Emere cupiens alterius villam quomodo iniquus. V, 204. Deus non vult perire quos emit. V, 153. Potens homo non potest perdere quod emit auro suo, et Christus perdit quod emit sanguine suo. V, 1253.

*Emeritus* Donatistarum episcopus. IX, 600, 698, 699. Apud Cæsaream. IX, 697, 698. Bono ingenio prædictus ac doctrinis liberalibus eruditus. II, 297, 298, 501. Unus e septem selectis ad disputandum in Carthaginensi collatione cum Catholicis. I, 650. In altera collatione apud Cæsaream obmutescit disputante Augustino. I, 650. Illi pridem miserat Augustinus epistolam. II, 299. Emeritus in dissensione Donati pertinax permansit. IX, 708, 731, 732, 743. Dictavit sententiam concilii Bagaitani adversus Maximianistas. IX, 53, *not.* (*b*). Gesta cum Emerito. IX, 712, 739.

Empiricam artem continet medicinalis disciplina. X, 528.

Ἐναντίον. VII, 483.

Encænia, festivitas dedicationis Templi. III, 1741.

Enchiridion quid. VI, 233.

*Encratitæ.* VIII, 30. Schismatici Tatiani secundum Epiphanium. VIII, 30.

*Endor*, interpretatur fons generationis. IV, 1054.

*Ennius* poeta. VIII, 1018. Euhemeri historiam in latinum vertit eloquium. VII, 217. Ennii dictum de laudis cupiditate. II, 1024.

Ἔννοιαι. VII, 252.

*Enoch* dedicatio interpretatur. VII, 460, 461, 462. An Enoch primus filius Cain. VII, 447.

*Enoch* translatus est. III, 397. Enoch et Elias creduntur translati ubi est lignum vitæ. X, 1581. Ubi sint, præter fidem quæritur. X, 398. Gratia etiam eis collatum est ut non peccent. X, 1581. Adhuc vivunt, non tamen in spiritalem qualitatem corpori promissam post resurrectionem commutati. X, 111. Vivunt in corporibus, in quibus nati sunt. X, 398. Unde vivunt. X, 111. Redituri huc, et morituri creduntur. X, 1581. Enoch septimi ab Adam raptus quid significat. VII, 598; VIII, 262. Enoch prophetasse dici potest. VII, 598. Quare scripta Enoch in auctoritate non fuerunt. VII, 470, 598. Enoch genuit filios. III, 397. *Vide* Elias.

*Enos* interpretatur homo, vocabulum soli viro proprium. VII, 460.

*Entellus.* VIII, 574. Entelli cæstus. II, 238, 247, 249.

Entheca est gazæ repositorium. V, 1572.

*Epaphus* pater Libyæ matris Busiridis. VII, 570.

Ephemeridarum inspectores reprehenduntur. IV, 456.

Ephud, seu Ephod unum de sacramentis tabernaculi. III, 805. Ephod sacerdotalis honoris insigne. III, 806. Ephod utebatur solus summus sacerdos. III, 807.

*Ephrata* interpretatur speculum. IV, 1720.

*Ephræm* fructificatio interpretatur. IV, 719, 1022.

Ἐφιάλται, milites Classiarii. II, 977, *not.* (*a*). X, 915.

*Epictetus* philosophus Stoicus. VII, 259.

*Epicurus.* VIII, 72. Democriti hæres. I, 916. Solem vel ullum siderum Deum esse non credidit. VII, 601. Nec Jovem, nec ullum deorum in mundo habitare contendit, ad quem preces hominum perveniant. VII, 601. Felicitatem in voluptate collocabat. I, 942; VIII, 1019. Voluptatem corporis summum bonum dixit. IV, 944. Ab ipsis philosophis porcus nominatus est. IV, 944. Post mortem restare animæ vitam et tractus meritorum credere noluit. I, 752; IV, 944. Geometricis litteris Archimedis insensus erat. VIII, 74. Epicuri atomi. II, 64, 445. Refelluntur. II, 63. *Vide* Atomi. Principia.

*Epicurei* philosophi. VII, 230, 232. Dialecticæ periti. IX, 455. Imperitia liberalium disciplinarum eos non solum non pudebat, verum etiam delectabat. IX, 655. Epicurei et Stoici regulam comprehendendæ veritatis in sensibus ponebant, Platonici in sola intelligentia. II, 441. Epicurei numquam corporis sensus falli, Stoici falli aliquando dicebant. II, 441. Epicurei de anima quid sentiant. V, 811. Mortem malorum omnium esse finem putant, sicut et ii qui animam mortalem censent. II, 389. Negant futuram vitam. V, 1528. Post mortem nullum omnino esse sensum putarunt. II, 668. Negant et Deum res humanas curare. V, 1528. Epicurei secundum carnem viventes, Stoici secundum animam. V, 853. Epicureorum opinio de beata vita. V, 809. Ubi adest dolor, præteritæ voluptatis imagine se pascunt. V, 1528. Summum bonum posuerunt in corpore. II, 439. Refelluntur. II, 439. Epicurei et Stoici cum Apostolo conferentes. V, 809. Paulo fidem præseminanti contradixerunt. II, 442. Epicurei moribus quidam Christiani. V, 811. Epicureorum et Stoicorum sectæ exstinctæ. II, 442. Epicureorum jam nec calent cineres. II, 437.

*Epidaurus* Achaiæ oppidum. VII, 87, *not.* (*b*).

*Epimenides* Cretensis. VIII, 646.

Epiphania manifestatio Christi. V, 1028. De qua festivitas merito instituta. V, 1035. Epiphaniæ diem celebrat universa Ecclesia Gentium. V, 1033. Tredecim dies post natalem Christi, quo scilicet die traditur a Magis adoratus. V, 1035. Epiphaniæ diem cum Catholicis celebrare numquam Donatistæ voluerunt. V, 1033. Quid erit tribunal judicantis, quando superbos reges cunæ terrebant infantis? V, 1029.

*Epiphanius* Cyprius episcopus Constantiæ, seu Salaminæ. VIII, 23, *not.* (*a*). In catholicæ fidei doctrina laudabiliter diffamatus, hæreses ante et post Domini adventum LXXX. collegit. II, 999; VIII, 23, *not.* (*a*), 41; X, 1366. Quo usque librum de hæresibus produxit. VIII, 41. Epiphanius hic Philastrio longe doctior. II, 999.

Episcopus unde dictus. V, 580; VII, 647. Episcopus latine interpretatur superintentor, quia superintendit. IV, 1669. Ideo altior locus ei positus est. IV, 1669. V, 1567. Episcoporum locus altior periculosus. IV, 1669. Episcopatus speculum, ecula vinitoris est, non fastigium superbientis. IX, 702. Episcopatus nomen est operis, non honoris. VII, 647. Episcopi custodes sunt, pastores sunt, sed sub Christo custode et pastore. IV, 1669. Episcopi fieri non possunt Christiani seducti sive a paganis, sive ab hæreticis, cum ad Ecclesiam redeunt. IX, 478. Episcopum cur non licet ordinare, nisi uxoris unius virum. VI, 387. Nec qui habuerit alteram, etiam dum paganus vel catechumenus erat. VI, 387. Id non ad vitæ bonæ meritum exigitur, sed ordinationis Ecclesiasticæ signaculum. VI, 388. Quodnam est signaculum. VI, 388. Episcopi benedictio privatim. VII, 762.

Episcopatus presbyterio major secundum honorum vocabula, quæ jam Ecclesiæ usus obtinuit. II, 280. Episcopatus ipse et tota hujus nominis auctoritas a Petro emersit, ex Innoc. II, 780, 784. Episcopatus quo animo suscipiendus, et quomodo in eo vivendum. VII, 647. Coactione opus est ergastulorum ut episcopatum suscipiant. II, 754.

Episcopalis officii partes. V, 1484. Episcopi officium ex mente Pagani. II, 315, 316. Episcopatui non est artificium transigendæ vitæ fallacis. II, 296. Episcopus non est, qui præesse dilexerit, non prodesse. VII, 647. Episcopi patres appellati. IV, 515. Episcopus laici filius, pater est patris. IV, 1450. Episcopi servi Ecclesiæ. VI, 577. Episcopi non propter se sunt, sed propter eos quibus verbum et sacramentum Dominicum ministrant. IX, 474, 702. Contra officium suum sibi facere videtur Augustinus, si temporis stipes aliis rebus impendat, quam servitutis suæ necessitati. II, 421. Occupationibus hominum ante et post meridiem implicatur Augustinus. II, 968. Petiit ut per quinque dies nemo sibi molestus esset, propter curam scripturarum ducibus Conciliis ipsi demandatam : placuit, gesta confecta sunt, nec tamen hoc diu obtinuit. II, 968. Episcopum ecclesiasticis curis distractum, Tullianorum dialogorum quæstiunculas exponere dedecorum est. II, 432, 456, 457.

Episcopalis sarcinæ pondus. V, 960, 1480, 1482, 1687. Episcopi sarcina quid bene portata, quid male gesta meretur. V, 1480. Episcopo demandata radicandi instantia. IX, 455. Episcopum non solum doctum, sed et docibilem esse

oportet. IX, 157, 194. Prædicationis onus grave, sed ab eo non est dimittendum. V, 1481. Etiamsi non audiatur. V, 1481. Episcopus de superiore loco loquitur. V, 608, 761. Nec quod dat, de suo dat; sed de illius a quo accipit et ipse. V, 608, 618. Episcopus qua ratione teneatur docentes quæ non oportet refellere. II, 133, 135. Episcopo quanta cura de aliorum salute imposita. V, 1480. Episcopus est propter correptionis officium. VII, 25. Episcopo proditi ab uxoribus adulteri quomodo corripiantur. V, 511. Episcopi vicem graviter dolet Aug. quod dicatur se humilem præbere debere erga virum qui nefaria patrasset. II, 647. Episcopi an mediatores. IX, 59, 60. In Ecclesia Antistes clara voce deprecatur. II, 221. Episcopi etiam mali orantes pro populo exaudiuntur. IX, 60. *Vide* Sacerdos. Episcopi benedictio super populum. II, 761, 775. Episcopalem benedictionem inutilem esse sequitur ex hæresi Pelagiana. II, 761, 775. Episcopi vexabantur a litigantibus. IV, 1570. Episcopus pius rem habere cogitur cum sæcularibus potestatibus, ac multa indigna pati. V, 1391. Sacerdotii officium esse intervenire pro reis. II, 652, 654. Hoc ex religione descendere approbatur. II, 654. Quo animo id præstetur. II, 654. Episcopum quomodo adeant, qui metuunt ne in carcerem mittantur. V, 879. Augustinus ut amicus petit, ut episcopus consulit, imo jubet ne judex agat aliud, quam quod consulit. II, 510.

Episcopus pauperum procurationem gerit. II, 809. Episcopi tutores pupillorum. V, 950. Episcopi uti fruique rebus ecclesiæ tamquam possessores et domini existimantur. II, 474, 480. Episcopos divites culpando, et Pascha cum Judæis celebrando schisma fecerunt Vadiani. VIII, 39. Episcopus curam habeat de bono nomine, curet præcipue avarus non audiri. II, 292. Sicuti et Paulus faciebat. II, 293. Episcopos vel a sola avaritiæ maligna specie alienos esse decet. II, 292, 293. Episcoporum turpis avaritia Cypriani ævo. II, 410. Episcopis incumbit necessitas recipiendi hospites. V, 1570. Episcopi domus. V, 1569, 1670. Sunt falsi episcopi, sicut sunt falsi angeli et falsi apostoli. IX, 271 Episcoporum nonnullorum vitia a Cypriano relata. IX, 518 Episcopus non arbitretur ideo sibi non posse subrepere injustam commotionem, quia episcopus est. II, 1067. Episcopi mali non obsunt populis bonis. IX, 55, 56, 57, 58.

Episcoporum est de ecclesiasticis causis judicare. II, 169. Episcoporum lis ab Episcopis audienda. IX, 579. Episcopus tam judicari ab alio non potest, quam nec ipse potest alterum judicare. IX, 128, 141, 201. Seditio est contra primam Sedem, ut episcopus nonnullos damnare velit, quos primas vult differri. II, 164. Episcopis inflictæ pœnæ triplex genus. II, 955. Episcopum degradatum suscipere nolens plebs, nec cogi potest, nec debet. II, 234. Qui amissum honorem per quaslibet violentias conatur recipere, non vult Christo volenti servire, sed Christianis nolentibus dominari. II, 234. Episcopum, nisi amisso ordine, baptizandi potestatem non potuisse amittere. II, 193. Episcopus peregrinus juxta collegam considet. II, 489. Episcopus quilibet Ecclesiæ catholicæ qualiscumque sit, nullo ecclesiastico judicio damnatus, ceterorum est collega. II, 295. Episcopi non primates in Tractoria eo ordine, quo facti sunt, nominandi. II, 226. Episcopalem alterius personam in scribendo se non satis cogitasse August. ex animo pœnitet. II, 623. Episcopo Donatistæ scribens Augustinus cur non citet episcopi nomen. II, 94. Episcopi cum epistolam episcopis scribunt, civitatum nomina non addunt. IX, 576. Litteras alicujus commendandi gratia negare se non posse profitetur Aug. II, 646. Episcopi ad plebem, quæ dispensationi eorum commissa non est, ultro scribere non possunt. II, 234. Ad Episcopum non pertinet cura nisi propriæ ecclesiæ; in aliis id agit quod permittunt vel cupiunt earum episcopi. II, 133. Coepiscopatus sarcinam, nonnullis jam exemplis præcedentibus, Augustinus suscipit. II, 123. Episcopum ordinandum curat August. in castello ab Hippone quadraginta millibus dissito, quod ei adhibendæ diligentiæ non sufficeret. II, 953. Ordinationis hujus causa primas vocatur. II, 954. Offert Augustinus non petentibus adolescentem tantum in lectoris gradu constitutum, et acceptus fit episcopus. II, 954. Qui deinde apud Augustinum accusatus ac judicatus, ad Sedem apostolicam appellavit. II, 954. Episcoporum culpas, salvo episcopatus honore, posse puniri. II, 954. Episcopatum presbytero parat Augustinus deferre, sed ille eum omnimodo resistendo destituit. II, 953, 954. Post episcoporum obitus solent ecclesiæ per ambitiosos aut contentiosos perturbari. II, 966. Episcopus apud Milevim ordinatus est, quem præcedens episcopus designavit. II, 966. Non sine aliquorum nonnulla tristitia, quod nihil inde ad populum locutus, eum apud clericos tantum designasset. II, 966. Augustinus coram clero et populo ait: *Presbyterum Eraclium mihi successorem volo.* II 966. Designationis hujus Gesta. II, 966. Episcopo adhuc vivente ne alter ordinaretur, cautum est Nicæno concilio. II, 967. Alypius sedis apostolicæ dicitur collocatus. II, 99. Laudatur Alyp. quod monasticam vitam cum Episcopi munere conjungat. II, 99. Episcopis liberum est, salvo jure communionis non solum verum quærere, sed et diversum sentire. IX, 141.

Episcopalia Gesta. V, 1576. Episcoporum translatio illicita. II, 954. Episcopum se esse Cyprianus, nec instante martyrio est oblitus. V, 1411. Abscedit Augustinus Carthagine, ubi cogebatur facere quod non deceret. II, 646. Episcopum episcoporum nemo se constituit. IX, 142.

Episcopatus officium interdum laudabiliter ponitur. IX, 474. Episcopalis dignitas fructuosior nobis erit, si gregem magis deposita collegerit, quam retenta disperserit. II, 489. Episcopatus sarcinam propter Ecclesiæ vitanda pericula deposuisse longe est gloriosius, quam propter regenda gubernacula suscepisse. II, 259. Episcopatu Vaginensi gloriose cessit Maximianus. II, 259, *et not.* Episcopatum pro Christi unitate deponere parati omnes episcopi catholici qui aderant collationi Carthaginensi. IX, 615, 700, 701. Episcopatus societas Donatistis oblata. V, 1588, 1595. Episcopatus vel clericatus honor Donatistis ad Ecclesiam transeuntibus non aufertur, propter bonum pacis, et ex sola clementia. II, 812, 813. Episcopus quisque actum suum disponit et dirigit, rationem propositi sui Domino redditurus. II, 541. Episcopi vel inferioris ordinis ecclesiarum præpositi, an piscatorum similitudine intelligendi. VI, 219. Episcoporum ab ipsis Apostolorum sedibus inconcussa series. IX, 506. Episcopatus officium cuique patrifamilias impositum. V, 580.

Epistolæ formatæ. II, 175. Epistolaris modus ex institutione veterum. II, 1054. Epistolarum usitatarum modus non custodiendus, nec a veteribus est custoditus, ubi id ageret quod breviter explicari non valeret. II, 859.

Epistolam ad Hebræos quidam negabant esse apostoli Pauli. VII, 500.

Epithalamia seu carmina a scholasticis in nuptiis dici solita. IV, 494, 495.

Epithema tumoris Apostolo datum. V, 835.

Epulæ terræ hujus, medicamenta quotidiana sunt. V, 489. Epulas suas habet cor pium, epulas suas habet cor superbum. IV, 1290. Epulæ Dei mentes quærunt, non ventres. V, 581.

Equæ Cappadociæ vento concipiunt, fetusque earum non amplius triennio vivunt. VII, 715.

Equi nomine honor temporalis significatur. IV, 297, 1912. Equi potentatus, superbia. IV, 1912. Equus et mulus significant superbos. IV, 272.

*Eraclius* presbyter. II, 966. Sermonem habet præsente Augustino. V, 1717. Gesta quibus Augustini successor designatus est. II, 966. In illum refundit Augustinus negotia quæ populus ad ipsum perferebat. II, 968.

*Eraclius* presbyter. VIII, 709.

*Eraclius* diaconus. V, 1577.

*Eratus* rex Sicyoniorum. VII, 564.

Eremus mundum significat. IV, 917. Eremus Christiano est hic mundus. V, 37. Sciant Christiani ubi sint: in eremo sunt, patriæ suspirant. IV, 917. Eremus conscientiæ. V, 311.

*Erichthonius* quartus rex Atheniensium. VII, 569. Filius Vulcani et Minervæ quare creditus. VII, 570. Unde sic dictus. VII, 570.

Eridanus. De Mincio in Eridanum emigrare. II, 434.

Erigit nemo quemquam ad id quod ipse est, nisi aliquantum ad id in quo est, ille descendat. II, 77.

Erogare servi est, Domini rationem exigere. V, 1481. Erogare bona spiritalia, omnium est. V, 580. Eroganda pecunia, ut habeatur justitia. V, 410.

*Eros* episcopus Gallus. *Vide* Heros.

*Eros* carissimus Augustino, alius ab Herote Gallo. II, 189.

Error quid sit. VI, 239. Est falsi pro vero approbatio. I, 912. Error adulter animæ. II, 62, 529. Approbare falsa pro veris ut erret invitus, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati. I, 598; III, 840. Errat nemo in veritate. IV, 807. Errare quis non putandus est, cum aliquid se nescire scit, sed cum se putat scire quod nescit. II, 924. Quantum quisque errorem et falsitatem refugiat. VI, 240. Nemo vult cum quolibet errare. II, 286. Error turpitudine non caret. VIII, 83. Errorem putarunt Academici peccatum, quod vitari non possit, nisi omnis suspendatur assensio. VI, 242. Errores gentium maxime in duabus sectis eminere, quæ ad tempora Christiana durarint. II, 442. Error in re qualibet omni cura cavendus. VI, 239. Errores quam difficillime caventur. VIII, 173. Error in via pedum aliquando utilis, non in via morum. VI, 239. Quantum et in quo quisque erret, interest plurimum. VI, 239, 241. Et quam facile corrigat, vel quanta pertinacia suum defendere conetur erro-

rem. X, 1028. Excellentissima ingenia tanto in majores errores ierunt, quanto præfidentius tanquam suis viribus cucurrerunt. II, 669. Numquam tutius erratur, quam cum amore nimio veritatis erratur. VI, 487. *Vide* Falli. Non est pejor mors animæ, quam libertas erroris. II, 400. Errans disputator in quibus ferendus. V, 1348. Duo vitia quæ in errore hominum difficillime tolerantur. VIII, 845. Pertinacia in errore maxime cavenda. X, 375. Errare humanum est, diabolicum est per animositatem in errore remanere. V, 901.

Error definitur facilius quam finitur. I, 911. Error unde convalescit. X, 194. Errorem in sectis variis confirmat series successionis. IV, 857. Plerumque dediscit errare, cui nemo consentit, ait Innoc. II, 786. Nimis perverse se ipsum amat, qui et alios vult errare, ut error suus lateat. II, 586. Erroris hoc proprium est, ut quod cuique displicet, hoc etiam Deo displicere arbitretur. III, 208. Nihil tutius, quam ut abundent qui errores redarguant. II, 870. Errantes procliviores sunt quærere potius, qui i contra ea respondeant quæ objiciuntur errori, quam intendere quam sint salubria, ut careant errore. X, 260. Errores exsurgere non est mirandum, sed vigilandum ne noceant. II, 1084. Errorum tentationibus eruditi sanctos expedit. II, 1084. Si quis in aliquo errat, modo sit humilis, reducetur a Deo. IV, 1715. Eum qui in errorem lapsus sit, corripiendi ordo et exemplum. II, 991, 992. Errantes per totam faciem terræ. V, 280.

Erubescentia primorum parentum, unde. X, 444. Erubescentia de inobedientibus membris. X, 417. Membrorum erubescentia pœna peccati. X, 564, 565, 712. Erubescere facit ingenuam frontem verecundia, etiam de falsi criminis objectione. IV, 856. Erubescere si crimen est, ejus est qui falsum objicit, non cui objicitur. IV, 856. In contumeliis non erubescet vultus nisi superbi. IV, 514. De Christo non erubescendum. IV, 850, 851; V, 1278. Frontosus esto, quid times fronti tuæ, quam signo crucis Christi armasti. IV, 851. *Vide* Christus.

Eructuare. Manducas cum discis, eructuas cum doces : manducas cum audis, eructuas cum prædicas. IV, 1874. Si vultis eructuare gratiam, bibite gratiam. IV, 1875.

Eruditi nomine quis dignus. I, 1015. Eruditos et peritos Legis non ponebat Christus inter discipulos suos. III, 1446.

Erudivit Deus homines multis modis. IV, 1202. Hinc ille rationem exiget. IV, 1202. Eruditi non potest quisquam sine labore et dolore. IV, 1145. Eruditio quæ fit per molestias, in litteris ecclesiasticis vocatur disciplina. IV, 1547, 1548.

*Erutii* orationes. VIII, 76.

*Erythræa* Sybilla quo tempore vaticinata est. VII, 579, 581. Carmina ejus de Christo. VII, 579.

*Esaü* et Jacob benedictiones. V, 38, 56. Esaü et Jacob una et eadem sors ex patre, ex matre, ex conceptu, ex ortu; diversa tantum ex Deo. II, 887, 888. Quomodo Esaü Deus odio habuit, qui nihil odit eorum quæ fecit. VI, 122. Cur fidei donum ei subtractum. VI, 117. Cur non congruenter vocatus. VI, 119. An ex præscientia futuræ voluntatis est improbatus. VI, 117. Ejus reprobatio quomodo justa. VI, 113, 115. Esaü non damnatur indignus. II, 823. Quam dispar moribus a Jacob. VII, 144. Esaü non esca, sed usque ad contemptum sacramenti, quod in primatu suo habuit, concupita esca damnavit. II, 141. Esaü non propter offam suillam, sed propter lenticulam defricatam perdidit primogenita. V, 1045. Ægyptio cibo perdidit primogenita. I, 739, 799. Esaü primatum amittens victus concupiscentia, quid figurat. IV, 527, 558, 1772. Esaü quomodo supplantatus a Jacob. V, 47.

Esaü adoratus a Jacob, quid significet. IV, 1135. Esaü servivit Jacobo usque ad regem Joram. III, 567. Quomodo. III, 567. Esaü superbos et peccatores designat. IV, 527. Esaü pilosus et Jacob lenis, duo sunt Christianorum genera in utero Ecclesiæ genita. V, 41, 48. Esaü significat carnales in populo Dei. III, 567; IV, 1772. Jacob spirituales. V, 54. Esaü carnales significans, cur major dictus. V, 57. Esaü figuram gestavit veteris Synagogæ. IV, 1015, 1477. Esaü Judæorum symbolum, Jacob Christianorum. V, 55.

Esca pro cujusque corporis congruentia vel delectat vel offendit. VIII, 397. Escis animas inesse credebant Manichæi. VIII, 250, 252.

*Esdras* quo tempore scripsit. VII, 596. Quodammodo de Christo prophetavit. VII, 596. Magis rerum gestarum scriptor est habitus, quam propheta. VII, 596.

Esse sensibilia et insensibilia appetunt, et illud conservare. VII, 340. Nemo est qui non velit esse. VII, 340. Non esse a nemine eligitur. I, 1281. Ne quidem ab ipsis qui sibi mortem consciscunt. I, 1281. Nihil per divinam providentiam ad id ut non sit, pervenire permittitur. I, 1549. Nemo vere dicit se malle non esse, quam miserum esse. I, 1279. Magnum bonum est ipsum esse, quod et beati et miseri volunt. I, 1280. Quanto amplius esse amatur, tanto amplius vita æterna desideratur. I, 1280. Omnia vera sunt, in quantum sunt. I, 744. Omnia quæ sunt, jure laudanda sunt, quia bona sunt. I, 1280. Omne quod est, in quantum aliqua substantia est, et bonum est, et nonnisi a Deo esse potest. III, 456. In quantum sumus boni, sumus; in quantum mali sumus, minus sumus. III, 52. Homo est, et se esse novit, et id esse ac nosse diligit; in his tribus non fallitur homo. VII, 559. Esse ad lumen pertinet, non esse ad tenebras. IV, 109.

Esse nihil est quam unum esse. I, 1349. Esse vere, est semper eodem modo esse. III, 1679. Res quælibet si mutabilis est, non vere est. III, 1680, 1685. Id vere est quod incommutabiliter manet. I, 742; III, 52; IV, 1741; V, 61. Quod vere est, sine initio et sine termino est. IV, 1743. Esse verum, esse sincerum, esse germanum non habet, nisi qui non mutatur. V, 66. Esse nomen est incommutabilitatis. V, 66.

Esse vere, proprium Dei. VIII, 557. Nomen Dei proprium. V, 61, 66. Solus Deus est verum esse. IV, 1741. Creaturæ in comparatione Dei, non sunt. IV, 450. Quo sensu peccatores non habeant esse. IV, 450. Ab eo qui vere est, qui in contrarium pergit, ad non esse pergit. IV, 431. Omnis natura, in quantum natura est, esse cogitur. IV, 109. Quod nulla substantia est, nihil omnino est. IV, 844. Esse, vivere, intelligere. I, 1244. Ex intelligentia colligitur esse et vivere. I, 1244. Esse aliquid in aliquo, duobus dicitur. I, 895.

Esse, pro æstimari. III, 586.

Essentia quid. VII, 350. Essentia non aliter quam substantia solet intelligi. VIII, 959. Essentia et substantia, id est quod a priscis natura vocabatur. I, 1545. Essentia nulla est contraria Deo. VII, 350. Essentiarum gradus ordinati a Deo. VII, 350.

*Esther* liber, Scriptura sacra. X, 569. Quo tempore liber Esther scriptus. VII, 596.

Esurientes justitiam. V, 365.

Ethnici si quid divinum et rectum in doctrinis suis habere potuerunt, non improbaverunt sancti nostri, sed emendarunt. IX, 224, 251.

*Ethan* interpretatur fortis. IV, 940.

*Etruria*. Bellum grave Romanorum cum Etruria. VII, 65. Etruscorum regum tormenta. IX, 379.

*Eva* prima parens. V, 1459. Eva quid significet. III, 207, 215. Cur vita dicta. III, 212, 215. Eva curiositate peccavit. III, 446. Dedit fructum viro, fortassis etiam cum verbo suasorio. III, 445. Probabilius existimavit non esse mortem quam timuerat secuturam. III, 446. Eva etsi præcepti divini oblita fuisset, maximam tamen culpam incurrere non desiisset. III, 445. Evæ menti inerat amor propriæ potestatis, et quædam de se superba præsumptio. III, 445. Eva quatenus a serpente corrupta. X, 864. Evæ prævaricatio inexcusabilis. III, 445. Eva cur induta pelliceis tunicis. IV, 1541. Evæ parturientis dolores ex damnatione culpæ, non conditione naturæ. X, 1564, 1566. Evæ nomen, vita : magnum est Ecclesiæ sacramentum. X, 442. Eva figura Ecclesiæ. IV, 461. Evæ et Ecclesiæ formatio simul comparata. V, 1475. Evæ reliquiarum. I, 713. Eva nobis interior, caro nostra est. IV, 548.

Evacuare corpus peccati, quid. III, 2069.

*Evagrius*. II, 758, 780.

*Evangelistarum* auctoritas. VIII, 213. Quod Evangelistæ scripserunt, a Christo scriptum censeri debet. III, 1070. Quia in eis loquebatur spiritus unus, verum est etiam quod dixerit unus. V, 1118. Evangelistæ quo ordine scripserunt. III, 1043. Evangelistæ quatuor, quia sunt quatuor partes orbis terræ. III, 1043; IV, 1559. Evangelistæ quatuor in quatuor animalibus Apocalypseos intelliguntur. III, 1666. Alii aliis aptius intellexerunt. III, 1046. Evangelistæ salva narrationis veritate variant. V, 1117, 1150, 1153. Scripta eorum inter se non sunt contraria. VIII, 515. In texenda Christi generatione, ab invicem non dissentiunt. VIII, 217. Evangelistarum consensus de partitione vestimentorum Christi. III, 1947. Matthæus, Marcus, et Lucas plura dederunt præcepta vivendi, quam Joannes, quare. III, 995. Evangelistæ dicti sunt cœli. III, 870; IV, 154. Angeli. III, 873. Pedes Domini. IV, 1167. Sagittæ. IV, 150. In Angelis adscendentibus et descendentibus significati. VIII, 268. Evangelista proprie vocatur Philippus diaconus. V, 1226, 1227. Evangelista pro Evangelii prædicatore. V, 600.

Evangelium unde dictum. IV, 1417. Evangelium latine bonus nuntius vel bona annuntiatio. V, 266, 740; VIII, 210, 214. Evangelium et Instrumentum est et Testamentum. V, 1456. Evangelium non inimicum Legi, quomodo. VIII, 656. Evangelium lex Testamenti novi. V, 167. In Evangelio revelatur novi Testamenti gratia, quæ in Lege velabatur. IV, 1856. Evangelium unde et esse cœpit et nominari, su-

cundum Manichæos. VIII, 209. Unde secundum Catholicos. VIII, 213. Evangelium quomodo Faustus defuit. VIII, 219. Evangelium legunt et laudant Manichæi. III, 180. Ex eo quædam recipiebant Manichæi, quædam respuebant. VIII, 321, 323, 342. Quædam esse falsa dicebant. VIII, 359. Evangelium Apostoli dispensatione diviserunt, caritate junxerunt. IV, 541, 542.

Evangeliorum auctoritas. III, 1041. In Evangelium non cadit mendacium. V, 740. Evangelio non credebat Augustinus nisi propter auctoritatem Ecclesiæ. VIII, 176. Paulum non habuisse securitatem Evangelii prædicandi, nisi Petri et qui cum eo erant, fuisset sententia roboratus. II, 255. Evangeliorum dissonantia nulla esse secure creditur, donec intelligatur. V, 336. Exemplaribus græcis Evangeliorum major fides habenda. III, 1259. Evangelium quintum ab Hieronymo translatum. X, 1389. *Not.* (*a*). Evangelium Joannis cæteris supereminet. III, 993. Evangelii Joannis exordium quædam ad sapientiam, quædam ad scientiam pertinentia complectitur. VIII, 1013. Quædam quæ corporis sensu, quædam quæ animi ratione cognosci possunt. VIII, 1015. Evangelii secundum Joannem initium Platonicus quidam aureis litteris scribendum dicebat. VII, 309. Impletum nunc, quod in Evangelio prædicebatur. V, 417. Evangelicum lumen figuratum per faculas in hydriis fidelibus militum Gedeonis inclusas. III, 815.

Evangelii fides toto orbe recepta. V, 335. Evangelium nondum prædicatum est in nonnullis gentibus. IX, 205. Nondum permultis populis Africæ. II, 922. Evangelii gratiam meritis suis debitam, nec Gentibus, nisi susciperent sacramenta Legis, dandam esse credebant Judæi. VI, 111. Etsi verum esset homines post Evangelii prædicationem gravioribus quam antea malis premi, merito tamen hæc illis acciderent. II, 422. Evangelium sic audire oportet, quasi præsentem Dominum. III, 1652. Evangelium os Christi. V, 520. In illo etiam nunc nobiscum est Dominus. V, 784. Evangelia quatuor, drachmæ quatuor, quibus ab exactione hujus sæculi liberamur. IV, 1783. Ibi peccata nostra solvuntur. IV, 1783. Evangelium ponendum est ad cor, ut sanetur a peccatis. III, 1443.

Evangelium virga virtutis Christi. VII, 551. Vinum quod servatum est in nuptiis. III, 1459. Evangelica sacramenta in Christi dictis factisque signata, non omnibus patent. VI, 54. Evangelium magister est grandioribus, lex parvulis et pædagogus. VI, 37. Evangelio docemur quid amare debeamus, quid contemnere, quid agere, quid vitare, quid sperare. V, 1357.

Evangelium sine baptismo non perducit ad regnum cœlorum, nec vicissim. IX, 385. Evangelium accipere quid sit. VIII, 220. An non accipit, quisquis omnia non dimittit. VIII, 226. Varii gradus eorum qui Evangelica implent præcepta. VIII, 226, 228. Evangelicam vitam sectanti qualiter vivendum cum minus perfectis. II, 352. Evangelio quando Christus parat homines, nullam excusationem vult interponi carnalis temporalisque pietatis. V, 603.

Evangelii dispensatio an præstantior quam baptismi. IX, 385. Evangelii prædicatio per passiones prædicantium clarius et potentius facta est. VII, 612. Evangelii prædicatores pro veritate perpetiendo certarunt, moriendo vicerunt. VI, 179. Evangelicum lumen crevit morte Martyrum. III, 815. Evangelici ministri debent esse forma fidelibus vivendo. I, 857. Evangelium per occasionem prædicare. V, 609. Evangelium non caste prædicantes. IV, 139. Multi ministrant Evangelium, sed sibi ministrant. IV, 1291. Evangelizare qui cupiunt, relinquant hydriam suam. III, 1521. Evangelium non sit venale. V, 275. Evangelium pro quo laboravit Paulus usque ad vincula, quod erat. IV, 1448. Evangelii prædicatores accipiant sustentationem necessitatis a populo, mercedem dispensationis a Domino. V, 273. De Evangelio vivere Apostolis ali sque licitum, non jussum. VI, 553. Evangelizanti licet accipere carnalia pro spiritalibus. IV, 1366, 1367, 1910, 1911. Evangelizanti subveniendum est, antequam petat. IV, 1366, 1367, 1910. Evangelium ponitur ad caput cum dolet. III, 1443.

Eucaddires. II, 85.

Eucharistia. III, 71, 1723; VIII, 382, 658, 879, 881; IX, 202, 290, 669. Sacramentum. II, 200; IV, 1348; VII, 520, 741. Pretii nostri sacramentum. I, 778. Eucharistia pretium nostrum quod manduco et bibo et erogo, ait Augustinus. I, 810. Eucharistia, altaris sacramenta. V, 584. Et sacramentum altaris vocatur. V, 401. Item corpus Christi. V, 401. Pene sacramentum omnes corpus Christi dicunt. V, 1563. Panis et calix ideo dicuntur sacramenta, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur. V, 1247. Panis est corpus Christi, calix sanguis Christi. V, 1246. Eucharistia dicitur communicatio Dominici corporis. I, 720. Mensa Christi in medio Ecclesiæ constituta. V, 735. Mensa corporis et sanguinis Domini. III, 1753. Mensa magna unde accipimus corpus Christi et sanguinem. V, 195. Corpus et sanguinem Agni immaculati accipi in Ecclesia. II, 147. Christus de corpore ac sanguine suo dedit salubrem refectionem, ita ut non deficiat unde reficeris. V, 729. Quam brevem eis qui in partes concidendum putabant, de integritate sua solutionem dedit. V, 729. Si carnem Christi non haberemus, panem altaris non manducaremus. V, 726.

Eucharistia spiritalis alimonia quæ accipitur de altari Dei. V, 589. Eucharistiæ cibus et potus. V, 253. Eucharistia vitale convivium. V, 1649. De mensa Dominica non viles epulas, aut ignobiles potus, sed pius occisi Christi carnem prælibamus et sanguinem. V, 1662. Discrimen inter Eucharistiam et cibum temporalem. III, 1615. Non omnis panis, sed accipiens benedictionem Christi, fit corpus Christi. V, 1116. Fit nobis mysticus. VIII, 379. Panis ille, quem videtis in altari, sanctificatus per verbum Dei, corpus est Christi: calix ille, imo quod habet calix, sanctificatum per verbum Dei, sanguis est Christi. V, 1099, 1246. Cœnam manibus suis consecratam Christus discipulis dedit. V, 645. Ipsa est quæ nunc præparatur. V, 645. Ipsam cœnam fide quotidie manducamus. V, 645. Eucharistiam primam confectam manibus suis, et ore suo commendatam, Judæ sicut cæteris apostolis tradidit Christus. IV, 135; V, 453. Judam adhibuit ad convivium in quo corporis et sanguinis sui figuram discipulis commendavit et tradidit. IV, 75. Eucharistia signum corporis Christi. VIII, 144. Carnis suæ præcisas particulas daturum esse Dominum quidam putaverunt. IV, 1265. Christus discipulis insanire videbatur dicens: *Quicumque non manducaverit carnem meam, et biberit sanguinem meum*, etc. IV, 305. Corpus suum Christus ferebat in manibus suis, cum diceret, *Hoc est corpus meum*. IV, 306, 308. Salvator quo vehementius commendaret mysterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit altius infigere cordibus, et memoriæ discipulorum. II, 203. Cœna Domini post resurrectionem, ipsius manibus et ore firmata. V, 643. Tenetur et agnoscitur Christus ad fractionem panis. V, 558, 1111, 1118, 1127. Fractio panis in sacramento corporis Christi. II, 148. Noluit agnosci Christus a discipulis, nisi in fractione panis, propter nos qui non eum visuri eramus in carne, et tamen manducaturi eramus ejus carnem. V, 1118.

Eucharistia præfigurata. IV, 305. Figurata in pane et vino a Melchisedech Abrahæ propositis. VII, 500. Figuram hanc modo videmus impleri, quomodo, tacetur propter Catechumenos. V, 1407. Israelitarum cibus spiritalis quomodo idem ac noster. V, 1551.

Eucharistia sacrificium. VII, 655. Oblatio. IX, 58. Victima sancta quæ ex altari dispensatur. I, 778. Non quod videtur, sed quod creditur, pascit. V, 645. Sacramentum corporis Christi nihil aliud quam vitam vocant Christiani Punici. X, 128.

Eucharistiam nesciunt Catechumeni. III, 1477. Eucharistiæ mensam Catechumeni et Audientes vident, sed ad epulas non accedunt. V, 735. Norunt fideles quid accipiunt, quia per carnem benedicuntur. V, 58. Christum ubi agnoscamus, novit qui fidelis est; qui autem Catechumenus est, ignorat. V, 1111, 1116. Excitantur Catechumeni, ut nomine dato ad baptismum, subinde ad tales epulas accedere valeant. V, 754. De sacramento altaris sacri, quod hodie viderunt baptizati, nihil adhuc audierunt. V, 1102, 1246. Panis quotidianus, quod fideles accipiunt, quod baptizati accepturi sunt. V, 381. Quod norunt fideles, a tritico et vino. V, 48.

Eucharistia ad regeneratos pertinet. X, 1265. Est sacramentum fidelium. V, 649, 729. Non conceditur nisi iis qui baptismum susceperunt. III, 1477. Manducare non possunt corpus Christi nisi baptizati. II, 826. Nec vitam habere possunt qui non manducaverint. II, 785, 826, 984. Præter baptismum et participationem Eucharistiæ, non solum ad regnum Dei, sed nec ad salutem, et vitam æternam potest quisquam hominum pervenire. X, 128, 129. Ista sententia, *Nisi manducaveritis carnem meam*, etc. omnes tenet etiam infantes. X, 125. *Not.* (*a*), 124. Manducare non possunt corpus Christi nisi baptizati. II, 826. Nec vitam habere possunt qui non manducarint. II, 785, 826, 984. Eucharistiæ participatio necessaria parvulis ad vitam æternam consequendam, X, 576, 648. Eucharistia parvulis ministrata. X, 1154. Infantes mensæ Domini participes fiunt, ut habeant in se vitam. V, 943. Sanguinem quem per insaniam fuderunt homicidæ, per gratiam biberunt. IV, 517, 791. Credentes sanguinem biberunt, quem sæviendo fuderunt. V, 485, 497, 538, 554, 1550, 1685.

Eucharistiæ perceptio. VI, 202, 470. Vocatur cœna Dominica. II, 203. Sacramentum Eucharistiæ qua dispositione suscipiendum. III, 1610. Carnem Christi nemo manducabit, nisi prius adoraverit. IV, 1264. Qui manducant carnem Christi, et bibunt sanguinem Christi, cogitent quid manducent. V, 754. Eucharistiæ sacramentum etsi necesse est visibiliter celebrari, oportet tamen invisibiliter intelligi. IV, 1265. Tunc vita unicuique erit corpus et sanguis Christi, si quod in sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veri-

tate spiritaliter manducetur, spiritaliter bibatur. V, 729. Verum Christi corpus et sanguinem in sacramento etiam impii accipiunt. IX, 181. Ad altare in Ecclesia positum multi scelerati possunt accedere, ad altare aliud in cœlis non possunt. V, 1543. Corpus Christi manducant hæretici sacramento solo, Catholici re ipsa. VII, 734. Christi corpus manducare re vera, et non sacramento tenus, quid sit. VII, 742. Eucharistia corde manducanda. III, 1612. Modus quidam manducandi carnem Christi proprius piorum. V, 455.

Eucharistiam percepturis castitas commendatur. V, 735, 736. Nosti quo accedis, quid manduces, quid bibas; imo quem manduces, quem bibas; abstine te a fornicationibus. V, 85. Humilitas Christi in Incarnatione, et in altaris sacrificio declarata. IV, 305, 306, 312. Nisi esset humilis Christus, nec manducaretur, nec biberetur. IV, 305. Cœnam suam dedit Dominus, passionem suam dedit : ille saturatur, qui imitatur. IV, 170, 178, 545. Corpus humilitatis Domini sui manducant etiam divites terræ, nec saturantur usque ad imitationem, sed tamen adorant. IV, 170. Et ipsi superbi veniunt ad mensam Christi, accipiunt de corpore ejus; sed adorant tantum, non etiam saturantur. II, 567. Comederunt pauperes, et saturati sunt, talia passi, qualia manducaverunt. IV, 178. Nos de cruce Domini pascimur, quia corpus ipsius manducamus. IV, 1290.

Eucharistia bonos vivificat, malos mortificat. III, 1762. In Eucharistia habet fidelis ubi vivat, habet unde vivat, III, 1612. Manduca vitam, bibe vitam; habebis vitam, et integra est vita. V, 729. In corpore et sanguine suo Christus voluit esse salutem nostram. IV, 305. Eucharistiæ calix inebriat martyres ad capessenda cœlestia. IX, 298. Judæi de crucifixo Christo tenebrati sunt, nos manducando crucifixum, et bibendo, illuminamur. IV, 315. Eucharistia sacramentum pietatis, signum unitatis. III, 1612. Mysterium pacis et unitatis nostræ, quod idcirco in pane et vino consecratur. V, 1100, 1105 Concordia et unio effectus sacramentali corporis Christi. III, 1615, 1614. Soli illi manducant corpus Christi, qui sunt in compage membrorum ejus. VII, 742. Virtus quæ in Eucharistia intelligitur, ipsa unitas est; ut redacti in corpus Christi, effecti membra ejus, simus quod accipimus. V, 580. Corporis Christi sacramentum qui accipiunt, non omnes apud eum habituri sunt etiam locum promissum membris ejus V, 1565.

Eucharistia. Sanguine Christi acceptato, ab omnibus gentibus respondetur Amen. VIII, 259. Pretium nostrum accipitur, Amen respondetur. IV, 1665. Ad pignus Christi quotidie dicis, Amen. V, 1469. Ad mensam Domini accedentes, ibi respondent verba fidei. V, 145. Qui ad mensam Domini accedentes, illi respondent verba fidei, hi fideles vocantur. V, 145. Fideles ii, quibus Christi corpus erogatur. V, 649. Mysterium vestrum accipitis; ad id quod estis, Amen respondetis, et respondendo subscribitis. V, 1247. Audis, Corpus Christi, et respondes, Amen : esto membrum corporis Christi, ut verum sit Amen. V, 1247.

Eucharistiæ perceptionem cur præcedit oratio Dominica. V, 127. His verbis *Dimitte nobis*, etc. lota facie ad altare accedimus, et corpore ac sanguine Domini communicamus. V, 127.

Eucharistia panis noster quotidianus. V, 381, 580, 594, 645. Eucharistiæ sumptio quotidiana. X, 627, 998. Eucharistiam quotidie accipere debent fideles. V, 1099. Communicant alii quotidie, alii certis diebus. II, 200. Qui non audet quotidie sumere Eucharistiam, et qui non audet ullo die prætermittere, uterque corpus et sanguinem Domini honorat. II, 201. Contemptum solum non vult cibus iste, sicut nec manna fastidium. II, 201.

Eucharistiam simul accipiunt boni et mali. V, 584. In ipsa quam multi judicium sibi manducant et bibunt. V, 645. Qui manducant indigne, vere manducant, etsi judicium sibi manducant. V, 1229. Quam multos Judas implet satanas indigne accipientes buccellam. IV, 1854. Bene esse non potest male accipienti quod bonum est. IV, 1854. Non malum est quod datur, sed bonum malo in judicium datur. IV, 1854. *Vide* Sacrificium. Si bene vixeris, cibum Christum habebis; si a Christo recesseris, cibus draconis eris. IV, 1586. Exigitur de manducante quod manducat; non prohibeatur manducare a dispensatore, sed moneatur timere exactorem. IV, 545. Cum quis videt alium ad altare accedentem, quem novit indignum, quando inde nihil ipsi timendum V, 899, 900. Separatio ab Eucharistia intercedente aliquo gravore delicto. X, 627, 998. Crimina quæ a Christi communione separant. X, 628. Non perseverantes in via bona separantur a pane Eucharistiæ. V, 595, 401. Separatio a sacramento cœlestis panis per ecclesiasticam disciplinam pœnitenti humiliter amplectenda V, 1545. Parvula quædam a nutrice, dæmonum sacrilegiis impacta, postea in ecclesia illatam sibi Eucharistiam mari motibus resput. II, 301.

Eucharistia ad Memoriat martyrum celebrata. I, 720. Mensa constructa in loco sepulturæ Cypriani, in qua sacrificium Deo offertur. V, 1413. Sanguinem Christi bibit multitudo venerans natalem Cypriani. V, 1413. Ad altare corpus et sanguinem Christi sumentes. V, 584. Sacrum Christi sanguinem Laurentius diaconus ministravit. V, 1395. Eucharistia olim in manibus pleni solita. IX, 277. Conjunctis manibus accipiebatur. IX, 58.

Eucharistia. Discipuli primum acceperunt corpus et sanguinem Domini non jejuni. II, 205. Non præcepit Christus quo deinceps ordine sumeretur, ut Apostolis servaret hunc locum. II, 205. Eucharistia a jejunis sumenda, et est mos universæ Ecclesiæ. II, 205. Nonnullos delectavit die Cœnæ Domini ad insigniorem commemorationem post cibos offerre et accipere. II, 205. Quid inde sentiat Augustinus. II, 205. Ex hoc placuit Spiritui sancto, ut in honorem tanti Sacramenti, in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quam cæteri cibi. II, 205. Cataplasma ex Eucharistia. X, 1515. Sacramenta quæ per Episcopi afferuntur manum, ad fidem dicti adducuntur. II, 650. Eucharistiam quomodo conficiunt Ophitæ. VIII, 28. Cataphryges. VIII, 30. Pepuziani. VIII, 31. Manichæi. VIII, 35.

*Eucharius* presbyter per memoriam S. Stephani a calculo sanatus. VII, 766. Et suscitatus est. VII, 766.

*Eucratius* a Thenis. IX, 220.

Εὐκρατεῖς hæretici. VIII, 40.

Eudæmones. VII, 265. Eudæmones non possunt esse medii Deos inter et homines. VII, 266.

*Eudoxius* astrologus. VII, 500.

Evectio publica. I, 717.

Eversiones. I, 716; III, 156.

Eversores. I, 685; II, 799. Qui scilicet risus sibi ac ludicra spectacula exhiberi volunt eversionibus et erroribus aliorum. III, 156. Eversor. II, 799.

*Eufrates* presbyter ad unitatem Christi conversus. II, 585.

*Eugenius* ab Ammedera. IX, 221.

*Eugenius* tyrannus Maximi successor a Theodosio victus. VII, 172.

*Euhemerus*. III, 1056. Sacram historiam scripsit. VII, 217. Saturnum, Jovem, Neptunum et Plutonem homines fuisse prodit. III, 1056; VII, 184. Euhemerus ab Ennio in latinam linguam versus est. III, 1056.

Eulogia panis. IX, 557. Eulogia fieri dicitur, dum sumitur panis unitatis gratia missus. II, 100. Id est accipiendo benedicitur. II, 105.

*Eulogius* episcopus. X, 525, 652, 665.

*Eulogius* diaconus martyr V, 1247, 1249. Ejus responsa. V, 1249, 1251.

*Eulogius* Carthaginis rhetor. VI, 602.

*Eumalius* Vicarius Africæ. IX, 541, 640, 687.

*Eunomius* a quo Eunomiani hæretici, seu Aetiani. VIII, 40, 707, 1087. Eunomius Filium Dei non naturæ, sed voluntatis esse filium dicens, refellitur. VIII, 1087.

*Eunomiani*. III, 1856; V, 448, 988, 990; IX, 595. Peccabant in Spiritum sanctum. II, 814. Eunomiani in Oriente, non in Africa. V, 280.

Eunuchus Candacis reginæ accepit Spiritum sanctum sine hominum ministerio. V, 601, 1227.

*Evodius* patria Tagastensis. I, 770. Cum agens in rebus militaret, convertitur ad Deum, et ante Augustinum baptizatur. I, 771. In libris de quantitate animæ et de libero arbitrio, collocutoris personam sustinet. I, 1033. Augustino se socium in sancto proposito adjungit, et cum ipso redit in Africam. I, 771. Psalmum cantat in obitu Monicæ. I, 776.

*Evodius* cum Proculeiano sermonem contulit. II, 129.

*Evodius* episcopus in Italiam profectus cum Theasio. II, 273.

*Evodius* de quo Paulinus. II, 100.

*Evodius* episcopus Uzalensis. II, 695; V, 1446; VII, 768. Rescribit Valentino de epistola ad Sixtum. II, 975, *not.* (*a*). Multa diversis epistolis Augustino proponit, quibus Augustinus respondet. II, 695.

*Eupasia*. VI, 475.

*Euphemitæ* hæretici. VIII, 41.

Euphrates. III, 378. Nomine magni fluminis intelligitur. III, 787.

*Europa* rapta a Xantho Cretensium rege. VII, 569.

*Europæ* dimensio. VII, 497.

*Europs* secundus rex Sicyoniorum. VII, 561.

Εὐσέβεια. VII, 279.

*Eusebia* Manichæa quasi sanctimonialis. VIII, 36.

*Eusebius*. VI, 597; VIII, 27. Historiam temporum quæ ad sacram Scripturam pertinent, contexuit. III, 62. Eusebii historiæ a se in latinam linguam translatæ Rufinus duos libros addidit. VIII, 46. Eusebii Chronica. VII, 497, 566, 587. Eusebii sententia de tempore quo promissæ nes Abra-

hæ factæ sunt. VII, 496. De annis servitutis Israelitarum in Ægypto. III, 612. Eusebius Cæsariensis psalmos interpretatus est. II, 262. Constantinopolitanus vocatur a Paulino, qui ipsius historiam mittit ad Alypium. II, 99.

*Eusebius* Vercellensis. II, 265.

*Eusebius* Emisenus. II, 286. In epistolam ad Galatas commentariolos reliquit. II, 252.

*Eusebius* presbyter Hieronymo mittit libros Anniani Pelagiani. II, 928.

*Eustasius* ex insula Capraria (monachus). II, 189.

*Eustochium* et Paula salutant Augustinum. II, 733. De dormitione Eustochii dolet Hieronymus. II, 928.

*Eutomus* episcopus. X, 652, 663.

*Eutropius* episcopus. VIII, 665.

*Eutychianus* Consul. VII, 620.

*Eutychiani* hæretici. VIII, 50. *Not. ult.*

Exactoris, qui quod suis jam redditum erat, rursum repetebat quasi se non mandante datum, iniquitas corripitur. II, 1062.

Exaggeratissimi diaboli angeli. V, 883.

Exaltare Deum, est altum confiteri. V, 1681. Exaltat Deus humiles sic, ut non faciat superbos. IV, 1472. *Vide* Superbia.

Exaudiri orationes hominum etiam peccatorum. V, 748, 751. Exaudiri hominem, cum Deum orat, ambigenti dubitatio tollitur. V, 171. Exaudiendi nos hinc Deo quædam necessitudo, quia fecit nos. V, 295. Deus prævenit desideria nostra. V, 494. Petentem nugatoria propitius Deus non exaudit ut det, sed exaudit ut sanet, non dando. V, 205. Si Deus non dedit, scias quia prodest tibi, quia non dat pater bonus. V, 204. Exaudit quosdam Deus iratus, non exaudit quosdam propitius. V, 147. Deus aliquando non exaudit, ut intelligamus quid ab ipso petere debeamus. IV, 623, 624. *Vide* Oratio. Qui vult audiri a Deo, prius audiat Deum. V, 126.

Exaudire murmurationem, id est, cognoscere. III, 509.

Excæcatio maxima pœna. IV, 688, 690, 691, 692. Unusquisque aut exercetur ad purgationem, aut admonetur ad conversionem, aut si contempserit vocationem et disciplinam Dei, excæcatur ad damnationem. IV, 116. Cur alius excæcetur, alius illuminetur, judicio divino relinquendum. III, 1777. Excæcat hominem sinistra intentio. IV, 1859. Elatio causa excæcationis. IV, 790, 794. Excæcatio infidelium a diabolo potest esse. VIII, 395. In uno eodemque opere malo aliud venit de astutia suadentis, aliud de nequitia volentis, aliud de justitia punientis. VIII, 394. Excæcatio infidelium secundum quemdam modum ad verum Deum pertinere potest. VIII, 389. Nec injuste. III, 1777, 1780. Excæcat Deus deserendo. III, 1777. Excæcatio Judæorum ex superbia. III, 1778, 1779; VI, 20. Excæcatio aliquando utilis. III, 1372. Plurimis Judæorum profuit. III, 1779.

Excellentia tria. V, 1590.

Exceptor. V, 1390. Exceptores judicis. II, 578, 581.

Excessus in rebus ad utendum concessis longe tolerabilior, quam in non concessis. VI, 382.

Exclusi ab Ecclesia quomodo eidem prosint. III, 127.

Exclusores argentarii. X, 210. Sic vocantur qui de confusione massæ noverunt vasis formam exprimere. IV, 643, 836, 837.

Excommunicatio. III, 451, 764, 1765; VI, 199, 473; IX, 45, 414, 669. Excommunicatio a mensa. IX, 94. Excommunicatio est misericors severitas. VI, 199. Remedium est contra gravia quædam peccata VI, 228. Corripiamus, castigemus, excommunicemus, etiam cum dilectione separemus. IV, 655. Excommunicatione pœna major in Ecclesia non est. X, 944. Qui ab Ecclesia resecantur, periculis omnibus ac luporum dentibus exponuntur. Innocentius. II, 785. Excommunicatio non nisi legitima potestate et cum judicio facienda. V, 900, 1546 Excommunicatus a presbytero suo subdiaconus. II, 419. Item excommunicatus a presbytero suo diaconus. II, 419. Excommunicatio ubi adhibenda. IX, 92, 93, 95. Excommunicatio peccatoris. III, 1732. Excommunicantur incontinentes. V, 1004. Excommunicatione prudenter quandoque abstinendum, ne flagello pejor fiat qui cæditur. V, 125. Maxime dum Ecclesiæ perturbatio et disruptio timetur. V, 51. Patres maluerunt Pelagianos in Ecclesiæ compage sanari, quam ex ejus corpore resecari, si necessitas permitteret. II, 685, 764, 773. Excommunicatum non fuisse qui merebatur, Augustinus probat, ubi erat periculum schismatis. II, 298.

Excommunicatio quid debet intueri. IX, 62, 94. Potest esse utilis. X, 944. Quomodo salubris. IX, 92. Per pœnitentiam aut per malam conscientiam a Christi corpore separati. VII, 674. Sicut ante visibilem excommunicationem, quisquis contra veritatem qua convincitur et arguitur, inimicum gestat animum, jam præcisus est; sic post reconciliationem manet præcisus. IX, 144. Si objecta Cæciliano crimina possint monstrari, ipsum jam mortuum anathematizaremus. II, 794. Separatio falsorum fratrum, ante tempus messis, sine perturbatione Ecclesiæ non potest fieri. III, 1799. Ab iis fraternam non separat caritatem, quos de fraterna congregatione præcipit Paulus separari. IX, 84, 85, 86, 92. Excommunicatio innocentes ac spiritales homines non lædit, sed probat. IX, 125. Non obest homini, quod ex tabula (Ecclesiæ) non vult eum recitari humana ignorantia, si de libro vivorum non eum delet iniqua conscientia. II, 269 Si quisquam fidelium fuerit anathematus injuste, ei potius oberit qui faciet, quam ei qui hanc patietur injuriam. II, 1068. Excommunicati injuste ut sese gerere debeant. III, 128. Ut domus universa pro peccato unius anathemate feriatur, rationem non invenit, nec facere ausus est Augustinus. II, 1066. Excommunicare laicum, et clericum degradare. VI, 271.

*Excursator*. II, 304.

Excusatum se putat humana superbia, quando ignorantiæ, non voluntatis videtur esse quod peccat. II, 885. Excusaturos se dicit Pelagius malos, quod gratiam bene vivendi non acceperint. II, 882. Inexcusabilis ostenditur omnis peccator. II, 882. Eos qui scientes peccant, vocat Scriptura inexcusabiles etiam secundum judicium superbiæ suæ, quo multum confidunt de viribus propriæ voluntatis. II, 885. Excusantes peccata sua, per circuitum volunt venire ad Deum accusandum, qui nolunt de compendio venire ad Deum placandum. IV, 268. Impii ut se excusent, accusant Deum. IV, 1172, 1691. Excusatio peccati iniqua est, et a diabolo suggeritur. V, 158, 186; VI, 387. Excusatio in peccatis manifestis, est superbia damnabilior. VII, 422. Nolens se esse reum, addit potius ad reatum. VI, 357. Non pœnam removet, sed veniam. VI, 357. Excusationes in peccatis diversæ; fati, fortunæ, diaboli, et ipsius Dei. VI, 358. Excusator tuus cum vis esse, triumphat de te diabolus accusator tuus. V, 186.

Excussorum filii, qui. IV, 1674

*Exduumvir*. II, 304.

Exedra. IX, 697. Locus de quo episcopus loquebantur ad populum. VII, 770.

Exemplis ratio anteponenda. VII, 36. Exempla magis movent quam præcepta. VII, 53. Fidem infirmorum roborant. IV, 1402. Exempla sanctorum alios accendunt alios deficiunt. IV, 1812. Exempla, carbones desolatorii. IV, 1600. Exemplis urgemur ad conversionem. IV, 1600, 1601. In Ecclesia qui præcedunt, exemplum se præbere debent sequentibus. IV, 436. Exemplum bonæ imitationis qui proponit, misericordiam præstat majorem, quam qui porrigit reficiendi corporis alimentum. V, 804. Exemplum non sumendum a multis, sed a paucis qui sint justi. IV, 457. Exemplum peccandi ex magnorum virorum lapsu non accipiendum. IV, 559, 586. Exempla mala non excusare, et quatenus bona non desint. V, 1547. Exemplo malorum se excusans, quærit sibi non patronum ad causam malam, sed comitem ad pœnam. V, 758.

Exenia, pro, Xenia. IV, 195.

Exercere. Aliquando Deus per temporalem potentiam damnandorum, exercet disciplinam liberandorum. IV, 933. *Vide* Tribulatio.

Exheredati, dici solent abominati. IV, 86.

Exhortatio quem ad finem adhibeatur. IV, 1501. Exhortationis vires ex gratia. VI, 444. Exhortatio nihil prodest, nisi revelet ille qui datus est. III, 1609.

Exigitur plus ab eo cui plus datur. II, 882.

Exorcismus quid. I, 968. Exorcismus parvulorum in baptismo. IV, 797; X, 829, 1075, 1523. Et exsufflatio in baptismo. X, 1192, 1220, 1385. Exorcismus inter ritus baptismi. I, 968; X, 408. Est vetustissimus ritus. X, 465. Antiquissima Ecclesiæ traditio. X, 467. Exorcizatur potestas diabolica in baptismo. X, 426. *Vide* Baptismus. Exorcismus adjurato Christi nomine. V, 1080, 1100, 1105.

Exorcisterium ecclesiasticum. IX, 578.

Exorbitare est extra orbitam fieri. III, 1739.

Expalmatus. IV, 1230. Expalmaretur. III, 2031.

Expedire et illicitum e sequid differant. VI, 461. Quando quid expediat, quando non. VI, 463. Quod licet, sed non expedit facere, non legis vinculo, sed libera dilectione cavendum. VI, 461.

Experimenta corrigant, quem verba non corrigunt. V, 405. Experiendi assiduitas paulatim subtrahit admirationis incitamentum. VII, 714.

Expompari. V, 268.

Exsequiarum solemne obsequium. IV, 1552. Per triduum in hymnis Dominum collaudavimus super sepulcrum defuncti, ac tertio die redemptionis sacramenta obtulimus. II, 694. In exsequiis quid ad spiritum mortuorum perveniat. IV, 554. Exsequiæ magis sunt virorum solatia, quam subsidia mortuorum. VII, 27. Exsequiæ divitum. IV, 522 554.

Exspirare, extra spiritum fieri. III, 1739.

Exsufflatio in baptismo. X, 408, 435, 829, 1073. Exsufflatio parvulorum vetustissimus ritus. X, 465. Et antiquissima Ecclesiæ traditio. X, 467. Ritus Ecclesiæ universæ et antiquissimæ. X, 1505, 1507, 1459. Exsufflatio in baptismo parvulorum ut eruantur de potestate diaboli. X, 1523. Exsufflare imaginem Dei in baptismo non liceret, nisi eruenda esset a potestate tenebrarum. X, 1535. Deo ipsi gravis et insignis fieret injuria, si imagines ejus sine peccato exsufflarentur et exorcizarentur. X, 1414.

Exsulare, extra solum fieri. III, 1739. Exsul nusquam Christianus. V, 1440. Exsilium, si patria amatur, magna pœna; si non amatur, pejor cordis pœna. V, 1539. Exsilium sua sponte quotidie servi Dei eligunt. VIII, 225.

Exsultatio alia bona, alia mala. IV, 1217. Exsultare Domino pie debes, si vis securus mundo insultare. IV, 1217. Exsultare in cubilibus suis, est exsultare in cordibus suis. IV, 1955. Exsultatio sanctorum nondum est in re, sed in spe. IV, 629. Exsultare quisque debet cum tremore, quia donum Dei est unde exsultat, non meritum suum. IV, 1955. Exsultatio injustorum in sæculo, ac proinde transiens; justorum in Domino, et permanens. IV, 277.

Exsurge pro expergiscere. III, 497.

Exteriora non amanda IV, 1815. Exteriora munda esse non possunt illis quibus interiora immunda sunt. IV, 1661. De interioribus gaudeamus, in exterioribus necessitatem habeamus. IV, 1813. Externis tanto magis quis moritur, quanto magis appropinquat Deo; sicut cum ab eo recedit, omnes vires suas in externa convertit. II, 208.

Extima. Progredi in extima nihil est aliud, quam intima projicere, id est longe a se facere Deum. I, 1185.

Extollere. Parum est ut illud quod in se est bonum, agnoscat homo quod a Deo sit, nisi etiam inde non se extollat super illum qui nondum habet. IV, 878. *Vide* Superbia.

*Ezechias* optimus et piissimus rex, regnavit Romuli temporibus. VII, 578. Lucos et templa idolorum, et excelsa destruenda destruendo, Domino servivit II, 801. Ezechias secundum quasdam futurorum causas moriturus erat, et quomodo quindecim anni ad vitam illius additi. III, 351.

*Ezechiel*, quid et quo tempore prophetavit. VII, 592. Prophetavit in captivitate Babylonica. IV, 772. Ezechiel de filiis et patribus suas vitas separatim ducentibus loquitur, cum ait injustitiam patris non nocere filiis X, 1273, *et supra passim*. Ezechielis prophetium cap. XVIII pertinere ad prænuntiationem revelationis Testamenti novi. X, 1281. In Ezechielem commentarios edit Hieronymus. II, 719.

## F.

*Fabella* Persica. VIII, 92.

*Fabiola*. II, 719, 1091.

*Fabius*. X, 745. Tarentinæ urbis eversor. VII, 19. A simulacrorum deprædatione abstinuit. VII, 19.

Fabricarum constructio. IV, 1056.

*Fabricius*. II, 390; X, 745, 751. Illustris Romanus. VII, 164. Voluntaria ejus paupertas. VII, 164.

*Fabricius*. VIII, 659. Hæreticus. VIII, 664.

Fabula est compositum ad utilitatem delectationemve mendacium. I, 894. Fabulas suas ad naturam rerum, vel ad mores hominum interpretari conantur Pagani. VIII, 374. Et ad nescio quas physiologias vel theologias referre. VIII, 275.

Facere. Quod quisque facit, aut de se est, aut ex aliquo, aut ex nihilo. VIII, 547. Nulla res se ipsa gignit aut facit. I, 1028. *Quod tibi non vis fieri, ne facias alteri*, manu formatoris nostri in ipsis cordibus nostris veritas scripsit. IV, 673. Hoc nemo ignorare permissus est, ut esset unde judicarentur quibus lex non est data. IV, 673. *Fac mecum*, quid importet. IV, 1442. Facientes numeri factis anteponendi. I, 1165. Facta sermones sunt, quibus justus defendetur in judicio. IV, 1469. Cavendum ne sicut philosophi quædam facta hominum dicamus media inter recte factum et peccatum. II, 280. Factorum quorumdam, quæ nec bona nec mala sint, exempla. II, 281.

Factio, consensus optimatum injustorum. VII, 67. Factionem si videt, qui ad judicium trahitur, debet causam suam meliori judicio reservare. IV, 375.

Facies Dei, præsentia ejus per Ecclesiam. IV, 814. Potentia qua dignis innotescit. IV, 137. Veritas. I, 988; Revelatio et præsentia ejus futura in judicio. IV, 858. Facies Domini propitii et adjuvantis super facientes bona, et irati super facientes mala. IV, 1595. Facies qua Deus videndus est. II, 620, 622, 625. Facierum humanarum similitudo et dissimilitudo miranda. VII, 721.

Facinus, dicitur quod agit cupiditas ut alteri noceat. III, 72.

Facultates dictæ divitiæ. V, 1189. Facultates non sunt nisi infirmitatis argumenta. V, 488, 1190. Facultatem non attendit Deus, sed cupiditatem. IV, 1727. Et voluntatem, IV, 1057. Coronat Deus intus voluntatem, ubi non invenit facultatem. IV, 1551.

Facundia canina. II, 752.

Falcitare. IV, 318.

Fallacia male utitur lingua, III, 1620.

Fallax differt a mendace. I, 892; III, 149. Fallax est qui habet fallendi appetitum. I, 892. Homo falsus docendus, cavendus fallax. I, 925.

Falli et mentiri quo differunt. V, 157, 738. Mentiri pejus est quam falli. V, 738. Aliquando mentiri quam falli est tolerabilius. VI, 241. Falli quam mentiri, quantum ad hominis voluntatem, minus est malum. VI, 241. Miseriores sunt qui mentiendo fallunt, quam qui mentientibus credendo falluntur. VI, 240. In quibusdam rebus magno, in quibusdam parvo, in quibusdam nullo malo, in quibusdam non nullo bono fallimur. VI, 241. At ipse error per se, aut magnum in re magna, aut parvum in re parva, tamen semper est malum. VI, 241, 243. Fallere volunt multi, at nemo vult falli. I, 794; V, 984, 1405; VI, 240; VIII, 340. Fallere nolunt boni, falli nec boni nec mali volunt V, 984. Falli quantum oderit anima naturaliter. V, 813. Hic non falli difficile est. II, 275. Fallitur cor hominum de peccato et de pœna peccati. IV, 87. Vis venire ad vitam ubi non fallaris, age modo vitam ubi non fallas. V, 1405.

Falsitas non est quidquam, sed dicitur cum res putatur esse quod non est. I, 744. Fallit ipse animus, non oculi. III, 149. Falsitas non ex ipsis rebus, aut ex sensibus oritur, sed ex peccatis III, 149, 150. Falsitas non est in rebus, sed in sensu animi. I, 887. Falsitatibus minus obnoxia est anima nondum passa sensibilium sensuumque vanitatem. II, 70. Falsitas falsitatem trahit. IX, 432. Falsitatis hic regio. V, 975. Falsitas crimen capitale. V, 1471.

Falsum quid. III, 60. De falsi notione. I, 898. Falsum nihil aliud est, quam quod non ita est, ut videtur. I, 889. Quædam eo vera, quo falsa. I, 893. Falsa nemo novit, nisi cum falsa esse novit. VIII, 1070. Non ideo verum aliquid quia diserte, neque ideo falsum quia incomposite dicitur. I, 710. Falsa cur plerumque cogitamus. VIII, 997. Falsis opinionibus tanto quisque inseritur magis, quanto magis in eis familiariusque volutatur. II, 66. Cognitio veritatis, omnia falsa, si modo proferantur, etiam quæ prius inaudita erant et dijudicare et subvertere idonea est. II, 457. Falsum dicere numquam licet. IV, 86. Falsum testimonium nec mortis minis debet dici. V, 123. Falsum testimonium etiam cum bonorum ac vitæ discrimine fugiendum. V, 631. Falsi testes exæcantur, et ea dicunt nescientes, unde appareant falsi testes. IV, 373, 374.

Famæ bonæ cura habenda. V, 1508, 1569; VI, 448. Fama bona crudeliter contemnitur. VI, 448. Fama vulgi non debet esse studiorum finis. II, 433, 434. Fama bona odor bonus. III, 1760. Fama bona aliis odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem. III, 1760. Famam animus perditus malis artibus sibi comparare molitur. IV, 127. Ubi pro existimatione nostra quidquid recte possumus fecerimus, si quis famæ nostræ detrahit, adsit conscientiæ solatium, planeque gaudium. VI, 449. Nobis necessaria est vita nostra, aliis fama nostra. VI, 448. Aliquando ea causa est, ubi non sufficiat conscientia. II, 475, 480. Exitio suo quisque a bonis putatur bonus, cum occultus sit malus. III, 465. Fama bona et mala quomodo justi probantur. IX, 355. Famæ auctoritate nihil vilius. I, 928. Rumor hominum ventis comparatur. II, 1308.

Fames et sitis dolores sunt. I, 797. Fames morbus, cujus medicamentum alimentum. IV, 398, 1396. Fame consumitur qui jejunat septem diebus. IV, 1638. Famem Abraham et Isaac passi sunt. IV, 384. Quomodo ergo justi non quærunt panem. IV, 384, 386. Quid sit, *Deus vocavit famem*, etc. IV, 1396. Famis bona. VII, 25. Fames Romæ. VII, 26. Fames Saguntı. VII, 101.

Fames cordis. V, 262. Famis tempus est modo, tempus saturitatis post erit. IV, 298. Fames perfectorum, conversio peccatorum. IV, 241, 242. Famelici Dei esse debemus: ante januam conspectus illius in orationibus mendicemus. IV, 1895, 1896.

Familia quomodo administranda. VII, 644.

Farinæ tria sata. V, 641.

Fascinare pro invidere. III, 536.

*Fascius* ære alieno obrutus ad Ecclesiam confugit II, 1092.

Fatigationi cum succurritur, alia fatigatio inchoatur. IV, 1320, 1321, 1658.

Fatuitas grande malum. X, 707. Fatuitas est naturalis, quare. X, 1514. Fatuitatem non alienæ naturæ commixtio, sed nostræ depravatio invexit. X, 1429. Fatui quidam nascentes, fateri cogunt originale peccatum. X, 707, 1514.

Fatuorum absurditate delectari non nisi ex carnali affectu vemt. X, 148. Fatuæ virgines, quibus non sufficit conscientia, IV, 1921. Fatuæ virgines excitantur ad bona opera, non robore bonæ conscientiæ, sed excitamento linguæ alienæ. IV, 1921. Non dicit fratri suo, *fatue*, qui cum hoc dicit, solum ejus peccato infensus est. VII, 748.

Fatum a fando potest appellari. VII, 150; VIII, 213. Fati nomine quid vulgo intelligatur. VII, 141; X, 579. Fatum ex siderum dispositione fictitium. V, 1007, 1027. Fata tria in colo et fuso digitisque filum ex lana torquentibus, quare finguntur. VIII, 574. Fato nulla fiunt. VII, 150. Doctrinam suam de fato Mathematici ipsi factis suis evertunt. II, 1061. Hæc doctrina non parvum malum, quod ad defendendum peccatum a medicamento confessionis avertat. II, 1061. Fato fieri. quod merito non fit, Pelagianorum sententia, quæ refellitur. X, 761. Causa peccati in fatum non convertenda. II, 1051. Fato qui mala sua tribuit, Deo tribuit. IV, 1173. Fatum non asseritur a Catholicis sub gratiæ nomine. X, 577, 579. Cur hoc a Pelagianis objectum est Catholicis. X, 577. Fati criminatio retorquetur in adversarios. X, 578, 579. Fati nomine non astrorum positionem, sed summam Dei voluntatem quidam intelligunt. VII, 148. Quare a fati appellatione abstinendum. VII, 150.

Fatalia quæ sint. VII, 141. Fatalium siderum assertores impugnantur. VII, 141, 144, 145.

*Faventius* Paratianensis saltus conductor. II, 429, 430.

*Faunus* Pici filius secundus rex Laurentum. VII, 573. In Deos relatus. VII, 573.

Fauni incubi. VII, 468.

*Faustinianus* episcopus. II, 759, 762, 780.

*Faustinus* Tuburbitanus. IX, 676.

*Faustinus* Donatista Hippone panem coqui Catholicis vetat. IX, 316.

*Faustinus* episcopus Donatista. III, 1436.

*Faustinus* diaconus. V, 1576.

*Faustus* Manichæus. VI, 166, 442. Manichæorum episcopus. I, 707, 710, 711. Fausti patria, dotes, etc. VIII, 207, 223. Ingenium. VIII, 333. Mollities. VIII, 223. Falsæ virtutes quibus gloriabatur. VIII, 224. Faustus negabat esse quidquam in libris Hebræorum de Christo prophetatum. VII, 473. Faustum Augustini præceptorem vocat Julianus. X, 1203. Faustus multis laqueus mortis, Augustino salutis occasio est. I, 711. Faustus eo quod Manichæus esset, judicio proconsulari cum nonnullis aliis in insulam relegatus. VIII, 223.

*Faustus* a Timida. IX, 233.

*Faustus* perlator epistolæ ad Bonifacium. II, 851.

*Fausti* basilica. V, 643, 1202.

*Faustulus* pastor, maritus nutricis Romuli et Remi. VII, 578.

Favo similis est doctrina sapientiæ, quæ de abstrusioribus sacramentis exprimitur. IV, 1566. Favus Christum designat. IV, 1497.

*Febris*, Romanorum dea. II, 84; IV, 1596; VII, 59, 88, 125. Febri et pallori fana fecerunt Romani. III, 1053; VII, 105.

Febris lectum non formidat argenteum, non timet pompam divitis, non timet jacula bellatoris. V, 1260. Febres animæ. V, 85.

Februarius mensis unde nomen accepit. VII, 200. Februarius a Februis sacris Lupercorum appellatus. VIII, 346. Februarius mensis Deo Termino dedicatus est. VII, 200.

Fel crescit irascendi facilitate, ac fellis cremento crescit irascendi facilitas. II, 73. Fel Christus in cruce respuit, quia non intrant in corpus ejus amaricantes. IV, 852.

Fecunditas. Ineffabilibus verbis suis Deus vim seminis indidit primis hominibus. X, 405. Fecunditas ante peccatum et peccato non adempta, I, 1297. Fecunditas homini donata, non est ablata post peccatum. I, 1297; VII, 788; X, 1438. Non est qualis fuisset, si non peccasset. VII, 789. Fecunditas, non commotio pudenda membrorum, munus est Dei. X, 450. Fecunditas feminarum etsi jam ærumnosa facta est, iniquitas non fecunditas hoc fecit. X, 1560. Feminarum uteros non obnoxia virtute, sed libera et potentissima fecundat Deus. X, 837.

*Feliciæ* virgini consolatoria, vel exhortatoria epistola, ne a malis pastoribus scandalum patiatur. II, 950.

*Felicianus* Mustitanus. IV, 376, 381. Maximianista. IX, 76, 108, 109, 137, 178, 371, 507, 528, 550, 550. Ordinator Maximiani. IX, 253. Felicianus et alii cum eo conspirantes Primianum damnaverunt. II, 412. Felicianus de tota conspiratione accusatur. II, 413. Adversus eum postulat Titianus. IX, 574. Postulatio adversus Felicianum de Mustitanis locis excludendum. IX, 529. Felicianus unus e duodecim qui apud tres aut amplius proconsules accusati sunt, ut e sedibus suis pellerentur. II, 407. Agitur apud proconsulem ut de basilica excludatur. II, 241. Quamdiu duravit isto conflictus. IX, 550. Felicianus damnatur a Primiano. II, 404, 405. A Donatistis. II, 580. A Concilio Bagaitano. II, 192, 198, 309, 405; IV, 582; IX, 63, 73, 107, 251. Felicianus veritatis adulter, catena sacrilegii appellatur. II, 405, 414. Felicianus a parte Donati transit ad Maximianenses. IX, 655. Communicat cum Maximiano, et extra communionem Donatistarum multos baptizat. II, 241. Felicianus vi per Optatum reductus. IX, 251, 252, 316, 565, 581, 704. Felicianus Primiano reconciliatus est IX, 107. Felicianus a Donatistis damnatus, cum ad eos studio concordiæ rediisset postea, sine baptismo in eodem honore ab illis receptus. II, 192, 198, 309, 405, 407, 413; IX, 39, 584, 618, 655, 740. Optato Gildoniano cogente. II, 198, 405. Felicianum Mustitanum etsi damnatum receperunt denuo Donatistæ velut integrum, quasi bono pacis. IX, 54. Recipiuntur et cum illo quos in schismate Maximiani baptizavit. II, 241. Nec Felicianum, nec quos baptizaverat in schismate, rebaptizarunt Donatistæ. IX, 97, 98, 113, 262, 504. Felicianus Mustitanus nunc apud Donatistas episcopus vivit. IX, 426.

*Felicitas* et Perpetua martyres. VI, 705. Felicitas mulier martyr. V, 1280. Felicitas parturiendo, Evæ pœnam experta est. V, 1284.

*Felicitati* matri epistola. II, 942.

*Felix*. II, 1068, 1069.

*Felix*. IX, 555.

*Felix* martyr. IV, 1680. Inter tormenta vitam minime finivit. IV, 1680. *Not.* (*a*). Martyrium subiit Themisæ. IV, 1679, 1680.

*Felix*. Nolam ad beati Felicis memoriam mittit Augustinus duos e suis, unde manifestum fieret uter reus esset. II, 269. Felicis basilica. VI, 157, 591. Felix confessor apparet ipsis hominum aspectibus. VI, 606.

*Felix* ab Amaccura. IX, 221.

*Felix* Aptugnensis ordinator Cæciliani. I, 642, 644; IX, 593, 594. *Retr.* 610. Acerbius accusatur in Concilio Carthaginensi schismaticorum. IX, 639. Crimen traditionis in eum conferebant Donatistæ. II, 581. Malorum omnium fons in Concilio Donat. dictus. II, 505, 492. Felicis Aptugnensis causam a proconsule Æliano primo audiri fecit Constantinus. IX, 593, 594, *Retr.* 610. Felicis Aptungitani causa multo præ cæteris invidiosius et criminosius ventilata est a Donatistis. II, 161. Felicem Aptugnensem in judicio proconsulis a quodam Vincentio de traditione convictum dicebant falso Donatistæ. IX, 539. Ingentius confessus est in cognitione Æliani proconsulis, falsum se fecisse adversus Felicem. II, 581. Felix Aptungitanus merito passus est in cognitione suæ causæ quemdam equuleo suspendi. II, 166. Ad jussionem Constantini proconsularibus gestis purgatus est. II, 161, 492. Et a crimine traditionis absolutus. IX, 552, 559, 553, 610, 649, 650, 686. Et Constantini rescripto. II, 581; IX, 540, 553. Gesta proconsularia quibus Felix absolutus est. IX, *pp.* 780 Exemplar litterarum quibus innocens declaratur. II, 504. Felix Aptungitanus proconsulari quidem judicio purgatus fuit, sed hoc sibi ipse non poposcerat. II, 165.

*Felix* episcopus. II, 759, 1069.

*Felix* episcopus. II, 780, 1069.

*Felix* episcopus Valerio Comiti commendatur. II, 949.

*Felix* episcopus Donatista. IX, 526, 555.

*Felix* a Bagai. IX, 209.

*Felix* a Buslaceni. IX, 144, 253.

*Felix* a Gurgitibus. IX, 256.

*Felix* Manichæus. I, 653; VIII, 519. Incendi paratum se dicebat ad defendendam magistri doctrinam. VIII, 527. Manichæum anathemat. VIII. 551. Ipsi scriptam esse epistolam LXXIX suspicio est. II, 273. *Not.* (*a*)

*Felix* Adrumetinus monachus. II, 969, 971; X, 911, 914.

*Felix* alius pariter Dei servus ex eadem congregatione. II, 971, 975.

*Felix* a Marazana. IX, 229.

*Felix* a Rotaria Centurioni. IX, 511.

*Felix* ab Uthina. IX, 218.

*Felicitas* dea. VII, 126. Ædem primus Felicitati constituit Lucullus. VII, 129. Felicitas si dea est, ipsa una coli debuit. VII, 129, 131. Erraverunt Romani, qui tam sero felicitatem ut deam coluerunt. VII, 129, 130. Felicitas potior regno. VII, 130. Felicitas non dea, sed munus Dei. VII, 131, 140, 193. Felicitas non est colenda, sed Deus. VII, 131.

Felicitatem inter et fortunam bonam quodnam sit discrimen. VII, 126. Felicitatem veram non dat Deus, nisi bonis. VII, 139. Felicitas vera. VII, 370. Felicitas vera quanta erit. VII, 801. Felicitas est plenitudo omnium rerum optandarum. VII, 140. Est participatio Dei. VII, 153. Felicitas a solo vero Deo potest conferri. VII, 71. Beatitudo nostra Deus, recedenti ab eo non erit nisi miseria. IV, 898. *Vide* Beatitudo, Prosperitas. Felicitas primorum hominum ante peccatum. VII, 434.

Felicitatem in quo reponant homines. II, 531. Felicitas

non ponenda in temporalibus, V, 202. Stultus et perversus est, qui felicitatem hominis non putat esse nisi in temporalibus facultatibus, et deliciis, etc. IV, 1611. Felicitas temporalis ad vetus Testamentum pertinet. III, 630. Per Christum non terrenam carnalemque felicitatem, sed cœlestem ac spiritalem exspectandam esse intelligebant spiritales Judæi. VII, 546. Felicitate terrena veteris Testamenti, novum Testamentum figurate prænuntiabatur. II, 540. Felicitatem terrenam quicumque in Ecclesia quærunt a Deo, ad Ismael pertinent. IV, 1603. Felicitas terrena etiam in veteri Testamento contempta. VIII, 165. Felicitas temporalis gentilium occultæ Dei providentiæ tribuenda, non deorum favori. VII, 71. Felicitas temporalis communis est justis et impiis. III, 650; V, 129, 1386. Plerumque datur et malis. VII, 595. Beneficentissima providentia, ne pro magno quæratur a bonis. II, 545. Felicitas temporalis, sinistra dicitur; æterna autem, dextera. IV, 1612, 1770, 1867, 1868. Felicitas perpetua habetur a bonis in dextera, temporalis in sinistra. V, 204. Felicitati temporali qui cor apponit, quod sinistrum est dextrum facit. IV, 1867, 1868, 1869. Non felicitatem istam habere hoc peccare est, sed facere illam dexteram cum sit sinistra. IV, 1612, 1770, 1867. Felicitas secundum perversam hominum opinionem. II, 551. Felicitatem veram nemini conferunt res temporales, quia non exstinguunt insatiabilem cupiditatem. IV, 1411.

Felices non sunt existimandi, qui florent ad tempus. IV, 883. Felicitatem suam in præsenti impii nec ipsi tenent. IV, 1636. Malus ideo felix putatur, quia quid sit felicitas ignoratur. III, 1625. Malus eo est infelicior, quo sibi videtur felicior. V, 1165. Felix vere est, non qui id habeat quod amat; sed qui id amet quod amandum est. IV, 202. *Vide* Beatus. Nihil est infelicius felicitate peccantium, qua pœnalis nutritur impunitas, et mala voluntas velut hostis interior roboratur. II, 531. Felicitas impiorum nonnullis scandalum. V, 126, 134, 168, 205, 1164. De felicitate sæculari impiorum ne perturbentur pii. V, 1383. Non recti corde qui de malorum felicitate scandalizantur. V, 318. Felicitas malorum non invidenda. III, 1605. Declinanti a Deo in adversis, fit verus laqueus falsa malorum felicitas. IV, 1635. Qui patienter fert malorum felicitates et bonos labores, jam talis beatus est. IV, 1191.

Felicitas impiorum, magna ira Dei. V, 1357. Felicitate cui iste mundus arridet, in pressura se computet. IV, 1059. Felicitas peccatorum fovea ipsorum est. IV, 1204. Mali florent falsis bonis, pereunt veris tormentis. IV, 626. Somnium dormientis, felicitas. IV, 925, 1719. Maxime impiorum. VII, 302. Felicitas temporalis fluvius Babylonis. IV, 1764. Felicitas velut flos fœni arescet, et decidet. IV, 620. Felicitas fallax, major est infelicitas. IV, 1697. Felicitas mundi pis non bonos, sed omnes. V, 1384. Felicitas mundana nobis magis est periculum quam ornamentum. V, 1562.

Felicitas terrena, nec mala putanda est, nec etiam magni facienda. VII, 71. Felicitas terrena donum Dei. II, 533, 539. Justis a Deo datur, ut ad hoc vacent, unde bonum æternum a lipisci possint. IV, 1401, 1402. Felicitas in hoc mundo et affluentia rerum temporalium, solatia sunt nostræ peregrinationis. IV, 579. Felicitas et infelicitas metuenda. IV, 946, 1058. Felicitas terrena plus timenda quam miseria. IV, 587, 840, 841. Felicitas terrena contemnenda. V, 204, 205, 206, 1070. Felicitatis terrenæ regnum superbia est. IV, 1050. Felicitas bonorum habere Deum in conscientia. III, 1605. Felicitatem sæculi Christus non promisit. IV, 560; V, 1356. Felicitate terrena Christus homo non fuit commendandus, ne propter hanc serviretur Deo. II, 543. Felicitas humanarum rerum an diminuta sit per Christiana tempora. III, 1068. Felicitas hic non quærenda. V, 134. Qui vult Christianus fieri ob felicitatem terrenam, adhuc in tenebris perseverat. IV, 1675. Dei cultum vilissimo pretio addicit, qui pro illo terrenam felicitatem quærit. V, 133. In Psalmo LXXII inducitur homo pœnitens quod Deo pro mercede terrena servierit, et agnoscere intendens quare impii felicitate terrena floreant. II, 543. In eos qui felicitatem carnalem petentes exaudiri sibi non videntur. V, 147. In eos qui felicitatem in hac vita esse censent, ac de altera vita dubitant. V, 1381. Felicitatem terrenam quærere et æternam felicitatem patienter exspectare, dormire est inter medios cleros. IV, 825.

Felicitatibus terrenis amaritudines miscet Deus, ut alia quæratur felicitas, cujus dulcedo non est fallax. V, 621. Felicitatibus hujus sæculi si Deus amaritudines non misceret, obliviscerenur eum. IV, 1212, 1213. Magnæ virtutis est cum felicitate luctari, ne illiciat, ne corrumpat, ne ipsa subvertat. V, 483. Nulla infelicitas fregit, quem felicitas nulla corrumpit. IV, 1038. Felicitas magnæ est a felicitate non vinci. V, 483. Felicitate terrena ad obsequium creatoris utendum est. II, 539. Et ad æterna lucra. II, 536. Felicitas cœlestis cum terrena comparatur. V, 136. Felicitas animarum alia ante, alia post resurrectionem. V, 1232. Felicitas plena quæ sit. X, 1498. Beatissimi sunt, quibus hoc est Deum habere quod nosse. II, 840. Felicitas non est corporis, sed truentis et intelligentis est propria. II, 459. Sita est in æternitate, veritate, caritate, id est stabili, certa plenaque felicitate, ubi manentibus, videntibus, amantibus sunt cuncta perspicua. II, 744. Cum Deum diligimus propter se ipsum, et nos ac proximos propter ipsum, non jam nos in ipsa vita beata constitutos existimemus, quasi nihil sit amplius quod oremus. II, 499. Felicitas æterna, dextera Patris. VIII, 692. Felices sunt infeliciter sæculi homines, martyres feliciter infelices. IV, 1679. Felicitatem martyres quia videbant, tormenta passi sunt. IV, 1678. Felicitates æternæ duæ frustra inductæ a Pelagianis. X, 1188. Felicitas in futuro sæculo qualis speranda. V, 34, 36, 135, 1384. Carnalis cogitatio de futura felicitate. V, 1189.

Femina de viro facta. IV, 1784. Facta est ad imaginem Dei. III, 293. Extra sex dies creationis facta est. III, 345. Per feminam mors, per feminam vita. VI, 303. Per feminam venenum, per feminam salus. V, 334. *Vide* Mulier. Feminarum ante Christum opprobrium, gratia deletum. VI, 704. Feminæ ad virum subjectio. I, 866; III, 204. Femina ut viris serviat, ordo naturalis est. III, 589. Et lex voluit. III, 762. Femina sub patre aut sub viro constituta vovere non potest sine eorum consensu. III, 744, 745. *Vide* Votum. Feminæ olim philosophatæ. I, 993. Feminæ publicis consultationibus intererant Athenis, sed postea expulsæ sunt, quare. VII, 566. Feminam heredem facere lex Voconia vetuit. VII, 103. Femineus sexus conformatus propter sobolem, non tamen cum libidine, nisi homo peccasset, procreandam. III, 400. Feminæ usus quis naturalis, quis contra naturam. X, 456, 457, 723, 1450, 1452, 1453. Feminis indifferenter utendi detestandam turpitudinem docebant Nicolaitæ. VIII, 26. Simon Magus. VIII, 25. Saturninus. VIII, 20. Feminæ conceptus apud Manichæos carceres et vinculum Dei. VIII, 597. Feminis cur permixte utendum censuit Plato. X, 1551. Feminarum prostitutio unde prohibita. VIII, 438. Femina non solo tactu, sed affectu quoque et aspectu appetitur et appetit. II, 961. Nihil magis ex arce dejicit animum virilem, quam blandimenta feminea. I, 878. Feminam Job cur diabolus servavit. III, 2023. Feminas nec maritatas decet capillos nudare. II, 1060. Feminæ solis maritis ornari, secundum veniam, non secundum imperium permittendæ sunt. II, 1060. Feminis ornamenta exteriora quid noceant appetita, quid spreta conferant. V, 884. Femininni sexus honor est in matre Christi. V, 1008. Obsequium a feminis religiosis de earum facultatibus cur susceperit Christus. IV, 1567, 1568. Feminæ resurrectionis Christi primæ nuntiæ. V, 333. Per feminas viris cur resurrectio Christi nuntiata est. III, 1998. Feminæ de hoste victrices. V, 1285. Feminarum in masculinum sexum conversio. VII, 110.

Femur carnem significat. IV, 1183. Femoris alius est fructus, alius fructus ventris. IV, 1724. Femoris Jacob latitudo, generis multitudo. IV, 506. Quid sit accinctio gladii circa femur. IV, 1183.

Fercula diis exhibita. VII, 50.

Feriati dies. V, 1201.

Fermentum modo in vituperatione, modo in laude ponitur in Scriptura. III, 78.

Ferrum tribulationem designat. IV, 1397.

Ferveamus in itineribus bonorum operum, hoc est enim ambulare nostrum. IV, 290.

*Fessonia* dea. VII, 129.

Festivitas Dei lætitia sine defectu. IV, 470. Festi quidam dies Paganorum. V, 1610. Festi dies Christianorum, et dies solemnes Paganorum. VI, 343. Festivitas profana. IV, 1038. Festa humana, lætitia transiens et plena luxuriæ. IV, 470. Festa cur anniversarie in Ecclesia celebrentur. VIII, 503. Festa quomodo observanda. II, 1404. Festorum carnalis celebratio. V, 1178. Festa quædam celebrata cum lætitia convivantium in publicis mensis. V, 274. Festi dies gentilium in abundantia epularum et ebrietate. II, 118. Cur Ecclesiæ principio permissum sit festos martyrum dies simili luxu celebrari. II, 118. Festivitates martyrum ad hoc institutæ, ut eos admoneamur imitari. V, 52, 1293, 1352, 1364, 1414, 1447. Festivitates Martyrum honorare et non imitari, nihil est aliud quam mendaciter adulari. V, 1447. Per diversa loca diebus dominicis, et quinquaginta post Pascha, et solemnibus martyrum, et festis quibusque, prandetur. II, 146. Festum Ascensionis Domini ac depositionis S. Leontii eodem die celebratur. V, 1208. Festivitas sanguinis mulieris cujusdam III, 1459.

*Festus* interpellatur adversus Donatistas Hipponensis regionis II, 309. Cum prius datæ ipsius litteræ nil quidquam valuissent. II, 312.

Fetus in utero quandonam incipiat vivere. VI, 272.

Fetialia. V, 1014.

*Fiat, Fiat*, in psalmis, subscriptio est cautionis Dei. IV, 1114.

Fictio non est semper mendacium. VI, 538. Christus figurate finxit nescire se quod sciebat, finxit et se longius ire. VI, 537.

Ficus habens folia, carens fructu, Judæi et Pharisæi habentes verba, non facta. IV, 264. Ficus foliis significatur pruritus libidinis. V, 442. Sub ficu homo visus a Christo, quid allegorice. IV, 264. Ficus Ægyptiæ lignum non natat in aquis. VII, 715. Ficus sterilis per triennium. V, 553, 555, 638.

Fidentia quid sit. VI, 21. Fidentis Deo quanta securitas. IV, 201.

*Fidentianus* episcopus. II, 758, 780.

*Fidentius* episcopus. V, 1148.

*Fides* dea credita est, templumque habuit, et aliare. VII, 127.

Fides unde dicta. III, 1760; VI, 515. Fides sic appellata est, quia fit quod dicitur. II, 285; V, 320. Fides est sperantium substantia, convictio rerum quæ non videntur. V, 699. Fides ex Scripturis canonicis concepta est. VII, 646. Fides catholica testimonio lectionis collecta, et Apostolica veritate fundata. V, 555. Fides titubat, si divinarum Scripturarum auctoritas vacillat. III, 35. Fidei nostræ adstipulantur codices Judæorum. VI, 178. Fides habet quoddam lumen suum in Scripturis. V, 698. Habet oculos suos, quibus quodammodo videt verum esse quod nondum videt, et quibus certissime videt nondum se videre quod credit. II, 456. Quod intellectui nostro nondum eluxit, non debet a firmitate fidei dimitti. VIII, 947. Fides est credere quod non vides. III, 1690. Hæc est laus fidei, si quod creditur non videtur. III, 1837. Fides proprie est rerum quæ non videntur. VI, 235. Ecclesiam videntes, Christum credere debemus quem non videmus, sicut Apostoli Christum videntes, Ecclesiam crediderunt quam non videbant. V, 1126, 1145. Christiano quid non opus scire VI, 235.

Fides tollitur, si juxta Academicos tollatur assensio. VI, 243. Fidem quærit Dei voluntas, non quæstionem. V, 1138. Fides amplectenda prius est, quam finiantur quæstiones, ne finiatur vita sine fide. II, 386. Ubi defecerit ratio, ibi est fidei ædificatio. V, 1157. Et profectus. V, 1008. Fides quatenus aliquando præcedat rationem, ac semper præcedatur a ratione. II, 453. Fidei rationem quærere et accipere licet. II, 453. Fallax Manichæus, qui fidem incertarum rerum imperat, et certarum rerum cognitionem pollicebatur. VIII, 183, 184. Quantum ad id quod ortum est æternitas valet, tantum ad fidem veritas, ex Platone. III, 1070. Ubi de fide agitur, longo uti sermone non opus est. V, 1075.

Fidei catholicæ varia argumenta. VIII, 175. Fidei firmitas in eo est, quia omnia, quæ evenerunt in Christo, prædicta sunt. III, 1989. Ad credenda quæ non vidimus, movere debent quæ nunc impleta conspicimus. VI, 176, 178, 341, 346. Christiani primi miraculis movebantur, ut crederent quæ ventura prædicebantur. VI. 341. Modus quo mundus credidit, si consideretur, incredibilior rebus quas credidit invenitur. VII, 736. Signa et indicia divinitus data non desunt, quibus inducamur ad fidem. V, 700. Fides indiciis confirmata. VI, 174. Totius mundi fides in Christum mirabiliter conciliata. VI, 179. Fidei nostræ totus orbis adtestatur. V, 1603. Quisquis adhuc prodigia inquirit ut credat, magnum est ipse prodigium. VII, 760. Fides tanto fortior, quanto magis jam miracula non quærit. X, 185. Testibus vel testimoniis humanis credere vel non credere licet, quantum ea momenti ad faciendum fidem vel habere, vel non habere perpenditur. II, 598. Fides nostra ex moribus hominum, sanctæ quantumlibet professionis, pendere non debet. IV, 1592.

Fides non est superborum. V, 656, 874. Fides primum, deinde præcepta vivendi subjiciunt animam Deo. VI, 299. Fides humilitatem habet. III, 1670. Fides lac parvulorum. VIII, 821. Fidei simplicitate lactari oportet, cum parvuli sumus. VI, 309. Fides catholica simplex parvulis una salus est : hoc uno lacte ad firmitatem solidioris cibi certo robore pervenitur. IV, 132, 133. Fides simplex quæ forte sufficit nobis, non sufficit aliis. V, 619. Illa rectissima disciplina est, in arcem fidei quam maxime recipi infirmos. II, 448.

Fides primogenita cordis nostri. V, 72. Fides res cordis, non corporis. VIII, 1016. Fides non res est salutantis corporis, sed credentis animi. VI, 316. Fidei comites spes et caritas. V, 369. Fides oculus cordis. IV, 1169. Fides nostra primitiæ nostræ. IV, 1749. Fidei, spei et caritati scientia omnis et prophetia militat. III, 35. Firma fide, spe et caritate opus est hic. IV, 1171. Fide, spe et caritate Deus colendus est. VI, 252. Hæc sola in religione sequenda sunt. VI, 233. Fides sine spe et sine caritate, pia non est. II 456. Fides quomodo ad unamquamque se habeat. II, 457. Fides potest esse sine spe, non spes sine fide. VI, 234. Fidei amica spes. V, 248. Fides potest haberi sine caritate, non caritas sine fide. V, 564; VI, 235. Fide titubante caritas languescit. III, 35.

Fidei opus dilectio. III, 2054. Fides vera quæ per dilectionem operatur. III, 1631. Fides laudabilis, fides fidelium; ipsa est vera gratiæ fides quæ per dilectionem operatur. V, 564, 852. Qui non amat, inaniter credit et sperat. VI, 286. Fides per dilectionem operatur in corde, etiamsi foras non exit in opere. V, 32. Fides sine caritate mors est. III, 1578. Fides mortua non Christianorum, sed dæmonum. VI, 217. Fides dæmoniorum. II, 878. Fides male viventium prope est fides dæmoniorum. V, 993. Incipit corruptio a mala fide, inde itur in turpes mores. IV, 614. Fides Christianorum discernenda a fide dæmonum. II, 878; V, 369, 865, 912, 1116. Fides Christiana quænam. VI, 286. Fides cum dilectione, Christiani; sine dilectione, fides dæmonis. III, 2055. Fidem qui non habent, pejores quam dæmones. III, 2055.

Fides ad religionem pertinens quæ sit et de quibus rebus. VI, 234, 299. Partitio rerum quæ ad fidei objectum pertinent. II, 456. Quid sufficiat credere. VII, 235. Fides Christianorum præcipua. V, 808, 1116, 1133 Fides historica et temporalis, fides spiritalis et æterna. III, 166. Fide temporalis historiæ, quæ pro salute nostra ab incarnato Verbo administrata est, nutriuntur lactentes, id est, nondum capaces cognitionis rerum spiritalium atque æternarum. IV, 110.

Fidei primum et maximum officium est, ut in verum Deum credatur. VII, 127. Fides in Deum creatorem non sufficit ad salutem. X, 249. Sine fide in Christum nemo umquam reconciliatus est. IV, 1396. Nullus umquam homo potuit justificari aut salvari. X, 399, 401. Nemo liberatur a damnatione quæ facta est per fidem Jesu Christi. X, 925. Nullus justorum etiam antiquorum a damnatione totius massæ perditionis salvus esse potuit, nisi per fidem in Christum. III, 1918; VI, 287. Qui in ea regione defunctus est, ubi Christi nomen audire non potuit, non potuit justificari. X, 249. Fides in Christum non est necessaria ad salutem, si homo sine illa potest juste vivere. X, 248. Fides Christi Legis operibus præponenda. III, 613. Fidei catholicæ certum propriumque fundamentum, Christus. VI, 233. In causa duorum hominum, Christi et Adami, proprie fides Christiana. V, 190; X, 399. Fides resurrectionis Christi, fides Christianorum. IV, 1609. Fidei plenitudo de Christo. V, 1196. Fides Christi, quæ. III, 1778. Fides in Christum, iter ad Deum. VI, 243; VII, 318. Fide in Christum natum in carne, pervenitur ad Christum natum de Deo. IV, 1641.

Fides vera ab exordio generis humani una et invariata fuit. II, 374. Fides veteris et novi Testamenti non varia est, sed una. II, 681. Ab initio generis humani nec prophetari Christus destitit, nec qui in Christum crederent defuerunt. II, 375. Antiqui justi eadem fide salvi fiebant, qua fideles temporis nostri. II, 845, 858; III, 1722. Fides justorum veteris Testamenti et novi eadem. VIII, 356; X, 272, 399, 400, 450, 569, 595 Ex fide in Christum justi ante passionem vixerunt. X, 284. Et salvati sunt. II, 681, 769, 858. Fides in Christum eadem nobis quæ patribus veteris Testamenti. IV, 596; V, 133; VII, 610. Ut nos per fidem passionis Christi præteritæ, ita antiqui sancti per fidem ejusdem passionis futuræ salvi facti sunt. I, 808. Sic salvi facti sunt credendo quia veniet Christus, sicut nos salvi efficimur credendo quia venit. VI, 332. Fides veteris Testamenti ad gratiam spiritus pertinebat. IV, 283. Fides una sit etiam in diversis observationibus. II, 146. Fidem unam quare Deus multipliciter varieque diffudit. IV, 524. Fides quomodo communis et una omnium credentium. VIII, 1016, 1017.

Fides hic necessaria. V, 236. Necessaria ad salutem. V, 784, 1341. Sine fide nullus umquam justus fuit aut erit. VI, 621. Fides quo usque necessaria. I, 877. Sine fide impossibile est placere Deo. X, 755. Fides primum præceptum et initium religionis. V, 237. Initium salutis. V, 912. Initium corrigendi cor. X, 314. Initium vitæ bonæ. V, 254; VI, 204, 621. Principium melioris vitæ, et interioris renovationis. IV, 1749, 1750. Initium est hominis Christiani, martyrium pro Christo, finis optimus. X, 995. Fides necessaria ad pie vivendum. VII, 610. Fides gradus est pietatis. III, 1574. Fides tua justitia tua. IV, 279. Justitia ex fide, non ex operibus. II, 819. Neque per legem justitia, neque per naturæ possibilitatem, sed ex fide, etc. II, 768. A fide omnis justitia sumit initium. II, 877. A fide justificatus incipit. IV, 1464. Fides resurrectio peccatoris. III, 1568. Fide anima reviviscit. IV, 1116. Justificatio ex fide, sine operibus. V, 31. Quid sit secundum Apostolum per fidem sine operibus justificari. VI, 88. Fidem ab operibus quatenus Apostolus distinguit. X, 969. Ex fide justificari nos, cur potius dixerit Apostolus, quam ex operibus. X, 969. Quid

sentiendum de fide sine operibus. IV, 257. Per fidem sine operibus justificari hominem asserit Paulus, ne merito operum se gratiam accepisse præsumat. IV, 261. Fides sine operibus nihil prodest, sicut nec opera sine fide. IV, 258, 259, 261. Fides sine operibus non sufficit ad salutem. X, 802. Fides sine operibus neminem salvat. X, 598. Est otiosa. VI, 87, 88. Radix sine fructu. IV, 259. Augustinus suum *de Fide, et Operibus* librum notat. II, 948. Libertas fidei non sit fidelibus velamen malitiæ. VI, 225. Quidam sibi ob fidem regnum cœlorum promittunt, etsi male vivant. V, 568. Error quorumdam, propter fidem Christianam salvandos esse baptizatos, etiam si mores quantumlibet malos non correxerint. VI, 197. Refellitur. VI, 150, 210, 370. Fides in Deum non impedire debet quin fiant ab hominibus quæ facienda sunt. III, 574. Deus facit per gratiam suam opus Legis in homine, et homo per fidem suam suscipiens gratiam, etc., cooperator est adjuvantis Dei. III, 756.

Fides non ex operibus, se ad gratiam pertinet. III, 615. Non ex meritis. III, 1400. Fides non ex bonis operibus, sed bona opera ex fide. V, 32; X, 892. Fides initium unde bona opera incipiunt. X, 341. Gratia fidei præcedit bona opera. VI, 111, 621. Ante fidem nihil est boni operis. III, 1851. A fide bona opera pendent, et præveniuntur. III, 615. Sine fide opera bona a nullo fiunt. II, 875; V, 72. Sine recta fide nulla operum laudabilium copia prodest. X, 598. Opera quæ dicuntur ante fidem, quamvis videantur hominibus laudabilia, inania sunt. IV, 259. An qui sine fide dat eleemosynam, etc., dicendus sit pius, an impius. IV, 262. Omne quod non est ex fide, peccatum est. X, 754. Non de animæ et corporis bonis, quæ dona sunt Dei etiam in peccatoribus, sed de actionibus eorum dictum est : *Quod non est ex fide, peccatum est.* X, 752. Fides sic est in anima, ut radix bona, quæ fluviam in fructum ducit. IV, 1805. Fides impetrat gratiam bene operandi seu caritatem. II, 819. Impetrat adjutorium, ut Lex impleatur. V, 851. Impetrat justificationem. II, 820. Fide impetratur justificatio et salus. X, 232, 233. Fides gratiam justificationis conservat. II, 878. Væ homini fideli, nisi Dominus fidem ejus protegat. IV, 1614. Quod fides impetrat, non desinit esse donum gratuitum. II, 878, 879. In via fidei, pro non peccantibus habentur, quibus peccata non imputantur. IV, 1508. Ante fidem non debentur nisi mala pro malis. IV, 1516.

Fides principium meriti. II, 878. Quomodo. III, 2061. *Retr.* Fidei merito præcedenti quomodo tribuitur misericordia. III, 2061. *Retr.* Fides inchoat meritum, sed etiam fidei meritum est donum Dei. X, 965. Et ex misericordia ejus. X, 965. Nec ullis nostris meritis redditur. X, 377. Fides est a Deo. III, 85. Est opus Dei. III, 1602. Donum Dei. I, 622; IV, 1116; V, 254, 750, 911, 915, 915, 1562; VI, 111, 115, 116, 247; X, 552, 555, 897, 975, 976, 989, 1605. Fides non ex præcedentibus meritis, sed gratuitum donum Dei est. II, 878, 879, 880, 969. Donum omnino gratuitum. X, 399, 616, 673. Donum quod denegatur superbis. V, 436. Fides ex gratia est. X, 972. Fidem nostram operatur Deus in cordibus nostris. X, 963. Fides fit in homine, sine qua opera bona a nullo fiunt homine. II, 878. Fides quamvis operandi gratiam impetret, ipsa donum est gratiæ. X, 341. Dei misericordiam non præcedit. II, 879. Ut in Deum credamus, et pie vivamus, non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei. II, 982. Orandus est Deus pro eis qui nolunt credere, ut velint. II, 984, 987, 988, 989. Pro inimicis nostris qui nondum in Christum crediderunt, ut credant, orare nos debere admonuit S. Cypr. II, 972, 980. Inaniter oraremus pro infidelibus ut credant, nisi Ecclesia crederet etiam malas atque infideles hominum voluntates per Dei gratiam in bonum posse converti. II, 972. Gratiæ Deo agendæ pro eis qui ex infidelibus crediderunt. II, 989. Non meritis operum ad fidem perventur. X, 341. Unde quisque fit dignus fide. X, 975. Locus unde Massilienses probare nituntur fidem non esse Dei donum, ejusque explicatio. II, 375, *not.* (*a*). Fidei justitia a Spiritu sancto, post recessum Christi. V, 786. Fides per baptismum solidatur. III, 264.

Fidei inchoationes quædam conceptionibus similes. VI, 111. Fides prævenientе et vocante misericordia Dei, per obedientiam suscitatur. IV, 991. Nemo sibi sufficit ad inciendam vel ad perficiendam fidem. X, 963. Fidei initium Dei donum est. II, 979, 988; X, 961, 962, 989, 990, 1024, 1026, 1027. Superbiæ est homini initium fidei tribuere. X, 963. Fidei initium ex nobis, cætera autem religiosæ vitæ bona ex Dei gratia esse aiebat Vitalis. II, 989. Aiebat nobis esse a nobis ut credamus in Deum, et Evangelio consentiamus. II, 978. Ut tamen credere velimus, id Deum operari quantum in ipso est, quatenus scilicet nota nobis facit eloquia sua. II, 978. Si consentire Evangelio non est ex dono Dei, sed ex voluntate, frustra orat Ecclesia ut fi credant quibus Evangelium prædicatur, etc. II, 978, 980. In initio Fidei est etiam initium bonæ, hoc est piæ voluntatis. II, 989. Non solum initium fidei, sed et ejus incrementum donum Dei est. X, 992, 995. Gratia non gratis datur, si initium fidei est ab homine, augmentum vero a Deo. X, 963. Totum sibi negotium salutis posset homo vindicare, si sibi sufficeret ad incipiendam vel perficiendam Fidem. X, 963. Quidquid et fidem præcedit, et fidem comitatur, et fidem sequitur, Deo tribuendum X, 970. Inter initium fidei et perfectionem perseverantiæ, media sunt illa quibus recte vivimus, quæ etiam donari a Deo nobis Fide impetrante, ipsi Pelagiani consentiunt. X, 1028, 1033.

Fides perfecta et fides inchoata ex dono Dei est. X, 966 Perseverantia in fide, donum Dei. X, 940. Fidem et perseverantiam esse Dei dona, totius Ecclesiæ in suis orationibus testimonium. X, 1031, 1032, 1033. Ecclesiæ preces pro fidelibus ut permaneant, pro infidelibus ut credant. X, 1606. Et fides, et salus Fidei quæ promittitur, donum Dei est. X, 976. Fides ex Dei dono. III, 1631. Contra quam sensit initio Augustinus. III, 2031. *Retr.* Fidei initium donum Dei esse quando cognovit Augustinus. X, 1026.

Fides in potestate est, quomodo. X, 235. Qui corde proprio credunt in Dominum, sua id faciunt voluntate et libero arbitrio. II, 984, 987. Qui voluerunt, crediderunt. V, 787. Et infideles ipsi si vellent credere, a nullo impedirentur. V. 787. Fides nostra sic est in libero arbitrio, ut egeat divino adjutorio. III, 1778. Et velle et credere nostrum est, et simul donum Dei. X, 965. Fides Christi dicitur fides nostra, quare. X, 209. Tutius est fidem, spem et caritatem suam voluntati Dei committere, quam suæ propriæ. X, 976.

Fides non omnium est. IV, 1118, 1805. Fidei donum cur non omnibus detur. X, 972. Cur ille credat, ille non credat, cum ambo idem audiunt, altitudo est judiciorum Dei. II, 878. Quatenus a Christo præsciti sunt qui in eum fuerant credituri. X, 974. Impossibilitas fidei et conversionis quæ, et unde. III, 1778, 1779. Patiendum est sibi fidem per hominem prædicari, quamvis possit homini non per hominem dari. X, 920. Paucissimis donatum est, ut nullo homine prædicante, vel per Angelos fidem accipiant. X, 1025. Fidem nemo accipit a ministro verbi aut sacramenti, sive perfido, sive fideli. IX, 501. Fidei patres. V, 1101.

Fides magna possessio. V, 248. Fides a nobis exigitur, offertur salus; pretiosum est quod promittitur, gratis fit quod jubetur. V, 1112. Fides auro præferenda. V, 218. Aurum multis fulget, non fides. IV, 566. Fides in rebus etiam abjectis magnum animi bonum et saluti corporali præponendum. VI, 376. Fides aurum est, carnalis concupiscentia fœnum. IV, 1242. Fides carnalis. V, 54. Fides cara res est, vili illam addixisti. IV, 262. Pro bonis operibus sperasti terrenam felicitatem : impius es. IV, 262. Operibus speresti vitam æternam, sed non ab illo a quo speranda est : impius es. IV, 262.

Fides via ad religionem tutior, et ab omnibus tenenda. VIII, 82, 86, 91. Fides verbum consummans et brevians, quod fecit Dominus super terram. VI, 124. Per fidem patet via ad Deum. IV, 1751. Fides sit tecum, et tecum est Deus. IV, 1169. Fides quid valet ad cognitionem et dilectionem Dei. VIII, 960. Morum honestas ad diligendum Deum et proximum, fidei veritas ad cognoscendum Deum et proximum pertinet. III, 71.

Fidei filius quis. X, 214. Fide potestatem accepimus fieri filii Dei. IV, 1614.

Fides ad Christum nos trahit. II, 878. Fide vere accedit ur ad Jesum. III, 1101. Fides in Christum. V, 773. Fides de Christo, Christus est in corde. III, 1755. Per fidem et spem anima nostra in Christo est. IV, 1845. Hominem pie fidelem cum Christo esse per fidem, non est dubitandum. III, 1927. Quamdiu per fidem in homine habitat Christus, tamdiu homo est templum Dei secundum fidem, non secundum speciem. IV, 1652. Paganus renuntiat sæculo, tunc mactatur : credit in Deum, tunc manducatur. IV, 1642.

Fides sola Christi mundat. IV, 1137. Fides in Christum si adsit, nulla peccata remanebunt. V, 788. Christus nihil prodest non credentibus. V, 1343. Velamen quod in veteri Testamento est auferetur, cum ad Christum quisque inde transierit. II, 549. Jesus in navi, fides in corde. IV, 524, 1169. Fide nostra vigilante, vigilat Christus in nobis. V, 424. Fide sopita in corde, tanquam dormiente Jesu in navicula, periclitamur tentationum fluctibus agitati. IV, 190, 1169, 1611. Fides in corde, quasi Christus in navi dormiens, excitanda. V, 240, 1602. Dubitationis tempestate jactaris : excita Christum, excita fidem tuam. IV, 1915. Fidei oblivio, somnus Christi in corde. III, 1755. Fides præsens, vigilans, oblita. V, 504.

Fides, incarnationis thus. VIII, 914. Fides, salubris medicina fidelium in sancta Ecclesia. VIII, 822. Fidei medicamenta manibus Dei confecta. I, 722 Dominus cum ista medicina venit, ut fidem populis imperaret. II, 448. Ante

quam scias quare quid dictum sit, crede ita dici debuisse ut dictum est. IV, 1915. Sitiebat Christus in cruce fidem illorum, pro quibus orabat. IV, 854.

Fides, vita. III, 1577, 1727, 1755, 1815. Fides recta, via recta. IV, 262. Fides recta, initium bonæ vitæ. V, 254. Fidei rectæ vita recta adjungenda. V, 993, 994. Fide quomodo distinguimur, sic distinguamur et moribus, sic distinguamur et operibus. V, 1117.

Fides ædificii spiritalis fundamentum. X, 970. Fidem in fundamento habere quid sit. VI, 215. Quid super fundamentum fidei, ligna, fœnum, et stipulam ædificare. VI, 151.

Fides orationem præcedit. II, 878. Fides fons orationis. V, 655. Non orat nisi fides. V, 913. Fides si deficit, oratio perit. V, 655. Fides fundito rationem, fusa oratio fidei impetrat firmitatem. V, 655. Fides in quantum proficit, in tantum tentatio deficit, ac vice versa. V, 655. Fides a Deo impetrat quod Lex imperat. IV, 1545; VI, 287. Impetrat gratiam ad implenda mandata. IV, 1549. Per fidem impleta sunt, quæ per Legem impleri non poterant. III, 2066. Fide custodiuntur judicia justitiæ Dei. IV, 1567. Opus bonum intentio facit, fides intentionem dirigit. IV, 259.

Fides plena. V, 912, 1196; V, 1345. Fides catholicissima. X, 237. Fides vera, seu fides Christiana ex qua justus vivit. X, 257. Vivere ex fide quid. X, 182. Est mandatum ut justus ex fide vivat, et huic fidei hereditas æterna promittitur. IV, 1595. Ex fide nemo vivit, nisi non videndo quod credidit. IV, 1452. Quomodo et credendum quod intelligatur, et intelligendum quod credatur. V, 257. Intellige, ut credas, verbum meum; crede, ut intelligas, verbum Dei. V, 258, Dedit nobis Deus videre, unde possimus credere quod non videmus. V, 700, 727. Qui vera ratione quod tantum credebat intelligit, præponendus est ei qui cupit intelligere quod credit: si autem nec cupit, cui rei fides prosit ignorat II, 456. Alia sunt, quæ nisi intelligamus, non credimus; et alia sunt, quæ nisi credamus, non intelligimus. IV, 1552. Deo adjuvante atque donante proficit intellectus ad intelligenda quæ crædat, et fides ad credenda quæ intelligat. IV, 1552. Fides est credere quod nondum vides, cujus fidei merces est videre quod credis. V, 254. Fides utcumque inchoat cognitionem. VIII, 961. Fides gradus est ad intelligentiam I, 1224, 1243; III, 129. Fidei gradus saluberrimus et necessarius ad scientiæ adeptionem. IV, 111. Fides præcedere debet intelligentiam. VI, 299. Ad intelligentiam ratio vera perducit, fides animum præparat. II, 454. Fides ad veritatis cognitionem ducit. II, 447. Per fidem ad certam scientiam pervenitur. VIII, 183. Et ad intellectum. III, 1741. Fidem intelligentia sequitur. II, 447. Fidei merito datur merces cognitionis. VI, 71. Fides debet præcedere intellectum, ut sit intellectus fidei præmium. V, 257, 672, 698, 770. Fidei fructus, intellectus. III, 1574. Fides oculos validiores habet ad conspiciendum finem impiorum hic feliciter agentium. IV, 1897.

Fidei certa merces, et infidelitatis pœna. V, 1119. Fidei merces, salus animarum. III, 1850. Contemplatio. VIII, 832, 833, 835. Fide simplici prius nutrienda est mens Christiana, ut fiat capax ad intelligenda superna et æterna. VIII, 279. Fides ad divina capienda facit habiles. VIII, 822. Fide mens purgatur, ut contemperetur æternis. VIII, 904. Fide corda mundantur, ut interiores oculi aperiantur et serenentur. IV, 447, 1552, 1640. Per rerum temporalium fidem, pervenit homo ad æternam veritatem. III, 1070. Inveniendo Deo quisquam non fit idoneus, nisi prius crediderit quod est postea cogniturus. I, 1243. Fides tunc est, quando exspectatur in spe, quod in re nondum videtur. VII, 379. Quæ futura sunt, ita creduntur, ut etiam videnda sperentur. II, 456. Fides, regeneratio, spes, caritas, in hac vita sunt solatia miserorum, non gaudia beatorum. IV, 1555. Fides desideret videre quod credit. VI, 661. Credendo tendimus ad videndum. III, 1923. Fides ita laboret, ut tandem videat. VI, 662. Fides est credere quod nondum vides; fidei merces, videre quod credis. V, 254. Fidei merces quæ esset, nisi lateret quod credimus? Merces autem fidei, videre quod credidimus antequam videremus. IV, 1451. Fides ad visionem perducit. V, 103, 571. Per fidem perveniendum est ad visionem. IV, 510. Fidei merces visio Dei. III, 1691. Merces fidei definienda est visio rerum quæ creditæ sperabantur. III, 1927. Fidei tempus, et tempus speciei. V, 256. Per fidem ambulamus ad speciem. V, 1523. Fides est præsentis vitæ, species futuræ. III, 1850. Fide mens imbuta tendit bene vivendo ad speciem pervenire. VI, 253. Fide lactamur, specie pascendi. V, 708. Lætificabit in patria, quem fides non consolatur in via. V, 541. Fides nostra quandonam fiet veritas. VIII, 904. In fidei temporalis retentione, contemplatione, dilectione, trinitas quædam, sed nondum proprie imago Dei. VIII, 1038.

Fides reipublicæ divinæ nos adsciscit. II, 533. Fidei via ad beatitudinis possessionem ducit. VIII, 63, 64. Fides præparat sanctos regno Dei. III, 1815, 1816. Fides necessaria ad beatitudinem obtinendam, quomodo. VII, 627. Fides et pietas præparationes ad introeundum cum sponso ad nuptias. II, 574. Fide mens purgatur, ut Deum videre valeat. V, 36, 568, 541; VIII, 951. Fidei merces et præmium Deus. V, 136. Fidei gratia in quibusdam tanta, quanta non sufficit ad obtinendum regnum cælorum. VI, 112. Fides catholica Deo gubernante secura. VI, 293.

Fidei catholicæ quod contrarium est, illud nulla dubitatione falsissimum esse credendum est. III, 262. Catholica fides errori Manichæorum et Pelagianorum adversa. X, 1607. Fides catholica quid tenet. III, 221. Fidem suam prolixius declarat Augustinus. II, 1042. Brevius. II, 1050. Fidei regula, symbolum. V. 999, 1614. Fidei professio concepta certis verbis, tenenda memoriter Competentibus tradi solita. I, 612. Et in conspectu Ecclesiæ reddi. I, 751. Fidei Christianæ professio. VI, 190.

Fides libere confitenda. V, 1278. Fidei Christianæ constantia. VII, 646. Mors temporalis ad exercitationem fidei relinquitur. II, 683. Fidem in persecutione negandam, Elcesæos docuisse dicit Eusebius. VIII, 27. Fides an aliquando desideranda. VI, 376. Fides in corde et in ore habenda. IV, 444. Reprehenduntur qui corde credunt, sed ore negant, vel dissimulant. IV, 444, 445. Fides ne in persecutione deficiat, Dominus vivificat. IV, 446. Fides ne amittatur, omnia perdenda sunt. IV, 618. Fides Christiana duplici modo negari potest. IV, 761. Fidem multi perdiderunt amore visibilium. IV, 1643. Fidem qui amiserunt, primogenitum suum in corde sepelierunt. IV, 1750. Fides una etiam extra Ecclesiam habetur, sed sine caritate. IX, 463, 464. Fides hæreticorum nec fides appellanda. VI, 368. Fides, cordis virginitas et castitas. III, 1453, 1454. Catholica mulier bis nupta, professæ virgini hæreticæ præfertur. X, 599.

Fides et dilectio probatior per hæreses. II, 793. Misericordia Dei non deserit eos qui ex ejus fide vivunt, eumque pie colunt. II, 525. Fidem qui novit defendere, doctior est, non fidelior. V, 1131. Titubantibus est necessarius, non credentibus. V, 1131. Fidem quæ in nobis est quomodo novimus. VIII, 1014. Fidei mysteria quomodo populo tradenda. III, 1333. Quæstiones præter fidem quæ, et earum exempla. X, 397, 398. In quæstionibus præter fidem sic dicitur quis errare, ut non tamen hæreticus judicetur. X, 397, 398. Regula in difficilioribus fidei quæstionibus servanda. VIII, 947. Fidei oppugnatoribus locum et tempus examinis præbere non debent Christianæ potestates terrenæ reipublicæ. X, 1034. Ad fidem quidem nullus est cogendus invitus: sed per severitatem, imo et per Dei misericordiam solet perfidia castigari. IX, 315.

Fidei catholicæ encomium. V, 1690. Fides Legi præponitur. X, 898. Fides eorum qui sub Lege sunt, alia a fide filiorum. X, 236. Fides quidem est in terra, sed vix invenitur plena. V, 655. Fidei integritas res est non exigui momenti. IX, 146. In fide nihil vitii est. VIII, 80. De fide intelligendum dictum Christi, Luc. XVIII. V, 655. Fides Gentium, glorificatio Christi. III, 1766. Gentium fides prædicta in Scriptura. VII, 357, 359.

Fides collyrium. III, 1655. Fides per piscem significatur. III, 1342. Fides pia qui piscis bonus. V, 620. Fides magna sicut granum sinapis. V, 488. Fidei symbolum hyssopus. III, 734. Fides eorum quæ pro nobis Dominus temporaliter gessit et pertulit, tabernaculum protectionis a contradictione linguarum. IV, 229. Fides et tunica est et lorica. V, 599. In fide qui sunt stabiles, orbis terrarum est, qui non commovetur: in fide titubantes, orbis terrarum mobilis. IV, 1185. Fides alia vulgaris, alia superior a qua fideles vocantur. V, 145.

Fidem non recte negari rei quod tantum semel contigerit. II, 590.

Fideles parvuli baptizati dicuntur a sacramento fidei. II, 984. Parvulo prodest eorum fides a quibus consecrandus offertur. I, 1304. Fideles quinam sint. X, 1180. Fideles non fiunt nisi libero arbitrio, et tamen illius gratia fideles fiunt, qui eorum a potestate tenebrarum liberavit arbitrium. II, 981. Quomodo. II, 982. In fidelibus quatuor consideranda, prædestinatio, vocatio, justificatio et glorificatio. III, 1614. Fideles dicuntur filii lucis, filii pacis, filii Ecclesiæ, membra Christi. IV, 1867. Fideles vocantur accedentes ad mensam Domini. V, 145, 649. Fideles falsi. V, 1201. Fideles sunt, qui vocantur et non sunt, in quibus sacramenta Christi patiuntur injuriam. V, 1092. Fidelibus suis Christus nusquam desse potest. IV, 1498. Unitatis amor et defectuum tolerantia fidelibus commendatur. III, 879. Fideles de requie fratrum suorum lætantur, etiam in propriis anxietatibus. II, 593. Fideles in Sion et in Jerusalem significantur. IV, 598. Fideles omnes cum Angelis unam domum Dei faciunt, et unam civitatem. IV, 1668, 1669. Fidelium vita

comparata infidelium vitæ, dies est ; comparata vero vitæ beatorum, nox appellari potest. III, 312; V, 521. Fidelium multitudo, vel in varia loca propter persecutiones migratio, per locustas designata. IV, 1443. Fideles ovibus detonsis comparantur. III, 38. Fideles sunt tabernaculum Dei in terra. IV, 469. Fideles in Ecclesia sunt veluti quædam textura. III, 879. Comparatio fidelium, infidelium vituperatio est. III, 1871. Fideles sancti et boni, et in comparatione plurium malorum pauci sunt; et per se ipsi multi sunt. II, 336, 338. Fidelium paucitas, tamquam granorum in comparatione palearum, paucitas dicitur ; per se autem est multitudo. VIII, 388.

Fidelis homo est, credens promittenti Deo ; fidelis Deus est, exhibens quod promisit homini. IV, 283 , 284. Quod minimum est, minimum est; sed in minimo fidelem esse, magnum est. III, 105.

Fides duplex, fides qua credimus, et fides in promissis. X, 235. Fides alia humanorum pactorum, alia qua baptizati fideles vocantur. II, 184. Fides etiam in rebus humanis necessaria. VI, 171. Fide de rebus humanis sublata, quam horrenda confusio sequatur. VI, 173. Fides ab omnibus diligitur. V, 144. Fides etiam oculis iniquorum plus lucet, quam aurum. V, 218. Fides famulis necessaria. III, 591. Fides in servo honoratur. V, 145. Fides non deneganda Deo, quæ exigitur a servo. V, 87, 145, 219. Fidem laudant et exhiberi sibi volunt, etiam qui eam exhibere Deo nolunt. V, 87. Quod tibi gaudes reddi ab eriore, redde superiori. V, 219. Fides et redditur, et habetur : imo si non redditur, non habetur. V, 219. Fidem amas ut exigas ; ama ut exhibeas. IV, 365. Christus proximus cui servanda fides. V, 251. Fidem Christus ipse maxime exegit. VIII, 88. Fides in deposito reddendo. IV, 618, 674. Fides in pactis et placitis data. VI. 376. Fides amico in ejus paupertate servanda est. V, 247. Fides non modo amico, sed et hosti servanda. II, 856. Fidem jurationis, quamvis extortæ, hostiles inter se acies custodiunt. II, 482. Romanorum fides prædicanda. X, 389. Fides Reguli et Saguntinorum. VII, 101, 759.

Fide jussor deceptus ab eo pro quo fide jussit, pro illo legitimum supplicium luit. II, 661. Utrum non de ecclesia pellendi sint, qui eo confugiunt, quo fidem fidejussoribus frangant, in concilio vult agere August. II, 1066. Indignum enim videri, ut adjutorium fidei violandæ in ipsa fidei domo inveniant. II, 1066, 1067. Fide ejus, qui ut eam servet per dæmonia juraverit, uti licere. II, 184.

Fiducia in se vel in homine, fallax equus ad salutem. IV, 276. Fiduciam ad Deum dat nobis ejus misericordia, non meritum nostrum. IV, 1120.

*Fidus* episcopus. X, 652, 663.

Fiere. II, 288.

*Figentes*. II, 694.

Fictus est omnis superbus, omnis fictus mendax. IV, 1811. Fictos habet omnis professio. IV, 337.

*Figulinensis* fundus. II, 397.

Figulus est Deus cum fragiles, infirmos et terrenos facit. IV, 1211.

Figura dicitur, cum aliquod spatium linea lineisve concluditur. I, 1041. De figuris Mathematicis fuse. I, 1042. Figura ἑτέρωσις, qua numerus accipitur pro numero. VI, 255.

Figura antiphrasis, cum per contrarium verba dicuntur. V, 634. Figuræ scripturarum rebus vere gestis inhærent. V, 30, 557, 558. Figuræ nostræ, ea quæ Israelitis contigerunt. V, 37, 38, 1551. Figuræ veteris Testamenti quærentem desiderant, non reprehendentem. V, 62. Sicut in bonis rebus multo amplius boni est in eo quod per figuram significatur, quam in ipsa figura; ita e converso in malis. IV, 985. Figuræ veteres per Christum evacuatæ. V, 474. Figura Corporis et sanguinis Christi. IV, 73.

Filia Babylonis, ipsa est Babylon; et filia Sion, ipsa est Sion. IV, 1773. Filia Babylonis infelix, et quare. IV, 1773. Filiæ Judæ, non Judæi, sed filiæ confessionis. IV, 540. Filiæ Tyri, filæ Gentium. IV, 511. Filiæ regum, animæ Christo per Apostolos suscitatæ. IV, 508. Et filiæ Apostolorum sunt et Christi. IV, 508. Filiæ regum etiam civitates a regibus conditæ, quæ Christo crediderunt. IV, 509. Filiæ malæ, id est mali in Ecclesia, inter quos boni ut lilium inter spinas , grana inter paleas. IV, 538. Post baptismum christiane non viventes, et filiæ dicuntur propter formam pietatis; et non filiæ seu alienæ, propter amissionem virtutis. IV, 539. Filiam unicam heredem facere lex Voconia vetuit. VII, 105.

*Filium* Dei qui eumdem dicunt esse ac qui Pater est, catholica fide excluduntur. VI, 184. Et qui filium creaturam esse dicunt. VI, 184. Filium Dei cœpisse ex tempore Arius dixit : posteriores vero Ariani non ita senserunt. VIII, 923. Filium Dei ex nihilo factum esse dicentibus, anathema dixerunt Ariani in Arimino. VIII, 730. Filium Dei non proficientem, sed perfectum esse genitum docebant ( Ariani ); verum perfectionem ejus, Patris esse minorem. VIII, 780, 787, 805. Filius Dei degener est secundum Arianos. VIII, 748, 761. Quidam Filium Dei esse consilium seu voluntatem dixerunt. VIII, 1087. Contra id quod dicunt, Certe voluit Pater, et fecit Filius, ostenditur quia vult Filius, et facit Pater. V, 748. Filium Dei non natura filium, sed gratia profitentur Ariani. VIII, 802. Filium Dei non naturæ, sed voluntatis esse filium dixit Eunomius. VIII, 1087. Filius Patri coæternus quomodo negatur ab Arianis, et quomodo probatur a Catholicis. V, 664. Filium Patri quidem coæternum confitetur quædam hæresis, non tamen semper fuisse filium VIII, 45. Filium Dei a Deo unctum ante Incarnationem volebant Ariani. VIII, 734. Eumque, per ipsam naturam et substantiam suam, visibilem et corruptibilem dicebant. II, 1047; III, 1403. Filius Dei quomodo secundum Arianos Patrem videat. VIII, 728. Eorum sententia refellitur. VIII, 745, 746. Filium Dei, Deum, Dominum, Regem, etc. fatebantur Ariani. VIII, 732. Ideo Patre minorem eum putabant, quia jussa Patris perfecit. VIII, 804. Ipsum etiam secundum formam Dei, Patrem adorare contendebant. VIII, 728. Filium æquare Patri dum nolunt, ne Patri injuriam faciant, utrique injuriam faciunt. V, 772. Filium Dei qui minorem facit, Deo Patri contumeliam facit. VI, 667. Qui filii æqualitatem cum Patre negarunt, de Ecclesia projecti sunt. III, 1666, 1668. Quidam dicentes, qui filius est hominis, factus est Filius Dei; qui vero Filius est Dei, non est factus filius hominis. V, 999.

Filii Dei sempiterna generatio accipienda in his verbis: *Ego hodie genui te*. IV, 71. Filius ideo ex utero, quia de substantia Patris. V, 747. Filius sine passione genitus. II, 751. Nedum dixerit Salomon, *Filium Deus non habet*, ut vult Porphyrius, dixit, quod Deus habeat filium. II, 382. Semper gignit Pater, semper nascitur Filius : sed timendum ne putetur imperfecta generatio, si non dicamus natum, sed nasci. II, 1047. Filii Dei nativitatis similitudines imperfectæ in creaturis. V, 666, 668. Filii generatio Patri coæterna, similitudine splendoris ex flamma geniti illustratur. II, 749.

Filius Dei non ex gratia, aut ex adoptione. II, 541, 542. Filius Dei, Deus. VI, 628, 640. Probatur. III, 1749. Filius Dei unus verus Deus cum Patre. VI, 629 ; VIII, 683. Unum se esse cum Patre nemo præter Christum dicere ausit. V, 774. Prophetia de Christo Pastore, docens ipsum esse unum cum Deo. V, 308. Filius Dei ad se, Deus dicitur; ad Patrem, Filius. IV, 845.

Filius Dei non est alterius naturæ a natura Patris quia natus. VIII, 719. Filii et Patris nomina non in se ipsis naturas demonstrant, sed alterius ad alterum personas. II, 750. Male ab Arianis dici, Patris et Filii ideo diversam esse naturam, quia iste pater est, ille filius. II, 750. Aut quia iste de nullo, ille de altero. II, 750. Filius Dei ejusdem ac Pater substantiæ. VIII, 823. Filius nullo modo verus Dei filius, si de substantia Patris non est natus. VIII, 771, 773, 778, 786. Filius Dei ejusdem ac Pater naturæ. VIII, 685, 686, 748. Ejusdem substantiæ ac Pater, æqualis ipsi et coæternus. V, 708, 747, 770, 771, 774, 1019, 1150, 1213, 1497. Filius Dei alius est a Patre, non aliud. X, 500. Filius secundum substantiam, hoc est quod Pater est, non secundum id quod ad aliud. IV, 845. *Not.* 1. Sive quod ad alium. IV, 845. *Not.* 1.

Filius totum quod habet, quod potest, tribuit Patri, non sibi; quia est a Patre, non a se ipso II, 751. Filius Dei plerumque dicit, *Dedit mihi Pater*; ut intelligatur quod genuerit eum Pater. VIII, 839, 847. Quidquid Deus Pater Deo Filio dedit, gignendo dedit, III, 1912 ; VIII, 1081. Filius Dei, nihil non habet, quod habet Pater. V, 650. Filius Dei secundum hoc dicitur, quod et Pater est, quod habet de quo sit. V, 668. Filius Dei accepit vitam a Patre, sed non ita tamquam fuerit aliquando sine vita. VIII, 716. Filius Dei quia est de Patre, non Pater de illo, vitam et mandatum accipit a Patre, et docetur ab eo. VIII, 706.

Filius Patri coæternus. II, 751 ; V, 990 ; VI, 15 , 631 ; VIII, 683, 773. Filius Dei, secundum quod est unigenitus, non potest dici, fuit et erit ; sed tantum, est. VI, 185. Filius Dei Patri æqualis. II, 751; V, 990; VI, 32, 74, 191, 650, 641, 683; VIII, 702, 706, 716, 719, 723, 747, 773, 774, 775, 776, 778, 779. Filius Patri coæternus, et æqualis probatur contra Arianos. V, 770. Filium esse natum , et æqualem gignenti se. II, 1054. Filius natus æqualis, sicut semper natus , ita semper æqualis. II, 751. Filius Dei in omnibus æqualis Patri quæ de substantia ejus dicuntur. VIII, 927. Filium æqualem habere aut noluit Deus, aut non potuit : si noluit, invidus est, si non potuit, infirmus est. II, 1048.

Filius patri simillimus. III, 1819. Ex nulla parte Patri potest esse dissimilis. VI, 17. Filius Dei quia perfecta imago Patris, ipsi coæqualis. VIII, 951. Unigenitus tantummodo est imago Dei , non ad imaginem. I, 626. Filius imago Pa-

tris plena, perfecta, summa VIII, 701. Similitudo et imago Patris, forma omnium, summe implens unum de quo est. III, 159. Filius Dei æqualis Patri, licet Pater dederit, acceperit Filius. VIII, 774, 800. Licet Patri obedierit. VIII, 688, 691, 776, 781, 786. Filii Dei obedientia non arguit inæqualitatem. VIII, 688, 691. Filius Dei non ideo non æqualis Patri, quia a Patre glorificatus. VIII, 848. Aut a Patre missus. VIII, 685, 905. 906. Respondetur testimoniis quibus Filii Dei inæqualitas asseri videtur. VIII, 773, 774, 798. Filius Dei si non est æqualis Patri, duo sunt dii, Pater invidus fuit. VIII, 777, 780. Pater non ideo potentior Filio, quia creatorem genuit, Filius vero non genuit. VIII, 768.

Filius Dei, omnipotens. VI, 629, 640. Filius Dei, Deus, omnipotens, invisibilis, immortalis, sapiens secundum naturam divinam ut Pater. VIII, 720, 724, 725, 745, 746, 762. Filius potentiam, immortalitatem, etc. quam Pater habet, habet et ipse. IV, 502. Filii Dei voluntas eadem ac Patris. VIII, 686. Voluntas Patris et Filii una est secundum æqualitatem formæ Dei. V, 860. Opera Patris et Filii eadem. V, 705, 746, 748. Filium et Patrem quasi duos artifices sibi proponentis carnalis sensus. V, 702. Filius similiter facit eadem, quæ facit Pater. III, 1535-1564, *toto tractatu*. Filius Dei in forma Dei usque adeo non est factus, ut per illum facta sint omnia. VIII, 723. Filius Dei non ideo non genuit, quia non potuit, sed quia non oportuit. VIII, 768. Quidquid facit Filius, non facit sine Patre, et vicissim. III, 1560. An ex eo quod nihil Pater sine Filio, aut Filius sine Patre facit, sequatur ut Pater dicatur natus, passus, etc. V, 356. Filii et Patris eadem opera, quia quæ facit Pater, per Filium facit. V, 702, 704. Quia quæ Patris sunt, Filii sunt. V, 746. Filius sine Patre non facit, quæ se promisit facere. III, 1826. An Pater jubendo, Filius obsequendo fecerit. V, 747. Neque hoc concesso sequitur, ut Filius sit minor Patre. V, 747. Filius Dei jussu Patris omnia creavit. III, 241. Non dubitemus per ipsum regi omnia, per quem facta sunt omnia. V, 356 Ubi dictum est, *Non potest Filius a se facere quidquam*, etc., tale est ac si diceretur, non esset Filius, nisi de Patre nasceretur. V, 705. Filius quomodo faciat quæ viderit Patrem facientem. V, 701.

Filius Dei immensus æque ac Pater. VIII, 813.

Filio Dei hoc est esse, quod nosse. III, 1689. Diem novissimum in Patre et Filius scit. V, 589. Filio Dei hoc est esse filium, quod videre Patrem. III, 1566, 1567. Scientia Filii, visio filii, idem quod Filius. III, 1567. In natura Filii Dei quod est esse, hoc audire, hoc videre. VIII, 695, 696.

Filius invisibilis æque ac Deus Pater : quando voluit apparuit, non ut est, sed ut voluit. V, 64. Filius Dei etiam missus sicut æqualis est Patri non videbatur. VIII, 905. Filium Dei vel Prophetis, vel in Prophetis locutum quidam volunt. VIII, 849. Filius Dei an eo invisibilis, quod humanis oculis contemplari non possit. VIII, 729. De Filii Dei visibilitate ante Incarnationem anceps Arianorum sententia. VIII, 805 Momenta quibus Filium Dei ab homine visum probari putant, refelluntur. VIII, 804, 805, 806.

Filius Dei, incomparabilis splendor incomprehensibilis lucis. VIII, 610. Ostenditur ex scripturis. VIII, 611. Filius Dei unigenitus pax Dei, splendor Dei ipse est. II. 617. Dies ex die. V, 891. Filius Dei, lumen. VIII, 611. Lumen verum. I, 740 Lux vera illuminans omnem hominem, quomodo. X, 130, 131. Filius Dei Deus de Deo, lumen de lumine, vita de vita recte appellatur ; non vero Verbum de Verbo, quare. VIII, 696.

Filius Dei dicitur Verbum, Principium, Sapientia, Veritas, Virtus Dei. I, 813. Quare Verbum dicitur. VI, 183. Quomodo Virtus et Sapientia Patris. VIII, 936. Cur Sapientiæ nomine potissimum insinuetur in Scripturis, cum et Pater et Spiritus sanctus sit sapientia. VIII, 936, 937. Filius Dei est Principium. III, 222. Principium est non Patri, sed universæ creaturæ. III, 251. Filius Dei a quo habet ut sit Deus, ab illo habet ut de illo procedat Spiritus sanctus. VIII, 1095. Amor Patris erga Filium qualis. III, 1509. *Vide* Verbum. Filius Dei et Pater æqualiter se invicem diligunt. VIII, 802.

Filius Dei non potest esse nisi unus, quare. VIII, 202. Filius Dei unigenitus est, et primogenitus. VIII, 202. Quomodo primogenitus omnis creaturæ. VIII, 706. Ipse Dominus cum sine additamento ponit Filium, seipsum unigenitum vult intelligi. IV, 116. Filius Dei non ex Patre quemadmodum universa creatura. II, 749. Filius Dei unicus similis est Patri nascendo, nos videndo. IV, 565.

Filii Dei missio prorsus ineffabilis. VIII, 686. Quomodo intelligenda. VIII, 849, 850. Filius Dei non eo ipso missus dicitur, quod de Patre natus est. VIII, 907. Filius Dei an jussus a Patre, an missus dicendus est. VIII, 708. Quomodo missus et prænuntiatus. VIII, 905, 906. A Patre missus est, et a Spiritu sancto, et a seipso. VIII, 790, 848, 850. Filii Dei missio, apparitio ejus in carne. VIII, 905. Filius sic missus est, ut non recesserit a Patre. III, 1689 Filius Dei aliter mittitur ut sit cum homine, aliter ut sit homo. VIII, 907. Tunc unicuique mittitur, cum a quoquam cognoscitur. VIII. 907. Non vero Pater. VIII, 908. Filio Dei sicut natum esse, est a Patre esse ; ita mitti Filio, est cognosci quod ab illo sit. VIII, 908.

Filius licet missus a Patre, non tamen minor est Patre. III, 1573. Filius Dei non minor Patre. VIII, 721. In se non minor per incarnationem. V, 1214. In forma servi, non solum Patre minor, sed etiam seipso, et Spiritu sancto. VIII, 828, 836. Regula duplex ad intelligendas Scripturarum de Filio Dei locutiones. VIII, 845. Ambiguæ Locutiones de Filio Dei ex utralibet regula sine periculo possunt intelligi. VIII, 847. Locutiones plurimæ Scripturarum non quod Filius minor sit Patre, sed quod de Patre sit, intimant. VIII, 847. Quidquid de Scriptura profertur quo minor Patre Filius Dei videatur ostendi, aut de forma servi accipiendum, aut ideo dictum, ut alter ex altero demonstretur. VIII, 775. Pater non dictus Deus Filii ante Incarnationem, nisi in prophetia. VIII, 782. Filius Dei Patrem suum esse etiam propter formam servi Deum suum, veraciter dixit, non humiliter finxit. VIII, 781. Filius Dei minor Patre, imo minor Angelis propter infirmitatem. VIII, 687. Filius Dei ut homo, facit mandatum Patris ; ut Deus, ipse est Mandatum Patris. VIII, 706, 802.

Filius Dei non factus, nec minor Patre. VI, 184. Filium Dei non esse factum. II, 1053. Filius Dei non factus, nisi in forma servi. VIII, 756. Filius Dei æqualis Patri quomodo se exinanivit. IV, 699. Filium Dei vere dici natum et passum, sine divinitatis suæ mutatione. VI, 303. Filius Dei in assumptione hominis non mutatus. VIII, 812. Filius accipiendo carnem non mutatus est, sicut qui accipit vestem, non vertitur in vestem. V, 1214. Filius Dei semper immutatus. III, 1566, 1567. Filius Dei manens in natura sua factus est particeps nostræ naturæ, ut nos manentes in nostra natura efficeremur participes naturæ ipsius. II, 542. Filium Dei naturæ nostræ participatio non fecit deteriorem, nos facit naturæ illius participatio meliores. II, 542.

Filius Dei cur exterior factus, et humilis apparere dignatus est. VIII. 202. Filius Dei incarnatus est, ut magis homo timeret extolli fastu hominis, quam humiliari exemplo Dei, II, 1029. Filii Dei nativitas humana, humilis et excelsa. VI, 650. Filius Dei factus est nobis via temporalis per humilitatem, quæ mansio nobis æterna est per divinitatem. VIII, 958. Filius Dei sine exemplo nobis exemplum est. VIII, 958. In forma Dei exemplum est Angelis qui non lapsi sunt, et in forma servi hominibus ut resurgant, VIII, 958. Filii Dei obedientia, prima causa salutis hominum. VIII, 687, 688. Filii solius est nativitas ex Virgine, sed facta est a Patre et Filio, sicut passio ejus et resurrectio. V, 357, 1063. Filius Dei totam suscepit humanam naturam, sed ab omni peccati nexu liberam. VI, 249. Filius hominis utero Virginis contaminari non potuit. VIII, 598.

Filius Dei secundum formam divinitatis, ubique est ; secundum quod assumpsit carnem, est in cœlo. IV, 969. Sedet a dextris Dei et interpellat. VIII, 723. 760. Filius Dei in qua forma judicabit, et a quo potestatem accepit judicii faciendi. VIII, 840, 842. Filium Dei secundum formam hominis videbunt justi et impii. VIII, 841, 842, 844. Secundum formam Dei, videbunt soli justi. VIII, 844. Visio Filii Dei secundum formam Dei non erit summum bonum justis. VIII, 844. Filius Dei non subditus Patri, nisi secundum hominem. VIII, 750, 829. Quomodo subjectus ei erit qui illi subjecit omnia. VI, 75. Filius Dei tradito regno Deo et Patri jam non interpellabit pro nobis. VIII, 835.

Filius Dei brachium Dei dicitur. IV, 484. Manus est et brachium Patris. III, 1744, 1775. Cibus est Angelis in quantum est Verbum Dei apud Deum ; hominibus autem ut cibus esset, Verbum caro factum est. III, 879. Filius Dei magister, defensor, interpellator et dator. III, 1564. Filius Dei, manus Dei. V, 1377. Filius Dei rex solet appellari in Scripturis. IV, 84. Dixit Petrus, dixerunt et dæmones : *Tu es Filius Dei*, par confessio, sed non par dilectio. IV, 566.

Filii Dei sunt multi gratia, unicus natura. V, 770. Deus Pater Filium, quem unicum genuit, noluit esse unum. IV, 811. Filius Dei fratres suos nos esse voluit. V, 387. Filius Dei secundum id quod est unigenitus non habet fratres, sed secundum id quod est primogenitus. VI, 185. *Vide* Christus. Filius Dei cur factus homo. VI, 184. Filius Dei factus est filius hominis, ut filii hominum fierent filii Dei. V, 680. Filius solus ad divinitatem, non solus ad hereditatem. V, 702. Solus de substantia Patris genitus, alii de familia ejus per ipsum adoptati. V. 702. Filios Dei fieri impossibile non est, propter quos Filius Dei factus est filius hominis. V, 675. Filii Dei ut efficiamur, potestas data. V, 1504. Potestas hæc a Deo est. X, 285. Non est ex libero arbitrio, sed ex caritatis dono. X, 1004, 1292. Filios hominum filios Dei fieri

minus est, quam Filium Dei factum esse filium hominis. V, 675, 1504. Filii Dei quidam secundum susceptam temporaliter gratiam, quidam secundum æternam Dei præscientiam. X, 928. Filii Dei secundum prædestinationem vocantur, qui nondum regenerati. II, 846. Filii Dei jam sumus per gratiam, per fidem, per sacramentum, per sanguinem Christi. V, 503, 691, 709, 774. Filii spiritales per Evangelium in Christo Jesu generantur. IX, 66 Filii Dei sunt homines renovati ad ejus imaginem. VIII, 136. Et qui congruos novitati mores agunt. X, 157. Filius Dei eo quisque fit, quo incipit esse in novitate spiritus. X, 156. Filios Dei non posse vocari, nisi omni modo ab omni peccato puri fuerint effecti, Cælestii doctrina. X, 345. Filii Dei sumus in spe, non in re. IV, 565. Quibus est amabilis Deus, filii sunt; quibus terribilis, filii non sunt. IV, 566. Filii promissionis, perinde est ac filii gratiæ, filii misericordiæ. II, 559. si filii Dei facti sumus, et dii facti sumus. IV, 565. Filii Christi, et uxor Christi, ipsa Ecclesia. IV, 1684. Filii sponsi, Apostoli. IV, 1684, 1845. Filii illi pacifici esse debent. IV, 1685. Filii Dei, filii diaboli quinam. *Vide* Deus. Diabolus.

Filii Abraham, Filii David, et Patriarcharum, qui eorum fidem et pietatem imitantur. IV, 933, 1725. Filii Esaü et filii Edom omnes carnales; Jacob autem spiritales, minores tempore, majores potestate. IV, 1772. Filii Abrahæ vel diaboli sumus, non nascendo, sed imitando. V, 1552. Filios filii Abrahæ facit, qui promisit. V, 911. Filii hominum quinam. IV, 125, 349, 350, 544, 616. *Vide* Homo. Quinam filii mortificatorum. IV, 1019. Filii excussorum. IV, 1673. Filius impii floret aliquando in sæculo, et aliquando justus factus floret in Christo. IV, 399. Filios sæpe per nequissimos servos emendat pater. IV, 1499. Filii si flagellantur, quid debent sperare servi nequissimi? IV, 1210. Filiorum nomen varie in Scripturis acceptum. I, 619; VIII, 129, n. 3, 130. Filii noctis et tenebrarum. IV, 757. Inter filios diei et filios noctis dividit solus Deus. I, 851. Filii regni, qui præparantur in regnum Dei. VI, 252. Filii gehennæ, qui in illam præparati. VI, 252. Filii iræ. IV, 398. Filii nostri sunt bona opera. IV, 1688, 1724. Fructus horum operum, filii filiorum. IV, 1688. Filii alieni, cives Babyloniæ. IV, 1783. Filius junior Evangelicus. V, 1458.

Filiorum procreatio, Dei beneficium. VII, 440. Ad gloriam connubii, non ad pœnam peccati pertinet. VII, 428. Filiorum procreatio in paradiso non sine sexuum commixtione fuisset. X, 555. Filiorum multiplicatio de benedictione Domini venit. IV, 1778. Filios habere, non jam felicitas est, sed habere bonos. IV, 1686. Filii ut parentibus nascantur, fecunditatis est; ut vivant, felicitatis; ut recte instituantur, voluntatis et potestatis. VI, 441. In eos qui filios sibi natos esse gaudent, aut non natos esse lugent. IV, 1686. Filius alicujus non quidquid ex eo natum est appellatur. VI, 252. Filius dicitur et avi et proavi et ultra majoris alicujus, is qui ex illo propagatur. III, 494. Filii legitimi, filii naturales. X, 721. Filii adoptionis, filii naturales, et filii conjugales. V, 348. Filii ex legitimis nuptiis magis sunt in potestate patris, quam matris. II, 1082. Filii non solum ex conjugio, sed et ex adulterio, bonum aliquod sunt. X, 456. Etsi per vulnus a diabolo inflictum filii generentur, non tamen quidquam in eos potest diabolus. X, 757.

Filii parvuli propter parentum peccata, divino judicio pœnam communem aliquando subeunt. X, 1252. Nonnulla parentum quorumlibet peccata redduntur in filios. X, 1254. Filios propter parentum peccata puniri ostenditur ex Scriptura. X, 1253, 1254, 1256, 1258, 1275. Cur Deus aliter judicat parentes et filios, aliter homini judicandos mandavit. X, 1261, 1262, 1263, 1264. Dei judicium non alligari ea lege, qua judicanti homini præcipitur ne filius moriatur pro patre. X, 1252, 1253, 1254, 1255, 1256, 1257, 1258. Ad gratiam novi Testamenti pertinet, quod filius paternis debitis non sit obnoxius. X, 875. Filii parentum virtutibus sublevantur apud Deum. X, 1272. Filiorum beatitudo ad meritum patrum quomodo promittatur. IV, 1724. Filii mali perdite viventes pietatem parentum persequuntur. II, 310.

Filios quis vere diligat. VI, 702. Filio ploranti pater non dat gladium. V, 498. Nec cum levat in equum. V, 147, 498. Qui filiorum trucidat voluptates, tale sacrificium quale Abraham offert Deo. VI, 702. Filius cujusquam si moriatur, plangit illum: si peccet, non plangit; et Christiani sumus. IV, 409. Filiis suis omnes laborant, nemo sibi. IV, 1659. In avaros, qui res suas servare se filiis dicunt, et pauperi dare nolunt. IV, 422 Filios habes, unum plus numera, et da aliquid Christo. IV, 424. Filiis annumerandus Christus in patrimonii divisione. V, 529. Filiis tuis quod male servas, et tibi oberit et filiis. V, 529. Filii defuncti partem fratribus superstitibus dividens, parricidia docet. V, 529. Filiorum in parentes pietas non sit venalis. V, 264. Filii proprio quodam modo apud Judæos. V, 550. Filii qui primi commemorantur in generatione primorum hominum, non sunt primogeniti. VII, 456, 457, 464.

*Fimbria* vir spurcissimus, Marii partes contra Syllam secutus est. VII, 83. Ilium crudeliter evertit. VII, 83. In sua domo trucidatur. VII, 107.

Fimbriæ tactus. V, 1278.

Fingere quandoque simulare, quandoque formare significat. IV, 427. Fingere mendacio simulante, aliquid componere significat. VII, 399. Fingere non semper idem ac mentiri. IV, 1210. Fingitur quodammodo quod figurate dicitur. V, 558. Fictio Christi figurata fuit non fallax. V, 558. *Vide* Fictio. Laborat qui fingit quod dicit. IV, 1811.

Finis quid sit. VIII, 653; X, 749. Finis dicitur duobus modis, vel quo fit ut non sit quod erat, vel quo fit ut perfectum sit quod inchoatum erat. IV, 230, 628. Finis duplex, consummationis et consumptionis. VI, 77. Finis consumptionis et finis perfectionis. V, 366. Finis ibi dicitur, ubi jam quo excurrat, et quo referatur, non invenitur. II, 438. Exiguum est omne quod finitur. II, 1310. Quid diu est, ubi finis est? V, 688, 1385. Finis non est miseriæ, quamdiu finis officiorum nostrorum in re instabili collocatur. II, 435. Finis sæculi quando futurus sit, Evangelio magis consonat qui se nescire confitetur. II, 924. De fine sæculi Liber ad Hesychium. II, 899.

Finis noster Christus, non qui consumat, sed qui consummet. IV, 628, 662. Finis omnis consummationis, habere vitam sine fine, sine dolore, vitæ hujus doloribus partam. IV, 1561. Cum psalmus dicit, *In Finem*, corda convertenda ad Christum. IV, 1804.

Finem inter et officium quid distat. VIII, 653. Finis boni operis quis esse debet. IV, 1533. Quid sit. VII, 227. Finis quo refertur quodque opus, efficit ipsum aut laudabile, aut vituperabile. I, 1356. Fines boni et mali nostri, quinam sint. VII, 621. Fines boni et mali aut in animo aut in corpore, aut in utroque simul positi sunt. VII, 621. Circa fines boni et mali, ducentas octoginta sectas Varro numeravit. VII, 621. Deus finis propter quem fit recte quidquid fit. X, 788. Cum non ad suum referuntur auctorem dona Dei, hoc ipso mali his utentes, efficiuntur injusti. X, 746. Cum facit homo aliquid ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur. X, 749. Quidquid boni fit ab homine, et non propter hoc fit propter quod fieri debere vera sapientia præcipit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est. X, 749. Finibus, non officiis, virtutes a vitiis discernuntur. X, 749. Peccaverunt in hoc infideles, quod non ad eum finem opera retulerunt, ad quem referre debuerunt. X, 751. Mala numquam possunt ex fine bono fieri bona. VI, 528.

Firmamentum a distinctione et specie nominatum est. III, 232. Firmamentum idem quod cœlum. III, 232. Non omne firmamentum cœlum est. III, 233. Firmamentum, idem quod aer. III, 266. Firmamentum cœli, quid. III, 238. Firmamentum cœlum, cor firmum allegorice. IV, 159. Firmamentum Legem significat. IV, 1194.

Firmianum bellum. IX, 316.

*Firminus* vir liberaliter institutus. I, 737. Quamdam narrat Mathematicorum divinationem. I, 738.

Firmitas animæ os dicitur. IV, 1796. Firmum facit gratia Christi, sed quantumlibet firmus quis fuerit, de ipso vase fictili formidandum est. IV, 878. Firmitatis Christianæ est non solum operari quæ bona sunt, sed et tolerare quæ mala sunt. V, 277.

Firmus nemo erit a Deo, nisi qui se a se ipso sentit infirmum. V, 481.

*Firmus* episcopus Thagastensis, interrogatus, nec vult mentiri, nec ut hominem quæsitum prodat, tormentis adigi potest. VI, 504.

*Firmus* presbyter. X, 411. *n.* 1. Fides ejus et virtus. X, 411, *n.* 2. Firmus presbyter duas Valerii Comitis epistolas ad August. attulit. II, 926. Eustochii et Paulæ negotiorum causa Ravennam, inde in Africam Siciliamque mittitur. II, 751. Sixti litteras Hipponem direxit. II, 867. Per ipsum epistolam prolixiorem ad Sixtum mittit Augustinus. II, 874.

*Firmus* cui litteras mittit Augustinus. II, 1065.

*Firmus* a quo Rogatenses alios Donatistas Firmianos appellasse dicuntur. II, 501.

*Firmus* rex barbarus. IX, 46. Romanorum hostis immanissimus. IX, 46.

Fiscus Christi. IV, 1911. Fiscus saccus est publicus. IV, 1911.

*Flaccianus* Proconsul. VII, 579.

*Flaccianus* vir doctissimus et clarissimus. I, 915. Albicerium divinum interrogat. I, 915. Divinationis illius artem deridet. I, 916.

Flagellum Domini super omnem carnem. IV, 1748. Mun-

dus jam merito acriter flagellatur. V, 469. Flagello nullus non dignus, quia nullus sine peccato. VI, 700, 717, 720. Ut nemo sine peccato, ita nec sine flagello. IV, 1132. Flagellum tuum in te, ex te ipso est. IV, 960. Flagellum fecit Deus de peccatore. IV, 362, 366. Juste nos flagellat Deus, justitiam quantamcumque servare videamur. II, 423, 425. Cur boni flagellantur cum malis. VI, 701. Cur aliquando Deus feriat innocentiorem, et dimittat sceleratiorem. IV, 1180, 1945. Malos aliquos jam ex hinc punit Deus, ut innotescat providentia : aliquos non punit, ut servetur divina patientia. IV, 255. Flagellum ad pœnam impiis, ad disciplinam filiis. IV, 274. Flagellat omnem filium quem recipit. Nullus exceptus : etiam unicus sine peccato, non tamen sine flagello. IV, 274. Flagellorum a passione si exceptus eris, exceptus eris a numero filiorum. V, 276.

Flagellum Dei admonitio nostra est. V, 150. Flagellum Dei et pœna est, et gratia est : quid servat post pœnam, qui per gratiam exhibet pœnam? IV, 427. Quando aliquos flagellat Deus in terra, admonitio est, nondum damnatio. IV, 568. Flagellum medicamentum est contra peccata. IV, 409. Quando Deus castigat mundum, non vult damnare mundum. V, 955. Magna est ira ejus, cum peccantibus parcit. V, 955. Deus irascitur quando non punit. V, 1636. Magnæ misericordiæ est nequitiam impunitam non relinquere. V, 955.

Flagellat Deus, et diligit. V, 54. Pater et quando ferit, amat. V, 111. Etiam eos quos emendat Deus, multum amat. IV, 229. Pater est et promittens vitam, et imponens disciplinam. VI, 719. Melius est ut Deus flagellet te et recipiat te, quam parcat tibi et deserat te. V, 377. Flagella patris dulcia nobis sint, ne fit amara sententia judicis. IV, 1795. Flagella parantur, quibus hereditas æterna præparatur. IV, 409. Flagellari non timeas, sed exheredari. IV, 1131. Non abjicitur a Deo, sed ipse se alienat ab hereditate, qui eum refugit flagellantem. IV, 1132. Flagellati non timeamus ne abjiciamur, sed potius confidamus quia recipiemur justificati. V, 860. Tu noli dimittere corripientem et hortantem, terrentem et consolantem, percutientem et sanantem. V, 277.

Flagella sua dolent homines, quare flagellantur non dolent. IV, 409. Doleat damnum pecuniæ, non justitiæ. IV, 409. Non attendat quisque quid patiatur, sed quid faciat. VI, 719. Quidquid hic passus fuerit, si nec sic corrigatur, duplex damnatio est. VI, 720. Flagellis et donis Dei quomodo utendum. IV, 770. Sive ergo in donis, sive in flagellis, lauda. IV, 1871; V, 134. Flagellum patris qui laudat, rectus corde est. V, 147. Flagellantis laus, medicina est vulneris. IV, 1871. Paterna judicia laudentur in flagello, si promissa diligantur in præmio. IV, 1592. Flagello Dei quam in spem hic donamur. V, 376. Flagellum Dei domitoris fere dum. V, 376. Quaslibet pœnas humanas compara ad gehennam, et leve est omne quod cogitas. VI, 720. Cogitanda quæ pertulit Christus. VI, 724. Flagella non dedignetur peccator filius, quæ sustinuit unicus sine peccato. IV, 1131.

Flagellatus quidam per visum. V, 1410.

Flagitium vocatur quod agit cupiditas ad corrumpendum animum et corpus suum. III, 72. Flagitia et facinora. III, 2064. Flagitia priora sunt facinoribus. III, 72. Flagitia quæ contra naturam sunt, ubique ac semper detestanda; quæ contra mores hominum, pro morum diversitate vitanda. I, 689. Flagitia omnia morum malorum ad mundi hujus dilectionem pertinent. VI, 207. Flagitia tria mortifera, et excommunicatione puniënda. VI, 220. Flagitiorum compe satio periculosissime admittitur. III, 559.

Flamen sacerdos dignitatis excellentis apud Romanos. VII, 60. Flamines tres tantum apud Romanos; Dialis, Martialis, Quirinalis. VII, 60.

Flamma. Ardet olla iniquitatis, sed major est flamma caritatis; noli vinci. IV, 721.

Flatus nihil aliud quam aer motus. X, 534.

Flatus Dei dicitur anima. IV, 1776.

Flatu significatur interdum Spiritus sanctus. X, 484.

*Flavianus* quondam Vicarius et partis Donati II, 300.

Flent tamquam non flentes, qui adversitate non franguntur. IV, 1917. Flere in lætitia, et in mœrore lætari docens sermo divinus, perversum aliquid videtur docere. IV, 1764. Flere debes, sed recordando Sion. IV, 1763.

Fletus et risus. V, 943. *Vide* Lacrymæ. Fletus cur dulcis miseris. I, 697. Fletus Babylonius. IV, 1763. Fletu Babylonio multi flent, quia gaudent gaudio Babylonio. IV, 1763.

*Flora* vidua. VI, 157, 591.

*Flora* mater. III, 1068. Dea quæ præsidet frumentis florentibus. VII, 118. Floræ ludi scenici quam obscœni. II, 315; III, 1068; VII, 76.

Florentia Basilica. V, 1597, 1598.

*Florentina*. II, 1089.

*Florentinus*. II, 429. Officialis Comitis. II, 430.

*Florentinus* apud Hipponem probe notus. II, 1029. Litteras Madaurensium ad Augustinum defert. II, 1029.

*Florentius* episcopus. II, 587.

*Florentius* episcopus. II, 991.

*Florentius* Adrumetinus episcopus. IV, 380.

*Florentius* episcopus Donatista. IX, 528, 555.

*Florentius* sator, unde vestimentum emeret, miraculo obtinuit. VII, 765.

*Florinus* a quo Floriniani hæretici. VIII, 42.

*Florus* Paganus. IX, 511.

*Florus* monachus Adrumentinus, patria Uzalensi. II, 975. Ejus iter ad patriam Uzalensem, et inde Carthaginem. II, 975. Augustini epistolam prolixiorem ad Sixtum defert in Monasterium Adrumetinum. II, 975. Librum scilicet de gratia et libero arbitrio. X, 913, *not.* 2, 915. Hoc libro movetur Valentinus, et oritur inter fratres dissensio. II, 975. Ad Augustinum scribunt. II, 974. Augustinus petit ut Florus veniat ad se. II, 970, 974. Florus pergit ad Augustinum. II, 976. Flori fides de gratia, libero arbitrio, et retributione in die judicii, sana. II, 976. Et catholica. X, 917. Non prava sicut fratres ejus erant locuti. II, 969, 970.

*Florus* Juliani collega. X, 1327, 1341.

*Flori* (episcopi) auctoritate susceptum opus Juliani contra Augustinum. X, 1031. Eique inscriptum. X, 1316.

Flos gloriam significat. IV, 1728. Florentes sæculi felicitate, pereunt in Dei virtute. IV, 626. Florent ad tempus, pereunt in æternum. IV, 626. Nutant aliquando justi, cum vident impios florere et abundare. IV, 1648, 1649. Florentes hic fœno comparantur. IV, 607. Ad florem fœni si te tenueris, quoniam arescet, et tu cum illo decides. IV, 607.

Flumina paradisi, vera flumina. III, 378. Unde oriuntur. III, 328. Eorum fontes an noti sint an ignoti. III, 378.

Flumina Babylonis sunt, omnia quæ hic amantur, et transeunt. IV, 1762. Sunt variæ hominum cupiditates. IV, 1763. Sunt divitiæ quæ tollunt quos extollunt. IV, 1769. Flumen est mortalitas hujus sæculi. IV, 795.

Fluvius in bono et in malo significatur in Scripturis. V, 198. Fluvius Dei, populus Dei. IV, 783. Multa flumina et unus fluvius. IV, 783. Fluvii nomine sæculum designatur. IV, 1857. Fluvius quidam est, omnis iste ordo rerum labentium. IV, 794. Fluvii Ethan siccantur, dum nil proficiunt. IV, 940. Fluvii Ethan, de fortitudine ac virtute sua præsumentes. IV, 940.

Fœnum et flos fœni quid. IV, 1333. Fœni nomine etiam segetes frugum appellantur. IV, 1400. Fœnum tectorum, herba quæ nascitur in tectis; in alto videtur et radicem non habet : quid significet. IV, 1694. Fœno mali similes sunt, auro boni. IV, 1575. Fœnum dicuntur carnalia. IV, 1909. Fœnum est concupiscentia. IV, 1242. Fœnum montes producunt, dum potentes fructus terræ pauperibus erogant. IV, 1909, 1910.

Fœnerationem Scriptura dicit quod mutuo datur. III, 534.

Fœnus et professionem habet, et ars vocatur. IV, 658. Fœnus detestabile peccatum. IV, 386. Fœnus pium Deo, eleemosyna. V, 259, 524, 525, 1128, 1200, 1586. Fœnus trajectitium facere quid sit. V, 253. Fœnus corpus dicitur, quasi necessarium civitati. IV, 658.

Fœnerari latine dicitur, qui dat mutuum, et qui accipit. IV, 386. Planius populo si dicatur, fœnerare. IV, 386. Fœneratorem te esse jubet, qui te prohibet esse fœneratorem : fœnera Deo. IV, 386. Fœnerat Dominum, qui miseretur pauperis. IV, 387. Fœnerator minus vult dare, et plus accepere : da modica, accipe magna; da terram, accipe cœlum. IV, 387. Fœneratur peccator et non solvit, cum non agit gratias Deo, a quo accepit tot bona. IV, 371. Fœneratorem objurgat Ecclesia, et exsecrantur omnes. V, 525. Fœneratores se excusantes quod non habeant aliud unde vivant, refelluntur. IV, 1692. Fœnerator injuriarum est, qui peccata non dimittit, aut ultionem exigit. IV, 658.

Folles centum, folles mille. V, 263, 1704.

Fons quid sit, et quid significet. IV, 959. Fons paradisi irrigans totam terram, forte exsiccatus ut augeretur incolentium labor. III, 328. Variæ de illo fonte quæstiones. III, 328, 329. De fontium et fluminum origine. III, 259. Fontem aut torrentem probat æstas; tentatio hominem in quo Verbum Dei factum est fons aquæ. IV, 959. Fons et lumen apud Deum. IV, 465. Fontem non cupit sapientiæ, qui adhuc laborat in veneno malitiæ. IV, 465, 466. Ad fontem curre ut cervus. IV, 465. Qui peremptis serpentibus ad fontes acrius currit. IV, 465. Consume serpentes iniquitatis, et tunc amplius desiderabis fontem veritatis. IV, 465. Ad fontem vas affertur, cum anima ad Deum levatur. IV, 1854. Fons apud Garamantas frigidus diebus, fervidus noctibus. VII, 715, 718. Fons in Epiro in quo faces accensæ exstinguuntur, et exstinctæ accenduntur. VII, 718, 719.

*Fonteus* Carthaginensis de mente mundanda ad videndum Deum scripsit adhuc paganus. I, 624; VI, 14.

*Forculus* Deus foribus præfectus. VII, 119, 184.
Forma. Summe unum est, omnis formæ principium. III, 253. Forma quædam non formata et infabricata Verbum Dei, forma sine tempore et loco. V, 662. Forma aliqua est æterna, et incommutabilis per quam cuncta formantur. I, 1264. Nulla res formare seipsam potest. I, 1264. Omnia quæ sunt, forma subtracta, nulla erunt, I, 1265. Forma habet metas unde et quo usque sit. V, 665.
Formari est in unum redigi. III, 253. Forma futuri dictus Adam, sed a contrario. III, 2067.
Formatæ epistolæ. II, 175.
*Formianum* oppidum. II, 348.
Formica per æstatem colligit, quod ei per hyemem prosit. IV, 475. Formica Dei per æstatem prosperitatis colligit, unde se sustentet in hyeme adversitatis. IV, 805. Formica quomodo spiritaliter imitanda. VIII, 168. Formicæ cor habere juvat. V, 258.
Formido quædam semper cum admiratione conjungitur. IV, 1412.
Fornax ferrea, dura tribulatio. III, 531.
Fornicatio duplex, carnis et spiritus. VI, 469. Cordis et carnis. V, 1063. Fornicatio divino jure in Scriptura damnatur. VIII, 439. Fornicatio quandonam prohibita in Lege. III, 763. Fornicatio grande malum. III, 743. Lethalem habet culpam. VI, 378. Excludit a regno Dei. V, 879, 1462. Crimen est injuriosum Deo. V, 85, 86, 878. Fornicationis vitio corrumpitur in homine imago et templum Dei. V, 86, 1271. Et fit injuria gratiæ Dei. V, 86, 1271. Participatio corporis et sanguinis Christi debet a fornicatione deterrere. V, 85. Parce in te Christo, agnosce in te Christum. V, 878. Fornicatio cujus causa uxor repudiari permittitur, quatenus intelligenda. III, 1251. Fornicatio non ea sola quæ in stupris committitur, intelligenda venit in verbis dominicis, propter quam liceat uxorem dimittere. I, 616. Ad quod genus fornicationis limitanda sit isthæc licentia, quæstio est lutebrosissima. I, 616. Fornicationem pro morte conjugale vinculum solvente deputare, quam absurdum. VI, 472, 473. Fornicantis cor proprie et amiliariter servum fit corporis. V, 887, 888. Tunc dici non potest, animus suus est, sed totus homo caro. V, 887. Fornicatio cur sola dicitur peccatum in corpus proprium. V, 886. Fornicatio non tantum est in corporis luxu, sed in animæ fluxu. V, 1079. Fornicatio licite committitur, sed non Dei legibus. V, 828. Generis humani in fornicationibus et adulteriis committendis quanta perversitas. V, 84.
Fornicatio cordis in omnibus fuit; in paucis carne, in omnibus corde. V, 1063. Fornicatio et adulterium animæ colentis dæmonia. V, 76. Fornicari a Domino quid sit. V, 778. Fornicatio generalis animæ illa est, qua non adhærens Deo, adhæret mundo. V, 887, 889. Omnis anima, quæ deserta æternitate veritatis, terrenis sordibus delectatur, fornicatur a Domino. V, 92. Fornicariæ et adulteræ animæ quo differunt. V, 117.
Fornix meretricis locus. VI, 351.
Forsitan et fortasse pro Græco ἴσως, licet non omnino idem. IV, 1644, 1645.
Fortitudo quid sit, ejusque partes. VI, 21. Fortitudo dicitur, qua omnia molesta toleramus. IV, 1066. Fortitudo est animi affectio, qua omnia incommoda et damna rerum non in nostra potestate constitutarum contemnimus. I, 1235. Item est amor facile tolerans omnia propter id quod amatur. I, 1522. Fortitudo et temperantia ad inferiorem animi partem pertinent. III, 205. Fortitudinis officia. VII, 629, 631. Fortitudinis exempla. I, 1329. Maxime fortitudinis paganæ. VII, 127. Fortitudo non est se ipsum occidere. VII, 631.
Fortitudo nostra unde. IV, 1797. Fortitudo Christiana ex fame et siti justitiæ oritur. III, 1257. Fortitudo Christianorum ex caritate; gentilium, ex cupiditate. X, 1104. Fortitudinis dono esuritur et sititur justitia. III, 39. Fortitudo quartus gradus ad sapientiam. III, 39. Fortitudo vitium est, dum pro superbia usurpatur. IV, 427. Fortitudo omnis in humilitate. IV, 1184. Fortitudo, si hominis est et non Dei, duritia est. IV, 1388. Nemo cadit, nisi qui sua sibi vult esse fortitudo. IV, 1498. Fortitudo ab eo imploranda, qui jussit ut fortes simus; et nisi fortes ipse fecerit, non erimus quod jussit. IV, 477. Fortitudo militum Christi adversus diabolum. VII, 671, 672. Quanto acrior impetus belli, tanto major gloria non cedendi. VII, 678. Fortitudo necessaria ad iram compescendam, cum nobisin faciem detrahitur. IV, 1184. Fortitudo non est ista, si conviciatus percutias, quoniam ab ira victus es. IV, 1184. Scientia et fortitudo ideo rarissimorum, quia peccato vitiata est natura. X 1451, 1454.
Fortis perverse, et fortis vere. V, 1525, 1528. Fortis male fortis. V, 305. Fortior quis altero dicitur ex quatuor capitibus. VIII, 586. Fortes fortitudine damnabili : 1. diabolus : 2. qui de divitiis 3. qui de justitia sua præsumunt, IV, 695. Hi comparantur phreneticis, quorum mors tanto propinquior, quanto fortiores sint. IV, 696. Fortes quidam dicuntur, qui de justitia sua præsumunt. IV, 940. Fortes Ecclesiæ etsi non conturbantur persecutionibus alienorum, conturbantur tamen iniquitatibus fratrum. IV, 242. Fortes scandalis plerumque cedunt. IV, 476. Fortis vera virtute nec temere audet, nec inconsulte timet. II, 736. Fortis ille est, qui non in se, sed in Deo fortis est. IV, 265. Fortis in hoc sæculo nullus est, nisi in spe promissionis Dei. IV, 1120. Fortis est Deus in virtute sua, nos autem in participatione virtutis illius. IV, 795.
Fortuita quæ sint. VII, 141. Fortuita causis occultis divinitus dantur. III, 571.
Fortuna quid sit. III, 571. Fortunæ nomine apud Augustinum intelligendus fortuitus rerum eventus, non dea. I, 585. Hujus tamen vocis usum improbat. I, 585.
*Fortuna* dea a fortuitis quibus præest nomen habet. VII, 122, 126. Fortuna non est numen aliquid. III, 571. Immerito ut dea colitur. VII, 126. Qua ratione Fortuna putatur dea, cum mala esse possit. VII, 126. Fortuna cæca pingebatur. I, 1273. Cur cæca dicitur. VIII, 374. Fortuna temere sua cuique dona confert. VII, 197. Fortunæ bona verissimi sapientes, quos solos fas est beatos vocari, nec timeri voluerunt, nec cupi, etc. II, 65. Fortunæ muliebris simulacrum astutia dæmonum locutum. VII, 126. Fortuna barbata, quæ adultos barba induit. VII, 122.
*Fortunatianus*. II, 759, 780. Siccensis episcopus. I, 647; II, 622. *Vide not.* (*c*).
*Fortunatianus* ecclesiæ Thagastensis presbyter. II, 273.
*Fortunatus* episcopus. II, 450, 451. Episcopus catholicus apud Constantinam. IX, 245, 337, 371.
*Fortunatus* Dionysianensis episcopus. IV, 380.
*Fortunatus* a Thuccabori. IX, 212.
*Fortunatus* Proconsularis successor. IX, 611.
*Fortunatus* Manichæus presbyter. I, 612; VIII, 111, 112. Fortunatus Manichæus in disputatione cum Augustino deficit. II, 272, *et not.*
*Fortunius* Tubursicus Donatianæ partis episcopus. II, 173; IX, 528, 555. Cum eo disputationem publicam habet Augustinus. II, 174. Summa disputationis Augustini cum eo. II, 175, 176. Fortunius communionem suam esse ubique terrarum contendebat. II, 175. Et concilium Sardicense ad episcopos Afros qui erant communionis Donati dedisse litteras, eo quod Donati nomen inter cæteros episcopos legeretur. II, 176. Augustinus respondit non constare Donatum, qui in litteris Concilii legitur, fuisse Afrum illum schismatis auctorem. II, 176. Et mox Concilium illud Sardicense, cujus litteras Fortunius ostentabat, Arianorum fuisse advertit Augustinus. II, 176. Et probat eo quod Athanasius episcopus Alexandrinus, et Julius Ecclesiæ Romanæ episcopus in eo improbarentur. II, 176. Fortunius Ecclesias transmarinas fuisse innocentes usque ad tempora Macariana dicit. II, 176. Vitam catholicorum episcoporum prædicat, sed in Ecclesia esse negat. II, 175. Suos esse Christianos, quia persecutionem paterentur, ostendere voluit. II, 175. Augustinus probat eos, qui ex Donatiana parte sunt, non propter justitiam persecutionem pati. II, 175. Fortunii animus et voluntas ita probatur Augustino, ut in Donatistis credat difficillime inveniri posse tam utilem. II, 178.
Fossa peccatorum, ipsa felicitas peccatorum est. IV, 1204. Fossa ad ima tendit; superbi quasi in cœlum eunt, et in terram merguntur. IV, 1204.
Fossor. II, 230. Fossores. IX, 513.
Foveam peccatori fodere, est Deum occulta justitia peccatori parcere. IV, 1204. Omnis qui parat foveam fratri suo, (id est fraudem) necesse est incidat in eam. IV, 670. Fovea, mala conscientia et cæcitas. IV, 670.
Fractio panis. V, 1111, 1116, 1127. *Vide* Eucharistia.
Fraga in Africa non esse innuitur. II, 70.
Framea quid. IV, 1955. Framea proprie gladius, translate lingua persequentium. II, 555. Framea Dei, gladius Dei. V, 1424. Framea Dei est anima justi. IV, 324; V, 1424. Frameæ inimici, diversæ opiniones erroris. IV, 120.
*Frange lunam et fac fortunam*. VI, 674.
Fratres aut sorores generali nomine, consanguinei, aut consanguineæ apud veteres solent appellari. VIII, 422. Et in Scriptura. V, 737. De quolibet cognationis gradu. III, 489, 1374, 1467, 1623. Frater carnis nomine intelligitur. III, 496. Frater est quilibet homo. II, 95; III, 507. Fratres sumus omnes spe cœlestis hereditatis, proximi conditione terrenæ nativitatis. IV, 189. Fratres nostri omnes baptizati. IV, 299. Qui dicit Deo, *Pater noster*, dicit Christo, *Frater noster*. IV, 549. Frater ipse est, qui si non redimit, redimet homo. IV, 549. Fratrem habere servum suum non dedignetur dominus ejus, quem fratrem voluit habere Dominus Christus. V, 393. Sub patre cœlesti fratres sunt servus et dominus. V, 400. Quomodo quis sit frater et soror, et mater Christi. IV, 1685.
Fratres falsi in unitate tolerandi. IX, 311. Fratrem qui

non suffert, quid sufferat? II, 188. Fratres falsi omnia verba captant, ut in eis laqueos inveniant. IV, 459. Fratrum falsorum persecutio gravior, quam inimicorum IV, 658, 659, 663. Periculum in falsis fratribus, quodnam sit. V, 119. Pericula a falsis fratribus quiescere usque in finem sæculi non noverunt. V, 910.

Fraternitatem nos amare quomodo probemus. III, 1992. De fraterna concordia sermo. V, 1054. Qui minus valet, non impediat plus valentem : et qui plus valet, non urgeat minus valentem. II, 507.

Fraudulenti patiuntur fraudem, dum volunt facere. IV, 925. Fraus non ideo non fit, quia fisco fit. II, 356. Melius inopiæ laborem servi Dei tolerant, quam ut necessariorum facultatem cum conscientia fraudis obtineant. II, 356.

Frigiditas in viris tantum. X, 989.

Frigidum est quidquid stupidum. IV, 1955.

Frigus, dum deserit Deus peccatorem. IV, 1934. Frigus caritatis, silentium cordis. IV, 404. Frigus ac glacies spiritalis et ex iniquitate, et ex bonis operibus aliorum nascitur. III, 869.

Frons est in facie, frons est et in conscientia. V, 650. Frons laus pudoris nostri. IV, 1839. Frontem qui non habet, impudens est. IV, 1839.

*Fronto* servus Dei. VI, 521.

*Fructesea* dea. VII, 128.

*Fructuosus* episcopus. II, 759, 780.

*Fructuosus* episcopus martyr. V, 1247.

*Fructuosus* fossor. IX, 515.

Fructum sentire dolorem cum de arbore carpitur, cum conciditur, teritur, coquitur, manditur, dicebant Manichæi. VIII, 230. Fructuum decerptio, homicidium Manichæis VIII, 230, 235. Abstinent a quibusdam terræ fructibus per Quadragesimam fere omnes Christiani; nonnulli etiam semper. VIII, 493. Fructus e quibus arbor dignoscitur. III, 1306. Gratia necessaria ut homo faciat fructus bonos. X, 370. Fructus noster non Deum ditiorem facit, sed nos beatiores. V, 531. Fructus centenus, sexagenus, et tricenus varie intellectus. VI, 423.

Frugalitas a quibusdam dicta virtutum omnium mater. I, 974. Frugalitas Tullio virtutum maxima. I, 975.

Frui quid sit. VI, 19; VII, 339; VIII, 981, 982. Frui late dicitur cum delectatione uti. III, 33. Frui est præsto habere quod diligis. I, 1512. Frui proprie est amore inhærere alicui rei propter seipsam. III, 20. Est in ea ponere finem lætitiæ suæ. III, 33. Non fruendum seipso. III, 26. Non fruendum homine. III, 26. Qui homine in Deo fruitur, Deo potius quam homine fruitur. III, 33. Solo Deo fruendum. III, 33. Et solis rebus æternis. III, 26. Qui Deus dicatur omnia dedisse ad fruendum, cum eo solo fruendum sit. V, 958. Frui et uti. V, 958. Stat qui Deo fruitur; qui se frui voluerit, id est superbus, cadit. IV, 1620. Interest utrum homo velit frui corpore et tempore, an divinitate et æternitate. II, 539. Deus nobis non fruitur, sed utitur. III, 32. Frui usibus, quo sensu dicitur. VII, 339. Frui cibo et qualibet corporali voluptate non adeo absurde existimantur bestiæ. VI, 19.

Frumenti ad ops. IV, 1930. Frumentum Christi inter zizania gemit. IV, 476.

Fucari pigmentis adulterina fallacia est. II, 1060.

Fugere in persecutione licet. III, 1731. Quomodo et quando fugere liceat de civitate in civitatem premente persecutione. II, 1014, 1015. Quibus præceptum sive permissum est. IX, 272. Qui specialiter a persecutoribus quæritur, fugere potest, aliis qui non ita quæruntur remanentibus ad ministerium necessarium Ecclesiæ. II, 1014. Paulus Apostolus fugit, quia specialiter quærebatur. II, 1014, 1015. Consilium Augustini est, ut episcopi aut clerici, quorum ministerium plebi necessarium est, imminente obsidionis aut excidii periculo, non recedant. II, 1013. Si persecutio in solos ministros Ecclesiæ sæviat; non propterea Ecclesia deserenda. II, 1017. Quidam fugere possunt pro utilitate Ecclesiæ, si non desunt alii per quos suppleatur ecclesiasticum ministerium. II, 1016. Si necesse est ut aliqui e clericis pro utilitate Ecclesiæ fugiant, et disceptatio caritatis est inter illos, sorte legendi sunt qui maneant, et qui fugiant. II, 1017. Qui fugit eo modo, ut Ecclesiæ necessarium ministerium illo fugiente non desit, facit quod Dominus præcepit sive permisit. II, 1018. Illi pro aliis patiuntur, qui cum se possent malis eripere fugiendo, ne aliorum necessitatem desererent, manere maluerunt. II, 1014. Qui fugit remanente plebe in persecutione, mercenarius est. II, 1015, 1018. Qui fugit formidine superatus, caritate non flagrat, et contra formidinem debet dimicare. II, 1015. Non oportet ministros manere, ubi jam non fuerint quibus necesse sit ministrare. II, 1015, 1018. Etsi episcopi et clerici non fugiant, non propterea non debet plebs fugere. II, 1018. Fugere corpore propter persecutionem, concessum est; fugere animo, non licet. IV, 1840. Fugiendi exemplum præbuit Christus. V, 741.

Fugiunt impii a facie Dei, non latendo, sed timendo. IV, 814. Fugere a facie Dei quomodo possit peccator. IV, 1790, 1791. Fugere a Deo si vis, ad ipsum fuge : ad ipsum fuge confitendo, non ab ipso latendo; latere enim non potes, sed confiteri potes. III, 2021. Non est quo fugiat homo a Deo irato, nisi ad Deum placatum. IV, 953, 1217. Fugere nec conscientiam possumus, nec Deum. IV, 254, 255.

Fuga carnis, et fuga animi. IV, 814. Fuga in hieme et sabbato quid. III, 1151.

Fugalia festa. VII, 51.

*Fulgora* dea vidua. VII, 191.

Fulicæ aves sunt marinæ vel stagnenses. IV, 1550. Fulicæ domus. IV, 1572.

Fulmina nocturna Summano Deo, diurna Jovi tribuebantur. VII, 151. Fulmina cur aliquando montem (id est bonum) percutiunt, non latronem. IV, 1945.

*Fulvius* Consularis occisus cum liberis in seditione Gracchorum. VII, 105.

Fumus quadam unitate est quod est. VIII, 196. Fumo comparantur creaturæ. IV, 1865. Fumi globus quanto fuerit grandior, tanto fit vanior. IV, 570. Fumigant montes, cum tacti a Deo superbi precem ei reddunt. IV, 1388, 1389. Quia timuit homo, dies ejus facti sunt dies fumi. IV, 1302.

Fundamenta cœli, quibus regnum cœlorum superædificatur, Christus, Apostoli, etc. IV, 1049. Fundamentum nostrum est Christus, si primum in corde locum obtineat. V, 1616. Fundamentum nostrum sursum, non deorsum. V, 1477. Quemadmodum fundamentum corporeæ fabricæ in imo est, sic fundamentum spiritalis fabricæ in summo est. IV, 1103. Quia fundamentum nostrum in cœlo est, ad cœlum ædificemur. IV, 1621. Fundamenta terræ, terrenorum bonorum copia felices. IV, 1049. Fundamenta terræ quomodo moventur. IV, 1049.

*Fundanus* rhetor luscus cum esset, luscum genuit filium. X, 832.

Fundus noster Deus recte dicitur. V, 651.

Funes peccatorum, impedimenta sunt inimicorum. IV, 1546. Justi aliquando corpus implicant, sed non animum. IV, 1546.

Funiambulus. Petrus non funiambulus, sed mariambulus. IV, 440.

Funeris cura laudabilis. VII, 27. Funeris pompa. V, 611, 612, 936. Funeris pompa vivorum sunt qualiacumque solatia, non adjutoria mortuorum. V, 936; VII, 26. *Vide* Exsequiæ.

*Furius* Camillus. *Vide* Camillus.

*Furius* contra justitiam injustitiam defendit. IX, 559, 560. *Not.* (*a*).

Furnarius inquilinus. IX, 316.

*Furnæ*. IX, 233.

Furtum non est nisi quando alieno occulte ablato proximus læditur. III, 708. Furtum prohibitum. V, 70. Præceptum non furandi quomodo differat a præcepto non concupiscendi rem alienam. III, 621. Furtum est contra naturæ legem. I, 678. Nullus fur furem æquo animo patitur. I, 678. Nemo habet injustum lucrum sine justo damno. V, 70. Furtum an fecerint filii Israel spoliando Ægyptios, et an possit quis eos imitari. IV, 1400. Furtum non fecerunt Israelitæ spoliando Ægyptios. III, 608.

Furis occisio. *Vide* Tabulæ XII. Fur nocturnus si occiditur, ad homicidium non pertinet; si diurnus occiditur, pertinet. III, 627. Non est iniquitas per molestias corporales compellere fures redhibere pecuniam ablatam. II, 662. Interveniendum pro furibus, non ad hoc ut minime restituant ablata; alias ut societatem criminis veniretur. II, 663.

*Fussala* Hipponensi territorio confine castellum. II, 953. Fussala ab Hippone millibus quadraginta sejunctum. II, 953. Fussala autea ad Hipponensis Ecclesiæ parœciam pertinebat. II, 953. Fussalæ nullus omnino catholicus erat. II, 953. Donatistarum error plebes obtinebat. II, 953. Per magnos labores unitati Ecclesiæ cohærent. II, 953. Donatistæ sæviunt in presbyteros qui Fussalensibus congregandis constituuntur. II, 953. Fussalensem presbyterum Aug. Quodvultdeo commendat. II, 1001.

Fussalense territorium. VII, 764.

Fusum inter et colum discrimen allegorice explicatur. V, 227.

Futura vere sunt quæ Deus vult. III, 350. Futura in Dei sapientia causas habent efficientes. III, 1902. Necessario sunt futura quæ Deus præscivit. III, 350. Apud Deum jam factum est, quod ejus dispositione futurum est. IV, 1596. Futura credendi quænam sit ratio. VII, 720. Futura quot modis præsciantur. VIII, 902. Futura prædicendo verbis præteriti temporis utuntur Prophetæ. IV, 1351, 1476. Futurorum scientiam Cicero negavit. VII, 148. Quare. VII, 149

# G.

*Gabbaræ*. V, 1605.
*Gabinus*. IX, 710, 732, 733. Gabinus aliquando Donatista, jam ad Ecclesiam reversus. IX, 711.
*Gabinianus* non solum Christianus factus, sed fidelis valde bonus. II, 1012.
*Gades* insula Hispaniæ. VII, 158.
Gæson, scutum, hastam, lanceam interpretantur. III, 539.
*Gaianus*. IV, 576. Tigualensis episcopus. IV, 581.
*Gaius*. V, 253.
*Gaius* cujus laudatur animus. II, 86.
*Gajuseius*. III, 1436; IV, 883, 1826.
*Galaad* interpretatur abjiciens, sive revelatio. III, 818, 820. Et acervus testimonii. IV, 719.
*Galatia* non una ecclesia est, sed in ea regione innumerabiles. IX, 414.
*Galerius* Maximus decretum ex libello recitat in Cyprianum. V, 1412.
*Galilæa* interpretatur revelatio. III, 1216.
*Galilæi* non credentes, figura populi Judaici. III, 1525.
*Galla* vidua S. Stephani reliquias deferens, Quintiliano commendatur. II, 965.
*Galliæ* cladibus afflictæ. II, 422.
*Gallorum* irruptio in Urbem. VII, 108 Romam incendunt, remanente solo colle Capitolino. V, 1556. Camillus patriam a Gallis vindicat. VII, 62.
*Galli*, sic dicti sacerdotes Berecynthiæ, a Gallo fluvio. VII, 52. *Not.* (*a*). Abscisi erant. VII, 185, 213, 214. Abscisio Gallorum sacerdotum impugnatur. VII, 214, 215. Hi a populis stipem poscebant. VII, 215. *Not.* (*b*).
*Gallo-Græci* Galatæ, id est, Galli qui Asiam incolebant. VII, 102. *Not.* 2.
Gallorum gallinaceorum pugna. I, 989.
Galli Cantus. Post gallicantum tempus consuetum orandi. IV, 1587.
*Gallieno* imperatore potuit putari propinquus finis mundi. II, 918.
Gallina dignoscitur utrum fetus habeat, ex voce, plumis, etc. IV, 1152, 1153. Gallina cæterarum avium sola est quæ ex materna caritate cum parvulis infirmatur. IV, 698, 1153. Gallinæ merito comparatur sapientia. IV, 1152. Gallina Evangelica. V, 625, 1213, 1224. Gallinæ dicuntur de cinere proprios fetus edere. II, 703. Gallinarum in masculinum sexum conversio. VII, 110.
*Gallionus* episcopus Maximianista. IV, 381.
*Gamalius* Donatista episcopus. IX, 528, 533.
*Ganges* prius Phison appellabatur. III, 203; 378.
*Ganymedis* fabula. VII, 132, 571.
*Garbe*. IX, 511.
*Garganus* mons. VII, 573.
Gargilianæ thermæ. IX, 620.
Garruli quinam dicantur. IV, 975, 976, 977, 1515.
Garus. V, 1587. Gari. VIII, 302.
*Gaudentius* Thamugadensis Donatistarum episcopus. I, 654. Unus ex septem electis ad tuendam Donatistarum causam in collatione. IX, *Retr.* 705, 706, 707, 708. Duæ ipsius epistolæ. IX, *Retr.* 705, 706, 707, 708. His respondit Augustinus. II, 942. Libri duo adversus eum scripti. I, 654. Gaudentium Thamugadensem litteris Dulcitius tractat honorificentius, quam decebat hæreticum. II, 940.
*Gaudentius* litteras a Severo Milevitano ad Aug. detulit. II, 419.
*Gaudentius* comes Imperatoris Honorii. VII, 620.
Gaudere in Domino quid sit. V, 935. Gaudere ad Deum, de Deo, propter Deum; ipsa est beata vita et non est altera. I, 793. Nihil aliud est beate vivere, quam veris bonis certisque gaudere. I, 1237. Gaudent tamquam non gaudentes, qui prosperitate non corrumpuntur. IV, 1917. Gaudet verius atque jucundius homo de bona conscientia inter molestias, quam de mala inter delicias. VI, 330. Gaudet iniquus in potina, gaudet martyr in catena. IV, 1809. Gaudes ad tempus, noli ibi fidere; tristis es ad tempus, noli desperare. IV, 1212. Necesse est homo plus gaudeat, cum venerit quod desperaverat. IV, 1927. Sola spe gaudent sancti, quando sanum gaudent. VII, 611.
Gaudium majus molestia majori præceditur. I, 752. Gaudium Babylonium. IV, 1763. Gaudium impiorum quale. IV, 1251. Gaudium de sæculo immundum est. IV, 1661. Sæculi lætitia, est impunita nequitia. V, 935. Gaudium de bonis terrenis, molestum et periculosum. IV, 1777. Gaudium divitum hujus sæculi, gaudium phreneticorum. III, 1438. Gaudium carnale de mentis ægritudine venit. V, 1189. Gaudia insana non sunt gaudia. VI, 330. Gaudium non est nisi bonorum. III, 1506, 1507. Aliud est solatium captivorum, aliud gaudium liberorum. IV, 1761. Gaudium beatorum non est, sed consolatio miserorum, quidquid prosperum nunc exhibet Deus. IV, 1864. Est gaudium quod non datur impiis, sed eis qui Deum gratis colunt, quorum gaudium Deus ipse est. I, 793. Gaudia in externis non cohocemus, habentes in intimo Deum. I, 1188. Gaudium sit in Domino, non in sæculo. V, 935. Gaudere in sæculo nolo; gaude in Christo, gaude in verbo ejus, gaude in lege ejus. IV, 1212. Gaudium justi de fide, de spe, de caritate, de veritate Scripturarum. IV, 691. Beata vita est gaudium de veritate. I, 793. In nullo homine securitas, de nullo certum gaudium. IV, 1085, 1086.
Gaudium quod percipimus ex correctione malorum, nulli gaudio in hac vita comparari potest. II, 1085. Cum gaudemus de fidelibus et justis, et illis et nobis prodest bonum eorum: cum autem contristamur de infidelibus et iniquis, illis solis nocet et eorum malitia et nostra tristitia. II, 1085. Gaudiis terrenis Deus miscet tribulationes, ut discamus æternam desiderare dulcedinem. IV, 1777. Gaudium Christianorum in tribulatione. IV, 1796, 1797. Martyres in tribulatione patientes erant, quia spe gaudebant. IV, 1679, 1680. Gaudium magnum habet spes gaudentis. IV, 1679. Sine gaudio spes esse non potest. IV, 1885. Nec modo sine gaudio sumus. V, 861. Gaudium Christianorum jam in spe futura, postea in re erit. IV, 271, 559, 1640, 1679.
Gaudium justi non novit impius. IV, 1775. Gaudium piorum, canticum Deo est. IV, 1917. Gaudium nostrum, pax nostra, requies nostra, finis omnium molestiarum non est, nisi Deus. IV, 1073, 1077. Gaudium firmum in solo Deo. IV, 1870. Gaudium sempiternum quodnam sit. V, 479. Non nisi in Deo est. III, 1502. Gaudium plenum quando. V, 142. Gaudium plenum, non carnale, sed spiritale gaudium est. III, 1896. Gaudium plenum in ipsa societate, in ipsa caritate, in ipsa unitate. III, 1980.
*Gazaufala*. IX, 257.
Gazophylacium est arca Dei, ubi colligebantur ea, quæ ad indigentiam servorum Dei mittebantur. IV, 765.
*Gebal* vallis vana, id est, fallaciter humilis interpretatur. IV, 1053.
*Gedeon* et Phua quomodo fratres fuerunt, cum sint e diversis tribubus. III, 809. Gedeon peccavit faciendo Ephud. III, 813, 815. Quomodo itaque in Scriptura laudatur. III, 813. Gedeon subdefecit a fide. III, 814. Tentavit Dominum. III, 813, 814. Faculæ militum Gedeonis in hydriis fictilibus inclusæ, figura luminis Evangelici. III, 815. Numerus militum a Gedeone delectus, magnum habet sacramentum. IV, 853. Gedeonis vellus quid adumbret. IV, 521, 907. Mystice interpretatur IX, 598. Gedeonis vellus figura populi Israel, area sicca figura Ecclesiæ. III, 814.
Gehennæ ignis quam timendus. V, 1616. Gehennæ comminationem in veteris legis comminationibus non legimus. IV, 1413. Gehennæ metu martyres roborati sunt. IV, 526. Quis non bibat tribulationis temporalis poculum, metuens ignem gehennarum? IV, 845.
Gelizitana ecclesia. II, 162.
*Gelosus* presbyter. VII, 762.
*Gemelius* a Tanabæis ep. IV, 380.
Gemelli. IX, 259.
*Gemini*, interpretatur dexter. IV, 97.
*Geminius* ep. Maximianista. IV, 376.
*Geminius* a Furnis. IX, 255.
Gemmorum quorumdam similis dissimilisque valetudo, cui tribui debeat. VII, 142. Geminos duos ægrotantes agnovit Hypocrates. VII, 144. Geminorum quorumdam actus quandoque diversi, sicut et mores. VII, 143.
Gemmorum constellatio discussa. I, 739.
Gemitus cordis, et gemitus carnis. IV, 403, 404. Quare gemunt fideles. IV, 1637. Qui male gemunt, vel male gaudent, gemendos se faciunt. IV, 1298. Gemit bene, qui suspirat in patriam, non qui premitur ærumnis. III, 1425. Homini, quantumcumque profecerit, non deerit hic unde gemat. IV, 471. In paradiso non gemebas, sed fruebaris; foris positus geme. IV, 225. Geme de præsentibus, psalle de futuris; ora de re, psalle de spe. IV, 224. Gemitus non est nisi miserorum; oratio non nisi indigentium. IV, 206. Gemamus modo, oremus modo; orationi succedet laudatio, gemitui gaudium. IV, 206. Gemitum nostrum occultum quærit Deus. IV, 344. Gemitus pii desiderii, etsi ridere aliquando servus Dei videatur, numquam recedit ab auribus Dei. IV, 404. Gemitus noster est in re, consolatio in spe. IV, 1659. Qui non gemit peregrinus, non gaudebit civis, quia desiderium non est in illo. IV, 1940. Gemitus est qui habet et gaudium. IV, 1295. Gemitus piorum ex Spiritus sancti dono. IV, 199. Gemere dicitur Spiritus quod nos gemere faciat. III, 2076.
Gemmæ non arcæ, sed conscientiæ. V, 147.
Genealogia. In Genealogia feminas pro maribus ponere non est Scripturæ consuetudo. III, 768.
Generatio ante peccatum fuisset sine libidine. X, 756.

757. Ex membrorum obedientia, non ex eorum potentia. X, 447. Genitalibus membris usuri fuerant primi parentes, sicut cæteris membris, ad arbitrium voluntatis, si non peccassent. VII, 452, 454. *Vide* Libido. Genitalium inobedientia supplicium. X, 468, 469. Genitalia ante peccatum non pudenda. X, 1255. Unde facta sunt pudenda. X, 404, 406, 564, 565. Genitalium motus pudendus non fuisset in nuptiis, nisi præcessisset peccatum. X, 467, 468. Genitalium involuntarius motus pudendus. X, 768. De pudendis motibus omnis pudens impudensque confunditur. X, 566. Casti supplicium inobedientiæ genitalium sentiunt, immundi de hoc carnis supplicio graviore supplicio mentis exsultant. X, 468. De pudendis motibus non erubescere impudentissimum est. X, 565. Generatio primum et potissimum tribuitur patri. X, 1285. Generationis initium a viro. X, 1166, 1175. In generatione humana si deficiat mens, quis enarret divinam? II, 1054. Qua ætate homo generare possit. IV, 1395. Ætas conjugum qua generare possunt. X, 714. Quot annis terminetur. IV, 1395. Senior vir cum muliere seniore filios facere non potest. III, 557. Generatio ex Adam, et ex aliis patribus in quo diversa, in quo non diversa. X, 1277. Generationes humanæ cum foliis arborum comparatæ. IV, 1311. Generationes in Scripturis non per annos, sed per hominum successiones numerantur. III, 614. Generationes Domini ter quatuordecim apud Matth. inveniuntur, Jechonia bis numerato. V, 339. Cur bis numeretur. V, 340. *Vide* Christus.

Generationem opponit Apostolus regenerationi. X, 1187. *Vide* Baptismum. Generatio carnalis facit filios carnis, filios mortis, filios sæculi, filios iræ; generatio spiritalis e contra. X, 187. Generatio prima mortalis fuit de ira Dei, erit altera generatio immortalis de misericordia Dei. IV, 1073. Generatio carnalis tenet hominem in stirpe damnata. X, 406. *Vide* Peccatum originale. Generatio ex homine, regeneratio non nisi ex Deo. X, 1272. Generatio altera qua fideles efficimur, altera qua a mortuis resurgemus. IV, 1752.

Generis terreni necessitudinem propter regnum cœlorum contemnendam exemplo docuit Christus. VIII, 248.

*Generosi* Numidiæ Consularis integritas. II, 430.

Genesidium. VIII, 209, 214.

*Geneseos* historiam secundum proprietatem rerum gestarum quidam incipiunt ex quo Adam et Eva dimissi e paradiso genuerunt. III, 372. Satisfit rationibus eorum. III, 373. Narratio in libris Geneseos non genere locutionis figuratarum rerum est, sed gestarum. III, 372. Geneseos opera etiam corporaliter intellecta solidius asserunt divini eloquii narrationem. III, 373. Quis scopus scriptoris historiæ Geneseos. VII, 456, 457, 462, 464. Liber de Genesi ad litteram imperfectus. I, 615; III, 219. Libri duodecim de Genesi ad litteram. I, 640; III, 245. Libri duo de Genesi contra Manichæos. I, 599; III, 173. Judicium Augustini de libris quos ipse edidit in Genesim. I, 615. Geneseos initium explicatur in tribus postremis libris Confessionum. I, 845.

*Gennadius* in somnis audit hymnos beatorum. II, 699.

*Genethlius* beatæ memoriæ Carthaginensis ante Aurelium episcopus, constitutionem contra Donatistas compressit: unde multum ab eis laudabatur. II, 179.

Genethliaci. VII, 796. Qui vulgo et mathematici vocantur, superstitiosi. III, 51. Seductores sunt. III, 1457. Responsa dant vana. VI, 112. *Vide* Mathematici. Scientia eorum ad pacta quædam cum dæmonibus referenda est. III, 52. Genethliaci redarguuntur. III, 1456.

*Genius* Deus, a generando dictus. VII, 205.

Genium Carthaginis. V, 419.

*Gennadius* ne dubitet utrum ulla sit post mortem vita futura admonetur. II, 699.

Gens tenebrarum adversus regnum Dei rebellans Manichæorum somnium. VIII, 115. Refutatur. VIII, 115, 116.

Gentes septuaginta duæ ex filiis Noe ortæ sunt. VII, 481, 484. Gentes per linguas divisæ sunt. VII, 483. Gentium numerus multo amplius auctus est, quam linguarum. VII, 485. De numero Gentium difficultas solvitur. VII, 491. Pro vero Deo falsum hominem adorabant. IV, 1481. Quid in corporibus colebant. IV, 1483, 1484. Gentes quæ ignorabant Deum, desertum erant; Gentes omnes, fines deserti appellantur. IV, 785. Quænam sunt Gentes quæ naturaliter legem faciunt, eamque in cordibus scriptam habere dicuntur. X, 227, 228, 229, 749. 750. Gentium vocatio. IV, 1238, 1239. Gentes quomodo ad Christum conversæ. III, 1641. Gentibus transmissum Evangelium. V, 607. Deus fecit ut gentes vellent quod et nolle potuissent. X, 1207. Judæi rejecti propter superbiam, et Gentes insertæ vel Ethnici additi propter humilitatem. II, 559; V, 488, 490. Gentes oleaster. IV, 1743, 1744. Gentium major laus, quam Judæorum. V, 485. Gentes per prædicationem Evangelii, spolia Israelitarum factæ sunt. VII, 706. Gentilium conversio tempore Augustini. IV, 1864, 1865. Ecclesiæ de gentilium vocatione gaudium. IV, 1247, 1248. Gentium vocatio et conversio prædicta. VII, 555, 584, 585, 589, 592. In Isaac figurata. VII, 505. Per discum mysticum adumbrata. IV, 1248. Gentium omnium salus, et receptio intra Ecclesiam figurata. V, 802, 1036. Gentes canes a Judæis dicebantur. V, 487, 679; IV, 702. Gentes canes ulcera Lazari lingentes. III, 1552. Gentes lapides agri dicuntur. III, 850. Gentes quare lapides. V, 679. Gentes lapides dictæ sunt, quod lapides adorarent. IV, 550. Gentes per mare significantur et per Æthiopes. IV, 524, 937, 958. Contra Gentiles. V, 1150, 1155, 1158. Gentes duæ sunt et duo regna, unum Christi, alterum diaboli. II, 918. Gentium nomine intelligi possunt iniqui. IV 544. Gentibus misceri et ab his segregari. V, 1024.

Geometriæ inventio. I, 1014. Geometriæ Ægyptii dediti. III, 549. Geometræ rari in genere humano. VIII, 1011.

*Geon* fluvius, nunc Tigris. III, 203.

*Girba*. IX, 209.

*Germanianus* episcopus. II, 759, 780.

*Germaniciana*. IX, 228.

*Germanicianenses*. II, 1068.

*Germanus* episcopus. II, 759, 780, 788.

*Gervasius* et Protasius martyres. V, 1297. Eorum corpora deteguntur. I, 770. Mediolani ab Ambrosio. VII, 761. Detectio miraculis illustrata. V, 1299, 1437. Cæcus illuminatus. VII, 761. Gervasii et Protasii memoria celebratur eo die quo inventi, non eo quo mortui. V, 1299.

*Geryonem* tricorporem fabulæ ferunt. VIII, 948.

Gesta publica. II, 133; V, 1594. Gesta episcopalia. II, 580; V, 1576. Gesta ecclesiastica. II, 161, 162, 1066; V, 1575. Auferenda sunt, ubi sunt temere facta. II, 1067. Gesta proconsularia. II, 161, 162. Gesta municipalia. II, 265. Apud Zenophilum. II, 413; IX, 542, *App.* 793. Cirtæ apud Munacium Felicem flaminem, etc. II, 197; IX, 583, 793. Apud Æhanum. IX, *App.* 780. Gesta concilii Cirtensis. IX, 510. *Not.* (*a*), 542. Gesta forensia. II, 415. Gestis publicis hærere vult August. sacrilegum nefas, cur. II, 133, 135.

Gestus tamquam verba naturalia omnium Gentium, I, 783. Gestus signa quædam sunt. I, 1206.

*Geta*. IX, 325, 328.

*Geth*, torcular interpretatur. IV, 648.

*Getulia* pars Africæ. VII, 93. *Not.* (*d*). Perpetua siccitate laborat. I, 1001; IV, 1944.

*Getulicus* Victorianensis episcopus. IV, 581.

*Giddaba* mons. III, 1988; V, 267.

Gigantes in lingua hebræa appellantur Raphain. III, 749. Gigantes proceræ magnitudinis homines. VII, 82, 418. Quare a Deo creati. VII, 471. An ex hominibus an ex dæmonibus procreati. III, 549. Gigantum tempus. VII, 469. Gigantes plures ante, quam post diluvium. VII, 471. Gigantes in utroque sexu exstiterunt. III, 549. Gigantea femina Romæ nata tempore Augustini. VII, 469. Superbi per gigantes significati. IV, 1116. Sicut et qui spiritali robore in Ecclesia excellunt. IV, 1116.

Gignere inter et parere an Scriptura distinguat. III, 759.

*Gildo*. II, 299. Gildonianum tempus. IX, 316. *Vide* Optatus.

*Gippitana* ecclesia. II, 234.

Glabis. III, 856.

Gladiatores publicæ turpitudinis professores, ad sacramenta Christi non admittuntur. VI, 220. Gladiatorius animus. IV, 875. Gladiatorio animo sese libidinibus satiandis addicere. V, 140.

Gladius in bono potest accipi. VII, 691. Positus in malo, pro discordiosa lingua. VI, 506. Gladius benignus et gladius malignus. IV, 1866, 1867. Gladius ex utraque parte acutus, sermo Dei in veteri et novo Testamento promittens æterna et temporalia. IV, 1956. Narrans præterita, promittens futura. IV, 1866. Gladius Christi, verbum ejus. IV, 500. Gladius Dei putredinem abscindit, et membra Christi sanat. IV, 1866. Gladii diaboli sunt impii. IV, 1857. Iis utitur diabolus ad trucidandas animas. IV, 1857. Gladius pro tribulatione ponitur. II, 644. Gladius datus Esaü, non autem ipsi Jacob. V, 50.

Glaucia proles. II, 79.

Gloria quid sit. VI, 22. Quid gloria humana. VII, 156. Frequens de aliquo fama cum laude. III, 1905. Clara cum laude notitia. VIII, 770. Gloria non in ore vulgi, sed in rebus ipsis. II, 428. Gloria ignominiosa, honores sæculares. I, 670. Gloriæ ingens cupiditas in Romanis. VII, 154. Gloria humana, merces reddita bonis moribus Romanorum. VII, 154, 160, 161. Ea putatur gloria vanitatis, nullis credere viribus veritatis. VII, 173. Gloriæ cupiditas, et cupiditas dominationis, quid inter se differant. VII, 165. Gloriæ cupiditas, fidei inimica. III, 1623; VII, 159. Tanto quisque est Deo similior, quanto est a gloriæ cupiditate mundior. VII, 159. Gloriæ cupiditas dilectione justitiæ superanda. VII,

159. Gloriam contemnere magna virtus est virtutes habenti. VII, 165. Via ad gloriam, virtus. VII, 136. *Vide* Laus. Gloriæ inanis vitium, vel solum, vel maxime cavendum est perfectis : quo primo enim vitio lapsa est anima, hoc ultimum vincit. IV, 100. Sæpe homo de ipso vanæ gloriæ contemptu vanius gloriatur. I, 806. Gloriam humanam non quæsierunt Apostoli : nec ab illa se defendunt, qui cum aliena spernant judicia, sibi sapientes videntur, et sibi placent. VII, 167. Gloriam ab invicem exspectare, et eam quæ a solo Deo est non requirere, fermentum est Pharisæorum. V, 721. Gloria vana qui delectantur, in conscientia sua nihil habent. IV, 1984.

Gloria sua non quærenda est, sed gloria Dei. III, 1632. Gloria Dei est, ut et qui fit bonus, non in se, sed in Domino glorietur IV, 194. Gloria Dei in hominum gratuita justificatione. V, 998. Gloria Dei qua salvi facti sumus indigni. IV, 158, 159. Hanc agnoscit homo facilius, dum egestate constringitur. IV, 159. Non solum homines, sed etiam justos, si tamen sumus, ipse fecit nos, et non ipsi nos. IV, 159. In Deo solo de bonis nostris gloriandum. II, 851, 852. Cum bene agimus, Deum per nos agere intelligamus : neque quidquam nobis proprium vindicemus inanis gloriæ cupiditate decepti, quo uno malo a summo in ima demergimur. I, 1078. Gloriari nemo potest coram Deo. X, 939. In Deo gloriandum, non in meritis. X, 980. Non in propria justitia. V, 872. Gloriandum in nullo, quando nihil nostrum sit. X, 628. Gloriatio excluditur per fidem. X, 210, 237 In Deo solum gloriandum esse, ipsa oratio Dominica ostendit. X, 1001. Gloriari in Deo, benedictio Dei est. IV, 89. Gloriatur in insipiente, qui gloriatur in se. V, 873. Gloria justi in ipso est, sed non ipse gloria sua est. II, 852. Qui in Domino non gloriatur, non dubito dicere, alia quæcumque habet, inaniter habet. X, 1033.

Glorificare Deum, et gratias agere idem. V, 439. Glorificamus Deum, non faciendo, sed dicendo gloriosum. IV, 436. Ubi perfecta cognitio, ibi summa glorificatio. III, 1905. Gloriatio oleo designatur. IV, 1921.

Gloria Dei in quibusnam hominibus habitet. IV, 195. Gloria Dei quo sensu omnes egent. IV, 233. Gloria Dei, gloria nostra est, et nobis prodest. V, 1680. Quando Deum glorificamus, nobis prodest, non illi. IV, 436. Gloria nostra tuta in Domini gloria. V, 303. Gloriari citra arrogantiam aliquando licet, quandonam. III, 1794. Gloriandi modus quidam vere in conscientia. IV, 1955. Gloria solida habetur in conscientia coram Deo, ubi nulla jactantia est. IV, 100. Gloria Dei posita in Christo Jesu per gratiam in remissionem peccatorum. IV, 157, 158. Gloriari in cruce Christi, quanti sit meriti. V, 875, 876. Vocatio ad gloriam non pro meritis hominum, sed pro misericordia Dei. III, 648. Gloria nostra futura erit, æquari Angelis, et videre Deum. IV, 368. Gloriam nostram nobis abstulit Deus, ut daret suam; abstulit inanem, ut daret plenam; abstulit nutantem, ut daret solidam. IV, 789. Lux in totum erimus per gloriam, nihil habentes in nobis quod resistat caritati, quod repugnet veritati, quod subjaceat infirmitati. V, 987. Egregia quædam, et singularis gloria in cœlis tribuenda pro laudabili voto VI, 402.

*Gnostici* hæretici unde exorti et sic appellati. VIII, 26.

Goetia, magiæ genus. VII, 286.

*Gog* interpretatur tectum. VII, 676. Gog et Magog bella, et ædificatio templi in Ezechiele, difficilia intellectu. II, 719.

*Golias* quis fuerit. V, 197. Goliæ monomachia cum David. V, 197. Allegorice exponitur. IV, 1856. Golias figura diaboli. IV, 302.

*Gorgones* fabula. VII, 570.

*Gor*. IX, 227.

*Gothorum* potentia. VII, 115. Gothi comparato exercitu Italiam vastant. VII, 115. Gothorum irruptio in Urbem. VII, 109. Gothi pagani Romam oppugnantes vincuntur. V, 624. Gothi hæretici expugnant. V, 624. Gothorum gladiatores. VII, 90. Gothos sibi conciliare qui conentur Donatistæ. II, 793.

*Gracchus* Tiberius a Scipione occisus, qua de causa. VII, 66. Gracchi caput quantum grave erat, tanto auri pondere venditum est. VII, 105. Gracchorum seditiones. VII, 66, 69, 104. Gracchorum mors. VII, 105.

Gradatio seu κλῖμαξ dictionis figura. III, 93.

Gradus hominis quatuor, ante Legem, sub Lege, sub gratia, in pace. III, 2065. Graduum cantica, græce ἀναβαθμῶν id est, ascendentium, non descendentium. IV, 415. Tot sunt, quot fuerant templi gradus. IV, 1960.

*Græcia* facta est Romana provincia. VII, 52.

*Græci*, Troja delet, ad propria remeantes cladibus diversis contriti sunt. VII, 573. Græcorum vana superstitio et consuetudo referendi mortuos in deorum numerum. VII, 565. Græcorum regnum. *Vide* Argi. Græci leves dicti. VII, 18. Græcorum lingua in gentibus præeminet. VII, 255. Græcorum gymnasiorum et Romanorum fororum alia sunt certamina. II, 456. Græcæ linguæ, tamquam præcedenti, unde Scriptura in Latinum translata est, magis credendum. IV, 1539. Græci per litteras numerant. III, 1473.

Grammatica græce, latine litteratura dicitur. I, 1012, 1099. Grammatica est vocis articulatæ custos, et moderatrix disciplina. I, 894. Hæc historiæ custodiam profitetur. I, 1012, 1099. An Grammatices sit docere sonos et accentus. I, 1010. Grammaticæ leges studiose observantur, negliguntur præcepta Dei. I, 673. Grammaticarum scholarum liminibus appensa vela. I, 670; VI, 713. Liber *de Grammatica* scriptus dialogi forma ab Augustino, cum esset Mediolani baptismum percepturus. I, 591. Qui liber ille excidit. I, 591.

Grammatici magistri penulati. I, 672. Grammatici litteriones per contemptum appellati. II, 445. *Not.* 1. Grammatici judices Poetarum. I, 1014. Grammaticorum censuram concionator non timeat, dum omnes instruat. V, 228, 1371. Grammaticorum leges in concionibus minus curandæ, si forte melius in barbarismo populus intelligit. IV, 386, 1796.

Grando est iniquitas res alienas auferens. IV, 1000.

Granum morte multiplicatum. V, 1597.

Gratiæ crudeles inimici Pelagiani. X, 688, 695. Et Cælestiani. VIII, 47. Gratia quid secundum Pelagium ac Cælestium. II, 760. Gratia Pelagiana. X, 272, 361, 1291. Gratia Pelagiana multiplex. X, 1111. De adjutorio gratiæ id dicit Pelagius, quod referatur aut ad naturam, aut ad doctrinam, aut ad liberum arbitrium, aut ad remissionem peccatorum, aut ad exemplum Christi. II, 760, 768, 774, 849, 853, 877. Gratia Pelagiano doctore ea intelligenda est, quæ Paganis atque Christianis, impiis et piis, fidelibus et infidelibus communis est. II, 816. Communis est omnibus natura, non gratia. V, 172, 173, 174. Non de donis Dei naturalibus, sed de donis gratiæ ait Apostolus : *Quis enim te discernit ?* X, 967, 968. Ut non Lex, sic nec ipsa natura est gratia qua Christiani sumus. X, 896 De gratia cum disputatur, non de ea loquimur quæ ad naturæ pertinet institutionem, sed reparationem. X, 252, 277. Naturæ falsus defensor sub jugo est iniquitatis. V, 190. Refutatur experimento propriæ infirmitatis. V, 188. Ex orationibus Ecclesiæ. V, 191. Sapiens postulando continentiam, non naturam, non liberum arbitrium, non scientiam, non remissionem peccatorum, sed vires quibus valeat continere petit. II, 853. Etsi natura qua conditi sumus, quadam ratione dici possit gratia. II. 767, 768. Natura non putetur gratia, nisi quia et ipsa gratis concessa est. V, 172, 176. Gratiam Dei nullam dicit Pelagius, nisi naturam nostram cum libero arbitrio creatam. X, 343, 347. Aliquando, idque tenuiter nec aperte, ei conjungebat vel Legis adjutorium, vel remissionem peccatorum. X, 347. Gratia quæ nullis præcedentibus meritis datur, non est remissio peccatorum. II, 877. Naturæ falsus defensor medico ingratus. V, 189.

Gratiam Dei qua juvamur ad non peccandum, Pelagiani Legem esse dicunt. X, 617, 893. Et de gratia nihil Pelagius profitetur, quod non possit intelligi de Lege ac doctrina. X, 375, 376. Gratia non in Lege consistit. X, 212. Aliud Lex, aliud gratia. X, 361. Gratiam inter et Legem quid intersit. V, 791. Per Legem actum est, ut peccatum agnosceretur, et prævaricatione augeretur, et sic ad divinam gratiam confugeretur. II, 769. Lex, docendo et jubendo quod sine gratia impleri non potest, homini demonstrat suam infirmitatem, ut quærat demonstrata infirmitas Salvatorem. II, 595. Nec sacerdotium nec Lex introducunt in hereditatem æternam, sed gratia per fidem. III, 743. Deus facit per gratiam suam opus Legis in homine; et homo per fidem suam suscipiens gratiam etc., cooperator est adjuvantis Dei. III, 756. In gratia et non in Lege veri Israelitæ gloriantur. II, 893.

Gratiæ adjutorium a Pelagio positum in sola doctrinæ revelatione. X, 379, 380. Gratia Christianorum non in scientia tantum sita est. II, 852. Gratia si desit, etiam obest doctrina. II, 983.

Gratia Pelagiana in interiori et multiformi mentis illustratione. X, 364. Hæc gratia a gratia Legis et doctrinæ non distat. X, 364. Sapientiæ revelatio non est perfecta gratia. X, 366. Gratia agitur non solum ut facienda noverimus, verum etiam ut cognita faciamus, etc. X, 367, 373. Gratia non solum ostendit quid faciendum sit, sed adjuvat ut fieri possit. X, 155, 241, 365. Non Lege atque doctrina insonante forinsecus, sed interna atque occulta mirabili ac ineffabili potestate operatur Deus in cordibus hominum, non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates. X, 373. Ad doctrinam pertinet etiam quod sapientia revelatur, ad doctrinam pertinet cum suadetur omne quod bonum est. X, 366. Quomodo gratia possit dici doctrina. X, 367. Homo sub Lege, homo sub gratia constitutus. I, 620. Conditio hominis sub gratia constituti. V, 61, 66. Timor sub Lege, spes sub gratia. V, 791.

Gratia proprie dicta non est natura, non Legis scientia, etc. X, 352. Gratiam, quæ nec Lex sit nec natura, valere

tantum, ut præterita peccata dimittantur, non ut futura vitentur, contendunt Pelagiani. X, 896. Gratia neque natura est cum libero arbitrio, neque Legis scientia, neque remissio peccatorum, etc. X, 552. Gratiam in remissione peccatorum, et in exemplo Christi ponebant Pelagiani. X, 361, 379, 774, 1243. Gratia proprie dicta, gratia Christi, Pelagio est exemplum Christi. X, 381, 1202. Gratiam Pelagius intelligebat eam in qua creati sumus a Deo cum libero arbitrio. X, 333. Gratia Pelagianorum nihil aliud, quam datum a Deo liberum arbitrium et Legis doctrina. X, 262. Gratiam Dei non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse, vel in Lege atque doctrina, sententia est Pelagiana. II, 979. Hanc Pelagius in judicio Orientalium episcoporum, licet ficto pectore, damnavit. II, 979. Tria sunt quibus divina mandata dicit impleri Pelagius, possibilitas, voluntas, actio. X, 361. Possibilitatem Deo, reliqua duo homini tribuit. X, 362, 363. Sic defendebant liberum voluntatis arbitrium Pelagiani ut gratiæ Dei non relinquerent locum. I, 595. Gratia non est liberum arbitrium. X, 333. Gratia Christianorum non in natura liberi arbitrii, non in Lege atque doctrina. II, 849, 852, 983, 985; X, 338. Pelagianorum sententiam non adstruxit Augustinus in primis opusculis suis de libero arbitrio. I, 596. Non sola possibilitas, sed et voluntas et actio adjuvatur, cum Deus docet per gratiam. X, 368, 373.

Gratiam tandem confessi sunt Pelagiani. V, 856. Qualem confessi sunt. X, 1484. Et ad singulos actus dari quatenus Pelagius professus est. X, 361. Gratiam ad facilius tantum agendum requirebat Pelagius. X, 374, 375, 380, 871. Per sacramentum mortis et resurrectionis Christi commodiorem tantum viam esse contendebat, non quod alia via esse non possit. X, 872.

Gratia non datur ad facilius tantum agendum. X, 584. Pelagius refellitur, qui gratiam dari ex abundanti, aut ad facilius operandum docuit. II, 829, 830. Pelagius impugnat gratiam Dei per Christum. II, 775. Gratiam qua justificatur impius, et qua Christiani sumus. I, 647. Non tamen aperte audet impugnare. II, 760. Gratiam agnovit Porphyrius, sed non gratiam per Christum. VII, 307.

Gratia generaliter et specialiter dicta. I, 624; III, 2087. *Retr.* Gratia alia communis omnium, quæ est creationis; alia propria Christianorum, quæ est electionis et liberationis per Christum. V, 172, 173. Gratiæ adversarius in Christum injuriosus. V, 921. Gratia Christi tamquam nubes opponitur Judæis. III, 656. Gratiam Christi confiteatur Pelagius petit Augustinus. II, 776.

Gratiam secundum merita nostra dari Pelagiani asserebant. I, 595; X, 376, 377, 570, 887, 888. Præter solam gratiam remissionis peccatorum. X, 890. Gratiam mereri homines per bonum liberi arbitrii usum docebant. X, 372. Scripturæ testimonia quibus probant Pelagiani gratiam secundum merita dari. X, 888. Zachariæ testimonio abutuntur. X, 888. Alia Scripturæ loca quibus abutuntur. X, 888. Dogma Pelagianorum, deberi fidei gratiam. X, 377. Fidem esse meritum gratiæ. X, 377. Orationem esse meritum gratiæ. X, 633, 758, 897. Primæ cupiditati boni gratiam deberi. X, 567, 585. Et conversioni cordis seu bono proposito. X, 585, 686, 888. Dogma Pelagianorum, gratiam secundum merita dari, damnavit Synodus Palæstina. X, 338. Pelagius ipse damnavit in Synodo Palæstina. II, 877; X, 587, 961, 962, 1011. Ne a catholicis judicibus damnaretur. II, 985; X, 584, 1027, 1128. De gratia tamen non sincere scripsit post illud Concilium; sed gratiam dari ex abundanti, aut ad facilius operandum docuit. II, 829. Et secundum merita dari. X, 371, 554. Quidam nisi sibi aliquid assignent quod priores dent ut retribuatur eis, ab omni studio pietatis reprimi se putant. X, 977. Gratiam secundum merita nostra dari, Cælestii dogma. X, 344. Cælestii errores circa gratiam. X, 557. A Palæstinis judicibus damnantur. X, 558. Et a Pelagio atque ipso Cælestio. X, 558. Gratia creationis conditus est qui nihil boni merebatur, gratia electionis salvatus est qui multum mali merebatur. V, 176.

Gratiam subdolis verbis confitetur Pelagius. X, 332. Anathematizat eos qui gratiam non ad singulos actus dari dicunt, sed in libero arbitrio esse, vel in Lege atque doctrina. X, 338. Gratiam in Ecclesia notissimam Pelagium confiteri Synodus Palæstina credidit. X, 555. Gratiam veram nusquam confessi sunt Pelagius et Cælestius. X, 375, 378.

Gratia Pelagiana exploditur. X, 872. Gratia Dei defendenda contra Pelagianos. X, 885. Quid cum Ecclesia sentiendum de gratia. II, 817. Sententiæ duodecim de gratia. II, 984. Quas Augustinus dicit se scire ad rectam et catholicam fidem pertinere. II, 985, 987. Gratia, justitia Dei. X, 896.

Gratia novo Testamento promissa per Prophetam. X, 231. Gratia novi Testamenti sub veteri occultata. X, 400. Tamquam pluvia Gedeon in vellere. II, 770; IV, 1779. Gratia figurata et explicata per matrem Samuelis. VII, 528. Vetera sacrificia gratiam significabant, non efficiebant. II, 633. Significabant priores Tabulæ Moysi datæ. III, 633. Præceptum de observando sabbato. III, 655. Et manna. III, 634. Gratia in veteri Testamento occulta, in novo revelata. IV, 1856; V, 167, 755; X, 217. Quare. *ô altitudo!* etc. II, 770. Gratia et veritas res est novi Testamenti. III, 1596.

Gratia est necessaria. III, 871, 1397, 1402, 1778, 1841, 1843; X, 170, 280, 281. Præter naturam et Legem. V, 174. Non solus homo pertinet ad gratiam Dei, ipsi Angeli Deo debent quod sunt, quod vivunt, quod juste vivunt, quod beate vivunt. IV, 895. Gratiæ auxilium necessarium in utroque statu hominis, sed majus in præsenti. VI, 282. Nec natura humana, etiamsi in illa integritate in qua condita est permaneret, ullo modo se ipsam, creatore suo non adjuvante, servaret. II, 850. Salutem sine gratia non poterat custodire natura, etiam integra. II, 850.

Gratia quia sanat, dicta medicina. X, 1308. Gratia non indigeret natura, si sana esset. X, 285. Gratiæ Dei est inimicus, qui naturam humanam in qualibet ætate negat egere medico Christo. X, 402. Gratia medicinalis. V, 850. Quid secundum Pelagium. X, 266. Gratia medicina est: qui vult semper ægrotare, ingratus est medicinæ. V, 852. Qui sani sibi videntur, insaniunt in medicum. V, 945. Gratia parvulis et majoribus subveniens. V, 907. Medicinam gratiæ Christianæ parvulis revera denegant Pelagiani. X, 1308.

Gratia liberatrix. V, 940. Per gratiam liberantur quicumque liberantur. II, 776, 822. Et præter gratiam Salvatoris, quæ numquam humano generi defuit, nemo liberari potest. VII, 315; X, 315, 316. Gratia liberat a diabolo. V, 446. Sola ab hujus vitæ miseriis liberat. VII, 786. Et a peccatis. II, 885. A lege peccati. V, 842. A concupiscentiæ dominatu. I, 620; III, 2061. A corpore mortis hujus. II, 769. Sola aufert peccatum. III, 2065, 2068. Gratia salvi fiunt prævaricatores cujuscumque legis. II, 681. Nec David ipse surrexisset a peccato, nisi eum gratia relevasset, ex *Innoc.* II, 782. Nulla est anima præter ipsius Christi, cui liberandæ a peccato non sit christiana gratia necessaria. III, 416 Hominem sine gratia posse non peccare docebat Pelagius. X, 281. Asserere hominem per gratiam posse esse sine peccato, tolerabile est. II, 771, 772. Iniquitatis in hominem dominatus ante gratiam V, 187. Justitia Dei sola me liberat, mea sola non sunt nisi peccata. IV, 895. Gratiæ liberantis et adjuvantis necessitas. IV, 233, 234, 890, 895.

Gratia necessaria etiam ipsis baptizatis. X, 277. Gratia Dei nisi regat, cadis; nisi illa erigat, jaces. V, 855. Si non potuisti facere te, quomodo potes reficere te? IV, 524. A te deficere potes, tu te ipsum reficere non potes, ille reficit qui te fecit. IV, 1224. Non potuisti in te, nisi perdere te; nec scis invenire te, nisi ille qui fecit te quærat te. V, 108. Natura per semetipsam non instauratur, sed per Dei gratiam. III, 406, 418; IV, 891, 998.

Gratia necessaria ut ad Deum anima redeat VIII, 1007. Ad peccandum nobis ipsi sufficimus; ad justitiam vero ut redeamus, non item. X, 259. Gratia delevit cuncta peccata, et ad non peccandum voluntati nostræ conanti adjutorium subministravit. V, 843. Gratia necessaria est et ad conversionis initium, et ad progressum ac perseverantiam. IV, 892, 893. Et ad pœnitentiam amplectendam. VI, 271. Gratia prima quam peccator accipit, quænam. III, 1400.

Gratia a Deo postulanda, ut diabolo resistatur. X, 281. Gratia in tentationibus petenda. III, 761. Gratia necessaria ad superandas tentationes. V, 190. Ne dicas, non possum tenere et portare et frenare carnem meam; adjuvaris ut possis. IV, 457. Imbecillitas hominis auxilio gratiæ destituti. IV, 1746. Deus portat et continet eos in quibus habitat: si se subtraxerit, cadunt. IV, 1632, 1633. Gratia divina privatus, necesse est diaboli laqueis irretitus occumbat. *Innoc.* II, 785. Nisi magnis precibus in nos gratia Dei implorata descendat, nequaquam terreni corporis vincere conamur errores. *Innoc.* II, 782. Sancti omnes se sine Dei adjutorio nihil agere posse testantur. *Innoc.* II, 782. Necesse est ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur. *Innoc.* II, 782. Contra peccatum pugnantes vincimur, nisi divinitus adjuvemur, ut non solum videamus quid faciendum sit, sed etiam delectatio justitiæ vincat in nobis aliarum rerum delectationes. VI, 271. Homo indiget ope Dei ad non peccandum et ad justa agendum. X, 155. Etiam perfectissime justificatus indiget auxilio gratiæ ut recte vivat X, 261. Ut in via justa ambulet. V, 751. Gratiæ Dei est et credendi abinitio, et perseverandi usque in finem voluntas. II, 985. Sanctificati indigent auxilio Dei ut fiant sanctiores. III, 1915. Sine gratia hominem non posse perfici confessus est ipse Pelagius. X, 343. A Deo donatur, ut sciatur a quo bonum omne donetur. III, 1850. Cum Deum scimus, ne hoc quidem nobis tribuendum est, sed illius misericordiæ. II, 575.

Gratia necessaria ad explicanda mysteria fidei. V, 555. Cogitationes bonæ nonnisi ex gratia. II, 818. Ad credendum voluntas sine gratia non sufficit. II, 850. Homo illuminari a se ipso non potest. IV, 193. Oculi sani et patentes, si lux

desit extrinsecus, in tenebris remanent. IV, 1838. Præter Deum, nos tenebræ et infirmitas. IV, 200. Non peccare tam in natura integra, quam in vitiata, ex adjutorio Dei est, sicut et posse non peccare. X, 274. Velle justitiam nemo potest nisi ex gratia. X, 1520. Non solum propter possibilitatem, sed etiam propter voluntatem et operationem gratia prædicanda est. X, 373. Adulti non debent in suæ voluntatis virtute confidere. X, 1292. Non confidendum est de nostris viribus, sed oratio adjungenda conatibus; ut impleat bonis, qui deterret a malis. VI, 480. Universa facies, et vultus sanctarum Scripturarum admonet, ut qui gloriatur, in Domino glorietur. VI, 278. Nemo præsumat viribus suis se reddere quod voverit : qui te hortatur ut voveas, ipse adjuvat ut reddas. IV, 1717. De Dei misericordia, non de virtute sua homo præsumere debet. X, 693. Misericordia et judicium in voluntatibus hominum fiunt. X, 968. Homo velle bonum non potest, nisi adjuvetur ab eo qui malum non potest velle. X, 1114. Homo in malum quod fecit, nulla necessitate compulsus, sed sua voluntate collapsus est. in bonum autem quod reliquit, solius Dei gratia revocari potest, non voluntate libertatis, quam merito iniquitatis amisit. X, 1518. Non sola arbitrii libertate, et sine adjutorio gratiæ, ad Deum perveniri potest. X, 372. Voluntatem quidem liberam mihi dedisti, sed sine te nihil mihi conatus meus. IV, 208. Ut sit nutus voluntatis, ut sit industria studii, ut sint opera caritate ferventia, Deus tribuit, Deus largitur. VI, 127. Adam filii non a se ipsis mutari possunt, sed a Deo. X, 1251.

Gratia non tantum ut facilius, sed omnino ut facere possis, necessaria. V, 856. Necessaria ut faciat homo aliquid boni. X, 570. Nihil boni sine adjutorio Dei. V, 856. Nihil rectum. X, 264. Gratia quanto magis minusve adjuvatur homo, tanto magis minusve potest ea quæ ad vitam æternam conducunt. II, 554. A Deo quidquid boni est donatur. III, 1850. A Deo nobis est ut eum diligamus. II, 576. Homo non bene vixisset nisi per gratiam Dei. III, 431. Nisi gratia Dei liberetur voluntas a servitute peccati, recte pieque vivi a mortalibus non potest. I, 596. Homo non potest aliquid agere bene tamquam ex se ipso. III, 382. Gratia beneficii Dei prima, redigere nos ad confessionem infirmitatis, ut quidquid boni possumus, in Deo possimus. IV, 428. Sine gratia vel cogitare aliquid, vel agere secundum Deum, nulla ratione possumus. II, 969. Sine gratia nullum prorsus sive cogitando, sive volendo et amando, sive agendo faciunt homines bonum : non solum ut monstrante ipsa quid sit faciendum sciant, verum etiam ut ipsa præstante cum dilectione faciant quod faciunt. X, 917. Gratia nisi adjuvet, nihil pietatis ac justitiæ sive in opere, sive etiam in ipsa voluntate habere possumus. II, 818. Sine ea voluntas bona esse non potest. II, 851.

Gratiæ tribuendum quod bene vivitur. IV, 584, 789, 1575, 1784, 1814. Omne bonum meritum nostrum non in nobis facit nisi gratia. II, 880. Justitia nobis vera non est nisi ex gratia. V, 921. A Deo habet homo et quod homo est, et quod justus est. V, 107, 872. Ut sis, Deus operatus est; ut bonus sis, si bonus es, ipse operatur. IV, 1851. A quo accepi ut essem, ab eo accepi ut bonus essem. IV, 713, 1379. Quidquid sumus, illius misericordia sumus; quidquid autem ex nobis sumus, mali sumus. IV, 876. Homo si vult esse aliquid boni, non sit de suo proprio. V, 639. Quidquid boni habet homo, non habet nisi ab illo, qui omne bonum nostrum est. IV, 1073. Quidquid in te mali est de peccatis, tuum est; quidquid boni in justificationibus, Dei est. IV, 193, 1280.

Gratiæ novi Testamenti adversarii non Deo tribuere, sed potius sibi volunt arrogare quod boni sunt. II, 575. Nihil nobis arrogemus, ne et quod accepimus perdamus. V. 178, 191. Deo debemus quod homines sumus, quod bene vivimus, quod recte intelleximus. V, 953. Disciplina christiana hæc est, ut quod quis facit male, sibi; quod bene, Deo tribuat : neque super eum qui bene non facit sese extollat. IV, 1204. Qui putant sibi esse tribuendum, non gratiæ Dei, quod bene vivunt, jam non bene vivunt, quantacumque bona opera facere videantur. IV, 902. Ambulans in via justa, si id sibi tribuat, perit de via justa. V, 750, 751. Qui sibi committuntur, et a se ipsis aguntur, non sunt boni, quia non sunt filii Dei. X, 805. Ad bene operandum spes non habenda in homine. X, 885. Gratiæ deputandum quidquid mali non fecimus. I, 681.

Gratiæ adversatur qui putat ad mandata servanda sufficere naturam. II, 741. Gratia data est ut Lex impleretur. X, 221. Gratia necessaria ad implendam Legem. V, 75, 894, 1160, 1162, 1165, 1170. Gratia adjuvantis necessaria est, ut impleatur præceptum jubentis. IV, 757, 889; VI, 421. Præcepta Legis non possunt impleri nisi per gratiam. II, 674, 675, 676, 677, 769, 894, 898. Mandatis Dei rectis et arduis humana non contemperatur infirmitas, nisi præveniens ejus adjuvet caritas. IV, 1512. Per adjuvantem gratiam implentur præcepta, etiam in veteri Lege. VIII, 339. Si nondum divinus adjuvat Spiritus, secundum Legem volens vivere vincitur, et sciens peccat. VI, 287. Lex non juberet, nisi esset voluntas; nec gratia juvaret, si sat esset voluntas. II, 766. Gratia id quod Lex jubet faciens nos amare, potest liberis imperare. VI, 354. Hominis præsumptio per legem, captivitas per gratiam tollitur. V, 795. Lex jubet, Spiritus juvat : Lex agit tecum ut scias quid facias, Spiritus ut facias. V, 1165. Ut caveretur peccatum, non Lex sed gratia, non littera sed Spiritus fecit. X, 1173. Homini Deus donat, unde faciat eum facere quod mandat. IV, 1549. Ipse Deus dat vires, ut quod juvet, impleri possit. V, 200. Lex sine gratia littera est occidens. V, 1239. Non aufert, sed auget peccatum. IV, 1572. Manet ad convincendam iniquitatem, non ad dandam salutem. IV, 888, 989, 1581. Lex ad hoc prodest, ut mittat ad gratiam. IV, 1575. Gratia et liberat a peccato, et litteram donat impleri. V, 1239. Spiritu adjuvante fit jussum Dei cum gaudio, cum delectatione. V, 1171. Auditis divinis testimoniis non commoventur ad fidem, in quibus occulta gratia non operatur ut credant. IV, 1417. Qui mandatorum difficultate deterrentur a fide, veniant non de viribus suis, sed de gratia Dei præsumendo; adjuvandi veniant non judicandi. IV, 457.

Gratia qua mandata Dei impleantur, obtinetur humili oratione. IV, 1581. Fide impetratur. IV, 1549, 1560. Non ideo gratia non est necessaria voluntati, quia dixit Apostolus : *Quod vult faciat?* X, 314. Negantibus gratiam necessariam acerrime ac vehementissime resistendum. X, 202. Gratiam cuivis bono operi faciendo necessariam esse similitudine ostenditur. X, 261. Gratiæ testificatio clarissima est oratio. II, 766, 979, 990; X, 887. Gratiæ adjutorium ad non peccandum non posceretur, nisi esset necessarium. X, 313, 314, 1534. Gratiæ necessitatem docet Innocentius. II, 781, 785. Iniquum est, ait, et ingratum, negare gratiam. II, 781, 782, 784. Docet Ambrosius. X, 382, 383. De gratiæ necessitate Augustinum inter ac Pelagium controversia erat. X, 276.

Gratia vera Pelagianæ gratiæ opposita, quæ. X, 374. Gratia vera quænam dicenda. X, 332, 378. Quænam vera secundum Paulum. II, 853. Quænam gratia in Ecclesia prædicatur. X, 338. Quamnam fides catholica prædicat. X, 1213. Sententia catholica de gratia. X, 980, 1033. Gratia Christianorum. II, 767, 768. Gratia Dei per Jesum Christum quænam sit. X, 917. Gratia in quo sit definita. X, 231. In quo gratiam sitam esse agnoscit fides Christiana. X, 220.

Gratiæ Christi definitio. X, 378. Gratia inspiratio dilectionis. X, 617. Gratia proprie dicta, gratia Christianorum. II, 1321. Gratia novi Testamenti caritas. II, 853; III, 84; X, 374. Caritas in cordibus diffunditur, ut anima sanata non timore pœnæ, sed amore justitiæ operetur bonum. X, 253. Gratia, certa scientia et delectatio victrix. X, 170. Gratiæ effectus illustratio et delectatio. X, 167. Quomodo Deus doceat per gratiam. X, 368. Docet Deus suavitatem, inspirando caritatem; docet disciplinam, donando patientiam; docet scientiam, illuminando intelligentiam. IV, 1549. An Deus omnes doceat per gratiam, necne. X, 971. Qui per gratiam discit, agit omnino quidquid agendum didicit. X, 367, 368. Qui per gratiam didicit, venit; qui non venit, non didicit. X, 368. Gratia quam Christiani profitentur ea est, qua non solum suadetur, sed persuadetur bonum. X, 366. Tunc disco ut faciam, si in tua suavitate doceas me. V, 830.

Gratia vera donum Spiritus sancti, quo fit in animo delectatio et dilectio boni. X, 203. Gratia donat justitiæ delectationem qua immoderatio concupiscentiæ superetur. VI, 225. Gratia liberat a lege peccati et mortis, quomodo. VIII, 125. Liberat delectationem voluntatis a consensione voluptatis. X, 560. Spiritu sancto fit in nobis ut non peccare delectet, ubi libertas est : præter hunc Spiritum peccare delectat, ubi servitus. X, 218. Gratiæ suavitas facit plus delectare quod præcipitur, quam delectat quod impedit. X, 233, 561. Gratia benedictio dulcedinis. X, 586. Cum ea delectant, quibus proficiamus ad Deum, inspiratur hoc et præbetur gratia Dei. VI, 127. Gratia significata est nomine lactis et mellis : dulcis et nutritoria est. V, 167. Gratiam nihil tam significat, quam lactis copia. V, 199. Gratia lacte significatur, quod misericordia delectabili parvulis gratis infunditur. IV, 827, 1857. Gratia spiritalis intelligitur dilectio Dei et proximi. III, 2063.

Gratia Dei id agit, ut dilectione impleantur mandata Dei quæ timore non poterant. IV, 1579. Suavitatem dat Deus, ut bonum vere bene, id est, non mali carnalis formidine, sed boni spiritalis delectatione faciamus. IV, 1565, 1566. Qui nondum agit sive non faciendo omnino, sive ex caritate non faciendo, oret ut quod nondum habet, accipiat. X, 918 *Vide* Oratio. Gratiæ divinæ vim et dulcedinem non intelligit, nisi qui amat, etc. III, 1609. Gratia absconditur timentibus pœnam. X, 233. Gratia Dei intrinsece agit. X, 31

intrinsecus operatur. X, 114. Non forinsecus adjuvat Deus, sed intrinsecus. X, 226. Gratia quam secreta et a sensibus remota. X, 971. Ideo possunt homines, quia sic volunt: ideo sic volunt, quia sic Deus operatur gratia sua ut velint. X, 900, 959. Quis idoneus est velle et posse, nisi inspirando adjuvet ut possimus, qui vocando præstitit ut velimus? V, 1014. Gratia efficit ut non tantum velimus recte facere, sed etiam possimus. III, 2066. Volo ut velis, sed non sufficit ut velis; adjuvandus es ut plene velis, et impleas quod velis. V, 894. Aliquando Deus facit in te, quod non fit a te: nunquam autem aliquid fit a te, quod non facit in te. V, 380. Sic Deus in nobis operatur, ut et nos operemur: designat et se operatorem, qui invocat adjutorem. V, 108. Sitire tibi possum, me irrigare non possum. IV, 1852.

Gratia Dei facit ut opera bona faciamus. X, 1142. Facit ut faciamus. X, 367, 901. Præbendo vires efficacissimas voluntati. X, 367, 901. Jactantia est, Quod Deus promittit nos facimus. X, 1208. Quod promittit homines facturos esse, Deus ipse facit. X, 976. Qui promittit, quod facit promittit, non quod tu facis. V, 894. Quod fit a te, ipse Deus facit in te. V, 580. Gratia Dei non solum operatur remissionem peccatorum, sed etiam cooperantem sibi facit hominis spiritum in opere bonorum factorum. IV, 988. Deus voluntatem præparat, non tantummodo Legem et doctrinam libero hominis adhibendo arbitrio, sed sic agit sensum, ut Legi et doctrinæ accommodet assensum. II, 980, 987. Gratiam Dei non præcedit aliquid meriti humani, sed ipsa gratia meretur augeri, ut aucta mereatur perfici, comitante non ducente, pedissequa non prævia voluntate. II, 819.

Gratiæ vis. III, 25, 84. Potentia et energia. X, 936, 971. Gratiæ vis et efficacia unde. X, 936, 971, 972. Gratiæ Dei vis ad voluntatem hominum convertendam. X, 568. Gratia seu voluntas Dei ad salvandum certa et efficacissima. VI, 276. Gratiæ violentia suavis. V, 730. Gratia cor nostrum quo voluerit inclinat. X, 372. Deus malas hominum voluntates quas voluerit potest in bonum convertere. VI, 277. Voluntati tantum præstat gratia salvatoris, ut agi ab illa dicatur. X, 323. Nos volumus, sed Deus operatur in nobis et velle: non operamur, sed Deus operatur in nobis et operari. X, 1013. Subventum est infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter et insuperabiliter ageretur. X, 940. Adjutorio gratiæ donante fit ut invictissime quod bonum est velint, et hoc deserere invictissime nolint. X, 940. Gratia ea est quæ a nullo duro corde respuitur. X, 971. Voluntas Dei salvare volentis non impeditur humana voluntate. VI, 276. Gratia ideo tribuitur, ut duritia cordis auferatur. X, 971. Gratia Dei reluctantes prævenit, ut volentes fiant. X, 618. Gratia Dei ex nolente facit volentem. X, 1299. Gratia tollit cor lapideum, hoc est durissimam voluntatem, et adversus Deum omnino inflexibilem. X, 898, 971. Gratiæ efficacia quatenus moveat, in Petro ostenditur. X, 382. Gratiam non vacuam in se ipso fuisse unde probat Paulus. X, 342. Gratiæ natura et vis ex oratione dignoscitur. X, 980. Pro gratia testimonia Scripturæ. X, 618. Cypriani. X, 626, 628. Ambrosii. X, 635.

Gratiæ nomine fatum non asseritur a Catholicis. X, 577. Cur hoc objectum Catholicis a Pelagianis. X, 577. Liberi arbitrii et gratiæ conciliandæ difficultas. X, 383. Quæstio de gratia Dei et libero arbitrio difficillima, et paucis intelligibilis. II, 970, 972. Quæstio obscura. X, 981.

Gratia non sic defendenda, ut liberum arbitrium auferatur; nec liberum arbitrium sic extollendum, ut ingrati gratiæ judicemur. III, 1778; X, 168. Neque neganda Dei gratia, neque liberum arbitrium sic defendendum, ut a Dei gratia separetur. II, 969, 970, 971, 972, 974, 981. Quod probatur ex Scripturis. II, 973. Gratiam ita prædicantes, ut liberum hominis negent arbitrium, errant. II, 969. Qui liberum arbitrium credunt adjuvari per gratiam Dei, ut recta sapiamus et faciamus, bene sentiunt. II, 969. Si non est Dei gratia, quomodo Christus salvat mundum? si non est liberum arbitrium, quomodo judicat mundum? II, 969. Gratia et liberum arbitrium asseritur. X, 877, 888. Utrumque ad salutem requiritur. X, 893.

Gratia non tollit liberum arbitrium. X, 233. Non pellit, sed potius vitiis pulsum revocat liberum arbitrium. X, 1296. Gratia Dei arbitrium vere ad bona eligenda et agenda fit liberum. II, 987. Voluntas tanto liberior, quanto sanior; tanto autem sanior, quanto divinæ gratiæ subjectior. II, 676, 677. Omnibus divinis paginis docemur, voluntatem liberam nihil posse cœlestibus præsidiis destitutam. *Innoc.* II, 785. Per occultam inspirationem gratiæ Dei præparatur voluntas a Domino II, 987. Libertas sine gratia qualis. V, 836. Libertas sine gratia non est libertas, sed contumacia. II, 682. Sine gratia cadit homo præcipitatus libero arbitrio. X, 889. Dei gratia liberatur liberum arbitrium, ut ad recte faciendum sit liberum. I, 625. Libero arbitrio quantum possumus, nisi nos adjuvet ille qui jubet? IV, 1792.

Gratiæ et liberi arbitrii concursus. V, 902. Gratia et liberum arbitrium requiruntur ad bene vivendum. X, 885. Gratiæ Dei adjungendus voluntatis nostræ conatus. X, 154. Inclinare cor in testimonia Dei, simul est et divini muneris, et propriæ voluntatis. IV, 1569. Prædicato Christo crucifixo unus audiens contemnit, alter ascendit; qui contemnit imputet sibi, qui ascendit non arroget sibi. V, 730. Filii Dei Spiritu Dei aguntur; non quia nihil ipsi agunt, sed ne nihil boni agant, a bono aguntur ut agant. IV, 1581. Agis et ageris, et tunc bene agis, si a bono ageris. V, 855, 717. Adjuvatur nemo gratia, nisi et ipse quidquid agit. X, 315. Qui fecit te sine te, non te justificat sine te. V, 923. Exhortationes, præceptiones, documenta, liberum arbitrium demonstrant; vota vero, gratiam. X, 349, 350. De gratia et libero arbitrio non præsumendum. X, 579. Gratias omnes et virtutes unumquemque posse habere aliter Pelagius, aliter Cælestius dixit. X, 556.

Gratiæ ante et post lapsum datæ distinctio. X, 933. Quale adjutorium gratiæ primo homini concessum in statu innocentiæ. X, 935. Gratiæ adjutorium in statu naturæ integræ adfuisset. X, 274. Tamquam lumen sanis oculis X, 274. Majoribus nunc gratiæ donis adjuvanda nostra infirmitas. X, 939. Gratia potentiore opus est post lapsum, quam ante. X, 934. Gratia in Christo data longe potentior, quam gratia primi hominis. X, 936. Gratiæ adjutorium duplex, aliud sine quo non fit aliquid, aliud quo fit. X, 936 Exemplo alimenti et beatitudinis declaratur. X, 936. Quonam gratiæ adjutorio nunc homo indigeat. X, 937. Adjutorium gratiæ quo, non adjuvat sine nostra voluntate. X, 204, 209, 212. Gratiarum diversitatem an auferebant Pelagiani. X, 339. Discrimen doni perseverantiæ Adamo, et cæteris hominibus concessi. II, 1010. Gratia alia certantis, alia victoris. X, 1186.

Gratia præveniens et subsequens. V, 942, 952, 1650. Gratia prævenit nos. III, 1843, 1851. Prævenit ut Deum diligamus. X, 1131. Misericordia Dei ubique prævenit nos. V, 1014. Quis idoneus est velle et posse, nisi inspirando adjuvet ut possimus, qui vocando præstitit ut velimus? V, 1014. Gratia non prius existenti voluntati cooperatur, sed prævenit ut operetur eam. X, 1112. Absit ut in donis Dei nos priores faciamus, posteriorem ipsum. X, 586. Ut faciat homo Deus facit prior. X, 1135. Gratia quomodo nos in omnibus præveniat. V, 952.

Gratia operans et cooperans. X, 901. Gratia ut velimus sine nobis operatur, cum autem volumus, et sic volumus ut faciamus, nobiscum cooperatur. X, 901. Sine illa vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad pietatis opera nihil valemus. X, 901. Gratiam adjuvare unicujusque propositum, quo sensu catholice dicitur. X, 618 Voluntas adniti debet. X, 156. Operamur quidem et nos, sed gratia operante cooperamur. X, 264.

Gratia vera duobus modis adjuvat. X, 1244. Gratiæ adjutorium duplex. X, 1534.

Gratiæ tribuere, non sibi, quod fit ex gratia, pietatis et humilitatis officium est. X, 342. Cum de gratia agitur, totum Deo tribuendum est. X, 1000, 1001. Tutiores vivimus si totum gratiæ tribuimus, non autem nos illi ex parte, et nobis ex parte committimus. X, 1001. Gratia Dei sic cogitetur, ut ab initio mutationis suæ usque ad finem consummationis, qui gloriatur in Domino glorietur. X, 588.

Gratia Christi multo magis abundat, quam peccatum Adæ, quo sensu. X, 116, 118, 462, 826, 1229, 1230. Plus prodest quam nocuit peccatum. X, 1181, 1182. An propter abundantiam gratiæ prosit peccatum. X, 205. Gratia quomodo abundavit. III, 2068; X, 1200. Quatenus superabundat peccato. X, 1236. Gratiæ Christi beneficia abundantiora, quam damna culpæ Adami. X, 1179, 1180. Gratia in multos, non in plures abundavit. X, 1229, 1230, 1231.

Gratiæ divinæ beneficia. I, 1296; IV, 279, 488, 499, 1319, 1321, 1322, 1429, 1430, 1629; V, 894, 952. Quid confert gratia. III, 2065. Operatur in nobis. II, 817. Gratia discernit a massa perditionis. II, 817, 820, 851, 860, 969. Redemptos discernit a perditis. VI, 278. Gratia Dei ea propria est, quæ bonos a malis discernit. X, 968. Et qua facti sumus oves et fideles. V, 173. Gratia qui possit esse communis in hoc et illo etiam nesciente, non item culpa. II, 560. Gratia homines Dei filios facit. V, 691. Gratia novi Testamenti est, nasci ex Deo. II, 541. Gratia ipsos homines bonos operatur ex malis. X, 1135. Salvatoris beneficium duplex, primum remissio peccatorum, posterius sanatio languorum. X, 1514. Gratia et delet peccatum, et præstat ut non committatur. X, 261. Gratiam donat Deus duobus modis, et præteritam dimittendo iniquitatem, et opitulando ne intremus in tentationem. X, 1120. Gratia facit ut Lex impleatur, ut natura liberetur, ne peccatum dominetur. X, 897. Justificat Deus per gratiam non solum dimittendo mala facta, sed etiam donando caritatem ad facienda bona X, 1212. Gratia sanantur infirmi, excitantur pigri, volentes juvantur. II, 851. Gratia Dei nihil hic nobis confert utilius

nisi ut moriamur peccato. II, 974. Regnum mortis sola in quolibet homine destruit gratia Salvatoris. X, 116. Gratiæ beneficia recensentur quatuor : primum, remissio peccatorum. V, 752. Secundum, curatio languoris post baptismum remanentis. V, 752. Tertium, redemptio ab omni corruptione et concupiscentia. V, 752. Quartum, corona justitiæ. V, 753. Liberatio a quatuor tentationibus per Dei gratiam. IV, 1421. Gratia potens est omnis infirmus; et per ipsam fit conscius infirmitatis suæ. I, 781. Gratia Dei fortes facit in tribulatione. IV, 1560, 1561. Ad solam nunc Dei gratiam pertinet, ut ad Deum accedamus, et ab eo non recedamus. X, 1001. Gratia aliis est aqua contradictionis, aliis aqua sanctificationis. III, 737. Quisquis ab initio pudicus permanet, a Deo regitur; et quisquis ex impudico pudicus fit, ab illo corrigitur; et quisquis usque in finem impudicus est, ab illo deseritur. VI, 422. Per gratiam homo creatur de novo. III, 412. An gratia perfecte novum hominem faciat. X, 844.

Gratiæ varii effectus. X, 1192. Etiam illi, qui longo peccandi usu obduruere, quatenus instaurari per pœnitentiam possunt secundum Pelagium. X, 379. Per Christi gratiam instaurati, et in meliorem hominem renati sumus secundum Pelagium. X, 379. Omne opus gratiæ pertinet ad futuri sæculi novitatem. VII, 729. Anima illuminatur gratia sicut nubes a sole. III, 870. Deo donante atque adjuvante proficit intellectus ad intelligenda quæ credat, et fides ad credenda quæ intelligat. IV, 1552. Gratia est aqua qua interior sitis irrigatur. III, 737. Gratia tardos æquat ingeniosis. III, 882. Finire istam vitam in voluntate consentiente doctrinæ salutari, electorum est. II, 982. Gratia prædestinatos, et secundum propositum vocatos ad summam perfectionem glorificationemque perducit. X, 367. Gratia Dei facit homini gradus, quibus ascendat ad beatitudinem. IV, 1063. Gratia via est qua ad cœlestem patriam pervenitur. II, 393. Non talem salutem dat Deus, quæ ab aliquo possit extorqueri. IV, 200. Immortalitatem accepturus est homo per gratiam, quam fuerat, si non peccasset, accepturus per meritum. VI, 282. Sancti in vita æterna plenius cognoscent quid boni eis contulerit gratia. VI, 275. Gratiam Dei veram defendi posse, etiam si nullum esset, ut volebat Pelagius, originale peccatum. X, 1010. Ex Dei gratia, et debitores efficimur et redditores. V, 1368.

Gratia est a Deo. X, 917. Est Dei donum. V, 788. Obedientia et pœnitentia, continentia et sapientia, dona Dei. VI, 421. Causa gratiæ per quam salvi fiunt peccatores, in Deo est abscondita. III, 406, 407. Qui negat bonum quod ex Deo est, ex Deo esse, facit injuriam toti Trinitati. II, 852.

Gratia a Christo ut Deus et homo est. III, 1842. Ex Deo salus nostra, ita ut nec per Christum liberaremur, si non esset Deus. VI, 282. Gratia in Christo posita est magna et plena. IV, 157. Gratia humilitatis et passionis Christi quanta. III, 1402. Totum quod boni habes, Christi est. IV, 450. Sine Christo nihil, totum in ipso valemus. IV, 232. Gratiæ fons communis. V, 1437. Gratiæ fons in Christo apertus. VI, 283. Gratia quam præstitit nobis Christus gaudium ejus est in nobis, et gaudium nostrum. III, 1845.

Gratia est et vocatur gratia quia gratis datur. I, 597; V, 177. Gratia gratis datur. X, 909, 1005. Nisi gratis est, non est gratia. VI, 282. Gratia, quod mater gratis dat, et contristatur si desit qui accipiat. IV, 1857. Gratia gratuita. II, 875, 877; X, 249. Gratia non est, si non gratuita. IV, 158, 488, 891, 892, 895, 998, 1364. Gratia non debita, sed gratuita. X, 1131, 1133. Gratia Dei gratuita, oleum lucernarum. III, 1583.

Gratia ineffabilis qua nos elegit Deus. III, 1851. Gratia non invenit eligendos, sed facit. II, 821. Invenit omnes injustos VI, 622. Electio gratiæ non fit ullis præcedentibus meritis vel parentum, vel parvulorum, nec ex prævisione operum. II, 887. Gratia sortis nomine appellatur, quia in sorte non est electio, sed Dei voluntas. IV, 246. Dilectus Jacob, Esau odio habitus ante ulla propria merita. VI, 277. In odio Esau, judicium pœnale ingeritur digno; in dilectione Jacob, misericordia præstatur indigno. VI, 277. Neminem Deus liberat, nisi gratuita misericordia. II, 820, 882. Gratiæ gratuitæ exemplum in parvulis. II, 814; X, 900. Nec gratiam secundum merita dari, nec quemquam nisi suis meritis puniri, ex parvulis optime infertur. X, 1068.

Gratis vocati et prædestinati sumus. V, 863. Gratiæ Dei est vocatio, non meritorum. IV, 89. Gratia non datur secundum merita. III, 871. Hominum post lapsum liberatio gratuita per gratiam. X, 955. Gratia qua voluntas liberatur, prævenit voluntatem. I, 597. Contra gratiam frustra merita voluntatis extollit Julianus. X, 1140. Gratia effectus Dei misericordiæ, non merces voluntatis hominis. X, 1007. Bona voluntas Dei præcedit bonam voluntatem nostram : atque hoc est invictissimum scutum, quo repellitur inimicus suggerens desperationem salutis. IV, 89, 151.

Historici gentium cum inter se per multa dissentiant, non merentur fidem. VII, 716. Historicis potius credendum est, qui divinæ non repugnant historiæ. VII, 600. Historici solent, cum in suam personam venerint, ita se contexere, tamquam de alio narrent quod de se narrant. VIII, 342.

Histrio. V, 562, 1026, 1461. Histrionum signa valent ex instituto, non ex natura. III, 54. Histriones nullo modo possunt esse musicæ periti. I, 1089. Histriones, aurigas, venatores, etc., qui spectare amant, reprehenduntur. IV, 458, 439, 440, 626, 1527. Histriones ad Christiana sacramenta, nisi relicta arte non permittuntur accedere. VI, 219. Histriones in administrationem reip. recepti apud Græcos. VII, 55.

Hoc, aliud cum corripitur, aliud cum producitur significat. III, 1940.

Hœdi duo populi. V, 42. Hœdi ante judicium non separandi. V, 298, 304.

Holocarpoma. III, 678, 679.

Holocaustum dicitur sacrificium, cum totum incenditur. IV, 576, 599, 776, 798, 1775. Totus exardescat igne amoris divini, qui vult offerre Deo holocaustum. IV, 1775. Non omne sacrificium holocaustum erat. III, 823. *Vide* Sacrificia. De holocausto non manducabatur. III, 823. Holocausta humana Deus improbat. III, 810, 815, 816. Holocausta medullata, mystice. IV, 799. Holocaustosis, reliquiæ holocausti quod ignis consumpsit. III, 678.

*Homerus* quo tempore vixit. VII, 80. *Not.* (*a*). Homerus poeta dulcissime vanus: hujus lectio Augustino puero amara. I, 671. Multa finxit hominibus flagitiosis divina tribuendo, ne flagitia, flagitia putarentur, ac quisquis ea fecisset, non homines perditos, sed cœlestes Deos videretur imitatus. I, 671.

Homo quid. VII, 626. Homo est animal rationale. V, 255. Factum de terra. V, 1588. Animal rationale mortale. I, 1009, 1062; VIII, 939. Cur duplex differentia ponitur in ejus definitione. I, 1009, 1062. Homo ex anima et corpore compositus est. I, 963; II, 65; V, 717, 810. Homo totus anima et caro. IV, 402. Omnis natura hominis dominatu animæ et famulatu corporis temperata est. VI, 126. Præter animam et corpus nihil ad ejus substantiam et naturam pertinet. V, 810. Hominis persona mixtura est animæ et corporis. II, 520. Hæc mixtura incredibilior videtur, quam mixtura Dei et hominis in Christo. II, 520. Homo magnum miraculum. V, 700. An anima sola possit dici homo. I, 1513.

Hominis descriptio secundum Apuleium, VII, 263. Manichæorum fabula de primo homine. VIII, 210, 221, 246, 375. De bello primi hominis cum gente tenebrarum. VIII, 210, 211, 225, 234. Homines fumi filios dicit Manichæus. VIII, 197. Cur hominis opificem malum inducere conantur Manichæi. X, 1552. Homines semper fuisse quidam opinati sunt. VII, 557. Responsiones eorum ad ea quæ objiciuntur. VII, 557.

Hominis creatio. III, 186, 241. Hominis Deum esse opificem, a quo sunt omnia bona sive cœlestia, sive terrena, carnis ipsius compago testatur. X, 1552. Hominis creatio cum creatione aliorum animalium conjungitur, et etiam distinguitur. III, 241. Homo præcipuum opus Dei dicitur. quare. III, 347, 348. Hominem interiorem primum factum, deinde corpus hominis quidam suspicantur. III, 293. Deus hominem sicut cætera per Verbum suum fecit. III, 371. Quomodo factus est homo in animam vivam. III, 363. Homo an tunc animatus cum Deus insufflavit in faciem ejus. VIII, 614. Deus sufflavit in faciem hominis, quia in ea sunt velut organa sentiendi. III, 23. Homo factus est in die primo creationis invisibiliter, causaliter, potentialiter; in die autem sexto factus est visibiliter. III, 343, 344, 346, 347, 349, 410. Homo sexta die creatus, et sexta ætate reformatus. VIII, 257. Homo ad Dei imaginem est factus. I, 626, 858; III, 186. Homo nummus Dei. V, 82. Magna quædam res est homo factus ad imaginem et similitudinem Dei. III, 26. Hominis ad Deum similitudo. V, 164. Homo ad ipsius Trinitatis imaginem factus est. III, 244; VIII, 1001, 1055. An solus homo factus ad imaginem Dei, non vero mulier. VIII, 1003, 1005. De homine antequam peccaret dicitur quod ad imaginem Dei sit factus. VIII, 135. Quomodo homo et secundum quid factus ad imaginem Dei. III, 243, 292, 347, 366, 409, 2059; VII, 373, 400; VIII, 475, 695, 1003. Homo in anima ad imaginem Dei factus. V, 353; VI, 628. Homo in hoc factus est ad imaginem Dei, quia intelligit, sapit, discernit bonum a malo. IV, 218. Homo gerit in se symbolum Trinitatis, scilicet esse, nosse, et velle. I, 849. Homo factus ad imaginem et imago Dei. V, 361. Longe distans hæc imago. V, 362. Hominis honor verus est imago. VIII, 1006. Homo quomodo ab Apostolo vocatur imago Dei. III, 243. Cum dictum fuisset hominem creatum esse *ad imaginem*, cur additur et *ad similitudinem*. III, 241, 242, 244, 749. Homo factus est ad imaginem et similitudinem, non vero ipse est eadem imago et similitudo æqualis Patri. III, 243. Similitudo ad quam factus est homo, est ipsum Dei Verbum. III, 243. An secundum aliud ad imaginem, et secundum aliud ad similitudinem. VI, 33.

Homo duplex, interior et exterior, et utriusque ratio. VI, 32. Uter ad imaginem et similitudinem Dei factus. VI, 32, 33. Hominis corpus, non animam, esse imaginem Dei quædam hæresis dixit. VIII, 45. Non propter corpus, sed propter mentem imago est. III, 186. Homo non secundum corpus, sed secundum rationalem mentem factus ad imaginem Dei. VIII, 1004. Hominis corpus, quatenus est erectæ figuræ, ad similitudinem Dei factum esse dici potest. III, 243. Homo in ipso corpore indicat se esse ad imaginem Dei factum, quod erecta statura factus est. III, 347. Admonetur homo erecta sui corporis statura, non sibi terrena esse sectanda velut pecora. III, 347. sed animum in æterna dirigendum. I, 1313; III, 186. Homo totum non amisit per peccatum quod habebat imaginis Dei. I, 628. Sed tantum imaginis Dei perfectionem. III, 186. Homo etsi per exortum suum in regno Diaboli sit. X, 1082. Est tamen imago Dei. X, 1082. Hominis creatio allegorice exponitur. I, 858.

Homo qualis sit factus a Deo. VII, 386, 399, 400. Quomodo factus rectus. VI, 282. Rectus est homo ubi spiritus imperat, caro servit. III, 1395.

Homo ad quid factus VI, 628. Hominis finis est vita æterna. III, 144. Homo factus in tempore, sed immutabili æternoque Dei consilio. VII, 362. Quærentibus cur homo tam sero sit conditus, quid respondendum. VII, 359. Hominis status ante peccatum. VI, 244; X, 172. In paradiso. VII, 417. Homo primus creatus est in natura sine culpa, sine vitio. V, 172. Sine concupiscentia et pugna carnis et spiritus. V, 717. Homo ante peccatum beatus spe commutationis futuræ. III, 458. In suo genere bonus erat. III, 296. Deus forte non dixit hominem esse bonum, quia præsciebat eum peccaturum. III, 295. Homo in agnitione Dei creatus est, et in ea renovatur. III, 292.

Homo an futurus fuerat miser formidine mortis, si non peccasset. X, 1550, 1556. Homo nisi peccasset, posset non mori. III, 354. Et hoc indicat ipsa mors hominis. III, 353. Posteri ejus morti obnoxii non essent. VII, 403. Sine mortis interventu Angelis sociandi fuerant. VII, 377. Si non peccasset homo, morti obnoxius non foret. VII, 720. Hominis naturam sic divinitus institutam, ut si non peccasset, moriturus non esset, totius Ecclesiæ fides. X, 1561. Homo futurus fuerat immortalis, si non peccasset. VIII, 615. Homo immortalis fuisset fructu ligni vitæ. VIII, 615. An cibum sumpserit ex ligno vitæ ante maledictum. VIII, 615. Posse non mori præstabatur ei de ligno vitæ, non de constitutione naturæ. III, 354. Si homo immortalis factus est, quomodo cibis indiguerit, difficile est dicere. III, 293.

Hominis corpus quale erat ante peccatum. VI, 373. Non erat corruptibile. VI, 332. Homines mortales generantur ex Adamo mortali per peccatum facto. VII, 378. Homo secundum Julianum non pœnaliter, sed naturaliter conditus mortalis. X, 1512. Homines ex quo concepti, ægritudinem quamdam inchoant qua sunt necessario morituri. III, 359. Homines quod mortales sint corpore, ad misericordiam Dei pertinere arbitratus est Plotinus VII, 265.

Humanum genus initium habere non repugnat Dei sapientiæ. VII, 370. Hominum genus prius exstitisse sine hominibus gignentibus, quidam philosophi admittere coguntur. VII, 359. De propagatione filiorum, si homo non peccasset, diversæ sententiæ. VI, 373. Hominum multiplicatio quomodo facta fuisset, si immortales permansissent. III, 292. Et Adam non peccasset. III, 396. Si homines non peccassent, genus humanum sine libidine multiplicassent. VII, 428, 429, 430. Hominem in paradiso seri potuisse ad voluntatis nutum, membris genitalibus obsequentibus, Augustini sententia. X, 1444, 1447. An primi homines a concubitu abstinuerint usque ad eam ætatem, qua generasse dicuntur. VII, 456, 465.

Homines omnes cur ex uno voluit Deus condere. V, 363, 1253; VI, 373. Homines ex uno procreati ad arctiorem cognationis necessitudinem, et unitatis vinculum commendandum. III, 398. Ad societatem commendandam. VII, 372, 376, 403. Nihil est tam discordiosum vitio, tam sociale natura, quam genus humanum. VII, 376. Homo omnis in primo homine factus est, originis seminisque ratione IV, 1551. In unoquoque homine est omnis creatura, quomodo. VI, 68; VIII, 675. Hominum genera monstrosa an ex Adam vel filiorum Noe propagine prodierint. VII, 485.

Homo peccavit propria voluntate per culpam, ordinatus est Dei æquitate per pœnam. III, 431. Homines mysteriis Dei imbutos non posse peccare, Jovinian dogma. X, 1417, 1418, 1419.

Hominis tentatio quare permissa. III, 431, 432. Homo non fuisset futurus magnæ laudis, si propterea posset vivere bene quia nemo male vivere suaderet. III, 431.

Hominis lapsus. VII, 727. Cur a Deo permissus. V, 172. Homo a tentatore dejectus, quia superbus. III, 431. Et superbiam deceptoris sequutus. III, 1787. Quia exaltato corde a Deo recessit. VIII, 615. Homo rectus erat, arbitrio suo factus est malus. V, 409. Hominis lapsi figura in eo qui descendit ab Jerusalem in Jericho. V, 732, 1646. Stare ad Dominum noluit, cecidit, fractus est, quomodo vas de manu hominis cadens. V, 717. Homo donatus est sibi quia deseruit Deum placendo sibi. VII, 433. Quia sua voluntate uti voluit, præceptum rumpere delectavit; ut nullo sibi dominante fieret sicut Deus. IV, 897. Hominis venditi pretium, exigua de arbore vetita voluptas. V, 188. Homo voluntate peccavit, non necessitate. III, 432. Sic factus erat, ut aliqua necessitate deserere Deum non cogeretur. VIII, 614. Ut non posset peccare, si nollet. VIII, 614. Homo non impeccabilis. VIII, 419. Homo ita factus est, ut peccandi possibilitatem haberet a necessario, peccatum vero a possibili. X, 1494. Cur non sic factus ut nollet peccare. VIII, 614. Factus est cum potestate peccandi et non peccandi, pro præmio accepturus non posse peccare. VI, 359. Sic eum Deus fecit, ut et stantem coronaret, et cadentem ordinaret, et surgentem adjuvaret. VI, 332.

Homo cum libero arbitrio creatus. VII, 732. Quare liber creatus. VI, 11. Si liberum arbitrium non haberet, in natura rerum minus excelleret. III. 369. Homini sic datum est arbitrium liberæ voluntatis, ut eum tamen necesse sit vivere sub potestate melioris. VIII, 613. Homo non bene vixisset nisi per gratiam Dei. III, 431. Quare Deus liberum arbitrium homini non ademit, cum eum præsciret esse peccaturum. VII, 732. Cur creat hominem Deus, quem possideat diabolus. X, 108 Hominem peccaturum præsci-

vit Deus, simulque populum piorum Angelis sanctis sociandum, in adoptionem vocandum. VII, 372.

Homo unde et quo cecidit. III, 138. Natura rationalis quanto est ipsa superior, tanto ruina ejus pejor; et peccatum ejus quanto incredibilius, tanto est damnabilius. X, 1553. Quia factus est qui sit in beata vita, si bene vixerit; ideo erit in misera vita, qui male vixit. IV, 1302. Homo prævaricator amissa beatitudine in miseriam projectus. V, 209. Miseria hominis post peccatum. VI, 244, 363, 628. Hominum sunt duo mala, iniquitas et mortalitas; una est culpa, altera est pœna. V, 954. Homines mortales, fragiles, infirmi, lutea vasa portantes, quæ faciunt invicem angustias. V, 440. Hominis non ad aliud in hoc sæculo, quam nasci, laborare, mori. V, 726. Homo sibi ipse pœna sua esse meruit. IV, 405. Homo patitur ex se intrinsecus, forinsecus autem ex eis inter quos vivit. IV, 405. Homo omnis quærit beatam vitam. V, 810. An vera beatitudine homines felices esse possint, cum sint mortales. VII, 268. Homines quamdiu mortales sunt miseri sint necesse est. VII, 268. Homo ideo non beatus, quia non vivit ut vult. VII, 133. Et si viveret homo ut vellet, non tamen beatus foret, si turpiter viveret. VII, 133. Homo se ipsum Deo debet, eique reddendus est ut beatus sit, a quo accepit ut sit. II, 486. Homo de suo satanas est, de Dei beatus est. III, 1750.

Homines nascuntur in corpore mortis, et in carne peccati. X, 134. Prius mundo quam Deo nascuntur. X, 823. Homines tam majores quam minores, unde sunt rei. X, 708. Cur de parentibus justis non nascatur justus. X, 177. Humanum genus propter peccatum sub diaboli potestate. X, 1122. Homines in quantum homines sunt, opus sunt Dei; in quantum peccatores, sub diabolo sunt. X, 567. Potestati tenebrarum id est, potestati diaboli subjecti homines. II, 982. Quo jure potestati diaboli traditi quove ab ea per Christum liberati. I, 1286. Hominum captivitas de qua Christus eos redemit, est voluntaria. VIII, 543. Homo subjectus est vanitati, quia noluit subjici veritati. IV, 1549. Facti sumus manibus veritatis, sed propter peccatum projecti in dies vanitatis. V, 405. Homini juste pœnalia quibus dominabatur effecta sunt. VIII, 205.

Hominis natura condita est bona: X, 1516. Sed vitiosa est per voluntatem malam. III, 1703, 1705. Natura hominis ex Deo est, non iniquitas. III, 369; X, 1121. Omnis creatura humana in Adam vitiata. IV, 1549. Homines omnes unus fuerunt. V, 906. Quæ sit causa cur homo sit deterior. VI, 12. Utrum Deo auctore sit deterior. VI, 11.

Humana natura virtutis et perfectionis capax. X, 688. Homo non bonæ, sed malæ factus fuit naturæ secundum Julianum: quia in eo plus valuit actio mala ne posset agere bene, quam actio bona ne posset agere male. X, 1522. Quod in natura humana a Deo condita reprehendit Julianus, hoc in natura Angelica reprehendere debet. X, 1517, 1518. Etsi homines vitiata origine sint damnabiles, bonitas tamen illis exhibetur. X, 857, 858. Homines quos de origine merito et juste damnata creat Deus, bonum aliquid sunt. X, 1443. Homo magnum bonum. III, 384. Sed mutabile. III, 384. Etsi bonum naturale homo amiserit, eique malum voluntarium inseparabiliter adhæserit; non tamen non est bene institutus. X, 1541, 1543. Nihil nocet homini nisi sua iniquitas. VII, 114. Homo deleat quod fecit, et placebit ei qui eum fecit. V, 587.

Homo post peccatum habet supplicio mixta solatia. VIII, 205. Homo non est derelictus sine misericordia. VIII, 205. Natura hominis et est bona, et malo carere potest. X, 298. Quando nam a malo liberatur. X, 298. Homines omnes una massa peccati. VI, 71, 121, 124. Omnes nati filii iræ egenerunt reconciliatore. VI, 248. Si tu, ô homo, non dimitteres Deum, non fieret pro te Deus homo. IV, 372. Homo ejus clementia reformandus est, cujus bonitate formatus est. I, 1067. Qui hominem creavit, formavit, fecit; ipse recreat, reformat, reficit. IV, 524. Ut omnes liberarentur, Filius Dei ad eos missus. VI, 345. Homo sexto die formatus, sexta mundi ætate reformatus est. IV, 1182. Homo ex se non potest resurgere. I, 597. Homo inveteravit per peccatum, innovatur per gratiam. IV, 1949. Idoneus fuit ad vulnerandum se, non ad sanandum se. IV, 1263, 1696. Reparari non potest meritis aut libero arbitrio. VI, 246. Sed gratia. VI, 247. Ejus reformatio ex sola Dei misericordia. VI, 245. Quam juste est damnatus, quam misericorditer liberatus. VI, 685. Homo gratis factus est, et gratis liberatus. IV, 488. Hominis liberatio, ipsius captivitatis modo conveniens. X, 407, 408. Homo iisdem, quibus perierat, gradibus reparatur. VI, 655.

Homo ad quid innovatus. III, 1656. Hominum pars reparata succedet in locum angelorum desertorum. VI, 246. Homines electi ut instaurent partem quæ lapsa est angelorum, et forte majori numero. VII, 752. Neque omnes homines damnantur, neque omnes liberantur, quare. VII, 727. Hominis veteris liquid usque ad ultimum mortis portamus. V, 202.

Hominis generatio, et vita duplex, una secundum corpus ante Christum, altera secundum animam post adventum Christi. IV, 90. Magnum discrimen inter hominem sanum et hominem lapsum. X, 271. Homo et peccator. V, 132, 325, 565. Homo bonus, et homo malus, quis. X, 370. Homo unus potest simul esse et natura bonus et vitio malus X, 1260. Homo malus a quo quisque liberari se cret. V, 253. Homo unde sit bonus aut malus, Juliano non constat, X, 1491. Homo a se ipso malus, a Deo et per Deum bonus. III, 1706. Deus singulariter bonus est, et homo a Deo bonus est, de suo vero malus. II, 658. Homo recedendo a Deo frigescit, accedendo fervescit, recedendo tenebrescit, accedendo clarescit. IV, 896, 1175, 1379. Homo non est pius, castus, verax, etc., nisi pietate, castitate, veritate quæ in Deo est. III, 1685. Homines servi Dei ex oleo misericordiæ illius, non ex viribus suis. III, 1583. Dei est non solum ut homo sit, verum etiam ut nonnisi ab illo bene sibi sit, a quo habet ut sit. III, 484. Homo ex se ipso peccator, sed non ex se ipso justus. III, 834. Homo quomodo suus et non suus. III, 700. Homo a se ipso non justificatur. X, 873, 875. Homine sine Deo nihil vilius. V, 1527. Homo sine Deo nihil sibi est nisi dux in præceps. I, 693. Nihil est hominis proprium nisi forte mendacium. III, 18; V, 200, 953.

Hominis omne malum error et infirmitas. V, 987. Homines cæci a nativitate. III, 1713. Homo nec rationem potest vindicare ab erroribus, nisi adsit Deus lux mentium. IV, 669. Homo ut multum oculus est sine lumine. V, 437. Deo sibi præsente illuminatur, absente autem continuo tenebratur. III, 383. Homo se latebat: data est Lex ut se inveniret. V, 853. Hominem se agnoscere quid sit. V, 488. Homini suam infirmitatem demonstrat Lex docendo et jubendo quod sine gratia impleri non potest, ut quærat demonstrata infirmitas Salvatorem. II, 593. Aliud est esse hominis, aliud posse ipsius. III, 1558. In ejus est voluntate quid velit, non tamen quid possit. I, 630. Magnas liberi arbitrii vires acceperat, sed peccando amisit. V, 752. Per malum velle perdidit bonum posse. V, 188. Homo an possit mutare voluntatem in melius. I, 620. Homo quomodo potest peccatum vitare. VIII, 419. Homo labitur amando corpus, deserendo Deum. III, 132. Vivere secundum hominem, et vivere secundum carnem, idem est. VI, 353. Homines esse non debemus, quomodo. III, 1581. Homines cur objurgantur quod sint homines. V, 503, 908. Homo non debet se ipsum propter se diligere. III, 27. Homo non propter se ipsum diligendus est. III, 26. In homine spes non ponenda. IV, 246, 1651, 1652. Homo in quo magis sit, in carne, an in mente. V, 857, 858. Homines boni vel mali quantum conferant ad felicitatem aut miseriam nostram. II, 495. Homines inter mala quibus opprimuntur, voluptatibus indulgent. II, 919.

Homo vocatus est a Deo ut non sit homo, sed Deus, non natura, sed dono suo. V, 909. Homini natura est, ut possit summi boni naturæ adhærere. III, 384. Homo tamdiu est aliquid, quamdiu illi hæret a quo factus est homo. IV, 896, 962. Homo melior fit adhærendo Deo. III, 384. Homo tanto minus se esse stabilem sentit, quanto minus hæret Deo qui summe est. II, 459. Deus ipse sufficit tibi, præter illum nihil sufficit tibi. V, 1469.

Homo ex justo ordine naturæ, Deo debet subdi. VII, 629. Mente Deo propinquior est homo, quam alia qualibet sui parte. VII, 318. Homo non est homo, nisi mandata Dei custodiat. VII. 601. Verus homo, pœnitens et qui petit auxilium a Deo. III, 851. Tunc est optimus cum tota sua vita pergit in incommutabilem vitam. III, 26. Homo ab humanis in divina dirigitur, cum voluntati humanæ voluntas divina præponitur. III, 1770. Homo si bene cogitat, in Deo est: et si bene vivit, Deus in illo est. III, 1745. Hominis præstantia. III, 241. Homo non ut pecora, aut ut arbor, aut ut saxum factus. V, 173. Homini quid commune cum aliis rebus creatis, quidve peculiare. V, 254. Habemus esse cum lignis et lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum bestiis, intelligere cum Angelis. V, 255. Homo etiam malus, melior est omni pecore. V, 1187. Quod non ita sit ut cadaver, aut arbor, aut pecus, gratia dici potest. II, 767. Hominem tamquam præstantiorem, fuisse Dei manibus formatum, cætera vero ejus verbo facta, senserunt quidam. IV, 158, 1551. Homo Angelos inter et bestias est medius. VII, 268, 372. Vita eorum media inter Angelorum et pecorum. III, 1546. Homines vitæ genere pecoribus sunt similes, III, 360. Hominis pœna est quod comparatus sit pecoribus insensatis. X, 1559. Hominis dignitas præ cæteris animalibus. IV, 1272, 1302. Homines bestiis antecellere qua ratione probatur. VI, 14. Homo dominatur bestiis. III, 186. Dominium istud amisit post peccatum. III, 186, 187. Tantæ excellentiæ est in comparatione pecoris homo, ut vitium hominis sit natura pecoris. X, 408. Homini crimen est, quod equo natura est. IV, 1379. Homo non distat a pecore nisi mente. VI, 186.

Homo veracitatem non posset incommutabilem mente conspicere, si ad eam non esset factus. III, 159. Homines notantur, qui nil nisi corpora valent cogitare. II, 517. Homo solus animantium percipit æternas rationes in corporalibus. VIII, 999. Homo immundus est usque ad hujus vitæ finem. III, 735. Homo habet quo ultra solem sit, et quo sub sole sit; quo pertineat ad veritatem, et quo ad vanitatem. IV, 421. Totus æstimandus est ex eo quod in ipso principatum tenet. III, 243. Hominis animo solus Deus melior. IV, 294. Hominis illud est optimum, quod animæ optimum est. I, 1314. Hominem quanti Deus faciat. IV, 1865. Homini quas Deus dedit arrhas salutis. IV, 1942. In homine memoria, intellectus, voluntas separabiliter demonstrantur et inseparabiliter operantur. V, 562. Homo ante mali experimentum potuisset intelligere quid esset malum. III, 386.

Homo magnum miraculum. V, 709; VII, 291. Est hoc admiratione dignum in hominibus, quod singuli singulas facies habeant. VII, 721. Grande profundum homo, cujus capilli magis numerabiles sunt, quam affectus. I, 702. Cor hominis sibi ipsi impenetrabile. IV, 473. Est aliquid hominis quod nec ipse scit spiritus hominis, qui in ipso est. I, 782. Homo ignarus futuri, vivit ex fide. III, 369. Omnis homo qualis sit tunc cum loquitur, forte scit; qualis crastino futurus sit, quis scit? V, 798. Homo de his judicare dicitur, in quibus habet potestatem corrigendi. I, 860. Sicut homo intelligendo bestiis omnibus, sic bene vivendo melior est dæmonibus. VII, 240. Homo terrenum animal, sed cœlo dignum. VII, 752. Homo vermis, et tamen in cœlo collocatur. III. 1385. Homo terra et cœlum dicitur. I, 587. Homo, pellis morticina, sanies fœtida. V, 1596.

Homines dii appellantur in Scripturis. VII, 275. Cur dii dicti clarius, quam ipsi Angeli. VII, 275, 276. Amando Deum efficimur dii, amando mundum dicimur mundus. V, 678. In natura hominis tria sunt quibus differt a diis. VII, 265. Homo ad deitatem vocatus est, non natura, sed dono et adoptione. V, 909. Homines fideles, inter homines carnales et Angelos, medii. VI, 708. Homo bestias inter et Angelos medius, subdat sibi quod habet commune cum bestiis; subdat Deo quod habet commune cum Angelis. VIII, 419. Homo se obediendo præceptis Dei, transit in consortium Angelicum; inobediendo vero, in bestiale. VII, 372. Homines futuros Angelos, idque posse fieri. V, 270, 728, 1442. Humana natura perfecta Angelis æquabitur. IV, 294, 1945.

Hominis dignitas ex Dei in ipsum dignatione. V, 1661. Incarnatione cognoscitur. VIII, 1031. Humana natura, qualem Christus assumpsit, solus major est Deus. VIII, 803. Homo per Verbum incarnatum factus est talis, qualis capiat Deum. III, 1510. Homo quem Deus suscepit, si cum aliis hominibus conferatur, majori distantia continetur, quam collatione solis cæteræ sidera. II, 80. Omnia quæ facta sunt, in usum hominis facta sunt. VI, 20. Homines et filii hominum, in quo differant. IV, 113, 136, 349, 350; V, 160, 1113, 1187. Homines ab Adam, a Christo filii hominum dicimur in Scriptura; non tamen ubique. II, 547; III, 1634. Omnis homo homo Adam, et omnis homo Christus. IV, 891. *Vide* Adam. Homo aliquando est Adam et secundum carnem et secundum spiritum, aliquando secundum carnem tantum. III, 418.

Homo Dei filius. V. 503. Dei filius non natura, sed adoptione. VIII, 581. Proximus, omnis homo. II, 673. Vita hominis triplex, ante Legem, sub Lege, sub gratia. III, 2138. Hominis quatuor differentiæ et actiones, ante Legem, sub Lege, sub gratia, in pace. III, 2065; VI, 52, 64, 287. In homine gemina operatio providentiæ reperitur. III, 580. Quomodo Deus hominem operetur. III, 582. Homini hoc est fieri, quod est agnoscere Verbum Dei per quod fit. III, 292. Hominis saluti consulitur auctoritate, ratione, historia et prophetia. III, 141. Illi subvenit Deus per se ipsum, per Angelos et per homines. III, 131. Homo debet reformari, vivendo secundum voluntatem Dei. I, 858. Reparatur cum gratia Dei vincendo cupiditates, amando Deum. III, 132. Homo ad se primo reverti debet, ut ad Deum revertatur. VII, 342. Unde amantur homines. I, 707. Cur de ipsis bene sentiendum. I, 1008. Hominis totum officium. II, 85.

Homo carnalis, animalis, spiritalis, quid sit. VI, 68. Hominum duo genera, unum de terra, unum de cœlo cogitantium. IV, 603. De duobus hominum generibus, justorum et iniquorum. IV, 363. Homo exterior seu vetus, et homo interior seu novus. IV, 90, 91, 190, 191. Quis. III, 145; V, 81, 908, 1660; VIII, 476. Qualis. VIII, 997. In quo consistat. VIII, 475. Hominis interioris et exterioris comparatio. III, 145. Exterioris finis, mors est. III, 144. Hujus sex sunt ætates. III, 145. Homo exterior corrumpitur aut protectu interioris, aut defectu suo. III, 156. Hominem veterem exuere, et novum induere quid sit. IV, 188, 189; X, 157. Utriusque hominis decursus in universo hominum genere. III, 144. Sex sunt ætates interioris hominis III, 145. Vetus sine novo potest agi, non novus sine vetere. III, 442. Homo qui interior dicitur interiore luce veritatis fruitur et illustratur. I, 1217. Hominis interioris pulchritudo, justitia et virtus. II, 462. Homo interior ubi agnoscitur. VIII, 1005, 1008. In homine interiore secretum quoddam conjugium. VIII, 1007. Homo spiritalis non judicat de sacra scriptura, etiamsi aliquid ibi non luceat. I, 859. Homo qualis est, tales actus habet. V, 1525. Homo amoris divini igne succensus, et ad Dei complexum tendens, Dei sacrificium est. VII, 296. Homo spiritalis in hac vita est sacrificium, in altero erit holocaustum. VI, 69.

Homines difficilius domantur quam feræ. VI, 25. Homines edacitate sua superant quemlibet quadrupedem. VIII, 198. Homo dominari aliis appetit. III, 27. Et hoc intolerabilis superbia est. III, 27. Hominis artificis partes tres, natura, doctrina, usus. VII, 339. Homo, ut nonnulli asserunt, diebus quadraginta formatur in utero. V, 1039. Hominis nomine carnales intelliguntur. VI, 121.

Homo frequenter sumitur pro qualibet sui parte. VII, 389. In Scripturis solo animæ aut carnis nomine significatur. VI, 335, 336. Caro in Scriptura ponitur pro homine. II, 542 Homo dicitur etiam solum ejus corpus. X, 1219.

Homo dominicus an possit Christus dici. I, 616.

Homo belluinus. VI, 672.

Homo Platonis. II, 64.

Humanum genus arbor fici. III, 1331. Humanum genus magno est terris ornamento, etiam cum a paucis recte laudabiliterque vivatur. III, 369, 398. Hominem quisquis nollet esse in rebus, contradicit bonitati Dei. III, 398. Humanum duo genera humano generi inutilia. VIII, 436. Totum genus humanum quodammodo sunt homines duo. X, 1211. Humanum genus, grandis ægrotus. V, 537. Totum humanum genus, est homo Evangelicus in via, semivivus relictus. V, 933. Humano generi laboranti quid præstitit Christus ut sanaretur. V, 542. Humanum genus Deus visitavit tribus temporibus. V, 467. Humanum genus constat duobus sustentaculis. V, 346. Humanus affectus exemplo Christi vincendus. V, 1513. Humanum genus quasi fluvius vel torrens. VII, 788; VIII, 902.

Homicidii prohibitio. V, 70. Homicidium formidante conscientia commissum, aut exsultante perpetratum audacia, an culpabile nunc. X, 763. In homicidio voluntario Deus et homo facit, in involuntario Deus tantum. III, 448. In homicidio voluntario quamvis occidatur quem Deus vult occidi, tamen pœna dignus. III, 625. Homicidium excommunicatione puniendum. VI, 220. Homicidium an et quando licitum sive per leges divinas sive per humanas. I, 1225. Homicidia sic amant Donatistæ, ut ea in se perficiant, quando non possunt in aliis. II, 797. Omnis iniquus motus ad nocendum fratri in homicidii genere deputatur. VIII, 361. Homicidium est, hominem etiam damnatum inordinate ferire. V, 1390.

Homicida est qui fratrem odio habet. III, 2017. Qui fratri mala persuadet. III, 1701.

*Homoeyynes* primus ad aratrum boves junxit. VII, 564. Hinc honores divini ei delati. VII, 564.

Ὁμοούσιον petit Pascentius anathematizari, ut quod in Scripturis non inveniatur. II, 1059. Ὁμοούσιον etsi in Scripturis sanctis non inveniatur, fieri potest ut illud inveniatur cui hoc vocabulum recte adhibitum judicetur. II, 1059. Et dictum in assertione fidei defendatur. II, 1040. Ὁμοούσιον recte dictum esse Patrem et Filium. II, 1048. Ea in Scripturis dici de Patre et Filio, quæ non dicantur nisi de iis quæ unius substantiæ sint. II, 1049. Homousion in Nicæno concilio firmatum, in Ariminensi ab hæreticis impugnatum. VIII, 772, 785. Homousion quidam imperiti catholici repudiabant. X, 1101. Homousiani vocabantur Catholici ab Arianis. VIII, 707; X, 1101.

Honestas est intelligibilis pulchritudo. VI. 19. Honestas ipsa non reprehendit, quod reprehendit superbia eorum, qui honesti vocari amant, sed esse non amant. VI, 560.

Honestum quid sit. VI, 19.

*Honor* Deus. VII, 128.

Honorem amant diversimode superbi et humiles. VIII, 593. Honores velle quatenus deceat aut dedeceat. II, 498. Honor te debet quærere, non tu ipsum. V, 242. Honorem qui amat, Deum imitatur. VIII, 593. Multa de cultu divino usurpata sunt, quæ honoribus deferrentur humanis. VII, 281. Honores et potestates non propter hæc ipsa, seu propter aliud quod inde fit bonum, decet velle. II, 498. Honor humanus, etsi pro meritis exhibitus, nec sic pro magno habendus. VII, 161. Honor, temporis fumus. V, 136. Honor blandum nomen, sed mala servitus, exitus æger. II, 128. Quæ hic honorant, in alia vita onerant; quæ hic relevant, ibi gravant. II, 96. Honor si diligitur, illic habeatur, ubi nemo indignus honoratur. II, 486. Honor verus in cœlo. VII, 801. Via ad honorem virtus. VII, 156. Humilitas. IV, 1597. Honor justus virtuti, non vitio debetur. VI, 486. Honor debetur potestatibus etiam injustis IV 1655. Honor non de-

betur errori, sed errantis bonis dotibus debetur. II, 129. Honor nil prodest ægrotis. IV, 1320. Honos alit artes; sententia Ciceronis. VII, 158.

Honores ecclesiastici. V, 569. In acceptione personarum ad honores ecclesiasticos non leve peccatum. II, 747. Honoris et virtutis ædes Romæ conjunctæ. VII, 156. Lucifero Calaritano displicuit, quod Arianis ad Ecclesiam redeuntibus gradus honoris servarentur. II, 813. Honor proprius contemnatur, ut Ecclesiæ unitas servetur. V, 96. Maximianistas in suis honoribus susceperunt Donatistæ; sic et fecit Ecclesia. II, 814.

Honorarium est id quod honoris causa datur. I, 999.

*Honoratus* a Tucca. IX, 144, 257.

*Honoratus* Manichæus Augustini necessarius. X, 1464. A Manichæis deceptus. VIII, 63, 64, 66. Ad eum scripsit librum *De utilitate credendi*. VIII, 63, 64.

*Honoratus* ad cujus quæstiones August. liber seu epistola CXL. II, 558.

*Honoratus* presbyter. II, 293.

*Honoratus* episcopus Thiavensis. II, 1013. *not.* (*b*). Epistola sua ad Augustinum approbat Episcopis instante vastitatis periculo ad tuta loca migrandum. II, 1014. Nec consentit Augustinus. II, 1013.

*Honorius* Imperator. VII, 620. Consul. II, 786. Iterum Consul. IX, 529, 574. VI. Consul. VIII, 519. IX. Cos. II, 585. XII. Consul. IX, 697. Honorii Leges contra Donatistas et Pelagianos. I, 641. Honorius et Theodosius eos qui Pelagium et Cælestium in quacumque provinciarum parte latitantes aut propellere aut prodere distulerint, pœnæ in hos hæreticos præscriptæ subjacere volunt. II, 927. Honorii Leges contra Donatistas. IX, 445, 446, *Retr.* 489, *app.* 813, 815, 816. Contra Paganos. II, 516. Adversus hæreticos et idololatras. II, 357, 358. Honorius et Theodosius juxta synodum Nicænam confessione sincera Deum venerantur. II, 927.

Honoriana basilica. V, 889.

*Honoratus* Milevitanus in Catholica degradatus. IX, 372.

Hora non est præsens tota. I, 817. Fugitivis particulis agitatur. I, 817. Hora quinta ad mensam acceditur. V, 1521. Hora novissima, id est tempus novissimum. III, 1998.

*M. Horatius* Consul. VII, 95. Horatii tres contra tres Curiatios pugnant; superant Horatii. VII, 89. Horatius sororem occidit, quod unius Curiatiorum cui desponsata fuerat, mortem fleret. VII, 89.

*Horatius* poeta. VI, 538. Ejus effatum, Sapere aude. I, 1059. Horatiana sententia. II, 586.

Hordeum. Ex eo confectus potus cito inebriat. I, 1365.

Horoscopus quid. VII, 145. Horoscopi vanitas. VII, 146.

Horrea Celice. IX, 253.

Horrearius Dominicus. V, 923.

*Hortensianus* a laribus. IX, 215.

*Hortensius* dictator creatus. VII, 97.

*Hortensius*, dialogus Ciceronis. VII, 92. Excitavit Augustinum ad ardorem philosophiæ. I, 685.

Hortus Dominicus. V, 1396.

Hosanna in aliam linguam transferri non potuisse dicitur. III, 42. Hosanna est interjectio lætantis. III, 43. Vel vox obsecrantis. III, 1764.

*Hosium* Cordubensem ab Hispanis damnatum, a Gallis esse absolutum dicebant Donatistæ. IX, 38. Gallorum judicio postea cesserunt Hispani. IX, 39.

Hospites hic omnes sumus. V, 643. In recipiendis hospitibus ignotis multo melius est malum hominem perpeti, quam excludi bonum, dum cavemus ne recipiatur malus. II, 153. Aliquando nescientes, suscipiendo quos nesciebant, Angelos susceperunt. V, 615.

Hospitalitas commendatur. V, 506, 642, 967, 1118, 1121, 1127, 1585. Quod pasci voluit Christus, pascenti præstitit. V, 615. Elias ad viduam mittens, non ipse defecerat, sed viduam benedicere disponebat. V, 615. Apud plerosque consuetudo est ut laventur pedes hospitum. III, 1794.

*Hostanes* magus. IX, 224.

Hostias humanas sacrificandi causa et origo. VII, 209. Hostiæ veteris Legis, figuræ sacrificii Christi, et justorum in cœlo post judicium. VII, 701. Hostiam humilitatis et laudis in ara cordis, igne fervidæ caritatis, Deo sacrificamus. VII, 280. Hostiæ Deo gratæ misericordia, humilitas, confessio, pax, caritas. IV, 1256. Hostia est Deo confessio. IV, 1253. Cum humili corde intra in domum Dei, et cum hostia intrasti. IV, 1253.

*Hostilina* dea præfecta segetibus cum novis aristis æquantur. VII, 118.

*C. Hostilius* Mancinus Consul. VII, 103.

Hostire, id est æquare. VII, 118.

Hostis. Ab hostium furore cur famulos suos sæpe non liberat Deus. VII, 42. Hostem visibilem vincis feriendo, invisibilem credendo. V, 435.

Humanitati debitum redditur, cum homo de homine nihil mali temere suspicatur, nec cuiquam criminanti facile credit. IX, 610. *Vide* Homo.

Humanus quis dicatur. V, 940.

Humilitatis via in philosophorum libris non invenitur, a Christo venit. IV, 270. Humilitatis magister Christus. V, 191. Et doctor. VI, 413, 414. Tam magnum est esse parvum, ut nisi a Christo, qui tam magnus est, disci non posset. VI, 415. Humile cor de cœlo adducit Deum, ut proximus fiat. IV, 1205. Magna est miseria superbus homo, sed major misericordia humilis Deus. VI, 316. *Vide* Superbia. Humiliati sumus veritate in mortem, misericordia instauramur ad vitam. IV, 1555. Tantum te pressit humana superbia, ut te non posset nisi humilitas sublevare divina. V, 1004. Tandem animadvertit terrena superbia, nihil in ipsis terrenis esse potentius humilitate divina. II, 1029.

Humiliatio Christi non potuit nisi alta esse. IV, 1755. Humilitas Christi ab incarnationis initio usque ad crucem. V, 115. Humilitas a Domino proxime morituro commendata in lotione pedum. VI, 414. Humilitatis Christi causa, infirmitas nostra. V, 778. Humilitate maxime justitiam commendavit Christus. V, 1322. Humilitas a Verbo incarnato discenda. V, 671. Est pene una disciplina Christiana. V, 1538. Christus a se vult non mirabilia facere, sed humiles esse discamus. V, 441, 782. Doctrina Christiana, humilitatis præceptum. V, 876.

Humilitas Christi imitanda. III, 1604, 1606. Non per superbiam respuenda. V, 684, 687. Humilitas Christi superbis displicet: tibi autem Christiano si placet, imitare. IV, 1203, 1204. Humilitatis Christi exemplum, superbiæ medicamentum. V, 1596. Ad hoc exaltantur etiam in isto sæculo quædam Christi membra, ut in eis sit major humilitas. IV, 1119. Humilitas Christi est salus nostra in Christo. V, 1295. Humilis Christus via ad patriam. V, 685. Humilitas sectanda. V, 551, 1560. Necessaria fuit, ut ad Deum redeamus, qui superbia lapsi sumus. VI, 185. Humilitatis ratio in sanctis. X, 161. Superbia facit voluntatem suam, humilitas facit voluntatem Dei. III, 1604. Humiles dici non facile possunt, qui nondum suavi jugo Domini pia colla junxerunt. IV, 1475. Humilitas cordis sacrificium est. IV, 1705. Quod justus es, Dei repula pietati; quod peccator, tuæ iniquitati. V, 605. Universa facies et vultus sanctarum Scripturarum admonet, ut qui gloriatur, in Domino glorietur. VI, 278. Melior est incomparabiliter, Deo gratias agens de parvo, quam se extollens de magno. V, 1287. Melior est humilitatis tremor, quam confidentia superbiæ. IV, 1388. Melior est humilis peccator, quam justus superbus. IV, 1203; V, 950. Melior humilis maritata, quam virgo superba. IV, 968, 1280. *Vide* Superbia. Virginitas.

Humilitas, sancta infantia. V, 1561. Tota humilitas hominis, ut cognoscat se. III, 1604. Humilis quot Dei munera in se collata agnoscit. IV, 1429, 1430. Propter humilitatem omnibus vel pene omnibus utile est, ut quales futuri sint, scire non possint. II, 983. Humilem esse, est nolle in se laudari. IV, 510. Quo pacto alter alterum possit existimare superiorem sibi. VI, 82, 424.

Humilitatis utilitas et necessitas commendatur. IV, 314, 320, 428, 993, 1165, 1253, 1254, 1566, 1587, 1462, 1472, 1597, 1669, 1670, 1671, 1715, 1725, 1726, 1727. Tanta est humanæ humilitatis utilitas, ut eam suo commendaret exemplo etiam divina sublimitas. III, 1787, 1794. Humilitas fundamentum est ædificii spiritalis. V, 441. Et perfectionis. III, 1690. Ipsa est perfectio nostra. IV, 1714. Humilitatis viæ, viæ vitæ. IV, 145. Humilitas necessaria ut ascendamus ad Deum. I, 701. Deo excelso humilitate appropinquatur. V, 142, 1535. Altus est Deus, et ab humilibus contingitur. IV, 947. Humilitas via ad obtinendam veritatem. II, 442. Ne quisquam præposterus antequam habeat humilitatem obedientiæ, velit ad altitudinem sapientiæ pervenire. IV, 1566. Deus vult nos esse, et humiles propter cavendam superbiam, et altos propter capiendam sapientiam. IV, 1712, 1713. Superflua sollicitudo, ne ubi fervet caritas, desit humilitas. VI, 427. Via caritatis nihil excelsius, et in illa non ambulant nisi humiles. IV, 1857. In humilitatis infirmitate perficitur virtus caritatis. VIII, 887. Certe magnus est Deus; fortibus gravis, infirmis levis est. Infirmitas in humilitate major fortitudo est. IV, 1186. In humilitate est tota fortitudo. IV, 1184. Humilitate victoria obtinetur. V, 893. Disciplina Christiana quos humilitatis sensus et affectus præscribat. IV, 1203, 1204. Humilitatis piæ disciplina ventosam et turbidam cupiditatem, avidam rerum extra potestatem nostram constitutarum pellit ex animo, et quodam modo exspirat. II, 485. Qui humilis est, etiam in divitiis est verus pauper. V, 112. Justitiam suam si de medio auferat homo et humilietur, ve-

met Dei justitia et exaltabitur. IV, 1128. Humiliato appropinquat Dominus, ab exaltato longe discedit. IV, 1082. Humilibus quomodo Deus dat gratiam. IV, 1427.

Humilitas civitatem Dei a civitate diaboli discernit. VII, 421. Humilis fit membrum Christi. III, 1604, 1606. Cor humiliatum locus Spiritus sancti. VI, 419. Domus Dei excelsi. I, 826. Humiles sibi Deus cœlum facit. IV, 1472. Peccata parva quæ subrepunt vigilantibus, superbia crescunt, humilitate perimuntur. VI, 425. Humilitas medicamentum contra tumorem. V, 780. De tumentibus potest perire, de pusillis nihil perit. III, 1606. Nisi humilitas omnia quæcumque bene facimus, et præcesserit, et comitetur, et consecuta fuerit, totum extorquet de manu superbia. II, 442. Quod impetrat humilis, amittit superbus. V, 108. Filius prodigus infelix per humilitatem impetrat felicitatem, et eo se ostendit dignum, quo confitetur indignum. IV, 159. Qui didicerunt a Domino Jesu Christo mites esse et humiles corde, plus cogitando et orando proficiunt, quam legendo et audiendo. II, 596. Humilitate et acquiritur et custoditur caritas. VI, 413. Humilitatis mensura cuique ex mensura ipsius magnitudinis data est. VI, 413. Humiles Deus exaltat. V, 1278. Sic exaltat, ut non faciat superbos. IV, 1472. Superbus malis, ut humilietur, innectitur; humilis a malis, ut exaltetur, eripitur. IV, 1589. Humilitatis habet principium excellentia claritatis Christi. IV, 1454. Humilitas exaltat. VII, 421. Humilitas claritatis est meritum, claritas humilitatis est præmium. III, 1905. Omnes delectat celsitudo, sed humilitas gradus est. V, 586, 671. Humilitas solidissima potentior est et tutior, quam ventosissima celsitudo. VIII, 957. Humilitas via qua pervenitur ad æternitatem. V, 685. Humilitas tutam veramque in cœlum viam molitur. VII, 482. Humilis per januam intrando recipitur, superbus per aliam partem ascendendo præcipitatur. IV, 1229. Humilitas in monasterio potissimum sectanda. I, 1379. Humilis inordinate. V, 107.

Humilitas quædam perversa, qua quis ad terrena convertitur. IV, 1142. Humiliari a Deo quandoque et pœna est et gratia. IV, 427. Humiliatio mala et pœnalis. IV, 1751, 1752. Humilitas duplex, confessionis et tribulationis. IV, 1541. Item voluntaria et pœnalis. IV, 1550. Humiliatur pondere manus Dei, qui non humiliatur confessione iniquitatis. IV, 267. Humilitas mendax et simulata. IX, 65. Humilitatem mendacem non accipit Deus. V, 981. Simulatio humilitatis, major superbia est. VI, 421. Quid prodest videri hominibus humile esse quod dicis, si Deus videt altum esse quod sapis. IV, 1505. Fit miris modis, ut de falsa humilitate magis quis infletur, quam si apertius superbiret. II, 642. Humilitas vera tunc erit, si non sola ostentetur in lingua. IV, 1505. Humilitatis specie mendacium, peccatum est. V, 981. Humilitatis laus in parte non est ponenda falsitatis. X, 265, 267.

Humilitas difficile persuadetur. VII, 13. Primum et magnum nunus spiritus, humilitas et mansuetudo III, 2158. Humilitatis signum in statura pueritiæ a Christo collocatum. I, 674. Humilitas per convallem significatur. V, 1524. Humilitatem plus in eis qui ex Gentibus erant, quam in Judæis Scriptura commendat. V, 1056. Humilitas Centurionis. IV, 428; V, 1505. Publicani. IV, 446, 447. Chananææ. V, 485, 487. Humilitas in Chananæa fecerat fidem magnam. V, 1056.

Humores quatuor, quibus carnis natura temperatur. II, 945.

Hydromantia divinationis genus a Persis allatum. VII, 225.

Hydrops corde, avarus. V, 410, 956. Hydrops curari non potest. V, 489.

Hyems incredibili immanitate Romæ sæviens. VII, 98. Hyems et æstas nostra quæ. V, 216. Hyems adversitatis figura. IV, 370. Hyemis tempore similes sunt arbores mortuæ et vivæ, sed æstas veniens discernit. IV, 1947. Hyems vita ista. IV, 389, 1947.

Hyle quid sit. VIII, 379, 380, 556. Quid hoc vocabulo Græci intelligunt. VIII, 379. Hyle principium et natura mali secundum Manichæos. VIII, 370, 379, 569. Hylen non posse esse principium rerum ostenditur. VIII, 390. Absurda Manichæorum doctrina de hyle refellitur. VIII, 380, 395, 401. Hylen communiter dæmonem appellant. VIII, 387.

*Hymenæus*. VIII, 575.

Hymettium mel. I, 966.

Hymnus est canticum continens laudem Dei. IV, 914, 1947. Hymnus tria debet habere, et laudem, et Dei, et canticum. IV, 914, 1947, 1948. Hymnorum cantus in ecclesiis. IV, 487. Hymnorum cantus ad altare instituitur Carthagine. I, 654. Impugnatur ab Hilario propugnaturque ab Augustino. I, 654. Hymnus sempiternus merces sanctorum. IV, 1948. Hymnus qui Domini nostri Jesu Christi dicitur, in Scripturis solet apocryphis inveniri. II, 1054. Verba ejus valde obscurissime posita. II, 1054. Plura referuntur. II, 1055. Hymnus trium puerorum ad Scripturam pertinet. VII, 324.

Hymnizare. IV, 320.

Hyperbole quid. VII, 499; X, 788.

*Hyperbolus*. VII, 54.

*Hypocrates*. I, 695.

Hypocrisis origo, quæ. III, 203. Humanæ laudis aviditas hypocrisim sæpe generat. II, 92. Hypocrisis foris lucet, intus lutum est. IV, 1229.

Hypocrita quis. III, 1271.

Hypogæa. V, 267.

Hyssopus herba humilis, sed medicinalis. IV, 593. Hyssopus purgandis pulmonibus aptus est. IV, 593. Hyssopus cordis mundandi symbolum. IV, 595.

## I. J.

Jabin interpretatur sapiens. IV, 1053.

Jacob, id est, supplantator, quia nascens fratris plantam tenuit. IV, 987, 1937. Idem qui postea dictus Israel. V, 47, 681. Id est, videns Deum. V, 41; IV, 1937. De duplici ejus nomine. V, 681. Diversis causis impositio. IV, 987. Unde Jacob dictus est Israel. VII, 518. Novo nomine accepto cur prius retinuerit. V, 682. Jacob et Esaü constellationes. I, 739. Jacob et Esaü una et eadem sors ex patre, ex matre, ex conceptu, ex ortu; diversa tantum ex Deo. II, 887. Jacob an ex præscientia futuræ voluntatis approbatus. VI, 117. An electus ex præscientia futuræ fidei. VI, 114. Dilexit in eo Deus non culpam quam delebat, sed gratiam quam donabat. VI, 125. *Vide* Electio. Benedictiones datæ Jacob et Esaü. V, 39, 56.

Jacob et Esaü duo populi. IV, 527, 1135. Jacob Christianorum figura, ut Esaü Judæorum. V, 55. Jacob significat spirituales in populo Dei. III, 567; IV, 1771, 1772; Bonos Christianos. V, 54, 37. Esaü carnales. IV, 527; V, 34, 37. Jacob benedictio, an sine dolo subrepta, et quid significat. VII, 515. Jacob sine dolo benedictionem accepit per dolum. III, 567; V, 41, 537. Jacob a mendacio defenditur. V, 45. Quandonam impleta prophetia illa, *Major serviet minori*. IV, 527, 1135.

Jacob somnium figura fuit. V, 681. Angeli in scala ascendentes et descendentes visi a Jacob quosnam significent. IV, 1597, 1598. Lapis unctus a Jacob, figura Christi. VII, 517. Lucta Jacob cum Angelo. V, 57, 681. Quid significet. IV, 1936. Lucta Jacob cum Angelo, prophetia de Christo. III, 574. Et de Christi passione. VII, 518. In persona Angeli Dominus luctabatur cum Jacob. IV, 1936. Jacob prævalens Angelo, figura persecutoris prævalentis Christo. IV, 1022. Jacob figuram gestavit Ecclesiæ. IV, 1015. Percussio in latitudine femoris, multitudinem non credentium significat. IV, 506. Jacob benedictus et claudus quid significet. V, 57, 681; VII, 518. Benedictio, in his qui crediderunt; claudicatio, in his qui non crediderunt. IV, 506. Varii colores in pecudibus Jacob, unde. VIII, 988. Jacob male pro crimine objiciuntur quatuor uxores. VIII, 428, 430. Quo animo Jacob plures uxores accepit. VII, 517. Et quid uxores quatuor figuraverint. VIII, 432. Jacob castitas. VII, 517; VIII, 430, 431. Quoto vitæ anno Jacob in Ægyptum descendit. VII, 563. Quoto vitæ anno mortuus est. VII, 564. Jacob filiis Joseph benedicens. I, 801; V, 1275. Jacob in filiis suis plerumque appellatur. III, 596.

*Jacobus* qua ratione frater Domini. III, 2110.

*Jacobi* et Mariani martyrum natalis. V, 1288.

*Jacobus*. II, 1070.

*Jacobus* et Timasius. X, 247. Adolescentes honestissime nati. II, 774. Servi Dei boni, et honesti viri. X, 347. Pelagii aliquando discipuli et dilectores. X, 335, 347, 348. Pelagii exhortatione sæculo nuntium remiserunt, et continentes vixerunt. II, 767, 774. Opera Augustini revocantur ab errore Pelagii. II, 767. Augustinum rogant, ut librum quem Pelagii esse affirmant, refellat. II 767, 774, 816. Gratias agunt Augustino pro scripto ipsis libro de natura et gratia. II, 741. Eorum epistola laudatur. II, 767.

Jactantia quid. VII, 556, 424. Jactantia pestis ultima et ceteris nocentior. I, 992. Jactantia in ipsis sordibus luctuosis. III, 1287. Jactantia multos liberales et martyres facit III, 2020. Tolle jactantiam, et omnes homines quid sunt, nisi homines? VII, 161.

Jactura bonorum tuorum non est tibi ablatus qui dedit, quamvis ablatum sit quod dedit. IV, 281.

Jaculatoria oratio. Fratres in Ægypto crebras quidem orationes, sed brevissimas, et raptim quodammodo jaculatas habent. II, 1020.

*Jader* a Mutila. IX, 229.

*Jamblichus* philosophus Platonicus. VII, 257.

*Jambus* a Germaniciana. IX, 228.

Iambi pedes, qui. I, 1008.

*Janiculus* mons hodie Montorium vocatur. VII, 97. *Not.* 2.
*Janiculus* urbs. VII, 198.
Januæ duæ per quas intrat et regnat inimicus, cupiditas et timor. VI, 310.
*Januarius*. IX, 384.
*Januarius* episcopus. II, 759, 780.
*Januarius* Donatista episcopus. II, 302; IX, 528, 555.
*Januarius* a vico Cæsaris. IX, 216.
*Januarius* a Lambœse. IX, 206.
*Januarius* Muzulensis. IX, 222.
*Januarius* fossor. IX, 515.
*Januarius* perlator epistolæ Augustini ad Paulinum. II, 816.
*Januarius* ad cujus inquisitiones libri duo. I, 658; II, 199.
*Januarius* presbyter proprium contra legem monasterii retinuit. V, 1570. Testamentum fecit. V, 1570.
Januarius a Jano appellatus est. VIII, 346. Et Jano dedicatus est. VII, 200. Januariarum Kalendarum solemnitas. V, 1020, 1021, 1024. Superstitiones. V, 1020, 1024, 1025. Januariis Kal. ne fiant superstitiones consuetæ, præmonet Augustinus. V, 1020. Januariis Kal. aut jejunandum, aut saltem sobrie prandendum. V, 1025.
*Janus* cur bifrons fingitur. VII, 200. Et quadrifrons. VII, 201. Janus ceteris diis selectis est innocentior. VII, 198. Non recte distinguitur a Deo Termino. VII, 200. Et a Jove. VII, 203. Cur Jovi præponatur. VII, 201. Ad Janum pertinent rerum initia. VII, 200. Janus est mundus. VII, 200, 203. Jani portæ in bello apertæ, in pace clausæ erant. VII, 84.
*Japhet* latitudo interpretatur. VII, 477.
*Jason* ut doctissimus vir ab Ariano laudatus. II, 1053.
*Jasus* filius Triopæ regis Argivorum, relatus in deorum numerum. VII, 563.
*Icari* fabula. VII, 571.
Iconiense concilium. IX, 195, 196. *Not.* (*a*).
Ictus oculi. V, 1624.
Ideæ quid sint. VI, 30. Quanta vis in ideis constituitur. VI, 29. Ideas Plato primus appellasse perhibetur. VI, 29. Ideæ Platonis. VII, 218. Ideæ quarumlibet rerum ab æterno sunt in divina mente. VI, 31.
Idiomata, proprietates alicujus linguæ. III, 485, 557.
*Idipsum* summum et incommutabile bonum quod Deus est. VIII, 872. Idipsum est, *Ego sum qui sum*. IV, 1622. Seu quod semper eodem modo est. IV, 1622, 1906. Idipsum, nemo habet ex se. IV, 1625.
*Idithun*, interpretatur Transiliens eos. IV, 412, 729, 970.
Idola colentes similes idolis, quare. IV, 1754. Merito homo deficit ab illo qui eum fecit, cum sibi præficit ipse quod fecit. VII, 249. Idololatræ quinam dicuntur. VIII, 827. Idololatrarum falsa physiologia rejicitur. VII, 217. Idololatriæ principium. VI, 685. Origo. VII, 221, 224. Idololatria ex superbia. V, 1022. Et vanitate. X, 212. Idololatria in Ægypto instituta multiplicior, multoque ignominiosior. IX, 597. Nulla major, nulla superstitiosior. V, 1022. Ægyptiorum figmentis mundus perfusus. V, 1022. Ad idola facile convertebantur Judæi, qui terrenam ac temporalem felicitatem desiderabant. IV, 551.
Idololatria grande malum. III, 743; VIII, 540. Idololatriæ peccata etiam supplicia sunt. V, 1022. Idolorum cultores quam insani. IV, 1754, 1957; V, 777. Qui Deum volunt habere cum multis, facilius effecerunt ut eum non haberent, quam ut diis multis falsisve miscerent. II, 842. Idololatræ urgentur. III, 1061. Apostolorum contra idololatriam doctrina vindicatur ex prophetiis. III, 1056. Idololatria non potest defendi. VII, 221, 222. Frustra dicunt a se non simulacra, sed quod simulacris significatur, coli. V, 1023. Idololatrarum excusationes refelluntur. IV, 1244, 1245, 1246. Idololatræ habent aliquid quod probetur. IX, 587. Idololatria aut punita aut coercita apud Judæos. VIII, 290. A Moyse punita. VIII, 462. Idolorum lucos et templa et excelsa destruendo Ezechias et Josias Domino servierunt. II, 801. Idolum frangendum in potestatem Danieli dando et inimicos ejus leonibus ingerendo, Darius Domino servivit. II, 801. Idolorum cultus vetitus et eorum templa clausa per Imperatorum leges. IV, 1788, 1789. Idola eversa. V, 151, 162, 165. Idola, nisi legitima potestas detur, non frangenda. V, 422. Idololatrarum injustæ querimoniæ. V, 425. Eversis idolis non exinde Romanam cladem accidisse. V, 623, 624. Idololatriæ crimen juste ab Imperatoribus vindicari fatebantur Donatistæ. IX, 45 Idolorum frangendorum obtentu ad paganorum solemnitates veniebant Donatistæ, ut ab iis interficerentur. II, 797. Illi idolis suis vovebant quotquot ex illis occidebant. II, 797.
Idololatria excommunicatione punienda. VI, 220. Idolorum rejectio prædicta. III, 1062; VII, 248, 588, 592. Idololatria destructa contrariis causis, quibus instituta fuit. VII, 250. Idololatria per Christi nomen et Christianorum fidem juxta prophetias eversa. III, 1061. Idololatriam subvertit gratia verissimi Salvatoris. VII, 248. Idololatræ pro idolo suo irascebantur Christo Domino suo, qui si pro idolo suo irascerentur servo suo, damnandi erant. IV, 1258. Idololatris non irascendum, sed pro illis orandum. V, 423. Idololatriæ species variæ. III, 152. Idola cordium. VI, 645. Si faber idolo sicut figuram, ita et cor daret, ab idolo ipso adoraretur. V, 777. Idololatria quam in corde nostro ex consuetudine visibilium constituere conatur humanæ cogitationis infirmitas. II, 798. Idololatria unde avaritia. V, 650.
Idolium. Reprehenduntur in idolio convivantes cum Paganis V, 417. Quidam Majoris alicujus metu recumbentes in idolio. V, 418. Inepta excusatio recumbentium in idolio. V, 419. Satius est emori fame, quam idolothytis vesci. VI, 585. Si quis dubitat de aliqua carne an immolatitia sit, et non est immolatitia, si eam cognitionem tenuerit quod non est immolatitia, et ea vescatur, non utique peccat. II, 186. Non peccat qui cibum postea nesciens manducaverit, quem prius tamquam idolothytum respuit. II, 185. Quod certo cognoscitur esse idolothytum, melius est non manducare, etiamsi adsit periculum mortis, nec ulla sit occasio scandali. Si vero non esse idolothytum scitur aut ignoratur, sine ullo conscientiæ scrupulo in usum necessitatis assumitur. II, 187. Christianos non debet uti re aliqua in honorem deorum alienorum, licet animo contemnat, ne eos qui animum non vident, ad eos honorandos ædificet. II, 185. Idola, templa, luci possunt in usus communes, vel in honorem veri Dei converti. II, 185. Christiano licet uti olere quod nascitur in horto templi idoli, fonte, puteo qui in templo est, etiamsi aliquid sacrificiorum in puteum vel fontem projiciatur eo animo ut aquis sacrificetur. II, 186.
*Idumæa*, interpretatur terrena. IV, 721.
*Idumæi* gens Edom ab Esaü propagata. III, 579; VII, 520. Interpretantur vel sanguinei, vel terreni. IV, 601, 602, 1052. Idumæi ab Israelitis tributarii facti per David. III, 567.
*Jebus* civitas, qua destructa, ædificata est Jerusalem. IV, 734, 775.
*Jechonias* interpretatur præparatio Dei. III, 1076. Jechonias Christi figura. V, 341.
*Jehu* pro nonnulla obedientia, quam pro cupiditate suæ dominationis exhibuit, mercedem transitoriam regni temporalis accepit. VI, 520.
Jejunium Christi spiritale. IV, 556, 851.
Jejunium, magnum opus, Christianum opus. IV, 1108. Jejunium Christianum, quod. III, 1559. Jejunium nostrum fide diversum a jejunio Paganorum, Judæorum et hæreticorum. VI, 711. Jejunium qua intentione observandum. III, 1287. Qui jejunant ut prandeant lautius, negotium ventris agunt, non religionis. IV, 1108. Jejunium contra ventrem et guttur pugnat; aliquando illis militat. IV, 1108. Jejunium luxuriæ et ventri serviens. IV, 488. Jejunium ad carnem domandam est necessarium. VI, 709. Jejunium fraudatio carnis, et lucrum mentis. VI, 706. Jejunandum quando acriore luctamine cum hoste confligimus. V, 1049. Jejunium aut in tribulatione est, aut in gaudio. III, 1559. Jejunium voluntatis est, fames necessitatis. IV, 476.
Jejunia Deo accepta quænam. V, 1042. Jejunium cum oratione et eleemosyna. V, 811. Jejunium sine oratione et eleemosyna non sufficit. IV, 482. Oratio jejunantis libera sit a cupiditate et odio. V, 1044. Jejunium sine misericordia, ei nihil est qui jejunat. V, 1043. Pauperibus erogandum est prandium, quod per jejunium intermittitur. IV, 482. Accipiat esuriens Christus, quod jejunans minus accipit Christianus. V, 1053. Voluntaria copiosi inopia, fiat necessaria inopis copia. V, 1053. Quod vobis demitis jejunando, eleemosynis addite prærogando. V, 1040, 1047. Jejunia, orationes, eleemosynæ ad vestitum ovium pertinent. III, 1506. Jejunium in novo Testamento præceptum est. II, 147.
Jejunium ante solemnitatem passionis Christi maxime conveniens. V, 1050. Quadragenario numero cur institutum. V, 1051. Jejunium Quadragesimæ habet auctoritatem et in veteribus libris, et ex Evangelio. II, 217. Jejunium quadragesimale nobis præcipitur ex Lege, Prophetis et Evangelio. IV, 1465. Jejunium Christi, ut Moysis et Eliæ, cur XL. dierum. V, 695, 1059, 1216. Quid significet. III, 48. Jejunium et abstinentia qualis requiritur in Quadragesima. V, 1045. Jejunium ante Pascha non celebrabant Manichæi. VIII, 178. Jejunia Christianorum per dies Paschæ perque alias in Christo solemnitates, et eorumdem jejunia pro Paganis in ipsorum festis profanis. IV, 1261, 1262. Jejunium Natalis Domini. II, 234. Quarta feria jejunatur, quia eo die Judæi consilium fecisse ad occidendum Dominum reperiuntur. II, 150. Plebs Romana quarta et sexta feria et sabbato jejunare consuevit. II, 140. Jejunandum quinta sabbati Romanis non

videtur. II, 140. Jejunant sabbato quod Pascha præcedit, etiam qui aliis sabbatis prandent. II, 150. Ecclesia die sabbati ubique prandet, exceptis Romanis, et paucis Occidentalibus. II, 139. Jejunium sabbati cum Romana observant multæ vicinæ, et aliquanda remotiores Ecclesiæ. II, 281. Multo major pars orbis non observat. II, 281. Jejunant alii sabbato propter humilitatem mortis Domini, alii jejunium relaxant propter requiem Dei. II, 150. Sermo cujusdam Urbici, quo probat sabbato jejunandum, adversus Ecclesiam universam injuriosissimus. II, 137, 138. Argumenta Urbici illius, quibus probat sabbato jejunandum refelluntur. II, 139, 140, 141, 142. Jejunium sabbati exinde profectum esse, quod Petrus, Dominico die cum Simone certaturus, pridie jejunaverit, Romanorum aliqui existimant, alii falsum putant. II, 146. In observando sabbati jejunio, sequendus mos Episcoporum. II, 151. Et illud servandum, ut societas eorum inter quos vivimus, et cum quibus Deo vivimus, non offendatur. II, 148. Peregrinus optime facit, dum sequitur morem jejuniorum loci illius in quo versatur. II, 202. Jejunare per nonnullos dies certis de causis mos Ecclesiæ prohibet. V, 1052.

Jejunium maxime festis diebus non agitur. II, 145, 146. Jejunia Christiani relaxant Paschali tempore, stantes orant, Halleluia canunt, quod est signum resurrectionis. II, 218; V, 1048, 1052. Jejunium Dominico die non est illicitum, sed non sine justo scandalo hunc diem quis jejunio decernat. II, 138, 144, 149, 150. Apostoli non solebant solemniter die Dominico jejunare. II, 149. Dominicum diem ad jejunandum auditoribus suis constituebant Manichæi. II, 149, 150. Dies quibus jejunandum est aut non jejunandum, non definiuntur. II, 148, 151. Jejunium Dominici diei unde approbent Priscillianistæ. II, 149. Jejunia statuta solemniter celebrari nolunt Aëriani, sed cum quisque voluerit, jejunandum. VIII, 40. Jejunium quotidianum suadetur, exceptis iis diebus quibus Ecclesia prohibet jejunare. V, 1052. Excepto Sabbato et Dominico, multi tota vita sua jejunant, maxime in monasteriis constituti. II, 140. Jejunia diurna nec non triduana absque cibo et potu. I, 1340. Jejunia crebra, quotidiana, vel etiam incredibiliter continuata in catholica communione. VIII, 225. Quadraginta dies jejunasse quemdam, a fratribus accepit Aug. II, 149. Jejunia feminis etiam usitata. I, 1340. Jejunare si non potes, magis pascas pauperem, cujus saturitate tibi venia concedatur. V, 811. Jejunio universa corporis castigatio significatur. X, 500 Jejunium magnum et generale est abstinere ab iniquitatibus, et illicitis voluptatibus sæculi. III, 1529. Jejunare ab isto sæculo. V, 695, 1212. Cur gemendum et jejunandum in hac vita. V, 1050. Jejunia non prodesse aliquid dicebat Jovinianus VIII, 45. Jejunium hæreticis ut prosit, ad Ecclesiam redeundum. VI, 711. Jejunare parvulos apud Niniven merito coactos esse propter originale peccatum. II, 723.

*Jemini*, dexter interpretatur IV, 97.

*Jephte* id est aperiens. III, 817, 818. Jephte judex fuit Israelitarum, non rex. III, 819. Votum Jephte discutitur. III, 810. An votum Jephte Deo displicuit. III, 812. An Jephte voverit ex inspiratione Spiritus sancti. III, 814. An ex jussu Dei filiam occiderit, merito quæritur. VII, 55. An Jephte recte egerit exsequendo votum. III, 812. Votum Jephte, prophetia de Ecclesia. III, 815, 820. Jephte, figura Christi. III, 817. Jephte fides. III, 816.

*Jeremias* quomodo Deo notus antequam formatus. III, 544. In utero sanctificatus secundum prædestinationem, a nonnullis creditur. II, 846. Jeremiæ et Joannis Baptistæ sanctitas genuina. X, 1428. Jeremias et Joannes in utero sanctificati, traxerunt tamen originale peccatum. X, 1429. Quænam tunc inerat illis sanctitas. X, 1429. Jeremiæ sanctificationem nonnulli in typum Salvatoris accipiunt. II, 846. Jeremias captivitatem septuaginta annorum, aliasque clades Judæis prædicit. VII, 582, 585. Et futuram reparationem civitatis Jerusalem. IV, 1917. Quid et quo tempore Jeremias prophetavit. VII, 591. Jeremias centum ferme annos ante Platonem natus. VII, 256.

*Jericho* interpretatur luna. IV, 728. Casus murorum Jericho in præsenti carcere, destructionem spei hujus sæculi exprimit septenario dono Spiritus sancti. II, 209.

*Jerusalem* dicta est Jebus. III, 785, 795; IV, 773. Et Salem. IV, 505. Jerusalem ipsa est quæ Sion. IV, 774. Jerusalem urbs communis tribubus Judæ et Benjamin. III, 795. De eversione ejus agitur toto psalmo LXXIII. IV, 929. Ex signis quæ Christus futura prædixit, alia ad excidium Jerusalem, alia ad adventum Domini per Ecclesiam, alia ad adventum ultimum in quo judicaturus est vivos et mortuos, pertinent. II, 214. Jerusalem eversa est in celebratione Paschatis. IV, 952. Regnante Sedechia. VII, 582. In eversione Jerusalem talia mala populo Judaico tunc accidisse scribit Josephus, ut vix tolerabilia videantur. II, 216. Ad civitatem Jerusalem accedere prohibitum Judæis ab Imperatore Romano. V, 57. Promissiones factæ de terrena Jerusalem, quomodo intelligendæ. VII, 543. Jerusalem tempore Augustini plena erat laudatoribus Christianis, nullum habebat Judæum. IV, 759, 773. Jerosolymis ob terræ motum multi baptizati. V, 136. Jerusalem interpretatur visio pacis. IV, 122, 598, 734, 1656, 1755, 1761; VII, 637. Habet pro fine pacem æternam. IV, 1761. Jerusalem prærogativæ. IV, 253. Jerusalem civitas sancta cur dicta. VII, 458. Jerusalem vera, Ecclesia sanctorum. IV, 1952. Jerosolymitanæ Ecclesiæ fervore mundus accensus. V, 660. Jerusalem unde cœpit Ecclesia, non invisibilis, sed visibilis est intelligenda. IX, 409. Jerusalem spiritalis non magis Judæorum quam Gentium est. IV, 1467. Jerusalem ex parte peregrina, et ex parte immanens in cœlo. IV, 1952. Cujus cives et Angeli sunt. IV, 1761. Civitas Babylonia et civitas Jerusalem, ut ab invicem dissideant. *Vide* Babylon. Jerusalem particula captiva tenetur in Babylonia pro peccato. IV, 1761. Jerusalem incipit corde liberari a captivitate, per confessionem iniquitatis et caritatem justitiæ. IV, 1761. Jerusalem cœlestis quisque fit civis idoneus, cum primum huic sæculo renuntiaverit. IV, 1477. Jerusalem cœlestis filii parturiti et parti sunt matre caritate; inclusi sunt colligente caritate. IV, 1923. Jerusalem typus civitatis cœlestis. VI, 336. Et umbra. IV, 1620, 1650, 1656. In Jerusalem imago Ecclesiæ futuræ, sicut in Sion imago Ecclesiæ præsentis. IV, 122. Jerusalem significat matrem nostram æternam in cœlis, sive in ipsis Angelis, sive in iis qui spe salvi fiunt. III, 478. Jerusalem superna quot cives perdidit ex Angelis, tot vel etiam plures excipiet ex hominibus. VI, 246. Jerusalem amare, ad eam ambulare est. IV, 1918.

*Jesus* hebraice, Σωτὴρ græce, Salvator latine. VIII, 1025. Jesus interpretatur Salvator, sive Salutaris. V, 944, 1331, 1370; VII, 535, 785.

*Jesus* Nave Moysi successit, et populum in terram promissionis introduxit. VII, 522, 568. Jesus Nave quo tempore mortuus est. VII, 568. Vocabatur Auses. V, 1353.

*Jesus*. De eo stulta Manichæorum vaniloquia ploduntur. VIII, 376. Jesum patibilem gigni ex terra de Spiritu sancto concipiente, ipsumque omni ex ligno pendere, hæresis Manichæorum. VIII, 376.

*Jesum* hominibus salvatorem invident Pelagiani. X, 1123. Jesum parvulis esse Jesum negant ipsi Pelagiani. X, 1302, 1303. Jesus etiam parvulis Jesus. X, 190, 473, 1143, 1189 1190, 1192, 1214, 1281, 1379, 1380, 1467, 1606. Jesus vix quæritur propter Jesum. III, 1600. Jesus fortis et infirmus. III, 1512. Jesu nomen, quam Salutaris, amicius et dulcius est nominare. VII, 591. Jesum dicere verbis et factis. V, 1237.

Ignavia. Otio ad pietatem, non ad ignaviam fruendum. II, 188.

Ignis principium rerum juxta Stoicos. VII, 230. Et ab eis ut deus habitus. VII, 230. Ignis perpetuus Vestæ dicatus. VII, 77. Ignem aere esse superiorem probatur. III, 265. Super aerem purus ignis esse dicitur cœlum. III, 265. Quare ignis reperitur in inferiori parte aeris corruptibilis. III, 283. Etiam iste ipse ignis laudabilis est. VII, 352. Ignis inferior omnia penetrat, ut motum in eis faciat. III, 281. Non potest frigescere. III, 281. In aliud elementum verti potest. III, 283. Non potest in cœlestem superiorem tranquillitatem evadere. III, 285. Igni aliquid castitatis tribuerunt antiqui. VII, 121. In igne mira sunt plurima, quæ non possunt explicari. VII, 712, 719. In igne vivere animalia, Augustino ignotum. VIII, 198.

Ignis Spiritus sanctus. V, 254. Utrum oculis an spiritu visus sit ignis super Apostolos in die Pentecostes, disputari potest. VIII, 852. Ignis cur prius in sacramentis, in catechizando et exorcizando adhibeatur. IV, 797.

Ignis symbolum adversitatis, sicut aqua prosperitatis. IV, 797. Tentatio tribulationis, ignis. V, 254; VI, 155, 264. Ignis per quem uniuscujusque opus probatur. IV, 222. Quis inde exuratur, quis non. VI, 264. Ignis fornacis diversa agit, paleam in cinerem vertit, auro sordes tollit: sic tribulatio. IV, 173. Ignis in bono potest accipi. VII, 692. Ignis nomine pœna intelligitur. III, 779. Ignis Christi adventum præcedens tum in pœnam malorum, tum in salutem redemptorum. IV, 1240, 1241; VII, 503. Ignis ultimi judicii qualiter non timeatur. IV, 569. Ignis purgatorius post hanc vitam. III, 212; VI, 156, 217, 264. Aliud igne non lædi, aliud per ignem salvari. IV, 222. *Vide* Purgatorius.

Ignem quo puniuntur peccatores, neque esse ignem verum, neque æternum, Priscillianistæ prædicabant. VIII, 668, 672. Ignis gehennæ pro dolore animi infructuose pœnitentis ponitur, secundum aliquos. VII, 723. Ignis æterni pœna conjuncta exclusioni a regno Dei. V, 879, 1357. Ignis gehennæ, pœna peccatorum futura; ignis concupiscentiarum, pœna eorum præsens et occulta. IV, 686, 687, 688. Ignis gehennæ pertinet ad corpus et animam. VII, 723. Ignis supplicio hominum et dæmonum erit attributus. VII, 724. An ignis ille sit corporalis. VII, 724. Quomodo spiritus ab

Igne corporeo possunt torqueri. VII, 725. Ignis inferni æternus et combustio æterna. VI, 214. Ignis æternus. VII, 682. Non est æternus sicut Deus. VIII, 563. Ignis æternus non est malus. VIII, 563. Ignis æternus pro diversitate meritorum aliis levior, aliis futurus est gravior. VII, 731. In qua mundi parte futurus sit ignis inferni, nemo novit. VII, 682.

Ignorantia et infirmitas, duæ peccati causæ. VI, 271. Ignorantia et infirmitas vitia sunt, quæ impediunt voluntatem ne moveatur ad opus bonum faciendum, vel ab opere malo abstinendum. X, 167. Etiam per ignorantiam facta quædam improbantur, et corrigenda judicantur. I, 1297. Peccata sunt. I, 1295. Ex ignorantia malum alicui causare, peccatum est. VII, 728. Ignorantiæ peccata. X, 148, 243, 255, 287, 851, 1118, 1239. Quænam sint. II, 186. Ignorantiæ peccata dicuntur peccata humana. III, 721. Peccata ex ignorantia sunt voluntaria. VII, 665. Quædam peccandi necessitas ex ignorantia. X, 1118, 1120. Gravius peccat sciens, quam nesciens. X, 884. Nec ideo tamen ad ignorantiæ tenebras confugiendum, ut in eis quisque excusationem requirat. X, 884, 885. Ignorantia duplex, scire nolentium, et simpliciter nescientium : neutra excusat. X, 885. *Vide* Scientia. Ignorantia non est justa excusatio. II, 883. Nec ignorantia excusat ut a pœna liberet. X, 884. Ignorantia quatenus excuset. IX, 485. Ideo vocantur inexcusabiles qui scientes peccant, quia hi etiam proprio judicio se vident inexcusabiles. II, 883. Ignorantia et difficultas quandonam deputatur ad culpam. X, 288. Ignorantiam perfectam, justitiæ nomine nuncupat Julianus. X, 721. Ignorantiam et oblivionem non subjacere peccato, quoniam non secundum voluntatem, sed secundum necessitatem eveniunt, Cælestii doctrina. X, 345. Ignorantia et difficultas ad miseriam justæ damnationis pertinent. X, 1009. Ignorantia, pœna primi peccati. VII, 784. Ignorantia et difficultas pœna justa de hominis damnatione veniens. X, 287. Ignorantia parvulorum quanta. X, 149, 150. Ignorantia malum etiam in baptizato. X, 851. Ignorantia et infirmitas ut vel nesciat homo quid velle debeat, vel non omne quod voluerit, possit, ex occulto pœnarum ordine venit et inscrutabilibus Dei judiciis. VIII, 451. Peccata dicuntur, quia de peccato liberæ voluntatis originem ducunt. I, 1298. Sunt pœna justissima peccati. I, 1297. Ignorantia ipsa in eis qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est; in eis autem qui non potuerunt, pœna peccati. II, 883. Quamvis Manichæis ex suppositione concessum sit, ignorantiam et difficultatem non esse supplicia naturæ; fides tamen de peccato originali contra Pelagianos est defendenda. X, 1009. Etsi ignorantia et difficultas essent primordia naturalia hominis, nec sic culpandus foret Deus, sed laudandus. X, 1009.

Ignorantia et difficultas vinci possunt, quomodo. X, 288. Ignorantiæ malum non tantum minui, sed et consumi potest in hac vita. X, 851. Unde minuitur. X, 851. Ab ignorantia liberari non potest homo, sine labore, dolore, timore. VII, 784, 785. Melior est fidelis ignorantia, quam temeraria scientia. V, 179. Non erubescendum est homini confiteri se nescire quod nescit, ne dum se scire mentitur, numquam scire mereatur. II, 862. Ignorantiæ confessio, gradus est scientiæ. V, 1382. Melius est nescire quam errare. III, 1553. Ignorantia in Dei rebus magis pia est, quam præsumpta scientia. V, 663. Sit pia confessio ignorantiæ magis, quam temeraria professio scientiæ. V, 663. Ignorantiam cautam magis eligit Aug. confiteri, quam falsam scientiam. II, 901. Ignorare se originem animæ, sicut alia multa, Augustinus petentibus fatetur. II, 724, 732. Ignorantia rerum aliquarum qui patienter ferenda. II, 732. Qua de causa etiam in doctis hæc a Deo permittatur. II, 724. Ignorantia quædam docta Spiritu Dei. II, 505. Aliud est ignorare, quod nescire malum est; aliud, quod sciri vel non potest, vel non opus est, vel ad vitam quam quærimus indifferens est. II, 733. De qua ignorantia dictum sit, *Qui ignorat, ignorabitur*. II, 743. Ignorabatne aliquid Christus. IV, 333. Ignorabat Christus peccatum; et hoc non judicando, sed non committendo. IV. 333. Nescire Deus dicitur, quomodo ars non novit vitia. IV, 334. Ignorantiæ symbolum, tenebræ. IV, 326; V, 576. Ignorantia mater admirationis. I, 837. Ignoro, idem aliquando ac non approbo. III, 2071; V, 858; VI, 106. Ignoratur, quod alienum est ab opere. IV, 334.

Ignoscere Dei est non noscere; non noscere autem, non animadvertere, seu non vindicare. IV, 947. Ignoscit melius, quam agnoscit Deus. IV, 947. Ignoscit Deus confitenti, sed se ipsum punienti. IV, 592. Aliquando cui Deus ignoscit in futuro sæculo, corripit eum in isto. IV, 595. *Vide* Parcere.

Ignoscendum fratri. V, 653, 1055, 1556. Cito ignoscendum veniam postulanti. II, 856. Et etiam nolenti petere veniam. V, 1056. Ille tantum accipit veniam, cujus culpa certissima est. II, 165. Ignoscendum fratri toties quoties. V, 515, 652. In hoc genere operis boni excusatio nulla est, ubi sola voluntas, tota facultas est. V, 1053. Ignoscens homini nihil perdit, caritate amplior domum redit. V, 252. Ignoscendi misericors mansuetudo non ad hoc valet ut sit iniquitas impunita. VIII, 624. Ac disciplina negligatur. V, 518. Ignoscendum est aut plectendum ex caritate. II, 661, 662.

Ignotus sibi quisque est ante interrogationem tentationis. IV, 698.

*Ilia* seu Rhea mater Remuli. VII, 578. Iliam de Marte concepisse geminos volunt. VII, 578.

*Ilium* eversum a Fimbria. VII, 85. A Græcis. VII, 91. Ilii excidium dii patrii non impedierunt. VII, 85.

Ille, loco nominis proprii apponendi. V, 964.

Illecebræ sæculares contemnendæ. VI, 447. Illecebrare. VI, 314.

Illicitum quid sit. VIII, 419.

Illuminatio duplex spiritalis, et corporalis. X, 130. Illuminatio per fidem est, et illuminatio per speciem. III, 2010. Illuminationem per gradus ad Patrem usque recurrere, sententia Arianorum. VIII, 711, 712, 713. Illuminatur homo conversione ad Deum, non conversione ad se ipsum. IV, 193, 200.

Illusio, magna persecutio. III, 1481. Sicut pœna animæ illusio, sic præmium animæ veritas. IV, 402. Illusiones animæ quantæ sint. IV, 402. Perfecta illarum cessatio, munus Dei. I, 797. Illusiones nocturnæ involuntariæ licet, nihilo minus pœnitendæ. II, 797.

Imaginatio quid. III, 464. Imaginatio quæ nihil aliud est, quam plaga inflicta per sensus. II, 69. Imaginatio non est quid corporeum. III, 386. Imaginandi vis explicatur ex facultate quam habet animus demendi vel addendi iis quæ sensu attigit. II, 70. Imaginatio corporis in animo melior est, quam species corporis, similitudo vero Dei non ita. VIII, 969. Vis imaginationis matrum in fetus. III, 572. Imaginariæ formæ ab aspectu intimo quam difficile abigantur. II, 615. Quid agendum ut abigantur. II, 616. Imaginatio quomodo ad fidem utilis. VIII, 951. Duo mala vitanda animo dum imaginatur. VIII, 990. Imaginatione gaudent pecora et volatilia. III, 566.

Imago, quid. III, 242. Imaginum triplex genus, rerum sensarum, putatarum, ratarum. II, 69. Imaginem habemus in corde impressam eorum quæ cogitamus. IV, 1813. Imagines rerum non a se, sed a sensibus habet phantasia. II, 69, 70. Imagines quomodo formentur in animo, vix potest explicari. II, 706. Imagines corporum non sunt corporeæ. II, 706. Imagines corporales spiritu cernuntur per aliquam licet incorpoream, tamen similitudinem corporis. II, 618. Imagines dormientium, furentium, etc. unde. VIII, 989. Imago, æqualitas, et similitudo non idem sunt. VI, 85. Imagines, earum rerum quarum imagines sunt, appellari nominibus solent. VI, 145, 163. Imagines non reddunt majores ingentia specula : in parvis autem specillis, et si magna facies sese opponat, brevissima imago pro modo speculi formatur. II, 65. Inter imaginem et similitudinem quodnam discrimen. III, 749. Imago pecudis in homine. VIII, 1006.

Imago Dei duplex. V, 82. Aliud est imago Dei, aliud ad imaginem Dei : utrumque de homine dicitur; de Christo, nonnisi primum. I, 626. Quænam creatura Dei imago dicenda. VIII, 991. Quomodo ad imaginem Dei est homo. VI, 332. Imago Dei intus est in homine, non in corpore. IV, 564, 629. Imago Dei in mente. IV, 480; VI, 628. Imago Dei in immortalitate animæ rationalis quærenda. VIII, 1038, 1040. An imaginem Dei non portabat mulieris mens. III, 452. Imago Dei in Adamo mansit post peccatum, sed deformis. I, 640. Non est omnino deleta in infidelibus. X, 250. Imaginem in nobis Dei deformare potuimus, reformare non possumus. V, 255. Imaginem Dei in homine peccatum delevit, instaurat gratia. III, 555; X, 229, 250. Gratia justitiæ. III, 555. Imago Dei quomodo reformatur in homine. VIII, 1053, 1054. Sine Dei gratia reformari non potest. I, 1067. Imago Dei per vitam perversam perturbatur. IV, 959. Digni sunt ut in civitate sua Deus ad nihilum redigat imaginem illorum, qui in sua terrena imaginem Dei ad nihilum redegerunt. IV, 926. Quandonam homo ad imaginem Dei et secundum quid fiat. VIII, 473, 475. Quandonam in eo perfecta Dei imago. II, 562; VIII, 1050.

Imago sua Deo reddenda est. IV, 1379. Pretiosissimum est in homine ipsius depositum. I, 1067. Imaginem Dei vere custodit, qui ei semper adhæret. IV, 896. Aliud est imago et similitudo Dei, aliud ad imaginem et similitudinem Dei. VI, 33. Velle Deo similem esse, in uno sensu laudabile, et in alio perversum. IV, 895, 896. Incipis similis fieri, dum displicet tibi dissimilem esse. IV, 959. Imago Dei veritatem quærit, non vanitatem. V, 566. In homine tunc perfecta erit Dei similitudo, quando Dei perfecta erit

visio. VIII, 1054, 1055. Imago alia hominis terrestris, alia hominis cœlestis. X, 1601. Imaginem cœlestis et terreni hominis quomodo portemus. III, 352. Imago Dei non diabolo subjiceretur, nisi judicio Dei. X, 1547. *Vide* Peccatum originale. Imagini Dei nullo peccato fuscatæ justum erat ut vivendi stabilitas tribueretur. X, 1598.

Imbecillitas nostra ex peccato. VI, 296.

Imitatio Dei. V, 653. Imitatio perversa Dei in peccatis. I, 681. Imitari Deum diabolus voluit, sed perverse ; nolens esse sub illius potestate, sed habere contra illum potestatem. IV, 896. Patientia Dei erga peccatores ab hominibus imitanda. II, 654, 655, 656. Imitatio Christi melior dilectionis fructus quem ei rependere possimus. V, 1395. Christi passio nihil prodest, nisi iis qui sequuntur vestigia ejus. V, 1396. In quo Christum imitari debeamus, et in quo non. IV, 1149, 1150. Imitari vias Christi, est intrare per januam. IV, 1149. Imitatio bonorum et ipsius Christi. IV, 436. Imitatio Martyrum. V, 1405, 1447, 1547. Honorare et non imitari, nihil aliud est quam mendaciter adulari. V, 1447. Non parva pars imitationis est, meliorum congaudere virtutibus. V, 1283. Imitari velle hominem, et ab illo pendere, imperfectorum est. IV, 246. Imitari turbam si volueritis, inter paucos angustam viam ambulantes non eritis. V, 1094. Quos eligere debeamus imitandos. V, 1102. Imitatione dignos non invementi quid agendum. V, 1547. Si non invenis quod imiteris, esto quod alius imitetur. V, 1102. Imitatores malorum, comites sibi ad gehennam quærunt, non patrocinia ad regnum cœlorum. V, 759, 796. Imitatione peccatur. X, 1163. Imitatio præpostera. IX, 606. Imitatio plerumque improbanda, quamvis quod imitandum proponitur, non improbetur. VIII, 109. Non imitatione sola peccatum intravit in mundum. X, 1156. *Vide* Peccatum. Non imitationem imitationi, sed regenerationem opponit Apostolus generationi, cum de Adam et Christo loquitur. X, 1224.

Immaculati esse qui dicantur. X, 312.

Immensitas Dei. *Vide* Deus.

Immodica sub Deo aliquo modo cohibentur. VIII, 557.

Immolari est Deo ufori. V, 1368. Immolatitio cur Christianos vesci prohibuit Apostolus. VIII, 505.

Immortalitas vera. V, 428, 1059. Immortalitas Dei, vere immortalitas est. V, 428 ; VIII, 1062. Immortalitas nulli competit creaturæ. VIII, 821. Immortalitas animæ probatur, quia ipsa subjectum est disciplinæ quæ semper est. I, 896, 1021. Probatur et ex ratione numerorum quæ est immutabilis, quæque animo non sine vita inhæret. I, 1025. Et quia ratio quæ immutabilis est, ab animo separari nequit. I, 1025. Quia vita carere animus non potest. I, 1028. Quia non habet contrarium. I, 1029. Quia cognoscit veritatem. II, 65. Quia veritati, a qua est animus quod est, quatenus ipsa est, nihil contrarium. I, 1030. Postremo quia non potest in aliud mutari. I, 1031. Immortalitatem animæ humanæ meliores philosophi scriptis defenderunt. V, 1132. Pherecydes Assyrius primus apud Græcos de immortalitate animæ disputavit. II, 521. Pythagoras Samius audita de immortalitate animæ disputatione, ex athleta factus philosophus. II, 521. De immortalitate animæ dubitans pius vir, visis divinis eruditur. II, 699. Immortalitas hominis duplex, prima qua poterat non mori, secunda qua non poterit mori. VI, 281. Immortalitas alia major, alia minor : minor qua quis potest non mori. X, 1580. Major qua quis habet ut mori non possit. X, 1581. Quam immortalitatem perdiderit Adam. X, 1581. Adam potuit non peccando mutari ex minore immortalitate in majorem. X, 1581, 1582. Adam si non peccasset, sine mortis interventu accepturus erat non posse mori, et non posse peccare. X, 1522. A vita minore ubi et mori et non mori posset Adamus, per obedientiam custoditam pervenisset ad vitam ampliorem, ubi mori non posset. X, 1598. De ligno vitæ immortalitas Adæ subministrabatur. X, 1580. Immortalitatem corporis amisisse Adam dici potest, cum propter peccatum ad eam pervenire non potuit. III, 355. Primi hominis peccato natura nostra mutata ex possibilitate immortalitatis, in necessitatem mortis. X, 1512. Immortalitas primi hominis alia ab immortalitate quæ erit post resurrectionem. X, 1096. Immortalitas Adæ fuit posse non mori, beatorum erit non posse mori. VII, 803. Immortalitas illa extrema totius hominis, erit corporis perfecta sanitas. II, 459. Immortalitas et incorruptio corporis de sanitate animi exsistit. III, 28. Incorporea quædam excellentia est. II, 856. Immortalitas non dolet ; absumpta est enim omnis corruptio. IV, 651.

Immortalitatis et incorruptionis desiderium in nobis. X, 110. Et beatitudinis appetitus naturalis. X, 747. Immortalitatis merces si fidelibus redderetur in hoc sæculo, jam non esset fides. X, 181. Immortalitatis pignus nobis est nostra a Christo assumpta mortalitas. IV, 1096. Sicut Christus mortalis non de sua, sed de nostra substantia ; sic nos immortales, non de nostra substantia, sed de illius. IV, 1906. Immortalitas hominum, si non peccassent, male a philosophis quibusdam negatur. VII, 392.

Immortalis quis dupliciter dicitur. X, 1560. Immortale inter et æternum quodnam discrimen. VI, 15. Immortale esse potest quod creatur in tempore. II, 727. Immortalis creatus est primus homo, quatenus poterat non mori. III, 354.

Immunditia ut ab altero depellatur, an alicui facienda injuria. VI, 506. Immunditia in escis nulla reputatur, sed ab iis abstinetur concupiscentiæ refrenandæ causa. V, 1044, 1047. Immundis quomodo nihil est mundum. IV, 1661. Immundum non tangendi præceptum qui intelligatur. V, 551 Animalia in veteri Testamento prohibita, non natura sed significatione immunda deputabantur. VIII, 233, 236.

Immutabilitas solius Dei est. V, 986. Deus non ideo mutabilis, quia aliud in veteri Testamento, aliud in novo sibi jussit offerri. II, 527.

Impatientes dum mala pati nolunt, graviora patiuntur. VI, 611.

Impeccabilitas in Deo ex natura sua, in homine ex munere Dei. VII, 802. Utrum sit aliqua rationalis creatura quam nihil possit illicitum delectare, magna quæstio est. VIII, 419.

Imperare bene inferiori se non potest anima, nisi superiori se non fuerit dedignata servire. IV, 530. In domo justi viventis ex fide, etiam qui imperant, serviunt iis quibus videntur imperare. VII, 643.

Imperator in unoquoque hominum intus est, in corde sedet : si bonus bona jubet, bona fiunt ; si malus mala jubet, mala fiunt. IV, 1938.

Imperatori de religione dicere fas est. IX, 44. Ad Imperatorum curam non terrena tantum pertinent, sed et ne quis in res divinas impune peccet. IX, 749. Possidius Calamensis navigavit ad Imperatorem acturus causam Ecclesiæ suæ. II, 552. *Not.* (*a*). Imperatores Christiani quid juris habeant in hæreticis et schismaticis coercendis ac puniendis. IX, 45. Valentinianus, Gratianus, Theodosius et filii ejus, judicium Constantini in Cæciliani causa firmissime custodierunt. II, 400. Donatistæ male exprobrabant Catholicis quod Ecclesiæ causam apud Imperatores agerent, cum et id egisse profiterentur. II, 580. Donatistæ dicunt ab Imperatoribus Christianis contra inimicos Christi non debere Christianos aliquid postulare, sed ipsi priores fecerunt. II, 305, 794. Maximianistas per potestates terrenas persecuti sunt. II, 192, 265. Et tamen adversus Catholicos querebantur de persecutione per potestatem judiciariam, quam ipsi interpellarunt. II, 305. Imperator Julianus desertor Christi supplicantibus Rogatiano et Pontio libertatem perditionis parti Donati permisit. II, 399, 414, *et Notam Vide*. Immerito queruntur Donatistæ quod Ecclesiarum suarum possessiones ad Catholicam transire jusserunt Imperatores. II, 809. Imperator non tantummodo sæviendi licentiam auferre Donatistis, sed et eos ad unitatem catholicam coercendo redigere satagit. II, 806. Imperatores catholici cogunt Donatistas ad unitatem. V, 295. Imperatorum constitutiones in Donatistas. IV, 135, 684. Schismaticorum testamenta irritantes. V, 310. Imperialium legum utilitas, sive pro veritate contra falsitatem, sive pro falsitate contra veritatem ferantur. II, 795. Thagasta civitas Augustini ad unitatem catholicam imperialium legum timore conversa est. II, 330. Si quid ab Imperatoribus pro utilitate Ecclesiæ petitur, non tamen speratur in eis. IX, 331. Imperatores catholicos Scripturas sanctas non permitti scire, temere audet dicere Petilianus. IX, 330. Et persecutionis accusare. IX, 331. Imperatores ac judices catholicos persecutionem Donatistis faciendo feriisse, male probat Petilianus. IX, 323, 328. Imperio Romano per Imperatores Christianos multa mala accidisse nobis immerito objicitur. II, 532. Imperatorum litteræ quædam diem et consules habent, quædam non habent. IX, 664. Imperatorum Christianorum felicitas. VII, 170. Imperatorem quidam contempsit de loco munito. IV, 878. Imperator Orientalis. V, 294.

Imperii propagatio. VII, 124. Imp. Occidentale posterius tempore, sed magnitudine illustrius. VII, 138. Imperii potestas a solo vero Deo est. VII, 168. Via ad Imperium virtus. VII, 156. Nihil interest sub cujus imperio vivat homo moriturus, si illi qui imperant, ad impia et iniqua non cogant. VII, 160. Imperii nobilissimi eminentissimum culmen ad se ulcrum piscatoris Petri submisso diademate supplicat. II, 1028. Imperium hominis in homines non est ex ordine a Deo primitus instituto. VII, 643.

Imperfectus. In Christianis adhuc carnalibus nondum perfectis morientibus Spiritus sanctus perficit quidquid deest, quia ab unitate corporis non recesserunt. II, 845.

Imperitia non est parva pœna hujus vitæ. VII, 728.

Impietas proprie quid. IV, 596, 597. Impietatem odit Deus, et in aliis eam punit per damnationem, in aliis adimat per justificationem. VI, 125. Impios judicare majores

est misericordiæ, quam justos creare. III, 1825. Sicut magna pietas paucorum est, ita et magna impietas. V, 441. In ipsa impietate quanto magis damnabile vitium, tanto certius natura laudabilis. VIII, 1068. Impietatis nomen etiam levi peccato tribuitur. III, 767. Unum genus, una conspersio, una massa est impiorum imitatione sibimet connexorum. VIII, 649. Cum omnibus impiis quibus caput est, quasi cum quodam corpore suo unus est diabolus. V, 790. Impiorum alii magis, alii minus peccant, unde. X, 1185. Impii stulti. III, 829. Impii nec bona futuri sæculi cogitare sciunt. IV, 251. Impii sæpe bona adipiscuntur in hac vita, tamquam boni sint. VII, 661. Impiis occulta dispensatione divinæ providentiæ datur tempus florendi atque regnandi. III, 727. Beneficentissima providentia omnipotens Deus terrenam felicitatem concessit et impiis, ne pro magno quæreretur a bonis. II, 543. In Psalmo LXXII inducitur homo pœnitens quod Deo pro mercede terrena servierit; et agnoscere intendens quare impii felicitate terrena floreant. II, 543. Impii florent falsis bonis, pereunt veris tormentis. IV, 626. Impii immerito pios irrident, quod felicitatem suam sperent, non possideant. IV, 1655. Impii miseri et quando felices vocantur. IV, 919, 920, 1656. Impii non vivunt, sed vivere sibi videntur. IV, 690. Impiorum vita comparatur cum herba, quæ per hyemem viget, in æstate arescit. IV, 556, 557. Impii fumo comparantur. IV, 392. Impius pascitur cibo superbiæ. IV, 1290. Impiorum corda abyssus. VII, 668. Conscientia scelerati hominis, carceres et inferos, horrendis et pœnalibus tenebris vincit. II, 851. Impiorum potest esse similis pœna, sed dissimilis est martyrum causa. II, 796.

Impii tentant. III, 452. Impius persuadens impietatem homicida. III, 847. Plus sibi nocet perversus, quam aliis. II, 651. Impii moribus suis pios persequuntur. VII, 613. Impii quare a Deo creati. VIII, 608. Quo sensu boni dici possint. VIII, 608. Impii habent locum suum quem in rebus impleant pro utilitate sanctorum. III, 433. Impius pio vivit, et peccator justo. III, 144. De pravis impiorum moribus dolere, piis prodest. VII, 614. Impiorum correctio, maximum piis gaudium adfert. VII, 614. Impio locus hic inter justos, non in altera vita. V, 1384. Impiorum expulsio a Deo. IV, 88. Pœnæ impiorum interminabiles. VII, 637. Impii, mundi nomine nuncupati. III, 1862.

Impœnitentia peccatum in Spiritum sanctum irremissibile. V, 455, 464. Et desperatio et spes causa impœnitentiæ. V, 139. *Vide* Pœnitentia.

Impositione manus Antistites in oblatione altaris populos suos Deo offerunt. II, 657.

Impossibilitas conversionis et fidei, quæ et unde. III, 1778. Impossibilia Deus non jubet. X, 271, 288. *Vide* Præceptum. Non posse interdum dicitur, quod potest per potentiam, sed non potest per justitiam fieri. IX, 726. Non posse aliquando ponitur pro nolle. III, 1776.

Imprecari cum videtur Psaltes mala, non optat, sed prævidet. V, 378.

Improbitas omnis ex imbecillitate animi venit. III, 1259.

Imprudens est, qui sibi non prospicit in futurum. IV, 551.

Impudicitia quid. X, 763. Quam late patet. V, 84. Impudicus amor non est amor. V, 1500. Impudici non modo ecclesiastico ministerio, sed ipsa etiam sacramentorum communione non digni. II, 91. Impudicitia excommunicatione punienda. VI, 220.

Impunitum non potest esse peccatum. V, 133, 139, 187. Impunitatem iniquitatis de divina misericordia sibi pollicentes revincuntur. IV, 257, 701, 997. Iniquus iniquum vult Deum, ut non peccatum puniat. V, 82. Magnæ misericordiæ est nequitiam impunitam non relinquere. V, 955. Parcendo Deus sævit, sed juste sævit. V, 955. Impunita peccata cum dimittit Deus, tunc infestius punit; misericorditer adversatur, cum copiosas libidines inopes reddit. II, 551. Impunitas maxima pœna. II, 592. Maxima vindicta. V, 955. Impunitas pœnalis nutritur felicitate. II, 551. Impunitatem permitterè, non esse mansuetudinis Christianæ. II, 316, 317. Dei esse vehementius irascentis, si non correctis malum ad tempus voluerit impunitum. II, 316. Nihil aliud agit quem veraciter pœnitet, nisi ut quod male fecerit, impunitum esse non sinat. II, 316. Impunitatem pernicionsam non permitti mansuetudine Christiana. II, 390. sicut est misericordia puniens, ita crudelitas parcens. II, 660.

*Inachus* primus rex Argivorum. VII, 562, 597.

Inamaricasse Deum quinam dicuntur. IV, 88.

Inane quid. I, 733, 900. Qui differat a nihilo. I, 733; III, 177.

Inaures virorum in summis ex una parte auriculis suspensæ delectantur in ligaturis. II, 1060; III, 50. Illas gestantes gestant signum diaboli. II, 1061. Inaures dicta idolorum phylacteria. III, 576.

*Ino* uxor Athamantis in deorum numerum relata. VII, 572.

Incantatores præcantationibus suis miscent Christi nomen. III, 1440. Incantatrix quanta promitteret, narrat Virgilius. VII, 718. Incantationum remedia illicita. V, 1459, 1671.

Incarnationis mysterium ab ineuntibus sæculis prænuntiari non cessavit. VI, 332. Incarnatio Christi futura credebatur ab antiquis. II, 846. Ab Abraham prænuntiata est. X, 401. Et a Melchisedech Abrahamum benedicente. X, 401. In populo Hebræo id quod ex adventu Christi usque nunc et deinceps agitur, prænuntiatum est. VII, 221. Incarnationem negarunt Platonici. VII, 307. Contra eos adstruitur. VII, 308. De Incarnatione Verbi doctrina Manichæorum. VIII, 585. Apollinaristarum error, non esse in Christo animam aut mentem hominis. I, 746. Deum hominem factum negarat Leporius, ne qua divinæ substantiæ indigna mutatio vel corruptio sequeretur. II, 932.

Incarnatio Verbi. X, 954. Incarnatio Christi, missio Christi. III, 1667, 1702. Incarnatio Christi infidelibus incredibilis. III, 595. Incarnatio Christi omnium miraculorum præstantissimum. III, 1527. Incarnatio Verbi ineffabilis. X, 982, 985. Quid de Incarnatione credendum. VIII, 910. Verbum Dei longe alio modo, quam eo quo creaturis ceteris adest, suscepit hominem, seque et illo fecit unum. II, 520. Homo Verbo accessit, non Verbum in hominem convertibiliter accessit. II, 745. Caro accedit ad Verbum, non perit in carne Verbum. V, 1315. Verbum Dei susceptione carnis non mutatum. II, 518. Homine assumpto in Incarnatione non consumptus Deus. VII, 318. Verbum caro factum est, accipiendo quod non erat, non amittendo quod erat. V, 1317. Verbum sic assumpsisse corpus e Virgine, ut nihil amiserit eorum quæ ad naturam divinam pertinent, haud incredibile videri debet. II, 518. Somnus, cibus et affectus humani, a Christo naturam humanam probant assumptam, non consumptam. II, 519. Ipse Deus, Deus manet : accedit homo Deo, et fit una persona. V, 1332. Christus utramque naturam in unitate personæ copulavit. II, 519. Homo in unitatem personæ Verbi Dei coaptatus est, permanente Verbo incommutabiliter in sua natura. II, 745. Persona Christi mixtura est Dei et hominis, sicut persona hominis, mixtura est animæ et corporis. II, 518, 519, 746.

Incarnatum Verbum Christus. V, 1310. Deus et homo non duo, sed unus Christus. X, 143. *Vide* Christus. Homine assumpto non auctus est numerus personarum in Trinitate. II, 543, 745. Verbum carnem factum esse susceptione inferioris personæ, ubi habent antiqui codices, qua ratione intelligendum. III, 215. *Not.* 1. Quomodo Verbum naturam humanam assumpsit in Incarnatione. VII, 729. Totum hominem suscepit. I, 746; III, 134. Dignatus in nobis totum liberare quod fecit. VI, 367. Verbum in homine quem assumpsit, totam naturam nostram suscepit, id est et animam rationalem et carnem mortalem sine peccato. II, 1085. Sine peccato, sed non sine peccatoris conditione naturam nostram suscepit. I, 1166. Verbum mediante anima rationali carnis particeps effectum est. II, 542. Credibilior debuit esse Verbi Dei et animæ permixtio, quam animæ et corporis. II, 520. Verbum voluit cum homine uniri quodam modo, ut sic ei coaptaretur homo totus, quemadmodum animæ corpus, excepta concretione mutabili. II, 521. Incarnatio Verbi, nuptiæ. III, 1529; IV, 495. Verbum Dei manet sicuti est et ubique totum. II, 518. Deus infusus carni curam gubernandæ universitatis non deseruit aut amisit. II, 517.

Incarnationis causa, peccatum. V, 944, 945, 951. Cur Filius Dei hominem suscepit de genere Adæ et ex virgine. VIII, 1052. Verbum æternum pro salute fidelium ex nuliere fieri voluit. II, 540. Ne quis forte sexus a suo Creatore se contemptum putaret, virum suscepit natus ex femina. III, 134. Incarnatione Christi uterque sexus honoratus. VI, 186. *Vide* Christus. Verbum Dei quia est incommutabile, de Virgine natum credere non timemus. VIII, 585. Nec ex homine quo indutus est in Incarnatione, nec ex hominibus inter quos conversatus est, contaminatus Filius Dei. VII, 272. Nec carne posse contaminari veram divinitatem, nec ideo meliores nobis dæmones, quia non habent carnem, monstravit. VII, 272. Duas vitas ostendit nobis Christus in carne, unam laboriosam, alteram beatam. VIII, 543, 547. Cur Christus crucem subire voluit. VIII, 545. Christus descendit usque ad loca, ubi peccatores cruciantur. III, 481. Incarnatione Deus homini quomodo factus est proximus, et unde antea longe distabat. V, 954.

Incarnatione Verbi demonstratur dignitas humanæ naturæ. III, 134. Maxime quia illius plagam assumere dignatus est. I, 1166. Cur sumptio hominis proprie Filio tribuitur. II, 70, 71. Verbum caro factum est, non Pater aut Spiritus

sanctus, sed carnem Filii tota Trinitas fecit. V, 1063.

Incarnatio an facta ex meritis Christi. X, 1137, 1138. *Vide* Christus. Istam conjunctionem, ut totum simul Verbum et caro unigenitus Dei Filius diceretur, operibus non meruit humana illa natura. IV, 1442. Incarnationis gratia omnium maxima. III, 1844. Hominis a Verbo assumpti est omnino singularis susceptio. II, 836, 847. Nulla anima per meritum liberi arbitrii efficere possit ut alter Christus sit. II, 847. Unio personalis cum Deo in Christo ex gratia singulari, non ex merito liberi arbitrii. II, 847. Non sapientiæ tantummodo perfectiore participatione, sed ipsa persona veritatis ceteris hominibus antecellit Christus. I, 746. Quid ad scientiam, quid ad sapientiam pertineat in Verbo incarnato. VIII, 1033. In Incarnatione Verbi si ratio quæritur, non erit mirabile; si exemplum poscitur, non erit singulare. II, 519.

Incarnationis necessitas. V, 573, 710, 998, 1006, 1099. Incarnati Verbi gratia nulla major, nec causam habet, nisi gratiam. V, 999. Non liberaretur humanum genus, nisi Sermo Dei signaretur esse humanus. V, 940.

Incarnationis sapientia. VII, 308. Incarnatione Verbi convenientior non fuit modus alius liberandi hominis a mortalitatis miseria. VIII, 1024. Incarnationis beneficium. VII, 220, 222. Quantum beneficium. IV, 898. Incarnatione præstita nobis beneficia. V, 1016, 1018; X, 174. Nullo modo beneficentius consultum est homini, quam filii Incarnatione. III, 134.

Incarnationis finis. VIII, 533, 541, 546, 547, 585; X, 131. Incarnationis finis, adoptio hominum in filios Dei. VII, 729. Deus factus est homo, ut fieremus dii. V, 909. Verbum factum est quod nos sumus, ut attingere possimus ad id quod non sumus. V, 670. Per Incarnationem factum est ut homines divinitatem frustra non ambirent. II, 521. Ex quo Verbum caro factum est, non desperandum est homines fieri posse filios Dei II, 542. Verbum, nomen humanitatis ab homine dignanter assumpsit, divinitatis ei largiter tribuens. II, 521. Verbum suscepit hominem quem videre homines poterant, ut sanati per fidem postea viderent quod tunc videre non poterant. II, 540, 545.

Incarnationis utilitas. IV, 1766, 1767. Varia commoda. VIII, 1031. Incarnata Dei sapientia, via ad religionem commodissima. VIII, 88. Per Incarnationem quædam nobis disciplina vivendi et exemplum præcepti insinuatur. II, 70. Incarnatio Verbi qua infantiæ nostræ lactescit sapientia Dei. I, 745. Verbum in Christo venit hominibus magisterium et adjutorium ad capessendam æternam salutem. II, 520. Incarnatio Verbi collyrium oculis cordis nostri. III, 1395, 1399. Lutum quo sanata est cæcitas generis humani. III, 1714. Magna contra superbiam medicina. I, 1167; V, 487. Incarnationis mysterium et virtutem superbia non percipit. VII, 273, 301. Quantæ pro Incarnationis beneficio gratiarum actiones agendæ. VII, 220, 221. Incarnatio fidem fundavit. VII, 318. Justi omnes sive ante, sive post Incarnationem, nec vixerunt nec vivunt nisi ex fide Incarnationis Christi. II, 859. Incarnationis fide antiqui justi, sicut et nos justificati. X, 400, 401, 403. Et salvi facti sunt. II, 680. Incarnationis fides necessaria est quamdiu hic degimus. V, 1216. *Vide* Christus.

Incarnate. V, 670.

Incarnatio animæ. II, 723, 729, 733.

Incarnatum cibum mater lac facit. V, 670.

Incerta sunt omnia temporalia. II, 495, 496, 506. Incerta hic omnia præter mortem. V, 590.

Incipientes vitam bonam quid pati soleant a contradictoribus. V, 548, 586.

Incola dicitur qui habitat in terra aliena. IV, 1602. Incola idem est atque advena. IV, 1598. Incola et inquilinus, qui discrepent. IV, 1518. Incolæ hic et peregrini dici vere non possunt infideles. IV, 1519.

Incolumitas in ipsa vita ac salute, atque integritate animi et corporis constituta est. II, 499. Incolumitatis suæ cura homini innata, vestigium est secretissimæ unitatis ex qua est. I, 675.

Incontinentia conjugum venialis est propter matrimonium. III, 507; VI, 458. *Vide* Conjugium. Continentia.

Incorporea omnis natura, spiritus in Scripturis appellatur. II, 1043. Incorporea quælibet natura, etiam vitiosa et misera, præstantior est omni corpore. II, 561. Solum Deum omni corpore semper carere, Evodius existimat. II, 698.

Incorruptio. Tres viros in camino Deus conservavit aut addendo carni eorum incorruptionem, aut igni detrahendo corrumpendi facultatem : posterior modus mirabilior. II, 942. Incorruptionis typus in tympano et chordis. IV, 1964.

Incredulitas et infidelitas, mors. III, 1753. Sicut quod Dominus se ipsum negare non potest, laus est voluntatis divinæ; ita quod Judæi non poterant credere, culpa est voluntatis humanæ. III, 1778.

Incubi. VII, 168.

Indigentia rerum terrenarum sollicitat animam. III, 2073. Indigentia dominorum ac servorum mutua. III, 2044.

Indoctum esse minus malum est, quam esse indocilem. I, 942.

Induciæ. VI, 55.

Indulgentia non obstinatis, sed a peccato recedentibus speranda. VI, 223. Indulgentia peccatorum pertinet ad incerta et occulta sapientiæ Dei. IV, 592. Indulgentia peccatori se convertenti promissa, non crastinus dies. IV, 1501, 1877; V, 141, 245.

Indurari pro fortis effici. III, 543.

Induratio Pharaonis quomodo facta. III, 601. Indurationis Pharaonis causa, ipsa etiam Dei patientia. III, 603, 607. Induratur cor, cum deserit Deus, et possidet inimicus. III, 784.

Infames intestabilesque jure habentur, qui muliebri habitu se ostentant. I, 899.

Infantia unde sic appellata. VII, 522, 730. Infantia sine ullo renisu subjacet carni. VII, 522, 730. Nemo est qui non eligat perpeti mortem potius quam infantiam. VII, 728.

Infans in utero matris non est pars corporis matris. X, 847. Infantes nondum natos, de uteris matrum quædam verba clamasse narratur. VII, 110. Infantium fletus in exordio hujus vitæ, prophetia miseriarum quas ingrediuntur. VII, 728. Infantes sunt infirmiores fetibus ceterorum animalium. VII, 379. Infans continuo vel cito moriturus cur nascatur, occultum est, III, 420. Infantum infirmitas quanta. X, 150. Quanta ignorantia, et unde. X, 148. Infantum ignorantia pœnalis est. X, 149. Infantium mens an se noverit. VIII, 1040.

Infantes nuper natos in illo statu esse, in quo Adam fuit ante prævaricationem, Cælestii dogma. X, 334.

Infantia peccatis obnoxia. I, 665, 666. Infans unius diei non est mundus a peccato, non ex eo quod commisit, sed ex eo quod contraxit. V, 928. Infantes etiam ipsi liberatore egent et baptismo. V, 1353. In autum etiam salvator Christus et redemptor. X, 128, 129. Infantes ante baptismum exorcizantur et exsufflantur. II, 890. Infantes non baptizati, sunt sub potestate diaboli. X, 426. Propter originale peccatum. X, 708. *Vide* Baptismus, Parvuli. Infantibus peccatum personale non tribuendum. X, 121. Infantes, ut fideles, ita et pœnitentes dicuntur. X, 123. Infantium consecrationes. I, 1080. Infantes antequam baptizentur morte præventos posse ad originalium peccatorum indulgentiam pervenire, error Victoris. X, 516. Infantium sine baptismo decedentium damnatio levissima. X, 809. In qua corporis quantitate resurrecturi sunt in antes. VII, 776.

Infantes nos quomodo Babylonia invenerat, et effocaverat. IV, 776, 777, 1773. Infantes et lactentes in Ecclesia, quinam. IV, 110. Infantia regenerationis, nova vita. III, 1982. Infantes appellantur recens baptizati. III, 1982; V, 1032, 1099, 1101, 1205, 1246. Infantium sacramentis septem vel octo dies deputantur. V, 1101. Infantium Octavæ. V, 1201. Infantium Octavis habitus Sermo. V, 1560. Ablactari ante tempus in infantia spiritali perniciosum. IV, 1715, 1714.

Infantes pro Christo occisi, martyres. VI, 655. Eorum passio graphice describitur. VI, 644, 655. *Vide* Innocentes.

Infelicitatem velle omnino non possumus. X, 274. Infelicitatis suæ cognitio non parvus est ad beatitudinem accessus. III, 1247. Infelicitas per ignem, prosperitas per aquam adumbratur. IV, 797. *Vide* Felicitas, Tribulatio.

Inferiora calcat, qui hæret superiori; si autem recedat a superiore, ista illi in supplicium convertentur. IV, 1887. *Vide* Temporalia et Felicitas. Secundum spiritum inferiora sunt omnia tristiora. III, 483. Homo diligens inferiora, apud inferos ordinatur. III, 132.

Infernus varie sumitur. III, 582, 586. Infernus intelligitur vel locus impiorum post mortem, vel cæcitas animi quæ peccantem excipit et involvit. IV, 95. Inferorum vocabulo partes inferiores terræ nuncupantur. III, 750. Quare. III, 482; IV, 1943. Inferi sub terris sunt. I, 640. Inferos in hac vita explicari, nec esse post mortem, quidam affirmant. III, 481. De inferorum substantia non dubitarunt sapientes gentilium. III, 481. Est prorsus inferorum substantia, sed spiritalis, non corporalis. III, 481. Inferorum nomen nusquam Scriptura in bonum sumit. II, 711, 834; III, 482. Inferi in lingua græca ἄδης, ex eo quod nihil suave habeant. III, 483.

Infernum duplex, superius et inferius. IV, 1093, 1094. Inferi inferiores, id est, pœnæ quas damnati luunt graviores post hanc vitam. III, 167. Ibi nulla est commemoratio veritatis, nulla ratiocinatio. III, 167. Exclusis a regno cœlorum non restat nisi pœna gehennarum. V, 962. Pœnarum gradus in inferno pro criminum diversitate. IX. 171. In eorum tormenta aliis duriora, aliis sunt mitiora. V, 879. Quæ ibi mitiora sunt, pejora sunt quam quæ hic formidantur V, 879. Infernales angeli comparantur quæstionariis tortori-

bus. V, 680. Vocantur exaggeratissimi diaboli angeli. V, 883. Dolorem aut corporis aut animi in inferno defuturum, absurdum est putare. VII, 725. Nullus in inferno ab igne æterno liberabitur, cum in illum missus fuerit. VII, 756. Nemo cruciatibus saltem moriendo subtrahitur, ne in moriente simul etiam ipsa pœna moriatur. VIII, 621. Quare in inferno hæc pœnarum æternitas dura et injusta videtur sensibus humanis. VII, 726. *Vide* Ignis.

Infernum inter et regnum æternum non est medius locus. VII, 741. Loca ab impiorum tormentis remotissima, non absurde creditur antiquis sanctis fuisse assignata, quamvis apud inferos. VII, 681. Inferi non appellantur ubi justorum animæ requiescunt. III, 481. Christus descendit ad inferos. II, 710, 712, 714, 834, 855. Et in inferis quosdam liberavit. II, 714. Adam solutum fuisse doloribus inferni, Ecclesia consentit : quod et antiquis sanctis fuisse concessum addunt aliqui, sed displicet Augustino. II, 711. Poetas et Oratores qui falsos deos ridendos monstrarunt, et Paganos vitæ laudabilis, fuisse liberatos a Christo, cum ad inferos descendit, quidam censuerunt. II, 710. Quidam putant eos esse solutos qui non audierunt Evangelium. II, 713, 855. Quinam sint ii quos Christus liberavit, cum ad inferos descendit, temerarium est definire. II, 710. Quonam ex inferno dives potuerit videre Lazarum in requie constitutum. IV, 93. Inferni portæ, mortis imperium. V, 1642. Inferni pericula in prosperis sæculi plus fallunt. IV, 1488. Inferni pericula inveniunt, et non inveniuntur. IV, 1488. Christus solus eruit animam suam de manu inferi. IV, 1158. Qui malum quod faciunt, noverunt esse malum, viventes descendunt in infernum. IV, 659.

Infidelitas, mors. III, 1377. Infidelitas inchoat pœnæ meritum. III, 2061. *Retr.* Filios diaboli facit. X, 589. Infidelitas in infantem trajicitur. X, 847. Infidelitas iniquitatis et peccati nomine significata. IV, 1508. Infidelitas proprie peccatum vocatur, quasi solum sit, si non exprimatur quale peccatum sit. X, 589. Peccatum infidelitatis in Christum, cur solum arguitur. V, 785, 787. Infidelitas mundi inexcusabilis. V, 787.

Infideles an bona opera facere possint. IV, 259, 260. *Vide* Fides. Infidelis non potest esse arbor bona. X, 751. Infidelium opera. X, 341, 755. Unde opera infidelium discutienda. X, 250 Infidelium opera non bona. X, 755. Et quæ bona videntur, sunt peccata. X, 753, 754. Quomodo. X, 753, 754. In infidelibus virginitas carnis esse potest, non pudicitia virginalis. X, 763. Infidelium opera nonnulla legimus, quæ vituperare non possumus, sed merito laudamus. X, 341, 754. sine aliquibus operibus bonis difficillime vita cujuslibet pessimi hominis invenitur. X, 754. Invenies homines bene viventes, et non Christianos : bene currunt, sed quo plus currunt, plus errant. V, 777. Ipsa opera bona quæ faciunt infideles, non ipsorum sunt, sed illius qui bene utitur malis. X, 754, 755. Infidelis cum laudabilibus moribus damnatur, fidelis minus bene moratus salvatur. X, 508. Infideles verba Dei custodire non possunt. IV, 1516. Infideles cum non credunt Evangelio, contra voluntatem Dei faciunt, eam tamen non vincunt. X, 238. Pro infidelibus non oramus ut fiat eorum natura, aut ut doctrina eis prædicetur; sed ut voluntas corrigatur, doctrinæ consentiatur, natura sanetur. II, 983. Infidelium et impiorum corda, leonum cubilia sunt. IV, 1376. Infideles et impii per mare designantur. IV, 1748. In aquis maris quomodo versantur. IV, 1580. Infideles et impii, tenebræ. IV, 248. Per fidem conversi ad Deum, lux fiunt. II, 562. Infideles, aqua sunt; Christiani, vinum. III, 1432. Infideles credentes adumbrantur per caput vituli comminutum a Moyse, et sparsum in aquam in potum filiis Israel. IV, 1129. *Vide* Pagani. Infideles et impii non sunt in terra peregrini. IV, 1519. Iis utitur diabolus tamquam gladiis contra fideles. IV, 1857, 1858.

Infinito nihil jungi posse. II, 443. Infinito quantumcumque finitum non comparatur. IV, 373. Infinitæ partes in corpore. I, 1252. Infinite secari potest linea transversim. I, 874.

Infirmitas humana communis exponitur contra Pelagianos. X, 689, 690, 692. Infirmitas et cæcitas, morbi naturæ. X, 293, 295. Hebetudo et infirmitas animi et corporis infantium, quid arguunt. VII, 378. Infirmitas carnis in infantibus, pœnalis est. X, 150. Infirmitas humana sine peccato esse non potest in hoc sæculo. I, 593. Infirmitates animi multiplicatæ sunt, non ad perniciem, sed ut medicus desideraretur. IV, 144. Infirmitas nos irremediabiliter obsidebat, ut nec ad medicum ire sineremur. V, 778. Infirmitas admonitio est non superbiendi. X, 742. Quia non est in me firmitas mihi, nec est mihi spes de me. IV, 472. Qui potens in te esse cupiebas, infirmum te fecit Deus, ut fortem te faceret de se, quia infirmabaris de te. IV, 525.

Infirmitas et ignorantia duæ causæ peccati. VI, 271. Infirmitas et corruptibilitas corporis, compedes. IV, 1019. In nobismetipsis sola est infirmitas causa pugnandi. X, 712. Quanto sunt caritati futura meliora, tanto sunt infirmitati violentiora præsentia. II, 593. Infirmitas tum corporis tum animi agnoscenda, ut quisque perficiatur. X, 367. Ut gratia obtineatur. V, 481. In infirmitatibus nihil quærendum præter auxilium Dei. III, 1444. Infirmitas quæ post baptismum remanet, resurrectione consumetur. X, 591. 602. Infirmitates aliorum ferendæ, eisque opitulandum. III, 1257, 1258, 1261, 1262. *Vide* Onera. Infirmitas triginta et octo annorum. V, 694. Infirmitates pro peccatis in Scriptura ponuntur. II, 655.

Infirmus et ægrotus in quo differant. V, 277. Infirmus quomodo confirmandus. V, 276. Infirmi in monasteriis quomodo tractandi. I, 1380. Cur mente fortiores, infirmiores corpore. VIII, 585. Infirmiores opprimuntur a potentioribus. IV, 1646.

Inflatio et tumor imitatur magnitudinem, sed non habet sanitatem. IV, 420.

Ingenium omne laudabile, sine vera pietate ac religione, superbia vanescit. VII, 51. Ingenia excellentissima tanto in majores errores ierunt, quanto de se præsidentius cucurrerunt. II, 669. Ingenii tarditas et fatuitas quorumdam naturalis, ex originali peccato provenit. X, 1381, 1382. Ingenio obtusi nascuntur merito peccati originalis. X, 1441. Ingeniosissimi quique quam longe distent ab ingenio Adami. X, 1432, 1433. Ingeniosum nasci felicitatis est. VII, 128. Ingeniorum diversitas unde oriatur, Augustinus an Hieronymo sciscitatur. II, 728.

Ingenitus Pater recte dicitur, etsi hac voce non utatur Scriptura. II, 1039, 1040.

*Ingentius* decurio Ziquensium civitatis. II, 504; IX, 540, *App.* 784. Ingentius scriba publicus. IX, *App.* 780. Ingentius scriba Augentii. IX, *App.* 782. Ingentium falsasse epistolam Cæciliani exduumviri Maximus contendit. II, 504; IX, 540. Ipse confessus est in cognitione Æliani proconsulis falsum se fecisse adversus Felicem Cæciliani ordinatorem. II, 582; IX, 686. Ingentium ad comitatum suum transmitti jubet Imperator. II, 582; IX, 540, 649, 686. Quare. II, 582. Cæcilianum ab Imperatore fuisse purgatum probat Optati codex. II, 581. Libellus a Donatistis Imperatori Constantino datus. II, 582. Litteræ Imperatoris ad Verinum Vicarium. II, 582. Litteræ Imperatoris ad proconsulem ut ad comitatum suum mitteretur Ingentius. II, 582. Nec postea Imperator damnavit quem purgaverat. II, 582, 585.

Ingratitudinis vitio etiam magni viri ad idololatriæ dedecus defluxerunt. X, 211. Ingrati describuntur. III, 97. Ingratus Deo, ipse est peccator qui fœneratur et non solvet. IV, 370, 371. Ingrata tunc est anima, quando quod illi ex Deo est, sibi tribuit, et præcipue justitiam. X, 211. Non habens habet, qui nescit unde habeat : tollitur a Deo res sua, et remanet illi iniquitas sua. V, 1287, 1290. Ingratum liberum arbitrium præcipitavit hominem. V, 1289.

Inimicitiæ tribus vitiis vivunt, negligentia, pertinacia, superba verecundia. V, 1046. Tribus his vitiis opposita tria remedia. V, 1046. Inimicitiæ vel nasci non debuerunt, vel cito et ante solis occasum mori. V, 1046. Inimicitiæ vitandæ cautissime, ferendæ æquissime, finiendæ citissime. I, 1006. Inimicitias hominum nec excitare nec augere parum est homini humano, nisi eas etiam extinguere studuerit. I, 775.

Inimicus et inimicus. V, 323. Inimici Dei quinam. IV, 630, 1178, 1801; VII, 550. Inimicus quisquis erat Christi, erit sub pedibus ejus, aut adoptatus, aut victus. IV, 1452. Inimici Ecclesiæ qui. IV, 242. Inimicorum hominis duo genera. IV, 324, 325. Inimicus quamdiu tu tibi es, inimicum habes sermonem Dei. V, 637. Inimicus quem licebat antiquis odisse, et quem jubemur numquam diligere, diabolus est. V, 806. Inimicos non admitti adversus fideles, nisi quantum iis prodest tentandis et probandis. V, 421. Inimicorum odium in diabolum, qui per eos nos persequitur, convertendum. IV, 1841. Inimici invisibiles, invisibiliter sunt expugnandi. V, 435. Inimici sunt spiritalibus omnes carnales. IV, 1772. Horrendum malum, inimicis iratis inimicorum iratorum dicta prodere. I, 773. Inimici si fiant duo ex tribus amicis, quid faciat tertius. V, 323. Inimicos nihil nocere posse. V, 1430. Inimicus sævire potest; ferire, si Deus noluerit, non potest. IV, 366. Inimici duo sunt in persecutione, alter occultus, alter apertus. IV, 632, 649. Inimicus ipse intus sibi est, qui odit alterum. V, 507. Ipse sibi prius ac magis nocet, quam ei in quem sævit. V, 507. Nullo modo tibi potest nocere sæviens inimicus, quantum tibi noces, si non diligis inimicum. V, 383. Nihil justo nocet, qui bene etiam uti inimico potest. III, 163. Inimicos Deus convertit in usum suorum, non solum quando vincuntur inimici, sed etiam quando metuuntur. III, 795. Inimici homines, qualescumque fuerint, non sunt odio habendi; ne cum odit malus, quem patitur malum, sint duo mali. IV, 248

Inimicorum dilectio commendatur. IV, 1273, 1274; V, 35, 585, 584, 564, 1404. Inimicorum dilectione nihil in mandatis Dei mirabilius. IV, 1518, 1524. Hanc etiam antiqua lex præcepit. V, 807. Inimicum disce diligere, si vis cavere inimicum. IV, 1273. Inimicum diligere salubre est, licet amarum. IV, 447. Inimicos diligendi præceptum durum, sed magnum habens præmium. V, 120, 1455, 1684. Calcat fluctus hujus sæculi, qui diligit inimicos. IV, 651. Efficitur similis Deo. IV, 1274. Quo animo diligendus inimicus. III, 2058, 2041. Unde diligendus. III, 30. Inimicum qui diligit, fratrem diligit. III, 2041. Inimici etiam iniqui diligendi. IX, 120. Inimicus sic diligendus ut tamen corripiatur. V, 53. Inimici odium et amor quomodo sibi invicem non contraria sunt. VIII, 362. Vindicta in aliquem inimicum cum caritate procedere potest. VIII, 158, 159. Inimicorum interfectio Judæis tamquam carnali adhuc populo congruebat. VIII, 158, 159. Inimicorum interfectionem quo animo faciebant, qui in populo Judæo sancti et spirituales erant. VIII, 158, 159. Mansuetudo erga inimicos. V, 1450.

Inimicis parcere tenemur. V, 299. Saltem petentibus, venia danda est. V, 384. Inimico pœnitenti et veniam poscenti, ignoscendum. V, 384; X, 300. Inimico veniam negans nihil ipsi nocet, sed sibi. V, 385. Inimicus de nulla re sic vincitur, quam cum misericordes sumus. IV, 1860, 1861. Inimicis parcere, eleemosynæ genus maximum. VI, 266. *Vide* Eleemosyna. Debita dimittere. Ignoscere.

Inimici pro quibus et contra quos orandum. IV, 248. Inimicum non habemus, nisi diabolum; pro cæteris orare debemus. IV, 258. Orare pro inimicis quam durum; quam magnus hujus operis fructus. V, 120. Inimicis nostris tantum bonum optandum, quantum nobis. IV, 455. Oratio contra inimicos quænam illicita, quænam licita. V, 564. Inimicis precari mala quam iniquum. V, 1686. Orandum contra malitiam inimici, non contra naturam. V, 384. Inimici mors qualis expetenda. V, 565. Non orent homines, ut moriantur inimici; sed hoc orent ut corrigantur, et mortui erunt inimici. IV, 404. Quare nunc Ecclesia orat pro inimicis. VII, 737. Non frustra oravit Ecclesia pro inimicis. V, 151. Inimicis beneficium tribuere est, auferre quod illis noxium est. II, 590. Carbones congerendi super inimici caput quinam intelligantur. V, 807.

Inimici dilectio, dilectio perfecta. III, 2042. Inimicorum dilectio nostra est de diabolo victoria. IV, 1214. Inimicorum dilectio donum Dei. V, 1456. Inimicos diligendi exemplum de Patre cœlesti datum. V, 525, 1455. Aliud exemplum in Christo. V, 1455, 1685. Aliud in Stephano. V, 525, 1456, 1685.

Iniquitas non est substantia. IV, 845. Sed perversitas voluntatis detortæ a summa substantia in infimam. I, 744. Iniquitati necesse est ut serviat, qui noluerit servire caritati. IV, 165. Iniquitas malus dominus in corde. IV, 165. Iniquitati merito subderis, domino quem tu tibi ipsi fecisti; quia ei qui te fecit, sui dulcis esse noluisti. IV, 165. Iniquitatis capita pullulant, principiandi, et spectandi, et sentiendi libidine. I, 690. Iniquitate et impietate nihil est laboriosius. IV, 127. Iniquitas est carnem spiritui reluctari. X, 861.

Iniquitas magna est sterilitas. IV, 1571. Quod ad arborem humor inutilis, hoc ad animum persuasio iniquitatis. III, 380. Iniquitas febris est, qua palatum cordis perditur. IV, 251. Ex abundantia iniquitatis, fit torpor caritatis. IV, 455. Iniquitas sola longe te a Deo facit; dejice parietem peccati, et cum illo es. IV, 1775. Ab iniquis recedere non potes, ab iniquitate recede. IV, 1185, 1402. Iniquitatem suam quidam quasi quærere conantur, et timent illam invenire. IV, 345. Iniquitatem suam qua ratione multi defendunt. IV, 345. Iniquitatis adversarius, sermo Dei: huic te junge, et perimitur et vincitur. IV, 542. Iniquitatem aut occidis, aut occideris ab iniquitate. IV, 764. Iniquitates non sunt nobis naturales, sed possunt mutari. IV, 1195. Nemo non inaniter inique facit. IV, 1646.

Iniquitas male viventium modo toleranda est. III, 1624. Ex iniquitate proximi quomodo proficiendum. IV, 800. Iniquitas prius lædit cor injustum unde procedit, quam hominem justum in quem procedit. V, 107. Iniquitas, quæ fit per sanguinem, dicitur sanguis. IV, 597. Iniquitas hominis per contactum mortui significatur. III, 756. Iniquitas omnis parva magnave sit, puniatur necesse est, aut ab ipso homine pœnitente, aut a Deo vindicante. IV, 701. Iniquitas nulla impunita nisi quam sanguis salvatoris expiaverit. X, 861.

Iniquus fit homo, cum propter se ipsas diligit res propter aliud assumendas, et propter aliud appetit res propter se ipsas diligendas. VIII, 451. Iniqui male utuntur bonis operibus Dei. III, 1620. Quod iniquus inique egit, hic non inique Deus permisit. IV, 745. Voluntas injusta damnetur, permissio justa glorificetur. IV, 746. Iniquis ipsis, si correcti non fuerint, servat æterna supplicia, qui eorum malitia juste utitur, ut aliis mala ingerat temporalia. II, 995. Iniquus non est vere amicus. IV, 1179. Iniquorum voces duæ. IV, 1201. Iniquus non parva sibi pœna est. IV, 605. Iniquorum humiliatio vere misera. IV, 255. Iniqui apti sunt inferioribus creaturæ partibus, quo dissimiliores Deo: apti autem superioribus fiunt, quo similiores Deo. I, 744.

Iniqui dicuntur alienigenæ, filii alieni, aquæ contradictionis, gladius malignus. IV, 1867. Iniqui, canes Lazari vulnera lingentes. III, 832. Iniqui grandini comparantur. III, 875. Pulveris nomine designantur. IV, 328. Iniqui, tenebræ. III, 1598; IV, 325, 1607. Iniqui omnes in tenebris sunt. IV, 557, 564. Iniquos a tenebris somniorum, excipient tenebræ tormentorum. IV, 564. Iniqui cum diabolo unum corpus constituunt, unum judicium sortiuntur. V, 790.

Injuria non est quod jure pateris. IV, 1894. Injuriarum triplex genus. III, 1261, 1263. Injuria quæ restitui potest, vel ad pecuniam vel ad operam pertinet. III, 1263. Injuriam nobis facit, qui alteri coram nobis facit. V, 511. Injuriam qui fecit, quid agere debeat. V, 508.

Injurias et rerum temporalium damna quo animo Christianus ferre debeat. II, 529. Injuriæ patientissime tolerandæ. III, 1257, 1258. Non ut patiaris molestiam te hortatur Apostolus, sed ut patiaris injuriam. IV, 1894. Injuriam patientes vindicat Deus, puniens injuriosos. IV, 1894. Injuriam passus quid agere debeat. V, 508. Passus es malum, ignosce, ne duo mali sitis. IV, 658. Injuriam passus vindicari vult: de aliena pœna quærit medicamentum, et invenit grande tormentum. V, 684. Misericordiam impendens securus exspectabis judicium, non tam securus de justitia tua, quam de Dei misericordia. IV, 1922. Injuriarum fœnerator quis sit. IV, 658. Injuriarum condonatio, misericordia est quæ gratis constat. IV, 1922. Injuriæ omnimoda remissio in novo Testamento est præcepta, et in vetere prænuntiata. VIII, 139. Injuriarum condonatio et patientiæ præcepta, maxime in cordis præparatione retinenda. II, 550. Injurias princeps civitatis debet oblivisci. II, 528. Injuriarum condonatio reip. utilis est, nedum contraria. II, 529. Injuria accepta Romani ignoscere, quam persequi malebant. II, 528. Cæsarem nihil oblivisci solere nisi injurias, Cicero dixit. II, 528.

Injuriare. V, 288.

Injustitiam ferre melius est, quam facere. IV, 1655. Injustitia aliena tantum te torquet, quantum recesseris a tua. IV, 1268. Injustitia injusto primum et soli proprie nocet. IV, 365. Injustus omnis malignus est. IV, 1805, 1806. Quod fit injuste, Deus juste fieri sinit. VII, 728. Injustus sive sit blandus, sive ferox, et sibi et aliis est noxius. IV, 1805. Parum tibi esset quod esses injustus, nisi et cum injustum voluisses, a quo in te vindicari noluisses. IV, 478. In injustum necesse est ut vindicetur, sive convertatur, sive non. IV, 364. Injustus comparatur faculæ ardenti, quæ semper comburitur, et non semper comburit. IV, 1241. Injusti a justis admoniti, quid respondeant. IV, 1200. Injusti duo vix se patiuntur. IV, 364. Qualis inter eos concordia. IV, 364. *Vide* Iniqui.

Innocens quis. V, 1272. Nihil innocentius eo qui in virtute perfectus est. III, 1259. Innocens est cujus cor innoxium est. IV, 1663, 1662. Qui nec alii nocet, nec sibi. IV, 1286. Innocens non est quamvis non noceat, qui vult nocere. IV, 1190. Innocens quisque est non timore pœnæ, sed amore justitiæ. IV, 1190. Solus Christus innocens. V, 928. Innocentis officium est, non solum nemini malum inferre, verum etiam cohibere a peccato vel punire. VII, 644. Innocentes cur hic affligantur. I, 1304. Innocentium oppressorum consolatio, Deus judex, testis conscientia. IV, 408.

Innocentes, Christi martyres. I, 1304; III, 426. Innocentium felix ignorantia, qui pro Christo pati potuerunt, quem nondum poterant confiteri. V, 1027. Innocentes pro se occisos ab Herode, Christus coronavit. IV, 536. Innocentes, martyrum nomine et corona donati. V, 1664, 1668. *Vide* Infantes.

Innocentia est virtus, qua nulli nocemus. VI, 514. Ista est vera innocentia, quæ nec inimico nocet. IV, 102. Innocentia morum. V, 1560. Maxime erga Deum. V, 1561. Innocentia cordis requiritur, manuum innocentia non sufficit. IV, 1008. Tota justitia ad unum verbum innocentiæ redigitur. IV, 1286. Innocentia tua, etiam in dormiente vox est animæ tuæ. IV, 1317. Innocentia divitiis omnibus anteponenda. IV, 1068. Innocentiam tene, quomodo, cum avarus esses, tenebas saccellum, ne tibi extorqueretur a fure. IV, 392. Illa tibi sit patrimonium tuum. IV, 392. Innocentia simulata, non est innocentia, sed duplex iniquitas. IV, 765. Innocentia peccato perdita an possit per pœnitentiam reparari. X, 1545.

*Innocentia* religiosissima femina a cancro per signum crucis sanata. VII, 765.

*Innocentius* Papa. X, 376, 378, 389, 574. Innocentio adversus Pelagium et Cælestium scribit Carthagin. concilium. II, 758. Item Milevitanum. II, 762. Item epi copi quinque. II, 764. Item Aurelius cum aliis aliquanto diligentius. II, 972. Quibus epistolis, quatuor aliis rescribit Innocentius. II, 779. Innocentii Papæ epistola ad concilium Carthaginense. X, 575. Ad concilium Carthaginense et Milevitanum. X, 648. Ejusdem ad episcopos Numidiæ. X, 576. Innocentii rescripta ad concil. Carthagin. Milevit. nec non ad litteras familiares episcoporum laudantur. II, 817. Innocentii epistolam per Cæcilianum Augustinus accepit. II, 646. Innocentii judicium de actis Palæstinis. X, 389. Pelagium esse purgatum non existimavit. II, 787. Cælestium et Pelagium simul cum dogmatibus damnavit. I, 649; II, 865; X, 574, 699. Innocentii censura in librum Pelagii. II, 788.

*Innocentius* episcopus. II, 577, 758, 780.

*Innocentius* Thebaltensis epis. IV, 380.

*Innocentius* presbyter portitor litterarum Hieronymi ad Augustinum. II, 928.

*Innocentius* presbyter oculo effosso ac digito præciso a Circumcellionibus occisus. II, 509, 511.

*Innocentius* exadvocatus vicariæ præfecturæ, miraculo signatus apud Carthaginem. VII, 761.

Innovari non possunt infantes, nisi traxerint vetustatem peccati. X, 1508.

Innuere, quid. VIII, 1071.

Innupta tota animi intentione debet placere Deo. VI, 415.

Inobedientia quid. III, 377. Inobedientia grande malum. III, 383. Inobedientia Adami. IV, 897. Inobedientia carnis, prima pœna inobedientiæ hominis. VII, 386, 426; X, 564. *Vide* Adamus, Obedientia.

Inopia. Melius inopiæ laborem servi Dei tolerant, quam ut necessariorum facultatem cum conscientia fraudis obtineant. II, 557.

Inordinatus animus. I, 670. Jussit Deus, et sic est, ut pœna sua sibi sit omnis inordinatus animus. I, 670.

Inquilinus quis dicatur. IV, 429, 1945. Inquilinus in quo dissideat ab incola. IV, 1518. Inquilinus es in terra, ejus possessor in cœlo. IV, 1946.

Inquinare pro inquinatum pronuntiare. III, 519.

Insecta a Deo creata sunt. III, 287. Quando. III, 287. In insectis major est consideratio bene considerantis, et laus uberior omnipotentis artificis. III, 288.

Insensibilitas minime laudabilis. IV, 650, 651.

Insidiæ dicuntur arcus. IV, 763. Insidiari nobis hostis non audet, si de via, id est de Christo, non recesserimus. IV, 1660. Insidiæ nullæ sunt occultiores, quam hæ quæ latent in simulatione officii. VII, 632. Insidiæ non injuste ponuntur in bello justo. III, 781.

Insipiens est qui non intelligit in quo malo sit. IV, 551.

Insipientia non est parva pœna hujus vitæ. VII, 728. Insipientiam quo sensu Christus habuit. IV, 849.

Instituta hominum quæ fugienda, quæ amplectenda. III, 55.

Insufflatio Dei in faciem, creatio animæ. VII, 373. Quod instituitur præter consuetudinem, ut quasi observatio sacramenti sit, non approbat Augustinus. II, 221. Ex institutis humanis non superstitiosis quædam superflua et luxuriosa, quædam commoda et necessaria. III, 54. Quænam illa. III, 54.

Instrumenta Ecclesiæ tradita. II, 265.

Insultant pii modo, qui postea in se sibi insultabunt. IV, 1657.

Intellectus est aliquid animæ. III, 1516. Dicitur vir animæ. III, 1516. Intellectus vocatur occultus visus. IV, 296. Intellectus et ratio differunt. V, 254. Intellectum ad intelligibilia videnda a sensu potius admoneri, quam aliquid accipere *Nebrid.* II, 67. Intellectu quænam percipiamus. II, 597, 599, 613, 615, 616. Intellectus proferendi quasi vehiculum, sonus. V, 185. Intellectu continetur quod novimus, et eo solo potest comprehendi. I, 996. In intellectu sunt universa, seu potius ipse universa. I, 1007. Intellectus finitus est. VI, 11. Intellectus et locutionis discrimen. VI, 311.

Intellectus, ne erret, opus habet magisterio divino et adjutorio. VII, 642. Intellectus fit in nobis Deum consulendo, sive ipsa per se mens, sive per sensus intelligat. II, 78. Deus solus est lux intellectus. IV, 1553. Intellectus bonus a Spiritu sancto. V, 1645. Non parvi est intellectus, nosse a quo proscendus sit intellectus. IV, 1552. Intellectus et sapientia petatur a Deo. X, 911, 912. Quomodo Angelus dicatur intellectum dare homini. IV, 1555. Per fidem pervenitur ad intellectum. II, 522; III, 1618, 1619, 1630; X, 125. Cur David petit intellectum. IV, 1552. Impia mens odit etiam ipsum intellectum, ne cogatur quod intellexerit facere. V, 850.

Intelligentia præstantissimum in homine. I, 1225. Intelligentia nostra est natura, quæ non alibi noc, et alibi aliud; sed omnia quæ habet, in uno simul habet. II, 616. Intelligentiæ suæ vires nulli satis cognitæ. X, 550. Intelligentia prima, et consequens ex ea, quænam. IV, 263, 264. Intelligentia cujusque rei datur perfecta, qua præstantior esse non possit. VI, 22. Intelligentiæ fides præmittatur. V, 556, 570, 571. Intelligentiæ spiritalis lucem immunda corda non portant. VI, 470. Mores perducunt ad intelligentiam. III, 1540. Intelligentiæ facili præferenda bona vita: hæc meretur amplius intelligere. V, 1179.

Intelligere excellentius, quam esse aut vivere. I, 1244. Intelligere, credere, opinari, in animis hominum sibi finitima sunt. VIII, 83. Quomodo differunt ab invicem. VIII, 83. Intelligere duobus modis in nobis fit, aut ipsa per se mente, aut admonitione a sensibus. II, 78. Intelligere semper sine vitio est. VIII, 83. Intelligere non est nisi verum sentientis. V, 157. Intelligere veritatem quid sit secundum Manichæos. VIII, 572. Intelligere rem quamque non semper alius alio magis potest. VI, 22. Intelligendi celeritas et dispiciendi acumen est donum Dei. I, 705; III, 1689. Tanto sincerius aliquis intelligit, quanto intentionem mentis a corporis sensibus removet. I, 1029. In homine carnali, tota regula intelligendi, est consuetudo cernendi. V, 1139. Intelligere superflua nihil nocet; sed fortasse discere nocuit, quare. VIII, 83. Quædam non intelligimus, quia non possumus; alia, quia nolumus. IV, 342, 343. Alia sunt quæ nisi intelligamus, non credimus; et alia sunt quæ nisi credamus, non intelligimus. IV, 1552. *Vide* Fides. Ut valeamus intelligere quod credimus, quid agendum. V, 570. Intelligendi gradus, fides, fidei meritum, intellectus V, 698.

Intelligibilia quænam sunt. VII, 231. Intelligibilia sensibilibus antecellunt. VIII, 96, 99. Sed defectus utrius que generis non possunt alteri alteris anteponi. VIII, 99. Intelligibilibus in rebus Philosophi divitias ponunt, in sensibilibus egestatem. II, 64. Intelligibilia per intelligibiles species intelligimus. VII, 341.

Intentio lumen est. III, 1289, 1339. Non quid quisque faciat, sed quo animo faciat, considerandum. III, 1289. Ex animo quisque ad præmii vel pœnæ retributionem pendendus est. IV, 460. Cum boni et mali eadem faciunt, eademque patiuntur; non factis et pœnis, sed causis discernendi sunt. II, 324. Intentio recta. V, 804, 805. Intentio culpabilis. V, 805. Intentio quæ prava, quæ recta. V, 303, 375. Intentio opus bonum facit, intentionem fides dirigit. IV, 259. Cordis sui intentionem vix homo cognoscit. IV, 1857. Soli Deo nota est. IV, 1857. Intentio bonæ conscientiæ, oleum est quo vegetantur lampades, id est, bona opera sapientum virginum. II, 571. Excæcat hominem sinistra intentio. IV, 1859. Quodlibet quisque facit, ut terrenum emolumentum consequatur, serviliter facit. V, 208. Quomodo agendum ut nesciat sinistra quod facit dextera. IV, 1834.

Intemperantia quantum peccatum. V, 1272.

Intercessoris et defensoris discrimen, et utriusque officium. II, 657, 662. Intercedere pro altero, cuique homini officium humanitatis videtur. II, 657. A Domino commendatur. II, 658. Interveniendum pro furibus, non ad hoc ut minime restituant ablata, alias in societatem criminis veniretur. II, 662, 663. Sed ut corrigendorum morum locus eis detur. II, 655, 656. Non imputanda intercessoribus mala quæ ex liberatione reorum aliquando sequuntur, sed bona quæ intuentur. II, 661. Intercessio Sanctorum quantum pro aliis valeat apud Deum. IV, 1412.

*Intercidona* dea. VII, 188.

Interficit qui offert interficiendum. III, 1937.

Interjectiones in usum alterius linguæ, per interpretationem transire non possunt. III, 43. Interjectiones magis affectum indicant, quam rem aliquam significant. III, 1764.

Interiora, non exteriora sunt amanda: illa ex voluntate, ista ex necessitate habeamus. IV, 1813.

Interpellationes, obsecrationes, orationes, gratiarum actiones, qui differunt. II, 633. Fiunt precationes antequam illud quod est in Domini mensa incipiat benedici; orationes, cum benedicitur; interpellationes seu postulationes, cum populus benedicitur; et post hæc omnia gratiarum actiones. II, 636.

Interpretationum Scripturæ diversitas, utilis. III, 43. Interpretationis vitium unde emendari potest. III, 44. Interpretationem novam librorum canonicorum quare post alios Hieronymus aggressus est. II, 262. *Vide* Hieronymus. Interpretibus Scripturæ plurimum auctoritatis tribuendum censet Aug. II, 112. Interpretum LXX. editio ab Augustino appellatur Vulgata. VII, 489. *Vide* Septuaginta.

Interrogatio non arguit ignorantiam. VIII, 408, 630.

*Interventores.* IX, 610. *Not.* (*a*). Interventor qui vacante sede regebat Ecclesiam. II, 177. *Not.* (*a*).

Invenire, quid. VIII, 979. Inveniendi facultas deesse non potest animis pie Deum quærentibus. I, 1049. Inven-

tionis nonnulla pars est nosse quid quæras. III, 547. Inventa res domino restituenda. V, 963, 965. Quod invenisti, et non reddidisti, rapuisti. V, 965. Non se excusat ignorantia, si non dominetur avaritia. V, 964. Egregium de hac re exemplum. V, 964.

*Inventius* episc. II, 759, 780.

*Inventius* alter episc. II, 780.

Inveterascens ira fit odium, etc. II, 155.

Invidia et æmulatio, quo differant. III, 2142. Invidia, odium felicitatis alienæ. III, 436; IV, 1399; V, 1561. Invidia superbiæ filia. V, 783, 1561, 1565; VI, 315, 413, 450. Invidiæ mater superbia. II, 561; IV, 1290. Et comes. IV, 709. Invidia sequitur superbiam, non præcedit. III, 456, 457.

Invidia quantum malum. IX, 160. Invidentia immane vitium. III, 130. Invidentia Deo est odibilis. VII, 444. Invidentia nihil miserius. VII, 268. Nihil adversius caritati. VI, 315. Invidia abesse debet a fidelibus. III, 879. Invidentia vitium diabolicum. VI, 315, 413, 673. Diabolicum malum. IX, 314. Peccatum diaboli. III, 2017. Hac diabolus, diabolus est. III, 133. Corpus diaboli ex invidis componitur. IV, 1807. Invidia peccatum diabolicum et simul pœna peccati. X, 821, 822. Invidia causa est omnium seductionum et supplantationum. IV, 1807. Invidentia diabolica, quæ. VII, 441. Invidia impedit ne quisque habeat quod alter habet. III, 1646. Quisque etiam habet, cum amat in altero, quod ipse non habet. III, 1812. In spiritualibus bonis tuum deputa, quod amas in fratre; suum deputet quod amat in te. V, 1040. Falsi justi veris justis invideant necesse est. IV, 1807. Invidentia in cœlis propter præmiorum differentiam nulla. VI, 412; VII, 802.

Invidus est, qui optat melior esse quam alius. III, 2040. Invidet nemo alter in eo quod non vult vel esse vel videri. IV, 1807. Invidus nullus ut alterum lædat, non sibi prior ipse tormento est. VIII, 586. Invidus propria quadam nota peccator dicitur. IV, 414.

Invisibilia modo sibi congruo videntur, eoque sunt certiora, quam quæ corporis sensus attingit. II, 456. Invisibilia meliora sunt visibilibus. V, 869. Invisibilia dicuntur quædam æterna, quia oculis istis mortalibus videri omnino non possunt. II, 456. Invisibilium omnium maximus est Deus. VII, 319. De invisibilibus cui fides adhibenda. VII, 318. Invisibilitatis ordinem statuebant Ariani, non modo in Trinitate, sed et in virtutibus cœlestibus. VIII, 727, 745, 766. Refelluntur. VIII, 763.

Invitus facere quomodo quis dicitur. X, 234. Invitus nemo benefacit, etiamsi bonum est quod facit. I, 669. Ex Dei potentia vel in bonum vel in malum nemo cogitur invitus. X, 567.

Invocare Deum in veritate quid. IV, 1087, 1882, 1883. Quis proprie Dominum invocat. III, 1307. Invocare Deum anima non novit, nisi sola rationalis. IV, 1911. Invocare Deum non decet sine munditia cordis. IV, 249. Nemo Deum invocavit, quem non prior ipse vocavit. IV, 1488. Invocant et non invocant Deum mali. IV, 249. Invocare Deum est illum in se vocare. IV, 249. Invocas, quidquid amas. IV, 1087. Qui invocat Deum propter terrena bona, Deum non invocat. IV, 250, 617, 618. Non vere Deum invocat, qui ea desiderat quæ illi displicent. IV, 142. Invocatio aliquando dicitur, quæ non Dei, sed hominum sit. III, 501. Martyribus nos debemus orationibus commendare. V, 868. Invocatio S. Stephani. V, 1447.

Io quæ et Isis appellata est, Inachi filia, ut dea habita est in Ægypto. VII, 563.

*Joab* interpretatur inimicus. IV, 715.

*Joachim* an Mariæ pater fuerit et ex tribu Levi aut Juda, non constabat Augustino. VIII, 471.

*Job* ante Legem. V, 500. Job nec indigena, nec proselytus, sed ex gente Idumæa. VII, 609. Tertia generatione posterior fuit, quam Israel. VII, 609, 610. Usus est his quæ acceperat tamquam bonus viator; possedit, non possessus est. VI, 704. In Job demonstratur Deum etiam temporalia dare et auferre. IV, 327. Remansit solus a facultatibus, solus a familia, solus a filiis, plenus Deo. IV, 660. Uxor ei sola relicta, sicut Eva, adjutrix diaboli, non consolatrix mariti. IV, 220, 660, 1150, 1151, 1382, 1732, 1738, 1881; VI, 632, 704, 719. Conjugem Job reservavit sibi ministram diabolus ad decipiendum virum, suis illi ablatis omnibus. IX, 727. Non dixit, Dominus dedit, diabolus abstulit; quia non abstulisset diabolus, nisi permisisset Dominus. IV, 1150. Job tuba ductilis fuit tribulationis tunsione edens fortem et dulcem sonum. IV, 1255, etc. Gratis Deum coluit. IV, 660, 1732, 1794; V, 264, 569, 1692. Amissis omnibus delectatur in Deo. V, 147. Quare Job tentatus et probatus. III, 1697. Ipsum tentari Deus permisit, ut probaretur homo, diabolus vinceretur. IV, 1150, 1612. Job concessus est diabolo tentandus, ut eo probato esset ille cruciandus III, 2025. Diabolum non videbat, sed potestatem Dei intelligebat. IV, 1150. An diabolus magis crudeliter in carne Job oculis pepercit, ut manerent ad spectaculum vulneris, quod universo corpori inflixerat. IX, 656.

Job exercitatus contra diabolum. III, 2007. Adamo fuit cautior. VI, 616, 719. Per ipsum vicit Adam in stercore, victus in paradiso. IV, 220, 527, 539, 1207. Melior Job putris in stercore, quam Adam integer in paradiso. IV, 1255. Job in stercore quam dives. V, 1511. Foris pauper, intus dives. IV, 255. Job in pressura non passus scandalum. V, 500. Ignis tentationis accedens, aurum, non stipulam invenit; abstulit sordes, non convertit in cinerem. V, 569.

Job quare tanta passus. X, 505. Job non propter peccata afflictus. X, 162. Omnibus qui tunc in terra esse justi potuerunt, antecellebat. X, 162. Non caruit tamen peccato. X, 159, 162. Quod ad justitiam pietatemque attinet, nullus Job homo suorum temporum, cœquatur. VII, 609. Job ipsum Deus tentari permisit, ut imitationis exemplum nobis præberetur. IV, 660. Job patientia describitur. VI, 615, 632, 704.

Job fortitudo. I, 1529. Job magnus in perferendis tribulationibus. X, 162. Job prævisa Christi passione ad tolerandum roboratus. X, 161. Job Christum prophetavit. X, 283.

Job figura eorum qui in conjugio Deum colunt. IV, 1732. Videtur aliquid duri contra Deum dixisse, sed non intelligentibus. IV, 1383. A blasphemia defenditur. IV, 1384. Job non minor forsitan est gloria, quam martyrum. VI, 719. Job, sanctique alii qui mala ferre maluerunt, quam sibi necem inferre, Catoni præferendi. VII, 37. Cum filii non dupli, sed totidem redditi sunt Jobo quot habuerat, commendata est fides resurrectionis. II, 549. Job, Daniel et Noe quos significent. VI, 716. Job per lucem interiorem indifferenter habet, sive tenebras, sive lucem hujus vitæ. IV, 1794. Liber Job in auctoritatem canonicam a Judæis recipitur. VII, 609. Job primum ex græco eloquio, tum ex hebræo Hieronymus interpretatur. II, 242. In postrema versione non advertitur tanta diligentia. II, 242.

*Jobinus*. II, 702. Qui servit ancillis Dei. II, 708.

Jucunditas piorum in Domino, etiam in hac vita. V, 142, 146, 147. Jucunditas modo cum timore, plena erit in futuro. IV, 1092. Timor est præsentis vitæ, jucunditas futuræ. IV, 1554.

*Joannes Baptista*. Illius excellentia. IV, 1853. In utero sanctificatus. *Vide* Jeremias. Joannis exsultatio unde et quid significet. II, 840. Joannes cum peccato natus, Salvatore indiguit. V, 1355. An rationis et voluntatis usus acceleratus Joanni. II, 840. Missus est ante Christum ut lucerna ante lumen. V, 1502. Non lumen, sed lucerna. V, 457, 1502. Lucerna. III, 1657. Lucerna quam paravit Deus Christo suo. III, 1582; IV, 1728. Lumen et non lumen. III, 1505. Erat lux, sed non vera lux. III, 1591. Erat lumen illuminatum. III, 1658. Non erat lumen quod non participando illuminatur. II, 541. Lumen verum a lumine illuminato, id est Christus a Joanne, quomodo discernitur. II, 541.

Joannes præcursor non sine causa tam mirabiliter natus, et tam magnus. V, 1508, 1516, 1528. Joannes quasi præteritæ dispensationis limes quidam. V. 1328; X, 595. Joannes, personam gerens omnium prophetarum. V, 1506, 1507. Et totius prophetiæ. VI, 42, 44. Joannes plus quam propheta. V, 1502. Cur amplius quam propheta, et in natis mulierum non habuisse majorem dictus est. IX, 289. Ideo tantus homo, quo nemo major, ut Christo se humilians, eum plus quam hominem esse ostendat. V, 1310, 1313, 1316, 1329, 1331, 1674.

Joannis magnitudo unde commendetur. V, 1303. Joanne quisquis plus est, Deus est. V, 1301, 1321. Joanne solus inter homines major est Christus. V, 431, 1308. Joanne major est, qui inter Angelos minor est. V, 431. Joannes Baptista nolebat crescere hominum verbis, quia comprehenderat Dei Verbum. V, 431. Joannes Baptista vox clamantis in deserto. V, 1304. Vox Verbo ipso crescente Christo, minuitur. V, 1307. Joannes proprie vox, tamquam omnium vocum, quæ Christum prænuntiarunt signaculum. V, 1306. Joannes præco Domini. V, 1302. Amicus sponsi. V, 1303. In nuptiis sponsi paranymphus. V, 1332. Joannis mirabilis abstinentia. I, 799. Joannes Christus putatur. V, 1305, 1308, 1329. In Joannem animam Eliæ fuisse revolutam quidam hæretici opinati sunt. III, 725. Joannes Elias, et non Elias. III, 1408. Joannis humilitas. III, 1496, 1498, 1505, 1658. Respuit falsum honorem, ut inveniret veram gloriam. IV, 594. Se abjecto Christum commendat. V, 1302, 1310. An Joannes dubitaverit de Christo. V, 432. Non inter discipulos Domini, sed discipulos habens cum Domino fit ejus testis credibilior. V, 1320, 1331. Testimonium Joannis Baptistæ de Christo, et Christi de Joanne. III, 1657; V, 430, 431, 1508, 1312. Cur quæsitum testimonium Joannis de Christo. III, 1660, 1661; V, 714 Quomodo Jo-

annes testimonium perhibuit de lumine. III, 1592. Joannis testimonium Christi divinitatem arguit. II, 540. Præstitum est a Joanne Baptista hoc quod dicebat, *Ego a te debeo baptizari*. V, 1335.

Joannis baptismus alius a Christi baptismo. V, 1048; IX, 290. Joannis baptismus ad prænuntiationem Christi pertinet. IX, 289. Joannes baptismus post quem Paulus baptizavit, in exemplum a Donatistis adduci non potest, ut rebaptizatio necessaria probetur. IX, 290.

Joannis Baptistæ cædes, qua occasione facta. V, 1406. Joannis præcursoris et Christi in nativitate comparatio. V, 1301, 1327. Joannis et Christi in nat. et pass. differentia. V, 1013, 1015, 1302, 1308, 1311, 1681. Joannis nativitatis celebrandæ consuetudo majorum traditione suscepta. V, 1319. In natali Joannis solemnitas superstitiosa et pagana qui correpta est. V, 1021. Christi tantum et Joannis nativitas cur celebretur, non aliorum. V, 1302, 1319.

Joannes Baptista martyr est, quia pro lege veritatis, licet non pro nomine Christi occisus. IV, 1832, 1835. Joannes Baptista mons. III, 1391.

*Joannes* Evangelista præ cæteris a Domino dilectus. V, 1148. Joannes se discipulum quem diligebat Jesus appellare solet. III, 1932. Quis fuerit discipulus ille qui Christum sequebatur cum Petro, cum ductus est ad Annam, non temere affirmandum est, quia tacetur. III, 1932. Fortassis Joannes ille est discipulus. III, 1932. Joannis scopus in scribendo Evangelio. III, 1575, 1577. Joannes divinitatem Domini exprimendam curavit. III, 1015. Sublimius quam alii de divinitate Domini locutus est. III, 1662. Hinc longe ab aliis tribus superius fertur. III, 1015. In Evangelistis quatuor eminentissimus. III, 1085. Joannes creaturas omnes transcendit, ut ad Verbum perveniret. III, 1581, 1743. Joannes Evangelista aquila. III, 1510. Merito aquilæ comparatus. III, 1662, 1666, 1686. Quare Joannes super pectus Domini discumbebat. III, 1556. Secretum divinitatis de pectore Domini uberius et quodam modo familiarius bibit. III, 1015. Et doctrinam suam hausit. III, 1382, 1663. Joannes apostolus epulator avidissimus. IV, 1874. Magnus ructator cœlestia secreta de Dominico pectore bibit. V, 210. Quæ Joannes Evangelista dixit de Filio Dei, parvulorum mentes excitare possunt, grandiusculas vero exercere et pascere. III, 1536. Joannes Evangelista, mons. III, 1390. Ejus humilitas. III, 1382. Johannes circa virtutem contemplativam, alii Evangelistæ circa activam versantur. III, 993, 1046. Joannes apostolus, virgo. VIII, 493. Nullas expertus est nuptias. VI, 391. Etsi passus non est, patientiæ merito non est Petro impar. VI, 391. Joannem Evangelistam quomodo velit Dominus manere donec veniat. V, 1181. Joannes apostolus reperitur longe ante fuisse defunctus, quam quinque millia quingenti anni a generis humani exordio complerentur. II, 910. Joannis Evangelium respuunt Alogi. VIII, 31. Joannis epistola prima ad Parthos scripta est. III, 1333.

*Joannes* episcopus Jerosolymitanus. IX, 300; X, 342, 343, 351. Dicitur multum diligere Pelagium. II, 774. Ei scribit Augustinus, sibique ab ipso rescribi rogat. II, 774. Mittit ei librum Pelagii cum eo quo eidem libro respondit. II, 775. Joannes Jerosolymitanus Pelagium refellit. II, 829

*Joannes* episcopus. X, 652, 665.

*Joannes* Constantinopolitanus. II, 286; X, 865. De peccato quid sensit. X, 285. Peccatum originale agnovit. X, 1513, 1516. Joannis Chrysostomi loco male ad negandum originale peccatum a Pelagianis allato satisfit. X, 654. Joannis Chrysostomi homilia de Lazaro resuscitato. X, 656, 657. Epistola ad Olympiam. X, 656.

Joannes eremita prophetandi spiritu præditus. VII, 172. De belli eventu a Theodosio majore consultus. VI, 607. Patientissime interrogabatur, et sapientissime respondebat. VI, 608. Numquam se videndum feminis permisit. VI, 607, 608. Feminæ per maritum id anxie deprecanti, in somnis præsentem se exhibet, ut promiserat. VI, 607, 608.

*Joel* quid et quo tempore prophetavit. VII, 583, 587.

*Jonadab* interpretatur Domini spontaneus. IV, 876, 890. Jonadab filiis exemplum obedientiæ. IV, 875, 876.

*Jonas* quid et quo tempore prophetavit. VII, 583, 587. Iram non misericordiam annuntiavit. V, 1610. Jonam triduo fuisse in ventre ceti non magis incredibile est, quam aut Lazarum resuscitatum esse quarto die, aut Christum tertio die resurrexisse, aut tres viros in camino deambulasse. II, 382, 385. Jonas figura Christi. II, 383, 384. Jonas non tam sermone Christum, quam sua quadam passione prophetavit. VII, 587. Jonæ et Christi comparatio. VI, 666. Jonæ locus aliter ex hebræo quam ex Septuagintua versus, tumultum in Ecclesia excitat. II, 242. Quid de eo Deus sentiat Augustinus. II, 291.

*Jonici* philosophi. VII, 225, 233.

*Jordanis*. Juxta Jordanem in initio veris est messis tritici. III, 777. Tunc repletur Jordanis amplius quam per hyemem. III, 777. Ab Jordane cœpit magisterium Christi. V, 1505, 1587. Jordanis baptismi figura. IV, 1479. Jordanis conversus retrorsum quos significet. IV, 1479.

*Joseph* significat augmentum. IV, 1021, 1057. Joseph somnium de manipulis manipulum suum adorantibus optime de Christo intelligitur. III, 582. Joseph Psontomphanech appellatus est a Pharaone. III, 582. Magis propheta quam Pharao, quare. III, 461. Quo vitæ suæ anno a Pharaone sublimatus est Joseph, et quo patrem in Ægyptum accivit. VII, 563. Familia Joseph ipsius cura a famis periculo liberata, prophetia de liberandis per Christum. III, 588. Joseph castitas. VII, 563. Et certamen adversus peccatum. V, 1439, 1592. Joseph viris exemplum pudicitiæ. V, 1509. Quo anno mortuus est Joseph. VII, 564. Joseph figura Christi. II, 919; III, 588, 594; IV, 1037, 1404. Benedictio filiorum Joseph prophetia de Christo. III, 593. Joseph pro quocumque fratre ponitur. III, 98.

*Joseph* sponsus virginis duos patres quomodo potuit habere. I, 633, 635. Quæstio de duobus patribus solvitur. III, 767, 768, 1072, 1073, 1334; V, 348; VIII, 215, 216, 486. Joseph alium patrem, alium avum secundum Matthæum, alium secundum Lucam habet. VIII, 213. Propter virilem dignitatem ab Joseph vel usque ad ipsum generationes Christi contexuntur. VIII, 214. Non sola hominum opinione, sed vere conjuges erant Joseph et Maria. X, 810, 811. Joseph verus maritus Mariæ. V, 342. Ad testimonium conjugalis semper mansuræ virginitatis electus. VI, 560. Joseph custos, imo testis virginalis pudoris. V, 1096. Joseph justitia sincera, non sæva. V, 338. Joseph testis partus Virginis. III, 1637. Pater Christi recte appellatur. III, 1071. Quomodo pater Christi. V, 342, 348; X, 421. Joseph Christi pater non carne, sed caritate. V, 351. Propter quoddam cum matre Christi sanctum et virginale conjugium, Christi parens meruit appellari. VIII, 214.

*Josephus* scriptor historiæ Judaicæ. II, 916.

*Josias* longe antequam nasceretur, Prophetæ cuidam revelatus. VII, 548. Lucos et templa idolorum et excelsa destruendo, Domino servivit. II, 801.

*Josue* prius Auses vocabatur. V, 1533; VIII, 527. In Josue quid significat mutatio prioris nominis ipsius. VIII, 527. Josue voto sol stabat, sed tempus ibat. I, 821. Josue figura Christi. V, 1533; VIII, 271.

*Jothor* socer Moysi an verum Deum coluerit. III, 619.

*Jovianus* successor Juliani. II, 400. Parvo tempore imperavit. VII, 171.

*Jovinianus* monachus a quo Jovinianistæ. VIII, 45; X, 445. Ejus dogmata. VIII, 45. Hæresis. VI, 372; X, 1114, 1115, 1116. Errores. X, 1418. Error de nuptiis. X, 193. Virginitati sacræ nuptias fidelium coæquabat. X, 458, 643. Prælationem virginitatis, nuptiarum accusationem putavit. X, 1415. Non propter majus meritum, sed ne conjugales molestias pateretur, uxorem habere noluit. VIII, 46. Virginitatem sanctæ Mariæ destruebat. X, 552, 643. Joviniani hæresis Romæ invalescit. I, 639. Huic occurrit Augustinus edito libro de Bono conjugali. I, 639. Joviniani hæresis reprimitur ab Ecclesia Romana. I, 639. Joviniani vaniloquia ab Hieronymo repulsa. II, 725. Jovinianistarum percontatio exploditur. VI, 392. Jovinianus in tuenda peccatorum paritate Stoicus, in aucupandis et defensandis voluptatibus Epicureus. II, 735. Cur Catholicis notam Manichæismi impingebat. X, 458, 643. Jovinianus Manichæum dicebat Ambrosium. X, 1419. Jovinianum inter et Manichæum et Catholicum quid distat. X, 1115. Pelagiani Joviniano pejores. X, 1418. Joviniano comparat Augustinum Julianus, et pejorem contumeliose pronuntiat. X, 1482, 1483.

*Jovinus* episcopus. X, 652, 663.

*Joris*, *Vide* Jupiter.

*Jorius* comes Imperatoris Honorii. VII, 620.

*Iphigeniæ* regis Agamemnonis filiæ transformatio, quomodo facta. VII, 575.

*Ira* quid. VI, 140. Ira est turbulentus appetitus auferendi ea quæ facilitatem actionis impediunt. II, 73. Motus est animi provocans ad pœnam inferendam. IV, 92. Est libido vindictæ. V, 396; VII, 424. Ira pro vindicta ponitur. VIII, 410. Ira ante peccatum non erat vitiosa. VII, 427. Iram, vitiosam animi partem esse confessi sunt Platonici. VII, 427.

Ira quantum noceat. V, 1431. Est lumen verum justitia atque sapientia, quod desinit mens videre, perturbatione iracundiæ tamquam nubilo superata. V, 476. Ira scorpio est. V, 1430. Iræ motus propter pœnam peccati non est in potestate. IV, 80. Ira si Christiano subrepit, non debet dies teneri et fieri pridiana. IV, 189. Cavendum est ne ira in odium vertatur. IV, 241. Nutritur et crescit malis suspicionibus. V, 397. Ac perducitur ad odium. V, 506. Ira inveterascens fit odium. II, 153; IV, 189, 1373; V, 324, 397. Iram inter et odium quid intersit. IV, 652; V, 1054. Ira turbatur

oculus, odio extinguitur. IV, 241 ; V, 507. Ira surculus, nisi cito evellatur, crescit in trabem. IV, 241 ; V, 397. Iram servans, inimicum forinsecus devitat, et multo pejorem in præcordiis retinet. V, 1045. Hoc agit, ut per illam velut per januam aditum præstet diabolo. V, 1045. Super iram non occidat iste sol, ne deserat ipsam mentem sol justitiæ. V, 1045. Sicut acetum corrumpit vas, si diutius ibi fuerit ; sic ira corrumpit cor, si in alium diem duraverit. II, 958.

Irascendi facilitate fel crescere, ac felleis cremento ad iram crebriorem nos cogi. II, 73. Ira inimica, præter quam cæteri inimici minime nocent. V, 1436. Irati hominis et alterius patienter ferentis descriptio. IV, 1241. Ira sine peccato quæ. V, 649. Usque adeo non omnis qui irascitur odit, ut aliquando magis odisse convincatur, si non irascitur. V, 506. Irascentis et odio habentis magnum discrimen. V, 307. Si pater filio irascitur ut corrigat, irascendo amat. V, 1054. Irasci fratri suo, quid. III, 1229, 1230. Quid irasci fratri sine causa. I, 615. Non irascitur fratri, qui peccato fratris irascitur. I, 615.

Ira piorum unde. IV, 240. Aliquando male viventibus irasci licet, clamare non licet, cum corripi non possint, et inde interior turbatio. IV, 241. Multo melius nec juste cuiquam irascimur, quam velut juste irascendo in alicujus odium iræ occulta facilitate delabimur. II, 153. Immanitas iracundiæ per ignem significatur. IV, 1000. Ira gentium ignis fuit, magis consumens eos qui persequebantur, quam quos persequebantur. IV, 1241.

Irasci humanum est. V, 1054. Ira festuca, odium trabes. V, 1054. Irasci sibi. V, 649. Irascitur sibi omnis homo quem pœnitet. V, 1358. Ira non potest interimi, sed reprimi potest. V, 1451. De ira victa laudabilius triumphatur. IV, 1469.

Ira Dei quid. VIII, 142. Ira Dei, vindicta ejus. VI, 139, 249. Secundum Apostolum. III, 2065. Justa fixaque vindicta. II, 860. Vindicta iniquitatis. IV, 1014. Ratio justa vindictæ. IV, 1054. Aversio vultus ejus. IV, 207. Ira non redditur a Deo nisi debita. X, 621. Ira Dei ex populi peccatis. V, 1393. Ira Dei in malos non est sine bonitate. VI, 246. Deus irascendo mitis. V, 166. Quibus Deus irascitur, quid misericordia confertur humana. IV, 996. Servis suis irascitur ut pater corrigens, non ut judex damnans. IV, 1022, 1023. Iræ Dei potestatem valde pavorem est nosse, quia plerisque magis cum parcit, irascitur. IV, 1145. Ira Dei major, vana et seductoria felicitas impiorum. IV, 1145. Ad iram Dei pertinet justam, quidquid faciunt libenter mali, et quidquid patiuntur inviti. VI, 246. Ira Dei transit super justos, non manet. IV, 1119. Potestas iræ humanæ hic solum et in corpus ; divinæ autem et hic, et post mortem. IV, 1145. Est ira consummationis, et est ira consumptionis. IV, 710, 711. Ira Dei ministris unde obrepere soleat. V, 1540. Filii iræ, id est portantes vindictam. IV, 398. Natura filii iræ fuisse dicimur, quia spe jam non sumus, nam re adhuc sumus. IV, 398. Natura esse nos iræ filios, quomodo Julianus intellexerit. X, 841. *Vide* Peccatum originale. Ab ira Dei nulla res liberat, nisi gratia Dei per Jesum Christum. X, 125.

*Iras* interpretatur fratris mei visio. VIII, 457.

*Irenæus* Lugdunensis episcopus peccatum originale asserit. X, 644.

*Irenæus* ab Ulubis. IX, 252.

*Irenæus* collectarius. VII, 767.

Ironia et antiphrasis quomodo differunt. III, 81.

Irreverentia, quasi impudentia, quando Christiano necessaria. IV, 850.

Irridetur etiamnum Christus ab innumeris. IV, 171. Irrisio Dei et subsannatio ut accipienda. IV, 70.

*Isaac* interpretatur risus. VII, 510. Isaac gratiam significat. VII, 505. Isaac miraculo conceptus. X, 714. Isaac filius promissionis, Gentium vocationem significat. VII, 505. Isaac figura filiorum promissionis. III, 566. Deus jubens occidi Isaac a patre, non nisi impiis displicet. V, 27. Isaac ferens ligna, figura Christi crucem ferentis. IV, 244, 245 ; VII, 511. In Isaac Christi immolatio figurata. V, 135. Isaac figura Christi. VIII, 810. Passionem Domini et resurrectionem figuravit. IV, 603. Isaac ludus cum Rebecca, quid significat. VIII, 427. Quare Rebeccam dixit sororem, tacuit uxorem. VIII, 427. Isaac et Rebecca in benedictione Jacob quid figurabant. V, 38. Isaac in dolo Jacob figuram intellexit. V, 44. Isaac raptus in ecstasim post datam benedictionem Jacob. III, 569. Isthæc benedictio significatione prophetica non vacat. III, 569. Isaac est figura civium cœlestium. VII, 439, 440. Isaac historia et vera est et figurativa. V, 31.

*Isaias* de Christo et Ecclesia multo plura quam cæteri prophetavit. VII, 585. Isaiæ prophetia similis Evangelio. V, 209 ; IX, 503. Isaias a quibusdam Evangelista, quam propheta potius dicitur. VII, 585. Isaias Deum vidit non sicuti est. III, 1779. Isaias a Manasse occisus. VII, 582. Isaiam legere jussus Augustinus, quo sese ad baptismum præpararet. I, 769. Isaiæ Pelagiana expositio. X, 1137, 1138, 1139.

*Isis* seu Io Inachi filia. VII, 597. Uxor Osiris. VII, 254, 256. Tradidit litteras Ægyptiis. VII, 597, 598, 599. Isim mortuam, tamquam deam magnam colendam putaverunt. VII, 599, 563. Isim fuisse hominem dicere vetitum erat sub capitali sententia. VII, 564. Isis irata multis obest, propitia favet multis. VII, 254.

*Ismaelis* lusus cum Isaac, persecutio fuit. V, 33. Ismael figura civium terrenorum. VII, 439. Carnaliter colentium Deum, terrenam felicitatem quærentium. IV, 1605.

*Ismaelitæ* interpretantur obedientes sibi. IV, 1052.

*Israel* interpretatur videns Deum. IV, 959, 1254, 1609, 1624, 1656, 1937, 1951 ; VII, 518 ; VIII, 741. Israel nomen electionis. IV, 575.

*Israelitæ* cur dicti filii Dei. X, 1428. Populus Israel in Abrahamo decimatus. X, 1552. Israelitæ non cito hostes vicerunt, ne prosperitate elati interirent. III, 788, 798. Israelitæ non furtum fecerunt spoliando Ægyptios. III, 608. Israel abstulit labores Chananæi juste ; Achab vero abstulit labores Nabuthæi injuste. II, 811. Israelitarum vestis et calceamenta per multos annos in eremo duravere. II, 942. Israelitici populi liberatio ex Ægypto describitur. VI, 694. Israelitæ quot annis in Ægypto servierint. III, 610 ; VII, 502.

Israelitarum regni exordium. VII, 577. Et regum successio. VII, 577. Israel reges omnes reprobi. VII, 558. Decem tribus Israel a Chaldæis debellatæ, et in captivitatem abductæ. VII, 581. Israelitæ quare in idololatriam lapsi sunt. III, 1404.

Israelitæ carnales et spiritales. VI, 334, 336. Spiritales Ecclesiæ membra erant. VI, 335. Quæ Legis sacramentis significabantur, intelligebant. VI, 336. Israeliticus populus, gens prophetica. II, 576. Prophetæ fuit Christi. VI, 435. Hujus populi dicta et facta, prophetia fuit. VI, 335. Israeliticus mystice exponitur. VI, 49, 694. Nullus Christianorum a nomine Israel se putet extraneum. IV, 1476, 1743. Multi ex Israel nati non Israelitæ : et e contra. II, 895, 896. Semen Israel, qui ad novam vitam nati, et ad visionem Dei reparati. IV, 169. Israel sunt omnes fideles. IV, 1745 ; Omnes sancti. IV, 1948. Filii Ecclesiæ. IV, 1952. Quidquid Israel contigit in Ægypto et deserto, ad mores Christianorum traducitur. V, 1551 ; VIII, 269. Israelitarum captivitas et liberatio, figura captivitatis et liberationis Christianorum. IV, 917. Israel eductus ex Ægypto, homo per baptismum liberatus a peccato. III, 1626.

Israeli visio Dei promissa. V, 683. Israelis nomen promissionem visionis Dei in patria importat. III, 577. Populus Dei in cœlesti Jerusalem erit veraciter Israel. VII, 547.

Israeles vocabant Circumcellionum fustes. IV, 134.

*Italiæ* pars magna a Græcia quondam nuncupata. VII, 225. Italiæ clades. II, 422. Italia vastata a gladiatoribus. VII, 115. Italiæ flores Poeta clarissimus commemoravit. II, 314. Itali in sonis verborum Augustinum exagitant et ab eo vicissim reprehenduntur. I, 1015. Itali serenas hyemes orant. I, 1001.

*Italica* præpotens femina. II, 318, *Not.* (*b*), 364. Augustini ad ipsam epistola memoratur. II, 703.

Iter aliud est mortalitatis, aliud iter pietatis. V, 955.

*Ithacus*. VIII, 1047.

*Jubaianus* episcopus. IX, 128, 141, 142.

Jubet Deus dura, sed promittit magna. V, 120. Deus dat quod jubet. X, 899. Deus facit ut homines faciant quæ jubet ut fiant. X, 976. Deus adjuvat quod volumus, si quod jubet fecerimus. V, 165. *Vide* Mandata, Præcepta. Ille facit qui jubet, quando ministerium negare non licet. III, 622.

Jubilatio, sonus lætitiæ sine verbis. IV, 1254, 1255, 1272. Jubilatio est admiratio gaudii, quæ verbis non potest explicari. IV, 528, 1218, 1325. Jubilationem intelligit, qui in Domino, non in se, in gratia Dei, non in meritis scit exsultare. IV, 1128. Jubilatio decet ineffabilem Deum. IV, 283.

Jubilum sonus quidam, significans cor parturire quod dicere non potest IV, 283.

*Juda* interpretatur confessio. IV, 540, 835, 865 ; VIII, 457. Judæ nomine tribus Juda significatur. III, 793. Prophetia Jacob de Juda pertinet ad Christum. VIII, 440. Judæ concubitus cum Thamar quid significet. VIII, 456. Judæ factum neque approbavit Scriptura neque reprobavit, sed pensandum dimisit. III, 812. Judas quantum in ipso fuit fornicatus est. III, 812. Judæ concubitus cum Thamar est peccatum. VIII, 439.

*Judas* Machabæus templum ab omni idololatriæ contaminatione mundavit. VII, 606.

*Jude* Epistola inter scripturas canonicas. III, 1851.

*Judam* cur Christus in Apostolum elegit. VII, 611. Hunc

elegit Christus, ut nobis daret exemplum tolerantiæ malorum. IV, 329. Judas non est electus ad beatitudinem. III, 1796. Electus est ad opus tentationis; alii undecim Apostoli ad opus probationis. IV, 655. Inter Apostolos electos non frustra ultimus numeratur. V, 95. Omnia Judas non ita reliquerat, ut sinceriter abrumperet vinculum cupiditatis. IV, 1458. Judas ea quæ mittebantur, de loculis auferebat. IV, 195, 1438. Judæ furi cur Christus loculos credidit. VI, 552. Judas licet Dominicorum loculorum infidelis custos, mittitur cum cæteris discipulis ad prædicandum regnum Dei. IV, 155. Ipsi primam Eucharistiam confectam manibus suis et ore suo commendatam, sicut cæteris Apostolis Christus tradidit. II, 178, 329; IV, 153; V, 153. Eum Christus adhibuit ad convivium, in quo corporis et sanguinis sui figuram discipulis commendavit et tradidit. IV, 73. Judas manducavit panem Domini, contra Dominum pœnam manducavit. III, 1796. Corpus Christi male malus accepit. III, 1612, 1801. Post panem Christi male sumptum, diabolus in Judam intravit, ut sibi jam traditum plenius possideret. III, 1802. Diabolus non intrasset in cor Judæ, nisi ille locum dedisset. IV, 1766. Buccella qua Dominus Judam designare voluit, non erat corpus Domini. III, 1802.

Judas de Christi divinitate non recte sentiebat. IV, 1458. Non tunc perversus factus est, quando a Judæis corruptus Dominum tradidit. III, 1761. De Judæ traditione. III, 1802, 2052. Judas traditor, explorator Pastoris, insidiator Salvatoris, venditor Redemptoris. III, 1786. Judas non laudabilis utilitate traditionis Christi, sed sceleris voluntate damnabilis. III, 1932. Ita malum tradendo faciebat, ut de illo tradito bonum fieret quod nesciebat. III, 1620, 1786. De scelere Judæ nostram salutem Deus operatus est. V, 95, 339, 1037. Judas tradens Christum idem fecit quod Deus pater, et quod ipse Christus; sed non eodem animo. IV, 795, 1214. Judæ proditio pulchre exponitur. VI, 688.

Judas libere Christum tradidit, quamvis eum traditurum Scriptura prædixerit. IX, 407. Judæ mors voluntaria, grande peccatum. VII, 31. Judam non tam scelus quod commisit, quam indulgentiæ desperatio, fecit penitus interire. V, 1558. Judas Deum timuit, sed nil profuit, quia non speravit. IV, 1912. Psalmus cum totus de Juda explicatur. IV, 1431. *Vide* Christus. Judas voluntate sua malus, Dei ordinante providentia locum suum sortitus. V, 695. Judas filius sponsi persequens sponsum, per Abessalon figuratus. IV, 75, 97, 1847. Judas filius perditionis dictus est, perditioni prædestinatus. III, 1914. Judas lupus ovina pelle contectus, et inter oves alto Patrisfamilias consilio toleratus. III, 1950. Judam traditorem, divinum aliquid, ac scelus ejus beneficium deputant Caiani. VIII, 29. Judas inimicorum Christi personam sustinet. IV, 1432. Corpus malorum significat. III, 1762. Jam non unus Judas, sed multi. IV, 1441. Judas et diabolus persecuti sunt animam Christi; et nunc ad persecutionem corporis Christi idem diabolus manet, Judas autem Judæ succedit. IV, 1849.

*Judæa* confessio interpretatur. IV, 959. Cur terra desiderabilis dicatur. IV, 1412, 1413. Judæa et Judæi a Juda filio Jacob cognominati. IV, 956, 957; VII, 447.

*Judæi* quare Amorrhæi et Cethæi appellantur. III, 1703. Judææ gentis unde gloria præ cæteris major. IV, 1077, 1078, 1221. Judæi captivi ducti in Babyloniam, quo tempore. VII, 582. Post captivitatem Babylonicam Judæi non habuerunt reges. VII, 596, 607. Judæorum captivitas resoluta a Cyro. VII, 582. Judæi post instaurationem templi non habuerunt Prophetas. VII, 606. Hinc facti deteriores. VII, 606, 610. Judæorum regnum et sacerdotium prophetia erat venturi regis et sacerdotis. VIII, 409, 417. Judæorum universa gens, totumque regnum fuit propheta Christi, Christianique regni. VII, 221; VIII, 285, 290. Judæorum regnum sine ope deorum institutum, a solo vero Deo servatum. VII, 140.

Judæi acceperunt Legem qua fierent rei, non qua liberarentur a reatu. IV, 233. Eorum duritia lapideis tabulis significata. IV, 1369. Judæi non intellexerunt qua dispensatione Lex data esset. III, 2068. Judæo carnali Lex pondus et tormentum. V, 207. Judæis cur Lex iram operabatur. X, 208. Verbum Dei non habebant in semetipsis, sed in litteris quas legebant. VIII, 649. Judæi quare sub servitute timoris. III, 615, 625. *Vide* Gratia. Non ex Lege sunt heredes, sed ex promissione. X, 1209. Judaico populo præmia temporalia congruenter fuere promissa. VIII, 162, 164. Quia terrenam felicitatem desiderabant, in adversis facile ad idola deflectebant. IV, 351.

Judæi superbia laborabant. V, 945. Eorum gloriatio qualis. X, 208. De Lege ac libero arbitrio suo inanis gloria. V, 851. Legem Dei sua justitia se arbitrabantur implere. X, 208. Judæi errabant 1° Quia justitiæ Dei non erant subjecti, suam justitiam volentes constituere; 2° Quia post Christi passionem vetera sacramenta ex necessitate salutis celebranda esse censerent; 3° Quia prædicatores gratiæ, tamquam Legis hostes persequerentur. II, 145, 156. Per Legem justificari se putabant, quibus similes sunt Pelagiani. II, 770, 893. Judaizant Pelagiani non quidem nomine, sed errore. II, 893. Judæorum qualis justitia. V, 921. Judæi spongiæ vere comparandi. V, 1086. Judæi natura ex Deo, vitio non ex Deo. III, 1705. Filii Abrahæ carnis origine, non vitæ similitudine. III, 1701, 1705. Judæi non sunt filii Israel. IV, 1948. Degeneraverunt, et progeniem Abrahæ perdiderunt. IV, 1948. Judæi filii diaboli imitando, non nascendo. III, 1703. Filii veteris Testamenti. X, 593. Cur dicti filii regni. V, 417. Dicti propria Christi. V, 678.

Judæorum cæcitas. III, 1936. Maxime quando Christus apparuit. V, 260; VI, 643, 664. Judæi propriæ justitiæ opinione excæcati. V, 873. Et superbiæ suæ merito. IV, 1789. Judæorum cæcitas et infidelitas. V, 260, 721, 751, 1029. Quomodo sunt videntes et cæci. V, 752. Judæorum cæcitas, occulta vindicta. IV, 860. Ex aliis occultis peccatis Deo cognitis veniens. VIII, 288. Judæi Christum in humilitate non agnoverunt. IV, 522, 790, 862. Quia gravata super eos erat manus Domini, et hoc fecit Deus, illis juste retribuendo potius, quam sæviendo; non vulnerando, sed non sanando. IV, 862, 1789. In resurrectione mortuorum carnalia bona sperabant. IV, 786. Solos se ad beatam vitam resurrecturos sperabant, quare. IV, 786. Judæi a veritate Christo turbati. III, 1633. Judæi Filium Dei in forma servi contemnentes perstringuntur. III, 1573. Bona temporalia in Christo exspectabant. II, 546. Gratiam Christianam sibi debitam falso jactantes. V, 93.

Judæi nec Moysi crediderunt, nec Christo. V, 250. Judæorum incredulitas prophetata. VIII, 288. Judæi inexcusabiles quod in Christum non crediderunt. III, 1858. Quodnam peccatum Judæi non habuissent, si non venisset Christus. III, 1857, 1860; V, 450. Judæi unde non poterant credere. X, 1014. Non poterant credere, quia nolebant. III, 1776, 1778. Judæi, et qui cum eis non credunt, voluntatis suæ vitio non credunt. II, 830. Judæorum infidelitatem prædixit Deus, non fecit. III, 1776. Judæorum infidelitas peccatum fuit. III, 1775. Judæi in peccato quo Christum occiderunt, aliorum peccatorum occultorum meritis excæcati sunt. III, 1051. Judæis solam præsentiam suam corporalem exhibuit Dominus. III, 1735. Judæos Christus plenos peccatis invenit. V, 450. Judæi periculosius ægrotantes. V, 945. In medicum insanierunt. V, 496, 945.

Judæorum crudelitas. III, 1957. Plus peccarunt Dominum dæmoniacum appellando, quam eum occidendo. III, 1633. Dominum occiderunt eo quod ei inviderent principatum. IV, 765. Et timerent terrena perdere. IV, 932. Gladio linguæ Christum occiderunt. IV, 763. Dominum occiderunt, ut probarent utrum vere homo esset qui mori posset, an super homines. IV, 762. Occidentes Dominum magis ipsi occisi sunt, in quibus iniquitas vixit. IV, 765. Quanta passi sunt occiso Domino. IV, 666, 759, 1439, 1723. Cur statim persecutionem passi atque dispersi sunt. VI, 341. Cur eos subjugari a Romanis Deus passus est. III, 1051. Judæi Romanorum gloriæ rectissime donati sunt. VII, 165. Patrio solo exclusi sunt Imperatoris Romani jussu. V, 57. Tributarii Romanorum facti a Pompeio. VII, 607. Tributarii facti sunt ex peccato. IV, 682. Merito eam terram perdiderunt, pro qua Dominum occiderunt. IV, 1137. Judæi servi etiam principum terræ. III, 1695. Hæc dispersio prædicta. VII, 584. Judæi sine ulla unctione regis sacerdotisque remanserunt. III, 1052; VII, 533. Augustini ætate nullus erat Judæus in Jerusalem. IV, 759, 1650. Gens illa non ita cessit in jura Romanorum, ut amiserit formam Judæorum. IV, 706, 707. Judæorum secta quare non prorsus deleta. VI, 179. Judæi populo Christiano serviunt. VII, 513. Judæus populus qui major, quomodo serviat Christiano qui minor. IV, 1771, 1772. Judæi cur servati et per totum orbem dispersi. X, 594. Necessarii sunt credentibus Gentibus. IV. 703. Judæi non sine divina providentia ubique dispersi, gentis genus nomenque retinent. V, 1052. Non frustra a Romanis victi, nec deleti, in sua lege et consuetudinibus patriis manserunt, ut suis ritibus et Scripturis Christum ostenderent. V, 1667. Frustra Israel videntur in omnibus gentibus. IV, 1136. Judæi manent cum signo figurati per Cain, qui a Deo signum accepit ne occideretur. IV, 442, 465, 705, 997; V, 1052; VIII, 261. Judæi toto orbe terrarum dispersi propter testimonium Scripturarum. VII, 140, 221, 608, 610. Ut essent testes Christi per ipsam Legem. II, 634. Et fidei, cujus inimici sunt. V, 268, 1052, 1058. Et veritatis Christianæ. III, 1061. Eorum codices fidei nostræ adstipulantur. VI, 178. Judæi manent ut libros nostros portent ad confusionem suam. IV, 666. Ut ubique portent codices sanctos, quibus Christus et Ecclesia prænuntiata est. II, 525. Divinas litteras portant, non ad adjutorium salutis suæ, sed ad testimonium salutis nostræ. V, 1050, 1052, 1054. Legis lucernam aliis deferunt, non sibi.

VI, 664. Codicem portat Judæus, unde credat Christianus. IV, 666. Judæi Christianorum servi et librorum nostrorum custodes. V, 56, 57, 1667. Christianorum scriniarii. VIII, 266, 267. Capsarii. IV, 463. Librarii nostri sunt. IV, 666. Judæi lapides ad nulliuria. V, 1027, 1665.

Judæi nolentes contegi sub alis gallinæ ipsius sapientiæ, exemplum dederunt quo timere debeamus. IV, 1140. Judæorum infidelitas magnum aliquid in usum nostrum confert. VIII, 329. Judæorum a Deo dimissio per Isaiam præauntiata. VIII, 59. Clarius per Malachiam. VIII, 61. Judæi rejecerunt Christum de Jerusalem terrena, Christus eos ejecit de Jerusalem cœlesti. IV, 1650. Judæorum populus, quare maledictus. VIII, 259. Judæorum populus, etiam indomitus, a Deo desertus non est. IV, 1225. Judæi reprobati, sed non omnes. IV, 1221, 1222. Judæorum quidam electi. III, 1765. Ex iis qui Christum persequebantur. III, 1687. Ex Judæis vasa iræ, et vasa misericordiæ, sicut ex gentibus. VI, 124. Judæorum multitudo perfidiæ merito reprobata, non ad Jacob, sed ad Esaü potius pertinet. IV, 1476, 1477. Judæi multi conversi ex consideratione prophetiarum de Christo. VII, 608. Multi audito Petro. V, 484, 947. In conversis oratio Christi de cruce valuit. IV, 1199. Judæi oliva ficta V, 1503. Judæi ante Christum in radice oleæ, nunc sunt rami fracti. VIII, 241. Judæi rejecti propter superbiam, et Gentes insertæ ob humilitatem. II, 559; V, 487, 1503. In Judæis gratia prior, in Gentibus humilitas amplior. V, 1056. Judæi qui Christum crucifixerunt, per humilitatem et confessionem veniam consecuti sunt. IV, 1198, 1199. Judæi sanguinem quem sævientes fuderunt, credentes biberunt. IV, 791; V, 485, 497, 558, 554, 1550, 1685.

Judæi conversi vitæ Evangelicæ studio flagrantes. VI, 340. Fervore Gentiles in conversione superarunt. IV, 1504. Judæi victi, victoribus leges dederunt. VII, 192. Judæis victis, Deus eorum se non esse victum ostendit idolorum eversione et gentium omnium conversione. III, 1051. Quam timenda Dei opera in reprobatione Judæorum et vocatione Gentium. IV, 789, 790, 794. Judæi prævaricatores, pulvis. IV, 1503. De ipso pulvere venit paries tot millium credentium. IV, 1503. Non Judæi solum regem Christum recusaverunt, sed et modo multi cum ubique regnantem habere nolunt. IV, 647. Minus peccaverunt Judæi crucifigentes in terra ambulantem, quam qui contemnunt in cœlo sedentem. IV, 859. Deus non cessat spiritaliter facere ea signa propter electos, quæ olim fecit corporaliter propter Judæos. IV, 1751, 1840, 1841. Latet Judæos quod venerit Christus, sed volentes latet. V, 567. Judæi non conversi exspectant adhuc Christum. IV, 956; V, 567, 572. Christum venturum credunt, sed non moriturum. VII, 553. Dissimulant se intelligere et videre scripturas, per quas annuntiatus est Jesus Christus. II, 448. Judæorum cæcitas ex Scripturis veteris Testamenti convincenda. VIII, 51. De chartis inimici convincitur adversarius. IV, 463. Sic apparent Judæi de Scriptura, quomodo facies cæci de speculo; ab aliis videtur, ab ipso non videtur. IV, 666. Judæi qua animi affectione ad fidem invitandi. IV, 110. Judæi in Antichristi laqueos irruent. IV, 1418. Ultimo tempore ante judicium convertentur ad Christum. VII, 704. Qui in novissimis diebus convertentur, plangent mortem Christi, non reatu criminis, sed pietatis affectu. VII, 706. Judæorum conversionem ad Christum ante judicium prædixit Osee. VII, 581. Judæorum error de resurrectione. V, 1622. Ad Judæos judicandos Christus surrexit. IV, 1725. Jam sunt judicati, et quomodo. IV, 1752.

Judæorum religio quam præstantior Paganorum. VIII, 290. Judæi Christum suis ritibus et Scripturis ostendunt. V, 1054. Judæorum sacramenta, significantia. V, 1242. Judæorum regnum, templum, sacerdotium et unctio mystica præauntiando Christo deputata sunt. III, 1051. Judæi sacrificare apud Gentes non poterant. I, 600. Neque Pascha ubilibet mactare. I, 600. *Not.* (*a*). Judæis contaminatio erat in alienigenæ habitaculum intrare diebus azymorum. III, 1956. Judæi carnaliter sabbatum observabant. III, 180. Eorum abstinentia ab immundis animalibus, figurativa erat. V, 800, 801. Judæorum sabbata et sacramenta a Seneca reprehensa. VII, 192. Religio Judæorum infirmata, quomodo. VII, 529. Observationes veteres revelato Testamento novo non sunt necessariæ. II, 894, 897. Gentiles qui in Christum credidissent, Legis onere liberos; eos autem qui ex Judæis crederent, Legi esse subjectos, ex Hieronymo censet Aug. II, 253, 257. Judaicæ observationes post Christi adventum nec Judæis perniciosæ, nec Gentibus necessariæ. VI, 492. Judaizare Judæos non cogebat Christiana doctrina, sed nec prohibuit Apostolorum decretum. II, 279. Judæorum cæremonias et perniciosas esse et mortiferas Christianis pronuntiat Hieronymus, quod et Augustinus sentit, modo gratia revelata ponatur. II, 278, 285. Judæis post Christum quo animo Legem observare liceret. II, 278. Judaicarum observationum præcepta cur legantur Christianis. V, 801. Christiani non carnaliter, sed spiritaliter sunt Judæi. II, 895, 896. Christianus licet Judæus sit et Israelita spiritaliter, non debet sibi hæc nomina imponere. II, 895, 897. A carnali Judaismo quis censeri debeat alienus. II, 391, 394. Aptus quidam dicitur carnaliter judaizare, sesequæ Judæum et Israelitam vocitare. II, 899.

Judæorum personam gerit Moyses. IV, 1789. Judæi in Cain adumbrati. VI, 688; VIII, 258, 260. Fabris arcæ Noe comparati. V, 1665. In rubo qui non cremabatur figurati. V, 65. In aqua piscinæ. V, 687, 690. In Gedeonis vellere. IX, 398. Judæi per bovem, Gentes vero per asinum significantur. IV, 1075. Judæi carnales per filios concubinarum adumbrati. VII, 513. Judæi et Gentiles per divitem et Lazarum significati. III, 1550. Judæi et Christiani per Jacob et Esaü figurantur. IV, 1771. Judæos figuravit Esaü. V, 55. Qui patris benedictionem non obtinuit. VII, 516. Judæos, quasi majorem filium respicere videbantur benedictiones; sed ad Christianos, quasi ad minorem, perveniunt. V, 45, 44. Judæi terræ et aridæ, Gentes maris nomine significantur. IV, 524, 957; IX, 398. Judæi soli ex veteribus, Christiani nominis velamentum non ambiunt. II, 448. Judæi, Ariani, etc. peccabant in Spiritum sanctum. II, 814. Judæi librum sapientiæ non recipiunt in auctoritatem canonicam. I, 658; II, 199. Judæorum traditiones non scriptæ. VIII, 657, 658, 642. Judæi in Kalendis Januariis nutantur. V, 1020.

*Judicium* liber a quo tempore incipit. III, 791.

Judicium mentis de tam multis rebus non fit sine aliqua interiore luce. II, 615. De creatura visibili atque invisibili pro humano sensu non judicandum. VIII, 609. De quibus nobis judicare liceat, aut non liceat. III, 2085. Judicia hominum quam misera et dolenda. VII, 632. Judicandum de nemine. IV, 1804. Judicare de aliorum factis quatenus prohibitum. III, 1296. De nullo pronuntiandum in aliquam partem sive in bonam, sive in malam. IV, 370. Judicium de homine incognito non ferendum. VI, 82. Judica quod videris: quod non vides Deo dimitte. V, 325. Non judicandum de occultis hominum. III, 1859. Judicium de occultis Deo reservandum. II, 267.

Judiciis temerariis plena omnia. V, 285. Judicium temerarium. III, 1297. Ne temere judicetis, quod non videtis quo corde quis faciat. V, 1145. Quinam temere judicant de incertis. III, 1298. Difficile est ut non omnes tales tibi videantur, qualis es. IV, 359. Augustinus in judicando aut aliquid mali suspicando de aliquo maxime cautus. II, 267, 268. Judicandi nondum est tempus: quando erit. V, 322.

Judicare de nobis ipsis quam difficile. IV, 1921. Judicium nostrum vel de nobis ipsis quam incertum. V, 285. Quid sit hodie quisque homo, vix novit ipse homo. V, 285. Iniquum est ut quisque judicare de alio velit, et judicari de se nolit. II, 1059.

Judices dicti sunt dii. III, 628. Judicandi officium homini est alienum. V, 299, 304. Ad officium judicis exercendum pertrahit humana societas. VII, 633. Quæ in judice spectanda. X, 700, 701, 702. Hæc in judice securitas fidei est, ut de se non timeat judicari. IX, *App.* 820. Judices inflantur, quia judicant de capitibus humanis. V, 1504. Judex in se primum, tum in alios jus dicat. V, 110. Judices cum tremore judicent homines. V, 108, 109. Judicium præcipitans quam iniquus sit. V, 298. A quibus supplicium exigendum, et quibus donandum sit, superbe judicant debitores. VI, 121. Judicibus misericordia necessaria. II, 636, 638, 650. Quia et ipsi misericordia egent. II, 656. Judica te ipsum sine adulatione, et proximum cum dilectione. V, 322. Quando judicas, dilige hominem, oderis vitium. V, 325. Judex quomodo pii patris implere debeat officium. II, 509. Ad hoc mitissimi homines facinus occultatum diligenter examinant, ut inveniant quibus parcant. II, 509. Audire solet, in potestate esse judicis mitius vindicare quam jubeant leges. II, 556. Judicibus licet flectere in leniorem sententiam, etiam non in causis Ecclesiæ. II, 512. Judex amet terrere, sed diligat. V, 111.

Judicum severitas non inutilis II, 660, 651. Judex ut veram hujus vitæ miseriam agnoscere debet, necessitatem indagandæ veritatis vi tormentorum. VII, 655. Judex peccata persequatur, non peccantem. V, 110. Non usque ad mortem persequatur, ne perdat hominem; homo non necetur, ut sit qui emendetur. V, 110. Judices cur animadvertere dicuntur. V, 138. Consuetudo provocandi a minore sententia. II, 512. Judici interroganti ubi reus lateat, qui nescire se dicit, cum sciat, falsum dicit testimonium, et occidit animam suam. VI, 505. Judicare parte absente et inaudita nefas est. II, 165.

Judicare personaliter. III, 1656. Personam judicando nemo accipit alienam, si non accipit suam. V, 960. In judicio nec pauperi nec divite favendum. III, 628. Pauperis favere contra veritatem non licet. IV, 285, 286. Quod prolato judi-

cio fieri possit in ejus gratiam. IV, 286. Non levi periculo subjacebit, quisquis aut reo pepercerit, aut innocentem condemnare pertentarit. IV, 377.

Judex an ullum munus non accipiat, novit solus Deus. IV, 195. Munus accipit, non modo qui propter aurum et argentum, sed etiam qui propter laudem judicat male. IV, 195. Judicis periculum etsi non quærentis aliena, cupide tamen servantis sua. V, 631. Judicium justum aut verum testimonium non vendendum, licet vendatur justum patrocinium et verum consilium. II, 663. Judicis munus, si pecunia emitur, animo serviendi justitiæ, non reprehendendum. V, 110.

Judici alia provinciæ, alia Ecclesiæ causa esse debet. II, 508. Judicium duplex, ecclesiasticum et forense. X, 598. Judicia sæcularia episcopis delata. IV, 1570; VI, 576. Judiciorum ecclesiasticorum regula. V, 1546, 1547. Hæreticorum accusationes contra catholicum presbyterum admittere nec possumus, nec debemus. II, 1068. Judicium quo episcopus accusatus causam dicit. II, 954. Ac salvo episcopatu punitur. II, 954. Judicat Augustinus presbyterum. II, 254. Etsi sex Episcopis causam presbyteri terminari in Concilio statutum est. II, 235. Quæ ille negavit, Deo dimisit. II, 254. Qui judicium misericordia temperet. II, 254. Duos e suis invicem accusantes ac vicissim negantes, pacto mutuo mittit ad tumulum B. Felicis, ubi alteruter crimen fateri cogatur. II, 269. Verberum usus sæpe in judiciis solet ab Episcopis adhiberi. II, 509. Judicium episcopale indissolubile. IV, 196. Constantini lex, ut sententiæ Episcoporum inviolatæ semper incorruptæque serventur. IV, 196.

Judicio non contendendum. III, 1260. Judicium habere adversus alterum de rebus sæcularibus prohibitum a Christo. VI, 239. Et delictum est, docente Apostolo. IV, 1045; VI, 269. Sed veniale. VI, 269.

Judicium perversum, non judicium. V, 317. Judicium et justitiam facere. V, 317. Non solum qui bonam causam perdidit, sed etiam qui justissime victus est, de judice murmurat. IX, 41. Judices per jocum et superstitionem fieri solebant Kal. Januariis. V, 1020. Judicium Salomonis inter duas mulieres meretrices allegorice exponitur. V, 92.

Judicia Dei quam inscrutabilia. III, 1771, 1777; V, 177; X, 980. Quibus et quomodo dicuntur inscrutabilia. IV, 1514. Judiciorum Dei altitudo. X, 1126. Profundum. V, 905, 907. Abyssus. IV, 473, 474. Tale est velle scrutari inscrutabilia, quale est velle invisibilia videre et ineffabilia fari. V, 182. Nobis consideratio, admiratio, tremor, exclamatio, quia nulla penetratio; ipsi autem gloria. V, 118, 1294. Deus et nunc judicat, et ab initio generis humani judicavit. VII, 659, 687. Nihil hic sine judicio Dei agitur. VII, 660. Exempla quædam obstupendorum judiciorum Dei. X, 926. Et inscrutabilium. X, 1004.

Judicium duplex, occultum et manifestum. IV, 117. Judicium occultum est pœna, qua nunc quisque aut exercetur ad purgationem, aut admonetur ad conversionem, aut excæcatur ad damnationem. IV, 117. Dei judicium in variis hominum affectionibus et ingeniis. X, 744, 745. Sine Dei judicio nemo est tardus in animo, vel claudus in corpore. IV, 1515. Judicia Dei in mysterio gratiæ non ratione scrutanda. V, 181, 1294. Judicia Dei occulta in hominum prædestinatione. VI, 275. Judicia Dei occulta, cur de prædestinato reprobus, et de reprobo prædestinatus nascatur. X, 846, 847.

Judicium mundi quomodo nunc fit. III, 1771. Judicium duplex, alterum damnationis, alterum discretionis. III, 1115, 1576, 1709, 1719, 1771. Judicium discretionis fit in hac vita. III, 1771. Pii quærentes a Deo judicari, quærunt discerni a malis. IV, 191. Judicavit Dominus plebem suam separando bonos a malis. IV, 1752, 1753. Judicium quandoque pro discretione sumitur. IV, 191. Deus nunc judicat quædam, non omnia. V, 129. Ubi loqueris adversus Deum iniquitatem, ibi te judicat; non judicium differt, sed pœnam. IV, 953. Ad hoc multa reservantur judicio, et quædam in præsentia judicantur, ut illi qui differuntur timeant et convertantur. V, 129. Non judicat quemquam Deus ob ea quæ facturus fuisset si diutius vixisset, sed ob facta tantum. X, 482, 483, 977, 981, 1007. Pelagiani ipsi viderunt falsum esse, hominem judicari secundum merita præscita. X, 979. Qui unumquemque judicari putant secundum merita præscita, adversantur sententiæ catholicæ de originali peccato. X, 978. Favent Pelagianis. X, 979. Judicari quemquam secundum merita quæ habiturus fuisset si diu vixisset, absurdum est dicere X, 978, 1004. Dicere hoc de parvulis compulsi sunt (etiam qui a Pelagianorum errore alieni esse voluerunt.) X, 1011. Judicium Dei in peccantes. V, 126. Deus in ipsa misericordia et condonatione peccatorum judicium exercet. IV, 285. Mutato reo Deus judex mutatur. V, 152.

Judicia Dei occulta in hac vita. VII, 660. Et tamen justa. V, 1381. Judicia Dei occulte sunt justa, juste occulta. VII 687. Piorum fidem non latet justum esse quod latet. VII, 661. Judiciorum Dei æquitas interim credatur, donec in patria perspecta habeatur. V, 180. Judicia divina nisi credantur, non intelliguntur. IV, 1393. Judicia Dei in patria revelabuntur. III, 1777. Judicia Dei bonis prosunt, malis nocent. III, 603. Quænam judicia Dei novit Ecclesia. IV, 1514. Intrare in judicium cum Deo quinam velle videantur. IV, 1848. Qui factionem contra se videt, debet causam suam meliori judicio reservare. IV, 375. Judicium Dei aliquando ponitur in malo, aliquando in bono. VI, 258. Ubi sine adjectione ponitur, justum judicium intelligitur. IV, 903, 1576, 1577. Licet usus habeat, ut dicatur et bonum et malum judicium. IV, 903, 1576, 1577. Judicia Dei triplicis generis, prima, media, novissima. VII, 660.

Judicium extremum. V, 124. Judicium ultimum quare sic dicitur. VII, 659. Quare dies judicii dicitur. VII, 659. Judicii diem certo venturum esse adstruitur. IV, 944, 945; VI, 305. Judicii fides unde firmetur. VI, 342, 346. Firmatur auctoritate veteris et novi Testamenti. VII, 661. Quædam Scripturæ testimonia quæ de judicio esse videntur, ad alia pertinent. VII, 663. Judicium haud dubie futurum probant tot alia prædicta, et jam completa. II, 1028; V, 151, 640, 1453. Judicii futuri exemplum in diluvio. VI, 334. Judicii divini fides mutare non debet ex felicitate impiorum. IV, 357. Etsi nemo peccasset, non sine judicio creatura beatitudine a Deo donaretur. VII, 659.

Judicii venturi dies occultus. V, 271. Extremum mundi tempus, diem, horam nemo novit. II, 899, 900, 901, 902, 905. Christus ideo nescire dicitur, quia in magisterio ejus non erat, ut per eum sciremus. IV, 355. Et quia nescire nos facit quod nobis nosse non proderat. IV, 355. Utiliter Deus voluit latere illum diem, ut semper sit paratum cor. IV, 354. Judicii diem Christus non revelavit Apostolis. II, 906. Nonnulli putant futurum post certa annorum millia V, 576. Judicii extremi tempus certa quædam annorum ab Adam computatione inveniri non posse. IV, 90, 1145. Transierunt sex annorum millia. V, 576. De Salvatoris adventu qui exspectatur in fine, tempora dinumerare non audet August. II, 899. Quid de judicio ultimo apostolus Petrus prædicat. VII, 683. Judicium extremum post quantum temporis futurum sit Paulus non dixit, sed quomodo futurum. II, 906, 907. Possumus extremum mundi tempus conjicere ex signis. II, 903, 909. Ex signis quæ Christus futura prædixit, alia ad excidium Jerusalem, alia ad adventum Domini per Ecclesiam, alia ad adventum ultimum in quo judicaturus est vivos et mortuos, pertinent. II, 914. Mala quæ extremum Domini adventum præcessura sunt, bonis et malis non erunt communia. II, 918, 919. Signa adventus judicii proxime futuri jam ab Apostolorum tempore : nec desinunt tamen convenire diebus novissimis et esse signa. II, 913, 914. Judicii signa quæ Prophetæ dixerunt, omnia pene completa. V, 576. Finis sæculi non adveniet antequam prædicetur Evangelium in universo orbe. II, 900. Non ita tamen ut omnes credant. II, 923. Judicii nostri ultimi dies non longe. V, 128. Judicii dies si sæculo longe est, unicuique vitæ suæ ultimus prope est. V, 271. Judicium extremum cito est futurum. V, 76. Judicii dies differtur, donec impleatur numerus membrorum Ecclesiæ. V, 228. Quanto magis differtur judicium, tanto majore impetu venturum est. IV, 717. Judicii extremi dies non ideo non potest sciri, quia dies breviandi sunt. II, 912. Judicii dies quo sensu recte octavus intelligitur. IV, 90, 91. Judicium ultimum per quot dies tendatur, incertum est. VII, 659.

Judicium ultimum quale futurum. IV, 1256. Quomodo peragetur. III, 1554. Hoc difficile in Scripturis sanctis comprehendi potest. X, 526. Judicium fiet mox in adventu Domini. VI, 159. Pater non apparebit in judicio ultimo. III, 1555, 1571. Pater judicat et non judicat secundum diversum judicium. III, 1708. Pater non judicabit per præsentiæ manifestationem, sed Christus. VII, 707. Judicabit Christus ut filius hominis. IV, 950. Filius veniet in forma humana ad judicandum. III, 1571, 1580. Judicandi omnes videbunt judicem in forma servi, solis bonis servabitur forma Dei. IV, 546, 547, 1096; V, 711, 1071, 1267. Impii videbunt filium Dei in carne ad supplicium, non ad præmium. III, 1851. Judicaturus sic veniet Christus, quomodo venerat judicandus. III, 1852. Ordo rerum gerendarum in novissimo judicio. VII, 709. Vivi et mortui judicandi sunt. II, 873; VI, 258, 654, 666. Ex Apostolo aliqui ad Christi judicium vivi rapiendi videntur : opponuntur difficultates. II, 873; VII, 688, 690. In judicio Dominus quasi ignis veniet eis, quibus adventus ejus pœnalis erit. VII, 692. Ubi locorum erunt sancti tempore conflagrationis. VII, 684. In judicio bonorum et malorum separatio. VII, 702. Hinc Filius hominis clarificabitur. III, 1801, 1806. Fiet separatio non modo malorum, sed etiam bonorum a bonis, ut alii ad dexteram stent judicando, alii cum Domino sedeant judi-

caturi. IV, 570. Non duodecim Apostoli tantum judicabunt, nec duodecim tribus tantum judicabuntur. VII, 662. Judicabunt omnes perfecti. IV, 570, 572, 1156. Qui sedebunt judicaturi, appellantur cœlum; qui stabunt judicandi, terra nominantur. IV, 573, 1626. Tunc in judicium convertitur justitia, cum accipiunt justi potestatem judicandi. IV, 1407. In judicio libri veteris et novi Testamenti cum libro vitæ aperientur. VII, 680. Homines varie judicabuntur. III, 1785. Non solum universaliter de genere dæmonum atque hominum judicat Deus, sed et de singulorum operibus. VII, 959.

Judicabitur homo secundum opera sua. X, 877, 878. Non recipiet homo seu bonum seu malum, nisi secundum ea quæ per corpus gessit, non secundum ea quæ si diutius viveret gesturus fuit. II, 984, 986. Quomodo hoc verum sit etiam de parvulis. II, 985. *Vide* Adrumetini, Florus. In judicio judex ipsa justitia, testis mala conscientia. VI, 658. Unde in judicio trepidat bona conscientia. V, 578. Inter judicem justum et conscientiam tuam, noli timere nisi causam tuam. IV, 408, 809, 1913. Factis suis justus defendetur. IV, 1469, 1470. In judicio Dominus futurus est testis. VII, 702. Judex est Deus, vide qualem causam geras in corde tuo. IV, 1855. Gaudeamus quod talis est judex noster, qui falli a diabolo non possit. V, 568. In ultimo judicio Deus judex incorruptus. V, 75, 299, 649. Dominus interrogat te, non ut discat a te, sed ut confundat te. V, 299. Quam severus futurus est judex. IV, 1197, 1198. Quantumlibet rectus sibi homo videatur, ad regulam et judicium Dei pravus invenitur. IV, 1849. Tempus misericordiæ non est sine judicio, nec tempus judicii sine misericordia. IV, 1587. Nemo est qui coram judice Deo audeat gloriari se castum cor habere. X, 509. Difficile purgata vita invenitur, cum ille judicat qui novit ad purum et ad liquidum judicare. IV, 481. Quantum quisque egebit ut misericorditer judicetur, et qui hoc sperare licet. II, 571, 573. Si Deus solum judex esset et non misericors, nemo ante eum staret. IV, 1698, 1700. Væ etiam laudabili vitæ hominum, si remota misericordia discutiat eam Deus. I, 778. Nulla spes, nisi superexsultet misericordia judicis. II, 741. Quisquis judicium sine misericordia quasi securus exspectat, iram justissimam provocat. II, 741. Judicium sine misericordia quibusnam faciet Deus. IV, 1236, 1469. In judicio Dei miseratio et misericordia. X, 239. Inest Deo et misericordia judicanti, et judicium miseranti. II, 741; IV, 284, 285. Judicium et misericordia non sunt inter se contraria. IV, 284. Quam largiter Deus erogat misericordiam in præsenti sæculo, tam severe minatur judicium in futuro. V, 75. Cum venerit judicii tempus, erit pœnitentia, sed infructuosa, quia sera. IV, 608. Arguentur in ira Dei quidam et non emendabuntur, quidam vero in emendatione fient salvi. IV, 397. In judicio non deerunt, facta resurrectione, quibus misericordia impertiatur, ut non mittantur in ignem æternum. VII, 758. In judicio quædam quorumdam purgatoriæ pœnæ futuræ. VII, 700. Judicis ultima sententia quam secreto scribatur. V, 297. Judicia Dei apparebunt justissima in ultimo die. VII, 660.

Judicii diem qui cœpit credere, cœpit timere. III, 2046. Judicium ultimum timorem incutit negligentibus. III, 25. Judicii dies nis terribilis, qui securi esse bene vivendo nolunt, et male vivere diu volunt. IV, 354. Judicium extremum cui non timendum sed optandum. V, 1063. Judicium Dei formidandum malis propter pœnam, amandum bonis propter coronam. IV, 1283. Judicem venturum quisquis timet, mutetur, et conscientiam modo corrigat. IV, 548, 569, 809, 1913. Judicii diem novissimum securi boni, tremente mali exspectant. V, 299. Judicii diem securus exspectat, qui vitam istam contemnit. IV, 1916. Adventum Christi vere desiderat et exspectat qui pie vivit. II, 904, 909. Pios convenit desiderare adventum Christi ad judicium. V, 1369. Adventum Domini amat et desiderat Augustinus. II, 925. Ex hujusmodi amatoribus quis amplius consonet Evangelio, qui Dominum citius, aut qui tardius venturum dicit, aut quid id se nescire confitetur. II, 925.

Judicem venturum se Deus minatur, ut non inveniat quos puniat cum venerit. V, 150. Modo fac quod tibi minatur Deus, esto tibi judex. IV, 583. Judicem se quisque habet, ut Deum habeat defensorem. IV, 947. Qui tunc judex futurus est, jam advocatus est. IV, 809, 1913. Quidquid ad judicium exercendum requiritur, intus in ipso homine reperitur. IV, 675. Præparatio ad novissimum diem. V, 589. Sic vive quasi hodie venturus sit ad judicium Deus, et non timebis cum venerit. V, 1221. Dulcia nobis sint flagella patris, ne sit amara sententia judicis. IV, 1793. Novissimum judicii diem exemplo Noe exspectare admonemur. V, 1610. Judicii dies per caminum exprimitur. IV, 1362. Judicium ultimum quare arcus appellatur extentus. IV 717. Judicium pro pœna dictum. III, 1576, 1577; V, 1630. Pro pœna æterna. II, 947; V, 1258. Pro damnatione. V, 1543; VI, 224, 305. Nonnihil interesse judicium inter et justitiam. IV, 1407.

*Judith* librum in canone Scripturarum Judæi non recepisse dicuntur. VII, 583. Quo tempore gesta sunt quæ scripta sunt in libro Judith. VII, 583.

*Jugatinus* Deus, jugis montium præfectus. VII, 118. Jugatinus Deus, qui conjuges jungit. VII, 122, 188.

Jugum grave super parvulos ideo justum, quia nascuntur cum peccato. X, 1250. Est iniquum, si non est originale peccatum. X, 1278, 1281. *Vide* Miseria, Peccatum originale.

Jugum Christi ferre nihil aliud est, quam pie vivere in Christo. V, 443. Male te subjugaverat cupiditas, salubriter te subjuget caritas. V, 897. Jugo Christi qui subjectus est, subjecta habet cætera. III, 151. Jugum Christi hoc est Christiano, quod pennæ avi. IV, 719. Jugum Christi in speciem durum. V, 442. Jugum Christi leve. II, 200. Unde fit leve. V, 443. Amanti suave est, non amanti durum est. V, 192, 1507.

*Julianæ* domus, non parva Christi Ecclesia. II, 849. Juliana dicit domum suam ab iis discretam qui vel parvos errores videntur habere. II, 849. Augustinus et Alypius Julianam et ejus familiam bonis moribus imbuunt. II, 848. Et instruunt adversus Pelagianum virus libro ad Demetriadem propinatum. II, 848. Juliana grato animo pias admonitiones excipit. II, 849. Hujus rogatu scriptum opus de Bono viduitatis. VI, 429. Julianæ gratulatoria epistola. II, 645.

*Julianus* Constantio et Constanti succedit. II, 399. Egregiam indolem Juliani apostatæ decepit, amore dominandi, sacrilega curiositas. VII, 168. Juliani exercitus fusus, quia nimis oraculis fidebat. VII, 136, 168. Ipsi domino temporali, licet infideli, obtemperabant Christiani milites propter Dominum æternum. IV, 1654. Julianus lege data prohibet Christianos litteras docere. I, 753. Docere ac discere. VII, 615. Juliani tempora. II, 316. Persecutio adversus Ecclesiam. VII, 615. Julianum hilaritas juvenis Christiani inter cruciatus psallentis, a cæteris torquendis deterruit. VII, 615. Julianum quomodo Donatistæ laudarint. IX, 324, 326, 327, 334. Libello dato quantum ei adulentur. II, 327. Quam impudenter adulentur Rogatianus et Pontius. II, 400. Laudes quibus eum extulerunt Donatistæ, plenæ impietatis. IX, 47. Preces a Donatistis adulatorias accipit. IV, 374. Earum intuitu rescriptum concedit Donatistis. IX, *pp.* 808. Supplicantibus Rogatiano et Pontio libertatem perditionis parti Donati permisit. II, 399, 415, *et Vol.* Basilicas unitatis reddidit Donatistis. IX, 47, 316, 334. Verba Juliani pro Donatistis. IX, 334. Adversus Donatistas explicantur. IX, 333. Juliano succedit Jovinianus. II, 400.

*Julianus* a Marcelliana. IX, 255.

*Julianus* a Telepte. IX, 233.

*Julianus* litteras Alypii ad Paulinum et Therasiam defert. II, 99.

*Julianus* hæreticus Pelagianus. X, 1049, 1050. Egregius adolescens. II, 365. Memor Juliani pater cum fecerat Augustino carissimum. X, 647. Eum impense amat August. et desiderat. II, 369. Julianus juvenis confidentissimus. X, 694. Litteris sæcularibus inflatus. X, 1157. Dialecticæ artis astutiam jactabat. X, 705. Julianus fuit conjugatus. X, 725. Continentiam postea professus est. X, 727. Possessus est Pelagiana impietate. X, 455. Julianus baptizatus fuit in Ecclesia catholica. X, 1143. Catholicam veritatem deseruit. X, 1052. De Catholicorum communione discessit. X, 455, 1260. Juliano victus et otium non esset ad scribendum, nisi hæc ab hominibus haberet. X, 1249.

Julianum inter et Augustinum quid controvertebatur. X, 643. Juliani ratio propter quam negat originale peccatum favet Manichæis. X, 668, 669. Julianus eam irridet sententiam, quæ asserit potuisse Deum concedere homini beato, ut de suo semine, sine pudenda libidine, sicut triticum sereretur. X, 1145, 1147. Julianus non recepit scripturas fideliter. X, 452, 1106. Ejus calumniæ adversus Augustinum et Catholicos. X, 552, 554, 1055, 1057. Omnia quæ Julianus Augustino et Catholicis objicit, in ipsum retorquentur. X, 1558. Julianus suo gladio jugulandus a Manichæo. X, 1313. Juliani objecta adversus August ni librum primum de Nuptiis et Concupiscentia. X, 457, *et seq.* Destitutam veritatem unum se tueri gloriabatur Julianus. X, 699, 835. Libros quatuor scripsit adversus librum primum de Nuptiis et Concupiscentia. I, 651; II, 949; X, 657, 658, 641 Horum librorum decerptis nonnullis ac postmodum toti operi respondit August. II, 949. Quatuor libris. I, 654. Julianus usquequaque fidei venena spargere non cessat. II, 949. Liber secundus de Nuptiis in eum scriptus ab Augustino. I, 651. Julianus octo libros edidit, post quatuor illos quibus August. jam respondera. II, 1001; X,

1063. Illos Roma mittit Alypius ad Augustinum, multum instans ne iis respondere differat. II, 1001; X. 1063. Juliani opus ad sanctum Turbantium directum. X, 1555.

Juliani querela de judicibus qui Pelagii hæresim damnarunt. X, 701, 702. Ad Orientis antistites provocat. X, 648, 649. Eruditos judices exposcit. X, 1141. Quærit examen jam factum apud Apostolicam sedem, et in judicio Palæsino. X, 1183. Queritur episcopale sibi examen et judicium denegari. X, 700. Sibi dat palmam contra antistites Dei. X, 1146. Juliani chartula. X, 457, 440. Juliani epistola Thessalonicam missa. X, 571. Romam directa. X, 437, 1056. Juliani epistolæ ad Zosimum duæ. X, 1057.

*Julius* episcopus Concilio quod Sardicense jactatur, improbatus. II, 176.

*Julius* episcopus ad Innocentium defert litteras Concilii Carthagin. II, 780. Concilii Milevitani. II, 784. Necnon Aurelii, etc. II, 786.

*Julius* obsequens auctor libri de Prodigiis. VII, 73.

*Julius* Proculus. VII, 91.

Julius mensis sic appellatus in honorem Imp. Julii. III, 51; VIII, 546.

Jumenta a juvando dicta. III, 764. Jumenta dicuntur in Ecclesia simpliciter ambulantes, sed utiles et fide pleni. IV, 1427. Jumentum Christi vir mansuetus, qui non vult se laudari, sed eum quem portat. IV, 310. Jumentum Dei esse ne erubescamus. V, 1007.

Junior, homo novus, gratiæ filius, cantator novi cantici, non Cain, sed Abel, etc. IV, 1512. Junior et senior idem aliquando ac minor et major, licet neuter senex. IV, 1564.

*Junius* Brutus filios et fratris uxoris suæ occidit. VII, 94. Junii Bruti mors. VII, 94. *Vide* Brutus.

*Junii Quarti* consulatus. II, 784, 787.

*Junius* episcopus a Neapoli. IX, 192, 239.

*Junius* exceptor. IX, 515.

Junius mensis a Junone cognominatus. VIII, 546.

Juno. I, 673; V, 1250. Aer esse dicitur. V, 1024. Juno solum aerem tenere perhibetur. III, 1065. Junonem terram esse perhibent. VII, 207. Quare Juno soror simul et conjux Jovis dicitur. VII, 119. Itemque mater Jovis. VII, 120. Soranus Junonem nihil aliud esse, quam ipsum Jovem dixit. VII, 203. Junonis et Herculis spiritus adversum se divisi. V, 447; VI, 712. Certamen Junonis, Minervæ, et Veneris de pulchritudine pro malo aureo fabula, etiam ipsis paganis. VII, 567. Juno dea pariendi. IV, 200. Juno iterduca est pueris. VII, 195. Junonis asylum in Troja neminem liberavit a Græcis. VII, 17. Junonis spiritus. V, 447. Juno Astarte vocatur. III, 797.

*Jupiter*. V, 1249. In æthere accipitur. VII, 119. Jovem velut animam mundi hujus esse volunt recentiores Platonici. III, 1058. Et quibusdam placet. VII, 122. Alii esse mundum existimant. VII, 202. Jupiter ut Deus sit, non anima mundi, sed mundus ipse dicendus est. VII, 202. Ex Jove, Junone, et Minerva cuncta fieri, quomodo secundum Varronem intelligitur. VII, 218. Jovis omnia plena. VII, 120. Potestas Jovis in causas rerum efficientes. VII, 201. Jovis imbecillitas ad subveniendum populo. VII, 97. Jupiter mas et femina dicitur. VII, 202. Genitor genitrixque deum dicitur. VII, 202. Deorum omnium dearumque rex. VII, 119. Jovis stella, si rex iste est, aut fulgentior cæteris, aut Saturno superior esse debuit. VII, 206. Jupiter ipse est Saturnus. VII, 205. Ipse est Mercurius VII, 205. Ipse est Genius. VII, 205. Ipse est omnes dii. VII, 205. Sub deorum universorum nominibus colitur. VII, 121. Jupiter sub alio nomine colitur ab his qui unum Deum solum sine simulacro colunt. VII, 119. Varia cognomina Jovi imposita, ad unum eumdemque referuntur. VII, 205. Inter alia cognomina, Jupiter pecunia vocatur. VII, 203, 204. Quid de cognomine pecuniæ Jovi attributo, sapienti sentiendum. VII, 205. Jupiter facilius sapientia, quam pecunia vocaretur, si ad vitam æternam aliquid conferret theologia gentilium. VII, 205. Jupiter stupris multis adolescens vacavit. VII, 97. Jupiter uxorum adulterator, Ganymedis raptor. VII, 132. Conversus est in bovem et cycnum, ut cum aliqua concumberet. VII, 134. Jupiter tonans et adulterans cur a poetis fictus. I, 672. Jovem dicere et mundum regentem, et per stupra diffluentem, repugnat. VII, 202. Jovis tabula picta adolescentis libidinem accendit. II, 515. Jupiter in Arcadia dictus est Lycæus. VII, 574. Jupiter appellatur Stator. VII, 89. Jupiter in monte Olympo castra posuit, cum adversus patrem bella gereret. II, 85. Jovi imposita a Virgilio falsitatis persona. V, 625. Jovem inducit Virgilius falsa loquentem, ipse veriora loquitur. V, 623. Jupiter ab Homero dæmo nuncupatus est. VII, 256. Apollonius multo melior quam Jupiter. II, 533. Jovis, initio templum non habuit Romæ, VII, 87. Jovem Judæorum Deum putavit Varro. III, 1055. Romani nihil solent superbius colere, quam Jovem. III, 1055. Per Jovem lapidem, juratio sanctissima Romanis. V, 77. *Vol. (c)*.

Juratio Dei quid. V, 511. Juratio Dei qua seipsum testatur. IV, 1459, 1460. Dei juratio, promissionis est confirmatio. IV, 1122, 1459. Juramentum appellat Propheta, quod statuit per sacramentum. IV, 1567. Juratio aliud est in ore jurantis, aliud in prophetantis significatione. IV, 99. Juramentum cur Deus prohibuit. VIII, 1660. Cur dicitur a juratione ante omnia abstinendum. V, 977. Juratio licet a Deo usurpata, et ab Apostolo, nobis tamen fugienda. V, 972, 974, 1406. Juratio cavenda, et tutius est non jurare. II, 695. Non ideo quia Apostolus in suis epistolis juravit, ludus nobis debet esse juratio. II, 693. Juratio quænam licita. III, 1255, 2110. Qua conditione adhibenda. V, 977. Securus jurat qui mentiri nescit. V, 1407. Jurans non sibi jurat, sed proximo. V, 979.

Jurationis fides servanda. II, 481. Etiam extortæ. II, 482. Ita debet esse mens fixa in custodiendis mandatis Dei, ut sit pro juratione quod de illis custodiendis statuit. IV, 1567. Non secundum verba jurantis, sed secundum exspectationem illius cui juratur, quam novit ille qui jurat, fidem jurationis implendam esse rectissime dicitur. II, 476, 482. Jurationem servant Hebræi Gabaonitis quamvis mentientibus. III, 781. In juratione servanda Reguli cujusdam religio. II, 476. De juratione quæstio visa Augustino difficilis, fateturque se eam semper vitasse. V, 974. Quare eam vitarit Augustinus. V, 979.

Jurare quid sit. V, 975. Jurare est firme promittere. IV, 1717. Est Deum testari. IV, 1459, 1460. Deus solus securus jurat, quia falli non potest. IV, 1122. Juret Deus, quem nihil fallit, quem nihil latet. V, 973. Quod Deus jurando promisit, sine dubio venturum est. IV, 1725. Minantem Deum et jurantem quantopere timere debeamus. IV, 1226.

Jurare omnino, quomodo vetitum. VI, 507, 512. Bene prohibetur homo jurare, ne in perjurium prolabatur. IV, 1122, 1459. Tanto longius erit a perjurio, quanto erit longe a jurando. IV, 1459. Quia grave peccatum est pejerare, compendium tibi dedit Scriptura, noli jurare. V, 973. Qui jurat, est juxta præcipitium perjurii. V, 974. Quam timendum ei a perjurii discrimine. V, 973. Jurare verum, fas est; non jurare, tutius. V, 974. Etsi verum jurando non peccetur, humanæ tamen fragilitatis corda non jurando tutius a perjurio conservantur. VIII, 362, 364. Propinquat falsæ jurati ni, qui vel verum jurat. V, 1407. Non est peccatum verum jurare, sed falsum jurare, gravissimum est peccatum. II, 693. Grande peccatum. V, 1406, 1407, 1408. Juratio falsa exitiosa est, vera juratio periculosa est, nulla juratio secura est. V, 974. Jurare falsum per idola, perjurium est. V, 978. Non modo non jurandum est, sed nec aliquis compellendus est jurare. II, 184. Juramentum exigere ab alio unde fides ei fiat, non audeo dicere non esse peccatum, tamen humana tentatio est. V, 978. Scripturis dictum ne juremus, non autem ne jurationem ab alio accipiamus. II, 184. Utrum peccet qui a Pagano per falsos deos sibi jurari facit. II, 184. Jurans per falsos deos, et fidem non servans, bis peccat. II, 184. Jurans ab alio provocatus, non sic peccat quomodo iste alius. V, 1409. Jurare compellens eum quem falsum juraturum credit, pejor est homicida. V, 978, 1409. Minus malum est per Deum falsum jurare veraciter, quam per Deum verum fallaciter. II, 184. Qui scit aliquem jurare falsum, an et quibusnam tenetur prodere. III, 675. Servus Dei, etiam imminente mortis periculo, jurare non debet se aliquid illicitum aut nefarium facturum. II, 475. Juratio temeraria non implenda admisso homicidio. V, 1408. Jurans David occisurum se Nabal, et non occidens, minus peccavit. V, 1408. Jurans se ab Episcopo non recessurum, non est perjurii reus, si ipso permittente ab eo recedat. II, 230, 232. Possumus uti ea pace quæ inter alios jurantes facta est. II, 184, 185. Licet uti fide ejus, qui ut eam servet, per dæmonia juraverit. II, 184.

Jurandi consuetudo valde mala. V, 1409. Quomodo jurandi consuetudo convellitur. V, 979. Jurandi consuetudini aliquando obnoxius Augustinus. V, 977, 1407. Jurat Augustinus compellente necessitate. II, 480. Idque ad exemplum Apostoli. II, 481. Quomodo juret Augustinus magna necessitate compulsus. V, 977. Tutus ymeni ob jurationis peccatum divina correptione flagellatus. V, 1409.

Jurandi varii modi. V, 975. Jurat qui dicit, *Testis est Deus*. V, 102, 975. Jurandi per Evangelium mos. II, 1066. Juratio vulgaris, *Per lumina mea*. V, 55. Jurare per oculos olim usitatum. III, 1659. Jurare solebat Socrates per canem, per lapidem, et per obvia quæque, quare. III, 123. Donatistæ per canos Donati jurabant. IV, 134. *Jura, perjura, secretum prodere noli*, dictum Priscillianistarum. VIII, 44. Jurare per exsecrationem, gravissimum jurisjurandi genus. IV, 99. Juratio appellatur aliquando exsecratio. III, 568. Maledictum. III, 565.

Jus est quod justum est. IV, 1894. Jus et injuria contraria sunt. IV, 1894. Jus non est, ubi justitia vera non est. VII, 648. Non jura dicenda sunt vel putanda, iniqua hominum constituta. VII, 648. Jus falso dicitur esse id, quod ei qui plus potest, utile est. VII, 648. Jus divinum. VI, 395. Jus cœleste. V, 557. Jurisperitus cœli. V, 654. Jus fori et jus poli. V, 1572, 1710. Jus divinum et jus humanum in rerum terrenarum possessione. II, 345. Jure Romano testamenta condere. II, 531.

Jura civilia non faciunt ut homines bonis bene utentes sint, sed ut male utentes, minus molesti sint. II, 665. Jure non tenet, quod quis juste non tractat. V, 527. Jus natura, jus consuetudine quid. VI, 20, 21. Quotuplex jus consuetudine. VI, 21.

Jus Ecclesiasticum. IV, 196. Juris formulæ olim non erant, sed arbitrium voluntatis pro norma legis habebatur. V, 549.

*Justina* Valentiniani minoris mater ab Arianis seducta persequitur Ambrosium. I, 770.

Justini historia. VII, 116.

Justificationum nomen unde exortum est. III, 631. Justificationes sunt non dicta, sed facta justitiæ. IV, 1514, 1520. Justificationes ideo Dei dicuntur, quamvis a nobis fiant, quia nisi ipso donante non fiunt. IV, 1514. Justificationes Dei quomodo doceantur. IV, 1516. Quomodo discendæ sint. IV, 1514. Ad eas quibus gradibus perveniatur. IV, 1522. In justificationibus Domini nulla difficilior et mirabilior, quam ut suos quisque diligat inimicos. IV, 1524. Quid sit concupiscere, desiderare justificationes Dei. IV, 1521, 1522.

Justificari quid sit. X, 228. Justificatur impius, cum ex impio fit pius et ex possessione diaboli migrat in templum Dei. IV, 100. Justificatio peccatoris. III, 1491. Justificare, id est justum facere, homo non valet. V, 1324. Justus et justificans non est nisi Deus. II, 809. Nemo recreat, nisi qui creat; nemo reficit, nisi qui fecit. V, 952. Non solum homines, sed etiam justos, si tamen sumus, ipse fecit nos, et non ipsi nos. IV, 159, 195. Justificatione impii nihil magnificentius. IV, 1464. An majus sit creare justos, quam justificare impios. III, 1823. In quo Pelagiani Deum justificationis auctorem agnoscunt. X, 208. Justus est et justificans Christus, nos autem justificati per gratiam ipsius. II, 810. Justificamur in Christo solo. X, 115. Nemo nisi Christus justificat. X, 119. Omnes quomodo per Christum justificantur. X, 463. Fides in Christum ad justificationem necessaria. V, 784. Justificatio nostra in sanguine Filii Dei quomodo facta explicatur. VIII, 1025. Per carnem Christi fit etiam in carne nostra justificatio per gratiam. X, 679. Justificamur a peccatis per eamdem gratiam, per quam Christus habuit ut peccare non posset. VI, 250. Delicta nostra sua delicta fecit Christus, ut justitiam suam nostram justitiam faceret. IV, 172. In justificatione recte fit collatio ex contrariis. X, 1236. Ut redimeretur homo, via inita est ei contraria qua in captivitatem est abductus. X, 407. Justificari non potuit, qui Christi nomen non audivit. X, 251.

Justificatio hominis gratuita. IV, 158, 704, 707; X, 210. Justificari gratis, quid. X, 228. Deus non secundum opera justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit, etc. II. 569, 570. Justificationem præcedit vocatio, quæ non est meritorum, sed gratiæ Dei. IV, 89. Justificatio nostra fit in vocatione misericordiæ, et timore judicii. IV, 1963. Justificationis misericordiam quibusdam non esse præbendam æquissime judicat Deus. VI, 121. Hoc ipsum quod Deus justificat homines, nimis occulto judicio facit. II, 569. Justificatio nostra ex gratia, non sine nostra voluntate. V, 922. Templum suum non sic de vobis ædificat Deus, quasi de lapidibus qui non habent motum suum. V, 857. Qui fecit te sine te, non te justificat sine te. V, 923.

Justificatio per gratiam quomodo fiat. X, 209. Justificatio in hac vita tribus peragitur. X, 689. Fides impetrat justificationem. II, 818, 819; V, 864. Justificatio ex fide impetratur. X, 252. Non lege factorum, sed lege fidei homo justificatur. X, 215. Justificatio ex fide sine operibus. V, 31. Quomodo intelligenda. VI, 88. Justificatus a fide incipit, ut bona opera, non præcedentia quod meruit, sed consequentia quod accepit ostendant. IV, 1464. Non justificat Deus impium nisi credentem et confitentem. IV, 552. Fides conservat justificationem. II, 878. Justificationem præcedit pœnitentia. IV, 1786.

Justificatio et perfectio nostra. V, 454. Justificati utrum jam simus. V, 864. Justificatus est nemo, quandiu vivitur in hac vita. V, 930. Justificatio hic nobis imperfecta. V, 867. Tunc complebitur, cum complebitur spes nostra. V, 790. Justificatio perfecta in Martyribus. V, 867. Quod peccator justificandus accepit, pignus est ejus quod accipiet glorificatus. IV, 1465. Justificatio est tantum gratia, vita æterna et merces et gratia. X, 956. Justitiæ Domini justificant impium, justitiæ hominis non faciunt pium, sed superbum. IV, 1544. Nemo justificatur in conspectu Dei, quomodo. X, 312. Quomodo sicut omnes ad condemnationem, ita omnes ad justificationem. X, 827.

Justitia quid sit, et unde. VI, 20. Justitia virtus est qua sua cuique tribuuntur. I, 1255; IV, 1065; VII, 649; X, 1063, 1064. Quod vult Deus, ipsa est justitia. V, 700. Justitiæ altera definitio. I, 1189, 1322. Justitia in quo consistat. III, 1337. Justitia virtus est animi magna, præcipuaque laudabilis. IV, 1577. Justitia ad omnes partes animæ pertinet. III, 204. Justitiæ officium. VII, 629. Justitiæ regulæ immutabiles, etiam impiis notæ. VIII, 1052. Justitiæ regulas immutabiles qui non videt, an non peccat. VIII, 1047. Justitiæ ratio non tantum quid factum sit, verum etiam quare factum sit intuetur. VIII, 426.

Justitia esse videtur malum pro malo reddere, sed non est hæc Dei justitia. IV, 87. Cum punit Deus peccatores, non malum suum eis infert, sed malis eorum eos dimittit. IV, 87. Justitiæ Dei punientis ordo. VII, 641. Justitia Dei non est crudelis. VII, 376. Non sic est Deus misericors, ut injustus sit. IV, 1330. Nec sic justus, ut misericors non sit. IV, 446. Justitia si sine misericordia prolata fuerit, in quolibet quod damnet inveniet. IV. 1922. Omnes damnationem merentur, a qua si omnes liberarentur, lateret quid peccato per justitiam debeatur; si nemo, quid gratia largiretur. II, 875. Justitia ipsa qua retribuuntur bona pro nobis, non est sine misericordia. IV, 1517. Judex justus est Deus, etiam ignoscendo peccatis. III, 2093. Justitia et misericordia passim commendantur in Scripturis. III, 563, 591. Ipsa est prima hominis justitia, ut punias te malum, et faciat te Deus bonum. IV, 1080. Justitia Dei summa etiam malis bene utitur. IV, 1091. Quidquid malorum ab iniquis dominis irrogatur justis, non est pœna criminis, sed virtutis examen. VII, 114. Justitiæ supernæ quædam vestigia impressa tenenda sunt in contractibus humanis. VI, 121. Justitia in terrenis rebus fit gradus ad cœlestem justitiam. VI, 37. Justitia firma et inflexibilis, virga ferrea. IX, 405. Quænam est vera justitia. VII, 649, 656, 730. Justitiæ origo, ætas, genus, et species. X, 1063, 1064.

Justitia Dei et justitia hominis. II, 1607. Virtus et justitia Dei tanto magis necessaria, quanto magis eam sic vult, ut nolle non possit. X, 1498. Justitiæ divinæ constantia. III, 2094. Justitia divina quanto excelsior, tanto ab humana distantior. X, 1256, 1257. Justitia quædam manens est, quam cernit et injustus; ad quam si accedis, es justus, a qua si recedis, injustus es; quæ nec crescit, nec deficit. IV, 744. In dilectione justorum accendimur ex ipsa dilectione incommutabilis formæ. VIII, 959. In multis justis una est Dei justitia, quam omnes participant, tamquam si una facies intueatur plura specula. IV, 137. Justitia qua vivit anima, in se ipsa vivere intelligenda est. II, 461. Et procul dubio Deus est. II, 461. Justitiæ lumen Deus. V, 56. Nonnulli per errorem putarunt nullam esse justitiam per seipsam. III, 74. Ea est humanæ justitiæ disciplina, non in se amare nisi quod Dei est, et odisse quod proprium est. III, 2095. Tota justitia ad unum verbum innocentiæ redigitur. IV, 1286. Justitia hominis alia ab ea qua Deus justus est, X, 895. Justitia Dei dicitur, quam Deus facit. X, 211. Qua nos ex impiis justos facit. V, 733. Justitia Dei sumus cum juste vivimus. II, 569. Non qua Deus justus est, sed qua justi sunt homines quas gratia sua justificat. II, 570. Justitia Dei etiam nobis fit justitia, cum ei cohærendo juste vivimus. II, 461. Justitia Dei dicta quæ homini ex Deo est III, 618; X, 895. Quare dicitur nostra. X, 209. Justitia Dei, quæ. X, 247. Justitia ex Deo, non per Legem, sed per gratiam. X, 896. Justitia Legis, justitia in Lege, justitia hominis, quæ. X, 603. Justitia Dei seu ex Deo, justitia ex Lege quæ et quid. X, 367, 368, 895, 1209.

Justitia hominis, in Lege sive ex Lege, justitia Dei seu quæ homini ex Deo, in spiritu gratiæ. X, 603. Justitia quæ ex Lege est, dicitur nostra, quia Lex per litteram jubet, non per spiritum juvat. II, 818. Justitia ex Lege est, cum Legi timore obeditur. V, 919. Justitia Dei sine Lege, quatenus non sine Lege manifestata. X, 209. Justitia Dei manifestata per Legem et Prophetas. X, 209. Justitiam Legis non implet justitia quæ in Lege est vel ex Lege, sed quæ in spiritu gratiæ. X, 603. Justitia non ex Lege. X, 616. Destruitur promissio, si ex Lege justitia. X, 1210 Justitia nec per Legem, nec per naturam. X, 249. Si per naturam voluntatemque justitia, gratis mortuus est Christus. X, 746, 896. Qui ex Lege justitiam adstruunt, sunt inimici crucis Christi. X, 603. Justitia ex Lege a Christo removet, quare. V, 918. Apostolo damnum videtur. V, 926. Justitiam suam horret Paulus, ut habeat justitiam a Deo. V, 921. Justitia quæ ex Lege est, cur a Paulo contempta. X, 602, 603. Justitia Dei quæ Judæis et Pelagianis ignota est, V, 733. Justitia Pharisæorum est dicere et non facere : abundet

vestra, ut et bona dicatis, et bene vivatis. V, 1170. Justitia quædam est sine querela in oculis hominum, non in oculis Dei. V, 929, 930. Si justitia ex imitatione justorum, Christus gratis mortuus est. X, 1202. Justitia incarnatione Christi nobis allata. V, 998. Calumnia Pelagianorum de Prophetarum et Apostolorum justitia. X, 597. Justitia Christi quomodo nostra. V, 790. Suam justitiam qui constituere velle dicantur. X, 895. Justitia nostra non per Legem, neque per naturæ possibilitatem, sed ex fide Dei per Jesum Christum. II, 769; X, 232.

Justitia ex fide. X, 1209. Justitia ex fide, ea est, qua credimus nobis justitiam dari, non a nobis in nobis nostris viribus fieri. II, 818. Justitia ex fide unguentum pisticum. III, 1760. Justitia justi, sic est hominis, ut sit Dei, id est ab ipso data. IV, 253, 877. Justitia nostra nulla nisi a Deo. V, 872, 915, 925, 930, 1515. Justitiæ horreum et fons apud Deum. X, 154. Justitiam non a se homo habet. X, 1102. Non nascitur cum illo. V, 922. Justitia hominis vera, non quæ ex libero arbitrio, sed quæ ex Deo. X, 1542. Justitia Dei non sine gratia. X, 1249. Non est in hominibus nisi beneficio gratiæ. III, 755. Est ex dono Dei. X, 231, 1064. Bene vivere donum est divinum. X, 204. Justitiam sine gratiæ interioris adjutorio perfici, impietatis crimen est dicere. X, 245.

Justitiam Dei caritas facit, non timor. X, 256. Ut justitia vera diligatur et delectet, non nisi divina subvenit gratia. VII, 380. Justitiæ particula impleri non potest, nisi Deus det. V, 877. Ad qualemcumque provectum veræ piæque gratiæ, nisi adjuvante gratia Salvatoris perveniri qui negaverit, non est Christianus. X, 282. Justitia nulla vera sine fide gratiæ Christi. X, 605, 606. Non aliqua justitia præter Christum, licet sit aliquod peccatum præter Adam. X, 120. Justitia vita animæ. II, 461. Ad faciendam justitiam quænam requiruntur. X, 242. Ad operandam perficiendamque justitiam et Dei mandata complenda sola humana natura non sufficit. II, 760, 768. Justa vita, cum volumus, adest; quia eam ipsam plene velle justitia est. II, 485, 595. Sed hoc ipsum plene velle in homine non erit, nisi gratia Spiritus sanetur et adjuvetur ut possit. II, 595. Justitiam nemo male habet, et qui non dilexerit non habet. II, 665. Non est bonus quispiam timore pœnæ, sed amore justitiæ. II, 660. Pœna corporis, etsi non a voluntate, tamen revocat ab opere peccati: justitia vero sic amanda est, ut ab ejus operibus etiam pœnæ corporis nos cohibere non debeant. II, 594. Vis adhiberi potest ut ad justitiam quis cogatur, si quidem Paulus violentia ad Ecclesiam compulsus legitur, et Sara salubriter edomabat superbiam Agar. II, 323. Justitiam sitiunt filii, non servi. X, 256. Justitiæ liberaliter serviendum. VI, 61. Justitiæ servitus, vera libertas. VI, 247. Justitiæ plus servitutis debetur, quam peccato solent homines exhibere. II, 594. Justitiæ inimicus est, qui pœnæ timore non peccat; amicus autem erit, si amore ejus non peccet. II, 594. Nondum amant justitiam, qui timore pœnæ a peccando revocantur. IV, 1958. Non est amicus recti, qui mallet, si fieri posset, id quod rectum est non juberi. IV, 823. Justitiam facilem facit amor. IV, 239, 823. Justitiæ amor castus. V, 965. Justitiam amat, qui mallet furta non esse, et si non essent gehennæ. IV, 282. Quam indignum ut ad peccatum suavitas adducat, ad justitiam timor cogat. V, 870. Justitia Martyrum perfecta. V, 867. In amore justitiæ quidam gradus proficientium. V, 868.

Justitia cum delectatione et amore sectanda est. V, 870. Justitiam qui perfecte novit, perfecteque amat, jam justus est. VIII, 968. Justitia ex Lege per timorem, non parit dulcedinem cordis, sed justitia ex fide. VII, 739. Justitiæ dulciores sunt fructus, quam iniquitatis. VI, 350. Justitiæ major est delectatio quam divitiarum. V, 1470. Cæteris delectationibus anteponenda est. V, 869. Inter omnia quæ delectant, plus delectet justitia. V, 868. Bonis omnibus præferenda est. V, 1470. Qui fiat ut justitia nunc magis minusve delectet, nunc non delectet. X, 168. Opus bonum tanto magis delectat, quanto magis Deus summum bonum diligitur. X, 168. Justitia sic delectet, ut vincat etiam licitas delectationes. V, 869. Dilectio et delectatio justitiæ, gratiæ indicia. X, 918. Justitia non ita est tempore diligenda tranquillo, ut turbulento deseratur. IV, 1522. Justitia laboriosa, nisi amantibus. X, 1200. Justitiæ sarcina non est pondus onerati, sed alæ sunt volaturi. V. 898. Justitiæ cur jam molestum sit obedire, superbia causa est. X, 170.

Justitia pulchritudo animi. VIII, 954. Justitia pulchritudinem suam habet. IV, 780; V, 87. Quæ oculo cordis videtur. IV, 780. Quæ placet oculis cordis. IV, 282. In ipsa fœditate corporis amatur. IV, 780. Pulcher est et amabilis cum justitia curvus et deformis senex. IV, 282. Justitiæ amatori satis est, si placeat oculis Sapientiæ; cæteros non curat. IV, 282, 285.

Justitia primi status in paradiso, et justitia post lapsum in quo sita. X, 175. Justitia alia nunc est hominum ad recipiendam sempiternam salutem; alia fuit hominis in paradiso ne eamdem salutem amitteret. VI, 99. Justitiæ nostræ initium, confessio peccatorum. III, 2006. Justitiam maxime humilitate commendavit Christus. V, 1525. Ad recuperandam justitiam peccato amissam, laboribus et molestiis enitendum. X, 185. Justitia hujus vitæ tribus comprehensa, jejunio, eleemosyna et oratione. IV, 482; X, 299. Justitia nostra, non cruciatibus delectatur Deus. V, 1295. Justitiæ opera sine baptismo nihil prosunt. X, 1265. Justitiæ humanæ quis modus. IV, 322. Justitia non sit labiorum, sed et factorum. IV, 674. Justitiam vere loquitur, qui non aliud in labiis perstrepit, aliud celat in corde. IV, 675. Justitia quod Christus vadit ad Patrem, quare. V, 789. Justitia de qua arguitur mundus. V, 788.

Justitiam facere et perficere qui differant. X, 285. De justitiæ perfectione quatuor quæstiones. X, 155. Justitiæ perfectio in hac vita possibilis. X, 204. Etsi hic non inveniatur. X, 242, 245. Justitia hujus vitæ imperfecta. VII, 657; X, 605, 604. Quare. X, 245. Perfecta justitia humana imperfecta est. X, 162. Justitiæ normam cum in Scripturis contemplatus fueris, quantumcumque profeceris, invenies te peccatorem. IV, 1827. Homines in hac vita ex parte adhuc filii sæculi, ex parte filii Dei. X, 157, 158. Justitia hujus vitæ sine peccato qualis poni possit. X, 244. Justitia bene stat cum conflictu adversus vitia. X, 690. Nemo in hac vita sic mundus, ut non sit magis magisque mundandus. III, 1840. Quantacumque justitia in nobis fuerit, ros est ad fontem justitiæ Dei. IV, 1638. Justitiæ hic aliquid habemus, et aliquid non habemus. V, 861. Grati simus ex eo quod habemus, ut addatur quod non habemus, et non perdamus quod habemus. V, 864. De justitiæ nostræ perfectione et imperfectione in hac vita testimonia Cypriani. X, 629. Ambrosii. X, 634. Omnes quicumque in hac vita Scripturarum testimoniis justitiæ laude prædicati sunt, non fuerunt sine aliquo peccato. X, 164. Justitiæ perfectio et plena securitas nec in Paulo fuit. V, 834; X, 601, 604. Justitia quæ sine ullo peccato, non erit nisi futuri sæculi. X, 1254.

Justitia hujus vitæ. X, 1514. Quænam. V, 91. Et in quo sita est. VII, 657, 658. Semitæ justitiæ quænam. V, 1648. Justitia hominis perfecta hic esse quo sensu dicitur. X, 602. Justitiæ perfectio unde. X, 206. Perfecta est justitia, qua potius potiora, et minus minora diligimus. III, 164. Justitia perficienda non plus aliquid quam perfectam voluntatem requirit. II, 485. Justitiæ quæ particula impleri potest sine aliqua continentia? V, 877. Fides tua, justitia tua. IV, 279. Caritatis gradus faciunt et justitiæ gradus. X, 290. Perfectus in justitia dicitur, qui multum in ea profecit. X, 165. In ea quæ perficienda est justitia multum in hac vita ille profecit, qui quam longe sit a perfectione justitiæ proficiendo cognovit. X, 245. Pro justitia non solum contemnenda voluptas, sed etiam ferendus dolor. V, 871. Veri Martyres, qui persecutionem propter justitiam patiuntur. II, 796. Justitia Martyrum perfecta est. V, 871, 1295. Justitia perfecta seu vita sine peccato, quamvis ad hominem pertineat, divinum quoque munus est. X, 201, 202. Sicut merito peccati tamquam stipendium redditur mors, ita merito justitiæ tamquam stipendium vita æterna. II, 881. Justitia hujus vitæ ad justitiam futuram collata quam nihili facienda. V, 930. Longe inferior est ea qua æquabimur Angelis. VIII, 889. Justitia nostra per fidem est, non per speciem. III, 2010 Justitia quandonam perficietur. III, 2006. Justitia non potest tanta esse in hac vita, quanta in futura. X, 601. Justitiæ perfectio tantum in altera vita. X, 299, 300.

Justitia alterius vitæ perfectissima. X, 606. In quo sita est justitia alterius vitæ. VII, 658. Justitia perfecta, ubi perfecta pax. IV, 1930. Justitia vera pax. IV. 904. Justitia et pax osculantur se. IV, 1078. Justitia vera et perfecta tunc erit, ut nihil mali non solum facere, sed nec cogitare possimus. IV, 1639. Justitia cibus animarum. III, 1494. Justitiam Dei hic esurimus et sitimus, ut ea postea saturemur. VII, 740. Justitia Deus, quam profecto esurire et sitire, ea nostra est in hac peregrinatione justitia; et qua postea saturari, ea nostra est in æternitate plena justitia. II, 461. Justitiæ fames ad plenam satietatem parat. VI, 707. Justitia esuritur et sititur fortitudinis dono. III, 39. Satietas justitiæ in æterna vita. III, 1609. Justitia non satiabimur, nisi cum fuerit finita vita ista. IV, 751. Justitia perfecta cum videbitur Deus. V, 931. Justitiæ saturitas hic speratur in præcepto, ibi percipietur in præmio. X, 622. Nunc in præcepto est facienda, post mortem erit in præmio percipienda. X, 651, 652. Justitia perfecta futuræ vitæ non in præcepto erit, sed in præceptorum hic observatorum præmio. X, 600. Justitia hujus vitæ perfecta facit meritum, perfectissima futuræ vitæ fit præmium. X, 606. Justitia est hujus vitæ; potentia, alterius. VIII, 1026, 1028.

Justitia perfecta non est, nisi in Angelis, et vix in Ange-

lis, si Deo comparentur. III, 2006. Justitiæ perfectio et securitas plena est in Angelis. X, 601. Justitia an desinet in futura vita. VIII, 1046.

Justitiæ lex in cujusque corde inscripta est. IV, 673. Justitia panis est. IV, 562. Per panem et vinum significatur. IV, 1370. Vita justorum paradiso corporali, in quo Adam fuit, significata est. III, 478. *Vide* Homo, Sanctus. Justitiæ perfectio quadragenario numero significata. V, 694. Justitiæ eminentissimæ Noe, Daniel et Job. IX, 343. Sacrificium justitiæ in templo mentis. I, 1195. Justitia Dei. *Vide* Deus.

Justitia injustorum quæ. IV, 1433. Justitia dicimur, et qua ratione dicimur. V, 916. Justitia et circumcisio quomodo nos sumus. V, 915.

Justitia et judicium nonnihil differunt. IV, 1407. Judicium et justitiam facere, recte vivere. VII, 531. Justitia quomodo convertitur in judicium. IV, 1406.

Justus homo quis. VIII, 451. Quis justus animus. VIII, 955. Justus nemo nisi qui Deo servit. V, 649. Justus sub jugo justitiæ est. VIII, 126. Quid sit juste vivere in hac vita. VIII, 419. Juste vivere quid est aliud, nisi audire præcepta legis, et facere. V, 1270. Justorum hæc est omnis vita, disponere testamentum Dei super sacrificia. VII, 693. Vita justi de cœlo recedere non debet. IV, 557. Juste vivere ipsa est via nostra. III, 1658. Qui justus, continuo bonus. IV, 1577. Justus dici potest, qui perfectioni justitiæ plurimum accessit. X, 304. Justi non sunt, qui quod faciunt, timore faciunt. V, 32. Justi fallaciter, qui se putant facere, quod spiritali, quæ ex Deo est, non faciunt caritate. X, 603. Justus qua ratione homo dicatur esse sicut Deus. III, 2010.

Justi ante gratiæ electionem nulli. VI, 621. Justos ab injustis quid discernit. X, 597. Ab illo fit homo justus, qui numquam potest esse injustus. IV, 1446. Homo fit justus eo modo quo aer fit lucidus. III, 583. Non ita se debet homo ad Dominum convertere, ut cum ab eo factus fuerit justus, abscedat. III, 382. Justus credit se sine Deo non posse servare justitiam. V, 605. Juste vivere opus est Dei, licet per nos agatur. X, 242. Deus vias justorum scit, ipsa eorum facit opera. X, 877. Justorum opera cur dicatur Deus operari. VI, 331. Deus hominem operatur ut justus sit, si homo ab illo per superbiam non abscedat. III, 380. Justi licet gratis justificentur, habent tamen merita sua. I, 1346. In homine quidam justus ordo naturæ. VII, 629. Justus esse nemo potest, quamdiu ab unitate corporis Christi fuerit separatus. II, 811, 815.

Justi opera sunt Christi. III, 1825. Justi fiunt ea gratia homines qui renascuntur in Christo, qua gratia justus homo natus est Christus. X, 1159. Justus sine fide Christi nullus aut fuit, aut erit. VI, 621. Justi antiqui non nisi fide in Christum salvi facti. II, 858, 859; VI, 621; X, 450. Non nisi gratia Christi liberati. X, 315, 403. Justos antiquos eadem gratia et Mediatoris fides liberavit. X, 1127. Justorum antiquorum fides et nostra eadem. X, 599, 500. Pelagius et Cœlestius negant justos antiquos ex fide incarnationis vixisse. X, 1223. Et per Christum salvatos esse. X, 400. Justi antiqui etsi non nomine, re tamen Christiani. X, 595. Justi omnes, etiam qui fuerunt ante adventum Christi, pertinuerunt ad membra Christi. IV, 585, 731. Justi antiqui non pertinebant ad Legis litteram, sed ad gratiam Christi venturi. X, 116. Pelagianorum sententia de antiquorum salute. X, 569. Justi antiqui ad novum Testamentum pertinent. X, 596. Justi antiqui etsi non perfectæ virtutis, sed tamen propter fidem justi. X, 599. *Vide* sancti. Testamentum. Justi antiqui quibus in sedibus erant ante Christi adventum; et utrum ipsos ad aliquid melius transtulerit ejus passio, unde indagandum. VIII, 513.

Justus nemo nisi humilis et pius. IV, 585. Justam viam non intrant infideles, de illa pereunt superbi. V, 107. Justus plus intendit in defectus suos, quam in virtutes. VII, 167. Justis ex cadendi periculo ratio sese humiliandi. VI, 419 Melior est peccator humilis, quam justus superbus. V, 930 Nemo sibi placeat, et comparet se illis qui male vivunt. V, 932. Aut aliis insultet. V, 953. Justi multi inferiores merito, peccatoribus conversis. VIII, 443, 444.

Justus qui stat, plerumque cadit. V, 669. Justis miscentur casuri, ut ex eorum casu timor augeatur. VI, 419. Justus seduci potest, sed non ad æternam damnationem. VII, 669. Justus nemo in omnibus. X, 161. Peccata hic nonnulla in justis. VII, 21. Justi ex fide viventes non sine peccato. X, 244. Sunt tamen qui vivant absque crimine. VI, 262. Justi omnes hac in vita secundum quid boni, secundum quid mali sunt. V, 559. Justorum quorumdam vita, nec bona, nec mala. VII, 750. Justi antiqui non sine peccato. X, 622. In ipsis etiam fructuosis sarmentis agricola qui in cœlis est, invenit aliquid quod purget. IX, 746. Justi ad regulam divinam, et justi ad regulam humanam. VI, 718, 720, 721. Qui de justitia sua præsumunt, justi appellantur aliquando in Scriptura. IV, 696. Justus hic nullus, qui non quibusdam humanis motibus deficiat ad seipsum, et ideo peccet. VI, 262. Quantumcumque justis, non gloriandi, sed pœnitendi causa semper adest. V, 1538. Justi merito orant pro remissione peccatorum suorum. II, 842; VII, 657. Nulli non necessaria peccatorum remissio. VI, 262.

Justi cur multa patiantur in hoc mundo. IV, 1637. Deus non ideo injustus ac invalidus, aut res humanas non curat, quia sinit justos affligi. VI, 98. Justis expedit affligi in hac vita. VI, 99. Labor justorum, flagellum est patris. IV, 1204. Justos de tribulationibus semper eruit Deus, non quidem corporaliter, sed spiritaliter. IV, 319, 320. Justi humiliati non sunt miseri, nisi oculis impiorum. IV, 255. Justi humiliati non ceciderunt, quia Deus cui adhærent, altitudo ipsorum est. IV, 255. Justi in malis temporalibus publicis inter Paganos duriter affliguntur, et ab impiis, et cum impiis. II, 423. Justo nil nocet. IV, 366. Justo qui nocet, sibi ipsi vere nocet, non illi. I, 600. Justo nihil justum displicet. III, 140. Quod fuit caminus regis tribus pueris, hoc erit ardens mundus justis in Trinitate signatis. IV, 1514. Non ideo quisque justior, quia persecutionem patitur: probatur exemplis. II, 177. Justi hic numquam sine persecutione. V, 910. Qualiter persecutionem pro justitia semper patiantur. IX, 420. Justus et injustus oneri sibi sunt. IV, 364. Justorum labores quinam sint. VII, 787. Justorum labores improbis quibusdam scandalum. VI, 58. Justus proficit quando videt pœnam peccatoris. IV, 690, 691. Homini justo unde hic conturbationis causa. IV, 241, 471. Justi nutant aliquando, cum vident impios florere et abundare. IV, 1648, 1649. Justi vita in hoc sæculo, similis est arbori quæ per hiemem arida videtur. IV, 358, 556, 557. Justi vita hic bellum, nondum triumphus. V, 814. Justorum certamina. VIII, 586, 587. Justi non solum de suis, sed et de rebus aliorum afficiuntur. VII, 414. Justi passiones rectas habent. VII, 413, 416. Justus naufragus evadit dives et nudus. V, 1511.

Justus unde diligitur etsi incognitus. VIII, 971. Quomodo nondum justus justum cognoscat quem diligit. VIII, 953, 954, 955, 959, 966. Justus, si a sua justitia recesserit, in qua diu vixit, et in ea fuerit impietate defunctus in qua non dico unum annum, sed unum diem vixerit, in pœnas iniquis debitas ibit, nil sibi præterita sua justitia profutura. X, 979. Quinam invenientur justi in ultimo judicio. X, 304. Justis liberandis vita non sufficiet in judicio, sine suffragio Sanctorum. VII, 749. Justi quodam modo purgabuntur in judicio, cum mali separabantur ab eis VII, 700. Justi in regno cælorum, hostiæ ipsi erunt. VII, 700. Quis fructus hic est justo. IV, 691. Justi hic et in cœlo gaudent; hic de spe, ibi de re. IV, 1679. Justi post opera bona sabbatum æternum agent. IV, 1181, 1182. Justus secundum spem beatior est Adamo in paradiso constituto. VII, 328. Justi quomodo pauci. IX, 296.

Justi terram proprie regunt. IV, 544. Orbem proprie habitant. IV, 544. Justorum jure sunt omnia. II, 665. Justorum semen quomodo potens in terra. VI, 161. Quomodo non quærat panem. IV, 387, 388. Juste agens laudem habebit ex potestate, sive illa absolvat, sive damnet. V, 110. Quid est recipere justum in nomine justi. IV, 1327.

Justi appellati sunt vel Angeli, vel filii Dei. III, 349. Appellantur campi, colles. IV, 784, 785. Colli. III, 1277; IV, 1514, 1625, 1626, 1632; V, 1590. Justus lumen est. III, 826. Dies est. III, 826. Nisi homo ad incommutabile bonum, quod est Deus, conversus substiterit, forma ei ut justus beatusque sit non potest. III, 381. Justi regnum Christi. VIII, 850, 854. Justi palmæ et cedro comparantur. IV, 1179, 1480. Appellantur sedes Dei. IV, 1625, 1626. Sunt sedes Dei qui judicat ex ipsis tamquam e throno, et ipsos dirigit. IV, 1240, 1626. Justos hinc migrantes tollit Angelus in paradisum. V, 658. Justorum tria genera in Noe, Daniele et Job significata. II, 425; VI, 717; X, 158. Injustos quomodo Deus diligat. VI, 621.

Justum esse non potest quod est contra veritatem. VI, 540.

Jusum susum. III, 2036, 2060.

*Juventas* dea. VII, 122.

Juventus circa triginta annos esse definitur. VII, 777. Juventutis eruditendæ modus improbatur. I, 672 Juventus Christiani in laboribus et ærumnis, senecta vero candida est recte factis. IV, 1178, 1179. In juvenili ætate potissimum vita corrigenda. IV, 1512.

*Juvenalis* locus. II, 532.

## K.

*Kalendarum* Januariarum solemnitas superstitiosa. V, 1020, 1021, 1024.

# L.

*Labân* interpretatur dealbatio. VIII, 432.

*Labdon* judex apud Hebræos. VII, 576.

*Labeo.* Tres hujus nominis exstitere, scientia juris civilis clari. VII, 56, *not.* (*a*). Labeo Philosophus. VII, 795. Labeo antiquitatis peritissimus. VII, 56. Quomodo Labeo distinguit deos VII, 105. Per quid numina bona a numinibus malis distinguat. VII, 56. Labeo dæmonicola. VII, 272.

Labia interioris et exterioris hominis. IV, 900. Labia dolosa augent linguis suis pœnas, quibus apud inferos sitiunt. IV, 250. Consentiant labia tua cordi tuo; quærens pacem a Deo, tibi ipsi esto pacatus. IV, 444. Labor labiorum superbia. IV, 1810, 1811.

Labor quomodo præceptus nobis sit. IV, 1211. Excellentius est labore manuum sibi victum vestitumque parare, quam ab aliis accipere. II, 692. Labor servis Dei seligendus, qui animo libero exerceatur sine cura et cupiditate. VI, 560. *Vide* Opus.

Labores alienos aliqui nisi conentur non judicando discutere, sed lacerando conscindere, docti sibi non videntur. VI, 441.

Labor hîc unde. V, 440. A laboris pœna nullus hominum est immunis. X, 1578. Labores conditionum aliquot recensentur. V, 443. Laborem et dolorem uno nomine Græci appellant. VIII, 410. Ibi labor, ubi multa quæruntur et diliguntur, quibus adipiscendis et retinendis voluntas non satis est. II, 485. Non poterit labor finiri, nisi hoc quisque diligat, quod invito non possit auferri. IV, 107. Laboret homo ut teneat quod facile amisit; tenebit ad firmitatem, quod tenuerit post laborem. IV, 1956. Laborant omnes filiis suis, nemo sibi. IV, 1159. Labor est semen iniquitatis, peccatum conceptio laboris. IV, 107. Laborant homines pro cupiditatibus suis, laborare nolunt pro Dei promissis. V, 257. Labor impiorum in circuitu. IV, 1810, 1811. Bonum opus non multum laborat, malum opus habet laborem. IV, 1181, 1811. Nihil est laboriosius iniquitate et impietate : quem laborem sequitur dolor, quia non solum sine fructu, sed etiam ad perniciem laboratur. IV, 127, 142. Labor justorum flagellum est patris, et felicitas peccatorum fovea ipsorum est. IV, 1204. Si vis sustinere laborem, attende mercedem. IV, 372. Brevis labor est, nec destitutus consolatione. IV, 1212. Labores hujus vitæ, quia transeunt, nihil sunt, sed consequuntur bona quæ non transeunt. V, 728. Labor pretium est regni cœlorum. IV, 1211. Modo tempus est laboris, tempus seminis, tempus frigoris : etsi inter ventos et pluvias, semina; veniet æstas, quæ te lætificet. IV, 391. Nec sentiunt amatores quod laborant, et tunc ab eis plus laboratur, quando a labore quisque prohibetur. V, 585. Labores amantium nullo modo sunt onerosi; nam in eo quod amatur, aut non laboratur, aut et labor amatur. VI, 447, 448. Laborem mundationis carnis et spiritus nemo suscipit, nisi præmio invitatus. V, 263.

Labore emitur requies. IV, 1211. Laborum et actionum omnium finis quis esse debeat. V, 85. Talis actio debet esse animæ, quæ tendat ad quietam securitatem, non quæ augeat inquietum laborem. IV, 1489. Quidquid laboras, ad hoc laboras ut videas. IV, 1170.

Lac. Parvulus es, adhuc lacte nutriendus es, noli irasci uberibus. IV, 644, 784. Lactare ut nutriaris, sic nutrire ut crescas, sic cresce ut panem manduces. IV, 1715. Panis Angelorum lac factus est nobis. IV, 235, 1710, 1711. Humilitas, caro, crucifixio Christi, lac est quod parvulis sufficit. IV, 1613. Lac nostrum Christus humilis : cibus noster idem Christus æqualis Patri. III, 1998. Idem et lac parvulis et grandibus esca esse potest. X, 1017. Lac miro modo significat gratiam. IV, 827, 1857; V, 167. Lac gregis. V, 271. *Vide* Pastor. Lactis alimonia non vescuntur Manichæi. VIII, 37.

Lactentes in Ecclesia, ii qui nondum capaces cognitionis rerum spiritalium atque æternarum, nutriuntur fide temporalis historiæ, quæ pro salute nostra a Verbo Incarnato administrata est. IV, 110.

*Lacedæmoniæ* matres filios suos ut pro terrena patria sanguinem funderent, ardentius in certamina bellica quam signorum sonitus excitabant. II, 1057.

Lacerna. V, 885.

Lacrymæ testes doloris. V, 1556. Lacrymæ nascentium, testes et prophetiæ miseriæ eorum. V, 909. Lacrymæ sanctorum in hac vita. VII, 685. Justus quisque hîc abundantius plorat, unde. V, 194. Pius unde lacrymarum causa. IV, 429. Ardes corde conscientia delicti, lacrymis extingue flammam peccati. IV, 1224. Lacrymas exterquet humiliatorum superborum fumus confitentium peccatorum. IV, 1865.

Lacrymæ sanguis penitentis. V, 1542. Seminare in lacrymis omnium est Christianorum. V, 192, 194. Lacrymæ piorum comparantur cum fletu impiorum. V, 195. Lacrymæ et risus inanes de rebus perituris. V, 194, 195. Dulciores sunt lacrymæ orantium, quam gaudia theatrorum. IV, 1685. Lacrymæ piæ contribulatorum, mustum sunt amantium. IV, 1064. Panis lacrymarum die ac nocte comeditur. IV, 467. Lacrymæ quare dictæ sunt panes, non potus. IV, 457, 1685, 1684.

*Lactantius* operi suo quædam vaticinia Sibyllæ inserit. VII, 581.

*Lacturnus* Deus præsidet frumentis lactescentibus. VII, 118.

Lacus est profunditas miseriæ vel inferni. IV, 1111, 1855; VII, 594. Lacus infimus profundissima miseria. IV, 1112. Lacus est profunditas sæculi, abundantia luxuriæ. IV, 225. Lacus miseriæ est profunditas iniquitatis, ex carnalibus concupiscentiis. IV, 434, 1853. In lacum descendunt, qui sese libidinibus immergunt. IV, 225. Et qui confessionem perdunt. IV, 1853. Lacum aperire et effodere quomodo differant. IV, 107.

Lædit prius iniquitas cor injustum unde procedit, quam hominem justum in quem procedit. IV, 107.

*Lælius* in disputatione Ciceronis de rep. inducitur ut interlocutor. VII, 67.

Lætitia quid VII, 409. Lætitia in bono est et in malo. VII, 411, 412. Lætitia malorum de temporalibus bonis, cæcitas est ac summa miseria. VI, 295. Lætitia sæculi vanitas. III, 1438. Lætitia in malis fovea est. IV, 671. Mors est ipsa lætitia in perfruendo, cum quisque adipiscitur quod perdite concupivit. IV, 123. Melior est tristitia iniqua patientis, quam lætitia iniqua facientis. IV, 671. Lætitia sæculi est impunita nequitia. V, 935. Lætitia non foris quærenda, sed intus. IV, 82. Lætandum corde in Deo. V, 182. Recto corde semper est de Deo jucunditas. IV, 1251. Lætitia sanctorum inde est, quod Dominus sit in illis. IV, 829. Lætitia mentis acquiritur cessando a lætitia carnis. VI, 711. Causa tristitiæ tuæ peccatum est, causa lætitiæ tuæ justitia sit. IV, 478. Lætemur in Domino, non in nobis; quia bonum nostrum non nos nobis, sed ille qui fecit nos. IV, 118, 273, 770, 794. Nihil præstantius ea lætitia quæ in verbo Dei est. III, 485. Lætitiæ saginam producunt nubes Scripturarum. IV, 1909. Lætitia sine timore non sit. IV, 1092, 1093. Lætitia plena et perfecta quando erit. IV, 1092, 1275. Cum accepta fuerit cœlestis et ineffabilis lætitia, perit quodam modo humana mens et fit divina. IV, 351. Lætitiam donabit dies, patientiam quærit nox. IV, 1855. Quæ multum læta sunt, et si certa sunt, vix creduntur. IV, 1927.

Lætitia nominatur solemnitas. II, 115.

*Læto* qui sæculum, quod contempserat, repetere sollicitabatur, epistola II, 1055.

Laicus. V, 655, 758, 1540. Laici inferioris propositi (id est alii a monachis). I, 659.

*Lamasba.* IX, 256.

*Lambæse.* IX, 206.

Lamina in fronte summi Sacerdotis significat sanctificationem et ablationem peccatorum. III, 641. Ac vitæ bonæ fiduciam. III, 658.

*Lampadio* de quæstione fati et fortunæ rescriptum. II, 1061.

*Lampares* vigesimus tertius Rex Assyriorum. VII, 572.

*Lampius* Barcilonensis. II, 100. A quo Paulinus apud Barcilonem in Hispania per vim inflammatæ subito plebis est sacratus. II, 100.

Lana et linum quid figurant. V, 224. Lana materies vestis est, et designat prædestinatos. IV, 1952.

Languor naturæ nostræ. IV, 1319, 1507. Languor ex culpa contractus. VI, 360. Languores, quos ex pœna peccati patiuntur etiam cives civitatis supernæ. VII, 442. Languor post baptismum. V, 752. Languores nostri a quo sanentur. IV, 1319.

*Laodicenus* in epistolam ad Galatas commentariolos reliquit. II, 252. Laodicenum de Ecclesia nuper egressum dicit Hieronymus. II, 252, 286.

*Laomedon* Trojam exstruit. VII, 79. Perjurio Apollinem et Neptunum fallit. VII, 80.

Lapides ossa principum esse dicunt Manichæi. VIII, 306. Lapides et terra in mundo sunt ut ungues et ossa Dei. VII, 212. Lapides dicuntur Gentes quæ adorant lapides. IV, 530, V, 679. Lapides mortuos adorabant Pagani, nos vivum lapidem invenimus. IV, 1244. Lapis angularis Christus. V, 42. Omnes fideles unus lapis. IV, 1228. Unctio lapidis capiti Jacob supposiii, figura unctionis Christi. III, 570. A lapide Christo conquassari aliud est, aliud conteri. IV, 522. Lapis demonstrationis et veritatis. III, 634. Quinque lapides David. V, 198. Lapides vivi, lapides mortui. V, 165. Lapis Christus conquassat parvus, conteret magnus. IV, 936. Lapides pretiosi et vivi in Ecclesia. V, 223. Qui credunt diligendo Christum, lapides vivi sunt, de quibus templum Dei ædificatur. IV, 512, 1704. Lapides Sion omnes Prophetæ IV.

1505. Lapis limitis agri. V, 1511. Lapidea milliaria litteris plena viam docent. V, 1547.

Lapsus et reparatio hominis. III, 132.

Laqueus venantium, dulcedo hujus vitæ. IV, 1647. Quomodo in laqueum incidant homines, et ex illo eruantur. IV, 1151, 1647. Laqueos non in via, sed circa viam tendit diabolus; via autem Christus. IV, 1151. In laqueo diaboli duo sunt; error quo illiciat, terror quo frangat. IV, 256.

*Larentina* meretrix Herculis, quibus meritis divinos honores obtinuit. VII, 185.

*Lares* dæmones boni ex hominibus facti. VII, 265.

*Largo* de contemptu rerum hujus sæculi epistola. II, 938. Num hic idem sit, qui proconsulatum Africæ gessit. II, 938, *not.* (*c*).

*Larvæ*, noxii dæmones ex hominibus facti. VII, 265.

Lascivum motum repercutiens, si quid delectabilius cogitavit, non abit sine vulnere. V, 391.

Latera hominis dicuntur, qui illi cohærent. IV, 555, 1684. A latere Domini cadunt, qui de sua perfectione superbiunt. IV, 1156. A latere Christi stant, qui reliquerunt omnia. IV, 1156. Bonus homo est, sed mala latera habet, proverbium. IV, 555, 1684.

Latere hic voluit Christus, et latent similiter boni. IV, 621.

*Lastidianus* Augustini consobrinus. I, 962.

Liberum arbitrium media vis. X, 238. Liberum arbitrium quod huc atque illuc liberum flecti potest. X, 169. Liberum arbitrium quid secundum Julianum. X, 1515. Et quomodo ab illo definitur. X, 1102, 1103, 1104, 1293. Et a Pelagianis. X, 1466, 1518, 1519. Libera voluntas sic a Pelagiano definitur, ut iis necesse sit auferre libertatem Deo. X, 1299. Libertatis æquilibrium nec in Pelagianorum opinione reperitur. X, 1297. Liberum arbitrium secundum Pelagianos non constat sine possibilitate peccandi. X, 1483. Liberi arbitrii possibilitatem tam in bonum quam in malum ex æqua lancis perpensione vult Pelagius, nec sibi stat. II, 829, 850. In Deo et in beatis liberum arbitrium est sine possibilitate peccandi. X, 1518. Ad naturam liberi arbitrii non pertinet posse et peccare et non peccare. X, 1474. Possibilitas mali non requiritur ad libertatem. X, 1521. Liberum arbitrium in Deo summum. X, 1474. Licet malum facere non possit. X, 1117, 1118. Liber ut quispiam sit, non requiritur ut velle possit et bonum et malum. X, 1116. Variari posse in bonum et malum ad liberum arbitrium non pertinet. X, 1543. Liberum arbitrium putat Julianus non constare cum necessitate. X, 1299. Necessitas quædam beata non auferens libertatem. X, 1116. Liberum arbitrium qua ratione Augustinus adhuc presbyter explicavit. III, 2078. Liberum arbitrium sive in vitam malam, sive in bonam non negat fides catholica. II, 973.

Liberum arbitrium per peccatum Adæ dici sublatum, Juliani calumnia. X, 552, 564. Liberum arbitrium impiis non est ademptum. X, 553. Nemo vel in bonum vel in malum cogitur invitus. X, 567. Deus non sanat invitum. IV, 1320. Liberum arbitrium asseritur. VIII, 451, 540. Liberum arbitrium animæ datum. I, 595, 1079, 1241; III, 133. Libera est nobis voluntas, quia est in potestate. I, 1275. Per liberam voluntatem ipsa libera voluntate utimur. I, 1268. Quid censeatur esse in nostra potestate. I, 596, 1275. Quid libera voluntate, quid necessitate faciamus. IV, 1745, 1746. Libertas si tollitur, omnis humana vita subvertitur. VII, 149. Liberum voluntatis arbitrium non negant, qui confitentur omnem hominem corde suo credentem, nonnisi sua libera credere voluntate. II, 987. Liberum voluntatis arbitrium esse in homine probatur ex divinis præceptis. X, 882, 884, 885. Eo ipso quo aliquid præceptum et imperatum est, obedientia nostra requiritur, quæ nulla potest esse sine libero arbitrio. II, 971. Ex eo quod venit Dominus mundum salvare, et quod venturus sit ipsum judicare, gratia et liberum arbitrium asseritur. II, 969; X, 874, 875 *et seq.* Qui putat hominem, qui per ætatem potuit uti libero voluntatis arbitrio, secundum opera sua non judicari, errat. II, 971. Si non accepisset homo liberum arbitrium et rationem, non eum sequeretur damnatio justa peccantem. IV, 1302. Liberum arbitrium sic homini datum, ut tamen et divinis legibus et humanis rectissime gravium supplicia constituta sint peccatorum. II, 940. Mathematicis non credendum, ne a libero arbitrio naufragemus. II, 210. Libera voluntas per Dei præscientiam non aufertur. I, 1274. Liberum arbitrium non ita datum, ut quodlibet eo moliens, ullam partem divini ordinis legisque perturbet. I, 595. Creatura in arbitrio libero constituta est, non sic ut Creatoris superet voluntatem, etiam si contra ejus faciat voluntatem. IV, 1464. Cornua falsæ libertatis adversus Deum erigere. I, 166. Ad omnipotentiam Dei pertinet ut ex libero arbitrio venientia mala esse permittat. VI, 581.

Liberum arbitrium cur homini datum. VI, 11. Cur ad malum flexibile datum. I, 1242. Liberum arbitrium homini datum est, ut Deo non necessitate, sed voluntate serviat. VI, 296. Datum est ad recte vivendum, non ad peccandum. I, 1242. Liberum arbitrium in homine ad virtutem et vitia. X, 286. In libero est voluntatis arbitrio peccatum et recte factum. VI, 16. In tuo arbitrio Deus esse voluit cui pares locum, Deo, an diabolo. IV, 1938. Homini Deus dedit liberum arbitrium, et si vult homo, heri fuit palea, hodie fit frumentum. V, 1175. Peccatores se de Deo excusare conantes ideo arguuntur, quia liberum habent arbitrium. X, 883. Creatus homo est cum libero arbitrio, quo ipse ad peccatum consentit. IV, 268. Per liberum arbitrium peccant, maxime qui cum delectatione peccant et amore peccati, et hoc eis placet quod eos libet. X, 1110. Libertas quædam perniciosa. IV, 1306. Libera voluntas causa peccati. I, 595, 733; III, 133. *Et in libris de ea re scriptis*. I, 1221. Ex libera hominis voluntate semen mortis. V, 1269.

Liberum arbitrium, bonum opus Dei. X, 1489. Ad Dei dona pertinet. X, 155. Ad Dei dona pertinet non tantum ut sit, verum etiam ut bonum sit. X, 155. Liberum arbitrium in mediis bonis censetur. I, 598. Cur Deus Angelos et hominem libero arbitrio permisit. X, 932. Libertas voluntatis in illius primæ conditionis præstantia quid valuerit, apparet in Angelis qui steterunt. X, 1001.

Liberum arbitrium primi hominis quale. V, 1269; VII, 802. Aliter de libertate in qua primus homo factus est loquendum, aliter de ea in qua nunc est. X, 287. Liberum arbitrium perfecte fuit in primo homine. III, 2066. Liberi arbitrii integerrimæ vires in Adamo. X, 1513. Liberum arbitrium primus homo accepit rectum. VI, 685. Liberum arbitrium in primo statu per se sufficiebat ad peccandum, non ad justitiam retinendam, nisi divinitus adjutum. VI, 281. Liberam voluntatem ad male agendum habemus sine Dei adjutorio : quamquam male agendo non sit libera, sed damnabilis ancilla. V, 856. Bonus usus liberæ voluntatis ex Deo. I, 598. Libertas primum hominem decepit, dum indulgentius frenis ejus utitur. II, 785. Liberum arbitrium quid valeat non adjutum, in ipso Adam demonstratum est. VI, 685 Liberi arbitrii infirmitas cernitur in Adamo. V, 852, 940.

Liberum arbitrium tam integrum esse, quam ante propriæ voluntatis usum innoxiam in unoquoque naturam, dogma Pelagianorum. X, 1149. Liberum arbitrium an post peccata tam plenum est, quam fuit ante peccata. X, 1108. Libertas quænam in homine post peccatum. X, 1101, 1103, 1104. Liberum arbitrium non tale nunc quale Adam accepit, sed jam vitiatum est et sanandum. X, 1294. Liberum arbitrium suo malo usu vitiatum. X, 1524, 1529. Liberum arbitrium quo recte agere potuit homo, peccati malitia defecit. X, 1525,

1524. Liberi arbitrii magnas vires homo cum conderetur accepit, sed peccando amisit. V, 752. Libero arbitrio male utens homo, et se perdidit et ipsum. VI, 246. Liberum arbitrium hominis congenitum et omnino inamissibile, quodnam est. X, 1521. Libertas quædam voluntatis congenita immutabilis. X, 1524. Liberum arbitrium, quo beati esse volumus, et miseri esse nolumus, auferri nobis non potest. X, 1565, 1566. Libera est voluntas, etiam qua beati esse sic volumus, ut miseri esse nequaquam velle possimus. VI, 281. Liberum arbitrium nostrum ad diligendum Deum primi peccati grauditate perdidimus. II, 983. Per malum velle perdidit homo bonum posse. V, 188. Standi et cadendi liberum arbitrium tale acceperat homo, ut posset non peccare : per peccatum amissa rectitudine secutum est non posse recte agere. X, 1522. Libero arbitrio quid restat in hac mortali vita. VI, 108. Libertatem bene agendi seu male, suo malo usu perire non posse, Juliani sententia. X, 1520. Hanc perdidit Adam. X, 1520. Libertas quæ periit per peccatum, quænam. X, 552, 1110. Libertas non peccandi periit pœna peccati. X, 1118. Victa enim vitio in quod cecidit voluntate, caruit libertate natura. X, 296. Quæcumque ista est causa voluntatis, si non potest ei resisti, sine peccato ei ceditur. X, 286. Unde ei resisti potest. X, 286. Libertas non periisset, si bona permansisset voluntas. X, 296. Libera voluntas recte faciendi in qua homo conditus fuit, quod nunc minus valeat, pœna peccati est. I, 1296.

Liberum arbitrium nec est negandum, nec ei nimium tribuendum. X, 879, 880. Libero arbitrio quidam nimium tribuunt. X, 151. Quantum tribuunt Pelagiani. X, 570. Liberi arbitrii elatus assertor Pelagius. X, 373, 374. Libero arbitrio suo suo Pelagiani tribuunt quod credendo accesserunt ad Christum. V, 192. Quidam libero arbitrio tribuentes suam justitiam. V, 172. Et illud ad justitiam sufficere arbitrantes. V, 852 Pelagiani liberum arbitrium sic asserebant, ut gratiæ locum non relinquerent. I, 595. Liberum arbitrium in superbiam extollentes, præcipitant magis quam elevant. V, 1467. Liberum arbitrium defendendo premunt Pelagiani. X, 1290. Liberum arbitrium quo sensu admittebant Pelagiani. X, 441. Liberi arbitrii laus secundum Pelagianos. X, 610. In laude liberi arbitrii quæ eorum intentio. X, 617. Contra præsumentes de libero arbitrio. V, 1466. Liberum arbitrium nudum jactare, quam vanum. II, 975. Liberi arbitrii affectum habuit primus homo plenissimum, nunc in homine liberum arbitrium est sauciatum, Evod. II, 974. *Not.* (*a*). Liberum arbitrium unde liberum in bono, unde in malo. X, 553. Liberum arbitrium in venumdatis sub peccato quid valet. VI, 126. Liberum arbitrium non esse, si Dei auxilio indigeat, Cælestii sententia. X, 345. Liberum arbitrium non sic defendendum, ut adjutorium Dei non putetur necessarium. III, 1778. sic liberum arbitrium defendendum, ut locus gratiæ relinquatur. X, 885. Christi mortis præmium evacuat, qui negat liberum arbitrium gratia indigere. X, 260. Libertas etiam in pristinum statum restituta eget gratiæ auxilio. X, 1520.

Libertas voluntatis quatenus secundum gratiam defenditur. X, 926. Idonea fuit humana natura per liberum arbitrium vulnerare se, jam saucia non est idonea sanare se. V, 850, 877, 1268. Potuit cadere, non etiam surgere. I, 598; X, 1009, 1520. Libero arbitrio tantum detur, ut gratia Dei amplius honoretur. II, 759. Non potuisti in te nisi perdere te ; nec scis invenire te, nisi qui fecit te, quærat te. V, 108. Liberum arbitrium desertum divino adjutorio, nullo modo habebit justitiæ soliditatem, sed exitiosum tumorem. II, 676. Nihil valet sine Dei gratia. V, 172, 174. Non sufficit ad bonum. X, 324. Sufficit ad malum, ad bonum autem parum est, nisi ab omnipotenti bono adjuvetur. VI, 685; X, 577, 955. Libero arbitrio quantum possumus, nisi nos adjuvet ille qui jubet ? IV, 1792. Ad non peccandum quamvis esse non dubitetur arbitrium voluntatis, tamen ejus potestas non sufficit, nisi adjuvetur infirmitas. II, 675, 676, 766. Libertas sine gratia non est libertas, sed contumacia. II, 682. Liberum arbitrium ad bene agendum non sufficit, ex Innoc. II, 782. Non nihil facit in cordis conversione. X, 899. Liberum arbitrium sine Dei gratia nec converti potest ad Deum, nec proficere in Deo. II, 970, 975. Liberum arbitrium a Dei gratia non est separandum, tamquam sine illa vel cogitare aliquid vel agere ulla ratione possimus. II, 969. Libero arbitrio quo factus est homo ex bono malus, non potest fieri ex malo bonus. V, 172. Liberum arbitrium captivatum, non nisi ad peccatum valet ; ad justitiam vero, nisi divinitus liberatum adjutumque non valet. X, 607, 620. Non est liber quispiam ad agendum bonum sine adjutorio Dei. X, 1293, 1294, 1295, 1296, 1297, 1299. Liberum arbitrium non sufficit ad cognoscendum quomodo vivendum sit, et ad bene vivendum. X, 270. Nec mirandum quod vel ignorando non habet homo liberum arbitrium voluntatis ad eligendum quid recte faciat, vel resistente carnali consuetudine videat quid recte faciendum sit et velit, nec possit implere. X, 287. Si hi quorum contra carnem jam spiritus concupiscit, ad actus singulos indigent Dei gratia, ne vincantur ; qualem libertatem voluntatis habere possunt qui nondum de potestate eruti tenebrarum, dominante iniquitate, nec certare cœperunt ? etc. X, 1535. Liberum arbitrium non sufficit ad vincendas tentationes, nisi a Domino victoria concedatur oranti ne intret in tentationem. X, 887. Ut non intremus in tentationem si voluntas sufficeret, non oraremus ; quæ tamen si deesset, nec orare possemus. II, 990. Qui accepto semel liberæ voluntatis arbitrio oratione non opus esse dicunt, ut Deus adjuvet ne peccemus, ab ipso Pharisæo accusantur. X, 154.

Libero suo arbitrio Legem sufficere arbitrantes, refelluntur. V, 851. Libero arbitrio Lex non sufficit. II, 683. Liberum arbitrium non sufficit sine gratia ad implenda præcepta negativa. X, 628. Præceptum Dei custodire non sic habet homo in arbitrii potestate, ut nullo indigens adjumento id possit efficere. IV, 1510. Liberum arbitrium non sufficit sine gratia. X, 895. Non sufficit ad non peccandum. X, 285, 295, 294. Liberum arbitrium in nobis ante gratiam non est ut non peccemus, sed tantum ut peccare nolimus. III, 2066. Qua libertate indigent qui peccatum facere nolunt. X, 1107, 1110. *Voluntate propria omnes regi*, dixit Pelagius, quatenus episcopalis Synodus illud approbavit. X, 522. Merito sententia illa Pelagii fratres quosdam permovit. X, 323, 324. Nemo bene libero arbitrio uti potest nisi per gratiam. X, 571, 572. Homo non se sibi regendum debet committere. X, 323. Amas liberam voluntatem tuam, quid te tibi committis ? Melius te potest servare, qui te potuit antequam esses creare. V, 941.

Libertas ad bonum nonnisi ex gratia. X, 1144, 1145. Liberum arbitrium valet ad opera bona, si divinitus adjuvetur. II, 675. Liberum est arbitrium, etiamsi divino indiget adjutorio. II, 828. Liberum arbitrium et Dei gratia simul commendantur. X, 887. Utrumque Scriptura admittit. X, 879. Quomodo utrumque commendet. II, 975. Inclinare cor in testimonia Dei, simul est et divini muneris, et propriæ voluntatis. IV. 1569. Gratia dilectionis sine qua nemo pie vivit, et cum qua nemo nisi pie vivit, asserenda, ut vere liberum defendatur arbitrium. X, 1299. Liberum arbitrium potest esse solum in homine, si non venit ad Christum ; non autem potest nisi adjutum esse, si venit. X, 568.

Liberum arbitrium hic infirmum, etiam in baptizatis et sanctis. X, 1514. Ejus infirmitas non nisi per gratiam reparatur. X, 1295. Liberum arbitrium gratia reddendum et adjuvandum. X, 1278, 1279. Libertas bene agendi perdita, non redit nisi per gratiam. X, 1544. In bonum quod reliquit homo, solius Dei gratia revocari potest, non voluntate libertatis, quam merito iniquitatis amisit. X, 1518. Libertas amissa reddi non potest, nisi a Deo. VII, 418.

Libertas vera ex gratia. X, 552. Per gratiam. X, 938. Liberum arbitrium vere fit liberum gratia. II, 760. Liberi efficimur per adjutorium gratiæ. X, 1534. A lege peccati nemo liber, nisi per gratiam. V, 842. Libertatis pristinæ statum Christi reformavit adventus. Innoc. II, 785. Libertas a liberatore promittitur credentibus. X, 296. Tunc efficimur vere liberi, cum Deus nos creat ; non ut homines, quod jam fecit, sed ut boni simus. VI, 247. In primo Adam patuit quid hominis arbitrium valeret ad mortem, in secundo quid Dei adjutorium valeret ad vitam. II, 845. Voluntas non libertate gratiam, sed gratia libertatem consequitur. X, 926. In recte faciendo ideo nullum est vinculum necessitatis, quia libertas est caritatis. X, 286. Ipsa sanitas est vera libertas. X, 296.

Liberum arbitrium per gratiam non evacuatur, sed statuitur. X, 233. Non tollitur, cum gratia prædicatur. VI, 443 ; X, 265. Ab apostolo non auferitur. III, 2071. Neque voluntatis arbitrium ideo tollitur, quia juvatur ; sed ideo juvatur, quia non tollitur. II, 677. Libera voluntas nobis a Deo data, tametsi absque illo nihil sit conatus noster. IV, 208. Quod ab homine exigitur propter arbitrium voluntatis, hoc a Deo petitur propter auxilium majestatis. V, 903. Liberum arbitrium ad hoc nos habere intelligamus, ut pia voluntate invocemus Dominum. II, 676. Qui oppugnat gratiam, qua nostrum ad declinandum a malo, et faciendum bonum, liberatur arbitrium, ipse arbitrium suum vult adhuc esse captivum. II, 981. Liberum arbitrium potius oppugnant, qui oppugnant Dei gratiam, qua vere ad bona eligenda et agenda fit liberum. II, 987. Liberum arbitrium non sic defendatis, ut ei bona opera sine Dei gratia tribuatis : nec sic de cuadatis gratiam, ut quasi de illa securi, mala opera diligatis. II, 974.

Liberi arbitrii et gratiæ Dei conciliandæ difficultas. X, 383. Liber ad malum quis. X, 1298. Ad peccandum liber est, qui peccati servus addictus est. VI, 246. Libertas a justitia, servitus sub peccato. III, 156. Liberum arbitrium in malo habet, cui delectationem malitiæ vel occultus vel

manifestus deceptor insevit, vel ipse sibi persuasit. X, 1110. Liberam voluntatem habent in malis, qui sunt liberi justitiæ; non habent liberam in bonis, qui sunt servi peccati. X, 1115. Liberi a justitia non sunt nisi arbitrio libertatis: liberi autem a peccato non fiunt, nisi gratia Salvatoris X, 1110. Ibi summus veraciter liberi, ubi non delectamur inviti. X, 452. Liberi ad faciendia opera pietatis quinam. X, 1105. Quis liber ad bonum. X, 1298. Ad juste faciendum liber non erit, nisi a peccato liberatus, justitiæ cœperit esse servus. V, 246.

Libera voluntas, quæ. III, 1696. Libertas prima est carere peccatis. III, 1697. Libertas a peccato. X, 982. Frustra de libero arbitrio se jactant qui sunt servi peccati. X, 233, 234. Nec libera dicenda est voluntas, quamdiu vincentibus et vincientibus cupiditatibus subdita est. II, 593. Libertas est cum non peccare delectat. X, 218. Libertas novi Testamenti ea est, ut peccato ad mortem non serviant gratia liberati. X, 938. Liberrimum tunc erit arbitrium, cum peccato servire non poterit. X, 956. Liberius erit arbitrium quod omnino non poterit servire peccato. VI, 281. Non pugnat cum libertate arbitrii negata peccandi licentia et impunitas. IX, 716. Et ita censuerunt majores Donatistarum. IX, 717. Homo a malo se ipso liberatus, lædi ab aliquo non potest. V, 233, 1363, 1364. Solus justus est liber. V, 885.

Libertas vera est Christo servire. II, 128. Libera est creatura, cum famulatum Creatori exhibet. IV, 1493. Uni Deo summa libertate servitur. I, 1170, 1520. Libertas a temporali lege et rerum inferiorum dominio, eorum est qui æternæ legi adhærent. III. 218. Libertas a cultu seu dominatu creaturarum, qua per Christianam religionem in Dei servitio gaudemus. I, 1078. Libertas a conditione peccati, eorum est qui veritati subduntur. I, 1261. Libera voluntas tanto erit liberior, quanto sanior; et tanto sanior, quanto divinæ misericordiæ gratiæque subjectior. II, 676. Libera servitus est apud Dominum, ubi non necessitas, sed caritas servit. IV, 1275. Ipsa est vera libertas propter recti facti lætitiam, simul et pia servitus propter præcepti lubentiam. VI, 246. Libertas vera et sana libertas est, cum bonum opus fit non timore, sed amore. IV, 820. Libertas novi Testamenti amor, servitus veteris timor. I, 1334. Libertas timorem excludit. III, 1698. Libertatis lex, est caritatis lex. II, 740. Spiritus servitutis et spiritus libertatis. V, 857.

Libertas duplex, altera meriti, altera præmii. VII, 802. Major nunc in sanctis libertas, quam ante in Adamo. X, 937. Libertas justorum tanta non est in hac vita, quanta erit in altera. X, 1116. Posse non peccare, mori, bonum deserere, et non posse peccare, mori, bonum deserere, qui differant. X, 956. Libertas plena in æternitate. III, 1697, 1699. Et perfectissima. II, 982. Liberum arbitrium beatorum quale. VII, 802. Libertas duplex, immortalitas, perseverantia. X, 936.

Liberatore ad quid opus esse dicunt Manichæi. X, 1105.

Liberari duobus modis dicitur. V, 743. Liberat Christus, et iniquitatem auferendo, et inspirando caritatem. X, 1104, 1106. Liber in bono nullus, nisi per gratiam Christi fuerit liberatus. X, 917. Vere liberi sunt, quos Filius liberaverit. X, 440. Liberum in bono non erit; quod Liberator non liberaverit. X, 1110. Omnes liberare quomodo dicitur Christus. X, 1198. In iis quos liberat Deus, misericordia; in iis quos non liberat, agnoscendum judicium. X, 1071. Liberavit Deus hominem, non diabolum; quia homo minus peccavit. I, 1284. Liberari a corpore mortis quid sit. X, 677. Libri de Libero arbitrio, quo fine, contra quos scripti. X, 1008.

Libido quid sit. VI, 496. Libido, voluptas sensuum. X, 770, 771. Libido, generale vocabulum omnis cupiditatis. VII, 424. Libidines aliæ vocabula propria habent, aliæ non. VII, 424. Libido, cum nihil additur, de obscœnis motibus corporis intelligi solet. VII, 424. Libidines discernendæ a sensibus. X, 1367, 1368. Aliud sentiendi vivacitas, utilitas, necessitas; et aliud libido. X, 770. In sensibus odorandi, gustandi, et tangendi, quatenus libido possit discerni, et debeat domari. X, 770. Libido vocatur amor, cum pravus est. IV, 124. Libidinem vitiosam animi partem esse concessi sunt Platonici. VII, 427. Quo sensu. X, 854.

Libido post peccatum orta. VII, 428, 429. Et ex peccato. VII, 430; X, 405, 406, 427. Libidinis origo. III, 398, 446. Libidinem cum nominare confundatur Julianus, hanc appellat membrorum vigorem et potentiam. X, 471, 472. Naturalem appetitum. X, 446. Calorem genitalem. X, 739. Virilitatem. X, 816. Libidine delectantur Pelagiani. X, 1248. Libidinis laus a Juliano quam magna, licet falsa. X, 1144, 1160, 1279. Libidinem tamen nominare ipsum pudet. X, 446. Libidini patrocinatur Julianus. X, 687. Et eam in paradiso collocat. X, 1159, 1167. Libido an esse potuerit in paradiso ante peccatum. X, 565. Libido in paradiso non fuisset. X, 818. Nec erat in homine ante peccatum. X, 450, 1001. Gratia Dei magna ibi erat, ubi terrenum et animale corpus bestialem libidinem non habebat. X, 781. Libido non esset, si homo non peccasset. X, 1449, 1451. Libido qualis nunc est, non fuit in paradiso. X, 1158, 1195, 1449, 1451. Libido in paradiso ante peccatum nulla esset, vel pudenda non esset. X, 1450, 1451. Aut repugnans voluntati. X, 1449. Et suos motus contra nutum ejus exserens. X, 1321. Sed nutui ejus subserviens. X, 566.

Libido non subjacet voluntati. VII, 425, 427, 430. Subjacuisset, si homo non peccasset. VII, 430, 431, 432. Et libidinis ac voluntatis rixam non habuissent nuptiæ. VII, 431, 434. Mentem libidinis servam non aliud quam propria voluntas reddit. I, 1232. Ante peccatum sine libidine concepissent matres, sine dolore peperissent. X, 455, 454. Sine libidine poterat fieri opus conjugum in generatione filiorum. X, 451. Duo in carne una esse possunt sine libidine. X, 1167. Libido qualis forte potuerit esse in paradiso. X, 1094, 1160. Libido ante peccatum non erat vitiosa. VII, 427.

Libido malum. X, 768, 801, 1155. Tullius ipse libidinem malum esse cognovit. X, 768. Libidinis auctor diabolus. X, 801. In libidine venerea malum peccati originalis. X, 142. Libido qualis nunc, aut vitium est, aut vitiata est. X, 1451. Libidinis non solum excessus culpabilis, sed etiam impulsus est vitiosus. X, 1360. Libido qualis nunc est, mala est. X, 1094. Mala est libido spiritui resistens. X, 1161. Libido morbus. X, 469, 765. Vulnus naturæ. X, 732. Pœna peccati. X, 120, 287, 288, 787, 1554. Inobedientiæ supplicium voluntatis. X, 429. Libido non a prima institutione, sed a primi hominis mala voluntate originem ducit. X, 764. Resistente atque torquente dolore carnalis vinculi non posse a libidinosis operibus temperare, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati. I, 598. Libido quo sensu nobis naturalis. X, 801. Humanæ menti regnum in libidines æterna lege concessum est. I, 1232. In homine perverso servit ratio, libido dominatur. IV, 108.

Libido licet licita, latibulum quærit. VII, 426, 427. Præ cæteris cupiditatibus turpis est. X, 756. Libidinis merito pudet. VII, 425, 428, 431. Quare. VII, 431. Libido cur nunc pudenda. X, 1161. Quandonam cœpit pudenda esse. X, 451, 452, 457. Ex libidine membra sunt pudenda. X, 451. Libido pudenda nonnisi ex peccato. X, 1160, 1167. Et ex pœna est peccati. X, 1449. Ante peccatum non esset generatio sine commixtione, esset tamen commixtio sine confusione. X, 458. Libidinem sexuum a Deo creatam dicunt Pelagiani, in hominibus tamen pudore esse obumbrandam. X, 1362. Libidinis motus cur aliis magis pudendus. VII, 427, 430, 431. Libido an Dei opus dici possit, quia Abraham et Sara, qui cum libidine conceperunt ex munere Dei, hoc habuerunt. X, 712, 713. De libidine peccatum originale trahitur. X, 1160. Libido non est nuptiarum bonum. X, 422. Nec in ipsis nuptiis malum est nuptiarum. X, 460. Sed carnalis concupiscentiæ malum. X, 406. Libidinis malum nuptiis non imputandum. X, 406. Nec tollit nuptiarum bonum. X, 418. Libido non venit ad nuptias ab earum institutione, sed a peccato Adæ. X, 460. Libidinis vituperatio non est damnatio nuptiarum. X, 416, 418. Libido non solum præter uxorem est culpabilis. X, 687.

Libidinis morbus a nuptiarum negotio distinguendus. X, 1090. Venialis culpa cum conjuge solius voluptatis causa concumbere. X, 1090. *Vide* Concubitus. Conjux. Ad conditionem corporis mortis hujus pertinet, quod nunc non possint esse nuptiæ sine libidinis malo, quamvis ipsum possit esse sine illis. X. 460. Libidine uti non semper est peccatum. X, 817. Libidinis malo bene uti, bonum est opus. X, 1443. Libidine quamquam mala potest quis bene et male uti. X, 457. Quinam bene aut male utitur. X, 1304, 1317. Libidine bene utuntur nuptiæ. X, 404, 1193. Bene utitur pudicitia conjugalis. X, 172, 1155, 1167. Adversus eam adhibentur ab incontinentibus nuptiarum remedia, exercentur a continentibus gloriosa certamina. X, 820. Libidine bene utitur pudicitia conjugalis, melius non utitur religiosa continentia vidualis, vel sacra integritas virginalis. X, 1451. Libidine qui utuntur, non propter libidinem, sed propter propaginem, non agunt opus diaboli. X, 1442, 1443. Libidinis motum nuptiæ ordinant, continentia cohibet et refrenat. III, 400. Libidinem sancti conjugati pati nollent in procreatione filiorum. VII, 425. Libido quandonam noceat conjugibus regeneratis. X, 413. Libidinis labe non polluuntur, qui libidine bene utuntur. X, 763.

Libido non est fami cæterisque molestiis comparanda. X, 773. Libidinis impetus non sua sponte moderatus est. X, 757. Plerumque in somnis ad ipsius operis similitudinem, et suæ motionis pervenit finem libido. X, 460. Libido imperiosa impudicis, domanda pudicis, pudenda pudicis et impudicis. X, 460. Libido non immerito militibus Christi, a quibus debellatur, odiosa est. X, 1257.

Libido venerea mentem absorbet. X, 773, 774. Non sinit sancta cogitare. X, 808. Totum hominem commovet ac sibi vindicat. VII, 424. Ne animus in æterna se attollat impe-

dit. VII, 227. Violatur societas quæ cum Deo nobis esse debet; cum eadem natura, cujus ille auctor est, libidinis perversitate polluitur. I, 689. *Vide* Cupiditas. Libido in omni malefacto dominatur. I, 1225. Ad vitæ necessaria alii libidine, alii ratione ducuntur. V, 546. Libido triplex. I, 690.

Libido. Nemo est usque adeo sapiens, ut contra libidines nullum habeat conflictum. VII, 629. Sanctorum in hac vita cum sensuum libidine pugna et lucta. X, 773. Libido etiam in conjugibus frenanda. X, 716, 717. Libidinem quatenus castitas expugnat et in conjugatis, et in continentibus. X, 1160. Libido cum vincitur, vincitur diabolus. X, 801. An ideo libidini non resistendum, quia est pœna peccati. X, 788. Libidini consentitur potius, quam imperatur. X, 798. Senex LXXXIV annorum Lyristriam sibi ad libidinem emit. X, 713. Libidinis impetus, cantus gravitate fractus. X, 798. Libido surgit? tu tene membra; quid factura est quæ surrexit? V, 719. Surgere novit, vincere non novit; surgendo assidue sine causa, discit et non surgere. V, 719. Ardeat sine causa, et consumit se. V, 719. Libido in salutis nostræ perfectione tamquam infirmitas peribit. X, 1443. In quibus non sanabitur, damnabitur. X, 1155. Libido cur non est malum in pecoribus. X, 756, 757, 1193, 1194, 1372, 1373, 1374, 1453. Libido pertinet ad naturam pecoris, ad pœnam hominis. X, 1360, 1363, 1372, 1373. *Vide* Concupiscentia.

Libidinosi non credunt antiquos justos temperanter uti potuisse multis feminis. III, 76. Libidinosi describuntur. III, 97. In libidines suas euntes, cur fluxi et soluti dicantur. IV, 687.

*Libosus* Vagensis. IX, 143, 220.

Libra dictus liber Dictinii. VI, 522, 543, 548.

*Libyci* philosophi. VII, 253.

*Licentius* Romaniani filius. I, 928, 1080; II, 110. Augustini pro eo sollicitudo. II, 126. Nomen patris et matris erga Licentium Augustini pietas jure sibi vindicat. II, 126. Licentium a moribus incompositis et libidinosis ad sapientiæ studium revocat August. II, 106, 107. Licentium Paulino commendat August. II, 110. Eumque rogat ut Licentium velit exhortari et instruere. II, 110. Benedictos panes quinque Paulinus Romaniano et Licentio mittit. II, 126. Licentius in agro Cassiciaco agens cum Augustino, interlocutoris personam sustinet in libris ibi conscriptis. I, 905. Et in libris *de Musica*. I, 1081. Licentius poeticæ deditus erat. I, 922, 923, 935. Et philosophiæ studiosus. I, 907, 987, 988. Licentii carmen ad Augustinum præceptorem. II, 104. Licentii ingenium aureum. II, 107.

Liciatum. VII, 777.

*Licinius* Imp. II, 304.

*Licinius* Consul. IX, 687.

Licita sunt quædam, quæ non expediunt. VI, 460, 463.

Ligandus nemo propter offensam, nisi juste : nam injusta vincula disrumpit justitia. V, 509. Ligandi et solvendi munere quomodo fideles quique fungantur. V, 509.

Ligaturæ superstitiosæ. II, 1060; III, 50. Ligatura sacrilega ad sanitatem recuperandam. V, 1501, 1439. Ligaturas adhibere. IV, 318.

*Limata*. IX, 511.

Lignum scientiæ boni et mali. VIII, 613, 614, 660. Arbor vera et innoxia. III, 377, 385. Quare sic appellatur. III, 377, 384; VII, 425; X, 171, 172. Recte sic vocaretur, etiamsi non peccassent primi parentes. III, 385. Lignum scientiæ boni et mali non ideo vetitum est quia malum. III, 384. At non ob aliud est malum, nisi quia prohibitum. VII, 420.

Lignum vitæ virtute invisibili præditum. III, 451. Quid præstiturum erat. X, 172. Senium arcebat. VII, 394. Et mortem. VII, 394, 396; X, 1598. Primi parentes ejus ope nec morbo tentari, nec ætate mutari potuissent. III, 447. Lignum vitæ cibum præstabat, quo corpus hominis sanitate stabili firmaretur. III, 377. In carne primorum parentum factum fuisset per escam ligni vitæ, quod fit in Angelis per æternitatis participationem. III, 447. De ligno vitæ manducavit Adamus. X, 1581. De eo solebat Adamus sumere sacramentum, de cæteris alimentum. VII, 394; X, 1580. Lignum vitæ aliud spiritale, aliud corporale. X, 1598. Cibus ligni vitæ magnum aliquid significabat. III, 377. Lignum vitæ et vere creatum est, et sapientiam figuravit. III, 375, 376, 377. Lignum vitæ typus sapientiæ. X, 172. Et sacramentum. III, 447, 451; VIII, 615, 616. Lignum vitæ plantatum in medio paradisi, quid significet. III, 205. Christum significabat. VII, 701. Lignum vitæ primis parentibus de paradiso ejectis mansit ad memoriam significandæ spiritalis arboris vitæ. VIII, 616. An cibo ligni vitæ vescatur nunc aliquis, nisi forte Enoch et Elias, non temere asseverandum. VIII, 616. Enoch et Elias translati creduntur ubi est lignum vitæ. X, 1581.

Lignum nos portat in aquis maris. IV, 1580. Ligna impu-

tribilia, ex quibus arca fabricatur. IV, 1917. Lignum per quod aquæ dulces factæ sunt, figura crucis. III, 616. Lignum ubi erant fixa membra Christi morientis, etiam cathedra fuit magistri docentis. III, 1950. Domuit lignum quod ferrum non domuit. IV, 1228. Ligna in campo fructifera allegorice. V, 313. Ligna campi, plebes populorum IV, 1570. Ligna silvarum Pagani sunt. IV, 1234.

Limatensis episcopus. II, 162.

*Limentinus* Deus limini præfectus. VII, 119, 184.

Limitibus carbones substernuntur. VII, 713.

Limus terræ unde homo formatus est. III, 201. Limus profundi fiunt, qui a justitia cadunt. IV, 843. Limus luti, concupiscentiæ carnales. IV, 434.

Linea quid. I, 1041. Linea transversim secari infinite potest. I, 874.

Lingua dupliciter intelligitur. VIII, 296. Quid velit cor, lingua testatur. IV, 1191. Linguæ bona vel mala, ubi adest mens bona vel mala. V, 1418. Ream linguam non facit, nisi mens rea. V, 973. Linguæ tentatio. V, 1300. Linguæ tentationibus aliquando non feriri difficile est. V, 1526. Lingua in udo posita, facile in lubrico labitur. V, 978. Lingua non frustra in udo est, nisi quia facile labitur. IV, 414. Contra hæc remedium est silentium. IV, 414. Lingua dolosa ea est, quæ habet imaginem consulendi, et perniciem nocendi. IV, 1599, 1600. Lingua adulatoris plus persequitur, quam manus interfectoris. IV, 869. Cibos amaritudinis non das ventri tuo, et cibos iniquitatis das linguæ tuæ malignæ; sicut eligis quo vescaris, sic elige quod loquaris. IV, 605. Lingua Judæorum, gladius quo Christus occisus est. IV, 668, 669. Quam difficile, etiam in piis officiis prædicationis, exhortationis, etc... lingua non peccare. IV, 414, 580. Lingua hominem alienat ab homine magis quam animal ab animali. VII, 653. Linguæ iniquorum sunt in manu diaboli. IV, 1867. Tolerabilius est lingua labi, quam vita. X, 728.

Lingua cohibenda. V, 635, 978. Linguam domare quam difficile. IV, 1827. Linguam domare nemo potest sine gratiæ adjutorio. X, 254. Deus linguæ dominator. V, 575.

Lingua Dei cur dicta est calamus. IV, 497. Lingua Christi, prædicatores ipsius. IV, 175. Lingua popularis, plerumque est doctrina salutaris. IV, 279. Lingua nostra canticum Jerusalem. IV, 1771. Lingua barbara est, quæ Dominum non laudat. IV, 1478. Habendum in corde, quod habet omnis homo in lingua : *Quod vult Deus*. IV, 279. Lingua exsecta presbytero. V, 1596.

Lingua pro sono qui lingua promitur. III, 1952. Pro locutione quæ fit per linguam. IV, 597. Lingua una primitus fuit ante turrim Babel. III, 401. Linguarum diversitas unde VII, 483. Linguarum diversitatem superba impietas invexit, et humilis pietas Ecclesiæ contulit unitati. IV, 636; V, 1215. Linguæ tres toto orbe maxime excellunt, Hebræa, Græca et Latina. IV, 692. Lingua Hebræa primo fuit omnium lingua. VII, 522. Lingua Hebræa unde sic dicta. VII, 522. Hebraica, Punica, et Syra lingua sunt cognatæ. III, 1520. Lingua Græca et Latina qua figura dicitur. IV, 535. Linguarum cognitio necessaria ad intelligentiam Scripturarum. III, 42. Linguæ originali potius credendum, quam ejus translationi. VII, 454, 455.

Linguarum donum, signum olim maximum Spiritus sancti descendentis in fideles. VII, 612. Linguarum donum quid significarit, IV, 161, 1706; V, 461; VII, 612. Linguæ omnium gentium in uno homine die Pentecostes, quid significant. V, 497, 946, 1230, 1232, 1234, 1550. Linguæ omnes creaturæ ostendebantur, ubi jam omnes linguæ sonabant. III, 1991. Linguis omnibus modo loquitur unus homo Christus et Ecclesia. IV, 161. Linguis omnium loquitur, qui in corpore Christi est. IV, 1929. Modo in Ecclesia ipsa unitas tamquam unus loquitur omnium gentium linguis. V, 534, 1246. Cur donum linguarum modo non conceditur. V, 1250. Nec linguis loquuntur qui credunt. IV, 1706.

Linguere terram, quid sit. IV, 909.

*Linternense* oppidum in Campania. VII, 102.

Lintei quatuor initiis subligati interpretatio. IX, 413.

Linum et lana quid figurant. V, 224. Linea vestimenta interiora. V, 224. Linistima vestis. VIII, 227.

*Linus* poeta Theologus. VII, 572, 597.

Litigare an liceat. III, 1281. Aut judicio publico sua repetere, nullis succurrentibus Apostolicis exemplis. II, 327. Litem habere de rebus sæcularibus prohibitum a Christo. VI, 270. *Vide* Judicium. Lites habere, delictum. V, 1540. Quod tamen ferendum, si judicio ecclesiastico finiantur. V, 1540. Litigare etiam apud Ecclesiasticos judices, delictum est Christianis. IV, 1045. Litigantes ad Episcopos causas suas deferunt. IV, 1570. Litem inferenti cedere aliquid ut Deo vaces, est tempus redimere. V, 910. Litigatorum malorum vox, se malos judices esse perpessos. II, 169. Melius est dubitare de occultis, quam litigare de incertis. III, 576. Litigare quis censendus. V, 1595.

Litteræ signa vocum, voces signa rerum. VIII, 1071. Primarum litterarum magistri. I, 670. Litteras a primis hominibus cœpisse nonnullis videtur. III, 620. Litterarum repertor Mercurius. III, 49. Litterarum occasio. I, 1011. Litteræ Hebraicæ antiquissimæ. VII, 598. Litteræ quare non sunt communes omnibus gentibus. III, 38. Litteræ seu scribendi ars, quantæ utilitatis. VIII, 972, 973. Littera eadem nomen Dei et diaboli inchoatur. IV, 1373.

Littera quare per se occidat. X, 1111. *Vide* Lex.

Litteræ quæ nobis venerunt de patria nostra, Scripturæ sacræ. IV, 1952. Litteræ communicatoriæ. II, 163, 167, 168. Et non communicatoriæ. II, 161. Litteræ communicatoriæ hæreticis non dantur. IX, 245. Litteræ communicatoriæ dicuntur formatæ. II, 174. Litterarum suarum asperitate offensum episcopum quanta modestia Augustinus placare conetur. II, 624, 630.

Litteras spe commodi temporalis discere, quam solemne et quam vanum. VI, 675. *Vide* Studium.

Litteratura. I, 786. Litteratura Judæorum. IV, 888.

Litteriones. VIII, 635.

*Litteus* a gemellis. IX, 239.

*Livetensis* fundus. II, 397.

Loculos Dominus quem in usum habebat. IV, 1367.

Locus quid. VI, 15, 16. Locorum spatia infinita ante mundum non sunt cogitanda. VII, 520. Loca spiritalia spiritaliter cogitare difficile est. III, 1928. Loco non continetur Deus. IV, 337, 952, 953. Localia spatia non occupant nisi corporum moles. II, 362; V, 352, 359, 1486. Locorum spatia tolle corporibus, jam non erunt. II, 858. Quod loco capitur, minus est in parte quam in toto. V, 665. Locus sanctus Dei, quis. IV, 815. *Vide* Deus. Locus Christi, ipse Pater est; locus Patris, Filius; locus noster ipsi sunt, et nos locus Dei sumus. III, 1928. Locus noster, Deus. IV, 252, 878. Locus sanctorum qui hinc migraverunt. V, 1566. Locus bonus, quo nobis migrandum de hoc loco malo. V, 1085. Locus animo est affectio sua sive in delectatione, quo se pervenisse per amorem lætatur. IV, 95, 124. Locus impii quis sit. IV, 392. Locus medius non est natis ex Adamo : aut in honorem sunt, aut in contumeliam. X, 1136, 1142.

Locustarum multitudo prodigiosa in Africa. VII, 111. Locusta quid significet. IV, 1000.

Locutio ad quid instituta. I, 1193. Locutio est voluntatis significatio. V, 102. Locutionis et intellectus discrimen. VI, 311. Cum loquimur, nihil aliud molimur, nisi animum ipsum nostrum perspiciendum animo auditoris inferre. VI, 183, 184. Unde puer loqui discat. I, 666. Loquitur Deus in nobis sine sono. III, 1688. Quam varia ratione Deus loquatur. IV, 340; V, 102. Locutio Dei ad Moysen non per divinam substantiam fiebat, sed per assumptam creaturam. IV, 1788. Non magni est meriti cui loquitur Deus : interest enim quid loquatur. VI, 142, 162. Loquitur nobis Deus, si audimus. IV, 575. Multis in corde loquitur Deus, et magnus ibi sonus in magno silentio cordis. IV, 429. Sicut humana consuetudo verbis, ita divina potentia etiam factis loquitur. II, 383. Loqui bona non possunt mali, sicut nec mala boni : qui tamen interdum audiendi mali. V, 473. Loqui dolum, quid sit. V, 125. Peccatores et cum iniquitatem, et cum justitiam loquuntur, falsa loquuntur. IV, 677. Loquentes vanitatem, non audiunt loquentes veritatem. IV, 1866. Quid necessarium est doctori, ut recte loquatur. III, 333. Recte non loquitur homo, nisi quantum Dominus adjuvat. III, 333. Pauca sunt quæ proprie loquimur. I, 820. Magis optet servus Dei audire, quam dicere. IV, 1812.

Locutio metaphorice. III, 886. Unde dignoscatur an figurata sit Scripturarum locutio. III, 71, 72, 74. Locutiones figuratæ obscuræ fiunt ex ignorantia rerum. III, 47. Locutionis integritas quid sit. III, 44. Locutiones, seu proprietates linguæ Hebraicæ vel Græcæ. III, 485. Locutiones ex variis libris Scripturæ. III, 485. *ac deinceps.*

Loqui cum muliere pro concumbere. III, 625.

Logica seu rationalis philosophia ad contemplationem pertinet. VII, 228.

Longævum pro æternitate quandoque ponitur. IV, 1613.

Longe quisque est a Deo, non regionibus, sed affectibus et dissimilitudine. IV, 1077, 1217. Magna miseria est longe esse ab eo qui ubique est. IV, 1274.

*Longinianus* paganus philosophus. II, 1030. Sed ab Augustino dilectus eumque vicissim diligens. II, 1029, 1031. Interrogatus ab Augustino qua existimet via ad vitam beatam perveniri. II, 1029. Ut potest respondet. II, 1030. Ac deinde alia ab eo quærit Augustinus. II, 1031. Longinianus paganus laudat Augustinum. II, 1030.

Longinquare. IV, 337.

Longum est quod æternum est, breve est quidquid finem habet. IV, 1169, 1613. Quod tibi longum videtur, cito est Deo : subjunge te Deo, et cito tibi erit. IV, 337.

Lorica est fides, quia interiora transfigi non sinit. IV, 324.

*Lot*, interpretatur declinans. IV, 1033. In duobus Angelis apparuit unus Dominus Lot. VIII, 807, 809. Lot Angelos apud se hospitantes credidit esse homines, divinitus tamen missos. III, 559. Lot meritis Abrahæ liberatus. III, 560. Lot justus dicitur comparative ad Sodomorum sceleva. III, 560. Lot ex incendio Sodomorum salvus evadens typum gestat corporis Christi. VIII, 425. Lot factum offerentis filias suas constupratoribus Sodomitis. VI, 550. Lot a peccato defendi vix potest. VI, 532. Lot uxor conversa in salem, quid admoneat. VII, 509; VIII, 425. Uxor Lot in salem conversa ut homines condiat. IV, 1057; VI, 682. Quid figuret concubitus filiarum Lot cum eo. VIII, 426. Concubitus filiarum Lot cum eo, et prophetia est et flagitium. VIII, 426. Figura est eorum qui male utuntur Lege. IV, 720.

Lotionem pedum die cœnæ in consuetudinem multi recipere noluerunt, ne videretur ad baptismi sacramentum pertinere. II, 220. Nonnulli de consuetudine auferre non dubitaverunt, alii in diem tertium octavarum vel in ipsum octavum transtulerunt. II, 220. Lubricum luxuria est. IV, 328.

*Lucanus* poeta. VII, 107. Judæorum Deum incertum posuit. III, 1063. Lucani locus. II, 1071.

*Lucas* et Marcus Apostolorum suppares. V, 1127. Lucas circa sacerdotalem Domini stirpem occupatur. III, 1044. Lucæ vitulus assignatus est, quare. III, 1666. Lucæ cap. 3, v. 3, conciliatur cum Matthæi, c. 1, v. 1. III, 580.

*Lucas* servus Dei litteras August. ad Joannem defert. II, 774.

Lucernæ et luminis veri discrimen. V, 987. Lucerna sapientiæ, caro Christi. IV, 1793. Lucerna in candelabro lucens, Christus in cruce pendens. V, 1456, 1479. Lucernam in cruce Dominus accendit. IV, 1379. Lucerna a se ipsa non accenditur, ita nec anima humana sibi præstat lucem. IV, 1446. Lucerna Scripturarum. IV, 608, 1854. Lucerna infirmis oculis accensa in sanctorum exemplis. V, 1436. Lucerna, homo qui bene operatur. V, 1479. Lucerna inextinguibilis in fano Veneris. VII, 716.

*Lucianus* a Rucuma. IX, 228.

*Lucifer* stella Veneris. VII, 721. Luciferi stellam, quidam Veneris, quidam dicunt esse Junonis. VII, 206. Lucifer pro cunctis sideribus positus, pars pro toto. IV, 1186, 1187, 1458. Luciferum sidus honori et nomini Cæsaris dicare conati sunt Romani. III, 51, 1037. Luciferi nomine significantur tempora. V, 747. Lucifer significat omnem spiritum qui illuminatur. IV, 1187.

*Lucifer* Calaritanus episcopus a quo Luciferiani. VIII, 45. Lucifero Calaritano displicuit quod Arianis ad Ecclesiam redeuntibus gradus honoris servarentur : cecidit in schisma. II, 813; VI, 307, 308.

*Luciferianos* nec Epiphanius, nec Philaster inter hæreticos posuit, quare. VIII, 45. Luciferianorum error. IV, 837. Luciferianos animam ex transfusione generari sensisse quidam dicunt. VIII, 45.

*Lucilianus*. I, 923.

*Lucilla*. V, 293. Mulier Hispana. IX, 395. Pecuniosissima. II, 167. Et factiosissima femina. IX, 37. Odiis accensa furialibus instat ut contra Cæcilianum alter ordinetur. IX, 512. Episcopos adversus Cæcilianum corrupit. IV, 576. Et damnationem Cæciliani emit ab eis. II, 168; IX, 426, 443. Quadringentos folles dedit. IX, 513. *App.* 798. Lucilla cur Cæciliano infensa. IX, 37, 426, *App.* 775. A Cæciliano, dum diaconus esset, correpta et inde læsa. II, 167.

*Q. Lucilius* Balbus in secundo de deorum Natura libro Ciceronis disputat. VII, 136.

*Lucillus* episcopus, portans reliquias S. Stephani a fistula sanatur. VII, 766.

*Lucillus* diaconus, Novati forte Sitifensis episcopi, germanus. II, 294. *Not.* (*b*).

*Lucina* dea a parturientibus invocata. VII, 122. Parturientibus præfecta. VII, 128.

*Lucinianus* Augustini familiaris. II, 67, 73.

*Lucius* et Gaius, pro quolibet. V, 253, 1587.

*Lucius* Opimius. VII, 105.

*Lucius* Pontius. VII, 72.

*Lucius* Saturninus, tribunus plebis. VII, 106.

*Lucius* Tarquinius Collatinus Consul, Urbe ejectus a collega suo. VII, 94.

*Lucius* Titius. VII, 72.

*Lucius* ab Ausafa. IX, 256.

*Lucius* a Castro Galbæ. IX, 207.

*Lucius* a Membresa. IX, 254.

*Lucius* a Thebeste. IX, 220.

*Lucretia* a filio Tarquinii violenter stupro oppressa. VII, 61. Lucretia adultera non fuit, sed casta. VII, 32. Ex pudoris infirmitate, non ex caritate pudicitiæ se occidit. VII, 34. Homicidium commisit, cum se peremit. VII, 35.

*Lucretius* Consul Romanus. VII, 95.

*Lucretius* animam ex atomis esse scribit. VIII, 72.

Lucrum est esca, fraus laqueus. IV, 782, 1810. Lucrum non sic sapit, quomodo dolet damnum. V, 1438. Lucrum luteum. I, 716. Pereat mundi lucrum, ne fiat animæ damnum, IV, 1382, 1645. Nemo habet injustum lucrum sine justo damno. V, 70.

Lucta spiritus cum carne. I, 760. Lucta christianæ animæ. V, 1541. In tentationibus quotidianis. V, 1439. Lucta carnis et spiritus hîc in justificatis manens. V, 85, 169, 189, 715, 820, 821, 864, 891. In lucta carnis et spiritus quid faciendum. V, 190. Victoria post resurrectionem cur differtur. V, 892. De lucta spiritali disserentem, qui non certant non intelligunt. V, 815.

Luctus est non inhumani cordis vulnus, quod consolationibus sanatur. VII, 635. Luctus et officia defunctis exhibenda. V, 937. *Vide* Lugere.

Lucus dicitur quod minime luceat. III, 81, 800.

Ludi primitus instituti Telxioni regi Sicyoniorum. VII, 562. Ludi diis inferis sacri. VII, 99. Ludi Circenses. I, 725. Soli primum in usu apud Romanos. VII, 44. Ludi funebres. VII, 253. Ludi sæculares Romæ instaurati. VII, 98. Ludi sæculares contemnendi. IV, 1046. Ludi quare diis instituti. VII, 569. Ludos alicui celebrare an divinitatis indicium. VII, 253. Ludi esse non deberent in humanis, si Romani essent honesti. VII, 112. Ludi scenici, in rebus divinis positi a Varrone. VII, 132, 137. A Platone damnati. VII, 237, 238. Ludos scenicos non turpes judicaverunt Græci. VII, 135. Hi scenicos actores in reipubl. administrationem receperunt. VII, 55. Ludi scenici, deorum jussis Romæ instituti, quare. VII, 44, 53, 57, 58, 73, 132. Quam periculosi ludi scenici. VII, 75, 76, 134. Quam turpes. VII, 50, 51. Licet turpes, eos exhiberi sibi dii jusserunt. VII, 189, 237. Turpissime ludos scenicos dii poposcerunt. VII, 239. Ludi scenici sunt pestis morum. VII, 97. Ludis scenicis majestas divina non placatur, quibus humana dignitas inquinatur. VII, 78. Deos habere qui ludis scenicis delectantur, simile est furoris. VII, 187. Ludi pompatici. V, 148. Nugatoria iniquitatis, ludi et spectacula vana. V, 81, 83, 88.

Ludi, id est, loci ad exhibendos ludos. V, 203.

Ludificatio dæmonum, quomodo fit. VII, 574.

Lugere quemquam numquam debebant qui oleo sanctificati erant. III, 690, 710. Apud antiquos ea faciebant lugentes, quæ consuetudini essent contraria. III, 690. Scindebant vestimenta. III, 710. Secabant corpora. III, 708. Hoc fieri Deus prohibet. III, 708. Sanctis in veteri Testamento celebrabatur luctus septem dies. III, 596. Numerus istic septenarius luctus comprobatur. III, 596. *Vide* Novemdial.

Lugentes quomodo beati. IV, 1099. Lugendum filiis ablato sponso. V, 1049.

Lumbos succingere. V, 226.

Lumina dicuntur oculi. IV, 1858.

Luminaria et sidera unde facta. III, 265. Quare quarto die facta. III, 235. Quomodo dividant inter diem et noctem, cum jam inter lucem et tenebras divisisset Deus. III, 256. Luminaria dividentia inter noctem et diem allegorice. I, 854. Luminaria et sidera quomodo sint in tempora et signa, in dies et annos. III, 274, 275. Non ideo cœlestia luminaria adoranda, quia ducitur ex eis aliquando similitudo ad divina mysteria figuranda. II, 209. Luminaria cœli vident mala fieri super terram. IV, 1194.

Luna ex aqua bona facta secundum Manichæos. VIII, 33. Et navis lucis. VIII, 33. Luna qualis creata fuerit. III, 275. Plenam primitus factam esse, absurdum est dicere. III, 256. Omni die perfecta est. III, 256. Semper est plena. III, 276. De luna, unde lumen habeat, duæ sunt opiniones. IV, 131, 132. Manichæorum de lunæ incremento et defectu delirium. II, 207. Ejus incrementa et decrementa, unde. IV, 131, 132. Lunæ defectus et incrementum ex eo quod magis vel minus illustretur a sole; aut si habeat suum lumen ex eo quod partem hemisphærii in qua est lumen ostendat vel abscondat. II, 207. Lunam deponi imaginaria ludificatione sensuum exhibebatur. VII, 295. Non luna ipsa, sed quod accenditur, variatur. III, 276. De luna quam inepte quidam mentiuntur. IV, 1194. Lunam adorabant Manichæi. VIII, 242, 300, 320. Soli et lunæ non conviciatur Moyses. VIII, 300. Christiani non observant dies et annos et menses et tempora, licet ad solis et lunæ computationem Pascha celebrent. II, 209. Luna in Scripturis allegorice Synagoga. II, 208; IV, 137. Ecclesia. IV, 131, 908, 1373. Sicut luna ad oculos nostros augetur recedendo a sole, et minuitur ad solem appropinquando; sic anima recedendo a sole justitiæ ad exteriora progreditur, appropinquando vero se convertit ad interiora. II, 207, 208. Lunæ nomine significatur mutabilitas mortalitatis. IV, 728, 908, 1134, 1846. Item scientia. IV, 1760. Luna resurrectionis imago. IV, 1324. Luna significat carnem Christi. IV, 941. Carnales designat et insipientes. IV, 941. Frange lunam, fac fortunam, dictum evangelicum. VI, 674.

Lupæ ad Martem pertinent. VII, 578.

Lupanaria unde dicta. VII, 578.

*Luperciana*. IX, 229.

*Luperci* Romani, unde sic dicti. VII, 574. Lupercorum sacerdotum ascensus et descensus per viam sacram quid significat. VII, 569.

*Lupicinus* servus Dei. II, 592.

Lux duplex, Deus, et lux quam fecit. VIII, 609. Inter lucem quod est ipse Deus, et lucem quam fecit Deus, non distinguunt Manichæi. VIII, 404. Lux æterna et incommutabilis. I, 742, 801. Lumen Deus quale cogitandum. V, 36. Lumen quod Deus est, quam excellens. VIII, 372. Lumen quod Deus dat, non est tale quod possit ab aliquo obtenebrari. IV, 200. Lux in Domino, tenebræ sumus sine Domino. V, 321, 1472. Lux cordis Deus est. IV, 206, 207. Lucem illam non vident nisi mundi corde. IV, 206, 806. In cæcitatem mentis quisquis datus fuerit, ab interiore Dei luce secluditur. IV, 94. Paganus quasi bene vivens, patentibus oculis est in tenebris; Christianus male vivens, in luce est, sed clausis oculis. IV, 196, 197. Ex luce Dei consilium sibi dat ipsa anima. IV, 1887, 1888. In luce Dei æterna quædam legit anima rationalis. IV, 1887, 1888. Lux hominum, lux mentium. III, 1598. Lux interior cujus ope tam multa videmus ac dijudicamus. II, 615, 616. Vocatur lux judicans. II, 616. Lumen est veritas proprio splendore fulgens, unde animæ tamquam lucernæ accenduntur. IV, 102, 103. Lux sincerissimæ et incommutabilis veritatis, quibus pateat. V, 524. Lumen verum, justitia et sapientia. V, 476. Luce intelligibili perfunditur anima, ut faciat opera justa. IV, 1191. Lux justitiæ oculis cordis videtur. III, 1659. Justitiæ lux menti perturbatæ pœna est, antequam sanetur. V, 542. Lucem justitiæ mens perturbata nec audet contemplari, nec valet. V, 542. Lux cordis caritas. II, 560. Lucis internæ amor. V, 1531. Lux visibilis solis et lux invisibilis Verbi Dei, qui differant. V, 676. Lux interior cum visibili comparatur. V, 547. Lux visibilis corporum colores, invisibilis animarum formæ affectiones. V, 1498 Quando nos delicti pœnitet, in luce sumus. IV, 162. Deus fecit lucem, cum Christus a mortuis surrexit. IV, 552.

Lumen aliud illuminans, aliud illuminatum. III, 1502, 1658; IX, 74. Lumen verum ab illuminato lumine discernendum. II, 541. Lumen sibi esse homo non potest. V, 987. Lumen tu tibi non es, ut multum oculus es, nihil valens sine lumine. V, 437. Lumen a quo omnis homo illuminatur. V, 437. Lumen verum solus Christus. V, 35. Lux Dei, veritas Dei, et hoc utrumque unus Christus. IV, 478. Quomodo lux vera illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. X, 130. *Vide* Omnis. Rei illuminatæ cavendum a vento superbiæ. V, 437. Lumen mundi quomodo sunt viri sancti. V, 36. Lumen viventium. IV, 660.

Lux creata duplex, spiritalis et corporalis. VIII, 405, 611. Lux alia corporalis iniquis ac bestiis communis, et alia lux justorum. IV, 1250. Lux triplex, ætherea, sensualis et rationalis; et contrarium cujusque. III, 228. Lucem aliquam esse præter cœlum, facile ab homine percipi non potest. III, 228. Inter lucem qua cernimus, et lucem qua intelligimus, quantum distet. VIII, 372. Lucem qua cernimus, ab ea luce qua intelligimus, nusquam discrevere Manichæi. VIII, 372. Lucem corpoream Dei dicunt esse naturam Manichæi. VIII, 35. Manichæorum fabula de pugna lucis cum tenebris. VIII, 295, 294. De lucis purgatione. VIII, 33, 36. De luce creata primo die variæ difficultates. III, 254. Lumen oculorum Adam, ipse Deus erat. IV, 405. Lux an est creatura prima. III, 248. Lux quæ initio facta est, quænam. III, 227, 228. Et qualis. VII, 522. An corporale quid, an spiritale. III, 252, 248. An temporaliter, an in Verbi æternitate dixit Deus, *Fiat lux*. III, 248, 251. Quare in creatione lucis non additur. *Et fecit Deus*. III, 252, 269. Nec dicitur, *Et sic factum est*. III, 292, 317. Divisio facta inter lucem et tenebras, quomodo accipienda. III, 228. Quomodo intelligenda in creatura spiritali. III, 234. Lux primum facta, est conformatio creaturæ spiritalis. III, 311. Est vita intellectualis. III, 255. Lux dici potest facta, cum sapientia increata se transfert in animas sanctas ut illuminatæ possint lucere. III, 258. Interpretatio data de luce et die spiritali, non impropria et figurata existimanda est. III, 314.

Lux corpus divisibile. VIII, 185. Lux ubique tota. VI, 658. Lux solis facit formas coloresque discerni. V, 676. Lux regina colorum. I, 800. Lux excellentissimum in corporibus. I, 1279. Nullus sensus, nullus ab anima spontaneus corporis motus sine luce et aere. III, 363. Lumen quo cuncta discernimus, tam nobis est certum, quam efficit certa quæ conspicimus. II, 457. Luce oculi pascuntur. III, 1495; V, 709. Lux cibus oculorum. IV, 1114; V, 183. Lux per oculos emicans, unde. VIII, 675. Ante lucem surgere quid sit. IV, 1670.

Luxuria. V, 526, 529. Quid. VII, 536. Luxuriam esse ma

lum dicit Julianus, non vero concupiscentiam. X, 1349, 1350, 1351. Luxuriæ malum, concupiscentiæ consentiendo committitur. X, 1349. Luxuria quorumdam Christianorum, persecutio maxima Ecclesiæ. IV, 866. Quando Romam invaserit luxuria. VII, 102. Luxuria per lubricum significata. IV, 328.

*Luza*, Bethel, Ulammaüs, eadem civitas. III, 577.

*Lybia* duplex. V, 295. Lybia pars Africæ, competit tamen hoc nomen toti Africæ. III, 785.

*Lycurgus* Lacedæmoniis leges ex Apollinis auctoritate se instituisse confinxit. VII, 60.

Lyristria. V, 828.

# M.

*Macarius*. II, 114; IV, 135; IX, 28, 29, 32. Ad quid ab Imperatore in Africam missus. IX, 47, *App.* 800. Donatistarum injusta expostulatio de Pauli et Macarii persecutione. IX, *App.* 800. Macarius adversus Donatistas pro unitate agit secundum leges contra eos latas. IX, 362. Macarianam Donatistæ Ecclesiam catholicam vocabant. II, 190. Et Catholicos, Macarianos. IX, 292, 329; X, 1101. Refelluntur, et aliquo sensu nomen hoc gloriæ Catholicorum verti ostenditur. IX, 292, 293, 294, 297, 329. Macarium Donatistas persequendo periisse clamabat Petilianus. IX, 324, 328. Refellitur Petilianus. IX, 329. Macariana tempora. II, 97, 173; IV, 134. Paulinus ad Macarium consolatoriam epistolam dedit. II, 1073.

*Macedonius* a quo Macedoniani. VIII, 39, 797.

*Macedoniani*. V, 448; IX, 395. Et Photiniani peccabant in Spiritum sanctum. II, 814.

*Macedonius* Africæ vicarius. II, 665. *Not.* (*c*). Vir negotiosissimus in repub. nec suis, sed aliorum utilitatibus attentissimus. II, 653. Amator est reipublicæ. II, 669, 670. Lenis et humanus. II, 653. Intervenit apud episcopum pro clerico. II, 657. Ab Augustino quædam quærit, et ab eo rescriptum accipit. II, 652. Rursumque scribit Augustino, eique ille rescribit. II, 665. Macedonii edictum adversus Donatistas. II, 673. Macedonius August. commodat decem et septem solidos. II, 1092.

*Macedonum* regnum quanto tempore duravit. VII, 358.

*Machabæos* ignis non agnovit, qui tres pueros agnovit. III, 2010. Quare. V, 1380. Machabæis et tribus pueris in persecutione diversus exitus, idem tamen Dei præsidium adfuit. V, 202, 1380. Machabæis plus præstitum, quam tribus pueris. V, 1300. Machabæos Deus occulte coronavit, tres pueros aperte liberavit. IV, 1945. Machabæi in igne defecerunt carne, non fide. IV, 389. Machabæi pro sacramentis veteribus martyres effecti. II, 156. Et pro Christo. V, 1379. Machabæi martyres non appellatione, sed re ipsa Christiani. V, 1377. Machabæis merito instituta solemnitas. V, 1377, 1379. Basilica in eorum memoriam erecta Antiochiæ. V, 1379. Machabæorum mater septies martyr. V, 1379. Ejus fortitudo laudatur. IV, 835, 836, 838. Ab ipsa matres discant filios diligere. V, 1379. Machabæorum mater Ecclesiam repræsentavit. V, 1380. Matri Ecclesiæ similis. IV, 855.

*Machabæorum* libros non habent Judæi sicut legem et Prophetas et Psalmos. IX, 729. Ecclesia pro canonicis habet. VII, 596. Quare. VII, 596. Non inutiliter ab Ecclesia recepti sunt, si sobrie legantur vel audiantur. IX, 729.

Machæra, quid. IV, 1955. Machæra linguæ, major quam ferri. III, 2062.

*Macomades*, *Macomadia*. IX, 213, 473.

*Macrobius* Donatistarum episcopus. II, 536; IX, 755. Macrobius bonæ indolis juvenis. II, 406. Donatistarum apud Hipponem episcopus ordinatus. II, 406. *Not.* (*d*). Litteris Augustini rogatur ne subdiaconum ipsius rebaptizet. II, 407. Quam iniqua ejus responsio. II, 407, 408. Macrobium manifestæ injustitiæ convincit Augustinus. II, 408, 409. Macrobius Circumcellionum facta per Punicum interpretem arguit. II, 416.

*Mactaris* seu Mattaris. IX, 225.

*Madaurenses* idololatræ scribentes Augustino vocant eum patrem, et optant in Domino salutem. II, 1025. Eos Augustinus ad veram religionem hortatur. II, 1027. Madaurense forum, numinum frequentia possessum. II, 81. Quæ ibi sint simulacra. II, 82.

*Madiam*, interpretatur declinans judicium. IV, 1055. Filius fuit Abrahæ de Cethura. III, 739.

*Madianitæ* ab Abrahamo per Cethuram propagati. III, 582. Madianitæ vocantur aliquando Ismaelitæ. III, 582. Et Æthiopes. III, 727. Nunc Saraceni appellantur. III, 727.

*Maelith* interpretatur parturiens sive dolens. IV, 613.

*Magdalena* peccatrix an fuerit soror Lazari, dubitatur. III, 1748. Ejus conversio. IV, 810. Magdalena frontosior facta est ad salutem, quam fortasse erat in fornicatione. IV, 1660, 1661. Ideo sanitatem recepit, quia ægrota sibi visa est. III, 1447. Ipsi Christus apparet, quem tangere prohibetur. V, 1148, 1154. Christi ad Magdalenam verborum sensus. V, 1143, 1148, 1151, 1154. Magdalena figurat Ecclesiam. V, 58.

Magiam nunc laudat, nunc vituperat Porphyrius. VII 286. Magiæ impietas ostenditur. VII, 243.

Magicarum artium inventor Zoroaster. VII, 728. Magicæ artes ex curiositatis vitio. I, 802. Et doctrinis ac operibus dæmonum exercentur. VII, 244. Quomodo magicas artes dæmon homines edocuit. VII, 717. Magica consecratio. V, 1459.

Magi Pharaonis. V, 74, 562. Quare fecerunt quædam miracula sicut Moyses. VI, 90, 696. Magi per dæmones possunt, quidquid possunt. VIII, 875. Deus solus creat etiam illa, quæ magicis artibus transformantur. VIII, 875, 876. Aqua quam Magi Pharaonis verterunt in sanguinem, vel marina erat, vel ex ea regione in qua erant filii Israel. II, 585. An magi mortuos suscitaverint. II, 521. Apuleius Afer, cum omnibus suis magicis artibus, ne ad aliquam quidem judiciariam reipub. potestatem potuit pervenire. II, 534. David sine magicis artibus, ex pastore ovium ad regiam dignitatem pervenit. II, 534. Magi non prophetis, nedum Christo comparandi, quoad miracula. II, 535. Magi Ægyptii a Moyse superati. II, 521. In dubio utrum medicamentum sit magicum necne, quo animo quisque utatur interest. III, 57. Magi multis onerati peccatis. V, 1056. Eorum impietas in sacrilegiis. V, 1050. Magi etiam apud infideles severe puniti. VII, 243.

*Magis* stella apparuit eo die quo Christus natus est. V, 1053. Hæc stella fuit magnifica lingua cœli. V, 1051, 1055. Numquam antea, nec postea inter sidera apparuit. V, 1051. Christus a Magis quo die adoratus sit, ubique clamat præclaræ solemnitatis auctoritas. V, 1050, 1055. Magorum munera. VI, 664. Primitiæ gentium in Magis delibatæ. V, 1055.

Magister non est qui docet hominem scientiam, nisi Deus. I, 602, 813. *Et ex professo in libro* de Magistro. I, 1193. Homo exterius admonet, Deus veritas intus docet. I, 1216. Magistrum internum nos habere testamur, cum bene admonentem judicio non errante approbamus. II, 576. Qui per ministros suos rerum signis extrinsecus admonet, rebus ipsis per se ipsum intrinsecus docet. II, 591. Magister unus Christus ipse docuit Moysen per Jetro, Cornelium per Petrum, Petrum per Paulum. II, 724. Condiscipuli omnes sumus sub Christo magistro. V, 155, 1367. Magister est templum ex quo Deus reddit responsa. III, 18. *Vide* Docere, Doctor.

Magister memoriæ, præfectus dictandis et adnotandis quæ Princeps verbo responderat. II, 451. *Not.* (*b*).

Magistri penulati. I, 672.

Magisterium periculosum, disciplinatus securus. V, 155.

Magistratus malæ civitatis administrant quosdam actus bonæ civitatis, et e converso. IV, 735.

Magna res magnos viros desiderat. I, 909. Maximæ res cum a parvis quæruntur, magnos eos solent efficere. I, 909. Magnus Deus non mole, sed virtute magnus est. II, 517. In iis quæ non mole magna sunt, hoc est majus esse, quod est melius esse. VIII, 929. Magni in Deo esse poterimus, si sub illo parvuli simus. IV, 758.

Magnanimitas quid sit. VII, 35. *Vide* Animi magnitudo.

Magnates cupiditates eorum qui ipsis cohærent, explere coguntur. II, 994. Ut eas expleant, necesse est multa quæ Deo displicent fiant : et nec sic explent. II, 994.

Magnes ex India mittitur. VII, 714. Magnetis vis stupenda. VII, 714, 719. Non agit in argentum. VII, 714. Quando juxta magnetem ponitur adamas, non rapit ferrum. VII, 714. Magnetibus lapidibus simulacrum ferreum in templo quodam suspensum. VII, 717.

Magnificentia quid. VI, 21. Magnificentia Domini hæc est, justificatio peccatoris. IV, 1464. Magnificentia in Angelis et potentia quanta. IV, 1252. Magnificentiam quærebas, dilige sanctitatem; cum sanctificatus fueris, eris magnificus IV, 1252.

Magnificetur Deus semper, nusquam homo, IV, 871. Magnificamus Deum, non faciendo ut magnus sit; sed laudando et magnum fatendo. IV, 915. Magnitudinem sapientia, immortalitas, sanitas habent, sed non malis. II, 856. Magnitudinem inter et tumorem distat. V, 537.

*Magog* interpretatur de tecto. VII, 676. Bella Gog et Magog, et ædificatio templi, in Ezechiele difficilia intellectu. II, 719.

*Major* Cælicolarum. II, 180.

Major basilica. V, 1194. Seu Majorum, apud Carthaginem. V, 209, 902, 1555.

Majores non offendendos, et qui illi sint. V, 418.

*Majorinus* episcopus. II, 759, 780; IX, 90, 96. Episcopus

Carthaginensis. I, 617; II, 759, 780. A Donato contra Cæcilianum ordinatus Carthaginensis episcopus. IV, 375; VIII, 43; IX, 469, 553. Majorini pars primo dicebatur, quæ deinde dicta est Donati. II, 302.

Maius mensis, a Maia Mercurii matre nomen habet. VIII, 346.

*Malachias*, sive Malachi, propheta, Angelus dictus, et ab aliquibus sacerdos Esdras creditus. VII, 699. Quid et quo tempore prophetavit. VII, 595.

Malacia. V, 625.

*Malchus* interpretatur regnaturus. III, 1931. Solus Joannes hujus nomen expressit. III, 1951. Et solus Lucas quod Dominus ejus auriculam sanaverit. III, 1951. Auris pro Domino amputata et a Domino sanata, auditum amputata vetustate renovatum significat. III, 1931.

Maledicendi licentia non facit beatum. VII, 174.

Maledicorum genus, qui ubi episcopus, vel clericus, vel monachus, vel sanctimonialis ceciderit, omnes tales esse credant, jactent, contendant, sed non omnes manifestari posse. II, 270. Scripta maledica ne spargant discordantes, quæ concordantes delere non valeant. II, 250. Maledicorum dentes non hominem, sed carnalia ipsius desideria consumunt. IV, 197. Male viventes, etsi lingua taceant; vita Domino maledicunt. IV, 1335, 1737. Maledictio tamquam oleum est in ossibus eorum, qui se fortes putant, quia eis licet impune male facere. IV, 1441. Maledictione tamquam vestimento operitur, qui in conspectu hominum de iniquitate gloriatur. IV, 1441. Maledictione se præcingit, qui malum ex destinato aggreditur. IV, 1441.

Maledictum cur verbis horrendis dicatur. VIII, 636. Maledictum Dei in Adam ad sententiam pertinet punientis, non ad iram maledicentis. VIII, 616. Maledicta cum ex prophetia dicuntur, non sunt de malo voto imprecantis, sed de præscio spiritu denuntiantis. VIII, 330. Maledictio quandoque dicitur ex malevolo errore dicentium, non ex aliquo malo verborum. IV, 460. A maledicto cur Christus abstinuerit in Judæos. IV, 353. Quam in arbore sterilitatem Christus maledixit. IV, 354. Maledictionis maternæ rarum exemplum. V, 1443; VII, 769.

Malleus universæ terræ, diabolus. IV, 1255.

*Malliana*. II, 1034. Mallianensis subdiaconus. II, 1033.

Malitia et malignitas quid. IX, 87. Malitia, nocendi amor. V, 1560. Malitiæ vitium non natura est, sed contra naturam. VII, 331. Malitia parvulorum, naturalis. X, 1426. Malitia potest dici naturalis, sine ulla reprehensione institutionis et conditionis Dei. X, 1420. Malitia originaliter ab Adam tracta. X, 909. Malitia hominum cupiditatem nocendi potest habere propriam, non potestatem. IV, 291. Malitiæ profunditas, quæ. IV, 349. Malitia cum igne comparatur. IV, 329, 330. De malitia mali flagellatur bonus, et de servo emendatur filius. IV, 1213. Malitia immutabilis non Deo, sed homini. X, 1423. Malitia, pro pœna. V, 1400. Malitiæ individua comes miseria. IV, 293. Malitia, indigentia boni. X, 1481.

Malum quid sit. VIII, 586, 587, 607. Manichæi sententia de malo. X, 1529. Refellitur. VIII, 588, 589. Manichæorum error circa malum. X, 1104, 1105. Malum et bonum unde hi dijudicabant. VIII, 509. Malum non accidens, sed substantiam esse putant. X, 1550. Malum non est substantia. I, 743, 1350; VIII, 193, 538. Non est aut natura mala, aut dilectio naturæ malæ. VIII, 393. Non est natura, sed contra naturam. VIII, 200, 201. Id cuique generi malum est, quod contra naturam est. I, 1347. Quasi inimica substantiæ inconvenientia. I, 743, 1350. Malum non est nisi privatio boni. I, 688; VI, 13; VII, 325, 335; X, 743, 1495. Mali causa, defectus a bono. VII, 337; X, 666, 672. Ab incommutabili bono deficiens voluntas boni mutabilis. VI, 244. Mali nulla natura est, sed amissio boni hoc nomen accepit. III, 384. Malum nihil aliud est quam corruptio. VIII, 200. Corruptio modi, speciei, vel ordinis naturalis. VIII, 553. Totum nomen mali de speciei privatione repertum est. VI, 13. Naturæ malum est deficere ab essentia, et ad id tendere ut non sit. I, 1548. Mala ex bonis orta sunt. X, 669, 1478, 1480, 1481, 1495, 1496. Malum non nisi de bono profertur. X, 671. Non nisi ex natura bona oriri potest. X, 464, 669, 731. Mala non ex natura, sed ex vitio naturæ. V, 987.

Malum summum non est. VI, 13. Sine summo bono non potest cognosci. VIII, 101. Malum sine bono esse non potest. X, 1335. Malum nihil nisi quod et bonum sit. VI, 237. Malum non potest esse nisi in natura bona. VII, 353. Nisi in aliquo bono. X, 1124. Mala quæ sunt vitia, ex bonis et in bonis inesse. VI, 238; X, 1085. Malum quomodo detrahitur a natura. VII, 418. De malo bonum fieri potest. X, 404. Mala ideo de bono oriri possunt, quia bonum de nihilo factum est. X, 1481. Malum ideo potuit oriri in homine, quia de nihilo factus est. X, 1470, 1472, 1473, 1474, 1475.

Malum unde sit, magna quæstio Manichæorum. VIII, 101. Et contra Manichæos disputatur. VIII, 202, 203, 415, 596. Malum aliquando a Deo, aliquando a materia asserunt Seleuciani. VIII, 41. An Deus pater malorum. VIII, 631. Mala Deum facere negabant Coluthiani, mala creasse dicebant Floriniani, utrique hæretici. VIII, 42.

Malum quotuplex. VIII, 607. Malum dupliciter appellatur. VIII, 169. Omne quod dicitur malum, aut peccatum est, aut pœna peccati. I, 735, 1222; III, 132, 221. Malum culpæ ex libero arbitrio proficiscitur. I, 595, 612. *Ex professo in libris* de Libero arbitrio. I, 1221; X, 1509. Malum est nobis de nobis. V, 575, 1363. Malus quisque sui malefacti est auctor. I, 1221. An non est quidquam malum, præter opus voluntatis, quod justitia prohibet perpetrantis. X, 1456. Malum voluntatis non posse naturæ admoveri, falsum Juliani principium. X, 1486. In se ipsis malæ voluntates habent interiorem pœnam suam, eamdem ipsam iniquitatem suam. III, 390. Ad omnipotentiam Dei pertinet, ut ex libero arbitrio venientia mala esse permittat. VI, 559.

Mali Deus non est auctor. I, 1235, 1346; III, 1703; VI, 16. Ex duobus generibus malorum quæ sunt in mundo, quodnam pertinet ad Deum. VIII, 117. Malum quod est pœna, a Domino perpetratur. VIII, 169, 170. Malum pœnæ juste a Deo infligitur. I, 742, 1221. Mala Deus infert malis, non peccata, sed supplicia. II, 558.

Mali ortus et origo. X, 465, 666. Peccatum. VIII, 123. Censuerunt Philosophi contingere mala, propter peccata ab animabus in alia vita commissa. V, 1132. Mala hujus vitæ agnoscunt pariter Manichæi et Catholici, sed de eorum origine prorsus dissentiunt. X, 1528. Mala generis humani volunt Manichæi deputari nescio cui mali principio, æternitati Dei coæterno; Pelagiani nolunt imputare peccato. X, 1339. Mala non sunt naturalia. III, 221. Malum cum quo nascimur an naturale. X, 1127. Falsum est, malum non posse convinci, quod naturale est. X, 1457. Malorum omnium nostrorum causa peccatum est. V, 1131. Mala nulla essent, si non esset peccatum. VII, 732. Malum nullum esset, si non fecissemus. III, 384. Mala congenita nobis veniunt ex natura peccato vitiata. X, 1528. Mala congenita, si nemo peccasset, in paradiso non fuissent. X, 1529, 1549, 1550. Mala quæ patiuntur infantes, ostendunt originale peccatum. X, 1269. Et non sunt nisi ex natura vitiata. X, 821, 822. Manichæorum hæresis de naturali malo, quantum distet a catholico dogmate peccati originalis. X, 1263. Mala non ad peccatum originale referunt Pelagiani. X, 1608. Ubi quæritur unde malum veniat, Manichæos adjuvant Pelagiani. X, 1538. Manichæis in quæstione de malo facile respondent Catholici, non Pelagiani. X, 1509. Catholicum dogma de origine peccato vitiata est confitendum, ut vincatur Manichæus. X, 1532. Malum unde secundum Julianum. X, 1494. Malum in ipsum Deum refundendum esse, inepte probat Julianus. X, 1487, 1488. Malorum quæ a creaturis patimur, causa est peccatum. III, 1386. Mala hujus vitæ non nisi ex peccato X, 1546, 1550. Mala corporis et animi pullulaverunt de radice peccati. X, 1315, 1316. Mala quæ in Adæ progenie conspiciuntur, ex peccato originali. X, 1488. Mala nascentium tribuenda peccatis parentum. X, 1382. Malum nisi experimento non sentiremus. III, 384. Quid esset malum, potuisset intelligere homo ante mali experimentum. III, 386. *Vide* Afflictio. Malis temporalibus totus mundus affligitur. II, 422. Mala hæc ut in Prophetis et in Evangelio prædicta, non sunt miranda. II, 422 Mala quasi optantes Prophetæ, quo animo dicant. IV, 328, 329. Mala hic et bona et malis et bonis communia. IV, 1017; V, 236. Secus post judicium. VII, 661. Mala quisque metitur ex cupiditate et ex consuetudine. VI, 513. Si desit pietas et caritas, quid est a mundi malis tranquillitas et quies, nisi luxuriæ perditionisque materies, sive invitamentum sive adjumentum? II, 1026. Prospera res, donum est consolantis; res autem adversa, donum est admonentis Dei. II, 957. Tempora mala et dies mali unde. V, 498, 909, 1363, 1416. *Vide* Dies. Stultorum et iniquorum est accusare ordinem rerum, cum putant tempora esse pejora quam fuerunt. IV, 81. Mala quæ per quosdam Imperatores Christianos imperio Romano acciderunt, immerito in doctrinam Christianam rejiciuntur. II, 532.

Mala quædam sunt, quorum Deus auctor est. X, 711. Unum et idem malum quomodo et a Deo, et a diabolo esse possit. X, 806. Malum quod Angelo vel homini adscribitur, ei a quo conditi sunt, non adscribitur. X, 1499. Malorum temporalium causas superiores potius attendit August. II, 995. Mala quomodo sint a Deo. VIII, 204. Ad quid illa permittit Deus. VI, 256; VIII, 205. Malis variis vitam hujus sæculi cur peragi permittat Deus. IV, 329; X, 709. Malum quod tibi a Deo venit, non est malum, quia justum. IV, 278.

Malis bene uti novit Deus. VII, 435. Novit bene operari de malo. X, 1442. Novit de malo facere bonum. VIII, 427, 29 Multa bona Deus facit de nostris malis, nostrisque

peccatis. II, 727. Mala Deus omnipotens esse non sineret, si eis bene uti summa sua bonitate non posset. X, 1495. Potentius et melius esse judicavit Deus, etiam de malis benefacere, quam mala esse non sinere. VI, 245; VII, 751. Malum a Deo non fit, quando fit de malo bonum. X, 1442. Mala prosunt, bona obsunt, sicut fuerint quibus datur. III, 1801. Nihil mali accidit sanctis, quod eis non vertatur in bonum. VII, 23. Ad probationem et emendationem mala permittuntur. VII, 42. Sunt ad eruditionem nostram. III, 1441. Justorum virtutem probant. VII, 114. Malis transitoriis boni, seu vivant seu moriantur, perire non possunt. VII, 74. In his pressuris non cessat fluere amurca murmurantium, et oleum confitentium. II, 422. Mala præsentia aut transeunt nobis viventibus, aut dimittuntur nobis morientibus. V, 402. Deus de malis bona facit, vel ea sanando per misericordiam, vel ordinando per judicium. III, 1924.

Malo quis bene utatur. X, 142. Mala hujus vitæ, quæ vitare impossibile est, qua causa, qua exspectatione, quo termino quisque patiatur, interest plurimum. II, 938. Mala temporalia dupliciter patiuntur servi Dei. II, 422. Mala temporalia non timenda. VI, 724. Æquo animo ferenda, quæ patiuntur et boni. VII, 660. Pro fide pietatis omnia mala corporalia toleranda. VII, 313. Si vere quod bonum est toto corde dilexeris, omne malum patienter et æquanimiter sustinebis. V, 1397. Christianorum est pati mala temporalia, et bona sperare sempiterna. V, 1336. Mala quæcumque hujus vitæ cum æternis non comparanda. V, 937. In comparatione æterni ignis, non parva, sed nulla sunt. V, 150. Mala ut non timeremus, in se omnia pertulit Christus. VI, 339. *Vide* Bona. Mala quibus orbis terrarum affligebatur, non esse signa judicii proxime venturi ostendit August. II, 918, 919.

Mala hominis duo, mortalitas et iniquitas. V, 934. Malorum radix cupiditas. X, 370. Mala hominis duo, error et infirmitas. V, 987. Ignorantia et concupiscentia fontes omnis miseriæ hominis. VI, 244. Mala morum, vel sola, vel maxima deputanda sunt. VII, 112. Mali mala corporis, non mala morum pati exhorrent. VII, 113. Mali bonis solis carnalibus frui, et mala sola carnalia non perpeti curant. VII, 78. Mali sola deputant mala, corporis externarumque rerum incommoda. VII, 79. Mali quasi maximum bonum putant, habere bona omnia præter seipsos. VII, 79. Malum esse aliud est, aliud malum pati. V, 319. Malum nullum aliud est præter peccatum. VIII, 117. Malum opus non fit, nisi a malis. VII, 421. Malefactum est in quo libido dominatur. I, 1224. Quidquid in te mali est de peccatis, tuum est; quidquid boni in justificationibus, Dei est. IV, 193. Aliquando voluntate, aliquando necessitate malum agunt homines. X, 1494. A malo qui metu abstinent, dum occasiones inveniunt, non mali fiunt, sed manifestantur qui erant. IV, 1190. Christiano non imputatur si quid mali per hæc quæ propter bonum ac licitum facit aut habet, cuiquam acciderit. II, 187. In omni opere malo labor est. IV, 1811. Male faciendi licentiam quærentes, quærunt exempla male viventium. V, 1579. Non sunt facienda mala, ut veniant bona. X, 808. Mala affectans, quamvis aliis prosit quod fecerit, bona invenire non potest. IV, 212. Mala quæcumque non per sapientiam, sed quæ per experientiam discuntur, feliciter nesciuntur. X, 1532. Dolenda sunt quæ male facta sunt, etiamsi quantum possunt, postea corrigantur. II, 231. Mala sine dolore sunt pejora. VIII, 557. Deus pro sui regiminis æquitate et bene utitur malis, et perversis recte. VIII, 329. Malis peccantium bene utitur Deus. VIII, 563. Mala Deus tolerat a malis fieri, quia æternus est, et videt quid illis servet. IV, 1178.

Malum perficere quid. X, 431. Malum contra quod pugnant baptizati, ex peccato originali. X, 680. Abstinere ab omni re mala quis dicatur. X, 506. Malum quod non vult, quomodo se facere dixerit Apostolus. X, 560. Mala congenerata vincuntur per gratiam. X, 1427. Deflectere a malo et facere bonum, non est possibile voluntati hominis, nisi per gratiam. X, 1297. Non est in potestate filiorum hominis a malo liberari, nisi gratia det potestatem filios Dei fieri. X, 1144. A malo liberari quid sit. V, 1364. Homo rogans liberari a malo, se a se liberari petit. V, 986, 987. A malo congenito liberat Christus. X, 1123. Mali nostri finis, quid. VII, 621.

Malum pro malo reddere justitia videtur, sed hæc non est Dei justitia. IV, 87. Injustorum, si dici potest, justitia est. IV, 1455. Homo cum malum pro malo reddit, malo voto vi faciens, prior ipse malus est, dum punire vult malum. IV, 87. Qui non reddit retribuentibus mala, perfectus est. IV, 99. *Vide* Vindicare. Malum pro malo non semper reddit, qui corripit eum a quo vexatus est. II, 322, 325.

Mali quomodo ex Deo et non ex Deo. VIII, 190. An mali recenseri possunt inter opera, quæ Deus fecit bona valde. III, 410. Malos Deus fecit quod ad naturam, non quod ad culpam. V, 587. Mali a se habent voluntatem malam, a Deo autem et naturam bonam, et justam pœnam. III, 434. Malos sic creat Deus, quomodo pascit et nutrit malos. X, 1504. Hoc non repugnat Deo. X, 1506. Cur creat Deus quos futuros malos cognovit. X, 1200. Malos Deus tuetur tamquam pecora sua. IV, 350. Mali vasa perfecta in perditionem. III, 606. Si Deus vellet, etiam mali boni essent. III, 434. Malorum voluntatem in bonum convertere potuit Deus, sed noluit; cur noluerit, penes ipsum est. III, 434. Mali creati sunt ad utilitatem sanctorum. III, 433, 434, 440.

Malus homo quis. X, 370. Voluntate propria quisque malus est. VII, 50. Mali omnes sumus. V, 467, 559; VI, 662. Mali s in sua disciplina non esse, neminem sibi arrogare posse. II, 272. Mali et hæretici ex variis Scripturarum testimoniis describuntur. IX, 204, 217. Mali propterea sunt mali, ut sint beati. IV, 293, 1502. In quantum mali sumus, minus sumus. III, 32. Nemo malus facit bonum. V, 409. Nemo malus non sibi prius nocet. IV, 329. Non impune sumus mali, quia Deus justus est. III, 32. Malorum pœnis non indiget Deus. III, 434. Deus ex malorum pœnis consulit saluti bonorum. III, 434. Malus sua ipse sibi pœna. V, 1364. Malo bonus gravis est, etiam ad videndum. V, 117. Mali bonis insultant. IV, 1209. Bonos flagellant. IV, 1213, 1214. In malos non sæviunt nisi mali. V, 1392.

Malorum felicitas nonnullis scandalum. V, 126, 134, 168, 203, 1154. Et occasio lapsus. VII, 703. Occasio est infirmis murmurandi. IV, 190, 557, 620. Querelæ eorum reprimuntur. IV, 190, 620, 621, 622, 1196. Malis nocent etiam ipsa bona. III, 603. Malis non revera bene est, nec bonis male. V, 319. Malus etiamsi regnet, servus est. VII, 114. Mali in tribulationibus quam miseri. IV, 369. Malorum scientiæ duæ, et duæ obliviones. VII, 803. Malus vult bona omnia præter se ipsum. V, 187, 468, 512, 650, 1362. A malo se ipso qui liberatus sit, securus est ab aliis malis. V, 255, 1364.

Mali circumdant undique servos Dei. V, 55. Necesse est ut inter malos vivamus. IV, 329, 1464. Necessitas vivendi inter malos, quanta pœna. IV, 1268. Mixti sunt inter bonos mali. IV, 735, 1604, 1605, 1693. Malis permixtus bonus, securus sit. IV, 194. Mali manifesti sunt, boni autem occulti. IV, 1767. Mixti sunt inter bonos mali, in omni congregatione multitudinis. IV, 634, 635. In omni vitæ genere. IV, 356, 1278, 1279, 1730. In familiis vel sanctioribus. II, 272. Exemplis probatur. II, 272. Non erunt mali, quando non erunt qui per ipsos probentur. IV, 362. Mali si non essent, non esset unde oraretur pro inimicis. V, 120. Deus qui novit exercendos nos, miscet nobis et non perseveraturos. IV, 633. Mali multo plures sunt quam boni, qui latent inter malos, sicut grana inter paleas. IV, 539.

Mali mixti cum bonis in Ecclesia. IX, 96. Ex ipsa Donatistarum confessione in Ecclesia vel occulti, a quo seminati. IX, 634. Parabolas Evangelicas de bonorum et malorum in Ecclesia permixtione, quomodo eludere Donatistæ conati sunt. IX, 742. Mali non sunt in Christi corpore. IX, 345, 346. Intus esse videri possunt, sed foris sunt. IX, 481, 482. Extra Ecclesiam sunt, quia super arenam sunt, non super petram. IX, 212, 216. Malos interdum Ecclesia, ne perturbatio et schisma contingat, sacramentis uti vel invita permittit. V, 51. Mali a bonis tolerandi. V, 1093, 1165. Foris et intus tolerandi. V, 119, 319, 471, 1095, 1546. In Ecclesia tolerandi. II, 411; IV, 190, 460, 635, 636, 637, 653, 654, 736, 1604, 1605; VI, 228; IX, 30, 32, 48, 51, 56, 85, 104, 493, 742, 744. Quare tolerandi. IX, 69. Propter unitatem tolerandi. IX, 88, 90, 91, 92, 94, 370, 629. *Vide* Zizania. Mali quos corrigere vel damnare non possumus, tolerandi. IX, 746. Misericorditer corripiat homo quod potest; quod autem non potest, patienter ferat, et dilectione gemat atque lugeat. IX, 94. Mali tolerandi potius, quam per judicium temere auferendi. V, 1546. Mali propter bonos tolerandi, non boni propter malos deserendi. II, 329. Malos pro unitate tolerare, non parva laude dignum est, nedum reprehensione ulla. II, 171. Hoc affectare debemus, tolerare hic malos, quam tolerari a bonis. IV, 604. Mali a bonis quam a malis facilius tolerantur : quomodo facilius unus sanus fert duos ægrotos, quam duo ægroti se invicem singulos. IV, 190. Malos in Ecclesia tolerandos esse nulla Scriptura non nos admonet. II, 1065. Ipse Dominus docuit, Judam tolerando. III, 1762. Ecclesia non est deserenda propter malorum permixtionem. II, 410. Sana doctrina est, ut nec propter malos recedatur ab Ecclesia, nec in malos ipsos negligatur disciplina. VI, 199, 200, 201. Etsi a populo Dei non separantur mali, erga eos tamen non dormit ecclesiastica disciplina. IX, 669. Malorum tolerantia correptiones ecclesiasticæ disciplinæ non excludit. IX, 656. Malos a bonis in unitate pro pace tolerandos negabat Emeritus. IX, 743. Tichonius cæterique Donatistæ tolerandos dixerunt, etiamsi vera crimina malis objicerentur. IX, 96, 251, 257. Cum contagio peccandi multitudinem invaserit

non jam excommunicatio, sed divinæ disciplinæ severa misericordia necessaria est. IX, 93. Malorum etiam ignoratorum contagio bonos perire docebat Gaudentius. IX, 745.

Mali si sunt in Ecclesia, nil aliis possunt nocere. IX, 29, 50, 51, 53, 55, 56, 57, 69, 275, 276, 653, 656, 657, 658. Inter malos quomodo innocentia custodiatur. IX, 393. Inter malos estote boni, et eritis sine malis boni. V, 1162. Mali non obsunt eis qui factis eorum non consenserunt. VI, 201. Malos qui tolerant, non communicant eorum peccatis : sicut nec Paulus falsorum fratrum, nec Apostoli, furto et sceleri Judæ. IX, 344. Mali spiritaliter a bonis sejuncti sunt; si autem et corporaliter, pejores fiunt. IX, 200. Separatio cordis a malis præcipitur non corporis. V, 549, 551, 553; IX, 349, 633. Malorum commixtio cum bonis non æterna, sed temporalis; nec spiritalis, sed corporalis. IX, 349. Mali a bonis per hanc vitam non corporum segregatione, sed morum diversitate disjuncti sunt. IX, 566. Hæc separatio corporis a malis ad finem sæculi reservatur. IV, 735; VII, 611; IX, 249. *Vide* Peccatum.

Mali non sunt gratis in hoc mundo. IV, 630. Ad quid mali in hoc mundo. V, 118. Mali hîc suo loco in usus bonos positi. V, 1382. Abundantia malorum propter purgationem bonorum. V, 118, 120. Cum ipsi mali sint suo vitio, Deus de malo eorum bene facit. IV, 1398. Mali bonis operibus Dei male utuntur. IV, 1396. Malorum est male uti bonis, Dei contra bene uti malis. V, 117, 1382. Malis bene utitur Deus. II, 539; X, 1303. Quomodo. II, 1084. Mali sicut bonis Dei male utuntur, dum non corriguntur; sic contra Deus etiam malis eorum bene utitur, non solum ad justitiam suam, etc., sed etiam ad exercitationem et provectum sanctorum suorum. II, 1085. Malis utitur Deus, non secundum eorum pravam, sed secundum suam rectam voluntatem. V, 1067. Malis bene utitur Deus, eorumque malitiam ad exercendos bonos et admonendos accommodat. II, 860. Quo pacto mali bonis prosunt. VII, 478. Malus justo nihil nocet, sed prodest. V, 202, 253. De malis hominibus quanta bona Deus nobis præstet. IV, 1214, 1215. Malis datur potestas in bonos propter bonorum utilitatem. VI, 93. Per malos probantur justi. IV, 362. Mali sunt ad admonitionem vel exercitationem bonorum. III, 601, 606, 788, 794. Omnis malus aut ideo vivit ut corrigatur, aut ideo vivit ut per illum bonus exerceatur. IV, 630. Mali sunt aliis exercitationis adminiculum et timoris exemplum. III, 434. Homo malus, novacula acuta. V, 202. Malus potens, novacula superflua resecans. V, 421. Malis reddet Deus secundum malitiam eorum, non secundum utilitatem quam ex ea justi perceperint. IV, 1214, 1215. Mali quia volentes injuste utuntur bonis, juste nolentes cruciabuntur malis. II, 554. Cur malis Deus parcat. IV, 1204, 651. Mali hîc servantur, ut boni inde nascantur. V, 1383. Mali Christiani plus cavendi, quam Judæi ac Pagani. VI, 343. Sævire in malos non licet. V, 1389. Quare et quomodo mali diligendi. VII, 22. Mali diligendi sunt ut non sint mali. II, 639. Qui sic agit cum malis, ut eos malitiæ pœniteat, novit etiam indignatione consulere. II, 649, 651. Mali pereunt aut conversione ad justitiam, aut amissa potestate adversus bonos. III, 1359. Malus si displicuerit sibi, correctus placebit sibi. V, 513. Malus mortuus bis dolendus. V, 1392. Mole viventium et recte vivere prohibentium auctoritate non duci. V, 546, 548. Ex mala vita eorum qui putabantur boni, veniunt in suspicionem malam prope omnes boni. IV, 245. Malis in futura vita non erit locus. V, 1383. Mali fœno similes. IV, 1375.

*Manitus* duodecimus rex Assyriorum. VII, 564.

Mammantes. IV, 1255.

Mammona divitiæ interpretantur. III, 1349; IV, 620. Mammona apud Hebræos divitias, apud Punicos lucrum significat. III, 1290; V, 648. Patitur durum et perniciosum dominum, quisquis mammonæ servit. III, 1290. Mammona iniquitatis cur dicantur divitiæ. IV, 552; V, 256, 528, 648, 650.

Mammothrepti. IV, 246.

*Manusse* interpretatur necessitas. III, 820. Oblitus. IV, 719, 1022.

Mancipia dicta, quia manu capta sunt. III, 530.

Mandatum sanctum quid. VI, 226. Mandatum quomodo sit in vitam, et in mortem. VI, 104. Mandatum scito esse arma, non quibus occidat te, sed quibus a te occidatur inimicus : sed noli præsumere de viribus tuis. V, 831. In mandata Dei, tamquam in speculum, inspicere nos oportet. IV, 1510. Merito absconduntur iis qui sapiunt terrena. IV, 1520. Perfectius cognoscuntur, cum fiunt. IV, 1550. Mandata divina, quæ præsertim ipsam conveniunt voluntatem, ostendunt liberum arbitrium. X, 883. Antiquis fidelibus nihil profuisset Dei dilexisse mandata, nisi eos Christus liberasset. IV, 1505. Mandatis Dei rectis et arduis humana non contemperatur infirmitas, nisi præveniens ejus adjuvet caritas. IV, 1512.

Mandata Dei non nisi per gratiam implentur. I, 796; V, 1162. *Si volueris, conservabis mandata*, quo sensu dictum. X, 900. Mandata Dei custodire, est in dilectione ejus persistere. IX, 151. Id agit gratia, ut dilectione impleantur mandata Dei, quæ timore non poterant. IV, 1579. Viæ Domini duræ sunt timori, leves amori. X, 290. Mandatum si fit timore pœnæ, non amore justitiæ, serviliter fit, non liberaliter; et ideo nec fit. X, 217. Latum mandatum nimis est caritas. IV, 1561, 1562. Mandatum novum, faciens hominem novum. V, 1533. Mandata Dei quomodo quærenda. IV, 1539. Qui mandata Dei propter mercedem terrenam facere conatur, non ea facit; quia non ipsa, sed aliud diligit. IV, 1563, 1579. Mandata Evangelica sublimiora quam multi in communione catholica faciunt. VIII, 225. Cur non omnia mandata ab unoquoque sanctorum fiunt. X, 1297.

Mandatum a Donatistis pro Collatione factum. II, 577. Non sine falsitatis crimine. II, 577.

Mandragorica poma rara sunt. VIII, 435. Eorum qualitates. VIII, 435. Mandragorica poma fecunditatem sterilibus parere quidam opinantur. VIII, 435. Mandragorica poma gloriam popularem figurant. VIII, 435.

Manducare non est peccatum, sed immoderate uti donis Dei quæ tribuit ad usus. V, 800. Manducandi et bibendi quæ justa causa. V, 346. Manducandi de omnibus cum moderatione, cum benedictione, cum gratiarum actione, licentia Christianis data. V, 802. Manducat homo ex necessitate, Angelus ex potestate. V, 1618. Manducandi potestas, non necessitas erit post resurrectionem. V, 1618. Manducare cibum qui non perit, credere est. III, 1602. Manducare cum superbis cur David noluerit, cum quibus et Dominum manducasse legimus. IV, 1289. Manducat quodam modo Ecclesia, quos in suum corpus trajicit. IV, 241, 242. Manducare corpus Christi. *Vide* Eucharistia.

Mane quomodo intelligi debeat in historia creationis. III, 235, 240, 296, 312, 314. Mane quandonam fiet. V, 58. Mane erit, cum videbimus quod credimus. IV, 1853. Mane significat prosperitatem sæculi. IV, 782. Tempus consolationis. IV, 1173.

Manemus in Christo indigentia, ipse in nobis manet misericordia. V, 742.

Manganæ. II, 71.

Manicare. III, 808.

*Manes* dii existimati sunt a Paganis omnes mortui. VII, 253. Et animæ hominum, quorum merita incerta sunt. VII, 265.

*Manes* Persa. VIII, 485, 487. Sive Manichæus. VI, 305. Quare postea dictus Manichæus seu Mannichæus. VIII, 34. 361. Manichæus apostoli nomen usurpabat. I, 1341; VIII, 38, 519, 530; IX, 271. Præfixo epistolis suis omnibus hocce exordio, *Manichæus apostolus Jesu Christi*. I, 1341. *Not.* 1. Quare se apostolum Jesu Christi nominabat. VIII, 177. Falso se dicit Christi apostolum. VIII, 283. Inepte eum sic nominabant ejus discipuli. VIII, 69, 520, 526. Probari non potest quod sit Christi apostolus. VIII, 176. Per Manichæum Spiritum sanctum ad nos venisse dicebant ejus discipuli. VIII, 69. Et promissionem Domini de Spiritu sancto, in suo Manichæo esse completam. II, 1035. Manichæus ipse Spiritum sanctum auctoritate plenaria personaliter in se esse dicebat. I, 709. Manichæus Spiritus sanctus a suis creditus. VIII, 177, 178, 292, 525. Manichæo convenire non possunt quæ de Paracleto in novo Testamento scripta sunt. VIII, 507.

Manichæum venisse ut antiquorum figuras aperiret, jactabant ejus discipuli. VIII, 189, 508. Manichæus ob hoc laudatur a discipulis suis, quod remotis figurarum integumentis, veritatem nudam et propriam loqueretur. VIII, 307, 308. Manichæi libri, pleni fabulis. I, 707, 710. Manichæus duodecim discipulos ad instar apostolici numeri habuit. VIII, 38. Manichæus occisus est. VIII, 178. Festum natalis Manichæi magna celebritate per Pascha frequentatum. VIII, 178, 179. Manichæus, pater appellatus a discipulis. VIII, 207. Manichæi deliramenta. VIII, 181. Præcepta. VIII, 223. Errores litteris mandati. I, 710, 1355, 1356. Manichæi scripturæ. VIII, 517, *in Admonit.* 518, 529, 550. Epistola. X, 1318. Apud Constantinopolim inventa. X, 1316. Juliano orationibus Flori adjuto. X, 1316, 1527. Manichæi epistola ad Patricium. X, 1525, 1404. Ad filiam Menoch. X, 1404. Manichæus vivendi regulam observatu perdifficilem scripta epistola præstitit. I, 1376. Manichæi epistola fundamenti. VIII, 400. Manichæi fundamentum, quod ruinosum vocat Augustinus. VIII, 580. Multa de astris imperitissime scripta ejus continebant. I, 709. Manichæus deceptus in quæstione de causa peccati. X, 1464. Manichæus et Melitidis. X, 1462.

*Manichæi*. III, 1875; V, 551, 575, 657, 659, 984, 1122, 1641; IX, 462. In Perside schisma faciunt. V, 1174. Manichæi in Paphlagonia, in Gallia. VIII, 570. Manichæi, Hymenæi et Phileti hæreticorum discipuli, et successores. VIII,

219. Manichæi cur Catharistæ appellati. VIII, 36. Eorum dogmata. VIII, 34. Eorum fabulæ blasphemiis plenæ. IV, 1907. Manichæorum hæreseos varia capita. VIII, 510. Manichæorum error circa Dei naturam. VII, 336; X, 1126. Quid de Deo cogitabant. IV, 1040, 1907, 1908. Insana de deo suo sententia. VIII, 466. Manichæorum de Dei natura blasphemiæ. VIII, 565, 566, 567, 571, 595, 598. Duos deos, unum bonum, alterum malum credebant. I, 1317. Seu potius duas naturas vel substantias, duoque principia invicem contraria. I, 1346; III, 130. Eorum error de duabus naturis. III, 1305, 1703, 1705; IV, 108, 1922; V, 821, 847, 985; X, 666. Manichæi fingebant candorem lucis immensæ per infinita spatia usquequaque porrectum, ex una tamen parte quasi nigro quodam cuneo fissum, duo adversa regna esse dogmatizantes. III, 165. Regnum, seu gentem tenebrarum et esse sempiternam, et summum malum asserebant. I, 1346. Malum porro esse terram, seu molem tetram et deformem, per immensum profundam et longam, necnon mentem sive molem tenuem atque subtilem, per terram vagantem. I, 716, 1351. Volunt gentis tenebrarum sine ullo initio malam semper fuisse naturam. VI, 363. Regnum lucis Deum vere esse profitebantur, eique simplicem quamdam naturam incommutabilem, impenetrabilem et incorruptibilem concedebant. I, 1346. Manichæi nec quid sit corpus intelligunt. V, 106. Non possunt nisi incommutabilem Deum fateri. V, 105. Manichæorum insania de duabus naturis inter se confligentibus. VI, 360, 364. Figmentum de pugna Dei lucis cum principe tenebrarum. X, 1071. De gente tenebrarum contra Deum rebellante. VI, 292, 358. Cum gens tenebrarum in Deum rebellaret aliquando, et regnum lucis invadere moliretur, Deum bonum, qui quomodo aliter posset hosti resistere non inveniret, necessitate compulsum misisse huc animam bonam, particulam quamdam suæ substantiæ, cujus commixtione hostem temperatum esse somniabant, mundumque fabricatum. I, 1352, 1355, 1356; III, 130. Dei substantiam a substantia mali, ex parte corruptam esse, et ad peccandi necessitatem perductam esse contendunt. II, 724. Partem dei boni tenebrarum principibus mixtam, toto mundo inquinatam et ligatam, per cibos Electorum suorum, ac per solem et lunam purgari : quod vero de ea purgari non potuerit, in fine sæculi æterno ac pœnali vinculo colligari. II, 1034. Manichæorum deus captivus, coinquinatus, etc. VIII, 55, 56. Meritis naturæ bonæ divinitus subveniri dicunt Manichæi. X, 573. Intolerabilius et inhonestius de Deo sentiunt Anthropomorphitis. VIII, 189.

Manichæorum error circa causam creationis mundi. VII, 335; VIII. 55. Deum bonum fabricasse mundum, etsi ex aliena natura atque materia, confitentur. VIII, 603. Mundum istum ex membris Dei, visceribus gentis tenebrarum admixtis, fabricatum esse delirant. IV, 1822. A Deo cœlos fabricatos, non tamen de sua ipsius substantia dicebant. I, 864. Terras octo, decem cœlos esse dicebant, Athlantem mundum ferre, sustinentem suspendere, etc. VIII, 508. In eo mali regno antra quinque elementorum, aliud tenebris, aliud aquis, aliud ventis, aliud igni, aliud fumo plenum; atque animalia in illis singulis nata elementis, serpentia in tenebris, natantia in aquis, vola ilia in ventis, quadrupedia in igne, bipedia in fumo. I, 1351. Ex iis autem fabricatum esse mundum. I, 1351. A Deo bono. I, 1317. Manichæorum error de duplici terra, de regno lucis, et regno tenebrarum. VIII, 553. Unde phantasmata eorum de terra tenebrarum. VIII, 197. Deum bonum non omnium naturarum esse auctorem dicunt. X, 572. Manichæorum sententia de carnis origine. V, 189. Omnem naturam corpoream a tenebrarum gente esse confingunt. V, 105, 106. Corporum conditorem Deum esse negant. III, 217; X, 1125. Cœternam ipsi originem habere corpora dicunt. X, 651. Carnes et minutissima animalia, et quidquid radicibus terræ inhæret, a mala mente gigni et formari dicebant. I, 864; VIII, 475. Animam rationalem inesse belluis putabant. I, 1370. Et arboribus. I, 1368. Vim intelligendi tribuebant plantis. III, 229. Arbores audire voces nostras, verba intelligere, motus corporum intueri, imo et cogitationes perspicere credebant. I, 1369. Sensum dolendi et gemendi esse in plantis et lapidibus. III, 2074. Ficum plorare cum decerpitur, et vitem dolere, sentire, videre atque audire. I, 1074. Ea propter a cæde animalium et a stirpium laceratione abstinendum esse putabant. I, 1368. Et arborem sive animal necare, esse homicidium. II, 1568. Manichæorum error circa præceptum non occidendi. VII, 34. Hominem revolvi in arborem credebant. I, 1369.

Manichæi partem dei quamdam oleribus, lactucis, pomis, etc., inesse putabant. I, 1362. Manichæorum deus in cibo ligatus atque pollutus, edendo purgatur. VIII, 498. Animam pro meritis inquinationis suæ, per cibum et potum venire in hominem dicebant. X, 615. Panem manducanti non porrigebant. IV, 1823. Vinum fel principum tenebrarum dicebant, licet ipsis uvis comedendis non parcerent. I, 1364. Eorum delicata abstinentia. I, 1357. Gula. I, 1367, 1374. Impudicitia. I, 1374. Manichæi expedire dicebant homini fœneratorem esse, quam agricolam, quare. IV, 1823. Aurum a Manichæis injuria accusari. V, 329. Fidelibus agros, domos, aut pecuniam habere illicitum ducebant. I, 1345, 1345.

Manichæorum error circa solem. VIII, 391. Manichæi solem adorabant. I, 1351; III, 199, 216; IV, 189. Tamquam particulam lucis in qua habitat Deus. III, 129. Tamquam ipsum Deum. V, 105. Tamquam ipsum Creatorem aut ejus partem. V, 329. Solem corpus non esse arbitrantur. V, 105. Manichæorum de lunæ incremento et defectu delirium. II, 207. Figmentum de concubitu principis tenebrarum cum muliere. X, 864. Manichæi ab æternarum principe tenebrarum, de commixtione duarum naturarum quæ semper fuerunt, una bona et una mala, hominem creatum dicunt. X, 441. Homines a Deo non esse institutos. X, 570, 607, 611, 612. De Adami et Evæ creatione longam fabulam texebant. I, 1375. Putabant se esse naturam et substantiam Dei. VIII, 261. Animas ad Christum, corpora ad diabolum pertinere, et sexum utrumque esse ex diabolo dicebant. VI, 365. Manichæorum error circa animam. VII, 336; X, 1325. Docent animam nostram hoc esse quod Deus est. VI, 297. Esse partem seu particulam Dei. V, 986; X, 572. Animas non solum hominum, sed etiam pecorum, de Dei esse substantia, et partes Dei asserunt. II, 718, 841, 1033. Manichæi volentes animam esse partem Dei, labem et infirmitatem ejus in corpus frustra regerunt. II, 720. Manichæorum hæresis de duabus animabus, ex peccati et voluntatis definitione, tota evertitur. VIII, 105, 107. Manichæorum de animarum traduce opinio. X, 1218.

Manichæorum error de Christi incarnatione. X, 1054. Manichæi dicunt Deum annuntiatum in veteri Testamento, non esse patrem Christi. III, 1711. Christum Deum esse non negant. V, 104. Sed dicunt esse Deum tantum. V, 229. Christum credebant tamquam de massa lucidissimæ molis Dei, porrectum ad nostram salutem. I, 715. Numquam dicere ausi sunt Patrem et Filium, nisi unius esse substantiæ. V, 105. Manichæi virginis partum blasphemant. X, 573. Dicunt Christum non habuisse matrem. IV, 1685. Idque tentant asserere ex XII. Cap. Matth. IV, 129. Negant Christum natum esse de virgine, et carnem ejus veram fuisse. I, 715; II, 1032. Refelluntur. III, 1452. Manichæi negant hominem Christum. V, 573; VI, 682. Docent Christum non habuisse corpus. V, 104, 477. Nec hominem verum fuisse, sed phantasma. V, 658, 659. Christi carnem nullam, vel simulatam dicunt. IV, 411, 1208; V, 659, 985, 1125; VI, 365; X, 613. Non veram mortem in cruce solvisse. IV, 411, 1208. Sed in phantasmate crucifixum esse. I, 715. Christum in toto mundo crucifixum dicebant. IV, 1823. Crucem luminis quomodo, et a quibusnam lædi somniabant. IV, 1823. Manichæi frustra jactant se melius de Christo sentire, quia eum tantum spiritum dicunt. V, 1125. Negantes carnem Christi, totum mysterium redemptionis nostræ evacuant. V, 1122.

Manichæi gratiam Christi oppugnant, baptismum ejus evacuant, carnem ejus exhonorant. X, 573. Creaturam carne et sanguine Christi liberari nolunt. X, 612. Baptismum omni ætati superfluum putant. X, 613. Manichæi adorabant solem, eumque dicebant esse Christum. IV, 132, 133, 1194. Perstringuntur. V, 35. Manichæi putabant Christum fuisse serpentem illum, qui Evam ad edendum de ligno vitæ induxit. III, 216. Hinc Ophitarum secta. III, 216.

Manichæorum error de malo. X, 1463. Mali naturam Deo coæternam putant. X, 1008. Immutabilem substantiam mali naturæ Dei sui miscent. X, 1104, 1105. Deique naturam corruptibilem faciunt, et sub aliena natura captivam. X, 1104, 1105. Manichæi naturam mali suo principio prædilam, adversus Deum inducunt. II, 722. Peccati causam, malam esse naturam affirmant. X, 612. Vitia dicunt esse naturas atque substantias. X, 1085. Homini commixtam esse naturam malam dicunt. X, 441. Animas duas in uno corpore esse existimabant, unam de Deo et partem Dei, alteram de gente tenebrarum a suo principio malo projectam et Deo coæternam. I, 608; III, 130. Easque animas inter se confligere in homine, quando caro in spiritum concupiscit. I, 758, 759. Manichæi omnia bona in bonam, mala vero in malam animam referebant. I, 608. Manichæus quidam mortem non timebat, quia dicebat eam, separationem esse boni a malo. II, 272. Manichæorum error de pugna carnis ac spiritus. VI, 709, 710. Manichæi nimia insania dicentis naturam boni cogi male facere. X, 1113. Manichæorum error de concupiscentia. V, 815, 842. Putabant concupiscentiam esse de substantia mala, Deo coæterna X, 1518. Concupiscentiam non tamquam accidens vitium, sed tamquam naturam ab æternitate malam vituperabant. X, 572. Peccatum a libero arbitrio sumpsisse exordium negabant. X, 572, 607. Et peccatum originale,

ex homine primo prius puro, et postea per liberum arbitrium depravato, in omnes transiisse. X, 613. Liberum arbitrium negabant ab eo ortum, quod antea non erat malum. X, 608, 611. Dicebant Deum creatorem culpari, dum mali origo ex libero arbitrio ducitur. I, 594. Peccata sua attribuebant genti tenebrarum. IV, 270, 1821, 1822. Tunc se peccare dicebant, quando natura mali prævalet naturæ Dei. VI, 358. Libros quinque Augustini adversus Manichæos laudibus extollit Paulinus. II, 101. Eorum credit dictata divinitus verba. II, 100. Pentateuchum vocat. II, 101. Contra Manichæorum hæresim scripti sunt libri *de Libero arbitrio*, propter quæstionem, Unde malum? I, 1211: quæ subsequuntur opuscula in hocce tomo.

Manichæis consentire Catholicos circa mali originem, calumnia Juliani. X, 1113. Manichæos vocabat Julianus eos qui peccatum originale agnoscerent. X, 1149, 1155, 1191, 1193. Manichææ pestis contagium objectat Pelagius, non tantum doctoribus, sed et ipsi catholicæ Ecclesiæ. X, 1276. Manichæismi notam Julianus Catholicis impingit. X, 643. Et Jovinianus. X, 643. Manichæorum nomine Catholicos criminatur Julianus. X, 863. Et conviciatur Augustino. X, 1338. Et merito istud nomen illis imponi contendit. X, 1462. Manichæorum crimine infamabant doctores Catholicos Pelagiani. X. 703, 1051, 1054, 1060, 1074, 1143, 1462. Manichæorum nomine et Traducianorum appellat Catholicos Julianus. X, 1380, 1381. Non sic novitas expavescatur contumeliosi nominis, ut fugiatur veritas antiquissimi catholici dogmatis. X, 1286. A Manichæis Catholici longe distant in quæstione de malo. X, 1592. Manichæorum errori de natura et origine mali quam sit contraria veritas catholica. X, 1508. Manichæus error quam diversus a catholico dogmate, et quam insanus. X, 1311. Manichæi non sunt qui peccatum originale adstruunt. X, 1188. Catholici quædam vera dicentes simul cum Manichæis, longe tamen abhorrent ab eorum erroribus. X, 1468. Doctrina Pelagiana de peccato originali favet Manichæis. X, 816. Manichæos adjuvat, qui negant originale peccatum. X, 666, 667, 668, 669, 1187, 1290. Manichæo suffragatur Julianus, dum agit adversus catholicum dogma de originali vitio. X, 1515. Manichæorum et Pelagianorum hæreses sibi mutuo adversæ, et æque a catholica Ecclesia reprobatæ. X, 572, 573. Manichæi et Pelagiani quatenus errore conjuncti, quatenus separati. X, 573. Manichæis Pelagiani, licet contrarii sint, favent tamen. X, 819. Et suffragantur. X, 1335. Eorumque errori aditum aperiunt. X, 1434. Et eos adjuvant. X, 1514, 1528, 1336, 1338, 1339, 1435, 1592, 1608. Pelagiani Manichæos in perversum fugientes, eos ipsos adjuvant. X, 1463. Manichæum Julianus adjuvat. X, 1313, 1320, 1369, 1379, 1382, 1453, 1478, 1502, 1527, 1529, 1539. Manichæismus sic adjuvatur a Pelagianorum errore, ut invictus fiat. X, 1318. Manichæo dicenti malam fuisse carnem hominis, etiam antequam peccaret, et miseram esse conditam naturam, non potest responderi a Pelagianis. X, 1529. Non potest a Pelagianis vinci Manichæus introducens carnis conditorem malum. X, 1530. Manichæos sic oppugnat Julianus, ut contra Salvatorem sublevet. X, 1478. Error uterque, Pelagianorum et Manichæorum, quomodo catholica fide extinguitur. X, 1339. Dogma catholicum contrarium utrique errori, et Manichæorum et Pelagianorum. X, 1310. Catholicæ Ecclesiæ sententia de malo Manichæos et Pelagianos devitat. X, 1463. Inter Manichæos, et Pelagianos, et Catholicos quid distet circa mali naturam. X, 1125. Manichæorum stultam et noxiam impietatem, non solum Catholici, verum etiam hæretici omnes qui non sunt Manichæi detestantur. X, 571. Manichæus a Catholicis funditus evertitur. X, 1314. Manichæi pestilentia quomodo per Catholicos refellitur. X, 1490. Pelagianos cum Manichæis vincit catholica fides. X, 1338, 1339. Et veritas redarguit. X, 1301, 1310. Manichæorum sententia de malo invictissime evertitur. II, 763, 882; VI, 236. Manichæi expugnati. VI, 696.

Manichæorum dogma de homine, de lege, de nuptiis. X, 570. A bono Deo nuptias non esse institutas affirmant. X, 570, 607, 611. Nuptias principi tenebrarum adscribunt. X, 615. Nuptias damnant, et filiorum procreationem. I, 1343, 1344, 1372. Cura concubitu abstinerent. VIII, 229. Curoperam dant ne gravidæ fiant meretrices. VIII, 433. Manichæorum turpitudo nudata. VI, 683. Impudicitia notatur. III, 1876.

Manichæi irrident sacras Scripturas. IV, 1907. Eorum error de veteri Lege. VI, 109. Legi veteri adversantur. III, 2065. Eorum in veterem legem calumniæ. V, 23, 24, 822, 826. Legem per Moysen datam, non a vero Deo dicunt, sed a principe tenebrarum. II, 1052; X, 570, 607, 611. Legem Prophetasque condemnant. VIII, 603. Quæcumque de Lege et Prophetis Apostolus sermoni suo inseruit, falsa et a corruptoribus immissa esse criminantur. VI, 70. Sanctos superiorum temporum audent blasphemare. X, 611. Patriarchas in veteri Testamento laudatos vituperare. I, 688. Patribus veteris Testamenti calumniantur de pluribus uxoribus. VI, 393. Vetus Testamentum non recipiunt. X, 1008. Illud oppugnant. I, 598; III, 173, 189, 216. Illudque reprehendunt apud imperitos. VIII, 67. Non omnia ex libris novi Testamenti accipiebant. VIII, 505. Dicunt vetus Testamentum esse a Deo malo. V, 927. A principe tenebrarum. I, 654; V, 175. Vetus Testamentum non aliter quam oportet accipiendo errant; sed omnino non accipiendo et detestando blasphemant. III, 373. Manichæorum calumniæ in librum Job. V, 100. In Prophetas. V, 330. In Aggæi prophetiam. V, 326. Legem veterem et Prophetas canonicos non accipiunt, neque omnia quæ sunt in Scripturis canonicis novi Testamenti. II, 1033, 1034. Ex eis quidam Actus Apostolorum repudiant. II, 1034. Novi Testamenti Scripturas legunt. III, 180. Falsatas tamen dicunt. I, 716, 1317, 1368. Eaque immissa fuisse, quæ de originali peccato narrantur. I, 598. Manichæorum fraus in Scripturarum usu. V, 332. Dicunt Scripturas sacras, quæ eorum errores convincunt, corruptas fuisse. II, 278. Duo Testamenta non sibi consonare. IV, 1893. Scripturis quas canon non recipit, mentes solent pervertere. II, 233. Manichæos nec Scripturarum auctoritatis antiquitas, nec miraculorum potestas, nec morum sanitas, nec rationis veritas asserit. VIII, 285.

Manichæorum Ecclesia duabus professionibus constat, Electorum et Auditorum. VIII, 33. Præcellentior dicebatur Electorum, qui tria signacula observare se profitebantur. I, 1337. Manichæorum Electi, qui. IV, 1822. Manichæorum Electi ridendi, qui a fructibus aut oleribus decerpendis abstinebant, et vescebantur his quæ decerpserant Auditores. VIII, 230, 233. Manichæorum Electi frequenter accipiebant Eucharistiam. VIII, 114. Manichæorum secundus gradus, Auditorum. I, 1080. Manichæorum Auditores nihil de moribus noverant, sed tantum de fide. VIII, 114. Auditores ante Electos genua figunt, ut eis manus suæ plicibus imponantur, non a solis presbyteris, vel episcopis aut diaconibus eorum, sed a quibuslibet Electis. II, 1033. Cum Electis solem et lunam adorant et orant, ac die Dominico jejunant. 1032. Manichæi Auditoribus suis Dominicum tamquam legitimum diem ad jejunandum constituerunt. II, 148, 149. Auditores carnibus vescuntur, et agros colunt, et si voluerint uxores habent; horum vero nihil faciunt qui vocantur Electi. I, 1079, 1368; II, 1032. Manichæi magistros tredecim, episcopos septuaginta duos, presbyteros, diaconos habent. VIII, 38. Episcopi, presbyteri, diaconi a quibusnam ordinentur. VIII, 38.

Manichæi allaciter mandata implent. VIII, 223, 224, 225. Ad solem et ad lunam orant. VIII, 38. Simplices ac puras orationes Deo offerre non possunt. VIII, 382. Nihil turpe in Manichæorum orationibus, sed solum aliquid contra fidem. VIII, 93. Manichæi quasi crimen objiciebant Paganis, quod aris, delubris, simulacris, victimis atque incenso Deum colendum putarent. VIII, 380. Manichæi Paganis deteriores in cultu furiorum deorum. VIII, 369, 374, 375. Manichæorum plures dii. VIII, 376. Manichæi numerosissimam deorum familiam et commemorant, et commendant. VIII, 142. Manichæi in eo quod dissimiles sunt Gentibus, vani sunt; in eo quod similes, pejores sunt. VIII, 383. Faustus templa, simulacra, victimas admittendo ad colendum Deum refellitur. VIII. 381, 382. Quæ templa, quæ simulacra, quas victimas admittebat Faustus. VIII, 369, 380. Manichæos rationabile Dei templum esse non posse, ostenditur. VIII, 380.

Manichæi non veritate, sed fraude agunt cum imperitis. V, 332. Eorum astutia ad decipiendos imperitos. VI, 293. Non decipiunt, nisi cum scientiam, quam non exhibent, pollicentur. VI, 70. Manichæus non solum non exhibet scientiam et veritatem, sed falsitatem dicit. VIII, 184. Manichæi quædam suæ doctrinæ puncta, ob excellentiam non posse explicari respondebant. VIII, 576. Manichæi sacrilege et temere invehuntur in eos, qui catholicæ fidei auctoritatem sequentes, credunt quod nondum intueri valent. VIII, 63. Manichæi plus in refellendis aliis diserti et copiosi, quam in suis probandis firmi ac certi. VIII, 66. Manichæorum dictum in suæ sectæ desertores. VIII, 67.

Manichæorum secta perditissima. IV, 1907. Error pestilentiosissimus et perniciosissimus. IX, 258. Doctrina turpitudines horribiles cogit perpetrare. VIII, 570. Manichæi pauci sunt et pessimi. X, 1143. Carnem suam nisi diligere non possunt. VIII, 392. Dei Manichæorum miseria. VIII, 513. In Manichæis et qui Manichæi facti sunt, mali sunt; et qui facti non sunt, vani sunt. VIII, 224, 228. Manichæi carpuntur. VIII, 91, 92. Cum Manichæis cur mitius agendum. VIII, 180. Manichæi auctoritatem longe inferiorem esse auctoritate Evangelii, ostenditur. VIII, 508, 510.

Manichæi a Paulo designati. VIII, 314, 378. Manichæi doctrina in epistola prima ad Timotheum ab Apostolo prævisa. VIII, 523. Manichæi hæresis post Tertullianum et Cyprianum exorta. VIII, 283; X, 626. Manichæi in Cham

significati. VIII, 267. Manichæorum libri eleganter pretiosi et decori. VIII, 285, 294. Manichæorum Thesaurus, liber. VIII, 558, 568, 570. Manichæorum blasphemias subdiaconus Victorinus edocebat, ac docens patefactus est. II, 1033. Interrogatus ab August. errorem negare non potuit : sed Auditorem se, non Electum esse confessus est. II, 1052, 1053. Horrens Augustinus fictionem illius, sub specie clerici coercitum illum, et a clericorum gradu dejectum, pellendum de civitate curavit. II, 1053. Etiamsi rogantem ut se ad viam veritatis revocaret. II, 1053. Tamen petenti pœnitentiæ locum tunc vult credatur, cum eos qui latitant in Malliana et in omni provincia Manichæos manifestaverit. II, 1053.

Manifestum. Id maxime tolerandum, quod cum manifestum sit perperam factum, fieri non potest infectum. II, 231.

*Manlius* Theodorus Consul. VII, 620. Vir doctus et Christianus. I, 588. Huic nuncupatus liber *de Beata vita*. I, 959.

Manna. V, 38. Pluvia voluntaria quam segregavit Deus hereditati suæ. IV, 817. Manna unicuique secundum propriam voluntatem sapivisse, ex solo libro Sapientiæ probari potest. II, 199. Manna potuit pro desiderio sapere fidelibus, non autem murmuratoribus in Deum. I, 638. Manna Christum nonnullis sapiebat. V, 1552 Christum significabat. III, 1603. Manna, Christi panis cœlestis figura. V, 1551. Umbra sacramenti Eucharistiæ. III, 1612. Panem cœlestem manna et altare Dei significarunt. III, 1612. Quomodo mortui sunt, qui manna manducaverunt. III, 1611. Manna cessavit trajecto Jordane. III, 617. Manna in arca inclusum, symbolum gratiæ. III, 633.

Mansiones multæ in regno Dei. III, 1812. Mansiones multæ, id est præmia et lumina meritorum diversa in cœlis. VI, 410. Quomodo Christus mansiones præparare vadit, quæ jam sunt. III, 1814. Desiderium dilectionis, præparatio est mansionis. III, 1816. Mansiones extra regnum cœlorum, an assignandæ non baptizatis. X, 518. *Vide* Locus medius. Mansiones agere. V, 1262.

Mansuetarii qui. I, 1232.

Mansuetudo commendatur. I, 858; IV, 310, 1717. Mansuetudo ad retinendam patientiam est necessaria. V, 860. Mansuetudo et humilitas primum et magnum munus est Spiritus. III, 2138. Mansuetudinem Christianam servari posse puniendo delicta. II, 517, 551, 660. Mansuetudinis ecclesiasticæ commendatio. II, 509, 511, 535, 649. Mansuetudo hæreticis exhibenda litigantibus et conviciantibus. V, 1584.

*Mantua*. Virgilius Mantuanus Rhetor. II, 82.

*Manturna* dea. VII, 188.

Manubia, præda bello parta. VII, 95.

Manumissio. Tabulæ in ea factæ. V, 145. Manumissionis libellus in ecclesia recitatus. V, 145.

Manus Dei quid sit. *Vide* Deus. Manus Dei gravis in superbum et levis in humilem, in utrumque fortis. IV, 267.

Manus potestatem significat. III, 497, 498, 1745. In manibus, idem quod in potestate. IV, 1956. Manus pro homine quo utitur alter, ad faciendum quod vult. III, 1745. Pro opere hominis et scriptura. III, 1745. Pro membro corporis et pro scriptura. VIII, 296. Manus significat bona opera. IV, 1853. Manuum extensio, bonorum operum praxis est. IV, 1115. Manus dextra dilectum adjutorem in bonis operibus significat. III, 1248. Manibus quærendus est Deus. IV, 1853. Manus vindictam significat. IV, 857, 858. Manus nomine, vis in Scripturis significatur. I, 1190. Manus nostræ non sint super eum, id est, manus ei non inferamus. III, 496. Manus lavat in sanguine peccatoris, qui mortem attendens impii, purgat se a peccatis. IV, 691. Manus superbiæ pro opere superbiæ. III, 525. Manus peccatoris, male suadentis operatio. IV, 353. Unde præceptum est ut levemus manus in oratione. IV, 755. Manus impositio, sacramentum regenerationis secundum Nemesianum. IX, 205. Manus impositio non sicut baptismus repeti non potest. IX, 149. Manus impositio cur venienti ab hæresi adhibetur. IX, 193.

*Mappalia*. V, 422.

*Mappalienses* punice tantum intelligunt. II, 256. Ex his ferme octoginta reluctantes rebaptizati. II, 253; IX, 316.

*Maraus* rex Sicyoniorum. VII, 568.

*Marazana*. IX, 229.

*Marcelliana*. IX, 253.

*Marcellina* quædam sectæ Carpocratianorum, imagines Jesu, et Pauli, et Homeri colebat. VIII, 27.

*Marcellinus* episcopus. II, 759, 780.

*Marcellinus* episcopus Romanorum, accusatus incensis codicibus thura obtulisse, ut non periret. IX, 325.

*Marcellinus*. I, 646; VII, 13. Tribunus et notarius. X, 109, 201; II, 487, 490; IX, 613. Divinarum studiosissimus litterarum, et amicus Augustino carissimus. II, 861. Urget Augustinum, ut libros de Genesi ac de Trinitate edat. II, 587. Ad Marcellinum Augustini liber. X, 355. Ad eum scripti libri *de Peccatorum meritis, et de Spiritu et littera*. I, 645. Marcellinus tribunus Volusianum, rogatu ipsius matris, frequens invisit. II, 514. Scribit Augustino, ut litteris Volusiani faciat satis. II, 514. Marcellinus Augustino scribit per Bonifacium episcop. II, 585. Item per Urbanum presbyterum. II, 585. Marcellino rescribit August. satisfaciens propositis ab ipso quæstionibus. II, 525. Hujus operis fit mentio. II, 537. Marcellinus cum dubitaret de origine animarum, interrogat Augustinum, qui æstus sui et ignorantiam fatetur. II, 864. Marcellino scripsit Hieronymus, suam esse sententiam, singulas animas novas nascentibus fieri. II, 747. Marcellino et Anapsychiæ epistola Hieronymi de origine animæ. II, 718. Laudatur ab August. II, 723, 864.

Marcellino Tribuno potissimum injunctæ sunt ecclesiasticæ causæ. II, 510. Collationis Carthagin. cognitor fuit. IX, 700. Marcellino aperit Augustinus qui cum Donatistis scelerum convictis agi velit. II, 553. Occupationum ac lucubrationum suarum ei rationem reddit. II, 536. Marcellinum cognitorem in collatione Carthagin. præmio fuisse corruptum dicebant Donatistæ. II, 577, 582. Marcellinus a traditionis crimine vindicatur. IX, 610. Marcellini integritas. IX, *App.* 820. Marcellini cædes narratur, et Marini crudelitas exponitur. II, 646, 647, 648, 651. Marcellinus sublatus uno aut altero die ante solemnitatem S. Cypriani. II, 649. Marcellini laus. II, 650.

*Marcellinus* diaconus apud Catholicos, a suo presbytero excommunicatus, transiens ad Donatistas, a Proculeiano rebaptizatur, et diaconus constituitur, qui nocturna in aggressione peremptus est. II, 417

*Marcellus* episcopus. II, 759, 780.

*Marcellus* presbyter Marcellini episcopi Romani, a traditionis crimine vindicatur. IX, 610.

*Marcellus* a Zama. IX, 232.

*Marcellus* Syracusam cepit VII, 19. Syracusanam civitatem quam expugnabat, flebat. VII, 90. Marcelli edictum pro pudicitia minime violanda. VII, 19.

Marcianensis possessio. II, 702.

*Marcianus* Urgensis propria voluntate unitatem catholicam delegit. II, 397.

*Marcion* hæreticus. IX, 231. Cordonis discipulus. VIII, 664. Deceptus in quæstione de causa peccati. X, 1464. Ab illo Marcionitæ hæretici, eorumque dogmata. VIII, 29; IX, 469, 589.

*Marcionitæ* Legem Prophetasque condemnant. VIII, 603. Eosque ad Deum bonum pertinere negant. II, 1033. Vana de mundo et lege Moysis fabulantur. I, 654. Marcionistarum et Sabellianorum quæstiones tempore Augustini jam silebantur. II, 458.

*Marculus* subdiaconus. IX, 513.

*Marculus* fossor. IX, 513.

*Marculus* a Catholicis præcipitatum querebantur Donatistæ. IX, 320. Marculi præcipitium an spontaneum, an jussu legis decretum. IX, 526. Marculus pseudomartyr Donatistarum. III, 1483. Marculi passio et nomen in martyrologia translatum. IX, 526. *Not.* (*a*).

*Marcus* Apostolorum suppar. V, 1127. Pedissequus et breviator Matthæi. III, 1044, 1045. Hominis facies ipsi attribuitur. III, 1666.

*Marcus* a Mactari. IX, 225.

*Marcus* Casphadiensis propria voluntate catholicus factus. II, 387.

*Marcus* hæreticus, ejusque dogmata. VIII, 28.

Mare quid. I, 853. Mare Hebræis dicitur omnis aquarum congregatio, etiam dulcium. III, 182. In mare quare fluat Deus. IV, 1944. Mare Ægeum. I, 935; IV, 1057. Maris rubri transitus, figura baptismi. V, 1551, 1555, 1635. Mare an siccabitur conflagratione mundi, necne, incertum est. VII, 682.

Maris allegorica expositio. I, 853. Mari comparatur genus humanum, vitio primi hominis profunde curiosum, procellose tumidum, et instabiliter fluidum. I, 911. Mare pro sæculo ponitur. VII, 680. Mare in figura sæculum hoc, falsitate amarum, fluctibus turbulentum, etc. IV, 780, 1478, 1479. Mare hujus sæculi navigantium tria genera. I, 397. Quid significet transitus maris in navi. V, 475. Mare est figura vitæ præsentis. VII, 682. Mare, omnes infideles. IV, 1748. Persecutores Ecclesiæ. IV, 1126. Maris fundum, cor impiorum. IV, 782. Mare in amaritudine sua Gentes erant. IV, 937, 1126.

Mariambulus Petrus. IV, 440.

*Margarita* puella annorum nondum duodecim, a Manichæis propter scelestum eorum mysterium vitiata. VIII, 36.

*Mariæ* sororis Moysis tympanum. V, 1638.

*Maria* virgo per parentum concupiscentiam concepta X,

815. Et de carnali concupiscentia parentum nata. X, 1555. Maria ex Adam mortua propter peccatum. IV, 335. Maria ideo non transcribitur diabolo conditione nascendi, quia ipsa conditio solvitur gratia renascendi. X, 1418. Maria de tribu regia ac sacerdotali. VI, 50. Maria ad semen David pertinuit. VIII, 471, 472. Quare ex Maria Christus carnem sumere voluit. III, 405. Ad Mariam cur Gabriel venit, non ad Joseph, sicut venerat ad Zachariam. V, 1317. Zachariæ et Mariæ similis interrogatio, animus dissimilis. V, 1314, 1318. Potuit virgo metuere aut certe ignorare consilium Dei, quomodo eam vellet habere filium. V, 1319. Maria de virtute Dei non dubitavit, sed modum quo conciperet quæsivit. III, 726. Virginitatis propositum in Maria. V, 1096, 1318. Maria virginem Deo se ante voverat, quam audisset Christum de ipsa nasciturum. VI, 398. In Mariæ et Joseph matrimonio omnia fuere bona conjugii. X, 421. *Vide* Conjugium, Nuptiæ. Maria a falsa suspicione Josephi liberata. V, 1507. Mariæ maritus non ablator, sed custos, imo non custos, quia Deus custodiebat, sed testis pudoris virginalis fuit. V, 1096.

Mariæ modestia et humilitas imitanda feminis. V, 345. Maria inter mulieres benedicta. V, 1318. Maria inde felix, quia verbum Dei custodit. III, 1468. Beatior Maria percipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi. VI, 398. In Maria Spiritus sanctus supervenit ad sanctificandum et purgandum, secundum Arianos. VIII, 736. Maria ex gratia mater Filii Dei. V, 1319. Maria Christi carnem fide concepit. VIII, 490. Christum prius mente quam ventre concepit. V, 1074. Maria virgo pia fide sanctum germen in se fieri promeruit. X, 175. Fuit in Mariæ corpore carnalis materia, unde carnem sumpsit Christus; sed non in ea Christum carnalis concupiscentia seminavit. X, 1553. Etsi caro virginis de peccati propagine venit, non tamen de peccati propagine concepit. III, 422. Maria non libidine, sed fide concepit. V, 442. Sine concupiscentiæ æstu concepit. V, 1114. Fidei caritate fervente concepit. V, 1069. Maria sola est et spiritu et corpore mater et virgo. VI, 399.

Mariæ uterus, conjugii Verbi cum carne thalamus. III, 1452; IV, 1942; V, 1319. Mariæ uterus nec antea, nec postea quidquam mortale concepit. III, 1623. Mariam post Christum natum viro suo commixtam fuisse contendunt Antidicomaritæ. VIII, 40. Mariæ virginitatem destruebant Helvidiani. VIII, 46. Destruebat Jovinianus. VIII, 45; X, 552, 1417. Contra incorruptam sanctæ Mariæ virginitatem Joviniani argumentum spreverunt Catholici. X, 643. Maria virgo et mulier dicta. V, 343. Mariæ virginitas. X, 445. Maria virgo perpetua. V, 990. Maria fide concepit, virgo peperit. VI, 249. Maria virgo concipiens, virgo pariens, virgo moriens. VI, 339. Virgo credidit, virgo concepit, virgo peperit, virgo permansit. V, 343, 1019. Christus attulit virgini fecunditatem, non abstulit virginitatem. V, 442, 997, 1004, 1010, 1019, 1073, 1105. Mariam virginem concipiendus invenit, natus virginem reliquit. V, 640. Mariæ virginitatis decus Christus nascendo non abstulit, cui munus fecunditatis attulerat. VIII, 490. Maria integritatem non amisit. III, 1467. Per incorrupta ejus membra Christum exisse fides credit. V, 1010. Virginis utero nihil incoinquinatius. III, 422. Mariæ purgatio ex consuetudine Legis, magis quam ex necessitate. III, 696. A Maria cœpit dignitas virginalis. V, 348. Maria sine ullo peccato vixit. X, 267. De Maria, propter honorem Domini, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere vult Augustinus quæstionem. I, 746.

Mariæ virginis elogium. III, 113. Reparando homini propinata per eam salus. V, 335. Per feminam mors, et per feminam vita. V, 1108. Maria virgo, dignitas terræ. III, 216. Mariæ merita, præter carnis integritatem, peculiaria. VI, 396. Maria spiritu filia Christi capitis, ex ipso spiritaliter nata, mater vero membrorum ejus; quia cooperata est caritate, ut fideles in Ecclesia nascerentur. VI, 399.

Maria Ecclesiæ figura. VI, 659, 660. Ecclesia Mariæ similis, et parit et virgo est. V, 1063. De Mariæ virginitate quod scripsit August. confirmat. II, 590. Maria virgo prophetasse invenitur. VII, 559.

Mariæ et Marthæ diversa officia. V, 925, 967, 1186. Utraque bona. V, 614, 615, 967. Pars Mariæ melior, quare. V, 615, 617, 968. Veritate pasci, pars Mariæ quæ non transit. V, 969. Maria ipsum manducabat, quem audiebat. V, 969. Ejus opus aufertur, non merces. V, 968. Ministerium Marthæ non reprehensum a Christo. V, 616. Ad Mariæ quietem tendit. V, 615. Duæ vitæ in Martha et Maria figuratæ. V, 617, 1188.

*Maria* Mariani martyris mater. V, 1288.

*Mariani* et Jacobi martyrum natalis. V, 1288.

*Marius* cruentissimus auctor bellorum civilium. VII, 70, 71.

*Marianus* episcopus. II, 759, 780.

*Marica* dea. VII, 71.

*Marinus* ab aquis Tibilitanis traditor. IX, 511, 612.

*Marini* crudelitas in cæde Marcelliani. II, 646, 647, 648, 649, 651.

Maritum habere dominum meruit mulieris non natura, sed culpa. III, 450. Marito continere non licet, uxore non consentiente. IV, 1959. Maritus intemperans, uxoris adulter est. X, 687. Marito falsum suspicante, quid uxori agendum. V, 1508. Maritum legitimum anima Deum habet. V, 759.

*Marius* juvenis. VII, 107. Marius municeps Arpinas, septies Romæ consul creatus. VII, 69. *Not.* (*b*). Marii victoria crudelis. VII, 107. Marius a Sylla victus, Africæ turpas fugit, et Maricæ deæ est commendatus. VII, 71. Marii crudelitatem Syllana victoria ulta est. VII, 107.

*Marratius* episcopus Maximianista. IV, 381.

*Mars* Deus belli. VII, 206. Effector mortium. VII, 196 Homicidii reus, absolvitur. VII, 567. Mars et Vulcanus inimici. VI, 712. Martis sidus. VII, 206.

*Mars* unus ex iis qui Cirtensi Donatistarum concilio interfuerunt IX, 513.

*Mars* diaconus. IX, 513.

*Marsi* jugum Romanum tentant excutere. VII, 168.

*Marsus* incantator. II, 210; IV, 679.

*Martialis* Pertusensis. IX, 507, 529, 550.

*Martianus* Sullectinus. IX, 507, 529, 550.

*Martinianus* episcopus. II, 906.

*Martianus* antiquissimus Augustino amicus. II, 1071. Hortatur eum August. ut jamjam fidelium sacramenta suscipiat. II, 1073. Ac nomen inter competentes det. II, 1075.

Martius mensium primus. VIII, 346.

*Martyres* unde appellati. IV, 1523. Martyr græce, testis latine. III, 1979; V, 1297, 1452; VIII, 448. Martyrium, latine testimonium. IV, 1539. Martyres testes Christi. III, 1866, 1868. In martyribus magnus acervus testimonii Christi. IV, 719, 722. Martyres elegantius heroas vocaremus, si ecclesiastica loquendi consuetudo pateretur. VII, 299. Martyris descriptio. III, 882. In martyrio prima confessio est, postea fortitudo, deinde latitudo consequitur. IV, 835. Martyres in tormentis patientes, in confessione fideles, in sermone veraces. IV, 444. Mortis amaritudo tolerata a martyribus. V. 1360. Martyres ne fidem amitterent, omnia et ipsam animam perdiderunt. IV, 618. Martyres quid invenere, quod Deo retribuerent. IV, 1318.

Martyribus non erat pro salute pugnare, nisi salutem pro Salvatore contemnere. VII, 758. Martyrum ad contemnendas minas sæculi, fortitudo. V, 220. Errores et terrores vicerunt. V, 1414. Vicerunt mundi blanditias et acerbitates. V, 1290. Delectationes et dolores. V, 1282, 1470. Martyres blanditiis carnalium parentum tentati sunt. V, 1288. Martyres usque adeo ebrii erant, ut suos non agnoscerent. IV, 352, 953. Martyres feliciter infelices. IV, 1679. Eos ebriosi calicibus persequuntur. IV, 723. Martyrum sacrificia. III, 811.

Martyres Dei cur non terreat persecutor. V, 427. Molestias corporales unde non sentiebant. V, 1282. Martyrum fortitudo non ab ipsis, sed a Deo. V, 34, 1289, 1368, 1453; VI, 607. Martyres et armantur a Deo, et ab eodem armato adjuvantur. V, 1423. Numquam tantas tribulationes carne tolerarent martyres, nisi magnam quietem mente conciperent. IV, 760. Martyrum securitas sub præsidio Dei. V, 1463, 1467. Christus prior passus, patiendi virtutem martyribus dedit. V, 1451. Martyrum robur ex Christi exemplo. IV, 760, 762. Martyrum caput et exemplar Christus. IV, 762. Martyres dum animas ponunt, Christus ponit. IV, 1810. Cum passi sunt, ipse unus Christus passus est. III, 1753. Martyres longe differenter passionem Domini imitantur. III, 1352. In Martyribus Christus sibi ipse perhibet testimonium. V, 713. Martyres a judicibus catenis, a Deo compedibus ligabantur. IV, 1305. Martyres compediti corde in sapientia, cui per suas passiones testimonium perhibuerunt. IV, 1146, 1147. Martyrum sanguine tamquam oleo, in Christo ardor caritatis inflammabatur. IV, 77. Christus in passionibus servorum suorum clarificatur. III, 1770. Passione martyrum quodam modo in Gentibus surrexit. IV, 491. Martyrum robur ex spe et intuitu promissæ felicitatis. IV, 1678, 1679, 1680, 1702, 1703. Quia cum magno amore cogitatur quo itur, cum magna fortitudine calcatur qua itur. V, 1366. Quæ gaudia erunt in virtute regnantium, quando tanta sunt pro veritate morientium. V, 1255. Martyrum robur ex metu gehennæ. IV, 1647. Libertas et hilaritas martyris juvenis constantissimi, inter cruciatus psallentis. VII, 615. Martyrum quorumdam ad persecutoris interrogationes responsa. V, 1450. Martyris cujusdam feminæ in confessione dictum : honorem Cæsari quasi Cæsari; timorem autem Deo. V, 252.

Martyres sunt veri et falsi. V, 1297. Martyres suos inquit diabolicus spiritus, ut tormenta contemnant. V, 1254. Martyres auri. V, 1461, 1470. Hæretici volunt martyres dici. V, 1451. Donatistarum martyres carpuntur. V, 630, 1448. Potest esse martyrum simulis pœna, sed dissimilis est causa

tyrum causa. II, 796. Martyrem causa discernit a patientia, imo durities sceleratorum. V, 1253. Martyrem non facit pœna, sed causa. II, 510, 413, 940; IV, 335, 340, 482, 483, 848; V, 1254, 1293, 1448, 1450, 1451, 1470; IX, 44, 524. Animus martyrii martyrem facit. V, 1354. Laus est in causæ bonitate, non in pœnæ acerbitate. IV, 848. Pro veritate pati, Martyrum est; pro falsitate, etiam impiorum. V, 1453. Potior est victoria pro fide veritatis occidi. VIII, 449.

Martyres etiam in veteri Testamento. VIII, 449. Martyr est Joannes Baptista, quia pro lege veritatis, licet non pro Christi nomine occisus. IV, 1832, 1833. Prophetæ multi martyres sunt, nec tamen propter Christum mortui sunt. IV, 1832. Propter confessionem nominis Christi nemo mortuus est ante Christum. IV, 1832. Martyrum gesta, qui passi sunt quia sacros codices noluerunt tradere. IX, 645.

Martyres veri, qui persecutionem propter justitiam patiuntur. II, 796. Martyr dicitur, qui pro justitia occiditur. V, 632. Martyres perfecti, amatores justitiæ. V, 871. Justitia nostra, non cruciatibus delectatur Deus. V, 1293. Martyrum perfecta justitia est. V, 1295.

Martyrum robur ex caritate. IV, 541. Martyres dum cudebantur, vincebant; quia caritas non vincebatur. IV, 1733. Martyrium sine caritate nihil prodest. V, 764. Sicut nec alia bona opera. III, 1436. In martyrio fides, spes, caritas commendatur. IV, 835. Martyres ad virtutes et vires Ecclesiæ pervenerunt amando Christum. III, 926. Vicit in eis, qui vixit in eis: ut qui non sibi, sed illi vixerunt, nec mortui morerentur. V, 1282. Martyrum non possunt habere mortem, qui Christianorum non habent vitam. II, 940.

Martyrium extra Ecclesiam, etiamsi pro nomine Christi, nihil prodest. II, 756; IX, 169, 695. Nec prodest iis qui in Ecclesia sine caritate vivunt. IX, 170. Ita censuit Cyprianus. II, 410. Martyr rogatus a quodam ut pro se oraret, respondet se pro Ecclesia catholica orare debere. V, 1249.

Martyres non repugnando, sed moriendo vicerunt. VII, 771. Martyribus nihil obesse potuerunt persecutores. IV, 1813. Martyres occidebantur, et tamen ab inimicis eruebantur. IV, 761, 762. Martyres derelicti, et non derelicti in manibus impiorum. IV, 590, 722. Martyres de persequentibus triumpharunt. IV, 670. Martyres de persecutoribus victores. V, 206. Martyrum persecutores ad Christum conversi. IV, 1782. Consilium persecutorum fuit martyres perdere, consilium Martyrum, inimicos perditos invenire. IV, 1524. Sanguis effusus a Donatistis, multos ex iis lucracratur. II, 808.

Martyres victores dæmonum. VII, 299. Non supplicibus donis, sed virtutibus divinis. VII, 299. Martyrum victoria de dæmoniis, quam nunc evidens. V, 1422. Martyrum sanguine extinctæ sunt fumantes dæmoniorum aræ. V, 1422.

Martyrum patientia et Judæos et Gentes vincit. II, 802. Martyres falsas religiones sustulerunt. VII, 136. Martyrum victoria, argumentum Christianæ religionis. VII, 758. Martyres fidei nostræ testimonium ferunt. VII, 771. Christum plus asserunt mortui, quam vivi. V, 1298. Passiones Martyrum quid obtinuerint. VII, 612. Martyres sanguine suo nobis hanc patriam peperere. VII, 77.

Martyrum sanguis semen. V, 151. Martyrum sanguine, tamquam seminatione, seges surrexit Ecclesiæ. IV, 451; V, 1298, 1380. Et fertilius pullulavit. IV, 695, 1754, 1829. Martyrum mors, multiplicatio Christianorum. VII, 751. Martyrum millia interfecta. V, 338, 1548. Millia hominum inveniuntur coronatorum, si vel unus dies passionis Martyrum computetur. V, 1176. Martyrum millibus terra repleta. V, 151. Terra purpurata. V, 1377. Suffectani LX Christianos mactarunt. II, 190. Martyrum corpora exusta, et cineres Rhodano inspersi. VI, 597. Cur hoc permisit Deus. VI, 599. Martyrum mors, crassitudo terræ. IV, 1829. Terra, cœlum, Ecclesia, tempora Martyrum meritis ornantur. IV, 1590. Martyrum numerus complebitur antichristi temporibus. IX, 724. Quomodo vindicantur Martyres. III, 1268. Martyres si adhuc laudes hominum quærunt, nondum vicerunt. V, 1352. Nihil a nobis propter se, sed propter nos ipsos quærunt. V, 1352. Ubi Christi nomen inimicus convertit in crimen, ibi supplicium Christus convertit in laudem. V, 1422. Martyribus compedes in coronam versæ sunt. IV, 1306. Quanto fortius martyres decertant, tanto densior corona martyrii. VII, 678.

Martyrum merita. VII, 255. Martyres majoris sunt meriti, quam qui accepto baptismo moriuntur. VII, 381. Martyrium non baptizatis est loco baptismi. VII, 381; IX, 173; X, 480, 503. Martyrum mors pretiosa. V, 333, 1298, 1454. Martyres in Ecclesiis locum summum tenent. IV, 835, 1523. Felicitas Martyrum, alia ante, alia post resurrectionem. V, 1283, 1451. Ante resurrectionem parva particula est promissionis, imo solatium dilationis. V, 1283. Martyres corpus non contempserunt, sed ei bene consuluerunt. V, 1259. Morientes propter Christum, consuluerunt sibi, non Christo. V, 1459.

Martyrum plena victoria. V, 1291. Et maxima præmia. V, 1281. Martyrum merces, Christum sequentibus et fidem servantibus parata. V, 1369, 1394. Martyrum gloria, insipientibus abscondita. V, 1400. Martyres occisi in manifesto, falso triumphati, in occulto vere coronati. IV, 220, 476, 1259. Ad felicitatem expediti cucurrerunt. V, 1449. Martyrum spiritus, tamquam de horto Dominico multa et suavissima poma, in cœlestem mensam transierunt. IV, 1013. Quanto fortius martyres decertant, tanto clariores sunt cives civitatis Dei. VII, 291. Martyres moriendo ad bona certissima transierunt. V, 1425. Beati possident terram viventium. V, 1420. Cum Christo quieti exspectant redemptionem corporis sui. V, 1420, 1454. Christo conjuncti sunt. V, 1425. Ubicumque sunt, cum Deo sunt, ubi bene est. V, 1566. Cœlum violenter invaserunt. V, 1425. Cum Christo regnant. V, 1434; VII, 673. Ibi se invicem vident, sermonem nostrum audiunt, et orare valent pro nobis. V, 1454. Ibi sunt ubi Christus est. V, 1441. Transierunt de hoc mundo ad Patrem. V, 1459. In Martyrum corporibus forte cicatrices apparebunt. VII, 782. Martyres amici Christi, unde. V, 1461. Innumerabilis societas sanctorum Martyrum in regnum cœlorum fortiter et violenter intravit pro Christi confessione: quod ille olim non potuit, qui claves regni ejus accepit. III, 1955. Martyres fructum centesimum referunt. III, 1525.

Martyrum reliquiis honoratur Ecclesia. V, 1475. Martyrum sanguis in veneratione habitus a Christianis. VII, 612. Martyrum Memoriæ. IV, 1782. Martyrum octo, basilica. V, 1578. Martyrum viginti natale. V, 1447. Basilica. V, 799. Memoria celeberrima apud Hipponem. VII, 765. Martyrum Memorias honorant Christiani. VII, 255. Martyrum Memorias cur celebrant Christiani. VIII, 384. Quomodo religioni Christianæ invidiam creare conatur Hermes ob Memorias Martyrum. VII, 253. Memoriæ tantum Martyribus fabricantur, non templa. VII, 772. Quare altaria super corpora Martyrum. VII, 255. Martyribus templa, altaria, sacerdotia, sacrificia non constituuntur. V, 1251, 1437; VII, 255, 772. Sed ipsi Deo. VIII, 384, 385. Martyres nec divinis honoribus, nec humanis criminibus coluntur. VII, 256. Martyres cultu latriæ non coluntur. VIII, 384. Laudandi martyres et amandi, Deus martyrum colendus. V, 1252. Martyr in Domino laudatur, cum de illo Dominus laudatur. V, 1420. Martyrum laudes in Deum recidere. V, 1423. A sacerdote qui sacrificat, non invocantur Martyres, sed tantum nominantur. VII, 772. Martyres ad altaris sacramenta suo proprio loco recitantur. V, 1251, 1291, 1360; VI, 423. Martyrum gesta vix reperiri est, in eorum solemnitatibus recitanda. V, 1426. Martyres dum recitantur, non pro illis oratur. V, 868, 1281, 1295, 1360. Pro martyribus non oratur. III, 1847. Injuria est pro martyre orare. V, 867. Orationibus Martyrum se commendat Ecclesia. V, 1291, 1360. Martyrum orationibus propitiatur Deus. III, 655. Martyres advocati nostri, et tamen unus advocatus noster Christus. V, 1295. Martyres adhuc tristes sunt, quia interpellant et gemunt pro nobis. IV, 1099. Martyres miserantur nos, ac precantur pro nobis. V, 1283. Temporalia beneficia per Martyrum orationes cur Deus impertit. V, 1585. De hac re apta similitudo. V, 1585. Martyres quomodo adsint vivis adjuvandis. VI, 607. Angelicis operationibus tribui possunt visa tum vivorum, tum mortuorum. VI, 600, 604. Per Martyres non omnibus sanitas, sed eorum imitatoribus immortalitas datur. V, 1299. Si accipere minus digni sumus, per amicos Christi petamus. V, 1462.

Martyrum merita cur maxime per eorum Memorias commendet Deus. VI, 607. In multis Martyrum Memoriis torquentur dæmones, et de corporibus possessis ejiciuntur. VII, 254. Idola in Martyres, convertisse Christianis calumniabatur Faustus. VIII, 384. Longe dignius honorantur Martyres, quam dii paganorum. VII, 772. Martyrum Memoriæ delubris deorum successerunt. VII, 253. Libelli in ecclesia recitati de beneficiis Dei per Martyres. V, 493, 1500, 1443. Martyrum natalitia celebrantur. VI, 676. Convivia in natalitiis Martyrum, lætitiam nominabant qui ea celebrabant. II, 115. Quare epulæ ad Memorias Martyrum delatæ. VII, 255. Ad eas a Christianis melioribus non sunt delatæ. VII, 255. Quæcumque adhibentur religiosorum obsequia in Martyrum locis, ornamenta sunt Memoriarum, non sacrificia mortuorum. VII, 255. Solemnitatibus Martyrum insultant Christiani quidam luxuriis suis. IV, 867. Qui vult recte celebrare natalitia Martyrum, desideret imitationem Martyrum. IV, 869. Honorare et non imitari, nihil est aliud quam mendaciter simulari. V, 1447. Solemnitates Martyrum cur institutæ, et quomodo celebrandæ. V, 1248, 1252, 1283, 1447. *Vide* Festivitates.

Martyres imitandi. V, 51, 52, 1389, 1405, 1548. Viam duram post Christum tenuerunt, et nobis linierunt. V, 1405. Martyres, aromata. V, 1250. Martyres contemptum mundi exemplo docent. V, 1415. Patientiæ exemplum nobis in ipsis præstitum. V, 1292. Martyrium in quotidianis tenta-

tionibus. V, 1459. Martyr hinc exies, si omnes tentationes diaboli superaveris. V, 52. Martyrium in lecto. V, 1500. Martyrium, ignis per quem uniuscujusque opus probatur. VII, 745 Martyrum passio et merces prædicta in psalmo CXXV. V, 195. Martyres figurati in ariete rubricato. III, 635. Martyrum passio sanguineo Christi sudore significata. IV, 1206, 1817.

*Martyriani* hæretici. VIII, 41.

*Masinissæ* regnum in Africa. VII, 112.

Massa una perditionis in qua omnes concreti. VI, 278. Massa tota vitiata, X, 1136. Massa peccati, massa iræ. V, 153. Massa perditionis unde electi sumus. V, 177. Ex massa damnata si nullus liberaretur, justum Dei judicium nemo juste reprehenderet. X, 953, 972. Non ex meritis, fortuna, aut fato fit e massa discretio; sed ex mero Dei beneplacito. X, 581. Cur omnes e massa non liberentur, sed quidam in ea relicti. X, 581, 582. *Vide* Gratia.

Massa candida. IV, 571, 1880; V, 1400. Uticensis dicta. V, 1417.

*Massaliani* hæretici. VIII, 41.

*Massephat* interpretatur intentio. VII, 559.

*Massiliensium* sententia de peccato originali, de gratia regenerationis. II, 1003, 1008. De prædestinatione. II, 1008, 1009. Massiliensium et aliorum quorumdam in Gallis sententia de prædestinatione et vocatione. X, 955, *n.* 2. De voluntate salvandi omnes. II, 1004, 1011. De numero prædestinatorum. II, 1005, 1009, 1010, 1011. De electione ex prævisis bonis aut malis, quæ parvuli si diutius vixissent perpetraturi erant. II, 1004, 1005. De proposito vocantis gratiæ. II, 1004, 1008. De morte Christi pro universo humano genere. II, 1005. De prædicatione aliis et non aliis facta, his et non illis temporibus. II, 1009. De duobus, quæ salutem humanam operantur, gratia et hominis obedientia. II, 1005. De libertate hominis ad bonum et ad malum faciendum. II, 1004. De sufficientia hominis ad bonum opus incipiendum et perficiendum. II, 1008. De initio bonæ voluntatis. II, 1008, 1009. De perseverantia. II, 1010; X, 955, *n.* 4. Massilienses rejiciunt testimonium ex lib. Sapientiæ, tamquam ex libro non canonico. II, 1010. Massiliensium sententia, de explicatione epistolæ B. Pauli ad Romanos. II, 1004. Massiliensium quidam, Augustini libris non intellectis offensi. X, 947, *n.* 2.

Massiliensium sententia partim Catholica, partim Pelagiana. X, 949, *n.* 3. Massilienses quatenus a Pelagianis recesserint. X, 961. Reliquiæ istæ Pelagianæ hæreseos quam perniciosæ. X, 951, *n.* 7. In reliquiis Pelagianæ pravitatis, non mediocris virulentiæ fibra apud Massilienses nutritur. II, 1007. Massilienses contrarium putant Patrum opinioni et ecclesiastico sensui, quidquid August. in libris suis adversus Pelagianos, de vocatione electorum secundum Dei propositum disputavit. II, 1003. Massilienses, nonnullis exceptis, in factis et dictis omnibus Augustinum admirantur. II, 1012. Ac nominatim S. Hilarius Arelatensis episc. II, 1007. Massiliensium nonnulli recensito libro de correptione et gratia intelligentiores facti. X, 949, *n.* 2. De reliquis Massiliensium dogmatis. *Vide* Fides, Gratia, Prædestinatio, Perseverantia. Et epistolas Prosperi et Hilarii ad Augustinum. X, 917 *et seq.*

Massiliensibus pauci audent contraire. X, 951, *n.* 7. Prosper imparem se dicit ad agendum contra Massilienses. II, 1007. Augustinum rogat ut Massiliensibus respondeat, et quæstiones proponit quibus velit responderi. II, 1007. Massilienses cum Augustini dictis moverentur, maluerunt tarditatem suam culpare, et apertiorem ejus expositionem postulare, quam non intellecta reprehendere. II, 1003. Massilienses iisdem moti sunt, quibus Adrumetini : et illorum quæstionibus in libro de Correptione et Gratia plene responsum. II, 1003. Massilienses et qui cum eis consentiunt, egregii sunt in omnium virtutum studio viri, et eorum auctoritatem simpliciores sine judicio sequuntur. II, 1003 ; X, 947, *n.* 2. Ex his sunt quidam episcopi. II, 1007 ; X, 951, *n.* 7. Massiliensium sententia de discrimine gratiæ hominis innocentis, et hominis lapsi. II, 1010. Massiliensos quomodo nitantur auctoritate. II, 1004, 1011. Quomodo velint sententiam Augustini, etiamsi vera sit, nullo periculo conticeri, ac non nisi perniciose expromi. II, 1004, 1011. Massilienses putat Hilarius sola superari ratione non posse, nisi et addatur auctoritas. II, 1012. Plures Massilienses sunt tales ut iis, ecclesiastica consuetudine laicos summam reverentiam necesse sit exhibere. X, 957.

*Massilitani* Martyres. V, 1286.

*Mascula*. IX, 257, 511.

Masculus et femina, nonnisi secundum corpus fieri potuit. III, 295.

Mater deorum terra. VII, 186. *Vide* Berecynthia.

Matrum libidines plerumque fetus producit. VIII, 988. Matris anima sic vel sic affecta, aliquibus velut induere qualitatibus fetum potest. VII, 574. Matris escam incarnantis, et ex ipsa hac efficientis, cum Verbo incarnato comparatio. V, 670. Matrem cædere Ecclesia prohibet. II, 132. Matris cujusdam maledictum in decem filios. VII, 769. Mater a filio contumeliose affecta. V, 1443. Sibi ipsi mortem laqueo conscissit. V, 1443. Eique ac cæteris liberis male precata exauditur. V, 1443. *Vide* Parentes.

Mater Christi commendata ab ipso moriente. V, 1086. Materna propinquitas nihil Mariæ profuisset, nisi felicius Christum corde quam carne gestasset. VI, 398. Mater et soror et frater Christi quomodo quis esse possit. IV, 1085.

Materiam tamquam coæternam Deo conjungunt quidam gentilium. VIII, 380. Materies ex qua mundus factus, nec omnino nihil est, nec Deo coæterna, nec ab alio quam a Deo facta est. VIII, 609. Concreata est cum mundo. VIII, 609. Materies cœli et terræ simul cum eis, et non ante est creata. V, 1057. Materies quæ dicitur informis rerum, formarum capax et subjecta Creatori, in omnia est convertibilis, quæ placuerit facere conditori. V, 1057. Materia informis non est omnino nihil. I, 827. Sed medium quid inter formatum et nihil. I, 828. Materia facta est ex nihilo, et ex hac omnia. I, 829; III, 178. Materia informis non est prior tempore formatis rebus. III, 257, 388. Hanc Deus simul rebus concreavit. III, 276. Nullarum naturarum materia esse potuit, nisi a Deo. III, 274.

Materia quibus nominibus designatur. III, 178. Materia congruentius aquæ nomine, quam aeris nuncupata est in libro Genesis. III, 225. Conetur humana mens materiam vel nosse ignorando, vel ignorare noscendo. I, 827. Materiæ finis, informitas, et servitus sub artifice æstimatur. III, 226.

*Mathan*. I, 633.

*Mathematicorum* divinationes. I, 757. Mathematicorum scientia incerta. VI, 29. Vana. VII, 144. Mathematicorum error et ignorantia in geminis. VII, 142. Mathematicorum de fato fatua doctrina ex ipsorummet factis ostenditur. II, 1061. Quomodo periitia Mathematicorum tentatur. VII, 147. Mathematici unde aliquando verum dicunt. III, 278 ; VI, 29. Societas inter dæmones et Mathematicos. III, 53. Illuduntur ab Angelis prævaricatoribus, qui creduntur Mathematici. III, 52. Mathematici, sive qui ipsos consulant, reprehenduntur. IV, 456, 747, 1821. Mathematicos et haruspices aut maleficos consulere, est fornicari cum dæmonis. V, 76. Mathematici, etsi verum dixerint, fugiendi. III, 52 ; 279. In malefactis ingerunt Mathematici accusandum potius Deum auctorem siderum, quam hominem scelerum. III, 278. Mathematici causas oranti nobis auferre conantur. III, 278. Mathematicorum delramentis sternimus, a libero arbitrio naufragamus. II, 210. Frustra objiciunt et nos ad solis et lunæ computationem Pascha celebrare. II, 210. Mathematicus ad meliora conversus. IV, 746. Mathematicorum codices incensi. III, 1455. Mathematici non appellati sunt a veteribus, qui nunc appellantur. VI, 28. *Vide* Genethliaci.

Mathesim prævalere volebat Priscillianus. VIII, 637.

*Mathusalem* an quatuordecim annos vixit post diluvium. VII, 449. An diluvio supervixerit, necne, præter fidei periculum quæritur. X, 398. Mathusalem sex annos ante diluvium secundum hebræos codices et LXX defunctus est. III, 548 ; VII, 454.

Matrimonium unde appellatum. VIII, 565. Matrimonium damnant Manichæi. VIII, 597. Matrimonii triplex bonum, fides, proles et sacramentum. III, 397. Quid attendendum in illo tricti boni. III, 397. Matrimonium juramento firmatum. II, 97. Tabulæ matrimoniales. I, 772 ; V, 1272. Iis subscribit Episcopus. V, 1465. Conjugale decus in officio regendi matrimonii et suscipiendorum liberorum I, 750. Quæ fidelium in usu matrimonii debet esse voluntas. X, 416, 419 Procreatio filiorum una est miscendæ carnis legitima causa. VI, 368. In officio gignendi filios nullum est peccatum. III, 288. Matrimoniales tabulæ fuerunt, liberorum procreandorum causa. V, 88, 225, 345. Veniale peccatum quærendum in usu matrimonii. V, 345, 1272 ; VI, 269. *Vide* Uxor. Matrimonium non est, ubi datur opera ne uxor sit mater. I, 1373. Quæ tunc fit meretrix. I, 1375. Nuptiarum bonum non exstinguit, sed modum ac concupiscentiam carnalem. II, 844. *Vide* Conjugium, Nuptiæ. Injusti mariti sævientes in uxores adulteras, cum sint et ipsi adulteri. VI, 474. Mariti ad parcendum adulteris uxoribus, non licentia libidinis, sed cura pietatis adhortantur. VI, 481. Matrimonium inire cum infidelibus an licitum. VI, 221.

Matrimonium indissolubile. X, 420. Verba quibus indissolubilitas matrimonii exprimitur, et Deo et Adamo tribuit Scriptura. III, 408. Matrimonium lapsarum a proposito seminarum non diremendum. VI, 458. Mortuo viro fieri verum connubium potest, cum quo prius adulterium fuit. X, 420. Continentia ex consensu non dirimit matrimonium X,

422. Nec multum castitatis votum. X, 420. Nec sterilitas conjugis. X, 420.

*Matturii*, Manichæorum secta. VIII, 36, 223.

*Matthæus* dicitur Hebræo scripsisse eloquio. III, 1044, 1139. Cæteri Græco. III, 1044. Matthæus narrandam suscepit Incarnationem Domini secundum stirpem regiam. III, 1044. Et generationem ejus secundum carnem. III, 1071. Matthæus et Lucas humanitatem Christi maxime commendarunt. III, 1044. Matthæo leo assignatus est. III, 1066. Matthæi auctoritas contra Faustum asseritur. VIII, 341.

*Mathias* episcopatum perditi apostoli accepit. IX, 263.

*Matuta* dea Melicertis mater. VII, 572. Præfecta frumentis maturescentibus. VII, 118.

*Mauritania*. IV, 179. Mauritania Sitiensis. VI, 165. Mauritania Cæsariensis. IX, 316, 588. Mauritania Cæsariensis occidentali quam meridianæ parti vicinior, nec Africam se vult dici. II, 333. Mauritaniæ suos habent Primates. II, 226. In Mauritaniam Cæsariensem necessitatis ecclesiasticæ causa perrexit Augustinus. II, 857, 869. *Not.*

*Maurentius* episcopus. II, 762.

*Mauri*. IX, 586.

*Maurusius*. II, 224.

Miseri sunt homines, quamdiu sunt mortales. VII, 268. Miser est qui Deum amisit, aut illi non adhæret. VII, 349, 650. Aut illum non colit. VII, 281. Miser quisque dicitur, quando illi subtrahitur quod amat. IV, 202. Miseri multi magis habendo quod amant, quam carendo: amando res noxias, miseri; habendo, sunt miseriores. IV, 202. Velle quod non decet; idem ipsum miserrimum est. *ex Cicer.* II, 498. Occulte sunt miseri, qui gaudent in malis. II, 632. Miser est qui fruitur re creata, quam perverse amat. VII, 356. Miserum genus humanum effectum propter peccatum Adami, tandem fatetur Julianus. X, 1573. sub Deo justo nemo miser, nisi mereatur. X, 1065. Miseri cum præter ordinem non sint, nonnulla pace gaudent. VII, 641.

Miseria creaturæ rationalis, aversio ejus ab incommutabili bono. II, 561. Miseriæ generis humani. X, 782. Miseriæ hujus vitæ, quantæ. VII, 628. Falsa felicitas, vera miseria est. IV, 1099. Miseria hominum a primis fletibus nascentium, usque ad extremos halitus morientium. X, 1073. Ab ortu ad interitum. X, 1184. Miserias hujus vitæ Tullius vidit et lamentatus est. VII, 628. Causam nescivit. X, 767. Miseria generis humani a Philosophis cognita, non nisi ex peccato originali nascitur. X, 782. Miserias Deo naturarum institutori tribuunt Pelagiani. X, 1566. Et in paradiso futuras fuisse asserunt, etiamsi nemo peccasset. X, 1249, 1448, 1449, 1559, 1573, 1575. Miseria mortalium quo sensu potest dici naturalis. X, 1509. Miseriæ corporis post peccatum. IV, 397, 398. Miseriæ quibus humanum genus merito primæ prævaricationis obnoxium est. VII, 784. Miseria hominis, inobedientia ejus ipsius adversus eum ipsum. VII, 425. Miseriæ hujus vitæ ex originali peccato veniunt. VII, 790; X, 1077, 1248, 1276, 1311, 1501, 1509, 1513, 1515, 1527, 1528. Miseria mortalium nulla esset, si non esset peccatum. X, 1408. Adami grande peccatum, causa miseriarum generis humani. X, 1511, 1512. Ærumnæ generis humani et majoribus et parvulis communes, fateri cogunt peccatum originale. X, 1559.

Miseria omnis naturæ rationalis ex ignorantia rerum agendarum, et concupiscentia noxiarum. VI, 244. Miseria ex amore temporalium bonorum nascitur et augetur. VII, 441. Miseria nulla alia quam stultitia. II, 64. Miseriæ non est finis, quamdiu finis officiorum nostrorum in re instabili collocatur. II, 455. Miseriarum testimonia fidelia sunt ipsæ virtutes. VII, 631. Miseria hominis, ut et misericordia Domini, plena est terra. IV, 287. A miseriis non liberat nisi gratia Salvatoris. VII, 786. Non semper liberat, ne propter hoc religio quæratur. VII, 786. Ad hoc adjuvat gratia meliores, ut fortiore corde tolerentur miseriæ. VII, 786. Miseriarum remedia plena labore ac dolore. VII, 785. Liberatio ab his miseriis, proprie in altera vita. VII, 786. Qui se agnoscit in vera esse miseria, erit in vera felicitate. IV, 1099. Tota ista miseria generis humani, dolor medicinalis est, non sententia pœnalis. IV, 1793. Quid miseriæ hujus vitæ nos edoceant. VII, 729. Miseriæ similitudo, cordis duritiam solvit. V, 1199. Ad eos qui non sunt in potestate, ubi mala vident aut audiunt, non pertinet nisi misereri. V, 1592.

Misericordia quid. VII, 260. Est virtus. VII, 260. Quænam virtus, et unde dicta. VIII, 142. Misericordia generali nomine dicitur, quia misero subvenitur. IV, 1469. Misericordia a miseria nomen habet. VI, 159; X, 1055. Misericordia ex eo appellata est, quod miserum cor faciat condolentis alieno malo. I, 1353. Misericordiam Stoici in vitio ponunt. II, 394; VII, 260.

Misericordia qualis Deo conveniat. VI, 140. Misericordia est in Deo sine cordis miseria. VIII, 143. Misericordia Dei magna, magnæ humanæ miseriæ est necessaria. VII, 656. Qui magnam misericordiam deprecatur, magnam miseriam confitetur. IV, 588. Misericordia non indigent cœli, ubi nulla miseria. IV, 287. Misericordia Dei quanta erga hominem. V, 155. Misericordia Dei in sanctos, æterna est. IV, 1420. Erga omnes tam sanctos quam reprobos, universæ viæ Domini misericordia et veritas. IV, 1588. Misericordia Dei in sanctos non terrena, sed cœlestis. IV, 346. Misericordia Dei ubique nos prævenit. V, 1015. Prævenit voluntatem. I, 628. Deus non misereretur, nisi voluntas præcesserit; sed ipsum velle Deus operatur in nobis. VI, 73. Misericordiam fides non præcedit. II, 879. Ad misericordiam Dei pertinet vocatio, quæ etiam fidem prævenit. I, 628. Misericordia fideli quidem datur, sed data est etiam ut esset fidelis. III, 2061. *Retr.* Misericordia quomodo præcedenti merito fidei tribuitur. III, 2061. *Retr.* Misericordia Dei et vocamur ut credamus, et credentibus præstatur ut bene operemur. I, 625; III, 2061. *Retr.* Misericordia ei gratia

Dei convertit hominem, ut justificetur impius, et incipiat habere meritum bonum, etc. II, 970. Misericordia Dei non deserit eos, qui ex ejus fide vivunt, eumque pie colunt. II, 525. Quidquid sumus, Dei misericordia sumus; quidquid autem ex nobis sumus, mali sumus. IV, 876. Veritate humiliati sumus in mortem, misericordia instauramur ad vitam. IV, 1555. Magna est misericordia Dei, peccata donare. IV, 446. Misericordia, medicina quotidiana quotidianorum vulnerum leviorum. II, 740, 858; V, 1198. Misericordiæ unda ignis peccati extinguitur. IV, 1861. Ex misericordiæ promissione non debemus polliceri, quoniam quidquid fecerimus, non perimus. IV, 1132. De misericordia Dei nemo sibi multum blandiatur. IV, 505, 1282. Non sibi blandiatur qui non conatur adversus peccata. V, 154. Tempore misericordiæ utendum ad pœnitentiam. V, 636.

Misericordia gemina. V, 1199. Duplicis generis. IV, 345. Misericordia non semper bona. X, 754. Est misericordia puniens, est crudelitas parcens. II, 600. Misericordia crudelis, X, 1082. Misericordiæ magnæ est nequitiam impunitam non relinquere. V, 935. Misericordia non tantum vocantis est, sed et verberantis. IV, 1131. Ad misericordiam Dei pertinet, etiam flagellis exercere. IV, 854, 855, 1145. Misericorditer dat Deus, cum dat; misericorditer aufert, cum tollit. IV, 1871. Deus non dando quod male petitur, magis misericors. IV, 1087. Quia magis crebra sunt mala, dulcior erit misericordia. IV, 474. Multum sibi in hac carne tribueret homo, nisi usque ad mortem sub venia viveret. VII, 300. Misericordia nulla major, quam quæ nobis a Christo præstita. V, 1043.

Misericordiæ modo tempus est. IV, 284, 1282, 1284. Veniet tempus judicii. IV, 1291. Misericordia et justitia Dei. V, 75. Misericordia præcessit, judicium sequetur. III, 1664. Tempus misericordiæ non est sine judicio, nec tempus judicii sine misericordia. IV, 1587. Misericordiam cum acceperis, bene utere, ut judicii tempore bonam rationem reddas. IV, 287. Misericordia superexsultat judicio. III, 634, 641. Alioquia non est spes. II, 741; III, 641. Ad misericordiam Dei confugiendum, ut peccatorum venia obtineatur. III, 641. Inest Deo et misericordia judicanti, et judicium miseranti. II, 740. Nec in misericordia Deus amittit judicium, nec in judicio misericordiam. IV, 284, 285, 446, 1861. Misericordia Dei non præscribit justitiæ, nec justitia ejus aufert misericordiam. V, 152. Misericordia sine judicio exhibita, falsa aut crudelis. IV, 285, 286. Si Deus solum judex esset, et non misericors, nemo ante eum staret. IV, 1698, 1700. Nisi primo Deus per misericordiam parceret, non inveniret quos per judicium coronaret. IV, 1282. Misericordia prærogatur, postea severitas reddetur. V, 201. Misericordia Dei nobis potius opus est, quam liquidissimo judicio. V, 930. Misericordia est gratuita, judicium vero debitum. X, 981. Etiam in judicio necessaria nobis erit misericordia Dei. X, 941. Quantumlibet juste vivat homo, ipsi misericordia Dei opus est. IV, 481. Væ etiam laudabili vitæ, si Deus remota misericordia eam discutiat. I, 778. Misericordiam nullum meritum præcedit, judicium merita supponit. X, 969. Misericordia in extremo judicio, pro bonorum operum meritis, justo judicio piis retribuetur; nunc vero non ita. X, 941, 942. Misericors Deus, non solum bona pro malis, sed bona pro bonis retribuens. IV, 1517.

Misericordiæ divinæ commendatio. IV, 254, 997, 1330. Misericordia quomodo usque ad cœlos magnificata. IV, 673. Misericordiam et veritatem amat Scriptura conjungere. III, 565, 592; IV, 1117, 1480. Debemus et nos Deo reddere misericordiam et veritatem, quomodo. IV, 1129, 1776. Misericordiam vult Deus a se exigi. IV, 287, 299. Misereri plus vult Deus, quam nos a miseria liberari. V, 619. Deus facilius iram, quam misericordiam continebit. IV, 977. Noli, quia transisti, velle misericordiæ Dei pontem subvertere. IV, 1196. Magnæ sunt voces ad misericordiam Dei, tacitæ contritiones animi. I, 739, 740. Nemo indignior misericordia, quam superbus miser. I, 1286. Misericordiam non merentur, qui adversus disciplinam patris dura cervice obnituntur. IV, 1133. Vasa misericordiæ et vasa iræ cur nuncupantur. X, 1129.

Misericordia quæ et quibus præstanda. IV, 1326. Misericordia animæ præsertim impendenda. V, 627. Qui in se ipsum crudelis est, in alium misericors esse non potest. IV, 1283, 1284. Misericordiæ officium debetur omnibus. III, 31. An etiam injustis. IV, 1326. Misericordia erga reos moveri debent judices, quia et ipsi misericordia egent. II, 656, 657. Misericordia qua sacerdotes pro reis intervenire solent, commendatur et explicatur. II, 654. Misericordia victis debetur. II, 856.

Misericordiæ opera commendantur. IV, 1236, 1528, 1469, 1860, 1861. Misericordiæ opera ubi desunt, potest esse *Declina a malo*; sed quia non est *et fac bonum*, non sufficit. V, 407. Misericordiæ opera debent augeri, ubi crebrescunt publicæ calamitates. II, 471. Misericordia duplex in opere bono. V, 1478. Misericordia, vera eleemosyna. V, 626. Misericordia quæ gratis constat, est injuriarum condonatio. IV, 1922. Misericordiam alteri impendendo, utilitati propriæ consulimus. III, 32. Misericordiam faciens, caritatem erogat. IV, 1922. Misericordia non debet esse contra judicium. III, 628. Misericordia falsa est vitia nutriendis parcere. II, 391, 395. Misericordia perversa est hæreticos occultare. V, 754. Nos hoc plurimum adjuvat apud Deum, quod pro malis misericorditer contristamur, et pro ipsa tristitia congemiscimus et oramus. II, 1085. Misericordiæ officia mali implere non possunt. III, 1326. Misericordia inobediens, vel misericors inobedientia merito reprobatur. X, 505. Misericordiæ opera, ex Deo misericorde sunt. VI, 116.

Misericordia verum sacrificium. VII, 283, 284, 699. Si propter Deum misericordia non fiat, non est sacrificium. VII, 283. Misericordiæ sacrificiis Deus placatur. II, 665. Peccata expiantur. II, 659, III, 1443. Misericordiæ opera, remedia ad abolenda peccata. X, 152. Misericordia Deo nos reconciliat. V, 1198. Misericordiam prærogandam, ut in nobis justitia impleri possit, Christus in se docuit. V, 789. Deus quia justus est, judicium illi sine misericordia facit, qui non fecit misericordiam. IV, 1469. Consilium miserias evadendi, est misericordem esse. III, 1287. Misericordiæ opera, semina nostra sunt. IV, 1664. Semen futuræ messis. VI, 161. Misericordia nusquam in vituperatione posita in litteris ecclesiasticis. VIII, 410.

Misericordes. V, 366. Homines, etiamsi misericordia non indigerent, misericordes esse deberent exemplo Christi. II, 659, 660. De nulla re sic vincitur inimicus, quam cum misericordes sumus. IV, 1861. Qui nullo dolore, sed officio bonitatis adductus subvenit proximo, misericors censetur. I, 1333. Misericors nemo potest esse sine dilectione. III, 2079. Non putet homo futuram in se misericordiam Dei, si ipse est immisericors. IV, 1326. Christus Judæos terrendo, revocavit ad misericordiam erga mulierem in adulterio deprehensam. II, 656, 657.

Missa catechumenorum fit post Sermonem V, 524. Missa pro defunctis. II, 694. Pro defuncto de cujus anima dubitatur. VI, 284. *Not.* 4. *Vide* Sacrificium.

*Mithridates*, rex Asiæ. VII, 103. Romanos omnes qui in Asia reperirentur, uno die jussit occidi. VII, 103. Mithridaticum bellum. VII, 72.

Mitis et misericors quo differunt. III, 1257. Mites quinam sint. V, 365, 499, 500. Deus irascendo mitis. V, 166. Christus mitis et humilis : quomodo nec sileat, nec mitescat. V, 1276. Qui didicerunt a Domino Jesu Christo mites esse et humiles corde, plus cogitando et orando proficiunt, quam legendo et audiendo. II, 597.

*Mnesarchus* Stoicus. I, 956.

*Mnestheus* Atheniensium rex, VII, 576.

*Moab* filius fuit Lot. III, 739. Interpretatur ex patre. IV, 1052.

*Moabitæ* ex Lot. III, 762. Per Moabitas significantur opera mala. IV, 720.

*Mociacensis*. IX, 513.

Moderatio Christiana. IX, 526, 527.

Modestia unde dicta. I, 711, 975. Pulchrior est temperantia animi inscitiam suam confitentis, quam scientia rerum. I, 711.

Modica, unde dicta. VIII, 557.

Modulari musicis quid sit. I, 563, 564.

Modus an aliqua ratione Deo conveniat. VIII, 538. Summus modus, Deus Pater. I, 976. Modus, ordinis pater. I, 1018. Modus, species, ordo, generalia bona in rebus a Deo factis. VIII, 553. Modus quidam animi est sapientia. I, 975. Modus malus unde interdum dicitur et mala species. VIII, 558. Modus probatus omnibus, a paucis agnitus. I, 990. Modus in rerum concessarum usu, quam difficile tenetur. V, 1272.

Mœchia generale nomen omnem illegitimum concubitum significans. III, 622. Proprie tamen nonnisi adulterium intelligi solet. III, 622, 765. Mœchia est vel ipsa feminæ concupiscentia. VIII, 561. Mœchiæ prohibitio. V, 69. Mœchia sexto et nono præcepto prohibita. V, 71. Mœchia viris vetita non secus ac feminis. V, 83. Quomodo præceptum non mœchandi differt a præcepto non concupiscendi uxorem. III, 622. De præcepto non mœchandi multis disputat Augustinus, quare. V, 78.

Mœchus. Dandam pacem mœchis quidam in Africa non putaverunt. II, 341.

Molendinum, hujusce mundi figura. IV, 336. In molendino sunt, qui in sæculo vivunt. IV, 1730, 1731.

Molestias vitæ tolerare jubet Deus, non amare. I, 795. Molestias quas nunc patitur homo obediendo præceptis Dei, vel de ipso morbo nondum sanato patitur, vel de adjutorio medicinæ. VI, 99. Molestiarum corporalium utilitas. X, 259.

Triplex utilitas. II, 504. Molestia temporali utendum est ad salutem. II, 470. Molestiæ temporales non admonere debent, quo caveamus æternas. II, 470. Molestiæ crebrescentes æternam requiem nos desiderare compellunt. II, 593.

Molles matri deûm consecrati. VII, 215. Et in sacris deorum adhibiti. VII, 185.

Monachi unde dicti. IV, 1732. De Monachorum nomine catholicis insultant hæretici. IV, 1730. Monachi simpliciter cognominati servi Dei. II, 995; V, 1070. Monachi in eremo sancta societate viventes. IX, 423. Monachi laudantur. IV, 1730. Monachorum, Anachoretarum et Cœnobitarum institutum laudatur. I, 1338. Monasticæ vitæ genus toto orbe notissimum. IX, 372. Ejus brevis commendatio. IV, 1277. Monastica vita cum portu comparatur. IV, 1277. Monachos quasi tuba in unum congregavit psalmus, *Ecce quam bonum*, etc. IV, 1729. Monachorum professio significata per illud Matth. XXIV: *Duo in lecto*, etc. IV, 357, 358, 1279. Monachi per Danielem figurati sunt. IV, 1731. Monachi militia Christiana. VIII, 226. Milites Christi in silentio pugnantes, etc. II, 997.

Monachorum bona studia. IV, 1278. Monachi quid agere soleant, et quo animo debeant. II, 190. Plures tota vita sua singulis diebus, excepto sabbato et Dominico jejunant, maxime in monasteriis constituti. II, 139. Monachi Carthaginenses alii se suis manibus transigebant, alii ex fidelium oblationibus vivendum ducebant : hinc magnæ contentiones exortæ. I, 638. Qua occasione liber *De opere Monachorum* editus. I, 638. Monachis non licere quidquam operari vitæ sustentandæ causa dixerunt Massaliani. VIII, 40. Monachi in sanctam societatem congregati, operari nolentes castigantur. VI, 549, 560. Monachi otiosi et vagi. VI, 575. Monachi venalem circumferentes hypocrisim. VI, 578. Ad professionem servitutis Dei si non admittantur servi, liberti, rustici, opifices, ac plebeii, grave delictum est. VI, 568. Hac professione abstinuntur, qui quærunt in ea pasci, vestiri, et honorari ab eis, a quibus contemni conterique consueverant. VI, 568. *Vide* Opus. Monachis duobus tamquam pauperibus eleemosynæ inscio marito a muliere erogatæ scandalum pariunt. II, 1079. Monachus (Thagastensis) si re sua non vendita, nec per manifestam donationem in quempiam translata moriebatur, nonnisi heredes ejus in eam succedebant, exemplum. II, 295. Monachi criminati. I, 638. Ecclesiam perturbabant. VI, 580. Reprehenduntur. VI, 578. Etiam in monasterio mali tolerandi propter bonos. IV, 1278, 1279. Servorum Dei bonæ famæ consulere, qualis misericordia. V, 569.

Monasticæ vitæ desertores, quales. IV, 1279. Monasticum propositum non deserendum. IV, 1058. Si quam operam monachi Ecclesia desideraverit, nec ille elatione avida suscipiat, nec blandiente desidia respuat. II, 188. Monachos nonnisi probatiores in clerum assumere solemus. II, 228. Monasteriorum desertores ad clericatum non eligendi. II, 228. *Deo gratias*, salutandi formula monachis usitata. IV, 1752. Monachi sese per multos dies includentes, et nulli ad se accessum præbentes. VI, 570. Monachorum Ægypti sanctus ac numerosus grex indicatur. V, 769. Monachi Ægyptii a barbaris interfecti. II, 422. Monachorum propositum sicut per alias terras, sic per totam Africam pullulare optat Augustinus. VI, 576. Monachorum orationibus ut vigilantioribus et magis sobriis Augustinus se commendat. II, 188. Monasticam vitam cum Episcopi munere conjungit Alypius. II, 99. De solis clericis, non de laicis statutum, ut undecumque venientes non recipiantur in monasterium. II, 253. Eustasius et Andræas ex insula Capraria (monachi). II, 189. Monachos et monachas, et conjugia non habentes admittunt tantum Apostolici. VIII, 52. Hieracitæ. VIII, 38. Aeriani. VIII, 39.

Monacharum professio et habitatio. I, 1339. Monialibus a Præposita distribuatur victus et tegimentum, non æqualiter omnibus. II, 960. Ex uno vestiario induantur : neque curent utrum id accipiant, quod reposuerunt. II, 963. Moniales caveant ne in monasterio, ubi quantum possunt, fiunt divites laboriosæ, fiant pauperes delicatæ. II, 962. Monacha si nupserit, adultera reputabitur. IV, 1058. Moniales non dicant aliquid proprium. II, 961. Quomodo se invicem respicere debeant, sive pauperes, sive divites in sæculo fuerint. II, 961. Illæ se existiment ditiores, quæ fuerint in sustinenda parcitate fortiores. II, 962. Non sit notabilis earum habitus ; non subter tegmina capitum retiola appareant ; capillos ex nulla parte nudos habeant ; simul ambulent, simul stent. II, 961. In incessu, in statu, in habitu, in omnibus motibus nihil fiat quod illiciat cujusquam libidinem. II, 961. Oculos in neminem figant, aspectus libidinosos caveant. II, 962. Nulla extra horam prandii aliquid alimentorum sumat, nisi cum ægrotat. II, 961. Moniales se invicem admoneant ; quomodo eas quæ admonitæ corrigi neglexerint, prodant Præpositæ ; et non innocentes sint, si non prodant, quæ convictæ fuerint, emendationem sustineant vindictam ; quæ vindictam ferre recusaverint, projiciantur. II, 963. Munuscula et litteras a viro non accipiant. II, 963. Murmura deviteni. II, 963. Moniales in commune operentur : in potestate Præpositæ sit, quod ad sanctimoniales mittitur ; furti judicio condemnetur, quæ rem sibi collatam celaverit. II, 963. Indumenta laventur secundum arbitrium Præpositæ. II, 963. Balneorum usus semel in mense tribuatur. II, 963. Moniales infirmæ quomodo tractandæ. II, 962, 963. Ægrotantium cura alicui injungatur : ad balneas sive quocumque ire necesse fuerit, minus quam tres non eant, socias non eligant, sed a Præposita accipiant. II, 963. Moniales non moleste ferant si infirmis aut aliis aliquid indulgeatur. II, 961. Codices certa hora singulis diebus petant. II, 963. Lites aut nullas habeant, aut quam celerrime finiant. II, 963. Quæcumque alteram læserit, satisfactione quantocius curet quod fecit. Sibi invicem satisfaciant, quæ se invicem læserunt. II, 964. Non exigitur ut quæ in minoribus coercendis modum excesserint, veniam ab eis petant. II, 964. Præpositæ tamquam matri obediant, multo magis presbytero qui earum omnium curam gerit. II, 964. Præpositæ munus. II, 964. Regulam non sicut ancillæ sub Lege, sed sicut liberæ sub gratia constitutæ observent. II, 963. Regula semel in septimana legatur. II, 963. Monialium curam gerens presbyter, nominatur præpositus. II, 959, 960. Moniales desiderantes mutare Præpositam, petunt quod est contra sanam disciplinam. II, 959. Monachæ habitus alius a matronali, sed quem matrona viro permittente possit gestare. II, 958. Monialibus dissentientibus Augustinus præsentiam suam negat, et de re earum apud Deum lacrymis agit. II, 959.

Monasterium clericorum. V, 1570. Monasteriorum greges. I, 755. *Vide* Congregationes fraternæ. Monasteria in ora vestimenti Christi pependerit Ecclesia. IV, 1734. Monasteria et monachos vituperat Petilianus Donatista. IX, 372. *Vide* Augustinus. Monasterium Mediolani plenum bonis fratribus, extra urbis mœnia, sub Ambrosio nutritore. I, 755. Plura monasteria seu Sanctorum diversoria Romæ vidit Augustinus. I, 1340. Monasteria apud Carthaginem esse incipiunt. I, 638. Monasterium ab Augustino primum in horto, et post in episcopii domo institutum. V, 1569. Monasteriorum bene moderatorum occupationes. VI, 576. Ut qui de aliquo monasterio recesserint, vel projecti fuerint, non fiant alibi clerici aut Præpositi monasteriorum, statutum est concilio Carthag. habito XIII. Septemb. ann. CCCCI. II, 234. Augustinus quomodo difficile expertus est meliores, quam qui in monasterio profecerunt ; ita non expertus est pejores, quam qui in monasteriis ceciderunt. II, 272. Divites qui monasteria ædificant, quibus comparentur. IV, 1571. In Monasterio Adrumet. delatus liber inscio abbate, quas perturbationes ibi excitet. II, 975.

*Monaxius* Consul. II, 927.

Moneta Dei summus III, 1691 ; V, 566.

Monitus saluberrimi ad gratiam pertinent. III, 1835.

*Monnica* Patricii conjux, mater Augustini. I, 780. Educata fuit sobrie et pudice. I, 771. In domo Christiana, quæ morum probitatem præferebat inter Ecclesiæ membra. I, 770. Non tam suæ matris, quam decrepitæ cujusdam famulæ cura ad honestatem instituebatur. I, 770. Monnica disciplina et regimine Christi eam in Dei timore jam tum erudientis instituebatur. I, 770. Monnica per Christum subdita parentibus potius, quam per parentes subdita Christo fuit. I, 771. Monnica amore vini paulatim capta, sanatur ab hoc vitio, insultati ne ancillæ secum litiganti. I, 771. Monnica Juliani convicio lacerata. X, 1030. Puellari vitio gratia Dei liberata. X, 1030. Monnica Patricio in matrimonium tradita, servivit ipsi veluti domino. I, 771. Satagens eum Deo lucrari. I, 771. Ex quo in Christo regenerata fuit, licet nondum viro soluta, vitam fide et moribus præcipuam egit. I, 779. Ut sese gerebat in virum, a fide ac moribus ipsius longe alienum. I, 771. Ut sese gerebat in socrum adversus se irritatam malarum ancillarum susurris. I, 772. Ut sese gerebat erga parentes, domumque suam. I, 772.

Monnica nutrivit filios, toties eos parturiens, quoties a Deo deviare cernebat. I, 773. Monnica Augustinum et carne, ut in hanc lucem temporalem ; et corde, ut in æternam lucem nasceretur, parturivit. I, 770. Augustinum spiritu parturivit majori sollicitudine, quam carne pepererat. I, 714. Augustinum a primis annis in Catechumenorum gradu constituit. I, 669, 729. Cum adhuc Augustinus puer in repentino mortis periculo versaretur, curabat festinabunda ut sacramentis salutaribus initiaretur. I, 670. Augustino tamen recreato, baptismum differendum duxit. I, 670. Augustino annum ætatis XVI agente Deus jam inchoaverat in Monnica templum suum, et exordium sanctæ habitationis suæ. I, 677. Monnica bis in die, mane et vespere ad ecclesiam venire solita, ut oraret, vel verbum Dei audiret. I, 714. Monnica obsequelis ac serviens sanctis, nullum diem

præterimittebat oblationem ad altare Dei. I, 714. Monnica Scripturarum sacrarum erat studiosissima. I, 993. Ut se gerebat erga servos Dei. I, 775. Ut se gerebat erga matronas de maritis suis querelam moventes. I, 772. Ut se gerebat erga dissidentes et discordes inter se animos. I, 775. Monnica frequentabat eleemosynas. I, 714. Virum suum, sub ipsius vitæ finem, ad Christi fidem adducit. I, 775.

Monnica viro viduata, sumptus nihilominus procurat Augustino, tunc apud Carthaginem Rethoricæ studenti. I, 685. Monnica Augustinum, ut a fornicatione maximeque ab adulterio abhorreret, cum ingenti sollicitudine admonebat. I, 678. Monnica Augustinum in Manichæorum hæresim prolapsum luget, ejusque convictum aversatur. I, 691. Monnica de futura Augustini resipiscentia admonetur per somnium, perque responsum Episcopi cujusdam, fieri non posse asserentis, *ut filius istarum lacrymarum pereat.* I, 692. Unum erat propter quod hic aliquantum immorari cupiebat, videlicet ut Augustinum Christianum catholicum videret ante obitum. I, 775. Monnica Augustinum Romam ipsa invita navigantem prosequitur. I, 713. Paulo post, consensa pave, per marina discrimina nautas consolatur, de felici perventione divinitus certior facta. I, 719. Monnica Mediolanum veniens, Augustinum ab illo Ambrosio jam abalienatum a Manichæis reperit. I, 719. Monnica Ambrosium diligit ut Angelum Dei. I, 719. Epulas ad Memorias Martyrum cum apud Africam deferret, plus quam unum *pocillum* sibi temperatum, unde *dignationem sumeret* non ponebat. I, 720. Monnica apud Mediolanum vetanti Ambrosio istas epulas fieri, morem gerit libentissime. I, 720. Monnica excubante Mediolanensi plebe in ecclesia, vigiliarum primas tenet. I, 769. Orationibus vivit. I, 769. Monnica sollicita an Mediolani sibi jejunandum sabbato esset, Ambrosii responso adquievit. II, 151, 201. In Monnicæ laudem Ambrosius viso Augustino sæpe erumpebat, gratulans ipsi quod talem matrem haberet. I, 196.

Monnica audita Augustini conversione gaudet, exsultat, triumphat, et Deo benedicit. I, 762. Secedit cum Augustino in agrum Cassiciacum. I, 765. Interest disputationi de Beata vita. I, 962. De Ordine. I, 991, 993. Quod ejus ingenium, atque in res divinas inflammatum animum, expertus fuisset Augustinus. I, 991, 993. In disputatione de Beata vita eximias sententias profert. I, 962, 976. Unam ejus sententiam insignem refert Augustinus. I, 775. Monnica Academicos, Caducarios appellandos censet. I, 967.

Monnica Augustinum suscepto baptismate remeantem in Africam comitatur. I, 777. Apud Ostia Tiberina, paulo ante obitum suum colloquitur cum Augustino de vita æterna. I, 774. Rapiuntur ambo in æternæ sapientiæ contemplationem. I, 774. Monnica nulla jam re se delectari in hac vita profitetur. I, 775. Post dies circiter quinque decumbit febribus. I, 775. Monnica in ecstasim rapitur. I, 775. Ut sensui reddita est, monet nihil curandum de sepultura sui corporis extra patriam. I, 775. Tantum se eos rogare, ut ad Domini altare meminerint ipsius. I, 775. Tandem die IX ægritudinis suæ, LVI ætatis suæ, XXXIII ætatis ipsius Augustini, migrat ex hac vita. I, 775.

Monnicæ funus. I, 776. Sacrificium pretii nostri pro ea offertur, jam juxta sepulcrum posito cadavere, priusquam depenatur, ut illic fieri solebat. I, 776. Quomodo matris mortem luxerit Augustinus. I, 775. Monnicæ elogium. I, 772. Augustinus matris suæ meriti esse credit omne quod vivit. I, 960. Ejusque precibus datam sibi eam mentem, ut inveniendæ veritati nihil præponat. I, 1019.

*Monnulus* a Girba. IX, 209.

Monoceros superbiam significat. III, 881.

Monomachia Goliæ et David. V, 197.

Monstrum. V, 771. A monstrando dictum. VII, 722. Monstra, naturæ errores et peccata an recte dicantur. X, 814. Monstra in humanis corporibus, si nemo peccasset, non nascerentur. X, 1125. Monstra cur a Deo creata. VII, 486. Monstrosa hominum genera varia referuntur. VII, 485. Homo bimembris natus in Oriente. VI, 273. Monstrosi fetus resurgent emendata natura. VI, 272

*Montanus.* VI, 305. Auctor Cataphrygum hæreticorum. VIII, 30. Per quem dicunt venisse Spiritum sanctum. II, 1056.

*Montanus* presbyter. IX, 513.

Montes boni, et montes mali. IV, 519, 1257. Cum Scriptura in bono montes commemorat, statim ibi Dominum nominat. IV, 1651. Mons Sion, mons Esaü, mons condensus, quid. VII, 588, 589. Montes Israel, ubi pascua bona. V, 284. Montis nomine significatur Christus. IV, 74; V, 265, 266. Christi justitia. IV, 74. Angelorum celsitudo. IV, 1141, 1142. Synagoga. V, 267. Ecclesia. IV, 70; V, 267. Dispensatores verbi. IV, 1479. Et pii per quos prærogatur Scriptura. IV, 1651. Mons unde præcisus lapis, regnum Judæorum. IV, 1270. Mons qui de præciso lapide surrexit, Ecclesia. IV, 70, 478, 1270; V, 267. Montes in circuitu Jerusalem sunt prædicatores, Angeli, Apostoli, Prophetæ. IV, 1650. Montes magni, id est prædicatores, illuminant, sed prius illuminantur. IV, 1651. Montis nomine significantur clari et spiritales Ecclesiæ viri. IV, 437. Viri excellenti sanctitate in Ecclesia eminentes. IV, 904. De montibus tibi venit auxilium, sed non a montibus. IV, 547. Mons supereminentia caritatis Christi in vita æterna. IV, 143. Montis nomine significantur potestates sæculi. IV, 519. Superbi. IV, 1865. Hæresum principes. IV, 547. Quomodo impletum sit illud Christi, *Dicetis monti huic, mittere in mare, et fiet.* IV, 517, 518. Mons in mare missus ab Apostolis. V, 554.

*Montenses* seu Donatistæ. VIII, 43. Sic Romæ vocati. II, 196.

Monumentum eo quod moneat mentem, nuncupatur. VI, 596. Monumento novo quo sepultus est Christus, congruit uterus Virginis. VIII, 894.

Moralis philosophia. VII, 232.

Morbos in paradiso Pelagiani collocant. X, 1248. Morbi non fuissent in paradiso. X, 802. Morbi infantium unde. X, 707, 801, 802. Sunt argumenta peccati originalis. X, 707. Quot morbis corpus affligitur. VII, 786. Experta morbi molestia, evidentior fit jucunditas sanitatis. VII, 425. In omnibus pene morbis, medicamenta tormenta sunt. VII, 785. Morbus contra omnem curantis industriam, non malo medici, sed ægroti insanabilis invictus est. VII, 173. Morbus omnis animi habet in Scripturis medicamentum suum. IV, 557. Morbum desiderii apud Apostolum quomodo Julianus intellexerit. X, 807.

Morum præcepta adolescentibus traduntur. I, 1006. In iis quæ ad vitam moresque pertinent, non sola doctrina, sed et exhortatio est necessaria. VI, 431. Quæ contra mores hominum sunt flagitia, pro morum diversitate vitanda sunt. I, 689. Mores dijudicari solent ex eo, quod quisque diligit. II, 672. Non faciunt bonos vel malos mores nisi boni vel mali amores. II, 672; V, 1417. Mores boni, ipsæ dignitates hominum. VII, 161. Mores bonos hominis ipse facit Deus. X, 1208. Mores honesti, etiam Paganorum, nonnisi ex Deo sunt. II, 591. Mores boni quam utiliter populis persuasi. VIII, 90. Per mores bonos provenit agnitio veritatis. I, 1334. Morum corruptionem non damnat paganismus, sicuti religio Christiana. VII, 64, 69, 70, 74. Morum mala quantum homines negligant. VII, 79. Mores pravi plus damni afferunt, quam hostes sævientes. VII, 43. Mores pravi cruciant corda pie viventium. VII, 613, 614. Morum corruptio ante adventum Christi. VII, 64, 74. Morum similitudines unde. X, 500. Moribus et vocibus laudare Deum. V, 1190. Moribus bonis quantum inimicus Eunomius. VIII, 40.

Moriones. II, 728; X, 707. Nullum verbum emittunt quod revocari velint. II, 586. Moriones in deliciis cordatorum. X, 148. Moriones fatuitatis delicias cordatis exhibentes. X, 127. Morio quidam suæ patientissimus, Christi injuriæ ultor acerrimus. X, 127.

Mos seu consuetudo ad humanum sensum vel alliciendum vel offerendum valet plurimum. VII, 458. Mos Ecclesiæ ad quam venerimus, servandus, si scandalum pati nolumus aut facere. II, 151, 201. Quænam ex variis moribus introducta resecanda. II, 221.

Mors corporis, separatio animæ a corpore. IV, 556, 893. Mortem pœnam esse nolunt quidam philosophi. VII, 587. Mortem corporis, etiam peccante nullo, in paradiso futuram fuisse contendit Julianus. X, 1585. In paradisum non bonorum mortuorum requiem, sed cruciatus morientium intulit Julianus. X, 1575. Mors pœnalis et peccato debita, secundum Julianum, non nisi æterna. X, 1222. Mors corporalis, etiam ipsa est pœnalis. X, 1222. Mors pœnalis quæ animam dissolvit a carne. X, 1593. Mors corporis quæ usitata, merito peccati accidit. X, 1596, 1603, 1604. Mortem ad nos transisse per Adam dicunt Pelagiani, et in hoc se ipsos jugulant. X, 613, 615.

Mors primis parentibus intentata. V, 1439. Homo sic conditus erat, ut non haberet moriendi necessitatem : peccato autem sic mutatus est naturæ status, ut hominem necesse sit mori. X, 1112. Mortem vel lenem non fuissent homines subituri in paradiso, si nemo peccasset. X, 1572. Nisi Adam peccasset. X, 1181. Homo hic moriturus non esset, nisi illum Deus percussisset. IV, 861. Ipsa mors hominis indicat eum sine morte fuisse futurum, nisi peccasset. III, 552, 553. Mortis causa, infirma membrorum compago. VII, 710. Homo peccando in moriendi necessitatem contrusus est. II, 547. Non sola mors, sed et peccatum per Adam in nos transiit. X, 613, 614, 1169.

Mors omnibus statuta. V, 1280, 1506, 1513. Debitum est quod nemo evadit. V, 1192. Conditioni mortis et legibus inferni obstrictus nascitur omnis homo præter Christum. V, 1105.

Mors ex peccato. II, 873; III, 353; VII, 377, 378, 380, 387, 391, 396, 403; X, 111, 197, 406, 826. Moriendi necessitas ab ipso exortu. V, 489. Mortis necessitas, meritum

peccati. X, 113. Mors pœna peccati. V, 906, 936, 938, 1104, 1773, 1775; X, 613, 1574. Non causa. X, 260. Mors carni peccati debita. III, 2072. Mors peccatum sequitur. X, 1248. Convenit judicio Dei ut peccator moriatur, nec tamen operi ejus convenit mors. X, 1554, 1555. De morte venit lassitudo illa quam invenimus in omnibus refectionibus nostris. IV, 1076. Reatus morieudi apparet in motu carnis non voluntario. III, 422.

Mortem carnis, Dominus non conditionis necessitate, sed miserationis voluntate suscepit. IV, 1111. Mors in Domino signum fuit alienorum peccatorum, non pœna propriorum. V, 1607. Non perimebatur, sed commutabatur Christus a vita temporali ad æternam, a Judæis ad Gentes, etc. IV, 1159. Mors Domini quid effecerit. III, 2072. Mortem procuravit diabolus, et ipse de morte Christi est captivatus. V, 715. Christus mortuus, mortis interfector. IV, 609. Intuendo serpentem sanari, est credendo in mortuum salvari a morte. IV, 933. Mors nostra, quomodo morte Christi soluta. VIII, 889. Mors Christi, pignus hæreditatis. V, 726. Mortem sine peccato solus Christus pertulit. X, 613. Mors in Christo non pœna peccati fuit, sed munus misericordiæ. III, 1401. Dignationis fuit, non debiti, III, 2072. Enochi et Eliæ translatio non probat mortem non esse pœnam peccati. II, 871.

Mortem non esse ex Deo. I, 919. A serpente mors seminata est. IV, 933. Mors quomodo a diabolo, et quomodo a Deo, X, 806. Quatenus a diabolo in homines venit. X, 114. Mortis potestatem et imperium cur diabolus habere dicatur. X, 181. Mors diabolus, non quia ipse mors, sed quia per ipsum est. IV, 556. Mortis corporalis aculeus, peccatum. X, 1604, 1607. Quomodo. X, 197, 614. Mors quomodo peccatum dicitur. IV, 555. Mors peccatum dicitur, quia est ex pœna peccati. VIII, 296, 297. An quia primi hominis peccato factum est ut moreremur, Salvatoris adventu fieri debuit ut non moreremur. X, 180. Morti quare obnoxii, qui per baptismum a peccato solvuntur. VII, 379; X, 181. Cur mors, quæ pœna est peccati, remanet non remanente peccato. II, 872; V, 1375. Mors temporalis cur fidelibus relinquitur ad tempus, cur mors perpetua reis tollitur. X, 1181. Mors temporalis ad exercitationem fidei relinquitur. II, 683; V, 1375; X, 182, 183, 184, 186, 260. Mortis pœna conversa est in usus justitiæ VII, 379.

Mortis regnum. VII, 403. Mors in parvulos cum regnet, ipsos peccato originis obnoxios esse signum est. X, 1228. Mortis regnum quid apud Apostolum. X, 116, 462. Mortis regnum quale. X, 1171. Mors regnavit in mundo propter originale peccatum. X, 1221, 1224. Mortis regnum sola in quolibet homine gratia destruit Salvatoris. X, 116. Mors pœna peccato comes usque ad interitum sempiternum, nisi divina gratia generationem regeneratione sanaverit. X, 1261. Mortis regnum non est in eis qui gratia Christi renati, ad regnum ejus pertinent. II, 685. Quomodo a lege mortis gratia liberat. VIII, 125.

Mors duplex. VIII, 890, 900; X, 1171. Mortes duæ, alia corporis quæ bonorum est et malorum, alia animæ per peccatum. X, 1384. Mors duplex; altera temporalis, æterna altera. III, 1710. Mors animæ et mors corporis. VII, 377. Mors duplex in omnes pertransiit. X, 1170. Mors duplex, prima et secunda. V, 1105, 1515; VI, 275; VII, 378. Mors prima, quæ. VII, 378. Alia mors prima, quam peccando attulit primus homo; alia secunda, quam judicando inferet secundus homo. X, 1581, 1593, 1604. Quidquid est mortis, usque ad eam quæ secunda dicitur, minatus est Deus primis parentibus. VII, 385, 387. Mors tum animæ tum corporis secutura non fuisset, si peccatum non præcessisset. VI, 160. Mors prima communis omnibus, non secunda. VII, 398. Prima omnibus necessario subeunda, secunda solis malis parata. V, 1515. Mortem tantum primam patiuntur, qui liberantur a peccato. VII, 379. Mors prima pro veritate tolerata, a secunda liberat. VII, 382. Mors carnis pertinet ad ignem illum per quem uniuscujusque opus probatur. VII, 745. Mors secunda, quæ. VII, 377; X, 116. Est Mors æterna. VII, 193. Animæ et corporis mors æterna quæ sit. V, 430. Mors æterna, secunda mors appellatur. X, 140. Mors secunda, damnatio dicitur. VII, 658, 674. Mors secunda est pessima. VII, 385. Mors secunda, malorum est tantum. VII, 378. Quod est prima mors in civitate mortali, hoc est mors secunda in civitate immortali. VII, 384. Mortis æternæ quantum immineat omnibus periculum. V, 1541. In mortem secundam omnes præcipitarentur, nisi quosdam gratia Dei liberaret. VII, 405. Mors secunda, et mors vocatur; et nemo ibi moritur. V, 1402. Mors morietur in nobis, victura est in damnatis. V, 1111. Mortes ambas tollit una resurrectio beatorum. X, 1181. Morti nostræ dulce, quomodo simpla mors Christi impensa. VIII, 891, 892. Mortem æternam hominis occidit mors temporalis Christi. III, 1402. Mors in Christo mortua. V, 496, 1111, 1551.

Mortem horret, non opinio, sed natura V, 936, 1360 1373, 1374. Mori necesse est, et nemo vult. IV, 238. Est dulce quoddam vinculum corporis, et ligatus est homo, et solvi non vult. V, 1366. Naturæ prima et maxima vox, ut homo mortem fugiat. VII, 630. Mortem quare omnes refugiunt. VII, 340. Mortis metus. VI, 676. An in paradiso futurus fuisset sine peccato. X, 1530, 1536. Mortis metus posteris Adæ congenitus. X, 1530. Mortis timorem Deus fecit, propter disciplinam. IV, 1162. Mortis timor, tormentum. X, 1570, 1571. Mors plus metuitur, quam labores. X, 1571. Mortis vitandæ causa quantum homo laboret. V, 706. Mortis timor quam vanus. V, 881. Mortis timor maxime pungit, quando nobis bene est. V, 238. Quid agendum ut non moriamur. V, 881. Mors est, quæ si volueris non erit. V, 1513. Mors animæ timenda magis, quam corporis. V, 450, 880, 1247. Non timenda mors temporalis, sed æterna. V, 1280. Ejus nobis amara mors, cujus vita dulcis est. VII, 655. Mortem jucundam quibusnam Cicero promittit. VIII, 1056. Mortis quam vano timore teneantur homines. V, 881. Mori timentes, et nihil aliud agentes nisi serius mori, quare non agunt non mori? V, 881. Mortis diem omnes, aut pene omnes differre conantur, quare. II, 544. Mors accelerata quibusdam est utilis. III, 780. Nemo laborat ut mors omnino vitetur, sed tantummodo ut differatur. III, 816. Non curandum quam cito, vel quo mortis genere vita ista finiatur. VII, 25. Mortis genus non quidquam bonis facit, quod obesse possit post mortem. VII, 471. Unde homo moriatur non cures, sed quo iturus sit post mortem. IV, 1945. Qui tanta agis, ut paulo serius moriaris, age aliquid ut numquam moriaris. V, 1387. Qui morte imminente turbantur, intueantur Christum ipsum eadem de causa turbatum. III, 1708. Mortem carnis omnes refugiunt, de morte animæ pauci curant. III, 1747. Mortis corporalis metus facit reos. X, 1603. Mors non timenda. II, 649. Mors temporalis non timenda. III, 1710. Tota hominis vita contra mortem intrepida fieri potest. II, 74. Mortem corporis sapiens non metuit, nec dolores. I, 971. Satius est unam mortem perpeti moriendo, quam omnes timere vivendo. VII, 25. Mortis metum vincere, non parva virtus. X, 183. Major est virtus mortem spernere, quam laborem. X, 1571. Mortis timorem quod fideles vincunt, ad agonem fidei pertinet. X, 182. Nec mortem, nec genus mortis metuendum esse, Christus sua morte et cruce ostendit. VI, 664. Mortis timor in Petro et Christo. IV, 1143, 1144. Mortem cur Christus timuit, Paulus non timuit. IV, 1287. Mors Christi mortem non esse usque adeo metuendam docet. V, 1554. Mortis timorem Christus resurgendo abstulit. V, 799. Mortem timemus, licet finiat infirmitatem. IV, 1143, 1144. Mors seni non est pœna. IV, 1268. Mortem nemo invocat verbis, sed mala vita. IV, 475. Mors vocatur a miseris: ubi adest, pro virili fugitur. V, 519. Mors amari non potest, tolerari potest. V, 1375. Quamquam Christo inhærere cupiamus, mori tamen nolumus. IV, 842. Mentis ratione concupiscit homo pius dissolvi, sed id sensu carnis refugit. II, 544. Apostoli post mortem Christi fugientes, præsignantur per Moysen a serpente fugientem. IV, 933.

Mors æquo animo ferenda. III, 1402. Patienter ferenda exemplo Christi. IV, 831. Deo jubente recusanda non est, quocumque temporis. III, 361. Domus ista tibi locata est, non donata. IV, 1945. Dominus domus cum vult, dicit, migra: non cautionem tecum fecit et placito se obstrinxit ad certum tempus. IV, 429. Mors non est vitanda peccato, sed pro justitia perferenda, si facultas datur. VII, 301. Mortem sapiens debet ferre patienter, sed quæ aliunde accidit quam a se ipso. VII, 650. Mortem sibi inferre non licet. II, 755; VI, 616. Ex quacumque causa. VII, 30, 34, 35, 38, 39. Mortem sibi inferre ad animi magnitudinem non pertinet. VII, 35. Mortem voluntariam prohibendam judicavit Plato. VII, 36. Mors sibi non est inferenda. III, 1767, 1770. Eligenda tamen est potius quam peccatum. III, 1767.

Mortis quadruplex genus. III, 1752. Mortis genus triplex. III, 1747. Mortis tria genera a Donatistis frequentata. IX, 724, 725. Mortes duæ maxime vilesc et usitatæ eorum qui se interimunt, laqueus et præcipitium. IX, 299. Mortem sibi inferens, etiam dum ad malam cogeretur, in æternum perit. II, 755. Mortem qui sibi infert, pejor est quam parricida. VI, 617. Moriuntur quidam cum patientia, perfecti cum patientia vivunt. III, 2046. Amor Dei facit ut mors contemnatur, imo et desideretur. I, 1328. Mors desideranda. IV, 1843. Non tamen nimis. IV, 1843. Mortem optare in amarissima vita quomodo justo liceat. IX, 727. Optandum ad Christum subveniente morte velocius properare. X, 650. Mortem cur Paulus desideravit, cur cæteri Apostoli. X, 631, 632. Mori nolle fidelibus non consilium est ut proficiant, sed indicium quod parum profecerint. III, 1376. Peregrinationem nostram tanto ardentius finire cupimus, quanto fruimur Deo vel per speculum vel in ænigmate. III, 50. Mors vehiculum ad regnum. VI, 668 Mors carnis, dormitio vocatur.

IV, 825. Quasi somnus est. IV, 1701. Mors dormitio propter futuram resurrectionem quasi evigilationem. II, 572. Mortem separationem esse boni a malo Manichæi dicebant. II, 272.

Mors non est malum, secundum Pelagianos. X, 610. Mors secundum Julianum prævaricatori pro beneficio fuit promissa, vel potius indicata, ne suum laborem putaret æternum. X, 1570, 1571. Mors non est bonum. VII, 380, 381. Mors cum mortalibus contingit, non aliquid dirum putandum. III, 778. Mors, justa vindicta peccati: plus tamen clementiæ Dei, quam severitatis ostendens, quare. III, 134. Quod homines necessario corpore morituri sint, non parvum de Christi gratia beneficium. X, 113. De bono mortis nonnulli congruenter disputarunt. X, 613. Mors non solum non inutilis fidelibus, verum etiam utilis secundum Cyprianum. X, 979, 980, 981. Per temporales mortalium mortes Deus utilitatem timoris sui populis imponit. VIII, 412. Mortibus corporalibus, etiam eorum qui non commiserant peccata vindicavit aliquando Deus. VIII, 660, 661, 662. Mortis reliquiæ in bonum electis cedunt. VIII, 1029. Mors ex misericordia Dei in bonos usus convertitur. X, 613, 614. Mors corporis, pœnalis; sed per Dei gratiam fit pretiosa. X, 1585, 1595. Mors fit justi meritum. VII, 380, 381. Morte quæ primi peccati pœna est, quinam bene utuntur. X, 178. Mortis malo bene utentes Martyres, conantur. X, 1575. Qui usque ad mortem pro veritate decertat, vel ab inimicis quos pro justitia offendit occiditur, is gratum Deo sacrificium offert. III, 811. Mors in deterius et in melius. III, 1588.

Mors in morientibus omnibus mala est, in mortuis autem quibusdam mala, quibusdam bona. X, 1575. Mors an bonis bona sit, et mala malis. VII, 378, 381. Mors malis est mala: VII, 378. Mors quænam vere bona vel mala sit. V, 611. Mortem malam non facit, aut probat, nisi quod sequitur mortem. V, 612; VII, 25, 26. Morientibus quidquid obest, ex vita, non ex morte contingit. II, 649. Morienti comes erit aut vita, aut pœna V, 811. Mors non est mala putanda, quam bona vita præcesserit. VII, 25. Non est in hominis potestate quo exitu hanc vitam finiat, sed est in hominis potestate quomodo vivat, ut securus vitam finiat. V, 1400. Mori in peccato, summum malum. III, 1678. Non potest male mori, qui bene vixerit. V, 1162; VI, 676. Sic vive, ut moriens pro judice patrem, pro ministro sævo Angelum tollentem in sinum Abrahæ, pro carcere paradisum invenias. V, 638. Morientis statim post veram conversionem Deus non annotat facultatem, sed coronat voluntatem. V, 131. Mors malorum finis, sed in eis quorum casta, pia, fidelis, innocens vita. II, 389.

Mors justorum et peccatorum in quo differant. IV, 321. Quid sit mors non vident impii, cum vident etiam sapientes morientes. IV, 551. Secundum animam intelligenda est mors aut pessima aut optima. IV, 322. Mors optima quænam. IV, 825. Mors sanctorum pretiosa. VII, 381. Mortium sanctarum pretium mors est unius. V. 1454. Mors pio undecunque bona est. IV, 1945. Morte anima, si non perdidit Deum suum, in illo erit quem a se non exclusit. V, 881. Moriendi præclarum exemplum. II, 694, 697. Sicut merito peccati tamquam stipendium redditur mors, ita merito justitiæ tamquam stipendium vita æterna. II, 881. Adam mortis, Christus resurrectionis auctor. X, 1595. Neque per mortem vel prævaricationem Adæ omne genus hominum mori, neque per resurrectionem Christi resurgere, Cœlestii dogma. X, 334. Morte Christi resurrectionem justis præstitam esse talem, qualis in fine nobis promittitur, quidam tenuerunt. II, 712. Mors in sæculo futuro non erit. VII, 683. Gratiæ mirabiliore virtute justos a morte ad æternam beatitudinem reviviscere, quam in mortis experientiam non venire. II, 873. Mors corporis in resurrectione destruetur. X, 1603. Mortis victoria, corporum resurrectione superabitur. X, 198. In resurrectione soli justi liberabuntur de corpore mortis. V, 859. Mori nemo prorsus vult. V, 959. Mortem repentina commutatione non sentient, qui in fine residui erunt. X, 181. Raptus vivorum fidelium ad adventum Christi, non probat mortem non esse pœnam peccati. II, 872.

Mortis cogitatio cum mortuo sepulto sæpe sepelitur. V, 1601. De sola ultima hominis profectione, quæ mors vocatur, vere cogitandum. II, 74. Inter strepitus inquietosque conventus atque discursus, cum morte familiaritas non habetur. II, 74. Mors sola hic certa. V, 590. Incerta cætera omnia. IV, 428. Mortis diem magna misericordia Deus nobis abscondit. IV, 332; V, 241. Mortis diem cur Deus incertum esse voluerit. IV, 1301, 1876. Latet ultimus dies, ut observentur omnes dies. V, 241. Mortis dies incertus, sed vicinus. V, 241, 839. Mortis dies cujusque, est novissimus dies. V, 932.

Mortis corpus quid, et quinam ab illo liberantur. X, 561. Mortis umbra, quid. X, 1522. Mortis umbra, via peccati. V, 1549. Mors in Saüle figurata est. IV, 601. Moriens cujus dicatur. VII, 382. Mortis tempus an in morientibus, an in mortuis esse dicendum sit. VII, 382.

Mors spiritalis quæ. III, 1547; V, 1617. Mors animæ. V, 1059. Mori potest et non potest anima. V, 428, 1247. Animæ mors, Dei amissio. III, 1737; V, 415, 428. Separatio animæ a Deo. IV, 556, 895. Mors animæ, nequitia est. III, 131. Mors tum corporis tum animæ, quibus indiciis cognoscitur. V, 429. Mors sibi ipsi est, qui male vivit. I, 830. Vita in deliciis temporalibus, in comparatione vitæ æternæ, non vita, sed mors dicenda. II, 223. Mortem plus nos amare quam vitam, acute probatur. VI, 676. Mors animæ horrenda magis et metuenda, quam corporum. VIII, 618. Occiduntur peccatores, dum obscurati intelligentia alienantur a vita Dei. IV, 1800. Mortuæ animæ mors jacet sub corporis pondere. IV, 1117. Mortua peccato quomodo anima dicitur. III, 2069. Ipsa est vera mors, in profundum ire peccati. IV, 703. Mors animæ intelligitur, cum mortificata peccato, vel damnatione punita est. II, 717. Mortibus corporum mortui multi propter aliena peccata, nemo morte animæ. VIII, 619. Mors quædam est, malæ vitæ mutatio. V, 1106. Mortes quædam ætatum. IV, 1686. Mors pecorum Ægypti. V, 69.

Mortale, moriturum, et mortuum qui differunt. X, 111. Mortalis institutio nostra, qua vel mortales conditi sumus, divinum munus est. VII, 376. Mortalia, etsi pœnalia, habent proprium decoris locum in pulchritudine temporum. VIII, 607.

Mortalitas facta est quasi secunda natura. VI, 107. Mortalitatis et libidinis origo. III, 446. Mortalitas ex peccato. V, 62, 63, 67, 1607. Peccati pœna. VI, 107, 332. Mortalitas in Christo vera. V, 1609. Cur a Christo suscepta. V, 62, 63. Homini ad humilitatem prodesse debet mortalitas. V, 589. Mortalitas nulla post resurrectionem. X, 112. Mortalitas sæculi, flumen est. IV, 794, 795. Mortalitas sæculi cum torrente comparatur. IV, 1462.

Morticina nonnisi mortuorum, mortalia vero etiam vivorum corporum nomen est. IV, 1013. Morticino cur vesci Christianos prohibuit Apostolus. VIII, 503, 504.

Mortificari et vivificari fideles Christi, quid sit. VII, 529. Mortificanda membra. VI, 370. *Vide* Caro. Id agit spiritus in domanda carne, ut eam faciat subjugatam. III, 28. Hoc est opus nostrum in hac vita, actiones carnis spiritu mortificare, quotidie affligere, minuere, frenare, interimere. V, 855. Delectationem, dum non consentis, mortificas; cum cœperit omnino non delectare, mortificasti. V, 855. In hoc agone cum confligimus, Deum habemus spectatorem; cum laboramus, Deum poscimus adjutorem. V, 855. In mortificatione carnis de spiritu suo non præsumendum. V, 855. Alias quid tibi prodest, quia non eris Epicureus, et eris Stoicus. V, 855. Statum post resurrectionem futurum student imitari, qui carnem castigant. III, 28. Nec corpus suum odio habent. III, 28. Mortem Evangelicam emoriendum est, ut resolutionem carnalem voluntario præveniamus excessu. II, 349. Ut vivamus vitam evangelicam. II, 352. Mortificatio, jejunia et eleemosynæ multum adjuvant orationem. II, 504, 507. Moriendum ut vivamus. V, 924. Mori sæculo quid. III, 1808. Cujus animus non moritur huic sæculo, is non resurgit ad vitam, sed ad supplicia. III, 25. Nisi mortem Christi in cruce imitemur mortificatione membrorum, resurrectionem ejus a mortuis non apprehendimus in gloria *Ex Paulino*. II, 350. Mortem quamdam in nobis facit dilectio. IV, 1628. Mortificationum varia genera. X, 849.

Mortuorum animæ abditis receptaculis continentur, sicut unaquæque digna est vel requie, vel ærumna. VI, 158, 285. Mortui non judicantur secundum facta quæ facturi essent, si viverent. X, 1005, 1006. Mortuorum piorum animæ ab Ecclesia non separantur. VIII, 558. Eos qui de hac vita migrant, non amittimus, sed præmittimus ad vitam, etc. II, 318. Mortuus sive bonus, sive malus, dormit. III, 1751. Mortuos appellat dormientes veracissima Scripturæ consuetudo. V, 576, 936. Ut evigilaturi intelligantur et resurrecturi. IV, 1112. Mortui ei qui potest excitare, sunt dormientes. V, 592, 593. Ut mortuos ex vivis, ita vivos ex mortuis semper fieri, dogma Platonicum. VII, 510. Mors quare non gravis defunctis sanctis. VII, 393. Justis in requie viventibus melius esset cum suis corporibus bene valentibus vivere. VII, 392. Mortuos unde lugere licet, et hunc luctum quid debeat consolari. V, 936, 937, 939. Lugentes consolentur fraterna obsequia. V, 937. Non est succensendum de caris mortuis dolori mortalium, sed diuturnus dolor non debet esse fidelium. II, 1083. Solatur Augustinus afflictam de morte fratris sororem. II, 1082.

Mortuorum memoria. IX, 576. Mortuorum piorum memoria in communicatione corporis Christi. VII, 674. Offerri pro mortuis non oportere dicunt Aeriani. VIII, 39. Mortuos suos per oleum, balsamum, aquam, invocationes, etc., quasi redimere feruntur Heracleonitæ. VIII, 28. Mortuo sepulturæ locus per se non prodest; et quatenus prosit.

VI, 596, 610. Dum deest sepultura Christianis, nihil adimit. VI, 594, 596, 600. Mortuos ex funeris pompa, et ex sepulcri ornamentis nihil juvari. IV, 552, 560. Mortuorum obsequia solemnia, altaris, orationum et eleemosynarum pro ipsis sacrificia. VI, 609. Pro defunctis universa Ecclesia supplicare consuevit. VI, 592. Etiam sub generali commemoratione pro omnibus in Christiana et catholica societate defunctis. VI, 596. In precibus sacerdotis, quæ Deo ad altare ejus funduntur. VI, 595. Mortuis an prosit oblatio quæ pro ipsis fit. VI, 157. Paulini difficultas quomodo prodesse possint hæ preces. VI, 593. Mortuis pro genere vitæ quam duxerunt, prosunt vel non prosunt, quæcumque pro illis pie fiunt. VI, 157, 158. Sepulturæ locus, pompa exsequiarum, etc., magis vivorum solatia sunt, quam subsidia mortuorum. VI, 594, 596. Funeris et sepulturæ cura quare laudabilis. VI, 595. Mortui filii cadaver exoptat mater in basilica B. Felicis confessoris poni, et obtinet. VI, 591, 592. Non esse inanes motus animorum fidelium pro suis corporibus ista curantium, censet Paulinus. VI, 592. Ægyptiorum mos circa mortuos. V, 1605. *Vide* Defuncti. Utrum et quatenus, vel quomodo ea quæ circa nos aguntur, noverint spiritus mortuorum, quæstio difficilis. IV, 1457. Mortui non intersunt rebus viventium. VI, 604. Mortui quid hic agatur, vel ab iis qui hinc ad eos pergunt, vel ab Angelis, vel revelante Deo possunt discere. VI, 605. Possunt etiam ipsi ad vivos mitti. VI, 606. Mortuorum visitationes prænuntiantium quod eventus confirmavit. II, 697, 698. Migrans anima de corpore num calidum elementum secum auferat quærit Evod. II. 697. Mortui plures visi sunt ita in domibus ingredi, ut soliti sunt. II, 697. Testantur plures, in locis in quibus humata sunt corpora, et maxime in basilicis, per noctem fieri tumultus et orationes. II, 697. Visionis hujusmodi testis sanctus Presbyter. II, 696. Mortuis aliquam curam esse de nobis ex Evangelio intelligitur. IV, 1457. Defuncta uxor mariti sollicita inducitur. II, 1075.

Mortuorum duo genera. V, 591. Mortui solent mystice appellari omnes iniqui. IX, 262. Mortui sunt omnes infideles, omnes iniqui. IV, 895. Pejus mortuus luxuriose vivens, quam moriendo luxuriam finiens. IV, 409. Suscitatio mortuorum et peccatorum justificatio, maxima laus Dei. IV, 385. Tres mortui quos Dominus resuscitavit, tria peccatorum genera ostendunt III, 1747; V, 592, 720. Mortui sæculi, qui. IV, 1850. Mortui mortuos sepelientes. V, 603. Mortua opera quænam. VI, 208.

Mortuum erat peccatum, pro non apparebat. III, 2070.

Motus numerosi, rationabiles et irrationabiles, connumerati et dinumerati, complicati et sesquati. I, 1092. Motus in sex partes fit. VI, 19. Motus per loca, importat motum per tempora, sed non e contra. III, 388. Quæ celerius moventur, ferventius moventur. III, 267. Tardius moventur interiora molis rotundæ, exteriora celerius. III, 266. In corporum motibus nihil omnino a duobus idem fieri potest. II, 79. Motum omnem animi aliquid facere in corpore. II, 72. Motus animæ pravi continentia cohibendi, negato consensu, et rejecta vel cogitationis delectatione. VI, 569. Motus inobedientes membrorum, malum peccati originalis. X, 142. *Vide* Concupiscentia, Membra.

*Moyses* quo tempore natus. VII, 565. Moyses antiquior omnibus poetis ac philosophis Græcis. VII, 596, 599. Moysi factum in Ægyptii cæde, an justificandum. III, 597. Moyses per Angelum divinis vocibus in monte Sina evocatus. VIII, 444. Moysi filium infantem voluit Angelus occidere, eo quod non esset circumcisus. II, 96. Moysi Deus ipse apparebat, sed latens. V, 161. Quomodo apparuit. V, 59, 63. Os ad os Moyses loquebatur Deo. VI, 662, 663. Deus ei loquebatur per assumptam creaturam, non per substantiam suam. IV, 1788. Christum fuisse qui Moysi loquebatur, quorumdam opinio. V, 63. Aliorum sententia est Angelum Moysi apparuisse. V, 64. Cum Moyse loquebatur Angelus portans typum Domini. III, 1403. Moyses claritatem Domini vidit. II, 610, 611. Quomodo Deum vidit. VI, 662. Videre Deum cupiebat in ea substantia, qua Deus est. III, 477. Moyses Deum non vidit per suam substantiam. VIII, 811, 812. Et sicuti est. III, 1779. Promissio facta Moysi de visione Dei, prophetia de Christo. III, 648. Moyses Dei posteriora, Christum prophetando vidit. VI, 663. Moysis facies splendida. V, 474. Moyses Christum prophetavit. VII, 568.

Moysi signa data, cum ad liberandos Israelitas mitteretur, allegorice exponuntur. V, 61. A Moyse magi Ægypti sunt superati. II, 521. Moyses quo tempore populum de Ægypto converterit. VII, 568. Moysis canticum. V, 1658. Moysi Legis tabulæ datæ a Deo. V, 81. Moyses, licet cum eo Deus loqueretur, consilium tamen regendi populi a socero accepit. III, 18. In hoc Moysis humilitas commendatur. III, 619. Moysen ab alienigena admoneri voluit Deus, ubi ipsum posset tentare superbia. III, 619. Moyses medius inter Deum et Aaron. III, 599. In Moyse principatus fuit, in Aaron ministerium. III, 619. Moysis et Aaronis non solum officia, sed et mortes fuerunt signa futurorum. III, 745. Moyses reprehendi non debet, quod bella gesserit. VIII, 450. Moysis manus contra Amalech nunc extentæ, nunc demissæ. V, 1556. An diffisus est Moyses Deum posse carnes dare in deserto. III, 726. Moysis varia gesta, quid significaverint. VIII, 461. Moyses virga percutiens petram, figura populi Judæorum sub Lege positi. VIII, 526. Moysis dubitatio fuit figurativa. V, 1555. Quali pœna vindicata est. IV, 1267, 1414. Moyses in Judæos idolalatras nulla crudelitate, sed magna dilectione sævit. VIII, 452. Moysis perfectum odium. IV, 1802. Moyses sic oderat iniquitatem quam punichat, ut diligeret humanitatem pro qua orabat. IV, 1802. Moyses in vocis silentio, corde clamabat. III, 614. Moyses quam securus dixerit, *Dele me de libro vitæ*. V, 553. Moysen ab æterna societate Sanctorum alienatum fuisse ob peccatum suum, non est credere. VIII, 525. Moyses qua ætate mortuus. VIII, 568. Moysis mors in monte, qui significat. V, 1554; VIII, 526.

Moyses sacerdos fuit. III, 684; IV, 1265. An summus sacerdos fuit. III, 684. Quandonam Scriptura evidenter dicit Moysen primum sacrificasse. III, 653. Quare Moyses nube descendente non poterat intrare in tabernaculum, intravit vero in nubem ubi erat Deus. III, 656.

Moyses fidelissimus dispensator prophetici sacramenti. VIII, 551. Minister Legis. V, 689. Minister Testamenti veteris, et propheta novi. IV, 1141. Moyses ad novum Testamentum per intelligentiam pertinebat. IV, 1802. Moysi quinque libri. V, 198, 199, 687. Per quinque porticus piscinæ probaticæ significati. IV, 889, 1329. Per quinque lapides quos tulit David contra Goliam. IV, 1857. Per quinque panes hordeaceos. III, 666. Moyses Judæorum personam gessit. IV, 1789. Moyses figura Christi. III, 1725. Personam gerebat Christi. V, 758, 1655. A Moyse illud chrisma cœpit, unde Christi nomen innotuit. VIII, 551. Omne quod scripsit Moyses, de Christo est. VIII, 520, 521, 523, 530, 532. Et hoc de fide credendum est. VIII, 524. Singularia ipsius testimonia de Christo. VIII, 529. Moysi qui credit, ipsum et Christo credere non implicat. VIII, 534. Moysis et Christi non diversa fuit doctrina, sed diversum tempus. VIII, 534. Moyses aliquando figura eorum qui participes fiunt intimæ veritatis Dei : aliquando eorum qui gratiam Dei non intelligunt. III, 656. Moysis laus. VIII, 443, 444. Fausti convicia contra Moysen depelluntur. VIII, 427.

*Moysi* cathedra figurabat cathedram Christi. IX, 505. Moysi facies splendida figuram habebat veritatis. V, 474. Moyses pœna dubitationis suæ, eorum figuram gessit, qui sub Lege esse volent, et sub gratia esse nollent. IV, 1267. Moyses Apostolos mortuo Christo expavescentes, expavescens ipse et fugiens a serpente figuravit. IV, 933. Sancti omnes in Moyse intelligendi. IV, 1329.

Mulier proprietate Hebraicæ linguæ, omnis femina nuncupatur, sive viro intacta, sive jam mixta. II, 540; III, 492, 495, 744, 1111; V, 1000, 1318. Locus Apostoli quo dicitur Christus de muliere natus. V, 558. Mulieris formatio non per alium, quam Deum. III, 405, 404. Mulier cur ex homine formata. VII, 372, 376. Mulier in adjutorium prolis soboleni facta. III, 395, 396, 397. Etiamsi ex peccato non fuisset necessitas moriendi. III, 598. Mulier facta ut vir ei dominaretur. III, 450. Per conversionem mulieris ad virum, significatur servitus conditionis potius, quam dilectionis. III, 450. An mulieris mens imaginem Dei non portabat. III, 452. Mulier ante virum tentata, quia infirmior. VII, 419. Mulier si sola peccasset, sola morte punita fuisset. VIII, 12. Mulier ante peccatum concipere potuisset, salva integritate uteri virginalis. VII, 454. Pœna mulieri inflicta figurate et prophetice intelligenda. III, 450. Mulieris formatio, mystice dicta est ædificatio. III, 402, 405. Formatio mulieris, eo modo quo narratur, facta est, ut quidpiam prænuntiaretur. III, 402. Mulieris formatio, Ecclesiæ formationem mystice significabat III, 407, 408. Mulieris pudicitia an violetur, cum pro vita mariti, ipso jubente, alterius libidini se permittit, scrupulosius disputari potest. VIII, 424. Mulierem suspicione adulterii puniendam liberat Hypocrates. III, 572. Ad mulierem in menstruo cruore non accedendi præceptum, non figurate accipiendum. X, 199. Ad eam tunc accedere peccatum est. III, 706. Mulieres candore ac rubore simulato, et pigmentis illito viros fallentes. VI, 446. Mulieris aspectus devitandus. IV, 586. Mulier etsi longe, libido prope. IV, 587. Mulieri major adhibetur custodia, quia major infirmitas. V, 84. Mulieres ad ecclesiam in superbo vestitu venientes reprehenduntur. V, 205. sed modeste accedendo illarum pudori. V, 205. Mulieres duæ coram Salomone litigantes de filio. V, 92. Mulier curvata decem et octo annis in infirmitate. V, 659, 1709. Mulier tangens fimbriam Christi, cum eum turba premit. V, 416. Mulier adultera. V, 108, 1580. Mulieris in adulterio deprehensæ absolutio. IV, 589. Mulier peccatrix ad pedes Domini recumbens. V, 585. Mulier ungens Christum, typus Ecclesiæ

IV, 171 Mulier quæ perdiderat drachmam. I, 791. Mulieres fideles, ut sibi necessaria ministrarent, Apostoli circumducebant. VI, 552. Sicut et Christus. VI, 552. Ænigma Salomonis de muliere sedente super sellam in foribus. I, 688. Mulier Atheniensis venenis assueta. I, 1350. Mulier concupiscentiam, mentem vir significat. VI, 580. Mulieribus tantum tribuunt Pepusiani, ut sacerdotio apud eos honorentur. VIII, 30. Mulieri fetæ post partum tres dii custodes adhibebantur. VII, 187. Muliebri habitu qui se ostentant, jure infames intestabilesque habentur. I, 899.

Mulierosus. VI, 391.

Multa pecuniaria paganos Calamenses plectendos censebat Augustinus. II, 390.

Multiloquium quid. I, 583. Et ab eloquentia qui differat. IX, 447.

Multiplicationum varia genera. IV, 1778. Benedictio in multiplicatione solet maxime et proprie intelligi. IV, 811. Multiplicari in anima quid. IV, 1778. Multiplicatio filiorum, de benedictione Domini venit. IV, 1778. Multiplicatio quædam culpabilis, qua homines temporalium cupiditate multiplicantur. IV, 82, 139. Multiplicatio quædam non ubertatis, sed egestatis. IV, 1778.

Multitudo quando et quomodo objurganda. IX, 95. Quomodo multitudinis peccata puniantur. IX, 91. Aliter unus quispiam, aliter multitudo curanda. IX, 674. Quidquid sceleris et iniquitatis inebriat multitudinem, amittit examinis veritatem IX, 89.

Multi qui ad Adam aut ad Christum dicuntur pertinere, ipsi sunt qui omnes. X, 871. Quos multos appellet Apostolus, cum ait, *Peccatores constituti sunt multi*. X, 871.

*Munatius* Felix, flamen perpetuus, curator coloniæ Cirtensis. IX, 513, 583. Gesta confecta apud Munatium Felicem. II, 265.

Munda sunt omnia quæ creavit Deus; nec immunda dicuntur quædam animalia, nisi propter significationem. IV, 1833, 1834. Quomodo omnia munda mundis, immundis autem nihil mundum. IV, 1661.

Mundare et sanare, in spiritalibus tantumdem valet. IX, 74. Mundat cor fides Dei, mundum eôr videt Deum. V, 368. Mundatio in hac vita potest haberi, sed non erit perfecta nisi post resurrectionem. X, 691.

Munditia exterior sine interiori nulla est. IV, 1660. Munditiam interiorem necessario sequitur exterior. IV, 1660. Mundities cordis sola est causa cur Deum visuri simus. II, 609.

Mundos innumerabiles quædam hæresis admittit. VIII, 45. Admisit Anaximander. VII, 226. Somniavit Epicurus, eosque fortuitis atomorum motibus gigni et resolvi. VII, 320. Variæ et contrariæ philsophorum sententiæ circa mundi unitatem, initium, finem et gubernationem. VII, 601. Mundos duos admittebat Plato; unum intelligibilem, alterum sensibilem. I, 588, 954. Quid utriusque nomine intelligebat. I, 588, 954. Sensit Plato aliique philosophi, animal esse istum mundum. I, 602. Mundus dicitur a philosophis animal magnum sine corporis sensibus, cujus anima Jupiter aut Hecates. V, 1137. Mundum esse animal maximum docent Platonici. VII, 388, 390. Animal beatissimum et sempiternum. VII, 308. Mundi corporis compago. VII, 212. Mundum esse corpus Dei quidam putarunt. VII, 123. Mundi corpus non est Deus, sed anima, secundum Paganos. VII, 202. Mundi anima et partes ejus, dii veri existimabantur. VII, 211. Et ita putavit Varro. VII, 198, 199, 202. Refellitur. VII, 202. Mundi singulas partes, habere animas diversas, sed tamen divinas, sensit Varro. VII, 199. Mundi anima omnibus corporeis elementis inclusa. VII, 390. Mundus an habeat animam, magna et abdita quæstio. III, 1038. Mundum universum quidam Paganorum, tamquam deorum maximum putant. VIII, 370. Mundum Deum esse arbitratus est Varro. VII, 199. Et Plato. VII, 390.

Mundus fingitur æternus esse. V, 1137. Mundus conditus, non ab æterno. VII, 319. Mundum et factum esse, et tamen ab æterno esse sentiebant Platonici. VII, 311, 319, 320, 359. A nonnullis creditur Plato sensisse contra quam loquitur. VII, 359. Platonicorum rationes refelluntur. VII, 320, 321. Mundum non a Deo factum asserebant Carpocrates, Cerynthus, Simon magus, Menander, Saturninus. VIII, 26. Nicolaitæ. VIII, 26. De principe hujus mundi error Priscilliani. VIII, 666, 667, 668, 671. Mundum a maligno principe factum volunt Priscillianistæ. VIII, 44. Mundus quomodo et unde fabricatus secundum Manichæos. VIII, 113, 575. Prælium commissum ante constitutionem mundi. VIII, 182. Mundi fabricam Deo bono artifici tribuit Manichæus, animalia vero et cuncta quæ nascuntur e terra, et ipsum hominem genti tenebrarum. X, 1325. Elementorum materiam de qua factus est mundus, non a Deo factam, sed Deo coæternam volunt Seleuciani. VIII, 41.

Mundus a Deo conditus. VII, 318. Quare non tam olim mundus, quam olim est Deus. VIII, 605, 609. Mundus ex quo initio factus est aut fieri potuit. VIII, 605. Mundum novissime ideo esse factum, ut animæ quæ ante peccaverant purgarentur, sentiebant Priscillianistæ. VIII, 668. Refelluntur. VII, 674, 675. In creatione mundi tria inquirenda. VIII, 334, 337. Mundus quomodo ex nihilo, si ex materia informi factus. VI, 181, 182. Mundus ex materia quidem informi factus, sed simul concreata cum mundo. VIII, 610. Mundus gravidus causis nascentium. VIII, 877. Mundus cum creatus est, habuit quasi semen eorum omnium quæ nunc fiunt. III, 338. Mundus velut quædam arbor magna rerum. III, 1305. Mundi creatio an per Filium Dei facta intelligatur in utroque Testamento. VIII, 129. Mundus sex diebus creatus, quomodo. III, 326. *Vide* Dies, Creatio.

Mundum, quare Deus facere voluerit. VI, 18. Nulla alia est causa mundi creandi, nisi ut bona fierent a bono Deo. VII, 334. Plato id agnovit. VII, 334, 336. Id agnovit Origenes. VII, 336. Manichæi non ita senserunt. VII, 337. Mundum providentia Dei administrari a summis usque ad ima, concedunt Pagani. VIII, 410. Infima pars mundi angelis prævaricatoribus subjecta est. III, 52. Mundum a Deo factum esse, sed administrari a diis quos Deus fecerat, credebant Gentiles. VII, 318. Cur mundus tantus sit, eum major vel brevior esse posset; cur hoc potius quam illo loco, ignorat August. II, 65. Mundos tres esse super invicem inter disputandum dicimus. II, 69.

Mundi magnitudo Dei magnitudinem commendat. IV, 1887, 1892. Mundo nihil excellentius esse censet Varro. VII, 182. Mundus et factum se esse, et non nisi a Deo se fieri potuisse, ipse tacitus clamat. VII, 319. Mundus miraculum majus, et excellentius omnibus miraculis quæ continet. VII, 291, 718, 724. Mundi pulchritudo ex immortalium et mortalium animalium generibus constat. VII, 376. Mundi pulchritudo per hæc tria est inculpabilis, per damnationem peccatorum, exercitationem justorum, perfectionem beatorum. III, 141. Sæculi pulcritudo velut magnum carmen cujusdam modulatoris, ducens in æternam contemplationem speciei Dei. II, 527. Mundus speciosus et fœdus. V, 498. Quæ nobis in mundo displicent, an ideo sunt vituperanda, quia nobis non conveniant. VII, 335. In mundo quare quædam nobis displiceant. VII, 335. Omnia etiam quæ in se fœda sunt, ad mundi pulchritudinem conferunt. III, 156. Mundi pulchritudo, pulchritudinem confitetur Creatoris. V, 1134. Mundi pulchritudo consideranda, ut ametur qui fecit. IV, 1887, 1892; V, 438. Quare ab hoc mundo admonemur averti, et ad Deum converti. VI, 15. Creaturæ mundi factæ sunt spectaculum, unde Creatoris bonitas et gratiæ beneficium perspicitur. IV, 1851. Mundi consideratio ad immortalia conducit. II, 145.

Mundum hunc non sempiternum quidam existimant, sed innumerabiliter oriri et occidere, aut mundos innumerabiles admittunt. VII, 359, 360. Universa in eumdem ordinem eamdemque speciem reditura post revolutionem sæculorum quidam tenuere. VII, 361. Plato hoc tenuit. VII, 361. Et Origenes. VII, 361. Mundum post resurrectionem in eo statu, in quo nunc est permansurum, nec ullatenus mutandum, quidam hæretici dixerunt. VIII, 42. Rejicienda eorum opinio, qui volunt mundi universa in eumdem ordinem, eamdemque speciem reditura post revolutionem sæculorum. VII, 362. Mundum non interiturum, cum Platonicis sentit Cicero. VII, 759. Porphyrius stultitiæ arguebat Christianos, quod dicerent mundum esse periturum. VII, 696. Mundi finis. VI, 667. Qua ratione in Scriptura mundus dicitur periturus. VII, 697. Quomodo periturus est mundus. VII, 685. Mundus non omnimodo interitu, sed rerum mutatione transibit. VII, 679. Mundi immutatio secundum qualitates tantum. VII, 682.

Mundi divisio in quatuor partes. VII, 199. In ætates septem. VII, 804. Sex ætates mundi recensentur. IV, 1182; V, 691, 1197. Singulæ millenis annis constant. VIII, 892. Mundi ætas ab homine condito. V, 1518. Joannes apostolus longe ante reperitur defunctus, quam 5500, anni a generis humani exordio complerentur. II, 911.

Mundum semper in malam sanctificationem positum volebant Donatistæ. IX, 658. Mundi nomen aliquando in bono Scriptura usurpat. IX, 632. Mundus et in bonam et in malam partem ponitur. IX, 658. Mundus de hominibus dictus est et in malo et in bono. III, 1775; X, 1383. Mundus in Scripturis dicitur duobus modis. X, 1347. Mundus duplex. IV, 1841, 1842. Bonus et malus, redemptus et damnatus inimicus et reconciliatus. III, 1853, 1920, 1921, 1929; V, 500, 588, 678, 1088, 1502. Pro isto rogavit Christus, non pro alio. III, 1920, 1921. Mundi nomine quid indicet Joannes. X, 1349. Mundus quis in maligno positus. X, 822. Quis ille mundus, de quo Christus non fuit, et de quo elegit Apostolos. X, 825. Mundus dictus de hominibus non secundum Deum. X, 1348. Mundi nomine habitatores mundi intelliguntur. X, 570. Dilectores mundi. IV, 249, 1766, 1841. Amatores mundi, vel impii, vel carnales. IV, 630; VIII,

508. Peccatores. IV, 975; V, 928. Iniqui. IV, 1851. Mundus unde dicti iniqui. V, 790. Diabolus unus est cum omnibus impiis quasi cum quodam corpore suo. V, 790. Mundus non dicuntur justi, quia licet carne in eo habitent, corde cum Deo sunt. IV, 1842. Mundus dicuntur qui diligendo mundum inhabitant. IV, 1842. Mundum, id est, filios infidelitatis, regit diabolus ut princeps et caput. V, 790, 1088, 1090. Mundus alius quem fecit Deus, alius quem regit diabolus. IV. 1841. Mundus fidelis, omnes credentes. III, 1921. Mundus damnatus Christum merito non cognovit : mundus autem reconciliatus eum non merito, sed gratia cognovit. III, 1929. Mundus per Christum nobis victus. V, 590. Non pugnando, sed patiendo a Christo victus. III, 1941. Mundus bonus ex malo factus. V, 587. Mundi conversio grande miraculum. VII, 756. Quod in Christum credit mundus, virtutis fuit divinæ, non persuasionis humanæ. VII, 759. Christus mundum de mundo liberavit. III, 1925. Generatione de mundo sumus, regeneratione de mundo liberamur. III, 1910, 1915.

Mundus dominatur per illicitas delectationes, per pompas, et per curiositatem. VI, 294. Mundus iste servus est. VI, 294; V, 1337. Christianus uti debet mundo, non servire mundo. IV, 1235. Mundo ad hoc utuntur boni, ut Deo fruantur; mali vero e contra. VII, 444. Ad mundum pertinet voluntas iniquorum. VI, 620. De mundo esse quid. III, 1677. Christus de mundo numquam fuit, quia de Spiritu sancto natus est. III, 1915. Quod quis non sit ex mundo, gratiæ est, non naturæ. VI, 620. Mundo mori ut Deo vivatur, sacrificium est. VII, 283. Aliud ignem mittere in mundum, aliud mundum mittere in ignem. IV, 715. Mundus pressuris plenus. IV, 1189. Torcular abundans pressuris. V, 137. Mundi senescentis et deficientis pressuræ. V, 504. Mundus jam ita contritus, ut etiam speciem seductionis amiserit. II, 483. Mundi ruina non admonet ut alio migremus. V, 241, 405. Quantum laudandi qui dignati non sunt cum mundo florente florere, tantum increpandi quos cum pereunte perire delectat. II, 483. Mundi flores quomodo colligeres, qui ab spinis non revocas manum? V, 241.

Mundus persequens mundum. V, 587. Mundus magnum mare, ubi minores pisces a majoribus devorantur. IV, 422. Vult te mundus absorbere, tu absorbe mundum. IV, 341. Malitia sua sævire potest mundus, sed non ultra modum positum a creatore. IV, 1127. Sæviat mundus, non nos frangit; quia ad Christum pertinemus : blandiatur mundus, non nos seducit, quia ad Christum pertinemus. V, 728. Mundi contradictio. V, 1531. Mundus blanditur ut decipiat, aut terret ut frangat. V, 1256. Quantum accedit finis mundi, crescunt errores. III, 1598. Mundi amores, terrores, errores quatenus vincuntur. X. 957. Mundi mala tolerabilia ducenda sunt spe futuri. II, 508. Mundi promissis quid respondendum. V, 1291. Mundi felicitati non credere, continentiæ est; mundi infelicitati non cedere, sustinentiæ. V, 235. Mundus ne capiat potius laborandum, quam timendum ne cadat. V, 590. Non potest superare mundum sævientem, qui non potest superare blandientem. V, 1470. Mundus iste periculosior est blandus quam molestus, ubi deest pietas et caritas. II, 595, 1026. Quidquid nobis temporaliter mundus arridet, magis est periculum, quam ornamentum nostrum. V, 1564. Mundanorum felicitas somnium est, in quo totum, *quasi*. IV, 359. Mundo fallaci creditur, non Deo. V, 859. Mundo nihil esse ob quod ei Deus non præponatur. V, 586. Mundi suavitati opponitur suavitas Dei. V, 866. Iis qui malis sæculi hujus vel delectabilibus, vel sævis atque asperis, partim non utuntur, partim bene utuntur, promisit Deus sæculum futurum, in quo mala nulla patiantur. X, 1178. Quomodo mundus se diligit. III, 1853. Quomodo eum debemus diligere. III, 1853. Mundus quomodo quod suum est diligit, et odit. III, 1853.

Mundi amatores sequuntur fugitivum. VI, 661. Amant amarum. VI, 661. Munde immunde tenere vis periens, quid faceres si maneres? V, 622. Mundus felix sit, aut evertatur, semper Deus benedicendus. V, 622. Mundi vincula asperitatem habent veram, jucunditatem falsam; certum dolorem, incertam voluptatem, etc. II, 104. Amicis hujus mundi nihil laboriosius, quam non laborare. III, 151. Mundus amatur etsi fœdus et amarus, quid si formosus et dulcis esset? V, 241. Ad sanandos animos amatorum hujus sæculi vel in prosperis vel in adversis, vix opportuna sapientia esse potest. II, 938. Quidam ei aures cordis admovent : rarius inter prospera, crebrius inter adversa. II, 938 Deus tanta solatia doloribus miscet, agitque mirabiliter ne amemus mundum, ne deficiamus in mundo. II, 332. Mundi amore anima tantum deficit, quanto minus est quod amat, quam Deus. V, 779. Mundi amor adulterat animam. V, 779. Mundum qui diligunt, in eis remanent Sacramenta ad damnationem, non firmamenta ad salutem. III, 1994. Mundus hic carus est hominibus, et sibimet ipsi viluerunt. II, 169.

Mundi contemptus. V, 622, 1517. Mundus iste omnis, id est, omnia sensibilia contemnenda; utendum autem his ad vitæ necessitatem. I, 1327. Mundus quomodo vilescit, sive promittens, sive terrens. III, 2004. Vocatis a Christo, visibilium delectatio minuitur. VI, 55. Mundum totum dimittit, qui et illud quod habet, et quod optat habere dimittit. II, 692. Omnia contemnit, qui non solum quantum potuit, sed etiam quantum voluit habere contemnit. II, 124, etc. Baptizati omnes, nondum perfruentes promissa patria, in mundo tamquam in deserto sunt. VIII, 270. Non prodest nisi fidelibus continere se ab amore hujus sæculi. I, 857.

Mundi varia significata. III, 1595, 1598, 1828, 1838, 1875, 1912, 1995, 2007, 2017. Mundus in Scripturis ager appellatur. III, 198. Mundus iste ager Domini. IV, 1950. Mundus appellatur a Christo canis, leo. II, 556. Mundus consuetudine, non ratione, contra insolitam veritatem latrans, est canis. II, 556. Mundum istum quibusdam locis vocat Scriptura civitatem circumstantiæ. IV, 703, 711. Mundus comparatur cum eremo, ubi erraverunt Israelitæ. III, 1627, 2029. Eremus Christiano est hic mundus. V, 37. Mundus iste tamquam fornax orificis. V. 420, 1383. Infernum superius. IV, 1093. Mare inundans et copiosum, sed amarum. IV, 1225, 1852. Molæ comparatur. IV, 1750, 1751. Et molendino. IV, 356. Mundus scorpius. V, 621. Mundus pro Ecclesia positus. IX, 658.

Munera Dei duplicis generis. IV, 345, 346. Te quærit Deus magis quam munus tuum. V, 252, 508. Sed malus sum, inquies, et forte me non accipit. Dando te illi, bonus eris. V, 707. Munera non offerunt Deo nisi humiles. IV, 969. Munera quæ jam vult Deus, eleemosynæ. IV, 511. Munera cum suos accipere vetet Deus, cur ipse accipit. VIII, 662. Munera accipere, cum vitio vertitur, quid sit. IV, 195. Munus accipit, qui propter laudem judicat male. IV, 195.

Munus pro spectaculo. V, 333. Muneris dies. V, 132, 333. Munerum seu spectaculorum editores IV, 1918, 1919.

Municipalia gesta. II, 413, 415. Apud Gesta seu Acta municipalia interrogari. II, 429, 430, 431.

*Murcida* dea hominem nimis inactuosum facit. VII, 125.

Murcidus, id est, desidiosus et inactuosus. VII, 125.

*Muressis* Optati amicus. II, 857.

Murmur grande peccatum. III, 1612.

Murmuratores describuntur. IV, 1736. Murmurantes contra Dei flagellum, redarguuntur exemplo Danielis peccata sua confitentis. VI, 716, 717. Murmurantes adversus tempora, coercentur. V, 621, 1416. In tribulationibus adversus Deum non murmurandum. II, 330, 426. Murmurantes contra Deum de malorum prosperitate. V, 126. *Vide* Felicitas. Murmurant homines adversus Deum, quod malis in hac vita bene sit, et laborent boni. IV, 543. Pii non murmurent, si videant impios a Deo tolerari. IV, 1196. Aut abundare rebus terrenis. IV, 918, 919, 922, 923, 950, 951. Non id agunt murmura tua ut non servias, sed ut malus servus servias. IV, 1275. Non esses modo qui murmurares, si adversus te audiretur, qui prior de te murmuravit. IV, 1196. Peccata minuamus et murmura. V, 1358. Murmurando adversus Deum blasphemus es. IV, 1196.

*Musarum* fabula unde orta. III, 49. Musas nos esse filias Jovis et memoriæ ostendit Varro. III, 49. Musis nomen imposuit Hesiodus poeta. III, 49.

*Musæus* poeta theologus. VII, 572, 597.

Muscarum generatio. VII, 475. Muscas non esse a Deo quidam dixit : exinde a Manichæo hominem etiam non esse a Deo compulsus est dicere. III, 1386. Muscæ lucipetæ. VIII, 363.

Muscarium. V, 293.

Muscipula diaboli terrorem continet et errorem. IV, 235, 236. In eam cadit omnis qui non sperat in Deum. IV, 235.

Musica est scientia bene modulandi. I, 1083, II, 726. Musicæ inventio. I, 1014. Consonantia nobis insita naturaliter. VIII, 889. Rationis vis in perspiciendis quæ ad musicam pertinent, ubi nihil aliud quam æqualitas delectat. I, 1177. Levatio et positio quid in musica. I, 1110. Musicæ voluptariæ amatores. III, 98. Musica sapienter a sapientibus exerceri potest. III, 98. Musicam piam amavit David. II, 369. Opusculum ea de re scripsit August. et quid de illo sentiat. II, 368, 369. Musica ad indicandam divinæ guberhationis harmoniam hominibus concessa est. II, 726. Musica bene ordinatæ civitatis insinuat unitatem. VII, 547. Augustinus poeticam nobilitavit libris de musica. I, 1081; II, 513, *not.* Scopus Augustini in edendis hisce libris I, 1163, 1165.

Musiva pictura. VII, 485.

*Musta* vel *Mustita*. IX, 507, 528, 550.

*Mustitana* diœcesis. IX, 618. Mustitana civitas. IX, 283 Mustitani. IX, 108, 180.

Mustum. Mira quædam de musto. I, 1361.

Mutabilitas non inconvenienter mortalitas dicitur. VIII 855. Mutabilitati omnia sunt obnoxia, corpus, corpora cœlestia, animalia, etc. IV, 1625. Omnia quæ corporeus sensus attingit, ne puncto quidem temporis eodem modo manere possunt. II, 63. Cœlum et terra clamant quod facta sint, quia mutantur. I, 811. Mutabilis anima est temporaliter, non localiter; corpus, utroque modo. III, 137. Mutabilia sunt omnia quæ facta sunt, Deus solus, et hoc quod genuit, mutari non potest. VIII, 551. Res naturales et humanæ mutari possunt pro opportunitate temporum, immutata ratione qua ista mutantur. II,526. Mutatio inculpabilis, sed bona. IV, 714.

*Mutigena.* IX, 755.

*Mutius* Scævola dexteram porrexit in flammas. VII, 127, 163. Mutius Scævola pontifex ad aram Vestæ occisus. VII, 108, 109, 110.

Mutuatur omnis qui accipit, etiamsi non ipse soluturus est. III, 1264. *Vide* Mutuum.

*Mutugenna.* Donatus Mutugennæ villæ presbyter. II, 753, 756. Mutugennensis diaconus rebaptizatus. II, 95.

*Mutunus* deus, idem qui apud Græcos Priapus. VII, 122.

Mutus et surdus Mediolani, alios nonnisi motu corporis intelligens, neque ipse aliter quæ vellet, significans. I, 1052.

Mutuum esse dandum sine fœnore, nec nimium urgendos debitores. V, 1128.

*Muzula.* IX, 221.

Myrmicoleon. III, 828.

*Myro* fusilium signorum artifex. I, 893.

Mysteriorum obscuritas utilis, sine qua studiose quæreretur, nec suaviter inveniretur veritas. III, 136.

Mysteria eo dulciora, quo obscuriora, IV, 1803. Mysteria quomodo perscrutanda. III, 426.

Mysteria sacra. VI, 443. Inter illa jubemur sursum cor habere, gratias agere, etc. VI, 443. *Vide* Sacramenta.

Mythicon, fabulosum latine dicitur. VII, 181.

# N.

*Nabuchodonosor* invenit misericordiam. V, 1581. Ipsi præstitum est ut crederet in Deum, et evaderet gehennas æternas. V, 1507. Nabuchodonosor regis leges. II, 796, 806. Ante et post conversionem. II, 598. Nabuchodonosor figuravit duplex tempus, unum quo cogerent reges adorare idolum, alterum quo leges ferrent propter Deum. II, 525. Nabuchodonosoris regis edictum in officio Gotthico sabbati sancti legebatur. II, 598.

*Nachor* cur non commemoratus in profectione Tharæ de regione Chaldæorum in Mesopotamiam. VII, 493.

*Nænia* dea. VII, 189

*Nævius* poeta Plauto fere æqualis. VII, 54. *Not.(e).* 57.

*Nævius* homo miræ proceritatis. II, 80.

*Naid* interpretatur commotio. VIII, 261.

*Namphanio.* II, 82. Significat boni pedis hominem. II, 83. Nomen hoc Herculi apud Virgilium convenit. II, 84, 85.

Narratio quatenus variat sine mendacio. III, 1000.

Nasci. Quomodo nascuntur res quæque visibiles. VIII, 876. Nasci homo dupliciter dicitur, in visceribus, et ex visceribus. IV, 678. Puer adhuc in utero, natus dici non potest. II, 844. Nasci hic in corpore mortali, incipere ægrotare est. IV, 1320. Puer nascens plorat, quia in hanc vitam ingreditur. IV, 1664. Ad hoc nascuntur filii in hoc sæculo, ut excludant parentes suos. IV, 756, 794. Quisquis nascitur ex Ada, nascitur damnatus de damnato. IV, 1735. Nemo nascitur nisi trahens pœnam, trahens meritum pœnæ. IV, 591, 734. Nemo nascitur ex Spiritu, nisi humilis fuerit. III, 1487 Nemo nascitur ex aqua et Spiritu, nisi volens. III, 1998.

*Natalicus* Thelensis episc. IV, 380.

Natalis Domini Matutina. V, 333. Natalis dies Domini ad eumdem diem recurrit, quia non in sacramento celebratur, sed tantum in memoriam revocatur quod natus sit. II, 205. Natalis dies Christi tantum et Joannis ab Ecclesia celebratur. V, 1301, 1319. Natalem suum celebrat Augustinus. I, 588, 962. Natales vocat Ecclesia pretiosas mortes. V, 1412. Natalis civitatis. IV, 437.

*Natalis* ab Oea. IX, 239.

Natalia sanctorum cum sobrietate celebranda. IV, 1141.

Natalia potentialiter creata. III, 326.

*Nathan* duo. I, 627, 637. Nathan filius David. VIII, 215. Cum propheta per quem David correptus est, confunditur. V, 352.

*Nathanael* non ex numero Apostolorum. III, 1445. Nathanael non est electus inter discipulos, quia peritus erat legis. IV, 788. Nathanael agnovit in Christo divinitatem. V, 681. Unde agnovit. V, 557. Nathanael sub ficu, genus humanum sub peccato V, 680.

Nativitas nostra duplex. III, 1478, 2011; V, 679, 1669.

Natura nihil est aliud, quam id quod intelligitur in suo genere aliquid esse. I, 1346. Veteres pro essentia et substantia naturam dicebant. I, 1346. Totum illud quod ad naturam pertinet, philosophi in corpora et inane, et quæ his accidant diviserunt. II, 447. Naturæ ipsæ substantiæ dicuntur. V, 844. Natura omnis in quantum natura est, esse cogitur. IV, 109. Nulla natura vel substantia veritati est contraria. IV, 85. Natura triplex; natura mutabilis per locos et tempora, natura per tempora tantum mutabilis, et natura quæ nec per locos nec per tempora mutari potest. II, 85. Natura Dei non potest deficere. VII, 355.

Natura nulla est, quæ non aut Deus ipse sit, aut ab ipso facta sit. X, 966. Naturarum omnium auctor Deus. III, 276, 389; V, 1066, 1344; VII, 331, 374, 719; VIII, 199. 556. Non diabolus. X, 1383. Natura quælibet non potest habere creatorem, nisi qui bona creat. X, 1536. Naturæ opera parva magis stupenda, quam immensa. VII, 791. Natura nihil temere producit. I, 983. Naturæ cursus habet suas leges naturales. III, 406. Super cursum naturalem rerum potest Creator de his omnibus facere aliud, quam eorum quasi seminales rationes habent. III, 406. Quæ fiunt præter cursum naturæ, non fiunt contra naturam. III, 549. Quid censetur esse contra naturam. VIII, 480. Non est contra naturam quod in qualibet natura Deus operatur. VII, 720, 721. Naturas mutare Deo non est impossibile. VII, 722. Naturæ plerumque displicent nobis, quia noxiæ. VII, 352 Naturæ prima seu primigenia, quænam sint. VII, 622, 628 Naturæ prima propter se sunt expetenda. VII, 626. Sunt nonnulla congenita, quæ in ætate qua usus incipit esse rationis, incipiunt apparere. X, 1427. Naturæ rerum sub Dei veri regimine constitutæ, religiosum cultum exhibendum putabant Romani. VII. 156. Utilitas nostra, non æqua ratio judicandi de natura aliqua. VII, 352. De obscuris rerum naturalium non affirmando, sed quærendo tractandum est. III, 220. Naturarum omnium semina, opera sunt Dei. X, 1441. In omni naturæ specie et modo, laudabilis Creator. VII, 353.

Naturæ omnes conditæ bonæ, quamvis impares creatori. quia ex nihilo creatæ. X, 966. Natura in quantum a Deo conditur, semper est bona. X, 1312. Natura omnis in quantum natura est, bona est. I, 1289; VIII, 199, 200, 551, 556; X, 1124. Etiam ea quæ corrumpi potest. VIII, 555 Natura bonum opus Dei. X, 1489. Naturæ omnes nullo modo bonæ esse possent, si a Deo factæ non essent. VII. 353. Naturæ omnes a Deo de nihilo factæ sunt bonæ; sed aliæ aliis potiores. VIII, 191. Naturæ omnes bonæ. VII, 352. Natura in qua nullum sit bonum, esse non potest. VII. 641. Natura quæ misera esse non potest, non inde melior debet judicari. VII, 349. Natura omnis bonum est magnum, si corrumpi non potest; parvum, si potest. VI, 237. Natura quæ corrumpi non potest, summum bonum est. VIII, 553. Natura ordinis excellentioris, etiam corrupta, melior interdum inferiore, etiam incorrupta. VIII. 553. Nec corruptibilis esset natura, nisi aliquod esset bonum. VI, 237, 238. Naturæ corruptio malum ejus. VI, 237. Natura in quantum natura est, bona est; in quantum vitiosa est, mala est. VI, 238. Natura quælibet prius fuit bona, quam mala. VII, 331. Natura nulla ex se mala est, sed ex vitio. VII, 351. Quantislibet vitiis turpetur quæcumque natura, institutio ejus semper est bona. X, 1409. Natura mala bonum est, in quantum natura est. X, 1332, 1334.

Natura spiritalis creata quomodo administretur. III, 391.

Natura rationali solus Deus præstantior. VIII. 202, 205. Natura humana quamvis mutabilis, quantum ad id quod conditum est, bona est. X, 1117. Non est mala natura, quæ sic facta est, ut posset non peccare si nollet. III, 445. Melior est natura quæ omnino peccare nolit. III, 443. Naturam humanam Manichæus detestabiliter vituperat, Pelagianus crudeliter laudat. X, 1302, 1305. Naturæ quinque terræ pestiferæ, deliramentum Manichæorum. VIII, 184, 194. Naturas pecorum ab officio veri Dei alienavit Manichæus. X, 1455. Naturas duas in homine admittebant Manichæi. VIII, 113. Refelluntur. VIII, 115, 116, 120, 122. Natura duplex, boni scilicet et mali, unde ab aliquibus admissa. VIII, 552. Naturas duas sive substantias, boni scilicet et mali, Manichæus posuit. VIII, 54. Male eas posuit Manichæus. VIII, 537, 539, 579, 602. Naturarum harum duarum exploditur figmentum. VIII, 509, 593. De numero naturarum in phantasmate Manichæi. VIII, 190. Quanta bona Manichæi ponant in natura mali, quanta mala in natura boni. VIII, 563. Absurda Manichæorum de diversis naturis sententia. VIII, 396, 400. Manichæi error de natura humana, quam diversus a catholico dogmate, et quam insanus. X, 1311. Natura et vitium. V, 132.

Natura non est malum. X, 1159. Natura humana non est malum, inest tamen ei aliquid mali. X, 457. Natura humana est quidem bonum, sed inest ei malum. X, 1504, 1509. Naturam qui dicit bonum non esse, bonum negat conditæ creatorem; qui vero negat malum inesse ei, misericordem vitiatæ invidet Salvatorem. X, 1334, 1335. Naturam humanam primi hominis peccato vitiatam negant Pelagiani. X, 1424. Natura rationalis primitus facta capax et boni et mali, futura postmodum pro merito capax aut boni solius aut mali. X, 1492. Natura in qua Adam inculpabilis factus, aliter debet considerari, aliter ista in qua jam nascimur. X, 288. Natura humana nunc non est sana. X, 1107. Naturam humanam ruina Adæ totam esse collapsam indicat ipsa humani generis miseria. X, 1275. Natura sana condita, peccato est postea corrupta. X, 249. Natura saltem in non baptizatis est vitiata. X, 276. Natura humana jam est vitiata. X, 450. Peccato vitiata atque corrupta. X, 256, 257. Quomodo peccato, cum peccatum substantia non sit, vitiari potuerit. X, 257. Naturæ vitium ex peccato originali. X, 249. Natura humana magnum bonum, sed magno malo mortua. X, 1459. Peccatum nisi in natura esse non potest. X, 1410. Naturam per peccatum mutari potuisse ostenditur. X, 1572. Et de facto mutatam. X, 1575. Natura priorum temporum non minus malis moribus vitiata. X, 402. Naturæ status peccato hominis mutatus. X, 1112. Naturæ non auctor diabolus, sed culpæ. X, 1585. Etsi Deus sit auctor naturæ, in ea tamen potest esse malum originale. X, 751. Naturæ substantia etiam in peccatoribus grandibus bona. X, 729. Natura humana mala est, sed non est malum. X, 1329, 1330, 1337. Naturam humanam qui dicit esse malum, gratiam negare compellitur, non qui dicit esse malam. X, 1329. Natura humana si malum esset, salvanda non esset; si mala non esset, salvanda non esset. X, 1328, 1329, 1330, 1331. Natura humana non solum sine vitio facta est, verum etiam cum per vitium mala est, capax est boni, quo bona sit. X, 1117. Natura hominis, non mala creata, etiamsi fecerit in eo mala voluntate, ne suis viribus redire posset ad bonum. X, 1522.

Natura nec sana est, nec sufficit sibi ad Justitiam. X, 250. Natura in tantum sana non est, in quantum id quod faciendum est, aut cæcitate non videt, aut infirmitate non implet. X, 295. Natura tamquam sana defenditur a Pelagio. X, 285. Natura creatrix defenditur et prædicatur ab Augustino et Catholicis; natura peccatrix reprehenditur et arguitur. X, 1502. Naturam conatur excusare Julianus. X, 1497, 1498, 1500. Naturam, cum primo malum egit, non ex necessario, sed ex possibili habuisse voluntatem malam, quomodo intelligit Julianus. X, 1499. Naturas peccare, sive a possibili sive a necessario, contra Julianum ostenditur. X, 1502. Natura propria voluntate vitiata, sine Dei gratia non potest sanari. X, 297. Qui naturam contra gratiam defendit, causam Dei non agit. X, 266. Causam Dei melius agit, qui gratiam agnoscit, quam qui naturam defensat. X, 271. Naturæ defensor, dum quasi sanam tuetur, excludit a languida Salvatorem. V, 189. Natura humana, etiamsi in illa integritate in qua condita est permaneret, nullo modo se ipsam Creatore suo non adjuvante servaret. II, 830. Natura non bene se habet facta, si a faciente recesserit. III, 452.

Naturæ possibilitas a Pelagio defensa. II, 768, 770, 785. Gratiæ Dei adversatur, qui affirmat ad vitanda peccata et mandata facienda, sufficere posse naturam. II, 762. Naturam Deus creat, vitium sanat. X, 1159, 1167. Naturæ corruptio per peccatum, renovatio per Christum. X, 173. Naturam indigere Redemptore, fassus est Cœlestius apud Carthaginem. X, 706. Natura humana quomodo capax est justificationis. X, 690. Falso queritur de natura sua genus humanum. X, 247. Natura non putetur gratia; aut ideo putetur, quia gratis concessa. V, 172, 173, 176. Communis est omnibus natura, non gratia. V, 172. Nemo est in genere humano, cui non dilectio, etsi non pro mutua caritate, pro ipsa tamen communis naturæ societate debeatur. II, 499. Natura quadam ratione gratia Dei. II, 767, 768.

Natura pœnalis, vindicta peccati. X, 249. Primo homini quod erat pœna, natura nobis est. IV, 398. Deus naturam damnando, neque aut totum abstulit quod dederat, aut a sua potestate removit. VII, 788. Naturis bonis tantum mundus esset plenus, si nemo peccasset. VII, 336. Natura rationalis etiam misera, præstantior est irrationali vel insensibili. VII, 349. Naturam suam an quisque dignoscere teneatur, ut distet a pecoribus. X, 525. Naturam nostram minime dignoscimus. X, 527, 528, *et seq.* Natura hominis bifariam dicitur. I, 600, 610, 1297. Natura pro membro quo ejusdem generis animantium natura propagatur. X, 1450.

Naufragium. V, 1517. Naufragium passi sunt omnes amatores sæculi, et nudi omnes exierunt. IV, 1645.

*Navigius* Augustini frater. I, 962, 980. Libris in villa Cassiciaco scribendis interfuit. I, 965. Navigius natorti Monnicæ, et ejus funeri interfuit. I, 775. Navigii spiritalis instructio. VI, 680. Navigius splenicus. I, 968.

Navigationis utilitates et incommoda. IV, 1762.

Naves et in pelago et in portu periclitantur. IV, 1277. Omnes in navi sumus, alii operantur, alii portantur; simul tamen omnes et in tempestate periclitantur, et in portu salvantur. IV, 190, 1425. Navis jactata tempestate. V, 475. Jesus in navi, fides in corde. IV, 190, 324. Navigia duo, populi duo. V, 1173. Navim magnis hominum boumque conatibus immobilem redditam, una muliercula zona traxit. VII, 294. Naves, ecclesiæ dictæ. IV, 1580, 1581, 1425.

Nauta qui perdidit quo tendat, quanto est in gubernanda navi agilior, tanto periculosius eam gubernat. IV, 259.

*Naum* quando prophetaverit non invenitur. VII, 587. Quid prophetavit. VII, 588.

*Nazaræi* dicebantur in Lege, qui ad tempus votum habebant. III, 822.

*Nazaræi* hæretici. VIII, 27. A nonnullis Symmachiani appellati. VIII, 349; IX, 465. Nazaræorum hæresis. II, 282. Circumcisionem, Sabbathum, pleraque alia Legis præcepta observabant. VIII, 349. Circumcisionem addebant baptismo. IX, 465. Nazareni hæretici adhuc usque persistunt. IX, 225.

*Nebridius.* II, 63, 65, 67, 68, 71, 72, 73. Patria Carthagini vicinus. I, 728. Augustino carissimus, adolescens valde bonus, et valde cautus. I, 696. Nebridius mirabilis animæ. I, 737. Tota domus ejus per eum fit Christiana. I, 765. Nebridius Medionalum venit, non ob aliud, nisi ut cum Augustino in sapientiæ studio vivat. I, 728. Nebridius sub Verecundo Mediolanensi grammatico docet. I, 755. Nebridius Augustinum ab astrologis consulendis revocare nititur. I, 696. Nebridius beatæ vitæ inquisitor ardens. I, 728. Nebridii argumentum contra Manichæos. I, 734. Nebridius errans aliquando circa Incarnationis mysterium, postea fit catholicus; Deo servit in perfecta castitate apud suos in Africa. I, 765. Nebridius oderat de quæstione magna, responsionem brevem. II, 263. Nebridius moritur haud multo post Augustini baptismum: vivere creditur in sinu Abrahæ. I, 765. Epistolæ ad Nebridium. I, 765. Augustini epistolæ Christum, Platonem, Plotinum Nebridio sonabant. II, 67. Victor Nebridii frater. II, 73.

Necessarium unum. V, 614, 1188; X, 605. Necessaria hic multa homini, quia infirmus est. V, 252. Necessaria deesse servis suis aliquando Deus permittit. III, 1296. Necessariorum ad vitam defectus quid efficit in justis. VII, 28. Sufficientiam rerum necessariarum non indecenter sibi ac suis vult, quisquis vult, nec amplius vult. II, 499. Bona terrena sint ad necessitatis usum, non ad caritatis affectum. V, 954.

Necessarii et possibilis nominibus quid intelligitur. X, 1499. Necessarii, et possibilis distinctio. X, 1481, 1482, *et seq.*

Necessitas duplex. VII, 152. Necessitas cœlestis juxta astrologos. VII, 142. Nec ad virtutem, nec ad vitium necessitate trahimur, quomodo. X, 286. Necessitas et voluntas simul esse possunt. X, 1398. Necessitas voluntatem non consumit. X, 1398. Necessitas quædam voluntatis. X, 1393. Necessitas boni reperitur cum virtute voluntaria. X, 1498. Necessitas premens invitum, nulla in actu justitiæ, sed est quandoque in actu peccati. X, 1299. Necessitas quædam malum agendi. X, 1492, 1500. Necessitas pœnalis peccandi in diabolo, nec tamen excusatur a crimine. X, 1484. Unde illa in diabolo peccandi necessitas. X, 1484. Necessitas agendi malum in nobis, quæ non erat in homine, quando primo peccavit. X, 1485. Homo sic conditus, ut necessitatem peccandi non haberet, nec peccaret, si peccare nollet; cum etiam semper nolle utique posset. X, 1490. Necessitas vitii in præsenti vita. X, 1500. Necessitas quædam peccandi. X, 286, 296, 1118, 1120. Hæc necessitas pœna est peccati nulla necessitate commissi. X, 1118, 1119. Sicut erit in præmio non posse peccare, sic in pœna est non posse recte agere. X, 1518. Sunt etiam necessitate facta quædam improbanda, quæ nulla peccata essent, si non esset ista pœna hominis, sed natura. I, 597, 1296. Necessitates, cupiditates validæ. IV, 238. Consuetudines malæ. IV, 238. Necessitas consuetudine inducta. I, 753. Necessitas consuetudinis secundum Pelagianos intelligenda in verbis Apostoli. X, 1398. Pauli de se ipso dicentis, *Non quod volo facio bonum*, etc., sensus pius et verus ex Doctoribus catholicis. X, 1493. Voces illas non Apostoli, sed hominis mala consuetudine prægravati esse, frustra dicunt Pelagiani. X, 1493. Necessitas peccati in posteris Adæ non sanatur, nisi per gratiam. X, 1496. Non omnis necessitas nocet libertati. VII, 152. Nec omnis pugnat cum arbitrio voluntatis. X, 273. Necessitas quædam beata non auferens libertatem. X, 1116. Necessitas voluntatis quædam, et beata. X, 1487. Non posse peccare si necessitas dicenda est, bea-

Onus Christi leve per caritatem. IV, 825. Onera nostra invicem portanda. VI, 80. Qui habent caritatem, portant invicem onera sua. IV, 1698. Nihil sic probat amicum, quemadmodum oneris amici portatio. VI, 81. Ad portanda aliorum onera Christi exemplo incitamur. VI, 81, 82. Christum diligendo, facile sustinemus infirmitatem alterius. VI, 83. Amicorum mala firmius sustinemus. VI, 82. Onera portanda quomodo. VI, 81, 82.

Onerum duo genera. V, 896. Onera alia sunt participandæ infirmitatis, alia reddendæ rationis Deo de actibus nostris. III, 1113. Onus paupertatis et divitiarum. V, 899. Onus pigritiæ. V, 897. Sua cuique onera peccata. V, 896.

Opera. Si quam operam monachi Ecclesia desideraverit, nec ille elatione avida suscipiat, nec blandiente desidia respuat. II, 188.

Opera omnia sua cum quiete operatur Deus. IV, 1181. Operari Deus dicitur, quando justi ex dono ejus bene operantur; dicitur et requiescere, quando in illo requiescunt. VI, 331. Opera Dei in Verbo erant antequam fierent. IV, 497. Eadem sunt opera Patris et Filii. IV, 1442. In rebus supra naturam mirabilibus, tota ratio facti est potentia facientis. II, 519. Opera sua cur Deus ante oculos nostros ponat. IV, 1336. Opera Dei compendio narrantur. I, 865. Omnia opera Dei laudant Deum. IV, 1691. In omnibus Dei operibus gratia insinuatur. IV, 1851. Deus in homine et velle et operari operatur. X, 918. Contra eos qui dicunt, Si agimur, non agimus, responsio est : Si non esses operator, Spiritus Dei non esset cooperator. V, 856. Spiritu Dei exhortante, illuminante, adjuvante agimur. V, 856. Sic vos scitote agere bona, ut sit rector Spiritus adjutor. V, 856. Agis quidem, illo non adjuvante, libera voluntate, sed male. V, 856.

Operatio hominis in paradiso, qualis. III, 204. Operari carne et non spiritu, utile non est : operari spiritu et non carne, pigrorum est. V, 224. Debemus et tenere spiritalia, et non carnaliter operari carnalia. V, 224. Opus corporale operari jubentur servi Dei, ut in manibus suis se transigant. VI, 551. Opere manuum viventes monachi. I, 638, 1339. In monachos desidiosos nolentes operari. VI, 566, 569. Frustra obtendunt se vacare orationi, psalmis, lectioni et verbo Dei. VI, 564, 565. Tamquam conservatricem evangelii prædicant pigritiam suam. VI, 569. Quam inepte. VI, 569. Insultant melioribus ac laborantibus monachis. VI, 569, 577. Sanctitatis nomen sibi arrogant. VI, 578. Si manibus operentur, misericordius agunt, quam cum omnia sua erogarunt. VI, 573. Aliis deest excusatio. VI, 568, 573. Nullo modo decet, ut in ea vita ubi fiunt senatores laboriosi, ibi fiant opifices otiosi. VI, 573. Qui in sæculo fuerunt opulenti, si infirmitatem obtendant, credendi et ferendi. VI, 567, 572, 573. Quæ monachis injungenda opera. VI, 573. Operandi corporaliter præceptum relaxatum est Apostolis. VI, 554. Et Evangelii ministris. VI, 453, 567. Hac licentia non usus est Paulus, quare. VI, 558, 559. Opera honesta ad victum comparandum quænam. VI, 560. Liber de Opere Monachorum. I, 638; VI, 547.

Opera servilia quæ. III, 1635. Operari te aliquid non putes, nisi in quantum malus es. IV, 1851.

Operarii ad vineæ culturam conducti. V, 531.

Opera, alia ex fine vel bona vel mala redduntur, alia sunt per se peccata : hæc nullo quasi bono fine facienda. VI, 528. Opera vere bona quæ sint. X, 763. Opera bona ex quo fonte manant. X, 206. Opus bonum intentio facit, intentionem fides dirigit. IV, 259. Discamus in similitudine operum discernere animos operantium. II, 457. Operum bonorum finis. V, 85. Quidquid homo veluti recte fecerit nisi ad pietatem quæ ad Deum est referatur, rectum dici non oportet. VI, 204, 288. Opera recta esse non possunt, cum cor directum non est. IV, 991. Opera tunc recta et munda sunt, cum ad caritatem diriguntur. III, 1289; IV, 1148. Tunc recte, tunc juste, tunc pie fit, cum opus bonum in ejus laudem fit, cujus gratia donatur ut fiat. II, 568. Tunc est vere opus bonum, cum a caritate jaculatur agentis intentio, et tamquam ad locum suum rediens, rursus in caritate requiescit. VI, 323. Opus illud est bonum quod fit propter vitam æternam, si tamen ipsa speretur a Domino per Christum : alias impium est. IV, 262. Opera bona nulla ante fidem, aut sine fide. II, 853. Fides non ex bonis operibus, sed bona opera ex fide. V, 32. Ubi fides non erat, bonum opus non erat. IV, 259, 858. Opera bona fiunt ab homine; fides autem fit in homine, sine qua illa a nullo fiunt homine. II, 877. Opera sine fide Christi quæ videntur bona, an bona et utilia. III, 1602, 1720. Opera ante fidem inania. IV, 259, 261, 262. Nulla operum laudabilium copia sine recta fide prodest. X, 598. Nemo jactet opera sua ante fidem, nemo sit piger in bonis operibus accepta fide. IV, 263.

Opera bona ex gratia. X, 239. Opera gratiam non præcedunt, sed consequuntur. VI, 111, 112; X, 1142. Opera ex gratia, non ex operibus gratia. II, 817. Operibus bonis debetur merces si fiant, sed gratia quæ non debetur, præcedit ut fiant. X, 1133. Ea sola bona opera dicenda sunt, quæ fiunt per dilectionem Dei. IV, 858, 1540, 1569. Opus unum est in quo sunt omnia, fides quæ per dilectionem

operatur. IV, 1149. Fiunt cum requie opera bona, cum fides per dilectionem operatur. III, 655. Omnia opera nostra bona, unum opus est caritatis. IV, 1148. Nullus ante gratiam fidei de bonis operibus gloriatur. III, 2137. Opera quæ non fiunt ex gratia, aut sunt humana, aut peccata aut servilia. III, 655. Opera bona habere malus non potest. V, 467. Radix nostra, caritas nostra; fructus nostri, opera nostra. IV, 607. Non fructus est bonus, qui de radice caritatis non surgit. X, 217. Opus bonum fieri debet ex corde, adeoque dilectione justitiæ, non formidine pœnæ. IV, 990. Opus bonum, non quod timore fit, sed quod amore. V, 33. Quando quis ex timore, quando ex caritate operetur. V, 792. Opera quæ cum tristitia facis, de te fiunt, non facis. IV, 1174.

Opera bona Dei dona. IV, 1784; V, 1466; VI, 247. Opera bona non ex nobis, sed ex Deo. III, 1843. Ad salutem pertinet ut opera bona et justitia nobis ex Deo sint, et non ex nobis. X, 1141.

Opera et fides a Deo sunt. III, 85. Opera nostra ideo bona sunt, quia Deus ea nobis donat. I, 868. Opus bonum et ipsius Dei est, et nostrum est. I, 622. Opera bona ex Deo et homine. III, 654. Opera bona et a libero arbitrio, et ab adjutorio Dei simul. III, 1778. Velle et operari, hoc est quod Deus donat homini, cum justificat impium. II, 560. Sic Deus in nobis operatur, ut et nos operemur. V, 108, 856. Operari nihil boni potes, nisi illuminatus a lumine Dei, et fervefactus ab Spiritu ejus. IV, 1175. Opera nostra bona, potius Dei quam nostra. IV, 1783, 1784; VII 804. Opus abs nobis est, sed non solis; operis merces a solo Deo. V, 1464. Nisi Deus adjuvet bona opera nostra, impleri a nobis non possunt. IV, 232, 757. Opera bona quomodo i, si faciamus, cum Deus in nobis operetur. IV, 1876. Opus tuum in me vide, non meum; nam meum si videris, damnas; tuum si videris, coronas. IV, 1783, 1784.

Opera nostra bona Deo tribuenda sunt. I, 1078; III, 190. Non nobis assignanda. X, 879. Gratiæ Dei, non propriis viribus tribuenda. II, 688. Opera bona qui sibi assignat, declinat in dexteram. II, 973, 974. De bonis operibus non in se gloriandum. III, 1849. De suis operibus gloriantes significantur in posterioribus tabulis Moysi datis. III, 655. Gaudere in operibus Dei, quid sit. IV, 978. Servi Dei, dupliciter opera Dei. IV, 1148. Eadem sunt opera Patris et Filii. IV, 1142.

Operum bonorum necessitas. IV, 482, 1315. Opera cum fide necessaria. IV, 259. Operum bonorum initium, est confessio operum malorum. III, 1491. Opus summum hominis est laudare Deum. IV, 500. Opera bona exercentur in abstinentia ab illicitis cupiditatibus. III, 1530. Opera misericordiæ nunc temporis exercenda. V, 97, 515, 612, 1053, 1198, 1205. Opera misericordiæ in hac tantum vita, non in futura erunt. V, 91, 97, 253, 617, 1631. Opera misericordiæ superare debent offensiones nostras. V, 1199. Quanto magis urgent tribulationes hujus mundi, tanto amplius opera misericordiæ exerceri debent. II, 471. Quod alter minus potest, in eo qui potest facit, si in altero diligit, quod ideo quia non potest ipse non facit. II, 507. Opera misericordiæ sola commemoranda sunt in judicio. V, 496. Opera misericordiæ, opera justitiæ sunt. IV, 574. Sacrificia sunt. IV, 574. Semina nostra sunt. IV, 1664; V, 193. Opera bona valent ad obtinendam beatitudinem. VII, 804. Opus te terret, mercedem vide. V, 422. Operum bonorum merces non isto tempore speranda. V, 99. In eos qui putant perire opera sua, quia non eis redditur merces peritura. IV, 1468. Non ex operibus, quo sensu nos salvari neget Apostolus. X, 893. Non ex operibus, sed misericordia Dei, et vocamur, ut credamus; et credentibus præstatur ut bene operemur. III, 2061; *Retr.* Opera legis non justificant hominem, nisi per fidem Jesu Christi et gratiam Dei. II, 892. Justificatio ex fide sine operibus. V, 31. Opera Legis quædam post fidem superflua, quædam ante fidem nulla sunt. III, 2137. Opera Legis bipertita. III, 2117. Opera bona omnia amant in luce constitui. II, 510. Opera bona in manifesto facta duplicem habent utilitatem. V, 804, 1478. Opera bona quomodo coram hominibus, et non coram hominibus facienda. V, 303, 372, 803, 804, 1479. Opera bona quo fine fieri debent coram hominibus. IV, 787, 788. In bono opere laudem nostram quærere prohibemur. V, 1479. In operibus bonis viventis quis animus sit de futuro opere, quis de præterito. V, 227. Opera bona non semper intermittenda, quod aliqui inde scandalizentur. II, 1080. Interdum tamen personarum habita ratione ab iis absistendum. II, 1080. Opera Ecclesiarum quibus honoratur Deus, sunt textura quædam. III, 879. Opera hominum dicuntur filii eorum. II, 632. Opera bona tamquam filii vitæ nostræ. VIII, 1004. Opera bona nihil prosunt iis qui sunt extra Ecclesiam. III, 1500. Omnes adstabimus ante tribunal Christi, ut ferat unusquisque secundum ea quæ per corpus gessit, non secundum ea, quæ si diu viveret, gesturus fuisset. II, 985, 986. Deus reddet unicuique secundum opera ejus. X, 911, 912.

Opera mala quænam sint. VII, 418. Opera mala laudantes, canes lingentes ulcera Lazari. III, 1350. Opera mortua quæ oportet mortificari ut vivamus. VI, 208. Opera carnis. *Vide* Caro. Opus bonum non multum laborat, malum opus habet laborem. IV, 1181. In malis operibus nostris, Dei opera bona sunt. I, 1180. Occupatio qua infidelium opera tamquam bona defenduntur. X, 754. Opera aliqua bona, sine quibus difficillime vita cujusque pessimi hominis invenitur, non prosunt impio ad salutem æternam. X, 230. Opera bona quæ faciunt infideles, Dei sunt dona. X, 754. Operi divino, non humano tribuendum, quod Polemo Xenocratis disputatione ab ebriositate sit liberatus. II, 591. Quanto magis quod alii convertantur ad Deum. II, 592.

Opes magnæ Christianorum sunt necessitates egentium. V, 1389.

*Ophytæ* hæretici seu serpentini. III, 217; IX, 589. Unde exorti et sic appellati. VIII, 28.

Opinio et sensus qui differant. I. 1282. Quod neque intelligi neque sentiri potest, temerariam nimis atque nugatoriam gignit opinionem. II, 78. In falsas opiniones ruere turba pronior est. I, 955, 1042. Opinionis incertæ dubiæque asserendæ temeritas, difficile sacrilegii nomen evitat. III, 221. Opinionis errorem convincendi difficultas. VII, 47. Non parvum malum est perversis opinionibus, non solum ad committendum blandimento voluptatis adduci; sed etiam ad defendendum peccatum, a medicamento confessionis averti. II, 1061. Si falsis opinionibus tanto quisque inseritur magis, quanto magis in eis familiariusque volutatur, multo id facilius in rebus veris animo accidit. II, 66. Opinioni et exemplo multorum contra legem Dei non adhærendum. VI, 344. Cum contradicitur opinioni aliorum, id fiat absque præjudicio caritatis et veritatis. II, 289.

Opinari numquam sine vitio est. VIII, 85.

*Opis* Deus qui nascentibus fert opem. VII, 122, 128.

Optat nemo quod habet in arbitrii potestate. IV, 1509. Optantis figura in Prophetis intelligitur præscientia nuntiantis. V, 148. Ac divini decreti approbatio. V, 149.

*Optatus* Milevitanus episcopus catholicæ communionis. IX, 37, 430. Optati codex a Donatistis prolatus. II, 581. Quem legi petunt in collatione Carthaginensi. IX, 647. Optatus Cæciliani purgationem potius quam damnationem complectitur. IX, 685.

*Optatus* Episcopus. II, 577, 795.

*Optati* quæstioni de origine animæ, responsio Augustini. II, 857.

*Optatus* Thamugadensis episcopus Donatista. II, 171; IX, 55, 58, 337, 528, 555, 738, 740. Gildonianus dictus. II, 198. *Not.* (*a*); IX, 50, 82, 565. Quare sic appellatus. IX, 51. *Not.* (*a*). 55. Optatus Gildonis satelles. IX, 76, 338, 340, 504. Optato Comes Deus est. IX, 277, 281, 286, 340. Et fides. IX, 250. Optati dictum de suis ordinatoribus. IX, 641. Optati facta crudelia. IX, 276. Optatus raptor undique conclamabatur. IX, 62. Fur, raptor, proditor, oppressor, separator. IX, 288, 340. Optatus basiliseus. IX, 54. Optatus Ecclesiam catholicam terra marique armatis turbis atrociter et hostiliter oppugnavit. IX, 316. Sub ejus iniquitatibus tota Africa gemuit. II, 195, 297; IX, 301. Decem annos. IX, 257. Optatum Donatistæ improbabant. IX, 50, 51. Et tamen in communione tenebant. IX, 51. Optatum sceleratum longo tempore sibi notum damnare timuerunt Donatistæ. IX, 250. Tamdiu eum perulerunt, quamdiu timuerunt. IX, 88. Optati Gildoniani potentiam adulationis oleo unxerunt Donatistæ. IX, 86. Adulationes, obsequia, etc. Donatistarum erga Optatum. IX, 277. Quod fecit Optatus, ad suos non pertinere dicebant Donatistæ. IX, 531. Optati metu, Mustitani et Assuritani episcopos suos coegerunt ut ad Primiani communionem reverterentur. II, 193, 198, 265, 309; IX, 532, 565. Quicumque ab illo baptizati sunt, ablui non potuerunt, etiam in sententia Donatistarum. IX, 503. Optatus Gildonianus in carcere extinctus. IX, 329. Optatum martyrem dicebant Donatistæ. II, 265. Ejus natalitia magna celebratione frequentabant Donatistæ. II, 407; IX, 277.

*Optatus* presbyter. II, 225.

Opulentia mentium, Deus. VII, 162, 164.

Opprobrium, quid. IV, 856. In opprobriis, cum corrig non potest a quo jactantur, nihil restat nisi orare. IV, 852 Opprobrium pro Christi nomine sustinendum. IV, 252, 850, 851, 1537.

*Orata* vir fortunatissimus. I, 972, 973. Unde miser in divitiis. I, 973.

Orator Christianus semper in grandi materia versatur. III, 105, 106. Præmittat orationem ac Deum. III, 103, 104, 105, 120. Veritati potius quam verbis studeat. III, 119, Refutare debet quidquid contradici potest, si occurrat. III. 107. Agat ut intelligenter, ut libenter, ut obedienter au-

diatur. III, 103, 104, 105. Perspicuitati studeat et quomodo. III, 99, 100. In perspicuitate quædam est diligens negligentia. III, 99. Oratoris est docere, delectare, et flectere. III, 101. Quomodo hæc tria præstari possunt. III, 101. Frustra docetur et delectatur, nisi et flectatur animus. III, 102. Interest magis ut sapienter dicat orator Christianus, quam ut eloquenter. III, 91. Undenam quis consequi potest, ut sapienter dicat. III, 92. Qui eloquenter dicunt, suaviter; qui sapienter, salubriter audiuntur. III, 92. Audiuntur utiliter, qui etiam utiliter non aguut, quare. III, 118. Orator ecclesiasticus bonam vitam eligit, sed non negligit bonam famam. III, 119. Obedientius auditur orator Christianus, cujus vita dictioni respondet. III, 118. Oratorem Christus lucratus est de piscatore, non piscatorem de oratore. IV, 372. Non culpandus qui a peritiore conscriptum sumit eloquium, quod ad populum proferat. III, 120. *Vide* Concionator, Eloquentia, Prædicator.

Oratio locutio est hominis ad Deum. IV, 1086. Oratio sacrificium est. IV, 475. Orationis nomine omnes regulæ sancti desiderii intelligunt r. X, 300. Oratione quid opus sit ad Deum. III, 1275. Si Deus novit quid necessarium sit. V, 379, 494. Etsi sciat Deus quid nobis sit necessarium, non propterea, non orandum. X, 1017. Quia vult in orationibus desiderium nostrum exerceri, quo possimus capere quod præparat dare. II, 500. Deus dare vult, sed non dat nisi petenti, non det, non capienti. IV, 1524. Orandi quæ nobis sit causa, et cur preces nostras Angeli Deo annuntient, cum ipsum nil lateat. II, 568. Preces nostræ Deo annuntiantur, non ut Deus instruatur, sed ut ipsi construamur. II, 568. Peti a se cur Deus voluerit, quæ possit etiam non orantibus dare. X, 1001, 1002. Deus rogari vult, ut subveniens ametur. IV, 1425. Ad hoc quod nondum habemus jubet Deus ut habeamus, ut admoneat quid petamus. VI, 443.

Oratio argumentum necessitatis gratiæ. X, 514. Clarissima gratiæ testificatio. II, 766. A Deo petitur hoc ipsum quod ab homine exigitur. V, 905. Ut det ipse quod præcepit, rogandus est Deus. IV, 1510, 1581. Cum oramus, nihil aliud dicimus quam, *Da quod jubes*. X, 154. Orandi præceptum quatenus observent Massaliani. VIII, 40.

Orationes ad quid necessarias putarint Pelagiani. X, 376, 380, 381. Orationis necessitas. X, 151, 317, 318. Asseritur contra Pelagianos. VI, 443. Oratio necessaria his qui gratia non aguntur. X, 918. His qui accingunt se ad bonum faciendum. X, 918, 919. Oratio homini necessaria, non tantum ut ipsi ignoscatur, sed etiam ne peccet. X, 256. Ut non intremus in tentationem, si voluntas sufficeret, non oraremus; quæ tamen si deesset, nec orare possemus. II, 990. In oratione cognoscit homo, unde accipiat quod vult habere. X, 317. Oratio admonet quod indigeamus adjutorio Domini, ne spem bene vivendi in nobis ponamus. II, 990. Ex sententia eorum qui legem per vires proprias impleri posse dicunt, sequitur nos non orare debere. II, 595, 761, 763, 775. Stultum est orare ut facias quod in potestate habeas. X, 256. Invocandum Dei adjutorium. V, 895. Oratio non propter quod fuimus, sed propter quod erimus necessaria. X, 551. Oratio et gratiarum actio necessaria. II, 851, 856. Oratio a gratulatione quid differat. IV, 80, 1537.

Orare. Quid orandum. IV, 1087. Orandum ut Deus det, quod ut habeamus jubet. VI, 443, 444. Ut datum conservet, ac nondum datum suppleat. VI, 444. Orandum ut Dei dona in nobis augeantur. IV, 1048. Quod nondum accepimus, nos accepturos esse fidamus : eo quod de acceptis ingratis non sumus VI, 444. Oratio quomodo petamus quæ accepimus. X, 997. Nolite aliquid a Deo quærere, nisi Deum. V, 1461. Quid erit mihi, quidquid mihi dederis præter te? V, 1469. Orationis remedium contra peccata accepimus post integritatem remissionis. V, 752. Orandum est a Domino ne peccemus. II, 775. Oranda beata vita, cætera propter ipsam. II, 497, 499, 503, 505. Beneficia temporalia et æterna quomodo petenda. V, 497. Temporalia a Deo petentes, nihil petunt. V, 794. Discite hoc petere a Deo, ubi non timeatis exaudiri. V, 1445. Multi clamant ad Dominum pro temporalibus rebus, vix quisquam propter ipsum Dominum. IV, 971. Necessaria corporis a Deo solo petenda, non a dæmoniis. IV, 752, 755. Orandum est ut incolumitas, amicitia, sufficientia habeantur, aut si jam adsint, teneantur. II, 499. Oremus ut valeamus quod voluerimus, cum Deo donante recte sapuerimus. II, 990. Sciens unde acceperis, ab illo pete ut perficiatur, a quo datum est ut inciperetur. II, 990. Falli eos qui in adversis tantum, et non in prosperis putant invocandum Deum. V, 482. Quæ mala sunt, non sunt postulanda a Deo. III, 1824. Non parva est tentatio, si contra tuam sit causam tua postulatio. III, 1826.

Orandum pro persecutoribus Ecclesiæ. II, 657. Orandum pro inimicis et persequentibus. V, 120, 806. Orare pro inimico tuo si dixeris, ambulas in viam Domini. III, 1985. Injuriam Deo facit qui cum orat, ut inimicum suum premat. IV, 456. Oratio nostra facit eleemosynas, cum pro inimicis ut pro amicis profunditur. V, 1044. Quare nunc Ecclesia orat pro inimicis, et in novissimo judicio non orabit. VII, 737. Gratior est Deo pro fratre deprecatio, ubi sacrificium caritatis offertur. II, 87. Orent pro se invicem omnia membra; caput pro omnibus interpellet. III, 1985. Orare pro quibusdam fratribus non nobis præcipitur. III, 1266, 1267. Oratur pro infidelibus ut credant. V, 914, 915. Qui sacerdos stans ad altare exhortetur populum orare pro infidelibus, pro Catechumenis, pro fidelibus. II, 978, 988. Orat Deum sacerdos clara voce ad altare, ut incredulas gentes ad fidem suam venire compellat. II, 988. Ideo Deus per orationes credentium non jam credentes credere facit, ut ostendat quia ipse facit. II, 988. Orationes quas facit Ecclesia sive pro infidelibus ut convertantur, sive pro fidelibus ut augeatur in eis fides et perseverent, destruunt Pelagiani. VIII, 48. Oratio pro quibus et contra quos impendenda. IV, 248, 458. Orare contra quemquam non licet. III, 1267. Non oraret Ecclesia pro reprobis, si essent cogniti. VII, 737.

Orationum auxilia quam utilia. IX, 478, 509. Orationes sanctorum quantum pro aliis valeant apud Deum. IV, 1412. Orationibus aliorum magnos etiam viros debere se commendare. II, 1025. Oratio Dominica pro eis tantum est efficax, quorum fides per dilectionem operatur. VII, 657. Gaudeant de nobis Martyres, qui orant pro nobis. IV, 1141. Orans pro Ecclesia catholica, neminem singulorum præterit. V, 1249. Orat Ecclesia pro omnibus hominibus, non tamen exauditur pro omnibus. VII, 737. Orans Ecclesia pro quibusnam exauditur. VII, 508.

Orando quid observandum. IV, 1551, 1552. Quomodo orandum. III, 1274, 1467. Quid oremus sicut oportet nescimus. X, 551. Oranti duo cavenda, ne aut quod non debet, aut a quo non debet petat. V, 578. Sic orandum est quomodo docuit Christus. IV, 1552. Oratio incipere debet a laude Dei. IV, 1882.

Oratio duplex, interior et exterior. IV, 404. De interiore oratione intelligendum illud, *sine intermissione orate*. IV, 404. Oratio sine intermissione certius exauditur. II, 500. Orare sine intermissione, est vitam beatam a Deo solo sine intermissione desiderare. II, 501. Orationes crebræ, sed brevissimæ et raptim jaculatæ Fratrum qui sunt Ægypto. II, 501. Orare diu cum vacat, id est, cum alia bonarum et necessariarum actionum non impediuntur officia, non est improbum nec inutile. II, 501. Orare frequenter, non est orare, in multiloquio. II, 501, 502. Quid sit multum loqui, quid multum precari. II, 501. Multiloquium in oratione vitandum. V, 378. Orationum diligentior cura in Scripturis, specialiter viduis invenitur injuncta. II, 506. Oramus verbis per certa temporum intervalla, ut quantum in desiderio vitæ æternæ profecerimus nobis innotescamus, et ad hoc augendum nos ipsos acrius excitemus. II, 501. Orare nonnisi spiritaliter spiritu renatos decet. II, 502.

Orandum in templo mentis. I, 1195. Orare in clausis cubiculis, quid. I, 1195. Non recte oratur, nisi in intimis cordis. VI, 144. Quando oras, claude ostium, ne tentator ingrediatur. IV, 1854. Oratio vocalis sine intentione in Deum, inanis est. IV, 1585. Orationis vox, quæ. IV, 1809. Multorum oratio habet sonum, vocem non habet. IV, 1809. Oratio clamor ad Deum, non corporis voce; sed cordis. IV, 74, 85, 254, 1854. Oratio nostra vix sine mentis evagatione. IV, 1086, 1585. Mira Dei benignitas tolerantis orationes, quæ cum mentis evagatione fiunt. IV, 1086. Orans in toto corde, clamat quando aliunde non cogitat. IV, 1585. Magna in oratione intentio, magnum exprimit orantis affectum. IV, 1585. Qui orationem suam tepidam, frigidam et pene nullam dolet, jam orat. VI, 127.

Orandi tempus, tempus gratiæ Dei. VI, 234. Orandi tempus post Galli cantum. IV, 1587. De loco et modo orationis. III, 1519. Magis valet petentis affectus, quam petitionis locus. IX, 429. Si aliquis in Memoriis hæreticorum orans exauditur, non pro merito loci, sed pro merito desiderii recipit sive bonum, sive malum. IX, 428. Situs corporis ad orandum nullus est præscriptus. VI, 144. Supplicantibus congruens situs, genua figere, extendere manus, solo prosterni. VI, 597. Fronte terram percutere. V, 1419. Per hæc cordis affectus, qui ut fierent ista præcessit, quia facta sunt crescit. VI, 597. Hæc cum quis præstare nequit, in secretissimo cubili, ubi compungitur, sternitur. VI, 597 Oramus stantes quinquaginta diebus post Pascha et omnibus Dominicis. II, 218, 220. Ad orationem stantes cur convertuntur ad Orientem. III, 1277. An ubique Christiani diebus Paschalibus et Dominicis stantes orent, ignorat August. II, 220.

Orandum est perseveranter. IV, 801. Orationis instantia commendatur. IV, 801, 1559. Familici Dei esse debemus, ante januam conspectus illius mendicemus in orationibus.

IV, 1895, 1896. Orationes justorum cum lacrymis et gemitu. V, 193. Orantis gemitus. IV, 224. Dulces orantium lacrymæ. IV, 1685. Oratio munda quænam. X, 302, 304. Orationis alæ duæ, jejunium et eleemosyna. IV, 482. Gemitæ eleemosynæ. V, 598, 1040, 1041, 1042. Unde oratio multum adjuvetur. II, 504, 507. Oratio jejuniis et eleemosynis adjuvanda. V, 1046, 1585. Hæc est justitia hominis in hac vita, jejunium, eleemosyna, oratio. IV, 482. Orationc sua humiles contingunt Deum. V, 267. Oratio sit casta, ut non quod cupiditas, sed quod caritas quærit optemus. V, 1044. Oratio tanto acceptior est, quanto magis naturæ suæ spiritalis implet effectum. V, 1052. Hunc effectum tanto magis implet, quanto magis animus a carnali voluptate suspenditur. V, 1052. Qui didicerunt a Domino Jesu Christo mites esse et humiles corde, plus cogitando et orando proficiunt, quam legendo et audiendo. II, 597. Cor quod recte petit, recte pulsat et quærit, pium esse debet. V, 568. Vita pulsat, vitæ aperitur. V, 568.

Oratio optima, vita justa. VII, 655. Quam celeriter accipiuntur orationes bene operantium. IV, 482. Orationem fides præcedit. II, 878. Orationis fons fides. V, 655. Orationis meritum debetur fidei quæ data est non oranti. II, 878, 880. Non orat nisi fides. V, 913. Si fides deficit, oratio perit. V, 655. Fides, spes et caritas ad Deum perducunt orantem. II, 504. In fide, spe et caritate, continuato desiderio semper oramus. II, 502. Orant spes et caritas, ac per hoc et fides. VI, 234. Oratio semper jejunet ab odio, semper dilectione pascatur. V, 1044. Fides in Christum, ratio impetrandi. III, 1328. In nomine Christi nihil petit, qui de Christo sentit, quod non est sentiendum; vel qui petit aliquid ad salutem non pertinens. III, 1896, 1897. Petitur in nomine Salvatoris, quod pertinet ad rationem salutis. III, 1852. Non petimus in nomine Salvatoris, quodcumque petimus adversus utilitatem salutis. III, 1825. Oratio non est justa, nisi per Christum. IV, 1436. Oratio quæ non fit per Christum, ipsa est peccatum. IV, 1436. Oramus ad illum, per illum, in illo. IV, 1082. Ille orat pro nobis, orat in nobis, oratur a nobis. IV, 1081; V, 1685. Orat Christus, et dat quod orat. V, 1083. Ad hoc oravit Christus, ut doceret orare. IV, 663. Orare nos docet Christus ut magister, et exaudit ut Filius. V, 1153. Ad orandum similitudinibus Christus hortatur. V, 410, 618. Implorare posse donavit Deus; et ut implorares, excitavit cor tuum. V, 952.

Orat desiderium, etsi lingua taceat. V, 498, 820. Dignior ex oratione sequetur effectus, quem ferventior præcedit affectus. II, 502. Ipsum desiderium tuum, oratio tua est; et si continuum desiderium, continua oratio. IV, 404. Oratio de corde fideli, tanquam de ara sancta surgit in modum incensi. IV, 1818.

Orandi gratia ex Spiritu sancto. IV, 1559. Oratio est donum Dei. II, 878, 880. Orationem cum fide a se esse, cætera a Deo obtineri volentes, refelluntur. V, 913. Orare Deum, gratiæ spiritalis munus. X, 633, 1032. Oratio spes unica in malis sæculi præsentis. V, 494, 497. Quando dormitet. V, 498. Orationes nostras Angeli quo animo offerant Deo. II, 502. Deus non sinit eos in periculis perire, qui ad se clamant. IV, 440.

Oratio Dominica, regula postulandi Apostolis a cœlesti jurisperito data. IV, 1849. Oratio quare verbis tradita. III, 1275. Orationis Dominicæ expositio. II, 503; III, 1277; V, 577; VI, 285. Orationis Dominicæ præfatiuncula. III, 1276. Ejus petitiones apud Matthæum septem, apud Lucam tantum quinque. VI, 285. In oratione Dominica tria ad vitam æternam, quatuor ad temporalem pertinent. III, 1285. Orationis Dominicæ tres ultimæ petitiones contra concupiscentiam adhibendæ. X, 153. Orationis Dominicæ petitiones, cum septem donis Spiritus sancti, et beatitudinibus Evangelicis componuntur. III, 1276. Orationis Dominicæ petitio tertia; *Fiat voluntas tua*, quid innuat. X, 676. Boni ex animo dicunt, *Veniat regnum tuum*; non ita mali. V, 299. Oratio Dominica et Symbolum complectuntur fidem, spem et caritatem. VI, 234. Catechumenis Symbolum prius, et post oratio Dominica traditur. V, 577, 586. Oratio redditur a Competentibus post octo dies. V, 400. Oratio Dominica ad fideles præsertim pertinet. IV, 1849. Oratio Dominica in sacrorum mysteriorum celebratione. V, 524, 1101. Oratio Dominica quotidie dicitur ad altare. V, 599. Perceptioni Eucharistiæ cur præmitti debet. V, 127. Quis petat quod in oratione Dominica non invenitur. II, 504. Oratio Dominica continet quidquid recte et congruenter orari potest, et ad eam cæteræ aliæ orationes reducuntur. II, 503. Exaudiuntur omnes sancti pro se ipsis, non pro aliis. III, 1896. Desideriorum forma in Dominica oratione. V, 578. Quisquis orat quod ad istam Evangelicam precem pertinere non possit, carnaliter orat. II, 503, 504. Orationem Dominicam nisi dicas, non eris orans. IV, 1332. Si aliam dicas, non exaudieris. IV, 1332. Orationem Dominicam securus dicit, qui facit quod dicit. IV, 1332. In ea pactum de remittendis debitis, quo tenemur et nos fratribus ignoscere. V, 385, 1035, 1556. Quo animo dicendum, *dimitte nobis debita*. IX, 65. Oratio Dominica de dimittendis debitis, est justis necessaria. VII, 657. Qui tibi dictavit preces, advocatus est tuus; si mentiris, testis est; si non te corrigis, judex erit tuus. V, 654. Oratio Dominica, medicina quotidiana. V, 127. Oratio Dominica, medela quotidiana contra peccata levia. VI, 228. Quotidiana nostra mundatio. X, 435. Quotidianus penicillus quo terguntur peccata. V, 983. Quasi quotidianus baptismus. V, 1064. Oratio Dominica delet peccata non qualiacumque, sed parva. VII, 748, 749. Delet minima et quotidiana peccata. VI, 265; X, 200. Si veraciter dicatur, quotidiana dimittit peccata. X, 1232. Delet et scelerate gesta, si ab iis pœnitendo discedatur. VI, 265. Oratione Dominica dimittitur quidquid in jejunio et eleemosynis delinquitur. X, 500. Peccata venialia operibus misericordiæ et oratione mundantur. II, 675.

Orantes quosnam Deus exaudiat. IV, 1390. Quis fiduciam habere possit, quod accipiat quod petit. X, 311. Multa Deus orantibus præbet, qui etiam orantes prævenit. I, 798. Qui manent in Christo, accipiunt quod petunt. III, 1842. Orationes peccatorum non exaudiri cæcus dixit nondum corde videns. V, 749, 751. Deus solos pauperes exaudit. IV, 861. Exauditio sequitur confessionem humilem. IV, 253, 254. Qui vult audiri a Deo, prius audiat eum. V, 126. Citius exauditur una obedientis oratio, quam decem millia contemptoris. VI, 565. Non accipiunt homines quod petunt, quia male petunt. III, 1824. Orandum est ut non faciat Deus, quod non bene petimus. III, 1826.

Oratio. Aliquando Deus iratus dat quod petis, et Deus propitius negat quod petis. V, 1567; IX, 429. Nonnullis impatientibus Dominus Deus quod petebant concessit iratus, sicut contra Apostolo negavit propitius. II, 505. Metuendum est ne Deus nobis noxia, quæ posset non dare propitius, det iratus. III, 1824. Precesdæmonum exauditæ. III, 2024. Citius diabolum exaudit Deus ad tentandum, quam ipsum Job ad sanandum. IV, 1882. Apostolus rogat, et non accipit; diabolus rogat et accipit, quare. IV, 175, 1882. Paulus non exauditus ad voluntatem, sed ad sanitatem. V, 1566. Quomodo æterna, quove animo temporalia petenda. V, 1566. Exaudiuntur multi et multis modis, non solum Christiani catholici, sed et Pagani, et Judæi, et hæretici. IX, 429. Extra Ecclesiam exaudiuntur multi ad multa, sed non ad vitam æternam. IV, 478, 1270, 1704, 1721. Preces improborum quomodo exaudiuntur. III, 2024. Multi clauso ore exaudiuntur a Deo, et multi in magnis clamoribus non exaudiuntur. IV, 1604. Exaudiuntur quidam ad damnationem, et non exaudiuntur quidam ad salutem. IV, 173. Deus alios exaudit, alios non exaudit, prout cuique novit expedire. IV, 1088, 1881. Quodnam desiderium se exauditurum spopondit Deus. IV, 1296, 1888. Superflua petens propitio Deo non exauditur. V, 203, 498. Cito exauditur, qui terrena non petit. IV, 1777. Derelinquens non derelinquit Deus, quando in bonis temporalibus non exaudit. II, 545, 565, 575. Deus non exaudit ad temporalia, ut intelligamus ab ipso desideranda sempiterna. IV, 483. Dum Deus tribulationes non aufert, uti deprecati fueramus; nos ab eo negligi non existimemus, sed bona ampliora speremus. II, 505. Male usurus homo eo quod vult accipere, Deo potius miserante non accipit. III, 1824, 1825, 1834. Exaudit Deus ad sanitatem, non ad voluntatem. IV, 173, 1883. Non habeatis pro magno exaudiri ad voluntatem, habete pro magno exaudiri ad utilitatem. V, 1566. Pater est Deus, et quod malt cupiunt filii non dat. IV, 1899. Crede patri, quia si tibi expediret, daret tibi. V, 498. Non petendum est aliquid quasi fixum, sed quod nobis Deus expedire scit. IV, 624. Novit Deus quid dari nobis expediat, nos autem intendamus, quid nobis prosit accipere. IV, 1899. Propitius Deus cum male amamus, negat quod amamus; iratus autem dat amanti quod male amat. IV, 202. Cum id amamus quod vult Deus ut amemus, procul dubio daturus est nobis. IV, 202.

Oratio. Deus et cum differt, adest; et quod differt, adest; et differendo adest: ne præproperam cum implet voluntatem, perfectam non impleat sanitatem. V, 892. Oratio pro justo facilior, pro iniquis magis laborat. V, 526, 1429, 1453, 1441. Cum aliquando tardius dat, commendat dona, non negat. V, 411. Quod dare vult Deus, differt; ut amplius desideres dilatum, ne vilescat cito datum. V, 619. Deus forte aliquid dare differt, sed neminem esurientem relinquit. III, 1557. Quædam non negantur, sed ut congruo dentur tempore, differuntur. III, 1896. Novit horam dandi qui curat. IV, 1881. Deus si non dat ad horam, exercet quærentem, non contemnit petentem. III, 1557. Orationibus Deus vult desiderium nostrum exerceri, quo possimus capere quod præparat dare. II, 502. Oratio sanctorum beneficii dilatione, tribulationum adversitate quasi repellitur, ut tamquam ignis flatu percussus ardentius inflammetur. IV,

1118. Differtur tantum quod in nomine Salvatoris petimus, non negatur. III, 1826. Fidelis multa deprecatur secundum sæculum, et non exauditur; ad vitam autem æternam semper exauditur. IV, 718. Orationes, obsecrationes, etc., quæ differunt. II, 635. Fiunt precationes antequam illud quod est in Domini mensa, incipiat benedici; orationes, cum benedicitur; interpellationes seu postulationes, cum populus benedicitur; et post hæc omnia gratiarum actiones. II, 636.

Oratio communis voce Diaconi indicitur. II, 221. Orationibus communibus et alternis plus agimus, quam singularibus et privatis. *Innoc.* II, 788. Oratio ante cibum. X, 176. Oratio pro mortuis ad altare. I, 780. Oratio pro defunctis. VII, 737, 738. Egregiæ Augustini orationes ad Deum. I, 869, 888.

Oratorium. I, 1379. In oratorio nemo aliquid agat, nisi ad quod est factum, unde et nomen accepit. II, 960.

Orbis terrarum Adami nomine significatur. IV, 1235. Orbis terrarum partes. VII, 497. Orbis terrarum non per veteris Legis observationes, sed per Evangelii fidem possessio Abrahæ facta est. VII, 522.

Orbis Romanus. VII, 171.

*Orcus* frater Jovis et Neptuni. VII, 213. Orcus receptor mortium. VII, 196. Orcum terrenam et infimam mundi partem esse volunt. VII, 207.

Ordinationis sacramentum. IX, 109. Ordinationis benedictio. II, 229. Ordinatio cleri fit ad plebem congregandam. VI, 394. Ordinandi debent esse sine crimine. X, 565. Ordinationis manus suspecto imponere, nec ad commendationem suam alteri episcopo eum subintroducere recusat August. II, 268. Ordinarine debeat qui in parte Donati baptizatus est, rogatus August. non consulit; sed addit, *aliud est facere si cogaris, aliud consulere ut facias.* II, 1061. Ordinationis suæ tempore lacrymas fundit Augustinus. II, 88. Post etiam onus multo gravius expertus est, quam putabat. II, 88. Ordinatus Valerium obsecrat, ut ipsum sinat in secessu precibus ac studio agere, quo instructior fiat. II, 89. Negat Augustinus Pinianum in Ecclesia sibi tradita ab alio episcopo, nisi se interrogato ac permittente, posse ordinari. II, 477. Qui quibuscumque locis ordinati fuerint ministri, in ipsis locis perseverare debent. IX, *App.* 787. Credebat populus Hippon. non posse fieri, ut qui apud se ordinaretur etiam invitus, a sua urbe posset abscedere. II, 477. Aliter sentiebat Augustinus. II, 477. Ordinationis Sacramentum non licet iterari. IX, 70, 71, 72. Non amittitur. IX, 109. Sacramentum ordinationis manens in ordinatis. VI, 394. Etiam in eo qui aliqua culpa removetur ab officio. VI, 394. Ordinati etiam extra Ecclesiam in suis honoribus sunt susceptі. II, 813. Ordinationis Aurelii anniversarius dies. V, 643. Item ordinationis Augustini. V, 1480, 1482. Ordinator Stephani Petrus. V, 1365.

Ordo est parium dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio. VII, 640. Ordo est per quem aguntur omnia, quæ Deus constituit. I, 991, 994. Ordo, bonum generale in rebus a Deo factis. VIII, 553. Ordo rerum quid valeat. VIII, 397. Ordine cuncta a Deo administrantur. I, 984, 994. Eo continentur etiam mala. I, 985. Ordinatio cogit esse, inordinatio non esse. I, 1341. Ordo penes ipsum sit, qui novit ordinare quod creavit. V, 1353. Ordini rerum transeuntium pro nostris meritis assuti sumus. I, 1179.

Ordo naturæ in homine quis. VII, 629. Ordo et pax exigit, ut prius homo Deo, deinde caro homini subjiciatur. IV, 1860. Ordinem tenere et ordine teneri, non idem. I, 1187. Injusti juste et fœdi pulchre ordinantur. III, 150. Peccatorem hominem ordinavit Deus turpem non turpiter. I, 1180. Ordinare novit Deus deserentes se animas. VI, 333. Qui injuste se ordinat in peccatis, juste ordinatur in pœnis. II, 559.

Ordo dux ad Deum. I, 990. Ordo rerum servandus, ut anima bene agat. II, 539. Ordo vitæ et eruditionis. I, 1006. Ordo ille approbandus, ubi potiora præcedunt. VI, 326. Ordo non est, ubi deterioribus meliora subjiciuntur. I, 1251. Quod mutatur in melius, ad esse et ad ordinem tendit. I, 1348. Ne quis perturbetur si præscriptus ordo turbetur, cum incertum sit quid utilius agamus. VI, 326 Ordinare res agendas pro nostro captu debemus. VI, 326. Res ordinatas nos peregisse non ideo gaudeamus, quia nobis, sed quia Deo sic eas agi placuit. VI, 326. Eis voluntatem Dei præponere quisque paratus sit. VI, 326. Unde ordo interdum dicitur malus. VIII, 558. Libri *de Ordine* scripti sub finem ann. CCCLXXXVI. I, 977. Zenobio sunt dicati. I, 979. Quare. I, 985.

Ordinis nomine scripta Madaurensium epistola. II, 1026. Ordini leges replicare. II, 316.

Orbitas pertinet ad ignem, qui exurit quod vitiosum est in amore conjugum. VII, 743, 744.

*Oreb* interpretatur siccitas. IV, 1033.

Organum omnia instrumenta musica significat, aliquando tamen sumitur pro solis iis quæ follibus inflantur. IV, 671, 1964. Organa musica sanctos designant. IV, 1964. Organa sua habent cives Jerusalem, Scripturas Dei, præcepta Dei, promissa Dei, etc. IV, 1764. Organarius qualis, tale organum. V, 1585.

*Orestes* et Pylades. I, 697.

Orientales hæretici Donatistis aliquo modo se sociare tentaverunt. IX, 576. An judicium quod habuerunt de baptismo resciderint, non constat. IX, 559. Orientales propter requiem Domini significandam jejunium Sabbato relaxant, et propter humilitatem mortis Domini quidam ex Occidentalibus jejunant; Sabbatum Paschæ ab omnibus jejunatur ad renovandam memoriam doloris Apostolorum de morte Domini. II, 150.

*Origenes.* I, 593; VIII, 667, 668. Ejus error quod omnia recurrant ad id unde deflexerunt. I. 593. Origenis error de supplicio diaboli et damnatorum non semper duraturo. X, 325. De salvando etiam diabolo. VII, 731. Origenem sensisse, posse diabolum misericordiam Dei impetrare, quidam asserunt, quidam negant. X, 1485. Origenis sententia de salvando diabolo refellitur. VII, 735. Origenes erravit, quia clementior fuit. VII, 735. Animas de cœlo lapsas esse putarunt Pythagoras, Platonici, Origenes. II, 718. Origenis libri περὶ Ἀρχῶν. VII, 336. Origenes ex Theodotione addidit ad LXX interpretationem. II, 261. Psalmos interpretatus est. II, 261. Quinque volumina scripsit in epistolam ad Galatas, et de eadem agit lib. 10 Stromatum, et alibi, ex Hier. II, 252, 254. Nec Petrum peccasse, nec Paulum procaciter arguisse majorem, ideo asserit, ut Porphyrio blasphemanti respondeat. II, 254, 257. Origenis et veterum sententiam de Petro reprehenso a Paulo Joannes Chrysostomus amplexus est. II, 254. Hieronymum rogat Augustinus, ut prodat Origenis et hæreticorum errata. II, 157. Origenes ab Hieronymo mirabiliter laudatus, ac post non mediocriter nec de mediocribus quæstionibus reprehensus. II, 286. De Origenis quibusdam opinionibus quas non recepit Ecclesia, liber ab August. scriptus. II, 748. Origenes reprobatus ab Ecclesia, quare. VII, 731.

*Origeniani* hæretici qui et Adamantii Tractatoris. VIII, 33. Origenianorum dogmata. VIII, 33.

*Origeniani* alii hæretici, a nescio quo Origene dicti sunt. VIII, 33.

Originale peccatum. V, 928, 944, 1343. Originali peccato obnoxii omnes. III, 1634; X, 270. Parvuli. VII, 506. Originale peccatum trahit infans ex Adamo, quia unus erat cum illo et in illo. II, 360. Generatio ex Adam uno delicto obligat; regeneratio ex Christo tam illud quam quidquid postea ex iniquis operibus humanæ conversationis accedit, solvit. II, 678, 679. Nasci ex Adam necessitatis est ex damnatione; nasci per Christum, voluntatis et gratiæ. III, 1401. De incarnatione animæ nulla sententia tenenda quæ neget peccatum originale. II, 733. Si animæ creentur singulæ singulis, quomodo peccatum originale contrahant. II, 723. Originale peccatum et alienum est, et nostrum. X, 1079. Originale vinculum damnationis. VI, 277. Originalis peccati pœna. VI, 107. Hieronymus dogma de peccato originali in lib. contra Jovinianum, et in commentariis in Job stabilivit. II, 723, 730.

Originale peccatum negabat Pelagius et cum eo Pelagiani. II, 723, 863. Epistola Zosimi in qua asserit peccatum originale. II, 865. Originale peccatum arguit infantum baptismus. III, 416. Originale peccatum baptismo diluitur. IV, 591. Parvulorum baptismus non superfluus, quia peccato originali obligantur. II, 678. In originali malo duo sunt, peccatum atque supplicium. VII, 788. *Vide* Peccatum.

Originali bono insunt propagatio et conformatio. VII, 788.

Ὄρμαί. VII, 628.

Ornamenta exterioris hominis quanto magis appetuntur, tanto sunt interioris detrimenta, ac vice versa. V, 884. Ornamenta auri vel vestis non vult August. præpropera prohiberi sententia, nisi iis qui neque conjugati, neque conjugari cupientes, cogitare debent quomodo placeant Deo. II, 1060. Ornatus maxime Christianorum et Christianarum, mores boni sunt. II, 1060. Auri circumpositio et intortio crinium et cætera hujusmodi, quæ vel ad inanem pompam, vel ad illecebram formæ adhiberi solent, merito reprehensa sunt. II, 1080. Ornari solis maritis feminæ permittendæ sunt, et hoc secundum veniam, non secundum imperium. II, 1060. Si ad ornatum indecentem dura aliqua conditione mulier a viro cogatur, habeat in superbo cultu cor humile. II, 1081.

*Orontius.* II, 1071.

*Orosius* presbyter Hispanus. I, 618; VIII, 665, 666, 669; X, 343. Ab ultima Hispania ad Augustinum transit, scripturarum ardore inflammatus. II, 718 Orosium August. mittit ad Hieronymum. II, 721. Orosii commonitorium. VIII, 669. Orosio de Priscillianistarum hæresi et Origenis quibusdam opinionibus, August. uno libro respondit. II, 718 Orosius litteras Herodis et Lazari detulit ad Concilium Car

thag. II, 759. Librum in quo Hieronymus de resurrectione carnis præclare disputat, ad Oceanum attulit. II, 779. Orosium fratrem suum vocat Hieronymus et Augustini filium. II, 752. Orosii elogium. II, 720.

*Orpheus* poeta Theologus. VII, 572, 597. Maxime omnium nobilitatus est. VII, 581. Infernis sacris præfectus est. VII, 572. Orphei præsagia de Christo an aptiora Gentibus, quam Prophetarum Hebræorum. VIII, 282, 290, 292.

Orphani, latine pupilli. III, 1829. Orphanos et viduas facit gladius verbi Dei. IV, 815.

Orthodoxi, id est recta sectantes. III, 127.

*Orthopolis* duodecimus rex Sicyoniorum. VII, 565.

Ortygometra genus avium non usquequaque dissimile coturnicibus. III, 617.

Os duplex, corporis et cordis. VI, 331, 508, 509. Os cordis. IV, 1661, 1775. Os cordis multa clamat, quæ ore corporis non dicuntur. VI, 350. Os cordis quo consensus tamquam verbum interius exprimitur. VI, 350. Os interius discernit auris interior. VI, 351. Os corporis nihil prefert, nisi quod ex ore cordis emanat. VI, 350. Os occultum in corde, sapida gaudia de pane Dei ruminans. I, 722. De quo ore dictum sit, *Os quod mentitur*, etc. VI, 509. Os Dei, eloquium ejus. IV, 1515. Ori non est ponendum claustrum, sed ostium continentiæ. IV, 1819.

Os, sive ossum absconditum, firmitas interior. IV, 1796. Ossa in scripturis firmamentum animæ vel fortitudinem significant. IV, 92, 228, 1297, 1796. Ossa in corpore Domini dicuntur omnes justi, firmi corde, fortes, etc. IV, 242, 332, 476, 1297. Ossa in Scripturis patientiam in fide significant. IV, 320. Os Ecclesiæ, spiritales. IV, 492.

Osculum infixum feminæ alienæ, verbere vindicatur. VII, 726.

Osculandi affines consuetudo recepta apud antiquos. III, 570. Osculum pacis inter sacramenta. V, 1101; IX, 277. Osculum dabatur infantibus in baptismo. X, 625.

*Osee* rex Israel regnavit Romuli temporibus. VII, 579.

*Osee* propheta quid prædixit. VII, 584. Osee connubium cum meretrice quid significet, explicarunt Apostoli. VIII, 459.

*Osiris* maritus Isidis. VII, 254, 256.

Ostendere mala, pro facere mala. III, 502.

Ostenta ab ostendendo dicta. VII, 722.

Ostium portæ, initium fidei. IV, 306. Ostium cordis nostri tamquam duas habet valvas, cupiditatem et timorem. IV, 1833. Ostium cordis diligenter claudendum. IV, 1834.

Ostiarius Donatista qui se gerat erga ignotos. V, 288.

Otium dat locum tentationi. VII, 84. Otio ad pietatem, non ad ignaviam fruendum. II, 188. In otio non iners vacatio delectare debet, sed aut inquisitio, aut inventio veritatis. VII, 647. Otium sanctum illud est, quod percipiendæ sapientiæ impenditur. III, 1791. Otium sanctum quandonam relinquendum, ut prædicetur Christus. III, 1791. Otium sanctum quærit caritas veritatis, negotium justum suscipit necessitas caritatis. VII, 647. Magna secessione a tumultu rerum labentium opus est, ut fiat in homine nihil timere. II, 74. Deificari in otio licet II, 74. Otiosorum negotium. IV, 1463, 1916.

Ova non sumunt Manichæi. VIII, 57.

Ovium curam Deus ipse suscipit. V, 283. Oves Dei quænam. V, 315. Oves ad quas Christus missus est. V, 484. Oves Christi et non oves, quinam. III, 1742. Oves Christi, prædestinati. III, 1725. De ovibus Christi nulla perit. III, 1745. Christus ad Judæos dicebat non esse eos ex ovibus suis, quia eos videbat ad sempiternum interitum prædestinatos, non ad vitam æternam sui sanguinis pretio comparatos. III, 1725. Oves Christi multæ ex Judæis, sed non solæ. V, 42. Non solum pastor, sed etiam oves intrant per ostium. III, 1726. Ingredi et egredi per Christum quid. III, 1726. Oves Christi ante ejus adventum vocem ipsius audierunt, non alienorum. III, 1725. An oves Christi erant, qui errabant, et vocem alienorum audiebant. III, 1724. Non omnes qui vocem Christi audierunt, oves erant. III, 1725. Ovis per Christum ad ovile reductæ securitas. V, 1647. Oves audita pastoris voce salvantur. V, 307. Ovis perdita a pastore inventa, ab eodem adhuc quæritur. IV, 1595. Oves populi. IV, 1224. Oves detonsæ, perfecti. IV, 1224. Oves et boves in psalmis, recte accipiuntur omnes sanctæ spiritales creaturæ. IV, 114. Ovium spes, sanitas et requies in solo Deo. V, 283. Oves errantes non sine sanarum periculo negliguntur. V, 278. Dilectionem Christus postulat sibi erga oves suas impendi. V, 1180. Diligendus est pastor, mercenarius tolerandus, cavendus latro. V, 756. *Vide* Pastor. Oves pascuæ et manuum Dei sumus. V, 295. In inferno sunt oves, quibus mors pastor est; in cœlo sunt oves, quibus pastor vita est. IV, 556. Ovile Christi quas oves complectitur. IV, 1418. Tres personæ ad ovile venientes, pastor, fur et mercenarius. V, 756.

Oxymora sententia. X, 1480.

*Ozias* rex Juda. VII, 585.

# P.

Pactum dimittendi, ut dimittatur nobis. V, 1051.

Pœnitendum esse peccati, vox est ista naturæ. VIII, 109, 110. Pœnitentiæ quorumque criminum locus in Ecclesia non negatur. V, 448. Pœnitentiam denegant Cathari. VIII, 32. Pœnitentiam peccatis dandam negantes quidam, hæretici facti sunt. V, 1559. Et exclusi sunt ab Ecclesia. V, 1559. Pœnitentiæ locus in Ecclesia permissus, opprobrium Paganorum in Christianos excitabat. IV, 1500, 1501. Paganis pœnitentiam suggillantibus respondetur. V, 1559. Neminem ab errore ad veritatem, vel a quocumque seu magno, seu parvo peccato ad correctionem sine pœnitentia posse transire. II, 347. Pœnitentiæ agendæ triplex ratio. II, 1088. Pœnitentia triplex. V, 1537, 1550. Prima quæ ante baptismum. V, 1537, 1550. Altera quæ hic omnium est ac perpetua. V, 1537, 1556. Tertia severior, pro peccatis mortiferis. V, 1542, 1558. Qualis ea pœnitentia, cui Deus ignoscit. III, 1266. Non sufficit mores commutare, nisi et Deo satisfiat. V, 1548.

Pœnitentia, est quædam in se ipsum iracundia. V, 135, 1358. Vis fugere a Deo? ad ipsum fuge; vis fugere ab irato? fuge ad placatum. IV, 1913. Se ipsam anima puniens compungat, ne in Dei judicio damnata torqueatur. IV, 80. Juste salus illa perpetua, quæ turpiter amissa est per voluptatem, fortiter recipitur per dolorem. III, 289. Divina justitia est, ut qui voluntate amisit, quod amare debuit, amittat cum dolore quod amavit, dum naturarum Creator ubique laudetur. III, 385. Afflictio pœnitentis pœna peccati est, quamvis medicinalis et salubris. III, 728. Pœnitentis dolores, sicut dolores parturientis. IV, 536. Deum placat, qui sperans in misericordia ejus, ita de cætero peccare cavet, ut de peccatis præteritis veniam deprecetur. IV, 1913. Sacrificium justitiæ per pœnitentiam. IV, 81.

Pœnitentia humilior. VI, 220. Pœnitentiæ salubris medicina, nulli alii quam sibi tribuere peccatum. VII, 444. Pœnitentiæ humilitas quam necessaria. V, 1535. Etiam justificatis. V, 1538. Pœnitentiæ humilitas ante justificationem. IV, 1786. Humiliatione pœnitentiæ ad Deum acceditur. IV, 314. Præcedente pœnitentiæ humilitate agglutinatur Deus hominibus. III, 879. Pristina vita post pœnitentiam non repetenda. V, 1035. Pœnitentia perversa. V, 126. Pœnitentia impœnitenda. V, 1182. Pœnitentia relapsis post baptismum amplectenda. V, 1545. Non in occulto solum, sed qualis agitur in Ecclesia. V, 1711 Pœnitentia in notitia multorum vel etiam totius plebis quando agenda. V, 1545 Pœnitentiam secundum morem Ecclesiæ agere, cum digna est causa. VI, 271.

Pœnitentia publica agitur propter immania peccata, non propter levia. VI, 656. Pœnitentia luctuosa et lamentabilis, VI, 18. Quinam ad eam cogendi. VI, 18. Pœnitentiæ humillimæ subjiciunt sacerdotes quos a supplicio liberarunt. II, 655. Pœnitentiæ cinis. IV, 1301, 1953. Pœnitentia publica Theodosii. V, 1710. Pertinet ad disciplinam Christianam, ut neque de cujusquam correctione desperetur, neque cuiquam pœnitendi aditus intercludatur. VI, 503. Pœnitentiæ locum adulteris alii in totum clauserunt, alii permiserunt, manente unitatis vinculo. II, 341. Pœnitentibus adulteris recte pacem dari, merito tenet Ecclesia. II, 342. Pœnitentiæ locum Donatistæ revertenti a quibusdam fratribus negatum esse Augustinus ægerrime tulit. V, 1358. Pœnitentiæ locus cur datus pœnitentiam non acturis, et morti deditis. X, 1427, 1428. Pœnitentiæ actio ubi propter crimen commissum separatur aliquis a corpore Christi. VI, 262. Pœnitentiæ locum aliqui petierunt, alii excommunicati in eum locum redacti sunt, et quidam nolunt inde surgere quasi electus sit locus. V, 1111. Reconciliationis locum petere nemo cogitur. V, 1359.

Pœnitendi tempus. V, 126. Pœnitentiæ tempora recte constituuntur ab iis qui Ecclesiis præsunt. VI, 263. In actione pœnitentiæ non tam consideranda est mensura temporis, quam doloris. VI, 262. Pœnitentiæ agendæ ratio, et satisfactionis modus, a præpositis sacramentorum accipiendus. V, 1545. Pœnitentem, Lazari instar, perducit Dominus ad confessionem; jam cætera implet Ecclesiæ ministerium. V, 1558. Pœnitenti et præcepta medici observanda, et ferendus dolor sectionis. V, 1270. Necdum tamen est tum sanus. V, 1270. Peccata post baptismum commissa pœnitendo sanari possunt. VI, 254. Solus agit Augustinus cum Marcellino, ne quid esset quod majore et insigniore pœnitentia indigeret. II, 650. Pœnitentia, cum Deus flagellat, amplectenda. VI, 699. Deus non puniens non perdidit potentiam, sed exigit a te pœnitentiam. V, 471. Vitæ hujus pœnitere nos debet, quia corruptioni et tentationibus

obnoxia est. V, 1537. Dicamus modo fructuose, Transeunt omnia sicut umbra ; ne dicamus infructuose, Transierunt. IV, 284.

Pœnitentiæ procrastinatio quam periculosa. IV, 1301. Pœnitentiam qui agunt, dicuntur peccasse Deo ; qui nolunt agere, peccasse non Deo. III, 773. In eos qui pœnitentiæ negligendæ exemplum ex aliis sumunt. V, 1545, 1547. Pœnitentia sterilis, nihil prodest V, 408. Pœnitentiæ fructus qui sint. V, 408. Pœnitentia in hac vita tantum fructuosa. VII, 739. Pœnitentia infructuosa. VI, 205. Post judicium infructuosa est, nunc fructuosa, quando correctio libera. V, 150. Pœnitentia erit in die judicii, sed infructuosa. IV, 284, 357. Pœnitentia hujus temporis, dolor medicinalis est ; pœnitentia futuri temporis, dolor pœnalis est. IV, 689. Pœnitentia post judicium cruciabilis est, non sanabilis. V, 151. Pœnitentia sera. III, 865. Pœniteat te ad vocem Scripturæ ; nam ad vocem præsentis judicis, sine causa pœnitebit te. V, 150.

Pœnitentia donum est Dei. II, 828 ; VI, 271, 421 ; X, 803. Pœnitentia datur a Deo. X, 1422. Ad donum spiritus sancti pertinet, quia peccatori displicet quod fecit. IV, 596. Vocatio ad pœnitentiam, ad occulta Dei judicia est revocanda. X, 920. Quibus modis Deus ad emendationem sollicitat. V, 150. Ex hominibus alios per bonitatem adducit Deus ad pœnitentiam, alios secundum judicium non adducit. X, 793. Pœnitentiæ prædicatione vocatur ad Christum et congregatur Ecclesia. IV, 1965. Pœnitentibus veniam non dari secundum gratiam, sed secundum merita et laborem eorum, Cœlestii doctrina. X, 345. Pœnitentiam misericordia et adjutorio Domini fieri docet Ambrosius. X, 382. Pœnitentia a mortuis operibus, quid sit. VI, 208. Infructuosæ arbori stercus adhibitum, figura pœnitentiæ. V, 1185. Pœnitentia David cur Deo accepta, non vero Saül. VIII, 442.

Pœnitentes olim qui proprie dicebantur. VI, 228. Pœnitentes proprie in Ecclesia appellati. II, 1086. Ii sunt qui post baptismum ita peccaverint, ut excommunicari et postea reconciliari mereantur. II, 1088. Pœnitens id agat quod sibi ad salutem, cæteris ad exemplum prosit. V, 1545. Pœnitentis est peccata propria et agnoscere et punire. V, 132. Pœnitens, homo irascens sibi. V, 187, 649. Et suus ipse punitor est. V, 1273. Lacrymæ, sanguis pœnitentis. V, 1542. Pœnitens, verus homo. III, 831. Pœnitens ex parte justus est, et ex parte peccator, et quomodo. IV, 1825. Pœnitens quomodo conjungatur Deo, ac præstat ut Deus ipsi intercedat. V, 187. Pœnitentes in membris Christi. IV, 1295, 1537. Pœnitens conari debet peccata omnia perimere. V, 153. Si non te invenit dies ultimus victorem, inveniat vel pugnantem. V, 153. De reliquis in conatu invento facile ignoscitur. V, 153.

Pœnitentium reconciliatio. VII, 674. Pœnitentia vera etiam per malum clericum remissionem peccatorum accipit. V, 466. Pœnitentis resurrectio et solutio in Lazaro figurata. IV, 1306 ; V, 595. Impositio manuum super pœnitentes, orationis indictio et discussio ipsorum. V, 1111. Pœnitentes abundant. V, 1111. Cum discutiuntur, inveniuntur male viventes. V, 1111. Qui debet esse locus humilitatis, fit locus iniquitatis. V, 1111. Quando illis imponitur manus, fit ordo longissimus. V, 1111. Ad pœnitentes admonitio V, 1111.

Pœnitere quomodo Deus dicatur. IV, 1416, 1460, 1723 ; VI, 141 ; VII, 539. Pœnitentia in Deo, dicitur mutatio sententiæ. V, 152. Pœnitentia cur minus videatur Deo congruere, quam præscientia, ira, et similia. VI, 141.

Paganismum obtendit Faustus et Judæis et Catholicis. VIII, 369.

Pagani qui vocentur. I, 648. In quo distant a Manichæis. VIII, 376. Paganitatis error unde inolevit. VII, 208. Pagani quid de principio rerum, qui de diis sentiant. VIII, 376. Solem adorant. IV, 189. Deus unus a Paganis celebratur variis nominibus. II, 82. Paganorum religio circa homines mortuos tota occupata fuit. VII, 255. Pro diis habent homines mortuos. V, 1249. Paganos dæmonicolas vocat August. II, 139. Paganorum sacerdotes mortui dicuntur, non tantum propter impietatem, sed propter mortuos deos eorum. IX, 65. Ludendi et saltandi mos receptus in solemnitate Paganorum. III, 473. Paganorum ludi ritusque sacrorum, turpissimi. II, 415 ; VII, 50. Crudelissimi. VII, 52. Pagani imitatione deorum suorum pejores fiunt. II, 414. Pagani non excusant sua sacrilega sacra et simulacra, quod eleganter interpretentur quid quæque significent. II, 378. Paganorum in cultu litigantium deorum concordia. VI, 712. Paganis concordiæ præcepta non habebant. II, 529.

Paganorum non veræ virtutes. X, 747. *Vide* Infideles, Virtus. Virtutes Paganorum steriles. II, 710. Paganis nihil prodest, non quidem quod jam boni sunt, sed quod mediocriter mali. IV, 196. Honesti mores etiam Paganorum, nonnisi ex Deo sunt. II, 591. Paganorum relig. felicitas luxuriosa, licentiosa, sacrilega. II, 535. Pagani ad quædam temporalia exaudiuntur. IV, 1270. Pagani fures et latrones. III, 1720. Eorum doctrina de virtutibus et vitiis noxia. III, 1720. Pagani in tenebris sunt. IV, 196. Pagani Christum volunt nihil sensisse contra deos suos, sed eos magico ritu coluisse. III, 1069. Pagani oraculis suis Christum laudare compulsi. III, 1052. Paganorum subterfugium ne fiant Christiani. IV, 116. Pagani in Christianos referunt malorum causam. IV, 1033, 1054. Eorum in Christianam religionem querelæ ex vastatione Romæ. V, 505, 1556. Paganorum scandalum ex pressuris mundi. V, 505. Pagani Christianorum discordia avocari a Christiana religione non debent. VI, 715. Pagani intus credentes, sed erubescentes confiteri. V, 1278. Paganorum ad Christum mira conversio. III, 123. Paganorum superstitio deletur. V, 166. Simulacra confringi jussa sunt recentibus legibus. IX, 44. Sacrificia capite plectuntur. II, 526. Ex Paganis multi ad Deum verum conversi timore legum imperialium. II, 354. De templis, idolis, lucis qui evertuntur, non licet Christiano in usus privatos quidquam usurpare. II, 185. Paganorum res rapere non licet. V, 965. Piis operibus secernuntur Christiani a Paganis. V, 1025. Cum Paganis potius quam cum malis Christianis convescebantur boni Christiani. IV, 1289, 1290. Paganorum infirmitas cum Martyrum constantia comparatur. IV, 1829. Pagani venientes ad Christum, episcopi fieri possunt. IX, 478. Pagani, ligna silvarum appellati. IV, 1254. Lapides mortui. V, 165. Paulinus adversus Paganos scripsit. II, 159. Hoc Paulini opus petit August. II, 181.

Παιδεία in sacris litteris quid significat. IV, 1547, 1548.

Palæstinum judicium in causa Pelagii. II, 816, 826, 827, 831, 876, 979. Palæstino concilio quænam Pelagius anathematizarit. II, 827, 979. *Vide* Pelagius.

Palatum οὐρανὸν dicitur. VII, 200.

*Palatinus* episcopus. II, 759, 780.

*Palatinum* monet Augustinus quomodo in Christiana sapientia, quam delegit, proficiat ac perseveret. II, 989.

Palea frigidam vim habet, ut nives servet ; et fervidam, ut poma immatura maturet. VII, 712, 719. Paleæ et zizaniorum nomine significantur hæretici. III, 127, 144. Injusti. IX, 29. Palea sunt carnalia quærentes, sive sint intra, sive foris. V, 1175. Palea invidus, iniquus quem ventus tentationis aufert, cui opponitur populus gravis. IV, 339. Palea potest fieri frumentum. V, 1175.

Παλινῳδίαν canere. II, 157, 257, 244, 290.

*Palladia* ad Memoriam S. Stephani Hippone sanata. VII, 770.

*Palladius*. II, 774.

*Palladius* Tibagitanus episcopus. IX, 697.

*Pallantem* morituram Hercules flevit. VII, 86.

Palliati philosophi, Cynici dicuntur. I, 942. Pallio et clava utebantur Cynici. VII, 428.

*Pallor* deus Romanus. II, 84 ; IV, 1396 ; VII, 125. Ab Hostilio introductus. VII, 150, 190. Pallori et febri fana fecerunt Romani. III, 1053.

*Pammachia*. VIII, 574.

Pammachius suos colonos Donatistas ad Catholicam adduxit. II, 225.

*Pan* unde dictus est in Arcadia Lycæus. VII, 574.

Pancarius. II, 1068.

*Pancarpus*. VIII, 574. In ludicris muneribus edi solet. VIII, 598.

*Pancratius* Balianensis episcopus IV, 381.

Pancratium facere, est pugilari. IV, 679.

*Pannonius* episcopus. II, 759, 780.

Panis significat omnia ad victum pertinentia. III, 496, 499, 509, 514, 652 ; V, 389, 394. Panis hominem nutrit ; et accipitrem necat. I, 1550. Panis et merum ad mortuorum sepulcra tollebantur. IV, 554. Et celebrabantur convivia. IV, 554. Panis et in bono et in malo est in Scriptura. III, 79.

Panis Deus. IV, 1726. Panis Deus ut lac nobis fieret, descendit ad terram. IV, 1726. Panis non deficiens, et indigentiam nostram finiens, Trinitas. V, 620. Panis cœli, Christus. V, 726. Ut panem Angelorum manducaret homo, Dominus Angelorum factus est homo. V, 701, 726. Ex eodem pane hominum et Angeli, sed non eodem modo manducant. IV, 1742. Panis vivus qui in via reficit nos, in patria saturabit nos. IV, 1814. Panis Christus cum labore et sudore manducandus. IV, 1784. Panis cœlestis esuriem interioris hominis quærit. III, 1607. Panis frusta, membra Christi. IV, 1934. Panis qui reficit, nec deficit, justitia, veritas, ipse Christus. V, 969. Panis Angelorum et hominum, veritas, sapientia, virtus Dei. IV, 1742. Panis animæ, verbum Dei. IV, 386, 1165, 1297. Panis cordis justitia. IV, 562. Panis veritatis amarus peccatoribus. IV, 88. Panis doloris pœnitentium. IV, 1786. Panis terræ viventium. V, 265.

Panis quotidianus duplex, corporalis et spiritalis. V, 389, 401. Panis quotidianus, sermo Dei. V, 581, 583, 595. Lectiones et hymni sacri. V, 389. Eucharistia. V, 581, 589, 595,

401. Quidquid animæ aut carni nostræ in hac vita necessarium est. V, 395, 401. Panes tres dati amico. V, 620. Tres panes a Deo petit, qui petit saturari conspectu Trinitatis. IV, 1524. Panis subcinericius Eliæ aliud habuit quam panis usitatus. III, 377. Panes de lapidibus cur Christus esuriens non fecit. IV, 1164, 1165. Multiplicatio panum in deserto. IV, 1164. In multiplicatione panum, omnipotentia Domini quasi fons panis erat. III, 528. Allegorice quid significet miraculum quinque panum. III, 1600; VI, 48. Et miraculum septem panum. V, 581; VI, 51. Mysteria in iis qui saturati sunt de septem panibus. V, 581. Panem mendicanti cur Manichæi porrigebant. VIII, 160.

Panes benedictos quinque Paulinus Romaniano et Lucentio mittit. II, 126. Panem ad Alypium mittit Paulinus. II, 100. Et ad Augustinum. II, 103. Et Paulino vicissim Augustinus. II, 125.

Pantomimus. III, 64; V, 1020. Pantomimus iniquis facilius placet, quam Deus. IV, 277. Pantomimi ludicri et inhonesti. IV, 1347.

Papa. Romani episcopatus præeminentia X, 551. Romanus pontifex reliquis episcopis loco prior. X, 648. Missis ad sedem Apostolicam duobus Conciliis, indeque rescriptis venientibus causa (Pelag.) finita est. V, 754. *Vide* Romanus episcopus.

*Papyria* gens, apud Romanos. VII, 69. *Not.* (*d*).

Parabola, quid. IV, 852. Parabolas inter et propositiones seu προβλήματα discrimen. IV, 983. Parabolam decem virginum ad novissimum Christi adventum non pertinere, quidam opinati sunt. II, 922. Parabolæ Domini secundum similitudinem et dissimilitudinem intelligendæ. III, 1558. *Vide* Similitudo.

*Paracletus* consolator vel advocatus interpretatur. III, 1828, 1868.

Paradisus proprie locus nemorosus. III, 482. Viridarium. V, 1505. Paradisi generale nomen est locus omnis ubi feliciter vivitur. II, 834. Omnis etiam spiritalis quasi regio, ubi animæ bene est, merito paradisus dici potest. III, 482. Paradisum in Edem plantatum alii corporaliter, alii spiritaliter, alii utroque modo accipiunt. III, 371. Sententiam tertiam amplectitur August. III, 371. Paradisi locus a cognitione hominum est remotissimus. III, 378. Paradisus in quo homo formatus est, præter fidei periculum quæritur ubi sit. X, 398. Paradisi summa jucunditas. IV, 1771. Paradisum cæteraque ejus, nonnulli spiritaliter tantum intelligi volunt. VII, 394. Quod de paradiso Scriptura narrat, de paradiso spirital. nonnulli tractatores catholici intellexerunt. X, 1599. Scriptura corporalem evidentius ostendit. X, 1599. Paradisus ad proprietatem litteræ intelligi potest et debet. III, 373, 555. Paradisus qualis juxta Pelagianorum hæresim et quam falsus fuisset. X, 1089, 1310, 1328, 1332, 1408, 1457, 1458, 1537. Pelagianorum paradisus deliciarum qualis, etiamsi nemo peccasset X, 1537. In paradisum volunt Pelagiani concupiscentiam introducere. X, 803. Paradisum Dei non solum libidinibus hominum, verum etiam cruciatibus implere cogitur Julianus. X, 1560, 1561, 1564, 1571, 1572. Et mortibus. X, 1581, 1583, 1585. In paradisum non solum mortium pœnas, verum etiam mortiferarum valetudinum mittit. X, 1594, 1598. Pelagiani originale peccatum negantes, coguntur cuncta naturalia vitia in paradiso admittere. X, 1437. Et de facto vitia omnia corporum et animorum ibi collocant Pelagiani. X, 1557. Pelagianorum opinio de paradiso, nulli comprehensibilis. X, 1434. Paradisi beatitudo nec mortem, nec tot mala corporum admisisset. X, 1307. Status hominis in paradiso quoad sensus. X, 797. Ut quid homo positus in paradiso ut operaretur et custodiret eum. III, 379, 380, 381. An primi parentes cibis indiguerint in paradiso. X, 772. In paradiso procreatio filiorum fuisset absque libidine. X, 818. In paradiso si quid utile disceretur, sine labore disceretur. X, 1516. In paradiso non clamabas, sed laudabas; non gemebas, sed fruebaris; foris positus gemne et clama. IV, 225. Ex paradiso terrestri homo dimissus est. III, 213. Paradisus et corporalis et spiritalis erat. VII, 419; X, 172. Paradisi explicatio spiritalis et moralis. VII, 394, 395. Paradisi terrestris deliciæ quid allegorice. III, 202. Paradiso corporali in quo Adam fuit, et vita ista sanctorum quæ nunc in Ecclesia agitur significata est, et illa quæ post hanc in æternum erit. III, 478. Paradisum et tertium cœlum appellavit Apostolus tertium visionis genus. III, 478. Paradisus vita beata. III, 202, 214. Paradisus in quem raptus est Apostolus an in tertio cœlo. III, 482. Paradisus latroni promissus. II, 712. Latro quomodo die mortis Christi in paradiso cum ipso fuit. II, 835. Latro potuit introduci in eum paradisum, ubi fuerat corpus primi hominis. III, 376. Paradisum visibilem negant Seleuciani. VIII, 41. Paradisus Ecclesiæ typus. X, 798. Paradisus Ecclesia dicta est. III, 442, 478. In homine lætitia quædam bonæ conscientiæ paradisus est. III, 482.

Paralysis interioris hominis quomodo sanatur IV, 385. Paralyticus aperto tecto depositus ad Dominum, quid figuret. V, 277. Paralyticus allegorice. III, 1334. Anima bonis operationibus dissoluta quomodo Christum quærat. III, 1334. Paralyticus in baptismate sanatus. VII, 764. Paralyticus ad oratorium in quo terra de Jerosolymis allata infossa erat, salvus effectus. VII, 765.

Parasceven Judæi etiam cœnam puram vocant. V, 1090

Paratianensis saltus. II, 430; V, 1090.

Parcimonia jejuniis conjungatur. V, 1043.

Parcit Deus malis occulta justitia. IV, 1201. Parcit Deus diversimode. III, 645. Christus nemini parcebat verbo, ut essent quibus parceret in judicio. IV, 1197. Nisi primo Deus per misericordiam parceret, non inveniret quos per judicium coronaret. IV, 1282. Vis ut tibi parcat Deus? tu tibi noli parcere. V, 1358. Plurimum interest quo animo quisque parcat. II, 660. Non omnis qui parcit amicus est: nec omnis qui verberat, inimicus. II, 523. Parcens crudelis, feriens pius. V, 111.

Paregorizare, id est, mitigare. IV, 1638. *Not.* 2. Paregorizamur quotidie medicamentis Dei. IV, 1638.

Parentalia. IV, 551; V, 1601.

Parentes primi quando creati. III, 409. In quo consistat primorum parentum peccatum. III, 432. Primi parentes crediderunt Deum facile veniam indulturum peccati. III, 446. Mox ut Adam et Eva præceptum transgressi sunt, intrinsecus gratia deserente nudati sunt. III, 446. Ipsa prope amicitia Dei onerabat primos parentes post peccatum, quæ fiduciam dabat ante peccatum. III, 448. Ad quid aperti oculi primorum parentum. III, 445. Apertio oculorum Adami et Evæ, non est figurate accipienda. III, 446. Primi parentes scientia boni et mali frui potuissent, si ad lignum suo tempore accessissent. III, 452. Si non peccassent, non mortui essent, nec eorum posteri. III, 395 Quomodo. III, 396. Ex eo die mori cœperunt, quo ederunt, etc. X, 1583. *Vide* Lignum vitæ.

Parentes primi, et si non peccassent, tamen generassent. VII, 430. Primis parentibus potuissent esse in paradiso honorabiles nuptiæ, et thorus immaculatus. III, 395. In immortalibus corporibus potuit is esse modus, ut solo piæ caritatis affectu, nulla corruptionis concupiscentia, filii nascerentur. III, 295, 395, 399. Primi parentes non habebant appetitum carnalis voluptatis, qualem nunc habent ista corpora. III, 398. Quare non ederint in paradiso. III, 395. Ante peccatum non genuerunt. VII, 434, 435. Merito ad vesperam visitantur. III, 447. Parentibus non tribuendum quod cum damnatione nascantur filii. X, 809.

Parentes quomodo se gerant erga filios. IV, 1205. Parentibus ut filii serviant, ordo est naturalis. III, 590. In ea re sola filius non debet obedire patri, si aliquid jubeat contra Dominum, IV, 875. Deferendum est patri, quia pater est; et deferendum est Deo, quia Deus est. IV, 1685. Malos filios, ne de his erubescant, etiam parentes abdicare solent. III, 2132. Propter parentum peccata an filii puniendi. III, 765. Parentum iniquitates filiis obesse non posse, exemplo suo Christus docuit. VIII, 440. Parentum peccata quomodo ad filios pertineant. IX, 633. Et ea Deus retribuat filiis. VIII, 137, 138. Parentum peccata quibus filiis redduntur, et quibus non nocent. IV, 1437. Parentum erat olim, nomen filiis imponere. V, 351.

Parentes non agnoscere, et non honorare, caninum est. V, 69. Parentes quomodo honorandi. V, 603. Filius in matrem injuriosus cum reliquis suis fratribus divina ultione punitus. V, 1443, 1444; VII, 769. Parentum imprecationes in filios, quam reformidandæ. V, 1445. Præcepto de honorandis parentibus non est contrarium Evangelium. VIII, 136. Parentes et propinqui quare odio habendi. III, 1249. Quomodo propter Christum contemnendi. I, 615. Parentes propter annuntiationem regni Dei nulla impietate contemnuntur. VIII, 136. Parentum dilectio et contemptus in utroque Testamento commendatur. VIII, 137. Parentum et cognatorum affectio quatenus noceat. II, 1055. Quatenus interimenda sit. II, 1056, 1057. Matris carnalis gemitibus gemitus opponuntur matris Ecclesiæ. II, 1057. Qui vult sua dare pauperibus, primum ea parentibus distribuere debet, si pauperes sunt. II, 1059. Parentes et amici quatenus amandi. I, 1238. Parentum amor quatenus purus vel impurus: VII, 746. Parentum amorem ordinavit Christus, non abstulit. V, 1512. Parentes duo ad mortem, et duo ad vitam. V, 154. Pater et mater hominis mortalis allegorice IV, 198. Parentes nostros, Deum et Ecclesiam, si non læ damus, sed amemus, sequetur hereditas. V, 154.

Pariatores. V, 1191. *Not.* (*b*).

Pariatoria plenaria passionum omnium Christi. IV, 73

Parientis dolor pœna est peccati. X, 1560, 1563, 156

Utrum animalia tempore pariendi doleant, necne, non constat. X, 1565.

Paries. Christus ex duobus parietibus unum fecit; hæretici ex uno, duos faciunt. IV, 1223. Paries dealbatus,

hypocrisis. IV, 1229.
Parietinæ idem ac ruinæ. IV, 1298.
*Paris* Priami regis Trojanorum filius. VII, 82. *Not.* (*f*). Paridis adulterium cum Helena Menelai uxore. VII, 81. Paridis adulterio offensi dii, Trojam deseruerunt. VII, 82. Paridis judicium, fabulosum vel ipsis Paganis. VII, 568.
*Parmenianus.* V, 1587 ; IX, 33. Donatistarum Carthaginensis episcopus, successor Donati. I, 637. Parmenianus Donati errorem confirmavit. V, 279. Parmeniani eloquentiam multum prædicabant Donatistæ. IX, 446. Parmeniani ceterorumque Donatistarum arrogantia. IX, 546. Parmeniani epistola ad Tychonium. IX, 107, 108. Parmenianus Tychonium rescribendo compescit, non tamen refellit quæ scripsit. II, 342.
*Parmenianistæ* iidem qui Donatistæ. VIII, 32.
Parœcia Ecclesiæ Calamensis. VII, 433.
Parœcia pro diœcesi. II, 953, 955.
Parricidio patriæ, continentur omnia scelera. I, 953.
Pars turpis est, quæ suo universo non congruit. I, 689.
Parta, reperta, comperta, unde dicuntur. VIII, 968, 972.
*Parthenius.* II, 94.
Participando divinitatem immortales efficimur. IV, 1906.
Partiri. Consuetudo pacifica est jam inter homines, ut cum terrena partiuntur, major dividat, minor eligat. VII, 498.
Parturiendi labor ex peccato. X, 405, 1448. Partus cum gemitu pœna est feminæ peccatricis. X, 1178. De parturientium dolore. X, 1577. Parturientes sive magis, sive minus, tamen dolent : et hic dolor aut est pœna peccati, aut dolor in paradiso fuit. X, 1578.
Parva non sua granditate, sed artificis sapientia metienda sunt. VII, 335.
Parvuli quales in paradiso gignerentur, si nemo peccasset. X, 1332. Parvulos crudeliter defendunt Pelagiani. X, 472, 473. Parvulos sic defendit Julianus, ut a Salvatore separet. X, 1478. Parvulos non baptizatos nolunt Pelagiani primi hominis damnationi obnoxios confiteri. I, 598; X, 394. Parvulos peccato originis esse obnoxios docuerunt SS. Patres citra Manichææ hæresis suspicionem. X, 1212. Parvuli peccato originali obnoxii. II, 871. Parvuli peccato originis compediti sunt. III, 1695; X, 188, 189, 470, 471, 1154, 1215, 1216, 1217, 1240, 1241, 1242, 1250. Parvuli ideo obnoxii peccato, quia ab illo originem ducunt, in quo omnes peccaverunt. X, 1123, 1124. Parvulorum peccatum ex Adam. X, 463. Parvuli pertinent ad peccatum, per quod mors intravit in mundum. X, 1228. Parvuli contagione primi parentis sunt obstricti. X, 871. Parvuli etiam ipsi serpentis morsu venenati. X, 145. Parvuli propter originale peccatum prævaricatores sunt. IV, 1574. Parvuli ex concupiscentia nascuntur, et concupiscentia est malum. X, 736. Parvuli non Dei creatione, sed vitio naturæ per peccatum depravatæ nascuntur mali. X, 1506. Parvuli ut regeneratione justi, sic generatione deputantur injusti. X, 1307. Parvuli quia inquinati sunt generatione, purgentur regeneratione. V, 906. Etsi nec parenti post conversionem obsint propria peccata, non tamen non obsunt ejus filio, si non renascatur. X, 177.
Parvulos propria per liberum arbitrium habere peccata dicunt Pelagiani. II, 820, 821. In parvulis non est peccatum propriæ vitæ. X, 147. Parvuli quomodo rei sunt voluntate. I, 608.
Parvuli nascentes a Deo possideantur, et a diabolo. X, 705. Peccatum originale tenet parvulos sub diaboli potestate. X, 427. Parvuli non incongrue subduntur diabolo per peccatum. X, 465. Parvuli antequam baptizentur, sunt sub potestate diaboli. X, 858. Quare. X, 1402, 1404, 1557. Parvulos erui a potestate tenebrarum, negabant Pelagiani. X, 441. Et in hoc hæretici sunt. X, 1343, 1378. Parvuli de potestate tenebrarum eruuntur. X, 829, 841. Per sacramenta. X, 1300, 1303, 1305, 1307, 1585. Parvulos peccato obnoxios vel ipsa baptismi forma declarat. X, 145. Parvulos erui a potestate tenebrarum ostendunt ipsa Ecclesiæ sacramenta. X, 407, 408. Exsufflationes. X, 1504, 1506. Et exorcismi. X, 1506. Parvuli exsufflantur et exorcizantur, quare. VI, 628. *Vide* Baptismus, Exsufflatio, Exorcismus. Parvuli incircumcisi anima de populo interire non potest, sine peccati merito. X, 1206, 1210. Sacramenta pro parvulis etiam ante circumcisionem. X, 809.
Parvulis regeneratio necessaria. V, 657, 944; X, 132, 133. Exitiabile est et mortiferum non tantum carni, sed et animæ infantis, sine baptismo exire de hac vita. X, 191. Parvulus periturus erat sine baptismo. X, 145. Hoc firmum certumque semper habitum est ab Ecclesia. X, 191. Parvuli non possunt ab originali peccato liberari nisi baptismo. II, 678, 683. Parvuli baptizantur in remissionem peccatorum. X, 177. Parvulos originalis peccati remissionem per baptismum consequi, antiquitus universa Ecclesia retinuit. X, 190. Parvulos quoque in baptismo peccato mori et vivificari. X, 1215, 1216, 1217. Parvuli in baptismo moriuntur peccato : ergo sunt rei. X, 827, 828, 829, 830. Parvuli et in peccato mortui sunt, et moriuntur peccato. X, 830. Parvuli per baptismum, quæ est Dei gratia mirabilis, sancti et justi esse coguntur. X, 1506. Morti Christi conformantur. X, 177. Parvuli etiam ipsi in baptismo renuntiant sæculo. X, 1267. Parvuli per gestantium fidem et responsionem credunt. V, 1346; X, 505, 570. Et appellantur fideles. V, 1343; X, 123, 1078. Iis alieno facto vulneratis, aliena fide subvenitur. V, 950, 1342. Parvuli in credentium et fidelium numero deputati. X, 187. Dici possunt et vocati in pœnitentiam. X, 123. Parvulis baptizari, ipsis est credere; non baptizari, non credere. X, 132. Parvuli infantes quomodo creduli vel increduli fiant, per credentes aut incredulos. II, 871, 984. Fides respondentium pro eis in baptismo recta esse debet. V, 951. Qui parvulum offert baptizandum, debet cum Catholicis sentire. X, 146. Pelagianorum aliqui censuerunt infantes credere, per eos a quibus offerebantur. II, 870, 890. Parvulos mox natos illuminari, quidam perperam colligebant ex Evangelio. X, 129, 130. Parvulos cur baptizandos dicunt Pelagiani. X, 705. Sine participatione corporis et sanguinis Christi æternam vitam habere parvuli non possunt. X, 394. Vita æterna quatenus renatis debetur. X, 1133. Parvulis adhuc et infirmis stillantur quædam de Sacramentis. IV, 784. Parvulorum baptismus et communio. V, 943. Sanguis Christi ministratus parvulo ut vitam habere possit. X, 1151. Parvuli manducant carnem Christi et bibunt ejus sanguinem. II, 985. Parvuli qui carnem Christi non manducaverunt, vitam æternam non consequentur, ex Innoc. II, 785, 826. Parvulis baptizatis utrum noceant parentes, cum eos dæmoniorum sacrificiis sanare conantur. II, 359. Parvulis non imputatur ad culpam quod reluctantes baptismum recipiant. II, 841. In tantum nesciunt quid faciunt, ut nec facere judicentur. II, 841.
Parvuli nascuntur miseri. X, 147. *Vide* Mala, Miseria. Ratio velut adhuc quieta et quasi sopita, tamen insita, et quodam modo inseminata in parvulis latet. X, 130. Ignorantia et animi corporisque infirmitas in parvulis. X, 147, 180. Ignorantia parvulorum quanta. X, 148. In his ignorantiæ tenebris anima pueri non tantum indocta, verum etiam indocilis jacet. X, 149. Ex ignorantia profundissima ad fatuitatem balbutientem, non permansuram, tamquam ad scientiam locutionemque tendentes, proficiendo veniunt parvuli. X, 148. Parvuli, nec sapientes sunt nec stulti. I, 607. Ab infantia ad sapientiam per insipientiam mediam perveniunt parvuli. X, 795. Parvuli pecoribus sunt infirmiores. X, 150. Infirmitati mentis congruit hæc infirmitas corporis. X, 150. Infirmitas carnis in infantibus pœnalis est. X, 150. Parvuli pœnas hujus vitæ quare patiantur, interrogat Hieronymum Augustinus. II, 727. Parvuli cur nascantur miseri secundum Julianum. X, 1353, 1354. Absurda ejus opinio, et quæ Deum faciat injustum. X, 1374. Parvulorum miseriæ ex peccato originali. X, 1179, 1187, 1191, 1332. In paradiso non essent. X, 1336. Parvulorum pœnæ injustæ, si illi essent innocentes. X, 1175. Magna iniquitas, si parvuli jugo gravi sine peccati merito premuntur. X, 1201. Parvuli pœna injusta, si negetur peccatum originale. X, 1506. Parvuli qua justitia tanta mala patiantur, dicere non potest, qui negat peccatum originale. X, 1505. In parvulis si non esset ex origine malum meritum, quidquid mali patiuntur esset injustum. X, 1334. Deus injustus appareret, si parvulis nil peccati trahentibus tanta mala irrogaret. X, 697. Justitiam Dei blasphemant, qui dicunt tanta mala perpeti parvulos, sine merito peccati. X, 1500. Æquitas Dei in pœnis infantium propter originis vitium. X, 1501. Parvulorum mors ex peccato primi hominis. V, 906. De parvulorum morte et cruciatibus. I, 1303. An ipsis prosint cruciatus, aut eorum parentibus. I, 1304. Parvuli cum vitiis non nascerentur, si non essent obnoxii peccato originali. X, 709. Grave jugum super parvulos, non sine merito. X, 1194. Grave illud jugum injustum est, si non sit originale peccatum. X, 1199, 1200. Et si non illis imputandum Adæ peccatum. X, 1192. Quod parvuli etiam baptizati interdum et dæmonum patiantur incursus, ex merito venit originalis peccati. X, 840. Parvulorum interfectio juste a Deo præcepta, reatum originalem ostendit. X, 1424. Parvuli in incendio Sodomorum absumpti, argumento sunt esse peccatum originale. X, 1556. Munera gratiæ ad salutem necessaria non denegarentur parvulis, si non haberent peccatum. X, 1076. An parvuli non in eorum numero deputandi, quos Deus omnes vult salvos fieri. X, 760.
Parvulos a gratia Christi separant Pelagiani. X, 1187, 1190, 1193, 1210, 1211. Et sine ullius peccati merito a regno Dei. X, 1188, 1191. Gratia Christi ad parvulos etiam pertinet. X, 1190, 1191, 1192. Parvulis opus esse redemptione confessi sunt Pelagiani, peccatorum remissionem eis esse necessariam noluerunt exprimere. X, 185. Parvulorum redemptionem quo sensu Cœlestius confessus est X

395. Parvuli egent reconciliatione, quæ fit per Christum. X, 870. Parvuli ad reconciliationem, quæ per mortem Christi facta est, pertinent tamquam peccatores. X, 1215. Parvulis Salvatorem necessarium negant Pelagiani. X, 1305. Eosque a Salvatore audent negare salvandos. X, 571, 572. Parvuli Salvatore egent. V, 944. Pelagiani Christum negant parvulis Jesum esse, nisi sicut universæ mortali creaturæ. X, 1345. Christus etiam parvulis Jesus. V, 943, 1334; X, 1077. Parvulorum Salvator Christus. X, 179. Christum pro parvulis esse mortuum, et tamen eos peccato originis non esse obnoxios inconsequenter dicit Julianus. X, 1213, 1214. Parvuli peccato originali obstricti, quia non est pro eis mortuus Christus, qui nullum habuerunt omnino peccatum. X, 825.

Parvuli unde justitiam habituri sint. X, 1182. Parvuli sicut in Adam moriuntur, sic in Christo vivificantur. X, 1171. Parvuli sine studio propriæ voluntatis ad primum et ad secundum Adam pertinent. X, 1235. Parvuli ab Adam trahunt peccati reatum, mortisque supplicium, et a Christo sumunt participationem justitiæ, et vitæ præmium sempiternæ; licet nihil utrobique vel boni vel mali sua voluntate fecerint. X, 1554. Parvuli in Adam moriuntur, et in Christo vivificantur, sine ullis operibus propriæ voluntatis. X, 1292. In parvulorum regeneratione nec voluntas accipientium præmittitur, nec adjungitur, nec subsequitur. II, 820. Spiritus sanctus habitat in parvulis baptizatis, etiamsi nesciant, quia in eis occulte agit ut sint templum ejus, idque in proficientibus et perseverantibus perficit. II, 840, 841.

Parvulos ad regnum cœlorum nolunt pertinere Hieracitæ. VIII, 38. Parvulos etiamsi non baptizentur, habere vitam æternam, error est quem Pelagius anathematizavit. II, 826. Parvulis non baptizatis salutem, et vitam æternam promittunt Pelagiani extra regnum Dei. X, 570. Frustra illis promittitur vita extra regnum cœlorum, sed manet eos damnatio. II, 871. Parvuli non baptizati non possunt habere vitam, quare. X, 978. Parvuli ob originale peccatum damnantur, nisi regenerentur. I, 649; V, 1339; X, 679. Ad damnationem pertinent, qui per baptismum Christi corpori membrisque non sociantur. X, 189. Et in perditione ac tenebris remanent. X, 132. Ira Dei manet super eos, et judicati sunt, et condemnabuntur. X, 187. Parvuli non baptizati in damnatione erunt cum diabolo. X, 140. Parvuli non baptizati secundæ mortis supplicium subeunt. X, 570. Pœnis torquentur. II, 723, 727. In damnatione tamen omnium mitissima futuri sunt. X, 120. Et levissima. X, 809. Causam damnationis in parvulis quærit August. de qua re quamdam refert sententiam. II, 730, 731. Quare parvulus non baptizatus pergit in damnationem, causa satis digna forte non videtur, quia non invenitur; non quia non est. V, 1339. Parvuli si non traherent originale peccatum, non juste excluderentur a regno Dei. X, 715, 1191. Separatio a regno Dei grande malum, et hoc non redditur parvulis sine merito. X, 840. Injustus foret Deus, si parvulos peccato non obnoxios damnaret. X, 721. De parvulorum non regeneratorum damnatione consentit tota Christi Ecclesia. X, 1191. De parvulis sine baptismo decedentibus Pelagii sententia. X, 395. Tertius locus præter regnum et supplicium, nullus est. X, 1073. Infantes aut ad regnum mittuntur, aut in ignem æternum. V, 1337. Parvuli ante vel post susceptum baptismum defuncti, an resurgent. II, 730. Parvulorum resurrectio qualis futura. V, 1140. Parvuli etiam ante Christi tribunal referent propria corporis. X, 839. Parvuli baptizati inter fideles et credentes cum reputentur, non judicantur. X, 146. Parvuli soli, qui nondum habent opera propria vel bona vel mala, secundum solum originale peccatum damnabuntur, quibus per lavacrum regenerationis non subvenit gratia Salvatoris. II, 971. Parvuli secundum ea quæ per corpus gesserunt, recipiunt vel bonum vel malum. II, 984. Gratiam gratis dari probatur ex parvulorum discretione qui voluntatis usum non habent, nec per liberum arbitrium discernuntur. II, 820, 826, 984, 985. Parvulorum alii sunt vasa in honorem per gratiam, alii vasa in contumeliam per judicium. X, 1249. Ex duobus parvulis cur unus ad gratiam portatur, alius ante suffocatur, profundum est inscrutabile. V, 177, 905, 907. Parvulo ante baptismum extincto vita reddita per orationes Stephani, ut sacramenta perciperet. V, 1446. Parvuli per liberum arbitrium pœnam mereri non possunt vel gratiam. II, 820. Pro parvulis tanto impensius loqui debemus, quanto pro se ipsis minus possunt. X, 199.

Parvuli, id est, humiles. V, 436, 440. Parvuli et lactentes in Ecclesia quinam. IV, 110. Parvuli in fide non mittendi in præproperam passionem. III, 629. *Not.* Parvuli, id est, carnales. V, 156. His aptatæ Scripturæ non ut carnales remaneant, sed ut proficiant. V, 156. Parvuli terræ nomine designantur, sed crescendo cœlum fient. IV, 1486. Parvuli Babyloniæ, nascentes malæ cupiditates. IV, 1773. Egregia similitudo de matre parvulum fovente. V, 156. Parvulorum vanitatibus cohibendis multimodæ formidines adhibentur. VII, 785. Parvulorum verbera et convicia grata sunt et jucunda. X, 148. Nemo tamen prudentium probaverit, ut in hæc concitentur studio ridendi, et vanitate majorum. X, 148.

Pascamus, Christum bene vivendo, et pascet in æternum nobis vivere donando. IV, 568. Aliud est nasci de Spiritu, aliud pasci. V, 454. Pastio populi per Christum duplex, prima de quinque panibus, secunda de septem; utriusque mysterium. VI, 48, 49, 50, 51.

*Pascentius* Augustinum non ausum esse ipsi fidem suam dicere divulgat. II, 1038, 1041, 1049. Pascentius in iis verbis, quibus fidem suam pronuntiavit, quoties ea repetiit, toties variavit. II, 1038. Cum mane illi placuisset ut ipsius ac Augustini verba a notariis exciperentur, a prandio displicuit. II, 1038, 1041, 1042, 1049, 1050. Pascentius Auxentium laudat; Arium, et Eunomium anathematizat. II, 1039. Pascentio dicenti se expertum esse Augustinum longe inferiorem quam fama jactasset, Augustini responsio. II, 1041. Pascentius voluit honoratos viros interesse collationi ipsius cum Augustino. II, 1042, 1049. Pascentii alia in Augustinum convicia. II, 1050. Quid eis respondeat August. II, 1051. Pascentii nomen Augustinus in suis ad eum litteris non scribit. II, 1038, 1049, 1050. Quo consilio. II, 1049.

*Pascha* Hebræum est nomen, non græcum. IV, 842, 1609, 1789. Transitum significat. III, 1785. Pascha non a græco πάσχειν, sed ab hebræa voce quæ transitum significat. II, 205; III, 1785; IV, 841, 842, 1609, 1789; VII, 522. Ad Pascha celebrandum etiam hœdum accipiendum esse, intelligere conantur Judæi. III, 609. Paschæ celebrationem in alterum mensem differebant, qui immundi erant super mortuum. III, 722. Pascha quid præfiguravit. IX, 290. Pascha figura erat passionis Christi. VII, 322. Pascha Judæorum, umbra veri Paschatis. III, 1758, 1785. Pascha verissimum in Christo celebratum. V, 844. Verum Pascha, Christi immolatio. III, 1785.

Paschatis celebritas anniversaria. IV, 171. Pascha agitur et in sacramento, et in memoriam rei quæ gesta est. II, 205. Transitus (qui hac voce, Pascha, significatur) modo in nobis agitur per fidem, spem, et caritatem. II, 205, 206. Veteris et novi Testamenti consensus quoad celebritatem Paschæ et Pentecostes. II, 217, 218. Pascha plerumque nulla, interdum a paucis Manichæis tepidissima celebritate frequentabatur. VIII, 178. Pascha quomodo et quando celebrant Tessarescædecatitæ. VIII, 31. Pascha nostrum ad diem Paschæ Judæorum cur non occurrit. VIII, 503. Christiani non observant dies et annos et menses et tempora, licet ad solis et lunæ computationem Pascha celebrent. II, 209. Illud observant ut Sabbatum occurrat, quod Judæi non observant. II, 211. Pascha per orbem totum una die observatum iri censet Arelatense concilium. IX, *App.* 787. Ut quadraginta dies ante Pascha observentur, Ecclesiæ consuetudo roboravit. II, 220. Paschæ vigiliam forinsecus et intrinsecus celebremus: ita ut Deus nobis loquatur in lectionibus suis, et Deo loquamur in precibus nostris. V, 1088. Paschæ vigilia velut mater omnium sanctarum vigiliarum. V, 1088. Vigilat ista nocte mundus inimicus et mundus reconciliatus. V, 1088. Istum Christianus vigor, illum diabolicus vigor nequaquam dormire in hac celebritate permittit. V, 1038. In vigilia Paschæ quanta Augustini fatigatio. V, 1442. In Paschæ solemnitate in Ecclesia cantatur historia trium puerorum. IX, 330. Et Danielis. IX, 332. *Not.* (*a*). Amen respondent post lectionem historiæ Danielis in solemnitate sancta, et se signant. IX, 322. *Not.* (*a*). Paschæ feriis per dies XV cessant lites. V, 1201. Tempus post Pascha relaxatis jejuniis in laudibus agitur. IV, 1937, 1938. Paschali tempore jejunia relaxant Christiani, stantes orant, hallelujia canunt, quod est signum resurrectionis. II, 218. Paschalibus diebus et Dominicis an ubique Christiani stantes orent, ignorat August. II, 221. Tempus ante Pascha significat tribulationem in qua modo sumus. IV, 1937. Paschæ octavæ. V, 1196. Complent sacramenta infantium. V, 1198, 1201. In celebratione Paschæ, observandum triduum crucifixi, sepulti, suscitati: horum trium quod significat crux, agimus in præsenti vita; quod autem significat sepultura et resurrectio, fide ac spe gerimus. II, 215. Pascha significat futuram vitam. IV, 1938. Cum Christus transiit ad Patrem, spes membris in capite data est, quod essent secutura. III, 1785. Paschalis festivitas ferventiores facit, etiam eos qui cætero anno pigriores sunt. IX, 330.

*Paschasius*. IV, 376. A vico Augusti episcopus. IV, 381.

Pascua nostra. V, 1647. Pascua vera in altera vita. III, 1727, 1742.

Πάσσαλος palus. VIII, 42.

*Passalorynchytæ*. VIII, 42.

Passeres in cedris Libani nidificantes, quos significent.

IV, 1371. In comparatione passeris, quivis admissarius frigidissimus invenitur. VIII, 198. Passer Christus in resurgendo. IV, 1300.

Passio Domini describitur in psalmo LXVIII. IV, 846. Passionis Dominicæ mysteria explicantur. V, 1084. Passio Christi notatur sub Pilato, sive unde colligatur temporis veritas, sive unde Christi plus commendetur humilitas. V, 1070. Passio Christi figurata per luctam Jacob cum Angelo. VII, 518. Per Noe. III, 111. Per aquam turbatam piscinæ. III, 1528. Passioni Christi simile est cœlum roseum vespere. III, 1327. Passio Domini multis ruina fuit. IV, 1397. Passio Domini significat vitam præsentem, ejus resurrectio futuram. IV, 1938. Passionibus suis Christus demonstravit, non ea munera quæ videntur sonare in vetere Testamento, sed æterna esse concupiscenda. IV, 1146.

Passio Domini quanta bona protulit. IV, 745, 746. Passio Domini pretium est orbis terrarum. II, 264. Radix ex qua processit gloria Ecclesiæ. V, 258. Passionis Christi celebritas anniversaria. IV, 170, 171. Passionis Christi tempus nunc totius orbis festivissimum est. VIII, 179. Passionis Dominicæ anniversario die cantatur XXI Psalmus. IV, 172, 178, 179. Passio Domini solemniter legitur. V, 1084. Sed nonnisi secundum Matthæum. V, 1107. Voluerat aliquando Augustinus ut per singulos annos secundum omnes Evangelistas legeretur ; inde perturbati sunt homines. V, 1107.

Passiones Christi imitandæ sunt, non a Christiano deliciæ conquirendæ. V, 275. Passionem Domini imitando pauperes saturabuntur. IV, 545. Exemplum passionum Christi afflictis proponitur. IV, 366, 373. Passio Christi exemplum patientiæ. VIII, 542. Passionis calix amarus et salubris. V, 1155. Passionis amaritudo bibenda est, donec transeat amaritudo hujus sæculi. IV, 551. Passionis amaritudo unde a sanctis cum gaudio est tolerata. V, 1366. Passio Domini quasi testa qua peccata raduntur. III, 826. Passiones Christi non in solo Christo, et nonnisi in Christo, quomodo. IV, 730. Passiones Christi, passiones nostræ sunt. IV, 406. Christus Dominus voluntate passus, nos necessitate; ille miseratione, nos conditione. IV, 333, 1104. Passionibus Christi non communicatur sine caritate. V, 923. Sarcina passionum infirmitati gravis, caritati levis. X, 901. *Vide* Christus.

Passio motus animi contra rationem. VII, 242. Passiones ex terrenis corporibus moribundisque membris animæ esse opinati sunt Platonici. VII, 711. Passiones in diis admittere figmentum poetarum. VII, 261, 262. A passionibus non est immunis humana infirmitas. VII, 258, 261. Passiones in sapientem cadere sentiunt Platonici sive Aristotelici, negant Stoici. VII, 258. Passiones a Stoicis non existimantur vitia, si contra virtutem mentis nihil possunt. VII, 261. Passiones necessitate pati sapientem, sed non iis cedere; stultum vero cedere dicebant Stoici. VII, 258, 259, 261. Platonici et alii philosophi cum de passionibus loquuntur, de verbis potius, quam de rebus faciunt controversiam. VII, 259, 260, 261. Passionibus quatuor omnis humanorum morum vitiositas continetur. VII, 408. Passiones quatuor animæ nihil aliud quam amor. VII, 410. Passiones ut sint in hominibus facit stultitia vel miseria. VII, 242. Passionum perturbatio stultis malisque dominatur. VII, 263. Passionum perturbatio miseriam indicat. VII, 267. Passiones unde bonæ vel malæ. VII, 410. Passio in lingua latina, maxime usu loquendi ecclesiastico, nonnisi ad vituperationem consuevit intelligi. X, 469. Passiones non tam discutit Christiana religio, quam earum causas. VII, 260.

Passiones deponere vera religio præcipit. VII, 242. Passiones Scriptura sacra menti subjicit ita moderandas, ut in usus justitiæ convertantur. VII, 260. Qua ratione mens passiones in se contra rationem prævalere non permittit. VII, 260. Passiones non temperant impii ac pagani, nisi superbia. VII, 416. Passionibus moritur, qui jam servit mente legi Dei. VI, 62. Passiones temperantia quomodo moderandæ. I, 1328. Passiones mortificatæ vocantur amores sancti, casti, boni; immortificatæ vero, perturbationes, libidines, concupiscentiæ. III, 188. Quæ mala ex immortificatione passionum, quæ bona ex mortificatione proveniant. III, 188. Passionibus resistendo mens regnum virtutis exercet. VII, 260. Passiones a sapientibus et bonis ita reguntur, ut malint eas non habere, quam vincere. VII, 263. *Vide* Perturbatio.

Passivi quinam appellantur. VIII, 167.

Pastorum sunt duo quædam, unum quod Christiani, alterum quod Præpositi. V, 270, 296. Pastores boni de bonis ovibus fiunt. V, 287. Pastores multi boni, etsi nihil ad potestatem ac bonitatem Pastoris pastorum. V, 765. Unus pastor bonus, quia boni omnes in uno. V, 287, 765, 765. Pastor malus aliquis est propria malitia, bonus nonnisi Dei gratia. V, 1484. Pastor quis mercenarius, quis castus, V, 759. Pastor mercenarius fugiens. V, 760. Pastores pauci, mercenarii multi. V, 760, 762. Mercenarii pastores quomodo utiles. V, 760. Pastor non is qui ad quasdam res paratus, et ad quasdam non, sed qui ad omne opus bonum paratus. V, 760. Pastor idoneus ille est, qui vitam rependere valet pro ovibus. V, 1554. Qui sic oves amat, ut pro eis mori possit effectu vel affectu. V, 1554. Pastores, non oves, sed se ipsos pascentes. V, 270. Pastori jubetur ut animam ponat pro ovibus suis. III, 1733. Pastores cum animam pro ovibus suis posuerunt, ipse unus Christus posuit. III, 1733. Pastor in Ecclesia unus. III, 1730. Pastorum duo genera in Ecclesia ; alii Christi gregibus consulunt, alii suis honoribus temporalibus et commodis sæcularibus gaudent. II, 951. Pastores sua quærentes, non quæ Jesu Christi, mortui sunt. V, 281.

Pastoris officia et ovium V, 796. Pastoris partes populo explicare quid prosit. V, 607. Ad officium pastoris doctrina pertinet. II, 655. Cæteris Ecclesiæ pastoribus id mandatum quod Petro. V, 1554. Hoc est Christo pascere, hoc est in Christo pascere et cum Christo pascere, præter Christum sibi non pascere. V, 287. Ad pastores pertinet non tacere ; ad oves autem, etiamsi illi taceant, de Scripturis sanctis verba pastoris audire. V, 282. Mali cum non possint bona loqui, qui malus pastor audiendus. V, 473. Pastor malus non in eo quod de suo, sed in eo quod de Dei profert audiendus. V, 283. Pastoris est explanare difficiles locos Scripturæ. V, 716. Pastorum malorum facta spinæ sunt, verba ipsorum uva, sed de vite, id est, de cathedra. V, 762. Ipsa de illis loquitur, non ipsi. V, 761. Pastoris vox cum tremore audienda. V, 295, 296. A luporum dentibus eruuntur, qui pastorem audiunt. V, 313. Pastoris vox, in qua solæ oves Christum audiunt, non alienum. III, 1725. Pastor et quod ad pastores et quod ad oves dicitur, cum tremore debet audire. V, 296. Vitavit Augustinus quæstionem de juratione, ne monendo et præcipiendo plus reos faceret non audituros. V, 979. Pastoris est sua quærentis, errantes non arguere. V, 273. Pastoris negligentia occidit eum, quem non admonet. V, 281. Et ille juste moritur, et ille juste damnatur. V, 281. Si quos alloquitur timens lædere, felicitatem terrenam iis promittit, ipsos perdit. V, 275. Pastorem quid pigriorem faciat ad redarguendum. V, 961. Pastori paucissimi contradicunt loquendo, multi male vivendo. V, 961, 963. Pastoris est errantes oves revocare ad ovile. V, 278. Pastor etiam importunus esse debet iis, qui salutis suæ negligentes sunt. V, 245, 246. Augustini qualis sit animus erga iniquitates suorum. II, 1063, 1064. Pastor qui propter merita alicujus erga se, mores illius dissimulare non debeat. II, 1074. Qui infirmas oves confortare debeat. V, 275, 276. Pastoralis caritas qui non ordine amandi, sed ordine subveniendi infirmiores fortioribus anteponit. II, 537. Pastoris tristitia de malis ovium prodest illi : sed nihil vult expedire sibi, nisi quod expediat illis. V, 514. Pastoris est dicere auditoribus cum Augustino : Si non tacuero, animam meam liberabo ; sed nolo salvus esse sine vobis. V, 125. Item, Delectatio mea non est in hac vita, nisi vestra bona vita. V, 128. Pastor, quantum ad illum attinet, oves bonas necat male vivendo. V, 274. Etsi illæ vivunt, ipse homicida est. V, 275. Ovium interitus quomodo pastori imputatur. V, 281. Ovis errantem pastorem sequendo non secura. V, 282. Sub malis pastoribus oves unde securæ. V, 281. Mali pastores in Ecclesia, similes Pharisæorum. V, 750. Oves a malis pastoribus quomodo reducit Deus. V, 282. In bonis pastoribus spes non ponenda. II, 951, 952. Pastoralium periculorum solatia, ovium bona opera. V, 611. Gaudium, solatium ac respiramentum periculorum suorum nullum reputat Augustinus, nisi suorum bonam vitam. V, 1112. Pastorem solatur in periculis, quod suorum adjuvetur orationibus. V, 913. Votum pii pastoris. V, 124.

Pastoribus quam periculosa ratio reddenda. V, 796. De ovibus quæ ratio reddenda a pastore. V, 762. Pastoris quando integra ratio de ovibus. V, 763. Pastoris onus non abjiciendum. V, 513. Pastoralis curæ scrupulos, quibus ipse angebatur, Augustinus aperit. II, 352. Pastori debita reverentia. V, 611. Lactis percipiendi potestas data pastoribus. V, 272. Lac sic sumant, ut ovibus prosint. V, 272. Pastores accipiant sustentationem necessitatis a populo, mercedem dispensationis a Domino. V, 275.

Peccatum originale asserentibus Catholicis, hæresis Manichææ crimen objiciunt Pelagiani. X, 632. Catholicum dogma de originis peccato quantum distet ab errore Manichæorum. X, 1287. Peccatum originale qui adstruunt, non sunt Manichæi. X, 1085, 1227, 1250. Catholici peccatum originale asserentes procul absunt a Manichæis. X, 441, 1125. Nec criminantur Deum. X, 1126. Omnium hominum, quamvis omnes sub peccato nascantur, solus Deus auctor. X, 469. Etsi fetus, sexus, corpus, fecunditas ex Deo sit, non tamen qui inde nascitur, est sine sorde. X, 1343, 1344. Opus diaboli transire per opus Dei, seu per opus operis Dei, non implicat. X, 1501, 1502, 1505. Bonitati Dei non repugnat creare, quod possideat malignitas diaboli. X, 408. Judicium Dei accusat, qui negat peccati originalis merito fieri, ut parvuli permittantur vexari a diabolo. X, 1437. Cur creare pergat Deus homines, quos novit sub peccato nasciturus. X, 451. Non propter substantiam nati homines, antequam renascantur, diabolo deputantur; sed propter primi parentis peccatum. X, 1415. Originale peccatum etsi congenitum, discernendum ab institutione conditoris. X, 1442. Discernendum a natura X, 1278, 1288. Peccatum cur originale potius quam naturale appellatur. X, 1458, 1459. Naturale peccatum Catholici et Manichæi tenent, sed longe diversa ratione. X, 1469. Peccatum naturale esse non posse, quatenus probat Julianus. X, 1500. Peccatum originale qui negat, Manichæos adjuvat. X, 667, 668, 669.

Peccati originalis causa. X, 756. Et origo. X, 1069. Peccatum originale si ad originem referatur, de eodem genere est ac actualia. X, 1187. Peccatum originale et peccatum voluntarium de eodem genere. X, 1187. Modus quo trahatur peccatum originale, etsi non facili ratione indagatur, non facili sermone explicatur; non tamen ab Ecclesia non creditur. X, 828. Illud est antiquum peccatum quo nihil est ad prædicandum notius, nihil ad intelligendum secretius. I, 1328. Peccatum originale unde trahatur, aut ex otio discitur, aut sine salutis labe nescitur. X, 794. Per quid inveniatur in parvulo peccatum originale, discutit Julianus. X, 1150, 1152, 1153. Per quid inveniatur peccatum in parvulo. X, 1183. Peccatum originale qua intravit in mundum. X, 462. Duo modi contrahendi peccati originalis. X, 794. Peccatum originale qua intraverit in mundum, demonstrat Apostolus. X, 1151, 1152, 1153, 1156. Nihil in progenitorum natura esse, ob quod homo nascens jure possideatur a diabolo, hæresis Pelagiana. X, 443, 444. Fuit Adam, et in illo fuimus omnes; periit Adam, et in illo omnes perierunt. X, 1400. In lumbis Adam fuerunt omnes, qui ex illo fuerant per concupiscentiam carnis orituri. X, 1070. Traxit homo reatum quia unus erat cum illo et in illo a quo traxit, quando quod traxit admissum est : at non trahit ab altero, quando propria sua vita vivit. II, 360. Quicumque ex Adam sunt, in illo unus erant cum peccavit. II, 824. Nondum natus in radice damnatus. X, 406.

Peccato originali omnes obnoxii. X, 128, 131. Originale peccatum æqualiter omnes colligavit. X, 1225. Merito peccati originalis genus humanum ludibrium factum est dæmonum. X, 864. Peccatum originale unde. X, 697. Hæreditarium est peccati originalis malum. X, 684. Peccatum primi hominis grande, et omni violentia consuetudinis pejus ad vitiandam naturam. X, 1525. Peccatum originis ex vinculo concupiscentiæ carnalis. IV, 591. Illi subjacent omnes ex Adam carnaliter nati. II, 825, 859, 871, 885, 983. Peccatum originale ex carnali concupiscentia. X, 406, 728, 1160, 1237, 1451, 1605. Peccatum originale traducitur per libidinem. X, 429. Per concupiscentiam. V, 817; X, 445. Peccatum originale, reatus concupiscentiæ a nascentibus tractus. X, 1155. Quidquid hominum nascitur per concupiscentiam, sine delicto esse non potest. V, 921; X, 458, 1558, 1572, 1575. Aut corpus et anima ex homine trahuntur vitiata, aut unum in altero tanquam in vitiato vase corrumpitur. X, 794. Difficultas explicandi quomodo contrahatur peccatum originale, dubitationem ingerit utrum animæ de novo creentur. II, 860. Si animæ creentur singulis singulæ, quomodo peccatum originale contrahant. II, 725. Quæcumque sententia de animarum origine teneatur, nulla tenenda quæ neget peccatum originale. II, 587, 732, 735, 865.

Peccato originali subjacent etiam infantes fidelium. II, 889. Peccatum originale in nuptias non refundendum. X, 1459. An malum oriri possit ex bonis. X, 865. Originalis mali causa non conjugium, sed Adæ peccatum. X, 1455. Cum bonæ sint nuptiæ, unde trahatur peccatum originale. X, 729. Peccatum originale transmitti potest a parentibus qui illo carent. X, 855. De ea re quæ a peccato libera est, peccata non nasci, sententia Pelagianorum. X, 816. Peccatum originale etsi remissum in parente, transit ad prolem. X, 855. Cur e sancto conjugio nascantur filii iræ. X, 425. Etsi peccator genuit peccatorem, non sequitur ut justus debeat gignere justum. X, 158, 175. Parens mortuus peccato, vivens Deo, generat peccato mortuum. X, 851. Cur parens justus non gignat justum. X, 177. Fidelis regeneratus ideo generat cum peccato primi hominis, quia carne, non spiritu generat. V, 944. Peccatum originale non facit nuptias malas. X, 404. Undecumque nascatur homo, sive de conjugio sive de fornicatione, reus est per originale peccatum. X, 729. Quatenus a parentibus regeneratis, in prolem trajiciatur peccatum originale. X, 434. Sicut fieri potuit ut de Christianis non Christianus, de membris Christi non membrum Christi; ita etiam fit ut de mundatis non mundatus nascatur. X, 195. Qui fit ut ex parente, in quo non est peccatum originale, illud contrahatur. X, 843, 844. Peccatum originale solum generatione contrahitur. X, 120. Peccatum originale de vitio seminis trahitur. X, 447. Peccatum originale jure seminationis est nostrum. X, 1071. Peccatum ex propagatione, quemadmodum et justitia ex regeneratione. X, 119. Parentes posse in prolem transmittere quod non habent, exemplis ostenditur. X, 851. Quomodo quod in parente dimissum est, trahatur in prole, utcumque explicatur exemplo oleastri nascentis ex olea. X, 425, 426. De conjugibus fidelibus rei nascuntur, tamquam ex oliva oleaster. X, 555. Peccatum originale, quod jam remissum est parentibus baptizatis, manere in parvulis, exemplo præputii demonstratur. X, 854. Et paleæ frumenti. X, 195. Sicut eorum per quos parvuli renascuntur, justitiæ spiritus trajicit in eos fidem, sic eorum per quos nascuntur, caro peccati trajicit in eos noxam. X, 187. Peccatum alienum a Deo æquissimo non posse parvulis imputari, dogma Pelagianorum. X, 1148, 1149. Peccatum originale quomodo alienum. X, 194. Quomodo et nostrum. X, 921, 1257. Rem voluntatis non posse seminibus admoveri, falsum Juliani principium. X, 1540, 1541.

Peccatum originale non absurde vocatur voluntarium. I, 604, 608, 610. Peccatum originale non sine voluntate. X, 1149. Peccatum originale non est in voluntate nascentis, non tamen est sine aliqua primi scilicet hominis voluntate. X, 1393, 1394. Peccatum originale etsi trahunt sine propria voluntate nascentes, tamen per voluntatem primi hominis ipsa est origo vitiata. X, 1477. Peccatum originale ex mala voluntate Adæ ortum. X, 461, 707. Originale peccatum de vitio voluntario propagatum. X, 1417. Peccatum originale voluntate primi parentis factum, ad posteros sine voluntate transit per contagium. X, 1396. Peccatum, etiam originale, non sine libera voluntate. X, 1392. Peccatum originale quo sensu liberum. X, 858. Peccato originali omnes præter Christum obnoxii. X, 185. Parvuli propter peccatum originale prævaricatores sunt. IV. 1574. Peccato originis anima Christi non fuit obnoxia. II, 866. Quia sine concupiscentia conceptus Christus. V, 785, 823, 824, 832, 1341, 1342. In solo Christo nihil peccati invenit diabolus. V, 928. Solus Christus potest dicere, sine causa hic se passum. IV, 1956. Christus pœnam pertulit sine culpa. X, 1594. Singularis illa est gloria Christi. X, 1594. Non sequitur, ut si Christus non habuit originale peccatum, nulla imagini Dei pravitas dominetur ingenita. X, 1589.

Peccati primi pœna. VII, 372, 373, 433. Effectus. VII, 433. Miseriæ hujus vitæ. VII, 729. Inobedientia concupiscentiæ et moriendi necessitas. VII, 379. Necessitas peccati et mortis. VII, 403. Peccatum causa mortis est. II, 873. Peccando in moriendi necessitatem compulsus est homo. II, 547. Anima post peccatum ordinata regit corpus suum, non omnimodo pro arbitrio suo, sed sicut leges universitatis sinunt. II, 587. Peccati pœnæ, ignorantia et difficultas. I, 1296. Inquietudo animi. I, 732. Error, et perversus amor. VII, 784. Quæ ex primo peccato fluunt peccata, peccata esse non desinunt. I, 1296. Et quare. I, 1297. Peccato originali universa in deterius mutata fuit natura. X, 732. Ex peccato originali fit, ut tardi ingenio nascantur. X, 1580, 1581. Ad peccandum prochivior est natura mortalium ex peccato

originali. X, 1484. Peccata actualia ad originale homines addunt voluntate jam propria, non per Adam. X, 120. Ex Adam, et super Adam peccata multa nascuntur. IV, 1735. Peccatum originale pertinet ad corporis tempus. X, 978.

Peccatum originale ex pœna dignoscitur. X, 1577. Peccatum originale ostendunt miseriæ generis humani. X, 1177, 1280. Et mala ac cruciatus quibus et ipsi parvuli gravantur. X, 196, 1540. Miseriæ hujus vitæ testantur, peccato primi hominis universam generis humani massam esse damnatam. VII, 784, 787, 788. Deus neminem sinit mali aliquid perpeti, quod non meretur. X, 1177. Pœna imaginis Dei injusta esset, nisi eam culpa meruisset. X, 1594. Grave jugum super filios Adam injustum esset, si peccatum originale non esset. X, 1061, 1062, 1072, 1250, 1267, 1335, 1539, 1457, 1557. Miseria tam magna non irrogaretur humanæ naturæ, nisi esset peccatum. X, 1061, 1062, 1063. Justitiæ non est, ut ab ortu suo filii Adam gravi jugo premantur, sine ullo merito peccatorum. X, 1147, 1149, 1150. Contra instituta justitiæ Dei est, ut ab ipso vel sub ipso pœna hominibus irrogetur sine merito. X, 1191. Non erat justum, sine crimine transire in posteros Adæ supplicium. X, 1164, 1165. Injuste anima gravatur corpore, si non est originale peccatum. X, 1268. Deus injustus in gravi jugo super filios Adam, si negatur originale peccatum. X, 1126. Deus æquissimus non permitteret jugum grave parvulis imponi, nisi in eis peccatum inveniret. X, 1073, 1079, 1175. Deus in tot et tantis malis quæ parvuli patiuntur, aut justitiam, aut omnipotentiam, aut ipsam curam rerum humanarum perdit, si non est peccatum originale. X, 1072, 1148. Peccatum originale qui negant, Deum vel invalidum, vel injustum dicere coguntur. X, 864. Peccatum originale conantur auferre Pelagiani, laude operum divinorum. X, 460. Anima etiam cum illo peccato originali nascens, habet unde Deo gratias agat. I, 1297. Originale peccatum parentibus non imputandum. X, 730, 731. Peccatum originale inde demonstratur, quia Deus fidelis est in verbis suis, justus in judiciis, sanctus in operibus. X, 1433. Peccati originalis rei parvuli demonstrantur. X, 1067.

Peccatum et mors per unum hominem in omnes transiit, et utrumque aufertur a Christo. X, 1180. Judicium ex uno in condemnationem, gratia ex multis delictis in justificationem. X, 871. Omnes homines propter peccatum originale justo Dei judicio damnationi obstricti. X, 933. Peccatum originale ad damnationem sufficit. X, 117. Et eos, quibus non dimittitur, trahit ad damnationem. X, 1180, 1181, 1182. Etiamsi alia non accedant. X, 1185, 1188. Nisi regeneratione solvatur. X, 1278. Peccato originali per Dei judicium non soluto, aut per Dei gratiam soluto, cum moriuntur infantes, aut merito regenerationis transeunt ex malis ad bona, aut merito originis transeunt ex malis ad mala. X, 978. Quod parvuli non renati, si moriantur ante propriæ voluntatis arbitrium, propter aliena peccata damnentur, quidam indignantur. X, 1071. An sicut diabolus, ita homo non damnandus nisi ex peccatis propriæ voluntatis. X, 840. Injuste non suscipiuntur in regnum Dei imagines Dei, si non sit peccatum originale. X, 1251, 1268, 1280. A regno Dei nemo fit alienus sine malo. X, 815. Imago Dei sine peccato non excludenda a regno Dei. X, 142, 1082, 1154. Imaginis Dei contumelia est separari a regno Dei. X, 1136. Deus non spernit imaginem suam nisi spretus. X, 1063. Sic imputatur generatis parvulis injustitia primi hominis ad subeundum supplicium, quemadmodum imputatur parvulis regeneratis justitia secundi hominis ad obtinendum regnum cœlorum. X, 1078, 1079. Sicut merito peccati tamquam stipendium redditur mors, ita merito justitiæ tamquam stipendium vita æterna. II, 881.

Peccatum originale circumcisione expiabatur. X, 450. Peccati originalis abolitio, infantis circumcisione significata. X, 1239. Peccatum originale nemo tollit præter Christum. X, 760, 1428. Non diluitur nisi per Christum. VI, 255. Non solvitur nisi regeneratione. X, 505, 1271. A peccato originali non liberat nisi gratia Dei. VII, 428; X, 128. Peccatum originis solvitur baptismo Christi. IV, 591. Cum peccatis omnibus inde natis. IV, 1507; X, 120. Qui peccarunt accepto baptismate, non possunt iterum eodem Sacramento purgari. III, 2102. Parvulorum baptismus non superfluus, cum peccato originali obligentur, et in iis remissio peccatorum vere fiat. II, 678, 889, 890. Cum magna injuria Dei exorcizatur et exsufflatur imago Dei, si non ibi ille exorcizatur et exsufflatur princeps mundi, qui mittitur foras. X, 1220. Crimen est majestatis, exorcizare et exsufflare in parvulis imagines Dei, si non fit ut eruantur de potestate diaboli. X, 133 '.

Peccata universa dimittuntur in baptismo, sed manet fragilitas. X, 650, 658. Remanet mors. II, 872. Quare remanet pœna. X, 1595. Peccati pœnæ, etiam soluto reatu, manent ad certamen fidei. X, 182, 1565. Ut fides probetur. X, 1579. Peccata duobus modis transeunt, actu et reatu. X, 858. Peccata transire actu, manere reatu : concupiscentiam transire reatu, manere actu. X, 858.

Peccatum originale catholica fides credit antiquitus. X, 451, 829. Sanctorum Patrum fides de peccato originali. X, 1074, 1075, 1080. Patrum consensio ad asserendum originale peccatum. X, 192, 194, 466, 697, 719, 1406, 1407, 1411, 1413. Peccatum originale confessi sunt Ecclesiæ doctores celeberrimi. X, 1380. Veterum testimonia ad probandum peccato originali parvulos obnoxios nasci. X, 190, 614, 662. Cypriani. X, 191, 623, 624, 625, 626, 644, 718, 1073. Ambrosii. X, 409, 632, 1068, 1069, 1070. Peccatum originale nusquam negavit Zosimus. X, 574. Illud agnovit Ambrosius. X, 1142, 1145, 1147, 1155, 1409, 1411, 1414, 1415. Aliique Patres. X, 1145, 1147, 1155, 1157. Dogma catholicum de originali peccato sæpius et liquido declaratum ab Ambrosio. X, 1416. Ambrosius de quinque articulis a Juliano positis, ut peccatum originale negaret, recte sentit. X, 686. Pro peccato originali, Hieronymi testimonium. X, 192. Hieronymus dogma de peccato originali in lib. contra Jovinianum, et in commentariis in Job stabilivit. II, 725, 730. Quibus præceptoribus traditum acceperit Augustinus dogma peccati originalis. X, 1548. Augustinus sanctos doctores sequitur in quæstione de peccato originali. X, 1404, 1405. Peccatum originale numquam non admisit Augustinus a sua conversione. X, 843. Peccatum originale docuit Paulinus. II, 831. In peccato originali asserendo Orientales episcopi Occidentalibus consentiunt. X, 649. Peccata non habere parvulos, quo sensu dixerit Joannes Chrysostomus. X, 655. Peccatum originis probatur ex parvulis ad Christum allatis. V, 659. Pelagius in judicio Palæstino negavit se dicere infantes nuper natos in eo statu esse, in quo Adam fuit ante peccatum. X, 1112. Peccatum originale Pelagius agnovit. X, 655. Agnoverunt et nonnulli hæretici. X, 978. Peccatum originale qui docuerunt, nec Manichæi erant, nec somniabant, nec furebant. X, 1280. Veteres, qui peccatum originale asseruerunt, nemo Manichæos audet appellare. X, 643, 644. Cum ait Deus, *Reddam peccata filiorum in patres*, non imitationem, sed generationem redarguit. X, 1254, 1255, 1258.

Peccata patrum redduntur in filios divina justitia, non humana. X, 1278. Peccata parentum quodam sensu et nostra et aliena. X, 859. Peccatis parentum suorum, et non tantum primorum, obligari filios probabile est. VI, 254. Parentum peccatis filii obligati in veteri Testamento. X. 872. Cum Deus dicit, et patrum ad filios non pertinere peccata, et reddere se in filios patrum peccata, non contraria loquitur. X, 1271, 1273. Peccata parentum quomodo redduntur in filios. IV, 1457. Quo usque parentum peccata propagentur in filios, non temere definiendum. VI, 255. Peccata patris ad filium juste viventem non pertinent. VIII, 138. Peccata aliena non ei imputanda, qui illa posset leviore suo peccato impedire. VI, 498. Peccatum originale sicut quidam parentes aggravant, ita quidam relevant. X, 1428. Quatenus crevit originale peccatum. X, 1239. Peccatum originale sic peccatum est, ut ipsum sit et pœna peccati. X, 1068. Peccatum originale causa cur ira Dei manet super infantes in fidelium numerum nom assumptos. X, 125. Ex duobus parvulis unus assumitur gratia, relinquitur alter justitia. X, 1065. Unusquisque natus ex Adam, pertinet quodam modo ad veterem civitatem. IV, 734. Quidam peccatum proprium nolunt attribuere pueris nisi ab anni quarti decimi articulo. III, 417. Refelluntur. III, 417. Peccatum sine Lege mortuum, quia latet, quia non apparet, ac tamquam sepultum ignoratur. V, 850, 852, 894.

Peccatum est aversio ab æternis, et conversio ad mutabilia. I, 1240, 1269; VII, 354. Est conversio aut ad proprium bonum, aut ad exterius, aut ad inferius. I, 1240, 1269. Peccatum est transgressio, cum aliquid amplius homo appetens, justitiæ regulam excedit. V, 353. Peccatum admittitur, dum immoderata in hæc infima inclinatione, summa bona deseruntur. I, 679. Dum appetuntur quæ Christus contempsit, aut fugiuntur quæ Christus sustinuit. III, 155. Peccatum ipsum non amatur, sed ipse inordinatus amor creaturæ est peccatum. V, 143. Peccato deficitur non ad mala, sed male. VII, 355. Sicut ante homines facti, sic ante Deum cogitationis peccatum est. V, 928.

Peccatorum causa non est Deus. I, 830, 1269; X, 731. Etsi in eum peccata sua refundere soleant peccatores. III, 209. Peccatum a Deo non est. V, 143. Peccatum, quod ad naturam pertinet, Deus facit; quod ad culpam pertinet, non ipse facit. V, 587. Peccatum claudicationis similitudine explicatur. X, 294. Peccatum solum a se, non a Deo homo habet. IV, 1518, 1848. Peccata non ex Deo, sed ex voluntate peccantium. I, 1271; VIII, 560. Peccata nor

fierent, nisi a Deo permitterentur, quare permittantur. VI, 358, 359. In malorum potestate est peccare; ut autem hoc vel hoc illa malitia faciant, in solius Dei. X, 984. Nisi voluntas sit causa peccandi, nihil remanet justitiæ in legibus, institutis, laudibus. II, 1061. Peccati causa ex anima, non ex carne. VII, 405. Cum quisquis peccat, peccat volens. I, 1294. Non natura. I, 1270. Peccatum omnino voluntarium est. III, 133. Nec peccatum esset peccatum, si non esset voluntarium. I, 603. Peccati prima causa, sola est voluntas. II, 773. Voluntas deficiens. VI, 244. Peccatum non nisi a voluntate. VIII, 105, 121, 122; X, 1312. In voluntate cujusque est utrum tenebræ sit, an lux. III, 884. Si nolumus, non peccamus. X, 152. Peccati originem voluntas habet. X, 1477. Peccata a nescientibus vel coactis perpetrata, non omnino sunt sine voluntate. I, 604. Qui enim nesciens peccat, peccatum tamen volens facit. I, 609. Licet peccatum possit esse sine voluntate peccati, non tamen sine voluntate facti. I, 609. Durum quidem, quod consuetudo peccandi amorem delicti facit; sed nihil durius quam quod exstinguit pudorem. X, 1056.

Peccata ex vi consuetudinis commissa, non voluntaria dicunt Pelagiani. X, 1505. Peccatum manere potest sine voluntate, licet esse non possit sine voluntate. X, 1395, 1396, 1397, 1398, 1410. Peccatum et non posse esse sine voluntate, et esse posse sine voluntate, quomodo verum sit. X, 1396, 1397. Peccatum aliquod non voluntarium. X, 1393. Peccatum a voluntario in non voluntarium mutari posse ostenditur. X, 1505. Est non solum voluntarium atque possibile, verum etiam necessarium peccatum. X, 1493, 1495, 1500. Peccatorum originem non libero arbitrio, sed necessitati naturæ contrariæ tribuunt Manichæi. VIII, 566. Et substantiæ gentis adversæ. VIII, 58. Necessitas peccandi homini non impacta a Creatore. X, 1488. An omnes in peccatum, velut inviti carnis suæ necessitate cogantur. X, 1110. Non in peccatum, velut invitus, carnis suæ necessitate cogitur homo; sed si jam in ea ætate est, ut propriæ mentis utatur arbitrio, et in peccato sua voluntate retinetur, et a peccato in peccatum sua voluntate præcipitatur. X, 1110. Peccandi quædam est necessitas. I, 753, 759; X, 286, 295. Quomodo in eam quis delabatur. I, 753. Tria distinguenda, peccatum, pœna peccati, et quod ita peccatum est, ut sit et pœna peccati. X, 1068. Idem et peccatum, et peccati pœna, et peccati causa esse potest. X, 787, 788. Peccatum quod est peccati pœna, qua quisque peccat invitus. X, 1396. Peccantes secuta est peccatum habendi dura necessitas. X, 296. Peccatum ex necessitate. X, 1477. Ad peccatum quod est pœna peccati, non requiri ut liberum sit ab eo abstinere. X, 1466. Ut homo sit cum peccato, jam ex necessitate quadam est. X, 295. Peccatum a necessario veniens, in Deum refundendum esse contendit Julianus. X, 1500. Necessitas servitutis sub peccato invicta, nisi delectatione caritatis vincatur delectatio peccati. X, 1121.

Peccatum nonnisi ex libero arbitrio. VIII, 537, 538. Peccatum et recte factum in libero est voluntatis arbitrio. VI, 17. Peccatum an ut sit aliquid, necesse est ut vitari possit. X, 298. Peccatum per hoc non est, per quod potest esse, id est, per liberum arbitrium. X, 1397. Quod nullo modo caveri potest, peccatum non est. I, 1295; X, 286. Peccato libertate servitur. X, 1110. Multa sunt quæ agunt homines mala, a quibus eis liberum est abstinere. X, 1068. Per liberum arbitrium peccant maxime omnes, qui cum delectatione peccant, et amore peccati; et hoc eis placet, quod eos libet. X, 1110. Homo cum potestate peccandi factus, pro præmio accepturus non posse peccare. VI, 359. In cœlo tanta libertas, ut sit etiam bene vivendi, et numquam peccandi, voluntaria felixque necessitas. X, 296. Peccata ex necessitate quænam sint. X, 1119. Peccata quæ necessitate facta dicuntur, peccata infirmitatis intelligenda. X, 287. Peccatum necessarium non fuit, ut esset causa misericordiæ Dei. X, 261.

Peccatum. An aliquis in hac vita sine peccato, potest esse aliqua quæstio. X, 199, 281, 286, 299. Hominem post baptisma non posse peccare, Joviniani hæresis. X, 1114, 1116, 1117. Quidam asserentes hominem posse in hac vita sine ullo peccato vivere. VI, 426. Hominem posse esse sine peccato, et revera quosdam fuisse, docuit Pelagius, qui sibi ipsi contradicit. II, 776. Hunc refellit Joannes Jerosolymitanus. II, 829. Totam ecclesiam esse absque peccato dixerunt Pelagiani. V, 980. Refelluntur. V, 980. Peccatum nullum habere vitam justorum, existimant Pelagiani. VIII, 48. Posse hominem, si velit, esse sine peccato, doctrina Pelagii. X, 350. Et dogma Cælestii. X, 334. Pelagio objectum illud dogma in episcopali synodo, et quatenus ab ipso explicatum. X, 329. Quod ante adventum Christi sine peccato fuerint homines, dixit Cælestius: Pelagius vero quod sancte et juste vixerint. X, 334, 335, 336. Nemo in hac vita sine peccato. II, 674, 675; III, 1697, 1789, 1790, 1871; V, 152, 749, 895, 979; VI, 228, 729. Quantumvis justus. VII, 657, 748, 749, 787, 788; VIII, 652; X, 1115, 1255. Verum dixit, qui hominem non esse sine peccato dixit. X, 265, 266. Christus solus sine peccato. V, 1341. Excepto uno Mediatore, nemo in hac vita sine ullo peccato. X, 153, 156, 166, 179, 245, 650, 651, 638, 726, 753. Nec ipse Paulus. X, 166. Nullus excepto Christo fuit vel esse potest qui nullum habeat peccatum. X, 171, 174, 306. Et hoc ad indeclinabilem fidei professionem pertinet. X, 184. Quamvis fieri possit ut sit homo sine peccato. X, 201. Erat Dominus mortalis, sed non de peccato. IV, 592. Solus esse innocens infans potuit, qui de opere Adam non est natus. IV, 592. Solus sine peccato venit, qui nos peccatores invenit. IV, 253. In solo Christo nihil invenit diabolus. V, 929. Peccatum quo pacto Christus ignorabat. IV, 333, 334. Peccatum vel trahendo, vel addendo habetur: nullum habuit Christus. V, 824. Peccatum nec in anima fuit, nec in corpore quod sibi Verbum aptavit. IV, 335. Peccatores omnes solus a peccatis liber atque liberator invenit. II, 669. An præter Christum aliqui sine peccato, non nimis reluctandum censet Augustinus. X, 317. Qui dicunt vel esse vel fuisse hic aliquem, præter Christum, qui nullum haberet omnino peccatum, utcumque tolerandi sunt. II, 675. De sancta Virgine Maria, propter honorem Domini, nullam prorsus cum de peccatis agitur, haberi volo quæstionem. X, 267. Præter Virginem nullus sanctorum sine peccato. X, 267. Christus veniens in hominibus non invenit, nisi quod damnaret. V, 291. Nemo hic potest sine peccato vivere. V, 401. Quomodo quidam in hac vita dici possunt sine peccato. X, 384. Aliud est juste vivere, aliud esse sine peccato. X, 335. Et justus quis esse, et sine peccato non esse, potest. X, 269. Aliud est non habere peccatum, aliud non obedire ejus desideriis. X, 283. Conflictus contra peccatum. X, 305. Unde certantes cum vitiis, non sumus sine peccato. X, 696. Aliud est non peccare, aliud non habere peccatum. III, 2140. Peccatum non habere quid. X, 453. Nemo ita juste vivit in hac carne, ut nullum habeat omnino peccatum. X, 316 Aliud est esse sine peccato, aliud esse sine querela. X, 304. Aliud non facere bonum, aliud non esse sine peccato, etiamsi homo faciat multa bona. X, 307. Multi sine crimine, nemo sine peccato. X, 563. Sine crimine potest aliquis vivere, non sine peccato. VII, 415. Qui ambulant in viis Domini, peccatum non operantur; et tamen non sunt sine peccato. IV, 1506. Paucissimi sunt, qui ab ineunte adolescentia nulla damnabilia peccata committant. VII, 750. Peccata levia non potest homo non habere, quamdiu carnem portat. III, 1982. Quandonam homo fiat sine peccato, non est definitum in judicio Palæstino. X, 352, 356. Peccata alia sacramentorum et verbi Dei dispensatoribus, alia laicis quotidiana. V, 1538, 1540. Peccata quæ obrepere soleant. V, 1541. Perfectos fideles hic non esse sine peccato, ex oratione Dominica intelligitur. X, 300. Et manifestum fit. X, 316. Justi merito orant pro remissione peccatorum suorum. II, 842. Quo sensu qui natus est ex Deo non peccat. X, 312, 370. Et non potest peccare. X, 254. Et nemo sine peccato. X, 157, 158. Cur nemo in hac vita sine peccato. X, 167. Cur culpa est hominis, quod sine peccato non sit, cum sine gratia non possit esse sine peccato. X, 297. Vult Deus hominem esse sine peccato. X, 295. Cur præcipiatur homini esse sine peccato. X, 295. Consultissime præcipitur homini esse sine peccato, quare. X, 295. Cur Deus præcipit hominibus ut non faciant ullum peccatum, cum sciat hoc neminem impleturum. X, 165. Non peccare datur a Deo, quomodo. X, 1212, 1213. Necessarium fuit homini ad auferendam superbiæ occasionem, ut absque peccato esse non posset. X, 262. Enoch et Elias non permissi sunt hic vivere, quia nemo hic sine peccato potest vivere. II, 872. Peccata eorum quorum justitiam commemorat, quamvis Scriptura non referat, non tamen hi sine peccato. X, 268. Testimonia Scripturarum et exempla, quibus probatur hominem non esse sine peccato. X, 159. Elusioni Pelagianorum satisfit. X, 159. Non ideo quisque prorsus sine peccato, quod perfectus in aliqua re dicatur in Scripturis. X, 165. Etsi aliquotiens in Scripturis inveniatur, homines dictos esse sine querela, non invenitur qui sit dictus sine peccato præter Christum. X, 253. Considerata in Scripturis norma justitiæ, homo quantumcumque profecerit, invenitur peccator. IV, 1269, 1827. A peccatis nec illi immunes fuere, qui Dei præcepta custodisse laudantur in Scripturis. IV, 1266. Quare peccata magnorum virorum scripta sunt. III, 78; X, 266. Nullus in membris Christi dicere audet se non habere peccatum. IV, 1818. Peccatorum post baptismum commissorum veniam petere ad omnes pertinet, etiam ad Apostolos. IV, 1849. Qui sine peccato se vivere existimat, id agit ut veniam non accipiat. VII, 415. Non propter arrogantiam vitandam, sed propter veritatem tacendam, non dicunt sancti se non habere peccatum. IV, 1505. Si quis

forte hic sine peccato, quanto magnus est, tanto magis humiliat se. VI, 426. Peccasse se qui negat, Deum facit mendacem, dum se vult facere veracem. III, 1983. Peccatum esset, si quis non habens diceret se habere. VI, 720. Secundum Ambrosium nemo sine peccato in hoc mundo. X, 384. Hominem posse esse sine peccato in hac vita non statim negandum, quare. X, 155. Potest homo esse sine peccato in hac vita, et si talis non sit. I, 644, 645; X, 241. Quomodo. X, 155, 156. Posse hominem esse sine peccato, si velit, quo sensu. X, 356. Cum sine peccato vivere possit homo, cur nemo sine peccato. X, 356. Etsi sine peccatis esse non possumus, oderimus tamen ea. V, 984. Quis esse sine peccato verissime dicendus. X, 283. Esse sine ullo omnino peccato, nondum æquat hominem Deo. X, 265. Sine peccato nemo vivere, sed mori potest. X, 267. An sancti mortui sint sine peccato. X, 266. Merebitur hinc exire sine peccato, qui peccata sine quibus hic non vivitur, mundare non neglexerit. II, 675. Sine omni peccato esse nonnisi in resurrectione sperandum est. III, 2140. Nullum habere vitium, justitia est posterioris vitæ, quæ præsentis erit præmium. X, 1514, 1515. Post resurrectionem non solum nulla peccata, sed nec ulla desideria vitiosa. X, 407. In cœlo nulla peccata remittuntur, quare. X, 848. Peccatum nullum esse poterit in regno Dei. X, 1582. Non posse peccare, præmium sanctorum. X, 1523. Peccata sine quibus hic non vivitur, pedum lotione significantur. III, 1789, 1794. Nemo cui necessaria non fuerit remissio peccatorum. X, 316. Homo cum debeat esse sine peccato, hoc quidem potest, sed non sine gratia. X, 294. Potest homo sine peccato esse, sed auxiliante gratia. X, 271. Homo non nisi gratia Christi potest esse sine peccato. X, 299. Nemo in hac vita sine peccato, etiam per gratiam Dei : quamvis asserere hominem per gratiam posse esse sine peccato, sit tolerabile. II, 771. Ad non peccandum quamvis liberum esse non dubitetur arbitrium voluntatis, tamen ejus potestas non sufficit, nisi adjuvetur infirmitas. II, 766, 775. Ad peccandum anima sibi ipsa sufficit, non ad sanandum peccatum quod hæserit. V, 138. Ut non peccemus, liberum arbitrium non est in nobis ante gratiam, sed tantum ut peccare nolimus. III, 2066. Impietate sceleratissima negatur, sine gratia Dei hominem sine peccato esse non posse. X, 252. Error eorum, qui dicunt vivere hic hominem sine peccato, minus perniciosus. X, 201.

Peccatum vitari potest, si vitiata natura sanetur gratia. X, 293. Ut peccato moriamur, gratiæ opus. III, 2068. Natura humana potest perfici, et esse sine peccato, sed gratia Dei. X, 281. Peccatum sine gratia vinci non potest. VI, 103. Nullum est peccatum quod facit homo, quod non possit facere et alter homo, si desit rector a quo factus est homo. V, 598. Omne crimen, facinus, vel peccatum, nostræ est negligentiæ; et omnis virtus et sanctitas, Dei est indulgentiæ. V, 605.

Peccatum nunc homini cum morte dominatur. VI, 282. Peccati servus, quis. X, 1107. Non omnis qui servus est peccati, facit peccatum; sed qui facit peccatum, servus est peccati. X, 1107. Captivi facti sumus, quia venumdati sumus sub peccato. III, 1694; IV, 1658. Peccati servitus miserabilis. I, 1233. De servitute peccati, et regno libidinis *fuse*. I, 1233. Peccatum non regnet in nostro mortali corpore. III, 1698. Quomodo et quando non regnat. III, 2069. Justi militant, non ut non sit concupiscentia in eorum corpore, sed ut non regnet. III, 417. Peccatum in nobis non regnabit, si desideriis quibusdam non obedierimus. III, 2066. Peccati regnum evertitur duobus modis. III, 1268. Peccati regnum lata Lege cecidisse, Juliani sententia. X, 1235. Discutitur. X, 1226. Peccatum quomodo mortuum erat sine Lege. VI, 104. Et quomodo revixit. VI, 104; X, 559. Quodnam peccatum abundavit per Legem. X, 1235, 1236, 1239. Peccatum non deputari, est ipsum ignorari, et peccatum esse non putari. X, 116. Peccatum an non imputatur, cum non est Lex. X, 1227. Peccatum non deputabatur, id est non apparebat. III, 2067. Unde cognoscit homo inhabitare in carne sua peccatum. VI, 106. Peccatum, non intelligendo, sicut tenebræ non videndo, dignoscitur. III, 2071. Et sentitur. VI, 64. Ignorare peccatum, quid sit. V, 857. Peccatum ignorare, est illud nolle, non approbare. X, 561, 562.

Peccato quinam dominantur. VIII, 258, 259, 261. Peccati corpus evacuare, quid. III, 2069. Quomodo evacuatur. VIII, 891. Peccata pavimentare. V, 1465. Peccata consequentium temporum non recte comparantur Adæ peccato. X, 1549. Non talem esse conditionem consequentium delictorum, qualis fuit delicti primi in paradiso commissi. X, 1550.

Peccatum mors animæ. III, 1748. Sola mors animæ. VIII, 93. Mori potius eligendum est, quam peccare. III, 1767, 1770. Dolenda tantum peccata, mala alia ferenda. IV, 409. Vanitati similis homo efficitur per peccatum, qui veritati similis erat dum crearetur. IV, 1552, 1863. Iniquitas sola longe a Deo facit. IV, 1775. Peccando recedit homo a Deo, propinquat pie vivendo, quomodo. II, 838. Peccata sola a Deo separant. VII, 500. Et a salute ac vita æterna. X, 129. Quomodo a vita æterna impediunt. VI, 513. Peccata quædam ita impediunt perventionem ad regnum Dei, ut tamen meritis sanctorum impetrent indulgentiam. VII, 750. Quænam sint illa peccata. VII, 750. Obtinere æternam salutem non potest, nisi qui omnes superbiæ suæ thoros inanes, peccata sua confitens complanaverit, etc. II, 1029. In peccato tenebræ et frigus. III, 1579. Peccata tenebræ sunt animarum. IX, 118.

Peccatorum apud Deum confessio, spem excitat. I, 675, 781. Peccata sua Daniel quotidie Deo confitebatur. II, 675. Peccata melius accusantur, ut pereant, quam excusantur ut maneant. IV, 1410. Peccatorum confessio prava et excusatoria. IV, 268. Peccatorum tegmen bonum et tegmen malum. IV, 266. Peccata adduntur peccatis, cum peccata quæ facta sunt, cooperiuntur aliis peccatis. III, 1469. Peccata noli operire tu, et operiet Deus. IV, 267. Peccati excusatio, et perversa defensio. V, 138, 143, 153, 186. *Vide* Pœnitentia. Peccati excusatio, superbia est pejor et damnabilior. VII, 422. Peccata non confitentes, sed defendentes, fumo deficienti comparantur. V, 153. Peccata cum excusamus, diabolus triumphat; cum accusamus, gemit ac dolet. V, 186. Cum peccata nostra cognoscimus, Dei gloriam commendamus. IV, 1219. Deus avertendo faciem, peccata delet; advertendo, scribit. IV, 594. Avertat Deus faciem suam a peccatis tuis, sed non avertat faciem a te. IV, 207. Tu a peccatis faciem noli avertere, si vis ut Deus ab ipsis avertat faciem suam. IV, 505, 1652 Peccata cum attendit, accusat et punit homo; non attendit Deus, defendit, liberat. IV, 266. Peccata sua qui non vult videre, post dorsum se ponit, et aliorum peccata acute attendit. IV, 1284. Peccata sua qui defendunt, aut Deo tribuunt, redarguuntur. IV, 268, 434, 605, 701, 854, 1172, 1793, 1808, 1821. Peccatorum confessiones, ulcera quæ foras erumpunt. III, 1350. Peccata quomodo puteant, sentit qui sanum habet olfactum. IV, 401. Peccatorum sarcina, quam cito deponenda. III, 1474. Peccati gravitas turbare nos debet. III, 1755. Peccatum displicere debet. V, 134. Peccata sua homini displicent, cum ei Deus lucet. III, 1491. Peccata non vere plangis, si lacrymæ currunt, et manus cessant. IV, 410. Peccata ne desperando augeamus, propositus est pœnitentiæ portus : rursus ne sperando augeamus, ignotus est dies mortis incertus. V, 1560. Peccatum ad se convertendum ut ejus obtineatur remissio. VIII, 258. Peccati conversio debet esse ad hominem, quo sensu. VII, 444, 445. Peccata duobus modis, ut morbi, ita et caventur. X, 287. Peccata triplicis generis triplici remedio sananda. VI, 228. Peccatum per peccatum non debet declinari. VII, 58.

Peccatorum genus duplex. IV, 816. Peccati genus triplex. III, 1747; VI, 17, 228. Peccata omnia concludunt hæc tria, voluptas carnis, superbia, et curiositas. IV, 115. Peccati tres differentiæ. III, 1247. Tamquam tres mortes. III, 1247. Peccatorum genera duo, in Deum, et in hominem. V, 1271. Peccare in Deum et peccare Deo quid sit. III, 773, 774. Peccandi in Deum nulla est ratio. V, 1469. Peccatum hominis vel angeli nihil nocuit Deo. VI, 335. Peccatum Deo non nocet. I, 830. Nec nocere potest. I, 690. Quomodo ergo contra Deum est. I, 690. Duobus modis peccat homo antequam fiat sapiens. I, 1506. Peccata omnia aut ad corruptelam pertinent flagitiorum, aut ad facinora nocendi. V, 87. Peccatum in hominem non contemnendum V, 507. Peccatum in hominem duobus modis committitur, uno, si lædatur; alio, si cum potest, non adjuvetur. I, 1532. Peccatum omne magis obest facienti, quam patienti. VI, 240. Peccatum in Spiritum sanctum an schisma potest dici, et traditio Scripturarum. IX, 554. An peccatum illud schismaticis non debet objici. IX, 554.

Peccata alia sunt contra naturam, alia contra mores, alia contra præcepta. VIII, 428.

Peccatum appellatur peccati delectatio. III, 417. Peccatum in membris, de quo Apostolus, est violenta quædam carnis illecebra in corpore mortis hujus. III, 417. Peccati lex dicta peccatum. X, 178. Peccatum dicitur concupiscentia, quia inde oriuntur cuncta peccata. V, 840. Peccati lex in membris, quid. VI, 107, 108. Peccati lex est violentia consuetudinis. I, 754. Peccatum appellat Apostolus illicita desideria languoris originalis. IV, 1507. Peccatum ad mortem, quid. III, 1266; X, 958. Peccata imitationis in mundo. X, 1162. Peccatum quod Judæi non habuissent, si Christus non venisset. V, 450. Cur mundus de solo peccato arguitur incredulitatis. V, 785, 787. Peccatum aliud tantummodo peccatum est, aliud est etiam pœna peccati. I, 604, 608, 612; III, 156; X, 1467, 1474. Peccata quædam sunt, quæ ita peccata sunt, ut pœnæ sint etiam peccatorum.

IV, 687; X, 258, 790, 793, 906, 975. Nonnulla etiam de ira Dei veniunt peccata. III, 797. Peccata peccatis puniuntur. X, 1354. Venit hoc de pœna peccati, ut homo adversus se ipsum divideretur, qui uni subditus esse noluit. IV, 891, 1859. Peccatorum quorumdam perpetrandorum facilitas, pœna est aliorum præcedentium. VI, 91. Peccata quædam manifesta, ex pœna veniunt quorumdam occultorum. VIII, 288. Peccatum manifestum utile ad sanandum vitium occultum superbiæ. VII, 422. Peccatorum judicium et pœna, quæ nunc occulte agitur. IV, 117. In ipso animo continuo pœna sequitur culpam, plerumque major non sentientis cæcitate graviore. II, 381. Deus non opere iniquo, sed opere justo facit, ut quædam peccata sint etiam pœnæ peccati. X, 1355, 1356. Objectioni contra sententiam de peccato et de pœna peccati satisfit. X, 790. Peccati actualis duplex est origo. I, 1285. Duplex causa. X, 554. Peccati causa duplex, ignorantia et concupiscentia. X. 563. Ignorantia et infirmitas. VI, 271; X, 152, 167. Aliud peccatum, aliud concupiscentia peccati. X, 1172. Peccatorum causa, aut ignorantia aut fragilitas aut contemptus. III, 729. Peccati Adæ justissima pœna, ignorantia et difficultas. X, 287. Peccata omnia ab illa erroris et perversi amoris radice veniunt, cum qua nascitur omnis filius Adam. X, 846.

Peccata humana dicuntur peccata ignorantiæ. III, 720. Peccata ignorantium. VI, 456. Peccata ex ignorantia. X, 287. Omnis qui peccat, quomodo non viderit nec cognoverit Deum. X, 313. Peccatum scientis, quam nescientis, gravius. IX, 157, 158; X, 884. Peccata ignorantiæ leviora, quam quæ a scientibus committuntur. X, 148. Peccatum sine dubitatione est ipsa ignorantia, in eis qui intelligere noluerunt; in eis autem qui non potuerunt, pœna peccati. II, 883. Peccata nolentium sunt peccata nescientium. III, 728 Peccata ignorantiæ etiam possunt esse in baptizatis. III, 2100. Peccata ignorantiæ ea sunt omnia, quando quisque bene fieri putat, quod male fit. II, 186.

Peccata ex infirmitate de traduce primi peccati Adam, et de consuetudine mala veniunt. VIII, 541. Peccata quotidiana omnes ex carnis infirmitate contrahimus. V, 1541. Peccatum fragilitatis si irrepserit, quid faciendum. III, 1983. Quomodo curatur. VIII, 541. Ad peccandum duo incitamenta, voluptas et dolor. V, 1286. Contra hæc duo remedia. V, 1286. Omnia peccata duæ res faciunt in homine, cupiditas et timor. IV, 413, 1026. Peccando quisque animam suam diabolo vendit pretio voluptatis. III, 2071. Peccatum si non delectaret, non fieret; nec delectaret, si sanitas esset. V, 877. Justitia si minus delectat quam peccatum, aut si non delectat, aut si minus quam dignum est delectat, hoc fit de languoribus animæ. V, 877.

Peccata quæ occulte fiunt, dulciora. III, 2070. Peccati dulcedo fallax. VI, 104. Peccatum quasi rhamnus, primum delectat, postea compungit. IV, 689. Peccatum dulce est, sed amara est mors quo perducit. V, 398. Propter quod peccant homines, morientes hic dimittunt, et ipsa peccata secum portant. V, 398.

Peccatum non committitur sine causa. I, 679. Non committitur nisi ob utilitatem aut delectationem. VI, 513. Forte ipsum peccare nemo velit, sed propter aliud fit, quod vult qui peccat. III, 728. Peccata etsi non propter utilitatem temporalem, an saltem propter sanctitatem servandam admitti possint. VI, 513. Faciat homo etiam pro temporali hominum salute quod potest: ubi nil nisi peccando potest, jam se existimet non habere quid faciat. VI, 542. Peccata nullo quasi bono facienda. VI, 528. Peccata compensativa, nec ipsa admittenda esse. IV, 530, 533, 539. Peccatum non solum illud est quod in turpi aut iniquo facto apparet hominibus; sed etiam si habeat speciem boni operis, et tamen propter mercedem temporalem fiat, non propter requiem sempiternam. V, 208. Peccati inaniter putat se esse victorem, qui pœnæ timore non peccat. II, 593. Voluntate peccat, qui solo timore non peccat. X, 558. Peccare non debes, non timore pœnæ, sed amore justitiæ. V, 870. Inimicus justitiæ est, qui pœnæ timore non peccat; amicus autem erit, si amore ejus non peccet. II, 594. Peccatum quisque tantum odit, quantum diligit justitiam. II, 594.

Peccata quot modis fiunt. X, 563. Peccata multa in interioribus dictis, quæ non sunt in exterioribus factis. VI, 351. Sed nulla in exterioribus factis, quæ non præcedant in interioribus dictis. VI, 351. Peccata linguæ et peccata cordis quis vitare potest? IV, 1700. In ipsis concessis peccata contingunt, si exceditur modus debitus. V, 88, 1273. Tres vel quatuor in peccatis progressus. V, 594, 720. Tria sunt quibus impletur peccatum, suggestione, delectatione et consensione. III, 207, 1246. Tria hæc similia sunt his quæ in tentatione primi parentis acciderunt. III, 207, 1246. Peccamus non in desiderio pravo, sed in consensione. III, 2066. Peccatum inest cum delectaris; regnat, si consentis, IV, 587. Peccata peccatis quomodo connectuntur. IV, 677. 1705, 1808. Omnis qui peccat, adversus caritatem facit: proinde qui in uno offendit, factus est omnium reus, cum nullum peccatum sit, nisi contra caritatem, etc. II, 739 Homo tanto plenior iniquitatis, quanto inanior caritatis. II, 740.

Peccata omnia paria esse Stoici contendunt. VI, 539. Dicebat Jovinianus. VIII, 45. Et Nectarius existimat; hunc refellit Aug. II, 387, 393, 394. Peccatum et crimen quo differant. IV, 1507, 1508. Et utriusque definitio. III, 681, 682. Etiam in parvulis debita et delicta. IV, 1381. Peccata venialia et crimina. X, 563. Damnabilia et venialia. X, 302, 1180. Peccata grandia, et peccata minuta. III, 1491, 1492. Gradus in peccatis et in reatu. III, 1241. Peccata sunt quædam, de quibus definire an propter illa perituri sumus, impossibile est. IV, 1132. Peccata quæ sint levia, quæ gravia, non humano sed divino sunt pensanda judicio. VI, 269. In omni peccato, plus in majore, minus in minore, tamen contra justitiam concupiscitur. VI, 367. Peccatum esse ex intentione aliud alio levius; non tamen faciendum levius, quod sæpe alterius generis peccato gravius est. VI, 529. Peccata, quæ crimina nominantur. V, 1206. Peccata gravia, quibus debetur certa condemnatio ac separatio a pane quotidiano. V, 88, 382, 1540. Peccata quæ pœnitentiæ laborem exigunt vehementiorem. V, 1273. Peccata sunt aliqua in Christianis, quæ inimicorum persecutione graviora sunt. III, 1266. Peccata venialia, peccata justorum quæ. VI, 1718; X, 230, 244, 269. Sine peccatis venialibus hæc vita non ducitur. X, 230. Peccata videntur veniabiliora, cum is qui reus est, correctionem promittit. II, 651. Peccata venialia justum a vita æterna non impediunt. X, 230. Quatenus dimittantur. X, 1180. Minuta peccata quædam recensentur. V, 80, 392, 1206. Peccatorum venialium exempla. X, 268, 269. Peccatorum venialium multitudo in uno homine. X, 269. Peccata minuta non contemnenda. V, 88, 382, 398. Non negligenda. VI, 680. Si negligantur, occidunt. III, 1492. Peccata cavenda, etiam quæ videntur minuta. IV, 447, 448. Peccata si negligantur, quia minuta; timeantur quia multa sunt. IV, 1700. Peccata levia si contemnis quando appendis, expavesce quando numeras. III, 1982. Peccata levia simul congregata, quasi scabies, aut necant, aut decus nostrum exterminant. V, 1541. Peccata levia tamquam aqua intrant per rimulas ad sentinam. IV, 810. Peccata minuta quotidiana massam et cumulum efficiunt. IV, 1201. Si non singula suis molibus conterunt, omnia tamen acervo nos obruunt. IV, 1508. Peccata minuta multitudine obruunt, nisi a Deo dimittantur. V, 88, 382, 1207, 1273. Peccata levia multa, faciunt unum grande. III, 1982. Parva peccata, si tamen crebra, sicut unum grande peccatum, nos gravant et opprimunt. II, 1089. Peccata parva quæ subrepunt vigilantibus, superbia crescunt, humilitate perimuntur. VI, 425, 426. Vitare peccatum quisque debet levius, potius quod suum, quam gravius quod alienum. VI, 499. Peccata quæ levia videntur, sunt interdum gravissima. VI, 270. Peccata quisque æstimat gravia, prout vitæ quam diligit faciunt injuriam. VI, 513. Peccata horrenda, usu videntur levia. VI, 270. Peccata sola inusitata exhorrescimus. VI, 271. Væ peccatis hominum, quæ sola inusitata exhorrescimus: usitata vero sæpe videndo omnia tolerare, sæpe tolerando nonnulla etiam facere cogimur. III, 2130. Quæ putant homines leviter habenda tamquam in carne peccata, Deum ipsum lædunt. III, 560. Peccata carnis mortifera. V, 507. Peccare in proprium corpus cur solus dicatur fornicator, cum operibus carnis alia peccata tribuantur. V, 886. Unde impii, quibus gratia non subvenit, alii magis, alii minus peccent. X, 1185. Peccata gravia devitanda, minutiora triplici remedio curanda. V, 88. Peccatorum quotidianorum mundatio, et medicina quotidiana. V, 127, 299, 382, 983, 1207, 1272. Peccata leviora oratione dominica delentur. VI, 265. Et eleemosynis. X, 302, 304, 563, 564. Peccatorum venialium pœnitentia, jejunia, eleemosynæ et orationes. II, 1089. Peccata levia cur non commemorata sint in Scriptura. X, 268. Peccant multi dum putant se non videri a Deo. V, 141. Peccare si vis, quære ubi te non videat Deus, et fac quod vis. V, 756.

Peccatis alienis an quis possit obnoxius esse. X, 839. Peccatum cujusquam non alter perpetrat. X, 1147. Peccatis alienis quis communicet. V, 549; IX, 344. Aut non communicet. V, 551; IX, 79, 80, 82, 83. Peccatis alienis communicare est ipsis consentire. IX, 228, 609. Qui vitiis nutriendis parcit et favet, ne contristet peccantium voluntatem, tam non est misericors, quam qui non vult cultrum rapere puero ne audiat plorantem, etc. II, 395. Quot modis dici possit aliquis peccasse cum alio. IV, 1409. Qui consentit peccatori, is peccatis propriis, non alienis premitur. IV, 1699. Peccatum alteri suadetur, vel stulta benevolentia, vel malitiosa invidentia. VIII, 592. Peccantibus non consentire, qui eos non vult peccando cohibere. VI, 498. Ut durum est conniventiam præbere peccantibus, ita impium manum negare conversis. II, 781. Peccata aliena non præjudicant. IX, 427. *Vide* Ecclesia, Mali. De peccatis alienis nemini calum fandum, nemini calumnia formidanda. IX,

612. Peccata aliena si maculant, sibi ipsi præjudicant Donatistæ. IX, 612. Peccata aliena ad se pertinere nolebant Donatistæ. IX, 306. Peccata aliena si quis ad se pertinere existimat, pertinent ad eum. IX, 278, 287. Peccata aliena non obsunt aliorum saluti, cum Christi nomen invocatur. IX, 301. Peccata aliena aliis non obesse ostendit ipsa Maximianistarum a Donatistis susceptio. IX, 371. Nullius crimen maculat nescientem. II, 328. Peccatis alienis ignoratis neminem maculari, fassi sunt episcopi Donatistæ, qui ad Collationem venerant. IX, 631. Peccata aliena non maculant. II, 339, 341; IX, 278, 279, 519, 520, 565. Non maculant quemquam in unitate. IX, 607, 608, 609. Peccatis alienis neminem contaminari, nec propterea negligendam aliorum correptionem. V, 896. Peccata aliena patienter portanda. V, 41. sic portanda, ut corrigantur. V, 43. Quando peccatur ab aliquo, agendum est ut ab altero nesciatur. V, 511. Peccata aliena non curiosius attendenda. V, 152. Peccata aliena an quisquam debet evitare peccatis suis. VI, 499. Peccata aliorum apud ecclesiasticos judices accusandi mos unde negligatur. V, 1546. In via fidei, pro non peccantibus habentur, quibus peccata non imputantur. IV, 1508.

Peccata malæ consuetudinis difficile solvuntur. III, 1756. Familiaritas cum peccato, tamquam cum serpente cavenda. V, 138. Peccata consuetudine vilescunt, ut jam nec sentiantur. V, 125. Peccato quodam non admisso, solvuntur cætera; admisso, confirmantur cætera. III, 2013. Difficile est, ut dum perversi homines vitia devitant, non in eorum contraria perniciter currant. III, 398. Quomodo a peccato anima resurgat. III, 432. Aliud est recedere ab omni peccato, aliud recessisse. X, 308. Parum est recedere a peccatis, si præterita curare neglexeris. V, 409. Peccato potest anima mortua esse, quamvis quasi adhuc vivat peccatum. III, 2069. Quando morietur peccatum. III, 2070. Peccatum minuitur in vita proficientium, consumitur in vita perfectorum. III, 1697. Tanto proficiens a peccato fit longinquior, quanto plenitudini justitiæ propinquior. X, 308. Peccata proclivia sunt, et laboriosa justitia nisi amantibus. X, 1200. Peccata omnia amore et delectatione justitiæ superanda. X, 161. Nihil sic probat spiritalem virum, quam peccati alieni tractatio. III, 2143.

Peccatum impunitum esse non potest. IV, 505, 701; VI, 558. Tolerabiliter peccant, qui flagello corriguntur et sanantur. IV, 1133. Ad naturalem justitiæ ordinem pertinet, ut aut peccata non fiant, aut impunita esse non valeant. VIII, 480. Peccatum est contra naturam, sed supplicio redigitur ad naturam. VIII, 480. Peccatum aut a Deo, aut ab homine puniendum est. IV, 505. Peccatum puniendum est aut ab homine pœnitente, aut a Deo judicante. V, 135, 139, 187. Nihil aliud agit quem veraciter pœnitet, nisi ut id quod male fecerit, impunitum esse non sinat. II, 655. Peccare volebas, et laborare nolebas; ut parum tibi esset quod esses injustus, nisi et eum injustum voluisses, a quo in te vindicari noluisses. IV, 478. Potio amara correptionis non respuenda. V, 84. Pœnitentiæ utilitas et suavitas. I, 700. Pœnitentiæ humillimæ locus semel in Ecclesia conceditur. II, 656. Ne medicina vilis minus utilis esset ægrotis. II, 656. Opera eorum quibus pœnitentiæ locus in Ecclesia non conceditur, non inutilia. II, 656. *Vide* Pœnitentia. Peccatum si puniendum non esset, nec peccatum esset. IV, 505. Peccata quomodo puniuntur, aut diluuntur. VIII, 480, 588. Peccata punire ac donare peræque pertinet ad Deum. VIII, 561. Dei videre peccata, punire est. IV, 264. Peccantem cur non statim puniat Deus. VI, 662. Multa hic videntur inulta, sed eorum pœnæ reservantur. VI, 263. Sponte peccavit homo, sed non sponte damnatus est. III, 2075. Peccati pœna juste decernitur. III, 384. Dominus peccata non puniendo, non favet peccatis. III, 1650. Peccati pœnæ Angelis et hominibus communes. VI, 244. Peccatum temporale an juste plectatur æterno supplicio. VII, 725. Peccati merito vindicta est æterna. II, 581. Peccatorum pœna et exitus est, ut primo cupiditatum igne vastentur, deinde malorum operum putore a cœtu beatorum abjiciantur, postremo abrepti atque submersi ineffabilos pœnas luant. IV, 137. Peccata pœnarum æternarum digna, temporalibus emendationibus puniuntur. VIII, 442. Peccatorum supplicia quid Deus donet electis ostendunt. VI, 123, 124, 126. Peccantem hominem nec impunitum esse permisit Deus, nec sine misericordia dereliquit. VII, 153. Peccati pœnæ justæ sunt. I, 1241. Et variæ. I, 674. Peccati pœna quid. III, 221. Peccati hominis propria pœna. VI, 244. Unicuique homini supplicium fit de peccato suo. IV, 107. Peccata in hominibus Deus non punit, quæ commissuros eos aliquando præscivit, ut docebant Pelagiani. II, 889. Peccatorum pœna quare calix appellatur. IV, 137. Deus non de se protert unde peccata puniantur, sed ipsa peccata sic ordinat, ut quæ fuerunt delectamenta homini peccanti, sint instrumenta Domino punienti. IV, 107, 108. Peccati veraciosa dulcedo per amaritudines tribulationis digeratur. V, 1271. Anima luendo pœnas peccati sui, habet dignoscentiam boni et mali. III, 138. Per pœnam ad resipiscentiam erudiuntur. III, 134. Pœna facit peccantes confundi, quod non fecisset impunitas. X, 1555. Pœna corporis et si non a voluntate, tamen revocat ab opere peccati. Justitia vero sic amanda est, ut ab ejus operibus etiam pœnæ corporis nos cohibere non debeant. II, 594. Transgressio Prophetæ morte punita temporali, sed non æterna. VI, 598, 599. Quomodo viri sancti nonnulla peccata morte punierunt. III, 1262. Pro peccato unius, alter non est plectendus in judicio hominum; in judicio autem Dei quandoque punitur pœna visibili. III, 778, 779. Peccata quorumdam, corporalibus aliorum mortibus vindicantur. VIII, 660. Quare hoc. IX, 745. Quidquid a multis peccatur, Deo non est inultum. II, 525. Peccata multitudinis quomodo corripiantur. IX, 95. Quomodo privatorum. IX, 92. Qui injuste se ordinat in peccatis, juste ordinatur in pœnis. II, 539. Peccatorum Deus non auctor, sed ordinator. VIII, 451. Peccatorum ordinatio in suppliciis quomodo pœna, quomodo justitia. VIII, 554. Peccatum Dei imperii ordinem non perturbat. I, 850. Nemo inique agit, nisi divino eodemque justissimo judicio permittatur. VII, 659. Peccatum ad decorem universi confert. VII, 336. Animæ peccatrices conferunt ad perfectionem universi. I, 1283. Licet earum peccata huic perfectioni non sint necessaria. I, 1284. Multa bona Deus facit de nostris malis nostrisque peccatis. II, 727. Non ideo cuncta sunt impleta peccatis in mundo, quia peccatum est. VII, 336.

Peccatum irremissibile nullum est, præter perseverantiam in nequitia, cum desperatione indulgentiæ Dei. III, 2104. Peccatum in Spiritum sanctum quod remitti potest in hac vita. II, 814; V, 447, 449. Peccatum in Spiritum sanctum irremissibile. V, 465; VI, 272. Peccare in Spiritum sanctum quid. III, 1267, 2097, 2098. Peccat in Spiritum sanctum, qui desperans, vel contemnens prædicationem gratiæ et pacis, detrectat agere pœnitentiam, et in finem usque perdurat. III, 2097, 2105. Peccatum in Spiritum sanctum quod non remittitur, impœnitentia. V, 455. Peccatum in Spiritum sanctum irremissibile, est duritia cordis usque ad finem vitæ, etc. II, 814. Quæstione de peccato in Spiritum sanctum nulla forte in omnibus Scripturis difficilior. V, 449. Hanc in Sermonibus ad populum semper vitavit, ac tandem a Deo motus tractat August. V, 449. Libellus de peccato irremissibili. VI, 272. Peccatum ad mortem. III, 1229, 1230. Pro peccante peccato ad mortem, non orandum. III, 1266. Peccati ad mortem tanta labes est, ut deprecandi humilitatem subire non sinat. III, 1266. Peccatum superbiæ, contemptus verbi Domini. III, 728. Nullo sacrificii genere expiabatur. III, 728. Sine pœna ejus qui committit, non potest aboleri. III, 728. Nullum est peccatum de quo venia non debeat sperari. III, 1640, 1678, 1687, 1696, 1748. Peccatorum remissio omni homini hic degenti necessaria. VI, 262. Peccatorum remissio fit propter futurum judicium. VI, 263. Peccatorum remissio ad parvulos pertinet. X, 1191, 1196.

Peccata dissolvuntur et abolentur in Christi clarificatione. III, 595. Peccata solus Christus auferre potest. III, 638. De peccato solus liberare potest, qui sine peccato venit. III, 1694, 1695. Peccati virus nonnisi morte Christi auferri posse, serpens exaltatus in deserto docuit. X, 145. Peccata tolluntur, dum mors Christi attenditur. III, 489, 490. Nemo a peccatis liberatur, nisi gratia Dei per Jesum Christum. II, 885; X, 1119. Peccatum propriæ voluntatis etiam solvitur sanaturque per Christum. X, 120. Peccatum quatenus tollit Christus. X, 1172. Christus peccatum tollit triplici ratione. X, 1176. Peccatum peccato tollitur. X, 262. A peccato non fit homo liber Lege, sed gratia. X, 896. Peccatum nullum Lege tollitur. X, 1175, 1176. Peccata per Legem ablata non sunt. III, 2067. Peccatum per gratiam solam aufertur. III, 2065. Peccata non aufert nisi gratia fidei, quæ per caritatem operatur. III, 2106. Lex fecit ut peccatum proderetur, gratia ut factum deleretur, et ne fieret caveretur. X, 1175. Peccatorum remissio non semel fit per gratiam. X, 1232. Quot modis fit. X, 1232. Quatenus homo sanatur a peccatis. X, 295. Liberatio a peccato duplex. X, 1122. Hominem dici a peccatis non posse mundari, calumnia Juliani adversus Augustinum. X, 1115. Peccatorum purgatio qui fit in hac vita. VII, 500. Peccata quibus modis mundantur. IX, 475. Peccata tribus modis dimittuntur. VI, 636. Peccatorum medicamenta, eleemosynæ, jejunia, oratio. IX, 65. Peccata oratione expiantur, et Deus placatur. II, 665, 675. Peccata, misericordiæ sacrificiis expiantur. II, 659. Ad majora scelera non sufficiunt quotidianæ eleemosynæ; ut ea mundent. V, 88. Peccata exhaurienda sunt quotidie per bona opera, ne navem deprimant. IV, 810. Per eleemosynas de peccatis præteritis est propitiandus Deus, non ad hoc emendus quodam modo, ut ea semper liceat impune committere. VI, 263. Errant peccatores, qui

in flagitiis permanendi impunitatem se emere per eleemosynas existimant. VI, 268. Peccata non redimunt eleemosynæ, nisi vita mutetur. VI, 265, 267. Delentur graviora peccata per orationem Dominicam, si pœnitendo vita in melius fuerit mutata. VI, 265. Peccata quantumvis immania dimittuntur in baptismo. VI, 655, 656. Peccato moriuntur omnes in baptismo. VI, 253. Peccata non solo baptismo mundantur. IX, 475. Peccatorum remissio non consequitur baptisma, nisi non solum legitimum, sed etiam legitime habeatur. IX, 181. Error non credens peccata remitti in Ecclesia. VI, 272. Peccata quamlibet magna remittuntur in Ecclesia per pœnitentiam. VI, 262. Peccatum nullum est, quod pœnitenti et veniam deprecanti per Ecclesiam non dimittatur. III, 1356. Peccata extra Ecclesiam non remittuntur. VI, 265; IX, 146, 147, 150. Præter Ecclesiam nihil solvitur. V, 1349. Pœnitentia sola quæ in vera religione agitur, impetrat veniam, et purgat admissum. II, 391. Per se excitat Dominus, per discipulos solvit. V, 1350. Peccatorum solutio per Ecclesiam dari potest, suscitari autem ipse mortuus, non nisi intus clamante Domino potest. IV, 1306. 1307. Peccatorum remissio datur etiam per malos ministros. IX, 67. Peccata non dimittuntur nisi baptizatis. VI, 656. Quibus peccatis facilis veniæ spes erit. V, 153. Peccatis, quæ propter liberationes hominum fiunt, veniam concedi non existimandum. III, 708. Peccati ignorantia ad facilitatem veniæ pertinet. IX, 158. Conditio qua nobis relaxantur quotidiana peccata. V, 983.

Peccata non dimittenti, nec dimittuntur a Deo. VI, 193, 267; VII, 749. Peccata aliis non remittenti nulla est spes salutis. V, 1273. Peccata aliis condonare, antidotum contra omnia peccata. V, 1271. Remedium peccatorum. IV, 1698; IX, 215. Peccati venia quando et quo animo concedenda vel neganda. II, 391. Peccatum in se commissum dimittere, ut Deus dimittat, magnum opus misericordiæ. IX, 64. Peccata dimissa redeunt, ubi fraterna caritas non est. IX, 120. Peccata omnia delentur, cum ex vero corde et plena fiducia dicimus, *Dimitte nobis*, etc. IV, 1861. Peccata aliis dimittendi necessitas. V, 384. Delicta invicem nobis donare debemus, et pro his invicem orare. III, 1794, 1795. Veniam omnes deprecari a Deo debemus, non absolutionem. V, 152. Tota Ecclesia hîc petit sibi dimitti peccata. V, 981, 982. Quæ peccata petimus in oratione Dominica nobis dimitti. IV, 1507; IX, 120. Peccata venialia in oratione Dominica delentur. VI, 636. Peccata non omnium, sed eorum quos ante præscivit et prædestinavit Deus dimittit. VIII, 660. Cùm de corpore exierit unusquisque, dimittuntur ei omnia, quæ talia habebat ut dimitterentur debita; quia et quotidianis precibus dimittuntur. V, 982. Peccatum quibusnam Deus non imputat. X, 298. Etiam in sæculo futuro peccata quædam remittuntur. X, 848. Peccatorum remissio asylum civium supernorum. VII, 77. Misericordia Domini nulla uberior, quam remissio peccatorum. IV, 289. *Vide* Misericordia. Mortifera securitas peccandi spe veniæ confitentibus promissa. VI, 425. Omnia peccata sic habenda tamquam dimittantur, a quibus Deus custodit ne committantur. VI, 421, 427. Peccatorum remissionem significat sepultura. III, 592. *Vide* Remissio.

Peccatorum profunditas per abyssum significata. IV, 348. Peccata significantur in Lege cadaveribus mortuorum. III, 592. Et velis undecim operientibus tabernaculum. III, 655. Peccata, sola vincula quibus nos tenebat diabolus. V, 726. Peccata non solum vincula, sed et criminuli sunt. IV, 677. Infirmitates pro peccatis in Scriptura ponuntur. II, 633. Peccatum, mendacii nomine appellatur. VI, 547. Peccatum omne mendacium est. IV, 1174; VII, 407. Ad peccatum quod attinet, quid sit in dexteram vel in sinistram declinare. X, 184. Peccatum nihil est. I, 682. Et nihil fiunt homines, cum peccant. III, 1385; V, 153. Peccata non habent substantiam. IV, 1645. Peccatum opus servile. X, 218. Pili, peccatorum symbolum. V, 41, 56. Peccatum dæmoni est sacrificium. I, 673. Peccatum quasi scorpius est. V, 818. Peccata appellantur usuræ ac debita. IV, 910. Appellantur vulnera. IV, 861. Peccatum undenario numero significatur. VII, 465. Peccatum et vitium qui differant. X, 294. Peccatum quomodo dictus est Christus. VI, 252, 255. Christus peccatum, quia victima pro peccato. V, 825. Quomodo in ipso peccata. V, 1607. Peccatum cur dicitur assumptio carnis mortalis. III, 2072. Cur Christi caro, et ipse Christus. V, 745. Pœna peccati peccatum appellatur. III, 520; VI, 255, 540. Peccata dicuntur sacrificia pro peccatis. III, 721, 751, 1665; V, 744, 825; VI, 255, 540.

Peccator sub jugo est diaboli. VIII, 126. Peccatores, ex patre diabolo esse dicuntur. VIII, 135. Peccatores omnes, propter arbitrium libertatis, ad imitationem primi hominis pertinere volunt Pelagiani. X, 1204. Peccator generali nomine, aut Legis transgressor est, si accepit Legem; aut iniquus, si non accepit. IV, 879. Omnis prævaricator peccator est, sed non contra. IV, 1372. Qui nolet aut se coditeri peccatores, addita Lege facti sunt prævaricatores. IV, 1329. Peccator per Legem fit prævaricator. V, 690. Peccatores terræ omnes reputandi sunt prævaricatores legis, vel datæ in paradiso, vel in corde scriptæ, vel per Moysen datæ. II, 681. Portat secum traducem iniquitatis pœnamque peccati, morti deputatus. IV, 734. Omnes omnino homines mortui sunt in peccatis. VII, 665. Alii de necessitate peccant, alii in abundantia; quorum dicitur iniquitas ex adipe procedere. IV, 920. Alii per ignorantiam vel infirmitatem, alii per superbiam peccant. IV, 1522, 1523. Peccatores dicimur, cum per ignorantiam peccamus; Legis prævaricatores, cum scientes peccamus. VI, 271. Nihil interest utrum ipse scelus admittas, an propter te ab alio admitti velis. I, 1369. Pejus est alium ad peccatum inducere, quam ab ipso induci. I, 1285. Minus peccavit homo consentiendo dæmoni, quam dæmon male suadendo homini. I, 1286. Peccatoris aures inter Deum monentem et suggerentem serpentem. IV, 1172.

Peccatoribus panis veritatis amarus est. IV, 88. Peccantis adversarius, sermo Dei. V, 637. Peccator Deum fugere non potest : sed invenit ubique legem Dei in pœna sua. I, 699. Peccator avertens se a Deo, cæcus efficitur; nondum sentit pœnam, sed jam habet. V, 664. Peccatores cæci sunt corde. III, 1388. Quid agere debent ut curentur. III, 1388. Peccator in peccatis suis restem sibi texit. III, 1460.

Peccator quisque tanto magis deserit Christum, quanto magis diligit quod improbat Christus. VII, 748. Peccator pejor est, si lætatur in damno æquitatis. VII, 641. Peccantium felicitate nihil est infelicius. II, 531. Peccator in prosperitate comparatur fœno, quod cito transit. IV, 1177. Peccatorum pax non æmulanda. IV, 770, 771. Nemo gratuletur homini qui prosperatur in via sua, cujus peccatis deest ultor, et adest laudator : major hæc ira Domini est. IV, 126, 1266. Peccatorum felicitas, fovea ipsorum est. IV, 1204. Peccator in prosperitate similis est pisci, qui hamum jam habet in faucibus. IV, 1176. Ideo non sibi displicent peccatores, quia non se attendunt. IV, 1261. Peccator tunc contemnere dicitur, cum nullam providentiam Dei deputat, vel ad eam se pertinere non credit. IV, 1853. Peccatoris descriptio, ubi de ejus conversione. III, 1358. Peccatoris conversio et pœnitentia. IV, 583, 655, 1460, 1799, 1935. Conversio peccatoris, Dei gratiæ tribuenda. III, 406, 407. Peccator prius cognoscitur et quæritur a Deo, quam Deum cognoscat et quærat. III, 1448. Peccantes videt et odit Deus, etsi nunc tacet. V, 126. Peccatores amat Christus, ut non ament esse peccatores. V, 947, 949. Merita in peccatoribus præcedentia ad justificationem et obdurationem. VI, 72. Peccatoris prior labor, ut displiceat sibi, ut peccata expugnet, ut mutetur in melius; secundus labor, pro eo quod mutatus est, ferre tribulationes et tentationes hujus sæculi, et inter illas perseverare usque in finem. IV, 717 Peccator ut misericordiam consequatur, debet peccatum suum agnoscere. IV, 589. Peccator fremere debet, cum reum se agnoscit. III, 1755. Peccator etsi confiteatur, adhuc reus est, nisi ministri solverint. III, 1757. Peccator quomodo sanetur. III, 1540. A peccatore non Deus avertitur et convertitur. Aversus est, quia tu te avertisti; tu ab illo fecisti casum, non ipse a te fecit occasum. V, 780. Peccator pereat, ne homo pereat. V, 152. Peccatores duobus modis evertuntur. VII. 739. Peccator ut resurgat, imitari debet Christum resuscitantem Lazarum. III, 1755. Lazari suscitatio allegorice exponitur de suscitatione peccatoris. III, 1578. In reditu peccatoris ad Deum magnanimitas virtutem, doctrina sapientiam imitatur. VIII, 587. Tria peccantium genera, et tres peccati gradus, in tribus a Christo suscitatis mortuis figurantur. V, 593, 720. Peccatori perire volenti, tamquam lethargico, pie succurrendum. V, 246. Peccatores quoslibet qui negarunt ad pœnitentiam admittendos, ab Ecclesia excommunicati sunt. III, 2099, 2100. Peccatores pœnitentes clericatum non accipiebant, nec ad ipsum redibant ex rigore disciplinæ; poterat tamen circa illos dispensari. II, 812. Peccator non nisi paulatim recipit quod amissum est. V, 1270. Si cito rediret homo ad pristinam beatitudinem, ludus illi esset peccando cadere in mortem. V, 1270. Resurgendum celeriter a peccato. V, 595. Peccatorem diabolus aut a medicina confessionis avertit, aut in veniæ desperationem impellit, aut in divinæ indulgentiæ præsumptionem inducit. V, 139. Peccator nullus de Dei omnipotentis misericordia debet desperare. V, 1060. Peccator nullus desperet, sed ad Deum per pœnitentiam conjugiat. V, 442, 1548. Peccatorem se confitetur Paulus, ut nullus peccator de se desperet. V, 927, 949, 951. Peccator de Dei misericordia ita præsumat, ut non desinat timere justitiam ejus. V, 262. Peccatores sic ament mansuetudinem in Domino, ut timeant veritatem. III, 1650. Peccator non sibi parcat. III, 1491.

Peccatoris silentium, clamor impietatis in Deum. IV, 256 Clamor præsumptionis. IV, 266. Voces peccatoris in

profundum malorum demersi. IV, 1697. Peccatores excitantur ad orandum ut peccata deleantur, minuantur, deficiant. V, 749. Peccatores Deus audit. IX, 60, 61. Deus exaudit. III, 1718. Pericula eorum qui alios vitiis detentos curare satagunt. II, 352.

Peccatorum excusationes diversæ. VI, 358. Nulla justa est excusatio hominum; si enim excusatio peccatorum justa esset, non inde jam gratia, sed justitia liberaret. II, 883, 884. Inexcusabilis est omnis peccator, vel reatu originis, vel additamento etiam propriæ voluntatis, sive qui novit, sive qui ignorat. II, 883. Peccatori numquam bene esse potest. III, 384. Sed aliquando non sentit. III, 432. Peccatores jam ex hac vita cruciantur. IV, 689, 690. Peccatores plerumque aperti, semper occulte pro suis factis pœnas divinitus luunt. VII, 659. Peccator in se ipsum sævit. VIII, 137. Conscientia scelerati hominis carceres et inferos horrendis et pœnalibus tenebris vincit. II, 651. De peccatore facit Deus flagellum. IV, 362. Peccator inique existimat facta sua placere Deo, eo quod a vindicta supersedeat. IV, 582. Cur aliquando minus flagellantur peccatores in hac vita. IV, 409, 770, 771. Peccatores Deus hic flagellat, ut corrigantur. IV, 1292. Peccatores cum punit Deus, non malum suum eis infert, sed malis eorum eos dimittit. IV, 87, 151. Peccantium comparatione et pœna accenduntur alii ad recte vivendum. IV, 126. Peccatorem ubique prospicit Jesus, non ad adjuvandum, sed ad puniendum. V, 879. Unde aliqui senescant in criminibus. V, 879. Peccatores multi corriguntur, multi tolerantur, multi nesciuntur. V, 1546. Peccatori pœna de suis operibus servatur. IV, 124. Peccatores divina providentia non facit, sed ordinat. IV, 106. Sententia Dei in peccatores mutatur, si ipsi mutentur. V, 152. Correptio et judicium futurum in peccatores, qui hoc tempore non corriguntur. V, 125. Peccans natura melius ordinatur ut juste doleat in supplicio, quam ut impune gaudeat in peccato. VIII, 554, 563. Peccatoribus non esse parcendum in die judicii, sed æternis eos ignibus exercendos, quatenus et in sensu catholico ab episcopis approbatum, et ut erroneum Pelagio objectum. X, 326. Peccatores per ignem salvandos, a peccatoribus æterno supplicio puniendis non distinguebat Pelagius. X, 325, 326. Peccatorum expulsio a Deo. IV, 88. Peccator quis damnatione dignus. VIII, 419.

Peccator homo, duo nomina: alterum Deus fecit, alterum homo. V, 110, 152. In peccatore simul et culpa improbanda, et natura approbanda. II, 654. In peccatoribus non nisi peccata odienda, ipsi homines sunt diligendi. VIII, 161. Peccator in quantum peccator non est diligendus. III, 29. Peccator diligendus, non in quantum peccator, sed persequendo peccatum; quomodo diligitur æger, persequendo febrem. V, 43, 110, 165, 780. Quo sensu peccatores non habeant esse. IV, 450. Peccatores minus sunt quam erant. III, 133. Malum agunt et non agunt, quomodo intelligatur. IV, 1507. Peccantes quomodo singulas sanctissimæ Trinitatis personas imitantur. VIII, 586. Peccantes Deum Patrem imitantur impia superbia, justi pia liberalitate. VIII, 586. Conversio peccatoris superbi ob hujus sæculi dignitatem, describitur. III, 881. Peccatoris locus et usus. IV, 362. Peccatores sive angeli sive homines, non perturbant providentiam Dei. VII, 435. Peccatores valent ad exemplum. III, 432. Cur creavit Deus quos præscivit esse peccaturos VII, 455. Nec hominem nec angelum peccare compulit Deus, licet præsciret quid boni inde futurum esset. VII, 435, 436. Peccatores tamquam vasa diaboli quæ implet amaritudine sua. V, 726. Peccatorum et et impiorum una est massa in qua et Judæi et Gentes. VI, 124.

Peccator aliquando punitur pro peccato. III, 75. Peccatores in Scripturis quinam appellati. IV, 1412. Peccator, niger est color. V, 693. Peccatores pœnitentes pullis corvorum comparati. III, 880. Peccatores dicuntur hirci. IV, 779. Peccatores per hœdos significati. V, 43. Peccatores suat servi mortui. V, 744. Dicuntur tenebræ. IV, 1766. Tenebræ sunt. III, 258, 259, 826, 870. Terra appellantur. III, 1277. Peccatores per se salvari non possunt, adjuncti bolus quomodo accipiuntur. IV, 799. Peccator scabellum pedum Dei. III, 1257.

Pectoris tunsio. V, 133, 186, 433. Contritionis indicium. IV, 265. Pectus percutere solebant populi audito confessionis nomine. IV, 1495, 1774, 1844; V, 186. Pectus qui tundit et non corrigitur, solidat peccata, non tollit. VI, 675 Peccata pavimentat. V, 1463. Pectus tunde, sed plagas tibi dando in pectus cæsus, correctus esto. V, 512. Pectora tundunt etiam antistites ad altare assistentes. V, 1541, 1542. Pectus tundit etiam sacerdos. V, 749. Pectoris tunsio, testimonium peccati nostri. V, 751, 762.

Peculatus, furtum de republica. III, 1762.

Pecus constat ex anima et corpore. VIII, 418. Pecoribus animas non solum humanas, sed divinas inesse credebant Manichæi. VIII, 231, 232. Pecora habent etiam animas. V, 1181. Pecorum nomine quæ intelliguntur animalia. III, 241. Pecorum vita quæ. III, 1540. Pecoris bonum quid sit. IV, 1322. Pecora greges Dei. IV, 1911. Pecorum occisionem cur prohibebant Manichæi. VIII, 383. Pecorum nomine indocti intelliguntur. IV, 1750.

Pecudes bis in anno pariunt in Italia. III, 573.

*Pecunia* Dea. VII, 128.

Pecunia a pecore dicta, est quidquid possident homines. VI, 672. Pecuniæ nomine continentur omnia quorum jure domini sumus. I, 1238. Pecunia ærea prius in usu esse cœpit, quam argentea. VII, 128. Pecunia et divitiæ differunt. VII, 204. Pecuniam sola iniquitas putat divitias. IV, 620. *Vide* Aurum, Divitiæ. Pecunia non immerito rotunda signatur, quia non stat. IV, 1057. Pecuniam inter et Deum quantum intersit. VI, 674. *Vide* Avarus. Ut pecuniam augeant quidam, fidem perdunt. IV, 1645. Pecuniæ amor, rectæ spei venenum est. I, 1006. Pecuniæ amor usque ad animæ contemptum. V, 1457. Pecuniam sanguinem suum quidam appellantes. V, 146. Pecunia prodesse et obesse potest. V. 498. Pecuniæ ita manum mitte, ut cor inde solvas. V, 955. Pecunia non facit beatum. VI, 674. Pecuniam cum proximo dividere, quam justum. VI, 673. Pecunia et a malis male habetur, et a bonis tanto melius habetur, quanto minus amatur. II, 665. Pecuniæ aliquid an liceat servare, cum Dominus jusserit non cogitare de crastino. III, 1805.

Pecuniosi non divites sunt, si cupidi. VII, 204.

Pedes metrici, qui sint et quot in genere. I, 1102. De iis copiosissime tractatur. I, 1107.

Pedes hospitum lavandi consuetudo est apud plerosque. III, 1794. Laudanda hæc consuetudo. III, 1794. Pedes hospitum lavat, qui humilis est corde. III, 1794. Explicantur allegorice quæ gessit Christus lavando pedes discipulorum. III, 1787. Pedes Christi odore pretioso quisnam perfundit. III, 73. Pedes inquinantur, etiam cum ad Christum per terram venitur. III, 1789, 1790.

Pes animæ, amor. IV, 124. Pedes nostri. Affectus nostri. IV, 1217. Pes superbiæ dicitur, quo recedimus a Deo. IV, 354. Pedes Domini, qui. IV, 855, 1167. Duo pedes sunt caritatis præcepta. IV, 315.

Pedibus nudis ambulantium hæresis. VIII, 42

*Pegasius* episcopus Donatista. IX, 528, 555.

Pegasus. VII, 570.

*Pelagianus* episcopus. II, 750, 780.

*Pelagianus* a Luperciana. IX, 229.

Pelagiana hæresis. III, 2061, 2062. Unde orta. III, 85. Pelagius et Cœlestius nefandæ hæresis principes. X, 1561. Pelagius magister Cœlestii. X, 355. Pelagius occultior hæreticus et mendacior, Cœlestius apertior et pertinacior. X, 391.

*Pelagius* Britto cognominatus, ut servus Dei a Paulino quondam dilectus fuit. II, 816. Pelagius monachus. VIII, 47; X, 342, 345, 346. Pelagius ejusque sectatores ingenio pollere indicantur. II, 821, 850. Vir circumspectus. X, 196. Vir, sicut eum qui noverunt loquuntur, bonus ac prædicandus. X, 188. Pelagius vir egregie Christianus. X, 189. Non parvo profectu Christianus. X, 189. A nonnullis laudatus. X, 188. Pelagii mores laudabiles. X. 167. Pelagius existimatus vir sanctus. X, 185, 186. Pelagium sanctum vocat Julianus. X, 1406. Epistolæ episcoporum ad Pelagium scriptæ, plenæ laudibus. X, 348. Pelagii nomen cum aliqua laude ab Augustino aliquando commemoratum. I, 644. Pelagium Augustinus in salutatione epistolæ, dominum vocat. X, 349. Et dilectissimum et desideratissimum X, 349. Pelagium officiosis litteris resalutat Augustinus. II, 506. Vehementes et quodam modo ardentes Pelagii ad bonam vitam exhortationes. X, 348.

Pelagius diu Romæ vixit. X, 389, 396. Pelagii prius absentis, et Romæ constituti, nomen cum magna ejus laude cognovit Augustinus. X, 346. Pelagius unde notus Augustino. X, 346. Pelagius in Africam venit. X, 346. Hipponensi littore exceptus est, absente Augustino. X, 346. Profectus est Carthaginem tempore Collationis cum Donatistis. X, 346. Ibi faciem ejus semel atque iterum vidit Augustinus. X, 346. Ad transmarina postea properavit. X, 346.

Pelagianæ hæreseos capita. II, 674. Quædam capita. X, 355, 356. Capita præcipua. X, 357. Pelagianæ hæreseos tria præcipua capita. X, 606, 996. Pelagianorum nebulæ et calumniarum capita quinque. X, 606. Pelagianæ hæreseos dogmata refert Augustinus. II, 772, 773, 774. Pelagianorum dogmata de gratia, de libero arbitrio, et de parvulorum salute. X, 570, 571. Paradoxa Pelagianorum de parvulorum baptismate. X, 705.

Pelagiani negabant originale peccatum. I, 598, 608; II, 725, 762, 775; V, 1345. Carnem omnis infantis carni Christi conantur æquare. V, 932. Pelagius parvulorum fallax

laudator. X, 531. Pelagii argumentatio contra peccatum originale. II, 865. Pelagiani peccatum originale in nascentibus nullum esse contendunt. X, 114. Miserias generis humani sine illo peccati merito fieri dicunt. X, 1098. Coguntur in paradiso mala omnia, quæ peccari pœnas credimus, et ipsam libidinem collocare. X, 1507, 1509, 1513. Pelagii error, culpa carere qui talis fuit, quia aliud esse non potuit. X, 251. Pelagiani velut sanam laudant naturam. X, 1060. Carnis concupiscentiam velut naturale bonum laudant, quare. X, 436. Refelluntur auctoritate Ambrosii. X, 436. Ignorantiam et difficultatem ad naturæ institutionem pertinere asserebant. I, 598, 608. Aliqui ipsorum dicunt omnem hominem a Deo creari, etiam nunc immortalem, et omnes pro meritis suis mori, quia omnes peccaverunt; non in Adam, sed in se, ex quo creati sunt. V, 906. Refelluntur. V, 906. Pelagiani docent mortem non a peccato esse, sed a natura; et moriturum Adam, etiamsi non peccasset. V, 1575. Pelagiani initium peccati ex Adam factum docebant, quatenus cæteri eum imitati sunt. II, 679. Refelluntur. II, 684. Pelagiani propter salutem baptizari parvulos nolebant. II, 761, 763, 773. Christum dicunt salvatorem majorum, non minorum. V, 992. Sentiebant parvulos æternæ vitæ præmiis sine baptismatis gratia posse donari. II, 785. Baptizandos parvulos concedunt, non propter vitam æternam, sed propter regnum cœlorum. V, 1333. Pelagiana vitæ æternæ et regni Dei distinctio, plane arbitraria. V, 1338. Pelagianorum sententia de loco ubi maneant beati innocentes, qui sine baptismo ex hac vita migrarunt. III, 1812, 1813. Infantes, etiamsi non baptizentur, habere vitam æternam, error est quem Pelagius anathematizavit. II, 826. Pelagiani immerito regnum cœlorum parvulis non baptizatis intercludunt, cum peccatum originale non agnoscant. X, 175. Secum pugnant, cum non damnandos asserunt parvulos non baptizatos, et tamen sentiunt ideo eos non baptizari, quia male victuri essent. II, 889. Pelagiani usquequaque convicti, etiam non commissorum peccatorum Deum persuadere moliuntur ultorem. II, 889. Pelagiani non parum veritati propinquarunt in quæstione de baptismo parvulorum, ubi fassi sunt infantes credere per eos, a quibus offeruntur. II, 870, 871, 890. Pelagiana hæresis naufragat in parvulorum miseria. X, 1294. Pelagianorum errori de peccato originali, nec ratio, nec eruditio, nec pietas, nec justitia, nec sacra testimonia suffragantur. X, 1147. Pelagiani Manichæis consentiunt ad negandum peccatum originale. X, 613. Pelagiani peccatum originale negando adjuvant Manichæos. X, 863, 865, 1074, 1105, 1114, 1288. Pejus quam Manichæi sæviunt in parvulos. X, 1062. Pelagiani dum Manichæorum pestem in perversum vitare conantur, de nuptiarum fructu ipsis Manichæis perniciosiora sentire convincuntur. X, 1463. Sicut Ariani aliquid pejus Sabellianis sentiunt de Trinitate, ita Pelagiani pejus Manichæis de nuptiis. X, 458. Pelagiani declinantes errores Manichæorum, in alios impinguut. X, 613. Et cum Manichæorum hæresim declinant, aliam inducunt. X, 571. Pelagiani et Manichæi quatenus errore conjuncti, quatenus separati. X, 573. Pelagiani Manichæorum nomine Catholicis objecto, putant se subterfugere vim veritatis. X, 607. Pelagianorum et Manichæorum hæreses sibi mutuo adversæ, et æque a catholica Ecclesia reprobatæ. X, 572, 573. Pelagiani electionem futuris operibus adscribentes convincuntur in parvulis geminis, uno post baptisma, altero sine baptismatis gratia mortuo. X, 583. Pelagiani in quo Dei judicia evertunt. X, 1097. Pelagiani non ideo sunt hæretici, quia negant animas ex traduce propagari. II, 865.

Pelagius elatus assertor liberi arbitrii. X, 573. Pelagius naturæ vires extollendo præcipitat X, 575. Pelagiani præcipitatores liberi arbitrii. III, 1941; X, 554. Superbi arbitrii sui defensores. X, 585. Inflatores liberi arbitrii. X, 1207. Pelagiani et Catholici in quo dissentiunt dicendo liberum arbitrium esse in hominibus, et Deum esse nascentium conditorem. X, 1289, 1290, 1291. Pelagiani patientiam viribus liberi arbitrii tribuunt. VI, 607. Pelagius naturam humanam peccato depravatam aut corruptam negat. X, 256. Naturam non esse vitiatam, liberumque arbitrium ad salutem sufficere docet. II, 765, 768. Pelagiani putabant possibilitatem volendi et operandi a Creatore insitam nos habere. II, 816. Pelagiani similes sunt iis qui in Lege gloriantur. II, 676, 893. Dicunt voluntatem humanam Lege data sibi ad eam implendam posse sufficere. II, 595. Pelagianum dictum, *Opus erat ut per doctrinam Legis scirem quid agerem; habeo liberum arbitrium, quis me a via ista separabit?* Refellitur. V, 730. Pelagiani dicebant etiam hominem in hac vita, præceptis Dei cognitis, ad tantam perfectionem justitiæ sine adjutorio gratiæ Salvatoris per solum liberum voluntatis arbitrium pervenire, ut ei non sit jam necessarium dicere *Dimitte nobis*, etc. II, 765, 772. Pelagianorum sententia erat auferri liberum arbitrium, si nec ipsam bonam voluntatem sine adjutorio Dei hominem habere concessissent. II, 875. Pelagiani impie garrientes, et de suis viribus præsumentes dicunt, *Deus me hominem fecit, justum ipse me facio.* V, 656. *Si volo, justus sum; si nolo, justus non sum.* V, 1316 *Tu te salvum facis, si volueris.* V, 409. *Ut justi simus, libero id arbitrio agimus.* V, 172. Pelagiani contra hæreticos, intellectum bonum quo benedicitur Deus, habere se a natura jactantes. V, 1644. Jactant ad Christum se venisse arbitrio suo et voluntate sua. V, 192. Naturam multum laudando decipiunt. V, 754. Dicunt caritatem non ex Deo, sed ex nobis esse. I, 621. Hominem sibi sufficere, nec egere divina gratia ex Innoc. II, 785. Ad mandata Dei servanda nullo nos egere auxilio divino. II, 772, 774. Sine gratia Dei, absque peccato hominem esse posse, et revera quosdam fuisse, sed sibi ipsi contradicunt. II, 775, 776, 829.

Pelagiani ingrati gratiæ, multum tribuentes inopi sauciæque naturæ. V, 752. Pelagiani redarguuntur, liberum arbitrium sic defendentes, ut negent Dei gratiam. VI, 443. Pelagius gratiæ Christi contradicit, defendendo naturam. X, 260. Pelagius hominem sine gratia posse non peccare docebat. X, 281, 285. Patrum testimonia quibus hominem sine gratia posse non peccare probat Pelagius, explicantur. X, 282. Pelagius Jacobi apostoli locum corrumpit ad negandam gratiæ necessitatem. X, 254. Illa verba, *Da quod jubes, et jube quod vis*, ferre non potuit Pelagius. X, 1026. Credit nihil esse quod a Deo accipiat, nec aliquid superesse quod petat ad sanandum se, ex Innoc. II, 787. Ex Pelagiana hæresi sequitur necessario nos orare non debere. II, 595, 761, 763, 774. Pelagiani dicunt se, ut Deus daret ipsis, rogasse; ut rogarent, prius credidisse. V, 913. Donum Dei non poscunt, ne peccent. X, 1098. Pelagii dogmata de gratia. VIII, 47, 48. Pelagianorum error circa gratiam non mediocris. II, 849. Pelagiana hæresis exoriens horretur, et gratiam Dei admittere se simulat. V, 174.

Pelagianorum gratia. II, 652, 768, 849, 852; X, 1296. Pelagiani gratiam ad naturam, Legem, doctrinam, liberum arbitrium, exemplum Christi, remissionem peccatorum referebant, II, 760, 768, 852. Pelagio doctore ea intelligenda est gratia Dei, quæ Paganis atque Christianis, impiis et piis, fidelibus et infidelibus communis est. II, 816. Pelagius gratiam in Lege et doctrina constituit. X, 364, 365. Pelagius in quo medecinale Salvatoris auxilium ponit. X, 266. Pelagius ad id Christum nobis necessarium fuisse putavit, ut discamus quemadmodum vivere debeamus. X, 270. Pelagius docuit gratiam dari ex abundanti, aut ad facilius operandum. II, 829.

Pelagiani gratiam secundum merita dari docent. I, 595; X, 577. Ore dumtaxat Pelagius hoc anathematizare non distulit in judicio Palæstino. X, 578. Pelagiani fidei desertores. X, 576, 585. Oppugnatores gratiæ. X, 576. Gratiæ Dei non solum desertores, sed etiam persecutores. X, 625. Pelagiani multum plangendi contra apertam gratiam contendentes. V, 754. Pelagius ac Cœlestius gratiam oppugnant, non tamen aperte. II, 760, 762, 774, 865. Secundum Pelagianorum hæresim Christus gratis mortuus est. II, 768. Quid est qui impie oppugnat gratiam, si Pharisæus reprehenditur qui superbe agit gratias? V, 657. Pelagianorum humilitas mendax. V, 981. Pelagiani Pharisæo superbiores. V, 1315. Pelagianorum sententia de perfectione. X, 689. Pelagianorum error, justos omni peccato carere. X, 998, 999. Quo sensu homo potest secundum Pelagianos esse sine peccato. X, 802. Pelagiani docent hominem sine peccato esse posse in hac vita. V, 833. Totam Ecclesiam esse absque ullo peccato. V, 980. Pelagiani divitem in divitiis suis manentem, regnum Dei non posse ingredi, etc. falso docebant. II, 686, 687, 688. Pelagianis adversa dogmata, quæ catholica Ecclesia semper tenuit, Diospolitano concilio confirmata. II, 828. De Pelagii et Cœlestii erroribus in concilio Carthaginensi anno cccxcvi celebrato episcopale judicium habitum fuerat. II, 759, 760.

Pelagium et Cœlestium auctores nefarii erroris arguunt Heros et Lazarus. II, 759, 763. Pelagius Herotis et Lazari objectis respondit. II, 775. Pelagio judices præsederunt episcopi quatuordecim in synodo Palæstina. X, 652, 663. Eorum nomina. X, 663. Pelagio quædam objecta in synodo Palæstina. X, 320. Pelagio capitula Cœlestii objecta, et ab ipso reprobata. X, 333, 334. Damnata sunt hæc in synodo, et ipse Pelagius damnandus foret, nisi hæc etiam ipse damnaret. X, 358, 554. Objecta sunt etiam Pelagio alia capitula de Sicilia Augustino missa, interposita ipsius Augustini nominis commemoratione. X, 334. Pelagii responsio ad capitula objecta, et professio fidei suæ. X, 345, 346. Pelagius Cœlestii aliquas sententias suas esse negavit, aliquas anathematizare noluit. X, 352. Summa capitum quæ Pelagius in concilio Diospolitano anathematizavit, quæque Catholicus debet profiteri. II, 828, 979. Pelagius damnavit Adam ita mortalem factum, ut sive peccaret, sive non pec

caret, moriturus esset. X, 1089. Pelagius ut catholica synodus falleretur, et ne novus hæreticus damnaretur, anathematizavit eos qui dicunt, in eo statu esse recentes ab ortu parvulos, in quo Adam fuit ante prævaricationem. X, 392. Damnavit eos qui dicunt Adæ peccatum ipsum solum læsisse, et non genus humanum; infantesque recens natos in eo statu esse, in quo Adam fuit ante prævaricationem; et habere vitam æternam, etiamsi non baptizentur. X, 653, 705, 715, 1112, 1113. Non corde veraci damnavit. X, 1112, 1113. Adæ peccatum ipsum solum læsisse et non genus humanum, nisi damnaret Pelagius, damnaretur a judicibus Palæstinis. X, 392, 1186. Imitatione, non propagatione peccatum Adæ læsisse genus humanum dicens Pelagius, putat se elusisse judicium Palæstinum. X, 653. Nisi in conspectu audituque episcoporum Orientalium damnasset Pelagius objectos sibi errores de parvulis, nullo modo inde nisi damnatus exisset. X, 653, 705. In quæstione de baptismate parvulorum Palæstinos judices fefellit Pelagius. X, 590. Tanto judices fefellit occultius, quanto exposuit sententiam suam versutius. X, 393. Fraus et versutia Pelagii. X, 393. Latibula Pelagii sub ambiguitate. X, 396. Pelagius statum quæstionis de baptismate parvulorum invertit. X, 394. Pelagius cum eis, quos tamquam male sentientes de parvulis damnavit, profecto damnandus : quia id quod negavit ore, corde servavit. X, 653. Peccatum Adæ ipsi soli nocuisse, non ejus posteris, docuit Pelagius, etiam postquam in synodo Palæstina dogma illud damnavit. X, 391, 392, 393. Pelagii calliditas in supprimenda Dei gratia, in quibusdam sui libri apicibus. X, 347. Pelagius in synodo episcopali damnavit eos, qui negant gratiam ad singulos actus dari, et eam in Lege et arbitrio ponunt. II, 979, 984; X, 338, 361. Pelagii suspecta professio de gratia ad singulos actus necessaria. X, 361, 365. Pelagius gratiam confitetur verbis subdolis. X, 331. Pelagius sub ambigua generalitate quid sentiret abscondens, gratiæ vocabulo frangebat invidiam, offensionemque declinabat. X, 379. Pelagius veram tandem gratiam admisit in synodo episcopali. X, 338. Non veraciter gratiam Dei confessus est. X, 332, 361. Pelagium confiteri gratiam in Ecclesiam notissimam credidit synodus Palæstina. X, 333. Quid a Pelagio in quæstione de gratia exigatur. X, 383. Pelagius epistolam Augustini ad se datam protulit in synodo Palæstina. X, 549. Pelagius in judicio Palæstino gratiam secundum merita non dari confessus est. X, 887. Damnationis suæ timore, gratiam secundum merita dari damnavit. X, 619, 1011, 1028. Non veraci corde damnavit. X, 371. Sed ficto. X, 567. Et subdolo timore. X, 577. Ambiguis verbis sensum suum obtexit. X, 534. Episcopale judicium timens, gratiam Dei secundum merita nostra dari, negavit se dicere; et eos qui hoc dicerent, anathematizando damnavit. II, 877; X, 554. Pelagius gratiam secundum merita dari nisi damnasset, a catholicis episcopis damnaretur. X, 727, 887, 1133, 1212. Non aliud tamen defendere invenitur in libris quos postea scripsit. X, 534. Fallaciter id eum anathematizasse, posteriores ejus indicant libri. II, 877; VIII, 48; X, 887. Pelagius quidquid in miserabili synodo Diospolitana dixisse se denegat, in responsione ad epistolam Hieronymi profitetur. II, 928. Pelagius quam orationem necessariam admiserit. X, 256. Pelagius ab episcopis quatuordecim provinciæ Palæstinæ catholicus est pronuntiatus. I, 649; X, 319. Catholicus judicatus. X, 357, 358. In synodo Palæstina absolutus, et sicut nonnullis videtur, purgatus. II, 761, 764; X, 333, 335. Subterfugit, non se purgavit. II, 788. Fefellit judicium Palæstinum, propterea ibi videtur esse purgatus. X, 389, 392. Pelagius fallendo, a synodo Palæstina absolutionem suam furatus est. X, 392, 394. Quomodo absolutus. X, 394, 663, 697. Absolutum est in judicio Palæstino quod Pelagius tenere debuit. X, 394. Pelagii absolutio. X, 346. Pelagii purgatio suspecta habetur. X, 346. Qualem tulit de illius purgatione sententiam Innocentius. X, 389. Benigne interpretatur Augustinus quod incautius a judicibus gestum est in causa Pelagii. X, 344. Patres Diospolitani, qui Pelagium absolverunt, non accusandi. II, 764, 765. Pelagius quid agere debeat, ut videatur correctus. X, 350. Pelagii chartula defensionis ad Augustinum. X, 332. In ea fecit aliquid, quod aliter se habeat, quam gestis episcopalibus continetur. X, 332, 333, 334. Pelagius de judicio Palæstino quatuordecim episcoporum, tamquam de victoria gloriatur. X, 350. Pars actorum judicii Palæstini in causa Pelagii. X, 390. Innocentii judicium de actis Palæstinis. X, 389. Pelagium non existimat purgatum Innocentius. II, 787. Pelagio absoluto hæresis ejus damnata. X, 334, 335, 338, 699. Pelagius Palæstinam synodum fefellit. X. 390, 392, 393. Quomodo illam eluserit. X, 653. Pelagius apostolicam sedem fallere conatur. X, 394, 396. Pelagii litteræ cum libello fidei ad Innocentium missæ. X, 376, 396, 397. Pelagii invidiosæ de suis inimicis querelæ. X, 376. Pelagius latebris ambiguitatis parat falsitati refugia. X, 394, 396. De Pelagii epistola qua suos errores ab episcopis quatuordecim probatos fuisse gloriatur. 350, 351. Pelagius fefellit judicium Palæstinum, at Romanam Ecclesiam fallere non valuit. X, 389. Libellus contra Pelagium sancto episcopo Eulogio oblatus. X, 325. Pelagii damnatio. X, 394. Pelagius in Palæstina synodo damnatus. X, 703. Pelagius et Cœlestius damnati. X, 396. Merito damnati. X, 410. Pelagiana hæresis ab episcopis damnata, non adhuc examinanda est, sed coerceuda. X, 1183. Post Pelagii et Cœlestii excommunicationem, multi eis adhærentes conversi. X, 394. Pelagii discipuli ex parte a præceptoris doctrina recedunt. X, 583. Post synodum Palæstinam non catholice sensit Pelagius de parvulis. X, 392. Nec de auxilio gratiæ sincere scripsit. II, 829. Pelagius post Synodum Palæstinam edidit libros suos. II, 829; X, 394. Isti libri notantur. II, 826, 829. Etsi revelationem per Spiritum sanctum agnoscat Pelagius, non tamen a suo dogmate recedit. X, 381. Pelagii epistola ad Demetriadem. X, 371, 378. Dicit se in ea gratiam apertissime confiteri. II, 854. Quid de libro ad Demetriadem scripto sentiat Augustinus. II, 850. Pelagii epistola, ad Paulinum. X, 378. Ad Constantium. X, 378. Pelagianorum epistolæ duæ; una Romam, altera Thessalonicam missa. X, 551. Primam misit Julianus, ut per illam quos posset, suos aut inveniret, aut faceret : alteram decem et octo velut episcopi, ad loci illius episcopum, ad suas partes, si fieri posset, traducendum. X, 551. Pelagianorum epistola ad Orientem missa. X, 1218. Pelagiani Ecclesias Orientales sibi favere mentiebantur. X, 335. Et toto penitus Occidente non minus stultum quam impium dogma suum esse susceptum. X, 623. Pelagius testimonio Augustini usus. I, 596. Pelagii epistola quam Romam misit. X, 361. Pelagii liber pro libero arbitrio. X, 379, 380. Pelagius in libris quos pro libero arbitrio edidit, nihil aliud sentit, quam quod damnavit in synodo Palæstina. X, 361. Pelagius, Cyprianum imitatus, librum scripsit testimoniorum. X, 623. Seu capitulorum. X, 350, 351, 1420. Pelagii expositiones in epistolam Pauli quæ scribitur ad Romanos. X, 185, 186, 343. In his non ex sua persona errores suos objicere ausus est. X, 396. Pelagii liber a Jacobo et Timasio oblatus Augustino. X, 338, 347. Nomen non erat expressum, ut vivente amicitia, amicorum error moreretur. X, 348. Ab Augustino refutatur liber *de Natura et Gratia*. X, 347. Tacito ejus nomine. II, 816. Pelagium cur tandem expresso nomine confutavit Augustinus. X, 348.

Pelagiana hæresis damnanda, et si juste fuisset Pelagius absolutus in concilio Diospolitano. II, 761. Pelagiani Conciliorum catholicorum, et sedis apostolicæ auctoritate damnati. X, 505. Contra Pelagianos de Africano Concilio ad Zozimum fuit scriptum, et ab eo ad universos orbis episcopos rescriptum. II, 972. Posteriori Concilio plenario totius Africæ contra ipsum Pelagii errorem constituta mittit August. II, 972. De hac causa duo Concilia, Carthag. ac Milevit. ad sedem apostolicam missa, et inde rescripta venerunt. V, 754. *Not.* (*a*). Causa finita est, utinam finiatur error. V, 754. Contra Pelagianos epistola ad Innocentium Carthaginensis concilii. II, 759. Item alia Milevitani concilii. II, 762. Et alia quinque episcoporum. II, 764. Hæc aliquanto diligentius scripta dicitur. II, 972. Innocentii ad tres illas litteras totidem rescripta. II, 781. Pelagium et Cœlestium anathemari oportere, nisi errores suos anathemaverint, concilium Carthag. decernit. II, 760. Exempla litterarum, quas contra Pelagium et Cœlestium scripsere Concilia, nec non Innocentius et Zosimus, Augustinus mittit ad Optatum. II, 865. Et ad monachos Adrumetinos. II, 972. Pelagianos velut membra putrida præcidendos ait Innocentius. II, 782, 784, 786. Pelagius et Cœlestius damnati sunt a Conciliis episcopalibus, ab Innocentio et Zosimo. II, 867. Pelagianis in frequentissimo populo Sixtus anathema pronuntiavit. II, 874. Pelagiani convincuntur, et condemnantur ab Episcopis Romanæ Ecclesiæ, cooperantibus conciliorum Africanorum litteris. I, 650. Pelagii error damnatur. II, 817. Pelagius et Cœlestius nisi correcti egerint pœnitentiam, toto orbe damnati sunt. II, 865. Pelagiani ab Ecclesia damnati. X, 1211. A facie Ecclesiæ projecti. X, 1258. Pelagiani de Ecclesia merito pulsi. X, 798, 1503. Et ab Ecclesia merito separati. X, 1187. De Ecclesia exierunt. X, 1292. In Pelagianæ hæresis auctores, episcopalia Concilia, et apostolica sedes, universaque Ecclesia Romana, Romanumque imperium, quod Deo propitio Christianum est, rectissime fuit commotum. X, 394. Pelagiani lenius, quam severior postulabat Ecclesiæ disciplina, tractati sunt. X, 574, 575. Pelagiani partim damnati, partim correcti. X, 637. Pelagiani universalem synodum Orientis et Occidentis ambiunt. X, 638. Non par est ratio habendi collationem cum Pelagianis, sicut habita est cum Donatistis. X, 704 Pelagiani pro se ab Imperatore responsum esse jactitabant, X, 705. Catholicos accusabant quod ad potestates mundi confugerent, etc. X, 1183. Augustinum vocant hæreticum, qui

eos, licet merito posset, hoc nomine non appellat. V, 1348. Pelagius et Cœlestius recenti judicio catholica communione privati in sua damnatione persistunt. II, 894. Pelagii damnatio utilis. II, 787. Pelagium et Cœlestium in Ecclesia sanari malunt Patres Milevitani, quam desperata salute ab Ecclesia resecari, quod et cupit Augustinus. II, 764, 773. Pelagiani circiter an. CCCCXVI nondum evidenter ab Ecclesia separati. II, 686, 773. Pelagii errores ex quo damnati sunt, alii eos adhuc liberius defendunt, alii occultius seminant, alii præ timore silent quod in corde retinent. II, 867, 875. Primi severius coercendi, alii vigilantius vestigandi, postremi tractandi quidem lenius, sed non segnius docendi. II, 875. Pelagianorum calumniæ in catholicos. X, 1262. Catholicis intelligendi tarditatem objiciunt. X, 115. Pelagianos plangit Augustinus, et hortatur populum ut eis compatiatur. V, 754. Jubet ut eos occultare nolint, sed ad se perducant. V, 754. Pelagiano errori quidam non maliliose implicati. VI, 444. Pelagiani male crebrescentes cavendi. II, 867, 875; V, 1376. Pelagiani, nonnulli antequam hæc hæresis manifestissimo sedis apostolicæ judicio damnaretur, noti, post repente reticuerunt. II, 867. Pelagiani deficere incipiunt. VI, 696.

Pelagiani tandem gratiam confessi sunt, et inde benedicit Augustinus Deum, sperans meliora. V, 856. Sed hanc volunt tantum juvare ad facilius agendum. V, 856. Quod refellitur. II, 856. Pelagiani piorum vocibus pressi, gratiæ auxilium suo se præire merito volunt. II, 876. Pelagii et Cœlestii damnationi subscribere renuentes qua plectantur pœna. II, 927. Pelagius et Cœlestius constitutione Imper. Roma expulsi. II, 927. Ac nova sanctione jubentur eos propellere aut prodere, qui eos in quacumque provincia latitare scierint. II, 927. Cœlestianam hæresim Alypio et Augustino auctoribus jugulatam esse Hieronymus gratulatur. II, 928. Pelagii exhortatione Timasius et Jacobus sæculum abdicaruut, ac male de gratia sentientem sequuti, Augustini opera postea sunt conversi. II, 767, 816. Pelagiani recipiendi in Ecclesiam, si resipuerint. II, 784, 786.

Pietas vera quæ. VII, 159, 160. Pietatis exordium, est optime de Deo sentire. I, 1224. Pietatis perfectio est caritas. III, 132. Pietas est amare Deum gratis. V, 568. Pietas juxta græcum, bonus cultus. VI, 231. Pietas est verus veri Dei cultus. II, 673; V, 525. Non colitur Deus, nisi amando. II, 557. Idem piis probatur, quod Deo placet. I, 865. Pietatis via ab humilitate in superna surgit. VII, 52. Ad pietatem, non ad ignaviam otio fruendum. II, 188. Pietas est hominis sapientia. VI, 231; X, 211. Est secundus ad sapientiam gradus. III, 39. Pietas et caritas si desit, quid est ab illis et a cæteris mundi malis tranquillitas et quies, nisi luxuriæ perditionisque materies, sive invitamentum sive adjumentum? II, 1026. Pietas non expetenda est propter bona aut mala hujus vitæ, sed propter futurum judicium. VII, 661. Pietas sufficit ad veram felicitatem. VII, 114. Fides et pietas præparationes ad introeundum cum sponso ad nuptias. II, 574. Pietas est magnum donum Dei. VII, 114. Pietas magna, ut magna impietas, paucorum est. V, 441. Pietatis forma, non virtus, inesse potest præcisis ab Ecclesia. V, 463. Pietas non solum erga Deum, sed et erga parentes habetur. VII, 279. Erga sanguine conjunctos et erga patriam. VI, 21. Hanc vis innata inseruit. VI, 21. Pietas sanctissimum generis humani vinculum. VIII, 84. Pietatis nomen etiam in operibus misericordiæ frequentatur. VII, 279. Pietas plus est quam pius, etc. III, 1685. Pii Christum gratis amant. IV, 1432. *Vide* Boni. Pius pascitur cibo justitiæ. IV, 1290. Pii quomodo persecutionem patiuntur. IX, 719. Piis vivunt impii. III, 143.

Pigmæi dicti quasi cubitales. VII, 485.

Pigmenta impugnarunt Cyprianus et Ambrosius. III, 114. Mulieres quæ formam pigmentis colorant, pejores adulteris. III, 114. Maritos docent adulterare. III, 114.

Pignus et arra quo differant. V, 158, 159, 858, 1673.

Pigritiæ onus, et pugna ejus cum avaritia. V, 897. *Vide* Acediæ, Negligentia.

*Pilati* mentio fit in passione Christi propter temporum cognitionem. VI, 187. Pilatus aliquantum particeps fuit iniquitatis Judæorum. IV, 762. Pilatus et Magi significaverunt Gentes ab Oriente et Occidente congregandas. V, 1031.

Pilleatus. III, 1440.

*Pilummus* Deus. VII, 188.

*Pilus* in disputatione Ciceronis de republ. inducitur ut interlocutor. VII, 66. Pilus justitiam contra injustitiam defendit. IX, 560. *Not.* (*a*).

Pinguedo quædam animæ. IV, 756.

*Pinianus.* II, 471. Maritus Melaniæ. X, 359. *Not.* Pinianus jurare vult populo quod si esset ordinatus invitus, ex Africa omnino discederet. II, 478. Pinianus permittente, non jubente Augustino juravit. II, 479. Pinianus qua religione præstitum Hipponensibus juramentum exsolvere debeat. II, 476, 477. Pinianus homo dives ac pecuniæ contemptor et largitor. II, 475, 481. Pinianus innuitur esse monachus. II, 483. Piniani, Albinæ ac Melaniæ elogium. II, 473. Excusat se Augustinus quod Thagasten nondum ad eos perrexerit. II, 473, 474.

Piratæ libera responsio ad Alexandrum. VII, 115. Piratarum bellum. VII, 107.

Pirites lapis Persicus tenentis manum, si vehementius prematur, adurit. VII, 715.

Piscatorum et venatorum officia. VI, 714. Piscatorem de oratore non lucratus est Christus, sed oratorem de piscatore. IV, 372. Piscatores et infirmi cur prius electi a Christo. V, 256, 557, 1683. Piscatio discipulorum duplex, una ante, altera post resurrectionem; et utriusque discrimen. VI, 97. Piscationes Domini jussu factæ duæ, quomodo statum Ecclesiæ præsentis et futuræ adumbrant. V, 1161, 1244. Captura piscium cum quid significat. IV, 1961; VI, 59. Novam vitam demonstrat. II, 219.

Piscis mutus. I, 1551. Pisces memoriam habere certissimum est. III, 285, 284. Pisces duo, quibus Dominus turbas pavit in monte, quid significant. VI, 48, 49. Duas personas significant, regiam scilicet et sacerdotalem. I, 627; III, 1595. Quid per pisces et cetos significatur. I, 863. Pisces maris, curiosos significant. IV, 115. Piscis de profundo levatus, manducatur in mensa parata in conspectu creaentium. I, 858. Piscis bonus, pia fides. V, 620.

Piscina probatica Siloe. V, 687. Ægrotus aqua mota descendendo in piscinam, nec plures, sed unus tantum sanatus, quid significet. V, 690, 693. Piscina turbata unum curabat, unde Christi passionem significabat. IV, 1329 Piscinæ quinque porticus, quinque libros Moysi figurabant. IV, 889, 1529.

Pistrino conteri, servorum pœna. V, 883.

Pittacium. V, 964.

*Pittacus* Mitylenæus unus e septem sapientibus, quo tempore fuit. VII, 582.

Placere Deo hic difficile possumus, et unde possumus V, 295. Placendum Deo veris ac sinceris affectibus. VI, 446 Placet ille Deo, cui placet Deus. IV, 277, 1651. Placebit tibi Deus, si rectus fueris. V, 517. Deus rectus perverso non placet. V, 322. Non in te placet Deo, nisi quod habes ex Deo : quod autem habes ex te, displicet Deo. V, 108 Deleat homo quod fecit, et placebit ei qui fecit. V, 587. Pla-

cere sibi periculosum est, cui cavendum est superbire. III, 1793. Placeat sibi nemo, quasi qui hic juste vixerit. V, 952, 955. Ubi tibi placuisti, ibi remansisti. V, 926. Displicebis Deo, si placueris tibi. IV, 472. Qui sibi placet, stulto homini placet. IV, 1631; V, 305. Placere sibi, superbiæ peccatum. VII, 420, 421, 423 Superba anima in conspectu hominum vult placere: humilis, in occulto ubi Deus videt. IV, 163. Placendi hominibus cupiditas, quo pacto evellatur. VI, 26. Quomodo omnibus, nec tamen hominibus placendum. IV, 1629. Quomodo debeamus hominibus placere et non placere. II, 1024; V, 301, 372. Qui Deo placet simul et hominibus, non utique placet hominibus. III, 2109. Placebat Apostolus hominibus propter illorum salutem, non placebat hominibus propter suam utilitatem. V, 374.

Placor. III, 951, 968.

Plagæ Ægypti. IV, 999, 1000, 1399. Plagæ decem cum decem præceptis collatæ. V, 67.

Planetis, hominum nomina imposuit adulatio. IV, 1192.

Plani, mathematici impostores, pietatis expertes. I, 694, *Not.* 2; V, 261. Et veritatis. I, 739.

Plantæ vivunt. VII, 34. Plantis vim intelligendi tribuebant Manichæi. III, 229.

Plantarium lacis. V, 314.

Platea unde dicitur. IV, 1527.

*Plato.* II, 67; IV, 1828; IX, 224. Athemensis, honesto loco natus. VII, 227. Platonis ingenium mirabile. VII, 227. Dotes. I, 926, 954. Eloquentia. III, 124. Plato nobilis philosophus. VIII, 1011. Nobilissimus discipulorum Socratis. III, 1048; VII, 227. Cæteros Socratis discipulos longe anteivit. VII, 597. Plato a posteris Pythagoræ theologiam didicit. III, 56. A Socrate moralia, a Pythagoreis naturalia et divina. VII, 228. Plato scientiæ acquirendæ, et sapientiæ perficiendæ gratia, varias peregrinationes suscepit. VI, 30; VII, 228.

Plato perfectam dicitur composuisse philosophiæ disciplinam. I, 955. Philosophiam in tres partes distribuit. VII, 228. Platonis ideæ quantam vim habeant. VII, 218. Plato virtutes quasdam civiles aliarum verarum virtutum similes admittebat. I, 955. Plato ex Cicerone in sapientia divina et finem boni, et causas rerum, et ratiocinandi fiduciam constituit: Epicurei vero et Stoici in corporis vel in animi natura ponebant. II, 441. Platonis doctrina ab Ecclesiæ doctrina non prorsus aliena. III, 124. Platonicos, paucis mutatis, Christo pias cervices submittere oportere. II, 442. Platonis sententia de duplici mundo. I, 955. Quem animal esse credidit. I, 602. Platonis annus. III, 236. Plato nuptias contemnens, ita perversam temporum suorum timuit opinionem, ut naturæ sacrificaverit, quo tamquam peccatum illud aboleretur. III, 126. Platonis de stellarum seu deorum natura sententia. V, 1138. Platonis homo. II, 64. Plato eusque discipuli diis plurimis sacra facienda putaverunt. VII, 237. Plato qui poetas expulit, honoribus divinis dignior diis, qui ludos scenicos sibi exhiberi jusserunt. VII, 58, 59. Platonis philosophia præstat theologiæ fabulosæ, civili et naturali Paganorum. VII, 229. Illi cedant alii philosophi. VII, 230, 231. Platonis liber de constitutione mundi. V, 1138. Libro Geneseos consonat. VII, 236. Plato suavius ad legendum, quam potentius ad persuadendum scripsit. III, 124. Mira docuit, nihil persuasit. III, 124. Creditur a nonnullis sensisse contra quam loquitur. VII, 559. Opinionem suam dissimulare affectat. VII, 228. Platonis dogmata plurima correxit Porphyrius. VII, 309, 310. Plato Xenocrati discipulo Academiam scholam suam reliquit. II, 440.

Platonis egregium elogium. I, 954. Plato pene philosophorum deus. X, 777. Platonem inter semideos Labeo ponit. VII, 58, 59, 238. Quo tempore et quot annos floruit Plato. VII, 235, 597. *Not.* (*b*). Illum Jeremiæ coætaneum falso aliquando credidit Augustinus. I, 632. De Platonis libris Christum omnes suas sententias didicisse, quidam dicere ausi sunt. III, 56. Contra eos Ambrosius scripsit. II, 125. Platonem a nostris potius fuisse eruditum ostendit. III, 56. An a Jeremia? asserit hic August., verum postea retractavit. III, 56. Plato nec Jeremiam audivit, nec Scripturas propheticas legit. VII, 235. Nec ulli sancto Angelo, nec Prophetæ, nec Apostolo, nec Martyri, nec cuilibet Christiano Plato comparandus. VII, 59.

*Platonici* iidem qui et Academici. II, 440. Apud Græcos et apud Latinos celeberrimi. VII, 235. Omnium philosophorum merito nobilissimi. VII, 277. Aliis omnibus philosophis longe anteponendi in omnibus philosophiæ partibus. VII, 231, 232. Platonicorum rationes cæteris aliorum philosophorum rationibus præponebat Augustinus. I, 957. Platonici summum bonum in Deo posuerunt. II, 440. Platonici ea quæ mente conspiciuntur, ab his quæ sensibus attinguntur discreverunt. VII, 232. Platonici id solum vere esse, atque id solum posse percipi dicebant, quod incommutabile et sempiternum est. II, 441. Plato ea quæ discimus vult manere semper, nec posse interire; ac per hoc non esse præterita. II, 68. Platonici tanto cæteris philosophis illustriores, quanto melius de Deo uno senserunt. VII, 237. Platonici Deum incorporeum, et omnium naturarum, quæ non sunt quod ipse, creatorem sentiunt. VII, 231. Quædam legit August. in eorum libris consentanea doctrinæ Christianæ de divinitate Verbi æterni, nihil tamen de incarnati humilitate. I, 740. In iis etiam non invenit, quod in sacris litteris reperit, nempe viam salutis, et doctrinam humilitatis. I, 747. Platonici, divinæ humilitatis defectu, veræ rationis personam implere non potuerunt. II, 440. Platonicorum superstitio. III, 126. Platonici deorum multorum cultum ad vitam beatam adipiscendam requirunt, VII, 225. Platonici, animas humanas, pro meritis peccatorum de cœlo ipsas, in corpora detrudi existimabant. I, 587; II, 718. Platonicorum opinio de vita animæ ante corpus rejicitur. X, 403. Platonicorum doctrina de illuminatione et beatitudine animæ, Evangelio consona. VII, 279, 280. Platonici male contenduut corpus terreuum in cœlo esse non posse. VII, 773. Platonici pœnas omnes, sive vitæ hujus, sive futuræ, emendationi adhiberi putant. VII, 727. Platonici effata Platonis pro mysteriis custodiebant. I, 954. Effata Platonis non facile ab omnibus percipiuntur. I, 954 Platonici occultarunt sententiam suam. II, 440. Quamobrem occultarent. II, 441, 448. Platonicorum laus. I, 955. Improbatur. I, 588. Platonici Peripateticis prælati. VII, 237. Platonici longo quidem intervallo, cæteris tamen philosophis propinquiores sunt veritati. VII, 320, 321. Et Christianæ doctrinæ. VII, 229, 250. Facile fiunt Christiani. III, 126. Platonicæ sapientiæ initia, probabiliter ex sacris libris. VII, 235, 236. *Not.* (*a*). Platonici doctrinam suam aperuerunt, cum Christi nomen cœpit prædicari. II, 448.

Plaudere manibus, est gaudere operibus. IV, 1257. Plausus populi, in potestate fortunæ, et imperitorum judicio positus est. I, 1089.

*Plautus* poeta. VII, 54.

*Plemmæus* undecimus rex Sicyoniorum. VII, 564.

Plenaria pariatoria passionum Christi. IV, 731. Plenarium corpus Domini post resurrectionem, Ecclesia beata. IV, 1465.

Plenitudinem Dei, qua nos impleri optat Apostolus, quidam sic intellexerunt, ut putarent nos hoc futuros omnino quod Deus est. II, 612. Implebuntur (Sancti) in omnem plenitudinem Dei, cum perfecte pleni fuerint Deo. II, 621.

Pleonasmus in Scripturis locum habet. IV, 1599.

πλεονεξία unde appellata. IV, 1550.

*Plinta* Consul. II, 927.

Plorare hic omnium est, sed maxime ac veraciter justorum. V, 194. *Vide* Lacrymæ.

*Plotinus.* II, 67. Græcus philosophus Platonicus. VII, 237. Alter Plato judicatus. I, 956. Plotinus Platonem cæteris excellentius intellexisse laudatur. VII, 265. Plotini sententia de superna illuminatione et beatitudine. VII, 279. Plotini discipuli alii magicis artibus sunt depravati, alii in militiam Christi transierunt. II, 448. Plotini Platonici schola Romæ floret. II, 448.

Plumbum ab artifice formam accipit, qua natare valeat super aquam. VII, 773.

*Plutoni* terra tribuitur. VII, 119. *Vide* Dispater, Orcus.

Pluvia, unde secundum Priscillianum. VIII, 667. Pluvia quomodo fit. III, 266. Quid sit, *nondum pluerat super terram.* III, 198. Pluit Deus pisci, et aliquando nobis non pluit, quare. IV, 1944. *Pluvia defit causa christiani*, vulgare proverbium. VII, 49. Pluviæ quædam prodigiosæ. VII, 111. Pluvia voluntaria, gratia dicitur, quia non datur meritis. IV, 1755.

πνευματομάχοι. VIII, 59.

Podager medicus in baptismate a podagra sanatus. VII, 764.

Pœna. Aliud est pœna peccati, aliud est peccatum. I, 604, 608, 612. Pœna omnis, si justa est, peccati pœna est. I, 1296. Propter pœnam peccati fit, ut quidam animi motus non sint in potestate. IV, 80. *Vide* Peccatum. Pœnæ occultæ a Deo inflictæ. X, 235. Ignorantia in eis qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est; in eis autem qui non potuerunt, pœna peccati. II, 883. Pœnæ meritum inchoat infidelitas et impietas, ut per ipsam pœnam homines male operentur III, *Retr.* 2061, 2062. Pœna magna est perire de via justitiæ. IV, 72. Pœna culpæ, mors. V, 1105. Pœna vera fuit cæcitas corporalis Pauli in ejus conversione. II, 803. Sæculum hoc universum voluit Deus hominibus esse pœnale. X, 1192. Deus pœnas immeritas nec infligit, nec infligi sinit. X, 1270. Pœnam Deus redderet, si vellet mercedem reddere. III, 2066. Pœna cum debita redditur, quare non est iniquitas apud Deum. VIII, 554. Cur sinat Deus parvulos regeneratos diversis malis affligi. VI, 263. Pœnæ temporales ad exercendos fideles. VII, 525

Pœnæ omnes inferuntur vel pro peccatis, vel pro exercendis declarandisque virtutibus. VII, 728. Pœnis vel coercet improbos Deus, vel erudit subjectos. VIII, 446. Pœnis malorum non indiget Deus, sed ex his consulit bonorum saluti. III, 434. Pœnas malis irrogari, et per bonos Angelos, et per malos, legitur; justos vero corporalibus pœnis per bonos Angelos probari non occurrit. IV, 1002, 1003. Pœna malorum in bonis Dei operibus est. I, 625. *Vide* Peccatum. Pœnas nostras ad utilitates nostras mirabili benignitate Deus convertit. X, 1578, 1585. Cur remisso peccato pœna adhuc exigitur. X, 183, 184. Pœna qualis et quanta cuique culpæ debeatur, non humani est judicii, sed divini. VIII, 534, 561. Pœna nulla, quanta sit peccatori pœna. V, 935. Pœna ob alterius peccatum. X, 722.

Pœnas nullas esse sive hujus vitæ sive futuræ, nisi purgatorias, censent Platonici. VII, 727. Pœnæ quædam sunt purgatoriæ in hac mortali vita. VII, 727. Quædam post mortem. VII, 728. Qui injuste se ordinat in peccatis, juste ordinatur in pœnis. II, 539. Qui volentes injuste utuntur bonis, juste nolentes cruciabuntur in pœnis. II, 562. Pœnas damnatorum aut nullas omnino futuras esse, aut brevi finiendas quidam putaverunt. VII, 732, 733. Refelluntur. VII, 732, 733.

Pœnæ æternæ. V, 196, 218. Pœnæ plus metuantur æternæ, quam temporales. VI, 703. Pœnis æternis nullus cruciatus temporalis potest comparari. VI, 342. In damnatione pœnæ sempiternæ inæqualitas. X, 230. Gehennæ pœnæ, diversis diversæ. V, 879. Pœna futura duas species habet. IV, 686. Pœna damnatorum est aliquod bonum. VII, 351. Pœna animæ peccatricis regnum Dei nulla sua fœditate deformat. VI, 18. Mors in damnatis perpetua. VI, 342, 343. Deus occulta satis dispositione, sed tamen justa, nonnullos (schismaticorum Donatistarum) pœnis prædestinavit extremis. II, 959. Pœnarum genera octo. VII, 725. Christus sustinendo sine culpa pœnam, et culpam solvit et pœnam. V, 934, 1131. Pœnas quas minatus est Dominus, quidam putant non eventuras. V, 478. Refelluntur. V, 478. Unde nata opinio, qua putant homines Christum non vera fuisse iniquis comminatum. V, 478.

Pœnarum timor utilis, ut coerceantur mali, et quietius inter malos vivant boni. II, 660, 802. Melius est ad Deum colendum doctrina homines duci, quam pœnæ timore vel dolore compelli. II, 802. Adhibeantur in reos pœnæ animo amantis, animo corrigentis. V, 111. Et plectendo et ignoscendo hoc solum bene agitur, ut vita hominum corrigatur. II, 661. Non bonus quispiam timore pœnæ, sed amore justitiæ. II, 660. Inimicus justitiæ est, qui pœnæ timore non peccat; amicus autem erit, si amore ejus non peccet. II, 594. Inaniter putat victorem se esse peccati, qui pœnæ timore non peccat. II, 593. Pœna corporis etsi non a voluntate, tamen revocat ab opere peccati : justitia vero sic amanda est, ut ab ejus operibus etiam pœnæ corporis nos cohibere non debeant. II, 594. Caritate Christo, non pœnæ timore cohæremus. II, 595. Pœnæ ex caritate coronam pariunt. IV, 1844. Pœna non nocet, si bona est causa. V, 1400. Pœnarum timor utilis ad hæreticos in unitatem catholicam cogendos. II, 530.

*Pœni* suos filios Saturno sacrificabant. VII, 216. Pœni et Chananæi iidem sunt. III, 2096.

Poesis inventio. I, 1013. Poesis ornamenta quæ. I, 1000 Ejus nugæ repudiandæ. III, 166. Nimium ejus studium improbatur. I, 982. Ei præferenda philosophia. I, 954. Poeticam Augustinus nobilitavit libris de Musica. II, 513. *Not.* 2.

*Poetæ* dicuntur Ænigmatistæ. III, 739. Poetæ theologi quinam. VII, 572. Poetæ theologi, sapientes appellati. VII, 581. Poetis licentiam dabant Græci male tractandi homines quos liberet. VII, 133. Poetarum licentia in homines, non vero in deos, veteribus Romanis displicuit. VII, 53, 54, 55, 56. Probabatur Græcis convenientius, quam veteribus Romanis. VII, 55, 56, 57, 58. Poetas tamquam adversarios veritatis, urbe pellendos censuit Plato. VII, 58, 257. Poetæ apud Romanos tribu movebantur, et ab omni honore repellebantur. VII, 57. Poetæ, duodecim Tabularum lege prohibentur famam civium lædere. VII, 54, 58. Poetarum mendacia. I, 1014. Poetarum comœdiæ et tragœdiæ inter studia liberalia. VII, 53. Poetæ non omnino a philosophia contemnendi. I, 940. Poetarum judices, grammatici. I, 1014. Poetarum fabulæ minus obscœnæ, quam deorum sacra. VII, 53. Poetæ non minus digni infamia, quam scenici. VII, 58. Poetæ scenici libidinem inflammant. VII, 59, 60.

*Polemo* Platonis successor, et Zenonis magister. I, 954. Polemon Xenocratis proximus successor. II, 440. Polemon quartus a Platone Academicorum scholam tenuit. VII, 623. Xenocrates Polemonem, non solum ebriosum, verum etiam hinc ebrium, ad mores alios repente convertit disputando de fruge temperantiæ. II, 591, 592; X, 647, 666.

*Polianus* a Mileo. IX, 210.

*Pollentius* vir religiosus. VI, 471, 472. Discutitur Pollentii sententia de conjugibus a se discedentibus. VI, 451. Et de conjugiis cum infidelibus. VI, 465.

Pollicem sinistrum dextera manu tenere inter singultiendum, genus superstitionis. III, 50.

*Pollus*. IX, 511.

*Polycarpus* Adrumeticus. IX, 204.

Polygamia veterum patrum non erat peccatum; quia neque contra naturam, neque contra morem, neque contra præceptum. VI, 393. *Vide* Uxor, Conjux.

*Polyphides* rex Sicyoniorum. VII, 576.

Pœna Sodomorum morsu tentata in favillam vanescunt. VII, 715, 722.

*Pomona* dea pomorum curatrix. VII, 140

Pompæ diaboli. VI, 652, 653, 661.

Pompatici ludi. V, 148.

*Pompeius* gener Cæsaris. VII, 88. Sectator Syllæ. VII, 109. Profanator templi Jerosolymitani. VII, 607.

*Pompeius* ad quem scribit Cyprianus. IX, 192.

*Pompeius* Sabratensis. IX, 239.

*Pompilius* illicitis artibus sacra didicit. VII, 222, 223.

*Pomponii* multi exstitere. VII, 125. *Not.* (*b*).

*Pomponius* Macrianensis episcopus. IV, 380.

*Pomponius* a Dionysiana. IX, 230.

Pondus est impetus cujusque rei, velut conantis ad locum suum. IV, 222, 223. Pondus duplex est. IV, 222, 225. Ponderum momenta in elementis. V, 1140. Pondus cupiditatis et pondus caritatis. I, 847, 849; II, 677; VII, 342.

*Ponticanus* actor Romuli. II, 1063.

Pontificum successio in cathedra Petri. IX, 50.

*Pontitianus* Afer in palatio militans, Christianus, et valde pius. I, 755. Narrat Augustino Antonii monachi vitam. I, 755. Et duorum Agentium in rebus conversionem. I, 756.

*Pontius*. IX, 324. Episcopus Donatista. IX, 334, 528, 555. Mirabilia fecisse prædicatur. IX, 428. Pontii falsum miraculum. III, 1501. Pontius quomodo Juliano supplicavit. II, 599; IX, 526.

Populares tumultus cuique pro viribus coercendi. V, 1592.

*Populonia* dea vidua. VII, 191.

Populus non omnis cœtus multitudinis, sed cœtus juris consensu et utilitatis communione sociatus. VII, 67, 648. Ubinam vere est populus. VII, 655. Qua ratione nuncupatio populi, Romanis et aliis regnis convenire potest. VII, 655. Populus et turba differunt. V, 614. Populi duo, fidelium et infidelium, prædestinatorum et reproborum. III, 1507. Populi veteris et novi differentiam in unoquoque nostrûm licet advertere. VI, 31. Populi duobus hædis, duobus ovibus, duobus parietibus, duobus cæcis, duabus navibus significati. V, 43. Nullus populus præter Israelem dicebatur populus Dei. VII, 609. Populus Dei nunc censentur omnes qui portant sacramenta ejus, sed non omnes pertinent ad misericordiam ejus. IV, 558.

Porcus significat immunditiam stultitiæ obliviscentis. IV, 1854.

*Porphyrii* duo, unus Siculus, alter vero non. I, 643. Quæstiones nonnullæ propositæ a Porphyrio, non illo Siculo cujus fama celeberrima est. I, 643; II, 570. Porphyrius Siculus. III, 1052. Porphyrius Græcus, philosophus Platonicus. VII, 257. Philosophorum Paganorum nobilissimus. VII, 754. Doctissimus. VII, 650. Quo tempore vixit. VII, 315. Docebat omne corpus esse fugiendum. I, 590; V, 1137. Porphyrii libri Ἐκ λογίων Φιλοσοφίας. VII, 650. Libri de regressu animæ. VII, 308. Porphyrius etsi de anima inconvenienter sapuerit, Platonicorum tamen opinionem emendavit. VII, 310. Platonis multa dogmata correxit. VII, 309, 310. Porphyrius Deum verum, Deum magnum confitetur. VII, 696. Porphyrii inconstantia inter confessionem veri Dei et cultum dæmonum fluctuantis. VII, 303, 304. Porphyrii impietas. VII, 304, 305. Porphyrius vituperandus, et quod diis sacrificaverit. VII, 651. Bona de Christo dicit. VII, 651. Porphyrius prius Christianus, postea fidei desertor et adversarius. VII, 306. *Not.* (*a*). Christianorum acerrimus inimicus. VII, 650. Et fidei Christianæ. V, 1137. Porphyrii calumnia de Christo, et Christianis refellitur. VII, 655. Porphyrius Christum contemnebat propter corpus, ex femina acceptum. VII, 307, 309. Arguebat stultitiæ Christianos, quod dicebant mundum esse periturum. VII, 696. Porphyrius Anebontem Ægyptium de variis ad dæmones pertinentibus consulit. VII, 288, 289. Quo animo dæmones consulit. VII, 288, 289, 290. Origenes nec Petrum peccasse, nec Paulum procaciter arguisse majorem, ideo asserit, ut Porphyrio blasphemanti respondeat ex Hier. II, 253, 257. Porphyrii calumnia eo quod Petrum Paulus reprehenderit, quo potiore modo defendenda. II, 286.

*Porphyrius* episcopus. X, 632, 663.

*Porphyrius* alter episcopus. X, 632, 663.

*Porsenna* Etruscorum Rex. VII, 63.

Portæ mortis, et portæ filiæ Sion, quænam sint. IV, 123.
Porta Dei, confessio. IV, 1281.
Portenta a portendendo. VII, 722. Portenta videntur esse contra naturam, sed non sunt. VII, 721.
Porticus quinque piscinæ, quinque Moysi libros figurabant. IV, 889, 1529; V, 689.
Portio piorum quo sensu Deus dicatur. IV, 1345.
Possessiones habere Christianis licet. I, 1345. Possessio rei terrenæ quæ jure divino, quæ jure humano legitima. II, 345. Possessiones omnes jure humano possidentur. III, 1457. Possessio rerum temporalium unde innocens agnoscitur. V, 694. Possessionis terrenæ litigator. V, 1586. Ex possessione rei privatæ nascuntur lites et multa mala, quæ tolluntur, ubi res communiter possidetur. IV, 1748. Possessio nostra Deus, et nos possessio Dei, quomodo. IV, 1891; V, 316. Beata gens possessione sua, beata hereditas possessore suo. IV, 295.
Possessor alicujus rei quis dicendus. V, 327. Quis possessor bonæ fidei. VI, 205. Alienum est quod male possidetur; male autem possidet, qui male utitur. II, 665. Jure civili non fit ut bonis bene utentes sint, sed ut male utentes minus molesti sint. II, 665. Possidere vis terram : vide ne possidearis a terra. V, 365. Tunc vere possidebis terram, quando inhæseris ei, qui fecit cœlum et terram. V, 365. Possidere omnia quomodo liceat. V, 781. Desiderabas omnia possidere; noli per avaritiam : per pietatem hoc quære, per humilitatem. V, 781. Possidetur, non possidet, qui rerum cupiditate tenetur. IV, 544. Aliud est possidere Dei; aliud possidere hominis. IV, 576.
Possibile aliquid potest fieri, tametsi numquam factum fuerit. X, 201, 204. Quædam sunt quæ fieri possunt, quamvis desit exemplum quod facta sint. X, 241. Sunt et possibilia naturalia. X, 1489. Posse malum facere, non est testimonium libertatis. X, 1105.
Possibilitatem quam natura accepit cum condita est cum libero arbitrio, gratiam vocabat Pelagius. X, 333. Possibilitas non peccandi in statu naturæ integræ utcumque posset admitti, non tamen a natura inseparabilis. X, 275, 276. Possibilitas hæc male a Pelagio defenditur. X, 275. Possibilitatem datam a Creatore confitetur Pelagius, voluntatem vero et actionem vult esse ab homine. X, 362, 373. Possibilitatem tantum, non vero voluntatem aut actionem, indigere adjutorio contendit Pelagius. X, 381. Possibilitatem gratiæ tribuit Pelagius, non actionem. X, 272, 273. Quo sensu possibilitatem non peccandi gratiæ Dei tribuerit Pelagius. X, 275. De qua gratia Dei disseratur, cum de possibilitate non peccandi agitur. X, 277. Possibilitas non subvenit miseriæ qua premitur homo. X, 1497. Possibilitas naturalis peccato primi hominis vitiata, secundum Ambrosium. X, 385. Si possibilitas naturalis per liberum arbitrium sufficit, Christus gratis mortuus est. X, 270. Et frustra fideles orant, *Ne nos inferas in tentationem*. X, 277. Quod possumus bonum facere, Dei esse dixit Pelagius; quod vero facimus, cur noluit dicere et nostrum et illius esse. X, 359. Unde homo possit, unde non possit. X, 271. Quod possum, video : unde possim, non video; nisi quia et hoc novi esse a Deo. V, 905. Possibilitas in sanctis simul cum effectu provenit. X. 271. Possibilitas perfectionis hominis in Dei gratia. X, 1279.
*Possidius* Calamensis episcopus. II, 397; VII, 766. Episcopus catholicus. IX, 523, 697. Quam tristi de causa versus Paulinum pergat. II, 352. *Not.* (*a*). Possidii iter vanum timorem Nectario videtur incutere. II, 388. Crispini episcopi donatistæ in Possidium immanitas; et Possidii mansuetudo erga Crispinum. II, 397; IX, 523. Possidius ab Augustino pane dominico nutritus. II, 368.
*Possidonius* Stoicus multum astrologiæ deditus. VII, 142, 145.
Posteriora ex desiderio noli attendere, sicut uxor Lot; sed respice ex despectu. IV, 392.
*Posthumianus* episcopus. II, 739, 781.
*Posthumius* arùspex. VII, 72.
Potentes qui in hoc sæculo tonare volunt in servos Dei, in altero fulminantur. IV, 1158. Potentium amicitia, cum saluti obest, contemnenda. V, 537.
Potestas libera a Deo homini data est. I, 1241. Illud est in potestate nostra, quod, cum volumus, facimus. I, 620, 1274. Quod nostram sequitur voluntatem. I, 620. Voluntas, quia est in potestate, libera est nobis. I, 1274. Nihil tam in potestate, quam ipsa voluntas, quomodo. VIII, 129, 130. Potestas tunc dicitur, cum voluntati adjacet facultas faciendi. X, 254. Ut potestate aliquid fiat, necesse est adsit voluntas. X, 254. Hoc quisque in potestate habere dicitur, quod si vult, facit; si non vult, non facit. X, 255. In potestate nostra est actio quælibet bona. I, 619, 620. Et quo sensu. I, 390, 619, 620, 629. In potestate nostra est quod operamur. IV, 1851. Potestas nobis data adversus libidinem. V, 719. Potestas bene vivendi, non libero arbitrio, sed gratia Dei tribuitur. X, 1110. Non sanctus quisquam sua potestate gaudet; sed ejus a quo habet posse quidquid congruenter potest. VIII, 957. Potestas per caritatem fit plena. I, 599. Qui bonum facit, quomodo ex potestate laudem meretur. V, 1589. Deus liberam voluntatem rationali creaturæ suæ non negavit; et tamen potestatem, qua etiam injustos juste ordinat, sibi retinuit. III, 2129. Ad potestatem Dei pertinet damnare iniquos. IV, 743.
Potestas non est nisi a Deo. VI, 131, 137; X, 235. Etiam potestas nocendi, non nisi a Deo. VIII, 561. Potestas nocendi cur diabolo et iniquis detur. IV, 743, 744. Potestas diaboli in infima, non est potestas irati, sed pœna damnati. IV, 201. Nihil tibi possunt facere dæmones Deo placato, faciunt quidquid volunt illo irato. IV, 209. Potestas omnis principum ac legum, ex Deo est. VI, 76. Potestas regum majestati Dei famula fieri debet, ad cultum ejus dilatandum. VII, 170, 171. Potentius est conjungi Omnipotenti pia voluntate, quam propria potestate et voluntate posse quod contremiscant, qui talia non possunt. VIII, 957. Potestas cum datur, non necessitas imponitur. X, 255. Potestas implere quod mala voluntas intendit, ex judicio Dei venit, et est pœna. X, 255. Aliud est injusta potestate juste velle uti, et aliud est justa potestate, injuste uti. VI, 385. Potestatibus licere malos persequi. II, 299. Potestas cur sæpe data deterioribus in meliores. VIII, 561, 586. Infirmiores a potentioribus cur opprimuntur. IV, 1646. Potestatem tribuit Deus malis in bonos ad judicandos malos, et erudiendos bonos. IV, 291. Ut iratus pater cædit filium virga, in ignem mox projicienda; sic Deus per temporalem potentiam damnandorum, exercet disciplinam liberandorum. IV, 955. Potestatum temporalium terror quando veritatem oppugnat, justis fortibus gloriosa probatio est, infirmis periculosa tentatio : quando veritatem prædicat, errantibus cordatis utilis admonitio est, et insensatis inutilis afflictio. II, 331. Sive potestas veritati favens aliquem corrigat, laudem habet ex illa qui fuerit emendatus; sive inimica veritati in aliquem sæviat, laudem habet ex illa qui victor fuerit coronatus. II, 331. Potestatibus etiam injustis honor et obedientia debetur. IV, 1653, 1654. Potestatibus terrenis quatenus subjici necesse est. III, 2083, 2084. Observantia in potestates sit ordinata. V, 418, 420. Potestates hujus sæculi per montes significantur. IV, 519. Potestas per manum significata. IV, 1956.
*Potina* dea. VII, 122.
Præcentor, succentor. IV, 1109.
Præceptum. Manichæi vituperare solebant Deum qui homini præceptum in paradiso dedit. VIII, 208. Deum homini impossibile aliquid non præcepisse. X, 155. Præceptum prohibens erat homini necessarium, ut ei promerendi Dominum suum virtus esset ipsa obedientia. III, 377, 379, 384. Ex divini præcepti contemptu, experientia mali. III, 384. Præcepta alia dantur sanis, alia ægrotis. V, 1269. Præcepta Dei, quæ sano data sunt tam dulcia, fecit homo sibi tam laboriosa. V, 543. Præcepto divino intonante, obediendum est, non disputandum. VII, 510.
Præcepta decalogi Manichæis sunt inimica. VIII, 307, 309, 310, 311. Ex præceptis decalogi tria ad Deum, septem ad hominem pertinent. III, 620, 621. Tria præcepta decalogi pertinentia ad Deum, Trinitati accommodata. V, 208. Præcepta alia septem pertinentia ad homines. V, 80, 209. Præcepta decalogi, solo Sabbati excepto, ad litteram, et non figurate observanda. II, 214. Præcepta duo de dilectione Dei et proximi, inter se sunt connexa. VI, 207, 210. Præcepta bene vivendi, uno brevi et aperto caritatis mandato comprehensa, ut excusationem nemo habeat in die judicii. VI, 669, 670. Præcepta omnia divina ad duo sunt referenda. X, 296. Præcepto de diligendo Deo et proximo, non litteræ philosophorum, non leges civitatum comparandæ. II, 524. Præceptum utrumque dilectionis erga Christum impletur. V, 1206. Præcepta vitæ instituendæ nunquam diu cultoribus suis defuerunt. VII, 49, 51. *Non concupisces*, generalis est prohibitio : *Diliges*, generalis est jussio. X, 296, 297. Præceptum de parentibus honorandis primum dicitur, audita ratione ad secundam tabulam. V, 209. Præcepta decem cum decem plagis conferuntur. V, 67. Alia communiter omnibus præcipiuntur, alia singulis quibusque generibus personarum. III, 75. Quo tempore quid præceptum vel licitum sit, observandum. III, 75.
Præcepta ad quid dantur. X, 918. Præceptorum utilitas. II, 739. Nihil Deus jubet quod sibi prosit, sed illi cui jubet. II, 527. Jubendo Deus utile facit quidquid jubere voluerit. III, 384. Præcepta Dei valde bona. X, 288. Præceptorum magna est utilitas, si libero arbitrio tantum detur, ut gratia Dei amplius honoretur. II, 739. Præcepti finis est caritas de corde puro, etc. III, 36. Cur Deus præcipit, quod sciat non observandum. X, 165. Et quod sine illo implere non valemus II, 677; VI, 443, 444. Deus nihil impossibile præcepit. X, 152. Non imperaret Deus ut facere-

mus, quod impossibile judicaret ut ab homine fieret. IV, 661. *Vide* Lex. Deus jubet aliqua quæ non possumus, ut noverimus quid ab illo petere debeamus. X, 900. Deus impossibilia non jubet, sed jubendo admonet, et facere quod possis, et petere quod non possis. X, 271. Præcepto facere commonemur, quod conantes et nostris viribus non valentes, adjutorium divinum precemur. X, 254. Præcepta Dei implere potest homo, si velit. III, 176. Præcepta nullus implet, nisi adjutus gratia. V, 1160, 1162. Quod per litteram jubetur, non littera, sed spiritu impletur. VIII, 644. Præceptum, *Non concupisces*, fecit ut nosses hostem, non ut vincerès. V, 794. Liberum arbitrium non adjutum Dei gratia ad Dominica præcepta implenda non sufficit. II, 675, 676, 677. Anathema ei qui aliter sentit. II, 762. Præcepta data, ut non sit excusatio de ignorantia. X, 883. Præceptum liberi arbitrii est argumentum ; oratio, gratiæ. X, 303, 882, 883. Quæ agenda sunt neque juberentur, nisi ut voluntas nostra ostenderetur ; neque peterentur, nisi ut voluntatis infirmitas ab illo qui jusserat, juvaretur. II, 775. Nihil homini a Domino juberi, propter probandum liberum arbitrium, invenitur in Scripturis, quod non inveniatur, vel dari ab ejus bonitate, vel dari propter adjutorium gratiæ demonstrandum. X, 588. Præcepto admonitum est liberum arbitrium, ut quæreret Dei donum. X, 903, 904. Præceptum id nobiscum, ut quod jam est in potestate faciamus, aut oremus potestatem nobis dari. VIII, 776. Hæc imperat Deus quæ fieri possunt : sed ipse dedit ut faciant, eis qui facere possunt et faciunt ; et eos qui non possunt, imperando monet a se poscere ut possint. X, 1297. Ad implenda ea quæ nobis jubentur, ab illo petendum adjutorium, a quo jubentur. II, 682; X, 1280. Præcepta non fieri nisi eo dante qui præcipit. VI, 421. Præceptorum non est vis, quod impleantur, sed gratiæ. V, 199. Ipse Deus dat vires, ut quod jubet, impleri possit. V, 200. Necesse est ut Deus det homini quod illi jubet. X, 151. Deus ipse facit, ut faciant homines quæ præcipit. X, 975. Præcepta sine gratia non possunt servari. X, 886, 887. Præceptum Legis audiens, *Non concupisces*, audisti pœnam tuam si non adsit gratia. V, 792. Lex dicendo, *Non concupisces*, posuit non quod hic valeamus, sed ad quod proficiendo tendamus. II, 893. Præcepta Legis qui implere se putat per arbitrium propriæ voluntatis sine spiritu gratiæ, suam justitiam vult constituere, non justitiam Dei sumere. X, 1209.

Præcepta divina quibusnam sint gravia. X, 302. Quid debet agere cui præcepta divina gravia sunt. X, 289. Non est durum, nec grave quod ille imperat, qui adjuvat ut fiat quod imperat. V, 584. Quidquid durum est in præceptis, ut sit leve caritas facit. V, 584. Præcepta Dei non esse gravia cur Scriptura commemorat. X, 303. Præcepta nonnisi caritati facilia. III, 633, 634. Deus nihil impossibile præcipit, quia omnia facilia caritati. X, 289. Non vere obeditur præceptis Dei nisi caritate. X, 1296. Præcepta Dei qui timore, non amore servat, non servat. X, 593. *Vide* Timor.

Præcepta minora data sunt Judæis, majora Christianis, quare. III, 1231. Cur in Lege minora sint, in Evangelio majora. III, 156. Præcepta pleraque veteris et novi Testamenti eadem. IV, 930, 931. Dominus dura jussit, sed magna promisit. V, 120. Præcepta novi Testamenti observantibus merces æterna promissa. X, 222, 223. Ad ea servanda excitat Deus. I, 956. Ad consequendam vitam æternam præcepta servari jussit Christus. VI, 210. Plus facimus quam in Lege et Evangelio jussum est, quo sensu a Pelagio dictum et a Cœlestio. X, 337, 357. Quo ab episcopis approbatum. X, 337.

Præceptorum observatio, signum mansionis in dilectione Christi. III, 1843, 1844. Præcepta Christi non ostentatione corporis, sed animi præparatione facienda. III, 1933. Præcepta quædam sunt quæ capiunt spiritales, non capiunt carnales. IV, 492. Præcepta non implentur opere externo tantum. III, 772, 773. Ad præcepta implenda sufficit voluntas, ubi opus externum non potest fieri. III, 775. Præcepta divina, ex factis sanctorum intelligenda. VI, 506. Præcepta Dei frustra custodiuntur memoria, si non custodiantur et vita. IV, 1511. Præcepta divina meditari, et operari, panis noster quotidianus. III, 1280. Præcepta Dei sunt semitæ nostræ. IV, 1808. Præcepto, *Non concupisces*, jubemur detrahere de pondere cupiditatis, quod accedat ad pondus caritatis. II, 677. Præcepta Dei implere non prodest, ubi non est fides vera. VIII, 223. Præcepta morum custodiri observarique sine fide non possunt. VI, 210. Præceptum divinum debet semper humanum in nobis vincere affectum. VIII, 629. Pauci vitæ præcepta adsequuntur : ratione fit quisque capax præcepti, sapientia observator. I, 1306. Calumnia Pelagianorum de impletione præceptorum in futura vita. X, 600. Præceptum non concupiscendi hic impleri non potest. V, 816. Præcepta quandonam implentur ut implenda sunt. X, 918. Præceptum Dei ostiatim a mendicis cantatum. V, 205. Aliud est jubere virtuti, aliud permittere infirmitati. V, 316. Quod permittitur a Domino, etiam facere licet ; quod jubetur, nisi fiat, peccatum est. VIII, 165. Præcepti dominici et consilii discrimen. VI, 402. Præcepta et consilia Dei, nulla inconstantia præcipientis, sed ratione dispensantis, pro diversitate mutantur. VIII, 450. Ad consilia sic excitandum est, ut vita ad præceptorum regulam exacta non damnetur. II, 691, 692. Præceptum aliquod quandoque contemnitur rapiente officio potiore. VI, 512.

Præda tibi fuit minor, præda eris majori. IV, 1646.

Prædestinare quid sit. X, 1018, 1019.

Prædestinatio. VII, 435, 466; X, 945, 1002. Prædestinatio quid. X, 1014. Prædestinatio præscientiæ interdum nomine significatur. X, 1022, 1025. Prædestinatio et præscientia idem. X, 1023. Prædestinati sumus, antequam essemus. V, 862, 864. Homo non prædestinatus sexto die, sed ante sæculum in præscientia Creatoris. III, 347. Prædestinatio et gratia qui differant. X, 975. Prædestinati sumus gratis. V, 863. Prædestinationis gratia. II, 768. Prædestinatio non ex merito hominum, sed ex gratia Dei. VIII, 614. Non ex operibus. II, 659. Antichristus novus est, cique apertissime contradicit in quo locutus est Christus, qui electionem ex operibus, non ex gratia esse dicit. X, 1152. Promissio facta Abrahæ de fide gentium in ejus semine, de prædestinatione Dei facta est, non de nostræ voluntatis potestate. X, 975. Prædestinatio non ex prævisione bonorum operum. II, 887 ; X, 792. Prædestinatio nostra non in nobis facta est, sed in occulto apud Deum in ejus præscientia. IV, 1962. Jacob non suis meritis electus, ante est præcognitus, ante est prædestinatus. IV, 1744. Prædestinatus negari Christus non potest. III, 1907. *Vide* Christus. Prædestinationis illustrissimum exemplum Christus Jesus. X, 981, 982, 1033. Christi et membrorum ejus prædestinatio non ex prævisis meritis. X, 983. Prædestinati omnes per unum Mediatorem, et per unam eamdemque fidem salvantur. X, 179.

Prædestinatio certa. X, 1015. Immobilis veritas prædestinationis. X, 985. Prædestinatio æterna et immobilis. III, 1814, 1845, 1921. Hinc Christi gaudium de nobis ab æternitate. III, 1844, 1845. Qui certis et immutabilibus causis omnia futura prædestinavit, quidquid facturus est fecit. III, 1905, 1906, 1908. Prædestinatorum nemo perit. VII, 614 ; X, 792, 929, 930, 941. Non perit unus ex illis, pro quibus Christus mortuus est. II, 744. Deus neminem delet eorum, quos scripsit in libro vitæ. IV, 862. Prædestinatis nemo nocere valet. V, 862. Prædestinatorum neminem diabolus in æternam damnationem seducit. VII, 669. Lupus, fur et latro non perdunt nisi ad interitum prædestinatos. III, 1745. Prædestinati aliquando errant et foris sunt. III, 1725. Sed si prædestinati sunt, ad tempus errant, in æternum non pereunt. III, 1725. Mortis regnum non est in eis, qui gratia Christi renati ad regnum ejus pertinent. II, 683. Novit Dominus conditor Jerusalem, quos cives ejus prædestinaverit, quos videat adhuc sub dominatu diaboli redimendos sanguine Christi. IV, 774. Prædestinatorum nemo cum diabolo peribit, nemo usque ad mortem sub diaboli potestate remanebit. VIII, 1030. Si qui prædestinatorum deviant et exorbitant, etiam hoc ipsum facit Deus proficere in bonum. X, 930. Prædestinati non suo, ut pereant, desiderio dimittuntur, sed tantum reprobi. X, 324. Qui cadunt et pereunt, in numero prædestinatorum non fuerunt. X, 938.

Prædestinatorum certus numerus. I, 605 ; II, 825 ; X, 940. Prædestinatorum numerus magnus. VIII, 614. Prædestinati quomodo et pauci et multi. IX, 557, 582. In comparatione pereuntium pauci sunt qui salvantur, sine comparatione autem pereuntium, et ipsi multi sunt. X, 1200, 1229, 1230, 1231. Sed quare sint plures illi, quam illi, consilium Dei velle nosse multorum est ; nosse autem vel paucissimorum hominum, vel omnino nullorum. X, 1200. Prædestinatorum numerus duplici modo suppletur. I, 1288. Prædestinationem parvulorum ad baptismum posse impediri, Victoris error. X, 517. Prædestinatos Dei misericordia comitatur in quocumque statu. X, 941. Quos prædestinavit Deus, vocat in pœnitentiam. IV, 1932. Coronat dignum, qui misericorditer vidit, ut vocaret indignum. V, 442.

Prædestinatio in divinitatis profundo. X. 1034. Prædestinationis causæ inscrutabiles. II, 886. Judicia Dei occulta in hominum prædestinatione. VI, 275. Et inscrutabilia. X, 126, 1007. Ex eadem massa alii gratia Dei liberati, alii judicio Dei non liberati. X, 1156, 1140. Cur Tyriis et Sydoniis credituris non sunt facta miracula, quæ aliis facta fuere non credituris, nisi ex inscrutabili prædestinationis judicio? X, 1005, 1006. Non profuit Tyriis posse credere, quia non erant prædestinati ; non obfuisset Judæis non posse credere, si fuissent prædestinati. X, 1014. Cur alii ad prædestinationem pertineant, alii non pertineant, occulta causa

esse potest, injusta esse non potest. II, 639, 883. Cur ille credat, ille non credat, cum ambo idem audiunt, altitudo est judiciorum Dei. II, 879. Cur illum potius quam illum Deus liberet, scrutetur qui potest, sed caveat præcipitium. II, 883. Cur Deus alios oves facit, alios non facit, quæstio inscrutabilis. X, 620, 621. Si secundum merita voluntatum solveretur, esset manifesta. X, 1128. Ut ostendatur quo merito fuerit damnata natura, non vult facile de tanto malo nec ipse omnipotens liberare. X, 1200. Liberatis non solum de ipsis, verum etiam de non liberatis, quid largiatur ostendit Deus. VII, 435. Si prædestinationis definitio non impedit exhortationes ad sapientiam, et alia, quæ agnoscunt adversarii, dona Dei, nec debet impedire ad fidem et perseverantiam. X, 1019. Ipsi Massilienses exhortantur ad ea quæ nobiscum agnoscunt esse dona Dei, ut ad pudicitiam. X, 1021. Cypriani et Ambrosii testimonia, quibus et gratiam esse gratuitam, et tamen hinc exhortationes non impediri ostenditur. X, 1023. De prædestinatione quæ Pelagianorum, quæve Semipelagianorum sententia. X, 988.

Prædestinati quinam sint, occultum. VII, 668, 669. Nemo de salute et prædestinatione sua certus et securus. X, 940. De prædestinatione alicujus nihil certi ab altero potest asseverari. X, 1012. Prædestinatione et præscientia oves et hircos scit ille solus, qui prædestinare potuit, qui præscire. V, 304. Prædestinationem occultari opus est in hac vita. X, 940. Securitas de prædestinatione quando. X, 941.

Prædestinatio quam Augustinus defendit, quam certa. X, 1023. Contra eam, nisi errando, nemo disputare potest. X, 1023. Prædestinationis hujus fidem quæ contra novos hæreticos defenditur nunc, numquam Ecclesia Christi non habuit. X, 1031, 1033. Prædestinatio cur tam acriter ab Augustino defensa. X, 1026, 1027. Quæ contra prædestinationem objiciuntur, contra præscientiam possunt objici. X, 1019, 1126. Prædestinationi contradicere vel de prædestinatione dubitare, nimiæ contentionis est. X, 1028. Prædestinatio per Apostolos prædicata, ab Augustino contra novos hæreticos defensa, obedientiam non tollit. X, 1025. A prædicatione fidei et obedientiæ non prohibet. X, 1015. Prædestinationis doctrina utilitati prædicationis non est adversa. X, 1013, 1014, 1015, 1025.

Prædestinatio prædicanda. X, 1025. Quomodo prædicanda. X, 1018. Et quando. X, 1017. Prædestinationis prædicandæ ratio incommoda et inepta. X, 1016. Prædestinatio quomodo citra offensionem prædicanda. X, 1028, 1029, 1030, 1033. Prædestinationis prædicandæ formula odiosa et vitanda. X, 1030. Cum prædestinatio prædicatur, ut oportet, non est causa desperationis. X, 1031. Non plus desperationis affertur, quam exhortationis. X, 1022. Prædestinationis prædicatione non impeditur exhortatio gratiæ. X, 1021. Non solum prædicatione prædestinationis ab opere salutis non impeditur prædestinatus, verum ad hoc adjuvatur. X, 1019. Quæ contra prædestinationis prædicationem afferunt adversarii, eadem posse dici contra gratiam Dei, ex qua cætera dona, excepta fide ac perseverantia, esse fatentur. X, 1018. Adversarios negare non posse prædestinationem ad ea gratiæ dona pertinere quæ ipsi agnoscunt, et hac tamen prædestinatione non impediri eorum exhortationes. X, 1019. Sicut ille, quem castum futurum esse præscivit Deus, quamvis id incertum habeat, agit ut castus sit; ita ille, quem castum prædestinavit, quamvis id incertum habeat, non ideo non agit ut castus sit, quoniam Dei dono se audit futurum esse quod audit. X, 1019. Prædestinationis definitio sicut non impedit quin corripiantur impudici, contentiosi; sic non impedit quin corripiantur infideles, et in fide non permanentes. X, 1020.

Prædestinatio ad æternam vitam et ad æternam mortem. X, 533. Genus humanum quod prædestinatum est ad interitum. X, 308. Deus occulta satis dispositione, sed tamen justa, nonnullos pœnis prædestinavit extremis. II, 939. Prædestinati ad damnationem et ad sempiternum interitum. III, 1742, 1743, 1914, 1920, 1921, 1929. Ad ignem æternum. VII, 692, 792. Prædestinatio ad pœnam ex justitia, prædestinatio ad gratiam ex benignitate Dei. VI, 279. Qui præsciuntur damnandi, possent post baptismum tolli de vita, priusquam peccent. X, 1505. Dilecti secundum electionem, prædestinati. II, 638. Prædestinati oves Christi. III, 1725. Christo dati non sunt, quibus vitam non dabit æternam, quamvis et ipsorum potestas ei data sit. III, 1925. Solis prædestinatis ad æternam salutem bona opera Christi profuerunt. IV, 1115. Prædestinati ex Judæis. X, 984. Prædestinata ad salutem trahit ad se ipsum Christus, quomodo. III, 1773.

Prædicatio verbi divini cum timore suscipienda. III, 1790, 1791. Non tamen cum necesse est, omittenda otii sancti causa. III, 1791. Nec metu peccandi. III, 1792. Prædicandi Christi causa, aliquando otium sanctum relinquendum. III, 1791, 1792. Nec metuenda levia peccata. III, 1792. Si veritate fulcitur prædicatio tua, publica sit doctrina tua. VI, 683. Prædicare super tectum. V, 1427. Prædicatio vera unde discerni possit a falsa. VI, 682, 685, 686. Prædicatio ad spiritales pertinet, obsecundatio ad carnales. IV, 1748. Quinam prædicationem veritatis obedienter audiunt. X, 1016. Prædicatio sine gratia intrinsecus operante non prodest. VII, 442. Prædicationis labor inanis, si non sit intus qui operetur. V, 820, 825. Non est dignus sanari, qui non timet, nec movetur, dum audit prædicationem. IV, 716. Prædicatio et prædestinatio se invicem non impediunt. X, 1015. Prædicatio Dei præter Ecclesiam inanis est. IV, 929. Non desunt adhuc ultimæ gentes, licet, ut perhibetur, paucissimæ, quibus nondum prædicatum fuerit Evangelium. X, 248, 249. Verbi Dei inanis est forinsecus prædicator, qui non est intus auditor. V, 966. Qui vis te audiri, prior te audi. IV, 580. Prædicatores verba proferunt, Deus dat verborum intelligentiam. III, 1688. Prædicatores quorum os hiat, et cor non hiat, per Zelpham figurantur. VIII, 435. Prædicator invicta adversus diabolum castra in cordibus hominum construit. V, 1539. Prædicatores defuncto fratri, hoc est Christo, semen suscitant. VIII, 502. Prædicatoris lucra, bona auditorum vita. V, 580. Prædicator petat auditorum ad se aures, ad Deum cor. V, 1149. Nisi ardeat minister prædicans, non accendit eum cui prædicat. IV, 1353. Difficile est ut prædicator non calumniatori occasionem præbeat, seu peccando in verbis, seu altiora docendo. IV, 414. Non tamen idcirco deponendum prædicandi officium. IV, 416.

Requies sanctis in hoc mundo non est promissa. VIII, 264. Requies promissa nobis adesse non potest in hoc sæculo. X, 1579. Requies non invenitur in divitiis et honoribus. VI, 329. Non in oblectamentis carnis et spectaculis. VI, 329. Requiei et resurrectionis fides in arca Noe commendata. VIII, 264. Requiem sperare non debemus nisi post bona opera. III. 1556. Requies labore emitur. IV, 1212. Pro æterna requie labor æternus subeundus esset IV, 372. Ubi requies, ibi sanctificatio. II, 218. Requiem jam hic suavem gustant, qui non nisi post hanc vitam quærunt. VI, 350. Requies animæ solus est Deus. I, 661, 752. Requies ubique amatur, sed in solo Deo certa et sancta invenitur. II, 214. Requies creaturæ in Deo. III, 302, 306, 307, 643. Mane habet, non vesperam. III, 308, 309. Requies hominis ante lapsum in Christi divinitate, et post in ejus humanitate. VI, 331. Requiescere non potest anima, nisi in eo quod diligit: nec requies æterna ei datur, nisi in dilectione Dei. V, 208. Requies continuo post mortem. III, 1751. Requies sanctorum in æterna vita erit, non desidiosa. VI, 342, 343. Requies Beatorum in contemplatione veritatis. V, 1633. Requies Angelorum in Dei Verbo. VI, 331.

Rerum causæ in Verbo Dei conspiciuntur. VII, 274. Res non discuntur per ipsa verba. I, 1214. Res nostræ propriæ quænam. V, 72. Rerum temporalium instabilitas. I, 1281. Non res, sed homines qui rebus male utuntur culpandi sunt, cum ex bono usu alius bonus, ex malo alius malus evadat. I, 1240. Res magnæ si a parvis quæruntur, magnos eos solent efficere. I, 909. Res magnæ magnos viros desiderant. I, 909.

Rescriptum. III, 1443.

Respublica quid sit. II, 529. Respublica definitur res populi. VII, 67, 648. Qua ratione nuncupatio reipublicæ Romanis et aliis regnis possit convenire. VII, 655. Quænam est vera respublica. VII, 655. Respublica sine justitia nomen suum obtinere non potest. VII, 67, 68. Respublica quo spectare debeat. II, 670. Reipublicæ salus in quo sita sit. II, 523; VII, 758. Reipublicæ non inimicam esse doctrinam Christianam. II, 529. Sed magnam ejus salutem. II, 532. Reipublicæ ordo id cujusdam pacis terrenæ vinculum coercens etiam peccatores, plurimum valet. III, 398. In republica non se solum quisque curare debet, sed sibi invicem adhibere diligentiam. III, 778. Respublica idolorum cultrix, non est respublica. VII, 653. Nulla respublica, nisi ea, cujus conditor rectorque Christus, veram justitiam habet. VII, 69. Rempublicam suam habet Christus. IV, 1911. Respublica felix non est stantibus mœnibus, ruentibus moribus. VII, 45. Nec ideo felicior, quia amplior. VII, 114. Respublica optima, nullum bellum suscipit, nisi aut pro fide aut pro salute. VII, 758. Reipublicæ pessimæ vel flagitiosissimæ descriptio. VII, 65. Hæcque a Christianis patienter toleranda. VII, 64. Reipublicæ nullus est interitus naturalis. VII, 758. Rempublicam sine injuria regi non posse vulgo ferebatur. VII, 66. Reipublicæ regimen triplex. VII, 67. Rempublicam sapienti administrandam Antisthenes, fugiendam Aristippus dicebat. VII, 601. Reipublicæ administratio dissimillimorum consensu ut harmonia perficitur. VII, 66. Libri de Republica laudantur. II, 314. Falsa sententia de republica. VII, 67.

Resistere. Nihil nobis resistit non resistentibus Deo. III, 2066.

Respicere Deus dicitur cum miseretur. IV, 295. Respicere retro. V, 476, 621, 622, 1202. Respectum pro dilectione poni quotidianum est. IV, 800.

Restis peccatorum. IV, 1808.

Restituenda res aliena. II, 662. Restitutionis præceptum. III, 720. Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. II, 662. Restituendæ sunt usuræ. II, 664. Officialibus forensibus quid liceat accipere, quid iidem restituere teneantur. II, 663. Advocatus qui causam malam egit, restituere potius tenetur, quam quisquam in quolibet officio militans. II, 664. Interveniendum pro furibus, non ad hoc ut minime restituant ablata, alias in societatem criminis veniretur. II, 662, 663. Restituere aliena, et sua pauperibus largiri distinguuntur. II, 663. Si quis cruciatur dum existimatur habere quod reddat, etiamsi non habeat, nulla est iniquitas. II, 662. Misericordes tamen in ipso dubio nolunt pro incerta pecunia certa inferre supplicia. II, 662. Restituere nolentes episcopi quosdam clam, quosdam palam arguunt, quosdam etiam sancti altaris communione privant. II, 662. Restituere pretium quo Christus nos emit, nemo valet, ut nos ei auferat. I, 778.

Restituta basilica Carthag. V, 132, 185, 559, 643, 1257.

*Restitutus* in locum Salvii Membresitani Donatistarum episcopus a Primiano creatus. IX, 579. Antequam dies dilationis concessæ duodecim episcopis, qui Maximiano adhæserant, transiret, ordinatus est. II, 413. Restitutus cum salvio Membresitano propter cellulas et agellos ut eum locis pelleret conflixit. IX, 592. Nec contentiosus habitus est. IX, 592. Pro Restituto Nummasius advocatus contra Maximianum locutus est. II, 412.

*Restitutus* Victorianensis presbyter sponte catholicus factus. II, 397; IX, 525. A Donatistis quid passus sit. II, 516, 598.

*Restitutus* presbyter a Circumcellionibus est occisus. II, 509, 511.

*Restitutus* presbyter, quando ei placebat, jacebat mortuo simillimus. VII, 432, 433.

*Restitutus* et Florentius episcopi Africæ navigaverunt ad Imperatorem, contra hæreticos et paganos ex decreto concilii Carthagine habiti. II, 358.

*Restitutus* episcopus. II, 759, 781.

*Restitutus* alter episcopus. II, 759, 781.
*Restitutus* diaconus, ejusque pii æstus. II, 1065.
Resurrectio Christi quomodo tertia die. VI, 657. Triduum crucifixi, sepulti, suscitati. II, 215. Resurrectionis triduum quomodo numeratur. VIII, 894. Corpus Domini tale resurrexisse, quale fuerat sepultum. VI, 304. Corpus Christi ad tantam subtilitatem in temporis momento potuisse redigi, ut per clausa ostia intraret. VI, 304. Resurgens Christus cur cicatrices servarit. II, 372. Solus Christus resurrexit jam non moriturus. IV, 1673. Nemo ante Christum resurrexit in æternum. IV, 1642, 1701, 1702. Circumcisio die octavo facta, ut Christi resurrectionem significaret. II, 680. Resurrectio Christi per circumcisionem figurata est. VIII, 336. Magnum est cognoscere virtutem resurrectionis Christi. V, 922. Resurrectio nostra mirabilior. V, 922. Resurrectionem Christi nec Magdalena credebat, nec Apostoli. V, 1147. Quomodo Christus post resurrectionem agnitus et non agnitus sit. II, 643. Resurrectio Domini discipulis abstulit timorem, et dedit amorem. V, 1452. Resurrectio, Christo per quadraginta dies cum discipulis agente, confirmata est. V, 1218. In celebratione Paschæ crux, sepultura, et resurrectio Christi observanda : crucem gerere debet Christianus in præsenti vita, sepultura et resurrectio spe et fide geritur. II, 215. Resurrectio Christi in primo anni mense qui dicitur Mensis novorum celebratur, propter innovationem vitæ quam significat : triduana est ob tempus ante Legem, sub Lege, sub gratia : tertia hebdomada lunæ celebratur ad perfectionem significandam. II, 206, 208. Resurrectio Domini per dies Paschales secundum quatuor Evangelistas recitari solita. V, 1107, 1126, 1156. Quo ordine. V, 1108, 1156. Quod de ea scripsit Joannes, non uno die legitur. V, 1156.
Resurrectionis Christi fides. VIII, 864. Resurrectio Christi credita nos justificat. VIII, 336. Cur Christus omnium primus resurrexit. IV, 1162. Resurgentium aliorum Christus est princeps. III, 2091, 2092. Resurrectio Christi, ejus clarificatio. III, 1805. Resurrectionem suam et nostram diverso tempore futuram Christus indicat. III, 1829, 1850. Resurrectionem novimus in capite jam factam, et in membris futuram. IV, 786. Resurrectio nostra jam in Christo facta est. VIII, 251. In quo crucifixi fueramus. III, 2063. Resurreximus jam cum Christo per fidem. V, 1621. Resurrectio nostra quomodo fit tertio die. IV, 224. In resurrectione Domini designatur novi hominis instauratio. III, 2069. In passione et resurrectione Domini transitus de hac vita mortali in aliam vitam immortalem commendatur. II, 205. Resurrectio Christi vitam novam significat. IV, 340. Ostendit nobis futuram vitam, sicut ejus passio significat præsentem. IV, 1958. Resurrectio Christi, fortitudo Martyrum. IV, 1616, 1617. Resurrectio Christi, spes nostræ resurrectionis est. IV, 1700, 1703. De resurrectione non tacuerunt Prophetæ. VIII, 368.
Resurrectionem corporum designat Isaias. VII, 691. Resurrectionem immerito negant Platonici. VII, 392, 393. Resurrectionem non credebant Sadducæi. VIII, 368. Resurrectionem jam esse factam Hymenæus et Philetus apud Paulum existimarunt. II, 206. Resurrectionem non putant futuram Seleuciani, sed quotidie fieri in generatione filiorum. VIII, 41. Resurrectionem corporum futuram negabant Manichæi. VIII, 220, 247. Alio modo quam Sadducæi. VIII, 331. Non resurrectionem sed revolutionem ad istam mortalitatem promittebant suis Auditoribus Manichæi. VIII, 226. Resurrectionem repellunt Origeniani. VIII, 33. De resurrectione non consulendi philosophi, nec qui inter antiquos excellerunt. VIII, 903. Inter ipsos Christianos aliquando reperitur, qui contradicat resurrectioni carnis. IV, 944. Resurrectio solius est creaturæ rationalis. VI, 650. Animæ sanctorum ante resurrectionem corporis, sunt in requie. II, 214. Resurgent omnes homines simul. III, 1751. Sexus uterque resurrecturus est. VII, 778. Undique reducet Dominus corpora sanctorum. IV, 1945. Resurrectionis celeritas. V, 1624. Omnium est resurrectio, sed aliorum ad pœnam, aliorum ad gloriam. IV, 1672. Discrimen resurrectionis justorum et impiorum. III, 144. Resurrectionem et resurgentium differentiam quomodo Apostolus persuadeat. II, 944.
Resurrectio qualis erit. VI, 650, 651. Qualis futura justorum. V, 1614. Resurrectio cujusque cum causa sua. V, 1455. Morte Christi resurrectionem justis præstitam esse talem, qualis in fine nobis promittitur, quidam tenuerunt. II, 712. Sed Augustino non satis probantur. II, 712. Post resurrectionem quales erimus, scimus cum fuerimus; antequam simus, temerarii non simus, ne illud non simus V, 1264. Resurrectionem solarum animarum fieri multis visum est. V, 1614, 1628. Resurrectio talis speranda, qualis in Christo præcessit. V, 1616, 1622, 1630.
Resurrectio duplex. V, 591. In spiritu et in corpore. V, 1627. Resurrectio animarum et corporum, finis prædicationis et dispensationis Christi. III, 1585, 1586. In nulla re sic contradicitur fidei Christianæ, quam in resurrectione carnis. IV, 1134. Resurrectio carnis a quibusdam negata est. III, 1551. Contra illos adstruitur. I, 601, 1077, 1170; III, 1554, 1580; V, 712, 713, 1131, 1600, 1603, 1609, 1626, 1629; VII, 754, 771, 795, 796. Adstruitur contra Manichæos. VIII, 247. Jam resurreximus mente, fide, spe, caritate; restat ut resurgamus corpore. IV, 899. Resurrectio corporum promittitur. III, 1332. Resurrectio promissa, morti corporis est contraria. X, 112. Resurrectionem carnis, resurrectio spiritus præcedit. X, 232. Resurget caro per meritum animæ. V, 427. Resurrectio carnis futura est omnium hominum. VI, 272. De morte corporis et de ejus resurrectione agit Apostolus. 1. Cor. xv. 21, 22, etc. X, 1584, 1585, 1586, 1593, 1596, 1601, 1602. Caro resurget ista ipsa, quæ sepelitur. V, 1192, 1217. Resurgens caro commutabitur et fiet ipsa corpus cœleste et Angelicum. V, 1217. Corpus spiritale. V, 1142. Sunt qui putent tunc carnem in Dei substantiam conversum iri, ac futuram esse quod Deus est. II, 320. Corpus nostrum quomodo post resurrectionem futurum spiritale. II, 628; III, 2061, 2062; VI, 274. Spiritale corpus, quod resurrecturis promittitur, quale futurum sit, discere non recusat August. II, 618, 620, 623. Corpus in spiritum esse mutandum nonnulli putant. II, 618. Qui putant tunc corpus spiritale fieri, cum mutatur in spiritum, refelluntur. II, 943. Opinionem hanc quæ sequantur incommoda. II, 619. Putat August. etsi non plena fiducia, corpus tum spiritale dicendum, ob ineffabilem quamdam facilitatem. II, 629. Resuscitatum hoc corpus mortale transfertur in habitudinem angelicam, et in cœlestem qualitatem. IV, 1862. Corporum spiritalium qualitates Augustino velut indubitatæ, quod detracta sit eis mortalitas, corruptio, ponderis gravitas. II, 623. Aliæ de quibus summopere ambigit. II, 623. Corpus sanctorum post resurrectionem immortale. V, 840. Corpus propter meritum justitiæ, in sæculo futuro vivificandum, nec sic ut tantum ex mortuo vivum fiat, verum etiam ex mortali immortale. X, 113. *Vide* Corpus. Omnes incorrupti resurgent, sed ex his etiam justi immutabuntur in illam incorruptelam, cui omnino nulla possit nocere corruptio. II, 947. Corpus sanctorum post resurrectionem erit omnino incorruptibile, omnino immortale, omnino ad movendum agile et facile. V, 1137. Stabilitas corporum post resurrectionem. I, 603, 613, 620. In Beatorum corporibus erit claritas, et diversa species claritatis, quia diversa sunt merita caritatis. V, 1138. In Beatorum corporibus pulchritudo erit omnibus numeris absoluta. V, 1146. Resurget caro sine vitio. V, 1131. Si carnis vitia non resurgent, cur in Christo cicatrices. V, 1140. Resurgent piorum corpora sine omni vitio, eadem tamen quo ad substantiam carnis. VI, 274. In statura et effigie corporis nihil erit indecorum. VI, 273. Credere debemus talia corpora nos habituros, ut ubi velimus, quando voluerimus, ibi simus. V, 1140, 1143. Terrenum corpus quomodo in cœlo erit. V, 1140. Facile corpus levabitur in cœlum, si non premat spiritum sarcina peccatorum. V, 1211. Caro quæ nunc tibi facit tormentum, tunc tibi erit ornamentum. V, 1132, 1133. Utrum spiritus tunc adjuvandus sit corpore ad videnda corporalia, nihildum legit August. quod sibi sufficiat. II, 629. In ipsa quoque resurrectione non facile est Deum videre, nisi iis qui corde sint mundo ex Ambr. II, 604, 608. Post resurrectionem corpus sumere cibos poterit, sed non indigebit. II, 372. Manducandi potestas, sicut in Christo, non necessitas, post resurrectionem. V, 1139, 1618. Resuscitatum corpus imperfectæ felicitatis erit, si aut cibis eguerit, aut cibos sumere non potuerit. II, 372. Post resurrectionem corpus et anima vigebunt per Filium Dei, et per Spiritum sanctum. III, 133. Quare in resurrectione non erunt nuptiæ. IV, 786. Carnis non erunt eadem opera post resurrectionem. V, 1622. Vita similis Angelorum erit, carens operationibus corruptionis et indigentiæ. V, 1623, 1631. Nihil resistet spiritui nostro. IV, 1688. Tunc vere holocausta offerentur. IV, 798. In resurrectione caro erit spiritalis et tamen caro. VII, 783. Corpus per gloriam resurrectionis non sic amittet mortalitatem et corruptibilitatem, ut hoc ipsum quod corpus est amittat, et spiritus fiat. II, 619. Tunc corpus ipsum erit, et non ipsum erit. V, 840, 849. Resurrectione erunt tunc corpora spiritalia, manentibus tamen omnibus membris. II, 550. Membra corporis erunt alia ad usum, alia ad speciem. V, 1145, 1146. Nec interiora membra, nec ipsa corda latebunt post resurrectionem. V, 1145. Totius hominis in melius commutatio resurrectione perficienda. VI, 193, 194. Immutabitur caro et sanguis, et fiet corpus cœleste et angelicum. VI, 309. Non jam caro erit et sanguis, sed tantum corpus. VI, 195. Superflua quomodo redibunt ad corpus. VI, 275. Caro hominis quæ in alterius cibum carnemque transierit, illi redditur, cujus primitus fuit. VI, 275. Difficultates variæ circa quantitatem corporum resurgen-

tum. VII, 776, 777. In qua magnitudine quisque resurrecturus est. VII, 783. An ad Dominici corporis modum omnium mortuorum corpora resurrectura sint. VII, 777. An resurgent fetus abortivi. VI, 272. Integrabitur quod nondum erat integrum, et instaurabitur quod fuerat vitiatum. VI, 272. Resurgent monstrosi fetus correcta emendataque natura. VI, 272, 273. Homo bimembris non resurget unus homo, sed homines duo. VI, 273. Corpora quibuslibet modis dissipata in integrum restituentur in resurrectione. VII, 782. De capillis et unguibus in resurrectione. VII, 780. Resurgentium corporibus vita detrahentur, natura servabitur. VII, 778, 781. Discrimen corporis ante peccatum et post resurrectionem. I, 603. Parvuli ante vel post susceptum baptismum defuncti an resurgent. II, 730. Resurrectio parvulorum qualis erit. V, 1140.

Resurrectio corporis aliis in bonum, aliis in malum. V, 709. Corpora damnatorum qualia resurgent. VI, 274. Quomodo erunt incorruptibilia, si dolebunt; aut quomodo corruptibilia, si mori non poterunt. VI, 275. Corpora impiorum qualia resurgent. V, 1627. Non ad passiones dolorum, sicut impii, resurrecturi sumus; nec ad gaudia carnalium desideriorum. V, 1059. Resurgent mali incorrupti integritate membrorum, sed corrumpendi dolore pœnarum. II, 947. In resurrectione mortuorum distabit gloria meritorum. II, 944. Post resurrectionem gaudium bonorum amplius erit, et malorum tormenta graviora. III, 1751. Resurrectio corporum ad perfectam beatitudinem animæ necessaria. III, 483.

Resurrectrio egneratio dicta est. IV, 1873; X, 156, 591. Item adoptio et redemptio. X, 591. Plena per resurrectionem renovatio est effectus baptismi. X, 407. Post resurrectionem totus homo deificatus inhærebit incommutabili veritati. V, 909. Resurrectionem corporalem primam, et mille annorum sabbatismum futurum quidam opinati sunt. VII, 667. Qua in opinione aliquando fuit Aug. VII, 667. Resurrectio duplex. VII, 665, 666, 675, 690. Ad primam resurrectionem non pertinent, nisi qui beati erunt in æternum. VII, 665. Resurrectionem desiderabiliter et patienter sancti exspectant. VII, 393.

Resurrectione Christi spem resurrectionis nobis allatam esse. V, 1607. Resurrectio spes omnis fidei nostræ. VI, 659. Summa fidei nostræ. VI, 650. Fides resurrectionis propria est Christianorum. IV, 1308, 1609; IX, 675. Discernens eos a Paganis et Judæis. V, 808, 1075, 1112, 1115, 1133. Resurrectionis fide sublata, omnis intercidit doctrina Christiana. V, 1599.

Resurrectio carnis suadetur possibilis. IV, 751; VI, 194, 195, 342, 346, 347, 659. Quomodo a Christo persuadebatur. V, 658. Resurrectioni fidem facere debet creatio. V, 713. Et quod Christus præstitit. V, 727. Christus resuscitavit quosdam, ut ad resurrectionem generalem præpararemur. III, 1746, 1747. Productio arboris ex parvulo grano non minus aut amplius miranda, quam terræ sinus reddens corpora resurrectioni futuræ integra. II, 372. Tam facile est omnipotentiæ Dei quæque recentia, quam diuturno tempore dilapsa cadavera suscitare. II, 372. Resurrectionis promissio, tot aliis Dei promissionibus jam impletis, confirmatur. V, 1143. Resurrectio Christi, non Lazari, congruit promissæ resurrectioni. II, 371. Resurrectionis commendata est fides, cum filii, non dupli, sed totidem redditi sunt Jobo, quot habuerat. II, 549. Elias et Elisæus mortuos suscitaverunt. II, 521. An Magi mortuos suscitaverint. II, 521. Impossibilitas resurrectionis ab infidelibus objecta, ab ipsis eorum philosophis destruitur. VII, 794, 796. Quomodo ex opinionibus contrariis Platonis et Porphyrii veritas resurrectionis carnis elicitur. VII, 795. Resurrectionem prænuntiare maleficiis Petri Christus compulsus non est. VII, 793. Resurrectionem a mundo esse credendam Christus prædixit. VII, 793. Resurrectionem totus mundus credidit; qui non credidit, remansit immundus. V, 658. Resurrectionis fides manifesto probata, imprudenter ab hominibus improbatur. V, 1138. Resurrectio in virga Moysi significata. VII, 269. Resurrectionis fidem cura sepulturæ adstruit. VII, 27. Resurrectio mortuorum non pendet ex eorum sepultura. III, 592. Resurrectio, beneficium est gratiæ. VI, 660. Gratiæ mirabilior est virtus justos a morte ad æternam beatitudinem reviviscere, quam in mortis experientiam non venire. VI, 160. Resurrectionis in aquila et luna similitudo. IV, 1325. Resurrectio fructus est mediationis Christi. VII, 268. De resurrectione corporum epistolam scripsit Augustinus. II. 631.

Resurrectio spiritalis quæ. III, 1547, 1548. Resurrectio secundum spiritum, quæ nunc fit per fidem. V, 709, 1628. Resurgere ex se homo, cum ex se ceciderit, non potest. IV, 1696.

Rena in dexteram missa post resurrectionem Christi. VI, 304, 305.

Retica annona. VII, 575.

*Reticius* Augustodunensis episcopus magnæ auctoritatis in Ecclesia. X, 644. Interfuit concilio Romano, in quo Donatus schismatis Donatistarum auctor præsidente Melchiade damnatus est. X, 644, 1078. Opusculum ejus de baptismo. X, 644.

Retractationum opus se meditari notat Augustinus. II, 586. Opus hoc rem plurimum necessariam vocat August. II, 1001. Retractationum duo volumina Augustinus absolverat ann. ccccxvm. II, 1001. Retractatio operum ab Augustino quo consilio facta. I, 585.

Retrarius. V, 621.

Retributionis genus quadruplex. IV, 1516. Retributiones aliæ nobis debebantur, aliæ redditæ sunt. IV, 1317. Retributionem Dei nullæ malæ, quia nullæ nisi justæ. IV, 1319. Quæ Dei in hominem retributiones. IV, 1321, 1322. Retribuit Deus bona pro malis, cui homines retribuunt mala pro bonis. IV, 1493. Nisi Deus retribueret bona pro malis, nullo modo essent quibus retribueret bona pro bonis. IV, 1517. Quodnam inter Dei atque hominum retributiones discrimen. IV, 1317. Retribuere Deo aliquid non valemus. V, 1184. Non vult Deus sibi retribui de tuo, de suo vult. IV, 1318. Quid hominem Deo retribuere oporteat. IV, 1318. Retribuit Christus pro nobis. IV, 1783.

Retro respicere, quid. V, 621. Retro respicere post conversionem non licet. IV, 874, 968, 1005, 1057, 1058. Retro respicit, quisquis eum, ad quem proficiendo pervenit, gradum dimittit. IV, 1058. Quis non respiciat retro. V, 622.

Revelatio perfecta, quid. VIII, 172. Revelatio doctrinæ per Spiritum sanctum a Pelagio agnoscitur. X, 381. Revelatione Paulus confirmatus de passione sua. V, 1368. Revelationes B. Perpetuæ. V, 1281, 1284. Revelatio facta militari viro. VI, 722.

Revixit pro apparere cœpit. III, 2070.

Revolutio rerum omnium in eumdem ordinem, eamdemque speciem admittenda non est. VII. 362. Quibus argumentis probatur a philosophis illam admittendam esse. VII, 366, 367. Respondetur illis. VII, 366, 367.

Reus reum non facit. IV, 382. Qui facinus vult committere, etiamsi non faciat, reus est apud Deum. IV, 1662. Intercedere pro altero, quisque homo suarum partium esse ducit. II, 657. Sacerdotii officium est intercedere pro reis. II, 653. Idque ex religione descendit. II, 655. Quo animo pro reis interveniunt sacerdotes. II, 655. Rei qui sacerdotum intercessione liberantur supplicio, a societate tamen removentur altaris. II, 656. Pro reis intervenit August. ut corrigendorum morum locus eis detur. II, 655, 656. Misericordia erga reos moveri debent judices, quia et ipsi misericordia egent. II, 657. Reos omnes Christus invenit. V, 201.

Rex. Regere. Regit Deus obedientes, conterit resistentes. IV, 693.

*Rex* nomen imperii primum fuit. VII, 86. Reges melius dicti a regendo, quam a regnando. VII, 154. Primi justi, pastores pecorum magis quam reges hominum constituti sunt. VII, 645. Facile invenitur, qui timeat se fieri regem, nullus qui se nolit esse felicem. VII, 130. Reges olim unguebantur et sacerdotes. IV, 1952. Regum unctio typus Christi. VII, 543. Regum primorum (Romanorum) studia. VII, 86. Regum Christianorum officia. IX, 527. Reges Domino serviunt, et ut homines sunt, et ut reges sunt. II, 801. Aliter ut homines sunt, aliter ut reges. II, 801. Reges quomodo servire Deo peculiariter debeant. IX, 330. Regi debes, ut possis regere. V, 715. Reges serviunt Domino in timore, ea quæ contra jussa Domini fiunt, religiosa severitate prohibendo atque plectendo. II, 801. Ad religiosos reges terræ pertinet non solum adulteria, vel homicidia, vel hujusmodi alia flagitia seu facinora, verum etiam sacrilegia severitate congrua cohibere. II, 940. Rex nova præcepta imponere potest subditis. I, 690. Et illi non obedire peccatum est. I, 690. Regi ex veritate aliquid jubenti cum resistitur, veritati contradicitur. IX, 105. Reges edicta in gratiam religionis posse condere, qui olim a fidelibus signatum. II, 399. Nihil interest sub quo rege vivat homo, si ad impia non cogitur. VII, 160, 161. Regum Christianorum amicitia Catholici qui bene utuntur, nihil peccant. IX, 324. *Reges sæculi numquam christianitas nisi invidos sensit*, dictum Petiliani quod confutatur. IX, 325, 326. Honor et obedientia regibus injustis etiam et infidelibus debetur a Christianis. IV, 1653, 1654. Christus ejusque discipuli obsequium regibus exhibendum esse exemplo etiam suo præceperunt. IV, 1591. Inter honores non obliviscantur reges, se esse homines. VII, 171. Quanto sunt in majore sublimitate terrena, tanto magis humiliari Deo debent. IV, 1779. Homo rex est hominibus ad humana, sed alius rex est ad divina. IV, 647. Rex terrenus, sub rege cœlesti; rex cœlestis, super omnia. IV, 647. Judæi peccave-

runt, non quia dixerunt se habere Cæsarem regem; sed quia Christum regem habere noluerunt. IV, 647. Regis nomine in Scripturis Filius Dei solet appellari, potius quam Pater aut Spiritus sanctus. IV, 84. Rex noster Christus. IV, 200. Reges dicuntur in Ecclesia, qui carnis concupiscentias regunt. III, 865; IV, 826. Regis regnantis Manichæorum descriptio. VIII, 307, 309.

*Rhadagaisus*. V, 224. Gothorum rex quanta suorum clade a Romanis victus sit uno die. VII, 169. Rhadagaisum vinci non posse jactabant Pagani quod deos coleret. VII, 170.

*Rhadamanthus* Xanthi filius ex Europa. VII, 569. Judex apud inferos. VII, 72.

Rhamnus spinarum genus, peccati figura. IV, 689.

*Rhea* seu Ilia mater Romuli. VII, 578. De Marte geminos concepisse fertur. VII, 578. *Vide* Sylvia.

Rhetor et dialecticus qui differant. IX, 457.

Rhetorica, victoriosa loquacitas. I, 693. Rhetorices inventio. I, 1013. Utilitas. III, 60, 61, 89. Rhetoricæ præcepta ab adolescentibus cito discenda sunt. III, 90. *Vide* Eloquentia. Rhetoricam docet Augustinus. I, 693. Thagastæ. I, 695. Carthagine. I, 711. Romæ. I, 716. Mediolani. I, 717. Illius professionem deserit. I, 763.

*Rhetorii* hæresis miræ vanitatis. VIII, 44.

*Rhinocorura* civitas. III, 787; VII, 503.

Rhythmus quid. I, 1014. Rhythmus latine numerus dicitur. I, 1014. Rhythmi nomen in musica late patet. I, 1116. De rhythmo copiose. I, 1115.

Ridendi et timendi tempora sunt discernenda. IV, 608. Risus et fletus. V, 945. Risus infima est hominis proprietas. I, 1231. Ratio præveniat risum necesse est. I, 913. Nihil fœdius risu irrisione dignissimo. I, 913. Risus jocusque nonnisi affectu carnali delectat. X, 148.

Rigatio significat fletum usque ad cordis intima. IV, 94.

*Rinanus* episcopus Maximianista. IV. 381.

Rixa pacata columbarum. V, 426. Rixandi libido cavenda. III, 58. Rixæ etiam inter sanctos, sed quæ non interimunt caritatem. IV, 318, 319.

*Rogatianus* Donatista. II, 399; IV, 376, 381.

*Rogatianus* a Nova. IX, 255.

*Rogatus* Maurus, III, 1470. Cartennensis episcopus. II, 501. *Not.* 1. Rogatensium auctor. II, 526. Seu auctor schismatis unius in parte Donati. IX, 45, 46. In loco Prætextati Assuritani ordinatus. IX, 530, 704. Ob defectionem a Donatistis, multa ab iis passus est. II, 561. *Not.* 1; IX, 516. Circumcellionum in eum crudelitas. IX, 530, 704. Rogatus forensi disceptatione acerrime conflixit. II, 526. Rogatus jam catholicus est. IX, 704. Rogatus tempore Augustini vixit. II, 520. Rogati successor Vincentius. II, 520.

*Rogatistæ*. V, 769. Seu Rogatenses. II, 501. A Rogato sic appellati. II, 525. Rogati pars brevissimum frustum de frusto majore præcisum. II, 533. Rogatensium schisma ante ann. CCCLXI non exortum. II, 526. *Not.* 1. Rogatistæ temere ab Ecclesia se præciderunt. II, 533, 554. Rogatistæ gloriantur se nec terram nec in terra, sed cœlestes, in quibus solis Christus fidem inventurus est. II, 545. Rogatista spersecuti sunt Donatistæ. IX 46. Rogatistæ appellabant Donatistas Firmianos. II, 502. Rogatenses cæteris Donatistis mitiores videntur, sed non sunt nisi defectu virium. II, 526.

*Rogatenses*, pauci in Mauritania Cæsariensi. IX, 422, 588.

*Roma* condita a Trojanis. V, 505. A posteris Æneæ. VII, 80. A Romulo et Remo. V, 505; VII, 82. De tempore Urbis Romæ conditæ inter auctores non convenit. VII, 80. *Not.* (*a*). Quo anno regni Juda et Israel Roma condita est. VII, 578. Et quo Numitoris. VII, 578. Romæ primordia, facinorosum asylum, Romuli fratricidium. III, 1050. Roma, expulsis regibus, incredibiliter brevi ætatis spatio plurimum crevit. VII, 62. Roma caput gentium. V, 166, 1684. Roma triginta quinque curias habebat populi. IV, 1624. Romana fora et Græca gymnasia distinguuntur. II, 456. Romanorum peritia. V, 1085. Roma a Gothis capta, spoliata et incensa. VII, 70, 96.

Romæ incendium primum a Gallis, et alterum a Nerone. V, 1556. Romæ incendium publicum. VII, 99. Romam Camillus a Gallis liberat. VII, 117. Romæ excidium a Gothis. VII, 469. Roma Gothorum irruptione sub Alarico rege eversa est. I, 647. Barbarico vastatur incursu. II, 485. Clades allata populo Romano prima obsidione Urbis per Alaricum ann. CCCCVIII exeunte. II, 565, *et Not.* (*a*). Roma ab Alarico capta et direpta est. VII, 14, 15, *et Not.* et 19, 20. Romæ incendium a Gothis tertium fuit. V, 1556. Romæ excidium clementia Dei temperavit. VII, 45. Barbarorum humanitas erga plerosque Romanorum. VII, 45. Parcebatur iis, qui ad loca sancta confugissent. VII, 14, 15, *et Not.* et 45, 48. Romæ strages et excidium. VI, 718. An Urbi non revera pepercerit Deus. VI, 718, 721, 723. An tum Romæ nulli erant justi unde Urbi parceretur. VI, 718. Quæ clementer gesta sunt in eversione Urbis sub Alarico, Christo tribuenda. VII, 19, 20, 48. Romæ vastatio religioni Christianæ sive idololatriæ extinctioni falso tributa. V, 505, 623, 624, 1355. Roma urbs venalis appellata est. II, 552. Roma quasi secunda Babylonia. VII, 561, 578. Romæ Petri, Pauli, Laurentii et aliorum Martyrum corpora. V, 1355. Romam toto anniversario pergit Paulinus. II, 355.

Romani a Trojanis oriundi. VII, 79, 81. Et ex Laurentibus. VII, 572. Romani dicti sunt Æneæ et Assaraci domus III, 553; VII, 462. Romanorum vita sub Regibus. VII, 92. Romani imperii primordia sub Numa Pompilio quadraginta annos pacata fuerunt. III, 800, 801. Romanis sub Numæ regno triginta novem annos pax summa fuit. VII, 84, 85. Non beneficio deorum. VII, 85. Romanorum Reges quam horrendos exitus habuerunt. VII, 92. Romani Tarquinio expulso, a dominatu regio liberantur. VII, 583. Romani Regum impatientes, Consules crearunt. VII, 154, 155. Quantum brevi sub Consulibus creverit imperium Romanorum. VII, 154, 155. Romanorum victoriæ quales fuerunt a Consulum tempore. VII, 95. Romanorum fœdus fœdum cum Samnitibus. VII, 97. Romani leges Solonis ab Atheniensibus mutuati sunt. VII, 60, 96. Quas et meliores facere conati sunt. VII, 60. Qua ratione Romani et populi et rei nuncupationem sibi vindicare possint. VII, 635. Ordines duo apud eos splendidi, Equestris et Senatorius. VII, 108. Romani quanta cura senatui adoptandos examinarent. II, 475. Romanorum viri nobilissimi, Reguli, Scævolæ, Scipiones, Fabritii. VII, 77. Romani supplicio virgarum exempti. VII, 63. *Not.* 1. Romanorum res publica vere numquam fuit. VII, 648. Romana respubl. ex quo tempore possumire cœperit. II, 532. Quibus malis respublica Romanorum post initia Consularia imperii, vexata sit. VII, 95. Quibus malis interioribus exagitata. VII, 104. Et sua se quodam modo magnitudine fregit. VII, 607. Sententia Ciceronis de republica Romanorum. VII, 66. Eam lugubriter deplorat amissam. VII, 67, 68. De Romanorum reipublicæ vitiis plura Sallustius. VII, 64. Jus bonumque apud eos non legibus magis, quam natura valere dixit Sallustius. VII, 61, 62. Romani amore primitus libertatis, post etiam dominationis, et cupiditate laudis multa magna fecerunt. VII, 155. Duo ad facta miranda Romanos compulere, libertas et cupiditas laudis. VII, 162. Primus libertatis Romanorum annus, funereus et tartareus. VII, 95. Romanis libertatem jam quidem languidam omni modo Cæsar August. extorsit. VII, 103. Romani imperii sui fortitudinem ac stabilitatem auspicio indicari vane existimarunt. VII, 135. Romanorum fata, Sibylla cecinit. III, 1054. Præfecti a Romano imperio constituuntur quibusdam Africæ partibus. II, 922. Romani nihil nocuerunt gentibus, quibus subjugatis leges suas imposuerunt. VII, 160, 161. Non solum jugum, sed etiam linguam suam domitis gentibus imposuere. VII, 634. Romani cives censebantur omnes, qui ad imperium pertinebant. VII, 161. Magnitudinis imperii Romani causa nec fortuita nec fatalis. VII, 141. An non potuit magnum esse imperium Romanorum, nisi bellis esset inquietum. VII, 85. Romani bellum Albanis impie intulerunt. VII, 89. Et injuste. VII, 90. Romanorum bellum cum Etruscis. VII, 94. Variæ contra Romanos conspirationes hostium. VII, 97. Romani ex servis et reis exercitum instituere, arma ex templis extrahere coacti sunt. VII, 100. Romanorum ærarium stipendiis sufficiendis defecit. VII, 100. Quantis cladibus attriti Romani sub bellis Punicis. VII, 98. Et ab Annibale. VII, 100. Quantis bellis afflicti post conditam ædem concordiæ. VII, 106. Romanorum exercitus ab hostibus fusi. VII, 97, 168. Romanarum calamitatum enumeratio. VII. 96. In calamitatibus suis nullum a diis suis auxilium acceperunt. VII, 96. Romanos patriæ eversio non correxit. VII, 45. Romano imperio potentia gladiatorum terribilis fuit. VII, 115. Imperii Romani termini mutati sunt sub Hadriano et Juliano Imperat. VII, 135. Et sub Joviniano. VII, 136.

Romana nobilitas idololatriæ dedita. I, 750. Roma imprudenter diis Iliacis commissa est. VII, 84. Quam insipienter diis penatibus Trojæ urbem servandam commiserint Romani. VII, 16. Romanorum dii innumeri. VII, 118. Romani præter constitutionem Numæ multos deos adjecerunt. VII, 87. Non ratione, sed adulatione quosdam sibi deos instituerunt. VII, 60. Romanos Juno cum Jove necnon et Venus fovebat. VII, 88. Romani pallori et febri fana fecerunt. III, 1053. ἀγαθούς dæmonas invitandos, et κακούς dæmonas placandos monent. III, 1053. Deos gentium quas subjugabant, colendo propitiare solebant. III, 1050. Quare Deum Judæorum recipere noluerunt. III, 1050. Urgentur. III, 1053. Deum Hebræorum non receperunt, quia se solum coli voluerit. III, 1053. Romani dii dicti, etiam qui alibi gentium colebantur. V, 166, 505. Deorum numerosi asnihil Romanos juvit. VII, 87. Felicitatis et gloriæ Romanorum tutores, non fuisse deos ostenditur. VII, 101. Romanorum imperium florentissimum. VII, 560. A diis constitutum, auctum et conservatum dici non potest. VII, 119, 154.

Romani quare a Jove imperium suum auctum et constitutum putant. VII, 124. Quare ad tantam gloriam imperium Romanorum pervenire Deus permisit. VII, 166. Romanorum imperium a Deo vero est dispositum. VII, 167. Romam non ideo fuisse infelicem, quod deos colere destiterit, probatur. VII, 29. Romani præcepta vivendi a suis diis non receperunt. VII, 60. Nulla umquam cura fuit diis, ne malis moribus respubl. Romanorum deperiret. VII, 69, 71, 72. Romani diis suis sapientiores. VII, 59. Romæ dejecti sunt dii. V, 166.

Romani stante Carthagine optimis moribus et maxima concordia egerunt. VII, 62. Moribus antiquis res stabat Romana, virisque. VII, 68. Romanorum veterum virtutes et vitia. VII, 157. Romani laudis avidissimi. VII, 58. Et dominationis. VII, 43. Quibus gradibus ad hanc dominandi libidinem devenerunt. VII, 43. Tanto magis belli et dominationis laude claruerunt, quanto minus se voluptatibus et avaritiæ dederunt. VII, 155, 156. Romanorum primis conjugiis non Venus, sed Bellona aut Alecto præfuit. VII, 88. Quo jure, quo fœdere obtinuerint prima conjugia. VII, 88. Mulieres Romanæ gravi pestilentia afflictæ. VII, 98. Matronarum Romanarum mores pestilentia graviores. VII, 97. Romani theatricas artes diu non noverant. VII, 58. Romani auferendo poetis libertatem in homines, quam dederunt in deos, melius de se, quam de diis senserunt. VII, 56, 58. Romani accepta injuria ignoscere, quam persequi malebant. II, 529. Plebs, quæ suos agros non habebat, de publico apud Romanos vivebat. VII, 161. Romani laudati propter nonnulla velut opera bona. II, 982. Quantum valuerunt civiles etiam sine vera religione virtutes in imperio Romano. II, 533. Quibus moribus meruerint Romani ut verus Deus, quamvis eum non colerent, augeret eorum imperium. VII, 154. Romanorum bonis moribus reddidit Deus pro mercede gloriam humanam. VII, 160, 161. Romani de victoriis suis nihil præter inanem gloriam retulere. VII, 161. Virtutes, quæ in primis Romanis laudantur, paucorum sunt, non omnium. VII, 157. Quam corruptis moribus Romani fuere ante adventum Christi. VII, 64, 67, 69, 74. Varia injustitiæ Romanorum exempla. VII, 61. Romani injuste mala imputant Christianæ religioni. VII, 43, 45, 46, 64, 68, 69. Mala quæ per quosdam Imperatores Christianos imperio Romano accidunt, immerito in doctrinam Christianam rejiciuntur. II, 532. Difficilius aliquid egerunt Romani pro patria terrena, quam quod a Christianis exigitur pro cœlesti. VII, 162. Romanorum ingratitudo erga Christum. VII, 43, 48.

Romanorum pontificum a Petro usque ad Anastasium series. II, 196. Romanæ sedis auctoritas. II, 781. In hæreticis damnandis. II, 865, 869. In Romana ecclesia semper Apostolicæ cathedræ viguit principatus. II, 163. Patres concilii Carthag. decretum suum adversus Pelagianos Innocentio Pontifici Romano intimandum duxerunt. II, 760. Per Julium Patres conciliorum Carthag. et Milevitani, et quinque episcopi ad Innocentium (Pontificem Romanum) scribunt. II, 782, 785, 788, 816. Romanus episcopus ab Ostiensi ordinatur. IX, 642. Ad Carthaginis episcopum, Romano prætermisso, numquam Orientalis catholica scribebat. IX, 516. Romæ Pelagiani non audebant aut Pelagium defendere, aut dogmata ejus jactare tempore Innocentii. II, 788. Ibi alii Pelagio favebant, quia doctrinam ejus propugnabant; alii quia ita docuisse non credebant. II, 765. Sedes apostolica in judiciis ad misericordiam propendet. II, 955. A judiciis episcoporum Africæ ad Apostolicam sedem appellandi usus. II, 953. Romanam sedem sollicitudo manet omnium Ecclesiarum. *Innoc.* II, 786. Romanæ sedis super anxiis rebus consulendæ mos a toto semper orbe servatus. *Innoc.* II, 786. Romanæ Ecclesiæ curæ et occupationes, quibus ad diversorum consulta respondet. *Innoc.* II, 785. Consulta fideli ac modica disceptatione tractat. *Innoc.* II, 785. Ad Apostolicam sedem refertur, quod per totum mundum possit omnibus ecclesiis in commune prodesse. *Innoc.* II, 782, 786. Difficultate orta cupit Augustinus de ea in concilio agere, aut etiam ad sedem Apostolicam scribere. II, 1068. Romana censura adversus aliquos qui jurationem eluserant. II, 473. Post Romanum judicium restat plenarium Concilium. II, 170. Romanum concilium pro causa Cæciliani. IX, 643. Romana plebs, quarta et sexta feria et sabbato jejunare consuevit. II, 139. Romanis non videtur jejunandum quinta sabbati. II, 139. Romam peregrini subinde novi veniunt. II, 119. Ibi in basilica B. Petri quotidianæ vinolentiæ. II, 119. Hæc basilica remota est ab episcopi conversatione. II, 119.

*Romanianus* episcopus. II, 781.

*Romanianus*. II, 80. Thagastensis. I, 731. Alypii cognatus. II, 110. Licentii pater. II, 111. Romaniani egregia indoles. I, 906. Ejus studia. I, 908. Romaniani opes copiosæ. I, 731, 902, 906. Romanianus Augustinum patre orbatum consolatur, ope adjuvat, et domo ac sumptu excipit Carthagine studiorum causa peregrinantem. I, 920. Romanianus fit Manichæus alliciente Augustino. I, 908. Mediolanum ad comitatum Imperatoris ob negotia venire compulsus est, docente ibi Augustino. I, 730. Romanianum ad philosophiam adhortatur Augustinus. I, 908, 919, 920. Licentii ejus filii jam philosophi exemplum proponens. I, 921. Romanianus Licentii studio tandem accenditur. I, 921. Etsi duobus impedimentis inveniendæ veritatis teneretur. I, 922. Illi invidet Augustinus quod solus Luciliano suo frueretur. I, 922. Romanianus molestis litibus implicitus vitæ beatæ ardore inflammatur. I, 920. Sæculo immersus adversa fortuna eripitur. I, 908. Pollicetur Augustinus se illi scripturum opusculum de vera Religione. I, 922; III, 128. Quod ipsius inserto nomine edendum curavit. I, 922; III. 128. Romanianum laudat Aug. I, 919. Ac beneficia in se collata recolit. I, 919, 920. Romanianus idem laudatur in libro de vera Religione. II, 109. Romaniano et Licentio benedictos panes quinque mittit Paulinus. II, 126.

*Romanus* in Africam missus, adversus Donatistas, secundum leges contra eos latas egit. IX, 562.

*Romanus* episcopus. II, 759.

*Romanum* et Agilem Augustino Paulinus commendat. II, 121. Eos cum magna jucunditate suscipit Augustinus. II. 122. Romanum et Agilem salutat Augustinus. II, 159.

Romphæa quid. IV, 1955.

*Romulus*. II, 529. Martis ex Ilia Sylvia Vestali filius. VII, 60, 61, 81. Romulus et Remus an a lupa nutriti. VII, 578. Romulus conditor Romæ. V, 503, 623. Romulus dictus Quirinus. VII, 60. Romulus Caini imitator. VII, 441. Fratrem occidit, ut totam dominationem haberet unus. VII, 441. Romulus occiso fratre Romæ regnavit. VII, 91. Romulus XV est ab Ænea rex in Latio. VII, 577. Romulum propter feritatem a Senatu discerptum quidam ferunt. VII, 91. Romulus deus factus. VII, 577, 581. Quomodo. VII, 91, 92. Romulum ad deos immortales benevolentia famaque sustulerunt Romani. III, 1056. Romulum creditum esse deum tenent litteræ, non factum docent. VII, 758. Romanorum adulatio erga Romulum. VII, 91. Romulum diis multis prætulerunt Romani. VII, 60. Flaminem ipsi instituerunt. VII, 60. Romulus ne unum quidem martyrem habuit, quando creditus est Deus. VII, 758, 759. Romulus inter semideos numeratur. VII, 58, 59. Et illum potius semideum, quam deum, secretior Romanorum doctrina commendat. VII, 60. Romuli divinitas mirabiliter credita, quod eruditis temporibus factus sit deus. VII, 757. Romuli divinitatem non amore erroris, sed errore amoris credidit Roma. VII, 757. Romuli divinitas divinitati Christi opponitur. VII, 757. Et explodi ur. VII, 758. Romulum appellabant deum gentes Romæ subditæ, ne Romam offenderent. VII, 757, 758.

Ros unde. III, 285. Ros Hermon Dei gratiam significat. IV, 1735.

Rosæ virgines. II, 694.

*Roscius* histrio. III, 1068.

Rota est orbis terrarum. IV, 981

*Rotavia*. IX, 511.

*Rubigo* dea. VII, 129.

Rubigo quid significet. IV, 1000.

Rubus flamma inhærente non crematus, quid significat. V, 65.

*Rucatensis* episcopus. II, 313.

Ructatibus suis purgari cibos, quos manducabant, Manichæorum deliramentum. VIII, 226.

*Rucuma*. IX, 228.

*Ruferius* affinis Armentarii. II, 483.

*Rufinianus* episcopus. II, 759, 781.

*Ruffinus* consul. IX, 687.

*Ruffinus* Cirtensis principalis. II, 537.

*Ruffinus* presbyter. X, 387. Sexti philosophi sententias sub nomine S. Xisti papæ et martyris edidit. I, 647. *Not.* (*c*). Libellum obtulit Anastasio Papæ. II, 719. Contra quem scripsit Hieronymus. II, 719. Ruffinus ficto nomine vocatur Calpurnius Lanarius. II, 258. Ruffini et Hieronymi amicitia cunctis pene ecclesiis notissima. II, 248, 276. Ortam inter utrumque discordiam gemit Augustinus. II, 277. Contabuit dolore cum legit Hieronymi adversus eum Apologiam, etsi illum sibi moderatum fatetur. II, 250. Ruffinus Ecclesiasticam historiam, quam Eusebius Græce scripsit, in Latinam linguam vertit. VI, 597. Huic historiæ Eusebii, duos libros addidit. VIII, 46.

*Ruffinus* diaconus. II, 630.

*Ruffinus* episcopus Donatista. IX, 528, 555.

Ῥύγκος nasus. VIII, 42.

Ruma, id est, mamma. VII, 203.

*Rumina* dea. VII, 122, 191, 203.

Ruminare spiritaliter, quid est. VIII, 234. Rummanoa sunt quæ audiuntur. IV, 525, 713.

*Ruminus* appellatus Jupiter, quod mamma animalia alteret. VII, 203

Runcare frumentum, id est, a terra auferre. VII, 118.
*Runcina* dea præfecta frumentis, cum runcantur. VII, 118, 119.
*Rusina* dea ruribus præfecta. VII, 118.
*Rusor* Deus. VII, 243.
*Russicas, Russicadia.* IX, 255, 386, 511.
*Rusticianus* Mutigensis diaconus. IX, 754. In Ecclesia catholica subdiaconus. IX, 755. A presbytero suo excommunicatus transvolavit ad Donatistas II, 417. A quibus et rebaptizatus est, et diaconus factus. IX, 755.
*Rusticianus* episcopus. II, 759, 781.
*Rusticus* consobrinus S. Augustini. I, 962.
*Rusticus* cujus filius paganus erat. II, 1070.
*Rusticus* presbyter. II, 966.
*Rustico* et Felicitati epistola. II, 958.
*Rusticus* episcopus. II, 759, 781.
*Rusticus* alter episcopus. II, 759, 781.
*Rusticus* Cartenitanus episcopus. IX, 697.
*Ruth* bis nupta, num Anna vidua beatior. VI, 435.

# S.

Sabbatarius. II, 146.
Sabbati requies. V, 691. Non vacat quod inter omnia opera quæ fecit Deus, illic primo sanctificatio sonuit, ubi ab omnibus operibus requievit. X, 217. In Lege non nominatur sanctificatio, nisi septimo die. V, 1170. Sabbata Judæorum a Seneca reprehenduntur. VII, 192. Sabbatorum otium male a Fausto appellatum catenæ Saturniacæ. VIII, 346. Sabbati observatio unde incipiebat, ubi desinebat. V, 1000. Sabbati observatio spiritalis et carnalis. V, 69, 77, 80, 85, 208, 752, 1160. Sabbatum quisquis nunc usque observat, sicut littera sonat, carnaliter sapit. X, 216. Cur homo ligna colligens die sabbati, jussu Dei lapidatus est, cum Christus die sabbati sanaverit ægrotos. VIII, 167. Sabbati abusus apud Judæos. IV, 281. Melius tota die fodiendo, quam saltando sabbatum transigerent. IV, 281, 1172. Sabbati observatio quid significabat. X, 217, 218. Præcepto figurato hoc solum occultatum est, quod ad sabbatum pertinet. X, 217. Sabbati vacatio quid figurabat. VII, 323. Sabbati sacramentum et mysterium. II, 212, 213; III, 189, 1556. Sabbati carnalis vacatio, umbra est futuri. VIII, 334. Sabbatum in otio corporaliter celebrandum commendatum est, ut esset figura sanctificationis in requie Spiritus sancti. II, 212, 213. Sabbatum a Judæis observatum, gratiæ altitudinem figurabat. III, 655. Requiem spiritalem. III, 304, 305; VIII, 132. Signum erat æterni sabbati. IV, 396. Sabbatum significat quietem, Dominicus dies resurrectionem. IV, 1960. Sabbatum maximum vere in beatitudine. VII, 805. Hujus sabbati non erit vespera. VII, 803, 804. Sabbatum illud verum nos ipsi erimus. VII, 803, 804. Sabbatum septimæ diei sine vespera, signum sempiternæ quietis. V, 37. Sabbatum sabbatorum. V, 80, 208. Sabbatum perpetuum. V, 1631. Sabbatismus sanctorum in terra. V, 1197. Sabbato significatur spiritalis requies. II, 214.
Sabbatum spiritale. III, 1717. Sabbatum spiritale Christianorum. III, 305; VIII, 131, 359. Sabbatum quomodo celebrant Christiani. VIII, 157. Sabbatum spiritaliter observandum præcipitur. III, 1404. Illud serviliter observabant Judæi. III, 1404, 1556. Sabbato vacare forte jam superstitiosum. II, 143. Sabbati otium cur jam non observat Christianus. VIII, 353. Sabbatorum cessatio jam supervacua ad observandum, non tamen ad legendum et intelligendum. VIII, 230. Sabbati vacatio inter prophetias, quæ de Christo scriptæ sunt, habet intellectum. VIII, 335. Sabbato Apostoli et non vacarunt, et sabbato manducaverunt. II, 142. De alimentis sumendis vel non sumendis die sabbati, nihil Dominus Hebræis præscripsit. II, 142. Sabbato dies Dominicus præponitur fide resurrectionis, non consuetudine refectionis, etc. II, 146. Sabbatum Christianorum in vacatione et tranquillitate bonæ conscientiæ. IV, 1172. Ille vere observat sabbatum, qui non peccat. V, 1242. Sabbatum habere non potest homo malus. IV, 1172. Sabbatum per misericordiam, et judicium, et fidem insinuabatur a Christo. III, 1330. Dies sabbati, dies gaudii. II, 142. Sabbato convenire ii maxime adsolent, qui esuriunt verbum Dei. V, 716. Sabbatum recordari quid sit. IV, 396. Sabbati sancti specialis ritus in Gothico officio confirmatur. II, 399. Dies Dominicus una sabbati, dicitur; secunda feria, secunda sabbati etc. IV, 532, 1192, 1960. Sabbati jejunium. *Vide* Jejunium.
*Sabellius* Noëti discipulus. VIII, 32. Sabellii hæresis. III, 1631; IV, 84, 837. Dogmata. VIII, 32, 941. Sabellius non intravit per ostium in ovile. III, 1721.
*Sabelliani* hæretici. VIII, 32; III, 1687, 1689, 1737, 1819, 1820, 1875. Praxeani et Hermogeniani appellantur. VIII, 32. Crebrius Patripassiani. V, 448, 990; VIII, 32. Sabellianorum error. III, 1667, 1668, 1672. Hæresis. VII, 501, 525; X, 1462, 1463. Dogmata. VIII, 671, 706, 751, 759, 918. Sententia de Trinitate. V, 448. Sabelliani Filium a Patre non distinguunt. III, 1820. Sabelliani confundentes Filium cum Patre urgentur. III, 1775. Sabellianos nos esse criminantur Ariani. X, 458. Sabellianorum jam silentur dissensiones. II, 438. *Vide* Patripassiani.
*Sabinarum* raptus. VII, 61.
*Sabinus* consul. IX, 687.
*Sabinus* presbyter librum Augustini cum liquidis interpretationibus legit. II, 976.
*Sabrata.* IX, 1239, 507, 528, 550.
Saccus, mortalitas, IV, 225. Saccus pretii nostri. V, 1353, 1454, 1473. Saccus pœnitentiæ. V, 1449.
Sacerdos summus unicus erat. III, 685. A quo unguebatur. III, 685. Plures aliquando fuerunt summi sacerdotes litis finiendæ causa. III, 685. Sacerdotes summi plures erant per ambitiones et contentiones inter Judæos. III, 1757. Sacerdotum filii defunctis sacerdotibus succedebant in Lege. I. 648, 652. Sacerdos intrabat quotidie cum incenso in Sanctum sanctorum, semel autem in anno cum sanguine. III, 640, 641, 690. An, et quo tempore summus sacerdos operam dabat liberis procreandis. III, 711, 713. In sacerdotibus veteris Testamenti cur vitia corporalia vitabantur. IX, 58. Cur pro sacerdote veteris Testamenti nullus orasse invenitur; secus pro novi. IX, 60. Vestimentorum summi sacerdotis mortalis expositio. III, 640, 641. Sacerdotis conversatio in tintinnabulis vestis sacerdotalis figurata. III, 637. Sacerdotes Judæorum figuram æterni sacerdotis gerebant. IV, 378. Sacerdotes Ægyptii præter servitium in templo deorum suorum nullum aliud officium gerebant. III, 584. Sacerdos Christus et sacrificium, victor et victima. I, 794. Sacerdos dici et sacrificium esse maluit Christus ut homo, quam sacerdotem aut sacrificium sibi poscere. V, 1252. Quis ille sacerdos, pro quo nullus orat. IV, 378. Christus solus sacerdos talis exstitit, ut ipse esset etiam sacrificium. IV, 200, 1733. *Vide* Christus.
Sacerdotes non nomine, sed sanctitate pensandi sunt. VII, 693. Scripturarum studium, oratio, lectio sacerdoti necessaria. II, 88, 89. Sacerdotum continentia. VIII, 46. Sacerdos cum populo pectus tundit ac veniam rogat. V, 749. Sacerdotis benedictio super fideles. X, 1032. Sacerdotes sunt omnes Christiani. VII, 676. Proprie tamen episcopi et presbyteri. VII, 676.
Sacerdotium. IX, 202. Sacerdotium secundum ordinem Aaron jam desiit. IV, 1460; VII, 534. Sacerdotium Aaron quomodo in sempiternum. III, 659. Sacerdotii commutatio futura in novo Testamento, præfigurata in veteri. VII, 527, 532, 533. Nec sacerdotium Aaron, nec Lex introducunt in hereditatem æternam, sed gratia per fidem. III, 743. Sacerdotium Judæorum tempore Pauli forinsecus nitebat nomine, intrinsecus luteis concupiscentiis sordebat. VI, 507. Augustinus vim sibi factam esse quæritur, dum ad sacerdotium provectus est. II, 88. Tempore ordinationis lacrymas fundit Augustinus. II, 88. Sacerdotium secundum et tertium. IX, *App.* 773.
*Sactas* Pater Adam et Evæ secundum Manichæos. VIII, 37.
Sacra Paganorum. V, 1022. Sacra deorum qua ratione instituta. VII, 256, 257. Sacrorum causas nec populo, nec Senatui, nec ipsis sacerdotibus innotescere voluit Pompilius. VII, 222. Ut eas a dæmonibus acciperet, nec tamen comburere eas admoneretur, occulta Dei providentia factum est. VII, 224. Sacra deorum quam crudelia. VII, 52. Turpia. VII, 50, 52, 216. Et inhonesta. VII, 185. Sacra deorum an possint hinc excusari, quod suas interpretationes habeant. VII, 186. Eorum turpitudinem honestare frustra conatus est Varro. VII, 221, 222. Sacra deorum mimica esse intellexerunt aliqui ex Paganis. VII, 184. Sacrorum quindecim viri apud Romanos. VII, 178.
Sacramenta ideo dicuntur, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur. V, 1247. Signa cum ad res divinas pertinent, sacramenta appellantur. II, 527. Sacramenta, si quamdam similitudinem earum rerum, quarum sacramenta sunt, non haberent, omnino sacramenta non essent. II, 364. Sacramentis cur egeamus. I, 856. Sacramenta, corporalia sunt, quasi verba visibilia; sacrosancta quidem, verumtamen mutabilia. VIII, 356. Sacramentum aliquod occultum regenerationis antiquis justis erat. II, 845. Ante Abraham utrum aliquo corporali et visibili sacramento justi vel parvuli eorum signarentur, Scriptura non exprimit. X, 402.
Sacramenta Judæorum a Seneca reprehensa. VII, 192. Machabæi pro sacramentis veteribus martyres effecti. II, 156. Judæi errabant primo quia justitiæ Dei non erant subjecti, suam justitiam volentes constituere; secundo quia post Christi passionem vetera sacramenta ex necessitate salutis celebranda esse conserent; tertio, quia prædicatores gratiæ tamquam Legis hostes persequerentur. II, 146, 156, 157. Paulus non per ea, sed per gratiam Jesu Christi

hominem justificari docebat. II, 279. Quidam ex Judæis fideles contendebant eos, qui credebant in Christum, sine veteribus sacramentis salvos esse non posse. II, 278, 279. Sacramenta legis veteris sola significandi ratione præcepta sunt. X, 594. Divinitus data sunt ad significationem futurorum, Christianis remanserunt tantum legenda ad intelligentiam præmissæ prophetiæ. II, 281. Sacramentum non intellectum pie terret animam; intellectum autem gaudium pium parit. III, 2117. Sacramenta veteris Testamenti quid significent. IV, 954, 955. Sacramenta vetera, umbra erant futurorum. X, 222. Sacramenta Legis prænuntiativa erant Christi venturi. VIII, 355, 357, 359. Sacramentum regni cœlorum velabatur in veteri Testamento, quod plenitudine temporis revelaretur in novo. IV, 983.

Sacramenta vetera ante Christum necessaria. II, 156. Sacramenta vetera post Christum superflua. II, 156. Ea tunc licuit Judæis celebrare ex consuetudine solemnitatis, non ex necessitate salutis. II, 156. Sacramenta legis veteris novo Testamento revelato non necessaria. VI, 536. Sacramenta vetera primis Christianis non erant noxia, sed nec necessaria. VIII, 357. Sacramenta vetera nec bona sunt nec mala. II, 281. Non signacula illa (veteris Testamenti) damnata sunt, sed succedentibus opportunioribus decesserunt. II, 96. Sacramenta vetera non erant gentibus imponenda. VIII, 357. Sacramenta Judæorum celebranda suscepit Apostolus, ne ea videretur damnare velut sacrilega aut tamquam idololatriam gentilium; ne etiam putaretur docere discessionem a Moyse. II, 278, 279, 282. Ut doceret ea non esse perniciosa. II, 156, 258. Sacramenta vetera ostendit Paulus nec tamquam necessaria debere appeti, nec tamquam sacrilega debere damnari. II, 281. Agendi rationem Pauli, qui sacramenta Judæorum celebranda suscepit, probat Augustinus. II, 282. Sacramenta vetera non simulatione fallaci, sed consilio prudenti observavit Apostolus. VIII, 357. Sacramenta cur Judæis Apostolorum tempore permissa. VI, 536. *Vide* Lex. Sacramenta vetera quamdiu observare permissi sunt primi Christiani qui ex Judæis crediderunt. VIII, 357, 358. Sacramenta Legis et Prophetarum permanere non sequitur, ex eo quod Christus Legem et Prophetas non solverit. VIII, 357, 359. Sacramenta vetera non evacuavit Christus, sed mutavit. VIII, 55. Cur alia in veteri lege, alia in nova instituerit Deus. III, 136.

Sacramentis aliis prænuntiari Christum cum venturus esset, aliis cum venisset annuntiari oportuit. II, 528. Sacramentis aliis res futuras, aliis res factas annuntiari non est mirum. VIII, 356. Sacramentorum (veterum) secreta per passionem Christi fidelibus revelata. VIII. 260. Sacramenta sunt mutata, non fides. V, 133. Unius ejusdemque fidei, pro significationis opportunitate, per varia tempora sacramenta variata sunt. X, 179. Mutatio in Sacramentis veteribus a Christo facta, in psalmis prædicta. VIII, 53, 54, 55. Sacramenta vetera non celebramus, quia quod promittebant, impletum est. IV, 1856. Sacramenta pauca sunt in novo Testamento, multa fuerunt in veteri. III, 136. Sacramentorum novæ legis præstantia. II, 200. Discrimen inter Sacramenta veteris et novi Testamenti. IV, 931; IX, 289. Sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione præstantissimis Christus societatem novi populi colligavit. II, 200. Post Domini resurrectionem signa quædam pauca pro multis, eademque factu facillima, et intellectu augustissima, et observatione castissima tradita sunt. III, 71. Sacramenta nova virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora sunt quam antiqua. VIII, 355. Sacramenta vetera figurata sunt per arma, quæ posuit David pugnaturus contra Goliam. IV, 1856 Sacramenta de latere Christi profluxerunt. III, 1513; IV, 461, 668, 1672, 1785; V, 1087; VII, 472. Sacramenta plerumque nomina accipiunt rerum ipsarum, quarum sacramenta sunt. II, 364.

Sacramenta varia recensentur. IX, 190. Sacramenta initiorum. I, 863. Sacramentum catechumenorum. X, 176. Sacramentum salis. I, 668. *Not.* (*a*). Sacramentum baptismi. *Vide* Baptismus. Sacramentum Spiritus sancti. V, 1100. Sacramentum Chrismatis. *Vide* Chrisma. Sacramenta altaris. V, 584; VII, 284. Sacramentum sanguinis Christi. VII, 611, 612. Sacramentum corporis et sanguinis Christi. VIII, 873. *Vide* Eucharistia. Sacramenta paganis occultantur. IV, 1348. Infantibus explicantur. V, 1099, 1105, 1246. Cur catechumenis non prodantur. III, 1875. In sacramento quod accipit catechumenus, signacula quidem divinarum rerum sunt visibilia, sed res ipsæ invisibiles in eis honorantur. VI, 344. Sacramento, in quo unguimur, præfiguratur quiddam, quod futuri sumus. IV, 200. Piscis de profundo levatus manducatur in mensa parata in conspectu credentium. I, 857, 860. *Vide* Eucharistia. Quibusnam prosit sacramentum baptismi et corporis Christi. VII, 741. In sacramento altaris tota Ecclesia offertur. VII, 284. Præcipitur in mysteriis ut omnia corporea contemnamus, universoque huic mundo, renuntiemus, quia non est alia salus animæ, aut renovatio, aut reconciliatio auctori suo. I, 1037.

Sacramenta magis pertinent ad spem venturorum bonorum, quam ad retentionem vel adeptionem præsentium. VI, 263. Quæ Christus docuit, traduntur secretius firmiusque sacris quibus initiamur, in quibus bonorum vita facillime non disputationum ambagibus, sed mysteriorum auctoritate purgatur. I, 1008. Homo spiritalis judicat de solemnitate sacramentorum quibus initiamur et Eucharistiæ. I, 860. Sacramenta Christi per totum orbem pervaserunt opera servorum Dei. I, 856.

Sacramentum et virtus sacramenti quandoque separantur. III, 2026. Aliud est sacramentum, aliud virtus sacramenti. III, 1611. Sacramentorum virtus, gratia; non omnibus communis, licet communia sint sacramenta. IV, 985, 984. Sacramentum, visibile verbum. III, 1840. Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum. III, 1840. Spiritaliter nascimur, verbo et sacramento. III, 1486. Deus in sacramentorum ministris operatur. I, 857. Sacramentis visibilibus sanctificat minister, Deus invisibili gratia. III, 712, 713. Sacramenta visibilia nihil prosunt sine sanctificatione invisibilis gratiæ. III, 712. Sacramentis divina virtus adsistit, sive ad salutem bene utentium, sive ad perniciem male utentium. IX, 144. Sacramentorum visibilium effectus, pietas. VIII, 355. Qui sacramenta fidei percipit in lecto, nec tempus operandi habuit; justificatur ex fide sine operibus. V, 31. Sacramenta temporalia, alligamenta medicinalia sunt contritionis nostræ. IV, 1903, 1904. Sacramentum gratiæ dat Deus, etiam per malos; gratiam vero ipsam nonnisi per se ipsum, vel per sanctos suos. IX, 191. Etsi Spiritus sanctus per homines dabatur, non ideo erat hominum quod dabatur. V, 1226. Cum tres considerandi sint, a quo datur, cui datur, per quem datur, non intercipit medius minister beneficium largitoris. V, 1225. Sacramenta per peccatores administrata. V, 1225. Gratiæ per ipsa collatæ dator non est ipse homo. V, 1226. Sacramenta et operationes spiritales circa præsentem salutem, munera Dei sunt, non eorum a quibus fiunt. IX, 152, 153. Sacramenta amittere propriam sanctitatem, ob iniquitatem ministrorum, error Donatistarum. IX, 295, 296. Sacramentorum communione contaminari, etiam eos qui mala facta improbant, aut ea pro pace tolerant unitatis, dicebant Donatistæ. IX, 56. Sacramenta mali non polluunt. IX, 73. Sacramenta tunc sancta esse dicunt Donatistæ, si per sanctos homines dentur. IV, 134. Dona Dei perveniunt ad eos qui cum fide accipiunt, etiamsi talis sit per quem accipiunt, qualis Judas fuit. IV, 135. Sacramenta in sceleratis quoque hominibus sancta sunt. II, 172. Sacramentis Dei nihil obsunt mores hominum, quo illa vel omnino non sint, vel minus sancta sint. IX, 298. Sacramenta omnia indigne tractantibus obsunt, prosunt tamen per eos digne sumentibus. IX, 65. An ex bonitate aut perversitate ministrorum pendeat sacramentorum effectus. IX, 67, 73. Sacramenti sanctitas potest esse ubi non est vitæ sanctitas. IX, 298. Sacramentorum vi peccata dimittuntur, non meritis ministrorum. IX, 156. Sacramenta funesta haberi a Cataphrygibus perhibentur. VIII, 50. Sacramenta, ut et Scriptura, hæreticis cum Ecclesia communia esse possunt. IX, 146, 159, 162, 165, 170. Sacramenta apud hæreticos divina sunt, non humana. II, 312. Ea ad pœnam suam portant. II, 312. Sacramenta ubicumque sunt, ipsa sunt. IX, 70. Sacramenta vim sanctitatis non perdunt, quando ita, ut apud nos maneant, ad hæreticos transeunt. IX, 747. Sacramenta quæ apud hæreticos et schismaticos sunt, non eorum sunt, sed Christi. IX, 154. Sacramenta omnia Dominica sunt ex catholica Ecclesia. II, 343. Cur non mutentur in hæreticis ad eam redeuntibus. II, 343. Sacramenta et invocatio nominis Dei extra Ecclesiam, nonnisi Ecclesiæ sunt. IX, 473. Sacramenta cur ante Cyprianum et Agrippinum non iterarentur. IX, 154. Sacramenta quæ non mutarunt schismatici, approbantur a nobis. II, 301. Sacramenta Christianorum etiam in hæreticis approbanda. II, 301. Sacramenta apud schismaticos formam visibilem pietatis habere possunt, non virtutem ejus spiritalem. V, 463. Sacramenta corporalia portant et celebrant præcisi ab Ecclesia, sed sine virtute spiritali. V, 463, 465. Sacramentum foris ab Ecclesia habetur ad perniciem. II, 229. Habetur ad judicium. II, 583. Sacramenta omnia Christi non ad salutem, sed ad judicium habentur sine caritate unitatis Christi. IX, 372. Sacramenta apud hæreticos ad eorum confusionem potius, quam ad salutem valent. IX, 179. Signa militaria perniciosius ab usurpatoribus habentur, quam si omnino non haberentur. IX, 688. Sacramenta mali qui sunt intus et qui sunt foris possunt habere et tractare; non ad salutem, sed ad perniciem suam. IX, 163, 164, 167, 482. Sacramenta bonis et malis communia. V, 561.

Sacramentorum usus indignis interdum ex necessitate pacis Ecclesiæ non prohibetur. V, 51. Sacramenta Eccle-

siæ multa, aliter atque aliter accipiuntur. IV, 1839. Sacramenta non prosunt semper habentibus. IX, 461. Etiamsi justus et iniquus pariter sacramenta participent, non idcirco participationem justitiæ esse cum iniquitate dicendum. IX, 294. Sacramenta eadem justis sunt ad salutem, iniquis ad damnationem. IX, 293, 297, 298, 435. Sacramenta in eis, qui mundum diligunt, remanent ad damnationem, non instrumenta ad salutem. III, 1994. Sacramenta Christi in iis qui male vivunt, patiuntur injuriam. V, 1092. Sacramentum visibile sanctum ab unctione invisibili caritatis discernendum; hæc propria bonorum est, illud et in bonis ad præmium et in malis ad judicium esse potest. IX, 342, 345. Gratia non pendet a visibilibus sacramentis. III, 712. Sacramenta sine caritate nihil prosunt. IX, 692. Sacramentorum vita, caritas. V, 92. Sacramentorum vis contempta sacrilegos facit. VIII, 355. Pro sacramentis Christi ad omnia perferenda paratior esse debet Christianus, quam antiqui pro sacramentis legis. VIII, 355. Malorum non sunt sacramenta, quæ inter malos, aut eorum ministerio suscipiuntur. IV, 1801. Sacramenta vestimenta Christi; caritas tunica de super texta : sacramenta sibi hæretici dividere potuerunt, caritatem non diviserunt. IV, 176.

Sacrificare voluntarie, est gratis amare quod laudatur. IV, 626, 627.

Sacrificium verum et perfectum quodnam sit. VII, 283. In omni sacrificio quatuor consideranda. VIII, 901. Sacrificium res antiqua. II, 377. Antiquitas cultus Dei in sacrificando. VII, 281. Primi parentes in paradiso se ipsos Deo hostias mundissimas offerebant. VII, 701. Sacrificium justitiæ soli primi parentes in paradiso, et sancti in cœlo offerunt. VII, 700, 701. Sacrificia ante diluvium celebrata. VII, 459. Sacrificium etsi ab homine fit vel offertur, tamen res divina est. VII, 283. Sacrificium uni Deo debitum. II, 377, 378; V, 1249, 1667; VII, 255, 256, 281, 654; VIII, 382. Id attestantur miracula quæ per arcam testimonii facta sunt. VII, 296, 297. Sacrificium visibile non alteri offerendum, quam illi, cui invisibile debetur. VII. 297. Cur sacrificium exegerunt dæmones. VII, 460. Ideo sibi exigunt fieri dæmones, quia vero Deo deberi sciunt. VII, 298. Non corporis cujuslibet fumo, sed supplicantis animo delectantur. VII, 298. Sacrificium non solum cum juste imperat verus Deus, sed etiam cum superbe exigit falsus deus, satis ostendit cui debeatur. VIII, 409. Sacrificium, sacerdotium, templum non sibi expetissent dæmones, nisi nossent uni Deo deberi. II, 377. Pagani non culpandi propter sacrificia, sed quod ea exhibeant idolis. II, 377. Non corporali creaturæ nec spiritali quamvis justæ, nec multo magis iniquæ sacrificandum. II, 378. Non bonis diis nec malis. VII, 650. Non Angelis, non virtutibus Dei. VII, 654. Non Martyribus. VII, 255, 256, 772. Sacrificium seu divinos honores Angeli hominesque sancti respuerunt. VII, 298. Obsequia cætera quæ divinitati exhibentur, ausi sunt sibi homines arrogare : rarissimi commemorantur qui sibi sacrificia, aut per hæc se deos haberi voluerunt. VIII, 624. Sacrificia Paganorum non ideo putanda bona, quia ea fieri Deus non impedivit. VI, 583. Sacrificia in torcularibus gentes faciebant. III, 2085. Sacrificia cur sibi exigit dæmon. VIII, 624.

Sacrificia cur sibi offerri voluit Deus. VII, 296. Sacrificiis Deus non eget, sed in his vel acceptandis, vel reprobandis, vel percipiendis, non nisi hominibus consulit. II, 377; VII, 281, 295, 296, 654. Totum quod recte colitur Deus, homini prodest, non Deo. VII, 282. Sacrificium et laudes offerre, nobis, non Deo utile est. II, 527; VIII, 624. Sacrificia cur sibi offerri juberet Deus, cum eis non indigeret. VIII, 231, 521.

Sacrificium Abrahæ Gen. xv. narratum quid significat. IV, 1361, 1362. Flamma cœlitus facta in sacrificio Abrahæ, non fuit miraculum : quare. I, 648. Sacrificium Abrahæ in monte. V, 31. Sacrificium Judæorum in victimis pecorum. IV, 302, 305. Cur animalia tantum immaculata olim oblata. VIII, 624. Sacrificium victimarum, odor suavitatis Domino. III, 659. Sacrificia pecorum Deum non delectabant. III, 810. Quare filii Israel sacrificabant visibiliter pecorum victimas VI, 31. Sacrificia vetera magis populo perverso congruenter imposita, quam Deo desideranti oblata. VIII, 346. Sacrificia carnalia data sunt Judæis, ne in idola defluerent. III, 1468. Sacrificare extra templum quod erat Jerusalem, an licebat. III, 702, 803, 804. Quænam sacrificia pro populo, pro principe, pro sacerdote offerebantur, etc. III, 686, 687. Sacrificia pro peccatis, dicta peccata. VI, 253; VIII, 744; X, 405. Sacrificia diversa pro peccatis. V, 1541. Vanum præceptum offerendi sacrificium pro peccato, infante nato, si non est originale peccatum. X, 1192, 1227, 1257. Sacrificia pro peccatis ex oblivione, ex ignorantia, etc. III, 676, 677. Ad sacrificium pro peccatis, holocausti, salutaris, etc., quænam animalia adhibenda. III, 686, 693. Sacrificium pro peccato non offerebatur nisi cum holocausto. III, 675, 676. Sacrificium pro peccatis non offerunt sancti. VII, 700.

Sacrificia vetera sunt significativa. II, 377. Sacrificia pro ratione temporum varia fuerunt. II, 379. Sacrificia vetera significabant gratiam, non efficiebant. II, 633. Sacrificiis veteris Testamenti convincebantur peccatores potius, quam mundabantur. X, 139. Sacrificia per se ipsa nulli peccato mederi possunt. III, 728. Sacrificium quod præceperat Deus, aptum fuit primis temporibus, nunc vero non ita est. II, 527. Sacrificia vetera, tamquam verba promissiva, sublata sunt dato sacrificio corporis Christi. IV, 441, 442. Sacrificia antiquorum quare mutata VII, 282. Sacrificia etsi jam non sint in operibus, manent tamen in auctoritate significandi. VIII, 231. Ad sacrificia vetera quidquid pertinebat, figuræ nostræ fuerunt. VIII, 320. Sacrificia pecorum erant quædam umbræ futurorum. III, 810. Sacrificia veteris Testamenti exsecrabantur Manichæi. VIII, 231. Sacrificia Patrum non ideo reprehendenda, quia habuerunt sacrificia Gentes. VIII, 386. Sacrificia Hebræorum inter et Paganorum quid interest. VIII, 386. Sacrificia omnia vetera dæmoniis fuisse oblata inepte probant veteris Testamenti reprehensores. VIII, 625, 626. Sacrificia Gentium, Hebræorum, et Christianorum quid sint respectu veri sacrificii. VIII, 382, 409. Sacrificium Dei nostri abundavit, et inhibita sunt sacrificia deorum. V, 1356. Sacrificia omnia sacrificio nostro cesserunt. VII, 655. Sacrificiis quæ pro peccatis offerebantur, sacrificium Christi significabatur. III, 704. Sacrificia prisca sanctorum, figuræ veri sacrificii Christi. VII, 298. Sacrificia illa omnia multis et variis modis unum sacrificium, cujus nunc memoria celebratur, significaverunt. VIII, 231, 386, 409, 624, 625, 626, 661. Sacrificium Christi multis figuris prænuntiatum. V, 1667; IX, 154.

Sacrificium verum uni vero Deo debitum quodnam est. VIII, 382, 386, 409. Sacrificium carnis Christi, verum et unicum sacrificium pro peccatis. X, 600. Sacrificium crucis. V, 1501. Sacrificium sese obtulit Christus pro omnibus sacrificiis. IV, 71. Christus nihil mundum invenit in hominibus quod offerret pro hominibus, se ipsum obtulit mundam victimam. IV, 1955. Sacrificium novi Testamenti. VIII, 626. Sacrificium Christianorum. VIII, 382. Oblatio corporis et sanguinis Domini. II, 115; IX, 461; X, 480. Verissimum et singulare sacrificium. X, 211. Sacramentum fidelium. II, 565, 569. Sacrificium Ecclesiæ quotidianum. VII, 298. Sacrificium Deo in Ecclesia. V, 1101, 1356, 1413. Christus nobis quotidie immolatur ipsa recordatione beneficii Salvatoris. IV, 966. Sacrificii Deo debiti figura, veritas et memoria. VIII, 386. Sacrificium vespertinum. V, 1504. Sacrificium novi Testamenti ubi et quando et quomodo offeratur, soli baptizati norunt. II, 558. Sacrificium quod obtulit Christus norunt fideles. IV, 178. Sacrificium Christianorum ubique in terra et in cœlo offertur. VIII, 61. Sacrificium corporis et sanguinis Domini secundum ordinem Melchisedech nunc diffusum toto orbe terrarum. IV, 305, 1427. Ut sacrificium Deo offeratur, mensa constructa. V, 1413. Sacrificia privata prohibentur. III, 702.

Sacrificium sanctificatur per verbum Dei. V, 1099. Sacrificium facere ac Deo offerre, non omnibus licet. V, 759. Non licet laicis. V, 759. Sacrificium offert Episcopus vel presbyter. V, 1100. Sacrificii ordo. V, 1100. In hoc sacrificio magnum sacramentum est, quo gratias agimus Domino Deo nostro. II, 558. Sacrificio nostro mystici corporis Christi unitas commendatur. II, 859. Sacrificium corporis et sanguinis Christi pro non baptizatis offerri non potest. X, 480, 481, 504, 508, 520. Eorum pro quibus offertur, nomina non tacentur. X, 509. Sacrificia altaris et eleemosynarum pro defunctis. VI, 158, 283. Sacrificium pro defunctis. V, 956. Sacrificium pretii nostri pro mortuis offerri solitum, posito juxta sepulcrum cadavere. I, 777. Redemptionis sacramenta tertio exsequiarum die oblata. II. 694. Sacrificia quibus prosunt, aut ad hoc prosunt ut sit plena remissio, aut certe ut tolerabilior fiat damnatio. VI, 158. In celebratione sacramentorum quatuor partes distinctis nominibus donatæ. II, 636. Tunc antistites velut advocati susceptos suos per manus impositionem misericordissimæ offerunt potestati. II, 637. Tunc esse rogandum et pro persecutoribus Ecclesiæ, et pro omni hominum genere. II, 637. Alibi nullus dies prætermittitur quo non offeratur, alibi sabbato tantum et Dominico, alibi tantum Dominico. II, 200. Quinta sabbati hebdomadæ ultimæ Quadragesimæ alibi bis offertur, scil. mane et ad vesperam, alibi tantum ad vesperam. II, 200. Apud Donatistas vulgabatur, Catholicos nescio quid aliud in altare Dei ponere. II, 350. Sacrificii genus quoddam in superstitioso spectaculo. VI, 703.

Sacrificio corporis Christi spiritus maligni fugati. VII, 764. De sacrificiis purgatoriis multa Longinianum interrogat Augustinus, an iis opus habeat qui mundus est, etc. II,

1032, etc. Salutis viam esse non posse sine participatione corporis et sanguinis Christi. II, 638. Sacrificium, propter nomen Domini quod invocatur, et semper sanctum est, et tale cuique fit, quali corde ad accipiendum accesserit. IX, 57, 500. Sacrificia impiorum eis ipsis oberunt, qui offerunt impie. IX, 57. Deo non est acceptum Sacrificium eorum, qui pravo fine sacrificant. VII, 444. Quænam sacrificia jam offerre debeamus. IV, 659. Qualia sacrificia diligit et coronat Deus. III, 811. Quod genus sacrificii Deo acceptum. IV, 1518. Quæ de sacrificiis leguntur esse divinitus præcepta, ad dilectionem Dei et proximi significandam referuntur. VII, 283. Sacrificia per se ipsa non requirit Deus, quibus significantur sacrificia quæ requirit. VII. 283. Sacrificia antiquorum eas res significabant, quæ aguntur in nobis ad hoc ut inhæreamus Deo. VII, 282. Deus nos quærit, non nostra. V, 252.

Sacrificium Deo nos ipsi. V, 317. Nullum sacrificium Deo acceptius justi, quam se ipsi Deo offerunt. VII, 700. Sacrificium præclarissimum atque optimum nos ipsi sumus. VII, 655. Sacrificium est corpus Christi quod nos sumus. VII, 772. Sacrificium visibile invisibilis sacrificii sacramentum. VII, 282, 297. Homo ipse in corde suo invisibile sacrificium Dei. VII, 297. Sacrificium semper habemus quod offeramus Deo. IV, 659. Intus habemus sacrificium quo Deum flectamus. IV, 475, 598. Sacrificium justitiæ per pœnitentiam. IV, 81. Sacrificium contriti cordis. V, 133. Sacrificium contriti cordis, et non sacrificium trucidati pecoris vult Deus. VII, 282. Sacrificium Deo offert, qui se ipsum punit. IV, 1824. Humilitas cordis, sacrificium est. IV, 1705. Sacrificium laudis in novo Testamento succedit victimis cruentis veteris Testamenti. II, 558. Sacrificium laudis, sacrificium gratuitum. IV, 578, 1220, 1568. Sacrificium laudis sacratius, gratiarum actio. VIII, 624. Sacrificium justitiæ. I, 1195. Cogitationis et linguæ. I, 809. Sacrificia quæ offerimus debent accendi caritate. IV, 659.

*Sadducæi* Spiritum sanctum negabant. V, 447. Sadducæorum error de resurrectione. V, 1622.

Sæcularia dicuntur multa, quæ in hoc sæculo sic aguntur, ut brevi tempore transeant. VII, 506. Sæculorum fabulosas quasdam prolationes sapiunt Tatiani. VIII, 30. *Vide* Æones. Sæcula nova constructa a deo Manichæorum super terram tenebrarum. VIII, 244. Sæcula non ea mora condita sunt, qua transcurrunt. III, 318. Sæcula sæculorum quid sint. VII, 368. Sæculorum explicatio quomodo fit. III, 336. Sæculorum pulchritudo per decessionem successionemque rerum contexitur. III, 251. Sæculorum ordo quasi carmen pulcherrimum ex antithetis constans. VII, 332. Sæculorum revolutionem quare quidam philosophi admiserunt. VII; 360, 361. Sæculorum partes damnatione facti sumus. I, 1179; III, 140. Sæculum non ob aliud retardatur, nisi ut impleatur prædestinatus numerus sanctorum. VI, 449. Mundi finem post sex annorum millia futurum quidam dixerunt. V, 576. Jam sex annorum millia transierunt. V, 576. Sæculi finis per vesperam significatur. IV, 1362.

Sæculi nomen aliquando æternitatem significat. IV, 1715. Ex ambiguo verbo græco fit plerumque, ut in Psalmis sæculum pro æterno, et æternum pro sæculo ponatur. IV, 1142. Quænam a sæculo et in sæculo dicuntur. III, 333.

Sæculum, hoc desertum. IV, 752, 753, 1760. Torrens. IV, 1644. Fluvius. IV, 1857. Mare. V, 1173; VII, 680. Mare amarum, fluctibus sævum. IV, 440, 780, 794, 1234. Sæculi hujus mare nemo potest transire, nisi cruce Christi portatus. III, 1389. Sæculum istud universum voluit Deus esse pœnale hominibus. X, 1192. Sæculi nomine homines significantur. X, 124. Sæculum, peccatores. V, 100. Sæculum amatores suos vorare novit, non portare. V, 482. Amor Dei, et amor sæculi. V, 694. Inquisitores hujus sæculi recte culpantur in Scriptura. III, 333. Sæculo non oportet conformari, sed imitari imitatores Christi. I, 858. Sæculum cum Christo vincunt, qui Christo adhærent. IV, 1189. Sæculum hoc non corpore, sed corde fugiendum. X, 1004. Nemo corde ab hoc sæculo avertitur, nisi divinæ misericordiæ munere adjutus. IV, 1477. Sæculi contemptum aggressus, dum carnali matris affectu revocaretur, ne a cœpto desistat, hortatur August. II, 1035. Sæculo renuntianti non imputabitur minus, quia dives non fuit. II, 692.

Sævi leonibus comparati. III, 361.

Sagittæ, verba Dei et præcepta ejus. IV, 398, 503, 1600, 1865. Istis sagittis vulnerantur male sani, et sanantur bene vulnerati. IV, 1865. Sagittæ, dolores animi et corporis, quos hic necesse est pati. IV, 398.

*Saguntum* urbs olim clarissima Hispaniæ Tarraconensis. VII, 101. *Not.* (*a*). Ab Annibale obsidetur, et magna strage diruitur. VII, 101. Saguntinorum in extremis positorum miserabile consilium. VII, 101. Saguntini universam civitatem suam interire maluerunt, quam fidem Romanis datam frangere. VII, 759.

Sal Agrigentinus Siciliæ admotus igni fluescit, admotus aquæ crepitat. VII, 715, 718. Conversio uxoris Lot in salem quid nos edocet. VII, 285.

*Salacia* Neptuni conjux. VII, 120, 211.

Salamandra in ignibus vivit. VII, 712. Ab igne non lædi tur. X, 851.

*Salem* urbs quæ dicta est postea Jerusalem. IV, 303.

Salices quosnam designent. IV, 1764.

Salivæ super barbam David decurrentes, quid significant. IV, 307, 309.

*Sallustius* nobilitate veritatis historicus. VII, 18, 561. Lectissimus verborum pensator. I, 974. Sallustius laudatur. II, 522, 735.

*Salmana* interpretatur umbra commotionis. IV, 1054.

*Salomon*, interpretatur pacificus. IV, 901, 1668; V, 94, 96; VII, 541; VIII, 285, 450. Salomonis nomen optime Christo congruit. IV, 901. Salomon mulierum amator, idololatra, atque a Deo reprobatus fuit. IV, 1667. In Salomone libido regnum possedit. III, 77, 78. Idololatra fuit Salomon, eo quod mulierum amori resistere non valuit. III, 453. In Salomone cur uxorum multitudo reprehenditur, non vero in aliis. VIII, 453. Salomonis subversio, quid præfiguravit. VIII, 459. Salomoni magis obfuerunt res secundæ, quam profuit ipsa sapientia. VII, 554. Salomon dormiens sapientiam præposuit omnibus. III, 466. Salomon factus est tantæ sapientiæ, ut, nisi cecidisset, promissio Dei de semine David in illo putaretur impleta, ac de Christo spes tolleretur. IV, 1135. Promissiones ad David factæ non in Salomone, sed in Christo completæ. VII, 540, 541. Pax regno Salomonis promissa, umbra pacis regni futuri. VII, 546. Salomon cujus gestabat figuram. IV, 1668. Figura fuit Christi. VII, 542. Salomonis genuini libri Proverbia, Ecclesiastes, et Canticum Canticorum. Sapientia vero et Ecclesiasticus propter eloquii similitudinem, ipsius dicuntur. VII, 554.

*Salonitana* urbs. VII, 664.

Salsare aqua pavimenta. II, 414.

Salsi, qui jocari amant. III, 208.

Saltatores spiritali cantico consonantes. V, 1416. Saltandi ad locum ubi sepultus est Cyprianus, mos est diligentia Episcopi antiquatus. V, 1415. Saltatio cum caninis cadaveribus, supplicium. IX, 579. Saltationes turpes Primianistarum. IX, 106, 107.

Saltus proprie, locus est adhuc incultus et silvester. IV, 1720.

Salvare et Salvator non fuerunt hæc latina antequam veniret Salvator. V, 1371. Omnes homines vult Deus salvos fieri: quomodo. II, 985; X, 760. Alia interpretatio loci Apostoli, *Qui vult omnes homines salvos fieri*. X, 945. Sic Deus vult omnes homines salvos fieri, ut eis non adimat liberum arbitrium. X, 238. Salvantur pauci. V, 641. Quare tam multi salvi non fiant. II, 985. Cum nemo, nisi Deo volente, velle possit salvus esse, cur non convertit omnium nolentium voluntates. X, 761. An ideo non omnes salvi, quia ipsi nolunt petere. X, 759. Salvatur gratis, in quo non invenit Salvator quod coronet, sed quod damnet. IV, 233; V, 917. Salvator veniens nullum sanum invenit. V, 847.

*Salvatorem* cur necessarium putant Manichæi. X, 1463, 1469. Cur Catholici. X, 1463. Salvator est adjutorium languidi, ipse Salvator est præmium sanati. V, 851. Salvator omnium hominum Christus. V, 1322. Salvatores fuere multi, sed unus Jesus a peccatis salvat. V, 1334. *Vide* Salus.

*Salvianus* a Gazaufala. IX, 257.

*Salvius* Ausafensis. IV, 380; IX, 507, 528, 550.

*Salvius* Membresitanus. IV, 380; IX, 507, 528, 550. Unus e duodecim qui ordinationi Maximiani interfuerant et ipsi adhæserant. II, 413. Salvius episcopatum meruerat in parte Donati. IX, 549. Quid a Donatistis passus sit. IX, 579. Et ab Abitinensibus. IX, 579. Immoderatam persecutionem a Donatistis perpessus est. II, 414. Salvius quam male a Primianistis tractatus. IX, 106, 107. Salvius cur pellendus ecclesia sua a Donatistis petebatur. IX, 549. Salvius hæreticus declaratus est. IX, 532. Salvii damnatio in concilio Bagaiensi. IX, 106. Salvius per Abitinenses de ecclesia pulsus. IX, 106, 108. Salvius graviora passus est cum quo saltatum est, quam si vivus arsisset. IX, 108. Ab illo persecutionis exagitationibus non potuit extorqueri, ut ad partem Donati rediret. IX, 579, 581.

*Saluti* templum Romæ constitutum. VII, 105.

Salus punico idiomate, Tria. III, 2096. Salus hominis duplex. III, 1653. Salus corporis, patrimonium est pauperis. IV, 610, 971. Salus corporis a Deo petenda, quomodo. IV, 455, 456. Salus corporalis a Domino est, per quemlibet detur. III, 1653. Salus carnis cum reparatur, mors non auferetur, sed differtur. III, 1633. Salus Angelorum, hominum et pecorum a Deo. III, 1652, 1653. Cujus salutis et qualiter debet quisque esse sollicitus. IV, 1321. Sunt qui pro magno petunt salutem temporalem a Deo, quam dat et jumentis. IV, 349. Faciat homo etiam pro temporali homi-

num salute quod potest : ubi nihil nisi peccando potest, jam se existimet non habere quid faciat. VI, 542. Voluntati ac potestati Dei totum committat. VI, 542. Salus hominum propria quæ. III, 1633, 1634. Salus credenti et baptizato promissa. V, 453. Salus hæc discernenda a salute temporali. V, 1113. Salus dexteræ et salus sinistræ. IV, 165, 1782. Saluti æternæ nihil quidquam, nec ipsa temporalis vita præponenda. IX, 535, 536. Salus ista corporalis si sic custodienda est, ut etiam in nolentibus, ab eis, qui eos diligunt, servetur ; quanto magis illa spiritalis, in cujus desertione mors æterna metuitur. II, 756. Salus si diligitur, ibi adipiscenda desideretur, ubi adeptæ nihil timetur. II, 486. Salus nostra ex Deo, non ex nobis. V, 952. Totum quod ad salutem pertinet, Deo tribuendum. X, 983. Sive per Angelum, sive per hominem Deus subveniat, ipse salus nostra est. IV, 326. Quomodo totum salutis nostræ negotium operetur Deus. IV, 738. Deus vult in homine occidere quod homo fecit, et salvare quod ipse fecit. IV, 1692.

Salus est ipse medicus noster Christus. IV, 1499. *Salus ex Judæis* nihil est aliud, quam Christus ex Judæis. IV, 540. Salutis via unica Christus. II, 637. Salus una ab exordio generis humani per Christum fuit. II, 374. Salus nulla ei cui Christus prædicatus non est. X, 126. Salus religionis, etc., nulli umquam defuit qui dignus fuit ; et cui defuit, dignus non fuit. I, 643 ; II, 376 ; X, 973, 974. Quomodo id intelligendum. I, 643. Quomodo intellexit Augustinus. II, 370. Voluntas Dei omnino numquam defuit ad salutem justitiæ pietatique mortalium. II, 373. Hujus participes ante Christum fuerunt, qui nec erant de semine Abrahæ. II, 376. Salutis non est quisque dignus voluntate humana, sed divina gratia. VII, 79. Dictum ejus qui in homine spem ponit, Salva salute Garsei, nihil mihi potes facere. IV, 315. Œconomiæ divinæ ratio erga salutem hominis. I, 1315. Via salutis in Christo et Scripturis sanctis. I, 737.

Salutem nostram quare cum tremore operari debemus. IV, 1851 ; X, 262, 264, 930, 931. Salus civitatis Dei per fidem acquiritur, et sine fide stare non potest. VII, 759. Salutis via non est sine participatione corporis et sanguinis Christi. II, 637. In loco humili salus, in alto periculum. V, 1569. Salus nusquam nisi in Ecclesia catholica potest obtineri. IX, 695.

Salus aliorum curanda ex caritate. V, 492. Salus omnium procuranda, quoniam incertum nobis est, quosnam Deus decreverit salvos facere. X, 945. Arguuntur qui curam salutis aliorum sumere nolunt. III, 1359. Propter damnum nonnullorum Ecclesia deterreri non debet a procuranda salute aliorum. II, 798. Salutis æternæ dispensatorem esse per verbum et sacramentum, non hoc est etiam esse participem. II, 1077. In eos qui sibi salutem præter regnum cœlorum pollicentur. V, 1543. Salus et vita æterna esse non potest præter regnum cœlorum. X, 123, 140. Et Prophetæ, et Apostoli, et Martyres, et nos, et qui post nos erunt, in ipso fine simul accepturi sumus salutem sempiternam. IV, 411. Salus quæ erit in futuro sæculo, erit et ipsa finalis beatitudo. VII, 631. Salus nostra cur differtur. IV, 538. Qui prior ad stadii terminum venerit, exspectat ut cum posteriore coronetur. IV, 441. Salus cum patientia a Deo exspectanda. IV, 1088. Salutem per ignem quidam promittunt illis, qui etiam credentes, pessime vivunt. VI, 225. *Vide* Fides.

Salutare Dei, Christus. IV, 1595, 1728. Ab antiquis desideratus. V, 890.

Salutatio dicta a salute. V, 657. Salutandi antiqua formula. V, 609. Salutatione cur epistola ad Hebræos caret. III, 2095.

Samardaci, plani homines. I, 952. *Not.* 1.

*Samaria* idololatriæ imaginem solet sustinere. VI, 56. Et pro idololatria ponitur. V, 1034.

Samaritana mulier. V, 606. Ejus conversio. VI, 54, 55. Samaritanæ fidem sitiebat Jesus. III, 1521. Samaritana, forma Ecclesiæ. III, 1513.

Samaritanus seu Samarites interpretatur custos. III, 1707. Christus verus Samaritanus. III, 1707. Quia custos. IV, 235, 862, 1667, 1765. Samaritani vaccas aureas colebant. VI, 56. Samaritani credentes in Christum non visis signis, figura Gentium. III, 1525.

Samen apud Punicos cœli appellantur. III, 797.

*Samia* Sybilla quo tempore fuit. VII, 582.

*Samnites* Romanorum exercitum in Caudinis furculis opprimunt. VII, 97.

*Samos* insula Junoni dilecta. VII, 185.

Samothraces dii. VII, 218.

*Sampsæi* hæretici. VIII, 31. Sampsæos Ebionæis copulat Epiphanius. VIII, 27.

*Samson* interpretatur sol ipsorum. IV, 1041. Samson, ejusque historia allegorice. V, 1639. Samson suffocans leonem, typus veritatis, quæ persecutionem sustinuit, et vicit. IV, 1126. Samsonis mors exponitur. VI, 702. Samson quo pacto ab homicidii crimine excusatur. VII, 35, 39. Samson divini Spiritus instinctu se cum hostibus occidit. IX, 731. Samson Hebræorum judex, Hercules putatus. VII, 576. Samson figura erat Christi. IV, 1041.

*Samsucus* episcopus Turrensis. II, 134, 293.

*Samsuricus* fossor. IX, 515.

*Samuel*. IV, 1343. Samuel inter filios Core æmuli Aaron nominatur. I, 648. *Not.* (*a*). Samuel non de filiis Aaron. VII, 533. Samuel, non solum levita, sed et sacerdos fuit. I, 652. *Not.* (*a*). Samuel per pythonissam evocari quomodo potuerit. VI, 142, 162. Samuel an Saüli apparuerit. VI, 606. Samuelis forte phantasma fuit, non spiritus. VI, 142, 143, 163. Samuel etiam mortuus prophetasse dicitur. VI, 165. In Samuele figurata est mutatio veteris sacerdotii. VII, 532, 533.

Sanaem. II, 82.

Sanare. Homo idoneus ad se vulnerandum, non ad sanandum. V, 138. Sanandi sumus a vitiis per medicum Christum. V, 495.

Sanctificari, pro, sanctum haberi. III, 521, 527. Sanctificatum dicitur quod ex voto et devotione offertur. III, 713. Sanctificatio et vacatio septimæ diei. V, 1242. Sanctificationes veteris Testamenti, umbræ fuerunt veræ sanctitatis. III, 1915. Sanctificari vasa pœna eorum qui peccaverunt, quo sensu dicitur. III, 731. Sanctificatus est Deus in ministris templi, etiam vindicando. III, 689. Sanctificatio Jeremiæ potest non inconvenienter secundum prædestinationem intelligi. II, 848. Sanctificatio nominis Dei est, qua nos efficimur sancti. V, 394. Sanctificantur aliter sancti, aliter nomen Dei. X, 228. Cum in oratione Dominica Deo patri dicimus, *Sanctificetur nomen tuum*, quid petimus. X, 922. Sanctificari in veritate, est sanctificari in Christo. III, 1915. Sanctificationis in Christo potestas. IV, 1728 Sanctificationis aliquo modo donari possint, necne, nondum nati ; ea non donantur qua efficimur templa Dei. II, 846. Sanctificatio catechumenorum per signum Christi et orationem impositionis manus. X, 176. Sanctificatio quam confert baptismus, an sit perfecta in hac vita. X, 845. Sanctificatio in quo consistat. VI, 80.

Sanctificationis modi multi. V, 1546. Sanctificatio multiplex. X, 176. Sanctificatio carnis et spiritus. V, 268 Sanctificatio ex gratia, non ex operibus. II, 847. Sanctificatio nulla vera nisi a Spiritu sancto. V, 72. Sanctificatio in timore Dei perficitur. V, 269. Sanctificat Dominus invisibili gratia, minister visibilibus sacramentis. III, 712. Sanctificatio invisibilis non pendet a visibilibus sacramentis. III, 712. Sine sanctificatione invisibilis gratiæ, visibilia sacramenta nihil prosunt. III, 712. Sanctificat interdum Deus etiam sine ministro et sacramento, per semetipsum. IX, 76. Sanctificat et per malos. IX, 189. Sanctificationem a sacerdotibus suis non arbitrantur accipere Pagani, sed a diis. IX, 250. Sanctificare se ipsum quatenus homo potest. X, 315. Quatenus conjuges a se invicem, aut filii eorum per eos sanctificantur. X, 198. Sanctificatio nostra plena. V, 1170. Sanctificatio et sanctitas perfecta in altera vita. VI, 80.

*Sanctimoniales*. V, 574, 1064. Dictæ a sanctitate. VI, 428. Earum institutum. I, 1339. Earum in Ecclesia multitudo. I, 1339. Sanctimonialium communis vita laudatur. IV, 1058. Sanctimonialium vita communis excellentior. VI, 423. Sanctimonialibus omnia sint communia præcipit Augustinus : victus et vestimentum non æqualiter distribuantur, non quærant in monasterio quæ non habebant in sæculo ; tribuant tamen etiam iis quæ in sæculo pauperes erant, quod opus est ; superbiam caveant, orationi vacent ; psalmis et hymnis cum Deum orant, hoc versetur in corde, quod profertur in voce ; carnem doment jejuniis et abstinentia escæ et potus ; extra horam prandii quæ non potest jejunare aliquid alimentorum non sumat, nisi cum ægrotat ; lectionem ad mensam audiant. II, 960. *Vide* Moniales. Sanctimoniali peccatum est uti veste nuptarum. VIII, 237. Sanctimonialium virginitas non ideo detestanda, quia Vestæ virgines fuerunt. VIII, 386. Sanctimonialis nubens, æterno igne est damnanda. V, 800. Nonnullæ Sanctimoniales in urbe Roma hæresi Joviniani infectæ nupserunt. I, 639. Sanctimonialis a barbaris capta, et cum honore parentibus reddita. II, 426. Ab indisciplinato Sanctimonialium accessu prohibitus subdiaconus : et non obediens, a clericatu removetur. II, 134. Sanctimoniales Donatistarum IX, 62. Sanctimonialies defunctæ ad altaris sacramenta suo loco recitantur. VI, 423. Sanctimonium. IV, 1280 ; V, 1004.

Sanctitas a sanciendo dicitur. VI, 192. Sanctitati divinæ servitute perfecta non potest contemperari humana fragilitas. III, 790. Sanctitatis titulo Augustinus salutat et Renatum monachum et Petrum presbyterum. X, 495. Sanctitatis causa tria servanda, pudicitia corporis, castitas animi, et veritas doctrinæ. VI, 514. Sanctitatis propositum simulare. V, 1372. Sanctitas corporis in quo sita. VII, 31, 32

Sancta sanctorum, sanctum sancti, et sancta an idem significent. III, 656. Sanctum (Templi pars) figura veteris Testamenti, sancta sanctorum novi figura. III, 655. In sanctum sanctorum intrabat sacerdos quotidie cum incenso, semel in anno cum sanguine. III, 642.

Sanctum. Ut intelligatur dictum Domini, ne detur sanctum canibus. VI, 470. *Sanctum est quod nos damus*, Donatistarum effatum erat. IV, 1696. *Sanctum est quod volumus*, vetus proverbium. IX, 572. Quod sanctum et verum est, semper agnoscendum est. IX, 747. Sancta obesse possunt. III, 1452.

Sancti veteres, novi Testamenti filii. X, 595. Sancti veteris Testamenti unde a peccatis liberati. X, 555, 556. Per Christum liberati. X, 556. Sancti omnes, etiam veteris Testamenti, gratia Christi sunt liberati. X, 1107. Sancti antiqui in Christum passurum crediderunt. I, 808. Sancti antiqui in inferis usque ad redemptionem Christi. VII, 681. Ille juste et sancte vivit, qui rerum integer æstimator est. III, 29. Sancti Dei ii sunt, qui non diligunt mundum. IV, 254. Quidam sanctorum soli Deo docibiles. IV, 1186. Sancti et fideles in hac vita similes sunt arboribus hyemali tempore spoliatis. IV, 389. Sancti omnes in Domino laudandi sunt, non in se ipsis; nec fuerunt sine peccato. X, 607, 611. Sanctorum vita sine crimine esse potest, non sine peccato. VI, 262. Non propter arrogantiam vitandam, sed propter veritatem faciendam, peccatum habere se dicunt. IV, 1505. Quanto quisque est sanctior, tanto est ejus in orando fletus uberior. VII, 685. Quomodo in sanctis nulla hic damnatio. V, 841. Sancti non carent in hac vita concupiscentiæ motibus. III, 2061, 2062. *Retr.* Rixæ etiam inter sanctos, sed quæ non perimunt caritatem. IV, 318. Sancti hic non faciunt quæ volunt. V, 718. Sancti ubicumque sunt, cum Deo sunt. V, 1366. Sancti unitate gaudent, et in Christo unum sunt. VIII, 217. Sancti omnes inter se per eamdem gratiam fratres sunt. VIII, 425. Sancti ex malorum perversitate proficiunt, probantur, manifestantur. II, 1084. Nihil perit sanctis in amissione rerum temporalium. VII, 23. Facies terræ innovatur per novi Testamenti gratiam numerositate sanctorum. III, 414. Sanctorum mors pretiosa. VII, 381. Sancti cum quibuslibet virtutibus haud dubie miseri essent, si semper essent in doloribus. II, 673. Sancti omnes ad Ecclesiam pertinent. V, 38. Sanctorum constantia pro Ecclesia. III, 128.

Sancti recte cœlum appellantur. VII, 698. Sancti et spiritales ore, carnales ventre significantur. IV, 492. Sancti, dentes Ecclesiæ. III, 38. Ligna imputrida. III, 1434. Sunt templum Dei, domus Dei, regnum Dei. III, 1814; VIII, 675. Eorum corda sunt thuribula Dei. I, 781. Sancti et fideles dicuntur organa musica. IV, 1964. Dicuntur flumina. IV, 1257. Cœlestibus luminaribus comparantur. IV, 1195, 1194. Sancti, lumina illuminata. III, 1670, 1671. Sancti et spiritales sole, carnales luna significantur. IV, 941. Sancti et fideles sunt currus Dei. IV, 828.

Sanctorum exempla omni hominum generi proposita. VI, 699. Sanctorum exempla qui affectus naturales spreverunt. VI, 702. Non inde beati homines, si justis et sanctis carnis propinquitate junguntur, sed si eorum doctrinæ ac moribus obediendo atque imitando cohærescunt. VI, 598. Quod a sanctis ex inspiratione peculiari contra legem factum est, non licet imitari. VII, 39. Quid sentiendum de his, quæ cum fieri non liceant, a sanctis facta noscuntur. VII, 39. Sanctorum odor, quomodo ampullæ unguentorum, quo magis frangebantur, eo amplius diffundebatur. V, 1250.

Sanctorum merces non in hoc mundo. VII, 160. Sancti an sint in beatitudinis possessione, magna quæstio est. I, 606. Sancti nunc regnant cum Christo, et sunt ejus regnum. VII, 673. Verissime dicimus Petrum in requie cum Christo gaudere. V, 1069. Deum habere, atque ipsius esse, summum Sanctis atque totum bonum. VII, 526. Sancti in cœlo diversa gloria fulgent. III, 1812. Sanctis splendor dispar, cœlum commune. V, 756. Sancti habebunt in cœlo differentias suas consonantes, non dissonantes. IV, 1964. Sancti, vivunt in sinu Abrahæ nostri memores. I, 765. Non transeunt interpellationes Sanctorum, nisi cum transierit gemitus noster. IV, 1099. Sanctorum orationibus adjuvamur. VIII, 602. Sancti ejus nomine nunc impetrant beneficia, per quem impetrabant antequam carnem deponerent. V, 1442. Sancti et Angeli non permittunt spem in se collocari. III, 32, 33. Si in ipsis spem tuam posueris, contristantur. V, 280. *Vide* Martyres. Sancti non amant suos electores, si suorum sociorum invenerint desertores. VIII, 217. Sanctorum intercessiones in novissimo judicio. VII, 732

Sancti honorandi sunt, non adorandi. III, 169. Sanctorum cultus. VIII, 602. Multa de cultu divino usurpata ad colendos Sanctos. VII, 281. Sancti homines similes Angelis, nolunt se ab homine pro Deo coli et adorari. IV, 1245. Sanctorum memoriæ. I, 719. Sanctorum tumuli. *Vide* Memoria. Sanctorum paucitas in comparatione ponitur multitudinis peccatorum. VIII, 601. Sanctorum numerus universus per centum quinquaginta tres pisces significatus. IV 571.

*Sancus* sive Sanctus Sabinorum rex in deos relatus. VII, 576.

Sanguis dictus est anima. III, 703, 711. Et merces mercenarii. III, 704. Viri sanguinum sunt, qui oderunt fratres. IV, 1801. Sanguis dicitur iniquitas quæ fit per sanguinem. IV, 597.

Sanguis Christi propitiatio et sacrificium est pro nobis oblatum. IV, 1697. Pro servis, pretium est; pro sponsa, pignus. IV, 1170, 1634. Sanguinem cur Christus toto corpore sudavit. IV, 1206. Sanguine Christi rigamur. VI, 688. Dealbamur et decoramur. VI, 689. Sanguinem pretiosissimum unigeniti sui Deus nobis quotidie fundit. V, 1078. Sanguis Christi quomodo accipiendus. VI, 689. Sanguinem Christi accipientes respondent, Amen. VI, 689. Sanguinem Christianorum pretiosum fecit Christus. III, 1733.

Sanitas est nihil sentire, scilicet molestum et onerosum. V, 1260, 1262. Sanitatis bonum. V, 1260. Pretium. V, 1402. Valetudo non contemnenda propter necessarios usus vitæ. II, 497. Sanitas corporis, patrimonium pauperis. IV, 610, 971; V, 249, 1402. Sanitas ubi est, quid deest pauperi; ubi non est, quidquid habet quid prodest diviti? V, 1187. Sanitas nonnisi paulatim recipitur. V, 1270. Sanitas hujus vitæ non vera sanitas. IV, 398. Longa est ægritudo. V, 488. Sanitas vaporea. V, 495. Sanitas unius diei melior est quam multorum dierum imbecillitas. I, 1166. Nemo insanabilior est eo, qui sibi sanus videtur. IV, 711. Sanitatis recipiendæ potestatem non habet homo, ut habet amittendæ. V, 1269. Sanitas a Deo est. V, 1187. Sanitas multis obest. III, 1445. Multi sanantur sibi, non ei a quo sanantur. IV, 1253. Sanitas membrorum in unitate et caritate. V, 754. Sanitas corporis est concordia eorum quibus constat. V, 1259.

Sanitas vera, est immortalitas. IV, 402; V, 489, 1189; VII, 690. Sanitas totius hominis perfecta, post transactam mortalitatem. IV, 1902. Hanc Deus præstabit contritis corde. IV, 1902. Sanus nullo modo est animus, qui non temporalibus æterna præponit. II, 499. Sanandi ordinem cœlestis medicus non ab ægroto accipit, sed a se ipso. X, 262.

Sapere. Aliter sapere quam res se habet, humana tentatio est: nimis autem amando suam sententiam usque ad schisma pervenire, diabolica præsumptio est. IX, 150.

*Saphrus* quartus decimus rex Assyriorum. VII, 565.

*Sapida* tunicam misit Augustino, quam fratri texuerat. II, 1082. Hanc consolatur Augustinus super fratris obitu. II, 1082.

Sapientia proprie in Deo est. III, 242. Omnia, in quantum sunt, per ipsam Dei sapientiam sunt. III, 243. In Dei sapientia omnia sunt. III, 1275. Et erant antequam fierent. III, 331. Sapientia divina, lex universitatis. VI, 90. Sapientia est infinita non per spatio locorum, sed per potentiam. II, 443. Ab illa fit omnium rerum descriptio et modus. II, 443. Sapientiæ divinæ velocitas est, qua fit ut ubique semper sit, et nusquam inclusa. IV, 1951. Sapientia Dei non potest comprehendi. VIII, 1066. Sapientiæ secreta turbant eos qui perverso sunt corde, exercent eos qui recto sunt corde. III, 1556. Dei filium nihil aliud esse quam Dei sapientiam. I, 975. Idque credendum tradebatur in fidei professione. I, 1262. Sapientia Dei, hominum pariter atque Angelorum panis est. IV, 1742. Sola creatura rationalis capax est sapientiæ. III, 243.

Verbum Patris dicitur Filius Dei, quare. VI, 183. Cur Filius Dei non cognitio Dei, sed Verbum Dei dicitur. VIII, 1079. Verbum Dei quale. III, 1383. Verbi divini excellentia. IV, 496. Verbi Dei excellentia intelligenda ex humani verbi proprietate. V, 1124. Verbum Dei ab homine explicari non potest. V, 1003, 1124. Verbi sui dictionem scriptis cur maluit Deus comparare, quam sonis. IV, 498. Verbum apud Deum non habet syllabas, nec tempora. IV, 1378. Dicere Dei æternum est. IV, 497. Ipsum Dei Verbum non est factum. III, 1384. Verbum Dei sine inchoatione natum Patri coæternum est. III, 227. A quo est ei esse, ab illo simul ei est doctum esse. IV, 1561. In Verbo audire et videre, etc., idem est quod esse. III, 1541, 1542. Verbum Dei, Deus apud Deum. III, 248. Verbum Dei per omnia æquale Patri de quo est. VIII, 1076. Verbum est id ipsum quod Pater. VI, 183. Verbum relative dicitur, non ad se. VIII, 936, 937. Deo Patri coæternum, genitum, non factum Verbum. V, 664, 672, 671. Generatio Filii Dei ineffabilis. IV, 496. Verbum Dei quomodo sit genitum, nemo nisi cui ipse Deus inspirarit, intelligit. II, 443. Verbum Deus apud Deum sempiterne dicitur, et eo sempiterne dicuntur omnia. I, 812. Verbum illud manet incommutabiliter. VI, 183. Verbi natura est esse et immutabile esse. III, 1389. In Verbo Dei non est quando, et aliquando. III, 248. Verbum Dei in se permanet sine vetustate, et innovat omnia. I, 774. Omnia principaliter atque incommutabiliter in Verbo divino simul sunt, et omnia vita sunt, et unum sunt. VIII, 888. Verbo divino non solum hoc est esse, quod vivere; sed etiam hoc est vivere, quod sapienter ac beate vivere. III, 249. In Verbo vita est, ut sit ipse vita. III, 268. Quidquid in Verbo est, vita est. III, 268. Verbum Dei non habet vitam informem. III, 249. Verbum Dei incommutabile lumen sapientiæ. III, 250. Verbum divinum vere veritas est, et in eo summe illud agnoscitur: *Est est, non non.* VIII, 967, 968. Videre Verbi, non aliud est a Verbo. V, 705. Omnia in Verbo novit Deus quæ fecit per ipsum. VIII, 931. Per Verbum suum revelat Pater. VIII, 937. Verbum Dei ubique totum est, nec abest mentibus impiorum. II, 540. Verbum Dei ubique totum nostræ vocis similitudine ostenditur. II, 518. Verbum Dei ubique totum. V, 676, 1486. Totum in cœlis, totum in terris, totum in Angelis, totum apud Patrem, totum apud Virginem, etc. V, 184. Non alia visio Verbi et Patris, sed una. III, 332. Verbum æternum non nisi purgatissimo et simplicissimo corde videtur. VIII, 140, 141.

Verbum Dei, consilium Dei. III, 1384. Mandatum Patris. V, 775. Verbum Dei ante omnes creaturas. III, 1399. Per Verbum suum Deus fecit quidquid fecit. III, 249. Per illud omnia sunt facta. III, 1384, 1385. Omnia creata sunt. VI, 183. Per Verbum non omnia facta essent nisi esset ante omnia, et ipsum non esset factum. VIII, 888. Verbum quo Deus omnia creavit, est æternum. III, 248. Verbum Dei, ars quædam omnipotentis et sapientis Dei, plena omnium rationum viventium, etc. VIII, 931. Ratio creandi quamlibet creaturam in Dei Verbo Patri coæterno coæterna vita vivebat. III, 268. Verbum Dei forma non formata, sed forma omnium formatorum. V, 662, 1216. Forma sine loco, sine tempore. V, 662. Exsistens omnibus et fundamentum in quo sint, et fastigium sub quo sint. V, 662. Verbum ante tempora, per quod facta sunt tempora, etc. IV, 1311. Deus in uno Verbo quod genuit, dixit omnia priusquam facta sunt singula. III, 268. In Verbo dixit ineffabiliter omnia Pater. III, 1912. In Verbo Dei sunt omnia quæ creantur, etiam antequam creentur. III, 268. Aliter in Verbo sunt ea quæ per illud facta sunt, aliter ea quæ ipse est. III, 268. In Verbo Dei sunt quæ futura sunt, et quæ transierunt. IV, 497. Et erant omnia, antequam fierent. IV, 742. Deus quod facit Verbo, hoc facit manu. IV, 1313. Verbum Dei dicitur manus ejus. III, 348. Per Verbum creavit Deus hominem, et per Verbum recreavit. IV, 1855. Quomodo fit creatura temporalis, cum Verbum sit æternum. III, 248.

Verbum, fons et lux. III, 1495. Lux vera mentis humanæ. III, 331. Verbum ipsum est magister et principium quo intus docemus omnem veritatem. I, 815. Verbo se narrat Pater. II, 1028. Per Verbum se indicat Angelis Deus Pater. II, 1028. Verbi comparandi pretium, ipse comparator. V, 662. Non extra se ipsum quærat quod det, se ipsum det. V, 662. Nec tunc se amittit, sicut amittit pretium rei quam emit. V, 662.

Verbum, Angelorum panis. V, 701, 1097, 1124. Verbum Dei panis est cœlestis et thesaurus. IV, 1833. Verbo vitæ tamquam pane suo Angeli cibantur. III, 1978. Verbum cibus et panis Angelorum, de quo illi pascuntur, vivunt, illuminantur, sapiunt, beati sunt. V, 401, 1020. Verbo Dei omnes rationales mentes sine defectu pascuntur. V, 782. Verbum cibus est, ad quem capiendum non omnes validi sunt. III, 1385. Verbum, panis Angelorum; Verbum caro factum, panis hominum. III, 1494. Verbum quia homo non poterat manducare, caro factum est ut posset homo sugere. III, 1385, 1386. Verbum Dei ut manducaret homo, caro factum est, et habitavit in nobis. IV, 995. Verbum incarnatione quasi lac factum, ut a nobis caperetur. V, 670. Tecum est, cujus Verbum a te non recedit. IV, 390. Verbum Dei non apparet visibiliter nisi per aliquam visibilem creaturam. VIII, 140.

Verbum caro factum est, non Pater, non Spiritus sanctus, sed carnem Filii tamen tota Trinitas fecit. V, 1063, 1096, 460. Verbum incarnatum Deus et homo. V, 1002. Verbum Dei pro mente, pro intellectu, pro ratione Christo fuisse hæretici dixerunt. V, 1124. Verbum incarnatione totum suscepit hominem. V, 1124. Et carnem et animam sumpsit. IV, 664, 665. Verbum incarnatione non est mutatum, nec a Deo patre recessit. V, 103, 671, 674, 680, 687,

995, 1001, 1002, 1097. Verbum carnem induens, sinum Patris non desoruit. III, 1659, 1660. Verbum potuisse ad nos procedere, nec a Patre recedere, soni similitudine ostenditur. V, 184. Verbum quomodo manibus tractatur. III, 1978. Verbum, quod caro factum est, ut manibus tractaretur, cœpit esse caro ex virgine Maria: sed non tunc cœpit Verbum. III, 1978. Verbum caro factum, non commutatum est, similitudo. III, 24. Verbum carnem accepit, non vero in carnem mutatum est. III, 1045; VIII, 541. Nec humano corpore maculatum est Verbum. VI, 187. Nec de femineo corpore pollutum. VI, 187. Nec utero Virginis inquinatum. VIII, 177, 178. Incarnationis Verbi mysterium suadetur. V, 675. Et verbi humani similitudine illustratur. V, 675, 677, 1097. Unitione illa inseparabili ipsius Verbi fit ut Christus non sit talis homo, quales cæteri. IV, 211. Verbum in carne tamquam in testa. IV, 1854. Divinitas Verbi ab eis non cognoscitur, a quibus ejus infirmitas in cruce contemnitur. IV, 1536.

Verbi incarnationis causa et necessitas. V, 710, 845, 997, 1006, 1660, 1676. Verbum Dei, nostri causa natum est in tempore. V, 1003. Non liberaretur humanum genus, nisi sermo Dei dignaretur esse humanus. V, 940. In nobis, pro nobis, de nobis factus est mortalis Dei Filius. VIII, 541. Verbum Dei ut digna pro indignis ferret, incarnatum est. V, 1009. Verbum non dedignatum est suscipere fœnum, ne de se desperaret fœnum. IV, 1335. Verbum caro factum est nobis via. III, 1656. Prima via ad Deum. III, 33. Via qua ad patriam rediremus. III, 1389, 1391. Per Verbum incarnatum, perveniendum est ad Verbum increatum. III, 1388, 1494. Christo secundum id quod pro nobis factus est, hærendum est, ut perveniatur ad eum, secundum id quod est. III, 1390. Verbum caro factum est, quam videre possemus, ut sanaretur in nobis, unde Verbum videremus. III, 1979. Ex homine nasci voluit, ut homo ex Deo nasceretur. III, 1395.

Verbum infans doctor humilitatis. V, 1004. Cum Verbum non erubuit nasci de homine, non erubescant homines nasci de Deo. III, 1399. Per solum divinum Verbum bonum utcumque boni esse possumus. IV, 496. Verbum incarnatum tenebras nostras pellit. VIII, 888, 889. Verbi factum, verbum nobis est. III, 1593. Verbum ipsum non est pars Ecclesiæ, sed Verbum caro factum est caput Ecclesiæ. IV, 1942. Verbi Dei commune cellarium in cœlo. V, 581. Verbum Dei incomprehensibile, in Evangelio revelatum. V, 676. *Vide* Christus, Filius Dei, Incarnatio.

Verbum Dei attente audiendum. IV, 1884. Verbum Dei audire nolentes comparantur aspidi. IV, 679, 680. Verbum Dei audire non ideo negligendum est, quia pauci faciunt quod audiunt. IV, 692. Pii et impii verbum Dei audiant. IV, 1689. Verbi Dei præcones, et malis et bonis verba faciant. VI, 677, 678, 687. Verbum Dei negligens facere, non excusatur ex vita prædicatoris. V, 971. Verbum Dei per quos administretur non attendendum. V, 695. Verbi Dei omnes intus auditores sumus, omnes intus et foris factores esse debemus. V, 970. Homines ab hominibus audiunt, tamen quod intelligunt intus datur. III, 1609. Quid agendum, cum sermo Dei non capitur. III, 1557. Verbum Dei audire non sufficit, ut vivatur, sed obaudiendum est. III, 1548. Verbum accipere, est illud intelligere atque tenere. III, 1911 Verba Dei prius facienda, ut intelligantur. III, 631. Verbum Dei non audire, malum est; malum est audire, et non facere: restat audire et facere. V, 971. Verbum Dei qui audiunt et intelligunt, felices; sequentis felicitatis, qui etsi non intelligunt credunt. V, 676 Verbo Dei totum patet, Verbum Dei nihil latet. V, 676. Verbum veritatis inane est laudare, si non fiat. V, 851. Verbum Dei audire, ipsum Christum manducare est. V, 969. Verbum Dei cibus et potus noster. V, 1648. Panis est ab ore justi numquam discedens. IV, 586. Panis noster verbum Dei; sudemus in audiendo, ne moriamur in jejunando. IV, 286. Bene manducat, et male digerit, qui audit verbum Dei et non facit. V, 183. Verbum Dei, cum res tranquillæ sunt, colligendum est, atque in cordis intimis recondendum. IV, 369.

Verbum Christi quam efficax. IV, 500. Quam velox et mobile. IV, 1931. Ventis comparatur, quia nihil velocius. IV, 1546. Verbum Dei in aliis fit fons aquæ salientis in vitam æternam; alii autem audientes verbum, torrentes fiunt. IV, 959. Repellit a se cor hominis verbi Dei severitatem, et admittit ad se male suadentis serpentis blanditias. IV, 543. Verbum Dei bene audientes quomodo deficiant et proficiant. VI, 678. Verbum Dei, semen quod spargitur in cordibus. III, 1596. Semen quo regeneramur. IX, 249, 260. Verbum Dei simile securi concidenti petras. III, 102. Verba Dei sagittæ. III, 850. Verbum Dei et sagitta est et pluvia. IV, 981, 1600, 1601, 1803. Verbi Dei pluvia a malis ad spinas germinandas, a bonis ad fructum bonum convertitur. V, 48. Cupiditas sicut spinarum radix, dulcem verbi pluviam ad punctiones convertit. IV, 1803. Verbum Dei in corde liberat a laqueo, a via prava, a labina. IV, 590. Verba Christi manifesta pascunt, obscura exercent. III, 1721. Verba Christi manent in nobis, quando facimus quæ præcepit, etc. III, 1842. Per verbum non reficiuntur, qui male de Verbo sentiunt. III, 1585. Verbum Dei omnia perversa corda perturbat, sicut pia corda exercet. III, 1559. Verbum Dei multis superfluum est eorum culpa. IV, 1689. Non est omnibus utile, quia fides non est omnium. IV, 1803. Quibus obsit, quibus prosit. IX, 65, 68. Verbi Dei fructus a non audiente etiam exigendus. V, 204. Manere in verbo Dei quid sit. V, 742. Quam hoc nobis necessarium. V, 743. Quantum præmium. V, 743, 746. Verbum Dei tunc in nobis requiescit, quando nos adquiescimus verbo Dei. V, 1553.

Verbum Dei non abscondendum timore carnalium incommodorum. III, 1558. Fames, indigentia Verbi veritatis. III, 1544. Verbi Dei tædium fastidiumque, gravis tentatio. IV, 1422. Vox verbi est omnis homo annuntiator Verbi. V, 1506. Verbum Dei venit cum manifestatur, abscedit cum occultatur. II, 518. Verbum Dei ab stantibus audiebatur. IV, 1062, 1950. Sedendi usus, dum verbum Dei auditur, quibusdam in Ecclesiis receptus approbatur. VI, 325. Verbum Dei cum tædio audiens, urgendus ut sedeat. VI, 325. In annuntiando et audiendo verbo veritatis labor est. IV, 286.

Verecundia quid. IV, 856. Verecundia in membris corporis unde. X, 404. Amicus ne admoneat amicum, verecundia impedire non debet. II, 671.

*Verecundus* Mediolanensis civis et grammaticus, Augustino, ejusque sociis familiarissimus. I, 755; II, 69. Nebridium adjutorem in docendi officio flagitat. I, 755. Augustino de sæculo fugienti cum sociis concedit rus suum Cassiciacum. I, 765, 980. Verecundus fit Christianus in extrema ægritudine. I, 765. Verecundus moritur, agente Romæ Augustino. I, 765.

*Verimodus* filius Darii. II, 1020, 1022, 1026.

*Verinus*. II, 251. Vicarius. IX, 648, 650, 686. Ad quem Constantini litteræ. II, 581.

Veritas cujus sit filia secundum Manichæos. VIII, 211. Veritas secundum Manichæos est ipsa lux quæ per oculos trahitur. VIII, 516. Veritas, lex æterna. VII, 484. Veritatem, quæ æterna est et omnibus præeminet, ipsum Deum esse. I, 742, 807, 840, 1262; III, 147. Veritatis essentia, Trinitas. VIII, 948. Veritas similitudo et imago Patris dicitur et sapientia. III, 243. Veritas Christus. III, 2000. Veritas principalis Christus. V, 184. Christus est veritas, ad quam per fidem et per Christum imus. IV, 1640. Veritas vere est. III, 1680. In ea nec præteritum nec futurum invenitur. III, 1680. In veritatis substantia non est major aliqua nisi quæ verius est. VIII, 947. Veritas quandoquam sese cumulatissime habet. VIII, 73. Veritas ad jus naturæ pertinet. VI, 20, 21. Ex veritate est omne quod justum est. VI, 540.

Veritas et vanitas a contrario differunt. IV, 1551. Veritati similis factus est homo cum creatus est; vanitati similis efficitur per peccatum. IV, 1863. Veritas humiliari non potest. IV, 1492. Omnibus supereminens est. IV, 311. Corporea creatura, quæ a summitate cœli usque ad nubes est, habet figuram veritatis. III, 258.

Veritas animæ beatæ vita. VI, 240. Veritatis contemplatio, vita Beatorum. V, 1633. Beata vita nihil aliud est quam gaudium de veritate. I, 795. Sola veritas facit beatos, ex qua vera sunt omnia. IV, 79. Veritas cœlestis patriæ thesaurus. VII, 160.

Veritas lumen mentis nostræ. III, 1658. Veritas exsistit mentibus nostris superior. I, 1259; III, 147. Quæque quæ non de ipsa, sed secundum ipsam de cæteris judicant. I, 745; III, 147. Mens humana nulli cohæret, nisi ipsi veritati. III, 243. Veritas summa generaliter an rationem cujusque hominis contineat. II, 80. Veritas et una est, et multæ, quia multæ animæ, quas illustrat. IV, 138. Veritatem fixam, stabilem, indeclinabilem, ubi sunt omnes rationes rerum creatarum, de longinquo viderunt Philosophi. V, 776. Incommutabilis veritatis lex est omnium artium, et ars omnipotentis artificis. III, 147. Veritatis nonnulla vestigia reperiuntur in ipsis prophanorum auctorum litteris. X, 767. Ex æternæ veritatis regulis judicium de rebus etiam corporeis fit. VIII, 966. Veritatis judicium in sensibus corporis posuerunt Epicurei et Stoici. VII, 252. Veritas communis est omnium. I, 840. Omnibus communis est. IV, 969. Qui vult habere veritatem privatam, timeat ne ea privetur. I, 840.

Veritas in Deo invenitur. VI, 14. Veritas omnis ex Deo. III, 1414, 1660. Veritas ubicunque inveniatur, Domini est. III, 49. Omne verum ab illo est qui ait, *Ego sum veritas*. III, 18. Quidquid veritatis reperitur in homine, non est ab homine, sed a Deo. III, 2109. Veritas per quamlibet creaturam dicatur, non nisi ab illo dicitur, qui unus est verax. VIII, 140. A quocumque verum dicitur, illo donante dicitur,

qui est ipsa veritas. II, 724. Veritatis illustratio si homini ablata fuerit, non poterit nisi mendacia loqui. V, 908. Veritatem qui loquitur, ore suo loquitur, sed non suum. IV, 1120. Quidquid verum est in ratiocinatione, lumini veritatis tribuendum. III, 1283. Quæ a veritate non veniunt, se ipsa plerumque subvertunt. VII, 210. Veritatis cognitio, omnia falsa, si modo proferantur, etiam quæ prius inaudita erant, et dijudicare et subvertere idonea est. II, 437. Deus in cathedra unitatis doctrinam posuit veritatis. II, 403. Non est ulla ratione dicenda aut putanda veritas, quæ sacris litteris resistit. VI, 156. Veritas non est nisi in opere bono. IV, 1811. Veritas sola est, etiamsi non laudetur, laudabilis. II, 1023

Veritatem, vitam, æternitatem, beatitudinem omnis homo quærit. V, 776; VIII, 887. Veritatis quantus nobis amor naturalis. V, 813. Veritas negligentius quæreretur, si mendaces adversarios non haberet. V, 339. Negotium nostrum summum est magnopere quærere veritatem. I, 933. In illius inquisitione beatitatem consistere opinio Academicorum, quæ discutitur. I, 909, 956. Veritas cum quovis discrimine quæri debet. VIII, 77. Tutior est affectus vera quærendi, quam incognita pro cognitis præsumendi. VIII, 761. Veritas qua animi affectione quærenda. VIII, 855. Quo pacto in disputationibus quærenda. VIII, 175. Veritas disputatione requiritur, non disputatio veritate. III, 547. Errari numquam tutius existimo, quam cum in amore nimio veritatis et rejectione nimia falsitatis erratur. VI, 487. Veritas, si non totis animi viribus concupiscatur, inveniri nullo pacto potest. I, 1521. Veritatem magis quam se ipsum animus debet appetere. VI, 496. Veritatem invenire est difficillimum. VIII, 65. Veritas non nisi magno labore invenitur. VIII, 174. Si quæratur ut dignum est, non potest se suis dilectoribus subtrahere. I, 1524. Fieri non potest, ut eam pie, caste ac diligenter quærentibus inveniendi facultas desit. I, 1049. Omnes ambientes se admittit. I, 1261. Veritas ipsa negat vel tantis ad se amfractibus, quæ tam proxima est; vel tantis sumptibus, quæ tam gratuita est, perveniri. II, 435. Veritas per quam voluerit creaturam, cui voluerit creaturæ, ubique præsens loquitur. VI, 142, 162. Quomodo loquitur rationali creaturæ. VII, 484. Noli foras ire, in te ipsum redi, in interiore homine habitat veritas. III, 134. De universis quæ intelligimus, non loquentem qui personat foris, sed intus ipsi menti præsidentem consulimus veritatem. I, 1216. Verum esse quod legit, nemo in codice aut in eo qui scripserit, sed in se cernit. II, 86. Veritas sine sono intus mentibus loquitur. III, 1784. Vox veritatis non tacet, sed vociferatur ex corde. IV, 675. Veritas quomodo potest audiri. III, 1784. Veritas res longe remota a vanorum hominum mentibus. VIII, 65. Veritas ubique præsens est, si cordis oculus ad eam pateat. IV, 234. Veritas sensibus corporeis percipi non potest. VI. 13. Veritatis regulam homines vident incommutabilem. III, 22, 23. Veritatem qui incipit velle capere, caliginem patitur quam non sentiebat. IV, 1933. Veritatis perspicuam intelligentiam qui vult assequi, a confessione inciat. IV, 1908. Veritatem omnem in hac vita non potest homo cognoscere. III, 1876. Quomodo tamen scire dicitur. III, 1876. Veritas non est hic quam quærimus. VIII, 887. Veritatem nudam se jactans depromere, cæcitatis arguitur. II, 1054.

Veritas nisi divina ope non percipitur. I, 940. Veritati percipiendæ quomodo per Verbum incarnatum reddimur habiles. VIII, 889. Veritatis inventioni duo vitia inimica. VIII, 845. Veritatis cognitio corde mundato. VI, 310. Veritatis capax mens non est nisi a vitiis libera. VI, 299. Veritati inhærere non potest sordidus animus. VIII, 89. Per bonos mores nobis provenit agnitio veritatis. I, 1334. In veritatem non intratur nisi per caritatem. VIII, 507. Veritas sola possidetur cum securitate. I, 1261. Eam nemo amittit invitus. I, 1261, 1262. Veritate nihil firmius et serenius. III, 238.

Veritas doctrinæ et religionis quanta cura servanda. VI, 514. Veritas, mentis castitas. VI, 545. Veritas non est facilius lædenda, quam corporis castitas. VI, 545, 546. Cur veritatem violare minus timeant homines, quam corporis castitatem. VI, 546. Veritate doctrinæ corrupta nullus aut cursus aut recursus esse ad castitatem animi potest. VI, 514, 515.

Veritatis dulcedo æterna. V, 615. Delectatio de lumine veritatis. V, 969. Veritate intelligibili et incommutabili nihil pulcrius. II, 445. Veritas Dei panis Angelorum et hominum. IV, 1742 Veritas panis est. III, 1692. Immutabilis est. III, 1692. Panis est in hac vita, potus erit in altera. III, 1285. Panis communis, unde vivit et qui prædicat, et qui audit. V, 618. Peccatoribus panis veritatis amarus est. IV, 88. Cibo veritatis sanæ animæ gaudent. IV, 89. Veritatis amator clamat suave esse, quod verum est. IV, 1535. Veritatis amor commendatur. IV, 310, 311. Dulcis est commemoratio veritatis. IV, 1227. Veritas suavior iniquitate, sed sanis. V, 851. Veris veritas delectatur. VI, 446. Sequestrata spe futuræ vitæ jucundum et lætum fuit quibusdam præ amore veritatis torqueri. VI, 98. Æterna veritas grandium cibus, qui non mutatur in eum a quo sumitur, sed e contra. I, 742. Veritas cernentes se commutat omnes in melius, a nullo in deterius commutatur. I, 1262. Veritas et dulcis est et amara : quando dulcis est, parcit; et quando amara, curat. II, 1062.

Veritas divina oppugnatoribus et contemptoribus non passim aperienda. III, 1300. Veritas non est ei proponenda, qui non bono animo audit. IV, 1767, 1769, 1770. Veritas non occultanda cum intersunt aliqui ejus capaces. III, 1301. Veritas, etiam non assensuris instanter prædicanda. IX, 449, 450, 451. Et per disputationem ingerenda. IX, 449, 450, 451, 552. Etiam alienigenis. IX, 454. Veritas etiam coram indignis propter dignos non celanda. IX, 525. Ad veritatem recipiendam cogendi sunt etiam inviti. IX, 722. Confidentia prædicandæ veritatis, caritati tribuitur, diffidentia timori. VI, 192. Veritatis amatori nullus reprehensor formidandus. VIII, 845. Pro veritatis commendatione omnia mala corporalia toleranda. VII, 313. Veritatem qui prædicat, necesse est illusores patiatur. IV, 1768. Mortem propter veritatem alii fortiter, alii æquanimiter, alii libenter obeunt. III, 1369 Omnis consummatio est usque ad mortem pro veritate certare. IV, 1561. Canes sunt, qui non pro veritate, sed pro consuetudine latrant. IV, 176. Veritas tutius auditur, quam prædicatur. III, 1790. Veritas, causa cur discamus, necessitas, causa cur doceamus. II, 874. Ut intelligendus Psalmus XIV. 3, ubi laudatur loquens veritatem in corde. VI, 526. Item Apostolus præcipiens ut veritatem loquamur cum proximo. VI, 527. Veritatem cum proximo, id est, cum omnibus loqui oportet. IV, 189. Veritatem loqui, et loqui vanitatem. V, 68. Veritatem loquentes non audiunt ii, qui loquuntur vanitatem. IV, 1865, 1866. Veritatem prædicare nihil est, si cor a lingua dissentiat; et audire veritatem nihil est, si non auditionem fructus sequatur. IV, 812. Et illi qui verum, quod loquuntur, non credunt; et illi qui verum, quod credunt, non loquuntur, merito reprobantur. IV, 1491.

Veritati adversantium duo genera. VIII, 84. Veritatis doctrina inimica dæmonibus. VII, 183. Veritatem oderunt mali. III, 1860. Veritatem homines amant lucentem, oderunt redarguentem. I, 794. Quandiu blanditur et dulcis est iniquitas, amara est veritas. V, 850. Cur veritas odium parit. I, 794. Dum verum nobis cum aliqua asperitate dicitur, non ab homine, qui forte peccator est, sed a Christo emendamur. II, 150. Nemo potest veraciter amicus esse hominis, nisi fuerit ipsius primitus veritatis. II, 667. Veritatem oderunt homines, et prophetant nescientes. V, 1427. Homines, quamvis pauci, rarius inter prospera, crebrius inter adversa aures admovent veritati. II, 958. Veritati apertissimæ nemo contradicit lingua, sed vita. V, 963. Veritati apertissimæ qui resistit, nulli alteri potius quam sibi adversatur. IX, 177. Veritati apertissimæ cum quisque resistere cœperit, tunc præciditur ab Ecclesia. IX, 444. Veritas, a quovis proferatur, amplectenda. I, 984. Per quemlibet hominem detur consilium veritatis, non debet contemni. III, 619. Veritas propter se ipsam diligenda est, non propter eum a quo annuntiatur. III, 2108. Veritatem non veritate prædicantes tolerati, non falsitatem annuntiantes. VI, 527.

Veritas occultari potest ad tempus, vinci non potest. IV, 740. Veritas vincat necesse est, sive negantem, sive confitentem. II, 1049. Non bonum hominis est hominem vincere, sed bonum est homini ut eum veritas vincat volentem, quia malum est homini ut eum veritas vincat invitum. II, 1049. Non vincit nisi veritas; victoria veritatis est caritas. V, 1586. Qui vinci a veritate nolunt, ab errore vincuntur. V, 1586. Libertate tunc vera gaudemus, cum subdimur veritati. I, 1261. Bonum est ad escam magni Regis capi retibus veritatis. V, 1326. Cujus vita per omnia congruit veritati, is solus est qui bene atque honeste vivit. I, 1051. Veritatis violentia. IX, 678. Spes ex promissione veritatis certa nobis est. II, 217. Ut possit homo complacere in veritate, necesse est ut facta fuerit in eum misericordia. III, 604. Veritas et misericordia in Scripturis passim commendatur. III, 565. Veritas frequenter in Scripturis misericordiæ conjuncta. IV, 1117, 1480. Veritate humilitati sumus in mortem, misericordia instauramur ad vitam. IV, 1554, 1555. Veritas in cœlo, misericordia in terra. IV, 672. Veritas tamquam scutum separat et discernit peccatorem humilem a peccatore superbo. IV, 1133. Exhortatio perquam egregia ad amplexum veritatis, quæ una beatos faciat. I, 1260.

Verum quid sit. I, 888. Verum non posse comprehendi dicebant Academici. I, 924. Quod refellitur. I, 945. Unde

verum aut falsum. I, 891. Verum in corpore melius est, quam falsum in anima. I, 1167. Deus solus est doctor veri. I, 710. Dei est verum omne quod loquimur. I, 976. Quando verum dicitur, inspirante Deo dicitur. I, 861. Melior est vera stipula, quam lux inani cogitatione pro suspicantis. voluntate formata. III, 169. Verum, est animi pabulum. II, 63. Vera infideliter et non vera fideliter dici possunt. II, 420. Verum occultare licet aliquando citra mendacium. III, 1301. Utile est aliquando verum tacere. X, 1017. Verum tacendi vel non tacendi causæ. X, 1017, 1018. Verum quando dicendum, quando tacendum. X, 1017. Verum tacere aliud est, aliud falsum dicere. IV, 85, 86. Verum tacere aliquando non est culpandum, falsum dicere numquam concessum est perfectis. IV, 86. *Vide* Mendacium. Falsum dicere nihil licet; aliquando autem aliquid veri tacere utile est. III, 2111. Verum dicere non pœniteat, sed caute dicatur. III, 1619. Laborant homines loqui mendacium, qui veritatem tota facilitate loquerentur. IV, 1811.

Verisimile Academicorum. I, 587, 927.

Vermes diversi. V, 412. Vermes nonnulli in aquarum scaturigine reperiuntur, et extra esse non possunt. VII, 709. Vermes nonnullos edunt quædam Venetiæ regiones. VIII, 236. Vermis, Christus, quare. IV, 174. Christus vermis appellatus vel ad commendandam ejus humilitatem, vel quia vermis sine concubitu de carne nascitur, sicut ille natus est de virgine. II, 548. Vermis gehennæ pro dolore animi ponitur. VII, 723. Vermis gehennæ pertinet etiam ad corpus. VII, 723. Vermiculi dissecti partes moventur. I, 1039. Vermiculi dissecti motus causa inquiritur. I, 1070. Vermiculi laus. III, 156.

Versiones ab LXX. versione discrepantes. VII, 604. Versio Itala cæteris Scripturæ interpretationibus latinis præferenda. III, 46. *Vide* Scriptura, Septuaginta.

Versus unde dictus. I, 1014, 1149. Versus a doctis vocatur qui duobus membris certa ratione dimensis copulatisque constat. I, 1126. Versuum terminus varius. I, 1149. Versus non debet finiri pleno pede. I, 1151. Versus heroici finis. I, 1151. Quomodo versus heroicus metiendus sit. I, 1151. De senariorum versuum excellentia. I, 1157. Versus senarios quomodo commodius metiri oportet. I, 1158. Versus quidam ex auctoris sui nomine appellati. I, 1107. De versu judicat grammaticus ex auctoritate, musicus ex ratione et sensu. I, 1100. Quot temporibus minimus et maximus versus possint constare. I, 1127. Ut distinguitur versus a rhythmo et metro. I, 1116, 1147, 1151. Versus in animo, et versus in voce. IV, 120.

Veruclata. III, 801.

*Verulus* a Russicade. IX, 253.

*Verus* vir perfectissimus, vicarius præfectorum per Africam. II, 304; IX, 540.

*Vespasiani* duo, pater et filius, suavissimi Imperatores. VII, 168.

Vespera quomodo intelligenda in historia creationis. III, 314. Vespera et mane quomodo intelligantur ante creationem solis. III, 275. Vesperam et mane in tribus primis diebus difficile est cogitare. VII, 322. Quid significant vespera et mane. VII, 322. Vespera materiam informem significat. III, 240. Creaturarum privationem. III, 235. Peccatum rationalis creaturæ. III, 259. *Vide* Dies, Mane. Vespera fit in homine, quando occidit ab eo sol justitiæ. IV, 224. Vespere cœpit, ubi sapientiæ lumen recessit ab homine peccante. IV, 215. Vespere significat tribulationem sæculi. IV, 782. Finem sæculi designat. IV, 1362. Vesperam non habet septimus dies. V, 80.

Vespertina officia. II, 120. Quotidie agi solent. II, 120.

Vesperugo stella Veneris. VII, 720.

Vestimentum animæ, corpus. IV, 1314. Vestimenta scindere lugentium erat antiquorum. III, 711. Vestimenta Christi, sacramenta ipsius. IV, 176. Vestimentum Christi ipsa Ecclesia. IV, 1932. Vestimenta linea interiora. V, 224. Vestibus lineis purpuram miscere, et uti linostima veste, quomodo jam sit peccatum. VIII, 237. Vestis summi sacerdotis, Ecclesiæ sacramenta significat. III, 641. Et ipsam Ecclesiam. IV, 1734. Vestem nuptialem non habet, qui quærit gloriam suam, non Christi. III, 1464. Vestis nuptialis, caritas. V, 562, 583; IX, 669. Vestes Christi in quatuor partes divisæ. V, 1086. Vestis Domini quadripartita quadripartitam signavit Ecclesiam. III, 1949. Veste muliebri qui se ostentant, jure infames et intestabiles habentur. I, 898. Lacerna, vestis genus. V, 883.

*Vesta* et dearum maxima, et terra, et sæpius ignis esse dicitur. VII, 120, 121. Dicitur esse Venus. VII, 121. Vestæ templo nihil apud Romanos sanctius. VII, 108. In Vestæ templo ignis perpetuus. VII, 77, 99, 108. Vestali foco ideo adhibitæ virgines, quod sicut ex virgine, ita nihil ex igne nascatur. VII, 120, 121. Vestæ sacra quam inutilia Urbi fuerint. VII, 99. Templi Vestæ conflagratio. VII, 99. Vestalis stupri accusata, ad pudicitiæ testimonium, cribrum aqua plenum ad judices suos portavit. VII, 294, 774. Vestales sacerdotes in stupro detectæ vivæ defodiebantur. VII, 82.

Veterani milites ut paucos dies quietos habeant, quanta patiuntur. IV, 573.

Veteris hominis aliquid portamus usque ad ultimum mortis. V, 202. Veterem hominem exuere, et novum induere. V, 81. Veteris hominis crucifixio in cruce Domini designatur. III, 2069.

Vetustati quomodo novitas successit. VI, 677. Vetustas est carnalitas. V, 1230. Vetustas nostra ad petram Christum conterenda. IV, 812.

*Vetustinum* puerum miserabilem etiam impiis, Paulino commendat August. II, 124.

Vexilla Romana, aquilæ, dracones, etc. IV 935.

Viæ Domini investigabiles, misericordia et veritas. II, 876; IV, 728, 1776. Via sacra, quæ. VII, 569. In sancto via Dei. IV, 978. Via justa non est, nisi in conspectu Domini. IV, 1593. Via Dei, fides recta. II, 979. Via porrecta est ad peregrinos. III, 2054. Aliud est duci ad viam, aliud deduci in via. IV, 1092. Vias Domini custodire quis dicatur. X, 305. Declinare et discedere a viis Domini quid. X, 305. In via es, memento peregisse te aliquid, restare aliquid; divertisse te ad refectionem, non ad defectionem. IV, 326. In via noli remanere, noli retro redire, noli deviare. V, 926. Melius it claudus in via, quam cursor extra viam. V, 926. Qui in via non currunt, quanto plus currunt, plus errant. V, 777. Melius est in via claudicare, quam præter viam fortiter ambulare. V, 778. In Christo ambula, ne offendas, ne cadas, ne in via remaneas, ne retro respicias, ne a via recedas. V, 932. In via nostra nullæ insidiæ, sed juxta viam. V, 778. Has ideo permissus est inimicus ponere, ne viam deseras. V, 778. Via Christi in medio laqueorum; laquei a dextris, prosperitas, laquei a sinistris, adversitas. IV, 1859. Via lata et spatiosa, quæ. V, 1648. Via peccatorum quæ. V, 1897. Via peccatorum placet, quia latitudo ejus videtur, finis non videtur. IV, 1897. Via impiorum felicitas transitoria, finita via peracta est felicitas. IV, 360. Viæ peccatum non tribuitur, quod a deviante committitur. IV, 1508. Angusta via quæ ducit ad vitam, nisi dilatato corde non curritur. IV, 1530. Angusta via est laboranti, lata fit amanti. IV, 1530. Via angusta paucorum est. III, 2122. Cum in itinere Dei faciliora et fructuosa ignava formidine fugiuntur, in itinere sæculari duriora et sterilia erumnoso labore tolerantur. II, 1071. Via spinosa pedibus Apostolorum contrita, facta est lenior secutorum. V, 1298. Veritas a philosophis hujus sæculi inventa, non via. V, 776. Via Christus. V, 777, 780. Parum erat Deo, si Filium suum faceret demonstratorem viæ; ipsum viam fecit. IV, 1447. Viam demonstrat lucerna propheticæ, et Dominus in carne tamquam in testa. IV, 1854. In via ambula ad prophetiam, ambula ad verba Dei, ambula ad formam servi, perduceris ad formam Domini. IV, 1854. Via nostra caritas est. IV, 1837. Via caritatis nihil excelsius, et non in illa ambulant nisi humiles. IV, 1837. Via testimoniorum Dei, Christus. IV, 1515. Viæ humilitatis, viæ vitæ. IV, 145. A virtutum via non recedendum propter insultationes male viventium. IV, 1151, 1152. Viæ et via in Scripturis leguntur, quia omnes una. II, 393. Viæ et semitæ quid in Evangelica parabola significant. IX, 725. Viam docent lapidea milliaria litteris plena. V, 1547.

Viatores hic sumus: quid nos ea ratione deceat. V, 926. Viator perfectus quis. X, 164, 253, 602. Viatorum cantus. V, 1193.

*Viator* Manichæus. VIII, 36.

Vicinari. IV, 320.

Victimæ veteris Testamenti cur sine vitio quærebantur. X, 403. Victimæ cruentæ Christianorum, quænam sint. VII, 280. Victimas sacras imponis in aram conscientiæ, dum corde Deum laudas. IV, 1746.

Victimare. III, 967.

*Victor* Papa. II, 196.

*Victor* episcopus provinciæ Cæsariensis a primatu excluditur, eique nusquam nisi in diœcesi ejus ab aliquo communicatur Episcopo. II, 955.

*Victor* episcopus. II, 759, 781.

*Victor* episcopus. II, 759, 781.

*Victor* alius episcopus. II, 759, 781. Victor quem Aug. fratrem vocat, cui gratias agit. II, 153.

*Victor* Altiburitanus ep. IV, 382.

*Victor* ab Assuris. X, 253.

*Victor* Aufidi. IX, 513, 583.

*Victor* de Castello. IX, 513.

*Victor* fossor. IX, 513.

*Victor* fullo dedit folles viginti ut factus esset presbyter IX, 514.

*Victor* a Garbe. IX, 511.

*Victor* a Gor. IX, 227

*Victor* grammaticus. IX, 515.
*Victor* Nebridii frater. II, 74.
*Victor* ab Octavo. IX, 237.
*Victor* Proculeiani presbyter. II, 133, 134.
*Victor* a Russicade. IX, 511. Traditor. IX, 612. *App.* 773.
Victoria est subjectio repugnantium. VII, 637. Naturæ hæc vox est, ut subjugari victoribus malint, quibus contingit vinci, quam bellica omnifariam vastatione deleri. VII, 560. Victoria munus solius veri Dei. VII, 125, 440, 441. Victoriæ ex hostibus ad unius Dei veri voluntatem arbitriumque pertinent. VIII, 448, 449. Victoria qualiter utendum: VII, 440, 441. Quo animo civitas terrena quærit victorias. VII, 444. Non semper meritis eorum qui vincunt, sed peccatis eorum qui vincuntur, quandoque tribuenda victoria. VII, 522. Victoria cum malis provenit divino judicio victos humiliat, vel emendans peccata, vel puniens. VII, 643. Victoriæ terrenæ aut mortiferæ, aut certe mortales. VII, 440. Victoria perfecta de universis machinis inimici. V, 1252. Victoriam nostram non ex Dei adjutorio esse, sed ex libero arbitrio, Cœlestii doctrina. X, 545 Hæc reprobavit sancta Synodus, et ipse Pelagius. X, 545, 546. Victoria qua peccatum vincitur, nihil aliud est quam donum Dei. X, 887. Quisquis viribus suis vincere se posse præsumpserit, etsi videtur vincere patientia, vincitur a superbia. V, 1253. Christus habebat de te sibi tentationem, de se tibi victoriam. IV, 724. Victoria sermonis divini. IV, 1036. *Vide* Vincere.
Victorum vitrea lætitia, fragiliter splendida. VII, 114. Mala vota sunt optare habere quem oderis vel quem timeas, ut possit esse quem vincas. VII, 124. Victoriam videri disputatione, quam non magnum. II, 1048.
*Victoriana* villa. VII, 765.
*Victoriamensis* fundus. V, 1581.
*Victorianus* Carchabianensis, sive Carcavianensis. IV, 580; IX, 507, 528, 550. Unus ex XII episcopis, qui Maximiano contra Primianum adhæserunt, damnatur a concilio Vagaiensi. II, 414.
*Victorianus* Mustitanus episcopus catholicus. IX, 657.
*Victoricus* a Thabracha. IX, 217.
*Victorinus*. VIII, 667.
*Victorinus* Leptimagnensis episc. IV, 381.
*Victorinus* Munatianensis episc. IV, 380.
*Victorinus* subdiaconus, qui patefactus Manichæus, coercitus, de clericorum gradu dejectus, ac de civitate pulsus sit, etc. II, 1033.
*Victorinus* Rhetor urbis Romæ, vertit in linguam Latinam libros Platonicorum. I, 750. Victorinus statuam in Romano foro meruit. I, 750. Victorinus legit sacram Scripturam et libros Christianorum, ac publice profitetur fidem. I, 750. Scholam deserit ob legem Juliani, qua vetitum est Christianis docere litteras et oratoriam. I, 753
Videre. Verbo videre utimur ad omnium sensuum operationes significandas. II, 599. Tria sunt genera rerum quæ videntur, unum corporalium, alterum simile corporalibus, tertium ab utroque discretum. II, 457. Bene vel male videre an de exterioribus oculis dicatur, an de interioribus. X, 369. Videre inter et credere hoc interest, quod præsentia videntur, creduntur absentia. II, 599, 600. Aliter Deus, aliter homo, videt creata. I, 868. Videre Dei idem ac misereri. IV, 264, 295, 296. Videre Deum peccata, idem atque punire peccata. IV, 264. Videndi libido. X, 770. *Vide* Visio.
Viduitatis bonum excellentius bono conjugii. VI, 432. Viduitatis sancta professio. VI, 431. Viduitatis professione non damnari secundas nuptias. VI, 433. Exhortatio ad viduitatis bonum. VI, 445. Comparatio inter triplices viduas. VI, 440. Viduam biviram aliquando præferendam esse univiræ. VI, 440. Vidualis vita in sexageno fructu significata. VI, 423. Bonum viduitatis non minuitur laudato bono conjugii, sed augetur. VI, 435. Viduæ quibus operibus debeant incumbere. VI, 447. Viduis diligentior orationum cura videtur injuncta. II, 506. Viduæ ab avaritia caveant. VI, 447, 448. Deliciæ spiritales sint eis loco carnalium. VI, 447. Vidua vera dicitur, quæ non habet a quibus sustentetur. III, 766. Vidualis habitus a matronali distinctus. II, 1081. In nigellis vestibus esse innuitur. II, 1081. Viduarum fuerunt certa vestimenta temporibus Patriarcharum. III, 585. Viduæ desertæ videntur, sed robustius est auxilium earum. IV, 1726. Viduas et pupillos Deus custodit. IV, 1896, 1897. Vidua est omnis anima, quæ intelligit se desertam omni auxilio, nisi solius Dei. IV, 1725. Vidua Dei est anima quæ in solo Deo confidit. IV, 1897. Tota Ecclesia una vidua est. IV, 1726. Vidua Ecclesia est absente sponso. IV, 1897.
*Vigesilis*. Plebs Vigesilitana Episcopum in plenario Africæ concilio degradatum suscipere constanter renuit. II, 234.
Vigilantia commendatur. V 580. Vigilantia et oratio ex gratia. X, 170, 171. Vigilandum semper. IV, 1606. Vigilat hostis, dormis tu. IV, 801.
Vigiliæ spatium non habet amplius quam tres horas. IV, 1144. Vigiliæ ternarum horarum in castris. III, 718. Vigilia noctis quarta quid significet. V, 476.
Vigiliæ sacræ. V, 1087. Vigiliæ ad sacram solemnitatem. IV, 1099.
Vigiliæ Maximiani. V, 1598.
Viginti Martyrum basilica. V, 799. Viginti Martyrum natale. V, 1447.
Vilescat totum quidquid præter Deum est. IV, 252.
*Villaregium*. IX, 475.
Vincere hominem hominis bonum non est; sed bonum est homini ut eum veritas vincat volentem, malum ut vincat invitum. II, 1049. Vinci a veritate, nihil gloriosius. IV, 689. Vincit cum vinci videatur, quisquis cedendo ad id pervenit, quod non amittit invitus. III, 163. Vincitur utiliter, cui licentia iniquitatis eripitur. II, 531. Vinci ab homine non potest, qui vitia vicerit. III, 160. Invictus est, qui id solum amat, quod amanti eripi non potest. III, 160. Et qui cohæret Deo. III, 162. Magni interest quid vincat in nobis. X, 591. Vinci potest carnis voluptas, quomodo. X, 804. Vincitur iniquitas, non viribus nostris, sed adjutorio Dei. IV, 342. Vincimur pugnantes contra peccatum, nisi divinitus adjuvemur. VI, 271. Vinces eum qui vincere solet, si habitet in te qui vinci non potest. III, 2006. Vincimus per eum qui dilexit nos. V, 1361. Qui prior vicit, faciet etiam te secundo victorem. IV, 1521. Qui in nobis victi sumus, in Deo vincimus. IV, 1521. Leo victus est sæviendo, Agnus vicit patiendo. IV, 1958.
*Vincentius* Martyr ubique vincens. V, 1252. Ejus laudes. V, 1252. Natalitia. V, 51, 1552. Vincentii natalem nulla regio non gaudet celebrare. V, 1257.
*Vincentius*. IX, 559.
*Vincentius* episcopus. II, 759, 781.
*Vincentius* a Thibari. IX, 225.
*Vincentius* Victor prius Donatista, vel potius Rogatista. X, 510. Vincentius cur Victoris nomen voluerit esse suum cognomen. X, 775, *Adm.*, 475.
Vincentii nomen unde Victor sibi sumpserit. X, 511. Vincentius Victor scripsit de origine animæ adversus Augustinum. I, 655. Vincentii Victoris libri duo ad Petrum. X, 495. Vincentii errores. X, 521. Vincentius modeste ab Augustino correptus resipuit. I, 655. Donatistarum vel Rogatistarum divisione liberatus. X, 505. Ex Rogatistarum factione ad Ecclesiam catholicam conversus. X, 475, *Adm.*, 475.
*Vincentius* Carten. prius Rogati presbyter. II, 343. Ac postea successor. II, 521. Sedet Carthennis cum decem Rogatistis. II, 531. In Mauritania Cæsariensi. II, 532.
Vincula sapientiæ prima aliquantulum dura; ultima nec dura quia dulcissima, nec mollia quia firmissima. II, 104. Vincula mundi asperitatem habent veram, jucunditatem falsam, etc. II, 104. Vincula ferrea, timor; aurea, amor. IV, 1958.
Vindemialis episcopus. X, 411, *Not.* 1. A Valerio Comite epistolam reddidit Augustino. II, 926.
*Vindicianus* senex medicus. I, 695. Qui proconsul coronam agonisticam Augustino imposuerat. I, 695. Vindicianus Augustinum ab astrologorum næniis revocare satagit. I, 695, 737. Vindiciani medici remedium, uno tempore profuit, altero nocuit. II, 526.
Vindicta Dei, ira ejus dicitur. IV, 710. Vindicta peccatorum certissima. I, 1281, 1293. Vindicta citissima post peccatum. I, 1292. Dedecus peccati in rerum natura ne quidem puncto temporis exsistit sine decore vindictæ I, 1292. Quare Deus vindicat occidendo in quos voluerit; secus vero homines. VIII, 159. Jus vindicandi peccata hominum in Deo probat nos a Deo conditos. I, 1241. Necesse est ut Deus in injustum vindicetur. IV, 254. Vindicat in peccata Deus, si justus est. IV, 589. Cur Deus hoc tempore vindictam neque nemini, neque omnibus retribuat. IV 255. In filios damnationis Deus vindicat iratus, in filios autem gratiæ vindicat propitius. X, 166, 167. Aliquando ad hoc vindicat Deus ut perficiat; aliquando ad hoc vindicat ut damnet. IV, 710. Quidquid divinitus ante ultimum judicium vindicatur, non ad interitum hominum, sed ad medicinam valere credendum est. VIII, 173. Noli murmurare quia Deus non vindicatur in malos, ne inter illos sis, inter quos vindicatur. IV, 1196. Noli, quia tu transisti, velle misericordiæ Dei pontem subvertere. IV, 1196. Vindicta ultima juste poscitur, quando nullus jam restat correctionis locus. II, 550. Vindictam Dei usque ad tertiam et quartam generationem procedere quomodo intelligendum. VIII, 137. Adversus vindictas temporales, quæ sunt in veteri Testamento, sæviebant Manichæi. III, 1263. An sibi adversantur duo Testamenta in eo quod ad vindictam pertinet. VIII, 139. Quomodo sancti vindictam desiderent. IV,

1017. *Vide* Malum reddere. Vindicari se quomodo electi Dei deprecentur. III, 1359.

Vindicta quædam est justa. VIII, 363. Vindictæ officia possunt implere boni bono animo. III, 1526. Vindicta in aliquem inimicum cum caritate potest procedere. VIII, 158, 159, 160. Vindicta nulla debetur nisi peccato. X, 166, 167. Vindicta peccati duplex, concomitans et consequens. VIII, 394. Vindicta an et quomodo fieri debeat. IX, 83. Vindictæ corporales quo animo factæ a viris sanctis. III, 1262. Vindicta quæ ad correctionem valet, non vetatur. III, 1261. Vindicta et in corpus et in animum potest exerceri. VIII, 173. Quomodo vindicandum. VIII, 161. Vindicandum nonnisi auctoritate divina. VIII, 131. Rectus vindictæ modus, quis. I, 1006. Vindicta quatenus a principibus exserenda. VII, 171. Excessus in vindicta. VII, 107. Vindicta facile modum excedit. III, 1258. Conceditur ut vindices te, quia justum est; vide utrum non habeas quod in te vindicetur, et vindica. IV, 1325. Deus justitiam vindictæ non reprimit, sed superbiam vindicantis extinguit. IV, 1325. Inaniter se jactat, qui cum et ipse homo sit, cupit se de homine vindicare, et cum superare hominem palam quærit, occulte a diabolo superatur. IV, 99.

Vindicatio quid. VI, 21. Hanc vis innata inseruit. VI, 20. Vindictæ libido quam iniqua. V, 396. Vindictæ libidinem superbia facit. V, 654. Vindictæ solatium quæri solet in illo, quod restitui non potest. III, 1261. Vindicta alieno malo animum pascit. II, 186. Vindicari est malo alieno pasci. V, 1057. Vindictæ cupidus de aliena pœna quærit medicamentum, et invenit grande tormentum. V, 684. Horrenda tentatio, velle vindicari. V, 391. Vindicta non quærendà. III, 708. Non præterita vindicando pascere iram nostram studemus, sed misericorditer in futurum consulendo satagimus. II, 317. Vindictæ appetitus exemplo Christi coerceandus. V, 54, 396, 424, 684. 1396. Christianus non libidine ulciscendi pœnam irrogare debet. II, 391. Vindicare se non didicit Christianus, sed tolerare. IV, 253. Cavendum est ne vindicandi cupiditate amittatur patientia, quæ pluris habenda est quam omne quod potest etiam invito inimicus auferre. II, 550. Absit a corde Christiano, ut libidine ulciscendi ad pœnam cujusque rapiatur. II, 391. Vindictam de inimico acriter deprecantes a Deo, corriguntur. V, 1058. Præceptum de donanda omnino vindicta quid insinuat. VIII, 364, 367.

Vinea a Deo plantata. V, 531. Operarii ad vineam conducti. V, 320.

Vini primitiæ simulacris libatæ. III, 2085. Vinum quare non bibunt Severiani. VIII, 30. Vinum bibere non religio, sed sacrilegium est Manichæis. VIII, 337, 379. Vinum non bibunt Manichæi, licet vescantur uvis. VIII, 37. Vinum non bibere cur bonum dixit esse Apostolus. VIII, 149. Vinum sine mensura potare posse, putatur vel Dei donum, vel certe suave, blandum et licitum bonum. V, 828. Qui hoc potest, viri fortis accipit nomen: tanto nequior, quanto sub poculo invictior. V, 828. Vini abstinentia in Quadragesima. V, 1043, 1052

Vipera. Judæi ex moribus dicti generatio viperarum. V, 679.

Viri et uxoris prima societas. VI, 373. Viro uni plures feminæ an licite jungantur. X, 419. Uni viro plures uxores habere aliquando licuit, numquam uni feminæ plures viros. VI, 387. Quare. X, 419. Viri adulteri gravius puniendi quam adulteræ uxores. VI, 474, 475. Virorum impudicitia pejor. VI, 475. Viri mulieribus præire in pudicitia debent. VI, 486. Ad viros pertinet et virtute vincere et regere exemplo feminas. VI, 475. Vir caput mulieris, præcedere eam debet in omnibus factis bonis. V, 77. Vir in eo quod male facit, non est caput mulieris. V, 83. Viri dominatio an pœna feminæ, an ordo naturæ. X, 1566. Vir uxori, non ad illudendum imbecilliorem sexum, sed sinceri amoris lege præficitur. I, 1336. Vir ad regendam uxorem, animo carnem regenti similis esse debet. VII, 443. Viri est imperare, feminæ obtemperare. III, 1395. Viri sanguinum sunt qui oderunt fratres. IV, 1801. Per virum a sexu honoratiore homo intelligitur, modo locutionis quo significatur a parte totum. IV, 1311.

Virata mulier. III, 965.

Vires. Nihil sibi tribuendum de viribus suis. III, 604. *Vide* Vis.

Virga. De virga quam multa et mira fecit Christus. VI, 698. Virga Maria, virga Christus, virga crux. VI, 698. Virga Moysi in serpentem conversa quid figuravit. V, 61, 67. Figura fuit passionis Dominicæ. IV, 955. Virga in arca inclusa, symbolum potestatis. III, 633. Virga disciplinæ. V, 1649. Reguntur etiam boni in virga ferrea. III, 1075. Virga regni Christi regit spiritales, conterit carnales. IV, 505. Melius est erudiri in virga patris, quam in blandimento perire prædonis. IV, 1131. Virgarum colores quas variavit Jacob, afficiendo transeunt in animas pecorum matrum. X, 812. Virgarum verbera, coercitionis modus a magistris, a parentibus et ab episcopis sæpe in judiciis adhiberi solitus. II, 509. Adhibetur et ad inquisitionem criminum. II, 509.

*Virgilius* Poeta. I, 671; VIII, 1047, 1050, 1079. Mantuanus rhetor. II, 82. Romanis verba vendebat. V, 623. Virgilius multam historiam vetusta auctoritate roboratam legerat. II, 84. Virgilius ab Augustino laudatus. III, 2089. Virgilius cur a pueris legitur. VII, 16. Virgilii duo versus in Christum aptime convenientes. II, 521, 1073; VII, 365. Virgilii sententia de pœnis post mortem. VII, 727. Virgilii locus. V, 622. Alter ei contrarius. V, 623. Virgilii loci. II, 81, 84; VI, 239, 242, 253, 588, 593, 601.

Virginitas nomen accepit ab abstinentia ab illicitis. V, 574, 575. Virginitas cœlestis vitæ imitatio. VI, 398. Angelica portio est, et in carne corruptibili incorruptionis perpetuæ meditatio. VI, 401. Virginitas corporis etiam ipsa est spiritalis. VI, 400. Virginitas inde honorata, quia Deo dicata. VI, 400. Votum virginitatis. VI, 412. Virginitatis consignatio. II, 229. Virginitatem ab incunte ætate quidam vovent. IV, 967. Virginitatem voventium amplior in Ecclesia gradus. III, 1459. Virginitatem voventes non sunt sine nuptiis. III, 1459. Quales esse debeant virgines quæ jam votæ sunt, ostendit Ambrosius. III, 113. Virginitatem qui voverunt, Angelorum vitam ducunt in terra. V, 736. Hoc incipiunt esse ante mortem, quod cæteri post resurrectionem. V, 736. Nec ad ipsa quæ permissa sunt, frenos concupiscentiæ relaxent. V, 736. Virginalis professionis laus. II, 643. Virginitas, opus est supererogationis, non præcepti. VI, 412. Virginitas jure divino pia nuptiis anteponitur. VI, 397. Virginitatem etiam sanctimonialium et continentiam virorum sanctorum cælibem vitam eligentium, castorum conjugiorum meritis adæquabat Jovinianus. I, 639; VIII, 45. Virginitas quæ non est præcepta, plus est quam conjugalis pudicitia quæ præcepta est. X, 337. Virginitas præferenda conjugio. X, 142. Nuptiis præfertur. X, 416. Nulla ei fecunditas conjugalis comparanda. VI, 399, 400. De virginitate et conjugio errores duo contrarii, alius virginitati æquans nuptias, alius eas damnans. VI, 405, 407. Virginitas sic præferatur, ut non nuptiæ damnentur. VI, 404. Virginitas nuptiis non tamquam malo bonum, sed tamquam bono melius anteponitur. X, 1418. Virginitas et pudicitia non vera, nisi quæ veræ fidei mancipatur. X, 416. Virginitatem custodire quam pudicitiam conjugalem plus est. X, 337. Quod Catholici sanctam virginitatem nuptiis præferebant, eos olim Jovinianus Manichæos appellabat. X, 458. Virginitati non ideo conferendum conjugium, quia virgines parit. VI, 401. Virginum omnium decus est unius virginis partus. VI, 398, 399. Virginis filius et virginum sponsus, Christus. VI, 397. Virginalis dignitas quomodo cœpit a matre Domini. V, 348. Nativitas Christi secundum carnem de virgine significavit membra illius secundum Spiritum de virgine nascitura. VI, 399. Virginitas illum solum decenter parere posset, qui in sua nativitate parem habere non posset. VI, 399. Virginitas Mariæ voto dicata Deo, antequam de concipiendo Christo audisset. VI, 398.

Virginitas turpis est sine virtutibus. IV, 968. Virginitas humilitate tuenda. VI, 396. Virginibus humilitas maxime commendatur. VI, 412, 413, 414. Virgines quanto magnæ sunt, humilient se in omnibus. V, 1020. Quanto sanctiores, tanto sint humiliores. VI, 427. Melius est humile conjugium, quam superba virginitas. IV, 968, 1280. Virginibus qua ratione humilitas exercenda. VI, 426, 427. Quid cogitandum virgini, ut veraciter se non audeat mulieri aut conjugatæ præferre. VI, 422. Ut non inflетur virgo, cogitet se forte non posse pro Christo pati, quod possit conjugata. VI, 424. Prima humilitatis cogitatio, virginitatem haberi ex Dei dono. VI, 420, 422. Virginatis custos Deus, qui eam dedit, apud humiles quiescit. VI, 426. Virgines conjugatos sanctos patres non contemnant. VI, 397. Non se arbitrentur iis meliores. VI, 394. Nec se esse hic sine peccato. VI, 425. Virginitatis custos caritas; locus hujus custodis, humilitas. VI, 426. In sola caritate custodia castitatis. III, 2141. De conjugio, viduitate et virginitate multæ perplexitates. VI, 442. Corrupta corde, frustra virgo est corpore. IV, 1168. Virginitas in carne pancorum est, omnium debet esse in corde. IV, 1920; V, 575. Virginitas sacra si per impudicam pereat voluntatem, ad pudicitiam rediri potest, ad virginitatem non potest. X, 1543, 1544. Virginitas amissa nulla carnis fecunditate compensatur. VI, 400. Virgo quæ si nuberet, non peccaret; sanctimonialis si nupserit, Christi adultera reputabitur. IV, 1058.

Virginitas carnis, corpus intactum; virginitas cordis, fides incorrupta. IV, 1920.

Virginitas mentis. V, 1495. Virginitas mentis, fides, spes, caritas. III, 1499. In fide omnes virgines esse debent. V, 1064. Virginitas fidei est in conjugatis. V, 574. Virginitas extra Ecclesiam nihil prodest. IV, 815. Virginitas Ec-

clesiæ. V, 1005, 1010, 1065. Virgo tota Ecclesia dicitur. IV, 1920; V, 575.

Virginitas commendatur. V, 996. Virginitatem liberam esse Christus voluit. VI, 398. Virginitas non præcepto, sed consilio commendata ad promerandam singularem gloriam in vita futura. VI, 402. Virginitas non propter hanc vitam, sed propter futuram diligenda. VI, 407. Fidelis et pia virginitas magnum magnique honoris meritum apud Deum habet, unde. III, 397. Qui virginitatem servant, non continuo censendi sunt omnia Legis et Evangelii præcepta custodire. X, 337. Virginitatis encomium. III, 112. Ambrosius virgines ad suscipiendum virginitatis propositum magno accendit eloquio. III, 113. Augustini liber de sancta virginitate. I, 640. Virgo nomen integritatis, non ætatis. III, 492. Virgo nomen ætatis est secundum eloquium Hebræum. III, 575. Virgines aliquando mulieres appellatæ. III, 529. Virginis cujusdam integritatem obstetrix velut manu explorans eam perdidit. VII, 32. Virgines honorabilius membrum Christi. III, 1499. Inter virgines computatur quisquis corruptionem per sensus non admiserit. IV, 1920. Quisquis abstinet ab illicitis sensuum motibus. V, 574. Virginum sanctarum gloriosa certamina. X, 724. Virgines propria et excellenti sanctitate nominatæ, dictæ etiam Sanctimoniales. V, 574. Multitudo earum. V, 574. Virgines sacras amor facit. V, 883. Multæ etiam parentum suorum contrarios conatus, igne superni amoris superarunt. V, 884. Timor ipsis virginibus necessarius, non timor sæcularis aut servilis, sed timor Dei castus. VI, 416. Virginibus adhuc de ipsa integritate pudicitiæ danda præcepta sunt. VI, 415. Virgines quas pœnitet professionis et propositi, melius nuberent quam urerentur. VI, 415. Inter virgines Dei consecrari non potest post baptismum, quæ catechumena fuerit vitiata. VI, 387. Obediens mulier inobedienti virgini præponenda. VI, 422. Obedientior conjugata minus obedienti virgini præponenda. VI, 392, 393. Virginibus Maria imitanda proponitur. V, 1011.

Virginis uterus, thalamus sponsi. IV, 161. Thalamus conjunctionis nuptialis Verbi et carnis. IV, 495.

Virgines elegantiore vestitu placere hominibus studentes reprehenduntur. VI, 415. Virgines non solo habitu vestis professionem suam tenentes. X, 799. Virginum numerositas major apud Catholicos, quam mulierum. VIII, 492.

Virgines et ipsæ spiritu matres Christi. VI, 399. Virginibus in ortu Christi unde causa gaudii. VI, 664. Virgines sponsum toto corde ament. VI, 427, 428. Virginum gloria futura major et propria quædam in cœlis gaudia. VI, 410. Sequi Agnum quocumque ierit, proprium est virginum. VI, 411. Virginum canticum quod nemo alius potest dicere. VI, 410. Virgines fructum sexagesimum referunt. III, 1525. Virginalis vita ad centenum fructum indicata. VI, 423. Exhortatio ad Virgines. III, 112. Martyr Cyprianus de habitu virginum, non de suscipiendo virginitatis proposito scripsit. III, 113.

Virginum sapientum et fatuarum parabola explicatur. II, 571, 572; V, 573; VI, 44, 45. Virgines quinque ex Evangelio, omnes animas intraturas in regnum cœlorum significant. IV, 1920. Virgines oleum non ferentes. V, 804. Virgines fatuæ sunt, quibus conscientia non sufficit. IV, 1921. Et quæ excitantur ad bona opera, non robore bonæ conscientiæ, sed incitamento linguæ alienæ. IV, 1921.

Virgini Cœlesti ludi exhibebantur. VII, 50.

*Virginiensis* dea. VII, 122, 188.

Viride agri allegorice. III, 198.

Virtus a viro cognominata videtur. II, 894, 1257, Virtutem deam fecerunt gentiles. VII, 127. Virtus non est dea, sed donum Dei. VII, 127, 128.

Virtus animi quid. V, 812. Virtutis definitio ex Cicerone. X, 747. Virtus dicitur habitus et quasi sapientis animæ qualitas. I, 1514. Virtus est animi habitus naturæ modo atque rationi consentaneus. VI, 20. Virtus dicitur æqualitas quædam vitæ, rationi undique consentientis. I, 1050. Virtus dicitur, vel recta vel perfecta ratio. I, 876. Virtus est frui fruendis et utendis uti. VI, 19. Virtus creaturæ rationalis, conversio ejus ad incommutabile bonum. II, 561. Virtus ars bene recteque vivendi. VII, 128, 258, 789. Virtus ars ad immortalem perveniendi felicitatem. VII, 128, 258, 789. Virtus ordo est amoris. VII, 467, 468. Vera et invicta virtus caritas. V, 1397. Virtus est caritas qua id quod diligendum est diligitur. II, 671, 673, 739. Virtus ad beatam vitam ducens nihil est nisi summus amor Dei. I, 1322.

Virtus vera quæ. VII, 156, 636. Virtutem veram in quo ponebant Pythagoræi et Platonici philosophi. X, 745. An qui naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, veras virtutes habeant. X, 750. Ipsa est vera et sola virtus, quæ non militat typho, sed Deo. V, 1295. Virtus nulla vera sine vera pietate. VII, 166, 651. Si quid laudabile in homine naturaliter eminet, non nisi vera pietate purgatur et perficitur. VII, 77. Virtutes a vitiis non officiis, sed finibus discernuntur. X, 749, 751. Virtutes veræ Deo servire debent. X, 749. Virtutes nisi ad Deum referantur, vitia sunt potius quam virtutes. VII, 656. Quidquid homo veluti recte fecerit, nisi ad pietatem quæ ad Deum est referatur, rectum dici non oportet. VI, 204. Virtus animi a Deo est. V, 812. Virtus animi non facit beatum, sed qui virtutem dedit. V, 812. Virtutes veræ non sunt, quæ felicitatem æternam non intendunt. II, 670. Et quæ ad veram beatitudinem consequendam homini non prosunt. X, 747. Virtutes Christianæ persuadendæ fuerunt non tantum propter civitatis terrenæ concordissimam societatem, verum etiam propter adipiscendam sempiternam salutem. II, 533. Virtutes sine fide veræ non sunt. X, 750. Virtutes infidelium non sunt veræ. X, 751. An sint dona Dei. X, 744. Objectioni Juliani virtutes infidelium defendentis satisfit. X, 751. Virtutes Paganorum ex inani gloria steriles. II, 710. Virtus vera non est, quando gloriæ servit humanæ. VII, 166, 167. Virtutes tam turpiter serviunt humanæ gloriæ, quam corporis voluptati. VII, 166, 167. Virtutes ad se ipsas relatæ, inflatæ sunt ac superbæ. VII, 656.

Virtus propter se expetenda est. VII, 626. Propter se solum petenda. VI, 21. Virtus omnia appetit propter se, etiam se ipsam. VII, 626. Virtus bene utitur et se ipsa et cæteris quæ faciunt hominem beatum bonis. VII, 626. Virtus omnium bonorum vel animi vel corporis nihil sibi præponit. VII, 626. Virtus primigenia seu bona naturæ propter se ipsam diligit, utiturque et fruitur. VII, 625. Virtutibus nemo male utitur. I, 597, 1267. Virtutem non minuunt corporis bona si minuantur. VII, 31. Anima quæ se sequitur ut virtutem adipiscatur, stultum aliquid sequitur. I, 1514. Virtus nihil hic agit, nisi perpetua bella cum vitiis. VII, 629. Virtus perpetua bella cum vitiis agit, non ut hæc vita careat miseriis, sed ut spe futuri sæculi sit beata, sicut et salva. VII, 631. Si animam corpus corruptibile non gravaret, non conaretur homo in virtutem, sed sine conatu Deo suo facile et feliciter obediret. X, 1513. Virtus ab animi sede membris corporis imperat. VII, 30. Virtutes qui ex spiritu Dei habet, etiam inimicos diligit. VII, 127.

Virtus in animæ bonis est excellentissimum bonum. VII, 626. Nihil hic in homine melius virtute atque utilius reperitur. VII, 651. Nullum bonum esse hominis præter virtutem volunt Stoici. VII, 258. Vera virtus nisi in justo esse non potest. X, 745. Virtutes sunt bona bonorum. X, 211. Virtus animam facit optimam. I, 1513. Virtutes, quibus recte vivitur, magna bona sunt. I, 597, 1267. Virtus aut vitium, ratio propter quam diligimus aut odio habemus. III, 1859. Virtus quomodo in infirmitate perficitur. X, 742. Virtutis perfectio non est desperanda. X, 673.

Virtutes quæ sunt in animo humano, non separantur ab invicem. VIII, 927. Virtutes inseparabiles esse omnibus philosophis placuit. II, 755. Eaque sententia probatur. II, 755, 756, 757, 758. Virtutum connexionem Zeno tenuit. X, 1063. Etsi virtutes sint connexæ, una tamen major est altera in uno eodemque homine. II, 740. Virtus non est hic sine aliquo vitio. II, 737, 738, 740. In magnis animis quædam virtutes vitiis parvorum sunt simillimæ. VIII, 417. Virtuti unicuique finitimum vitium reperitur. VI, 21, 22. Virtutes duæ hic necessariæ, continentia et sustinentia. V, 255.

Virtutis species quatuor. VII, 127. Virtutis partes quatuor, prudentia, justitia, fortitudo, temperantia. VI, 20, 51. Virtutes agendæ vitæ quatuor, prudentia, etc. IV, 1065, 1066. Virtutum theologicarum ordo et connexio. IV, 261. Ex vario affectu amoris Dei nascuntur virtutes illæ quatuor, prudentia, justitia, etc. I, 1522. Quæ definiuntur. I, 1255, 1552. Officia quatuor virtutum ad dilectionem Dei tendunt. I, 1550. Flumen paradisi terrestris in quatuor partes divisum significat quatuor virtutes. III, 205. Virtutum gradus distinguendi ab illo qui sacris Scripturis animum intendit. VI, 34, 35. Virtutes inesse possunt et in habitu et in opere. VI, 390. Virtus vel sapientia luci vitium vel stultitia tenebris comparatur. II, 758.

Virtutes. Justitia, continentia, etc. non ex viribus nostris. II, 849, 850. Virtutes nostræ sunt, non res quas dare vel eripere casus potest. I, 916. Virtutes quibus anima ornatur, ex Deo sunt. III, 1685. Virtus nobis non erit, nisi adsit Deus, quo juvemur. II, 669. Nemo recte agit, nisi divino adjuvetur auxilio. VII, 659. Virtus non est ab homine; sed super hominem, quod facit hominem beate vivere. VII, 656. Virtus quæ dicitur nostra, Dei est bonitate nobis concessa. VII, 300. Virtus quæ Dei bonitate nobis concessa, non nisi gratiæ Dei tribuenda. VII, 167. Virtus sola Dei gratia donatur. VII, 128, 258, 789. Virtus vera donum est gratiæ. X, 762. Cur virtutes dona Dei esse negant Pelagiani. X, 743. Virtutes omnes et gratias unumquemque posse habere, quo sensu a Pelagio intellectum, et ab Episcopis approbatum. X, 339, 340. Virtutes nostras quomodo formet ux invisibilis. V, 1498. Virtus Christi erit in nobis, cum

defecerit virtus nostra. IV, 881, 882. Virtutes oculis non videntur, et amantur. IV, 316. Christus, pro omnibus virtutibus necessariis in convalle plorationis, dabit in cœlo unam virtutem se ipsum. IV, 1065.

Virtutes an desinent in futura vita. VIII, 1045. Virtutes quomodo erunt ac non erunt in æterna vita. II, 671. Virtutes eædem hîc sunt in actu, post hanc vitam in effectu; hîc in opere, ibi in mercede; hîc in officio, ibi in fine. II, 672. Virtutes quomodo sint in Beatis. I, 1189. Virtus major, quæ in Beatis cum necessitate boni. X, 1498. In vita beata una erit virtus quæ virtutes omnes complectetur, aut potius quæ ipsa erit virtutes omnes. II, 671, 672. Virtutes duæ, una activa, altera contemplativa. III, 1045. In cœlo una erit virtus, scilicet contemplationis Dei. IV, 1066. Virtus via ad gloriam, honorem, imperium, VII, 156. Virtutis et honoris ædes apud Romanos conjunctæ. VII, 156. Virtutes Romanorum Christianis sunt commonitionis necessaria exempla. VII, 165. Virtutes civiles etiam sine vera religione quantum valuerunt in imperio Romano. II, 553. Romani quamdam sui generis probitatem custodierunt. II, 553. Virtus vera ac sola. V, 1295.

Vis. Vires corporis unde majores. I, 1056. Vim vi repellere occidendo eum qui stuprum aut mortem inferre molitur, illicitum. I, 1227. Vis ad aliquem cogendum ad bonum potest adhiberi. II, 754, 757, 802, 805.

Visibile quidquam non est, quod non sit mutabile. VIII, 881. Tria visibilium genera. II, 457.

Visio. Videre pro generali sensu non solum corporis, sed etiam animi. III, 623, 1958; V, 646. Quid distet inter videre et credere. II, 599, 600. Videndi Dei desiderium quando amoris gratuiti sit argumentum. V, 965.

Visio quid. VIII, 985, 986. Quomodo fiat. I, 1058. Ex re visibili gignitur visio seu imago ejus rei quæ videtur. VIII, 986, 987. Quomodo. VIII, 987. Visio per emissionem radiorum ex oculis. III, 258. Lux quæ est in sensu videntis, non sufficit ad videndum. III, 258. Visionem fieri ex imaginibus quæ ad oculos veniunt, sententia Epicuri et Democriti, qui refelluntur a Cicerone. II, 446, 447. Visionem qui nolunt tribuere nisi corporibus, non sunt audiendi. II, 620. Visio non est rei aut remotioris, aut propinquioris. V, 1265.

Visio triplex, intellectualis, spiritalis et corporalis. VII, 286, 287. *Not.* (*a*). Visio alia fit oculis corporis, alia mentis obtutu. II, 597, 599. Quid mentis obtutu videamus. II, 597, 599, 613, 616. Nec ipsa est contemnenda visio, videre quod nescias. II, 597. Cum anima intellectuali visione Deum videt, etiam supra se videt illum. III, 480. An in spiritali et intellectuali visione plures gradus. III, 478. In visione trinitas quædam. VIII, 985. Tria quæ in visione sunt, natura sua differunt. VIII, 986. Quomodo in unum coeunt tria hæc. VIII, 987.

Visio Dei duplex, alia hujus temporis, alia futuri : hæc per speciem, illa per fidem. IV, 1609, 1951. Recte dicitur, scimus posse Deum videri. II, 601. Patrem invisibilem, Filium vero et Spiritum sanctum visibiles putabant Ariani. II, 605, 626. Non solum Patris divinitatem, sed nec Filii, nec Spiritus sancti posse oculis carnis aspici, sententia Hieronymi. II, 622. Nullum est dubium quod natura Dei non videatur in loco. II, 619. Deum oculis carnis esse invisibilem probatur auctoritate Ambrosii. II, 603, 627. Hieronymi. II, 622, 623. Athanasii atque Gregorii. II, 626. Videre Deum cujiebat Moyses in ea substantia qua Deus est. III, 477. Ita eum vidisse verisimile est. III, 477. Deum Moysi primum aliisque sanctis non visum esse in natura propria, sed in ea specie qua apparere voluerat. II, 605, 607, 618, 626, 628. Mirum si Moysi non concessum est quod petebat, ut hîc videret Deum sicuti est. II, 610. Non incredibile est quibusdam nondum defunctis, et maxime Paulo hanc gratiam fuisse concessam. II, 610. Sed necesse est abstrahi ab hac vita mentem, quando in illius ineffabilitatem visionis assumitur. II, 610. Nemo videt Deum in illa specie qua Deus est, nisi prius ab hac vita quodam modo moriatur. III, 477, 478; V, 951. Homini non potest nota esse divina substantia sicut ipsa sibi. III, 301. Divinam substantiam videre non potest hominis mens, sicut Angeli sancti vident. III, 483. De ipsis etiam cœlestibus virtutibus legimus, *Deum nemo vidit unquam*, ex Ambros. II, 602. Quo sensu. II, 602, 606, 609, 612. Videre aliud est, aliud videndo totum comprehendere. II, 605. Eos qui ad vitam resurgent, per corpus Deum visuros putant aliqui. II, 619. Deum ab impiis videndum, et a diabolo fuisse visum quidam dixerunt. II, 602. Refelluntur. II, 607, 608. Visionem divinæ substantiæ diabolo indultam esse secundum nostras Scripturas, Manichæi calumniantur. V, 104. Visionis Dei desiderio pia per fidem vita in hac ærumnosa peregrinatione ducenda est. VII, 547. Visio facie ad faciem, summum præmium promissum justis. VIII, 841, 844. Visibilis erit Christus in judicio futuro. V, 1297. De Dei visione multæ perstringuntur et solvuntur quæstiones. II, 613 Scripturæ testimonia quæ de Deo videndo veluti contraria dicunt, conciliantur. II, 602. De visione Dei interim sufficiat scire quod Christus homo ita videt Patrem, sicut videtur a Patre. II, 620, 707. An per corpus sancti visuri sint Deum. VII, 797. Sancti visuri sunt Deum in ipso corpore. VII, 797. Quidam dicunt Deum videndum per corpus, sed per corpus quod jam spiritus erit. II, 619, 623. Dei substantiam nec quolibet corpore glorificato, etiam ipsius Domini, videri posse confirmat Evodius. II, 703, 704. Confirmat et Augustinus. II, 707. Morte non aufert anima aliquod corpus ex corpore. II, 253. Aufert tamen quosdam oculos corporeis simillimos, quibus visa simillima cernit in somnis, sed nec ipsa corporea. II, 253. Cum corpus spiritale habuerimus, videbimus Trinitatem, sive mente, sive mirabili modo etiam corpore. II, 460. Sive ab exteriore homine Deus videri possit, sive non possit, certum est eum ab interiore homine videndum. II, 628. Videre Deum possumus mente vel cordis acie interiore. V, 670. Videri Deus solo animo potest, nec tamen ita ut animus. IV, 469. Visio Dei facie ad faciem servatur in resurrectione. IV, 485. Visio Dei sicuti est, in altera vita. III, 1779. In patria superna. III, 1662. A visione Verbi quænam avocant. III, 1540. Visione Verbi perfruuntur Angeli, ab illa pecora aversantur. Qui desiderat, inter utrumque medius est. III, 1540. In cœlo sine codice in Verbo leges. V, 181. Visio Dei qualis sit futura. VII, 797. Corporalem faciem non cogitemus, cum Apostolus dicit nos visuros Deum facie ad faciem. II, 620. Faciem Dei juxta naturæ suæ proprietatem nulla videt creatura. II, 625. Visio Dei videntis. V, 441. Cum unus Deus videtur, Trinitas videtur. IV, 1075. Nihil interest inter visionem Patris et visionem Filii. IV, 1075. Visione Dei nihil sublimius. X, 601. Qualis requies et finis voluntatis in visione censeri debeat. VIII, 992. Sine Dei visione, quibuslibet aliis bonis præditus infelicissimus est, etiam secundum Plotinum. VII, 294. Visio et amor Dei et satiat et non satiat. IV, 1100. Visio Salvatoris illos contristabit qui illicitis delectantur. IV, 1916. Visio Dei finis est noster. V, 366. Videre Deum et laudare Deum, ipse erit portus laborum nostrorum. V, 255. Et lux ista sanis oculis gaudium, non sanis tormentum; ita Deus cordibus mundis aut non mundis. V, 366. Visionis faciei Dei quanta felicitas. V, 951. Summa felicitas. V, 711. Præmium omnium Sanctorum. VII, 518. Merces fidei. III, 1850. Visio Dei post hanc vitam. III, 1654. Visio Christi tota merces nostra. IV, 1170. Fide mundantur corda, ut possint esse idonea videre Deum. IV, 1640.

Visio Dei mundicordibus speciatim promissa. V, 368. Deus non nisi a pacificis videbitur. V, 162. *Vide* Apparitio Dei. Ad visionem Dei fide ac bonis operibus pervenitur. V, 103, 367, 571. Præsume te visurum bene vivendo, a quo videris, sed quem videre non potes male vivendo. V, 442. Ad videndum Deum superbi putant se propria virtute posse purgari; unde hoc putant. VIII, 901. Sic homo fidelis debet credere quod nondum videt, ut visionem et speret et amet. II, 457.

Visionum varia genera. VIII, 171. Visionum genera tria. III, 458. Corporale, spiritale et intellectuale. III, 459. Hæc erunt in Beatis. III, 484. Quomodo. III, 484. In eadem anima fiunt visiones corporales, spiritales, et intellectuales. III, 474. Visio corporalis sine spiritali esse non potest. III, 474. Spiritalis potest esse sine corporali. III, 475. Visio corporalis et spiritalis fallit, sola intellectualis non fallit. III, 475. In aliis falli non semper est perniciosum. III, 465. Visio corporalis ad spiritalem, spiritalis ad intellectualem refertur. III, 462, 463. Visio intellectualis spiritali, spiritalis corporali præstat. III, 474. Spiritale visionum genus unde dicitur. III, 460. Hoc cæteris præstat. III, 458. Intellectuale genus visionis. III, 461. In visione intellectuali alia sunt quæ videntur in anima, aliud lumen quo ipsa illustratur. III, 479.

Visionum causæ. III, 469. Visiones aliquando a corpore, aliquando a spiritu oriuntur. III, 470. Visa quæ a corpore causam habent, a corpore non exhibentur. III, 470. Duplici modo fiunt. III, 471. In genere spiritalis visionis alia visa quasi divina; alia humana. III, 479. Visiones prophetiæ. X, 544. Visiones quomodo Angeli mentibus ingerant, difficile explicatur. VI, 260. Non assumitur spiritus hominis a bono spiritu ad videndas visiones, nisi aliquid significent III, 472. Visiones quarum causa est in corpore, non semper significant. III, 472. Visiones sunt quæ apparent spiritui tamquam corporis sensibus, per formas incorporeas corporibus similes. II, 747. In visis res incorporales habent similitudinem corporum. VII, 725. Visa somniantium simillima visis vigilantium. VIII, 1974. Cæci magis inter dormiendum, quam inter vigilandum visiones habent. III, 471. Visa corporalibus similia in quæ anima inter vigilandum rapitur, non sunt diversæ naturæ. III, 472. Quomodo

contingant visa illa, ex quibus divinationes occulto instinctu aut casu factæ, operosissimum est explicare. III, 473. Visis occultis ac veracibus aliquando loquitur Deus in cordibus hominum. IV, 1395. Omnis anima viva, sive rationalis sive irrationalis, visis movetur. III, 402. Non in potestate ullius animæ est, quæ illi visa veniant. III, 405. Anima rationalis consentit visis, vel non consentit; irrationalis vero viso aliquo tacta propellitur. III, 402, 403. Visionibus phantasmaticis diabolus irretit animas. VII, 288. Visa per Angelorum obedientiam ad animalia vel minima perveniunt. III, 405.

Visa mortuorum negari nequeunt. VI, 600, 601. Et vivorum et mortuorum solas similitudines apparere censet Augustinus. VI, 601, 605, 604. Et quidem angelicis operationibus. VI, 601, 604. Visa phreneticorum. VI, 602. Visa portentosa Curiæ Curialis. VI, 602. Cum in somnis vident homines mortuum, ipsius animam videre se putant; cum vivum, solam similitudinem. VI, 601. Exempla visorum afferuntur. VI, 601, 602. Visiones quædam miræ. III, 467. Visiones miræ cujusdam pueri ægrotantis. III, 468. Visiones defunctorum. II, 697. Visio qua pius medicus vidit civitatem, ibique beatorum hymnos audivit. II, 700. Visio hominis qui coram judice se sisti vidit, ibique ita est cæsus, ut vestigia plagarum apparerent. V, 1410. Viventes apparent sæpe viventibus dormientibus, dum se ipsi nesciunt apparere. VI, 600. Augustinus adhuc vivens, et nesciens, duobus infirmis apparet. V, 1444, 1445. Augustinus inscius Eulogio in somnis locum Ciceronis exponit. VI, 602.

Visus mentis eo modo curandus est, quo visus corporis. II, 1542.

Visitator a schismaticis positus. V, 293. Siniti cui præerat episcop. Donatista, missus presbyter qui Catholicos visitaret, et in domo juris sui prædicaret. II, 397. Visitat Augustinus Ecclesias ad curam suam pertinentes. II, 225.

Vitam temperationem corporis esse, quidam opinati sunt. I, 1029. Vitam corpori præstare idonea est anima etiam mortua. V, 429. Vita triplex: seminalis, sensualis, intellectualis. VII, 153, 154. Vita est arborum et frutectorum. V, 257. Vita qualislibet ad summum vitæ principium pertinet. VIII, 94. Vivere sine Deo nihil potest. VIII, 101. Vivere, intelligere, meminisse, ingenio alacri excellere, divina sunt munera. III, 1344. Vitam non habemus in nobis ipsis, sed in Deo; Deus autem habet in se ipso. V, 710. Vita a donante Deo, mors a vindicante. I, 618. Vivos ex mortuis, et mortuos ex vivis semper fieri, sententia Platonicorum. VII, 392. An quisquam simul et vivens esse possit et moriens. VII, 384. Vitam omnium hominum et generationem in septem sideribus consistere docebat Colorbasus. VIII, 28. Vita sua cuique notissima. VIII, 103. Vivere se nemo potest nescire. VI, 242. Unde homines, imo et bestiæ non tantum se ipsas sentiunt vivere, sed et alios et nos ipsos. VIII, 953. Vitæ hujus miseria. I, 795; VII, 631, 632. Vitæ huic congruit, flere et gemere. III, 1633. In hac vita falsa felicitas, vera miseria est. IV, 1099. In hac vita labor, pressura, tribulatio, tentatio. IV, 559. Vita hæc laboriosa. V, 402. Vita hæc tota intelligentibus tribulatio est. V, 687. Vita hæc, vera infelicitas et mendosa felicitas. V, 1586. Vita in doloribus non proprie vita. V, 813, 1402. Homines non secundum merita prioris alicujus vitæ, in hujus vitæ veniunt miserias. II, 984. Omnis vita hominis super terram, plagæ ejus sunt. IV, 1633. Vita de peccato primo facta est nobis pœnalis. VII, 729. Vita ipsa mortalium, tota pœna est. VII, 728. Ira Dei est. VII, 738. Ira Dei modo major non est super filios Adam, quia multo brevius vivunt quam vixerunt antiqui. IV, 1144. In hac vita multa nobis prospera videntur, quæ adversa sunt; et adversa, quæ sunt prospera. III, 2076. In hoc mundo non timere, non dolere, non laborare, non periclitari impossibile est; sed interest qua causa. II, 938. Bona quibus hanc vitam, licet peccato obnoxiam, Creator implevit. VII, 788. Vitæ hujus bona vel mala media sunt, et in comparatione æternorum nulla. V, 938. Vita mortalium in comparatione beatæ vitæ est miserrima. VII, 648. A vita carnalibus sensibus implicata incipere necessitatis est, in ea persistere voluntatis. II, 559. Vita hæc amatoribus suis respondet, fœda sum, dura sum, volatica sum. V, 1388. Vitæ hujus ærumnosæ amor. V, 1281, 1383, 1388. Vita etiam mala, omnibus terrenis bonis ab homine præfertur. V, 122. Vitæ hujus transitoriæ amatores quot labores et pericula et exitia pro ipsa suscipiant. II, 485. Vitam æternam amatoribus suis nil magnum jubere, cum sic se jubet amari, quomodo hæc amatur a suis. II, 484. Homines ad conservandam vitam nullos non subeunt labores. II, 483, 484. Multi ad eam conservandam, etiam salutem æternam in periculum adducunt. II, 484.

Vitæ brevitas. V, 128, 688. Paucorum dierum est tota vita hominis. IV, 373. Sæculum quamdiu volvitur, intelligas punctum esse. IV, 234. Non est diu quod habet extremum. IV, 234. Vita hominis longissima, aura est matutina. IV, 361. Vestigatur tota vita mortalium, et quæ vi detur prolixior, vapor est aliquanto diuturnior. IV, 996. Vita humana, vapor. V, 136, 687, 1387. Potius umbra vitæ quam vita. V, 1538. Vitæ umbra, vita in qua Adam creatus est. X, 1523. Si adhuc viveret Adam, et hodie moreretur, nihil prodesset tam diu vixisse. IV, 234. Vita præsens nec vita est. V, 121. Quasi in somnis agitur. V, 243. Minus est generis humani, tota vita tentationis. IV, 1686. Vita ista mors est. IV, 1889. Mors verius quam vita. V, 1522. Peregrinationis habitatio appellatur. III, 591. Vita hominis crescendo decrescit. V, 122, 257, 638. Vitæ tempus cursus ad mortem. VII, 383. Diu vivere quid est nisi ad finem currere? V, 633. Vivere ex quo homo incipit, incipit mori. VII, 383. Vitæ primorum hominum longitudo, quæ. VII. 447, 448. Vita hominum post diluvium quomodo centum viginti annorum futura dicitur. VII, 471. Vitam agere ducentos annos gentem quamdam etiam suo tempore narrat Plinius. VII, 448. Vita prima hominis sera infantia et pueritia, quinque sensibus dedita est. VI, 43. Vita dicenda non est, sempiternus immortalisque cruciatus. V, 813. Vita hæc media ante summa bona et ante summa mala ducitur. V, 938. Vita ista tibi debet esse tamquam stabulum viatori, non tamquam domus habitatori. IV, 326. Nemo exit ab hac vita nisi per mortem. VII. 553. Vitæ hujus longitudinem non facit sentiri, nisi spes vivendi. IV, 96. Verba quibus humanus dies et vitæ hujus prolixitas concupiscitur, verba sunt delictorum, etc. II, 545. Vita longa, longa infirmitas. V, 493; VI, 329. Fac ut bona sit, et noli timere ne brevis sit. V, 122. Vita ametur, sed bona. V, 1360, 1362. Vita si longa erit, ipsa longa bona sit. V, 245, 513. Vita si longa erit, melius bona erit. V, 513. Si male vivere volueris, longa vita non erit verum bonum, sed erit longum malum. V, 122. Vita præsens, nox. III, 1654, 1655. Quid est diu vivere, nisi diu torqueri? V, 520. Nox est quamdiu ista vita agitur. IV, 973, 1147, 1792. Vita præsens mare appellatur. III, 772. Vita sæcularis, abyssus. IV, 874. Vitæ incertus finis. V, 76, 1111. Vita ista mortalis cur vita incerta a Cœlestio appellata. X, 395. Agamus Deo gratias, quia vitæ hujus ultimum diem et brevem esse voluit et incertum. V, 688. Non curandum quam cito, vel quo mortis genere vita ista finiatur. VII, 25. Non est magnum diu vivere, aut semper vivere; sed magnum est beate vivere. V, 706.

Vita. Bene vivere quid. V, 1106. Uno nomine Latini appellant vitam sive qua vivit, sive qua dicitur homo esse bonæ vitæ, Græci duobus. VIII, 410. Vita non potest esse bona aut mala ante nativitatem. III, 345. Duplex vita hominis. II, 539, 540. Vita et mors spiritalis. III, 1576, 1577. Spiritalis quæ. III, 1547. Vita hominis ante Legem, sub Lege, sub gratia. III, 2138, 2139. Vita humani generis duplex; una secundum corpus ante Christum, altera secundum animam post Christi adventum. IV, 90, 91. Vita vetus et vita nova, vita mortalis et vita vitalis. IV, 1149. Vita nova resurrectione Christi significata est. IV, 340. Spiritalis et corporalis vita informis quænam. III. 247. Vita fidelium quæ in hac carne ducitur, in comparatione vitæ infidelis atque impiæ lux et dies appellari potest. III, 312. In comparatione autem vitæ beatæ nox est. III, 312, 313. Illa est vita hominum, ubi est lumen verum. III, 837. Vita intellectualis, nisi ad Creatorem illuminanda converteretur, fluitaret informiter. III, 253.

Vita bona quomodo instituenda. IV, 811, 812. Vita bona et honesta non aliunde formatur, quam cum ea quæ diligenda sunt, quemadmodum diligenda sunt, diliguntur. II, 524. Nihil aliud curæ esse debet quomodo vivatur, nisi ut quod amandum est eligatur. V, 585. Fides quæ per dilectionem operatur, ipsa est bona vita. VI, 224. Bene vivere est toto corde, tota mente, tota anima Deum diligere. I, 1330. Vitæ regula, utriusque Testamenti auctoritate roborata, quæ. I, 1329. Vita animæ, currere ad fontem vitæ, ut in lumine Dei videat lumen. V, 1059. Vita sub Deo, vita cum Deo, vita de Deo, vita Deus ipse: talis nobis æterna promittitur. V, 1563. Vita animarum, et tamquam vita vitarum justitia. II, 461. Recte vivit, qui judicium et justitiam facit. VII, 531. Bona vita tamquam stilus est, bonum quod auditur scribens in corde. IV, 1216. Homo dicitur qui secundum hominem vivit; Deus qui secundum Deum. V, 589. Vivere secundum Deum quid. VII, 407. Quid secundum hominem. VII, 407. Vivere secundum hominem idem est ac vivere secundum carnem. VI, 355. Vita carnalis non ex corporis tantum, sed ex animi vitiis intelligenda. VII, 405. Vita et mors tum corporis tum animæ, unde. X, 113. Falsa est vita impiorum; neque vivunt, sed vivere sibi videntur. IV, 690 Vita prodiga, quæ. II, 1344. Vita in peccatis in comparatione justæ vitæ, mors appellatur. VIII, 100. Vita mala Deum blasphemat. IV, 1899, 1900. Non solum non est mitior causa eorum, qui scientes, quam qui nescientes vitam nequissimam ducunt, verum etiam hoc ipso est gravior. VI, 227. Vita nostra dilectio est, mors odium. IV, 633, 635. Vita cordis in quo sit. II, 561, 565. Vita corporis an

ma, vita animæ Deus. IV, 893; V, 415, 428, 855, 880, 975, 1059. Si vivat anima secundum carnem, aut etiam secundum se, deficit. V, 855. Quis secundum carnem, quis secundum animam, quis secundum Deum vivat. V, 855. Vita deformis est, ubi virtus servit dominæ voluptati. VII, 322. Recte vivit, qui obtemperat præcipienti Deo. VII, 551. Vivat quisque non sibi, sed Christo; faciens non suam, sed ipsius voluntatem. II, 569. Ad bene vivendum quotidianis periculis commovemur. V, 136. Volens bene vivere plus attendit promissa et minas Dei, quam hujus mundi. V, 201. Vita cito emendanda. V, 75, 511. Homines bona volunt habere omnia præter vitam. V, 122, 140, 512, 1482. Si bene vivimus, et mortui sumus et resurreximus. V, 1105. Qui male vivit, non vivit: moriatur, ne moriatur; id est, mutetur, ne damnetur. V, 1105. Vitæ hujus pœnitere nos debet, quia corruptioni et tentationibus obnoxia est. V, 1557.

Vitæ spiritalis tentationes. II, 352, 353. Vitæ hujus pericula et sollicitudo. V, 1191. Solos divites vere vivere pauperes existimant. IV, 550. Vitam non ponunt mundi amatores, nisi delicias quotidianas. IV, 561. Vita pauperis in æternum, labor in finem: vita divitis in finem, labor in æternum. IV, 550, 561. Vitæ hujus dies, tribulationis dies sunt, sive in molestia, sive in prosperitate, totum timendum et gemendum est. IV, 1863, 1864. Vita ista, quacumque prosperitate fulgeat, tribulatio est ei qui amat alteram vitam. IV, 1781. Cum æstas est, id est prosperitas vitæ, colligere sibi debet homo quo recreetur cum hyems venerit. IV, 804, 805. Muscipula in persecutione erat dulcedo vitæ hujus. IV, 1647, 1850. Cogitatio rerum necessariarum ad vitam oculum sordidat et cor duplicat. III, 1288, 1291. Vitæ necessaria quo animo sumenda. III, 1292. Exceptis alimentis perspicuis, quibus extrinsecus sustinemur, occulto quodam opere beneficentiæ suæ operatur Deus ut vivat homo. X, 731.

Vitæ genus triplex, otiosum, negotiosum, et ex utroque temperatum. VII, 625, 624, 647. In quolibet vitæ genere, salva fide quisque vitam agere, et ad præmia æterna pervenire potest. VII, 647. Interest tantum quid amore teneat veritatis, quid officio caritatis impendat. VII, 647. Vita hominum aliquid administrans cognitione et actione fulcitur. VI, 43. Vitæ duæ in Martha et Maria adumbratæ. V, 1188. Vitæ activæ et contemplativæ proprietates. III, 1045, 1046. Vita socialis quæ. VII, 627. Vita socialis est sapientis. VII, 631. Vita communis. VI, 423. Vitæ communis exemplum in primis Christianis. V, 1569. Quomodo vis hominibus innotescere, etiam præter oculos hominum sic vive. V, 716. Vitam evangelicam sectanti qualiter vivendum cum minus perfectis. II, 352. Vitæ bonæ odor aliis est in vitam, aliis in mortem. III, 1760, 1761.

Vita bona de Deo in nobis est, non de nobis. III, 1579. Vivere bene donum est divinum. X, 205, 242. Bene vivendi potestas non datur libero arbitrio, sed gratia Dei. X, 552. Homo etiam perfectissime justificatus, nisi æternæ luce justitiæ divinitus adjuvetur, recte non potest vivere. X, 260. In homine ipso, nisi præcedat fides, vita bona sequi non poterit. VI, 204. Recte vivere et bene operari, nisi justificatus ex fide nemo potest. VI, 126. Vita bona et honesta, si non est ex fide, inutilis est. III, 1720. Ambulamus; et ipsum vivere, accedere est. V, 658. Vitæ instituendæ præcepta dii non dederunt. VII, 64, 69, 70, 74. Qui a Deo accepit bene vivere, sic ei gratias agat, ut non insultet his qui nondum bene vivunt. V, 91.

Vitæ bonæ merces terrena non requirenda. V, 136. Vitam bonam non potest sequi mors mala. VI, 676. Vita nostra duplex, sempiterna et temporalis. IV, 725; VI, 515. In eos qui de vita altera dubitant. V, 1581. Et qui sic vivendum hic decernunt, quasi post mortem supersit nihil. V, 1601. Vita æterna fide credenda. V, 1196. Vitæ æternæ fides adstruitur ex morte Filii Dei. IV, 1942. Incredibilius est quod mortuus est æternus, quam ut in æternum vivat mortalis. IV, 1942. Vitæ æternæ testimonia ex veteribus libris. VIII, 368. Vitam manere post mortem visione duplici edocetur pius medicus. II, 699, 700.

Vita si amatur, quare non quæritur vera? VI, 668. Vita si diligitur, ibi adquiratur, ubi nulla morte finitur. II, 486. Vita et dies boni, ubi. V, 122, 634, 635, 1014. Vita hic non est. VI, 676. Vita sine ullo additamento, sola vita æterna est et beata. IV, 1555. Vita beata, sola vita dicenda est. VII, 666. Vita vera non est, nisi quæ æterna et beata. III, 1575; V, 519, 1402, 1403. Vita præsens in comparatione vitæ æternæ, non vita, sed mors deputanda. II, 225; IV, 1555. Deus miscet amaritudines delectationibus etiam innocentibus, ut amorem non habeamus, nisi vitæ æternæ. IV, 458, 1795. Ad vitam æternam continuo suspirandum. III, 1474. Quanto desiderio ad eam Propheta suspirabat. III, 1404, 1405. Vitam æternam quantum homines negligant præ vita temporali. III, 1747. Vita æterna semper animo sibi proponenda. III, 1640. Quantum amanda. V, 519, 706, 1585, 1587, 1515, 1515. In futuram vitam esse debet Christianorum intentio. V, 1196, 1650. Tota vita Christiani boni, sanctum desiderium est. III, 2008. Vitam æternam petere non desinamus, donec ad eam perveniamus. IV, 206. Vitam beatam omnes volunt. V, 1401. Non in tempore utiliter vivitur, nisi ad comparandum meritum, quo in æternitate vivatur. II, 499. Ad illam unam vitam, qua cum Deo et de Deo vivitur, cætera quæ utiliter et decenter optantur, sine dubio referenda sunt. II, 499. Propter hanc quam quisque diligit vitam, putat omnia esse facienda. VI, 515. Et sufficientia et incolumitas vel propria vel amicorum, quamdiu temporalis est, pro æternæ vitæ adeptione abjicienda est. II, 499. In eos qui temporalis vitæ amore perdunt vitam æternam. V, 1515. Propter vitam æternam non toleratur, quod propter idolum tolerarunt Israelitæ. III, 644. *Vide* Beatitudo.

Vita præsens tempus operandi salutem. III, 1716. Vita præsens tempus misericordiæ; post mortem tempus judicii. III, 1782. Qualis exieris ex hac vita, talis redderis illi vitæ. IV, 561. Vitæ futuræ idoneus esse nemo potest, qui se ad illam non exercuerit. IV, 1937. Vita æterna soli illi fidei promittenda est, quæ per dilectionem operatur. VI, 250. Ad palmam vitæ æternæ quatenus currendum. X, 501, 502. Vitæ æternæ merces nulli redditur, nisi qui ejus in hac vita meritum sibi comparaverit. X, 299. Nihil post hanc vitam cuiquam præstabitur, quod sibi præstandum in hac vita non comparaverit. VIII, 513. Vita ista temporalis quomodo agenda, ut perveniatur ad æternam. II, 554. Omnia etiam necessaria pro vita transitoria contemnere, et pro æterna vita nolle superflua contemnere indignum est. II, 484, 485. Vita peritura redimitur omnibus bonis. V, 1514, 1518. Vita præsens spe futuræ vitæ contemnenda. V, 1517. Vitam temporalem pro æterna vita proximi amittere, non dubitare debet Christianus. VI, 495. Vitæ præsentis tempus, seu medium inter baptisma et regnum cœlorum, tempus orationis est. X, 336. Vita præsens in re laboris, sed in spe quietis; in carne vetustatis, sed in fide novitatis. II, 217. Vitæ hujus nox patientiam quærit, lætitiam dominabit dies. IV, 1855. Vita nulla est sine tribus affectibus credendi, sperandi, amandi. V, 1024. Tanto tolerabilius peregrinationem nostram sustinemus et ardentius finire cupimus, quanto fruimur Deo, vel per speculum vel in ænigmate. III, 31. Vita nostra modo spes est, postea æternitas erit. IV, 1372. Vita sequatur, quo spes præcedit. IV, 1774. Vita vitæ mortalis, spes est vitæ immortalis. IV, 1389. Vita temporalis est in fide, vita æterna erit in specie. III, 1727. Ibi videbimus quod credimus. VI, 345. Visio Dei. V, 34, 712. Visio Dei in forma Dei. III, 1572, 1573.

Vita æterna, quæ. VII, 195. Vita æterna nulla alia esse potest præter regnum Dei. X, 117, 118, 715. Vitam beatam non esse in lætitia sensibilium, satis exploratum est. II, 65. Vita æterna, ipse Deus est. V, 1588. Vita æterna cum Deo, de Deo et in Deo vivemus. V, 652. Vita æterna Christus. X, 175. Vita beata erit de Verbo sine verbo. V, 925. Vita æterna est totum præmium, cujus promissione gaudemus; estque ipsa cognitio veritatis. I, 1551. Vita æterna, veritatis contemplatio. V, 1633. Vita animæ beatæ, veritas. VII, 240. Vitæ æternæ felicitas. V, 155, 815, 1050; 651, 660, 686. Pretium. V, 707, 1518. Bona. V, 707, 711. Vita æterna Sanctorum. VI, 342, 345, 347. Sanctorum exaltatio, vita æterna est. IV, 1589. Vitæ æternæ laus. III, 1647. In vita æterna nihil latebit proximum in proximo. II, 518. Inest in quiete patriæ non desidiosa segnitia, sed quædam ineffabilis tranquillitas actionis otiosæ. II, 212. In vita æterna nec operosa erit actio, nec requies desidiosa. VI, 345. Tunc caritatis sine fine quietum opus erit, laudare quod amat, amare quod laudat. II, 566. In vita æterna nec fastidium, nec fames erit. III, 1405. Sed justitiæ pacis, et gaudii perfectio. X, 632. *Vide* Perfectio. In altera vita satiabitur in bonis desiderium justorum. III, 1808. In futura vita nullum erit peccatum, nec ullus cum aliqua peccati cupiditate conflictus. X, 600. Nulla erit concupiscentia cum qua certare, et cui non consentire jubeamur. X, 155.

Vita beata non est, nisi æterna sit. V, 1402. Cui non datur semper vivere, quid prodest bene vivere? III, 1720. In altera vita mortem nec natura sollicite cavet, nec ignavia turpiter timet, nec sapientia fortiter sustinet. II, 484. In justis perficietur post hanc vitam, quod in hac vita habes diligunt. III, 168. Similiter et in injustis. III, 168. Vitæ æternæ dies, unus dies est sine occasu. IV, 202. Dierum longitudo, vita æterna. IV, 1169. Vita hominis longissima nimil est ad æternitatem Dei comparata. IV, 1176. Vita æterna in requie ante resurrectionem. III, 1614. Vitam æternam simul accepturi sunt homines. III, 1751, 1752. Vitæ æternæ salus omnibus simul in fine redditur. IV, 112. Qui prior ad stadii terminum venerit, exspectat ut cum posteriore coronetur. IV 441.

Vita æterna gratia nuncupatur. II, 881. Vita æterna, gratia pro gratia. X, 893. Redditur tamen tamquam debita. III, 1400, 1401. Vita æterna laboris merces. V 422. Denarius quem singuli accipient. III, 1812. Sicut merito peccati tamquam stipendium redditur mors, ita merito justitiæ tamquam stipendium vita æterna. II, 881. Vita æterna merces est, et tamen gratia. VI, 282. Quomodo et merces sit et gratia. X, 892, 942. Vita æterna nuncupatur gratia, non quia non meritis datur, sed quia data sunt et ipsa merita. II, 881. Vita æterna justitiæ quidem stipendium est, sed tibi gratia est, cui gratia est et ipsa justitia. II, 881. Vita beata omnium est communis possessio. V, 1401. Vita æterna par omnibus, sed non par honor. V, 1507. Vita æterna beati omnes æquales erunt, etsi non in æquali claritate. V, 553. In vita æterna diversa erit gloria pro diversitate meritorum. III, 1812. Quod habebunt singuli, commune erit omnibus. III, 1812. Invidia non erit. III, 1812. Vitæ hujus tempore similes apparent boni et mali, vita bonorum in radice abscondita est, sed æstas discernet. IV, 1947. Vita præsens quadragenario numero significatur, vita futura quinquagenario. IV, 1463.

Vitæ beatæ via latuit philosophos, lateret et nos, nisi ipsa ad nos venisset. V, 814. Ad vitam æternam nemo perveniet, nisi renascatur in Christo. X, 121, 122. Præter baptismum et participationem Dominicæ mensæ non pervenit quisquam ad vitam æternam. X, 128. Vita æterna, fructus Eucharistiæ. III, 1613. Parvuli qui carnem Christi non manducaverunt, vitam æternam non consequentur; ex Innoc. II, 785, 826. Vita æterna et caritas, munus hæreditatis filiorum promissionis. III, 566. Hyacinthinis pellibus significatur. III, 633. De vita æterna nemo securus in hac vita. X, 1051. A vita æterna hominem nisi peccata non separant. X, 129, 141. Pravorum morum flatibus homines a Patria repercutiuntur. III, 23. Occulto judicio Dei fit, ut ex rudioribus et simplicioribus plures ad vitam æternam perveniant, quam ex doctis. II, 744. Vitæ æternæ arra, Spiritus sanctus. V, 1673. Vita nostra futura jam in Christo capite nostro completa est. VIII, 249. Vitam nostram futuram jam in Christo completam ita spe certa meditatur Apostolus, tamquam jam adsit. VIII, 249, 250. Vita æterna a solo Deo dari potest. VII, 193, 194. A diis frustra petitur. VII, 173, 183, 187, 189.

*Vitalis* homo in Carthaginensi eruditus ecclesia. II, 979. Docet fidei initium non esse donum Dei. II, 978. Quomodo eum ad rectam fidem adducere conatur August. II, 978. Vitalis hoc solo reprehenditur, quod initium fidei velit non esse donum Dei, sed nos ex nobis habere. II, 989. Cætera religiosæ vitæ bona Deum per gratiam suam jam ex fide petentibus, quærentibus, pulsantibus donare consentit. II, 989. In eoque ipsi et Augustino communis est contra Pelagianos conflictus. II, 988. Vitalem non credit Augustinus hæreticum Pelagianum. II, 987.

Vitiosi bene viventibus insultant. IV, 1151, 1152.

Vitium dicitur quod est contra naturam. I, 610, 1290. Vitium naturæ inest, sed vitium natura non est. X, 370. Vitia substantiarum atque naturarum substantias atque naturas esse dicunt Manichæi. X, 1085. Et putavit Manichæus. X, 1453. Vitium non est natura. X, 1159. Non est natura nec substantia. X, 1523, 1537. Sed contra naturam. X, 1124. Sed naturæ inimicum. V, 986. Vitium non ita contra naturam est, ut naturæ deleat etiam extrema vestigia. VII, 639. Vitium naturam bonam testatur. VII, 349, 350, 351, 352. Vitium non potest esse nisi in natura creata. VII, 418, 421. In vitio nihil aliud displicet, nisi quia detrahit vel minuit, quod in natura placet. X, 743. Vitium contrarium est Deo. VII, 350. Vitium esse, et non nocere, non potest. VII, 351, 355. Vitium quomodo nocet naturæ. VII, 351. Vitium est qualitas secundum quam malus est animus. X, 294. Vitia corporibus innata quædam et per curam sublata. X, 1313.

Vitiorum causam prodire ex carne, sentire videntur Platonici. VII, 405. An diabolus, qui carnem non habet, sit a vitiis immunis. VII, 405, 406. Vitium hominis, natura est pecoris. X, 408. Vitia animorum, naturalium sunt privationes bonorum. VI, 236. Vitia etiam animi, non tamen omnia, carni tribuenda. VII, 405, 406. Carni adscribuntur. VII, 405, 406. Vitium animi est defectus inter intelligibilia non numerandus. VIII, 98 Vitiorum nostrorum Deus non est auctor, bene tamen ordinator. III, 229. Vitia congenita non tribuenda opificio Dei, sed judicio. X, 1427. Vitium animæ nihil est aliud quam peccatum et pœna peccati. III, 141. Vitiorum naturalium causa, peccatum originale. X, 1429. Vitium quod omnia naturalia bona contenebrat et infirmat, ex peccato originali contractum est. X, 249. Vitium originis est tamquam valetudo mala. X, 855. Vitium originale est in semine. X, 833, 834. Vitium propagat vitium. X, 1167. Diabolus auctor vitiorum, non sineretur naturam rationalem vitiare, nisi esset originale peccatum. X, 1421.

Vitia nostra non divino operi, sed humanæ voluntati, justæque illius vindictæ tribuenda. X, 266. Vitiorum origo est a voluntate hominis. III, 605. Primum vitium animæ rationalis, est voluntas ea faciendi, quæ vetat summa veritas. III, 138. Vitium est fruendis uti, et utendis frui. VI, 19. Vitium creaturæ rationalis, aversio ejus ab incommutabili bono. II, 561, 571. Vitium, fomes quidam et quasi radix peccati. II, 757.

*Avitus* presbyter. X, 1700. Hispanus genere. VII, 805, *Not.* (*a*). Auctor est Luciano, ut notum faciat qui corpus S. Stephani sibi revelatum sit. VII, 807. Luciani epistolam ipsomet dictante græce excipit, et latine vertit. VII, 807. Aviti presbyteri epistola de reliquiis S. Stephani. VII, 805.

*Aurelianus* Consul. IX, 808.

Aureola martyrii. II, 1125. Aureolæ virginum et Doctorum. II, 1125.

*Aurelius*. IX, 781, 816, 821, 827; X, 1692, 1697. Columna Ecclesiæ. X, 1697. Africanis Conciliis dux. X, 1685. Carthaginensi Concilio præest. IX, 808, 809, 810, 813; X, 1728, 1730. Ac primus subscribit. IX, 827. Aurelius et Augustinus deprehenderunt Pelagii hæresim. X, 1684. Aurelio mandat Augustinus Palæstinæ synodi gesta. X, 1684. Aurelii epistola an. CCCCXIX data. X, 1731.

Auriga. II, 1109; V, 1813.

Aurum malus dominus, proditor servus. V, 1933. Cur a natura abstrusum. V, 1933. Auri damnandus usus, non natura. V, 1933. Magis prodest cum contemnitur. V, 1933. Ad possessionem ejus non omnes idonei; idonei omnes ad ejus contemptum. V, 1933.

Autumni. IX, 781.

*Auxentius* vir miræ scientiæ. II, 1157.

*Auxonius* Galliarum episc. X, 1755.

Auxilium Dei dilatum, sed non negatum tribulationem patientibus. X, 1878.

# B.

*Babbutius*. IX, 791.

*Babylonia* confusio interpretatur. III, 2443. Malos adumbrat, ut Jerusalem sanctos. III, 2443. In una ecclesia simul sunt Babylonii cum Jerosolymitanis. III, 2444. Babylonica expugnatio sub Cyro. III, 2172.

*Bactra*, civitas Parthiæ. I, 1394.

*Bagaiæ* multus Christianorum sanguis effusus. IX. 858. Bagaiensis Concilii an CCCXCIV sententia contra Maximianum. IX, 807.

*Balaam* interpretatur populus vanus. V, 1810. Erat propheta gentilis. III, 2173. Hariolus. III, 2245. Magica arte famosissimus. V, 1809. Sic de Deo quasi homine judicavit. III, 2245. Potestas ejus ad maledicendum, non ad benedicendum erat. V, 1809. Dæmones vidit, non Angelum. V, 1810. Unde asina ei locuta sit. III, 2173.

*Balac* exclusio vel devoratio interpretatur V, 1810.

Balaudi consuetudo de Paganorum observatione remansit. V, 2239, 2241.

Baptismi nostri similitudo fuit diluvium. V, 2028. Baptismi figura in aquis, quæ super et quæ infra cœlos, diluvio erumpentibus III, 2157. Baptismus fuit Noe et filiis aqua diluvii. X, 1633. Baptismata sub Lege diversa. V, 2013. Baptismus Joannis crimina non delet. V, 2010. Modo amplificatus est, non evacuatus. III, 2399. Quare susceptus a Christo. III, 2195, 2249, 2250. Baptismo suo Jesus Jordanem consecravit. V, 1812, 1833. Tunc Jordanis totis, si potuisset, voluit undis congregari, ut corpus Domini attingeret. V, 2016. Baptismo Christi aquæ nostro baptismati consecratæ. V, 2010, 2011, 2012, 2014, 2015. Baptizati sumus in baptismo Christi antequam nati. V, 2015. Baptismus Christi opus est Trinitatis. X, 1633.

Baptismus vocatur sacramentum mortis et resurrectionis Christi. X, 1845. Sacramentum fidei et pœnitentiæ. VI, 775. Signum est evictæ mortis. III, 2275. Futuræ resurrectionis imago. V, 2070. Baptismus Christi nobis est sepultura. V, 1902.

Baptismi necessitas. V, 1814; VI, 810; VII, 842; X, 1784. Baptizatis tantum iter salutis. VIII, 1220. Catechumenis, quamvis in bonis operibus defunctis, martyrio excepto, vita negatur æterna. VIII, 1220. Baptizandorum et martyrum comparatio. VIII, 1220. Baptismi necessitas totius humani generis ruinam arguit. X, 1813. Baptismi necessitatem generatim profitentur Pelagianæ doctrinæ fautores. X, 1733. Ac speciatim quasdam damnant sententias ei contrarias. X, 1735. Baptizant Pelagiani etiam parvulos in remissionem peccatorum, cur et qua fide. X, 1646. Baptismum parvulis ad salutem necessarium negarunt Pelagiani; Cœlestius confessus est illos per eum redimi. X, 1712. Hoc peculiatum est negare. X, 1714. Quatenus Cœle-

stus baptisma parvulis in remissionem peccatorum conferendum esse putet. X, 1719. Baptizandos negans parvulos, damnatur. X, 1728. Cur baptizentur. X, 1728. Baptizantur parvuli non tantum propter regnum cœlorum, aut ut adoptionem filiorum mereantur. X, 1772. Sed ne a morte secunda teneantur. III, 2275. Tartarum inferni non evadit, nisi qui signum hoc acceperit. X, 2275. Baptismus confertur in remissionem peccatorum. X, 1708, 1728, 1769, 1772. Recentibus natis. X, 1769, 1772. Baptismi necessitas : et quando incœperit. VI, 767, 775.

Baptismatis forma. X, 1728. In baptismi traditione solemni verbo concordant hæretici omnes. IX, 765. Baptizant Paganus, Judæus, Sadducæus et alii; sed unum est baptisma verum quod Christi; et illud Christi, quod Patris et Filii et Spiritus sancti. IX, 765. Quisquis in Christi nomine tingnitur, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptizatur. X, 1655. Nullus est sanctorum, qui post Trinitatem rebaptizet. IX, 766. Baptizati apud Donatistas non debent iterum baptizari. IX, 764. Sed ordine antiquo per manus impositionem recipi. IX, 809. An ordinare liceat qui infantes apud eos baptizati fuerant, IX, 809. Baptisma Ecclesiæ et hæreticorum, qui in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptizant, unum est. VI, 750; VIII, 1217. Idcirco eos Ecclesia non rebaptizat, quia in nomine Trinitatis baptizati sunt. VI, 750. Ipsa est forma sacramenti. VI, 750. Reversi accipiunt virtutem Spiritus sancti, quem foris non acceperunt. VI, 750. Ei qui foris baptismum accepit, ad Ecclesiam veniendum, non ut quod deerat adsit, sed ut quod inerat prosit. IX, 826, 837. Baptismum in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti ubilibet est integrum, sed non prodest nisi intra Ecclesiam. VI, 767, 776. Extra, cumulat perniciem. VI, 776. Baptismus hominis inviti aut ficti valet cum pœnituerit. VI, 1119. Baptizetur hæreticus, si interrogatus Symbolum, non responderit Trinitatem. IX, 787. Sin autem responderit, tantum manus ei imponatur. IX, 787. Hæretici, quorum baptisma nullum est. VIII, 1217.

Baptismalis aquæ virtus. VI, 1209. Baptismi effectus præmonstrati in matrimoniis Patriarcharum. V, 1754, 1762. In baptismo Christi. III, 2195, 2249. Transitu maris rubri. V, 1791, 1955. Omnia et sola peccata in hoc lavacro faciunt naufragium. V, 1791. Baptismi virtus in mundatione Naaman præsignata. V, 1833. Baptizati omnes nascuntur infantes, sive juvenes sint sive senes. V, 1853. Baptizatorum natura mutata. VI, 1203. Baptismo abluuntur omnis peccatorum reatus. VI, 749. Baptizando per fidem Ecclesiæ remittuntur peccata quæ contraxit in origine. VI, 1119. Baptismo omni homini credenti auferuntur tam propria peccata, quam originale. X, 1854, 1841. Disrumpitur originalis peccati vinculum, et amissa recipitur adoptio filiorum. X, 1784. Baptismo animam a peccatis abluit Spiritus, qui operatur ut fides sit. III, 2254. Baptismi ratio spiritalis, non terrena. III, 2254. Baptismi mira gratia in parvulis et in iis qui in ipso exhalandi spiritus fine illum recipiunt. X, 1800. Baptismus in omnibus eamdem plenitudinem tenet. X, 1750. Baptismo dicitur bibi poculum immortalitatis, confectum de infirmitate nostra et virtute divina. X, 1844. De baptismo egredienti janua cœli aperitur. V, 2015. Baptismi ad finem vitæ dilatio. III, 2576. Baptismum qui differunt, donum Dei nesciunt. V, 1925. Baptismo caro nostra fit terra viventium, quæ ante terra erat morientium. V, 1741. Eo deletur iniquitas, sed non plene sanatur infirmitas. I, 1465. Baptismatis etiam gratia renovatus quotidiano Dei eget auxilio ad vincendas carnis concupiscentias. X, 1757.

Baptismus a presbytero confertur. VII, 842. Nicodemo ab Apostolis fuit collatus. VII, 809, 811. Baptismi mysteria Catechumenis non explicantur nisi post baptismum. VI, 1207. Baptizandorum exercitia. VI, 1205. Baptizandi parvuli statim incipiente Quadragesima legitimo ordine offeruntur. V, 1751. Tardius offerunt matres, ne cum ipsis ad vigilias venire teneantur. V, 1751. Baptizandi per Quadragesimæ jejunium præparantur. V, 2033. Baptismus sine pœnitentia nulli profuit, qui peccavit spontaneus. VI, 1119. Baptizandi catechizantur et exsufflantur. X, 1656, 1759. Ut exsufflationibus et exorcismis immundus spiritus ab eis abigatur. X, 1759. Baptismi fontem nemo adit, nisi exorcismis clericorum immundus spiritus ab eo abigatur. X, 1759.

Baptizandi chrisma et oleum benedictionis accipiunt. V, 1828. Cur oleo benedicto unctæ aures et nares. VI, 1207. Post unctionem aurium censentur in numero auditorum spiritalium. VI, 1208. Baptizandi interrogantur de fide Trinitatis. VI. 1209. Interrogati utrum abrenuntiemus diabolo, pompis et operibus ejus, abrenuntiaturos nos respondemus. V, 2534, 2535. Infantium ea de re parentes fide jussores sunt. V, 2535. In hoc sacramento et qui excipiunt, et qui excipiuntur, pactum cum Christo conscribunt. V, 2243, 2535. Pactum hoc quale sit, VI, 1169, 1209. In baptismo promissio facta pedes hospitibus abluendi. V, 2220. 3. Susceptores vocantur patres, et suscepti filii. V, 2071, 2243. Susceptorum munus. V, 2071, 2258, 2245. Baptizandus vel aspergitur aqua, vel intinguitur. VIII, 1220. In signo crucis in aqua submergitur. VI, 1115. Trina seil. mersione. V, 1791, 1825. Trina capitis mersio in sacro fonte quid significet. VI, 1211. Baptizatus simul et impositione manus accipit Spiritum sanctum, et Eucharistiæ communicat. VIII, 1220. Præstantur ei mel ac panis cœlestis. V, 1955. Baptismo impleto caput chrismate infunditur : quo mysterio. VI, 1211. Recens baptizati sumunt candidam vestem. V, 2070. Pedes eis abluuntur. VI, 1211.

Baptisma unum est. VI, 750; VIII, 1217. Neque est iterandum. VI, 767, 776, 779. Cur non iterandum. VI, 1115. Iterari non potest, sicut nec matris uterus repeti. X, 1888. Baptismum iterare, vocatur exorcizare fideles, et exorcizare Spiritum sanctum. IX, 804. Baptisma iterantes significantur cauda illa, quæ stellas cœli dejecit in terram. III, 2434. Baptismum iterare cogentibus Arianis Catholici quomodo repugnent. VIII, 1115, 1129. Hunc illi exsufflant. VIII, 1129. In rebaptizantes Valentiniani senioris constitutio. IX 805. Altera Gratiani. IX, 806. Baptismata duo esse apud Pelagianos. X, 1656.

Baptismus ut non iteratur, ita nec peccata repetenda. VI, 1211, 1212. Baptizatis quid timendum, si segnes sint. V, 1742. Non probantur qui in die mortis optant inveniri, quales de baptismo processerunt. V, 2232. Baptismo non condigne utitur, ideoque damnabitur, qui veterem hominem non deponit. X, 1781. Baptismum sibi non periisse nequidquam confidit, qui pactum non custodivit. V, 2336. Baptismi sacramentum perdit, qui magos consulit. VI, 1172. Aut superstitiosa exercet. V, 2240, 2269.

Baptismum secundum. VI, 1066.

Baptisterii basilica. VII, 810.

*Barbaria*. II, 1160.

Barbaricæ depopulationis descriptio. V, 2515.

Barones. VI, 1531, 1555.

*Bartholomæus* pellem perdidit. VI, 882.

Basilicæ Sanctorum nominibus appellatæ. VIII, 1219. Basilicarum plateæ, atria, porticus, secretaria litigantibus aut garrulis hominibus abundant. V, 2279. Irreverentia eorum, qui in ecclesia otiosis fabulis vacant. V, 2278, 2281. Aut immodeste se gerunt. V, 2277.

*Basiliscus* subdiaconus. X, 1725.

*Basilii* Cæsariensis locus ex Oratione sacri altaris, quam pene universus Oriens frequentat. X, 1775

*Bassus* Consul. IX, 815.

*Bathanus*. III, 2152.

Beatitudo hic parari potest, possideri non potest. V, 2159. Beatitudo naturæ impassibilis et naturæ passibilis qui differat. III, 2526. Beatitudinis et æternitatis donum Angeli et homines in ipsa naturæ rationalis creatione divinitus acceperunt. VI, 765. Beatitudinis capaces nos Deus mera bonitate, et ad eam degustandam aptos amoris dono effecit. VI, 845. Beatus est qui vivit ut vult. VI, 725. Beatitudini propior est voluntas recta etiam non adepta quod cupit, quam prava etiamsi quod cupit obtinuit. X, 1864. Beatificare animam nulla res potest præter justitiam. VI, 829.

Beata vita est cognitio divinitatis. V, 2524. Est gaudium de veritate. X, 1874. Beata vita si non amatur, non habetur. X, 1872. Beatæ vitæ dulcedinem lectio inquirit, meditatio invenit, oratio postulat, contemplatio degustat. VI, 997. Beatitudo Sanctorum post hanc vitam. V, 1964; VI, 807, 894, 1105, 1184, 1186. Hæc et de munere gratiæ est, et de retributione justitiæ. X, 1861. Quibus sit concedenda. X, 1892. Sanctis post vitæ hujus decursum est donata. V, 1876, 1877, 1878. Hac jam gaudet Hieronymus. II, 1130. Gaudet et Vincentius. V, 2097. *Vide* Anima, Cœlum.

Beatorum gaudium quantum et unde futurum sit. V, 1898. Non de sensibilibus, sed de summo bono gaudebunt. VI, 1050. Beatorum gaudium ex amore, amor ex notitia Dei. VI, 967. Beatorum cibus, potus, et scientia. VI, 995, 996. Beatorum gloria Dei visio. II, 1125, 1150. Ex Dei visione delectabiliter impressa erit sitis simulque satietas. VI, 980. Beati avidi et semper pleni, quod habent desiderant. VI 920, 921. De felicitatis suæ æternitate certi. VI, 828, 861. Ac in quantum unicuique Deus dederit, perfecte ac stabiliter boni. VI, 775. Tripliciter Deo fruentur. VI, 829. Beatorum indumenta, eorum merita. V, 2250. Iis vestitus convertetur in corpus, nec jam erit habitus, sed natura. V, 2251.

Beatorum quædam communis, quædam specialis gloria. VI, 1050. Inæqualiter Dei visione potientur. X, 1780. Sed etsi graduum diversitate distincti, una erunt beatitudine perfecti. VI, 864. Una omnium erit vita, præmia pro labore diversa. II, 1110; VI, 774; X, 1755. Dispar erit gloria, communis lætitia. VI, 920. Propter caritatem eorum quilibet ita alterius gloria gaudet ut sua. II, 1125. Ac sic in dispari claritate, per gaudium commune fit omnibus, quod habent singuli. X, 1862, 1892. Hinc sua sorte quisque gau-

debit, quia ita esse pulchrum erit et sibi et universo corpori. VI, 994. Beatorum est vera amicitia. VI, 841. Eorum mentes et corda invicem patebunt. VI, 863, 920. Nec latebit aliquid secretorum. VI, 863. Invicem omnes suas cogitationes cognoscent. VI, 994. Se invicem amando, Deum plenius possident. VI, 845. Beatorum corporum dotes ac locus. VI, 830, 1029. Beatorum omnium unum opus. VI, 821. Mutuum gaudium. VI, 822, 828, 994. Negotia ac dotes. VI, 822, 826, 861. Omne opus eorum, laus Dei. VI, 920. Ibi videbimus, amabimus, laudabimus. VI, 896. Beatorum gloria totam Trinitatem et Angelos oblectat. VI, 825. Beatis spectaculum delectabile erit diaboli pœna. VI, 998.

*Beligis* orta hæresis. X, 1751.

Bella præcipua Dei auxilio peracta. III, 2191.

*Bellonæ mons.* IX, 793.

Bene nusquam est homini nisi in Deo. VI, 874, 914. Erit cum nulli bono erit male, et nulli malo bene. V, 2152. Etiam nunc melius est bonis, quam malis. V, 2153.

Benedico. Opus licet mutum hortatur adspicientes se benedicere opificem. III, 2256.

Benedicibilis. V, 1986.

Benedictio sacerdotalis verbis solemnibus ordinata. III, 2525. Benedixit Abraham Melchisedech non per verba, sed per rerum naturam. III, 2525. Benedictio dum populo in fine Missarum datur, humiliato corpore et compuncto corde excipienda est. V, 2277, 2279. Non ab homine, sed per hominem datur. V, 2279, 2284, 2286. Benedictioni corpora et capita inclinare, quotiens clamatum fuerit, non debet esse grave. V, 2284. Hoc clamat diaconus. V, 2286. Benedictionem nuptialem cum sponsa accipere in civitate Rom. non præsumit, qui se virginem non cognoscit. V, 2291, 2293.

*Benedicti* Regula laudatur. I, 1455, 1457; VI, 1004.

Benefacere Deus semper paratus est, sed hominum malitia prohibetur. V, 2267. Beneficum esse in omnes. VI, 1063.

Beneficia Dei recolantur, unde excitetur amor. VI, 940, 943. Eorum memoria munit adversus peccata. V, 2207. Qui ea Christus ingrato sit exprobraturus. V, 2207. Beneficia Dei enucleate recensentur. VI, 847. Beneficia Dei in nos communia, specialia aut singularia. VI, 852. Beneficia Christi in nos. VI, 1054. Quid ille pro iis postulet a nobis. VI, 1055.

Beneficium magnum, pro titulo cui annexus est magnus reditus. VI, 1302.

*Benenatus* legatus contra Donatistas. IX, 815.

Benevolentia lætari potest de Dei in impios vindicta. X, 1879.

*Benjamin.* In parte tribus Benjamin altare fuit in quo immolabantur hostiæ, ad quod Hebræi credunt Jacob respexisse, ubi ait *Benjamin lupus rapax*, etc. alii ad Paulum. III, 2202.

*Berillus* Christi deitati initium tribuit. VIII, 1214.

Beryllus quid significet. VI, 1250.

Bestiis sunt spiritus desituri. VI, 763, 767.

Beta. I, 1390.

Biblinæ epistolæ. X, 1706.

Bibliothecæ Ecclesiæ. IX, 794.

Bibendi post transactum convivium in nominibus non solum vivorum hominum, sed et Angelorum et antiquorum Sanctorum, pravus mos damnatur. V, 2308. Monetur populus, ne bibendo in nominibus nomina sua deleat de cœlo. V, 2275. Conviva ad bibendum ne cogatur. V, 2304, 2306. Nec quis etiam mortis interminatione se cogenti cuiquam cedat. V, 2307.

*Bizacena* provincia. X, 1730, 1731.

*Boethius.* VI, 808.

*Boethus* episc. in Sardinia exsul. X, 1772, 1779.

Bombus pro sono. I, 1412.

*Bonifacius* Papa. X, 1764. Doctissimus. X, 1831. Quid adversus Pelagianos egerit. X, 1831. Augustini de gratia doctrinam commendat. X, 1790. Bonifacii ad Cæsarium Arelat. rescriptum, quo Arausicanam Synodum confirmat. X, 1790. Laudatur. X, 1792.

*Bonifacius* catholicus episc. IX, 816, 827.

*Bonifacius* Ballitanus, schismaticus. IX, 805.

*Bonifacii* Augustino et Augustini Bonifacio prænotatæ plures epistolæ. II, 1095.

*Bonifacius* apparitor. IX, 816.

Bonum cogitanti, discernendum quid diligi et timeri debeat. X, 1879. Bona alia sunt quæ faciant bonum, alia unde fiat bene. V, 2155. Bona quædam non jucunda, et jucunda quædam non bona. VI, 1238. Bonum naturæ humanæ. X, 1885. Bona temporalia quando dat aut tollit Deus, gratiæ agantur. V, 1965. Non pro magno ac vero bono petendum, quod malis ac bestiis datur. V, 1965. Qui terrenorum amore obstringitur, non possidet, sed possidetur. X, 1875. De bonis Ide bene agendum, non alias post mortem hoc dimittendum. V, 2267. Bona mundana, utpote non vera, sunt contemnenda. VI, 1188, 1216. Bonorum temporalium abundantia laboriosa, et egestas copiosa. VI, 874. Bonorum jactura quibus proficiat. V, 1947. Bonæ dicuntur abusive res creatæ, quæ accidentem, non substantialem continent bonitatem. VIII, 1185. Bona in se, majori bono collata, cessant videri bona. V, 1942 Bonitas humana divinæ intuitu dicitur mala. V, 1943. Bona mundi apud inferos mala. V, 2333.

Bona æterna ardentius diliguntur adepta, quam desiderata; secus temporalia. X, 1881. Bona æterna nemo perdit nisi volens. X, 1876. Bona ista sola sunt, quæ sine voluntate non invenimus aliquando, nec perdimus. II, 1107. Hominum ardor semper crescit ad terrena, divitias, scientiam, etc. sæpe frigescit ad cœlestia. II, 1107. Bonorum appetitores difficilius invenias, quam malorum desertores. VI, 1105. Bonum hominis duplex. VI, 791, 819. Nullum ei sufficit præter summum. VI, 790. Bono eodem bonus est homo, quo et Angelus. VI, 790. Bonum nihil est sine summo bono. X, 1868. Bonum summum diu inquisivit, nec invenit mundana sapientia. X, 1817. Bonum summum. X, 1872. Ejus excellentia. VI, 827, 862. Bonum incommutabile, solus Deus. VI, 914. Bona in uno Deo omnia. VI, 966. Bonorum omnium varietas uno Deo veluti uno fonte profunditur. X, 1888.

Bonorum omnium origo, credere in Christum. X, 1774. Bona omnia ad Deum tanquam auctorem referenda. X, 1731, 1757, 1775, 1776, 1808. Bona ad largitorem cooperatoremque eorum Deum, mala ad nostram voluntatem referenda. X, 1840. Ut in bonis motibus nostris nec nostrum desit arbitrium, sed magis valeat Dei auxilium. X, 1808. Boni si quid in te vides, age gratias præparanti quod potes, non propriæ voluntati. X, 1662. Bonus non est fructus, qui non procedit de radice caritatis. X, 1880.

Bonitas ac pietas mentis homines maxime facit Deo amabiles. II, 1112. Bonitatis duplex officium. X, 1866. Bonitatis condimentum est disciplina. V, 1851. Bonitas sine disciplina, delictorum mater est. V, 1849.

Boni cur lateant. X, 1876. Malos quatenus tolerare, et quatenus se ab illis debeant separare. VI, 777.

*Bonosiani.* VIII, 1217.

*Boborilæ.* VIII, 1217.

*Bos* servus publicus. IX, 795.

Bovis simulacrum juxta sepulcrum Joseph positum. III, 2165.

Bracharensis Ecclesia. VII, 805.

*Britanniæ* ab errore Pelagiano primum liberantur Cœlestini cura. X, 1831. Et opera SS. Germani et Lupi. X, 1753. Ac secundo per eumdem Germanum adjuncto sibi Severo. X, 1754. Britannia insula olim Albion appellata. X, 1996. *Not.* 1.

*Britius* Turonensis episcopus per multa Concilia accusatus. X, 1721.

Brutorum vita, quid. VI, 1009.

*Bysacena.* IX, 785.

# C.

Cabarsussitani Concilii epistolæ initium. IX, 807.

*Cæcilianus* Judæorum pater. VII, 820.

*Cæcilianus.* IX, 787. Suffragio totius populi a Felice Autummitano ordinatur episcopus. IX, 776. Cum esset diaconus. IX, 776. Rescriptum Constantini, quo illi ter mille folles a se collatos significat. IX, 777. Cæcilianus dicitur tradidisse, thurificasse, omnia mala commisisse. IX, 772. Deponitur, et ejus loco alius ordinatur episcopus. IX, 795. Illius adversarii unum traditionis crimen in ipsius ordinatorem derivarunt. IX, 776. Cæcilianus mandat, ut si est quod in se probetur, exeat accusator, et probet. IX, 776. Aut si Felix in se nihil contulisset, ipse tanquam adhuc diaconus ordinetur. IX, 776. Brevis auri et argenti senioribus a Mensurio commendati et traditur. IX, 776. Tota civica frequentia cum illo est. IX, 776. Tota Ecclesia cum tenet, ne se latronibus tradat. IX, 776. Libellum duplicem criminum ejus pars Majorini Anulino tradit mittendum Constantino. IX, 778. Constantino placet ut Romam naviget. IX, 778. Cæcilianus Miltiadis judicio absolvitur. IX, 779, 785. Idque Carthagine notum faciunt et confirmant duo episcopi. IX, 784. Brixiæ tamen pro bono pacis retinetur. IX, 784. Sed ad suam urbem properat, ubi Donatum illuc priorem rediisse audivit. IX, 784. Cæciliani ordinator Felix actis proconsularibus purgatur. IX, 780, 827, 841.

Cæcilianus cum aliquibus ex his quos elegerit, ad Synodum Arelatensem convenire præcipitur. IX, 784. Ad Imperatoris comitatum jubetur venire cum adversariis suis. IX, 789. Notum etiam fieri jubet Imperator se in Africam venturum,

ac de negotio ipsius judicaturum. IX, 790 A Constantino, partibus præsentibus, fuit innocens judicatus. IX, 827, 841. Postquam judiciis ecclesiasticis fuerat absolutus. IX, 827. Cæciliani causam episcopi catholici in Collatione Carthag. nolunt deseri. IX, 826. Objecta ei traditionis causa pridem ante Collationem finita. IX, 832. Innocentia ejus fuit purgata seu probata. IX, 793. Cæciliani nomen ad altare recitatur. IX, 832.

Cælibatus in veteri Lege ex errore reus existimatus. III, 2226.

Cæsarius Arelatensis Arausicano Concilio primus subscribit. X, 1790. Ejusdem Synodi decreta litteris datis ad Felicem Papam approbanda mittit. X, 1790. Ad eum Felicis successor Bonifacius rescribit. X, 1790. Quod Arausicæ decretum est, vocatur Cæsarii prosecutio. X, 1792. Cæsarius sinistra suspicione ob doctrinam de gratia laboravit. X, 1792. Sed obtrectatores vicit. X, 1792. Valentinæ Synodo, infirmitate solita detentus, interesse non valuit, sed plures eo misit. X, 1792.

Cæsarius se saltem singulis hebdomadis prædicare innuit. V, 2318. His quibus importunus prædicator videri posset, quid respondeat. V, 2317. Cæsarius a populis præ studio verbi Dei amat inquietari. V, 2318. Quo Scripturæ loco moveatur, ut populo etiam ad importunitatem prædicare non cesset. V, 2321. Sermones ejus vix erant dimidiæ horæ. V, 2284. Cæsarii paterna sollicitudo erga debiles. V, 2319. Cæsarius ubi de caritate loquitur, tacere non potest. V, 1958. Publice se accusat quod vestimenticula sua pauperibus dare neglexerit. V, 2024. Hortatur ut ad Vigilias, ad Tertiam, ad Sextam, ad Nonam fideliter veniatur. V, 1760. Quam ob causam instituerit ut hæ horæ in basilica S. Stephani quotidie cantarentur. V, 1760. *Not.* (*a*). Voluit laicos alta et modulata voce instar clericorum alios græce, alios latine psallere. V, 2282. *Not.* (*b*). Hoc obtinuit tandem, cum plures annos concupiisset. V, 2282. Cæsarius quam moleste ferat, quod Missis nondum absolutis plurimi de ecclesia exeant. V, 2276, 2278. Dolor ipsius, cum in oratione positus, mente rapitur ad occupationes sæculi. V, 2281. Cæsarius die ac nocte recogitat duo tantum loca esse post hanc vitam. V, 2309.

*Cain* dictus diabolus. III, 2282, 2298. Judæorum pater. III, 2282, 2298. Judæorum typum in muneribus et occisione Abel gerebat. VI, 748. Cain peccatum, et quomodo Deus ei pœnitentiæ locum dederit. III, 2220. Cain a Lamech occisum quidam frustra putant. III, 2221.

Calamitates publicæ nostris imputandæ peccatis. V, 2315. A bonis gratiarum actiones, a malis blasphemias exprimunt; ut vasa agitata alia odorem suavem reddunt, alia intolerabilem fœtorem. V, 2315.

Calcedonius quos repræsentet. VI, 1229.

*Callidius* Gratianus. IX, 780.

Calvariæ locus sic dictus, quia Adam generis humani caput ibi sepultus. V, 1750.

Calumnia pro lite intentata. V, 1890, 1967.

*Camillus* presbyter. X, 1819.

Canava. V, 2021, 2250, 2256. *Not.* (*a*).

Cancelli. Superstitiosus ritus ad cancellos. VI, 1172.

*Candia* civitas. II, 1145.

Canes in templa inducens, flagris dignus judicaretur. V, 2315. Canis Albinus. X, 1996. Canes marini. V, 1885.

Canonum custodia. X, 1765.

Canonici. VI, 1216, 1310.

Cantica diabolica. VI, 1172. Canticum luxuriosum ex ore ubi corpus Christi ingreditur, proferri non est justum. V, 2239, 2268. Canticorum turpium loco, discendi psalmi, antiphonæ, etc. V, 2325. Canticum Moyse præcinente, senes et pueri omnes nulla præmonitione edocti, easdem litteras decantarunt. III, 2167. Canticum novum. X, 1865.

Capabilis ab omnibus Deus, capax omnium anima. VI, 783.

*Caphargamala*. VII, 807.

*Capharsemetia*. VII, 811.

*Capito* episcopus partis Donati. IX, 778, 790.

Capillis cogitationes superfluæ significantur. VI, 1216.

Capitulata argentea. IX, 794, 797.

Cappa tria pessima. I, 1390.

Capreæ larvam assumere. V, 2003.

Capitis remedium, sinapi. V, 1913. Qui adhibeatur. V, 1915.

Caragi. V, 2255, 2269, 2270; VI, 1172.

Cardinalium conventus Hieronymi ævo. II, 1149.

*Cariatto* vir illustris. X, 1790.

Caritas breve verbum, sed re magnum. V, 1967. Caritatis elogium. VI, 792. Caritas est via Dei ad homines, et via hominum ad Deum. VI, 792. Terræ benedictæ fructus. VI, 1223. Omnium bonorum fundamentum. V, 2245, 2312. Radix omnium bonorum operum. V, 1958, 1968, 2246. Quæ radix ubi viva non fuerit, frustra habentur ejus rami cum floribus ac pomis. V, 2261. Caritas forma est omnis actionis bonæ. VI, 1256. Virtutum cœlestium mater et magistra. V, 1958. Anima omnium Scripturarum. V, 2247. Omnium arx virtutum. V, 1960. Caritatem quippe habens, omnibus virtutibus replebitur. VI, 1188. Caritas boni totius summa. VI, 1149. Omnia continens bona. V, 2247. Præmium summum est Sanctorum in cœlo. V, 1960. Caritas dulce ac salubre mentium vinculum. V, 1957, 1968. Quantumvis corpore separatos copulat atque conjungit. V, 1957. Adeoque nullam earum amittit. X, 1874. Est concordia mentium, societas electorum, vita beatarum animarum et Angelorum. VI, 809. Caritas tamquam nostra sanitas. VI, 1065. Caritas ipsa est bona voluntas. V, 2248, 2337. Caritatis tota perfectio in animi bonitate vel voluntate consistit. V, 2256. Caritas proprie dicitur Spiritus sanctus. VIII, 1174.

Caritas donum Dei est. X, 1789, 1797, 1894. Caritatem nobis non nosmetipsi, sed Deus donat. X, 1820. Hoc dono nullum majus est. VIII, 1174. Caritas singulare sanctis donum est. VIII, 1174. Quo dono nemo inventus est dignus. X, 1797. Sine quo multa in homine laudabilia esse possunt, quæ pietatis habeant similitudinem, sed non veritatem. X, 1797. Caritas quanta est, quæ si desit, frustra habentur cætera; si adsit, habentur omnia. X, 1888. Sine qua dives est pauper, et cum qua pauper dives est. V, 2247. Caritas oleo recte comparatur. V, 1957. Caritas ex Deo est, et in Deum redundat. VI, 1149. Caritatis vulnus exposulatur. VI, 935. Virtus caritatis sanctorum est propria, cæteræ bonis et malis possunt esse communes. X, 1859.

Caritate nihil dulcius haberi potest, nihil cum Dei adjutorio facilius ac felicius impleri. V, 2245. Per Spiritum sanctum ita diffunditur in cordibus omnium Christianorum, ut eam, si velint, possint jugiter custodire. V, 2245.

Caritatis quatuor speciales virtutes explicantur. V, 1952. Caritas et cupiditas simul esse nullatenus possunt. V, 2245, 2247. Caritas deesse non poterit, ubi non fuerit cupiditas. V, 2245. Caritatis et cupiditatis effectus. V, 2170. Caritas Ecclesiam congregavit. V, 2091. Innovat homines. X, 1882. Docet rectum divitiarum usum. V, 1957. Omnia Dei præcepta cum gaudio facit implere. V, 2245, 2247. Caritate gaudens nihil de Scripturis poterit ignorare, nihil de bonis operibus non implere, nullum timere. V, 1968. Humilitas animum Deo subjicit, puritas jungit, caritas unit. VI, 794, 807. Caritatis familiaritas cum Deo. VI, 819. A dilectione anima sancta vacare numquam poterit. VI, 1150. Dilectionis Dei probatio. VI, 1150.

Caritas jugum leve et suave. X, 1651. Levare, non premere consuevit. V, 2246. Caritas in præceptis Dei obtinet principatum. V, 1960. Sufficit sibi sine nonnullis operibus, nulla opera prosunt sine illa. V, 2246, 2247, 2249, 2252. Caritatis præceptum nullam recipit excusationem. V, 1860, 2246, 2252, 2255. Tria complectitur. X, 1872. Caritatis duæ alæ, dilectio Dei et proximi. VI, 1149. Caritas duplex, duo pedes ad currendum in via Christi. V, 1875, 2161. Caritas mutua gratuito suadetur. VI, 1065. Caritatis compatientis exempla in membris nostris. V, 1949, 1951. In Christo jam regnante. V, 1950. Caritas semper dulcis, etiam cum irascitur aut corripit. V, 1958. Caritatis quantæ divitiæ. V, 1957, 1968. Omnibus latum est quod caritas possidet. V, 2249. Caritatis facultas semper crescit. X, 1867. Erogando crescit. V, 1828. Caritas ipsa est, cujus possessio tanto amplius augetur, quanto amplius erogatur. V, 2252. Caritatis vasa, homines; implentur cum amantur. V, 1829. Caritas in sanctis suum facit, quod amat in altero. VI, 920. Caritas vera ipsos complectitur inimicos. V, 1958, 1968. Caritatem hic sibi patronam faciat, qui propitiam vult invenire in æternum. V, 1959. Omnes homines sicut se ipsum diligens, omnem peccato aditum claudit. V, 1878, 1958. Caritas, cui ex omni parte apertæ sunt, et sine qua undique clausæ sunt cœli januæ. V, 2255, 2260. Caritas ordinata. VI, 846.

Caro nostra mala Sethiano, Ophiano, Patriciano, Florino mali causa, Manichæo ex malo et bono compacta. VIII, 1220. Si diaboli, non Dei opus esset, indigna esset beneficiis Dei. V, 1957. Carnis nomine interdum appellatur omnis error. III, 2409. Aliquando elementa omnia. III, 2403. Aliquando opera carnis. VI, 739. Caro fit totus homo, si secundum carnem ac mundum vivat. III, 2404. Vivere secundum carnem, quid. VI, 1052. Carnem spiritalem anima virtutibus suis præstat, aut animam carnalem caro victrix ejus efficit. VI, 795. Carnis mala graphice explicantur. VI, 1071 Carnis abstinentia quid prodest, si non deponantur carnalia opera? V, 1906. Caro animam perdit. VI, 1332, 1333. Carni præponendam esse animam. VI, 1334. Talis est in oculis Angelorum, cui caro propria dominatur, qualis qui pedibus sursum et capite deorsum ambularet. VI, 1335. Caro domanda ac debilitanda. VI, 1059. Carni bene imperantis nobilitas. X, 1879. Carnis veræ resurrectionem unde quidam negent. VI, 739. His opponitur fides catholica. VI, 739.

Carnales ac spiritales qui. V, 1758. Lana ac lino significi-

cantur. V, 1854. Carnalium in Ecclesia contra se divisorum figura. V, 1745.
*Carosus* subdiac. IX, 794.
*Carpophorus* Carthag. IX, 776.
*Carthagine* secretarium Thermarum Gargilianarum. IX, 816, 827, 828. Carthaginis curator. IX, 816. Carthaginis legatus. IX, 816. Carthaginensis colonia splendida. IX, 781. Carthagine in basilica regionis secundæ habita Concilia. IX, 811, 814. Carthaginenses episcopi Cyprianus, Carpophorus. Lucianus. IX, 776. Carthaginensis episcopus fictus Valentinus. VI, 1336, 1339. *Not.* (*f*). Hanc sedem ambientibus Botro et Celesio, Cæcilianus eligitur. IX, 776.
Carthaginense conciliabulum episcoporum adversus Cæcilianum conspiratorum. IX, 774. Carthaginensis Concilii an. cccc decretum. IX, 808. Aliud ejusdem anni posterius Carthaginense Concilium. IX, 809. Carthaginensis Concilii an. cccclii de conveniendis Donatistis decretum. IX, 810. Ejusdem Concilii libellus datus Proconsuli. IX, 811. Carthaginensis Concilii an. cccclv legatio cum Commonitorio ad Honorium. IX, 811. Carthaginensis Concilii anni cccclv decretum. IX, 814. Carthaginensis Concilii anni cccclvii aliud decretum. IX, 814. Carthaginensis Collationis gesta. IX, 815. Carthagine an. cccclxi super nomine Cœlestii habita quæstio. X, 1711. Carthaginensis synodi anni cccclxii quædam gesta. X, 1691. Carthaginensis synodi an. cccclxvi contra Pelagii errores epistola ad Innocentium. X, 1711. Rescriptum Innocentii. X, 1714. Carthaginense an. cccclxvii Concilium. X, 1725, 1724. Carthagine convictus Cœlestius Apostolicam sedem appellat. X, 1723. Carthaginense an. cccclxviii Concilium. X, 1728, 1730, 1738.
*Cassianus* sacerdos. X, 1803. In iis qui Augustini libris obloquuntur, Scripturarum studio ac disputandi usu excellit. X, 1803. Ipsius de Dei protectione liber inimicis gratiæ favet. X, 1803. Catholice sub initia docet, Deum incipere, exsequi, et consummare in nobis quæ bona sunt. X, 1803. Ac nostrum esse quotidie attrahentem nos gratiam Dei humiliter subsequi. X, 1803. Nec cum Pelagianis, nec cum Catholicis plena ei concordia est. X, 1805, 1807. Cassianus quibus gradibus a Catholico sensu dilabatur ad Pelagianum. X, 1821. Cassiani collationes adversus Augustinum assertæ. X, 1795. Hinc Prosperi liber pro Augustino contra Collatorem. X, 1801. Cassianus erroris insimulat decretum ccxiv episcoporum de necessitate gratiæ ad singulos actus. X, 1723. Cassiani consensio cum iis, qui volunt gratiam secundum merita dari, aut non ad singulos actus dari, aut dari ut bonum possibilius fiat. X, 1815. Cassianus se ipse damnat, dum eos qui gratiam secundum merita dispensari volunt, damnat. X, 1825. In aliis liberum arbitrium, in aliis gratiam aufert. X, 1811. Fidem laudatam falso arguit non donatam. X, 1824, 1825. Salutis summam in fidei ditione consistere negans improbatur. X, 1826. Pelagius Cassiani excerpta de hæresi Beligis exorta. X, 1751. Et de Leporio. X, 1752.
*Castinus*, privatus ex Consule. II, 1097.
Castitatis laus. V, 2296. Castitatem commendavit Christus matrem virginem eligens. V, 1990, 1993, 1994. Castitatis meritum ac virtus in Susanna. V, 2041. Castitatis ergo Tarpeiæ Romanæ factum. VI, 1327. Castitas Angelis facit consimiles. V, 2246. Castitatem non habens, portare Christum non potest. V, 1994. Castitatis pulchritudo est in luce cordis. V, 1768. Castitas corporis nil prodest sine castitate cordis. V, 2165. Castitas utraque commendatur. V, 2169. Castitatis bonum non cum justitia, sed pro justitia nonnullæ offerre volunt. II, 1106. Castitas virtutum omnium flos et ornamentum sine humilitate aret et marcescit. I, 1462. Ministris altaris pernecessaria est. V, 2296. Castitatis professione tollitur nubendi licentia. VI, 1102. Castitas conjugatis per totam Quadragesimam usque ad clausulam Paschæ et quotiens communicare quis debet, servanda. V, 2208. Alia tempora quibus pariter servanda est. V, 2300.
Castitas gravem sortita est inimicum, qui quotidie vincitur, et timetur. V, 2302. Inter omnia Christianorum certamina, sola duriora sunt prælia castitatis; ubi quotidiana est pugna, et rara victoria. V, 2302. Castitatis propugnator, martyr est, non unam, sed plures coronas a Domino percepturus. V, 2302. Castitas ut servetur, non plus æquo metuendus languor carnis. I, 1461. Exemplum hominis, qui carnis contemptu incontinentiam vicit. I, 1461. Castitas non servatur sine magna cordis contritione et afflictione carnis. I, 1460. Quanta fecerit ac perpessus sit monachus, ut carnem domaret, qui tamen securitatem non impetravit I, 1460. Castitatis prodiga est saturitas, amica est fames. V, 2052. Castitatis dispendium in mensa et in colloquiis timendum. I, 1459. Castitatem jugis victoriæ obtentu periculis exponere, perire velle est. V, 2301. Castitatis non servandæ prætextus refelluntur. V, 2291. Castitatis promissa. VI, 1109.
*Castus* diaconus. IX, 798.
*Cataphryges* damnant secundas nuptias. V, 2185; X, 1718, 1735.
Catechizantur infantes. X, 1768. Catechumeni plangendi, si hinc sine baptismo recesserint. VI, 1166. Catechumeni frons signatur. V, 1821. Catechumenis non explicantur baptismi mysteria nisi post baptismum. VI, 1207.
Categoriæ decem ex Aristotele decerptæ. I, 1419. Categoriis Aristoteles agit 1° de iis quæ sunt, 2° de iis quæ percipiuntur, 3° de iis quæ dicuntur. I, 1422. Aut ut Themistio placet, primum de iis quæ percipiuntur, tum de iis quæ sunt, post de iis quæ dicuntur. I, 1422.
Cathedra Petri. IX, 805. Cathedræ S. Petri natalis. V, 2100, 2101. Aliquando incidit in Quadragesimam. V, 2101. Superstitio hac die usitata. V, 2101, 2102.
Cathedra pestilentiæ. III, 2550. Cathedra vitæ. III, 2550.
Cathini colores. VI, 1110.
Catholicus quis debeat vocari, quis non debeat. IX, 850. Quid catholicum intelligant Donatistæ. IX, 850. Catholica declaratur, quæ toto orbe diffusa. IX, 780. Catholici criminosi regnum cœlorum non possidebunt. VI, 776.
*Catullinus* subdiac. IX, 794.
Causa prima omnium corporalium spiritaliumque motionum, voluntas Dei. X, 1864. De causis incognitis quid noverimus. X, 1873.
*Celiel*. VII, 815, 816.
Cellularum ornamenta vana. I, 1462. In earum oratorio sufficiat imago Crucifixi, cui hinc inde assistant Maria ac Joannes. I, 1462.
*Celsus* Africæ Vicarius. IX, 789, 780.
Ceram vel oleum ad luminaria noctis aliqui vovent. V, 1978.
*Cerdon* duo inducit principia sibi ignota. VIII, 1217.
Cerebrum tamquam cœlum corporis nostri. VI, 802. Sedes sapientiæ. VI, 1216. Cerebri tres ventriculi. VI, 795.
Cerei accensi coram sacris reliquiis. VII, 837. Cereolos ecclesiis exhibere. V, 2258.
*Cerinthus*. VIII, 1217. Sperat nuptiarum copulam post hanc vitam. VIII, 1218.
Certantes quomodo spectet et adjuvet Deus. V, 1813. Certaminis nostri tempus breve, præmium sine fine. V, 2135.
Cervisia. VI, 1286.
Cervi serpentibus inimici, nihil ex eorum veneno patiuntur, nisi sitim. VI, 1203.
Cervulum sive cervulos facere. V, 2001, 2003, 2004. De cervula turpitudinem exercere. V, 2259.
*Chananæa* terra quo jure Israelitis cesserit. V, 1811.
Characterem Christi Judæi poscunt. VII, 827. Characteres diabolici. V, 2071, 2239, 2272.
Charaxatæ tabulæ. VIII, 1155.
Chartæ publicæ. IX, 852.
*Chresto* Syracusanorum episcopo data epistola qua ad Synodum Arelat. pergat. IX, 786.
Chrisma, oleum quo fideles unguntur. II, 1161. Quid illius unctione doceantur. X, 1890. Chrismatis baptizatis infusi mysterium. VI, 1211. Chrismatis sacramento, Christiano in cœlestis regni mysterium diadema quoddam regalis unctionis impositum est. II, 1116. Et ut intelligat se non solum sacerdotalis et regiæ dignitatis esse consortem, sed etiam contra diabolum fieri luctatorem. X, 1890. Chrismate communiendi parvuli qui apud hæreticos erant baptizati. VIII, 1217. *Vide* Baptismus. Chrismatis ampulla per fenestram jacta, illæsa inter saxa consedit. IX, 804.
*Christus* a chrismate. V, 1761, 2192. Sed. Spiritus sancti infusione. VI, 1191. Dicitur Hebraice unctus. V, 2189. Christus brachium Dei. VI, 1141. Unigenitus et primogenitus. V, 1996. Homo divinus. V, 2054. Unus ex sancta Trinitate. X, 1778. Christi mysteria Lex et Prophetæ prænuntiare non destiterunt. VI, 760, 772, 774. Prænuntiatus est in Isaac. V, 1758. In Isaac et ariete. V, 1750. In Jacob. V, 1760, 1761, 1763, 1764. In Joseph. V, 1705, 1775, 1924. In Moyse. V, 1776. In Aaron. V, 1804. In percussa petra quæ fontes eduxit. V, 1796. In serpente æneo. V, 1807. In uva e terra promissionis delata. V, 1800. In Gedeone. V, 1817. In Davide. V, 1819. In Elia. V, 1825, 1825. In Elisæo. V, 1827. Christus Tobiæ piscis. V, 2125. Umbrarum veteris legis quodammodo corpus. X, 1884. Christi nomen, veritas. V, 1785. Christus Verbum Dei non sonis solum, sed et factis loquitur. V, 1902. Ante carnis susceptionem humano generi profuit. X, 1736. Christi in mysteriis dispensationis suæ finis. V, 2043, 2044. Christus Israelitis itinera in mari præparabat. V, 1798. Christum in camino Nabuchodonosor vidit. III, 2591. Christi adventus cur tantopere dilatus. III, 2276. Ante adventum Christi quanta potestas diaboli, et quam exinde imminuta. V, 1819. Adventus Christi gratia. V, 1925.
Christi adventu completa est promissio Abrahæ facta. III, 2240. Atque hebdomades septuaginta impletæ. III, 2243

Christi adventu facta est plenitudo veritatis. III, 2388. Christus factus ex muliere quam fecit, factus sub Lege quam dedit. VI, 772. Sexto mundi millenario venit. III, 2320. Filius Dei æternus qua ratione concipi possit temporaliter natus. VIII, 1166. Christus ad Mariam quomodo venerit. VIII, 1170. In Christi conceptione maritus sermo est, et uxor auricula. V, 1991. Christi conceptione primi hominis de rudi terra procreatio innovatur. V, 1982. Advenicus divinitas in uterum Mariæ, carnem sibi ex ipsius substantia fabricavit. V, 2199. Spiritus sanctus carnem ex virgine fecit Salvatori : virtus Altissimi, id est Christus, obumbravit eam veniens in carnem factam a Spiritu, ut in corpore et anima lateret Filii virtus. III, 2250, 2251. In Christi conceptione Spiritum sanctum fuisse pro semine quidam sceleratissime opinantur. V, 2182. Christus non de substantia, sed de potentia, jussione et benedictione Spiritus sancti conceptus. V, 2178. Christi carni unctio in utero Virginis spiritaliter data. III, 2250. Christus solus sine semine, ideoque expers delicti natus. X, 1619, 1620. Inspiramine mystico ex Virginis utero in vera natus est carne. X, 1615. Ratione conceptionis vermi se comparat. VI, 1191. Solus sine peccato est natus. V, 1997. Natura semper genita naturam nostram sine peccato suscepit. VI, 757.

Christi caro non ante concepta, quam susciperetur a Verbo. VI, 772. Christi corpore non conclusa est omnis deitatis majestas. VIII, 1189. Christi carnem implevit Pater et Spiritus sanctus, sed majestate, non susceptione. V, 2196. Christi corpus tota Trinitas fecit. III, 2251. Ipse cum Patre et Spiritu sancto corporis sui creator, solus habet personaliter in se ipso quod sit creatus. VI, 760. Hominem tota Trinitas operata est, quem sola Filii persona assumpsit. VI, 736. Variæ hæreticorum de Christo opiniones notantur, et rejiciuntur. VIII, 1215. Verbum in Christo animæ vicem supplevisse Ariani senserunt. VIII, 1167. Refelluntur. VIII, 1168. Anima mediante, sine qua possibile non erat Deum corpori misceri, Deus factus est homo. VIII, 1190. Filius Dei, quamvis in carne venerit, tamen in anima ejus habitavit. III, 2390. Anima Christi totam in se sapientiam, veritatemque et vitam recepit. VIII, 1190. Substantialiter Deo repleta est. VIII, 1191, 1192. Ut pote Verbo indissociabiliter inhærens, ac tota totum recipiens, facta est cum ipso principaliter unus spiritus. VIII, 1190, 1191. Dilectionis merito. VIII, 1191. Elegit bonum prius quam sciret malum. VIII, 1189. Christi animæ libertas fuit, nec fuit peccandi possibilitas. VIII, 1189. Sicut umbra corporis motus, ita Verbi nutus indeclinabiliter suscipiebat. VIII, 1190. Christum sensit aliquando Leporius omnia quæ passionum sunt implesse sola possibilitate naturæ sine deitatis auxilio. X, 1752. Similis alia hæresis, vel etiam magis exitiosa. X, 1752. Christus in humana natura Gratia factus est. VI, 760.

Christi veritas adversus Judæos adstruitur pluribus testimoniis Legis et Prophetarum. VIII, 1123. Simeonis et Zachariæ. VIII, 1123. Virgilii, Nabuchodonosor et Sibyllæ. VIII, 1126. Elementorum. VIII, 1127. Christi deitatem tum, cum homo natus est, cœpisse docuerunt Artemo, Berillus et Marcellus. VIII, 1214. Christi divinitas Arianorum argumentis impugnata, et catholicis responsis defensa. V, 2198. Christi divinitas de natura Patris nata. VI, 758. Christus Verbum, Virtus et Sapientia Dei appellatus; ut de ipso, adeoque unus cum eo Deus crederetur. III, 2285. Christi divinitas hinc ostenditur, quod omnia quæ de Deo, perinde de ipso prædicentur. III, 2291. Christi humanitas potentiæ signis relevatur. V, 1990. Christus æternus in suo, moriturus in nostro. VIII, 1166. Et humiliatur in assumptis, et glorificatur in propriis. VIII, 1167. Christus Deus probatur ex modo conceptionis. V, 1985. Et ex ordine nascendi. V, 1988, 1989. Christum nativitas hominis filium ostendit, mors prodidit Deum. V, 2057. Mors hominem, resurrectio Deum prodit. V, 2045. Christum Dei filium esse ubi dicitur, testis virtus confirmat. III, 2545. Christus multis signis divinitatem suam declaravit. V, 1927. Virtutes duplici genere operatus est. V, 1927. Christus non homo præter Deum, aut cum Deo; sed homo in Deo, et Deus in homine. VIII, 1215.

Christi non cœlestis caro, quæ per Virginis uterum transierit quasi per corpus alienum. V, 2082. Christi non imaginarium corpus, sed solidum. V, 2175. De peccatrice carne acceptum. I, 2268. Christi caro, caro Adæ. VI, 758. Eo solo corpus ejus a nostro differens fuit, quod de Spiritu sancto et virgine sit natum. VIII, 1176. Natus, passus ac mortuus est in veritate, et non per phantasiam. VIII, 1176. Christum Photinus nudum hominem vult, Apollinaris perfectum hominem negat. V, 2182. Christus unus est Deus et homo. III, 2590; V, 1925; VI, 913; VIII, 1122; X, 1890, 1892. Unus ipse et unius naturæ cum Patre, et unius naturæ cum Virgine. VI, 771. Plenus et perfectus Deus, plenus et perfectus homo. VI, 756, 771. Perfectus homo et verus Deus. V, 2180, 2185. Cui vera forma servi et vera forma Dei. V, 2084. Ipse via et patria nostra. V, 2085. Mediator ideo est, quia idem Deus atque homo verus. VI, 757.

Christi duæ substantiæ ac naturæ. V, 2003, 2081, 2176, 2182, 2185, 2198; VI, 756, 771; VIII, 1195. Perfectæ et integræ. X, 1716, 1732. Error Orientalis, dicentium Filium Dei et filium hominis unius esse naturæ, refellitur. V, 2081. Exsecranda tamen eorum blasphemia, qui a tempore susceptæ humanitatis, omnia quæ erant divinitatis, in hominem transmigrasse, et quæ humanitatis erant, in Deum transfusa esse volunt. V, 2182. Humanæ divinæque naturæ veritatem in una persona ne aut confundas aut dividas. VI, 759. Verbum assumpsit carnem, non se convertit in carnem. VI, 756. Filius Dei sic nostram suscepit naturam, ut non permutaret suam. V, 1981. Divinitati humanitas sociata, non in humanitatem mutata divinitas. V, 2186. Christus ad nos veniens, a Patre non recessit. VIII, 1120. Suscipiens quod non erat, non amittens quod erat. VIII, 1122. Cum Deus, esset, incarnatus est; et homo factus, mansit quod erat. VIII, 1176. Vestem quam non habebat, induit. VIII, 1107. Homo Deo accessit, non Deus a se recessit. X, 1869. Christus accessit ad nos per quod assumpsit ex nostro, et liberavit nos per id quod mansit in suo. V, 2000. Totus in cœlo, et totus in Virginis utero. VI, 1022. Divinitatem et humanitatem suam multis modis ostendit. V, 1902. Alia loquitur et agit ut homo, alia ut Deus. V, 2177, 2198.

Christi duæ sunt naturæ, non confusæ, sed unitæ et in una persona inseparabiles. V, 2198. Non duæ sunt personæ, sed una. V, 2082; VI, 755, 771; VIII, 1195, 1205; X, 1716, 1732. In Christo ex divinitate et humanitate una persona est. V, 1981. Una Filii persona. V, 2182, 2185. In eo Filius Dei et filius hominis non sunt duo filii. VIII, 1195. Ut anima et caro unus homo, ita Verbum et homo unus Christus. VIII, 1195. Dei Filius in corde Patris, hominis filius in utero matris. VIII, 1122. Verbum, anima et caro unus Christus. VIII, 1122. Christus unus, non duo; quia una ipsius persona, etsi non una substantia. VIII, 1162, 1166. Servavit singulis naturis suis propria, sed conjunxit propriis aliena. VIII, 1165. Simile quid conspicitur in homine. VIII, 1166. Christus verus Deus et verus homo, unus filius. VIII, 1215. Non adoptione, non appellatione, sed in utraque nativitate filii nomen nascendo habet. VIII, 1215. Christus filius Dei unicus per naturam. VI, 1191. In Domino servus simul factus est ipse qui Dominus. V, 1995. Christi caro adoratur, et quare adoretur. V, 2200. Carnis Christi divina est ex ipsa sui conceptione persona. VI, 758. Humana natura ab eo in unitatem personæ assumpta. VI, 759.

Christus quatenus dicatur missus. X, 1890. Quatenus patrem et matrem reliquisse, ut adhæreret uxori. VI, 748. Cur ad nos descenderit. VI, 1518. Christum solitarium sine ulla peccati contagione vixisse, et in hunc mundum non ad redemptionem nostram, sed ad exemplum venisse, dixit hæresis incerti nominis. X, 1752. Christus carnem assumpsit, ut mundum universum a peccatis et exemplo revocaret, et patiendo redimeret. X, 1732. Non erat cur susciperet carnem, si status humanæ naturæ maneret integer. X, 1622. Christus plus præstat nobis, quam Adam consecutus erat. III, 2570. Christus venit, ut opera diaboli tolleret. X, 1624. Ea arte diabolum delusit, qua ille hominem deluserat. V, 2105. Aptavit muscipulam, ubi totam liberaret creaturam. V, 1984. Suscepit hominem mortalem, ut faceret immortalem. VIII, 1122. Elisæi instar, sese humiliando, mundo vitam reddidit. V, 1850. Homo factus est, ut obedientiam, in qua sola nostra salus, nos doceret. VIII, 1186. A nobis mercatus nasci et mori, reddidit resurgere et in æternum vivere. V, 1999. Christi humilitas, sublimitas est corporis nostri. V, 1995. Christus per omnia secundum similitudinem Adæ nasci voluit, ut omnia hominis peccata dissolveret. V, 2031. Ut carnem hominis animamque mundaret, utrumque suscepit. VI, 758. Sicque oportuit fieri, quia homo et carne et anima mortuus erat. VI, 756. Christo inest vis quædam seminis, qua et anima animas reparet, et carne omnium nostrum carnem resuscitet. VIII, 1172.

Christi duæ nativitates. V, 2176; VI, 756, VIII, 1165. Ambæ pariter incomparabiles. V, 1994. Pariter mirabiles. V, 1996. In iis qui alterutram negant, licet discrepantibus mediis, idem est initium, idem exitus erroris. VIII, 1165. Christus idcirco heri et hodie. V, 1998. Christo sola mater in terris eligenda erat, qui jam patrem habebat in cœlis. VIII, 1146. Christi generatio cur in tres partes divisa. III, 2592. Cur cum in ea sint tantum XLI. generationes, XLII. Evangelista numerasse videatur. III, 2592. Cur quatuor prætermissi. III, 2280. Christus, ordine nativitatis excepto, verus homo procreatus est. V, 1981. Christus solus de virgine natus est. VIII, 1122. Quam hoc possibile. V, 1989. Imo necessarium. V, 1990. Hic nascendi modus in Adam præmonstratus. V, 1995. Christus nascendo de Virgine sor-

tes non contraxit. VIII, 1107. Natus est clauso matris utero. V, 2005, 2066; VIII, 1122. Christo nascenti quam contraria conveniant. V, 1998. Christi nativitatis fructus. V, 1989, 2145. Christi natalis dies crementum nostrum portendit. III, 2252.

Christum Deum esse cognoverunt Magi, quod ei astra serviebant. V, 2015. Christus per se ipsum invisibilis, visibilis in homine apparuit. VIII, 1145, 1147. Incarnatione sua Deum, in sua immensitate invisibilem, nobis visibilem præbuit. VIII, 1180. Apparuit offerens hominem videntibus, Deum servans credentibus. V, 1996. Christus in Ægyptum fugiens dicitur a latronibus deprehensus in via, et adolescentuli beneficio ereptus, qui deinde ad ipsius dexteram crucifixus paradisum meruerit. I, 1466. Christus Patri in omni conditione ministravit. VIII, 1175. Christo in terris Angelorum frequentiam ministrasse. VI, 1146.

Christus in baptismo primum innotuit mundo. V, 2015. Christus et secundum Spiritum et secundum carnem natus est filius Dei. III, 2252. Illud autem in baptismo audit, non sibi sed nobis. III, 2252. Non sibi, sed nobis, baptizatus est. V, 2010, 2012, 2014, 2015. Baptizatus in carne baptizantem lavat in spiritu. V, 2016, 2017. Tamen dicitur consecratus in Jordane, renatus sacramentis, per mysterium genitus. V, 2011. Christi baptismus vocatur secunda nativitas. V, 2012, 2013. Et Christi regeneratio. V, 2013. Christi humilitas in baptismo. V, 2010, 2016. Quam convenienter in deserto jejunarit. V, 2031. Christi tentationes jejuniis superatæ, scriptæ non sunt. III, 2394. Diabolus eum tentans duabus ex causis torquebatur. III, 2394. Christi tentatio, eruditio est Christiani. X, 1868. Quid nobis profuerit. III, 2196.

Christus prædicavit annos tres, et menses sex. V, 1825. Verbo et exemplo nos docuit. V, 1866. In homine hominem docuit a quibus esset recedendum, quid esset perferendum, quo esset tendendum. VIII, 1146. Christi cibus, salus nostra. V, 2172. Christus transfiguratus hoc manifestavit, quod veluti latebat in corpore. III, 2322. Tum divinitas in corpore latens se conspiciendam foris videntibus pro eorum captu præbuit. III, 2197. Sunt qui dicant Filium Dei necessitate carnis fuisse mentitum, nec omnia facere potuisse quæ voluit. X, 1718, 1755. Christi voluntatem non impleri prorsus impossibile est. III, 2271.

Christus cur Lazarum fleverit. VI, 1160. Cur fleat simul et gaudeat de Lazari morte. V, 1927. Cur interroget quod non nescit. V, 1928. Vocis Christi virtus. V, 1928. Christus quanta pro nobis sustinuerit. V, 1955. Ad imitandam Christi patientiam exhortatio. V, 1956. Christus bonus medicus poculum, quod nobis daturus erat, ipse prius gustavit. V, 2031. Christi cum perito medico analogia. V, 2201, 2203. Christi passio consideratur. VI, 905, 907. Unde ei homo aliquid simile rependere queat. VI, 906. Christus hodieque fatigatur infirmitate nostra. V, 1924. Requiescit in fidelibus. V, 1924. Christi infirmitates quid nobis præstiterint. VI, 1194. Sensus veros in passione, et ante passionem suæ carnis dolores sustinuit. VIII, 1214. Quidquid infirmitatis legimus in Christo, id suscepto homini deputandum. V, 1981. Christus passus est secundum illam substantiam quæ assumpta est, non secundum illam quæ assumpsit. V, 2182. Esurivit, sitivit. doluit. V, 2175, 2186. Ut Filius Dei, passus non est; ut homo, impassibilis non fuit. V, 2175, 2186. In passione voluntarie ac virtute Dei in se non diminuta humiliatus est. III, 2314. Integra et inviolata deitate passus est, ut homines patientiam et humilitatem doceret. VIII, 1145. Ac resurrectionem futuram monstraret. VIII, 1145.

Christus quomodo faciat quod patitur, ac vice versa, ipse sibi opus et auctor operis. VIII, 1169. Cum patitur infirmus, omnipotens cum facit. VIII, 1170. Qui Domino attribuantur quæ passus est in homine, ostenditur ex anima hominis cui tribuuntur quæ sunt solius carnis. VIII, 1147. Voluntate, non necessitate passus esse ostenditur. VIII, 1146. Quod illustratur hominis in carcerem vi immissi, et viri sancti qui hunc sequitur ut ipsum consoletur. VIII, 1147. Christi sponte patientis figura Isaac. V, 1954. Christi occisores verbis Jacob ad Simeon et Levi novissimis præmonstrati. III, 2205. Christi anima turbatur ac tristis est propter discipulos. V, 2057. Tristis non pro sua passione, sed pro nostra dispersione. V, 2058. Tristis usque ad mortem, non post mortem. III, 2391. Sudor sanguineus Domini quid præsagiebat. X, 1865. Christi taciturnitas in passione summam ipsius innocentiam probavit. V, 2040. Christi divinitatem passibilem factam cogitare scelus est. V, 1981. Passam asserens est maledictus. V, 2180. Si quis dixerit quod in passione crucis dolorem sentiebat Filius Dei Deus, et non caro cum anima, anathema. V, 2176. Vere deitas Patris nostram induta naturam crucem adscendit. VI, 905.

Christi passionis horam fato non esse adscribendam. X, 1804. Christus a Judæis, non a Pilato crucifixus. III, 2260. Quod hora tertia factum Marcus recte declarat. III, 2260. Qui hora tertia simul et sexta. VI, 738. Octavo Kal. Aprilis passus est, quo die creditur conceptus. VI, 742. Quo mysterio. III, 2252. Passus est quarta decima luna. III, 2317. Ibi crucifixus, ubi Isaac oblatus. V, 1751. Ubi Adam sepultus. V, 1751. Cur sub dio et extra civitatem immolatus. V, 2048.

Christus in cruce vermis et scarabæus. V, 2059. Christus et sine peccato, et peccatum factus. III, 2268. Divinitati sponsatur homo, et ad crucis thorum adscendendo, ibi firmavit conjugium. V, 1987. Christus commercio pietatis se pro conjuge dedit ad pœnam. V, 1987. Idem in ara crucis sacerdos et victima. V, 2047, 2066. Sacerdos et sacrificium, Deus et templum. V, 2205; VI, 760. Pro nobis victor et victima, sacerdos et sacrificium. VI, 910. Testis et judex. VI, 912. In cruce sitit fidem incredulæ gentis. V, 2042. In cruce manus expandit, paratus in amplexus peccatorum. VI, 961. Caput inclinavit, ut oscula daret dilectis. VI, 961. Crucifixus delicta factorum et cupiditates animorum abolevit. V, 1816.

Christum in cruce quam multa Deum testentur. V, 2045. Eum valde commendat latronis subita conversio et introductio in cœlum. V, 2049. Christus latronem convertens versam vicem reddit diabolo. V, 2054. Christo patiente ita defecit sol media die, ut per tres illas horas stellæ visæ sint. III, 2199. Eum non invite aut otiose mortuum resurrectio probat. III, 2345. Rotrus carnis delatus est ad torcular crucis, unde fluere cœpit mustum divinitatis. VI, 965. Christi sanguis, sanguis medici, medicamentum phrenetici. VIII, 1114. Christi divinitas mortem sensit, participatione humani affectus quem susceperat, non perdita naturæ suæ potentia. VIII, 1169. Morbi alieni participatione, non proprietate vulneris sui. VIII, 1172. Christus mortem gustavit, quia homo; mortem deglutivit, quia Deus. VI, 757.

Christus injusta morte a justo diaboli dominio nos liberavit. V, 1808. Christi mors meritum meum. VI, 961. Christi mors simpla duplam nostram solvit. VI, 1195. Christus non tantum aliorum susceptor, aliorum salvator, sed omnium susceptor et salvator. X, 1826. Recte dicitur crucifixus pro totius mundi redemptione, et pro his tantum quibus mors ipsius profuit. X, 1838, 1842, 1844. Christus mortuus pro omnibus, his utique qui crediderunt, aut crediturі sunt : mortuus etiam pro his qui credere nolunt, et quomodo pro his non mortuus. III, 2406. Pro omni genere humano, qui prædestinati sunt, sanguinem fudit. VI, 1060. Non pro sanctis tantum passus est, sed pro peccatoribus. VI, 1065. Sanguis Christi, quoad magnitudinem et potentiam pretii et ad unam generis humani causam, redemptio est totius mundi. X, 1844. Sed non medetur, si non bibitur. X, 1844. Christus totum mundum, plus dans quam valeret, redemit. V, 2042. Christi crux Angelis quomodo profuerit. VI, 1192.

Christi eodem tempore corpus in tumulo fuit, anima in inferno, divinitas in paradiso et ubique. V, 2178. Christus tres dies ac tres noctes in corde terræ qui intelligatur. VI, 738. Christi sepulcrum, vulva. V, 2204. Cur alieno in tumulo positus sit. V, 2205. In sepulcro carnem suam commoriendo non deseruit. VIII, 1169. Deus in sepulcro jacuit secundum carnem, et in infernum secundum solam animam descendit. VI, 757. Christus in sepulcro, in inferno, in cœlo. V, 2085. Christi animam in triduo mortis custodiæ apud inferos mancipatam dicere impium est. VIII, 1171. Non negatur tamen apud inferos fuisse. VIII, 1172. Christus ad inferos descendit. V, 2204. Secundum animam. VIII, 1205. Comitante secum anima. V, 2059. In anima comitante divinitatem. V, 2180. Unita suæ divinitati anima. V, 2059. Christi divinitas descendit ad inferos proprietate carnis, et caro adscendit in cœlum merito deitatis. VIII, 1166. Christi ad inferos descensus fructus. V, 2062. Christus ad inferos descendens diabolum delusit. III, 2277. Diabolum obligavit, ibique detentos liberavit. V, 2195. Inde eripuit patres qui ibi in tenebris sedebant. VI, 391. Inde liberavit qui pro solo originali peccato ibi detinebantur. VI, 1195, 1194. Infernalium ministrorum voces ad ejus descensum. V, 2060. Item justorum ad eum obsecratio. V, 2060. Christus XXXVI. horis in inferno fuit. VI, 742.

Christus primogenitus ex mortuis, partus resurrectionis et inferorum mors. V, 2064. Fœdus in morte, pulcher in resurrectione. V, 2085. Ubique pulcher. V, 1999. Christi passionis ac resurrectionis meditatio. VI, 940. Christus in se se suscitavit. V, 2206. Vespere. III, 2322. Ipsa die qua et conceptus fuerat. V, 1994. Resurgens cur non ut sol fulserit. VI, 758. An eo resurgente resurrexerint sancti, qui tum visi sunt. III, 2199. Christi resurrectione non est eximanita humanitatis natura. V, 2182. Filius hominem assumpsit, ut sic in æternum permaneat. VI, 757. Eam carnem semper habet, qua de Virgine natus est. VI, 775. Christus januis clausis ad discipulos intravit. III, 2522. Nec hujus rei exigenda ratio. V, 2072. Per clausa ostia substantiam corporis nostri transmisit, qui prius ex

clauso virginis utero, et obserato sepulcro exiit. V, 2063, 2066. Christo resurgenti arrident et innovantur omnia. V, 2067. In ejus corpore totus prope mundus resurrexit. III, 2279. In eo resurreximus ac regnamus. VI, 912, 957. Christus cur cicatrices servarit. V, 2066. In vulneribus Christi medicamentum est vel thesaurus humani generis. V, 2066. Christi vulnera, tuta et firma requies peccatoribus et infirmis. VI, 956. Remedia sunt adversus tentationes. VI, 956. Per foramina corporis patent nobis arcana cordis. VI, 956. Oratio ad Christum, qua resurrectionis et adscensionis ejus particeps anima fieri desiderat. VI, 955.

Christus sedet ad dexteram Dei, manente eadem natura carnis in qua natus et passus est. X, 1717, 1732. Qui simul in cœlo et in terra. V, 1761. Christi in cœlis regnantis argumentum, munus Spiritus quod donat in terris. V, 2005. Christus qui mortuorum et vivorum judex. V, 1805. In judicio talis apparebit qualis videri possit et ab eis quos coronaturus, et ab eis quos judicaturus est. X, 1889. Tunc et crucem et vulnera ostendet. V, 2052. Beneficia sua reprobis qualiter exprobraturus. VI, 1186. Christi subjectio et regni traditio. III, 2398; VIII, 1186.

Christum magicis artibus, ut mortuus coleretur, effecisse contendentes, e prophetiis arguuntur. VIII, 1128. Christi invocatio adversus diabolum. VI, 1070, 1072. Christus jam nos spectat et adjuvat pro se certantes. V, 1878. Christi nomen Judæi reluctantis animo infixum. VII, 827. Christus et simpliciter et dupliciter laudandus. V, 1855. Christus in divinitate panis, in humanitate lac nobis factus est. VI, 1267. De Christi humanitate loqui et satiari morienti delectabile est et salutare. VI, 1152. Christi mysteria percurruntur, quo pius in Deum excitetur affectus. I, 1465. Christi amandi ardens desiderium orationi conjunctum. VI, 928. Christum non amantis miseria. VI, 955. Christus unus in se, aliis atque aliis est diversus. V, 1807. Credenti est salus, onus non credenti. V, 1800. Esse sine Christo, miserum; Christum secum esse, tutum; cum Christo esse, beatum. VI, 1337. Christus si in isto sæculo ambulavérit in nobis, in futuro inhabitabit. V, 2117. Christum in se manentem habere, discipulis prodest, non Christo. X, 1788.

Christus qui hædus, ovis, vitulus. V, 1816. Qui taurus. V, 1818. Turtur et passer. V, 1849. Cur sinapi similis. V, 1915. Christi oculi. III, 2204. Dentes. III, 2204. Os, manus, scapulæ ac pedes. V, 1907. Christus noster salvator, rex, ac solus Dominus. VI, 1191. Verus amicus noster : variorum ejus nominum ratio. VI, 1049. Christus fons innocentiæ et plenitudo justitiæ. V, 2014. Fons de quo omnes sancti sive ante, sive post incarnationem acceperunt. V, 2111. Verum nostrum gaudium. V, 1917. Fidelium finis. X, 1816. Ab aliis carius, ab aliis vilius emitur. V, 1765. Christi sarcina levare, non premere consuevit. V, 1800.

Christiani dicendi sunt, quotquot retro fidem habuerunt unius Dei quam Salvator prædicavit. III, 2219. Christianos a Judæis distinguit, et inter se pares facit ipsorum pater Deus. V, 1867. Christiani angeli dicti sunt ad comparationem Judæorum. III, 2228. Christianos a Paganis præcipue secernit spes resurrectionis. V, 1961. Christianorum tempora prædicta esse. V, 2548. Christiani populi post Christi mortem multiplicandi figura. V, 1775. Christianus non nascitur, sed fit. III, 2274. Christiani cur dicamur, non Petriani aut Pauliani. V, 1780. Christiani dignitas et officium. VI, 1035, 1036, 1037. Ei in baptismo regalis ac sacerdotalis dignitas collata. VI, 1211. Ei per fidem Christi remissio confertur peccatorum. III, 2576. Sed nihil ei prodest fides, si non mutet vitam. III, 2576. Vitæ mutationem suadet cognitio judicaturi. III, 2576. Increpantur ut Dei irrisores, qui Christi fidem suscipere in vitæ fine differunt. III, 2576. Melior est causa gentilis, qui in fine vitæ credit. III, 2577. Licet non habeat dignitatem aut remunerationem ejus, qui Christianam vitam egit. III, 2577. Hujus gloriam cum videbit, pœnitebit se non vixisse, sed mortuum esse Christianum. III, 2578. Christiani post baptismum ad pompas diaboli redeuntes, quomodo in die judicii a diabolo accusandi. VIII, 1119. Christianos non posse damnari qui putant, refelluntur. VI, 1118.

Christiani nominis non facit sola dignitas Christianum. V, 1896. Eo nomine quis indignus, quis dignus. VI, 1036. Christiani nomen sine re gestare indecorum est. VI, 1036. Christianum facit professio et vita. III, 2511. Christianum dici, et christiana opera non habere, nihil prodest. III, 2419. Christianum nomen quæ exigat opera. V, 2237, 2240. Christiano non sufficit cor malis vacuasse, nisi et bonis impleat. V, 1774. Christianus non est, qui in Ecclesia Christi non est. VI, 1196. Christianus abusivus est, qui est contentiosus. VI, 1085. Christianus non potest dici, qui non est castus. V, 1995. Christianus ille non est, qui pro veritate mori timet. II, 1154. Christianus quis verus sit. VI, 1170. Christianus nemo recte dicitur, qui Christo moribus non conquatur. VI, 1084. Christianus bonus, semper civis cœli et peregrinus mundi. V, 1877. Ut peregrinus, qualiter debeat affici. V, 1955. Mercedem non appetit in hac vita. V, 1965. Non possidens mundum, hic totum possidet Salvatorem. V, 1902. Christiani boni nec tormentis separantur a Christo : tepidi vero et negligentes interdum otiosis fabulis separantur. V, 2270.

Christianæ vitæ documenta. VI, 1347. *Et toto Tractatu de Rectitudine catholicæ conversationis.* VI, 1169. Christiani os, ubi sacramenta Dei mittuntur, decet semper Deum laudare. VI, 1173. Christianorum non est mundana felicitas. VI, 1068, 1070. Christianis nihil hic Scripturæ promittunt nisi tribulationes. V, 1890. Christianus dolet, si felix in sæculo videatur. III, 2554. Christum sequens, præparet se ad prælium. V, 1796. Tota vita Christiani hominis, si secundum Evangelium vivat, crux est atque martyrium. V, 2129. Christi militi semper vigilandum. V, 1852. Vigilandum ei magis in pace. V, 1852. Christianus hic sollicitus sit, non securus. V, 1885. Unde securus esse debeat, nec ideo tamen non sollicitus. V, 1885. Christiani arma adversus diabolum. V, 1797. Christianorum patria, civitas, cives, parentes, rex. V, 1877. Christianos Paganis aut Judæis servire prohibet Valentinianus. X, 1751.

*Chore* interpretatur calvities. VI, 1205. Chore filii in psalmis numquam nisi læta canunt. VI, 1205.

Chrysolitus quos significet. VI, 1250.

Chrysoprasus quos repræsentet. VI, 1250.

Chrystallus ex nive per multum temporis congelante fit. III, 2169.

Cibis bene uti proprie Christianorum est. VIII, 1219. Quis Christiane iis utatur. V, 1959. Panem nitidum ac cibos delicatos velut impudicitiæ venenum devitet monialis. I, 1457. Qui illius cibi esse debeant. I, 1455, 1457. Cibo sacrilego uti mortale est. V, 2271.

*Cicero* memoriam oratori necessariam tradit. I, 1440. Laudantur ejus orationes. I, 1448. Ac liber de amicitia. VI, 831, 835, 836, 839. Cicero veræ amicitiæ virtutem ignoravit. VI, 835.

Cicindilia. V, 2258.

Cilicium de pilis ca, rarum texitur, et quam conveniens sit pœnitenti. V, 2227.

Cinerum ritus. I, 1457.

Circissarii agitatores, quamdiu agitant, a communione separantur IX, 787.

Circuitus mentis optimus. VI, 752.

*Circumcelliones* Agonestici a Donato Bagaiensi conducti. IX, 801. Sanctorum duces appellantur. IX, 801. Nullum sinunt in possessionibus suis securum. IX, 801. Per nundinas vagantur. IX, 801. In loco Octavensi occiduntur eorum plurimi. IX, 801. Occisorum corpora per aras dealbatas posita. IX, 801. Ex iis aliqui falsi martyrii cupiditate se præcipites dabant. IX, 801. Circumcellionum furor. IX, 811, 812. Frequentibus principum sanctionibus condemnatus est. IX, 812. Circumcellionum turbæ comprimendæ. IX, 841. Multantur seorsim. IX, 842.

Circumcisio Judaismi signum est, non Judaismus. III, 2274. Circumcisio carnis nullius est meriti. III, 2241. Si in signum salutis fuisset, nec salvæ fuissent Judææ mulieres. VIII, 1154. Data est potius in signum pudoris et turpitudinis. VIII, 1154. Circumcisionis sacramentum originalis peccati reatum delebat. X, 1652, 1781. Et gestabat baptismi gratiam. X, 1655. Circumcisio Samaritanorum non iterabatur. IX, 764. Circumcisio cur octavo die. III, 2252; X, 1652. Circumcisionem ablaturus Christus suscepit. V, 1999. Circumcisio, utpote signum promissi Christi, eo nato debuit cessare. III, 2250. Circumcisio cordis, spiritale signum eorum qui spiritaliter nascuntur. III, 2250.

Circumstantiæ quæstionem facientes. I, 1442.

*Cirtæ* area Martyrum. IX, 798. Casa major. IX, 798, 799. Cirtensis Concilii locus, tempus, gesta. IX, 774.

Civitates duæ ab initio mundi ex humilibus et superbis constantes. V, 2511. Civitas alia mundi, alia paradisi. V, 1877. Civitates duas faciunt duo amores. IX, 1877. Civium terrenæ civitatis ac cœlestis origo. X, 1872. Civis cœli, peregrinus est mundi. X, 1860.

Clamor ad Deum quid sit. X, 1867. Clamor sanctorum sine voce apud Deum auditur. V, 1792.

*Clarius* presbyter. IX, 801.

*Claudianus* episc. Donatista. IX, 805.

*Claudius* Taurianus. IX, 780.

Claves Petri. VI, 766. Claves regni cœlorum quibus creduntur, iis necessariam esse clementiam. V, 1899.

Claustralium scala. VI, 997.

*Clemens* B. Petro doctore veteres emendavit errores, et fidem martyrio consecravit. X, 1719. Clementis basilica. X, 1719.

Clementiæ, misericordiæ et pietatis discrimen. VI, 1273. Clementer ignoscens in se peccantibus, clementiam Dei certissime accipiet. V, 2329.

Clerici militia, cingulus, stipendium. V, 1905. Clerici cur capita radant. VI, 1215. Cur pilorum minimam partem retineant. VI, 1216. Capillos, mitras, aliave capitum velamina inter psallendum non debent gestare. VI, 1216. Clericis nefas est quidquam possidere proprium. VI, 1215. Christus dum eos terrenis possessionibus privavit, suis et eorum hostibus arma tulit. VI, 1216. Clerici de donis episcopo factis portionem accipiebant, quando pauperibus distribuebantur. IX, 799. Ecclesiasticus ordo candida veste utitur in administratione sacrificiorum. X, 1704. Clericorum exsufflationes et exorcismi in baptismo. X, 1759. Ne controversia episcopi cum diacono foris sciatur, valde timetur. IX, 796. Clericis et Senioribus Cirt. scribitur, ut inter episcopum et diaconum illius pacem componant. IX, 795, 796. Clericorum stabilitas. X, 1761, 1762, 1763; *Vide* 1771. Clerici luctui vacantes, Dei voluntati quasi insultant. VI, 1166. Clericus non clericus. V, 1905. Clericorum inopiam patiuntur Africanæ Ecclesiæ. IX, 806, 808. Clericum ordinandum quænam prohibeant. VIII, 1219. Pontificatus, presbyteratus aut diaconatus officium quis indigne, quis digne obtineat. V, 1804. Clericis apud Donatistas ordinatis an suus honor servandus. IX, 806, 809. Eis honorem suum servat Carthaginense Concilium, salva reverentia transmarini Concilii; a quo deinde eis negatur. IX, 808. Clericos *in hæreticis* erroribus ordinantes, sicut et ordinati, multantur. IX, 806, 812. Clericos catholicos Decurionatus munere aliisque molestis functionibus absolvit Constantinus. IX. 792. Eosque ab omnibus omnino publicis functionibus immunes vult. IX, 777. Ecclesiæ ministris dividendos ter mille folles Constantinus Cæcilio concredit, ac permittit petere a prædiorum suorum procuratore quidquid necessarium fuerit. IX, 777. Clericis et ecclesiis abrogata privilegia revocantur. X, 1751.

Coæternum Deo nihil esse. III, 2218.

*Coddeo* lector. IX, 795.

*Cœlestinus* Pontifex Augustinum tuetur, et hæresim Pelagii renascentem cohibet. X, 1684. Epistola ad Nestorium Pelagianos reprehendit. X, 1750. Ac de fide B. Augustini ad Galliarum episcopos scripsit. X, 1730. Augustini scripta adversus Gallos quosdam vindicavit. X, 1755. Cœlestini epistola ad coercendos presbyteros qui in Galliis novitati studebant. X, 1755. Laudatur. X, 1831. Cœlestini opera Cœlestius Italia extruditur, Britanniæ a Pelagiano errore liberantur. X, 1851. Et in Galliis Pelagianæ reliquiæ reprimuntur. X, 1851. Cœlestini ad Tuentii scripta responsum indicatur. X, 1756.

*Cœlestius*. X, 1646. Nobilis natu, et illius temporis auditorialis scholasticus. X, 1681. Eunuchus matris utero editus. X, 1686. Homo cui vulpeculæ ingenium. X, 1725. Adhuc adolescens scripsit de monasterio ad parentes suos epistolas morales in modum libellorum tres, prius quam ad Pelagium accederet. X, 1679. Hujus auditor circa an. ccccxx fuit. X, 1686. *Not.* (*a*). Multos incredibili loquacitate hujus amentiæ suæ participes fecit. X, 1681. Cœlestius Roma Carthaginem veniens Pelagianam hæresim ibi docet. X, 1682. Resistit ei Paulinus ecclesiæ Mediolan. diaconus. X, 1682. A quo per libellum apud Aurelium accusatur. X, 1686, 1687. Quod Carthagine an. ccccxi super Cœlestii nomine fuerat agitatum, an. ccccxvi ibidem recensetur. X, 1711. Cœlestius an. ccccxii ad judicium Carthaginensis ecclesiæ perductus, episcoporum sententia condemnatus est. X, 1691. Jam ad presbyterii honorem subrepere conperat, cum ad judicium episcopale perductus est. X, 1692. Sed ad hunc presbyterii honorem postea pervenisse dicitur. X, 1711. In Asia scilicet. X, 1712. Cum Ephesi presbyterii honorem per obreptionem petere ausus esset. X, 1687. Quæ obreptio notatur a conventu Jerosolymit. X, 1699. A Zosimo tamen presbyter nuncupatur. X, 1719, 1721.

Cœlestius contra traducem peccati primus scripsit. X, 1682. Peccatum originale negat. X, 1719, 1725. Apud Carthaginem docet, posse homines sine peccato esse, natura sibi sufficiente sola humana. X, 1682. Tum synodo ibi congregata, cogitur confiteri quod parvulis sit redemptio necessaria. X, 1692. Ac profiteri se quidem de traduce peccati dubium, consentire tamen melius sentienti. X, 1692. Magis convictus, quam correctus. X, 1692. Ideirco damnatur. X, 1691, 1692. Præsente Aurelio, Augustino absente. X, 1692. Cœlestius libello confessus per baptismum fieri redemptionem parvulorum. X, 1712. Quo id sensu concedat. X, 1719. Erroris sui quantum amator ac defensor fuerit. X, 1619. Hæreticæ doctrinæ assertor ex libris suis convincitur. X, 1682, 1725. Anno ccccxvii una cum Pelagio ab Innocentio ecclesiastica communione privatur. X, 1714. Nec sic damnatus cessat hæresim tueri. X, 1682, 1725. Capitula septem errorum quos per populos disseminabat. X, 1682, 1686. Septem alia his opposita synodalibus gestis. X, 1687. Actis iisdem frequenter auditus, ac jussus sua placita damnare, nec acquiescens, communione ecclesiastica privatur. X, 1687, 1689. Carthagine convictus appellat ad Romanum episcopum. X, 1687, 1725. Sed cum ad sedem Apostolicam appellasset, defuit. X, 1725. Sic appellatione neglecta Ephesum contendit. X, 1787. Inde post aliquot annos Constantinopolim petens ab Attico detruditur. X, 1787. Ac super ejus nomine litteras in Asiam, Thessalonicam et Carthaginem Atticus mittit. X, 1787. Hinc Romam secedens Zosimo illudit. X, 1787. Causam illius examinat Zosimus : totius rei ordo. X, 1719, 1721. Quam clementer cum eo egerit Zosimus. X, 1719.

Cœlestius Zosimo offert libellum fidei, unde nulla ei quæstio movebatur. X, 1718. Quam vafre Apostolatus ipsius judicio se submittit. X, 1718. Zosimus præfestinatum fuisse Afrorum de ipso judicium arguit. X, 1720. Eumque absolutæ fidei judicat. X, 1720. Ac miratur qui tantus vir, eademque ratione fidem suam explicans Pelagius, potuerint infamari. X, 1721. Cœlestium tamen aliosque admonet, hæc certamina ex prava curiositate profluere. X, 1720. Verum epistolam ei dat, qua postea abusus est. X, 1687. Cœlestio Zosimum in omnibus fidem commodasse questi sunt Africani episcopi. X, 1726. Quid querelis Zosimus respondeat. X, 1726. Cœlestius a Zosimo jussus ut damnet omnia quæ a Paulino sibi objecta sunt, tergiversatur. X, 1724. Rescribentibus ex Africa episcopis, ad audientiam pleniorem vocatus Roma aufugit, et a Zosimo damnatur. X, 1687. Exinde Tractoria Zosimi per totum orbem missa sanctorum Patrum subscriptionibus est roborata. X, 1689. Huic subscribere detrectantes imperialibus legibus et sacerdotalibus statutis sunt depositi. X, 1689. Decretum Constantii an. ccccxxi quo Cœlestium ipsum magis ac magis Urbe pelli mandat. X, 1750. Laudatur. X, 1750. Edictum Præfecti adversus ipsum et eos qui latebram ipsi præberent. X, 1731. Cœlestius a Cœlestino audientiam postulans totius Italiæ finibus extruditur. X, 1851.

*Cœlestiani* hæretici. X, 1613, 1622. De Ephesina synodo spem aliquandius gesserunt. X, 1761. Ab omni hominum societate repellendi. X, 1761. Toties toto orbe damnati remotas provincias inquietant. X, 1761. Eos ubique persequitur, cujus fidem persequuntur. X, 1761. Nestorio adhærent. X, 1761. *Vide* Pelagiani.

*Cœlicolæ* nescio cujus dogmatis. IX, 815.

Cœlum a celando. VI, 1028. Cœli nomine quid vulgo intelligatur. VI, 1027. Cœlo, quod Deus primum condidit, invisibilia omnia significantur. III, 2218. Cœli tres historialiter, et tres significative. VI, 1028. Cœlum quo raptus est Paulus. VI, 1028. In quo Christum conspexit Stephanus, VI, 1028 Cœli cur dicantur Angeli et justi, VI, 1028. Cœlum est ubi culpa cessavit. V, 1907. Cœlum electorum Ecclesia. III, 2419, 2422. Cœlum cœli, mens pura cum Deo concordissime una. VI, 915. Cœlum cœlorum ipse Deus. VI, 1050.

Cœlorum regnum extra hoc corporeum cœlum, imo extra omnem locum. VI, 1012, 1029. Cœlo corporeo si delectantur Sancti, ea res melior est illis. VI, 1025. Neque corporeo cœlo sustentabuntur Sanctorum corpora. VI, 1029. Cœlorum regnum varia habet nomina : quæ illa sint. VI, 1015. Cœlum Christus qui solus adscendit. V, 1884. Secum ad cœlestem patriam perduxit Christus, quos ex inferno liberavit. V, 2195. Cœlum latronis introitu non est dedecoratum, sed honoratum. V, 2049. Cœli porta ab Adam clausa, jam patet. V, 2085. Cœlestibus præmiis etiam ante judicium honorantur Martyres. V, 2155. Cœlo ac visione Dei gaudet Vincentius. V, 2097, 2098. Cœlos ad Deum transacta hac vita petunt justi. III, 2371; VI, 1165. Cœlo gaudent animæ sanctæ dum caro a vermibus devoratur. VI, 1185. Cœlestem patriam, ubi nos Sancti exspectant, anhelare. V, 2160. Quam multi ea jam donati, nos illic exspectent. V, 2137. Cœlestis regni carnalis excogitatio. VI, 1007. Regni hujus gloria ac felicitas. V, 2136; VI, 820, 822, 861, 915, 954, 958, 966, 993. Quo pretio ematur. V, 2136.

Cœlestia scripta Imp. IX, 778. Cœleste præceptum Constantini. IX, 790.

Cogitatio quid. VI, 809. Cogitationum duo genera cordibus nostris se jugiter conantur inserere. V, 2343. Cogitatio sancta custodit, non sancta perdit. V, 2344. Cogitatio de victu et vestitu quandonam sancta. V, 2344. Cogitationes superfluæ pilis significantur. VI, 1215. Cogitare pudeat, quod pudet dicere. II, 1114. Cogitationibus turpibus quid opponendum. VI, 1175. Cogitationes inutiles et lascivas nihil sic excludit, ut verbi Dei meditatio. I, 1461. Cogitationes malas in ipso ortu suo excutiendas esse. VII, 1538. Quod multis similitudinibus ostenditur. V, 2345. Qui a malarum cogitationum consuetudine desuefiat. V, 2344, 2346. Cogitatum omnem in Christum intendere. VI, 956. In ipsum Deum. VI, 964. Cogitationes pias ex libero arbitrio sine inspiratione Dei non oriri. X, 1816. Cogitare ac desiderare humana possumus sine gratia, non autem divina. X, 1771, 1780, 1786. Cogitationum bonarum origo omnis, consensioque earum ex Deo est, per operationem intrinsecus Spi-

ritus sancti. X, 1775, 1786. Cogitatio bona et subita, quasi hospes de cœlo. V, 1911. Cogitationes bonæ semper a Deo sunt. VIII, 1221. Non omnes malæ a diabolo excitantur. VIII, 1221. Cogitationes animæ internas solus Deus novit. VIII, 1221. Has diabolus ex motibus corporis colligit. VIII, 1221.

Cognitio creaturarum quæ non videntur, unde nobis sit. X, 1896. Cognitio creaturarum matutina et vespertina. VI, 741. Percipimus sensibus substantiam mente ac ratione accidentia. I, 1425. Cognitione Dei nihil melius. V, 2525. Cognitio hæc ipsa beata vita est. V, 2525. Cognitio sui. *Vide* Scientia.

Colendæ terræ ratio. V, 2527. Colitur hoc ab homine quod diligit. X, 1879. Cultus superstitiosus variarum rerum perstringitur. VI, 1172, 1174. Nulli creaturæ, præter Deum et sanctos ejus, veneratio exhibenda. VI, 1173. Cultus Dei non alia merces quærenda nisi Deus. X, 1861.

Collationis tempus. 1456.

Collationis Carthag. locus ac tota ratio. II, 819.

Collecta pro cœtu Ecclesiæ. V, 1757.

Collo appensa ligamina. VI, 1172.

Colobia. II, 1125.

*Colonicus* adjutor commentariorum. IX, 816.

Comes Africæ. IX, 808. Comitis ac Ducis nomen uni eidemque promiscue datum. VI, 1046. *In Admonit.* Comitiva sedes. IX, 816, 842.

Commendantur Deo omnia nostra. VI, 958.

Commentariorum leges. X, 1995.

Communionem ecclesiasticam declinant criminum conscii. V, 2216. Sicque reatum congregant, et remedium devitant. V, 2216. Communione et liminibus ecclesiæ Apostoli ejecerunt Simonem, Filetum, etc. IX, 855. A communione se ipsum pro reatu suspendere. V, 2221.

Competentes. V, 1821. Quasi simul petentes. V, 2242. Quid petant, quidve agere aut cavere debeant ut petita consequantur. V, 2242. Competentes, quos uterus matris Ecclesiæ Christo inspirante concepit, caveant aborsum. V, 2245.

Completorii hora. II, 1122, 1124, 1141.

Compresbyter a Synodo nuncupatur Hieronymus. X, 1712, Episcopus non aliter presbyteros vocat quam consacerdotes aut compresbyteros, sed non item diaconos condiaconos. III, 2502.

Compunctio quid. VI, 816. Compunctionis laus. VI, 1251. Compunctionem arcet omnis immoderantia. VI, 1062.

Concilium Arelatense convocatis episcopis datur evectio publica cum tractoriis. IX, 785. Eo pergere præcipitur Syracusanorum episcopus cum duobus secundi ordinis ac tribus servulis. IX, 786. Concilium in secretario basilicæ habitum. IX, 808, 809, 827, 828; X, 1728. Considentibus episcopis, adstantibus diaconibus. IX, 808; X, 1728. Ut sedeant episcopi Carthagine congregati, Tribunus invitat. IX, 827. Pelagius Jerosolymis in consessu presbyterorum sedet. X, 1699. Concilii litteris unus episcopus omnium vice subscribit. IX, 813. Concilii Arausicani II. capitula. X, 1785. Cur non modo ab episcopis, sed et a laicis subscribantur. X, 1780. Ab Apostolica sede fuerunt transmissa. X, 1785. Et ab eadem confirmantur. X, 1791. Cæsarii qui ei præfuit rogatu. X, 1790. A Concilio ad Comitatum duo clerici ecclesiæ Carthaginensis mittuntur. IX, 814. Item mittuntur duo cum Commonitorio. IX, 811. Concilii judicium quanti faciat Constantinus. IX, 788. Concilium plenarium. X, 1751.

Concipit omnis homo, sed alius de Christo, alius de diabolo. V, 1891.

Concordiæ inter homines auctor Deus, dissidii diabolus. IX, 791.

Concubinas ante uxores accipiendi usus frequens V, 2290, 2292. Ut nec putetur peccatum. V, 2290, 2540. Propter multitudinem episcopus excommunicare omnes non potest. V, 2290, 2295. Concubinas sive ante, sive post uxorem accipiens, adulterium, immo adulterio pejus peccatum committit. V, 2290, 2295; VI, 1179. Peccati hujus gravitas inde ostenditur, quod de liberis tantum servi nascantur. V, 2291. Et quod fiat publice, adulterium autem occulte. V, 2291, 2295. Concubinatus quorumdam senum. I, 1461. Concubinas accipiens posset et deberet non solum a communione suspendi, sed et a convivio et colloquio Christiani populi separari. V, 2295.

Concupiscentia aliquando ad bonum, aliquando ad malum aptatur. III, 2115. Concipit omnis homo, aut de Christo, aut de diabolo. V, 1891. Concupiscentia triplex. VI, 1316. Triplex in protoplastorum peccato. VI, 1051. Concupiscentia non est præcedens natura hominis instituti, sed consequens pœna damnati. X, 1885, 1886. Concupiscentiæ pugna justa est peccati pœna. X, 1674. Concupiscentiæ reatus per baptismum dimissus est. X, 1674. Pugna ejus renatos pulsat, ut divinum omni die implorent auxilium. X, 1674. Concupiscentiæ non pax, sed bellum indicendum. X, 1867. Concupiscentias carnis solo libero arbitrio homo vincere non potest. X, 1615. Ad eas vincendas necessarium est etiam renatis quotidianum Dei auxilium. X, 1757. Concupiscentiæ alimenta sunt cibi fortiores. VI, 768, 777. Concupiscentiam per sensus nasci, a dæmonibus adjuvari, a nobis posse vinci, nobis occupatis conquiescere. III, 2551. Esca subtracta sopiri. III, 2551. Ad hæc vero Dei opem implorandam. III, 2551. Concupiscentiarum laqueis totus mundus plenus : et quis eos effugiat. VI, 875, 878. Concupiscentis aliena quæ sint artes. V, 1890. *Vide* Libido.

Concussores quam multi sint. V, 1905.

Confirmatio, sacramentum. VI, 794. Quod statim post baptisma conferri innuitur. VIII, 1217, 1220. Necnon iis qui apud hæreticos baptizati, ad Ecclesiam accedunt. VIII, 1217.

Confitendum Deo semper et in bonis et in malis. VI, 859. Confiteri soli Deo ad salutem non sufficit. VI, 1154. Superstitionis notantur qui aliter autumant. VI, 1154. Confitendum jugiter non tantum Deo, sed et hominibus. V, 2212. Aliter non est reditus ad Deum. V, 2213, 2215. Diaboli conatus ut a confessione nos deterreat. V, 2212, 2214.

Confessionis peccatorum necessitas. V, 1851; VI, 1288, 1289. Confessionem nostram desiderat Deus, ut justam habeat ignoscendi causam. V. 2213, 2215. Apud judicem justum et misericordem qui se accusat, excusat. X, 1875. Confessionem præcepit Deus : ut diabolus audiat nos pœnitere, nec amplius inde nos incuset. VI, 1288. Confessio culpæ Adam servavit, negatio Cain damnavit. V, 1928. Confessio tabula post naufragium. V, 2226. Initium sanitatis. V, 2214. Confessio peccati latentis dupliciter sanat ægrotum. VII, 847. Confessionis utilitas ac fructus. V, 2050, 2215, 2216; VI, 1289; X, 1879. Confessio non ad ultimum Quadragesimæ aut vitæ suæ diem differenda. VI, 1289. Confessione et pœnitentia citius abluenda delicta. VI, 1049. Confessio Eucharistiæ sumptioni præmittenda. VI, 1059.

Confitentis quis debeat esse habitus. VI, 1289. Confitens caveat ne excusationes obtendat peccatis. VI, 1126. Confessio peccatorum fiat humiliter. VI, 1056. Confessio humilis vitiorum. VI, 945. Confessio in aure sacerdotis. VI, 1148. Confiteri sæpissime sacerdotibus. VI, 1252. Confitendum ore proprio, non per nuntium aut scriptum. VI, 1122. Quando pluribus quis confitetur, tanto facilius remissionis gratiam consequitur. VI, 1122. Confitendi quædam ratio captiosa exponitur, et improbatur. VI, 1155. Qui confitenda omnia peccata cum omnibus quæ ea circumstant. VI, 1124, 1155, 1289. Si quæ taceantur, aut dicta callide pallientur, animam jugulant. VI, 1156. Quotidiana peccata saltem cogitatione in collecta generali apponenda. VI, 1156. Confessionem apud diversos dividere, est venia semper carere. VI, 1125. Quibus sacerdotibus confitendum. VI, 1156. Sacerdoti quam meliori potest, quisque confiteatur. VI, 1123. Qui sciat ligare et solvere. VI, 1122. Confessio præ desiderio sacerdotis absentis alteri facta, etsi non tam cito, sæpe obtinet veniam. VI, 1122. Confessionem comitetur pœnitentia et odium peccati. VI, 1155. Confitens peccata, nec dolens, irridere videtur judicem. III, 2336, 2339. Confessio peccati bona, si et curatio consequatur. X, 1867.

Confessiones excipiens qualis esse debeat. VI, 1066, 1129. Excidere potest a judiciaria potestate. VI, 1130. Ligandi ac solvendi potestatem iis non convenire, qui proprium aliquid possideant. VI, 1215. Quando sacerdotibus lapsis hæc potestas restituenda, vel omnino neganda. VI, 1215. Sacerdotum error, qui pœnitentes etiam post mortem ligabant. VI, 1157. Confessiones excipiens qui se gerere debeat. VI, 1289. Quod per confessionem scio, minus scio quam quod nescio. VI, 1289.

Conjugatos de castitatis debito et incontinentiæ vitio Cæsarius verecunde admonet, et quia id officii sui esse putat. V, 2300. Conjugalis excessus habet nonnullum, sed veniale peccatum. VI, 768. Conjugem cognoscere, excepto filiorum desiderio, peccatum est. V. 2290, 2299. Non quidem capitale. V, 2299. Si tamen frequens sit, nimis immundam animam facit. V. 2299. Peccatum hoc quotidianis eleemosynis redimatur. V, 2298. Conjugia non damnavit Christi inusitata nativitas. V, 1981.

Conjux Dei patris in Filii generatione, bona voluntas. VIII, 1103.

Conjunctiones tres Angelis admirandæ. VI, 788, 1359.

Conjunctio quid. I, 1405. Conjunctioni accidunt figura, ordo, potestas. I, 1405.

Connubii jure nec viris licet, quidquid mulieribus non licet. VI, 1179.

Conscientia bona quatenus non sufficiat. VI, 1222. Conscientiæ puræ felicitas VI, 1252. Ad illam conducunt tribulationes. VI, 1252. Conscientia qui discutienda. VI, 817, Conscientia prava minuit fiduciam orantis. VI, 905. Conscientiæ pravæ miseria. VI, 945,

Consecratur nihil sine signo crucis. VI, 1192.
Consensoria monachorum. I, 1447.
Consentibile. VI, 1146.
Conservatio rerum continuatam conditoris operationem exigit. X, 1882. Conservantur omnia per verbum. VI, 867.
Consideratio novissimorum multis suadetur. VI, 985.
Consiliariorum delectus. VI, 1048.
Consilium quid sit, quidve præceptum. V, 2258.
Consolatio æterna cum præsenti non est speranda. VI, 882. De consolatione mortuorum S. Joannis Sermones duo. VI, 1159.
Consortium bonorum quam utile, quam exitiosum sit malorum. VI, 1062.
Conspicuat. V. 1956.
*Constans* Consul IX, 842.
*Constans* Imp. per Africam mittit pauperibus eleemosynas, et ecclesiis ornamenta. IX, 800. Quæ contumeliose repudiant Donatistæ. IX, 800. Quanto studio unitatem procurat, ac tandem obtinet quod tentarat. IX, 802. Idem memoratur sub nomine Constantini. IX, 802.
*Constantina* civitas IX, 792, 997.
*Constantinopolis* regina urbium. X, 1750 Ex ea Julianus et Cælestius detrusi. X, 1686.
Constantinus. IX, 779, 802. Ut eum a tædiis suis avocaret, quidam XXX. annis morionem finxit. III, 2357. Constantini pater inter ceteros Imperatores persecutionem non exercuit. IX, 778. Constantinus et Licinius Cæsares Christianæ religioni favent. IX, 784. Constantinus moleste fert episcoporum in sua ditione dissidium. IX, 778. Item appellationem ab episcoporum judiciis. IX, 779. Judicium suum quam flocci ducat judicio sacerdotum comparatum. IX, 788. Timet, ne si Ecclesiæ altercationes dissimulet, Deum sibi patiatur iratum. IX, 786. Scribit ut partes dissidentes Arelatem se conferant. IX, 784. Catholicis in Constantina civitate basilicam construit: eaque a Donatistis usurpata, sumptu suo fiscali aliam illis erigi jubet. IX, 792. In gratiam clericorum catholicorum leges dat. IX, 795. Constantini epistola qua pecunias ecclesiis donat. IX, 777, Alia qua clericos ab omnibus publicis functionibus immunes vult. IX, 777. Constantini epistolæ variæ in causa Donatistarum, et nonnullæ ad ipsum. IX, 777, 785, 786, 788, 789, 790, 791.
*Constantinus* junior Cæsar. IX, 793.
*Constantinus*, seu Constantius, Valentiniani minoris pater. IX, 1750. Decretum ipsius adversus Pelagianos X, 1750.
*Constantinus* qui Imperium in Galliis invasit, notatur. X, 1721.
Constantius Consul cum Constante. IX, 842. cum Honorio. VII, 852; X, 1714.
*Constantius* a Faventia. IX, 779.
*Constantius* contra Pelagianos memoratur sine scriptura disputasse. X, 1682.
*Constantius* ex vicario Romæ habitans multa a Pelagianis pertulit. X, 1724.
Consubstantivus Deo Christus. III, 2293.
Consuescere bene, pudebit dissuescere. V, 2116. Consuetudo vitia aut virtutes alit. II, 1108. Animus secum quodammodo putabit in se natum, quod consuetudine didicit. II, 1108. Consuetudines pravæ quomodo sanandæ. V. 2545.
Consularis Numidiæ. IX, 792.
Contemplatio quid sit. VI, 802, 809, 997.
Contemplationis cum lectione, meditatione et oratione collatio. VI, 998, 1002. Contemplationes multæ. VI, 955, 984. Contemplantis animi varii affectus. VI, 1003. Contemplationis pennas hic interim anima Deum sitiens postulat. VI, 935, 953. Contemplationis concessæ indicia, lacrymæ et suspiria. VI, 1000. Contemplationem quomodo foveant Dei bonitas ac majestas. VI, 1137. Contemplativi sæculum veluti mare ponte transeunt. VI, 1310. Contemplatione homo totus fit spiritalis. VI, 1000. Contemplationis meritum. V, 1941. Suavitas. VI, 791, 804, 826, 922. Gustus ejus non est perpetuus. VI, 1001. Cur se sponsis subtrahat Deus, et quam caute tunc se gerere debeant. VI, 1001. Contemplationis munere donatus, caveat ne ad carnis illecebras convertatur. VI, 1003. Ubi veri luminis illustrationem sustinere non valet, ad lectionem, meditationem aut orationem leviter et ordinate descendat. VI, 1003. Contemplationis impedimenta. VI, 1004.
Contentio numquam boni aliquid in Ecclesia fecit. X, 1711. Quam dedeceat Christianum. VI, 1083. Contentionis causa. VI, 1085. Contendi non debet, quod non licet amari. VI, 1084.
Continentia in quibus sita sit. V, 2295. Melior est nuptiis. VI, 768, 777; VIII, 1219. Divortium magis conjugii videbitur quam castitas, si non cum affectu vacandi Domino eligatur. VIII, 1219. Continentiæ promissi non licet infringere. VI, 768. Etiam conjugatis. VI, 768 Continendum a propriis uxoribus plures dies ante sacras solemnitates. V, 1976, 1977, 2221, 2041. Per totum Quadragesimam usque ad finem Paschæ. V, 1760, 2024. Cur continentia in Quadragesima servanda sit, specialis ratio. V, 2031. Alia tempora quibus conjugati tenentur continere. V, 2300. Quas dare pœnas soleant, qui tunc non se continent. V, 2300. Continentia Dei donum est. VI, 858. Continentiæ triplex hostis. VI, 858
Contractus. Vide contractibus testis divinitas adhibetur III, 2387.
Contraria quæ docentur. I, 1429. Contrariorum duplex species. VIII, 1170. Tres species. I, 1457. Contrariorum permixtio, meliorum defectio. X, 1827.
Contriti cordis tractatus. VI, 945.
Controversiarum quatuor modi. I, 1445. Quatuor figuræ I, 1446. Harum cognitio quid conferat. I, 1447.
Conversio hominis non est ab ipso, etsi non sine ipso. X, 1817. Prompta sit. VI, 1069. Cur non sit differenda. X, 1865. Conversio vera sine mutatione habitus sufficit. V, 2208. Hæc numquam est tarda. V, 2054. Conversio pro religiosæ vitæ professione. VI, 121 Conversio morum, votum optimum. V, 1978.
Convivam in corde suo quisque habet aut Christum aut diabolum. V, 2547. Parentes et amici rarius et ad parca convivia vocandi. V, 1976. Pauperes ad ea frequentius vocemus. V, 1976. Nullus ad bibendum cogatur. V, 2504, 2506 Nullus cogenti cuiquam cedat. V, 2507. Convivio transacto mos bibendi in nominibus vivorum hominum, Angelorum ac Sanctorum. V, 2508. Conviviis usitata gentilis consuetudo, ut grandi mensura sine mensura tres homines aut volentes aut inviti bibant. V, 2506. Convivia sacrilega ad arbores, ad fanum, ad fontes. V, 2271.
Conviviola. V, 2077.
Copiæ rusticanæ. IX, 794.
Cor ignis formam retinet. VI 802. Unde bonum sit vel malum. VI, 813. Cordis humani pravitas. VI, 947. Dignitas ac libertas. VI, 962. Vera requies. VI, 846, 965. Requies et vita. VI, 791. Cor cujusque altare est, aut Dei, aut diaboli. V, 2170 In corde hominum plantatæ radices duæ, caritas et cupiditas. V, 1968. Cor aut bonum aut malum facit ipsius amor. VI, 845, 845. Cor fidelium cœlum, cor cupidorum terra. V, 1969.
*Cornelii* bona opera per gratiam Dei sunt inchoata. X, 1796.
Corona martyrum purpurea, juste viventium candida. V, 2135, 2137.
Corporea est omnis creatura, cur. VIII, 1216.
Corpus intrinsecus infinitum est. VI, 731. In nihilum redire non potest. VI, 727. In animam non potest converti. X. 1883. Sensu et imaginatione ad spiritum ascendit. VI, 802. Corporis humani compositio. VI, 791. Partes illius elementis adsimilatæ. VI, 802. Quatuor ejus sunt positiones. VI, 1508. Corporis sanctitas aut corruptio quomodo pendeat ex animi sanctitate vel depravatione X, 1865. Qui corpus ab anima regatur. VI, 791. Corpus quod nobis ornamentum erat, qui mutatum in pœnam. X, 1865. Modo carcer est. V, 1883. Corporum reparatio Deo non difficilis. X, 1877. Corporis gloriosi quatuor dotes. VI, 850.
Corpus Dominicum crucis signo consecratur. VI, 1192. Corporis et sanguinis Christi percipiendi necessitas. X, 1655. Corpore et sanguine Christi non cibatis negatur vita. X, 1653, 1768, 1769. Corporis Christi percipiendi facultas non est, nisi baptizatis et mundatis. VI, 726. Corpus Christi nemo digne manducat, nisi moriatur præteritis, et vivat futuris. V, 1825. Corpus Domini cur tradant sacerdotes iis quos sciunt peccatores. III, 2310. Judæ a Christo datum est. III, 2311; IX, 766.
Corpus Christi fieri debemus, si volumus vivere de spiritu Christi. X, 1890. Corpus unum est malorum Ecclesiam persequentium. III, 2442.
Corrector Siciliæ. IX, 786.
Correptio Dei, donum Dei. VI, 1150. Corripere plebis fuit, ubi dux et præpositus deerat. III, 2311. Corripere proximos quomodo quisque teneatur. V, 1788. Quo animo et qua prudentia debeat. V, 2116. Correptionis justæ libertas opponitur detractioni. VI, 1295. Corripientis sævitia lenis. V 2214. Correptionis fraternæ exemplum in Joseph. V, 1772 Corripientem odisse, grande peccatum. VI, 1252. Correpti stulte se excusatos putant, quod plures eadem agant. V, 2551.
Corruptio nec in summo bono, nec non in aliquo bono. X, 1874. Quid sit. X, 1871. Corruptionem non videre, Domini est privilegium. VIII, 1215.
Crapula solis lugentibus ab amicis ingeritur. VI, 1107.
Creatoris omnipotentia et bonitas unde eluceant. VI, 761. In conditione creaturæ tria maxime secunda. X, 1870. Creata omnia a Deo. VI, 761. Creare solus Deus valet. VI, 872, 974. Creaturæ omnis causa, voluntas est Creatoris. VI,

746. Creatarum rerum et Creatoris non una natura. VI, 761, 773. Creaturam Deo collatam quasi non esse. VI, 1011.

Creatura quid sit. VIII, 1162. Creata res omnis ex nihilo, et quasi non ex nihilo. VI, 1018. Omnis ex informi materia, de nihilo prius condita. III, 2151. Ex se semper in nihilum vertitur. VIII, 1162. Plus aliquid est in Verbo, quam in se ipsa. VI, 741. Nullam novam fieri. III, 2151. Creata omnia simul. III, 2151. Narrator divisit in sermone, quod Deus non divisit in opere. III, 2151. Alternatione dierum operum vicissitudo, non temporis spatium declaratur. III, 2151. Creatura omnis trifarie subsistit. VI, 1015. Omnis et valde bona est et vanitas. V, 1942. Nulla ex se mala, neque ulla ex iis detestanda nisi diabolus. VI, 1182. Omnis aliquam Dei similitudinem habet. VI, 1023. Et æternitatem imitatur. VI, 1021. Nulla perfectam exprimit similitudinem ejus a quo nascitur. VI, 1015. Creaturæ omnes sunt natura mutabiles. VI, 773. Omnes Deum sibi inesse sentiunt. VI, 1019. Cur non omnes æqualiter bonæ. VI, 1020. Cur mutentur cum sint ab immutabili. VI, 1021. An homine non peccante fuissent mutabiles. VI, 1021. Creatis rebus quæ proficiendi aut deficiendi causa. VI, 761. Quædam Deus ita facit, ut cum esse cœperint, non esse aliquando non possint. VI, 761. Creatura omnis aut spiritalis aut corporea. VI, 773. Solis spiritibus angelicis et humanis intelligendi est facultas. VI, 773.

Creatura rationalis duplex. VI, 849. Ad quid creata. VI, 849. Creata sunt spiritalia omnia ante carnalia. III, 2322. Creatura angelica et mundana initio condita, ac deinde humana quasi communis. VI, 891. Creatio post primam nulla nova est corporum, sed tantum animarum. VI, 810. Creationis nostræ beneficium. VI, 849, 852, 869. Creaturæ intellectualis bonum. X, 1870. Quem malum futurum præscisset, non creasset Deus, nisi nosset quibus bonorum usibus eum commodaret. X, 1870. Creatis male occupatur, qui discedit a Creatore. X, 1865. Creatura omnis sicut irascitur iis quos Deus vult punire, ita iis quos juvare vult, suffragatur. III, 2166. Creatura trifarie dicitur nova. VI, 1027.

Creari pro gigni. VI, 757. Creatio de Filii generatione dicta. III, 2415.

Cortis, pro paradiso. X, 1629.

Corvus a Noe emissus, nec revertens, quos significet. VI, 750. Corvus fidelis Eliæ, qui fallax et negligens antea fuerat Noe. III, 2180. Unde panes ei afferebat. III, 2180.

Credere omnia, aut nihil credere vitium est. VI, 1064. Credere Deum, Deo, in Deum. VI, 1025, 1190. Credere incipientium forma, Saulus cæcitate perculsus. V, 2009.

*Crescens.* IX, 787.

*Crescentianus* subdiaconus. IX, 798.

*Crescentius.* IX, 791.

*Cresconius* notarius. IX, 816.

Creteusis insulæ archiepiscopus. II, 1145.

Crimina capitalia. VI, 1179. Criminum pœnas Deus novit ordinare, non crimina. X, 1844, 1847, 1854. Crimina defunctis corporibus salva sunt, nisi prius lacrymis purgata. VI, 1220.

*Crispinus.* IX, 807.

Crucis supplicium cur a Christo electum. VI, 1192, 1193. Crucis mysterium littera T expressum. V, 1817. Crucis figuræ quæ sint mysteria. V, 2202; VI, 1192. Crux quam conveniens nostræ ægritudini. V, 2201. Mortifera fuit Christo, sed salutifera Christiano. V, 2065. Crucis figura, scala Jacob. V, 1761, 1762. Crucis virtus præmonstrata in virga Moysi. V, 1777, 1778, 1781, 1792, 1809. In serpente æneo. V, 1803. In baculo cum quo David contra Goliam processit. V, 1820. Crux, lignum mensibus ac diebus omnibus ferens fructum. III, 2452. Innumerabilium bonorum nobis fuit causa. V, 2047. Paradisum nobis aperuit. V, 2048. Crux velut antenna Ecclesiæ. V, 1884. Crucis mysterium quam suaviter cogitetur. V, 1809. Crucis memoria cum fideli invocatione hoc facit, quod faciebat corporalis Christi præsentia. V, 2204. Crucis Christi virtus contra diaboli conatus. V, 1885. Cruce Christi nominata dæmonia terrentur, et si impensius fiat, fugantur. III, 2345. Item dii paganorum responsa dare non possunt. III, 2345. Quod dæmones conscii sunt se mortis Christi reos esse. III, 2345.

Crux nunc res est honoris. V, 2047. Cruci homines figi edicto prohibitum. III, 2356. Crux Christi regni insigne. V, 2051. Christi principatum non incongrue significat. V, 1750. Altare est, ubi se Christus obtulit. V, 2047, 2048, 2066. Crucifixus Christus omnem locum in templum consecravit. V, 2048. Crucis usus ac virtus in rebus ecclesiasticis. V, 2205. Crucis signo sanctificantur quæcumque consecrantur. VI, 1192. Crucis signum in fronte Christianorum. V, 1820; VIII, 1128. Crucis signo sese frequenter munire. VI, 1174. Signi hujus virtus. VI, 1174, 1175. Cruce Christi se jugiter signare quibus prosit. V, 2257. Crux infirmis ab amicis eos convenientibus solet exhiberi. VI, 1154. Crucem ad recordationem Crucifixi nostri veneramur. VI, 1154. Actus religionis ad crucis præsentiam eliciendus. VI, 1154. De signo crucis Christi etiam hæretici gloriari videntur. III, 2437. Crucem Christi non reliquit super terram, sed attraxit in cœlum. V, 2051. Cruces aureæ in habitu sancti senis visæ. VII, 809, 810. Crux coram Deo pretiosa. V, 2113. Crux Domini illa est, quæ totius vitæ curriculo cunctarum disciplinarum virtutibus coaptatur. V, 2129. Crux peccatorum Christo ea gravior est, quam pro nobis susceperat. V, 2207.

Cupiditas et caritas simul esse nullatenus possunt. V, 2245, 2247. Cupiditas et superbia una sunt semper. VI, 1055. Cupiditas in unoquoque non naturalis, sed voluntaria. VIII. 1141, 1142. Cupiditas quam mala radix. V, 1968. Radicitus evellenda est. V, 2248, 2261. Cupiditas semper eget. V, 2153. Velut ignis eo amplius quærit, quo plus accepit. V, 2301. Necessitas corporis parvis rebus expletur, cupiditas nullis. V, 2345. Non est in carendo difficultas, nisi cum est in habendo cupiditas. X, 1881. Cupidi anima est venalis. VI, 1057. Cupiditates pravæ portæ inferi. X, 1870. Continuo Dei auxilio sunt vincendæ. X, 1860.

Curare pro celebrare. V, 2093.

Curator Reipub. IX, 780, 781, 807, 818. Curator coloniæ idem est, quod curator Reipublicæ, aut quod simpliciter curator. IX, 794. Curator Carthaginis. IX, 816.

Curati. VI, 1356.

Curiales primi. IX, 842.

*Curtius* P. F. P. 814.

Custodia Dei circa nos. X, 1894.

Custodes gestorum. IX, 816, 827.

Cyclorum ab initio conditi orbis recursus breviter digeruntur. III, 2176.

*Cynædorum* turpitudo. III, 2342.

*Cynici.* V, 1781, 1782.

*Cynocephali* turpitudo. III, 2343.

*Cyprianus.* V, 1852; VI, 1276, 1284. Cypriani locus contra adulatores. V, 1872. Alius ex libro de habitu virginum. V, 1888. Alius ex lib. de unitate Ecclesiæ. VI, 1196. Ex epist. ad Fidum. X, 1725. Cypriani ad Quirinum operis expletorem se dicit Pelagius. X, 1706. Cypriano martyri in Mappalia votum. VII, 848.

*Cyprianus* Tolonensis. X, 1790. Laudatur. X, 1792.

*Cyrillus* Jerosolymit. VII, 819. Illius ad Augustinum, et Augustini ad ipsum de laudibus Hieronymi confictæ epistolæ. II, 1120, 1126.

*Cyrillus* Alexandr. gloriosissimus fidei defensor. X, 1831.

*Cyrillus* affirmat animas cum corporibus seminari. VI, 814; VIII, 1216.

*Cyrus* Imperator qua arte Babyloniam expugnarit. III, 2173.

# D.

*Dacianus.* V, 2096, 2097. Dæmones acrimonia sensus, et celeritate motus aerii corporis, terrenorum corporum sensum præcedunt. VI, 799. Hominibus diversa quomodo suggerant aut procurent. III, 2358. Dæmonia diversa diversis rationibus homines afficiunt. III, 2351. Credentibus futura, quæ vates sui prædicunt, efficere ea conantur; secus, si non credantur. III, 2351. Dæmones non valent homines in jumenta mutare. VI, 798. Quibus præstigiis id facere videantur. VI, 798. Non valent animam hominis implere juxta substantiam. VI, 799. Qui plura prænuntiare valeant. VI, 799. Qui mulierculas decipiant, ut se multa egisse aut vidisse putent, quæ non contigerunt. VI, 799. Dæmonibus quatenus ignotus Christus, et cognitus. III, 2261. Dæmones Christi cruce nominata terrentur, quod necis ejus se reos esse conscii sunt. III, 2345. Dæmoniacos non timent perfecti viri: hos potius dæmones timent. V, 2347. Dæmonum cruciatus coram sacris reliquiis. VII, 820. Dæmones quisque tot habet, quot vitia. V, 2347. Dæmonum suave sacrificium, honestas violata. V, 2005.

*Dafnus.* IX, 787.

*Dalmatias* pervasit Pelagiana pestis. X, 1763, 1765.

Dalmaticis hodie induuntur diaconi sicut episcopi. III, 2246.

*Damasi* Papæ ad Paulinum Antioch. missa fidei confessio. V, 2175.

Damna quædam justa. III, 2277, 2278. Damnæ patimur, quia egentibus bene non facimus. V, 2341. Damna quælibet potius perpeti, quam superstitiosis observationibus ea advertere. V, 2269. Hoc est quoddam martyrii genus. V, 2272.

Damnatis majorum judicio non examen judicii, sed pœnitentiæ præstandum remedium. X, 1755, 1764, 1831.

Damnabile est non solum malum fecisse, sed et bonum non egisse. V, 2211. Damnabitur etiam baptizatus, qui a

gratia alienus finit hanc vitam. X, 1854. Damnatorum tormentum duplex. V, 2215. Damnatis erit stimulus pœnitudinis, sed nulla correctio voluntatis. VI, 765. Nulla Dei foret reprehensio, si a damnatione nullum liberaret. X, 1855, 1855.

*Danielis* elogium. V, 2027. Danielis locus de Bele, Habacuc translato, etc., in fabulas computatur. III, 2191.

*Dardan.* VII, 815.

*Datianus* episcopus in Sardinia exsul. X, 1771, 1779.

*David* interpretatur manu fortis. V, 1820. Pugna sua cum Golia Christi de diabolo victoriam adumbravit. V, 1819. David populum numerantis parva culpa, cur tanta in populum pœna vindicata sit. III, 2180. Davidis pro filio nondum mortuo plangentis factum egregie enarratur. VI, 1165.

*Debatalia.* VII, 810, 815.

Debitores non vexandi. V, 1918.

Decimas Deo non dare quam iniquum sit. V, 2265. Decimæ non sunt nostræ, sed Ecclesiæ deputatæ. V, 2536. Ex debito requiruntur; et qui eas dare noluerit, res invasit alienas. V, 2267. Tributa sunt egentium. V, 2266. Deo in pauperibus vel ecclesiis dandæ sunt ex quibuslibet bonis suis. VI, 1176. De patrimonio. V, 1954. De omnibus fructibus ac proventibus etiam labore et industria sua partis. V, 2195, 2217, 2267; VI, 1547. Quare in pauperibus non accipiat vel decimum, qui contulit totum? V, 2533. Hæc est justissima Domini consuetudo, ut qui decimam illi non dederit, ipse ad decimam revocetur. V, 2267. Quam solam jure merebamur. V, 2267. Dabis impio militi, quod non vis dare sacerdoti. V, 2267. Decimarum oblatio nobis proficit. V, 2266.

*Decius* Junior Consul. X, 1790.

Decurio. IX, 784, 841, 842. Torqueri non potest. IX, 784. Decurionatus munere absolvuntur clerici. IX, 792.

Dedicatio basilicæ in Arausica civitate. X, 1785. Ad quam convenerunt plures episcopi et illustres viri. X, 1790. In dedicatione ecclesiæ vel consecratione altaris Sermones tres. V, 2166.

Defectum Deus solus non patitur. III, 2522.

Defensor et procurator Ecclesiæ. X, 1682.

Definiendi ars. I, 1424, 1426. Lex. I, 1426.

Defloratiuncula. VI, 984.

Defunctorum ossa et cineres quid nobis prædicent. VI, 1552. Defunctorum animæ ubi apparent, corpus aerium induunt. VI, 1026. De unctos precibus aliisque piis operibus juvandos. VI, 1520, 1529. Defunctis subvenire quibus modis possimus. V, 2101. Agendum ut, si sit peccator, alleventur peccata ejus; si justus, cum Sanctis esse mereatur. V, 2102. Defunctis fidelibus requies sempiterna oratur. VI, 959. Defunctis si non prosint quæ pro ipsis agimus, ad nos redit eorum fructus. VI, 1521. Defunctorum tumulis cibi ac vina apposita. V, 2101, 2102.

*Delangabria.* VII, 812.

Delectationis transituræ vanitas. V, 1978.

Delictum tanto magis grave, quanto persona sublimis. III, 2226. Delictorum indulgentiam omnibus esse necessariam. V, 2033.

*Demetriadis* elogium. II, 1099.

*Democrates.* I, 1445.

*Demosthenes* pronuntiationem inter prima vel sola Oratoris officia censet. I, 1441. Liori ejus Idiotici. I, 1448.

*Demosthenes* Pelagianus dictor involutus. X, 1705.

*Deodatus* vir illustris. X, 1790.

Deportationis pœna. IX, 815.

Descendere Deus dicitur, quando aliquid novum, quod antea non fuerat, in creatura operatur. VIII, 1204.

Desertum quam conveniens sit saluti. V, 2032. Desertum quomodo sit corpus Christiani jejunantis. V, 2052. Deserto comparantur corda Spiritu sancto vacua. V, 2111.

Deserit Deus neminem, nisi prius ab eo deseratur. V, 1786; VI, 875; X, 1841, 1846, 1848. Obedientem sibi Deus numquam deserit. X, 1867.

Desiderium quando ordinatum aut inordinatum. VI, 846. Sapientis est hoc appetere quod bonum facit, non id amare quod decipit. X, 1869. Deus tibi totum est quod recte desideras. X, 1888. Desiderans aliquid exterius, nondum habet Deum interius. VI, 887. Desiderium Dei quot bona præstet. VI, 955.

Desperatio impiorum est, non peccatorum. VI, 1198. Unde maxime inducatur. VI, 1201. Ex peccatis diu neglectis generatur. V, 2224. Desperatio ex peccatorum multitudine, et ex desperatione nascitur obduratio. V, 1786, 1788. Desperandum hic nulli. VI, 1179, 1180, 1187, 1189, 1200. Sive ob gravitatem criminis, sive ob generis humilitatem. V, 2125. Desperationis obtentus repellitur. VI, 1038. Desperatio pejor est omni peccato. VI, 1157, 1179. Quantam injuriam Deo faciat. VI, 961, 1158. Desperandum non est de malis. X, 1874. *Vide* Peccatum.

Despiciendus nemo. VI, 1172.

Desponsatio spiritalis. V, 1754, 1756.

Destina præcepti. V, 1757.

Detractores arguuntur. V, 1845. Detractor unde quis fiat. V, 1978. Detractor et libens auditor diabolum portant in lingua. VI, 1056. Utrisque esca mortis animæ est detractio. VI, 1056. Detractio, fornicatio est animæ. VI, 1058. Vilium hominum est. II, 1112. Non minus auribus quam lingua fugienda est. II, 1112. Ut detractor discat non libenter dicere, quod dicerit non libenter audiri. II, 1112. Detractioni opponitur libertas justæ correptionis. VI, 1095. Detrahendi non danda occasio. VI, 1097.

Devotio quid sit. VI, 816.

*Deum* esse. VI, 1010. Sed nullis verbis proprie exprimi, ac nullum prædicatorum ei convenire. V, 1008. Divinas res apte explicare nequeunt humana eloquia. III, 2568. Eas una ex parte explicant, secus ex alia. III, 2566. Deus qualis aut quantus sit, sciri non potest. V, 1969. Dei notitia qua ratione comparanda. VI, 812. Deus ut cogitetur, omnes res creatæ ab animo dimovendæ. VI, 974. Deum per sensus non inveniri. VI, 887. Creaturarum de Deo testimonium. VI, 887. Deus per nostra ad suorum notitiam dignatur nos trahere. VI, 973. Dei notitia quatenus philosophos ac gentiles superemus. V, 2175. Divinæ naturæ ignorantia veniam promeretur, temeraria assertio pœnam habet. V, 2175. De Deo plus Angeli sentiunt quam homines, et his plus Archangeli, sicut Archangelis Cherubim et Seraphim. III, 2214. Dei essentiam rationabiliter investigare, ad vitam properare est; illam negligendo ignorare, est ad mortem festinare. VI, 1005. Deus non discutiendus a nobis, sed credendus. VI, 1191. Dei essentia miro modo scitur, dum esse creditur. VI, 973. Deum ne comprehendere tentet homo, qui nec se valet comprehendere. VIII, 1120. Deus quid sit, vis scire? hoc scito quia nescias, et nec ipsi Angeli scierunt. V, 2175. Deus propriam essentiam solus totam novit. VI, 924. Ipse sibi soli integre notus. VI, 889, 974. Ideoque digne a nobis colitur. VI, 974. Qua via et quatenus homini innotescat. VI, 889, 890. Dei non parva notitiæ pars est, scire quid non sit. X, 1864.

Deus caret materia, non forma. VI, 924, 978, 980. Non est corporeus. VIII, 1206. Deo qui membra aut affectus humanos inesse credit, in corde suo idola fabricat. VIII, 1200. Qualiter intelligenda sint quæ illi membra Scriptura tribuit; sigillatim explicatur. VIII, 1200. Dei deambulatio in paradiso per creaturam facta. VI, 745. Dei latitudo, longitudo et profunditas. V, 974. Dei et corporum spirituumve una eademque natura. VI, 762. Deum qualem Manichæi doctrina faciat, qualem fides catholica credat. VIII, 1152. Ecclesiæ doctrina de Deo. VI, 925.

Deus quid sit. III, 2214; V, 1969; VI, 827, 1010, 1011. Deus est rerum universitas, et nulla singularum. V, 788. Dei summa excellentia. VI, 889. Dei perfectiones. VI, 909, 951, 970, 971. Dei perfectiones in speciem pugnantes fuse ac dilucide enarrantur. VI, 922, 951, 971, 978. Dei perfectiones ad nos relatæ. VI, 982. Deus quantum bonum sit, hinc ostenditur, quod nulli abeo recedenti bene est. X, 1884. Qui totus bonus. VI, 965. Dei summa simplicitas. VI, 761; X, 1893. Deo idem est esse, vivere, intelligere, posse. VIII, 1174. Deo non accidens, sed essentia est præscientia. X, 1657. In Deo ipsa substantia est sibi scientia. III, 2375. Omnia in eo substantiva dicuntur. III, 2375. Nihil est de Deo, quod non dicatur Deus. III, 2251. Deus ipse est numerus, mensura et pondus. VI, 745. Seipsum sine tempore et loco movet. VI, 746. Uno eodemque tempore apud Deum est et præscire, et facere, et eligere. X, 1068. Dei existentia æterna. VI, 996. Deus mundum non præcessit tempore, sed æternitate. VI, 995. Dei immutabilitas. VI, 982. Dei immutabilitatis argumentum. VI, 762. Deo non variantur tempora vel momenta. VIII, 1109. De Deo voces *semper*, *quando* vel *nunquam* non nisi cum venia dicendæ. VIII, 1185, 1188. Qua ratione dici possit, *Fuit*, *est*, *erit*. X, 1895. Deus qui credendus idem et cum vacat, et cum operatur. X, 1871. Aut cum dicitur irasci aut pœnitere. X, 1872.

Dei essentia est incorporea. VI, 976, 978.

Deus est spiritus immensus et ubique totus. VI, 969. Ineffabiliter implet et continet omnia. VI, 762. Inquinari nusquam potest. VIII, 1146. Qui extra, infra, supra et infra omnia. VI, 982. Deus ipse sibi locus. VI, 982. Deum in omnibus et ubique esse et in se ipso permanere multis propositis quæstionibus declaratur. VI, 1019. Deus nunc ubique: quomodo omnia in omnibus futurus sit. VIII, 1787. Cur potius in cœlo dicatur. VIII, 1174. Qui intelligendus sit descendere. V, 1749. Deus in anima habitat se desiderante. VI, 887. Dei in nobis inhabitantis indicia. V, 2009. Deus nusquam deest; sed illic dicitur esse, ubi apparet ac vult videri. III, 2522. Mysterio quodam in omnibus est, providentia in quo vult apparet. III, 2522. Omnia inæqualiter fungi. VI, 971.

Dei mens. VI, 1141. Scientia. VI, 996. Dei sapientia non magis sapientia quam veritas, et vice versa. VI, 996. Nihil eum latet. VI, 775. Deo cognita sunt non tantum dicta et cogitata, sed et agenda et cogitanda V, 2054. Dei præscientiam hoc esse quod et voluntatem quidam falso putant. X, 1840, 1845. Deo omnia præsentia sunt. X, 1668. Illæsa libertate nostra. VI, 995. Deus creaturam non extra se vidit. VI, 746. Qui nescire intelligendus sit. V, 1749. Dei locutio. III, 2367; VI, 995. Deus verbum genuit coæternum, in quo omnia intemporaliter dixit. VI, 740. Tribus modis nobis loquitur. VIII, 1204. Quomodo loquatur ad sanctos. V, 2155. Dei in ore laus sanctorum, et Dei laus in ore beatorum, quid. VI, 995.

Dei omnipotentia multis argumentis evincitur. V, 2182. Dei in parvis et in magnis eadem potentia. VI, 871. Dei voluntas semper impletur. X, 1785. Dei voluntatem per omnia sæcula indifferentem esse, ac dispensationes ejus pro liberi hominum arbitrii mutabilitate variari absurdum est. X, 1856. Quo sensu dicatur velle omnes salvos fieri. X, 1785. Deus omnia potest, sed non facit nisi quod conveniat veritati et justitiæ. III, 2291. Ac rationi. III, 2278. Quod facit, juste facit. III, 2278. Deus nulla re eget. VI, 792. Fecit opera sua ex beneficentia, non ex indigentia. VI, 740. Nos creavit propter suam bonitatem ac nostram utilitatem. VI, 850. Potuit omnia simul facere, sed non fecit, cur. III, 2320. Aliquid esse quod Dei non sit, quidam frustra dicunt. III, 2518. Deum auctorem habet quidquid est in creaturis laudabile. X, 1895. Deus omnia quorum auctor est præscit, nec tamen omnium quæ præscit auctor est. X, 1895. Deus eorum tantum auctor est, quæ habent esse. VI, 729. Mali auctor non est, sed ordinator. VI, 1018. Non ordinavit peccatum, sed pœnam amantibus culpam. VI, 1126. Peccatum qui nolit, nec tamen cohibeat. VI, 1126. Deus quod permittit, facere dicitur. III, 2269. Occidere, et mortem non fecisse qui dicatur. X, 1885. Deus credendus est fecisse, etiamsi non appareat, quod recto intellectu ab eo faciendum fuisse cognoscitur. X, 1896.

Dei erga nos sollicitudo. VI, 792, 854, 875. Deo rerum nostrarum curam negantium verba. III, 2386. Refelluntur. III, 2387. Ordinationi Dei adquiescendum. VI, 853. Deus hominibus quod humanæ virtutis est dimittit. V, 1928. Providentia divina non mutata in se, pro nostra valetudine mutat remedia. X, 1895. Dei in hominem benignitas. V, 2244. Deus plura semper tribuit, quam promisit. V, 1806. Dei dona diversa in uno Deo habentur. X, 1888.

Dei misericordia commendatur. VI, 902, 946, 949. Dei ad indulgendum propensio. V, 1851. Deus non deserit, nisi prior desertus. VI, 793. Reorum pœnam non concupiscit, sed juste et tranquille disponit. X, 1860. Quodammodo invitus vindicat. V, 1895. Dei in peccantes sententia non immutabilis. V, 1802. Dei misericordia injustitia esset, nisi Dei esset. VI, 1150. Dei quanta misericordia, quam necessaria justitia. VI, 1187. Deus non potest tantum dici justus, aut solum misericors. X, 1658. Severitas Dei in Israelitarum punitione valde attendenda. V, 1801, 1802. Vias Dei, hoc est dona misericordiæ et veritatis, judicio vestigare non licet. X, 1852. De Dei justitia aut sapientia non est humanæ sapientiæ aut justitiæ lege disputandum. X, 1667. Cur illum retineat aut liberet, illum non retineat, impossibile est comprehendere, nec licitum vestigare. X, 1848. Deus absque injustitia uni donat indebitam gratiam, alteri reddit debitam pœnam. X, 1867. In damnando homine justus, in redimendo misericors. V, 2202. Deus hic misericors, in futuro justus. V, 1963. Dei misericordiam ac justitiam absque miseris aut reprobis declarari potuisse. VI, 1017.

Deus qui solus immortalis, qui invisibilis. VI, 1022. Nulli unquam apparuit secundum essentiam. III, 2411; VI, 975. Deum in essentia sua nemo mortaliter vivens vidit, aut videre poterit. VIII, 1206. Eum videre, est recte illum credere et ex corde diligere. VIII, 1206. Filium Dei apparuisse patribus, eum autem qui Pater est, numquam videri nisi a Filio. III, 2266. Filium etiam nunquam visum esse per substantiam, sed per rationem. III, 2265, 2411. Et hoc circum apparentia. III, 2411. Deum Patrem nemo neque natura neque meritis videre dignus est, nisi verus Filius ejus, in quo illum vident Sancti in cœlis. III, 2369. Deus videri non potest oculis carnalibus, nisi per subjectam creaturam. VI, 737; VIII, 1196. Deum quærere bonum est, faciem ejus quærere plenum bonum. III, 2554. Quorsum quæratur facies Dei, quæ videri a mortalibus non potest. III, 2554. Dei visioni cor prius mundandum. V, 2085. Dei faciem videre quid sit, et quod sit plena hominis beatitudo. VI, 895. Dei beatæ visionis multa nomina. VI, 1012. Deus videri potest ab Angelis et animatus Sanctorum; sed non a bene, neque a Sanctis, neque ab Angelis VIII, 1175. Deum quomodo videant Angeli et animæ Beatorum. VI, 1023. Deo tripliciter fruentur Beati. VI, 829. Dei visione quid capiemus. VI, 981. Ea inæqualiter potientur Sancti. VI, 980; VIII, 1173. Ita tamen ut nulli quidquam desiderandum desit. VIII, 1173. Deum tanto perspicacius videbit quisque, quanto hic vixerit purius. VI, 980.

Dei unius trinique mysterium. VI, 974, 975, 976. Deus unus in omnibus Scripturis prædicatur : mysterium autem ejus in Trinitate adoratur. III, 2296. Deus natura unus. V, 2151; VI, 769, 770; VIII, 1215. Unus, non solitarius. V, 2180, 2188. Unus, non singularis. III, 2280. Unus in Trinitate coæternarum personarum. VIII, 1213. In uno tres sunt, et tres unum sunt. III, 2280. Deus unus seu unitas in essentia, et trinus seu trinitas in personis. VI, 1260; VIII, 1193. Trinus et individuus. III, 2151. Trinitas unus Deus verus VI, 769. Unus Deus sempiternus, unus Deus incommutabilis. VI, 770. Solus rerum omnium creator VI, 770. Unus Deus immensus virtute, non mole. VI, 771. Deus unus, tres personæ, una trium imago. III, 2244; VI, 1210. Una trium potentia. III, 2574. Una eademque Patris et Filii est omnipotentia. VIII, 1181. Nec aliud opus Filii, quam Patris; sed unus atque idem, ut ita dicam, motus in omnibus. VIII, 1183. Nec altera bonitas in Filio, quam ea sola quæ in Patre est. VIII, 1185. Cum dicitur, *Nemo bonus nisi unus Deus*, non excluditur Christus, aut Spiritus sanctus. VIII, 1185. Deus Christus ita in sacris libris significatus, ut modum non excedat unius. III, 2285. Deum inter, et id quod de Deo, nihil distat : sed qui persona alter, idem est unitate substantiæ. III, 2408. Dei unitatem commendat ab uno factus unus homo ex quo cæteri oriuntur. III, 2217. Deitatis unitas in Trinitate per unitatem gratiæ ac muneris approbatur. V, 2088. Deus unus Legis et Evangeliorum. V, 2176; VIII, 1175.

Deus unus est, non tres Dii. VI, 924. Deum unum nos non colere arguunt Pagani et Sabelliani, quia trinum. VIII, 1101, 1102. Deum conjugii expertem, eique nihil quidquam simile posse inveniri atentur. VIII, 1102. Hinc Filium negant. VIII, 1102. Pater Deus et Filius Deus unus est Deus. VIII, 1103. Filius et Pater ita distinguuntur, ut Pater sit *a quo*, Filius *per quem omnia*. III, 2266. Quia indubitanter unum sunt Pater et Filius, non duo sunt dii, sed unus Deus. VIII, 1116. Licet sit Deus ex Deo, dies de die, lumen de lumine. VIII, 1119. Deus Trinitas est. VI, 735. Pater alius a Filio et Spiritus sancto, non aliud. VI, 734. Pater et Filius et Spiritus sanctus tres personæ. VI, 734. Non tres Dii aut tres essentiæ, sed unus Deus. VI, 735. Patris et Filii cœternitas ostenditur verbis Isaiæ, *ante me non est formatus Deus, et post me non erit*. VIII, 1111. Item ex similitudine ignis et splendoris. VIII, 1111. Item ex eo quod Filius Verbum est et ratio Patris. VIII, 1110, 1119. Dualitas in prole, unitas in deitate. VIII, 1112. Deus nomen est proprium et naturale singulis personis; et Pater, Filius et Spiritus sanctus appellativa sunt nomina. VIII, 1208. Ideo dicimus tres personas, non tres deos, quia in personis est distinctio, non in deitate. VIII, 1209. Triplicari deitatem, sacrilegii noxa est sputis digna. VIII, 1209. Pater et Filius et Spiritus una caritas, non tres caritates. VIII, 1174. Nec tres boni aut tres omnipotentes. VIII, 1172. Nec tres dii; quia una substantia, et non tres substantiæ, non tres sapientiæ. VIII, 1174. Non tria lumina. VIII, 1174. Deus in naturæ nominibus pluralem numerum nullatenus recipit. VI, 924. In Deo omnia unum sunt, excepto quod ad relationem adtinet. VI, 996. Ideoque sola relativa nomina plurali numero proferre licet. VIII, 1172. Ac de personis singulis naturæ nomina prædicare. VIII, 1174. Dei unitas ac personarum trinitas ostenditur exemplo lucis, splendoris et caloris. VI, 1013. Sive Pater faciat, sive Filius, sive Filius, sive Spiritus sanctus, Trinitas est quæ operatur; et quidquid tres fecerint, Dei unius est operatio. III, 2251. Sicut Pater per Filium dicitur facere, ita Filius per Spiritum sanctum. III, 2244. Ignis similitudine, in quo licet una substantia sit, aliud tamen facit splendor, aliud calor, ostenditur solius Filii incarnatio. VIII, 1175.

Dei regnum ubique indivisum. X, 1655. Deum nosse et amare hic paucorum est. X, 1860. Deum habere Patrem quanta gratia. V, 2193. Deus quomodo quærendus. VI, 804, 814, 827, 827, 964, 966, 969. Dei inveniendi ratio. VI, 1221. Qua ratione ad Deum accedatur, aut ei adhæreatur. X, 1879. Deo nihil nobis præsentius, nihil secretius. VI, 822. Deo actionibus longinqui aut proximi sumus. X, 1867, 1869. Deo nullus inimicus, nisi peccator. VIII, 1149. Dei præsentia arcet peccata. VI, 1188. Deum nullo momento oblivisci debet homo. VI, 806, 964. Qui ipsius præsentiam recolat. VI, 964. Dei qui non meminit, eumque non intelligit neque diligit, cum eo non est. X, 1864. Deum qui non habet placatum, nequaquam evadet iratum. VI, 924, 978. Non est quo fugiatur a Deo, nisi ab ipso ad ipsum. X, 1878. Dei flagrans desiderium. VI, 865, 894. *Et per totum Tractatum.* Deum

sitientis ardentes affectus. VI, 950, 942, 944, 953, 981. Dei claritas qui gradatim cogitanda. VI, 1011. Deus qualiter in oratione cogitandus. VI, 1011, 1020. Dei bonitas ac majestas contemplationem quomodo foveant. VI, 1137.

Deus solus adorandus. VI, 1173. Dei veri religio habet Deum auctorem, leges sanctas, et ex virtutum testimoniis auctoritatem. III, 2342, 2344. His necessario cedendum. III, 2344. Comparatur honestas legum et ministrorum ejus cum turpitudine legum et ministrorum gentilium. III, 2343. Deitas cur non colatur sub justitiæ, misericordiæ, aut virtutum aliarum vocabulis. VI, 1016. Ad verum Dei cultum omnia aut belli laboribus aut pacis consiliis Honorius ordinat. IX, 816. Dei unius cultus qua ratione ad multos translatus. V, 2001. Deorum auctores homines; eorum cultus ab ipsis non mandatus, nullis testimoniis fultus. III, 2341. Turpis est et inhonestus. III, 2342, 2343. In tenebris celebratur. III, 2342.

Divina manus Imp. IX, 817.

*Deusatelius* presbyter. IX. 794.

*Deuterius*. IX, 816, 827.

Dextera intelligitur amor Dei, sinistra vanitas vel cupiditas sæculi. V, 1865, 1865. Dextera significatur intentio vitæ æternæ. V, 1867.

Diabolus operis nomen est, non naturæ. III, 2282, 2298. Diaboli et Satanæ discrimen. III, 2298. Diabolum esse docet Ecclesia, sed non quis, aut quomodo sit : quæ communis sit de eo opinio. VIII, 1177. Diabolus quid sit. VI, 1071; VIII, 1117. Eum aut malum a Deo factum, aut propriam habere originem quidam dicunt. III, 2299. Diabolus natura malus non fuit. III, 2217. De præstantia sua inflatus voluit dici Deus. III, 2216. Ad accusationem illius factus est homo; ideoque hominis exstitit inimicus. III, 2217. Diabolus unus ex rebus creatis detestandus. VI, 1185. Mali auctor est et inventor. VIII, 1218. Quot bona homini eripuerit, quot intulerit mala. VI, 1071. Mulierem per serpentem seduxit, et data in serpentem sententia ipse damnatus est. III, 2252. Qua lingua locutus sit. III, 2252. Ad diabolum, ut auctorem mortis referuntur, quæ de morte dicuntur. X, 1618. Diabolus auctor est mortis per suggestionem peccati, non per potentiam retributionis. X, 1779. Pœnarum est auctor et exhibitor ex concessione divina, non ex propria potentia. X, 1779. In hominibus auctor est libidinis. X, 1659. In peccantium flagitiis illecebrarum adjutor, non voluntatum generator. X, 1847. Carnem in potestate habet, non animam. VI, 1074, 1352. Internas animæ cogitationes non videt, sed ex quibusdam indiciis colligit. VIII, 1221. Non omnes malas excitat. VIII, 1221. Non illabitur substantialiter animæ per energicam operationem. VIII, 1221. Ibi versatur, ubi homo quem decepit. V, 1903. Desertus in idolis, tamquam inclusus latebat in templis. IX, 802.

Diaboli captivus est omnis homo non redemptus. X, 1845. Deum velle ut ei serviatur, insane dicitur. X, 1846. Peccator pœnalem illius dominationem merito patitur. X, 1846. Ante Christum nec animus erat ad pugnandum, nec vires ad eum vincendum. V, 1819.

Diaboli, adventum Christi nobis invidentis, figura. V, 1819. Christi de manibus ejus nos liberantis figura. V, 1819. Diabolo victori injustum erat spolia violenter auferre. III, 2277. Qua arte eum in inferis Christus delusit. III, 2277. Diabolus quam juste et congrue ab homine divino delusus et prostratus. V, 2053. Quomodo juste homo ei ereptus. III, 2359. Diabolus Christi cruce devictus. III, 1820. Ac proprio gladio interemptus. V, 1820. Juste excidit jure quo in hominem gaudebat. V, 1808. Diaboli opera, quæ Christus sustulerit. X, 1624. Diaboli pompæ quibus renuntiandum. V, 2235; VI, 1170; VIII, 1118.

Diaboli fraudes et artes ut nos perdat. VI, 877, 878, 879, 1319. Monachi cujusdam vestes crebra colluvione fœdare cur permissus. VI, 1104. Diaboli calliditate numquam percuti difficillimum. V, 2076. Diabolus semper prodit se, dum ea confingit quæ abhorreant a personis, per quas fallere nititur. III, 2251. De fratrum pace semper torquetur. IX, 802. Non est unde plus gaudeat, quam quando eum homo peccati sui auctorem facit. V, 2215. Diabolus figuratus in Laban. V, 1763. In Pharaone. V, 1776. Ipse et leo et draco. V, 2549. Malleus universæ terræ. V, 1844. Justos et injustos tundens, quam diversa in eis operetur. V, 1845. Diabolus ante adventum Christi solutus, post religatus. V, 1819. Latrare potest, non mordere nisi volentem. V, 1820. Potest ad malum invitare, non potest trahere. V, 1979. Non cogendo, sed suadendo nocet; nec extorquet consensum, sed petit. II, 1117; V, 1820, 2213. Nil agit nisi permissus. VI, 1173. Diabolus discedentes a se vexare solet. VI, 1175. Et eos qui suas fraudes spernunt. V, 2269. Sed neque hoc nisi permissus valet. V, 2270. Permittitur autem duabus de causis. V, 2270, 2272. Diabolus non persequitur nisi bonos. V, 1775. Hoc agere solet per malos. V, 1775. Non Judæos quærit, non gentiles, non homines malæ vitæ, sed Dei servos. III, 2217. Diaboli in eos crescit odium, in quibus crescit virtutis studium. II, 1116; II, 1117. Qualiter tentet novitios. II, 1118. Diabolus tanto crudelius in nos sævit, quanto propiorem prospicit mundi finem. VI, 1182.

Diabolum hostem habere utilius est, quam principem. X, 1870. Eum non timet, qui Deo se committit. V, 1909. Nec timendus ei est qui Deo conjunctus est. V, 1917. Diabolo bellum indicit qui Christum sequitur. V, 1796. Qui cum illo certandum. V, 2076. Quibus armis sit vincendus. V, 1797. Nos diabolum non adjuvemus, et vincimus. II, 1117; V, 2213. Diabolus nos semper Spiritu Dei plenos ac bonis operibus occupatos inveniat. V, 1821. Fugandus est studio Scripturarum. II, 1117. Diabolum quisque aut Christum in corde suo pascit. V, 2347. Diabolo sociatur, qui disjungitur a Deo. V, 2348. Diaboli angeli sunt, qui faciunt voluntatem ejus. VI, 1071. Diaboli quam misera servitus. V, 1775. Diabolus ut ovet in exitu animæ peccatricis. VI, 1556. Qui in judicio reos sit accusaturus. VI, 1072. Scil. qui pompis ipsius non ex toto renuntiaverint. VIII, 1118.

Diaconi primi constituti sunt deservire mysteriis, nolo dicere mensis. III, 2302. Diaconi ordo est accipere a sacerdote, et sic dare plebi. III, 2302. Sacerdotibus exceptis omnibus præponitur. III, 2303. Diaconi testimonio fit presbyter. III, 2302. A diaconis perducuntur ordinandi. III, 2303. Diaconus clamat ut ad benedictionem populus humilietur. V, 2286. Orationem indicit, clamans, *Flectamus genua*. V, 2285. Calicem Christi credentibus ministrat. V, 2096. Diaconi adstant in Concilio considentibus episcopis. IX, 808. Diaconi habitus. VII, 838, 846.

Diaconos (Romanæ civitatis) sacerdotibus cœquare, ne dicam præferre, Falcidius contendit. III, 2301. Quasi honorabiliores sint, quam apud cæteras ecclesias, ob magnificentiam urbis. III, 2301. Diaconi Romanæ Ecclesiæ sedendi dignitatem in ecclesia non præsumant. III, 2301. Ut aquam in manus sacerdotis non fundant, sicut fit per omnes ecclesias, multitudo facit clericorum. III, 2301. Cur sacerdotibus non sic deferatur, ut illis. III, 2302. Per convivia agunt quod socerdotum est; et quod solis sacerdotibus licet, ut sibi in orationibus respondeatur volunt. III, 2302.

Dialectica est bene disputandi scientia. I, 1409. Dialecticæ principia. I, 1409. Aliud est ad facultatem dialecticæ, aliud ad dialecticam disci, linam pertinere. I, 1411. Dialectici et Oratoris in usu verborum fines proprii, sed mutuo non spernendi. I, 1414.

Diapsalma. III, 2334.

Dicatio mea. IX, 819, 820.

Dicibile et dictio qui differant. I, 1411.

*Didymus*. IX, 781. Contendit tertium esse in substantia hominis spiritum. VI, 815; VIII, 1216.

Dies et nox cum mundo cœperunt ac cessabunt. III, 2321. Diei nox semper subjicitur. III, 2321. Dies primus ipse est Angelica natura. VI, 740. Dies creationis sex qui intelligendi. VI, 741. Dies malos faciunt malitia et miseria. V, 1964. Dies Romanorum civitatis. VII, 841. Dierum superstitiosæ observationes. V, 2269. Ne dicatur dies Martis, Mercurii, Jovis; sed feria secunda, tertia, etc. V, 2095. Dies Domini quotidie est Christianis. V, 1757. Dies magnus, quid. III, 2440.

Differentia quid sit. I, 1424.

*Dignus*. IX, 778.

Dignitatum atque officiorum tituli et gradus diversi. IX, 808, 816, 818, 820, 828, 841, 842. In dignitatibus alii meliores, deteriores alii efficiuntur. VI, 1082.

Diluvium generale totius mundi sub Noe. III, 2173. Diluvium misericordiæ divinæ fuit effectus. V, 2028. Baptismi ac jejunii Quadragesimalis similitudo fuit. V, 2028. Diluvio cur terrena tantum, et non aquatica animalia perierint. III, 2155. Quid de illis actum sit, quæ nec in terris, nec in aquis solis vivere valeat. III, 2156. De aquarum eruptione et recessu variæ opiniones. III, 2156 Diluvium hominem delevit, crimen delere non potuit. V, 1981.

*Diocletianus* VIII. Cons. IX, 794.

Diœcesis Ægypti. X, 1687. Diœceses majores tenet Papa. IX, 787.

*Dionysius* fons Arii. VIII, 1214.

*Dionysius* Consul. X, 1686.

*Dioscorus*. X, 1778.

Diospolitana synodus. X, 1685, 1688. Quidquid in ea Pelagius se dixisse denegavit, postea apertius dixit. X, 1749. *Vide* Palæstina.

Discentis tutior est conditio, quam docentis. X, 1891 Ad discendum dupliciter ducimur, auctoritate atque ratione X, 1897.

Disciplina quid sit. VI, 1087. Disciplinæ ac virtutis discrimen. I. 1433. Disciplinæ necessitas et utilitas. V, 1799, Disciplina etiam est in fratre. VI, 1221. Disciplina religio-

nis ac veræ pietatis magistra. VI, 1219. Qua omnia continentur et ordinantur. VI, 1219. Vitia omnia frenantur. VI, 1219. Criminum vitantur supplicia. VI, 1220. Disciplinæ legis divinæ servit humana. VI, 1220. Disciplina quibus gravis, quibus levis. VI, 1220. Disciplinæ temperamentum est bonitas, et disciplina condimentum bonitatis. V, 1851. Disciplina sine bonitate, tristis quædam est amaritudo vivendi. V, 1849. Disciplina Ecclesiæ, tunica est corporis Christi. VI, 1087. Disciplina Ecclesiastica seu Apostolica circa clericorum stabilitatem. X, 1762, 1771. Disciplinæ severitatem ob reorum multitudinem exercere non valens Episcopus, quid agere debeat. V, 2295.

Disciplina cæditur Christus. VI, 1295.

Discordiæ pernicies. V, 1931.

Discretio apud Deum non est nisi meritorum. V, 1980. Discretio boni et mali non est facilis, et difficilius probatur aliis. V, 2033. Discretio mater et nutrix est omnium virtutum. I, 1462. Sæpe falso discretionis nomine palliamus negotium voluptatis. I, 1462. Discretio est animam carni præponere, et ubi periclitatur utraque, pro illius utilitate istam negligere. I, 1462.

Distractionum in orando non leve crimen. V, 2281; VI, 964.

Divalis lex. IX, 806.

Divinos consulere quantum sit malum. V, 2235, 2269, 2270. Divinis credenti nihil proderunt quælibet bona opera. V, 2270. Divinos aliqua vera prædicere non est mirandum. VI, 1175. Cur frequenter vera nuntient, mala inferant, ac nonnisi per eos vitetur periculum. V, 2269, 2270.

Divitiæ natura bonæ, malis sunt malæ. V, 2155. Divitiæ veræ. V, 1786. Divitiæ veræ ac falsæ. X, 1866. Divitiæ veræ quibus aufertur inopia, et falsæ quibus crescit. V, 2153. Divitias suas ibi quisque habet, ubi delectationem. X, 1878. Divitiis se implicans, elongat se ab amore Dei. VI, 1345. Eas numquam hic acquiri sine peccato. VI, 1345. Cum argenteis simulacris vili marsupio non includendus animus, qui cum nummorum pondere numquam poterit transvolare ad cœlum. I, 1471.

Divitibus etsi pecunia non finitur, vita tamen finitur. V, 2342. Divitum est infernus, si pauperum regnum cœlorum sit. VI, 1218. Divitis et Lazari pauperis mutatæ vices. V, 2372. Divites de rebus, dum suæ sunt, se redimant. V, 2352, 2353. Divitis et pauperis unum opus laudem vel vituperationem in uno majorem meretur, quam in altero. III, 2372. Divites, nisi omnibus abrenuntient, regnum Dei habere non posse dixit Pelagius. X, 1709. Sed hoc damnare compulsus est. X, 1709. Divites posse esse bonos, nec culpandam eorum dignitatem, sed fastum. V, 1843. Divitibus nil nocet quod divites sint, si humilitatem et misericordiam vel justitiam tenere contenderint. V, 2311. Utilius terrena opulentia humiliter tenetur, quam superbe relinquitur. X, 1887. Divites Christiani, si vere Christiani sunt, prorsus pauperes sunt. X, 1878. Dives qui contemnit in se unde inflari superbia solet, pauper est Dei. X, 1879. Divites apud Deum. III, 2253. Dives cum aliqua sue quis possit esse. V, 2248. Dives pauper est sine caritate, cum qua pauper dives est. V, 1957, 1968. Divitiarum bona ordinatrix est caritas. V, 1957.

Divites et pauperes quorsum fecerit Deus. V, 1980. Quid sibi invicem conferant, vitis et ulmi similitudine illustratur. V, 2334. Divitibus militat inopia pauperum. V, 2331. Non illis datum, sed transmissum est pauperibus per eos dispensandum, quod eorum necessitatibus superest. V, 2338. Divitem Deus constituit prærogatorem in bonis suis. V, 2341, 2342. Et quia aliquantam curam gerit, ut ad securum pauperem victus perveniat; ideo de re communi prior permittitur tollere quod sufficiat. V, 2248. Divitum nihil pauperibus erogantium crimen. X, 1866. Dives superflua non erogans, tot homicidiorum reus, quot pauperes in locis ubi habitat, fame mortui fuerint. V, 2268; VI, 1176. Inde cum iis in die judicii causam est dicturus. V, 2265. Dives sine misericordia, abusus. VI, 1246. Divitum avarorum mores. VI, 1346. Dives modo vix invenitur. V, 1958.

Docti, sunt lapides pretiosi. V, 1854.

Doctoris lingua exterius in vacuum laborat, nisi sit intus qui doceat. VI, 1196. Doctor et discens separantur officiis, sed jungantur factis. V, 2243. Doctor obsequentis discipuli exemplo plectitur, cum ipse eadem non facit. V, 2244.

Doctrina. In Doctrina apostolica parvuli et magni, infirmi et fortes habent unde et alantur et satientur. X, 1859.

Dogmata a majoribus decisa non sunt amplius retractanda. X, 1764. De Dogmatibus ecclesiasticis Tractatus. VIII, 1211, 1212.

Dolor carendi prodit cupiditatem fruendi. II, 1103. Dolore quosdam propter animæ maculas laborare, in paralytico ostenditur. III, 2196. Dolendi quæ nobis sit jugis materia. VI, 1120, 1124. Dolor de peccatis non est nisi cum vita finiendus. VI, 1124, 1128. Non omnis dolor est pœnitentia. VI, 1120.

Dominus verus ideo Deus est, qui servo non indiget, et quo servus indiget. X, 1862. Dominus est rerum quas habet, qui nulla cupiditate irretitur. X, 1875. Dominus sine virtute, abusio. VI, 1082. Dominis tria necessaria. VI, 1082. Præsertim necesse est ut Domino adhæreant dominorum. VI, 1083. Dominari nequit, qui prius alicui servitutem exhibere denegat. VI, 1080. Dominetur carni anima, animæ ratio, rationi gratia. VI, 954. Dominorum in servos sævitia reprehenditur. V, 2050.

Dominicus dies appellatur quo Dominus resurrexit. III, 2322. Cur dictus sit Dominicus. V, 2274. Dupliciter Domini est. III, 2335. Hujus typum habet quinquagesimus numerus. III, 2335. Dominicus dies quot mysteriis ac Dei gestis clarus. V, 2070, 2274. Eo die et inchoatum et adimpletum, quod ad humanam salutem proficit. III, 2289. Eo die manna dari cœpit. V. 1794. Dominico die ad ecclesiam conveniendum. V, 2238. Soli Deo vacandum. VI, 1174. A servili opere abstinendum. VI, 1171. Non dubitatur quin Dominico die opera faciant, qui feria quinta ex superstitione ab iis vacant. V, 2240. A vespera diei Sabbati ad vesperam diei Dominici a rurali opere et ab omni negotio vacandum. V, 2275. Ad vespertinam et nocturnam celebrationem veniant qui possunt. V, 2275. Alii domi non negligant Deo solvere votum ac reddere pensum servitutis. V, 2275. Nullus se a Missarum celebratione separet. V, 2275. Acriter reprehenduntur, qui hoc die Missas ad integrum non perexspectant. V, 2276, 2278. Nisi quos excuset infirmitas vel publica necessitas. V, 2278. Si toto die Dominico lectioni insistere et Deo supplicare negligimus, non leviter in Deum peccamus. V, 2278. Varii usus perversi contra hujus diei sanctitatem. V, 2278.

*Domitianus* Imperator. III, 2266.

*Domitius*. IX, 790.

Dominus. VII, 809, 811, 841.

Domus Dei, creata sapientia. VI, 915, 916. Ejus invocatio. VI, 916.

*Donatianus* a foro Claudii. IX, 779.

*Donatianus* partis Donati. IX, 807.

*Donatianus* Teleptensis, primæ sedis. X, 1730.

*Donatus* episcopus cathol. IX, 791.

*Donatus* innocens episcopali nomine et officio ab impio Felice spoliatur. IX, 804.

*Donatus* presbyter. VII, 839.

*Donatus* diaconus catholicus, filius Nini. IX, 803.

*Donatus* Cirt. civis, quem Cirtenses sibi episcopum petierunt. IX, 798.

*Donatus* Masculitanus, traditor. IX, 777.

*Donatus*, ex iis qui Bagaiensi Concilio interfuerunt. IX, 807.

*Donatus* Bagaiensis insanam colligit multitudinem. IX, 800, 801. Circumcelliones invitat, quos Paulo et Macario opponat. IX, 800. Sic invenit unde furiosam conduceret turbam. IX, 801. Mors ipsius, unitatis fugiendæ prætextus. IX, 801.

*Donatus* Carthaginis. IX, 800. Illius maledicta in Constantem Imp. et in præfectum Gregorium. IX, 801. Constans miserat ornamenta domibus Dei, pauperibus elemosynam, nihil Donato. IX, 801. Donatus auctor schismatis per calumniosam criminationem. IX, 841. Unde cœpta apud Carthaginem dissensio. IX, 795. Unde schisma. IX, 795.

*Donatistæ* deviæ plebis magistri. IX, 811. Hæretici de parte Donati. IX, 811. Catholicos quasi Samaritanos habebant. IX, 765. Ipsi potiori jure quasi Samaritani sunt habendi. IX, 764. A Constantino appellantur officia diaboli. IX, 788. Infandi deceptores religionis. IX, 789. Miserrimæ contentionis vexillarii. IX, 791. Basilicas fecerunt non necessarias. IX, 800. Missa a Constante ecclesiis ornamenta, et pauperibus eleemosynas contumeliose repudiant. IX, 801. In civitate Constantia basilicam invadunt Catholicis a Constantino constructam, noluntque sæpius moniti eam reddere. IX, 792. Donatistis neque est respectus salutis suæ, neque veneratio Dei ob oculos posita. IX, 785. Multa ab his Ecclesia catholica sustinet contra divinas humanasque leges. IX, 811. Donatistæ perpetrant homicidia. IX, 803. Eucharistiam canibus dant, et chrisma per fenestram projiciunt. IX, 804. Puellas incestant. IX, 804. Altaria frangunt. IX, 804. Episcopos deponunt. IX, 804. Nulli ecclesiastico ordini parcunt. IX, 804. Lavant sine causa parietes. IX, 804. Exorcizant fideles, et pœnitentiæ omnes Ordines præter leges Ecclesiæ subjiciunt. IX, 804. Cum personarum acceptione. IX, 804. Donatistæ priores non rebaptizandos aut reordinandos, sed per pœnitentiam reconciliandos putabant, qui alterius partis fuerant. IX, 774. Ex violentia Circumcellionum parti eorum invidia fit. IX, 801. Ex his aliqui falsi martyrii cupiditate se præcipites dabant. IX, 801. Quæ per Circumcellionum furorem agunt,

sustinet Ecclesia, quamvis ea liceret coercere. IX, 811, 812. Contra ipsorum violentias tuitio quæritur. IX, 812. Donatistarum Ecclesia non est nisi in Africæ angulo. IX, 771, 775. Romæ nullam basilicam habuerunt. IX, 805. Sed foris quamdam speluncam quo convenirent delegerunt. IX, 805. Episcopi schismatici, quos ibi ab Africa missos habuerint, recensentur. IX, 805. Montenses sunt dicti. IX, 805. Ob eos scil. qui extra Romam in spelunca conveniebant. IX, 805. Donati parti non est insuetum falsare acta. IX, 784.

Donatus a Romano Concilio sub Miltiade damnatus, quod confessus sit se rebaptizasse, et Episcopis lapsis manum imposuisse; appellat. IX, 779. Sententiis Romani Concilii percussus, ultro tamen Carthaginem prior rediit. IX, 780. Quamvis pollicitus se illuc non accessurum. IX, 779. Donati pars seditiosa Carthagine non adquieseit judicio Miltiadis et XIX. Episcoporum. IX, 780. Quid obtrudant adversus Concilii Romani gesta. IX, 785. Ut Arelatem conveniant, eis præcipitur. IX, 785. Donatistarum contumaciam et ab ecclesiastico judicio ad suum appellationem Constantinus detestatur. IX, 788. Appellantes ab Arelat. synodo jubet ad comitatum suum dirigi. IX, 789. Revocat facultatem redeundi ad Africam. IX, 789. Ut Cæciliano præsente probent quæ ipsi offerunt crimina. IX, 789. Pollicetur se fidem habiturum cæteris, si vel unum probent. IX, 789. Præsentiæ Constantini fuga se subtraxerunt. IX, 789. In Africam se venturum, ac de toto hoc negotio judicaturum Constantinus promittit. IX, 790. Et insolentiam eorum patientia domandam Catholicis suadet. IX, 791. Donatistæ de factis suis Catholicos infamant. IX, 768. Ab operariis unitatis multa aspere gesta, imputanda sunt Donatistarum majoribus. IX, 800. De iis quæ a Macario aspere gesta sunt, frustra invidiam faciunt. IX, 805, 804. Sine causa expostulant de Pauli et Macarii persecutione. IX, 800. Donatistarum causa ante collationem Carthagin. ecclesiasticis et imperiali judicio terminata. IX, 829, 832. Ob schismatis finem an. CCCXLVIII. Gratus gratias agit. IX, 802. Donatistarum episcopi nonnulli longe relegati. IX, 800, 802. Julianum precibus rogarunt, et ab eo impetrarunt, ut reverti possent. IX, 805. Libertas eis eadem voce reddita, qua idolorum templa patefacta. IX, 805. Donatistarum desperatio apparet Juliani rescripto ab ipsis impetrato. IX, 808. Eorum post redditam sibi a Juliano libertatem horrenda facinora. IX, 803. Rebaptizantes Constitutione Imp. Valentiniani an. CCCLXXIII sacerdotio indigni censentur. IX, 806. Constitutione Gratiani an. CCCLXXVII censentur de ecclesiis expelli, basilicis eorum Catholicæ restitutis. IX, 806. Et loca in quæ secreto convenerint, fisco tradi. IX, 806. Hipponensis Concilii an. CCCXCVII decretum, confirmatum in Carthagin. an. CCCXCVII ne quis Donatistarum clericorum in ordine suo recipiatur, sed in numero laicorum. IX, 806. Excipiuntur quos constat non rebaptizasse, aut qui cum suis ad Catholicam transeunt. IX, 806. De his Aurelius cum Concilio suo an. CCCCI. Nihil audet definire. IX, 809. Donatistis suos honores servari non placet transmarino Concilio. IX, 809. Salvo hoc decreto Concilium Carthagin. ann. CCCCI eos in suis honoribus recipit IX, 809.

Donatistæ. Ex iis quæ gesserunt erga Maximianistas, paratur via qua ad Ecclesiam reducantur. IX, 809. Illi numero CCCX apud Bagaiam adversus Maximianum ejusque ordinatores et socios sententiam dicunt. IX, 807. Maximianistas per judicum jussa e sedibus suis exturbarunt. IX, 773, 811. Redeuntes in suis honoribus receperunt et eorum baptisma acceptaverunt. IX, 772, 809. De Donatistis conveniendis decretum Carthagin. Concilii an. CCCCXI et forma conventionis hujus. IX, 810. Donatistarum Episcopi conventi respondere nihil audent. IX, 812. Sed in Episcopos et clericos aliosque furunt, et ecclesias aliquas invadunt. IX, 812, Quærit Concilium Carthagin. an. CCCCIV ut adversus eos valeant leges, quæ hæreticos ordinantes multant, aut jure testandi et aliquid per modum hereditatis aut donationis accipiendi privant. IX, 812. Eos qui rebaptizarint Honorius an. CCCCV omnium facultatum publicatione mulat, et privat testandi aut aliquid donationis specie accipiendi jure. IX, 813. Carthagin. Concilii anni CCCCV gratulatio de unitate facta, et exclusione Donatistarum. IX, 814. Concilii Carthagin. anni CCCCVII decretum, quatenus lex Imperatorum de unitate lata valeat. IX, 814. Supplicium justæ animadversionis adversus eos Honorius ann. CCCCVIII et CCCCIX decernit. IX, 815.

*Gallicus*. IX, 791.
*Gallienus* Duumvir. IX, 780.
*Gamaliel* stolatus revelavit S. Stephani reliquias. V, 2147. Qui revelarit. VII, 807, 809, 815.
*Gamalius*. IX, 807.
Ganges secundæ post Euphratem quantitatis, a Cyro in CCCCLX. fossas divisus. III, 2175.
*Garamantum* populi. III, 2350.
*Gargilianæ* thermæ. IX, 815, 827, 828. Aptissimus Collationi locus. IX, 819.
*Gaudentius* a Pisis. IX, 779.
*Gaudentius* episc. Donat. IX, 828, 830.
Gaudium semper in uno est. VI, 846. Gaudere bonum est, sed non si quis inde gaudet unde non debet. VI, 1050. Gaudium aliud rectum, aliud pravum. V, 2152, 2153. Gaudium iniquitatis, gaudium vanitatis, gaudium Spiritus sancti. VI, 963. Gaudium abominabile Deo. VI, 1050. Gaudium verum. V, 1917. Justitiæ et pacis est fructus. V, 1917. Nec ei est qui non est cor purum aut corpus castum. V, 2169. Gaudium verum in hoc mundo nec fuit, nec est, nec esse poterit. V, 2159. Gaudium Christiani in quibus sit. X, 1868. Est in spe. V, 1961. Gaudium nostrum interim sit in spe, aliquando futurum in re. V, 2160. Gaudium in Christo æternum est. X, 1867. Gaudium quantum erit fruentibus Deo. VI, 966. Gaudium Domini. VI, 894.
*Gedeon* electus ad gratiam. V, 1816. Prævidit sacrificia veterum abolenda. V, 1816.
*Gelasius* Rom. episcopus. X, 1684. Duæ illius epistolæ contra Pelagianam hæresin. X, 1763, 1764, 1765. Tertia de sene in hanc hæresim lapso. X, 1766.
Gelu venti et pluviarum desinente turbine inferiores aeris partes obtinet. III, 2166.
Gehenna propter diabolum, non propter nos facta. VI, 1200. A gehenna quidam liberi, et si non in gloria. III, 2224. Quidam si non coronam, vel veniam non erunt. III, 2224.
Generare. Deo soli possibile fuit, ut sine plex generaret. III, 2229.
Generationes duæ : earum mores. III, 2351. Genesis superstitiosa observatio. VI, 1175.
Gentium populus in Naaman figuratus. V, 1833. Gentium a Christo suscitatarum figura. V, 1825.
Gentilium fortitudinem mundana cupiditas facit. X, 1788. 1884.
*Gervasius* et Protasius in propria domo monachorum vitam per decem annos egerunt. VI, 1104.
Gesta apud Zenophilum consularem. IX, 795.
Geniscus. VI, 1172.
*Gennadius* et Felix antiqui martyres. VII, 855.
*Gennensi* e civitate missa excerpta Augustini. X, 1849.
Genus quid sit. I, 1424.
*Germanus* Antisiod. a Cælestino vice sui in Britannias mittitur. V, 1753. Mittitur una cum Lupo Trecensi a numerosa synodo. X, 1753. Ibi populo spectante et judice cum Pelagianis disputant. X, 1753. Germanus puellæ reddit visum, Sanctorum reliquias oculis ejus applicans. X, 1753. Totis Britannis reddit fidei sanitatem. X, 1753. Deinde renascente hæresi, illuc secundo redit cum Severo Trevirensi. X, 1754.
*Giesi* Judæ vel Judæorum figura. V, 1852.
Gladius bis acutus, quo defenduntur justi, et puniuntur injusti. III, 2445, 2447.
Gloria naturæ convertibilis non est sincera. VIII, 1184. Nulla in se hominibus gloriandi causa. X, 1787, 1880. Gloriam sibi quærens fur est. VI, 876. Gloriæ vanæ amantes ante faciem bona, mala post dorsum ponunt : secus agendum. V, 1846. Gloriæ inanis ac timoris Domini conflictus. V, 1093. Quas vires nocendi habeat humanæ gloriæ amor, non sentit nisi qui bellum ei indixerit. X, 1887. In rerum terrenarum contemptu cavenda elatio. X, 1887. Gloria vana scientiæ vitanda. X, 1891. Gloria nostra debet esse conscientia. V, 2350.
Gloria gentili christiano morienti ea non erit, quæ fideli vita christiane exacta. III, 2378. Gloria nobis parata fide non comprehenditur, spe non attingitur, caritate non capitur, desideria transgreditur. V, 2172. Gloria Sanctorum diversa. II, 1150. Erit Deus omnia in omnibus, quando capitis gloria universum corpus implebit. X, 1895.
*Gorgias*. I, 1441.
*Gothorum* clamorem Roma contremuit. II, 1120.
Græca pronuntiatio qua fit, ut ἀρήν latine *irin* reddatur. III, 2420.
Grammatica. De Grammatica liber. I, 1385.
Gratia, regnum Dei. V, 1908. Gratiæ Dei imago fuit arbor vitæ in medio paradisi posita. III, 2320. Gratiæ mysterium sanctis causa est tremendi. V, 2009. Prædestinationis, gratiæ et præscientiæ Dei doctrinam Ecclesiæ esse prædicandam. X, 1858. Gratiam a S. Augustino non recte defensam quidam dicunt. X, 1801. Quorum tum ob ordinem, tum ob ingenium ac scientiæ famam in Ecclesia non mediocris auctoritas. X, 1801. Illi in uno Augustino cunctis, et maxime Apostolicæ sedis Pontificibus injuriam intulerunt. X, 1802. Eo ducunt ut gratiæ inimici injuste ab Ecclesia credantur damnati. X, 1801, 1803. Trahunt ad se multos. X, 1801. In his Cassianus Scripturarum studio ac disputandi usu excellit. X, 1803. Ecclesiæ fides de gratia et libero arbitrio ex Augustini libris, et maxime ad Hilarium et Prosperum continetur. X, 1778, 1781. Doctrinam Augustini de gratia Bonifacius Papa commendat. X, 1790. Capitula quædam in scriniis Ecclesiasticis asservata. X, 1778, 1781. A sede Apostolica Arausicam ad Episcopos ut omnibus observanda et subscribenda mittuntur. X, 1785. Auctoritates multæ doctrinam de gratia continentes. X, 1811, 1824, 1825.
Gratiæ auxilium tantum ad facilius agendum requirit Julianus. X, 1740. Ideoque eam comparat non faci quæ flammam excitet, sed vento qui flammam latius fundat. X, 1742, 1745. Gratia necessaria fuisset etiam integræ naturæ nostræ. X, 1886. Quæ se Deo adjuvante nullatenus servasset. X, 2452. Gratia salvi facti sunt, qui justi ante Legem fuerunt. X, 1633. Sanctorum nemo fuit vel est sine gratia. X, 1635. Gratiæ tempus qualiter a Deo præparatum. V, 2295. Gratiæ adventu Christi concedendæ figura. V, 1825. Gratia ante Christum de omni mundo eruit paucos, nunc de omni, hominum genere salvat innumeros. X, 1853.
Gratiæ necessitas ad vincendas tentationes. X, 1757. In tribulationibus quisquis non deficit, a Deo se non dubitet adjuvari. X, 1825. Non possumus servire aut placere Deo, nisi de Dei munere. VI, 913, 928. Sine ope Dei ædificium nostrum nec subsistit nec conservatur. V, 2052. Nostra peccatrix natura semper indiget auctore et cultore suo atque conservatore Deo. X, 1646. Sine gratia non potest homo bonum facere, aut in aliquo perseverare. VI, 818. Nullum in homine bonum est, quod non sit Dei donum. VI, 876. Gratiæ debemus quidquid mali non fecimus. VI, 819. Gratiæ est quod in peccata omnia non labamur. VI, 876. Gratia perpetua fit, ut creatura non reddat in nihilum. VIII, 1162. Ex gratia est omne bonum, operis, sermonis, cogitationis. X. 1780. Sine gratia nullum bonum velle, aut incipere, aut perficere quis possit. X, 1791.
Gratiæ continuum auxilium nobis necessarium. VI, 913. Dei adjutorium semper implorandum. X, 1787. Ut gratiæ auxilio per singula opera nitamur et regamur necesse est. X, 1693, 1694. Elias qualis fuerit, quando cum paulisper gratia deseruit. V, 2263. Quid est homo sine Dei gratia, nisi quod fuit Petrus cum negaret Christum ? V, 1899. Pelagii argumenta adversus gratiæ adjuvantis ad singula opera necessitatem. X, 1694, 1706. Gratiam ad singulos actus, eamque gratis dari, Ecclesia catholica semper tenuit. X, 1709.
Gratia Pelagiana ad incipiendum, ad proficiendum, et ad perseverandum in bono necessaria quæ sit. X, 1791. Pelagiani gratiæ nomine liberum arbitrium et scientiam legis intelligunt. X, 1693. Dicunt Christum non dona nobis, sed exempla contulisse virtutis. X, 1745. Ad recte agendum non satis fuit legis cognitio. X, 1675, 1787, 1880. Nisi ad eam custodiendam adsit Dei auxilium. X, 1674. Gratia non adjuvat tantum ut sciamus quid agendum, sed ut hoc facere diligamus et valeamus. X, 1720, 1758. Gratiæ est illuminare et gubernare liberum arbitrium. X, 1779. Dare sermonem bonum ac bonæ operationis studium. X, 1780. Gratiam Dei non solum ad cognoscendam sed et ad faciendam justitiam per singulos actus nos adjuvare, totius mundi consensu constitutum est. X, 1723, 1807, 1857. Innocentio Papa præeunte. X, 1807.
Gratiam ita prædicant Pelagiani, ut secundum meritum dari accipiatur. X, 1762. Gratiam secundum merita hominum dari, Pelagianorum errorum est subtilissimus. X, 1793. Si meritis redditur, et non ipsa est bonorum creatrix, frustra gratia nominatur. X, 1794. Gratia bonis operibus præ-

venienda prædicatur. V, 1882. Et a Deo adjungi ad merita. V, 2045. Rejicitur sententia quæ docet nos incipere, ac postea per Dei misericordiam adjuvari. X, 1789. Error est secundum Cassianum, aut gratiam ex bona voluntate, aut bonam voluntatem ex gratia velle pendere. X, 1807. Harum definitionum una ab Ecclesia expuguata est, alia defensa. X, 1807. Gratia pretio sanguinis Christi comparata, nobis gratis datur. V, 1822. Donatur, non redditur. X, 1631. Nos prævenit, non prævenitur a nobis. X, 1625, 1659. Prævenit omnia hominis merita. X, 1757, 1759. 1776, 1781. Gratia Christi gratuita multorum malis meritis non tribuitur, nullorum bonis meritis prævenitur. X, 1845. Gratia unicuique principium justitiæ, bonorum fons, et origo meritorum est. X, 1762. Principium est salutis, fidei, omnis boni. X, 1770, 1791.

Gratiam si non præcedunt merita, nec præcedit fides. X, 1826. Gratia præveniente fidem ac totius bonæ voluntatis initium singulorum definitis sensibus inspirari. X, 1791, 1792. Gratiæ est bonæ voluntatis initium. X, 1812. Gratia gloria Dei est, non meritum liberati. X, 1814. Nullus bonæ voluntatis motus, nisi creatus a Spiritu sancto. X, 1815. Ut possit voluntas tam Deum cognoscere, quam secundum ejus vivere voluntatem, semper in adjutorium indiget illuminante gratia Salvatoris. X, 1625. Per gratiam fides collata est sanctis qui Christum præcesserunt. X, 1789. Necnon Latroni, Zacchæo, Cornelio. X, 1789. Gratia Dei inchoata sunt bona Cornelii opera. X, 1796. Bonæ voluntatis et cogitationis initium homini non ex se ipso nasci probant angeli lapsi. VI, 764. Gratiæ sunt bonæ voluntatis exordia, incrementa, perseverantia. X, 1791. Id probant preces Ecclesiæ catholicæ. X, 1759. Hoc ipse profitetur Cassianus. X, 1603, 1804. Dubium non est hominem bona agentem ex Deo habere et effectum operis, et initium voluntatis. V, 2009. Gratia facit ut credamus, petamus, humiles et obedientes simus, non ipsa subjungitur humanæ humilitati, obedientiæ, etc. X, 1786. Miser nullus liberatur, qui non a Deo præveniatur. X, 1787, 1876.

Gratia medicinalis Redemptoris homini lapso fuit necessaria. V, 1866. Gratiæ solius est humanum cor reparare. V, 1812. Animæ nec sanitatis desiderium est sine gratia. X, 1806. Gratia Dei Christiani sumus. X, 1712. Gratia Dei quæ prima in nobis. X, 1868. Gratia secunda, donum recte vivendi; prima, vocatio. X, 1672, 1775. Dei miserentis est vocatio, et ut vocati, boni aliquid operentur. X, 1671. Conversio nostra ad Deum ex Deo est. X, 1796. Gratia conversionis, et gratia quæ dat unde homo Deo placeat. X, 1785, 1789. Gratuita Dei miseratio pœnitentiam nostram prævenit. VI, 775. Gratia hominem præveniat necesse est, ut mandata Dei facere et velit et possit. VI, 775 Homo cæcus a se ac cæcitatis amans, Dei luce prævenitur. VI, 892. Gratia in summa ignorantia et egentia, hospes in nocte. V, 1911. Gratuita gratia Christus aversos a se convertit ad se, et ut Deo placeant operibus bonis, operatur in eis velle et posse, eorumque cursum misericordia præveniendo et subsequendo perficit. X, 1623. Idoneam eisdem ad credendum præparat voluntatem, per quam possint peragere divinam. X, 1624.

Gratiæ Dei munus est tolerantiæ fortitudo. X, 1825. Scientia et caritas. X, 1808. Fides et caritas. X, 1796. Quod ei recte vovemus. X, 1787, 1864. Quod recte cogitamus, aut a malo nos continemus. X, 1787, 1861. Quod amorem petimus. VI, 944. Gratia non confertur humana invocatione. X, 1785, 1786. Virtutem a Deo petimus, qua voluntatem illius facere possimus. V, 1870. Gratia quantum præstet voluntatibus nostris. X, 1886. Bona quotiens agimus, Deus in nobis atque nobiscum, ut operemur, operatur. X, 1787, 1861. Spiritus sanctus præstat ut credamus; dans suavitatem in consentiendo et credendo veritati. X, 1786. Opus sanctum in me spira ut cogitem, compelle ut faciam. VI, 1076. Gratia virtutes non tantum auget, sed et donat. X, 1819. Gratiæ est inchoare, consummare, coronare. X, 1741. Deus per gratiam levat ruentem, sanat ægrotantem, coronat vincentem. V, 1999. Amor Dei in nos nostrum meritum quomodo præveniat. X, 1787, 1789, 1864.

Gratia multiplex qua Deus prævenit peccatorem. VI, 857, 877. Multa in homine bona Deus sine homine facit, nulla homo sine Deo. X, 1788, 1886. Gratiæ divinæ opitulationes, stabilimenta voluntatis humanæ. X, 1827. Gratia Dei ineffabilis est, ut reus justificetur. X, 1845. Per gratiam mutatur in melius, qui per iniquitatem mutatus erat in pejus. X, 1787. Gratia justificans non ex bonis meliores, sed ex malis bonos facit. X, 1797. Postea ex bonis factura meliores. X, 1797. Gratia justificationis non ad solam valet remissionem peccatorum commissorum, sed et ad adjutorium ut non committantur. X, 1729, 1758. Gratiam cælestem non in sola peccatorum remissione ponit Chrysostomus, aliter aliis sentientibus. X, 1756. Gratia justificationis non ideo datur tantum, ut facilius impleamus Dei mandata, sed et ut implere possimus. X, 1729, 1759, 1824. Gratia impossibilitatis morbum, et inobedientiæ auferat reatum. X, 1887. Spiritu Dei tam docente, quam juvante, possunt impleri præcepta. X, 1642. Baptismo renati Christo auxiliante et cooperante possunt ac debent quæ ad salutem pertinent adimplere. X, 1789. Gratiam suam dignatus est Deus promittere fidelibus. X, 1783. Gratiæ duo sunt dona. X, 1870. Gratia secundum Basilium nos bonos facit, ac præstat ut in bonitate perseveremus. X, 1775. Vasa quæ creatrix Sapientia format ut sint, adjutrix gratia replet ne vacua sint. VI, 784. Gratiæ tribuitur stabilitas in fide et efficacia in opere. VI, 927. Salus nostra universa, magna Dei misericordia. VI, 928. Gratiam quæ destruit mala priora, bona etiam remunerare pie creditur. VI, 1125.

Gratia laudem ac meritum auferri falso prædicatur. X, 1824, 1826, 1827. Queruntur frustra liberum arbitrium auferri, si principia, progressus et perseverantia in bonis dicantur Dei dona. X, 1827. Gratiæ Dei cum non resistit homo, sed cooperator exsistit, meretur. X, 1636. Gratia arbitrium hominis non abolet, sed adolet. X, 1841. Non aufert, sed liberat. X, 1712, 1759, 1776. Gratia non auferitur nobis voluntas, cum formatur, regitur, ordinatur, imbuitur. X, 1809. Quia gratia non operatur ut non sint voluntates, sed ut meliores fiant. X, 1811. Quam variis modis ad Christum nos trahat Dei Spiritus. X, 1809. In bonis quibusque ac singulis voluntatis humanæ motibus nec nostrum deest arbitrium, sed magis valet Dei auxilium. X, 1731, 1758, 1808. De gratia Dei nemo sic confidat, quasi Deus liberi arbitrii ejus opera non requirat. X, 1631. Gratia sessori, liberum arbitrium jumento comparatur. X, 1632. Ita et gratia et liberum arbitrium peragit iter fidei. X, 1652. Gratiam confert baptismus parvulis absque ullo eorum voluntario opere. X, 1800. Gratia parvulos tantum beatam vitam habere facit sine usu liberi arbitrii. X, 1655. Gratia eos qui rationis capaces sunt prævenit ac docet, ut bonum velint et possint. X, 1655. Facit, gubernat et perficit ut in libero arbitrio abundent opera bona. X, 1656. In omni opere sancto prior est voluntas Dei, posterior liberi arbitrii : id est operatur Deus, cooperatur homo. X, 1631. Credentis alia causa est, alia non credentis : de non credente dictum est, *Non est volentis neque currentis ;* de credente, *Et ex voluntate mea confitebor ei.* X, 1650. Deus in nobis facit opera, non tamen omnino sine nobis. VI, 1002. Quia vivi lapides sumus, sic nos exstruit auctoris manus, ut cum eo etiam is qui reparatur, operetur. V, 2032, 2033. Gratia præcedit, nos subsequendo cooperatores ejus sumus. X, 1779. Gratiæ suæ dona non vult Deus in nobis esse otiosa. X, 1759. Agit quippe ut quod vult, et velimus, et agamus. X, 1759. Adeoque cooperatores gratiæ simus. X, 1759. Bonum velle et operari hominis est volentis et operantis : sed in eo Deus hoc ipsum operatur X, 1782, 1827. Quomodo. X, 1788. Gratia præveniat necesse est, sed et laborem ac studium nostrum exigit. X, 1671, 1672. Gratiæ Dei obedientia se humana non subtrahat. V, 2033. Misericordia prævenions initium salutis confert : et voluntas eadem misericordia subsequente salutis suæ cooperatrix est. X, 1782.

Gratiam Christi generalem insinuat Cassianus. X, 1804. Et alios ad Christum voluntate propria venire, alios invitos trahi. X, 1804, 1809, 1826. Æque inexpertum est dicere, quod quis aut invitus, aut non Spiritu Dei incitatus ad gratiam veniat. X, 1804, 1810. Gratia non compellit invitum, sed ex invito facit volentem. X, 1805, 1817. Gratia non ignorantem trahit, sed intelligentem sequentemque præcedit. X, 1817. Gratia Dei communis est omnibus, (et hoc dicitur de Lege). III, 2243. Cognitionis Dei, fidei et Evangelicæ prædicationis gratia quibusdam denegata. X, 1798, 1799. Adversus hanc doctrinam effugium præcluditur. X, 1799. Gratia vocationis quomodo non omnibus indulta. X, 1836, 1841. Cur flagellis Pharao durior, cur Nebuchodonosor pœnituit. X, 1675. Gratia nos præveniri, quo credere possimus, fides est catholica; cur hoc gratia non in omnibus operetur, nostrum non est scrutari. X, 1626. Si peccatum primorum hominum attendatur, Dei agnoscentur esse justissima judicia. X, 1627. Tyrii et Sidonii, quibus negatum est fidei donum, necnon Corozain et Bethsaida, in quibus non id operatus est Deus unde crederent, movere nos debent ad agendas gratiæ ipsius gratias. X, 1855, 1856. Gratia non omnibus tribuitur. X, 1780, 1782. Nec datur æqualiter quibus datur. X, 1782. Necesse est ut ab eis quibus non tribuitur, ignoretur, et ab eis agnoscatur, quibus donatur. X, 1780.

Gratia. Quibus indiciis Dei in nobis inhabitatio dignoscatur. V, 2009. Gratiam nobis inesse demonstramus, cum pro fratribus solliciti sumus. X, 1779. Gratia quamdiu non est in homine, necesse est ut ei repugnet sermone vel

opere. X, 1779. Unde augmentum accipiat. X, 1856. Gratiæ conservandæ causa auxilia hominia Deo præstita. VI, 1126. Cui aliqua bona saluti necessaria desunt, Deum non accuset. VI, 860.

Gratiæ posse resisti probantem Cassianum approbat Prosper. X, 1804. Homo potest libere tenere gratiam, et ea retenta vitare culpam. VI. 1126. Gratia semper invita recedit. VI, 1127. Præsto enim semper est, et numquam deficit nisi expulsa. VI, 1127. Continue et necessario quod suum est inspirat, si est qui recipiat. VI, 1127. Deus cogitur ex necessitate justæ misericordiæ neminem relinquere, nisi prius relinquentem. VI, 1127. Gratia non deserit nisi meritos. X, 1859, 1841, 1845. Gratia se deserendam non dubitet virgo, si vel unum verbum contra honestatem proferat. I, 1459.

Gratiæ Deo referendæ de pietatis officiis cujus opera videntur in famulis. V, 2054. Gratiarum actio pro Dei beneficiis, VI, 940. Pro singulis incarnati Dei Filii mysteriis. VI, 916.

*Gratiani* Constitutio adversus rebaptizantes. IX, 806.

*Gratus* gratias agit pro schismatis exstinctione. IX, 802.

*Gregorius* Nazianzenus. X, 1725.

*Gregorius*. IX, 787.

*Gregorius* alter. IX, 787.

*Gregorii* Præfecti patientia episcopalis. IX, 800. Ad subigendos Donatistas quid egerit. IX, 801.

*Grunnius*. X, 1695, 1696.

Gryphes. VI, 1229.

*Gudila*. II, 1097.

*Guigonis* Carthusiensis Scala Claustralium. VI, 998.

Gula quid. VI, 1090.

# H.

Habitaculum. De triplici habitaculo tractatus. VI, 892.

Habitus est affectio animi longo tempore perseverans. I, 1455.

Habitus impudicus corporis, nuntius est adulterini cordis. V, 1888. Qualis in utroque sexu sit adulterinus. V, 1888. Hic Creatori injuriosus et a Patribus damnatus est. V, 1888.

*Hadrianus* P. F. P. IX, 808, 815.

Hæresis non est sponsa Christi. VIII, 1150. Sed est a diabolo, cujus instinctu fit quidquid ab hæreticis geritur. IX, 791, 792. Hæreticorum calliditatem qui scniphes significent. V, 1781. Loquacitatem ranæ. V, 1785. Hæreticorum patriarchæ Philosophi. X, 1692. Hæreticorum est populos suo nomine, non Christi appellare. V, 1780. Hæreticos Spiritum sanctum non habere. V, 2092. Eos Scripturæ littera occidit. V, 1799, 1804. Hæreticorum impia dogmata a Catholicis quibuslibet redarguenda, secus facta. X, 1710. Hæreticos non censet Ecclesia, qui de hæreticis bene senserunt. X, 1725. Quid illi Ecclesiæ conferant. X, 1611. Qui ex iis sint baptizandi. IX, 787.

Hæreticos mavult Synodus in Ecclesia sanari, quam ab Ecclesia, nisi necessitas compellat, resecari. X, 1712. Leges publicæ contra Manichæos. VIII, 1155. Hæreticis abrogatur lex quæ ritus suos eis permittebat. IX, 815. Convenientibus per publicum proscriptionis et sanguinis pœna intentatur. IX, 815. Hæreticis locum in quo vetita tentent commodantes, multantur. IX, 806. Hæretici qui clericos ordinant, et qui ordinantur, denis auri libris mulctantur etc. IX, 806, 812. Hæretici testandi aut aliquid ex hereditate capiendi jure privantur. IX, 812. Leges contra hæreticos latas Honorius confirmat. IX, 814, 815. Ac supplicium justæ animadversionis adversus eos decernit. IX, 815. Hæreticos omnes ab ipso urbium diversarium adspectu exterminari jubet Valentinianus III. X, 1751. Hæreticus quisquam esse non potest, et advocatus et judex. X, 1700. Hæreticum latinum latinis in partibus a judicibus latinis judicandum. X, 1700. Pelagiani imperialibus legibus et sacerdotalibus statutis exauctorati et depositi. X, 1689. Sedi Apostolicæ se submittentes suas Ecclesias receperunt. X, 1689, 1691.

Harenarii. IX, 798, 799.

*Heber* idola forte coluit. III, 2525.

*Hebion*. VIII, 1217. Dicit Christum ex viri coitu natum. VIII, 1215.

*Hebræi* ab Heber dicti secundum nonnullos. III, 2525. Ab Abraham dicti sunt. III, 2525. Hebraica lingua. *Vide* Lingua.

*Heli* nomen de libro vitæ delectum. V, 2521

*Heli* et Joseph fratrum filii erant. III, 2255.

*Helius* diaconus. IX, 794.

*Helia* quæ est Jerusalem. VII, 809.

*Heraclianus* Comes Africæ. IX, 815.

Heraclianæ tyrannidis invidia. X, 1708.

*Heraclidas* procurator præsidiorum Constantini. IX, 777.

*Heraclius* episc. X, 1790.

Hereditas Christi tanta multis, quanta paucis; tanta singulis, quanta omnibus. X, 1875. Hereditatis alienæ ambitio damnabilis. V, 1785, 1784.

*Hermes*. *Vide* Mercurius.

*Hermagoras*. I, 1441, 1442, 1443, 1444, 1447.

*Herodis* versutia et crudelitas. VIII, 1122. Error terrorque fatuus. V, 2150.

*Heros* male audit apud Zosimum. X. 1721. *Not.* (*e*) *Vide* Lazarus.

*Hervas* Gothus. II, 1095.

*Hiernia*. III, 2158.

Hiberniæ Ecclesiæ Pelagiano dogmate ab Agricola imbutæ. X, 1755.

*Hibernius*. IX, 787.

*Hieronymus*. III, 2165; VI, 1270. Presbyter Bethleemites. X, 1685. Non damnat nuptias. X, 1696. Calumnias Pelagii patitur. X, 1696. Huic respondere compellitur. X, 1697. Hieronymo propositum est adversus Annianum Pelagianum scribere. X, 1697. Hieronymus dialogum Attici et Critobuli, puerulo adhuc Juliano, edidit. X, 1746. Hieronymus columna Ecclesiæ. X, 1697. A Synodo laudatur ut præcipuus gratiæ Dei vindex adversus Pelagium. X, 1712. Hieronymi præclarum elogium. X, 1685. Ejus modestia ac de Augustino magna existimatio. X, 1708. Hieronymo ab Augustino discendi timoris Dei causa traditur Orosius. X, 1698. Hieronymi sub cura degentes a Pelagianis dirissime vexantur. X, 1710. Vexationem hujusmodi apud Innocentium deplorant Eustochium et Paula tacitis auctorum nominibus. X, 1710. Idem præstat Hieronymus ipse. X, 1711. Hieronymum et Augustinum Ecclesiasticorum lumina magistrorum lacerari inique fert Gelasius. X, 1771. Hieronymus docet Christianos, si in peccato præventi fuerint, salvandos esse post pœnas. X, 1704. Nec patitur ut dicatur, iniquis in die judicii non parcendum. X, 1704.

Hieronymi laudatur epistola ad Rufinum. VI, 855. Ad Ctesiphontem. X, 1699, 1750. Liber adversus Pelagium. X, 1699. Hieronymo opusculum falso intitulatum jactatur. II, 1152. Eidem nonnulli temere tribuunt Juliani ad Demetriadem epistolam. X, 1745, 1746. Hieronymi nomine laudatur sententia quæ in Commentariis in Marcum ipsi adscriptis habetur. V, 1751. Hieronymi laudes et miracula a pseudo-Augustino et pseudo-Cyrillo scripta. II, 1121. Hieronymus propriis manibus Christum in altari multoties habuit. II, 1152. De Hieronymi Cardinalatu aliisque rebus fabulæ. VI, 1274. Hieronymi corpus quando Romam delatum, II, 1152.

*Hieroprepes*. VII, 809.

*Hilarion*. VI, 1104.

*Hilarius* princeps. IX, 790.

*Hilarius*. *Vide* Prosper.

*Hilarus* exceptor. IX, 816.

*Hildeberti* Cenom. verba de querimonia carnis et spiritus. VI, 826.

Himnicula. De himnicula turpitudinem exercere. V, 2559.

*Hippolytus* Laurentii custos, et ab ipso ad fidem conversus. V, 2551.

Hipponensis Concilii anni CCCXCIII. decretum. IX, 806.

Hipponensis Zaritorum. VII, 859.

*Hispaniæ* totæ sunt hostes diffuso in Vestæ. VII, 805.

Holoserica baptismi. V, 2211.

Homo quid sit. I, 1458; III, 2559, VI, 727, 811. Homo ab humo. III, 2525. Homo pulvis et cinis. VI, 818. Ut animal rationale et morale, divinum quid habet ac belluinum. VI, 800. In quo bellua præstet. VI, 727. Quid ei sit commune cum quatuor animalium generibus. VI, 729. Dæmones in jumenta mutare non valent homines. VI, 798. Quid præstent ut id facere videantur. VI, 798. Hominis altera pars est cœli, terræ altera. VI, 853. Persona in homine una est carnis et animæ. VI, 810. In homine quomodo unita sint corpus et animus. VIII, 1166. Homini non est tertius in substantia spiritus. VI, 815. Homo sensu et intellectu donatus, foris egreditur ad jucunditatem, intus redit ad felicitatem. VI, 790.

Hominis dignitas et præstantia. VI, 805, 1047, 1528; X, 1885. Homo microcosmus. VI, 1025. Magna portio creaturæ Dei. VI, 926. Cara et amica Dei possessio. V, 1845. A quo, quare, ad quid creatus, et quæ propter ipsum creata VI, 849. Hominis causa mundus est fabricatus. III. 2578. Cui serviunt omnia, ut ipse serviat Creatori. VI, 881. Homo inter mundum et Deum positus. VI, 814, 850. Possidet Deum ad solatium, inferiora omnia ad servitium. VI, 881. Hominis bonum est, et quod Deo impendit, et quod a toto mundo accipit obsequium. VI, 850. Homo ad accusationem diaboli factus, ideoque eum sibi inimicum invenit. III, 2217. Creatus est ex supernis et infernis. III, 2217. Ad cœlum, non ad gehennam a Deo conditus. VI, 1199. Juxta gentilis responsum, factus ut cœlum et cœlorum lumina contemplo-

tur. VI, 1338. Hominis conjunctiones tres mirabiles. VI, 1339. Homines quosdam tantum ad ornatum sæculi et aliorum utilitatem creatos esse, non satis accurate dicitur. X, 1812. Homo Angelis unde nunc inferior, quando æqualis, quatenus superior. VI, 870. Homo Deum valere videtur. VI, 853. Plus per Christum consequutus est, quam Adam obtinuerat. III, 2570. Hominem super Angelos extulit Christus. VI, 1152. Nollem habere locum angeli, si possem habere locum debitum homini. VI, 1153. Dei ad hominem variæ habitudines. VI, 866.

Hominis ac Dei quam diversi affectus. VI, 866. Dei in hominem beneficia. VI, 792, 962. Qui Deus sese homini multipliciter det. VI, 962. Homo quam Deo carus, quanti valeat, et quantum Redemptori debeat. V, 2042, 2045, 2045, 2065. Naturæ nostræ competit esse cum Deo. X, 1870. Unde Dei cum homine deliciæ. VI, 886. Hominum sanctorum in terris, et Angelorum in cælis, idem officium eademque dignitas. V, 2017. Hominis cujusque portio in Christo jam resurrexit, regnat, glorificatur. VI, 912, 957.

Homo ad imaginem et similitudinem Dei quatenus factus. III, 2519; VI, 786, 806. Quomodo trinus fiat. III, 2570. Homo imago Dei in eo est, quod unus in terris fuerit, ex quo cæteri originem carnalem haberent. III, 2244. Refelluntur, qui imaginem Dei in dominatione sitam volunt. III, 2244. Homo secundum animam, non secundum carnem ad imaginem Dei factus. V, 2021; VIII, 1207. Animam velut dominam, carnem ut ancillam debet tractare. V, 2021. Homo interior ad imaginem Dei, exterior ad exemplar mundi quomodo formatus. VI, 1025. Similitudo Dei in eo refertur ad opus justitiæ. VIII, 1207. Cur ad imaginem Dei factus, et quatenus illa abolita. VI, 961. Homo longe est a Deo, in quantum illi dissimilis. V, 2000. Quomodo diabolo similis fiat. X, 1871.

Homo carnalis et spiritalis. III, 2355. Qui totus spiritalis fiat contemplatione. VI, 1000. Totus fit spiritus, cum secundum legem; et totus caro, cum secundum mundum vivit. III, 2404. Hominis spiritualis exercitia. VI, 997.

Hominem fati violentia et peccandi necessitate devinctum gentiles putant. X, 1749. Homini non est indita a Deo prava voluntas. X, 1845, 1846. Inter homines pravos ac dæmones discrimen. X, 1846. Hominum natura proprio arbitrio dimissa III, 2215. Nullus ideo a Deo creatus est, ut periret. X, 1845. Nullus ut diaboli faceret voluntatem. X, 1845. Homines neque filii Dei nascuntur, neque filii diaboli. III, 2272. Hominem perfectum nasci et totum scire debuisse, frustra quidam dicunt. III, 2369. Nihil scit quam quod hic discit. III, 2369. Neque se scit. III, 2369. Natura nostra capax est ediscere veritatem. III, 2272. Ut ipsi ad bonum et malum quodam modo auctores simus, et non indigne in nobis gloriemur. III, 2272. Hominis cujusque talis natura est, ut possit resistere malo. VI, 1126. Homines omnes totius, vel quæ jubetur vel quæ suadetur, virtutis esse capaces. X, 1747, 1749. Hominis cor virtutibus, non vitiis naturaliter deputa. V, 1812. Cum vitiis expulsis virtutes succedunt, non tam alienas, quam proprias terras occupant. V, 1812. Naturæ vitium ab auctore naturæ discernendum. X, 1845. Homini nusquam bene est, nisi in Deo. VI, 874, 914. Homo a quo habet ut sit, ab eo habet ut bene sit. X, 1879.

Hominis primi status. X, 1745. Status posterorum. X, 1745. Homines primos mortales creatos, et sibi solis peccando nocuisse, qui docuerint. X, 1681, 1682. Quibus argumentis. X, 1682, 1688. Homo primus mortalis et immortalis creatus. VI, 739. Ut non senesceret nec deficeret, per lignum vitæ habebat. VI, 739. In beatitudine conditus, a qua nisi amisso suo bono non potuisset expelli. X, 1769. In hac beatitudine divinum suffragium numquam legitur expetisse. X, 1769. Operabatur ad delectationem, non ad necessitatem. II, 744. Homini innocenti quid accidisset, Enoch translatus ostendit. III, 2154. Quomodo paruissent bestiæ, corvo Eliam pascente ostenditur. III, 2181. Homines etiam Deo proximi in hac vita ostendere non valent quales primum a Deo facti sint. X, 1747. Humana natura etiam integra, nisi Deo adjuvante se non servasset. X, 1788, 1856.

Hominis lapsi miseria. VI, 866, 1528; X, 1769. Homo quid peccato perdiderit, et quid invenerit. VI, 961; X, 1812, 1813. Quot ei a diabolo bona erepta, quot evecta mala. VI, 1071; VIII, 1117. Homo lapsus paradisum inter et infernum inferiorem positus est. V, 1875. Dejectus est ab æternis ad temporalia, a copiosis ad egena, a firmitate ad infirma. X, 1896. Totus per peccatum factus est deterior. X, 1775. Homine primo peccante non naturæ pars, sed natura tota deliquit. X, 1624. Hominem omnium in Adam præformata natura, omnes in ipso damnati. X, 1845, 1851, 1853. Humanum genus per superbiam mortale vulnus accepit. V, 1845. Homines ea die sunt mortui, qua mortales sunt effecti. X, 1767. Humana in iis natura peccavit ac vitiosa facta est. X, 1767.

Homo primus diabolo cum prole sua quomodo obligatus sit. VIII, 1117. Homo omnis non redemptus diaboli est captivus. X, 1845. Hæc servitus non institutio est Dei, sed judicium. X, 1845. Nec homo naturali, sed captivo motu versatur in vitio. X, 1846. Deus non est auctor perditionis hominum. X, 1845, 1848. Homo servus non potuit procreare nisi servos. X, 1775. Hominem iniquitas vendidit ac prohibet redimi. V, 1945. Invitum eum liberari, et malum fuisset, et injustum. V, 1945. Homo desertor boni juste cruciatur. X, 1883. Conceptus in culpa, natus in pœna, vivit in miseria, moritur in angustia. VI, 1332. In luctu nascimur, in labore vivimus, in dolore morimur. VI, 1331, 1333. Homines sine capite oculos in pectore habentes. VI, 1304. Alii unum tantum oculum habentes in fronte. VI, 1304. Hominis in ortu lugebant, et in morte gaudebant quidam philosophi. VI, 1152.

Hominis damnati pœna, et non instituti natura. X, 1885, 1896. Humanæ miseriæ non sunt ex institutione Creatoris, sed ex retributione judicis. X, 1813. Humana natura etsi mala, non tamen malum. X, 1885. Vitiata est, non exstincta. X, 1814. Quid etiamnum ei maneat. X, 1817. Humanæ naturæ vires solet Pelagius ab initio commendare, et commendat. II, 1100, 1104. Docens eam sibi solam sufficere ut peccatum caveat. X, 1682, 1701. Frustra igitur quæritur adjutorium, ut caveatur. X, 1682. Hominis insufficientia ad salutem sine Dei gratia. VI, 883. Homo per se lapsus, per se surgere non valuit. V, 1866; VIII, 1168. Quid sit sine Dei gratia. VI, 877. Hominis ad malum propensio ante gratiam. VI, 943. Neminem per se esse bonum. X, 1757. Nemo habet de suo nisi mendacium et peccatum. X, 1788, 1887. Hominis nihil est nisi malum. VI, 876. Humana natura ante gratiam in damnatione, in cæcitate, in vulnere. X, 1829. Hominis omnes Adæ peccato naturalem possibilitatem et innocentiam perdidisse, ac neminem per se posse consurgere. X, 1757. Hominis non est velle quod possit, aut posse quod velit, vel scire quod possit et velit, sed Dei. VI, 883. Homo naturæ viribus nihil potest quod ad salutem pertineat. X, 1786. Non valet per solum liberum arbitrium ad baptismi gratiam pervenire. X, 1786. Hominis cor solius gratiæ ope reformatur. V, 1812. Homo sine Deo nulla bona facit, sed in eo Deus multa agit sine ipso. X, 1788. Homini non est vita, libertas aut salus nisi in Christo. X, 1846. Accusatur Orosius, quasi dixerit, hominem nec cum adjutorio Dei posse esse sine peccato. X, 1709. Homines ex duabus massis ac duabus naturis ab Augustino dici conditos quidam calumniantur. X, 1794, 1800. Homo alter damnatur inculpabili Dei justitia, alter justificatur ineffabili Dei gratia. X, 1845. Homo juste damnatus, non potest nisi Dei misericordia et pœnitentia sanari. V, 2202.

Homini perdito non debuit tam cito subveniri. III, 2278. Humani generis lapsus ac reparationis figura, securis ex fluvio ab Elisæo revocata. V, 1854. Quam cavendum ne iterum labamur. V, 1855. Humanum genus reparare nec sine majestate poterat humilitas, nec sine humilitate majestas. V, 2009. Totum genus humanum quodammodo sunt duo homines. X, 1885. Homines duos quisque in se habet. VI, 1340. Duo in nobis divinam similitudinem reparant. VI, 819. Lapsus per superbiam ac vana oblectamenta, surgat per obedientiam et quotidiana lamenta. V, 1866. Hominis felix culpa. VI, 855. Homini cum primis attendenda conditionis dignitas, et excellentia reformati nis. V, 1866. Humana natura divinitatis propitiationem in Maria recuperavit. VI. 1139. Homini Pater dedit Filium in pretium redemptionis, Spiritum sanctum in privilegium adoptionis, se totum servat in hereditatem adoptatis. VI, 784, 820. Homo se totum Deo debet ob creationem, plus quam se totum ob redemptionem. VI, 938, 945. Totum hoc, Domine, quod sum, tuum est conditione, fac tuum dilectione. VI, 945.

Homicidii sibi conscius quid agere debeat. V, 1979.

Homonyma et paronyma qui differant. I, 1422. Qui homonyma et synonyma. I, 1421. Homonymorum varia genera. I, 1421.

Homousion unum in duos divisum sonare. VIII, 1161. Homousion ut Scripturis non expressum respuunt Ariani. II, 1157. Qui et ipsi Patrem ingenitum et incapabilem præter Scripturas prædicant. II, 1158. Homousion vindicatur et explicatur. II, 1158. Homousios est Patri Filius, homousios Patri et Filio Spiritus sanctus, homousios Deo et homini unus Filius. VIII, 1114.

Homusianus. II, 1157. De hoc nomine non erubescendum. II, 1161.

Honestas est amica justitiæ. V, 2003. Cum violatur, dæmonibus fit suave sacrificium. V, 2003.

Honoris laus est humilitatis virtus. 2314.

*Honorius* an. CCCCXVII. Consul. X, 1714. X. Consul. VII,

809. XI. Consul. VII, 832; X, 1721. XII. Consul. X, 1726, 1727, 1728. Honorii lex in eos qui in ecclesias irrumpunt. IX, 807. Adversus rebaptizantes. IX, 813. Alia lex latas in hæreticos constitutiones confirmans. IX, 814. Abrogans permissam eis religionis suæ libertatem. IX, 815. Honorii præceptum de habenda Carthagin. Collatione. IX, 816. Ac leges in Donatistas post Collationem datæ. IX, 842. Honorii et Theodosii sacrum rescriptum contra Pelagium et Cœlestium. X, 1726. Honorius et Theodosius rursum ad Aurelium scripserunt contra eosdem. X, 1730. Eorum epistola. X, 1731.

*Honorio* Dalmatiæ episcopo duæ Gelasii epistolæ. X, 1763, 1764, 1765.

*Honorii* Augustodun. uti probatur, liber de Cognitione vitæ. VI, 1006. Titulus hic ipse signatur. VI, 1007.

*Horatii* dictum X, 1708.

Horis sex de ecclesiæ conventu se se non subducens quid lucretur. V, 2079. Tertia, Sexta, Nona conveniendum. V, 2019.

*Hormisdæ* ad Possessorem epistola. X, 1777. Revocatur in dubium a Joanne Maxentio. X, 1778. Laudatur ab Episcopis Africanis. X, 1781. Hormisdæ legatis data professio de gratia Dei. X, 1771.

*Hortensii* calumnia de verborum ambiguitate. I, 1415.

*Hosius.* IX, 777.

Hospitalitatis commendatio. V, 1747, 1748; VI, 1325. VIII, 1101. Hospitalitas non est sine mercede. V, 1714. Hospitio Deum suscepit Abraham. V, 1714, 1748. Hospitibus cibi lautiores permittuntur. VI, 1101. Lavandi eis pedes. VI, 1212. *V.* Lotio. Hospes, gratia. V, 1911. Bona cogitatio. V, 1911. Christus. V, 1911.

*Hugoni* Victorino asseritur Tractatus de Septem vitiis, etc. VI, 1088. *Admon.* Illius liber de Substantia dilectionis. VI, 845. Magna pars libri de Arrha animæ. VI, 851. Ipsius verbis exponitur canticum *Magnificat.* VI, 1137.

Humilitatis medicamento eguit humanum genus. V, 1843. Non nisi humilitate redire potuimus ad Deum. V, 1996. Humilitatis commendatio. V, 2133. Ejus laus, et fructus. VI, 1038. Humilitatem Deus in omni creatura sua considerat et probat. V, 2315. Humilis factus Deus pudore afficit hominem superbum. V, 2314. Humilitatis consuetudo etiam inter homines honesta est V, 2313. Veritas mentem fugit, quam non invenerit humilem. V, 2314. Nec potest in ea habitare gratia Spiritus sancti. V, 2314. Qui sine humilitate bona opera agit, in ventum pulverem portat. V, 2314. Humilitas caritatis filia est, nec potest esse sine matre. V, 2312. Humilitas necessaria est caritati. V, 1873. Humilias infirma suavius Deo redolet, quam virtus elata. VI, 854. Sola accedit ad altitudinem Dei. X, 1866. Humilia altus Deus, magno miraculo, de proximo respicit, et alta de longe. V, 2085. Humilitate Deus excelsus attingitur. V, 2313. Humilitatem servans perire non potest. V, 1926. Humilitas homines sanctis Angelis similes facit. VI, 1033. Humilitatis multi sequuntur umbram, pauci veritatem. II, 1113. Humilitas in servis Dei est interdum sine humiliatione, sed numquam humiliatio sine humilitate. VI. 1140. Humilitatis veræ ac falsæ discrimen. V, 2133. Humilitas vera. X, 1866. Humilis quis sit. VI, 1344. Humilis ipse est pauper spiritu. VI, 1084. Humilitatis primus gradus, veritatis sermonem humiliter audire, memoriter retinere, voluntarie perficere. V, 2314. In summo honore summa tibi sit humilitas. V, 2314. Humilitatis et superbiæ conflictus. VI, 1098. Humiles et superbi duas civitates ab initio mundi constituunt. V, 2311. Humilitate quid dixerit ac gesserit Christus, quid superbia diabolus. VI, 1033.

*Hunus.* II, 1005.

Hyacinthus quos repræsentet. VI, 1250.

Hypocritæ nomen unde ductum. V, 1863. Hypocriseos maculam aut nullus, aut rarus non habet. V, 1863.

Hypodiacones. IX, 792.

Hypomnesticon. X, 1614.

Hypothesis et thesis quid distent. I. 1441.

# I.

*Jacob* quomodo typum gessit Dei Patris. V, 1765, 1818. Quomodo Christi. V, 1760, 1761, 1763, 1764. Quomodo Judæorum. V, 1764. Verba quibus filiis benedixit, historice sunt de terræ promissæ divisione, allegorice de Christo et Ecclesia. III, 2190.

*Jacobi* majoris translatio. VI, 1277. *Not.* (*a*).

*Jacobus* cum a Judæis lapidaretur, flexis genibus pro eis supplicavit. V, 2258.

*Jacobi* Syri de duabus in uno homine animabus sententia. VIII, 1216.

*Jactantia* potentum retunditur. X, 1780. *Famuonæ* Judæi habitare non audent. VII, 822. Ibi nec visuntur lupi aut vulpes. VII, 822. Colubri et scorpiones vim nocendi non habent. VII, 822.

*Januarianus* Donat. IX, 821, 834.

*Januarius* Flumenpiscensis Donat. IX, 803.

*Januarius* cathol. episc. IX, 791.

*Januarius* item episcopus. X, 1731.

*Januarius* alter. X, 1731.

*Januarius* episc. in Sardinia exsul. X, 1772, 1779.

*Januarius* Augustini presbyter. VI, 1245.

*Januarius* subdiaconus. IX, 800.

*Januarius* notarius. IX, 816.

*Januarius* fossor. IX, 794.

Januariarum Kal. superstitiones V, 2001, 2002, 2003; VI, 1172. Januariis Kal. jejunium publicum per omnes Ecclesias indictum. V, 2002, 2004.

*Janus* quis fuerit. V, 2001. Cur ei duæ facies. V, 2001. Sic dum eum deum facere cupiunt, monstrum fecerunt. V, 2001.

Jaspis quid significet. VI, 1229.

Idololatriæ fugam in adventu Dominicæ legis Dagon dorso colliso præfiguravit. III, 2174.

Jejunium publice indictum. V, 1865, 1872, 1948. Jejunium publicum in Kal. Jan. V, 2002, 2004. Jejunia ante Pascha. III, 2564. Cur et in nonnullis Sanctorum vigiliis instituta. VI, 1276. In jejuniis quatuor temporum, in vigiliis Sanctorum, nec non feria quarta et sexta in quadragesimali cibo jejunetur. I, 1458. Jejunii necessitas. III, 2564. Virtus. I, 1456. Fructus. V, 1887. Jejunii utilitas pluribus exemplis ostenditur. V, 2025, 2026. Jejunium est animæ humiliatio. V, 2080. Cunctorum membrorum est debita satisfactio. VI, 1274. Jejunium ac cibus duplex. VI, 1064. Jejunium siccis escis. VII, 811, 812. Jejunium præcipuum a vitiis. V, 2025, 2079. Jejunium inutile esse ab iniquitate non recedentibus, aut piis exercitiis non vacantibus. V, 2029. Quidquid præter mandatum Dei feceris, quamvis abstineas, non jejunas. V, 2030. Jejunia Deo accepta. V, 2080. Tunc accepta sunt Deo, si illi qui necessitate jejunant, reficiantur a nobis. V, 2026. Sic jejuna, ut in alio manducante, te prandisse gaudeas. V, 2027. Jejunia nostra ut plena sint et suffarta, eleemosynæ pinguedine saginentur. V, 2027. Jejunii refectio est oratio. V, 1887. Jejunii sit comes oratio cum misericordia. III, 2564. Quod prandendum erat, pauperibus erogandum. V, 1760; VI, 1178. Jejunium cum eleemosyna duplex bonum, sine eleemosyna nullum bonum. V, 2025. Sine eleemosyna tale est, qualis sine oleo lucerna. V, 2024. Jejunium sine eleemosyna, negotiationis est genus. V, 2029. Jejunii dies, dies sunt reconciliationis. V, 1906. Dies miserendi proximo. V, 1906. Jejunio instante accedendum ad mensam Domini. V, 1906. *Vide* Quadragesima.

*Jephte* persona, gesta ac votum prorsus vituperantur. III, 2259. Filia ejus lucrum fecit, innocens in malis patris mortua. III, 2259.

*Jeremias* propheta gentium. III, 2242.

*Jericho* interpretatur luna. X, 1628. Typum habuit mundi. V, 1814; X, 1628.

*Jerusalem* anno XLII. a passione Domini duobus annis obsessa. V, 1827. Quot Judæi tunc in ea congregati, quot perempti, quot captivi. III, 2441; V, 1827. Jerosolymam translatæ S. Stephani Reliquiæ narrantur. VII, 817. Jerusalem, visio pacis. X, 1628. Jerusalem cœlestis descriptio. VI, 919, 958. Hæc de pace muros habet constructos. V, 2255.

Jerosolymitani conventus an. CCCCXV. in causa Pelagii gesta. X, 1698.

*Jesus* veri Jesu figura. V, 1813. Solus valet in terram promissam inducere. V, 1812.

*Jesu* nomen, peccatoris fiducia. VI, 939, 946. Nominis Jesu ubi prima mentio in Scripturis. V, 1797. Jesum quare vidit Isaias sedentem, et Stephanus stantem. III, 2281.

Ignis est in loco superiore. III, 2181. Nec inde potest descendere, nisi gravior materiæ immixtus. III, 2182. Incorporeæ naturæ intelligitur. III, 2190. In nulla nisi in aqua vel alicujus liquoris materia potest vivere. III, 2190. Ipsius vita in aere et humore consistit. III, 2190. Ignis incorporeus in Moysi rubo declaratur. III, 2165. Ignis duplex; alius exterior, interior alius. V, 2127, 2128. Ignes duo; caritatis aut cupiditatis. V, 1779, 2170.

Ignis transitorius atque purgatorius. V, 1916. Est veluti fluvius igneus. V, 2212. Durior erit, quam quidquid hic potest sentiri aut cogitari. V, 1917. Minuta tantum peccata purgabit. V, 1916, 2212. Quæ hic expiata non fuerint. V, 1917, 2212. Tam diu in illo moras habebimus, quam diu prædicta peccata consumantur. V, 1917, 2212. Mensibus forte, vel etiam annis. V, 1918. Longo tempore. V, 1919. Per ignem illum absque ulla violatione transibunt, qui a peccatis erunt mundi. V, 1918. Ignis ille vocatur ignis arbiter. V, 1772. Pœna sapiens et flammæ rationabilis

lisciplina. V, 2212.

Ignorans. Non omnis ignorans immunis a pœna est : sed excusari potest, qui a quo disceret non haberet. III, 2262. Ignorantia in eis qui intelligere noluerunt, peccatum ; in eis qui non potuerunt, pœna peccati. X, 1886.

Ignoscere aliis qui differt non attendit quid ipse Deo debeat. V, 2162.

Illicita nullus magis vitare debet, quam qui respuit quod licebat. V, 2340. Illicitum quidquid feminis est, nec licet viris. V, 2290, 2340.

Imaginatio quid sit. VI, 802, 808. Quomodo in nobis formetur. VI, 802, 808. Imaginationis et sensus discrimen. VI, 786.

Imaginatis rebus rerum nomina sæpe in Scripturis adscribuntur. III, 2179.

Imaginum duplex ratio. VIII, 1179. Imago perfecta coæqualis est rei cujus est imago. VI, 783. Imago Dei quatenus in homine. VI, 1047 ; X, 1889. Imago Dei quando vere homo dicatur. VI, 739. Innuitur eam in muliere non esse. VI, 739. Imago Dei trini in anima. VI, 805, 827. Imaginem Adæ cœlestis quis portet. V, 1889. Imaginis Hieronymi percussæ fabula. II, 1138. Alterius imaginis ejusdem virtus. II, 1142, 1150.

Imitatio proclivior est malorum, quam bonorum. XI, 769. Imitari Adam quid sit, quid imitari Christum. VI, 1051. Imitari Martyres atque ipsum Christum qui possimus. V, 2161.

Immortalis proprie solus est Deus. VI, 1022. Immortales sunt naturæ intellectuales, cur. VIII, 1216. Immortalitatis poculum nobis confectum de infirmitate nostra et virtute divina. X, 1844.

Immunditia corporis ubi est, ibi diabolici spiritus habitatio est. V. 2296.

Immutabilis natura solus est Deus. VIII, 1218.

Immutatio variis modis. I, 1439.

Impatientia in exspectandis Dei promissis est laudabilis. VI, 861.

Imperatoris scripta accepta atque adorata. IX, 778. Illius dicitur divina manus. IX, 817.

Imperium Romanum maxima ex parte jam destructum. VI, 1153. Non desiit plane quam diu duraverint reges Francorum. VI, 1153. Ab uno ex his totum ex integro in fine mundi est obtinendum. VI, 1135.

Imperium non est, nisi ubi quid jubetur injustum. VI, 1219. Imperium justi, servitus. X, 1873.

Impœnitentem Deus non potest sine injustitia in pristinum gradum restituere. V, 2202.

Impius is est, qui Deum verum non agnoscit, aut negat. III, 2356. Impiorum virtutes falsæ. X, 1818, 1819. Opera omnia immunda. X, 1818. Sapientia diabolica. X, 1818. Impiorum nequitia quid prosit. V, 1804. Impii ad ornatum sæculi et sanctorum utilitatem quomodo conferant. X, 1839, 1842.

Imprecationes Prophetarum non sunt vota optantium, sed futura prædicentium. V, 1860.

Impunitas. Gravius in eum a Deo decernitur, cui correctio denegatur. X, 1866, 1870.

Inaures mulierum more Persæ habent. III, 2349. Eas etiam in naribus gerunt Maurorum feminæ. III, 2349.

Incarnati Verbi typum iris gerit. III, 2419. Incarnationem Dei de virgine nec superare fidem, nec Deum dedecere. VI, 1191. Incarnationis necessitas. X, 1880. Sine incarnatione Verbi potuit homo liberari, sed non decuit. V, 2062. Potuit aliter, sed non potuit nobis commodius antidorum procurari. V, 2201. Incarnatio Dei quam conveniens nostræ necessitati. V, 2009. Incarnationis Filii Dei causæ. VI, 962 ; X, 1887, 1888, 1889, 1894, 1896. Duplex præsertim, reparatio et instructo nostra. V, 1982. Incarnati Dei finis, ac fructus. V, 1988, 1997 ; VI, 1065. Incarnationis mysterium de longe adorando, justi ante Christum salutis æternæ remedium perceperunt. X, 1770. Nullus ab Adam nisi in fide nominis Jesu salvatus. X, 1772. Incarnationis desiderio, utpote quo solo se salvari posse scirent, flagrabant omnes Sancti. VI, 1153.

Incarnationis mysterium ac beneficia exponuntur. VI, 910. Hoc mysterium vocis similitudine illustratur. V, 2202. Incarnatum Verbum ministro Spiritu sancto. III, 2284. In utero virginali spiritales nuptiæ sunt celebratæ. VIII, 1122. Incarnatus est Filius communiter a tota Trinitate. VI, 891. Carnem assumpsit solus Filius, non Pater aut Spiritus sanctus. VI, 755, 770, 772 ; VIII, 1213. Qui ad solum Christum pertineat caro. V, 2196. Cum trium personarum una sit substantia. VI, 1015. Hominem qui tota Trinitas operata sit, sed sola susceperit Filii persona, animæ et rationis exemplo illustratur. VI, 1193 ; VIII, 1196. Quare solus Filius incarnatus dicitur. VIII, 1175. Quare non dicitur Spiritus sancti filius. VIII, 1175. Utrum divinitas cum carne concepta, nata et passa sit. VIII, 1175. Filius Dei carnem assumendo, nec sibi imminuit quidquam, nec addidit. V, 2200, 2201. Natura incomprehensibilis corporis substantiam sibi sic univit, ut nec minus in ea, nec minor in se esset. VI, 1140. Deus Verbum non accepit personam hominis, sed naturam. VI, 772. Sic Deus mutata vice factus est ad imaginem et similitudinem nostram. V, 1982. Incarnati Domini recordatio quantum juvet ad virtutes et contra vitia. V, 1979. Circa incarnationem variæ hæreticorum opiniones. VIII, 1213.

Incoinquinabilis substantia. VIII, 1146.

Incontinentiæ fomenta. V, 2291, 2298.

Incorporeum nihil natura nisi Deus. VIII, 1213. Incorporei divisio esse non potest. VIII, 1189.

Inculpatus, quasi culpæ obnoxius. V, 2203.

Indicula. V, 1780, 1788, 1825, 1873.

Induratio ex gratiæ sequitur absentia. V, 1787. Ex desperatione nascitur. V, 1786. Parvis peccatis primum neglectis. V, 1786. Non tam Dei potentia quam patientia perficitur. V, 1786, 1788. Dum scilicet Deus flagella removet. V, 1787. Indurare Deus dicitur, quem mollire noluerit. X, 1668. Seu cum justo judicio duritiam non aufert. VIII, 1205. Scil. non ad iniquitatem impellendo, sed non eripiendo ab iniquitate. X, 1782.

Infantem in utero 46 diebus formari dicunt. VI, 742. Infantes absque peccato fateri palam non audet Pelagius, ne lapidetur. X, 1707. Infantes Sodomitarum a gehenna liberi sunt, in aliena causa occisi. III, 2221.

Infelicitas nulla frangit, quem felicitas nulla corrumpit. X, 1879. Inferni duo. V, 1875. Inferis detinebantur veteres sancti de hoc sæculo exeuntes. III, 2316, 2371. Etsi in tranquillitatis sinu. V, 2059. Ibique eos Christi ortum exspectare necesse erat. III, 2276. Inferni morsus exstitit Christus, quomodo. X, 1617. Inde Christus rapuit, quos suos fide et operibus agnovit ; reliquit alios. V, 2059. In inferno pro solo originali peccato detentos, Christus eo descendens liberavit. V, 1193, 1194. Infernalium ministrorum voces ad descensum Christi in inferos. V, 2060. Justorum in inferno captivorum ad Christum obsecratio. V, 2060.

Inferni pœnæ. V, 2211, 2215 ; VI, 1064, 1280, 1333, 1336. Earum inæqualitas. VI, 1280. Inferni mala et regni Dei bona comparantur. VI, 991. Inferni dicuntur flammæ spirituales. III, 2258. Infernalis ignis incorporeus est, aut animæ damnatæ non sine corpore. VI, 1026.

Infidelitas credentium non est prædestinata, sed præscita. X, 1840. Non est nisi ex sola hominis voluntate. X, 1841, 1843. Infidelitatis pessimum exemplum, in Anania et Sapphira quasi in ipsa radice succisum. V, 2264. Infidelibus sapientia quædam est ex naturæ a Deo conditæ reliquiis. X, 1814. Unde temporalem vitam ordinare, non unde justificari valeant. X, 1814. In iis multa esse possunt, quæ habeant pietatis similitudinem, sed non veritatem. X, 1797. Infidelium justitia falsa. X, 1796, 1818, 1819. Vita omnis peccatum est. X, 1868.

Infirmitates corporis, qui dona Dei. XI, 1150. Gaudenter sunt excipiendæ. VI, 1150. Remedia sacrilega contra morbos. V, 2272. Ab his caveant infirmi. V, 2238 ; VI, 1173. Salubrius est corpus et sanguinem Christi accipere, et oleo benedicto se et suos fideliter perunguere. V, 2273. Infirmi corpus et sanguinem Christi accipiant ; et inde corpusculum suum unguant. V, 2238. Oleo benedicto. VI, 1173. De infirmorum visitatione libri duo. VI, 1148.

Ingenium quid. VI, 787, 809.

*Ingentius* Scriba publicus. IX, 780. Scriba Augenti. IX, 782. Decurio Ziquensium. IX, 784. Subornatus venit cum litteris quasi Felicis. IX, 782. Per Mauritaniam et Numidiam legatus missus est ex adversa parte. IX, 782. Seditionem commovit Ecclesiæ catholicæ. IX, 784. Detruditur in carcerem artiori interrogationi reservatus. IX, 784. Tortus confitetur quid in gratiam Mauri confinxerit, IX, 783. Numidias a se paragratas negans mendacii arguitur. IX, 784.

Ingratus animus mala mortua excitat, viva interimit opera, fontem gratiæ obstruit. VI, 879.

Inimici nomine, Judæi spiritales diabolum intelligebant. V, 1860. Inimici hominis. VI, 946. Inimici cur permittantur, et quid pro ipsis orandum. X, 1876. Orationis Christi pro inimicis quis fructus. V, 2052. Orandum pro inimicis ad exemplum Christi ac Stephani. V, 2052. Inimicos quomodo occidat oratio. V, 2251. Eorum mortem aliter optare non licet. V, 2251. In inimico duo distinguenda, homo et peccator. V, 2251. Homo proximus, et inimicus diabolus. V, 2254. Inimici diligendi, ut gentibus et bestiis superiores simus. V, 2258. Inimicos amans, amicus est ac filius Dei ; non amans, homicida. V, 2161. Inimicorum dilectio non est consilium, sed præceptum. V, 2258. Spes alia nobis non est, nisi dimiserimus quidquid nos læserint homines. V, 2252. Inimicus sibi prius est, qui non indulget inimico. V, 1882. Eleemosynas largiens, sed inimicis non indul

gens, substantiam terrenam Deo offert, et animam subjugat diabolo. V, 2261.

Inimicis indulgere, eleemosyna est a qua se nemo valeat excusare. V, 2536. Ab inimicorum dilectione nullum se posse excusare. V, 2161, 2252, 2255, 2256, 2260. Inimicorum injurias patienter ferri posse convincimur. V, 2139. Eos diligere tenemur, utpote dilecti a Deo cum essemus inimici. V, 2250, 2251. Qui dicit se hostem non posse diligere a quo quotidie læditur, non attendit quid debeat Deo. V, 2139. Inimici diligendi præcepto nihil in Scripturis adversum. V, 1860. Hoc observarunt Joseph, Moyses, Job. V, 2253. Præceptum hoc durum videtur, sed magnum habet præmium. V, 2139 ; VI, 1170, 1178. Nullum est fortius ad sananda peccata medicamentum. VI, 1178. Nulla actio David Deo familiarius conjunxit, quam dilectio inimicorum. V, 2253. Inimici phrenetici sunt, qui ut nos persequantur, majorem a diabolo persecutionem patiuntur. V, 2257. Inimici converti possunt. V, 2252. Qua ratione diligendi sint. V, 1859. Plus diligendi sunt quam amici. V, 1862. Inimicitias aliorum benigno parum est non excitare, nisi et exstinguat. X, 1874.

Iniquitas non leve peccatum est. III, 2336. Prius lædit facientem, quam patientem. X, 1870. Iniquitatem melius est pati, quam facere. X, 1881. Iniqua patientis melior tristitia est, quam lætitia iniqua facientis. X, 1876. Iniquitatis finem aut correctio aut damnatio facit. X, 1864. Iniquitatis profunditas. X, 1878. Iniquitas aliena tantum torquet justum, quantum recedit a sua. X, 1869.

Injuriam qui infert, ipse majorem sustinet. V, 2152. Injuriæ condonandæ ante orationem. VI, 1057. Quæ imperfecta, quæ plena earum condonatio. VI, 858. Injurias Domini multi citius, tardius suas relaxant. VI, 1097. Aut injurias Domini vindicandi occasione, suas vindicant. VI, 1097.

*Innocentes* Liæ filii erant, non Rachelis. III, 2258. Innocentes nascenti Deo debentur victimæ. V, 2151. Innocentium adversus Herodem litigiale judicium. V, 2151. Iis Herodes plus profuit odio, quam profuisset obsequio. V, 2152. Martyrum flores. V, 2152. Martyrum primitiæ. V, 2155. A complexibus matrum reddantur gremiis Angelorum. V, 2150. Æterna vita sunt donati a Christo. III, 2258; V, 2151; VIII, 1123. Quem confessi sunt testimonio mortis suæ. VIII, 1123. Non loquendo, sed moriendo. V, 2154, 2155. Jure honorantur. V, 2151. Plus cæteris Martyribus exorant. V, 2154.

Innocentiæ commendatio. VI, 1040. Innocentia vera, quæ nec sibi, nec alteri nocet. X, 1859. Innocentiam Deus non probat, quam non parit amor justitiæ. X, 1869. Innocentia simulata, duplex peccatum. X, 1877.

*Innocentius* urbis Romæ episcopus. X, 1842, 1684. Joanni Jerosolymit. exprobrat negligentiam in reprimendis impiorum facinoribus. X, 1710. Hieronymo ea de re scribit. X, 1711. Ad Innocentium Papam a Joanne Jerosolymit. remittitur causa Pelagii. X, 1700. Innocentius Pelagium et Cœlestium damnat. X, 1682, 1685. Hæresim Pelagianam primus damnavit. X, 1723, 1724. Ac nefandi erroris capita Apostolico mucrone percussit. X, 1859. Quæ ei damnandi Pelagii causa fuerit. X, 1687. Innocentio contra Pelagii et Cœlestii errores scribunt Synodi Carthaginensis ac Milevitana, necnon quinque Episcopi. X, 1711, 1712. Eisdem rescribit Innocentius. X, 1714, 1715. Innocentii citatur epistola ad Carthaginense Concilium. X, 1757, 1807. Item epistola ad Milevitanum. X, 1757. Innocentius decretum Occidentalium et Orientalium Ecclesiis adversus Pelagium latum scripsit. X, 1715. Innocentii sententia pro gratiæ ad singulos actus necessitate nituntur Africani. X, 1724. Innocentii Papæ litteræ, ut Episcopi ad transmarina pergere non facile debeant. X, 814.

Inobedientiæ vani prætextus rejiciuntur. VI, 1094.

Insipientem inter et stultum distantia. VI, 892.

Inspiravit Prophetas et Apostolos unus Spiritus. VIII, 1176, 1183. Inspirationis gratia. V, 1824. Inspiratur intus a Deo omnis qui bene operatur. V, 1824.

Insubstantiale nomen. X, 1618.

Insularum origo, et unde in illis animalia. III, 2158.

Intellectus quid. VI, 787, 809; X, 1889. Intellectu fides etiam aperit, infidelitas claudit. X, 1869. Intellectum bonum habet, qui quod faciendum recte intelligit, facit. X, 1860, 1861.

Intellectualis visio. VI, 752. Hac numquam fallitur anima. VI, 797.

Intelligibilia et intellectualia. VI, 729.

Intelligentia quid. VI, 787, 808, 809.

Intemperantia dissuadetur. VI, 1039

Intentio non nisi ex operis fine dignoscitur. VI, 817. Quæ esse debeat. VI, 819.

Interjectio quid et quotuplex sit. I, 1408. Interjectionem ab adverbio Græci non separant. I, 1404.

Interioris vitæ dulcedo. VI, 791. Ejus commendatio. VI, 801, 804, 814, 827, 891, 922

Invidia similis est ærugini et viperis. V, 1769. Vitium est diabolicum. IX, 825. Peccatum ad mortem. V, 1979 Ortum a superbia habet. X, 1884. Quid sit. VI, 1089. Invidiæ miseria. V, 1769, 2004; VI, 1055. Remedium. VI, 1095. Invidus resecandus veluti corporis tabes. V, 1950. Aut velut membrum mortuum. V, 1950. De invidia sermo. VI, 1264.

Invocatio Dei non arguit Deum extra nos. VI, 951, 970. Invocatione humana non confertur gratia. X, 1785. 1786. Adjutorium etiam renatis ac sanctis semper implorandum. X, 1787. Invocatio sanctorum. V, 2146, 2147; VI, 916, 918, 938. Invocatur S. Stephanus quasi præsens adesset oranti. VII, 844. 846. Invocatio Martyrum pro temporalibus beneficiis. V, 2161. Sancti debent aliquid de suis virtutibus in nobis recognoscere, ut dignentur pro nobis supplicare. V, 2159. Qua conditione sanctus Joannes quidquid petierimus poterit obtinere. V, 2116.

*Joannes* Dei gratia interpretatur. III, 2417. Joannes Baptista in se formam prætulit Legis. V, 2112, 2114. Qui prophetas alios antecelluit. V, 2112. Legis et gratiæ fibula est. V, 2117. Novi ac veteris Testamenti mediator. V, 2112. Lucerna Christo dictus est. V, 2017. Cur lucerna dictus, et ante Christum præmissus. V, 2111, 2114. Dilatus est, donec a parentibus fugeret cupiditatis sensus. V, 2117. Sanctificatus ante quam natus. V, 2112. Ante accepit divinum Spiritum quam humanum. V, 2118. Tardante corpore, solo spiritu implet evangelizantis officium. V, 2118. Patris, matris, filii corda unus implet Spiritus sanctus. V, 2118. Joannes primus agnovit humani generis Redemptorem. V, 2017. Intellexit matrem Domini ad matrem suam venisse. VIII, 1125. Christum ortu, et conversatione præsignavit. V, 2115. Joannis ac Christi nativitas et passio plenæ mysterio. V, 2114, 2119. Johannes ex anu ut veteris legis finis, Christus ex puella ut novi Testamenti principium. III, 2195. Joannes non dubitavit, sed discipulos voluit in fide corroborare, cum eos ad Christum misit. III, 2394, 2395. Ante Christi baptismum sciebat eum, sed quia per ipsum Abrahæ fides implenda erat, nesciebat. III, 2254. Joannes castimoniæ fuit custos. III, 2384. Plena et perfecta libertate maluit injusta sustinere, quam justa non dicere. V, 2116. Joanne inferior est quisquis de muliere natus est. V, 2115. Joannes humanorum fugit mensuram meritorum. V, 2115. Major est homine. V, 2117. Quidquid petierimus, poterit nobis obtinere. V, 2118.

Joannis Baptistæ nativitas apud fideles et infideles vigiliam habet. VI, 1276. Superstitiosi ritus in ejus solemnitate. VI, 1172. In hac festivitate lavandi mos a Paganis ortus prohibetur. V, 2268. In illa sacrilega lavatione frequentissime etiam corpora moriebantur. V, 2268.

*Joannes* apost. virgo est electus: et speciale virginitatis privilegium fuit, ut in pectore Christi recumberet. I, 1469. Illius est Apocalypsis. III, 2286. Scripta dum in insula Pathmo a Domitiano esset relegatus. III, 2266, 2267. Joanni quid præstitum a Christo in cruce. I, 1465.

*Joannis* Alexandrini apologia ad Gelasium. X, 1684.

*Joannes* Antiochenus arguitur Pelagianos episcopos depositos cum aliis suscepisse. X, 1760

*Joannis* Chrys. commentariorum in Matthæum translatio ab Anniano quodam Pelagiano expetita. X, 1749. A Pelagianis laudantur ejus sententiæ, ut quæ sibi faveant. X, 1749. Conceditur tamen continuum commendare gratiæ auxilium. X, 1749. Locus illius a Pelagianis laudatus. X, 1756. Joannem Chrysostomum Pelagianis adversari. X, 1755. Joannis Chrysostomi homilia de cruce. V, 2047, *not.* 6. Alii duo Sermones ejusdem (uti valde probabile) de consolatione mortuorum. VI, 1161.

*Joannis*, ut creditur, Fiscamnensis Opus ad Agnetem Henrici Imp. relictam. VI, 909.

*Joannes* Jerosolymit. VII, 809, 815, 812, 817. Pelagio quomodo faveat. X, 1699 Ejus tamen causam ad Innocentium remittendam consentit. X, 1700. Orosium salutantem duris verbis excipit. X, 1700. Joanni Jerosolymit. exprobrat Innocentius in tuendis piis et coercendis impiis negligentiam. X, 1710, 1711.

*Joannis* Maxentii ac sociorum nomine datus libellus. X, 1771. Item epistola pro defensione Scytharum monachorum. X, 1778. Ipse capitula ex Fausti et Augustini libris decerpit, quorum oppositio ex collatione appareat. X, 1779. Joannes presbyter et archimandrita idem putatur qui Maxentius. X, 1779. *Not.* (*b*)

*Joannes* monachus, et Joannes lector in causa fidei Romam directi. X, 1772, 1776.

*Joanni* Papæ adscriptum Psalterium. VI, 1135.

*Job* nullo digno nomine potest appellari. V, 1842. Job tuba ductilis. V, 1844. Ante Evangelica præcepta Evangelicus. II, 1105. Ante Legem Legis exemplar in operibus suis ostendit. III, 2561. Ejus elogium. III, 2561. Job cur

diabolo permissus. V, 1739. Ad minutorum peccatorum purgationem est afflictus. V, 1844. Job patientia laudatur. V, 1815. In stercore melior fuit, quam Adam in paradiso. V, 1844. Uxor ei Eva erat, sed ille non Adam. V, 1815, 1844. Oblivisci uxorem in filiis didicerat. V, 1841. Job periclitantibus membris auctori vulnerum pectus servat. V, 1841. Justitia incolumis eum in naufrago corpore tutatur. V, 1841. Job in prosperis et in adversis diaboli victor. V, 1842. In se ostendit et divites esse posse bonos, et pauperes beatos. V, 1842. Jobi exemplo liberi arbitrii vigorem probare conatur Cassianus. X, 1820. Quam frustra. X, 1825. Versio Latina verborum Job ex Græco Septuaginta, et alia ex Hebræo. X, 1632.

*Jonas* ab Hebræis traditur esse filius Sareptæ ab Elia suscitatus. III, 2181.

Jordanis Christi baptismate consecratus. V, 1812, 1833.

*Joseph* interpretatur augmentatio. V, 1766. Joseph figura Christi. V, 1924. Quot modis Christum figuraverit. V, 1765, 1773. Quod somnio vidit, in solo Christo est impletum. V, 1766. Quo venditus sit pretio, non conveniunt translationes. V, 1765. Venditus, servile nescivit ingenium. V, 1768. Joseph cur patri notum non fecerit quid de se actum esset. V, 1770. Joseph benignitas. V, 1769. Joseph prævidens quod eum Ægyptii adorare vellent, inde ossa sua efferri jussit. III, 2163. Tamen bovis simulacro juxta sepulcrum ejus statuto eum coluerunt. III, 2163. Ea de causa vitulum sibi in deserto filii Israel conflarunt. III, 2163.

*Joseph* imperite dictus est habere duos patres. III, 2252. De genere regali est, et sacerdotali. V, 2110. Turbatio ejus dum sponsam gravidam vidit explicatur. V, 2108. Joseph post Christi resurrectionem superstes. V, 1766. *Not.* (*a*).

*Joseph* ab Arim. non minor affectus erga Christum fuit, quam Mariæ. V, 2204. Joseph in monumento cordis Dominum collocat. V, 2205.

*Josue* prius Auses dicebatur. III, 2273.

Jovis dies, nec in Maio, absque sanctis festivitatibus, nulli in otio transigendus. VI, 1172.

*Jovinianus* virginitati nuptias coæquat. VIII, 1219. Abstinentibus a vino et carnibus nihil meriti accrescere credit. VIII, 1219. Nullam esse vult in futuro meritorum distantiam. V, 2185; X, 1718. Asserit hominem non posse peccare. V, 2183; X, 1718. Scil. post baptismum. X, 1735. Joviniani secunda quæstio, Pelagiani ingenii disciplina est. X, 1693, 1696, 1697, 1706.

*Iphidamia*. VIII, 1150.

Ira quid. VI, 1089. Ira sua nulli videtur injusta. X, 1887. Iræ vani prætextus. VI, 1096. Gradus. VI, 1251. Effectus. VI, 1251. Iracundia prius nocituris nocet, quam nocendis. V, 2501. Iracundiæ flammæ falsis suspicionibus succenduntur. V, 2346. Ira subitanea, palea; inveterata, trabes. V, 1872. Ira cordis oculum turbat, odium excæcat. V, 1872. Iracundiæ non satisfecerunt sancti, quando de impiis pœnas sumpserunt. V, 2262, 2263. Ira Dei, quid. X, 1872.

*Irenæus* sperat post hanc vitam quod ad cibum et potum pertinet. VIII, 1818.

Iris non solum a sole, sed et luna interdum fit. III, 2157. Iris incarnati Verbi typum gerit. III, 2419.

Irregularitas ad Clericatum. *Vide* Clericus.

*Isaac* typum gessit Dei Patris. V, 1760, 1818. Necnon Christi. V, 1758, 1818. Christi sponte patientis. V, 1954.

*Isai* typum gessit Dei Patris. V, 1818.

*Isaiæ* filius Rapsaces. III, 2187.

*Isidorus* Hisp. V, 2150.

*Isera*. X, 1792.

*Isis*. III, 2545.

*Israelitæ* quo jure terram Chanaan obtinuerint. V, 1811. Eorum erga Dei beneficia ingratus animus. V, 1797.

Itinerantium superstitiosæ observationes, quibus piæ opponuntur. V, 2001, 2002, 2269.

*Juda* confessio sive laus interpretatur. III, 2201. Judæ novissima benedictio convenit Christo. III, 2205.

*Judam* Giezi præsignavit. V, 1832. Judæ incestus tribuitur, et patri ejus ac matri sanitas miraculo reddita. VI, 1285. Judæ obduratio. V, 2056. Dominus illi corpus suum dedit. III, 2511; VI, 1285; IX, 766. Ac pedes abluit. VI, 1285. Judas severissimus sui judex. V, 1901. Spiritus sancti mustum portare non potuit, ideo crepuit. VI, 1069. Quo die vel tempore vitam finierit, improbabile est. III, 2288.

*Judæi* a Juda Machabæo appellati. III, 2274. Legislatorum filii vocantur. VI, 974. Judæum facit nativitas, non circumcisio. III, 2274. Judæorum pater, Cain. III, 2282, 2298. Judæi in verbis Jacob ad Ruben novissimis præmonstrati. III, 2205. Necnon in Esaü. V, 1758. Qui Christianis serviunt. VI, 1758. Judæorum adversus Christum conatus Jacob lucta designati. V, 1758. Judæorum populus spinosus. V, 1779. Eorum infidelitatis et infirmitatis figuræ. V, 1750. Judæorum reprobationis et electionis Gentium figura. V, 1821. Judæorum et Christianorum egregia figura. V, 1800. Alia. V, 1801, 1814. Judæis adhæsit lepra, quando ad nos transiit gratia. V, 1833. Judæorum figura Gedeonis vellus. V, 1817, 1818. Judæorum solemnitates. III, 2276. Cur in uno tantum loco vota reddere aut sacrificare sint jussi. V, 2048. Judaismi ab initio nullus ex Gentibus veniens Legi se adjungere prohibitus est. III, 2240.

Judæi parati ad legendum, cæci ad intelligendum, duri ad credendum. V, 2008. Peccarunt in Spiritum sanctum. III, 2507. Eorum insania in Christi passione. V, 1827. Per Titum et Vespasianum punita. V, 1827. Quot tunc perempti, quot captivi. V, 1827. Judæi per orbem dispersi, ut lucernam legis tamquam candelabra lignea Gentibus ministrent. VIII, 1128. Judæorum gens, scriniaria Christianorum. VI, 751. In Judæi armario codex noster servatur. VIII, 1113. Leges contra Judæos. IX, 815. Judæis causas agendi aut militandi aut Christianos suo servitio habendi licentiam denegat Valentianus. X, 1751. Non est aditus ad Comitum dignitatem, ad senatum, ad præfecturam, ad militiam, ad mensas divitum. VIII, 1133. In uno Minoricæ oppido impune habitare eis non licet. VII, 822. Judæi Deum unum, non etiam trinum volunt fateri. VI, 974. Multis testimoniis de Christi veritate ac divinitate convincuntur. VIII, 1123. Item de veritate Ecclesiæ. VIII, 1132, 1133. Judæorum in oppido Magonensi mira conversio. VII, 824.

Judex qui provinciæ præsidet. IX, 813. Judex principe loco Flavius tribunus in Carthaginensi collatione sedet. IX, 817, 818. Inter eos, uti fatetur, a quibus se judicari decuerat. IX, 816, 819. Judices Africani. IX, 808, 809, 810. 813.

Judices quid deceat. VI, 1297. In judice misericordia et disciplina non dissocientur. V, 2528. Hæc in judice securitas fidei est, ut de se non timeat judicari. IX, 820. Absentes et inauditos damnandos non esse. X, 1735. Criminationes testium absentium in absentes non facile excipiendæ. X, 1720, 1722. Tolerabilius est innocentem quemlibet tardius inveniri, quam cito pro nocente damnari. X, 1772. Judicium in melius retorsisse numquam piguit. X, 1720. Optimæ mentis indicium, prava difficilius credere. X, 1720. Judiciorum sæcularium moderatio docet qualia esse debeant ecclesiastica. X, 1722. Judicibus in reum latam sententiam revocare non licet. III, 2552. Judicum latrocinia. VI, 1292, 1297. Judices injusti plurimi hic eas reddiderunt pœnas, quibus alios injuste affecerunt. VI, 1035. Judicia cur olim in porta. VI, 1231. Causas dicere vel audire in festivitatibus prohibetur. V, 2275.

Judicium aliud discretionis, aliud damnationis. V, 1925. Judicanda sunt aperta mala, non ignota aut dubia. V, 1871, 1873. Judicari debent aperta mala, sed cum caritate. V, 1871. Judicare satius est bene de malis, quam de bonis male. V, 1871. Judicare semper male de bonis naturaliter vulgo insitum. VI, 1221. Judicare temere de occultis cordis alieni peccatum est. X, 1861. Judicium temerarium non parvum, etsi commune peccatum. V, 1873. Judicium vulgare vir fortis præ conscientiæ luce contemnit. X, 1863. Judiciis alienis moveri non debemus, qui de nobis non dico quid cras, sed quid hodie simus, judicare non possumus. V, 2550.

Judicia Dei quam alta. VI, 887. Semper sunt justa. X, 1885. Plerumque sunt occulta, sed numquam injusta. V, 1771, 1788, 2262. Nobis non sunt investiganda. X, 1658, 1660, 1663. Investigabiles sunt, et misericordia qua Deus gratis liberet, et veritas qua juste judicat. X, 1887. Judicia sua non nos jubet Deus discutere, sed credere. V, 2192.

Judicis terreni ac superni discrimen. V, 2050. Ad adorandum verum judicem perducunt Angeli sanctorum animas. VI, 1061. Coram tremendo judice anima hinc exiens ab Angelis sistitur. VI, 1183. Judicantur injuste peccatores, si non libere peccarunt. VIII, 1142.

Judicii dies quia ignoratur, vocatur media nox. V, 1892. Judicii diem quomodo Christus dicat se ignorare. III, 2410. Judex vivorum et mortuorum Christus qui intelligatur. V, 1805. Judicii die qui vivi fuerint, simul cum mortuis suscitatis rapientur in nubibus obviam Christo. VI, 1161. Judicium novissimum esse, rationi consentaneum est. III, 2219. Judicium unum per aquam in diluvio, alterum erit per ignem in fine sæculi. III, 2419, 2422. Judicii ignis arbiter. V, 1772. Judicii extremi figura, clibanus ardens Abrahæ visus. V, 1746. Judicii quam justa severitas. V, 1803. Judicii nostri ratio in potestate nostra. V, 2139, 2162, 2252, 2259, 2260, 2329. Unde erit damnatio vel corona nostra. X, 1869. Judicis futuri sententia prævenienda. V, 2221. Judicii diem qui prævertere debeamus. V, 1846. Judicii dies frequenter recolenda. VI, 1169. Hanc frequenter prædicat Cæsarius. V, 2206. Lectio Matth. xxv. in qua sermo est de judicio, sola sufficit ad omne malum fugiendum, et faciendum omne bonum. V, 1897. Judicii futur

oblivio, magna peccati pœna. V, 2045. Judicii extremi quantus erit terror, quam exacta examinatio. V, 1893. Quæ erit ratio, et quam utilis sit quotidiana illius recordatio. V, 1963, 1964. Judicii novissimi consideratio. VI, 1185.

Judicium non statim ab Antichristi morte incipiet. VI, 1134. De peccatorum sorte in die judicii, Pelagii, Origenis et Hieronymi diversæ sententiæ. X, 1704. Judicandorum hominum triplex sors. V, 1949. Judicium quale erit circa impios, peccatores, et justos. III, 2332, 2333. Domini vultum sustinere non poterunt peccatores. III, 2333. Civitas Jerusalem in adventu Domini descendit de cælo. III, 2333. Ad judicium non veniunt Pagani, nec hæretici, nec Judæi. V, 1896. Judicio subjecti non erunt fideles ad sententiam excipiendam, sed ut fidei merito laudentur. III, 2376. Gloriam eorum videbunt perfidi, sicut et ipsi perfidorum cruciatus. III, 2376. Ad Dei judicium venturi etiam parvuli. X, 1652. Judicii die qui diabolus reos sit accusaturus. VI, 1072. In judicio bona et mala opera velut in statera ponenda. VI, 1202. Peccatoribus agendum, ut in die judicii etsi coronam non merentur accipere, vel peccatorum indulgentiam consequantur. V, 1835, 2340. De judicio extremo Sermones tres. V, 2206.

Jugulos ponere, pro jugo subjicere. VII, 846.

Jugo Christi aut sæculi quisque subest. V, 1800. Jugum Christi leve. V, 2316. Jugum leve, caritas. X, 1651. Jugum grave, peccatum. X, 1650. Jugum avaritiæ durissimum et amarissimum. V, 2317.

*Juliana* Alexandri Senatoris uxor. VII, 819.

*Juliana*, ejusque elogium. X, 1738.

*Julianus* Præf. præt. IX, 790.

*Julianus* Proconsul Africæ. IX, 805, 844.

*Julianus* edicto viros suos dimittendi mulieribus potestatem fecit. III, 2349. In urbe Roma. III, 2349. Ubique se edictis suis apostatam est testatus. IX, 802. Ex famulo Dei minister factus inimici. IX, 802. Rogatus Donatistis permittit ab exsilio reditum. IX, 805. Imperator profanus et sacrilegus moritur. IX, 805. Rescriptum ejus per Donatistas impetratum. IX, 809.

*Julianus* Amartolus. X, 1790.

*Julianus*. X, 1681.

*Julianus* Campanus. X, 1857. Sanctis parentibus Memore et Juliana natus. X, 1738. Vir acer ingenio, in divinis Scripturis doctus, græca et latina lingua scholasticus. X, 1736. Est rhetor peritissimus. X, 1740. Procacissimus. X, 1850. Vocatur a Mercatore exepiscopus Eclanensis. X, 1739. A Beda episcopus Celanensis a Romania. X, 1740. Scripsit in Cantica canticorum. X, 1740. Libellum composuit de amore. X, 1740. Item de bono constantiæ. X, 1745. Item ad Demetriadem de institutione Virginis. X, 1745. In stilo ipsius est suavitas eloquentiæ demulcentis. X, 1746. In libris esset quod multum prodesset virtutum studiosis, si gratiam flagitare in eis doceret. X, 1746.

Julianus ab Innocentio ordinatus, et in ejus communione quamdiu vixit permanens, Cœlestium et Pelagium damnavit. X, 1689. Pelagii et Cœlestii sectator factus. X, 1681, 1686 Zosimi tractoriæ subscribere recusans cum aliis deponitur. X, 1689. Monetur ut nominatim designet, quosnam recte sentire confidit. X, 1690. Multi ab eo et sociis deficiunt. X, 1691. Juliani ab Occidente expulsi apud Imperatorem expostulatio. X, 1751. Juliani depositio confirmatur. X, 1760. Hic in episcopatum et Ecclesiæ communionem irrepere molitus, a Xysto Leonis hortatu rejicitur. X, 1761. Duas sorores suis erroribus imbuit, quid una earum illi objecerit. X, 1738. Eleemosyna indigentibus tempore famis prærogata, multos hæresi sociavit. X, 1737. Pelagiana capitula defendit : unde libri Augustini adversus ipsum, et ipsius adversus Augustinum. X, 1737. Injuriis et contumeliis magis membranas, quam ulla fidei recta ratione complevit. X, 1737. Tota inepti illius laboris summa. X, 1737. Illi quoque subnotationibus respondit Marius Mercator. X, 1737. Julianus conventus ut cum universa Ecclesia Pelagium et Cœlestium damnet, detrectat. X, 1738. Et epistolam ad Zosimum mittit, quam prius curat per totam Italiam circumferri. X, 1739. Quo doloso sensu omnes in Adam mori, omnes in Christo resurgere prædicet. X, 1738, 1739. Aut quomodo dicat Adam non soli sibi, sed generi humano obfuisse. X, 1738. Quomodo intelligat infantes non in eo statu esse, in quo fuit Adam ante prævaricationem. X, 1738. Adam sive peccaret, sive non peccaret, moriturus fuisse, fatetur nulla firma ratione dici. X, 1738. Quibus sophismatis Romæ usus est ad elevandam peccati ex Adam traductionem. X, 1739. In Cilicia errores suos spargit. X, 1739. Illuc pergit ad Theodorum Mopsuestenum. X, 1739. Inde rediens libros octo adversus Augustinum scribit. X, 1740. Theodorus, quem maxime laudat, in conventu Episcoporum eum damnat. X, 1740. Ipsam sententiæ a Beda ex ejus opusculis expressæ cum illarum refutatione. X, 1740. Juliano, ut videtur, auctore scriptus libellus fidei. X, 1752.

*Juliani* Pomerii excerpta. VI, 1050.

*Julius* episcopus ad Innocentium ab Africanis Conciliis destinatus. X, 1714.

*Junius* quare Brutus cognominatus. III, 2337.

*Junius* Quartus Consul. X, 1714, 1715. *V.* Palladius.

*Junius* exceptor. IX, 794.

*Ivonis* Carnutensis Sermo. V, 2200.

Jurare prohibuit Salvator. III, 2411. Jurandi formula. IX, 785. Alia. IX, 784. Rursum alia. IX, 818.

Jus animæ et carnis. V, 1916. Jure fori, non jure cœli. V, 2295.

Justificationis gratia. III, 2370. Quæ opera rejiciantur a justificatione. X, 1633. Justificari nemo potest per sola naturalis rationis subsidia, aut divinæ legis scita. X, 1743. Quomodo hinc Catholicos hæretici calumnientur. X, 1743. Justificatio per fidem Jesu Christi data est, datur, dabitur credentibus. X, 1637. Voluntatem nostram non exspectat, sed præparat Deus, ut a peccato purgemur. X, 1786. Justificat impium Deus non præventus humana voluntate. X, 1659. Justificando Deus gratis prævenit quos per justitiam glorificare disponit. VI, 765, 767. Justos veteris Testamenti per laborem proprium et Christi fidem fuisse justificatos. X, 1734.

Justitia pro juris dicendi potestate. II, 1138. Justitia a jure dicendo intra duas partes contrarias. V, 1916. Justitia hominum magistra et gubernatrix. III, 2327. Res Dei est. III, 2327. Justitia remota regna efficiuntur latrocinia. VI, 1292. Justitiæ rigore, ut de virga ferrea, corriguntur boni, confringuntur mali. III, 2421. Justitia nimia incurrit peccatum, temperata vero perfectos facit. III, 2226. Justitia Dei iniquis, sicut ægris oculis lux, odiosa. X, 1874.

Justitiæ pulchritudo. VI, 994. Justitiæ laus et qui ea tenenda. VI, 1258. Justitiæ mandatum omnibus generale est. II, 1105, 1106. Justitia sola beatificare potest animam. VI, 830. Justitia pacem, et pax gaudium parit. V, 1917. Justitia Deum semper placatum, et injustitia offensum fuisse. VI, 1037. Justitia in nobis non regnante, dominatur iniquitas. X, 1818. Justitiam esurit, qui discere optat justitiam. V, 2317. Justitia non aliud est quam non peccare. V, 1865. Justitia tota hæc est, virginitas, sacerdotium et martyrium. III, 2154. Justitia est omnis veritas. III, 2232. Justitia vera et perfecta. V, 1915. Justitia nec per naturam, nec per Legem est. X, 1887. Justitia infidelium falsa. X, 1796. Justitia Legis terrena, justitia fidei divina. III, 2412. Justitia vera non est nisi per Christum. X, 1796. Peccatum factum est relicto Deo : justitia non fit sine Deo. X, 1880. Justitia princeps Abel, et secundus post eum Enoch. III, 2154. Justitia nostra hic qualis sit. X, 1873. Justitia vera, quomodo in aliquibus perfecta et imperfecta. X, 1886. Justitia duplex munus. VI, 1050; X, 1867. Justitiam a pluribus amitti. X, 1834, 1836, 1848.

Justi in Scripturis unde appellati. X, 1693. Justus in alios esse nequit, qui in se ipsum est injustus. V, 1916. Justum unum plurimis peccatoribus Deo esse cariorem. VI, 1057. Justos et perfectos esse plurimos vult Pelagius. X, 1702, 1705, 1706, 1707. Quo id sensu dicere liceat. X, 1705. Justi coronant Christum, sed ab eo ornantur. V, 2058. Justus quomodo accusator sui, et tamen justus sit. III, 2252. Justi ut non sine peccatis minutis, ita indigent tribulatione purgari. V, 1771. Justorum minuta peccata tribulatione purgantur. V, 1771, 1844. Justorum afflictio non pœna est criminis, sed virtutis examen. X, 1863. Justorum præmia et labores. VI, 1065. Justorum labor magnus, mores tolerare contrarios. X, 1869

Juvencam facere. V, 2004.

## K.

*Kenyea*. VII, 815.

Kalendæ. *Vide* Januarius.

## L.

*Laban* diaboli, typum gessit. V, 1763.

Labor honestus est lectionis. V, 2321.

Labore manuum quo damno Monachi plus solito occupentur. V, 2334. Labor piorum est exercitatio, non damnatio. X, 1882. Labor hic nullus est comparandus spei nostræ. X, 1881. Aut laboribus Christi. X, 1882. Laboris finis non erit, nisi diligatur quod non possit auferri. X, 1870.

Lacrymæ unde falsæ. III, 2161. Lacrymas fundens ob temporalia, et non fundens ob peccata, culpabiliter durus est. VI, 1122. Lacrymæ amoris ardentes. VI, 930. Harum jugis gratia ardenter postulatur. VI, 931, 955. Lacrymæ

contemplantium quid eis præstent. VI, 1000. Lacrymæ Domini, gaudia mundi sunt. V, 1928. Lacrymæ passionis Christi vicaria. VI, 1254.

*Lactantius* post hanc vitam sperat quod ad cibum et potum pertinet. VIII, 1218.

Lætitia inepta unde comprimatur. VI, 1101. *Vide* Gaudium.

*Lætus* notarius. IX, 810.

Laïcorum excusatio, dum excitantur ad Scripturarum studium, aut ad ecclesias frequenter adeundas. VI, 1060. Laïcis, clericis, monachis æqualiter convenit fidem, spem, caritatem, humilitatem servare, ac pœnitentiam agere. VI, 1061.

*Lamech* non occidit Cain. VI, 2221.

*Lampadius* episc. IX, 787.

*Lampadius* Consul. X, 1792.

Lana et linum quid significent. V, 1854.

*Landuleus* Capuanus episcopus. VI, 817.

Lapides ex aqua. III, 2169. Lapidum acervus in testimonium planctus. VII, 815.

Lapidatus Diaconus, pro degradatus. IX, 795, 796.

Larvati. *Vide* Personati.

Lascivia semper juncta est saturitati. V, 2026.

Latro qui ad dexteram Christi in cruce pendens paradisum meruerit, dicitur ipsum Christum dum in Ægyptum fugeret, a latronibus eripuisse. I, 1466. Latro et latro. V, 2049. Latro Christum de proprio blasphemavit, et de Dei Spiritu credidit. X, 1810. Ab Adam primus paradisum intravit. V, 2044, 2049. Latronis absolutio mundi spes est et consolatio. V, 2045. Hanc ille non sine causa meruit. V, 2044. Latronis fides extollitur. V, 2044, 2046, 2049, 2054. Latro confessor et martyr. V, 2044. Doctor. V, 2049, 2050. Latronis devotio imitanda. V, 2070. Latronis exemplum ne sit remissioris vitæ occasio. V, 2046.

Latrocinia iniquorum judicum. VI, 1292.

*Latronianus* corrector Siciliæ. IX, 786.

*Laurentius* crucem Christi super cæcorum oculos faciens, eos illuminabat. V, 2551. Hippolytum eustodem suum ad fidem Christi convertit. V, 2551. Grano sinapis comparatur. V, 1914. Flammas fidei calore non sentit. V, 1914. Igne ignis vim restinguit. V, 2127. Coronam martyrii tempore pacis invenit. V, 2128. Quam ob causam cruciatus. V, 2128. Laurentii passio mundum illuminavit et inflammavit universum. V, 2127.

Laus hominis vera. VI, 872. Laus vana. VI, 876. Laudis humanæ cupidi opera perdunt. V, 1895. Sicut vera laus ornat, ita falsa castigat. V, 2116. Laudem cupere, dum negatur, si cuiquam facile est; difficile est ea non delectari, cum offertur. X, 1887. Nec valde gaudere debemus quando laudamur, nec contristari quando vituperamur. V, 2550. Laudem ac meritum virtutum, si hæ a Deo donentur, auferri putant Pelagiani. X, 1825. Quam falso. X, 1825, 1827. Laudare se homini periculosum, non item Deo. X, 1895.

Laus uni Deo debetur. VI, 859. Hominis ad laudandum Deum insufficientia. VI, 872. Quis eum recte laudet. VI, 872; X, 1865. Laudandi Dei cupidus, petit unde eum digne laudet. VI, 926, 927. Laus Dei qualis esse debeat. V, 1882. Laudator Dei non est, aut qui male vivit, aut qui quasi de suo bene vivit. V, 1847. Aut qui cum hoc se a Deo accepisse sciat, sibi tantum vult divitem Deum. V, 1847. Laudis sacrificium nemo offert malus. V, 1847. Laudandus Deus vita et lingua. V, 1848. Laudandus in ultionibus ut in beneficiis illius. X, 1865. Laudes Dei cum Beatis celebrandæ. VI, 921. Non est laboriosa, sed amabilis servitus in Dei laudibus perpetuo assistere. V, 2156.

*Lazarus* et Neporus seu Heros episcopi Gallicani. X, 1684, 1689. Accusatores Pelagii. X, 1708. Eorum litteræ ad Afros adversus Cœlestium missæ. X, 1719. Et Carthaginem delatæ. X, 1711. Lazarus et Heros sacerdotali loco et omni communione a Zosimo submoventur. X, 1720, 1721. Eis tamen datur, ut intra secundum mensem veniant, ac præsentem Cœlestium convincant. X, 1722. Hi dicuntur inobservatis ordinationibus plebe cleroque contradicente sacerdotia vindicasse, quibus se ipsi abdicaverint. X, 1720. 1721. Vocantur turbines Ecclesiæ. X, 1721. Erubescenda factis et damnationibus nomina. X, 1722. Lazaro dicitur vetus consuetudo criminandi innocentiam, idque gestis probatur. X, 1721.

Lectio quid sit. VI, 997. Quis ejus scopus. VI, 1002. Lectionis piæ commendatio. V, 2019, 2020, 2022. Ad lectionem Scripturæ hortatorius sermo. VI, 1559. Lectionibus divinis anima pascenda. VI, 1178. Ab iis nemo excusatur, nec qui legere non novit. V, 2521, 2525. Lectionem divinam, quando noctes longiores sunt, potest quisque tribus horis legere vel audire. V, 2525. Lectionis assiduæ fructus. V, 2521. Lectio sola Matth. XXV. in qua de judicio sermo est, Christiano sufficere potest. V, 1897. Lectio sacra, etiam rerum quæ non ignorantur, nobis utilis et necessaria. III, 2564. Legentes incongrua non in culpam veniunt, sed sequentes. X, 1777. Nec vitio dari potest, nosse quad fugias. X, 1777. Lectione divina sic utendum, ut sit speculi vice. II, 1115. Ut immoderata jejunia, ita lectionis studium intemperans in reprehensionem cadit. II, 1115. Lectiones canonicæ. VII, 855. Lectiones in ecclesia stando audiebantur. V, 2519. Lectio pia refectionis tempore. IV, 2022.

Lector historiam miraculorum pronuntiat. VII, 842. Lectores habent Scripturas. IX, 794. Multi multos codices produnt. IX, 795. Coddeonis uxor prodit codices sex. IX, 795.

*Lectorius* Comes. VII, 850.

Ledonis et Malinæ vicissitudo. III, 2159.

Legatus Carthaginis. IX, 816.

*Lemellense* castellum. IX, 805.

Lene corpus quid. I, 1454.

Lenitate salva pœnas de peccatoribus a sanctis viris sumptas esse. V, 2265.

*Leo* episc. IX, 816, 827.

*Leo* Papa. VI, 990. Ferventi zelo contra Pelagianos depugnat. X, 1684. Adhuc diaconus irritos facit dolosos Juliani conatus. X, 1761. Duæ ejus epistolæ ad coercendos Pelagianos. X, 1761. Item sententia de Pelagianis conversis recipiendis. X, 1750. Leonis Sermo de Epiphania. V, 2008. Alius de Quadragesima. V, 2052.

Leo ægrotans simiam quærit, qua devorata convalescit. VI, 1558. Leonum rugitus cæteris animantibus terribilis. VI, 1255.

*Leontius*. IX, 800, 801, 858.

*Leontius* Galliarum episc. X, 1755.

*Leontius* monachus in causa fidei Romam directus. X, 1772, 1776.

*Leporius* monachus, ac postea presbyter, Pelagii in Gallis præcipuus discipulus errorem magnifice condemnat. X, 1752.

Letaniarum tres dies regulariter in toto mundo celebrat Ecclesia. V, 2076. Dies sunt animæ medicinales. V, 2076. Qualiter sint celebrandi. V, 2077, 2078.

*Leucii* acta. VIII, 1141. sub nomine Apostolorum scripta. VIII, 1150.

Levita interpretatur, assumptus. VI, 1216.

Lex a lectione dicta est. III, 2595. Legis tripartita intelligentia. III, 2595. Legis imago nunc est, in futuro judicio erit veritas. III, 2554. Lex quia se ipsam mollire non potest, a nobis mitiganda est ut possit prodesse. III, 2226. Lex Dei secundum naturam est. X, 1880. Qui naturaliter, nec tamen sine gratia, quæ legis sunt fiunt. X, 1880. Legis divinæ meditatio dæmonibus ad nos aditum non permittit. III, 2551, 2558. Lege Dei et lege diaboli repugnantibus medius homo est. III, 2409. Lex Dei, regalis via. VI, 1088. Sine lege esse, est esse sine Christo. VI, 1088. Lex naturalis ubi evanuit, non penitus oblitterata, sed maxima carens auctoritate, scribenda fuit. III, 2219.

Lex Moysi arbore scientiæ boni et mali significata. III, 2520. Item Elisæi baculo. V, 1999. Data est Dominico die. III, 2289. Feria quarta. III, 2289. Lex a tota Trinitate data. VI, 772. Cur data. X, 1887. Quid præstet. X, 1805. Homines ad suscipiendum Christum præparavit. III, 2534. Lex Christum non intelligentibus aqua, aliis vinum. V, 1921. Legis et nucis comparatio. V, 1805. Legis litteram aqua amara significavit. V, 1795. Sapientia lignum vitæ unde dulcescit. V, 1794. Legis littera quomodo occidat. X, 1880. Per Legem cognitio peccati, non de peccato victoria. X, 1642. Legis accessu peccatores plus fiunt rei. III, 2226. Lex manifestior plus facit reum. III, 2567. Lex quomodo sancta et bona, si iram operatur. III, 2402. Lex etsi jubendo non juvat, sua tamen sanctitate et justitia malum esse concupiscentiam ostendit. X, 1642. Lex data ut gratia quæreretur; gratia data ut lex impleretur. X, 1865. Lex vetus ad vindictam initio prompta, postea severitatem remisit: Lex nova initio clemens, postea etiam vindicavit. III, 2503. Hæc vindicavit, ne contemptui duceretur; illa ignovit, ne videretur crudelis. III, 2503. Legis novæ uberior gratia. III, 2503, 2506. Legem Evangelio exæquant Cœlestius et Pelagius. X, 1690. Legi Evangelium præferri Pelagius indigne fert. X, 1704. Legem ad regnum cœlorum sic mittere sicut Evangelium Cœlestius docuit. X, 1681, 1682, 1687, 1690. Et Pelagius. X, 1704. Legis consummator. VI, 1057. Legem mutatam esse. V, 1999. Lex fracta, Judæorum reprobationem; iterata, populi alterius electionem significavit. III, 2222. Lex usque ad Joannem, sed et postea a Christo et discipulis ex dispensatione observata. III, 2256. Quatenus cessarit. III, 2263. Lex per Christi adventum absoluta non perit, sed proficit. V, 1919.

Lex membrorum qui utilis, qui mala. V, 1914. Lex est

peccati cui omnes homines absque ulla exceptione subjiciuntur. V, 1944. Lex peccati stimulus, prohibendo et non auferendo. X, 1642.

Leges inter arma non silent. VIII, 1108.

Leges publicæ, pro chartis publicis. IX, 831.

Liber vitæ. VI, 1041. Tribus modis in eo quis scribitur. VI, 1041.

*Liberi* sacra inhonesta et furoris plena. III, 2344. Hic cum Priapo semper depictus. III, 2344.

*Liberius*. IX, 787.

*Liberius* præfectus et patricius in Arausica civitate basilicam construxit. X, 1785.

Libertas intellectualibus spiritibus cur a Deo concessa. VI, 765. Sic eis est data, ut et illam habere et perdere possent, sed non valerent resumere. VI, 765. Quod probant angeli lapsi. VI, 765. Libertas hominis. V, 1873, 1875, 1878. Evincitur ex præceptis ei datis, et ex pœnis ob jussa neglecta eidem inflictis. VIII, 1142. Item ex futuro judicio. VIII, 1142. Naturæ necessitate, non voluntate qui aliquid facit, nec laudandus est, nec culpandus. III, 2217. Liberos non solum carnis, sed et animi motus nos non habere, Apostolus et experientia docent. X, 1745. Libertate illæsa Deus omnia præscit. VI, 995. Nullam voluntati necessitatem infert Dei præscientia, adeoque nec prædestinatio. X, 1848. Possibilitatem boni non Deus peccatori, sed peccator ipse sibi aufert. X, 1848. Libertatem propriam ac nostram Adamus vendidit. V, 1944. Libertas propria per peccatum amissa. X, 1773. Libertatem, quam libertate perdidit homo, nisi Christo liberante non recipit. X, 1846. Libertas mala ex voluntatis est defectu, bona ex liberatoris auxilio. X, 1814. Libertas falsa, ut vera et Christiana fieret, indiguit liberatore. X, 1774. Nec invitos ad ingenitam libertatem revocare debuit conditor noster. V, 1945. Libertas per superbiam dejecta, instauratur per gratiam reparata. X, 1769. Libertatis pristinæ statum nobis Christus reformavit. X, 1758. Libertatis reformatæ subsequendus auctor. X, 1770. Libertas vera. VI, 732.

Liber. Bonus est liber etiamsi serviat. X, 1865. Libera semper est apud Deum servitus, cui non necessitas servit, sed caritas. X, 1869. Voluntas delectatione affecta, fide mundata, spe erecta, caritate accensa, liberalem suscipit servitutem, et servilem abjicit libertatem. X, 1828.

Liberum arbitrium quid sit, et unde dictum sit. X, 1625. Est rei sibi placitæ spontaneus appetitus. X, 1813. Liberi arbitrii facultas diversam facit Verbi Dei participationem. VIII, 1190. Liberum primi hominis arbitrium qui fabricatum. V, 2214. Quid poterat in eo ante lapsum. X, 1771, 1775. Solus protoplastus ante culpam sufficiens fuit per liberum arbitrium implere quod vellet. X, 1621. Possibilitatis bonum tunc habuit. X, 1621, 1625. Sed per culpam amisit. X, 1621, 1625, 1628, 1629. In primo homine patuit quid hominis arbitrium valeret ad mortem. X, 1880. Liberum arbitrium in Adam sanum, in nobis infirmum, majore gratia sublevatur. X, 1785. Liberum arbitrium primi hominis peccato læsum. X, 1815. Vitiatum est et infirmatum. X, 1786. Nobis restat vulneratum et claudum. X, 1621, 1828. Quod gratiæ gratuitæ medicamento egeat. X, 1622. Quantum fuerit inclinatum et attenuatum. X, 1789. Libero arbitrio vitiato, nihil per se valet homo incipere aut perficere quod Deo placeat. X, 1625, 1651. Homo per se labi, per se non valet resurgere. X, 1622. Ad peccandum abundat propria facultate, at ad agendum bonum non sibi sufficit, nisi a Deo justificetur. X, 1869. Libero arbitrio solo carnis concupiscentias vincere homo non potest. X, 1615. Necesse est ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur. X, 1757. Liberum arbitrium nunc valet ad discernenda et desideranda quæ secundum sæculum sunt, non quæ secundum Deum. X, 1625, 1772. Sine gratia nullo modo idoneum est ad eligendum aut concupiscendum bonum. X, 1812. Nihil Deo deserente ad virtutem potest, ad peccandum sibi sufficit. X, 1671, 1672, 1673, 1675. Frustra objicitur : Non credendus est Deus talem fecisse hominem, qui nec velit unquam nec possit bonum. X, 1813. Libero arbitrio non suppetit facultas per se recipiendi quod perdidit. X, 1840. In primo homine amissum non potest reddi, nisi a quo potuit dari. X, 1787.

Liberum arbitrium quomodo tollant Manichæus et Jovinianus. V, 2183. Quomodo confiteatur Pelagius. V, 2183. Liberi arbitrii extollentia. II, 1104. Non alia nobis causa benefaciendi difficultatem facit, quam longa consuetudo vitiorum. II, 1104. Liberum arbitrium frustra extollit Julianus. X, 1745. Qui ei subjicit omnes animi motus, sola genitali voluptate excepta. X, 1745. Cassianus libero arbitrio non solum voluntatem, sed et possibilitatem boni adscribit. X, 1815. Ac negat id ei solum adscribendum quod malum est. X, 1815. Liberi arbitrii vigorem Job exemplo quomodo statuere conetur idem Cassianus. X, 1821. Quam manter. X, 1825. Liberi arbitrii sine gratia vires frustra exemplo Cornelii commendantur. X, 1796; Liberi arbitrii infirmitatem ac virtutem in quo ponat Gennadius. VI, 814; VIII, 1216, 1218.

Liberum arbitrium nihil esse aut non esse perperam dicitur. X, 1856, 1841. Liberum arbitrium quisquis negaverit, catholicus non est. X, 1631. Libero voluntatis arbitrio, et non quadam naturæ necessitate, homo agere ostenditur ex data lege. III, 2347. Ex laude bonorum et vituperatione malorum. III, 2317. Ex eorumdem mercede et pœna. III, 2318. Ex eo quod non est quisquam aut semper bonus aut semper malus. III, 2318. Item ex eo quod latibula quærit, qui contra legem agit. III, 2318. Ex voluntatis judicio, quo plurimi a vitiis ad justitiam conversi sunt. III, 2318. Ex subjectione dæmonum, et ex orationis commendatione. III, 2338. Ex iis quæ Christus fidei hominum concessit. III, 2338. Liberum arbitrium ex concupiscentiæ pugna adstruitur. III, 2409. Liberi arbitrii exemplum in Balaam. V, 1810. Libero arbitrio quisque se malo subjicit, nec ad id natura cogitur. VI, 1126. Libere quisque potest tenere gratiam, et ea retenta vitare culpam. VI, 1126. In potestate hominis est diabolo consentire. V, 2215. A dextris est præcipiens Deus, a sinistris seducens diabolus, homo in medio constitutus. V, 2215.

Liberum arbitrium manet in natura, sed qualitate et conditione per Christum mutatur. X, 1827. Quid sit ante quam illustretur ac liberetur, quid post. X, 1856. Ante gratiam in homine est, sed non bonum. X, 1780. Sic est sine gratia, sicut oculus sine lumine. X, 1780. Et sicut oculus semper indiget lumine ad videndum, ita et homo gratia ad bonum. X, 1780. Liberum arbitrium jumento, gratia sessori comparatur. X, 1632. Ita et liberum arbitrium et gratia peragit iter fidei. X, 1652. Posse habere fidem aut caritatem, naturæ est hominum; habere autem, gratiæ fidelium. X, 1887. Liberum arbitrium cohortationi vocantis obedit, cum in illo gratia Dei affectum credendi obediendique generavit. X, 1796. Cum autem acceperit Spiritum Domini, erit in eo libertas ad capessenda præcepta. X, 1650 Quomodo credentis et non credentis alia causa sit. X, 1630. Liberum arbitrium ideo dicimus bonæ voluntatis affectum fideique principium operante gratia concepisse, ut per hæc quæ illi nullo merito præeunte donata sunt, ea quæ operaturo sunt promissa mereatur; ab illo semper petens posse aliquid boni facere qui ait, *sine me nihil potestis facere*. X, 1821. Liberi arbitrii quæ opera ad justificationem probentur, quæ rejiciantur. X, 1636. In libero arbitrio ita operatur Deus, ut omnis bonæ voluntatis motus ex Deo sit. X, 1758, 1759.

Libero arbitrio per gratiam nihil relinqui inepte dicunt. X, 1800. Liberum est arbitrium, etiamsi divino egeat auxilio. X, 1709, 1710. Quomodo Dei donis non auferatur. X, 1804, 1827. Quomodo ei non officiat Dei adjutorium. X, 1731. Liberum arbitrium Dei munere non aufertur, sed liberatur. X, 1739, 1776, 1797. Gratia Dei vere fit liberum. X, 1712 Non auferitur voluntas, cum Spiritu Dei formatur, regitur, ordinatur, imbuitur. X, 1809. Cur. X, 1811. Liberum arbitrium destruunt, qui eo abutuntur adversus beneficium largitoris, non qui ad eum semper recurrunt. X, 1694.

Liberi arbitrii quis rectus usus. VII, 732. Nemo eo bene utitur nisi per Christum. X, 1757. Libera voluntas nihil melius agere potest, quam ut illi se commendet, qui mala agere non potest. X, 1886. Liberum arbitrium nostrum Christi vulnere curatur ac reformatur. X, 1625. Quomodo. X, 1625. Ne quidem liberatum ipsum sibi sufficit ut in bono permanere possit. X, 1797, 1798. Necdum tam perfecta utitur sanitate, ut medici sui ope non egeat. X, 1800. Indiget ut Christi gratia agendo, spirando, auxiliando et usque in finem præeundo illud servet. X, 1801. Ne libero arbitrio videretur stare Petrus qui de se magna promiserat, permissus est periclitari. X, 1798. Voluntatis humanæ stabilimenta sunt opitulationes divinæ gratiæ. X, 1827.

Libido a libendo. X, 1640. In bono libitu libido dici non potest, sed tantum in malo. X, 1640. Libido Pelagianis est naturale bonum, et nihil in ea pudendum. X, 1659. Ipsis publice laudatur. X, 1640, 1644, 1648. Quatenus naturale malum dici et credi debeat. X, 1641. Malum esse probatur ex verbis Apostoli. X, 1646 Libido si damnetur, aiunt Pelagiani, damnabuntur et nuptiæ. X, 1644. Libido venialis est in conjugatis, malo bene utentibus. X, 1645, 1646. damnabilis est in adulteris et fornicatoribus, malo male utentibus. X, 1646. Libidinis auctor, non Deus, sed diabolus, præcedente hominis peccato. X, 1648. Homo ex homine, si non peccasset, absque libidine, per concubitum voluntarium procreatus fuisset. X, 1646. Libidinem parentes in posteros tamquam peccati sui testimonium hereditario jure transmiserunt. X, 1645. A libidine quid patiatur homo. X, 1641. Libido dici potest malleus universæ terræ. V, 2502. Quomodo hominem ad mortem trahat, nisi succurrat gratiæ antidotum. X, 1659. Libido et lorem concu-

peccatum parturit, generat mortem. X, 1644. Libidinem spe pœnitentiæ implere quam stultum sit. V. 2502.

Libidinis incentivis qui resistendum. I, 1459, 1460. Illam refrenare non valet voluntas singularis, nisi Christi gratia subvenerit. X, 1647. Contra libidinem pugnarunt omnes Sancti, de gratia confidentes, et corpus suum castigantes. X, 1641. Libido vincenda est fugiendo. V, 2301. Libidinosæ cogitationes sine mora rejiciendæ. V, 2345. Libido nihil nocere, si statim; at si post moras, non sine plaga excuti, carbonum ignis exemplo ostenditur. V, 2303. Inanis timor eorum, qui ne carnis maceratione in languorem incidant, metuunt. I, 1461. Libidinis nullum tam efficax medicamentum, quam mors Redemptoris. VI, 961.

Liburnicæ naves. III, 2197.

*Zenonis* superba doctrina. X, 1692, 1696. Modicum post corpus intervallum animam mori dicit. VIII, 1216.

*Zeutius* episcopus. IX, 791.

*Ziquenses*. IX, 784.

Zizania in Ecclesia qui sint. V, 1881.

*Zosimo* datæ Pelagii ad Innocentium litteræ. X, 1715. Zosimus quam clementer cum Cœlestio egerit. X, 1749. Epistola ad Africanos, qua eum a se absolutum significat, nisi celatores illius eum intra mensem alterum falsi convincant. X, 1719. Altera ad eosdem, qua Cœlestium ac Pelagium falso accusatos declarat. X, 1721. Zosimus a Cœlestio illusus epistolam ei dat ad Afros benignitatis plenam. X, 1687. Mox ab Afris admonitus eum perdamnat. X, 1687. Zosimi epistola ad Africanos episcopos anno CCCCXVIII. missa. X, 1725. Zosimum quomodo alloquantur africani episcopi de necessitate gratiæ. X, 1725, 1808. Ab his ille admonitus, respondet se Cœlestii causam in eo quo dudum erat statu reliquisse. X, 1726. Zosimo præsidente Pelagius et Cœlestius a Dei sacerdotibus damnati. X, 1739. Zosimus fidem catholicam de peccato originis perspicue explicat X, 1730. Africanorum Conciliorum decretis robur attexuit X, 1731. Latius promulgavit decretum ab Innocentio adversus Pelagium scriptum. X, 1715. Ad detruncationem impiorum gladio Petri omnium dexteras armavit antistitum. X, 1851. Zosimi tractoria per totum orbem missa. X, 1696. Laudatur, quod in ea omnia vult ad Deum referri. X, 1731, 1758, 1775. Zosimus quanto tempore Romæ sederit. X, 1715.

*Zoticus* a Quintiano. IX, 779.

*Zumurus* presbyter. VII, 858.

# LECTORI
# PHILAUGUSTINO.

Divi Aurelii Augustini Scripta maximo semper in pretio fuere cunctis christianæ Fidei cultoribus, si eos excipias, qui suas in illis opiniones incassum quærsivere. Ex porro post Joan Amerbachii, Joan. Frobenii, Theologorum Lovaniensium, et Monachorum florentissimæ quondam Congregationis S. Mauri amplissimas Editiones, post Jacob. Sirmondi, Joan. Bapt. Mari, Hier. Vignerii, Godefrid. Besselii Συμβολάς, atque adeo sub ipsum sæculi XVIII. finem novis accessionibus auctum iri, haud facile quis existimasset, quod homines illi doctissimi juxta, ac solertissimi nulli operæ in lustrandis Europæ Bibliothecis pepercisse viderentur. At vero relictum mihi post uberem messem spicilegium, ut in divinis donis, ita in parte felicitatis meæ repono. Neque enim nihil me de Christi Ecclesia mereri arbitror, qui tanti Doctoris voces, quibus ante mille trecentos, et quod excurrit, annos illa personuit, ab annis facile sexcentis pressas rursus excitem. Qua ratione istud evenerit, paucis accipe.

Absoluto priore Recensionum Volumine, quod Codices theologici argumenti pene mille Bibliothecæ Palatinæ Vindobonensi ad Caroli VI. Imperatoris tempora illatos complectitur, et modo sub prelo est, dum ad alterum Volumen Codices ab illis temporibus in hodiernam diem acquisitos complexurum aggredior, offertur mihi sub exitum Novembris anni proxime elapsi Codex ordine *Decimus*, in folii majoris membranis per duas columnas sæculo XII. non eleganter minus, quam emendate scriptus; quidquid enim prima manus aliquando etiam peccasset, secunda doctior quidem, sed tamen συγχρόνος solerter plerumque correxit. Inspicienti occurrit mox ad inferiorem oram primæ paginæ isthæc Nota : *Iste Liber est Congregationis S. Justinæ de Padua : deputatus in Monasterio S. Severini de Neapoli.* Legisti fortasse *L. I. Commentar. Lambecii*, edit. *Kollar. Supplem. col.* 763. anno MDCCXVII. Codices manuscriptos haud sane paucos Carolo VI. Imp. utriusque tunc Siciliæ Regi dono fuisse oblatos a diversis cœnobiis Neapolitanis. Atque hic continuo venit mihi in mentem Cl. Bernardi Montefalconii, qui, dum Sodales ejus Parisiis in edendo Augustino desudarent, itinere litterario in Italiam suscepto, anno MDCXCVIII. Octobri mense Neapolim appulerat. Consulo ejus *Diarium Italicum* Parisiis an. MDCCII. excusum cap. XXI. p. 319. *Antequam Neapoli discederemus*, ait, *Bibliothecæ Manuscriptorum Monasterii S. Severini sequentem notam excepimus.* Recitat mox Codices, et septimo loco : *Augustini Sermones quosdam, et Retractationes in Codice XII. sæculi.* En αὐτόστατον Codicem nostrum, cui et *Retractationes* insunt. Itaque vir ille celeberrimus aut solis Monachorum Severinatium indicibus usus, aut falso persuasus, nihil jam Augustini Sermonum superesse, quod Fratres suos fugisset, ne aperto quidem Codice, et illos hoc Auctario, quod saltem *Tomo XI.* adjicere potuissent, destituit, et mihi lampada, quod aiunt, tradidit, quam lubens accepto.

Non vero tecum hoc loco inquiram, Lector, qui fieri potuerit, ut Codex hic singularis tandiu delitesceret, neque te tenebo adminiculis illis, quibus ad detegendam, et extra dubium ponendam Γνησιότητα, et Ἀνέκδοσιν eorum, quæ ex illo profero, adniti oportuit, et sedulo adnisum est. Norunt illa Eruditi. Ad rem venio. Indicem Sermonum LVI. quem Codici Librarius præposuit, primum tecum communico. Videbis in illo Sermones ineditos editis mixtos decurrere. Ad quemvis editorum locum noto, quo in operibus D. Doctoris habetur, atque hic semper de editione Mauriana *Parisina* ann. MDCLXXXIX — DCC. intelligi cupio. Ineditos ut illico discernas, singulis numerum, quo se excipient, in margine astitui; quæ vero de iis observanda duxi, ad singulorum initia distuli. Atque en indicem.

I. *Sermo de Laude Cereî.* Capitulum primum.

II. *Item Ejusdem* (nempe Augustini) *in Vigiliis Paschæ.* Cap. II. *Alius Ejusdem in Die Paschæ.* Cap. III. Tomo V. Edit. Maur. Sermo CCXXVIII.

III. *Alius de Sacramentis in eodem Die.* Cap. IV.

IV. *Item Alius de eodem Die.* Cap. V.

V. *Item Alius in eodem Dei contra Arianos et Apollinaristas, maxime vero contra futuros Nestorianos et Eutychianos.* Cap. VI. *Alius ejusdem Diei.* Cap. VII. Tomo cit. Sermo CCXXVI.

VI. *Item Alius in eodem Die de Sacramentis Altaris ad Neophytos.* Cap. VIII. Tomo cit. ejus Fragmentum instar Sermonis CCXXIX. *Alius Ejusdem in eodem Die, de eo, quod Neophytis ante baptismum ex oleo sancto aures a Sacerdotibus et nares illinantur.* Cap. IX. Tomo VI. Append. col. 288. Secuti sunt Editores Jacob. Sirmondum, qui primus protulit, et Augustino detraxit, licet in Cod. Floriac. unde protulit, Augustino ascriberentur, et ejus nomine etiam citarentur ab Ivone Carnot. et altero Cod. vetustiss. Remigiano, et hic, et sequentes duo. Adde, quod Codex noster eos in medio Sermonum genuinorum collocet. *Ejusdem de Mysterio et sanctitate Baptismatis.* Cap. X. Tomo VI. Append. col. 289. Vide quæ mox notavi. *Item Ejusdem de Unctione capitis, et pedibus lavandis.* Cap. XI. Tomo VI. Append. col. 291. Ut duo præcedentes.

VII. *Alius Ejusdem habitus in Festivitate paschali*

Cap. XII. *Alius Ejusdem secunda Feria Paschæ.* Cap. XIII. Tomo V. Sermo CCXXXIX. *Alius Ejusdem quartæ Feriæ.* Cap. XIV. Tomo cit. Sermo CCXLVIII. *Item quintæ Feriæ.* Cap. XV. Tomo cit. Sermo CCXLV. *Item Ejusdem de eodem die ad Sacramenta Altaris.* Cap. XVI. Tomo cit. Sermo CLXXII.

VIII. *Item Sabbati die.* Cap. XVII. *Item Alius in eodem die.* Cap. XVIII. Tomo cit. Sermo CCXXX. *Item Ejusdem in die Octavarum.* Cap. XIX. Tomo cit. Sermo CCXLVII. *Sermo Ejusdem de Ascensione Domini.* Cap. XX. Tomo cit. Sermo CCLXI. *Item Ejusdem de Psalmo* Confitemini Domino. Cap. XXI. Tomo cit. Sermo XXIX.

IX. *Alius Ejusdem de versu Psalmi centesimi septimi decimi.* Confitemini Domino, quoniam bonus est. Cap. XXII. *Alius Ejusdem de duobus temporibus, id est, vitæ præsentis et futuræ.* Cap. XXIII. Maurianis hic Sermo *Enarratio* est *in Psalmum* CXLVIII. adeoque legitur Tomo IV. col. 1672. sed productior; noster enim Sermo tantum illorum numeros 1.2.4.5. complectitur, neque id quidem sine multiplici discrepantia. Fieri potuit, ut S. Pater tardius totum Psalmum enarraret, postquam peculiarem jam Sermonem in ejus v. 1. habuisset.

X. *Alius Ejusdem de Alleluia principio Psalmi centesimi quadragesimi noni :* Cantate Domino canticum novum. Laus ejus in Ecclesia sanctorum. Cap. XXIV. *Item alius de versu Psalmi :* Emendabit me Justus in misericordia, *et de eo, quod Apostoli linguis omnium gentium loquebantur. Contra Donatistas in Pentecoste.* Cap. XXV. Tomo cit. Sermo CCLXVI. *Alius Ejusdem de natali sancti Joannis Baptistæ. Contra Donatistas, et omnes rebaptizatores hæreticos.* Cap. XXVI. Tomo cit. Sermo CCXCII. *Item de eodem natali sancti Joannis, ubi disputat etiam de verbis Zachariæ non credentis, et Mariæ inquirentis,* Quomodo fiet istud? *et de originali peccato pro quo parvulis Baptismum necessarium dicit.* Cap. XXVII. Tomo cit. Sermo CCXCIII.

XI. *Sermo Ejusdem de Responsorio Psalmi centesimi tricesimi primi :* Paravi lucernam Christo meo, *ubi multum etiam de Trinitate disputat.* Cap. XXVIII. *Loquimur Charitati Vestræ.*

XII. *Sermo Ejusdem in Vigiliis Apostolorum.* (Nempe Petri et Pauli). Cap. XXIII. *Alius Ejusdem in natali Apostolorum, ubi contra memoratos hæreticos disputat de adjutorio gratiæ Dei.* Cap. XXX. Tomo cit. Sermo CCXCVII.

XIII. *Alius Ejusdem de natali sancti Laurentii, ubi per occasionem redarguit quosdam, qui seditionem commoverant a saltatu prohibiti.* Cap. XXXI. *Sermo Ejusdem habitus Carthagine ad mensam beati Martyris Cypriani, de ejus Natali.* Cap. XXXII. Tomo cit. Sermo CCCIX. *Alius Ejusdem in eodem die.* Cap. XXXIII. Tomo cit. Sermo CCCXII.

XIV. *Item Ejusdem in eodem die.* Cap. XXXIV.

XV. *Alius Ejusdem in eodem die.* Cap. XXXV.

XVI. *Alius Ejusdem in Natali sanctorum Martyrum, Scillitanorum, Sperati, et sociorum ejus.* Cap. XXXVI.

XVII. *Alius Ejusdem in Natali sanctorum Machabæorum, ubi docet, quid etiam significetur in Turre ædificanda, et sumptibus præparandis, vel in Rege, qui cum decem millibus occurrit illi, qui habet viginti millia.* Cap. XXXVII. — *Alius Ejusdem in Natali plurimorum Martyrum de eo, quod in Evangelio Dominus dicit :* Si quis vult post me venire, neget se ipsum. Cap. XXXVIII. Tomo cit. Sermo CCCXXX. — *Alius Ejusdem de versu Psalmi :* Beatus vir, quem tu erudieris, Domine, *et maxime de eo, quod dicit Apostolus :* Cum enim essemus in carne, passiones peccatorum quæ per legem sunt, operabantur in membris nostris, ut fructum ferrent morti. *Contra Manichæos, et Pelagianos.* Cap. XXXIX. Tomo cit. Sermo CLIII. In Codice nostro folium excidit, unde abrumpitur in verbis : Quia mortuum, est dixit, absconditum latet : non ap... — *Alius Ejusdem de originale Peccato, et de lectione Apostoli :* Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit, etc. *Contra Pelagianos.* Cap. XL. Tomo cit. Sermo CLIV. In Codice ob folium mox memoratum incipit ἀκεράλως; tuorum neque nubent, neque uxores ducent. Non enim incipient mori, etc. — *Alius Ejusdem de lectione Apostoli ad Romanos ab eo loco, ubi dicit :* Igitur ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati. *Contra Pelagianos.* Cap. XLI. Tomo cit. Sermo CLV. — *Alius Ejusdem de lectione Apostoli, ubi dicit :* Ergo, Fratres, debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus. *Contra Pelagianos et philosophos Stoïcos, et Epicureos.* Cap. XLII. Tomo cit. Sermo CLVI. — *Sermo Ejusdem de lectione Apostoli :* Humanus sermo et omni acceptione dignus, quia Christus Jesus venit in mundum, etc. *Contra Pelagianos, Nestorianos, et Eutychianos.* Cap XLIII. Tomo cit. Sermo CLXXIV.

XVIII. *Alius Ejusdem de eo, quod dicit Apostolus :* Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ, etc. Cap. XLIV. — *Alius Ejusdem de lectione Apostoli ad Philippenses :* Nos sumus circumcisio, quia spiritu Dei servimus, et gloriamur in Christo Jesu, etc. *Contra Pelagianos.* Cap. XLV. Tomo cit. Sermo CLXIX.

XIX. *Sermo Ejusdem de lectione Apostoli, ubi ait :* Supereminentem viam vobis demonstro. *Contra Donatistas.* Cap. XLVI.

XX. *Alius Ejusdem de Responsorio* (Psalmi) *tricesimi octavi :* Exaudi, Deus, orationem meam, et precem meam Domine, *et de Muliere in adulterio deprehensa.* Cap. XLVII.

XXI. *Item alius de Responsorio Psalmi tricesimi secundi* Exultate, justi, in Domino. Cap. XLVIII

XXII. *Alius Ejusdem de Responsorio Psalmi quinquagesimi primi :* Speravi in misericordia Dei in æternum. Cap. XLIX.

XXIII. *Item alius de versu Psalmi centesimi quadragesimi quinti :* Laudabo Dominum in vita mea Cap. L. — *Alius Ejusdem, ubi Domini verba ad Nicodemum loquentis exponens de originali peccato.* Cap. LI. Tomo cit. Sermo CCXCIV.

XXIV. *Item alius de Evangelio, ubi de Divite et Lazaro mendico refert.* Cap. LII. — *Alius Ejusdem de Evangelio :* Nisi manducaveritis carnem Filii hominis. *Contra Pelagianos.* Cap. LIII. Tomo cit. Sermo CXXXI. — *Item alius, unde supra.* Cap. LIV. Tomo cit. Sermo CLXII. — *Alius Ejusdem de Evangelio, ubi dicit :* Si manseritis in verbo meo, vere discipuli mei eritis. Cap. LV. Tomo cit. Sermo CXXXIV.

XXV. Sermo *quinquagesimus sextus*, et ultimus, quanquam eadem manu, qua præcedentes, exaratus, omissus est in Indice, cui subscriptum : *Expliciunt Capitula.*

Jam cætera, quæ præfari visum est, hæc sunt. Sive Sententias sacrorum Librorum expositas, sive rationum, et argumentorum momenta, sive ipsos loquenti modos spectes, multa reperies in his Sermonibus, quæ in aliis Augustini Scriptis diu notis occurrunt. Visa sunt illa nempe, S. præsuli cum primis efficacia, et opportuna, quæ auditoribus, lectoribusve suis identidem inculcaret; atque ejusmodi iterationum exempla in ipsis jam olim impressis præsto sunt, neque in tanto Operum numero ab homine uberrimi etiam ingenii prorsus caveri possunt.

Emendandi licentia etiam tum pudentissime mihi sumpta est, cum manifesta Librarii παροράματα invitabant. Optandum tamen mihi esse intelligo, ut excussis denuo Bibliothecis vetustiora Sermonum meorum reperiantur Ἀντίγραφα, e quibus vacillantia firmari, intrusa detegi, conjecturæ meæ, aut everti, aut approbari queant. Et fortasse Tomus alter, Palatino nostro geminus, alicubi cum umbris luctatur, qui selectos Sermones per reliquum anni tempus, illisque pariter ἀνεκδότους quosdam admixtos complectatur.

Insunt in Codice præter Sermones, quorum Indicem exhibui : *Enarratio Augustini in Psalmum CXVIII.* constans Proœmio, et Sermonibus XXXII. quæ habetur Edit. *Maur. T. IV. col.* 1277. item *Libri II. Retractationum* Ejusdem, ut Edit. *cit. T. I. col.* 1. quarum vero membranæ a *L. II. c.* 24. excidere; demum *Commentaria in Evangelium Marci*, olim Hieronymi credita, hic ἀκέφαλα, a Cl. Vallarsio autem in *T. XI. Opp. Hieronymi* ad *col.* 783. rejecta. Atque hæc Opera ideo enumeranda censui, quod ad perficiendum eorum contextum Codex iste a nemine hactenus, ut patet, consultus, aut adhibitus fuit.

Editionem hanc, quantum licuit, aptare *Maurianæ* conatus sum, ut S. Patris Operibus eo commodius in Bibliothecis adjungi queat.

Demum, dum *insanientis Sapientiæ Consulti* quidam Scriptis suis nihil non agunt, ut veterum Ecclesiæ christianæ Doctorum fidem, et auctoritatem elevent, ego Ἀείψανα hæc Scriptoris, *quo*, teste Erasmo, *orbis christianus nihil habet vel magis aureum, vel augustius*, piorum et eruditorum sacræ Antiquitatis amatorum judicio commendo, meque ad repetendos, quorum in principio memini, labores in Bibliothecam Palatinam abdo.

# SANCTI AURELII
# AUGUSTINI
## HIPPONENSIS EPISCOPI
# Sermones inediti.

## *SERMONES*
## ADMIXTIS QUIBUSDAM DUBIIS.

### SERMO I.

*De Cereo Paschali (a).*

SYNOPSIS.

*I. Attentos reddit. II. Cereus imago Justi, et Christi. III. Apis imago Justi, Favus Scripturarum. IV. Samson leonem trucidans Figura Christi.*

1. Deo et Domino nostro omnipotenti, visibilium atque invisibilium creatori honorem deferens orationibus vestris juvandum me credo, ut, quod in laudem

(a) In Codice *fol.* 1. *p.* 2. inscriptus : *Sermo sancti Augusti ep. In sabbato Sancto.* Videant Eruditi. Ego minus fidenter Augustino tribuo, motus concisis illis comparatiunculis, ipsoque stylo, quamvis non obstaret temporum ratio; veteres enim Liturgi divulgati hujus Ritus Zosimum Papam anno 418. defunctum auctorem faciunt, secuti, ut videtur, Librum Pontificalem, in quo legis : *Per Parochias concessit licentiam benedicendi Cereum paschalem.* Addit Amalarius *L. I. de eccl. Offic. c.* 18 *Romanis ita agentibus, nomis quoque præceptum est a Papa Zosimo benedicere Cereum.* Potuit igitur præceptum istud Ecclesiæ Gallicanæ datum

et gloriam indulgentissimi creatoris dicere suscepi, non tam meis viribus, quam ipsius Domini misericordia adjuvante explicare sufficiam. Adeste itaque nunc intenti, dilectissimi fratres, ut primo de cordibus vestris carnalibus cogitationibus, quasi nocturnis tenebris, discussis, et in cubiculis conscientiarum Christi lumine accenso ea, quæ vobis Dominus per nostrum famulatum ministrare dignabitur, non solum aure percipere, verum etiam mente possitis.

II. Cereus nocturnum lumen est, et homo justus tenebrosi hujus mundi lumen est. Dicit Dominus ad eos, quos ipse justificat : *Vos estis lumen mundi* (*Matth. v.* 14). Tria conspiciuntur in Cereo : Cera, Papyrus (*a*) et Flamma. Et in homine justo tria sunt : Caro, Anima et Sapientia. Flamma illuminat, papyrus accenditur, ceræ tenacitas solvitur. Sapientiæ doctrina animum tenet, carnis duritia superatur. Flamma urit, papyrus uritur, guttas cera distillat. Sapientia docet, anima dolet, caro lacrymas fundit. Flamma fulget superius, papyrus commutatur interius, cera currit exterius. Sapientia sublimiter prædicatur, anima latenter convertitur, caro visibiliter cooperatur. Cerei laudatur pulchritudo per diem, honoratur claritudo per noctem. Sic ostendit nobis columnæ illius imaginem, qua duce populus Israel ambulans per desertum non permittebatur errare. Apparebat enim eis nubis columna per diem, ignis columna per noctem (*Exod.* XIII, 21. *et Num.* XIV, 14). Dies significat securitatem in hoc sæculo, et nox tribulationem in hoc sæculo. Hic est dies, de quo Propheta cantat et dicit : *Per diem mandavit Dominus misericordiam suam, et nocte declaravit* (*Psal.* XLI, 9). In hac carnali vita Dominus Christus veniens non ostendit claritatem suam, sed mortali carne velatus, tanquam nubis columna, in eremo apparuit. Cum autem finis sæculi venerit, quo omnium visibilium gaudia subtrahentur, tunc ipse Dominus sine mortalitatis aliquo velamento clarus et splendidus, tanquam ignis columna, fulgebit. Columna ignis ardet, et lucet. Quod ardet, potestatis est : quod lucet, honoris. Quod ardet, judicat ; quod lucet, illuminat. Quod ardet, pœna est impiorum ; quod lucet, beatitudo justorum.

III. Sed nos proprie Cerei nomen oportet edicere, quod ad sacramentum tantæ hujus celebritatis pertinet. Manu gerimus, oculis intuemur, corde conspicimus, ore laudamus. Ceræ artifex apis est, de qua Scriptura sic dicit (*a*) : Vade ad apem, o piger, et disce, quam operatrix sit. Opus autem quam sanctum habet, cujus labores reges et mediocres ad sanitatem assumunt sibi. Grata est illa omnibus, et gloriosa, et, cum sit viribus infirma, sapientiam honorans provecta est. Quid nos (*b*), Christe, memoras ? Quid in ape jubes intueri ? breve animal est, et volatile. Quia humilitas exaltatur. Duabus lucidissimis pennis volat. Et quid luminosius charitate ? Et duo sunt præcepta charitatis, ut diligamus Dominum, diligamus et proximum, per quæ, veluti duas alas, ad cœlum justus attollitur. Operatur illa dulcedinem, habet justus in ore veritatem, quoniam clamat Dominus : *Ego sum via, et veritas, et vita* (*Joan.* XIV, 6). Clamat et Propheta : *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus* (*Psal.* XXXIII, 9). Amant apes regem suum, amant justi Christum suum. Apes fabricant favos justi operantur Ecclesias. De floribus illæ colligunt divitias suas, sic omnes justi pulchritudines Scripturarum, per quas intelligitur et honoratur Deus ; ipsa sunt florentia prata justorum. Sine libidine apes generant filios, generant et justi casta Evangelii prædicatione Christianos Paulus enim filios suos alloquebatur, cum diceret : *Si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres ; nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui* (1 *Cor.* IV, 15). In favo tria sunt : Cera, Mel, et Pullus. Et in Ecclesia tria sunt : Scriptura, Intellectus, Auditus. Sicut mel cera concludit, sic intellectum Scriptura custodit. Sicut pulli nidus in cera est, sic in Scriptura pectus auditoris. Sicut foramina favorum, qui adhuc pullos habent, mel nondum habent, sic secreta Scripturarum, prius quam intelligantur, fidem continent parvulorum. Sicut apis pullus, posteaquam volaverit, melle implet receptacula ceræ, in quibus nutritus est, sic fideles parvuli, cum in fide creverunt, et pennis charitatis se regere cœperint, munimenta Scripturarum, quarum veneratione custoditi sunt, pleniora efficiunt, et majori veneratione custodiunt. Sicut, favi dum exprimuntur, mella fluunt, vasa suscipiunt, sic Legis et Prophetarum scripta passio Domini expressit, cognitio manavit, corda spiritualium susceperunt. Sicut post mellis expressionem signis imprimendis aptior est cera sine sapore gustantis, sic populi Judaici regentes in lege et prophetis Sabbata et Circumcisionem, Neomenias et Azyma, et cætera horum similia, velut amissa legis dulcedine, sola signorum vestigia, tanquam ceram sine melle tenuerunt.

IV. Sed favus multo evidentior (*c*), cera, mel et examen Ecclesiæ sacramenta, fœcunditatisque bona opera significant. Quapropter admonet me Scriptura, ex libro Judicum, aliquid etiam de illo favo dicere, qui in ore leonis mortui inventus est. Cum enim Samso-

etiam ad Africanam permanasse, cum Canon Concilii Tolet. IV. celebrati anno 633. Ritum hunc *per multa terrarum loca* in usu esse asserat. Accedit, quod Cerei Benedictio : *Exultet jam angelica turba*, etc. in Sacramentario Gothico et Gallicano Augustino tribuatur, *cum adhuc Italicus esset*, et ipse S. Doctor *L. XV de Civ. Dei cap.* 22. versiculos citet a se *in laude quadam Cerei* compositos. Verum an his paschalis ? Certius est, *Epistolam ad præsidium* de Cereo paschali olim Hieronymo tributam, et a Vallario in *T. XI. p.* 154. rejectam Augustini tempora propius contingere, cui deinceps Ennodii Ticin. *Benedictiones Cerei II.* Flori Drepanii *Hymnus*, et alia successere monumenta, quæ Ritus hujus antiquitatem confirmant. Vide, quæ in hanc rem *P. II. vet. Liturg. Alem. Disq. VI. c.* 1. congessit cels. Mart. Gerbertus S. Blasii Abbas Princeps, quem honoris, doctrinæ, et amicitiæ causa nomino, cuique *Appendicem* hanc *Augustinianam* imprimis cupio commendatam. Si qui pro Augustino pronuntiaverint, Sermonem hunc Editioni *Maur.* post *Sermonem CCXXIII.* inserere poterunt.

(*b*) Pro facis seu candelæ cllychnio. Confer Gloss. Ducangii v. *Papyrus*.

(*a*) Lapsus videtur memoriæ Auctor apem formicæ, *Prov.* VI, 6. substituens. Paulo infra tamen ad *Eccli.* XI, 3. alludit.

(*b*) Error Librarii pro *Nobis*.

(*c*) Lege *evidentius*.

ille fortissimus ad desponsandam iret uxorem, catulus leonis obviam illi factus est in itinere, quem tanquam hœdum arreptum necavit, et in nihilum facta est in manibus ejus tantæ bestiæ fortitudo (*Judic.* XIV). Perrexit quo intenderat, desponsavit uxorem, discessit. Rediens divertit cadaver leonis inspicere. Tunc invenit congregatas apes favum mellis in ore leonis mortui fabricasse. Sacramentum hoc magnum est; res autem breviter a nobis huc usque narrata pro qualitate temporis suffecerit. Jam nunc, fratres, quantum potestis, attendite. Quid Samson, quid leo, quid favus ille significat? Quantum Dominus suggesserit, explicabo. Ipse namque Dominus Jesus Christus pulchritudine mirabilis, fortitudine potentissimus Ecclesiam scilicet ex gentibus convocatam tanquam alienigenarum filiam, venit, ut desponsaret uxorem. Cui Ecclesiæ loquebatur Apostolus, cum diceret: *Desponsavi vos uni viro, virginem castam exhibere Christo* (2 *Cor.* XI, 2). Catulus leonis hic mundus est, dilectores hujus sæculi, filius diaboli, populus impiorum, cujus furor ausus est obviam ire, et resistere Domino, quoad salutem credentium, evangelicam prædicationem præpediret. Fremebat enim gentilis furor per reges, et potentes hujus sæculi, et veluti a patre diabolo inflammatus contra Evangelium Dei, quasi catulus leonis, ardebat, sed tam diu fremuit, donec ad manus viri fortis veniret. Perseverans autem Martyrum fides totam sævitiam gentium, et acerrimos persecutionis impetus fregit. Talibus enim vere fortissimis membris Dominus Christus sæculum vicit, cujus immanem superbiam cum per omnem orbem terrarum nunc videamus extinctam, quis non lætus aspiciat jacere super terram catulum leonis occisum?

## SERMO II.

*In Sabbato sancto* (*a*).

### SYNOPSIS.

*I. Deus creavit omnia per Filium. II. Manifestatio Filii per incarnationem. III. Trinitatis Mysterium. IV. Mentis humanæ existentia demonstrat existentiam Dei. V. Genuina Dei notio, et in ea spes immortalitatis nostræ.*

I. Multas divinas lectiones audivimus, quarum profixitati parem sermonem nec nos valemus (*b*), nec vos capitis, si valeamus. Quantum ergo Dominus donat, loqui volumus Charitati Vestræ de ipso capite Scripturarum, ubi cum legeretur, audivimus, quia *In principio fecit Deus cælum et terram* (*Gen.* I. 1). Attendite et cogitate, quis fecerit; sed scio non posse vos cogitare, quis fecerit. Cogitate, quid fecerit, et laudate, qui fecit. *In principio fecit Deus cælum et terram.* Ecce, quæ facta sunt, in promptu sunt, cernuntur, delectant. Opus patet, Artifex latet, quia et, unde videtur, patet, et unde amatur, latet. Quando ergo mundum videmus, et Deum amamus, melius est utique, unde amamus, quam unde videmus. Oculis videmus, mente amamus. Ergo mentem oculis præponamus, quia et melior est, quem de occulto amamus, quam opus ejus, quod de aperto videmus. Quæramus ergo, si placet, quando Deus tantam molem fecit, quibus machinis fecit? Machina facientis verbum est jubentis. Quid miraris? Opus est Omnipotentio. Si ergo quæris, qui fecit? Deus fecit. Si quæris, quid fecit? Cœlum et terram fecit. Si quæris, per quid fecit? Per verbum fecit, quod non fecit. Verbum, per quod factum est cœlum et terra, ipsum verbum non est factum. Si enim factum est, per quid factum est? *Omnia per ipsum facta sunt* (*Joan.* I, 3). Si quæcumque facta sunt, per Verbum facta sunt, procul dubio Verbum factum non est, per quod omnia facta sunt. Denique narrator operum famulus Dei Moyses: *In principio*, inquit, *fecit Deus cælum et terram.* Per quid fecit? Per verbum. Numquid et verbum fecit? Non. Sed quid? *In principio erat Verbum* (*Ibid.* 1). Jam erat, per quod fecit; ideo, quod non erat, fecit. Possumus intelligere, et recte intelligimus in ipso unigenito Verbo factum esse cœlum et terram. Per quod enim facta sunt, in ipso facta sunt. Potest hoc esse et intelligi principium, in quo fecit Deus cœlum et terram. Ipsum enim verbum est et sapientia Dei, cui dicitur: *Omnia in sapientia fecisti* (*Psal.* CIII, 24). Si in sapientia Deus fecit omnia, et unigenitus ejus Filius procul dubio est Dei sapientia, non dubitemus in Filio facta esse, quæ per Filium facta esse didicimus. Nam ipse Filius est profecto principium. Interrogantibus quippe Judæis, et dicentibus: *Tu quis es?* Respondit: *Principium* (*Joan.* VIII 25). Ecce *In principio fecit Deus cælum et terram.*

II. Jam vero cætera, sive cum digeruntur et disponuntur, sive cum ornantur, sive cum ea, quæ facta non erant in cœlo et in terra, creantur, dicit Deus et fiunt. *Et dixit Deus: Fiat, et factum est* (*Gen.* I, *sæpius*). Et sic per singula opera: *Dixit et factum est; Ipse dixit et facta sunt* (*Psal.* XXXII, 9). Qua lingua dixit? Ut quis audiret, dixit? Non semper lacte nutriamur. Erigite nobiscum mentes ad solidum cibum. Nemo Deum cogitet sicut corpus, nemo Deum cogitet sicut hominem, nemo Deum cogitet sicut Angelum, quamvis patribus sic apparere dignatus sit, non per ipsam substantiam suam, sed per subjectam sibi creaturam suam: non enim aliter humanis visibus invisibilis appareret. Quæramus, quid in nobis est melius, et inde conemur attingere, quod est melius omnibus. Quod est in nobis melius, mens est. Quod est omnibus melius, Deus est. Rem meliorem quid quæris re deteriore? In te corpus inferius est, quam mens; in rebus nihil melius, quam Deus. Erige, quod est in te melius, ut attingas, si potueris, ad eum, qui est omnibus melius. Nam et ego, cum loquor, mentibus loquor. Visibiles quidem facies et ipse corpore visibilis cerno; sed per id,

(*a*) In Codice *Fol.* 2. inscriptus: *Sermo sancti Augustini ep. in Vigiliis Paschæ.* Sublimis, et auctore suo dignissimus, Mundi creationem, Incarnationis et Trinitatis Mysterium, Existentiam et Naturam Dei, nostræque immortalitatis spem exequitur. Locandus in Editione post *Sermonem CCXVIII.*

(*b*) Supplendum fortasse: *exhibere, proferre.*

quod video, alloquor, quod non video. Gero intus verbum corde conceptum, et volo in auribus tuis parere. Quod corde concepi, volo tibi dicere, quod intus est, proferre ad te. Quod latet, quæro, quomodo pervenire ad mentem tuam possit. Convenio primum, quasi januam mentis tuæ, aures tuas, et quoniam invisibile verbum, quod corde concepi, trahere ad te non possum, provideo illi, quasi vehiculum, sonum. Ecce verbum latet, sonus patet. Impono latentem super patentem, et pervenio ad audientem, ac sic verbum exit a me, venit ad te, et non recessit a me. Si ergo licet magnis exigua comparare, infima summis, humana divinis, fecit hoc et Deus. Verbum latebat apud Patrem. Ut veniret ad nos, assumpsit quasi vehiculum, carnem suscepit, ad nos processit, et a Patre non recessit, sed ante incarnationem suam, ante ipsum Adam patrem generis humani, ante cœlum et terram, et omnia, quæ in eis sunt, *In principio erat Verbum, et in principio fecit Deus cœlum et terram.*

III. Terram autem fecit Deus adhuc antequam ornaretur, antequam ejus species nudaretur. *Invisibilis erat, et incomposita, et tenebræ erant super abyssum.* Tenebræ erant, ubi lex non erat; nondum enim lux facta erat. *Spiritus Dei superferebatur super aquas* (*Gen.* I, 2), et ipse opifex, nec a Patre et unigenito Verbo sejunctus. Nam ecce, diligenter attendamus, Trinitas nobis insinuatur. Ubi enim dicitur : *In principio fecit*, Usia (*a*) intelligitur Patris et Filii, in principio Filio Deus Pater. Restat Spiritus, ut Trinitas impleatur. *Spiritus Dei superferebatur super aquas. Et dixit Deus.* Cui dixit Deus? Antequam creatura fieret, erat, qui audiret? Erat, inquit. Quæro, quis? Ipse Filius. Filio ergo dixit Deus. Quo verbo locutus est Verbo? Si enim jam erat Filius, ut dubitat nemo Christianus, utique hoc etiam erat. Filius Verbum erat, et Verbo Pater dicebat. Ergo inter Deum et Verbum verba currebant? Absit! Impedimenta, fratres, carnalis cogitationis auferte, invisibilia invisibiliter cogitate, non vobis versentur ante oculos mentis similitudines corporis. Transi, quidquid in te cernitur. Transcende, quidquid in te etiam non cernitur; corpus enim cernitur, anima non cernitur, sed tamen mutatur. Modo vult, modo non vult; modo scit, modo nescit; modo meminit, modo obliviscitur; modo proficit, modo deficit. Non est hoc Deus, non est Deus ista natura, non est anima portio de substantia Dei. Quidquid enim Deus est, immutabile Bonum est, incorruptibile Bonum est. Etsi invisibilis Deus, invisibilis anima, sed tamen mutabilis anima, immutabilis Deus. Transcende ergo non solum, quod cernitur in te, sed etiam illud, quod mutatur in te. Totum transcende, te ipsum transcende.

IV. Amator quidam invisibilis bonitatis, amator quidam invisibilis æternitatis ait in suspiriis suis, et gemitibus amoris sui : *Factæ sunt mihi lacrymæ meæ panis die et nocte, dum dicitur mihi quotidie : Ubi est Deus tuus* (*Psal.* XLI, 4). Quomodo non fiant vere gemitus amanti lacrymæ suæ panis, ut eis quodam modo tanquam ex cibi voluptate vescatur, et libenter ploret, quandiu non videt quod amat, cum dicitur ei quotidie : *Ubi est Deus tuus?* Si dixero Pagano : « *Ubi est Deus tuus?* ostendet mihi idola. Si fregero idolum, ostendet montem, ostendet arborem, ostendet vilem de flumine lapidem. Quod enim de multis lapidibus tulerit, et in loco honoratiore collocaverit, et incurvatus adoraverit, hoc est Deus ipsius. Ecce, inquit digitum intendens : Ecce Deus meus. Cum irrisero lapidem, cum abstulero, cum fregero, cum projecero, cum contempsero, intendit digitum ad solem, ad lunam, intendit ad quamlibet stellam. Illam vocat Saturnum, illam Mercurium, illam Jovem, illam Venerem. Quæro, quid voluerit, quocumque digitum intenderit. Respondet mihi : Ecce est Deus meus. Et quia video solem, et frangere non possum, sidera non possum dejicere, cœlum non possum evertere, quasi superior sibi videtur visibilia demonstrando, et digitum extendendo, ad quod voluerit, et dicendo : Ecce est Deus meus, et ad me se convertit dicens : *Ubi est Deus tuus?* Cum audio : *Ubi est Deus tuus?* quid oculis ostendam, non habeo, mentes oblatrantes cæcas invenio. Oculis, quos habet, unde videat, ego non habeo, quod ostendam. Cum vere habeo, quem ostendam, ille non habet oculos, unde videat. Libet flere, tanquam in lacrymis pane vesci! Invisibilis est enim Deus meus, ille, qui mihi loquitur, visibilia requirit, cum dicit : *Ubi est Deus tuus?* Ego autem, ut pervenirem ad Deum meum, sicut dicit in ipso Psalmo : *Hæc meditatus sum, et effudi super me animam meam* (*Psal.* XLI, 5). Deus meus non est infra animam meam, sed est supra animam meam. Unde attingo ad id, quod est supra animam meam, nisi effundam super me animam meam? Et tamen huic protervo, visibilia requirenti, visibilia demonstranti, de visibilibus exultanti utcumque adjuvante Deo meo respondere conabor. Hoc certe mihi dicis : *Ubi est Deus tuus?* Respondeo tibi : Ubi es ipse tu? Respondeo, inquam; puto, quia non importune. Tu quæsisti, ubi sit Deus (*a*); ego vero, ubi sit ipse interrogator meus. Dicturus est : Ecce, ubi sum. Vides me, tibi loquor. Et ego illi : Interrogatorem meum quæro. Faciem ejus video, corpus ejus video, vocem ejus audio, linguam ejus inspicio. Ipsum quæro, qui in me oculos intendit, qui linguam movet, qui vocem emittit, qui interrogando scire desiderat. Hoc totum, de quo loquor, anima est. Non ergo tecum diutius agam. Tu dicis : Ostende mihi Deum tuum. Ego dico : Ostende mihi animum tuum. Laboras, fatigaris, figeris, cum dico : Ostende mihi animum tuum. Scio, quia non potes. Quare non potes? Quia invisibilis est animus tuus. Et tamen melior est in te, quam corpus tuum. Deus autem meus melior est, quam animus tuus. Quomodo ergo ostendam Deum

(*a*) οὐσία. Essentia.

(*a*) Fortasse addendum *meus*.

meum, cum mihi non ostendas animum tuum, quo meliorem ostendo Deum meum? Ecce, si dicis mihi, ex opere agnosce animum meum. Quia oculos intendo ad videndum, aures ad audiendum, linguam moveo ad loquendum, vocem promo ad sonandum, ex hoc intelligo et cognosce animum meum. Vides, quia ipsum non potes ostendere, sed me jubes eum ex operibus nosse. Ecce, et ego ex operibus ostendam tibi Deum meum. Nec pergo longius, nec mitto forte infidelitatem tuam ad ea, quæ non capis. Opera Dei mei non sic commemoro : Fecit invisibilia, fecit visibilia, id est, Cœlum et terram, mare et omnia, quæ in eis sunt. Non te mitto per multa. Ad te ipsum redeo. Tu certe vivis. Habes corpus, habes animum. Visibile est corpus, invisibilis est animus. Corpus habitaculum, animus habitator. Corpus vehiculum, animus utens vehiculo, corpus, quasi vehiculum, quod regatur, animus auriga corporis tui. Ecce manifesti sunt sensus tui, tanquam januæ in corpore tuo, per quas nuntietur aliquid interius habitanti animo tuo : oculi, aures, olfactus, gustus, tactus, membra disposita. Quid illud intus, unde cogitas, unde ista vivificas? Hoc totum, quod miraris in te, qui hoc fecit, ipse est Deus meus.

V. Ergo, fratres mei, si mentes vestras, si interiores animos vestros aliqua, ut potui, congrua collocutione conveni, si ad eos, qui intus morantur in domibus luteis, id est, ad animos vestros habitantes in corporibus vestris loquendo perveni, nolite de eis, quæ nostis, Divina conjicere. Superat omnia Deus, cœlum et terram. Nolite vobis ante oculos ponere quasi fabrum aliquem magnum aliquid componentem, disponentem, machinantem, tornantem, vertentem, aut certe tanquam Imperatorem in sella regia, lucida, ornata sedentem, et jubendo creantem. Frangite idola in cordibus vestris. Attendite, quod dictum est ad Moysen, cum Dei nomen inquireret. *Ego sum, qui sum* (*Exod.* III, 14). Quære, quid aliud *Est*. Illius comparatione nec *Est*. Nescit ulla ex parte mutari, quod veraciter *Est*. Omne, quidquid mutatur et fluitat, et quodam tempore mutari non cessat, fuit, et erit. Non in eo comprehendis *Est*. Deus autem non habet fuit, et erit. Quod autem fuit, jam non est. Quod erit, nondum est. Et quod sic venit, ut transeat, ideo erit, ut non sit. Cogitate, si potestis : *Ego sum, qui sum*. Nolite voluntatibus volvi, nolite voluntariis et temporalibus cogitationibus agitari. State ad *Est*. State ad ipsum *Est*. Quo itis? State, ut et vos esse possitis. Sed quando tenemus volaticam cogitationem, et ad id, quod manet, affigere quando possumus? Ergo misertus est Deus, et ille, qui *Est*, et ille, qui dixit : *Hoc dices filiis Israel : Qui est, misit me ad vos*, dicto nomine substantiæ suæ, dicit postea nomen misericordiæ suæ. Quod nomen substantiæ ejus? *Ego sum, qui sum, dices filiis Israel : Qui est, misit me ad vos* (*Ibid.*). Sed Moyses homo erat, et in his, quæ in illius comparatione non sunt, erat. In terra erat, in carne erat, et in ipsa carne anima erat, natura mutabilis erat, sub sarcina fragilitatis humanæ erat. Nam illud, quod dictum est : *Ego sum, qui sum*, quando capiebat? Etenim per id, quod videbatur oculis ejus, ad eum loquebatur, qui non videbatur, et illo, qui videbatur, tanquam instrumento latens Deus utebatur. Non enim, quod videbat Moyses, hoc erat totum Deus : quia nec tu (*a*), quod a me ipso, quod homo sim, sonat, hoc est totum verbum. Habeo in corde verbum, quod non sonat. Sonus transit, verbum manet. Ergo cum diceret Deus ad hominem invisibilis, per id, quod apparere dignatus est, visibilis, loqueretur æternus temporalia, incommutabilis fragilia, cum diceret : *Ego sum, qui sum*, et *Dices filiis Israel : Qui est, misit me ad vos*, tanquam illo non valente comprehendere, quid sit : *Ego sum, qui sum*, et : *Qui est, misit me ad vos*, aut forte, si ipse comprehendebat, nobis legendum erat, qui comprehendere non valemus, continuo post nomen substantiæ dixit nomen misericordiæ. Tanquam diceret Moysi : Quod dixi : *Ego sum, qui sum*, non capis, non stat cor tuum, non es immutabilis mecum, nec incommutabilis mens tua. Audisti, quod sum. Audi, quod capias; audi, quod speres. Dixit iterum Deus ad Moysen : *Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob*. Non potes capere nomen substantiæ meæ, capē nomen misericordiæ meæ. *Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob* (*Ibid.* 6). Sed quod sum, æternum est. Abraham, Isaac et Jacob quidem æterni, imo non dico æterni, sed ab illo facti æterni. Denique sic etiam calumniantes Sadducæos Dominus ipse convincit, qui cum resurrectionem negarent, hinc ille dedit testimonium sanctæ Scripturæ. *Legite quod dixit Dominus in rubo ad Moysen : Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob. Non est Deus mortuorum, sed vivorum* (*Matth.* XXII, 32; *et Marc.* XII, 26, 27); omnes enim illi vivunt. Proinde et hic non addidit Deus, cum dixisset : *Ego sum, qui sum, Hoc mihi nomen est in æternum* (*Exod.* III, 15). Hic enim nemo dubitat; quia id, quod est, ideo est, quia æternum est. Sed ubi ait : *Ego sum, Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob*, ibi addidit : *Hoc mihi nomen est in æternum*. Tanquam diceret : Quid times de mortalitate generis humani? Quid fortasse trepidas, ne, cum mortuus fueris, ultra non sis? *Hoc mihi nomen est in æternum*. Æternum nomen esse non posset *Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob*, nisi in æternum viverent Abraham, Isaac et Jacob. Conversi ad Dominum, etc. (*b*).

## SERMO III.

### *De Sacramento altaris ad infantes* (*c*).

### SYNOPSIS.

*I. Sacrificii novæ Legis Commendatio. II. Sacrificium istud Christus est. III. Vere et realiter in Eucharistia*

(*a*) Vocula *tu* redundat.

(*b*) Formulam hanc Augustino familiarem, pluribus Sermonibus subjunctam semel indicasse sufficiat. Integram exhibet Sirmondus in *not. ad XL. Sermones* Opp. suor. T. I. *col.* 337.

(*c*) In Codice *fol.* 4. p. 2. inscriptus : *Incipit alius de Sa-*

*præsens. IV. Eucharistiæ Effectus. V. Conditiones dignæ Sumptionis.*

I. Reddendi sermonis officium, et cura, qua vos parturivimus, ut Christus formaretur in vobis, compellit nos admonere infantiam vestram, qui ex aqua et Spiritu nunc renati cibum et potum istum super hanc dominicam mensam nova luce conspicitis, et novella pietate percipitis, quid sibi velit tam magnum, divinumque Sacramentum, tam clarum et nobile medicamentum, tam mundum et facile sacrificium, quod nec in una civitate terrena Jerusalem, nec in tabernaculo illo quod per Moysen, nec in templo illo, quod per Salomonem fabricatum est, quæ fuerunt umbræ futurorum, sed a solis ortu usque ad occasum, sicut a Prophetis prædictum est, immolatur, et secundum Novi Testamenti gratiam Deo victima laudis offertur. Non adhuc de gregibus pecorum hostia cruenta conquiritur, non nunc ovis aut hircus divinis altaribus admovetur, sed sacrificium jam nostri temporis Corpus et Sanguis est ipsius Sacerdotis. De illo quippe tanto ante prædictum est in Psalmis : *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* (1 Psal. cix,4). Quod autem panem et vinum Melchisedech sacerdos Dei excelsi protulerit, quando patrem nostrum Abraham benedixit, in libro Genesis legimus et tenemus (*Gen.* xiv, 18).

II. Christus ergo Dominus noster, qui obtulit patiendo pro nobis, quod nascendo accepit ex nobis, princeps Sacerdotum factus in æternum sacrificandi dedit ordinem, quem videtis, Corporis utique et Sanguinis sui. Nam percussum lancea Corpus ejus aquam et sanguinem emisit, quo peccata nostra dimisit. Hujus gratiæ memores, vestram ipsorum salutem operantes, quoniam Deus est, qui operatur in vobis, cum timore et tremore ad participationem hujus altaris accedite. Hoc agnoscite in pane, quod pependit in cruce ; hoc in calice, quod manavit ex latere. Nam et illa vetera sacrificia populi Dei hoc unum venturum multiplici varietate figurabant. Ipse enim Christus et ovis est propter innocentiam simplicis animi, et hircus propter similitudinem carnis peccati. Et quidquid aliud multis et diversis modis in sacrificiis Testamenti Veteris prænunciatum est, ad hoc unum pertinet, quod novo Testamento revelatum est.

III. Accipite itaque, et edite Corpus Christi, etiam ipsi in Corpore Christi facti jam membra Christi. Accipite, et potate Sanguinem Christi. Ne dissolvamini, manducate vinculum vestrum. Ne vobis viles videamini, bibite pretium vestrum. Sicut hoc in vos convertitur, cum id manducatis et bibitis, sic et vos in Corpus Christi convertimini, cum obedienter et pie vivitis. Ipse namque sua jam propinquante passione, cum Pascha faceret cum Discipulis suis, acceptum panem benedixit, et ait : *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur* ( *Luc.* xxii, 19 ). Similiter benedictum calicem dedit dicens : *Hic est Sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum* (*Matth.* xxvi, 28). Hoc in Evangelio vel legebatis, vel audiebatis, sed hanc Eucharistiam esse Filium nesciebatis. Nunc vero aspersi (*a*) corde in conscientia pura, et loti corpore aqua munda *Accedite ad eum, et illuminamini, et vultus vestri non erubescent* (*Psal.* xxxiii, 6). Hoc enim si digne accipitis, quod pertinet ad Testamentum Novum, per quod æternam hæreditatem speratis, tenentes mandatum novum, ut vos invicem diligatis, habetis in vobis vitam. Illam enim carnem sumitis, de qua dicit ipsa Vita : *Panis, quem ego dedero, caro mea est pro sæculi vita*, et : *Nisi quis manducaverit carnem meam, et biberit sanguinem meum, non habebit in se vitam* (*Joan.* vi, 52-54).

IV. Habentes ergo vitam in illo in carne una eritis cum illo. Neque enim hoc Sacramentum Christi corpus ita commendat, ut nos inde sejungat. Hoc namque Apostolus in Scriptura sancta prædictum esse commemorat : *Erunt Duo in carne una. Sacramentum hoc, inquit, magnum est ; ego autem dico in Christo et in Ecclesia* (*Ephes.* v, 32). Et alio loco de hac ipsa Eucharistia dicit : *Unus panis, unum corpus multi sumus* ( 1 *Cor.* x, 17). Accipere ergo incipitis, quod et esse cœpistis, si non indigne accipiatis, ne judicium vobis manducetis, et bibatis. Sic enim dicit : *Quicumque manducaverit panem aut biberit calicem Domini indigne, reus erit Corporis et Sanguinis Domini. Probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit* (1 *Cor.* xi, 27-29).

V. Digne autem accipitis, si a malæ doctrinæ fermento caveatis, ut sitis *Azymi sinceritatis, et veritatis* (*Id.* v. 8 ). Aut si fermentum illud charitatis teneatis, *Quod abscondit mulier in farinæ mensuris tribus, donec fermentaretur totum* (*Matth.* xiii, 33). Hæc enim mulier est sapientia Dei, facta per Virginem in carne mortali, quæ in toto orbe terrarum, quem de tribus Noë filiis post diluvium reparavit, tanquam in mensuris tribus suum disseminat Evangelium, *Donec fermentaretur totum.* Hoc est illud *Totum*, quod græce dicitur *Holon* (*b*), ubi custodientes vinculum pacis eritis secundum totum, quod *Catholon* vocatur, et unde Catholica nominatur (*c*).

## SERMO IV.

### *De Paschate* (*d*).

### SYNOPSIS.

Christus agnus et Leo.

Sicut veritas per Apostolos sonuit, et *In omnem terram exivit sonus eorum, atque in fines orbis terræ verba*

*crumentis in eodem die.* Sermonem hunc illum puto, de quo Augustinus Edit. *Maur. T. V. Serm. CCXXVIII. Sermonem ad altare Dei debemus hodie infantibus* (novellis Christianis) *de Sacramento Altaris.* Et fortasse ille est, quem Possidius in *Indiculo Opp. Augustini T. X. cap.* 10. notavit : *De Eucharistia.* Pulchra est ad S. Communionem Præparatio, locanda in Edit. post *Serm. CCXXVIII.*

(*a*) Lego *abstersi.*
(*b*) Ὅλον. Καθόλον.
(*c*) Videtur excidisse : *Ecclesia.*
(*d*) In Codice *fol.* 5. inscriptus : *Incipit alius de eodem die Sermo sancti Augustini ep.* Fortassis ex temporalis, et e

*eorum* (*Psal.* XVIII, 5); *Pascha nostrum immolatus est Christus* (*Rom.* X, 18). De quo ante Propheta prædixerat : *Sicut ovis ad immolandum ductus est, et ut agnus coram, qui se tonderet, fuit sine voce, sic non aperuit os suum* (*Isai.* LIII, 7). Quis est iste? Nempe ille, de quo sequitur, et dicit : *In humilitate judicium ejus sublatum est. Generationem ipsius quis enarrabit* (*Isai. Ibid.* 7). Video exemplum tantæ humilitatis in Rege tantæ potestatis. Nam iste sicut agnus coram tondente non aperiens os suum ipse est *Leo de tribu Juda* (*Apoc.* V, 5). Quis est iste agnus et leo? Mortem pertulit, ut agnus; consumpsit, ut leo. Quis est iste agnus et leo? Mitis et fortis, amabilis et terribilis, innocens et potens, tacens judicatus, fremens judicaturus. Quis est iste agnus et leo? In passione agnus in resurrectione leo, an potius et in passione agnus, et leo, et in resurrectione agnus et leo? Agnum in passione videamus. Modo jam dictus est. *Sicut agnus coram tondente se fuit sine voce, sic non aperuit os suum.* Leonem in passione videamus. Jacob dixit : *Ascendisti recumbens, dormisti sicut leo* (*Gen.* XLIX, 9). Agnum in resurrectione videamus Apocalypsis, cum de gloria sempiterna virginum loqueretur : *Sequuntur, inquit, Agnum, quocumque ierit* (*Apoc.* XIV, 4). Leonem in resurrectione videamus. Eadem Apocalypsis dicit, quod supra jam posui. *Vicit leo de tribu Juda aperire librum* (*Ibid.* 5). Quare agnus in passione? Quia mortem sine iniquitate suscepit. Quare leo in passione? Quia mortem occisus occidit. Quare agnus in resurrectione? Quia sempiterna est illi innocentia. Quare leo in resurrectione? Quia sempiterna est illi potentia. Quis est iste agnus et leo? Quomodo quæris, quisnam sit? Si autem, quid erat? *In principio erat Verbum.* Si, ubi erat? *Et verbum erat apud Deum.* Si, quale Verbum erat? *Et Deus erat Verbum.* Si, quantæ patientiæ sit? *Omnia per ipsum facta sunt.* Si, et ipse quid factus est? *Et Verbum caro factum est* (*Joan.* I, 1, 2 *et* 14). Si, quemadmodum vel de patre sine matre, vel de matre sine patre natus sit? *Generationem ejus quis enarrabit?* Ab altero genitus, gigneuti, coæternus. Verbum permanens caro factum est. Omnium temporum creator, opportuno tempore creatus. Præda mortis, prædator mortis. Deformis positione præ filiis hominum, infirmitatem sciens ferre, excelsus facere humilia, humilis excelsa. Deus homo, et homo Deus. Et primogenitus, et creator primogenitorum. Unicus, et frater cunctorum. De substantia patris natus, et particeps factus adoptatorum. Et Dominus omnium, et servus plurimorum. Hic est agnus, *Qui tollit peccata mundi* (*Ibid.* 29), hic est leo, qui vincit regna mundi. Quærebam, quis est iste. Quæramus, qui sunt, pro quibus mortuus est iste. Forte pro justis et sanctis? Non hoc dicit Apostolus, sed potius, quia *Christus pro impiis mortuus est* (*Rom.* V, 6). Non utique, ut impii permanerent, sed ut morte justi impius justificaretur, et effuso sanguine sine peccato peccati chirographum deleretur.

*repentinis*, quales S. Doctorem subinde habuisse narrat Possidius *Vitæ cap.* 7. sed dignus ejus ingenio. Editioni inferendus post *Sermonem* CCXXIX

## SERMO V

### *Iterum de Paschate* (*a*).

### SYNOPSIS.

*I. Mors Christi Spes nostra. II. Mors Christi voluntaria. III. Quomodo Christus tristis in morte. IV. Necessitas Incarnationis, ut redimeremur. V. Redemptoris ad Redemptos Verba. VI. Quomodo intelligatur Christus pro nobis mortuus. VII. Errores Apollinaris et Arii refutantur. VIII. Adhortatio.*

I. Audivimus Evangelium. Lecta est Resurrectio Domini nostri Jesu Christi. Resurrexit Christus, ergo mortuus est Christus. Resurrectio testis est mortis; mors autem Christi peremptio timoris. Non timeamus mori. Mortuus est Christus pro nobis. Cum spe vitæ æternæ moriamur. Resurrexit Christus, ut resurgamus. Habemus in morte et resurrectione ejus opus indictum, præmium promissum. Opus indictum passio, præmium promissum resurrectio. Opus hoc Martyres impleverunt; non impleamus pietate, si non possumus passione. Non enim omnibus contingit pati pro Christo, et mori pro Christo. Tamen ipsum mori omnibus contingit. Felices, quibus pro Christo factum est, quod necesse erat, ut fieret! Necessitas enim erat mori, sed non erat necessitas pro Christo mori. Omnibus ventura est mors, sed non omnibus pro Christo mors. Quibus contigit pro Christo mori, quodam modo illud, quod eis erogatum fuerat, reddiderunt. Erogaverat eis Dominus, ut moreretur pro illis; reddiderunt illi moriendo pro illo. Sed unde redderet miser egenus, si non dedisset felix Dominus? Itaque quod erogaverat Martyribus Christus, dedit eis, unde redderent Christo. Vox enim Martyrum est : *Nisi quia Dominus erat in nobis, fortasse vivos absorbuissent nos* (*Psal.* CXXIII, 1, 2). Persecutores, inquit, *Fortasse vivos absorbuissent nos.* Quid est, *Vivos?* Scientes, quia male faceremus, si Christum negaremus, tamen tam magnum malum *Vivi*, id est, scientes faceremus, et sic *Absorbuissent nos vivos*, non mortuos. Quid est, *Vivos?* Scientes, non nescientes. Et qua virtute non fecerunt, quod a persecutoribus facere cogebantur? Ipsi interrogentur, ipsi dicant. Ecce respondent : *Nisi quia dominus erat in nobis.* Ergo ipse dedit, quod ei redderetur. Gratias illi. Dives est. Et quod de illo scriptum est : *Pauper factus est, ut nos divites faceret* (2 *Cor.* VIII, 9), paupertate ejus ditati, vulneribus ejus sanati, humilitate ejus exaltati, morte ejus vivificati (*b*).

II. Dicebat Martyr : *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi* (*Psal.* CXV, 12)? Audite, quod sequitur. Attendit enim et quæsivit, quid retribueret Domino. Et quid ait? *Calicem salutaris accipiam* (*Ibid.* 13). Hoc retribuam Domino : *Calicem salutaris*, calicem martyrii, calicem passionis, calicem

(*a*) In Codice *fol.* 5. *p.* 2. inscriptus : *Item alius Sermo sancti Augustini ep. in eodem die.* Præstans et ad motum comparatus, de Passione et morte Servatoris, collocandus in editione post *Sermonem* CCXXX.

(*b*) Supple *sanus.*

Christi. Hoc est : *Calicem salutaris*, quia salutare nostrum Christus. Ergo, inquit, accipiam calicem ejus, et retribuam illi. De ipso calice dixit et ipse Patri ante passionem : *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste* (*Matth.* xxvi, 39). Pati venerat, mori venerat, in potestate habebat mortem, aut, si mentior, ipsum audite. *Potestatem*, inquit, *habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam. Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a me, et iterum sumo eam* (*Joan.* x, 18). Audistis potestatem? *Nemo tollit*, Sine causa gloriantur Judæi. Peccatum inde habent, non potentiam. Christus, quia voluit, mortuus est. Ipse dicit in Psalmo : *Ego dormivi, et somnum cœpi* (*Psal.* iii, 6). Clamaverunt : *Crucifige, crucifige* (*Luc.* xxiii. 21; *et Joan.* xix, 6), tenuerunt, suspenderunt. Sic illi juvant, quia aliquid potuerunt. *Ego dormivi.* Et quid postea? *Et somnum cœpi.* Vere somnus erat triduans. Quid ergo postea? *Et resurrexi, quoniam Dominus suscepit me.* Secundum formam servi loquitur : *Dominus suscepit me* (*Psal.* iii, 6). Sicut et alio loco : *Numquid qui dormit, non adjiciet, ut resurgat* (*Id.* xl. 9)? Gloriantur Judæi, quasi viceriut me. *Numquid qui dormit, non adjiciet, ut resurgat?* Illi, ut occiderent, suspenderunt, sed *Ego dormivi*, quia quando volui, animam posui, et quando volui, surrexi.

III Ergo ipse est calix, quem volebat transire, ad quem bibendum venerat. Quid est ergo, Domine, quod dixisti : *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste.* Dixisti discipulis passurus et moriturus : *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.* xxvi, 38). Quæro ergo in his verbis verba illa tua : *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam.* Unde audio : *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Nemo tollit eam. Quare tristis est? Potestatem habes ponendi animam tuam. Quare dicis : *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste.* Respondet interroganti et dicit tibi : Homo, in carne mea te suscepi. Numquid ergo, si in carne mea te suscepi, in voce mea non te suscepi? Quando dico : *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam*, sicut factor, me loquor. Quando dico : *Tristis est anima mea usque ad mortem*, sicut factura, te loquor. Gaude de me in me, agnosce te in me. Quando dico : *Potestatem habeo ponendi animam meam*, adjutorium tuum sum. Quando dico : *Tristis est anima mea usque ad mortem*, speculum tuum sum.

IV. Non legistis, quia mortuus est? Numquid negamus? Si negaverimus mortem, negamus et resurrectionem. Inde mortuus est, unde homo esse dignatus est. Inde resurrexit, unde homo esse dignatus est, quia et nos homines et morituri sumus, et resurrecturi sumus. Numquid Verbum in illo mortuum est? Numquid pati aliquid potuit, quod *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* 1, 2.)? Quid potest pati tale Verbum? Et oportebat tamen, ut moreretur pro nobis Verbum, et mori non poterat, et, ut moreretur, oportebat. *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Ubi sanguis? Ubi mors? Numquid mors in Verbo? Numquid sanguis in Verbo? Si nec mors in Verbo, nec sanguis in Verbo, ubi pretium nostrum? Annon pretium nostrum sanguis est ejus? Unde ergo daret hoc pretium, si maneret solum Verbum? nisi carnem assumeret Verbum; carnem autem de anima humana viventem, ut, quoniam Verbum occidi non poterat, occideretur sola caro, quæ de sua anima vivebat? Neque enim vel anima occidi poterat, quæ anima Divinitati adhærendo unus spiritus erat, ipso Domino duntaxat eam (*a*) se induente, non ipsa in illo credente, sicut de nobis scriptum est : *Qui adjungit se Domino, unus spiritus est* (1. *Cor.* vi, 17). Nos enim, cum infideles essemus, indigni eramus, et a Deo alieni; credendo autem adhæsimus Deo. Illa autem anima adhæsione Dei digna creata est, cum in personæ divinæ unitatem nova, rudisque assumpta est. Qua unitate hac singularitate duorum spirituum inæqualium discedente caro mortua est, quæ de ipsa duorum spirituum unitate novo modo, novoque genere vivens, id est, geminam et admirabilem vitam habens, parvo tantummodo tempore derelicta est. Deus enim spiritus, et imago ejus, humanus spiritus immortales sunt.

V. Sic ergo nos alloquitur quodam modo Dominus noster, Salvator noster dicens : O Homines! feci hominem rectum, et fecit se ipse perversum. A me recessistis, in vobis peristis. Ego autem quæsiturus sum, quod perierat. A me recessistis, inquit, vitam perdidistis. *Et vita erat lux hominum* (*Joan.* I, 4). Ecce quod reliquistis, quando in Adam omnes peristis *Vita erat lux hominum.* Quæ vita? *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Ibid.* 1) Vita erat, vos in morte vestra jacebatis. Verbum, unde morerer, non habebam; Homo, unde viveres, non habebas. (Quia dignatur Dominus Christus, suscepi verba ejus. Si ipse mea, quanto magis ego ejus). Quodam modo in silentio, rebus ipsis loquens Dominus noster Christus dicit : Unde morerer, non habebam : Homo, unde viveres, non habebas. Assumpsi de te, unde morerer pro te. Assume de me, unde vivas mecum. Commercia celebremus Do tibi, da mihi. Accipio a te mortem, accipe a me vitam. Expergiscere, vide quid dem, quid accipiam. Excelsus in cœlo accepi a te super terram humilitatem. Dominus tuus accepi a te formam servi. Sanitas tua accepi a te vulnera. Vita tua accepi a te mortem. Verbum caro factum sum, ut mori possem. Carnem apud patrem non habebam, de massa tua sumpsi, unde tibi erogarem. (Virgo Maria de massa nostra erat; ibi assumpsit Christus carnem a nobis, id est, a genere humano). Accepi a te carnem, unde morerer pro te, accipe a me Spiritum vivificatorem, unde vivas mecum. Postremo mortuus sum de tuo, vive de meo.

(*a*) Lege *ea*.

VI. Ergo, fratres, quando auditis : Natus est de Spiritu ex Virgine Maria, passus est, vapulavit, alapas accepit, quando auditis : Passus est hæc Christus, nolite putare *Verbum illud in principio apud Deum* in sua natura, atque in sua substantia aliquid tale potuisse. Sed numquid possumus dicere, quia Verbum Dei, Deus unigenitus non est passus pro nobis ? Passus est, sed secundum animam et carnem suam passibilem. Accepit enim formam servi, ut tanquam homo pateretur. Habebat enim et animam et carnem, quia totum hominem liberare venerat, non amittendo vitam, sed donando vitam. Ut autem similitudinem demus, unde celerius, quod dicimus, advertatis ; sicut verbi gratia quando Stephanus martyr, et Phocas (*a*), vel aliquis alius passus est, et occisus, et sepultus, caro eorum sola occisa et sepulta est ; animæ autem eorum neque occidi, neque sepeliri potuere, et tamen rectissime dicimus : Mortuus est Stephanus, vel Phocas, vel quicumque alius pro nomine Christi, ita, quando passus, et occisus, et sepultus est Dei Unigenitus, caro utique ejus sola occisa et sepulta est ; anima autem, et multo magis Divinitas ejus occidi non potuit, et ideo securi dicimus, mortuum pro nobis esse et sepultum unicum Dei Filium, id est, Deum Dei unigenitum. Unde utique veraciter, non mendaciter dixit ipse Christus Dominus, qui est sine mendacio veritas : *Sic enim dilexit Deus mundum, ut Unigenitum suum daret, ut omnis, qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam æternam* (*Joan.* III, 16). Et Apostolus similiter de Deo Patre dicit : *Qui Filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum* (*Rom.* VIII, 32). Vultis autem noscere, quid est Christus? Nolite attendere carnem solam, quæ jacuit in sepulcro, nolite attendere animam solam, de qua dixit : *Tristis est anima mea usque ad mortem*, nolite attendere Verbum solum, quia, *Deus erat Verbum*, sed attendite, quia Christus totus Verbum, et anima, et caro est.

VII. Nihil autem animæ Christi subtrahatis. Hæretici enim Apollinaristæ dixerunt, quia mentem non habuit, id est, intelligentiam non habuit anima illa, sed Verbum illi pro mente, et pro intelligentia erat. Hoc ait Apollinaris Ariani autem dicunt : Nec qualemcumque animam habuit. Vos ergo fideliter tenete, quia prorsus Verbum, et anima, et caro est totus Christus. Et quando auditis : *Tristis est anima mea*, animam humanam intelligite, non belluinam. Anima enim sine intellectu anima pecoris est, non anima humana. Si non venit liberare mentem, non habuit mentem. Ergo unus Christus, Verbum, et anima, et caro. Quid homo? Anima et caro. Quid Christus ? Verbum et homo, ac per hoc, Verbum, et anima, et caro, Christus unus. Hominem quando cædis pugnis, quid ejus percutis ? Animam, an carnem? Confiteris, quia carnem. Et tamen clamat anima : quid me percutis, quid me cædis? Numquid, si dicas animæ : Quis te tetigit ? Ego carnem ferio, non te ; nonne, quicumque te audierint hæc dicentem, irridebunt, et insipientem vel insanum te judicabunt ? Sic ergo, qui carnem Verbi Dei flagellaverunt, vel alapis cæciderunt, non possunt dicere : nos carnem flagellavimus, vel exalapavimus (*a*), non Verbum, vel animam Christi. Totum enim Christum, id est, Verbum, et animam, et carnem flagellaverunt, vel alapis cæciderunt. Et cum utique neque animam, neque ipsam Divinitatem ejus, quæ vera vita est, in cruce occidere potuerunt, totum tamen Christum in corde suo, et in mala voluntate sua inficere delectati sunt. Quicumque enim persequitur aliquem, ut eum occidat, sic eum vult extingui totum, sicut extinguitur totum lumen lucernæ in terram collisæ, ut penitus non luceat, cum eam sibi quisque malefactor viderit impedire (*b*). Quod in homine fieri nullo modo potest, id est, ut totus extinguatur, qui unam utique substantiam habet mortalem, alteram immortalem. Nulla enim in illo mortalis est, nisi caro. Unigenitus autem Dei Christus multo magis totus extingui non potuit, cum eum se Judæi extinguere putaverunt, qui in tribus substantiis suis, id est, una, æterna, atque divina, et in duabus temporalibus, id est, humanis unam solam habuit mortalem, id est, carnem suam. Animam autem et maxime Divinitatem suam sine dubio immortalem habuit. Et ideo sua parvi temporis morte nos de nostra morte æterna redimere solus potuit, qui non tantummodo caro, et anima humana fuit, sed Deus et anima, et caro, unus Dei Unigenitus fuit. Qui enim *Descendit usque in inferiores partes terræ, ipse est, et qui ascendit super omnes cœlos* (*Ephes.* IV, 10), quod homo solus facere non posset.

VIII. Securi ergo exultemus, et lætemur, charissimi fratres, quia ille nos sua morte redemit, qui etiam occisus de hostibus triumphavit. Occisus enim mortem occidit, et in æternum nos de manu ejus liberavit, *Ascendensque in altum captivam duxit captivitatem* (*Ibid.*), atque hominibus misso Spiritu sancto dona sua dedit, qui etiam jacens in sepulcro credentem latronem in paradisum introducere potuit.

(*a*) Difficile dictu sit, quem e tribus Phocis, Antiocheno videlicet et duobus Sinopensibus, hic innuat Augustinus. Egere de iis, ut solent, accurate Hagiographi Belgæ ad diem 14. *Julii*. Neminem tamen eorum in Africa notum, aut cultum e Monumentis ibi allatis liquet. Interim Phocæ τοῦ θαλασσόθαυματουργοῦ notitia ab Nautis Africæ littora frequentantibus proficisci potuit, atque hunc Olitorem Sinopensem fuisse, ex Encomio Asterii Amaseæ Ep. a Fr. Combefisio *Paris.* 1648. c. aliis edito discimus.

## SERMO VI.

*Item de Sacramento altaris ad infantes* (*c*).

### SYNOPSIS.

*I. Corpus dominicum et in altari est, et nos illud sumus. II. Eucharistia symbolum unitatis III Liturgiæ eucharisticæ expositio.*

I. Hoc, quod videtis, charissimi, in mensa Domini,

(*a*) Ita apud Martene *Anecd. T. III, Col.* 1616. in pass. Cypriani et Justinæ : *Exalapari jussit.*

(*b*) Lego : *cum ea se quisque malefactor viderit impedirl.*

(*c*) In Codice *fol.* 7. inscriptus : *De Sacramentis Altaris. Sermo sancti Augustini ep. in eodem die.* Brevis institutio ad sacram Synaxin primum accedentium, qualis supra

panis est, et vinum ; sed iste panis, et hoc vinum accedente verbo fit corpus, et sanguis Verbi. Ille enim Dominus, qui *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I, 1), propter misericordiam suam, qua non contempsit, quod creavit ad imaginem suam, *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Ibid.* 14), sicut scitis, quia et ipsum Verbum assumpsit hominem, id est, animam et carnem hominis, et homo factus est, manens Deus. Propter hoc, (*a*) quia et passus est pro nobis, commendavit nobis in isto Sacramento corpus, et sanguinem suum, quod etiam fecit et nos ipsos. Nam et nos corpus ipsius facti sumus, et per misericordiam ipsius, quod accipimus, nos sumus (*b*). Recordamini, quod fuit aliquando creatura ista in agro, quomodo eam terra peperit, pluvia nutrivit, ad spicam perduxit, deinde labor humanus ad aream comportavit, trituravit, ventilavit, recondidit, protulit, moluit, conspersit, coxit, et vix aliquando ad panem perduxit. Recordamini et vos (*c*). Non fuistis, et creati estis, a l aream dominicam comportati estis, laboribus boum, id est, annuntiantium Evangelium, triturati estis. Quando Catechumeni differebamini, in horreo servabamini. Nomina vestra dedistis, cœpistis moli jejuniis (*d*), exorcismis. Postea ad aquam venistis, et conspersi estis, et unum facti estis. Accedente fervore Spiritus sancti cocti estis, et panis dominicus facti estis.

II. Ecce, quod accepistis. Quomodo ergo unum videtis esse, quod factum est, sic unum estote et vos (*e*), diligendo vos, tenendo unam fidem, unam spem, individuam charitatem. Hæretici quando hoc accipiunt, testimonium contra se accipiunt, quia illi quærunt divisionem, cum panis iste indicet unitatem. Sic et vinum in multis acinis (*f*) fuit, et modo in unum est. Unum est in suavitate calicis, sed (*g*) post pressuram torcularis. Et vos post illa jejunia, post labores, post humilitatem, et contritionem jam in nomine Christi tanquam ad calicem Domini venistis, et ibi vos estis ad mensam (*h*), ibi vos estis in calice. Nobiscum hoc (*i*) estis ; simul enim hoc sumus (*j*), simul bibimus, quia simul vivimus (*k*). Audituri estis, quod etiam hesterno die audistis, sed hodie vobis exponitur, quod audistis, et quod respondistis, aut forte, cum responderetur, tacuistis, sed, quid respondendum esset, hodie didicistis.

III. Post salutationem, quam nostis, id est : *Dominus vobiscum*, audistis : *Sursum cor.* Tota vita Christianorum verorum sursum cor, non Christianorum nomine solo, sed Christianorum re ipsa, et veritate tota vita sursum cor. Quid est *Sursum cor ?* Spes in Deo, non in te. Tu enim deorsum, Deus sursum est. Si spem habes in te, cor deorsum est, non est sursum. Ideo, cum audieritis (*a*) a Sacerdote : *Sursum cor !* respondetis : *Habemus ad Dominum.* Laborate, ut verum respondeatis. Quia apud acta (*b*) Dei respondetis, sic sit, quomodo dicitis. Non lingua sonet, et conscientia neget, et, quia hoc ipsum, ut sursum habeatis cor, Deus vobis donat, non vires vestræ, ideo sequitur, cum dixeritis, habere vos sursum cor ad Dominum, sequitur Sacerdos et dicit : *Domino Deo nostro gratias agamus.* Unde gratias agamus ? Quia sursum cor habemus, et nisi ille illud levasset, in terra jaceremus. Et inde jam (*c*), quæ aguntur in precibus sanctis, quas audituri estis, ut accedente verbo fiat corpus et sanguis Christi. Nam tolle verbum, panis est, et vinum. Adde verbum, et jam aliud est. Et ipsum aliud quid est ? Corpus Christi et sanguis Christi. Tolle ergo verbum, panis est, et vinum. Adde verbum, et fiet Sacramentum. Ad hoc dicitis : *Amen.* Amen dicere subscribere est. Amen latine interpretatur Verum. Deinde dicitur dominica Oratio, quam jam accepistis, et reddidistis (*d*). Quare ante dicitur, quam accipiatur Corpus et Sanguis Christi ? Quia, sicut est humana fragilitas, si forte aliquid, quod non decebat, cogitatio nostra concepit ; si aliquid lingua, quod non oportebat, effudit ; si aliquid oculus, quod non decebat, aspexit ; si aliquid auris blandius, quod non oportebat, audivit ; si forte aliqua talia contracta sunt de hujus mundi tentatione, et vitæ humanæ fragilitate, tergitur dominica Oratione, ubi dicitur : *Dimitte nobis debita nostra* (*Matth.* VI, 12) ; ut securi accedamus, ne, quod accipimus, in judicium nobis manducemus, et bibamus. Post hoc dicitur : *Pax vobiscum.* Magnum sacramentum osculum pacis. Sic osculare, ut diligas. Ne sis Judas. Judas traditor Christum ore osculabatur, corde insidiabatur. Sed forte inimicum animum habet contra te aliquis, et non potes eum convincere, cogeris tolerare. Noli ei malum pro malo in corde tuo reddere. Ille odit, tu ama, et securus oscularis. Audistis pauca, sed magna. Non vilescant paucitate, sed chara sint pondere. Simul etiam onerandi non estis, ut ea, quæ dicta sunt, teneatis.

*Sermo* noster III. et in Editis CCXXVII et CCLXXII. Fragmentum jussu *Bedæ* et *Flori* Collectione *Sermonis CCXXIX.* loco edidere Mauriani. Hic integrum damus.

(*a*) Hic incipit *Fragmentum* editum, de quo supra.

(*b*) Sequens περικοπὴ usque ad verba : *Recordamini et vos, etc.* deest in *Fragmento* edito.

(*c*) *To vos* in accusandi casu. Itaque male interpunctum in *Fragm.* edito.

(*d*) *Fragmentum* editum interponit : *et*

(*e*) *Fragm.* edit. *estote vos.*

(*f*) Id. *racemis.*

(*g*) Id. omittunt : *sed.*

(*h*) Id. *in mensa, et.*

(*i*) Id. *vos* pro *hoc.*

(*j*) Id. rectius : *sumimus.*

(*k*) Finit hic *Fragmentum* editum *T. V. Col* 976.

## SERMO VII.

*De Paschate.*

### SYNOPSIS.

*I. Quis agat Pascha, et quomodo agendum II. alleluia*

(*a*) Aut hic legendum censeo : *auditis*, aut mox : *respondebitis* pro *respondetis.*

(*b*) Alias in *Actione.* Συνωνύμων Canonis, Secretorum Sacrificii Missæ, ut mox infra : *quæ aguntur.*

(*c*) Supple : *succedunt, sequuntur*, vel quid simile.

(*d*) Id est : Sacerdoti memoriter recitastis. Itaque non Symbolum solum *reddebant.* Vide Nostri *Sermonem LVIII. T. V. col.* 337.

(*e*) In Codice *fol.* 10. *p.* 2. inscriptus: *Item Sermo sancti*

*divitum, pauperum, afflictorum. III. Deus agit, ut Pater; Diabolus, ut Mango.*

I. Dies Paschæ nos celebrare omnibus notum est, quibus diebus Alleluia cantamus. Quapropter, fratres, sollicite attendendum est, ut, quod visibiliter celebramus, in animo teneamus. Pascha enim nos celebrare dicimus. *Pascha* hebræus sermo est, quod interpretatur Transitus; græce autem *Paschin* pati (*a*), latine *Pascha* pascere, ut dici solet: *Pascam amicos.* Pascha qui celebrant, nisi qui a morte peccatorum suorum transeunt ad vitam justorum? Sicut Apostolus dicit: *Transivimus de morte ad vitam, quia diligimus fratres* (1 *Joan.* III, 14). Pascha quis agit, nisi qui credit Christo passo in terra, ut cum illo regnet in cœlo? Pascha quis agit, nisi qui pascit in pauperibus Christum? Ipse enim de pauperibus ait: *Quicumque uni ex minimis meis aliquid boni fecerit, mihi fecit* (*Matth.* XXV, 40). Christus sedet in cœlo, et indiget in terra. Patrem interpellat pro nobis, et hic panem petit a nobis. Ergo, Domini fratres, si volumus agere Pascha salubriter, transeamus, patiamur, pascamus. Transeamus a peccatis ad justitiam, patiamur pro Christo, pascamus in pauperibus Christum. Convivia honeste celebremus, ut cum Abraham in regno Dei cœlesti convivio perfruamur. Cantemus ergo Deo alleluia, quod latine sonat: *Laudemus* (*b*) *eum, qui est.* Laudemus eum et in prosperis, et in adversis. In prosperitatibus divitiarum non extollamur, et in flagello damnorum non infirmemur. Dicamus alleluia cum Job, qui dixit: *Dominus dedit, Dominus abstulit. Sicut Domino placuit, sic et factum est. Sit nomen Domini benedictum* (*Job* I, 21). Benedicamus ergo Dominum in omni tempore. Semper alleluia cantamus, si ad sonum linguæ nostræ moventur ad operationem justitiæ membra nostra, si hoc, quod sonat in ore cantantis, lucet in moribus viventis.

II. Audite, quomodo cantare jussi sunt alleluia divites et pauperes. *Præcipe*, ait Apostolus, *divitibus hujus sæculi, non superbe sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui dat nobis omnia abundanter ad fruendum. Divites sint in operibus bonis, facile tribuant, communicent, thesaurizent sibi in futurum, ut apprehendant veram vitam* (1 *Tim.* VI, 17, 18). Quod pauperes cantent, Tobias docet: *Fili, ne timeas, quoniam pauperem vitam gerimus. Exuberabunt tibi multa bona, si timueris Dominum Deum tuum, et, quæ placent in conspectu ejus, feceris* (*Tob.* IV, 3). Dilectissima membra Corporis Christi, expectemus Caput nostrum venturum de cœlo, cui cohærentes immobiles permanebimus, ut, cujus passionem celebramus in terra, cum ipso regnemus in cœlo. Disciplinam ejus sustineamus, ut corrigamur, quia, sicut filios, ita nos aggreditur Deus. *Quis est enim*, ait Apostolus, *cui non det disciplinam pater ejus* (*Hebr.* XII, 7). Si separatis vos a disciplina Dei, ergo nothi, et non filii estis. Toleremus flagellum patris, ne incurramus severitatem judicis.

III. Deus et diabolus pater et mango (*a*) Deus ut, pater, flagellat, et corrigit, et assumit; mango blanditur, seducit, et vendit. Pater fert flagellum, et mango fert saccellum (*b*). Si concurreris sub alas flagellantis, liberaberis ab iniquitate vendentis. Vide, a quo, ubi reponaris, in regno cœlorum, an in saccello gehennarum. Si regnum Dei concupiscis, in solutione libertatis lætaberis; si vero saccellum, colligationem servitutis accipies, et ligatus manibus pedibusque dicetur de te: *Tollite et mittite illum in tenebras exteriores. Ibi erit fletus et stridor dentium* (*Matth.* XXII, 13). Clamatur ad nos fortiter. *Qui habet aures audiendi, audiat, quid Spiritus dicat ecclesiis* (*Apoc.* III, 22).

## SERMO VIII.

### *In octava Paschatis ad infantes* (*c*).

### SYNOPSIS.

*I. Vis, et effectus Baptismi, et Spes in eo reposita.*
*II. Baptismus extra unitatem Ecclesiæ non prodest.*
*III. Contra Schismaticos Baptismo gloriantes.*
*IV. Cohortatio ad recens baptizatos.*

I. Sermo mihi est ad vos, modo nati Infantes, parvuli in Christo, nova proles Ecclesiæ, gratia Patris, fœcunditas Matris, germen pium, examen novellum, flos nostri honoris, et fructus laboris, gaudium et corona mea, omnes, qui statis in Domino, Apostolicis verbis vos alloquor. *Ecce nox præcessit; dies autem appropinquavit. Abjicite opera tenebrarum, et induite vos arma lucis. Sicut in die, honeste ambulate. Non in comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis, non in contentione et æmulatione, sed induite Dominum Jesum Christum, et carnis providentiam ne feceritis in concupiscentiis* (*Rom.* XIII, 12-14), ut et vitam induatis, quam Sacramento induistis, (*d*). *Quotquot enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. Non est Judæus, et Græcus; non est servus, neque liber; non est masculus, aut fœmina; omnes enim vos unum estis in Christo Jesu* (*Galat.* III, 27, 28). Hoc habet ipsa vis Sacramenti. Sacramentum enim est vitæ novæ, quæ in hoc tempore incipit a remissione præteritorum omnium peccatorum, perficietur autem in resurrectione mortuorum. *Consepulti enim estis Christo per baptismum in morte, ut, quomodo surrexit Christus a mortuis, sic et vos in novitate vitæ ambuletis* (*Rom.* VI, 4). Ambulatis autem nunc per

*Augustini ep. De Festivitate paschali.* Sed mihi Augustinum non sapit, saltem integer. Expendant, qui S. Doctori me familiariores sunt. Ego enim ei subtrahere mallem, quam supponere. In Editione locum haberet post *Serm. CCLVI.*

(*a*) פסח, πάσχειν. Frivola hæc intrusa videntur.

(*b*) Imo: *Laudate* הללו.

(*a*) Similia infra *Serm. XXI. n. 4.*

(*b*) Pro *Sacculo.* Etiam Petronio, Celso, etc. Nullibi tamen in impressis Augustini. Recurret infra *Serm. XX. n. 12.*

(*c*) In Codice *fol. 14.* inscriptus: *Sermo sancti Augustini episcopi Sabbato Paschæ.* Dignus Auctore de Sacramento Baptismi egregie pertractat. Quædam N. 1. Incisa leguntur *T. V. Append. Serm. CLXXII. col. 296.* male consarcinato. Noster inserendus est post *Sermonem CCLX.* qui fortasse his verbis eum innuit: *Regeneratis in baptismo, qui hodie miscendi sunt populo, brevis, sed gravis Sermo reddendus est.*

(*d*) Lego: *vita induatis, quem sacramento induistis* nempe Christum.

fidem, quandiu in hoc mortali corpore peregrinamini a Domino, sed via vobis certa ipse, ad quem tenditis, factus est Christus Jesus secundum hominem, quod pro nobis fieri dignatus est. Servavit enim multam dulcedinem timentibus se, aperturus et perfecturus eam sperantibus in se, cum id, quod nunc in spe accepimus etiam in re acceperimus. *Filii enim Dei sumus, et nondum apparuit, quod erimus. Scimus, quia, cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (1 *Joan.* III, 2). Hoc etiam in Evangelio ipse promisit. *Qui diligit me*, inquit, *mandata mea custodit. Et qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam illum, et ostendam me ipsum illi* (*Joan.* XIV, 21). Utique videbant eum, quibus loquebatur, sed in forma servi, qua major est Pater, non in forma Dei, qua æqualis est Patri. Hanc ostendebat timentibus, illam servabat sperantibus. In hac peregrinantibus apparebat, ad illam cohabitaturos vocabat. Hanc eis ambulantibus substernebat, illam pervenientibus promittebat.

II. *Has ergo promissiones habentes, charissimi, mundemus nos ab omni coinquinatione carnis, et spiritus perficientes sanctificationem in timore Dei* (2 *Cor.* VII, 1). *Obsecro vos, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate animi, et mansuetudine, sufferentes invicem in dilectione, studentes observare unitatem spiritus in vinculo pacis* (*Ephes.* IV, 1-3). Qualis enim res est, unde tale pignus accepimus. Sed sunt quidam, qui Christum solo Sacramento induerunt, quo in fide vel moribus nudi sunt. Nam et multi hæretici ipsum habent Sacramentum baptismatis, sed non ipsum fructum salutis, nec vinculum pacis : *Habentes*, sicut ait Apostolus, *formam pietatis, virtutem autem ejus negantes* (2 *Tim.* III, 5), vel signati a desertoribus, vel ipsi etiam desertores signum boni regis in damnabili carne portantes, qui nobis dicunt : Si fideles non sumus, baptismum nobis quare non datis? Si autem jam fideles sumus, quid nos quæritis? Quasi non legant, Simonem magum et accepisse baptismum, et tamen a Petro audisse : *Non est tibi pars neque sors in hac fide* (*Act.* VIII, 21). Ecce quia fieri potest, ut aliquis habeat baptismum Christi, et non habeat fidem, vel dilectionem Christi; habeat sanctitatis Sacramentum, nec computetur in sorte sanctorum. Neque interest, quantum ad ipsum solum pertinet Sacramentum, si ibi quisque accipiat baptismum Christi, ubi non est unitas Christi. Nam et baptizatus in Ecclesia, si fuerit desertor Ecclesiæ, sanctitate vitæ carebit, Sacramenti signaculo non carebit. Nam utique exeuntem non potuisse amittere demonstratur, quod redeunti non redditur. Sicut desertor militiæ caret legitima societate, non caret regio charactere. Qui, si et alterum eodem signo ipse signaverit, non faciet consortem vitæ, sed comitem pœnæ. Si autem ad legitimam ordinatamque militiam et ille redeat, et ille veniat, placata regia severitate et illi ignoscitur, quod recessit, et ipse suscipitur, qui accessit. In ambobus culpa corrigitur, ambobus pœna remittitur, ambobus pax datur, in nullo, quod signatum est, iteratur.

III. Jam ergo nobis non dicant : Quid nobis dabitis, si jam baptismum habemus? Sic enim nesciunt, quid loquantur, ut nec saltem legere velint, quod sancta Scriptura testatur, in ipsa intus Ecclesia, hoc est, in communione membrorum Christi, multos in Samaria baptizatos non accepisse Spiritum sanctum, sed in solo baptismo fuisse, donec ad eos de Jerusalem venirent Apostoli (*Act.* VIII); contra autem Cornelium, et eos, qui cum illo erant, meruisse accipere Spiritum sanctum, antequam acciperent baptismi Sacramentum (*Id.* X). Ita Deus docuit, aliud esse signum salutis, aliud ipsam salutem, aliud formam pietatis, aliud virtutem pietatis. Quid nobis, inquiunt, dabitis, si jam baptismum habemus? O sacrilegam vanitatem, ita nihil putare esse Christi Ecclesiam, quam non habent, ut nihil se accipere arbitrentur, si ejus communioni socientur! Dicat eis Amos propheta : *Væ eis, qui nihil faciunt Sion* (*a*) (*Amos.* VI, 1)! Quid accepturus sum, inquit, si jam baptismum habeo? Accepturus es Ecclesiam, quam non habes; accepturus es unitatem, quam non habes; accepturus es pacem, quam non habes. Aut si ista nihil tibi videntur, pugna, desertor, contra Imperatorem tuum dicentem : *Qui mecum non colligit, spargit* (*Luc.* XI, 23). Pugna contra Apostolum ejus, imovero et ibi contra ipsum, qui per eum loquebatur, dicentem : *Sustinentes invicem in dilectione, studentes servare unitatem spiritus in vinculo pacis* (*Ephes.* IV, 3). Numera, quæ dixit : Sustinentiam, dilectionem, unitatem, spiritum, pacem. Spiritus illic operator omnium, qui nominatus est, quem tu non habes. Numquid sustinuisti, qui de Ecclesia recessisti? Quem dilexisti, quando membra Christi deseruisti? Quæ tibi est unitas in sacrilega præcisione? Quæ pax in nefaria dissensione? Absit a nobis, ut nihil sint ista, sed nihil es tu ipse sine istis. Hæc si accipere in Ecclesia contemnis, baptismum quidem potes habere, sed ad majus supplicium habes, quidquid non cum istis habes. Baptismus enim Christi, qui cum istis suffragator esset salutis tuæ, sine istis testis est iniquitatis tuæ.

IV. Vos autem, filii sancti, membra catholica, baptismum non alium, sed aliud accepistis. Accepistis enim non ad pœnam, sed ad vitam, non ad perniciem, sed ad salutem, non ad damnationem, sed ad honorem. Simul enim accepistis et unitatem spiritus in vinculo pacis, si tamen et vos, quod opto, quod spero, quod exhortor ac deprecor, et, quod accepistis, integrum custodiatis, et proficiendo ad majora veniatis. Hodie dies octavus est nativitatis vestræ. Hodie completur in vobis signaculum Dei, quod apud antiquos patres in circumcisione carnis fiebat octavo die carnalis nativitatis. Figurabatur enim expoliatio mortalitatis in eo membro humano, per quod moriturus nascitur homo. Unde et ipse

(*a*) Τοῖς ἐξουθενοῦσι Σίων. Cum LXX. Vulg. habet : *Qui opulenti estis in Sion.*

Dominus mortalitate carnis resurgendo se expolians, et non quidem aliud, sed tamen ultra non moriturum corpus exsuscitans dominicum diem in sua resurrectione signavit, qui post diem passionis ejus tertius, in numero autem dierum post sabbatum octavus est, idemque primus. Unde et vos nondum re, sed certa jam spe, quia et hujus rei sacramentum habebitis, et pignus Spiritus accepistis, *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt sapite, ubi Christus est in dextera Dei sedens, quæ sursum sunt quærite, non quæ super terram. Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria* (*Coloss.* III, 1-4).

## SERMO IX.

*De Psalmi* CXVII. *vers.* 1. Confitemini Domino, etc. (*a*).

## SYNOPSIS.

*I. Quid sit confiteri Domino. II. Quomodo, et quare confitendum Bonitati divinæ. III. Quantum differat Confessio facienda Homini Judici, et facienda Deo. IV. Exhortatio ad confitenda Deo peccata.*

I. *Confitemini Domino quoniam bonus; quoniam in sæculum misericordia ejus* (*Psal.* CXVII, 1). Quod nos voce Psalmi Spiritus sanctus hortatus est, cui ore uno, et corde uno respondebamus : Alleluia, quod latine interpretatur : *Laudate Dominum*, hoc vos et per nostram vocem idem Spiritus sanctus exhortatur. *Confitemini*, inquit, *Domino, quoniam bonus est; quoniam in sæculum misericordia ejus.* Sive dona illius laudando cantetis, sive peccata vestra gemendo fundatis, *Confitemini Domino, quoniam bonus est; quoniam in sæculum misericordia ejus.* Neque enim sola commemoratio peccatorum nostrorum, sed etiam Domini nostri laudatio confessio dicitur, quia et si unum horum faciamus, non sine altero facimus. Nam et iniquitatem nostram cum spe misericordiæ ipsius accusamus, et ipsius misericordiam cum iniquitatis nostræ recordatione laudamus. Confiteamur ergo Domino, *Quoniam bonus est, quoniam in sæculum misericordia ejus.* Videtur nonnullis mala esse quædam creatura, quia imperitorum sensus offendit, sed falsum est. Fecit enim Deus omnia bona valde, *Quoniam bonus est.* Videtur nonnullis injustus Deus, quia plerumque fideles ejus multa dura et aspera in hac temporali vita patiuntur; sed, quibus hoc videtur, falluntur. *Flagellat enim omnem filium*, non quem rejicit, sed *Quem recipit, quoniam in sæculum misericordia ejus* (*Hebr.* XII, 6).

II. Confiteamur ergo Domino, *Quoniam bonus est, quoniam in sæculum misericordia ejus.* Dicamus Domino Deo nostro : *Admiranda sunt opera tua; omnia enim in sapientia fecisti* (*Psal.* CIII, 24). *Justa sunt judicia tua; propter iniquitatem enim erudisti hominem* (*Tob.* III, 2). *Priusquam humiliarer, ego deliqui* (*Psal.* CXVIII, 67). Dicamus hæc in confessione, quia, si quædam supplicio nostræ mortalitatis adverse sunt, ille tamen bonum facit, *Quoniam bonus est.* Et si temporalibus doloribus et laboribus emendamur, *Non in finem irascetur, neque in æternum indignabitur, quoniam in sæculum misericordia ejus* (*Psal.* CII, 9). Quid tam bonum, quam Deus noster? Blasphemant homines, nec solum non humiliantur, sed etiam superbiunt in sceleribus suis, et *Facit ille solem suum oriri super bonos et malos, et pluit super justos et injustos* (*Matth.* V, 45). Quid tam misericors, quam Deus noster? Perseverant homines in flagitiis et facinoribus suis, et ille eos ad conversionem vocare non cessat. Quid tam bonum, quam Deus noster, a quo et in pressura solatia tanta percipimus? Quid tam misericors quam Deus noster, cujus et futuram sententiam mutati mutamus? Confiteamur Domino, *Quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.* Non omnium rerum laudes confessiones sunt, sed laudes Domini Dei nostri. Si enim verissime dictum est : *Quam bonus Deus Israel rectis corde* (*Psal.* LXXII, 1), malus utique videtur perversis corde. Quis autem hominum nisi ex perverso fit rectus, ut tanquam convictus laudare incipiat, quod antea reprehendebat, et mirari, quod antea contemnebat, confitens Domino, quoniam sibi jam recto bonus est, qui perverso videbatur malus? Et quoniam sua malitia perversus erat, ipsius autem gratia correctus est, simul oportet confiteatur, *Quoniam in sæculum misericordia ejus.* Nos mali, bonus ille. Nos ab ipso boni, a nobis mali. Bonus ille nobis bonis, bonus ille nobis malis. Nos sævientes in nos, ille misericors erga nos. Vocat, ut convertamur; expectat, donec convertamur; ignoscit, si convertamur; coronat, si non avertamur.

III. Confiteamur ergo Domino, *Quoniam bonus est, quoniam in sæculum misericordia ejus.* Confessio etiam peccatorum timenda semper hominibus visa est, sed apud hominem judicem. Non sæpissime flagellis et quibusdam verberibus, ungulis quoque et ignibus agitur, ut eruatur ore confessio, et aliquando prius cedunt membra tormentis, ut corporis compago solvatur, quam doloribus animus, ut secretum facinoris propaletur. Instant carnifices, crebrescunt omnia genera tormentorum; sed frustra laniando puniuntur viscera, cum clauditur negando conscientia. Cur autem in tantis cruciatibus homo metuit confiteri, nisi quia confessi solent puniri? Qui confessus fuerit homini, punitur. Deo qui confessus fuerit, liberatur. Nec mirum. Quærit homo ab homine, quod ille, qui quærit, ignorat; Deus autem, qui monet ut confiteamur, novit quod confiteri nolebamus, nec tunc discit, quando confessi fuerimus. Quanto ergo magis confitentes a sempiterna morte liberat, qui nostris iniquitatibus, quas et antequam confiteremur, noverat, a temporali morte parcebat

IV. Dicis fortasse : Quid a me quærit Deus, ut confitear, quod ipse jam novit? Nam homo, ab homine cum hoc quærit, ignorat. Quid putas, nisi quia Deus vult, a te ut peccatum tuum cognoscendo pu-

(*a*) In Codice *fol.* 17. p.2. inscriptus : *Sermo sancti Augustini ep.* Agit de peccatorum Confessione, et memoratur a Possidio in *Indiculo opp.* c. 9. Inserendus post *Sermonem XXIX.*

niatur, et ab illo ignoscendo solvatur? Nam quomodo illum cupis ignoscere, quod tu non vis agnoscere? Audi Psalmum, et, si evigilas, adverte vocem tuam, ubi est. *Peccatum*, inquit, *meum cognovi, et facinus meum non operui. Dixi : Proloquar adversum me delictum meum Domino, et tu dimisisti impietatem cordis mei* (*Psal.* XXXI, 5). Audi in alio Psalmo : *Quoniam iniquitatem meam ego agnosco, et delictum meum ante me est semper* (*Id.* I, 5). Non itaque hujusmodi impudenter dicebat Deo : *Averte faciem tuam a peccatis meis* (*Ibid.* 11). Tunc enim ab hominis peccato faciem Deus dignatur avertere, cum homo ipse a peccato suo faciem suam minime curat avertere, ut in Dei auribus dicat : *Peccatum meum ante me est semper.* Nec ideo dicitur Deo : *Averte faciem tuam*, quia non cognoscit, sed quia ignoscit. Si ergo propterea times, homo, confiteri homini judici, quia malus est, aut quia severitatem legis implere compellitur, securus confitere Domino, *Quoniam bonus est, quoniam in sæculum misericordia ejus.*

## SERMO X.

*De Psalmi* CXLIX. *vers.* 1. Cantate Domino canticum novum, etc. (*a*).

### SYNOPSIS.

*I. Canticum duplex : vetus et novum. II. Quæ sanctorum Ecclesia in terris. III. Quæ vera Sion, et quæ ejus conditio. IV. In Christo fides et spes felicitatis nostræ.*

I. VENERUNT dies, ut cantemus *Alleluia.* Adeste animo, fratres, ad percipiendum quæ Dominus suggerit ad exhortationem nostram, et nutriendam charitatem, qua nobis inhærere Deo bonum est. Adeste animo, Cantatores boni, filii laudis et gloriæ sempiternæ veri et incorrupti Dei ; adeste intenti, et laudate Deum ; hoc est enim Alleluia (*b*). Sed laudate Deum non solum in voce, sed et in intellectu, et in opere bono, et sicut nos exhortatus est Psalmus, cantemus Domino canticum novum. Sic enim cœpit : *Cantate Domino canticum novum* (*Psal.* CXLIX, 1). Vetus homo vetus canticum. Novus homo novum canticum. Vetus Testamentum vetus canticum. Novum Testamentum novum canticum. In Veteri Testamento promissiones sunt terrenæ, in Novo Testamento promissiones sunt cœlestes. Quisquis terrena diligit, et terrenis incubat delectationibus, vetus canticum cantat. Qui vult cantare canticum novum, diligat æterna. Ipsa dilectio nova est, quia nunquam veterascit, et innovat amantem. Itaque, fratres, commendamus vobis, ut Deum diligatis ; imo ipse commendat omnibus nobis. Bono enim nostro illum diligimus, non bono ipsius, quia malo nostro eum non diligimus, non malo ipsius. Non enim minus habebit Deus Divinitatem, si homo in illo (*a*) non habuerit Charitatem. Nos crescimus ex Deo, non ille ex nobis, et tamen tantum nos dilexit prior, antequam eum diligeremus, ut Filium suum unicum mitteret mori pro nobis. Qui fecit nos, factus est inter nos. Quomodo nos ipse fecit? *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* I, 3). Quomodo factus est inter nos? *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Psal.* CXLIX, 14).

II. Ergo, fratres, si ante amare pigebat, saltem nunc redamare non pigeat. Fœdos nos amavit, quia peccatores amavit. *Etenim Christus*, ait Apostolus, *pro impiis mortuus est* (*Rom.* V, 16). Qui donavit impiis mortem suam, quid servat justis, nisi vitam suam? Videte denique, ubi, vel a quibus canticum istud novum Domino cantetur. Cum diceret enim : *Cantate Domino canticum novum*, subnexuit, et ait : *Laus ejus in Ecclesia Sanctorum* (*Psal.* CXLIX, 1), et potest esse in terra Ecclesia Sanctorum? Dicit enim Propheta : Quia contaminata est terra in sanguine, et adulteria, et homicidia effusa sunt super terram (*Ezech.* IX ; *et Osee.* IV, 2). Quomodo ergo videbitur Ecclesia Sanctorum haberi posse in terris? Apostolus docet dicens, quia in terris ambulantes conversationem habemus in cœlis (*Philipp.* III, 20). Sic ergo efficitur, ut in terris positi cœlestem Ecclesiam faciant Sancti. *Lætetur*, inquit, *Israel in eo, qui fecit eum* (*Psal.* CXLIX, 2). Israel, id est, justi et sancti lætentur in Domino, injusti autem lætentur in sæculo. Finito sæculo finitur injustorum exultatio, quia permanente Domino permanebit justorum exultatio. Ergo si pertinemus ad Israel, et si volumus esse Israel, non lætemur in his, quæ facta sunt, sed in eo, qui fecit. Sit spes nostra Deus noster. Qui fecit hæc omnia, melior est omnibus. Quid est Israel? *Videns Deum* (*b*). Quomodo sumus Israel, si nondum videmus? Est quædam visio hujus temporis, erit alia visio futuri temporis. Visio, quæ modo est, per fidem est ; visio, quæ futura est, per speciem erit. Si credimus, videmus ; si amamus, videmus. Quid videmus? Deum. Ubi est ipse Deus? Interroga apostolum Joannem. *Deus*, inquit, *charitas est* (1. *Joan.* IV, 8 *et* 16). Quisquis habet charitatem, ut quid illum mittimus longe, ut videat Deum? Conscientiam suam attendat, et ibi videt Deum. Si charitas ibi non habitat, non ibi habitat Deus. Si autem charitas ibi inhabitat, Deus ibi inhabitat. Vult illum videre sedentem in cœlo, habeat charitatem, et in illo habitat.

III. Sed *Et filii Sion exultent in Rege suo* (*Psal.* CXLIX, 2). Qui illi sint, operæ pretium est noscere. Sion Specula interpretatur (*c*) ; specula vero est locus excelsus et editus, de quo longe prospicitur, quod venturum est. Si ergo et nos vitam nostram

(*a*) In Codice *fol.* 19. inscriptus : *Sermo sancti Augustini ep.* Ad Tempus paschale pertinet, amorem et desiderium futurorum bonorum inspirans, et Editioni post *Sermonem* XXXIV. inserendus.

(*b*) A loco sequenti usque ad verba : *quia nunquam veterascit*, pene κατὰ λέξιν se repetit Augustinus in *Enarrat.* dicti Psalmi Edit. T. IV. *col.* 1685.

(*a*) Fortassis : *in illum.*

(*b*) Rectius Hieronymus *Quæst. Hebr.* ad *Genes.* c. 32. v. 28 interpretatur : *Princeps*, seu prævalens *cum Deo* ad hebraïcam fidem. Quo loco vide annon Nostrum etiam oblique notet.

(*c*) Etiam Hieronymo in *Nominibus Hebr.* et aliis, licet ἔρημον potius *locum aridum* innuat.

altius a terra, et longe sublimius ab humanis vitiis collocaverimus per virtutem fidei, recte Sion Filii appellabimur. Rex autem Sion sine dubio ille est, qui dicit : *Ego autem constitutus sum rex ab eo, super Sion montem sanctum ejus* (*Psal.* II, 6). Quæ Sion, ipsa et Jerusalem, sed Sion vera, et Jerusalem vera, non illa quæ bello cecidit, quæ nobis in mysterio posita est, sed illa, quæ est in cœlis : *Jerusalem, quæ est mater nostra* (*Galat.* IV, 26). Ipsa nos genuit, ipsa nos nutrivit, ex parte peregrina in sæculo, ex magna parte commanens in cœlo. Ex parte, qua commanet in cœlo, beatitudo est Angelorum; ex parte, qua peregrinatur in hoc sæculo, spes est justorum. De illa dictum est : *Gloria in excelsis Deo;* de hac dictum est : *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II, 14). Qui ergo in hac vita gemunt, et desiderant illam patriam, currant, non pedibus corporis, sed affectibus cordis. Non quærant naves, sed pennas charitatis apprehendant. Quæ sunt duæ alæ charitatis? Dilectio Dei, et dilectio proximi. Peregrinamur enim, dicit Apostolus : *Quandiu sumus in corpore, peregrinamur a Domino* (2 *Cor.* V, 6). Sed venerunt ad nos litteræ de patria nostra admonentes reversionem nostram. Ipsæ nobis leguntur, cum divinæ Scripturæ nobis recitantur. Beati, qui ibi sunt! Nullis jam cupiditatibus sauciantur, nullis iniquitatibus vel propriis, vel alienis cruciantur, quorum non est negotium, nisi laudare Deum. Non arant, non seminant. Opera enim sunt ista necessitatis; ibi necessitas non est. Non furantur, non deprædantur. Opera enim sunt ista iniquitatis; ibi iniquitas non est. Non frangunt panem esurienti, non vestiunt nudum, non suscipiunt peregrinum, non sepeliunt mortuum. Opera enim sunt ista misericordiæ; ibi nulla miseria est, in qua fiat misericordia.

IV. O beati! Putamus, erimus et nos sic? Eia suspiremus, de suspirio gemamus, et quid sumus, et illud, ubi sumus. Et ubi sumus? In sæculo vano et transitorio. Et quid sumus? Mortales, projecti, abjecti, et sicut quidam dixit Sanctus : *Terra et cinis* (*Gen.* XVIII, 27). Sed qui promisit nobis immortalitatem, et æternitatem, omnipotens est. Si ad nos attendamus, quid sumus? Si ad illum, Deus est, omnipotens est. Non est facturus Angelum ex homine, qui fecit hominem ex nihilo? Aut vere pro minimo habet Deus hominem, propter quem mori voluit Unicum suum? Attendamus indicium dilectionis, et promissionis, unde tales arrhas accepimus. Tenemus mortem Christi, tenemus sanguinem Christi. Erigat se ergo et humana fragilitas, non desperet, non se avertat. Qui promisit, Deus est, et venit, ut promitteret. Apparuit hominibus, venit suscipere mortem nostram, promittere vitam suam. Ita enim voluit Deus infirmitatem humanam de sua promissione esse securam, ut non solum diceret, sed et scriberet. Credentibus dixit, dubitantibus cavit, et ecce omnia tenentur in quodam Chirographo, in sancta Scriptura. Venit ergo ad regionem peregrinationis nostræ accipere, quod hic abundat : opprobria, flagella, contumelias, spineam coronam, crucem, mortem. Hæc abundant in regione nostra. Attulit commercia, venit, attulit nobis de illa regione bona, et in regione nostra pertulit mala. Promisit nobis tamen, quod ibi futuri sumus, unde venit, et ait : *Pater, volo, ut ubi ego sum, et ipsi sint mecum* (*Joan.* XVII, 24). Tanta præcessit dilectio, quia, ubi nos eramus, fuit nobiscum; ubi ipse est, erimus cum illo. Tenete ergo Christum, fratres, tenete fidem, tenete viam. Ipsa vos perducet ad id, quod videre modo non potestis. In illo enim capite apparuit, quod speretur in membris. In illo fundamento demonstratum est, quod in nostra ædificetur fide, ut postea perficiatur in spe.

## SERMO XI.

### *In Natali Joannis Baptistæ* (*a*).

### SYNOPSIS.

*I. Quis, et cui, et quam lucernam paraverit. II. Joannis Baptistæ modestia. III. Joannis Baptistæ dignitas. IV. Mysterium Trinitatis, et Patris, Filiique coæternitas. V. In Christi Baptismo manifestata Trinitas. VI. Quinam sint occulti inimici Christi. VII. Quinam sint aperti inimici Christi. VIII. Anacephalæosis et Adhortatio.*

I. Loquimur Charitati Vestræ in domo Dei, quod præsens Psalmus admonuit (*b*). Quis est, qui dicat : *Paravi lucernam Christo meo. Inimicos ejus induam confusione; super ipsum autem florebit sanctificatio mea* (*Psal.* CXXXI, 17, 18); et quæ illa lucerna sit, quam paravit Christo suo, et qui sint inimici Christi ejus, quos per illam lucernam induit confusione, et quæ sanctificatio ejus, qui paravit lucernam Christo suo, quæ florebit super Christum ejus. In his enim omnibus verbis illud tantum videtur planum, et apertum, quod hic ait : *Christo meo.* Non enim aliud intelligendum est, quam Christus Dominus et Salvator noster. Perscrutantes itaque, quantum largitur Deus, altitudinem sensus hujus, invenimus hoc Deum Patrem dicere. Deus ergo Pater, id est, persona Dei Patris per Prophetam loquitur : *Paravi lucernam Christo meo.* Filium autem Dei eumdem esse et Christum Dei, non est exponendum Christianis. Inventa itaque loquentis persona videamus, quæ sit lucerna a Deo Patre Christo Filio præparata. Dominus ipse dicit de Joanne Baptista : *Ille erat lucerna ardens et lucens, et vos voluistis exultare ad horam in lumine ejus* (*Joan.* V, 35). Lucernam ergo dixit Joannem accensam de fonte luminis, ut testimonium perhiberet veritati. In hac enim cæcitate jacebant homines, et in hac oculi interioris infirmitate, ut Sol justitiæ per lucernam quæreretur. Nam si quis haberet mundum oculum cordis, eum ipsum prius intueretur, nec ad ejus testimonium lucernam quæreret. Cum enim de illa

(*a*) In Cod. *fol.* 26. inscriptus : *Sermo sancti Augustini ep. De Festo beati Joannis Bapt.* Præstans et sublimis etiam de Trinitatis mysterio Tractatus, notatus a Possidio in *Indiculo Opp.* c. 8. *De responsorio Psalmi centesimi trigesimi primi :* Paravi lucernam Christo meo, etc. Locandus post *Sermonem CCXCIII.*

(*b*) Nempe mox citandus. v. 5. *Introibimus in tabernaculum ejus, etc.*

lucerna dixisset : *Voluistis exultare ad horam in lumine ejus ; ego autem*, inquit, *habeo testimonium maius, quam Joannem* (*Joan.* v, 36). Lucerna ergo infirmis in nocte accensa est. Et quomodo illam accendit? Pater Christo Filio suo de Joanne dicit : *Ecce mitto Angelum meum ante te, qui præparabit viam ante faciem tuam* (*Malach.* III, 1, *et Matth.* XI, 10). Paravit lucernam Christo suo (*Psal.* CXXXI, 17).

II. Quomodo inimicos ejus per ipsam lucernam induit confusione ? Ac prius videte, quod diximus, de fonte luminis accensam lucernam. Ipse Joannes testatur : *Nos autem*, inquit, *de plenitudine ejus accepimus* (*Joan.* I, 16). Erat autem Joannes tanta excellentia præcellens, ut non ante Christum missus, sed ipse Christus putaretur. Ille autem, si lucerna esset extincta, et nidore superbiæ fumida, quando ad eum missum est a Judæis, dictumque illi : *Tu quis es* (*Ibid.* 19)? Tu es Christus ? An Elias? An Propheta ? diceret : Ego sum. Invenerat enim occasionem jactantiæ suæ, ultro honorem falsum errore hominum deferente. Numquid hoc persuadere laborabat, quod priores dicebant, qui interrogabant? Sed missus est humilis ad parandam viam excelso. Inde amicus Sponsi, quia servus cognitor Domini. Et ait : *Ego sum vox clamantis in eremo : Parate viam Domino. Rectas facite semitas ejus* (*Matth.* III, 3). Ego non sum Christus, nec Elias, nec Propheta. Et illi : *Quis ergo es ?* Et quid dixit? *Ego sum vox clamantis in deserto : Parate viam Domino.* Jam enim ista prædixerat Isaias (*Isai.* XL, 3). De quo autem prædixerit, ibi intelligitur. Legistis, inquit, hoc in Isaia, et forte lectum ignorastis, undé sit dictum. Ego sum, de quo est dictum. Quantum autem se abjicit, qui tantum erigebatur, ut Christus putaretur, quantum se abjicit, videte. *Ego quidem*, inquit, *baptizo vos in aqua ; qui autem post me venit, major me est* (*Luc.* III, 16). Et aliquanto posset me major dici (*a*). Majorem se illum dicit. Dic, quanto majorem? *Cujus non sum*, inquit, *dignus corrigiam calceamenti solvere* (*Ibid.*).

III. Jam hinc intelligite dispensationem, quare Joannes ante Christum præmissus est. Videtis, quanto sit minor, quantoque illum fateatur esse majorem, ut dicat indignum se solvere corrigiam calceamenti ejus. Quantus est iste, qui se dicit indignum solvere corrigiam calceamenti hujus? Quantus est ? Ubi quærimus? Si ab ipso Joanne quæramus, quantus sit Joannes, non invenimus ; humiliat enim se, et nihil de se, vel veraciter, jactanter loquitur. Quantus ergo sit Joannes, qui non est dignus corrigiam calceamenti solvere ejus, qui homo putabatur, a quo auditurus sumus? Ipsum Dominum interrogemus, et dicamus ei : Domine, perhibuit de te Joannes magnum testimonium, et cum ejus magna excellentia inter homines appareret, ut Christus esse putaretur, quæsitumque ab eo esset, quis esset, dixit non se esse Christum, dixit venturum esse majorem se, et tanto majorem, ut non sit dignus corrigiam solvere calceamenti ejus. Tanquam lucerna fidelis locuta est de excellenti lumine tuo. Hoc de te Joannes. Videamus, quis sit, qui de te ista, quantus sit ille, qui se ita humiliavit tibi, teque tanto ampliorem se confessus est. Quis est? Ille de te ista. Tu de illo dic nobis aliquid. Audi vocem Domini de Joanne. *In natis mulierum nemo exurrexit major Joanne Baptista* (*Matth.* XI, 11). Sed quid ait? *Qui autem minor est, in regno cœlorum major est illo* (*a*). Se ipsum dicit; non enim arrogans est Deus, cum commendat magnitudinem suam. Quid est : *Qui minor est ?* Qui posterior ætate, major majestate. Posterior enim natus Joanne est Dominus Christus, sed in eo, quod factus est propter nos, non in eo, per quod facti sumus. Ille, qui post Joannem natus est, audi a Patre : non ante Joannem, non ante David, non ante Abraham, sed *Ante luciferum genui te* (*Psal.* CIX, 3). Si ergo accommodatum est aliquid infirmitati nostræ, ut diem lucerna præcederet, et creditum est lucernæ de die, quanto magis credendum est dieî de lucerna, quia *In natis mulierum nemo exurrexit major Joanne Baptista.* Homo igitur, quo nemo major natus erat, cum dicit se indignum solvere corrigiam calceamenti cujusdam, quid est ille, cujus non est dignus solvere corrigiam calceamenti homo, quo nemo major erat? Si jam Joannes tantus homo, ut amplior non possit esse homo, quidquid illo majus, amplius est, quam homo. Si jam Joannes tantus homo, ut major illo nullus sit homo, qui major illo est, amplius est, quam homo. Et qui amplius est, quam homo, tamen propter hominem homo, merito super eum floret sanctificatio Patris.

IV. Super eum enim Spiritus sanctus in specie columbæ descendit. Flos sanctitatis in specie columbæ, in forma simplici atque innocenti tunc demonstratus est plenius ipsi Joanni, ut impleretur : *Et super ipsum florebit sanctificatio mea. Ego*, inquit, *non noveram eum, sed qui me misit baptizare in aqua, ipse mihi dixit : Super quem videris Spiritum descendentem sicut columbam, et manentem super eum, ipse est, qui baptizat in Spiritu sancto. Et ego*, inquit, *quod vidi, testimonium perhibeo, quia ipse est electus Dei* (*Joan.* I, 33, 34). De quo testimonium perhibet? Super quem vidit florere sanctificationem Patris. Unde vidit descendentem Spiritum sanctum ? Non enim a Filio aliquando recessit Spiritus sanctus, aut aliquando Filius a Spiritu, aut aliquando Filius a Patre, aut Pater a Filio, aut Spiritus a Filio et Patre. Sed aliter ista intelliguntur mente purgata, aliter oculis demonstrantur. Nullo tempore præcedit Pater Filium, nullo tempore sequitur Filius Patrem, nullo tempore, quia ibi nullum tempus. Pater et Filius et Spiritus sanctus, creator temporum, unus Deus. Ibi ergo non est, ut dicas : Prior est Pater, posterior Filius. Ex quo Pater, ex illo Filius. Quære : Ex quo

(*a*) Vacillat hic sensus, nec medelam video.

(*a*) Rectius, si quid video, interpungit S. Pater, quam plurima Exemplaria græca et latina, quæ hic, et *Luc.* VII, 28. legunt : *Qui autem minor est in regno cœlorum, major est illo.* Quis enim esset ille *minor in regno cœlorum*, qui Joanne *major* foret?

Pater? Superas cogitatione terram, cælum, Angelos, visibilia, invisibilia, universam creaturam, et quæris: Ex quo cœpit Pater? Non sic quæruntur æterna. Noli quærere ex quo, nisi quod incipit. Noli quærere ex quo, a quo incipit, quidquid cœpit, et quod a nullo incipit, quia non incipit. Sicut autem non incipit Pater, non incipit Filius, sed est Filius splendor Patris. Sic splendor ignis, ex quo ignis, et splendor Patris, ex quo Pater. Ex quo autem Pater? Ab æterno in æternum. Ergo et splendor Patris ab æterno in æternum, et tamen, quia splendor illius, Filius illius, et sic non cœpit tempore, ut genitus sit a Patre? Quis hoc videat? Lima cor, excute pulverem, dilue maculam. Quidquid interiorem perturbat intuitum, curetur, et sanetur, et apparebit, quod dicitur, et creditur, antequam videatur.

V. Modo tamen credimus, fratres. Quid credimus? Patrem et Filium et Spiritum sanctum nullo tempore se præcedere. Cum ergo Pater et Filius et Spiritus sanctus nullo tempore se præcedant, non tamen potui nominare Patrem et Filium et Spiritum sanctum, nisi ista nomina tempora tenerent, et temporibus suis tenerentur. Non est prior Pater, et posterior Filius, et tamen ego non potui dicere, nisi unum prius, et alium posterius, et sua tempora omnes syllabæ tenuerunt, et secunda syllaba in verbis meis sonare non potuit, nisi cum prima transisset. Peracta sunt tempora in syllabis meis, cum ea dicerem, quæ non habent tempora. Sic ergo, fratres mei, cum illa Trinitas sensibiliter ostenderetur huic carni, in fluvio apparuit omnis Trinitas, ubi baptizatus est Dominus a Joanne. Baptizatus est enim, ascendit a baptismo, descendit columba, et sonuit vox de cælo: *Hic est Filius meus dilectus, in quo bene complacui* (*Matth.* III, 17). Filius in homine, Spiritus in columba, Pater in voce. Res indiscreta discrete monstrata est; si tamen dicenda est res, sed potius rerum omnium causa, si tamen causa. Quid enim dicimus, cum de Deo dicimus? Et tamen dicimus, et dici se sinit, qui non est, velut cogitatur; dici autem non potest, nec quo modo cogitatur. Sed quantum ad homines, fratres, ecce per columbam apparuit, et impletum est: *Super ipsum autem florebit sanctificatio mea. Florebit* enim dictum est: clare apparebit. Nihil enim in arbore flore clarius, nihil lucidius. Age jam. Pervenimus ad ultima verba Hypopsalmatis (*a*): *Super ipsum autem florebit sanctificatio mea* (*Psal.* CXXXI, 18). Recordor me prætermisisse, qui sint inimici, qui confusi sunt per lucernam.

VI. *Paravi lucernam Christo meo*, Pater dixit de Filio suo. Quam lucernam? Joannem. Interroga ipsum Filium. *Ille erat lucerna ardens et lucens. Inimicos ejus induam confusione.* Inimici Christi aperti qui, nisi Judæi? Habet enim occultos inimicos Christus. Omnes inique atque impie viventes inimici sunt Christi, etsi signentur nomine ejus, etsi vocentur Christiani. Quibus enim dicturus est: *Non novi vos*, et dicunt illi: *Domine, in nomine tuo manducavimus et bibimus, in nomine tuo virtutes multas fecimus* (*Luc.* XIII, 26, *et Matth.* VII, 22, 23). Quid manducavimus et bibimus in nomine tuo? Non enim escas suas pro magno jactabant, et inde se ad Christum pertinere dicebant. Est esca quædam, quæ manducatur et bibitur, et Christus est. Et ab inimicis Christus manducatur et bibitur. Norunt Fideles Agnum immaculatum, quo vescuntur, atque utinam sic vescantur, ut non sint pœnæ debitores! Sicut enim dicit Apostolus: *Quicumque manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit* (*1 Cor.* XI, 29). Ergo inimici Christi sunt, qui malunt inique vivere, quam illi obtemperare, et cum dicitur venturus judicare vivos et mortuos, timent ne veniat. Si illis liceret, facerent ne veniret. Quia non potuerunt facere ut non veniret, facerent ne rediret. Jam Judæi hoc voluerunt facere, ne rediret. Missus est enim filius ad malos illos colonos, ad malos conductores nolentes reddere mercedem, et lapidantes servos missos ad se. Tunc dixit paterfamilias, dominus vineæ: *Mittam filium meum* (*Luc.* XX, 13). Forsitan vel ipsum reverebuntur. Illi autem cogitaverunt dicentes: *Hic est hæres. Venite, occidamus eum, et nostra erit hæreditas* (*Ibid.* 14)! Non potuerunt facere, ne veniret a patre, et conati sunt facere, ne rediret ad patrem. Sed cui hoc? Videbant quidem et contemnebant mortalem, sed in eo non potuerunt occidere nisi mortem. In morte Christi mors mortua est. Ille resurgens ascendit ad Patrem et venturus est. Quid timetis? Amate, et securi eritis. Nonne nos oramus: *Adveniat regnum tuum* (*Matth.* VI, 10). Ergo, fratres, oramus, et timemus, ne exaudiamur?

VII. Sed isti, ut dicere cœperam, occulti sunt inimici. De illis apertis loquamur, qui aperte inviderunt, sævierunt, tenuerunt, flagellaverunt, illuserunt, crucifixerunt, occiderunt, sepultum custodierunt. Videamus, quomodo induti sunt confusione per illam lucernam. Cum miracula viderent in Domino iidem inimici: *Dic nobis*, inquiunt, *in qua potestate ista facis* (*Luc.* 20, 2)? Inimico animo interrogaverunt, ut, si ille fateretur potestatem suam, quasi blasphemandi reum tenerent. Sed, quomodo ille fecit de nummo, quando volebant calumniari ei, si diceret: Reddatur tributum Cæsari, quasi maledixisset genti Judæorum, quam fecisset subditam et tributariam; si autem dixisset: Non reddatur, criminarentur eum apud Cæsaris amicos et ministros, quod prohiberet reddi; ille autem: *Ostendite*, ait, *mihi nummum; cujus habet imaginem, et superscriptionem?* Responderunt: *Cæsaris. Reddite ergo Cæsari, quæ Cæsaris sunt, et quæ Dei sunt, Deo* (*Matth.* XXII, 19-21). Hoc est dicere: Si Cæsar quærit imaginem suam in nummo, Deus non quærit imaginem suam in homine? Sic et hic inimici calumniatores *In corde et corde locuti sunt mala* (*Psal.* XI, 3). Semel enim dixissent in corde, nisi, qui talia loquerentur, duplex cor haberent, et, unde paulo

(*a*) Hac voce Augustinus etiam L. I. *Retract.* c. 20. utitur ad significandam Psalmi particulam, quæ a succinentibus frequentius repetitur.

ante dictum est, cor combinatum, non simplex. Videte enim, quantum interest. De servis Dei multis dictum est, qui habebant unum cor : *Erat*, inquit, *illis anima una, et cor unum* (*Act.* IV, 32) in Deum. Multi simplices habent unum cor, unus dolosus duo corda. Ergo, quia illi loquebantur in corde et corde : *Dic nobis, in qua potestate ista facis?* id est, si dixeris, honoramus; si dixeris, veneramur; si dixeris, exoramus, videtur hoc sonare de alio corde; de alio autem (nam duplex ibi erat) si dixeris, calumniamur; si dixeris, inveniemus, quod teneamus; si dixeris, inveniemus, quod accusemus. Tales inimici. Sed confundantur de lucerna. Modo illos videbitis confundi. Et bene, quia tempus agimus lucernarium (*a*), confundantur inimici Christi per lucernam, quam paravit Christo suo Pater. *Ille enim lucerna erat ardens*, ipse Dominus ait. Quid ergo istis respondit dicentibus : *Dic nobis, in qua potestate ista facis? interrogabo et ego unum sermonem. Dicite mihi : Joannis baptismus unde est? De cœlo, an ex hominibus? Illi autem perturbati apud se : Si dixerimus : De cœlo, dicturus est nobis : Quare non credidistis ei?* Id est, ut quid me interrogatis, in qua potestate ista facio, quando de me ille perhibuit testimonium, quem vos interrogastis? *Ergo si dixerimus : De cœlo, dicet nobis : Quare non credidistis ei? Si dixerimus : Ex hominibus, timemus populum; omnes enim Joannem tanquam prophetam habebant* (*Matth.* XXI, 24-27), hac timentes populum, hac timentes veritatem, hinc timidi, hinc invidi, ubique cæci responderunt : *Nescimus*. Prolata est lucerna, fugerunt tenebræ. Etenim, quamvis præsentes essent corpore, fugerunt corde dicendo se nescire quod sciebant. Indicium fugæ cordis timor. Timebant a populo lapidari, si dicerent ex hominibus baptismum Joannis; timebant a Christo convinci, si dicerent de cœlo baptismum Joannis. Fugerunt confusi. Nominato ergo Joanne timuerunt, conturbati tacuerunt. Et ille : *Nec ego dicam vobis, in qua potestate ista facio.*

VIII. Parata est ergo lucerna Christo Domino nostro Joannes Baptista. Inimici ejus calumniosi interrogatores prolato lucernæ lumine confusi recesserunt. Impletum est : *Inimicos ejus induam confusione.* Nos autem, fratres, et per Joannem Baptistam præcursorem agnoscentes Dominum, imo et per ipsius Domini testimonium, de quo ait : *Habeo testimonium majus Joanne*, credentes in Christum efficiamur corpus capitis ipsius, ut unus Christus sit caput et corpus, et in omnibus nobis unum factis implebitur : *Super ipsum autem florebit sanctificatio mea.*

## SERMO XII.

*In vigiliis Apostolorum Petri et Pauli* (*b*).

### SYNOPSIS.

*I. Petrus a Domino de dilectione ter interrogatus. II. Contra eos, qui gregem Domini dividunt. III. Contra Donatistas gregem Domini Africa concludentes. IV. Donatistæ magis cæci quam Judæi. V. Dehortatio a Schismate.*

I. Omnia, quæ modo leguntur de sancto Evangelio, post resurrectionem Domini gesta et dicta sunt. Audivimus ergo Dominum Jesum Christum interrogantem Apostolum Petrum, interrogantem autem utrum diligeret eum (*Joan.* XXI). Interrogabat ergo Dominus servum, magister discipulum, creator hominem, redemptor liberatum, firmitas trepidum, præscius ignarum, et ubi se faciebat interrogantem, ibi ostendebat docentem. Non enim aliquid Christus nesciret, quod Petrus in corde gestaret. Interrogat semel. Respondet ille; nec sufficit. Interrogat iterum; nec aliud, sed hoc, quod interrogaverat, hoc idem etiam ille respondet. Tertio repetitur interrogatio, tertio respondet dilectio. Ille enim ter interrogabatur propter amorem, qui ter negaverat per timorem. Cum Dominus moreretur, timuit, timuit, et negavit; resurgens autem Dominus amorem inseruit, timorem fugavit. Quid enim jam timeret Petrus? Nam, quando negavit, utique ideo negavit, quia mori timuit. Resurgente Domino quid timeret, in quo mortem mortuam reperiret? Certe ille nempe ipse interrogabat vivus, qui sepultus est mortuus. Ille aderat, qui in ligno pependerat. Quando judicabatur Dominus noster Jesus Christus a Judæis, tunc Petrus interrogatus, et, quod pejus est, a muliere, et, quod est dedecorosius, ab ancilla, timuit, et negavit. Sub ancilla trepidavit, sub Domino fortiter stetit. Confitenti autem amorem suum semel, et iterum, et tertio oves suas commendavit. *Diligis me?* inquit. *Domine, tu scis quia amo te.* Et ille : *Pasce agnos meos* (*Ibid.* 16). Hoc semel, hoc iterum, hoc tertio; tanquam non esset, ubi ostenderet Petrus amorem suum in Christum, nisi esset pastor fidelis sub Principe omnium pastorum. *Amas me? Amo* (*Ibid.* 17). Et quid mihi præstiturus es amans me? Quid mihi collaturus es homo creatori tuo? Quid collaturus es de amore tuo redemptus redemptori tuo, ut multum, miles regi tuo? Quid es collaturus? Hoc solum exigo. *Pasce oves meas* (*Ibid.*).

II. Videte tamen, fratres, propter homines servos malos, qui de grege Domini peculia sibi fecerunt, et quod non emerant, diviserunt. Extiterunt enim quidam servi infideles, diviserunt gregem Christi, et de grege ipsius quodam modo furtis suis peculia sibi fecerunt, et audis eos dicere : Oves meæ sunt illæ. Quid quæris ad oves meas? Non te inveniam ad oves meas. Si et nos dicamus meas, et illi dicant suas, perdidit Christus oves suas. Ponite vobis ante oculos Principem pastorum, Dominum gregis sui stantem, et discernentem, et dijudicantem inter servos suos. Tu quid dicis? Oves meæ sunt istæ. Et tu quid dicis? Istæ sunt oves meæ. Quas ego emi, ubi sunt? Servi mali! oves vestras dicitis, et, quod emi, vobis vindicatis, cum vos, si non emerem, periretis? Nos, absit ut dicamus vos oves nostras! Non est ista vox

(*a*) Hinc Sermo videtur habitus sub vesperam. Confer. *Ducang. Gloss.* v. *Lucernarium.*

(*b*) In Codice *fol.* 28. inscriptus : *Sermo sancti Augustini ep. in vigiliis Apostolorum.* Elegans et gravis contra schisma Donatistarum. Inserendus Editioni post *Sermonem* CCXCIV.

catholica, non est germana, non est Petri, quia est contra Petram. Oves estis, sed illius, qui emit et nos, et vos. Unum Dominum habemus. Pastor est, sed non conductus. Suas pascit, et, quod nemo facit de ovibus, et pretium dedit, et instrumentum confecit. Quære pretium. Sanguis ipsius est. Quære instrumentum. Evangelium est, quod modo, cum recitaretur, audistis. Quid dixit Petro? *Amas me? Amo. Pasce oves meas.* Numquid tuas? Vultis noscere, cui dicat tuas? Audite in Libro sancto, qui vocatur Canticum Canticorum. Leguntur ibi sancta Amatoria: Sponsus et Sponsa, Christus et Ecclesia. Et ille totus Liber quasi Carmen est Nuptiarum, quomodo dicunt Epithalamium, sed cubilis sancti, cubilis casti. *In sole enim posuit tabernaculum suum*, hoc est, in luce, in publico, ubi pateret, et non lateret, *Et ipse tanquam sponsus processit de thalamo suo* (*Psal.* XVIII, 6). Accepit enim conjugem, humanam carnem. Thalamus ejus erat uterus virginalis. Illic sibi conjunxit Ecclesiam, ut impleretur, quod ante prædictum est: *Et erunt duo in carne una* (*Gen.* II, 24, *et Matth.* XIX, 5).

III. Loquebantur ergo inter se amantes isti, Christus et Ecclesia. Ait illi Ecclesia: *Annuntia mihi, quem dilexit anima mea, ubi pascis, ubi cubas in meridie?* Quare volo, et annunties mihi, *Ubi pascis, ubi cubas in meridie? Ne forte fiam sicut operta super gregcs sodalium tuorum.* Ideo, inquit, volo, ut annunties mihi, *Ubi pascis, ubi cubas in meridie*, ut quando ad te venio, non errem, *Ne forte quasi operta fiam super greges soladium tuorum* (*Cant.* I. 6), id est, irruam in greges non tuos, sed sodalium tuorum, *Velut operta.* Quid est aliud *Operta* (*a*), nisi quasi latens et ignorata? Solent Donatistæ in his verbis dicere sensum suum, non sensum Scripturarum. Hoc enim solent dicere: Africa meridies est, meridies mundi Africa est; ideo Ecclesia interrogat Dominum, *Ubi pascis, ubi cubas?* et respondet ille, *In meridie;* quasi: Noli me quærere, nisi in Africa. Lege, et intellige, Mens hæretica, Speculum tibi proponitur modo. Hic te inveni. Intellige, quia adhuc Sponsa interrogat. Quare facis jam respondentem Sponsum? Vel fœmininum genus agnosce. *Ubi pascis, ubi cubas in meridie? Ne forte fiam sicut operta. Operta*, puto, fœmina est, non masculus. Ergo, o Domine, sit meridies Africa. Sic intelligatur, quomodo ipsi intelligunt. Africa est meridies. Hic facta est pars Donatistæ (*b*). Hic magna divisio, et serra dissensionis ducta est per gregem Christi. Ideo interrogat velut Ecclesia transmarina, ubi non est facta ista divisio: *Annuntia mihi, quem dilexit anima mea, ubi pascis, ubi cubas in meridie?* Audio enim ibi dici partem Donati, alios Catholicos, alios Donatistas. Mihi annuntia, ubi pascis, ne veniam, et errem ibi. Quæro nuntium, ubi timeo incertum. *Annuntia mihi, ubi pascis, ubi cubas in meridie?* Quare volo ut annunties mihi? *Ne forte fiam sicut operta*, quia parti Donati quasi operta sum, quasi ignorata sum. Ibi prædicor, et illos latet.

IV. Hæc dicunt Scripturæ: *Erit in novissimis temporibus manifestus mons Domini paratus in cacumine montium, et exaltabitur super colles, et venient ad eum universæ gentes* (*Isai.* II, 2). Mons dicitur, et parti Donati opertus est mons. Qui offendit in lapidem, ignoscendum est illi. Qui offendit in montem, quales oculos habet? Fratres mei! Excusabiliores sunt Judæi. Judæi enim in lapidem offenderunt, Hæretici in montem offendunt. Quomodo offenderunt Judæi in lapidem? Quia adhuc Christus, quando patiebatur, parvulus erat, et dictum est: *Offenderunt in lapidem offensionis* (*Rom.* IX, 32). Daniel autem sanctus vidit visum, et scripsit, quod vidit, et ait vidisse se lapidem præcisum *De monte sine manibus* (*Dan.* II, 34). Christus est de gente Judæorum veniens. Erat enim et ille (*a*) mons, quia regnum habet. Quid est *Sine manibus?* Sine opere humano lapis præcisus, quia masculinum opus non accessit ad Virginem, ut nasceretur sine opere humano. Lapis præcisus *De monte sine manibus*, et confregit statuam, in qua significabantur regna terrarum. Et quid dictum est? Iste est lapis, in quem offenderunt Judæi, *Offenderunt in lapidem offensionis.* Quis est mons, in quem offenderunt hæretici? Audi ipsum Danielem. *Et crevit lapis ille*, ait, *et factus est mons magnus, ita ut impleret universam faciem terræ* (*Ibid.* 35). Merito Psalmus Christo Domino resurgenti ait: *Exaltare super cælos, Deus, et super omnem terram gloria tua.* Quid est *Super omnem terram gloria tua?* Super omnem terram Ecclesia tua, super omnem terram sponsa tua. Et tamen dicit: *Annuntia mihi, quem dilexit anima mea!* Jam ubique sum, jam omnes terras teneo, et Afris *Operta sum. Ergo annuntia mihi, ne forte fiam sicut operta super greges, non ovium tuarum, sed sodalium tuorum.* Sodales enim fecerunt schismata. Qui sunt sodales? Qui ad mensam Domini accesserunt, de quibus dicit alio loco Psalmus: *Qui edebat panes meos* (*Psal.* CVII, 6); de quibus dicit: *Si inimicus exprobrasset mihi, sustinuissem utique, et, si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset, absconderem me utique ab eo* (*Id.* XL, 10). *Tu vero, homo unanimis, dux meus, et notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Domini ambulavimus cum consensu* (*Id.* LIV, 13-15). Aliquando cum consensu, modo cum dissensu, quia sine sensu. Hi sunt sodales, quos timebat illa, ne in illos incideret. Timeo, inquit, ne errem; timeo, ne quasi *Operta* irruam in greges sodalium tuorum, ne errando peream; ne baptismum, quem accepi, iterando totum perdam.

V. Audistis sollicitudinem Sponsæ, audite responsum Sponsi. Cum hoc dictum esset a Sponsa, continuo Sponsus: *Nisi cognoveris temetipsam, o pulchra inter mulieres* (*Cant.* I, 7). Catholica, pulchra inter hæreses! *Nisi cognoveris temetipsam*, nisi attenderis ibi te nosse, ubi me didicisti, nisi Scripturas meas præposueris humanis rumoribus, nisi te cognoveris,

(*a*) Ita Hebr. עטיה. Græc. περιβαλλομένη. Vulg. vero *vagans*, quasi נטיה.

(*b*) Ita membranæ; sed puto, *Donati.*

(*a*) Lego *illa*, nempe Judæa gens.

quia ubique es; nisi te cognoveris, quia tu designata es, ubi dictum est : *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam* (*Psal.* II, 8); *nisi ergo cognoveris temetipsam*, quid? *Exi tu! Nisi cognoveris, exi!* Malum verbum, luctuosum verbum : *Exi!* Avertat Deus a nobis! Videte, de quibus dictum est : *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis* (1 *Joan.* II, 19). Malo servo dicitur : Exi, quia *Servus non manet in domo in æternum, filius manet in æternum* (*Joan.* VIII, 35). Vultis videre, quia malo servo dicitur : Exi? Bono servo quid dicitur? *Intra in gaudium Domini tui* (*Matth.* XXV, 21). Ergo unusquisque, qui audit, unusquisque, qui membrum est Sponsæ ejus, timeat quod dicitur : *Nisi cognoveris temetipsam, o pulchra inter mulieres, exi tu in vestigiis gregum* (*Cant.* I, 7). Quid est *In vestigiis gregum*. Per errores hominum, non in voce Pastoris. Nos, fratres, non exeamus *In vestigiis gregum?* Habemus vestigia Pastoris, quæ sequendo non erramus. *Christus pro nobis passus est, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus* (1 *Petr.* II, 21). *Ergo, nisi cognoveris temetipsam, exi tu in vestigiis gregum, et pasce hœdos tuos* (*Cant.* I, 7). *Et Hœdos, et tuos.* Nostis oves ad dexteram, hœdos ad sinistram. *Et pasce hœdos tuos.* Quare *Hœdos tuos?* Quia exis, pascis, sicut Donatus, *Hœdos tuos*. Si autem non exis, pascis, sicut Petrus, *Oves meas* (*Joan.* XXI, 17).

## SERMO XIII.

### *In Natali Laurentii martyris* (*a*).

### SYNOPSIS.

*I. Laus S. Laurentii, et quomodo agenda Festa martyrum. II. Martyrum exemplum stimulus ad bene vivendum, et vigilandum contra diabolum. III. Nos potius Abrahæ filii, quam Judæi. IV. Contra eos, qui Martyrum Memorias intemperantia profanant. V. Afflictis Pauli exemplum proponitur. VI. Charitas materna in Paulo, et magis in divina Sapientia. VII. Bona opera parit necessitas. VIII. Vita isthæc perpetua pugna est cum morte. IX. Bona vitæ æternæ captum nostrum excedunt. X. Mutuum Orationis suffragium commendatur.*

1. Propter fastidium auditoris sermo subtrahendus fuit, sed propter obsequium Martyris exhibendus. Ita ergo adjuvante Domino moderabitur, ut nec onerosus sit, nec forte diminutus, (*b*) quantum sufficientiæ satis est. Illuxit dies Romæ solemnissimus, qui magna frequentia populi celebratur. Adjungimur nos, quamvis absentes corpore, præsentes tamen spiritu fratribus nostris in uno corpore sub uno capite. Neque enim, ubi sepulcrum corporis ejus est, ibi tantum memoria meriti ejus. Devotio ubique debetur. Caro uno loco ponitur, sed spiritus victor cum illo est, qui ubique est. Erat beatus Laurentius in corpore, sicut accepimus, adolescens, vir gravis in animo, quem multum commendabat ætas viridior, corona immarcescibilior. Erat autem diaconus, officio inferior episcopo, corona æquatus Apostolo. Hæc autem solemnitas omnium Martyrum gloriosorum ad hoc instituta est in Ecclesia, ut ad imitationem, qui non viderunt patientes, adducantur fide, commemorentur (*a*) solemnitate. Excideret enim fortasse de cordibus hominum, quod non anniversarius ordo repeteret. Et non omnium martyrum ubique possunt esse ferventes solemnitates, nam quotidie non deessent. Non enim vel unus dies inveniri in anni cursu potest, quo non per diversa Martyres coronati sunt. Sed ferventiores solemnitates, si continuæ essent, afferrent fastidium; intervalla autem renovant affectum. Nos tantum audiamus quod jussum est, attendamus quod promissum est. In cujuslibet Martyris solemnitate ita præparemus cor nostrum festivitati ejus, ut non separemur ab imitatione ejus.

II. Homo enim erat, et nos homines sumus. A quo ille factus est, ab ipso et nos. Quo pretio emptus est, ipso et nos. Non debet itaque homo Christianus dicere : Quare ergo? Imo non debet dicere : Ego non. Sed : Quare et ego non? Audistis beatum Cyprianum martyrum et exemplum et tubam : *In persecutione*, inquit, *militia, in pace conscientia coronatur* (*b*). Nemo ergo sibi putet deesse tempus. Non semper adest tempus passionis, semper autem est devotionis. Nec se quisquam infirmum putet, ubi Deus vires operatur, ne, cum sibi timet, de ipso operatore desperet. Propterea id exemplis Martyrum omnes ætates Deus esse voluit, et utrumque sexum. Coronati sunt senes, coronati sunt juvenes, coronati adolescentes, coronati pueri, coronati viri, coronatæ fœminæ. Et in fœminis omnis ætas coronata est, nec dixit fœmina : Impar sum sexu ad devincendum diabolum. Attendit magis hostem dejiciendum, a quo dejecta est, et expugnandum fide, cui consenserat seductione. Numquid et fœminæ de suis viribus præsumpserunt? Omni enim homini dictum est: *Quid enim habes, quod non accepisti* (1 *Cor.* IV, 7)? Gloria ergo Martyrum gloria Christi præcedentis Martyres, implentis Martyres, coronantis Martyres. Verumtamen, quamvis alio sit tempore pax, alio persecutio, deest alicui tempori occulta? Nunquam deest. Leo ille draco, nec semper sævit, nec semper insidiatur, sed semper persequitur. Quando sævitia est aperta, non sunt occultæ insidiæ. Quando occultæ sunt insidiæ, non est aperta sævitia. Id est, quando ut leo rugit, non ut draco serpit. Quando ut draco serpit, non ut leo rugit; tamen, quia aut leo est, aut draco, semper persequitur. Quando tacet fremitus, insidias cave. Quando insidiæ produntur, in fremitu leonem devita. Et leo autem, et draco devitatur, si semper cor in Christo servetur. Quidquid in hac vita metuendum est, transiturum est. In alia vero vita, et

(*a*) In Codice *fol.* 31. *pag.* 2. inscriptus : *Sermo sancti Augustini ep. in Natali sancti Laurentii*. Initium innuit, turbatum aliquid fuisse a quibusdam, qui Martyrum festos dies intempestivis tripudiis profanabant, quo etiam infra *n.* 4. pertinet. Cætera varii argumenti. Sermo in Editione collocandus post *Sermonem CCCV*.

(*b*) Excidit fortasse : *sed*.

(*a*) Putem *commoneantur*.

(*b*) Ita sanctus Pugil terminat Tractatum suum *de Exhortatione Martyrii*, qui in Africæ Ecclesiis publice legi solitus ex hoc loco Augustini videtur.

quod amandum est, non transit, et quod timendum est, non transit.

III. Certe modo in Evangelio Dominus alloquebatur Judæos, et dicebat eis : *Væ vobis, Scribæ, et Pharisæi! quia extruitis monumenta Prophetarum, et dicitis : Si essemus tempore patrum nostrorum, non consentiremus eis in necem Prophetarum. Certe testimonium perhibetis, quia filii estis eorum, qui occiderunt Prophetas. Et vos implebitis mensuram patrum vestrorum.* Cum enim dixissent : *Si essemus tempore patrum nostrorum, non consentiremus eis in necem Prophetarum* (*Matth.* XXIII, 29-32), confirmaverunt se filios esse illorum. Nos autem, si rectum iter tenemus, non dicimus patres nostros, qui occiderunt Prophetas, sed patres nostros dicimus, qui occisi sunt a patribus illorum. Sicut enim degenerat quisque moribus, sic filius fit moribus. Quia utique, fratres, filii Abrahæ dicti sumus, Abrahæ nec faciem novimus, nec de genere ejus stirpem carnis ducimus. Quomodo ergo ejus filii? Non in carne, sed in fide. *Credidit enim Abraham Deo, et deputatum est illi ad justitiam* (*Gen.* XV, 6). Si ergo justus Abraham, quia credidit, omnes post Abraham imitantes fidem Abraham facti sunt filii Abraham. Judæi ex carne nati degeneraverunt, nos ex alienigenis orti imitando assecuti sumus, quod illi degenerando perdiderunt. Absit ergo, ut pater illorum Abraham, quamvis de carne venerunt Abraham. Patres illorum illi fuerunt, de quibus et ipsi confessi sunt. *Si essemus*, inquiunt, *tempore patrum nostrorum, non eis consentiremus in necem Prophetarum.* Quomodo dicis, te non fuisse consensurum eis, quos patres tuos dicis? Si patres erant, filius es. Si filius es, consensurus eras. Si autem consensurus non eras, filius non es. Si filius non es, non sunt illi patres. Dominus ergo ex hoc eos convincit facturos, quod illi fecerunt, quia patres suos eos esse nominaverunt. *Certe*, inquit, *testimonium ipsi perhibetis vobis, quia filii estis eorum, qui occiderunt Prophetas*, quia dixistis eos patres vestros. *Et vos implebitis mensuram patrum vestrorum.*

IV. Et nunc consideremus, qui sint filii occisorum, et qui sint filii occidentium. Et videtis multos currere ad Memorias Martyrum, benedicere calices suos de Memoriis Martyrum, redire saturatos de Memoriis Martyrum, et tamen discute illos, et invenies inter persecutores Martyrum. Per ipsos enim tumultus, seditiones, saltationes omnis luxuriæ, quas odit Deus, et modo, quia illos jam coronatos lapidibus non possunt, calicibus persequuntur. Qui erant, et quorum filii erant, quorum saltationes recenti, et prope hesterna Memoria de loco sancti Martyris Cypriani prohibitæ sunt (*a*)? Certe saltabant ibi, et gaudebant ibi, et solemnitatem ipsam, quasi gauderent, magnis votis expectabant, et ad eum diem semper venire cupiebant. Inter quos numerandi sunt? Inter persecutores Martyrum, an inter filios Martyrum? Apparuerunt, quando prohibiti in seditionem tumuerunt. Filii laudant, persecutores saltant. Filii hymnos dicunt, illi convivia producunt. Non ergo interest, quomodo honorare videantur. Tales enim sunt, qui honorant, quales illi fuerunt, qui dixerunt : Si essemus illis temporibus, non consentiremus patribus nostris in necem Martyrum, aut in necem Prophetarum. Consentite modo fidei Martyrum, et credimus, qui non eratis consensuri interfectoribus Martyrum. Martyres unde coronati sunt? Credo, viam Dei ambulando, tolerando, inimicos etiam suos diligendo, pro eis obsecrando. Hæc est corona Martyrum, hoc meritum Martyrum. Amas, imitaris, laudas, filius es Martyris. Vitam fers contrariam, referes et tunc manum contrariam (*a*).

V. Proinde, dilectissimi, quoniam persecutio, sicut dixi, nunquam deest, et diabolus aut insidiatur, aut sævit, semper parati esse debemus corde fixo in Domino, et, quantum possumus, inter istas molestias, tribulationes, tentationes orare nos fortitudinem a Domino, quoniam per nos ipsi parvi et nulli sumus. Quid de nobis dicamus? Paulum Apostolum, cum legeretur, audistis. *Sicut abundant*, inquit, *passiones Christi in nobis, sic abundat per Christum et consolatio nostra* (2 *Cor.* I, 5). Sicut in Psalmo dicitur : *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, exhortationes tuæ, Domine, jucundaverunt animam meam* (*Psal.* XCIII, 19). Quomodo hoc dictum est in Psalmo : *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, ita exhortationes tuæ jucundant animam meam*, sic dictum est ab Apostolo : *Sicut abundant passiones Christi in nobis, sic abundat per Christum consolatio nostra.* Deficeremus, cum adesset persecutio, si deesset consolator. Et quia vires ipsæ vel tolerandi, vel quædam relaxatio vivendi ad tempus propter necessarium ministerium non erant ab ipsis, videte quid dixerit. *Notum vobis facio, fratres, de tribulatione nostra, quæ facta est in Asia, quia supra modum et ultra vires gravati sumus* (1 *Cor.* I, 8). Tribulatio illa transcendit vires humanas, numquid et auxilia divina? *Supra modum*, inquit, *et ultra vires gravati sumus.* Quantum ultra vires? Vide, quia de animi viribus dicit : *Ita, ut tæderet nos etiam vivere.* Quomodo affectus erat Apostolus multitudine pressuram, ut, quem charitas vivere instigabat, tædium a vita prohiberet! Quomodo eum charitas vivere cogebat, charitas illa, de qua alio loco dicit : *Permanere autem in carne necessarium propter vos* (*Philipp.* I, 24). Ecce tanta increverat persecutio, et tanta tribulatio, ut tæderet eum etiam vivere. Ecce timor et tremor venerunt super eum, et contexerunt eum tenebræ; sicut audistis, cum diceretur in Psalmo. Vox enim corporis Christi est, vox membrorum Christi. Vis ibi agnoscere vocem tuam? Esto membrum Christi. *Timor*, inquit, *et tremor cecidit super me, et contexerunt me tenebræ. Et dixi : Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam* (*Psal.* LIV, 6, 7)! Nonne hoc videtur dixisse Apostolus, cum ait : *Ita, ut tæderet nos etiam vivere?*

(*a*) Confer. *Serm. CCCXI. in Nat. Cypriani* Edit. *Maur.* T. V. *col.* 1232. *n.* 5. ubi *Pestem illam* ope episcopi sublatam ait.

(*a*) *Sinistram* puto in extremo Judicio.

Quodam modo tædium passus est a visco carnis, quando volare volebat ad Christum. Abundantia tribulationum infestabat viam, sed non intercludebat. Tædebat vivere, sed hoc non in illa æterna vita, de qua dicit : *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum* (*Philipp.* I, 21). Sed quia ex charitate hic tenebatur, quid sequitur? *Si autem vivere in carne hic mihi fructus operis est, et quid eligam, ignoro. Compellor autem e duobus concupiscentiam habens dissolvi, et cum Christo esse. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ? Manere autem in carne necessarium propter vos* (*Ibid.* 22-24). Cesserat susurrantibus pullis suis, tegebat passis alis, fovebat pullos, sicut ipse ait : *Factus sum parvulus in medio vestrum, tanquam nutrix fovens filios suos* (I *Thess.* II, 7).

VI. Et videte, fratres; modo lectum est in Evangelio : *Quoties volui congregare filios tuos, tanquam gallina pullos suos, et noluisti* (*Matth.* XXIII, 37). Attendite gallinam, attendite et alias aves, quæ in nostris oculis nidificant. Ova fovent, pullos nutriunt. Nullam videbitis infirmari cum filiis. Videte gallinæ habitum, quando pullos alit, quemadmodum mutatur vox ejus, et in quamdam raucedinem frangitur. Pennæ ipsæ non collectæ et alacres, sed hispidæ et languidæ, ita ut si videas avem aliam, cujus nidum ignores, non agnoscas, an ova habeat, vel pullos. Gallinam autem cum videris, etiamsi ova ejus non videas, nec pullos ejus videas, ex ipsa voce, et habitu corporis intelligas matrem. Quid ergo fecit mater nostra Sapientia? In carne infirmata est, ut pullos colligeret, ut generaret, ut foveret; sed infirmum Dei fortius est hominibus. Sub has alas infirmitatis carnis suæ, sed sub occultam potentiam Divinitatis suæ colligere volebat filios Jerusalem. Hoc Apostolum suum docuerat, quia hoc in illo ipse faciebat. Hoc enim ait ipse Apostolus : *Vultis experimentum accipere ejus, qui in me loquitur, Christi* (2 *Cor.* XIII, 3)? Et passiones Christi dicit in se abundasse, non passiones suas, sed passiones Christi. Erat enim in corpore Christi, et erat membrum Christi, et quidquid cum pullis fovendis agebatur in Apostolo, et in membro suo, caput agebat. Hic ergo Apostolus attendens infirmitatem pullorum suorum affectu et desiderio, ut columba, volare cupiebat, sed charitate filiorum, ut gallina, remanebat. *Ipsi*, inquit, *in nobismetipsis responsum mortis habuimus, ut non fidentes in nobis simus, sed in Deo, qui suscitat mortuos, qui de tantis mortibus eruit nos, et eruet, in quem speramus, quoniam et adhuc eruet* (*Id.* I, 9, 10). *Eruit, et eruet* quid ait? Servat vitam istam nostram vobis. De multis enim mortibus eruit, ne opprimeretur a persecutoribus, ne citius quam pullis opus erat, coronaretur, secundum illud, quod ait : *Manere autem in carne necessarium propter vos. Sed hoc confidens, novi, quia manebo, et permanebo omnibus vobis ad profectum vestrum, et gaudium fidei* (*Philipp.* I, 24, 25). Cupiditas ad alium rapiebat, necessitas alibi retinebat. *Dissolvi*, inquit, *et esse cum Christo multo magis optimum* (*Ibid.* 23). Istud non dixit *Necessarium, sed optimum*. Quod est enim optimum, per se appetitur, quod necessarium, ex necessitate assumitur; inde necessarium nominatur.

VII. Necessariæ rei necessitas nomen imposuit. Proinde nunc nobis necessarius cibus est iste, quo utimur; ad sustentandam temporalem vitam necessarius cibus est; ille autem optimus cibus virtutis, et sapientiæ, panis vivus, semper efficiens, nunquam deficiens (*a*). Ille optimus est, iste necessarius est. Proinde cum transierit ista necessitas famis, et sustentandi mortalis corporis, non erit iste cibus jam necessarius. Quid enim ait Apostolus? *Esca ventri, et venter escis; Deus autem et hunc et has evacuabit* (I *Cor.* VI, 13). Quando autem evacuabit? Quando corpus hoc animale resurgens fit spirituale. Ibi enim nulla erit indigentia, et non ibi erunt opera necessitatis. Omnia enim ista, fratres, et bona, quæ hic dicuntur, opera, et ea ipsa opera, quæ monemur ut faciamus quotidie, necessitatis opera sunt. Quid tam bonum, quid tam præclarum, quid tam laudabile Christiano, quam frangere panem esurienti? Egenum sine tecto inducere in domum? Videre nudum, et vestire? Videre mortuum, et sepelire? Videre litigantem, et concordare? Videre infirmum, et visitare, aut curare? Omnia hæc laudabilia opera sunt. Attendite et videte, quia necessitas ea peperit. Frangis enim panem, quia vides esurientem. Si nemo esuriret, cui frangeres panem? Tolle necessitatem alterius miseriæ, non erit opus tua misericordia. Sed tamen per hæc opera, quæ necessitas genuit, pervenimus ad illam vitam ubi necessitas non erit, quomodo per navem ad patriam. In patria semper mansuro, nunquam peregrinaturo navis opus non erit; sed illa navis, quæ ibi opus non erit, illuc ipsa perducit. Cum perventum fuerit, ista non erunt, sed nisi hic adimpleantur, illuc perveniri non potest. Estote itaque alacres in bonis operibus necessitatis, ut sitis beati in perfruitione illius æternitatis, ubi jam necessitas moritur, quia mater omnium necessitatum mors ipsa morietur. *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem*. Quando dicetur morti : *Ubi est, mors, victoria tua? ubi est, mors, aculeus tuus* (I *Cor.* XV, 53-55)? absumptæ morti, et devictæ dicetur : *Quia novissima inimica destructur mors* (*Ibid.* 26).

VIII. Modo autem omnibus necessitatis operibus cum morte pugnatur. Defectus enim omnis ad mortem trahit, et sustentatio omnis a morte revocat, et ita mutabile est corpus, ut quodam modo aliæ mortes aliis mortibus pellantur. Quidquid assumitur, ubi diu perseverari non potest, quodam modo inchoatio mortis est. Jam videte istam vitam. Si quidquid assumitur, ubi permaneri diutius non potest; ubi, si diutius permanseris, moreris, inchoatio mortis est, et tamen, nisi assumatur, alia mors non pellitur. Verbi gratia, non manducat. Si manducaverit, et digerit, relicitur. Cum non manducat, assumit jejunium, ut mortem, quam factura erat crapula, repellat a se. Nisi

(*a*) Isthæc τερατεία fortasse paulo aliter interpungenda foret.

as umpserit abstinentiam et jejunium, non a se illud repellet. Rursus in hoc jejunio, quod assumpsit, ut mortem crapulæ repelleret, si perseverare in illo voluerit, aliam mortem famis timebit. Sicut ergo assumpsit jejunium, ut mortem crapulæ devitaret, sic assumpturus est cibum, ut mortem jejunii devitet. Quidquid enim horum assumpseris, si in eo perseveras, deficies. Ambulando fatigatus eras, si permanseris in ambulando, fatigatione ipsa deficies, et morieris. Ut ergo non deficias ambulando, requiescis sedendo. Perdura in sedendo, et inde morieris. Somnus te gravis oppresserat; evigilandum est, ne moriaris. Vigilando morieris, nisi rursus dormieris. Da mihi, quod assumas in adjutorium in malum, quod gravabat, peliendum, ubi securus ita sis, ut in eo perseverare velis. Quidquid assumpseris, hoc ipsum timendum erit. Ergo in omni mobilitate et mutabilitate defectionum, et adjutoriorum cum morte pugnatur. Cum autem corruptibile hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem, dicetur morti : *Ubi est, mors, contentio tua? ubi est, mors, aculeus tuus?* Videbimus, laudabimus, permanebimus. Nulla erit ibi indigentia, nullum adjutorium requiretur. Non invenis mendicum, cui panem frangas; aut peregrinum, quem in domum recipias. Non invenis sitientem, cui calicem porrigas; nec nudum, quem cooperias; nec ægrotum, quem visites; nec litigantem, quem concordes; nec mortuum, quem sepelias. Omnes cibo justitiæ et potu sapientiæ saginantur, omnes immortalitate vestiti sunt, omnes in patria sua æterna vivunt. Omnium sanitas ipsa æternitas est, æterna sanitas, æterna concordia. Nemo litigat, nemo judicem quærit, nemo arbitrum compositionis, nemo sententiam ultionis. Nulla ægritudo, nulla mors.

IX. Hæc dicere potuimus, quæ ibi non erunt; quæ vero ibi erunt, quis dicat? *Quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (1 *Cor.* II, 9). Recte ergo Apostolus : *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad superventuram gloriam, quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* VIII, 18). Quidquid passus fueris, o Christiane, scito nihil esse ad id, quod accepturus es. Certe hoc fide retinemus, de corde tuo hoc non recedat. Non potes hoc capere, et videre, quid eris, quale ergo erit quod ab eo, qui capturus est, capi non potest? Utique nos erimus, quod erimus, et capere non possumus, quod erimus. Supergreditur omnem infirmitatem nostram, supergreditur omnem cogitationem nostram, supergreditur omnem intellectum nostrum, et tamen nos erimus. *Dilectissimi*, ait Joannes, *filii Dei sumus;* utique jam adoptione, fide, pignore. Pignus accepimus, fratres, Spiritum sanctum. Quando fallit, qui tale pignus dedit? *Filii Dei*, inquit, *sumus, et nondum apparuit, quid erimus. Scimus*, inquit, *quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est.* Dixit : *Nondum apparuit*, et id, quod *Nondum apparuit*, non dixit. *Nondum apparuit, quod erimus.* Diceret : Illud erimus, et tales erimus ! Quidquid diceret, cui diceret? Non audeo dicere : Quis diceret? sed certe : Cui diceret? Et forte enim erat, qui diceret, quia ipse est, qui in Christi pectore recumbebat, et de ejus pectore in illo convivio sapientiam bibebat, qua sapientia saginatus eructavit : *In principio erat Verbum* (*Joan.* I, 1). Ergo hoc dixit : *Scimus, quia, cum apparuerit, quod erimus, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est.* Cui similes? Utique ei, cujus filii sumus. *Dilectissimi*, ait, *filii Dei sumus, et nondum apparuit, quod erimus. Scimus, quia, cum apparuerit, similes ei erimus*, cujus filii sumus, *Quoniam videbimus eum, sicuti est* (1 *Joan.* III, 2). Jam modo, si vis esse, cui similis eris, si vis nosse, cui similis eris, attende ipsum, si potes. Nondum potes. Ergo nescis, cui similis eris, propterea nescis, quantum similis eris. Nesciendo ergo adhuc, quod est ille, nescis, quod eris et tu.

X. Hoc ergo meditantes, charissimi, semper expectemus gaudium nostrum sempiternum, et semper oremus fortitudinem in laboribus et tentationibus temporalibus, sive nos pro vobis, sive vos pro nobis. Ne putetis enim, fratres, nostras orationes esse vobis necessarias, et vestras orationes nobis non esse necessarias. Invicem nobis necessariæ sunt orationes pro invicem, quia ipsæ orationes pro invicem charitate conflantur, et hoc sacrificium tanquam de ara pietatis suavissime fragrat Domino. Si enim Apostoli dicebant, ut oraretur pro illis, quanto magis nos longe impares, sed utcumque vestigia eorum sequi cupientes, et quantum assequamur, nec scire valentes, nec dicere audentes. Illi ergo tales Viri orari pro se volebant ab Ecclesia, et dicebant : *Quia gloria vestra sumus, sicut et vos nostra in diem Domini nostri Jesu Christi* (II *Cor.* I. 14). Invicem pro se orabant ante diem Domini nostri Jesu Christi, gloria in die, infirmitas ante diem. Oretur in infirmitate, ut gaudeatur in gloria. Etenim diversis temporibus illuc tamen uno tempore omnes perventuri sumus. Hinc exeundi diversa sunt tempora; illic accipiendi unum tempus est. Semel enim et simul congregabimur, ut accipiamus, quod diversis temporibus et credidimus, et desideramus. Quemadmodum operarii illi in vinea alii ducti sunt hora prima, alii hora tertia, alii sexta, alii nona, alii decima (*Matth.* XX). Diversis temporibus vocati sunt, sed uno tempore merces omnibus persolvitur. Conversi ad Dominum, etc.

## SERMO XIV.

*In Natali Cypriani Martyris* (*a*).

### SYNOPSIS.

*I. S. Cypriani Laus in Domino. II. Quibuscum confligendum Christiano. III. Contra Spectacula Paganorum. IV. Contra Superbiam. V. Cypriani laus repetita.*

I. Sancta solemnitas beatissimi Martyris, quæ nos in nomine Domini congregavit, de meritis et gloria tanti Martyris exigit aliquid digne dici. Virtutibus enim ejus

(*b*) In Codice *fol.* 36. *p.* 2. inscriptus : *Item sermo sancti Augustini ep.* De triplici Christianorum pugna, et graviter contra Paganorum Spectacula. Editioni inserendus post *Sermonem* CCCXIII.

et gloriæ posset forte humana lingua sufficere, si se voluisset ipse laudare. Verumtamen et nos devotione magis quam facultate laudemus eum, imo Dominum laudemus in eo, Dominum in illo, et illum in Domino. Quid enim esset in Domino, vox Martyrum de Psalmo modo, cum legeretur, audita est : *Auxilium nostrum in nomine Domini* (*Psal.* CXXIII, 8). Si auxilium omnium nostrum in nomine Domini, quanto magis Martyrum. Ubi major pugna, ibi majus auxilium necessarium est. Duo sunt enim, quæ faciunt Christianorum angustam viam : voluptatis abjectio, et tolerantia passionis. Vincis, quicumque confligis, si viceris, quod libet, et terret. Vincis, inquam, Christiane, quicumque confligis, si viceris, quod libet, et terret. Aliud, quod libet; aliud, quod terret. Sed nunc de Martyrum agitur gloria. Facile est Martyrum solemnia celebrare; difficile est Martyrum passiones imitari.

II. Angustam, ut dicere cœperam, et arctam Christianorum viam duæ res faciunt : contemptus voluptatis, et tolerantia passionis. Quisquis ergo confligit, sciat se cum toto mundo confligere, et confligens cum toto mundo, hæc duo vincat, et vincit mundum. Vincat, quidquid blanditur; vincat, quidquid minatur. Voluptas enim falsa est, pœna transitoria. Si vis intrare per angustam portam, claude portas cupiditatis et timoris. Illis enim tentat ille tentator ad evertendam animam. Janua cupiditatis promittendo tentat; janua timoris minando tentat. Est, quod cupias, ut ista non cupias. Est, quod timeas, ut ista non timeas. Non auferatur cupiditas, sed mutetur. Timor non extinguatur, sed in aliud transferatur. Quid cupiebas? Quid mundo blandienti cedebas? Quid cupiebas? Voluptatem carnis, concupiscentiam oculorum, ambitionem sæculi. Nescio, quis istorum trium capitum est carnis infernus. Sed audi apostolum Joannem, qui super pectus Domini discumbebat, et hoc in Evangelio eructabat, quod in convivio Christi bibebat, audi eum dicentem : *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ sunt in mundo. Si quis dilexerit mundum, non est charitas Patris in illo, quoniam omnia, quæ in mundo sunt, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et ambitio sæculi* (1 *Joan.* II, 15, 16). Dicitur ergo mundus hoc cœlum et terra. Non ipsum mundum vituperat, qui dicit : *Nolite diligere mundum.* Qui enim istum vituperat, artificem mundi vituperat. Audiat mundum bis uno loco nominatum sub diversis significationibus. De Domino Christo dictum est : *In hoc mundo erat, et mundus per eum factus est, et mundus eum non cognovit. Mundus per eum factus est* (*Joan.* I, 10). *Auxilium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum et terram* (*Psal.* CXXIII, 8). *Mundus per eum factus est. Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi* (*Id.* CXX, 1, 2). *Auxilium meum a Domino, qui fecit cœlum et terram.* Iste mundus a Deo factus est : *Et mundus eum non cognovit.* Dilector mundi, amator operis, contemptor artificis, amor tuus migret. Rumpe funes a creatura, alliga ad creatorem. Muta amorem, muta timorem. Non enim faciunt bonos et malos mores, nisi boni vel mali amores. Magnus iste vir, dicet aliquis, bonus est, magnus est. Unde? quæso. Multa novit. Quid diligat quæro, non quid sciat. *Nolite ergo diligere mundum, neque ea, quæ sunt in mundo. Si quis dilexerit mundum, non est charitas Patris in illo, quoniam omnia, quæ in mundo sunt,* (utique in dilectoribus mundi; ea, quæ sunt in dilectoribus mundi) *concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et ambitio sæculi.* In concupiscentia carnis voluptas est. In concupiscentia oculorum curiositas est. In ambitione sæculi superbia est. Qui tria ista vincit, non ei remanet omnino in cupiditate, quod vincat. Multi rami, sed triplex radix. Quanta mala habet, quanta mala facit carnalis voluptatis appetitio! Inde adulteria, fornicationes, inde luxuria, inde ebrietas. Quidquid titillat sensus illicite, et mentem penetrat suavitate pestifera, addicit carni mentem, deturbat exercitatorem, subit servienti imperantem. Et quid poterit homo facere rectum in se ipso perversus?

III. Quæ mala facit turpis curiositas, concupiscentia vana oculorum, aviditas nugacium spectaculorum, insania stadiorum, nullo præmio consequente conflictus certaminum! Certant aurigæ aliquo præmio, litigant pro aurigis populi aliquo præmio (*a*). Sed delectat auriga, delectat venator, delectat scenicus. Itane honestum delectat turpitudo? Muta etiam cupiditatem spectaculorum. Exhibet Ecclesia menti tuæ honorabiliora et veneranda spectacula. Modo legebatur Passio beati Cypriani. Aure audiebamus, mente spectabamus, certantem videbamus, periclitanti quodam modo timebamus, sed Dei adjutorium sperabamus. Denique vultis nosse cito, quid intersit inter spectacula nostra et theatrica? Nos, quantum in nobis viget sana mens, Martyres, quos spectamus, cupimus imitari. Nos, inquam, sanctos Martyres, quos certantes spectamus, cupimus imitari. Honeste spectator! in theatris cum spectas, insanis, si audes imitari quem diligis. Ecce ego specto Cyprianum, amo Cyprianum. Si irasceris, maledic mihi, et dic : Talis sis! specto, delector, quantum valeo, lacertis mentis amplector. Video certatorem, audio victorem. Irascere, ut dixi, et dic mihi : Talis sis! Vide, si non amplector; vide, si non opto; vide, si non cupio; vide, si non indignum me possum dicere; refugere tamen avertique non possum. Specta tu, delectare tu, ama tu. Noli irasci, si dixero : Talis sis! Sed parco, non dico. Agnosce amicum. Spectacula muta mecum. Tales amemus, quos imitari, quantum valemus, optemus. Sed infamis est ille, qui spectatur; qui spectat, honestus est. Cesset cupiditas emptoris, et nulla erit turpitudo venalis. Infamiam spectando confirmas. Quid provocas, quod accusas? Miror, si amati tui non te aspergit infamia. Sed non te aspergat, immaculata maneat honestas, si potest, spectatrix libidinum, emptrix turpium voluptatum. Audeo prohibere spectacula? Audeo prohibere? Audeo plane. Dat mihi fidu-

(*a*) De ejusmodi contentionibus varia in Martialis Epigram. et in Scriptoribus Hist. Aug.

ciam locus iste, et qui me constituit in isto loco. Potuit sanctus Martyr sævientes sustinere Paganos, ego non audeam audientes instruere Christianos? Ego metuam tacitas offensiones, cum ille contempserit apertos furores? Dicam prorsus. Certe redarguar in cordibus audientium, si falsa dico. Optime facit, omnino optime facit antiqua disciplina Romana, quæ omne genus Histrionum infami loco deputavit. Non illis ullus honor in Curia, non saltem in plebeia (*a*) tribuitur. Undique ab honestis remoti, et honesti venales (*b*) præpositi. Quid a te propter dignitatem Decurii (*c*) removisti, et propter voluptatem tibi in theatro posuisti? Consonet dignitati tuæ voluptas tua. Et ipsi miseri addicti sunt spectantium cupiditatibus, spectantium insanientibus voluptatibus. Remove ista omnia, et liberantur. Misericordiam in illos facit, qui spectare noluerit.

IV. Dicta sint hæc de concupiscentia oculorum. Ambitio sæculi quantum mali habet! Ibi omnis superbia. Et quid est pejus superbia? Sententiam Domini audi. *Deus superbis resistit; humilibus autem dat gratiam* (*Jacobi* IV, 6). Ergo et ambitio sæculi maligna est. Dicet aliquis: Sine illa non possunt esse sæculi Potestates. Prorsus possunt. Nescio, quis auctor ipsorum ait: Suam quisque culpam auctores ad negotia transferunt (*d*). Prorsus possunt. Rector est in potestate constitutus. Erigat, et rexit. Sed humana mens pergit in elationem. Frenetur elatio. Hominem se esse cognoscat, qui de homine judicat. Dispar est dignitas, sed communis est ipsa fragilitas. Hoc qui pie, sancteque cogitat, et habet potestatem, et non pergit in elationem. Vicit ista omnia Cyprianus. Quid enim non vicit, qui vitam ipsam omnibus tentationibus redundantem contempsit. Mortem illi minatus est judex; ille confessus est Christum, paratus mori pro Christo. Ubi mors venerit, nulla remanebit ambitio, nulla curiositas oculorum, nulla appetitio sordidarum et carnalium voluptatum. Una vita contempta omnia superantur.

V. Beatus ergo Cyprianus laudetur in Domino, quia omnia ista vicit. Quando hoc posset, si non adjuvisset Dominus? Quando vinceret, si non spectator, qui coronam parabat vincenti, subministraret vires laboranti? Gaudet plane et ipse, gaudet pro nobis, non pro se, quando in Domino laudatur. Mitis enim est valde, et scriptum est: In Domino laudabitur anima mea. Audiant mites, *et lætentur* (*Psal.* XXXI, 3). Mitis erat. In Domino vult animam suam laudari. *In Domino laudetur anima ejus. Honoretur etiam corpus ejus.* Quia *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus* (*Id.* LXXII, 1). Sancte celebretur, tanquam a Christianis celebretur. Non enim aram constituimus, tanquam Deo, Cypriano, sed Deo vero aram fecimus Cyprianum (*a*).

(*a*) In Conventu plebis aliquo
(*b*) Lego: *Vernales*, i. e. Servi domi, et in familia nati.
(*c*) Seu Decurionatus, quod munus in Coloniis et Municipiis Senatorii instar erat.
(*d*) An Seneca *epist.* 80 ad Lucil. *Ut interrogas tua vitia esse, quæ putas rerum?*

## SERMO XV.

### *Item in Natali Cypriani Martyris* (*b*).

### SYNOPSIS.

*I. Gaudium de religiosa populi frequentia, et victoria Martyrum. II. Delusa Persecutorum a Martyribus consilia. III. Ecclesia Persecutorum victrix. IV. Persecutorum, ut Christi, ita Cypriani multi conversi.*

I. Psalmum cantavimus: *Benedictus Dominus, qui non dedit nos in venationem dentibus eorum* (*Psal.* CXXIII, 6). Donis Dei debita gratulatio. *Benedictus Dominus, qui non dedit in venationem dentibus eorum.* Vox est certe gratulationis, et digna gratulatio. Et quando tantis donis divinis humana sufficit gratulatio? Quando in isto loco beatissimus Martyr sacrum sanguinem fudit, nescio utrum tanta hic fuerit turba furentium, quanta nunc est multitudo laudantium. Iterum dico; delectat enim me, populum videre in domo Domini religiosissime in hunc locum convenientem, et tempora temporibus comparare. Unde iterum dico, et repeto, et vestris sensibus, quanta possum, devotione commendo: Quando in isto loco beatissimus Martyr sacrum sanguinem fudit, nescio utrum tanta hic fuerit turba furentium, quanta nunc est multitudo laudantium. Sed, etsi fuit, fuit *Benedictus Dominus, qui non dedit nos in venationem dentibus eorum.* » Quando occidebant, se vicisse credebant. Vincebantur a morientibus, et gaudebant, si vincebantur. Utique furebant. Abscessit ergo turba furentium, successit multitudo laudantium: Dicat, dicat multitudo laudantium: *Benedictus Dominus, qui non dedit nos in venationem dentibus eorum.* Dentibus quorum? Dentibus inimicorum, dentibus impiorum, dentibus persecutorum Jerusalem, dentibus Babyloniæ, dentibus civitatis inimicæ, dentibus turbæ in scelèribus insanientis, dentibus turbæ Dominum persequentis, creatorem deserentis, ad creaturam se convertentis, manu facta colentis, eum a quo facta est, contemnentis. *Benedictus Dominus, qui non dedit nos in venationem dentibus eorum.*

II. Vox Martyrum est. Eorum profecto vox est, qui pro Christi nomine occidi, quam negando Christum vivere maluerunt. Si ergo illi occidere voluerunt, isti occisi sunt, fecerunt, quod voluerunt illi, passi sunt isti, quomodo: *Benedictus Dominus, qui non dedit nos in venationem dentibus eorum?* Qualis gratulatio est: *Benedictus Dominus, qui non dedit*

(*a*) Confer finem *Sermonem CCCXIII.* et *Serm. CCCX. n.* 2. T. V. *edit. Maur.*
(*b*) In Codice *fol.* 37. *p.* 2. inscriptus: *Item Sermo sancti Augustini ep.* De Martyrum, et Ecclesiæ in illis victoria. Sermo fortasse notatus a Possidio in *Indiculo Opp. c.* 8. *De Venatoribus Dei et Sæculi.* Psalmi enim versiculus, qui supra citatur, exponitur de dentibus persecutorum, et de dentibus Ecclesiæ, ut in decursu liquet. Locandus in Editione post præcedentem XIII.

*nos in venationem dentibus eorum?* Quia persecutores non occidere, sed devorare voluerunt, id est, in corpus suum transferre. Pagani erant, impii erant, dæmonum et idolorum cultores erant. Hoc nos facere volebant, quando devorare cupiebant. Intendite, quid cibo faciamus, quando manducamus. Quid utique facimus, nisi in corpus nostrum transferimus? Erat corpus impiorum, devoraverunt eos, qui eis ad impia consenserunt. In eorum corpus procul dubio transierunt. Martyres ergo illi instantibus, ut Christus negaretur, et idolum adoraretur, restiterunt constanter, idolum spreverunt, Christum confessi sunt, in corpus eorum consentiendo non transierunt. Dicant, dicant, gloriose dicant, feliciter dicant, veraciter dicant : *Benedictus Dominus, qui non dedit nos in venationem dentibus eorum.* Retia perfidia est, retia impietas est, retia Christi negatio est. Extenta sunt retia. Audis venantes. Si vis cavere venantes, contemne terrentes. Nostis, quid faciunt venatores. Ex alia parte tendunt retia, ab alia parte terrent feras, quas cogunt in retia. Malum times, quo terreris? Pejus est, quo fugis. Ergo Martyres sancti videntes, ubi venatores tetenderunt retia (ad hoc enim mortem persecutor minabatur, ut Salvator negaretur) passi sunt, sed patiendo non sunt capti. Quali sagina prædæ, quali pinguedine venationis Babylon impia pasceretur, si a Cypriano episcopo Dominus negaretur. Quali sagina, quali venatione, quam optima præda Babylon impia pasceretur, si a Cypriano episcopo, doctore gentium, frustratore idolorum, proditore dæmoniorum, lucratore Paganorum, confirmatore Christianorum, inflammatore Martyrum. Si ergo a tali et tanto Viro Dominus negaretur, quali venatione Babylon impia lætaretur! « *Benedictus Dominus, qui non dedit nos in venationem dentibus eorum.* Sævierunt, persecuti fuerunt, torserunt, incluserunt, alligaverunt, percusserunt, incenderunt, bestiis subrepserunt (*a*). Non est Christus negatus, Confessor Domini est coronatus. Illi sævitiam perdiderunt, gloriam Martyres invenerunt. *Benedictus Dominus*, dicat populus christianus, dicat omnino, decet, ut dicat : *Benedictus Dominus, qui non dedit nos in venationem dentibus eorum.* Modo, dicat, hic locus impletur populo confitentium, impletur populo unum verum Deum adorantium. Dicat : hic locus ; tunc enim seges ista seminabatur, quando ille locus sanguine Martyris rigabatur. Noli mirari, Terra, fertilitatem tuam, si rigata es, ut hoc pullulares.

III. Ergo *Benedictus Dominus, qui non dedit nos in venationem dentibus eorum.* Quibus enim viribus nos erepti sumus de dentibus impiorum? Nihil nobis arrogamus, non hoc nostræ potestati tribuimus. *Benedictus Dominus, qui non dedit nos in venationem dentibus eorum.* Quid enim eramus, quando terrebamur infirmi a fortibus, humiles a sublimibus, egentes a divitibus, indigentes ab abundantibus? Quid eramus, nisi *Auxilium nostrum esset in nomine Domini ejus, qui fecit cœlum et terram* (*Psal.* CXXIII, 8)? Exulta, exulta, Jerusalem, exulta et tu non data in dentes venantium. Exulta et tu. Habes et tu dentes. *Dentes tui, sicut grex detonsarum.* Habes et tu dentes, o sancta Jerusalem, Civitas Dei, Ecclesia Christi, habes et tu dentes. Tibi dicitur in Cantico Canticorum : *Dentes tui, sicut grex detonsarum ascendens de lavacro, quæ omnes geminos creant, et sterilis non est in illis* (*Cant.* IV, 2, *et* VI, 5). Bene, bene, quod non timuisti dentes Babyloniæ. Dentes Babyloniæ potestates sæculi fuerunt, dentes Babyloniæ doctores illicitorum sacrorum fuerunt. His dentibus data non es. Agnosce dentes tuos. Fac tu, quod illi facere voluerunt. Converte te. Et tu habes dentes. « *Dentes tui, sicut grex detonsarum.* Quid est *Detonsarum?* Sarcinas sæculares ponentium. Quid est *Detonsarum*? Ponentium vellera, tanquam onera sarcinæ sæcularis. Illi erant dentes tui, de quibus scriptum est in Actibus Apostolorum, quia vendiderunt omnia sua, et pretia rerum suarum ante pedes Apostolorum posuerunt, ut distribueretur unicuique, sicut opus erat (*Act.* IV, 35). Percepisti vellera detonsarum tuarum. Ascendit grex ille de lavacro Baptismatis sancti. Omnes pepererunt, quia duo præcepta charitatis impleverunt. Meministis, recordati estis, tanquam instructi acclamastis, cum duo præcepta charitatis commemorarem ; quæ autem essent, non dixi, et tamen indicium cordis vestri voce suscepi. Agnovistis. Dicam tamen propter eos, qui ad Ecclesiam rarius accedunt. Dominus dicit, Magister veracissimus dicit, Princeps Martyrum dicit : *Diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua, et diliges proximum tuum tanquam te ipsum. In his duobus præceptis tota Lex pendet et Prophetæ* (*Matth.* XXII, 37 - 40). Dentes ergo tui in Deo vicerunt, quia tales geminos pepererunt. Tibi dicitur habenti tales dentes, tibi dicitur, o Ecclesia, in figura beatissimi Petri : *Surge, macta et manduca* (*Act.* X, 13). *Surge.* Petro dictum est, quando vas submissum de cœlo in figura animalium omnis generis portabat esurienti Petro, id est, avidæ Ecclesiæ, *Surge*, quid esuris? *Surge*, cibus tibi paratus est. Dentes habes ; *Macta et manduca.* Occide, quod sunt ; fac, quod es. Occide quod sunt, verte in quod es. Bene audisti tales dentes habens, bene mactasti, bene manducasti. Ipsos judices, quos non timuisti, ad te attraxisti ; ipsas sæculi potestates, quas non timuisti, in te convertisti ; sævientes sprevisti ; honorantes fecisti. Impletum est, quod Domino tuo promissum est : *Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes servient illi* (*Psal.* LXXI, 11).

IV. Hæc persecutores non credebant, quando sæviebant. Quam multi ex ipsis persecutoribus, qui viderunt beatissimum Cyprianum fundentem sanguinem, genua flectentem, cervicem percussori præbentem, hic viderunt, hic spectaverunt, hic de tanto spectaculo exultaverunt, hic, hic morienti insultave-

(*a*) Ita membranæ. Fortasse : *Subjecerunt, substraverunt.*

runt. Quam multi ex eis, quod non dubito, postea crediderunt. Non dubitandum, sine dubitatione credendum est. Judæi Christi interfectores, qui pendente illo caput agitaverunt insultantes; et in illo verba, quæ voluerunt, dixerunt exultantes, postea in ipsum Dominum, quem crucifixerunt, crediderunt. Hæc enim poterat vacare vox Medici in cruce pendentis, et medicamentum sanitatis phreniticis de suo sanguine fa;ientis? Non poterat ergo vacare, et inanis esse vox illa : *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII. 34). Non plane vacavit. Erat ibi multitudo eorum, propter quos hæc vox de ore resonuit Veritatis. Nam postea facto miraculo, adveniente de cœlo Spiritu sancto, cum linguis omnium gentium Apostoli loquerentur, stupentes repentinum miraculum, subito compuncti, ad eum, quem occiderunt, conversi sanguinem, quem sævientes fuderunt, credentes biberunt. Hoc plane et de beato Cypriano Christi sancto Martyre nullo modo est dubitandum, quod plurimi eorum, qui occisum impie spectaverunt, in ejus Dominum crediderunt, et forte etiam ipsi imitando pro Christi nomine sanguinem funderunt. Postremo de illis incertum sit. De illis, qui tunc huic loco affuerunt, qui percussum in isto loco sanctum Cyprianum viderunt, incertum sit, utrum crediderint. Certe isti omnes, aut pene omnes, quorum voces audio exultantium, filii sunt insultantium.

## SERMO XVI.

### *In Natali Martyrum Scillitanorum (a).*

### SYNOPSIS.

*I. Exemplo Martyrum Christus nec propter superflua, nec propter necessaria mundi bona negandus. II. Amor proximi unde, et qualis. III. Salus et Amicus, duo necessaria, quomodo respicienda. IV. Certamen Martyris cum Persecutore de superfluis. V. Certamen Martyris cum Persecutore de necessariis. VI Quibus modis negetur Christus. VII. Constantiæ merces in cœlo.*

I. Martyres sancti, testes Dei, ne vivendo morerentur, moriendo vivere maluerunt, ne timendo mortem negarent vitam, amando vitam contempserunt vitam. Ut negaretur Christus, vitam promittebat inimicus, sed non qualem Christus. Credentes ergo, quod a Salvatore promittebatur, riserunt, quod persecutor comminabatur. Fratres, quando Solemnia Martyrum celebramus, exempla nobis proposita noverimus, quæ imitando assequamur. Non enim istam faciendo frequentiam, augemus Martyrum gloriam. Illorum corona populis nota est Angelorum. Nos, quod passi sunt, cum legeretur, audire potuimus. Quod autem acceperunt, *Nec oculus vidit, nec auris audivit* (1 *Cor.* II, 9). Bona mundi hujus alia sunt superflua, alia necessaria. Hinc paululum, ut loquamur, attendite, et distinguamus, si possumus, quæ sint bona hujus mundi superflua, quæ necessaria, ut videatis, non esse negandum Christum nec propter superflua, nec propter necessaria. Superflua mundi hujus quis enumerat? Si ea commemorare voluerimus, magnas moras faciemus. Dicamus ergo necessaria. Quæcumque alia erunt, hæc erunt superflua. Necessaria sunt in hoc mundo duo ista; Salus et Amicus. Ista sunt, quæ magni pendere, quæ non debemus contemnere. Salus, et Amicus naturalia bona sunt. Fecit Deus hominem, ut esset et viveret. Salus est. Sed, ne solus esset, Amicitia quæsita est. Incipit ergo Amicitia a conjuge et filiis, et progreditur usque ad alienos. Sed, si consideremus, unum nos habuisse patrem, et unam matrem, quis erit alienus? Omni homini proximus est omnis homo. Interroga naturam. Ignotus est? Homo est. Inimicus est? Homo est. Hostis est? Homo est. Amicus est? Maneat amicus. Inimicus est? Fiat amicus.

II. Ad hæc duo in hoc mundo necessaria, Salutem, et Amicum, venit peregrina sapientia. Invenit omnes stultos, errantes, superflua colentes, temporalia diligentes, æterna nescientes. Hæc Sapientia stultis amica non fuit. Cum ergo stultis amica non esset, et a stultis longe esset; assumpsit proximum nostrum, et facta est proxima nostra. Hoc mysterium Christi est. Quid tam longe, quam stultitia a sapientia? Quid tam proximum, quam homo, et homo? Quid tam longinquum, inquam, quam a stultitia sapientia? Ergo suscepit hominem sapientia, et facta est homini proxima per id, quod erat proximum. Et ecce, quoniam dixit homini ipsa sapientia : Ecce pietas est sapientia; ad sapientiam vero hominis pertinet co'ere Deum, quia hoc est pietas, data sunt nobis duo præcepta : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua.* Alterum : *Diliges proximum tuum tanquam te ipsum* (*Luc.* X, 27). Et ille, qui hoc audivit, ait : *Et quis est mihi proximus* (*Ibid.* 29). Putabat dicturum Dominum : Pater tuus, et mater tua, conjux tua, filii tui, fratres tui, sorores tuæ. Non hoc respondit, sed qui volebat commendare omnem hominem omni homini proximum, instituit narrationem. *Homo*, inquit, *quidam.* Quis quidam? Tamen homo. *Homo quidam.* Quis ergo homo? Quidam, sed tamen homo. *Descendebat de Jerusalem in Jericho, et incidit in*

(*Vingt-huit.*)

(a) In Codice *fol.* 39. inscriptus : *Sermo sancti Augustini ep. in Natali sanctorum Martyrum Scillitanorum.* Passi sunt hi Carthagine circa A. C. 200. numero, ut videtur, duodecim, oriundi ex oppido Scilla, aut Scillite Provinciæ Proconsularis Africæ. Acta eorum alia extant apud Baronium ad A. C. 202. alia e Bibliotheca Eccl. Tolet. apud Bollandistas *T. IV. Julii ad diem XVII.* quo illorum memoria agitur. In illorum Basilica Carthagine Augustinus *sermonem* habuit in Editione CLV. Cum vero Possidius in *Indiculo Opp. c.* 9. *Tractatus duos* notet, de altero ita Guil. Cuperus in *Act. SS. T. cit. p.* 206. *Cum is Sermo nusquam inter Augustini Opera ne quidem novissime edita compareat, existimo eum aut excidisse, aut etiamnum alicubi cum pulvere latitari.* En jam non amplius indecoro pulvere sordidum Martyrum ipsorum cultus, et Reliquiæ Hispaniam, Galliam et Italiam pervaserunt, partimque Romæ in SS. Joannis et Pauli Æde in monte Cœlio quiescunt, quem Titulum, dum hæc commentarer, ornabat Joseph Card. Garampius, vir pietate, doctrina, hominum litteratorum amore, sacraque dignitate vere eminentissimus, mihique ab illo jam tempore, quo summi Pontificis ad Aulam Cæsaream legatione fungebatur, faventissimus, qui has Mentis Augustinianæ Reliquias avidissime præstolabatur. Verum, ante quam typis absolverentur, ipsius, ut pie speramus, Augustini consortio propius admotus est Romæ IV. Non. Majas. — Sermo hic porro in Editione post præcedentem XIII, collocari posset.

*latrones* (*Luc.* x, 30). Ipsi dicuntur in latrones, qui et insequuntur nos. Vulneratus, spoliatus, semivivus, in via relictus a transeuntibus, a sacerdote, a levita contemptus est, a Samaritano autem transeunte animadversus est. Accessum est ad eum, inspecta cura, levatus est in jumentum, perductus ad stabulum, jussum est curam ei adhiberi, sumptus impensus est. Interrogatur, qui interrogaverat : Quis erat huic semivivo proximus? Quia duo contempserant, et contempserant proximi, accessit extraneus. Iste enim homo Jerosolymitanus proximos habebat sacerdotes et levitas, Samaritanos alienigenas. Transierunt proximi, et extraneus factus est proximus. Quis ergo erat huic homini proximus? Dic tu, qui interrogaveras dicens : *Quis est mihi proximus?* Jam responde, quod verum est. Interrogaverat superbia. Loquatur natura. Quid ergo ait? *Credo, qui cum illo fecit misericordiam.* Et Dominus ad illum : *Vade, et tu fac similiter* (*Ibid.* 37).

III. Redeamus ad causam. Jam tria videmus : Salutem, Amicum, Sapientiam. Sed Salus et Amicus etiam de hoc mundo; aliunde Sapientia. Propter Salutem victus et tegumentum, et, si mala valetudo occurrerit, medicina. Salvis autem salvus loquens Apostolus ait : *Est autem quæstus magnus pietas cum sufficientia. Nihil, inquit, intulimus in hunc mundum, sed neque auferre aliquid possumus. Victum et tegumentum habentes his contenti simus.* Ista sunt necessaria propter salutem. Quæ autem propter superflua *Nam qui volunt*, inquit, *divites fieri* (*propter superflua utique*) *incidunt in tentationem, et laqueum, et desideria multa stulta et noxia, quæ mergunt hominem in interitum et perditionem.* Ubi ergo Salus? Ergo propter Salutem *Victum, et tegumentum habentes his contenti simus* (1 *Tim.* VI. 6, 9). Propter Amicum quid? Quid tibi amplius potuit dici, quam : *Diliges proximum tuum tanquam te ipsum?* Ergo Salus tibi, Salus sit et amico tuo. Propter tegumentum amici : *Qui habet duas tunicas communicet cum non habente.* Propter victum amici : *Et, qui habet escas, similiter faciat* (*Luc.* III, 11). Pasceris, pascis; vestiris, vestis. Ista de hoc mundo; aliunde autem, quod est sapientia, discis et doces.

IV. Constituite jam vobis ante oculos agonem Martyrum. Venit inimicus, cogit Christum negare. Sed adhuc blandientem inducamus, non sævientem. Promittit divitias et honores. Superflua sunt. Qui talibus donis tentantur, ut Christum negent, nondum accesserunt ad agonem, nondum certamen invenerunt (*a*), nondum hostem antiquissimum vera pugna provocaverunt. Contempsit autem, cui talia promittebantur. Vir fidelis, et ait : Ego propter divitias negabo Christum? Ego propter divitias negabo divitias? Ego propter aurum negabo thesaurum? Nempe ille est : *Qui propter nos pauper factus est, cum dives esset, ut ejus paupertate nos ditaremur* (2 *Cor.* VIII. 9)? Nempe ille est, de quo item ait Apostolus : *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi* (*Coloss.* II, 3)? Attendis, quod promittis, quia non potes videre, quod tollere conaris. Ego fide video, quod mihi vis auferre, tu oculis carnis, quod vis dare. Meliora sunt, quæ cordis oculos intuetur, quam quæ oculus carnis videt. Quæ enim videntur, temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna. Contemno ergo dona tua, inquit fidelis anima, quia temporalia sunt, superflua sunt, caduca sunt, volatica sunt, plena sunt periculis, plena tentationibus. Nemo hæc habet, quando vult, perdit et quando non vult. Contemptus est promissor; accedit alius, id est, persecutor. Contemptus est blandiens; esse incipit sæviens. Contemptus est coluber; in leonem conversus est. Non vis, inquit, accipere a me divitias ampliores? Si Christum non negaveris, auferam, quas habes. Adhuc in superflua mea sævis. *Sicut novacula acuta fecisti dolum* (*Psal.* LI, 4). Capillos radis, cutem non præcidis. Aufer etiam ista mihi. Imo, quoniam videbas, quod pauperibus exinde dabam, hospites suscipiebam, quod monuerat Paulus, faciebam. *Præcipe*, inquit, *divitibus hujus sæculi, præcipe, non superbe sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendum. Bene faciant, divites sint in operibus bonis, facile tribuant, communicent, thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam* (1 *Tim.* VI, 17-19). Hæc mihi auferens, ista opera facturus non sum. Numquid apud Deum ideo minor ero, quia volo, et non possum? An usque adeo surdus sum adversus vocem Angelorum : *Pax in terra hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II, 14)? Tolle ergo superflua mea. *Nihil intulimus in hunc mundum, sed neque auferre aliquid possumus. Victum et tegumentum habentes eo contenti simus* (1 *Tim.* VI, 8).

V. Sed ait persecutor : Tollo victum, tollo tegumentum. Accessum est ad certamen. Ferventius sæviebat inimicus. Transita sunt superflua, perventum est ad necessaria. *Ne discedas a me, quoniam tribulatio proxima est* (*Psal.* XXI, 11, 12)! Nihil tam proximum animæ suæ, quam caro sua. Fames, et sites, et æstus in carne sentis. Ibi te volo videre, Martyr bone! Testis Dei! Vide, inquit, vide! *Quis nos separabit a charitate Christi?* Quid est, quod minaris? Tollo victum, tollo tegumentum. *Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas* (*Rom.* VIII, 35)? Minetur ex altera parte : Tollo amicum, occido charissimos tuos ante oculos tuos, conjugem et filios trucidabo! Occidis, occidis! Non negent, et non occidis. Quid est, quia non me terres de me, terres me de meis? Si non negaverint, meos non occidis; si negaverint, alienos occidis. Adhuc addat persecutor, et sæviat, et dicat : Si tuos non curas, te ipsum huic luci auferam. Huic luci? Numquid æternæ luci? Cui luci me auferes? Quam communem habeo et tecum? Non est magna, quam vides et tu. Ego pro hoc lumine non negabo lumen. *Erat lumen verum* (*Joan.* 1, 9). Novi, cui dicam : *Quoniam apud te fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen*

(*a*) Malo : *inierunt*.

(*Psal.* xxxv, 10). Tolle vitam, tolle lumen. Habebo vitam, habebo lumen. Habebo vitam, ubi te non patiar interfectorem, habebo lumen, quod mihi, non dicam tu, sed nec ulla nox possit auferre. Vicit Martyr, an aliquid aliud est, ubi majus certamen spectare debeamus? Non minatur mortem; sævit in salutem, exarat ungulis, excruciat tormentis, urit flammis, admovet bestias; et hic vincitur. Quare vincitur? *Quia in his omnibus supervincimus per eum, qui dilexit nos* (*Rom.* viii, 37).

VI. Ergo, fratres mei, non negetur Christus propter superflua, non negetur propter necessaria. Nullus ipso est magis necessarius. Necessaria dicebam : Salutem et Amicum. Peccas propter Salutem, et negas Christum. Amando Salutem non habebis Salutem. Peccas propter Amicum tuum, et, ne illum offendas, negas Christum. Heu me miserum! Aliquando erubescendo negatur. Non sævit persecutor, non expoliat deprædator, non incumbit tortor; tantum ne displiceas amico tuo, negas Dominum tuum. Video, quid tibi abstulerit amicus, ostende, quid dabit. Quid dabit? Ipsas amicitias, per quas pecces, per quas involvaris, per quas inimicus Dei efficiaris. Iste tibi amicus non esset, si tu tibi esses. Sed queniam ipse inimicus es tibi, amicum putas inimicum tibi. Unde autem ipse inimicus es tibi? Quia amas iniquitatem. *Qui autem amat iniquitatem, odit animam suam* (*Psal.* x, 6). Sed non negatur Christus ut amico impio et perverso placeatur, non negatur, sed ab impio vituperatur, ab impio accusatur, et a fideli erubescendo non defenditur, deseritur, tacetur, non prædicatur. Sævit lingua blasphemantis, et nulla est laudantis. Quanta mala committuntur quasi pro necessariis, pro victu, pro tegumento, pro salute, pro amico, et omnia ista, quæ appetuntur, magis pereunt! Si vero præsentia contempseris, dabit tibi Deus æterna. Contemne salutem, habebis immortalitatem. Contemne mortem, habebis vitam. Contemne honorem, habebis coronam. Contemne amicum hominem, habebis amicum Deum. Sed illic, ubi amicum habebis Deum, sine amico proximo non eris. Ibi tecum amici erunt, quorum facta et confessiones paulo ante legebantur (*a*).

VII. Audivimus Viros fortiter agentes, viriliter confitentes. Audivimus et Fœminas (*b*) non tanquam fœminas tenentes Christum, oblitas sexum. Ibi erit cum istis illa amicitia, ubi nulla erit carnis concupiscentia, et sola erit cum amicis ad fruendum sapientia. Ecce quid perdimus, si ea hic amaverimus, et Christum negaverimus! Proximus ibi nos non terret, si moriatur. Nullus ibi luctus, ubi æterna vita erit, nec illud necessarium est; *Victum et tegumentum habentes his contenti simus.* Vestis nostra immortalitas erit, cibus iste charitas erit, vita æterna erit, nec opera ibi bona, quæ ab his appellantur, faciemus. Ad ea non perveniemus, si hic ea non fecerimus. Non tibi dicetur : *Frange esurienti panem tuum* (*Isai.* lviii, 7), ubi fames non erit. Non tibi dicetur : Suscipe hospitio, ubi nullum invenies peregrinum. Non tibi dicetur : Libera oppressum, ubi nullus inimicus erit. Non tibi dicetur : Concorda litigiosum, ubi pax æterna erit. Videte, fratres mei, quomodo hic toleretur quærendo. Ibi eam habebimus, ubi perire non possumus. Salutem quæris? Contemne, et habebis. Negas Christum timendo offendere amicitias hominum. Confitere Christum, et amica tibi erit civitas Angelorum, civitas Patriarcharum, civitas Prophetarum, civitas Apostolorum, civitas omnium Martyrum, civitas omnium bonorum Fidelium. Christus ipse *Fundavit eam in æternum* (*Psal.* xlvii, 9).

(*a*) Martyrum nempe Scillitanorum.
(*b*) In utrisque *Actis supra cit.* loquentes inducuntur.

## SERMO XVII.

### *In solemnitate SS. Machabæorum* (*a*).

### SYNOPSIS.

*I. Effata Evangelica ad omnes ætates pertinent. II. Expositio Parabolæ de Turris fabrica, et de duobus Regibus. III. Adolescens dives cum Christo congressus. IV. Post Apostolos et Judæi conversi, et deinceps multi Christiani rebus suis renuntiarunt. V. Quomodo probanda Christo fides vel in quotidianis. VI. Ad probandam fidem excitare debent Promissa. VII. Machabæorum. Certamen collatum profanis Spectaculis. VIII. Dehortatio a profanis Spectaculis. IX. Dehortatio continuata.*

I. Evangelium, et verbum Dei vivum, medullas animæ penetrans, et cardinem cordis inquirens salubriter profertur omnibus nobis, nec quemquam palpat, si se homo non palpet. Ecce propositum est nobis velut speculum, in quo nos omnes aspiciamus, et, si quid de facie nostra forsitan maculosum occurrerit aspectibus nostris, cura sollicita detergamus, ne rursus inspecto speculo erubescamus. Turba enim Dominum sequebatur, sicut, Evangelium cum legeretur, audivimus, et conversus locutus est ad eos, qui eum sequebantur. Nam, si ea, quæ dixit, solis illis duodecim Apostolis loqueretur, poterat unusquisque nostrum dicere : Illis dixit, non nobis. Aliud videtur pertinere ad pastores, aliud ad greges. Sequentibus turbis dixit, ergo et nobis omnibus, et vobis omnibus dixit. Non, quia tunc nondum eramus, ideo nobis non esse dictum putare debemus. In illum enim et nos credimus, quem illi viderunt, illum nos fide tenemus, quem illi oculis conspexerunt. Neque enim oculis carnalibus videre Christum, magnum fuit. Si hoc magnum fuisset, Judæorum gens prima salutem invenisset. Certe enim et illi viderunt, et ta-

(*a*) In Codice *fol.* 40, *p.* 2. inscriptus *Sermo sancti Augustini ep. In Natale sanctorum Machabæorum.* Illustris Sermo post commentationem in *Luc.* xiv, 28, et *Matth.* xix, 16. animatisque ad perseverantiam Fidelibus in profana Spectacula invehitur. Habitus est ab Augustino Bullæ Regiæ rogatu Episcopi Civitatis. Prædicabat enim Noster, ut ait Possidius *Vitæ* c. 8. *non in una tantum regione, sed ubicumque rogatus veniret.* Inserendus Editioni post *Sermonem* CCCI.

men contempserunt, et tamen visum et contemptum insuper occiderunt. Nos autem certe non vidimus, et tamen credimus, et tamen, quem oculis non conspeximus, corde suscepimus. Unde dixit cuidam suo, qui tunc erat inter duodecim : *Quia vidisti, credidisti. Beati, qui non vident, et credunt* (*Joan.* xx, 29). Si enim modo præsens esset in carne Dominus et Salvator noster Jesus Christus, et stans taceret, quid nobis prodesset? Si autem loquendo profuit, et modo loquitur, cum Evangelium recitatur. Verumtamen et præsentia sua multa præstat, ut Deus Ubi autem non est Deus, aut quando absens est Deus? Tu noli esse absens a Deo, et tecum est Deus. Maxime, quia ipse promisit, et promissum ejus conscriptum quodam modo chirographum detinemus. *Ecce ego vobiscum sum usque in consummationem sæculi* (*Matth.* xxvii, 20). Sed nos prævidebat, nobis promittebat.

II. Redeamus ergo, et audiamus quid dixit, et, sicut dixi, inspiciamus nos, et, quidquid nobis deesse invenerimus, ad formam pulchritudinis, quæ placet oculis ejus, tota diligentia excolamus. Et, quia nos non sufficimus, illum in adjutorium invocemus. Reformet, qui formavit, recreet, qui creavit, ut perfectos recondat, qui condidit. Hoc ergo dixit : *Quis est homo, qui vult turrim ædificare, et non sedens primum computat, si habet sumptus, unde perficiat? Ne forte incipiat ædificare, et non impleat, et transeuntes homines dicant : Ecce homo, qui cœpit ædificare, et non potuit perficere. Aut quis est iterum Rex, qui vadit gerere contra alium Regem bellum, et non prius consideret, utrum sit idoneus cum decem millibus occurrere illi, qui habet viginti millia? Alioquin, cum adhuc ille longe est, mittit legatos quærens pacem.* Et ad istas duas similitudines conclusit ita : *Sic, qui non renuntiat omnibus, quæ sunt ejus, non potest esse meus discipulus* (*Luc.* xiv, 28-33). Si soli illi Discipuli vocarentur, nobis non esset dictum. Quia vero, sicut Scriptura testatur, omnes Christiani discipuli Christi sunt : *Unus est enim*, inquit, *vester magister Christus* (*Matth.* xxiii, 10), ille sòlus Christi se neget esse discipulum, qui Christum negat magistrum. Neque enim, quia de superiore isto loco loquimur vobis, ideo magistri vestri sumus. Ille est enim omnium magister, cujus cathedra est super omnes cœlos, sub illo in unam scholam convenimus, et vos et nos condiscipuli sumus; sed monemus vos, quomodo solent majores scholæ. Turris, et sumptus, fides, et patientia. Turris fides, patientia sumptus sunt. Si quis impatiens fuerit ad toleranda mala mundi hujus, defecit sumptibus. Rex malus cum viginti millibus diabolus est, rex cum decem millibus Christianus est. Simplum contra duplum, veritas contra falsitatem, quia simplicitas contra duplicitatem. Esto simplici corde. Noli esse hypocrita, aliud ostentans, aliud agens, et vincis cum duplicem, qui transfigurat se velut Angelum lucis. Unde isti, ubi illi sumptus? Ubi perfecta illa simplicitas, et omnino stabilis, atque inconcussissime perseverans? In eo, quod sequitur, quod durum videtur. Hoc est, quod dixi, quia sermo Dei neminem palpat. *Sic, inquit, qui non renuntiat omnibus, quæ sunt ejus, non potest meus esse discipulus.* Multi hoc fecerunt, et se ipsos examinaverunt (*a*), antequam tempus persecutionis urgeret, et renuntiaverunt omnibus, quæ sunt mundi, et secuti sunt Christum. Inde fuerunt Apostoli, qui dixerunt : *Ecce nos dimisimus omnia, et secuti sumus te* (*Luc.* xviii, 28). Nec ipsi magnum aliquid dimiserunt, quia omnes pauperes fuerunt, sed magnas prorsus dimisisse judicantur facultates, qui vicerunt omnes cupiditates.

III. Denique Discipuli tunc dixerant hoc Domino, quando dives ille tristis abscessit, qui consilium vitæ æternæ, sicut petierat a Magistro veracissimo, audivit. Ipse enim venit ad Dominum dives quidam adolescens, et ait illi : *Magister bone. Quid boni faciam, ut vitam æternam consequar* (*Matth.* xix, 16)? Credo inter delicias affluentissimas divitiarum suarum pungebatur stimulo futuræ mortis, et contabescebat, et, quia nihil eorum, quæ possidebat, ad inferos secum portare poterat, sciebat, et inter magnas carnis copias inops anima gemebat. Dicebat, ut existimandum est, apud semetipsum circumfusus affluentia divitiarum suarum : Bona sunt, pulchra sunt, deliciosa sunt, dulcia sunt; sed una hora illa novissima quando venerit, cuncta relinquenda sunt. Nihil eorum hinc auferendum est. Restat vita et sola conscientia, restat post corpus animæ vita, et sola conscientia. Quæ, si erit (*b*), non jam vita, sed mors altera, pejorque dicenda est. Nihil enim pejus illa morte, ubi mors non moritur. Hoc ille quia inter suas delicias cogitabat, habens tanta bona venit ad Dominum. Dicebat enim sibi : Post ista tanta bona si habuero et vitam æternam, quid me felicius? Unde ergo sollicitus erat, interrogavit, et ait : *Magister bone, quid faciam, ut vitam æternam consequar?* Respondit ei Dominus primo : *Quid me interrogas de bono? Nemo bonus, nisi unus Deus* (*Matth.* xix, 17). Hoc est dicere : Non te facit beatum, nisi unus Deus. Quæ habent divites, bona sunt enim; sed illa bona non faciunt bonos. Nam, si illa bona fecissent bonos, tanto esset quisque melior, quanto esset his abundantior. Cum vero videamus multos quanto copiosiores, tanto pejores, sine dubio alia sunt quærenda bona, quæ faciunt bonos. Ipsa enim sunt, quæ non possunt haberi a malis : justitia, pietas, temperantia, religio, charitas, Dei cultus, ipse postremo Deus. Ad illum bonum concurrere debemus. Illum, nisi his contemptis, non assequemur.

IV. Ego vos palpem, quando Evangelium nec vos, nec nos palpat? Exhortor ergo Charitatem Vestram, fratres, sicut dicit Apostolus : *Tempus breve est. Reliquum est*, inquit, *ut, et qui habent uxores, tanquam non habentes sint, et, qui flent, tanquam non flentes, et, qui gaudent, tanquam non gaudentes, et, qui emunt, tanquam non ementes, et, qui utuntur hoc mundo, tanquam non utentes* (1 *Cor.* vii, 29-31). Dimiserunt ergo Apostoli tunc ea, quæ habebant, et ideo Petrus dixit :

(*a*) Ut puto, Librarii lapsus pro : *examinaverunt.*
(*b*) Omissum videtur : *nulla.*

*Ecce nos dimisimus omnia.* Quid dimisisti, Petre? Unam naviculam, et unum rete? Responderet mihi : Totum mundum dimisi, qui mihi nihil dimisi. Omnium paupertas, id est, omnium pauperum, parvas habet facultates, sed magnas habet cupiditates. Non attendit Deus, quid habeat, sed quid velit. Voluntas judicatur, quæ ab illo, qui non videtur, invisibiliter perscrutatur. Ergo omnia dimiserunt, et prorsus totum mundum dimiserunt, quia quidquid sperabant in hoc mundo amputaverunt, et eum, a quo factus est mundus, secuti sunt, ejus promissis crediderunt, et postea multi hoc fecerunt. Et mirum est, fratres mei, qui hoc fecit? Ipsi hoc fecerunt, qui Dominum occiderunt. Ibi in Jerusalem, cum Dominus ascendisset in cœlum, et post decem dies misso Spiritu sancto impleret promissum, impleti Spiritu sancto Discipuli linguis omnium gentium locuti sunt (*Act.* II). Tunc audientes multi Judæi, qui erant in Jerosolymis, et expavescentes donum gratiæ Salvatoris, cum mirarentur, et stupentes ambigerent inter se, unde illud esset, acceperunt responsum ab Apostolis, quod ille hoc præstiterit Spiritu suo, quem ipsi occiderunt, et consilium salutis quæsierunt. Desperaverant enim et non arbitrabantur posse sibi donari tantum scelus, qui Dominum universæ creaturæ occiderunt. Et acceperunt consolationem ab Apostolis. Promissa venia, promissa impunitate crediderunt, et omnia, quæ habebant, vendentes, pretia rerum suarum ad pedes Apostolorum posuerunt, quanto plus territi, tanto magis boni. Major timor extorsit delicias. Fecerunt hoc illi, qui Dominum occiderunt; fecerunt postea multi, et faciunt multi. Novimus, exempla conspicimus, in multis consolamur, in multis delectamur, quia verbum Dei non vacat in eis, qui fideliter audiunt. Sed aliqui non fecerunt, et veniente persecutione probati sunt? Quia utebantur mundo *Tanquam non utentes.* Non plebeii solum, non quicumque opifices, non pauperes, non egeni, non mediocres, sed multi etiam magni divites, senatores, clarissimæ etiam fœminæ veniente persecutione omnibus suis renuntiaverunt, ut turrim perficerent, et simplicitate fortitudinis atque pietatis duplicem ac fallacem diabolum vincerent.

V. Exhortans ergo ad martyrium Dominus Christus omnibus dixit : *Sic, qui non renuntiat omnibus, quæ sunt ejus, non potest esse meus discipulus.* Interrogo ergo te, o anima christiana! Si tibi dicam, quod dictum est diviti : *Vade, vende et tu omnia tua, et habebis thesaurum in cœlo, et veni, sequere* Christum (*Matth.* XIX, 2), forte et tu tristis abscedes? Sic enim et ille juvenis tristis abscessit. Tamen ista verba non potest audire nisi Christianus. Numquid, quando lectum est Evangelium, potuisti tibi contra salutem tuam aures claudere? Audisti : *Qui non renuntiat omnibus, quæ sunt ejus, non potest meus esse discipulus.* Cogita apud te ipsum : Fidelis factus es, baptizatus es, credidisti. Facultates tuas non dimisisti, sed fidem tuam interrogo. Quomodo credidisti? Ecce venit periculum fidei. Dicitur tibi : Si persistis, tollo, quod habes. Animum tuum interrogo. Si dicis in animo tuo : Tollat, quod habeo, fidem non dimitto! et tenes, et renuntiasti. Quia tenes, non teneris. Non est enim malum tenere. Teneri est malum. Sed deest persecutio, et non est, quomodo probes, quod Domino promisisti? Negotia quotidiana probant homines. Quid si enim aliquando, nescio, quis te ad falsum testimonium vocet, et sit potens, qui possit timeri pro tempore, et, si fuerit comminatus, pro tempore possit nocere, et persuadeat tibi dicere falsum testimonium? Non tibi dicit : Nega Christum; ad hoc te enim tu præparabas. Alio modo subrepsit duplex ille, ad quod non meditabaris, quod tibi non proponebas. Dic, inquit, falsum testimonium. Si non dixeris, faciam hoc, et illud. Minatur proscriptionem, minatur mortem. Ibi te proba, ibi te attende. Dicis falsum testimonium? Dimisisti Christum, quia ipse dixit : *Ego sum veritas* (*Joan.* XIV, 6). Falsum testimonium dixisti, contra veritatem fecisti, ergo Christum dimisisti. Et quid tibi ille facturus erat minando proscriptionem? Inopem redditurum? Quid tibi deesset, cum quo Deus esset? Sed plus minabatur. Quid est ipsum plus? Occisurum te minabatur. Carnem. Numquid animam? Quid ille minabatur, attendis. Quid tu facias, non attendis? Ille carnem occidere comminatur. *Os autem, quod mentitur, occidit animam* (*Sap.* I, 11). Duo estis, inimicus, et tu; tamen et ille homo, ut tu. Ambo corruptibiles secundum carnem, ambo immortales secundum animam, ambo pro tempore transituri, et in hac terra hospites et peregrini. Minatur ille mortem, nesciens, utrum ante moriatur, quam impleat, quod minatur; sed tamen puta, quia et, quod minatur, impleat; discutio vos, videamus, quis sit tibi pejor inimicus, utrum ille, an tu. Profert ille machæram ad occidendam carnem tuam, profers tu falsam linguam ad trucidandam animam tuam. Quis gladius (*a*) percussit? Quis pejus occidit? Quis interius penetravit? Ille usque ad ossa, ille usque ad viscera, tu usque ad cor. Nihil tibi integrum dimisisti, quando cor tuum perdidisti. *Os, quod mentitur, occidit,* dixit, non carnem, sed *Animam.*

VI. Talia sunt quotidiana tentamenta hominum. Quando ventum fuerit ad iniquitatem, ut aut facias iniquitatem, aut patiaris ea, quæ voluerit Deus pati pro tempore, ibi jam attende duplicem illum, ibi jam attende sumptus turris illius. Sed cogitando deficis. Invoca eum, qui jussit. Adjuvet jussa sua in te, et reddet tibi promissa sua ex se. Quid enim nobis promittit Deus? Fratres mei! Quid dicam, ut desideremus illud? Quid dicam? Aurum est? Argentum est? Prædia sunt? Honores sunt? Quidquid novimus in terra, est? Vile est. *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se* (1 *Cor.* II, 9). Breviter dico, non promissa sua, sed se. Major est omnibus, qui fecit omnia. Pulchrior est omnibus, qui formavit

(*a*) Videtur excidisse : *fortius.*

omnia. Potentior est omnibus, qui virtutem dedit omnibus. Quidquid ergo amamus in terra, in comparatione Dei nihil est. Parum est : Nihil est, quod amamus, et nos ipsi nihil sumus. Ipse amator in comparatione rei, quæ amanda est, vilescere sibi debet. Ipsa est illa charitas, quæ jubetur, *Ex toto corde, ex tota anima, et ex tota mente.* Sed adjunxit, et ait : *Diliges proximum tuum, tanquam te ipsum. In his duobus præceptis tota Lex pendet et Prophetæ* (*Matth.* XXII, 37-40), ut, cum tu dilexeris Dominum, scias quia tunc te diligis, si diligis Dominum. Si vero Deum non diligis, nec te ipsum diligis. Cum ergo te didiceris diligere diligendo Deum, rape proximum ad Deum, ut simul fruaris bono, et tanto bono, quod Deus est.

VII. Modo spectavimus magnum certamen septem Fratrum et Matris illorum. Quale certamen, fratres mei, si noverunt mentes nostræ spectare? Comparate huic sancto spectaculo voluptates et delicias theatrorum. Ibi oculi inquinantur; hic corda mundantur. Hic laudabilis est spectator, si fuerit imitator; ibi autem et spectator turpis est, et imitator infamis. Denique amo Martyres, specto Martyres. Quando leguntur Passiones Martyrum, specto. Dic mihi : Talis sis, et laudasti. Tu specta Mimum, specta Pantomimum; dicam tibi : Talis sis, et noli irasci. Si autem dico tibi : Talis sis, et irasceris, faciunt te reum non verba mea, sed iracundia tua. Irascendo judicas de te ipso. Ecce quod amas, quod esse formidas. Opportune de spectaculo sanctorum Machabæorum, quorum victoriæ memoriam hodie celebramus, de spectaculis theatricis admonenda visa est Charitas Vestra. O fratres Bullenses (*a*), circumquaque prope omnibus civitatibus vicinis vestri lascivia pietas obmutuit. Non erubescitis, quia apud vos solos remansit turpitudo venalis? An delectat vos, inter frumentum, vinum, oleum, animalia, pecora, et quæcumque in Romanis (*b*), vel nundinis venundantur, etiam turpitudinem emere, et vendere? Et fortassis ad talia commercia huc veniant peregrini, et dicitur : Quid quæris? Mimos, Meretrices? Bullæ habes. Gloriam putatis? Nescio, an sit major infamia. Omnino, fratres mei, ex dolore dico, vicinitas aliarum civitatum condemnat vos in conspectu hominum, et in judicio Dei. Quisquis vult malum imitari, vos proponit. Ad Hipponem nostram, ubi jam talia pene defecerunt, turpes istæ Personæ de vestra Civitate ducuntur. Sed forte dicitis : Nos Carthagini similes sumus. Quomodo apud Carthaginem est plebs sancta et religiosa, sic tanta turba est in magna civitate, ut se excusent omnes de aliis. Pagani faciunt, Judæi faciunt : potest dici Carthagine. Hic, quicumque faciunt, Christiani faciunt. Cum magno dolore vobis hæc dicimus. Utinam aliquando vestra correctione vulnus cordis nostri sanetur! Dicimus Charitati Vestræ : Novimus in nomine Dei Civitatem et vestram, et vicinas vobis, quanta est hic multitudo, quantus populus. Potestis nisi noti (*a*) omnes ei, qui vobis dispensator est constitutus Verbi, et Sacramenti? Quis excusat ab hac turpitudine? Ecce Ludi sunt. Non eant Christiani, et videamus, si non tanta erit solitudo, ut sibi erubescat ipsa turpitudo. Videamus, si non ipsæ personæ turpes aut ad Dominum convertentur, et liberabuntur, aut, si in sua turpitudine permanebunt, de ista Civitate migrabunt. Hoc vobis præstate vos, Christiani. Theatra nolite intrare.

VIII. Sed paucos vos video. Ecce veniet dies Passionis Christi, ecce veniet Pascha, et ista spatia multitudinem vestram non capient. Ergo ipsi hæc loca implebunt, qui modo Theatra implestis? Vel comparate loca, et contundite pectora? Dicitis fortasse : Bene vos ab istis abstinetis, qui Clerici estis, qui Episcopi estis, non autem nos Laici. Itane vero hæc vox justa vobis videtur? Quid enim sumus nos, si peritis vos? Aliud est, quod sumus propter nos; aliud, quod sumus propter vos. Christiani sumus propter nos, Clerici et Episcopi non nisi propter vos. Apostolus non Clericis, non Episcopis et Presbyteris loquebatur, quando dicebat : *Vos autem estis membra Christi.* Plebibus dicebat, Fidelibus dicebat, Christianis dicebat : *Vos autem estis membra Christi.* Attendite, in quo corpore membra estis; attendite, sub quo capite in una corporis compage vivatis. Videte unum Spiritum, quem ab illo accepistis. Ipsa replico verba Apostoli : *Tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis* (*1 Cor.* VI, 15)? Et Christiani nostri non solum diligunt, sed etiam instituunt meretrices? Non solum diligunt eas, quæ erant, sed instituunt eas, quæ non erant, quasi non et ipsæ animas habeant, quasi non et pro ipsis effusus est sanguis Christi, quasi non dictum sit : *Meretrices et Publicani præcedunt vos in regnum cœlorum* (*Matth.* XXI, 31)? Cum ergo debeamus ipsas lucrari, cum illis perire eligitur, et hoc a Christianis fit! Nolo dicere, et a Fidelibus. Catechumenus forte contemnit se. Catechumenus, inquit, sum. Catechumenus es? Catechumenus. Alia frons tua accepit Christi signum, et aliam tollis ad Theatrum? Ire vis? Muta frontem, et vade? Ergo frontem, quam non potes mutare, noli perdere? Nomen Dei super te invocatur, Christus super te invocatur, Deus super te invocatur, signum crucis Christi tibi in fronte depingitur, atque fingitur. Omnes exhortor, omnes alloquor. Videbitis, quam honestiores eritis in nomine Domini nostri Jesu Christi.

IX. Audeo dicere : Vicinam civitatem vestram imitamini? Vicinam civitatem Simittu (*b*) imitamini? Nihil aliud vobis dico. Apertius vobis dico in nomine

(*a*) Bulla dicta *Regia* urbs Africæ inter Hipponem, et Carthaginem, Plin. L. V. c. 3. Ptolemæo Βουλλάρια, *Augustino* memorata L. VII. *de Bapt. contra Donat.* c. 24. et in Conc. Carthag. II, an. 390 et III, an. 397, et in *Notit. Provinc. et civit. Afr.* a quibusdam Victori Vit. tributa T. I. *Opp. Sirmondi.* et T. VIII. *Bibl. PP. Lugd.* Putatur hodie urbs dicta Bejie inter Tunetum et Constantinam. Confer *Baudrand Lexicon geogr.* et *Itiner. antonini* edit. *Wesseling*, p. 45.

(*b*) An excidit : *foris?*

(*a*) Fortasse supplendum : *esse.*

(*b*) Simittuense oppidum *Plinio.* L. V. c. 4. *Ptolemæo* Σιμιθθοῦς 6. mill. pass. a Bulla Regia. Inter Episcoporum Nomina apud *Vict. Vit. supra cit.* occurrit Deuterius *simminensis*, et Florentius *seminensis*, quorum alterutrum huc pertinere arbitror. Confer Baluz. *Collect. conc.* in notis ad *Collat. Carthag.* et *Baudrandi Lex geogr* et *antonini Itiner. supra cit.*

Domini Jesu Christi. Nemo ibi intrat in Theatrum. Nullus ibi turpis remansit. Legatus ibi voluit agere hujusmodi turpitudines. Nullus principalis, nullus plebeius intravit. Nullus Judæus intravit. Ipsi honesti non sunt? Illa Civitas non est? Illa Colonia non est tanto honestior, quanto istis rebus inanior? Hæc vobis non diceremus, si bona de vobis audiremus. Si autem tacuerimus, timeo, ne pariter judicemur. Voluit ergo Deus, fratres mei, ut transirem hac. Frater meus (*a*) tenuit me, jussit, rogavit, compulit, ut verbum vobis facerem. Unde facerem, nisi unde plus timeo? Unde facerem, nisi unde plus doleo? Nescitis me et nos omnes gravissimam rationem reddituros Deo de laudibus vestris (*b*)? Putatis, quod istæ laudes honorent nos? Onerant, non honorant. Valde gravis de illis laudibus ratio redditur. Valde timeo, ne dicat nobis Christus in judicio suo : Mali servi, laudes populi mei libenter accipiebatis, et mortem ipsorum eis tacebatis. Præstabit autem Dominus Deus noster, ut de cætero bona de vobis audiamus, et in illius miseratione consolemur de vestra correptione. Tanto enim erit majus gaudium, quanto magna modo tristitia.

## SERMO XVIII.

*In Natali Quadrati Martyris* (*a*).

### SYNOPSIS.

*I. Triplex ambulantium ad Deum genus. II. Pauli exemplum ambulantibus propositum. III. Aliud perfectus viator, aliud perfectus perventor, in Exemplo S. Quadrati. IV. Justitiæ nunc saltem tantum dandum, quantum antea immunditiæ. V. Imo plus dandum justitiæ, quam immunditiæ. VI. Idque deposito omni respectu humano. VII. Et præcipue erga Paganos Christianis insultantes.*

I. Præstitit Dominus Deus noster, cui gratias simul agimus, ut videremus vos, et videremur a vobis, Et si hoc est, unde *Impletum est gaudio os nostrum, et lingua nostra exultatione* (*Psal.* CXXV, 2), quia vidimus invicem in carne mortali, quale erit gaudium nostrum, quando ibi nos videbimus, ubi nihil de nobis invicem timeamus? Apostolus dicit : *Spe gaudentes* (*Rom.* XII, 12) Gaudium ergo nostrum, quod nunc est, in spe est, nondum in re. *Spes autem, quæ videtur, non est*, ait *spes. Quod enim videt quis, quid sperat? Si autem, quod non videmus, speramus, per patientiam expectamus* (*Rom.* VIII, 24, 25). Si autem peregrinantes comites ad invicem gaudent in via, quale gaudium consequentur in patria? In hac via Martyres certaverunt, et certando ambulaverunt, ambulando non hæserunt. Ambulant enim, qui amant. Non enim ad Deum passibus, sed affectibus currimus. Via ergo nostra ambulantes quærit (*a*). Tria sunt hominum genera, quæ odit Deus : Remanentem, retro redeuntem, aberrantem. Ab his tribus generibus malis Domino adjuvante vindicetur, et defendatur gressus noster. Jam vero, cum ambulantes sumus, alius tardius ambulat, alius celerius; ambo tamen ambulant. Excitandi sunt ergo remanentes, retro redeuntes revocandi sunt, errantes in viam ducendi, tardi exhortandi, celeres imitandi. Qui non proficit, remansit in via. Qui forte a meliore proposito declinat ad id, quod deterius reliquerat, reversus est retro. Qui fidem deserit, a via aberravit. Cum tardis sit nobis, sed a celerioribus ratio, cum ambulantibus tamen.

II. Quis est, qui non proficit? Qui se putaverit esse sapientem, qui dixerit : Sufficit mihi, quod sum; qui non attendit eum, qui dixit : *Quæ retro oblitus, in ea quæ ante sunt extentus, secundum intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo Jesu* (*Philipp.* III, 13, 14). Currentem se dixit; sequentem se dixit. Non remansit, non retro respexit, absit ut erraverit, qui viam ipsam docebat, qui et tenebat, et ostendebat. Celeritatem autem ejus ut imitaremur, ait : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* (1 *Cor.* IV, 6). Arbitramur ergo nos, fratres charissimi, in via vobiscum ambulare. Si tardi sumus, prævenite nos. Non invidemus, quærimus quos sequamur. Si autem nos existimatis celeriter ingredi, currite nobiscum. Unum est ad quod omnes festinamus, et qui tardius, et qui celerius ambulamus. Hoc ait ipse Apostolus. *Unum autem, quæ retro oblitus, in ea quæ ante sunt extentus, secundum intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo Jesu.* Ordo verborum est : *Unum autem sequor.* Ut autem hoc diceret, supra quid dixit? *Fratres, ego me ipsum non arbitror apprehendisse* (*Philipp.* III, 13). Ecce, qui non remanet, qui non se arbitratur apprehendisse. Ecce, qui non vult (*b*) peregrinari; ecce, qui non hæret in via, ecce, qui gaudebit in patria. *Ego*, inquit, *Quis ego? Qui plus omnibus illis laboravi* (1 *Cor.* XV, 10); Et tamen, ubi ait : *Plus omnibus illis laboravi*, non dixit : *Ego me non arbitror apprehendisse.* Bene ibi *Ego*, ubi humilitatis locus est, non elationis. *Ego*, inquit, *quantum ad me attinet, non me arbitror apprehendisse.* Hoc ipse. Ubi autem ait : *Plus omnibus illis laboravi*, sequitur : *Non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Numquid Dei gratia non apprehendit? Merito ibi *Ego*. Non apprehendere enim nostræ infirmitatis est, apprehendere adjutorii est gratiæ divinæ, non infirmitatis humanæ. Quis ergo est, qui ostendat nobis? quis est, qui doceat nos? quis est, qui digne insinuet nobis, quomodo verum sit, quod tamen sine dubitatione verum est, non esse in nobis nostrum, nisi peccatum? Hoc noverit pietas, hoc in se accuset infirmitas, hoc sanari appetit charitas! *Non, quia*

(*a*) Loci Episcopus.

(*b*) Quibus Augustinum advenientem excepisse videntur.

(*c*) In Codice *fol.* 57. inscriptus : *Sermo sancti Augustini ep.* De emendatione vitæ, et profectu ad Deum, cum laude S. Quadrati Mart. Ex ipso ingressu patet, hunc etiam Sermonem non Hippone, sed peregre habitum fuisse, ubi vero Quadrati Memoria posita fuerit, ego saltem dicere non possum. Sermonis meminit Possidius in *Indiculo Opp.* c. 9. qui Editioni post præcedentem inseri possit.

(*a*) Sequens Sententia ad verbum legitur *Cod* Bibl. Palat. *theol.* XIX inter Sermones spurios *ad Fratres in Eremo* Serm. 19 a Maurinis non edito. Itaque Sermo pravis notus fuit Impostori, qui spurios illos consarcinavit.

(*b*) Excidit fortasse : *lente*, aut *din.*

*jam acceperim, ait, aut jam perfectus sim* (*Philipp.* III, 12). Et tunc subjecit : *Fratres, ego me ipsum non arbitror apprehendisse, et cum exhortaretur ad currendum*, et, *Ad ea, quæ ante sunt*, cor extendendum, *Quotquot autem perfecti*, ait, *hoc sapiamus* (*Philipp.* III, 15). Supra dixerat : *Non quia jam acceperim, aut jam perfectus sim;* et postea dicit : *Quotquot autem perfecti, hoc sapiamus.* Et ipsum tam magnum Apostolum dixeras esse imperfectum; modo jam plures perfectos invenis, et dicis : *Quotquot autem perfecti, hoc sapiamus.* Est ergo perfectio et perfectio.

III. Est perfectus viator, qui nondum perfectus est perventor. Perfectus viator bene accedit, bene ambulat, viam tenet, sed tamen viator, nondum apprehendit. Nam utique, si ambulat, et in via ambulat, aliquc ambulat, et ad aliquid pervenire conatur. Quo ergo pervenire conabatur Apostolus, nondum apprehenderat. Et hortatur perfectos, ut sciant se nondum esse perfectos, scirent imperfectionem suam. Perfectio viatoris est, scire nondum se pervenisse ad id, quo tendit. Novit enim, quantum transgressus est, quantum illi remaneat. Sciamus ergo nos non esse perfectos, quotquot sumus perfecti, ne remaneamus imperfecti Quid dicemus, fratres? Nonne perfectus Martyr Quadratus (*a*)? Quid quadrato perfectius? Paria sunt latera, undique æqualis est forma, quacumque verterit, statio est, non ruina. O nomen pulchrum demonstrans figuram, et indicans rem futuram. Jam Quadratus et antea vocabatur, et nondum coronabatur. Nondum in tentatione apparuerat, per quam esset ille quadratus, et tamen, quando vocabatur, prænuntiabatur prædestinatus ante mundi constitutionem, et ut hoc vocaretur, hoc in illo compatitur, ut impleretur, et tamen ambulabat, et tamen adhuc in via erat, et quandiu erat in hoc corpore, totum timebatur, et ne remanèret, et ne retro rediret, et ne exorbitaret. Nunc vero cucurrit, viam finivit, in solido stetit, coædificatus est ab artifice arcæ dominicæ, quæ in figura jussa est ædificari de lignis quadratis (*Exod.* XXVII, 1). Modo jam nullam tentationem timet. Audivit vocatorem, audivit illum et ille invocatorem, secutus est salvatorem, portat habitatorem (*b*). Contempsit mundum blandientem, vicit terrentem, evasit furentem. Magna est, fratres, Martyrum gloria, prima in Ecclesia. Quæcumque sunt aliæ, sequentes sunt. Non enim frustra dictum est quibusdam : *Nondum usque ad sanguinem adversus peccatum certastis* (*Hebr.* XII, 4). Quando tolerat, quando sustinet mundum sævientem, qui spernere non potest blandientem?

IV. Ait idem Apostolus : *Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ. Sicut exhibuistis membra vestra deservire immunditiæ ad iniquitatem, sic nunc exhibete membra vestra deservire justitiæ in sanctificationem* (*Rom.* VI, 19). Magnum est valde, quod videtur hortatus. Metiatur se unusquisque in his verbis Apostoli. Non adulatorie palpet se, appendat se, et dicat sibi verum. Quid a me expectat audire? Ipse sibi dicat. Ego disposui speculum proponere, ubi se quisque attendat. Non sum ego speculi fulgor, qui faciem suam intuenti renuntiet. Facies enim illas dico modo, quas habemus intus. Ipsas per aurem convenire possum, videre non possum. Speculum sane propono. Attendat se unusquisque, et renuntiet sibi. Ipsa verba Apostoli, quæ commemoravi, indicem speculi accipite. *Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ. Sicut exhibuistis membra vestra deservire immunditiæ ad iniquitatem, sic nunc exhibete membra vestra deservire justitiæ in sanctificationem.* Quid est *Sic?* Sicut illud, ita et istud. Quando exhibebas membra tua arma iniquitatis peccato ad immunditiam, delectabat te? Interrogo. Attende, responde. Delectabat te? Audio respondentem, etiam tacentem. Non enim faceres, nisi delectaret. Sicut ergo exhibuisti membra tua deservire immunditiæ ad iniquitatem, et cum delectatione ista fecisti, ita delectet te aliquando justitia. Nolo, timore facias, dicit tibi Deus. Numquid enim illud timore faciebas? *Sic*, inquit, *sic. Sicut exhibuistis membra vestra deservire immunditiæ ad iniquitatem, sic nunc exhibete membra vestra deservire justitiæ ad sanctificationem.* Ad justitiam timore compelleris, ad immunditiam amore currebas. Quid pulchrius sapientia? Rogo vos. Digna est vel sic amari, quomodo amata est immunditia. Quando currebas ad immunditiam, prohibebaris, et ibas. Patrem offendebas, et currebas. Paratus eras exhæredari, et ab illius pravitate non separari. Quid dicturus es? Hoc a te exigit justitia, quod de te habuit immunditia. Audistis Evangelium : *Non veni pacem mittere in terram, sed gladium* (*Matth.* X, 34). Dixit se separaturum filios a parentibus. Ergo attende illam machæram. Forte vis Deo servire, et pater prohibet? Quando immunditiam diligebas, etiam patre prohibente currebas. Modo te prohibet justitia amatorem suum. Invenisti et hic patrem prohibentem. Exere libertatem tuam, qui exeruisti tunc cupiditatem tuam. Paratus eras tunc exhæredari, et ab illius immunditiæ pravitate non separari. Paratus esto exhæredari, et a justitiæ pulchritudine non separari. Magnum est, sed justum est. Quis est, qui audeat dicere : Sed plus debuit amari immunditia quam justitia? Interim justitia gradum tibi facit. Certe, inquit, dissimilis sum; certe plurimum distat inter illius immunditiæ tenebras, et lucem meam, inter illam pravitatem et pulchritudinem meam, inter illius decus et decus meum. Certe plurimum distat. Interim gradum pono. Sic volo. Nam plus debeo, plus omnino debeo. Quantum disto, tantum debeo. Sed *Humanum dico*, humanum differo, quare divinum differo? *Humanum dico propter*

(*a*) *S. Quadrati Memoria*, verba sunt God. Henschenii Act. SS. T. VI. Maii ad diem 26. p 369. *post Usuardum adnotem, Notkerum, aliosque recentiores ita inserta est Martyrologio Romano :* In Africa S. Quadrati Martyris, in cujus solemnitate S. Augustinus sermonem habuit. *Addit Baronius ejus Sermonis mentionem fieri in* Indiculo Possidii. *Utinam hic prodeat aliquando !* Et en impletum optimi Senis votum.

(*b*) A Græcis acceptum, quibus varii Sancti, Pilique Θεοφόροι, Χριστοφόροι. Vide Cotelerii *notas ad Epist. S. Ignatii martyris.*

*infirmitatem carnis vestræ.* Ideo *Sic;* quia parco adhuc infirmitati. Ideo *Sicut exhibuistis membra vestra deservire immunditiæ ad iniquitatem,* sic nunc plus quidem debetis, sed saltem sic ambulate, ad hoc pervenite, sed et hinc transite. Interim *Humanum dico,* sed sicut illud, ita et hoc.

V. Numquid Quadratus sic? Non plane sic, sed plus, et digne plus. Attendite enim illas immunditias, et videte, quid de vobis plus exigat pietas et charitas, et justitiæ pulchritudo, et sanctificationis dulcedo. Quid de vobis plus exigat, attendite. Amator immunditiæ facta sua mala sciri non vult; timet, ne inde damnetur, timet inde carcerem, timet judicem, timet carnificem. Uxoris alienæ pudicitiam appetit, maritum fallit, tenebras quærit, conscium perhorrescit, judicem metuit, timet sciri, quia timet inde puniri. Jam vero illud, quod sibi exigit plus pulchritudo justitiæ quod interim distulit Apostolus, cum diceret : *Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ,* audi hoc a Domino : *Quod dico vobis in tenebris,* hoc est, in occulto : *Dicite in luce, et quod in aure auditis, super tecta prædicate* (*Matth.* x, 27). Numquid prædicat super tectum adulter flagitium suum? Sed quare ille non solum non prædicat super tectum, sed quærit occultari tecto? Quare hoc ille? Quia tunc (*a*) usque potuit amor immunditiæ; timet enim detegi, timet puniri. Ili vero amatores illius invisibilis pulchritudinis, amatores illius decoris, ubi est ille *Speciosus forma præ filiis hominum* (*Psal.* XLIV, 3), amatores ergo illius pulchritudinis unde non timent prædicare super tecta, quod in aure audierunt? Quære, unde timeat ille, ne cognoscatur et puniatur; quære, unde iste non timeat. Ipse Dominus secutus adjunxit. Cum enim dixisset : *Quæ dico vobis in tenebris, dicite in lumine, et quod in aure auditis, super tecta prædicate. Nolite,* inquit, *timere eos, qui corpus occidunt* (*Matth.* x, 28). *Ut, quæ auditis in tenebris, in lumine dicatis; ut, quod in aure auditis, super tecta prædicetis : Nolite timere eos, qui corpus occidunt.* Timeat adulter eos, qui corpus occidunt. Cum enim adulter ille perdiderit corpus, voluptatum perdit officinam. Ille timeat perdere corpus, qui vivit ex corpore. Totum enim, quod concupiscit, per corpus operatur; ideo in illo voluptas (*b*) non sufficit, inardescit cupiditate, quoadusque perveniat ad corporis immundissimam voluptatem. Tu autem, Homo Dei! si habes oculos cordis, unde videas pulchritudinem charitatis, unde videas pulchritudinem pietatis; si habes oculos cordis, vide, unde fruaris amata tua. Ut enim ea fruaris, non membra corporis quæris. Timeat perimi corpus amator sordidæ voluptatis, sed *Pax in terra in hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II, 14)!

VI. Quam longe es ab hoc amore, o Christiane! Utinam usque ad illum humanum pervenias, et cum delectatione bene facias, sicut ante cum delectatione peccabas. Si enim cum delectatione bene facis, si cum delectatione in Christum credis, si cum delectatione sapientia ejus pro tua capacite perfruaris, si cum delectatione præceptum audis et facis, cœpit in te esse illud *Humanum propter infirmitatem tuam.* Jam cœpisti habere bonum datum, sed necdum implesti Quadratum. Sed sicut dixi, si pervenisti, accede; adhuc via est. Noli remanere. Est adhuc, quod facias. Noli timere, et abscondere facta tua bona timendo. Reprehensores, exagitatores quid tibi dicunt? Magnus tu Apostolus! de cœlo tibi pendent pedes. Unde venis? Et times dicere : De Ecclesia; ne dicatur tibi : Non te pudet, Barbate, ire, quo eunt viduæ, et aniculæ? Ne audias, times dicere : In Ecclesia fui. Quomodo ferres persecutorem, qui horrescis insultatorem? Et certe tempus est pacis; illi erubescere debuerunt. Erubescunt tam multi, qui accesserunt, et non erubescunt tam pauci, qui remanserunt. Et hi accesserunt, quo? Illi autem remanserunt, ubi? Accesserunt hi ad lucem pacis; remanserunt illi in tenebris confusionis. Non erubescitis glorianda erubescere? Non erubescunt illi pudenda, et vos erubescitis glorianda? Et ubi est, quod audistis : *Accedite ad eum, et illuminamini, et vultus vestri non erubescent* (*Psal.* XXXIII, 6).

VII. Hæc dixi, fratres mei, quoniam scio, et plurimum doleo, timeri linguas paucorum paganorum non sævientium, sed tantum insultantium, et teneri animos credere volentium, cum non acquiescunt in exhortationibus Christianorum. Et quid plura? Aut quid ego dicturus sum? Vides exagitari, nescio, quem paganum, ne fiat Christianus, et tu Christianus taces, pro magno habes, quia tibi parcit, id est, quia tibi non insultat. Quando illum deterret, dicis in corde tuo : Deo gratias! Nihil mihi dixit. Fugis non carne, sed mente. Ibi stas, et fugis. Times, ne in te lingua maledica convertatur, et non subvenis ei, quem debes Christo lucrifacere. Non subvenis, taces, ut dixi, non carne, sed mente fugis, mercenarius es, vides lupum venientem, et fugis (*Joan.* x, 12) Et quid plus ego dicturus sum? Modo audivimus omnes. Dominus terreat. Qui amandus est, ipse metuendus. *Qui me,* inquit, *confessus fuerit coram hominibus.* (Et videte, quando ista dicebat? Quando mundus non credebat, sed fremebat). *Qui me confusus fuerit coram hominibus, confundam eum coram Patre meo, qui in cœlis est. Qui autem me confessus fuerit coram hominibus, confitebor illum et ego coram Patre meo, qui in cœlis est* (*Matth.* x, 32, 33). Vis negari a Christo, an vis confiteri a Christo? Longe habebis insultatorem, quando tui Christum inveneris negatorem. Veniet, quod pollicetur. Qui tanta exhibuit, de solo die judicii fallax invenietur? Absit. Habeant illi perfidiam suam, imo vero et ipsi careant perfidia sua, sed proponite vos illis ad confessionem imitandos, non ad silentium superandos. Illi enim, si invenerint Christianos fortiores infirmorum defensores assertione fidei, libertate confitendi, prudentia docendi, charitate instruendi, silebunt, credite. Quod enim dicant,

(*a*) Fortasse : *huc.*
(*b*) Putem : *voluntas.*

non habent. Vox inanis est. *Cymbalum tinniens* (1 *Cor.* XIII, 1), quod destitit in templis ipsorum, remansit in ore ipsorum.

## SERMO XIX

*De verbis Apostoli* 1 *Cor.* XII, *vers.* 31. Supereminentem vobis viam demonstro, etc. (*a*).

### SYNOPSIS.

*I. Charitas major omnibus donis, quæ etiam haberi possunt absque ea. II. Prophetia sine Charitate in Saül, et ejus Satellitio. III. Prophetia sine Charitate in Caïpha. IV. Fides sine Charitate in dæmonibus. V. Charitatis mutuæ exemplum in membris corporis humani. VI. In membris dignitas diversa, sed magis respicienda sanitas. VII. Donatistæ, membra ægra, præcisi. VIII. Damnatio Crispini, et anterior Donatistarum in causa Cæciliani et Majorini. IX. Ab Ecclesia præcisis patet reditus. X. Ecclesia toto orbe diffusa catholica est, vera est. XI. Donum linguarum primis credentibus datum significabat, Ecclesiam futuram παντάγλωσσον. XII. Hortatur Donatistas ad reditum.*

I. Bonum est loqui de Charitate eis, qui diligunt eam, qua bene diligitur, quidquid diligitur. Est enim secundum Apostolum in Charitate supereminentissima via. Modo legebatur. Audivimus. *Supereminentem*, inquit, *vobis viam demonstro* (1 *Cor.* XII, 31). Deinde narravit multa dona, et ea quidem præclara, nec parvi facienda; nihil tamen ea dixit prodesse hominibus, qui non habuerint Charitatem. In quibus donis commemoravit : Linguis loqui hominum et Angelorum, habere omnem Prophetiam, omnem scientiam, omnem fidem, ita ut montes transferat, distribuere omnia sua pauperibus, tradere corpus suum, ut ardeat (1 *Cor.* XIII, 1-3). Hæc omnia magna atque divina sunt; sed si in fundamento Charitatis collocentur, et de radice Charitatis exurgant. Fuisse autem ex his donis multa in multis, qui non habuerunt Charitatem, non auderemus dicere, nisi doceremur exemplis non quorumlibet hominum, et undecumque petitorum, sed de ipsis sanctis Scripturis, quibus quisquis non habuerit fidem, non potest habere Charitatem. Sed inter præcipua, quæ dicta sunt, magnum ibi apparet vel Prophetia, vel Fides. Quid ergo de cæteris? Si Prophetiam quisquis habens nihil ei prodest, si non habuerit Charitatem, et Fidem quisquis habens non potest pervenire ad regnum Dei, nisi habuerit Charitatem, quid de cæteris loquamur? Vel linguis loqui, quid est ad Prophetiam, et Fidem? Vel distribuere omnia sua pauperibus, quid est ad Prophetiam, et tradere corpus suum, ut ardeat? Plerumque hoc faciunt temerarii præcipites. Ergo illa ibi duo magna sunt, de quibus vere miran-

(*a*) In Codice *fol.* 64. inscriptus : *Sermo sancti Augustini ep. De Charitate.* Tractatus egregius præcipue directus contra schismaticos Donatistas, cujus pars posterior historica est. Memorat Possidius in *Indiculo Opp. c.* 9. *De Charitate Tractatus duos.* Præsens Editionem inserendus post *Sermonem CLXII.*

dum est, si invenire potuerimus aliquem hominem habere Prophetiam, et non habere Charitatem, aut habere Fidem, et non habere Charitatem.

II. De Prophetia exemplum nobis dat Regnorum liber. Saül persecutor erat sancti David (1 *Reg.* XIX). Cum eum persequeretur, et mitteret satellites, qui eum arriperent ad pœnas, illi, qui missi erant, ut adducerent David occidendum, invenerunt eum inter Prophetas, ubi erat et Samuel sanctus Annæ sterilis filius, quem concipiendum a Domino petierat, a Domino acceperat, et natum Domino dederat. Eo ergo tempore erat Samuel, quo tempore erat David, præstantissimus ille Prophetarum, nam ab ipso unctus est David. Cum itaque persecutionem a Saüle pateretur, confugit ad Samuëlem, sicut modo verbi gratia, qui forte foris aliquam persecutionem patitur, confugit ad Ecclesiam. Ergo eo confugerat, ubi erat non solus Samuel præstantissimus omnium Prophetarum, sed etiam multi cæteri Prophetæ. Inter illos, cum essent prophetantes, venerunt missi a Saüle, qui eum, sicut dixi, ad mortem arriperent. Insiluit in illos Spiritus Dei, et cœperunt prophetare, qui venerant hominem sanctum et justum Dei ad gladium adducere, et eruere de medio Prophetarum. Repente impleti Spiritu Dei Prophetæ facti sunt Fuerit hoc fortasse istorum innocentia; non enim sponte ad illum arripiendum venerant, sed a Rege suo missi erant. Et forte venerant quidem ad eum locum, ubi erat David, sed non erant facturi, quod jusserat Saül. Forte et ipsi remansuri erant. Nam et hodie contingunt hæc. Mittitur aliquando apparitor a magna Potestate rapere aliquem de Ecclesia. Non audet facere contra Deum, et ne et ipse incurrat gladium, remanet ibi, ubi missus erat, ut raperet. Dixerit ergo aliquis admirans, quod Prophetæ isti repente facti sunt, quia innocentes fuerunt, testimonium illis innocentiæ ipsa Prophetia perhibuit. Venerunt missi, sed facturi non erant, quod jusserat malus ille. Credamus hoc de istis. Missi sunt alii. Et in ipsos insiluit Spiritus Dei, et ipsi prophetare cœperunt. Et hos cum illis innocentiæ merito numeremus. Missi sunt tertii. Hoc et ipsis factum est. Fuerint omnes innocentes. Cum tardarent, et non fieret, quod Saül præceperat, venit et ipse. Numquid et ipse innocens? Numquid et ipse missus ab aliqua potestate, et non perversus propria voluntate? Et in illo (*a*) tamen insiluit Spiritus Dei, et prophetare cœpit. Ecce Saül prophetat habens Prophetiam, sed non habens Charitatem. Factum est Vas quoddam, quod ab Spiritu tangeretur, non quod ab Spiritu mundaretur.

III. Tangit enim aliqua corda ad prophetandum Spiritus Dei, nec tamen mundat. Et si tangit, et non mundat, forte inquinatur ipse Spiritus? Divinæ enim substantiæ est, omnia contingere, nusquam inquinari. Nec miremini, si lux ista, quæ de cœlo funditur, omnia ubique sparsa immunda contingit, nusquam de immundo fuscatur Nec ista sola, quæ de cœlo, sed

(*a*) Lego : *illum*, ut paulo ante : *in ipsos.*

etiam illa, quæ de lucerna mittitur, contingit, quacumque duxeris lumen, et fortasse, quisquis per cloacam transeat, ipse, si tetigerit, polluitur; si autem fert lucernam, splendor lucernæ supra omnia transit, nusquam maculam contrahit. Si hoc potuit Deus donare corporalibus luminibus, ipse lumen verum, et æternum, et incommutabile potest alicubi coinquinari? Aut potest alicubi deesse lux Dei, de qua dictum est : *Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* (1 *Sap.* VIII, 1)? Tangit ergo quod vult, et mundat quod vult. Non quodcumque tetigerit, mundat, sed, quod mundaverit, tangit. Saülem itaque persecutorem Dei Spiritus non mundavit, sed tamen ad prophetandum tetigit. Caïphas princeps Sacerdotum Christi persecutor erat, et tamen Prophetiam locutus est, quando ait : *Expedit ut unus homo moriatur, et non tota gens pereat* (*Joan.* XI, 50). Secutus Evangelista exposuit Prophetiam, et ait : *Hoc autem non a se dixit, sed, cum esset Pontifex, prophetavit* (*Ibid.* 51). Prophetavit Caïphas, prophetavit Saül. Habebant Prophetiam, sed Charitatem non habebant. Numquid Charitatem habuit Caïphas, qui persequebatur Filium Dei, quem ad nos Charitas duxit? Numquid Charitatem habebat Saül, qui persequebatur eum, per cujus manum fuerat ab hostibus liberatus? Non solum invidus, sed et ingratus. Ergo probavimus posse esse in aliquo Prophetiam, et non esse Charitatem. Istis autem Prophetia prodesse non potest, secundum Apostolum. *Si Charitatem*, inquit, *non habeam, nihil sum* (1 *Cor.* XIII, 2). Non ait : Nihil est Prophetia, aut nihil est Fides ; sed nihil sum ego, si non habuero Charitatem. Habens magna nihil est, quamvis magna habeat, nihil est. Ipsa enim magna, quæ habet, non habet ad adjutorium, sed habet ad judicium. Non magna habere magnum est, sed bene uti magnis magnum est. Non autem utitur bene, qui non habet Charitatem. Etenim non utitur bene aliqua re, nisi voluntas bona. Voluntas bona esse non potest, ubi Charitas non est.

IV. Quid de Fide? Invenimus aliquem habere et Fidem, et non habere Charitatem? Multi sunt, qui credunt, et non amant. Nec enumerandi sunt homines. Dæmones invenimus credidisse quod credimus, et non amare quod amamus. Nam, cum argueret apostolus Jacobus eos, qui sibi putabant sufficere, ut crederent, et nolebant bene vivere, quod non fit, nisi de Charitate ; bona enim vita ad Charitatem pertinet, nec potest habens Charitatem male vivere, quia hoc ipsum bene vivere nihil est aliud, quam impleri Charitate. Cum ergo quidam jactarent se, quod credidissent in Deum, et nollent bene vivere, atque congruenter tantæ Fidei, quam perceperant, dæmonibus eos comparavit dicens : *Tu*, inquit, *dicis, quia unus est Deus. Bene credis; sed et dæmones credunt et contremiscunt* (*Jacob.* II, 19). Si ergo tantummodo credis, et non diligis, adhuc cum dæmonibus tibi commune est. Petrus dixit : *Tu es Filius Dei; et dictum est illi : Beatus es, Simon Bar-Jona, quia non revelavit tibi caro et sanguis, sed Pater meus, qui in cœlis est* (*Matth.* XVI, 16, 17). Invenimus et dæmones dixisse : *Quid nobis et tibi est, Fili Dei* (*Id.* VIII, 29)! Filium Dei confitentur Apostoli, Filium Dei confitentur et dæmones. Confessio videtur par, dilectio dispar. Illi credunt, et amant, illi credunt et timent. Amor expectat præmium, timor pœnam. Ergo invenimus posse quemquam habere etiam Fidem, et non habere Charitatem. Nemo ergo se jactet de quocumque Ecclesiæ dono, si forte eminet in Ecclesia aliquo attributo sibi dono, sed videat utrum habeat Charitatem. Nam locutus est idem apostolus Paulus, et enumeravit multa dona Dei (1 *Cor.* XII), in membris Christi, quæ est Ecclesia, et ait dona propria quibusque Membris esse attributa, nec posse fieri ut omnes habeant unum donum. Nec quisquam tamen sine dono remanebit. Apostolus ait Prophetas, Doctores, Interpretatores, linguis locutores, habentes virtutes sanitatum, habentes adjutoria, gubernationes, genera linguarum. Dicta sunt hæc, et alia videmus in aliis, alia in aliis. Non ergo doleat aliquis, non sibi esse concessum quod videt alii concessum. Habeat Charitatem, non invideat habenti, et cum illo habet, quod non habet. Quidquid enim habuerit frater meus, si non invidero, et amavero, meum est. In me non habeo, sed in illo habeo. Non esset meum, si in uno corpore, et sub uno Capite non essemus.

V. Sinistra manus verbi gratia in corpore habet annulum, et dextra non habet. Numquid illa sine ornamento remansit? Respice singulas manus, et videbis unam habere, aliam non habere. Respice compagem corporis, cui hærent ambæ manus, et vide eam, quæ non habet, in illa habere, quæ habet. Oculi vident, qua eatur ; pedes eunt, quo oculi prospiciunt. Nec pedes possunt videre, nec oculi ambulare. Sed respondet tibi pes : Habeo et ego lumen, sed non in me, sed in oculo. Non enim oculus sibi videt, et mihi non videt. Dicunt et oculi : Et nos ambulamus, non in nobis, sed in pedibus. Non enim pedes se ipsos portant, et nos non portant. Singula ergo membra singulis et propriis officiis distributa peragunt, quod imperat animus. Omnia tamen in uno corpore constituta et unitatem tenentia nec arrogant sibi, quod altera membra habent, si forte illa membra non habent, nec putant esse a se alienum, quod in uno corpore similiter habent. Denique, fratres, si alicui membro corporis molestiarum aliquid accidat, quæ membra suum auxilium denegabunt? Quid tam extremum videtur in homine, quam pes? Et in ipso pede quid tam extremum, quam planta? Et in ipsa planta quid tam extremum, quam ipsa cutis, unde terra calcatur? Ita tamen hoc extremum universi corporis compage detinetur, ut, si in ipso loco spina calcetur, ad auxilium spinæ eruendæ omnia membra concurrant. Continuo complicantur poplites, curvatur spina, non illa, quæ hæsit, sed quæ totum dorsum continet, sedetur, ut spina eruatur; jam sedere, ut hoc fiat, totius corporis est. Quam exiguus locus in molestia est! Tantillus locus est, quantum spina pungere potuit, et tamen illius extremi, et exigui loci molestia a

toto corpore non relinquitur. Cætera membra nihil dolent, et in illo uno loco omnia dolent. Ipse inde Apostolus dedit Charitatis exemplum, exhortans nos, ut ita nos diligamus invicem, quemadmodum se in corpore diligunt membra. *Si patiatur*, inquit, *unum membrum, compatiuntur et alia membra, et si glorificatur unum membrum, congaudent omnia membra. Vos estis corpus Christi et membra* (1 *Cor.* XII, 26). Si se diligunt membra, quæ habent caput in terra, quomodo se debent membra diligere, quorum caput in cœlo est. Certe nec ipsa se diligunt, si a suo capite deseruntur. Cum vero illud caput ita sit caput, et ita exaltatum sit, et ita in cœlo ad dextram Patris collocatum, ut tamen laboret in terra, non in se, sed in membris suis, ita ut dicat in fine : *Esurivi, sitivi, hospes fui;* quando ei dicetur : *Quando te vidimus esurientem, et sitientem?* et tanquam respondeat : Ego caput in cœlo eram, sed in terra membra sitiebant, denique ait : *Cum uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*, rursusque non facientibus : *Cum uni ex minimis meis non fecistis, neque mihi fecistis* (*Matth.* XXV, 35-45), huic capiti non nisi per Charitatem connectimur.

VI. Sic enim, fratres, singula membra in officiis suis videmus agere opus proprium, ut oculus videat, non autem operetur; manus autem operetur, non tamen videat; auris audiat, nec videat, nec operetur; lingua loquatur, nec audiat, nec videat, et cum sint singula suis officiis distincta atque discreta, una tamen compage corporis colligata habent aliquid commune in omnibus. Officia diversa sunt, sanitas una est. Hoc est ergo in membris Christi Charitas, quod est in membris corporis sanitas. Meliori loco positus est oculus, in eminenti, et tanquam ad consilium in arce constitutus, unde prospiciat, unde videat, unde ostendat. Honor magnus in oculis, et loco, et sensu ardentiore, et agilitate, et vi quadam, quam cætera membra non habent. Proinde plerumque homines per oculos suos jurant, quam per quodlibet alterum membrum. Nemo alicui dixit : Sic te diligo quomodo aures meas, et est aurium sensus oculis suppar, et proximus. Quid de cæteris dicam? Quotidie dicunt homines : Sic te diligo tanquam oculos meos. Et Apostolus significans majorem in oculis habere (*a*) dilectionem, quam in cæteris membris, cum se dilectum ab Ecclesia Dei diceret, ait : *Testimonium enim vobis perhibeo, quia, si fieri posset, oculos vestros eruissetis, et dedissetis mihi* (*Galat.* IV, 15). Nihil ergo in corpore sublimius oculis et honoratius, et nihil in corpore extremius fortasse, quam digitus minimus pedis. Cum ita sint, expedit tamen in corpore digitum esse, et sanum esse, quam oculum esse, et in perturbatione lippire. Sanitas enim, quæ communis est omnibus membris, pretiosior est officiis singulorum. Ita vides in Ecclesia hominem parvum aliquod donum habentem, et tamen habentem Charitatem; alterum eminentem forte in Ecclesia aliquo majore dono, et tamen non habentem Charitatem. Ille sit extremus digitus, ille sit oculus. Ille magis pertinet ad corporis compaginem (*a*), qui potuit obtinere sanitatem. Denique molestum est corpori cætero, quidquid ægrotarit in corpore, et datur quidem ab omnibus membris opera, ut sanetur, quod ægrotum est, et plerumque sanatur. Si autem sanatum non fuerit, et tantam putredinem conceperit, quæ sanari non possit, ita consulitur omnibus membris, ut de corporis compage perdatur.

VII. Fuerit ergo, nescio quis, Donatus, quasi oculus in corpore, fuerit; ita non scimus, qualis fuerit, sed prorsus talis fuerit, qualis dicitur, quid illi profuit excellentia honoris et gloriæ? Tenere non potuit sanitatem, quia non habuit Charitatem. Denique ita isti putrefacti sunt, ut necessario præciderentur, et quod se habere aliquos dicunt, vermes putredinis sunt. Præcisi vermes sunt, nec sanitatem possunt admittere. Etenim tandiu membrum admittit sanitatem, quandiu est de corpore non præcisum. De cæteris enim sanis manat sanitas ad vulneris locum; cum autem fuerit præcisum membrum, ubi vulnus est, qua, et unde ad illud sanitas veniat, non invenitur. Ideo et sarmentis præcisis comparantur, et concurrit cum apostolica lectione evangelica lectio. Et ibi enim Dominus, ut maneamus in illo, non nobis maxime commendavit nisi Charitatem : *Ego sum*, inquit, *vitis, vos estis sarmenta, Pater meus est agricola. Sarmentum omne, quod in me dat fructum, purgat illud, ut magis fructum afferat; quod autem in me non dat fructum, præcidet illud* (*Joan.* XV, 1, 2). Fructus de ipsa Charitate, quia non venit fructus nisi de radice. Dicit autem Apostolus : *Ut in Charitate radicati et fundati* (*Ephes.* III, 17). Ibi est ergo radix, unde omnis fructus exurgit. Qui cœpit dissentire a radice, quamvis videatur aliquantum manere, aut præcisus est latenter, aut aperte etiam præcidendus; fructum enim afferre nullo pacto potest. Illi erant aliquando in unitate. Præcisi sunt. Unde præcisi sunt? Ab unitate. Sed vos estis, inquiunt, præcisi. Quid facimus? Ego dico : Vos estis præcisi. Vos dicitis : Vos estis præcisi. Judicet Deus. Distulimus itaque quæstionem, et ad judicium Dei misimus? Non plane. In multis rebus facimus hoc, ubi nondum apparet sententia Dei. Ubi autem apparet, utamur, non differamus. Scripturam profero, et video, quis unde præcisus sit. Si enim Scriptura testimonium perhibuit Parti Donati, alicui Ecclesiæ in terrarum aliqua parte constitutæ, sicut in parte Africæ constituta est Pars Donati, dicant nos præcisos, et dicant se esse radicatos. Si autem Scriptura testimonium non perhibet nisi Ecclesiæ, toto orbe diffusæ, quid quærimus litis nostræ judicem hominem? Deum habemus. Nondum præsidet in judicio, jam præsidet in Evangelio.

VIII. Judicatus est modo Crispinus hæreticus (*b*). Sed quid ait? Numquid evangelica sententia superatus sum? Inde se asserens victum non esse, quia

(*a*) Melius : *haberi*.

(*a*) Pro *compagem*, ut Ovid. Cels. Seneca, Plin. etc.

(*b*) Anno 404. Vide Augustini *Vitæ* L. V. c. 11. T. XI. edit. *Maur. col.* 239. ipsumque Augustinum variis locis.

Proconsul contra illum judicavit, non Christus. Si ergo judicium hominis parvi pendit, quare a Proconsule ad Imperatorem appellavit? Ipsius Proconsulis judicium ipse flagitavit, ipse dixit : Audi me. Non sum hæreticus. Cujus judicium flagitasti ejus judicium displicet tibi? Quare? Quia contra te judicavit? Si pro te judicaret, bene judicaret. Quia contra te judicavit, male judicavit. Antequam judicaret, bonus judex erat, cui dixisti : Non sum hæreticus. Audi me. Sed judicavit Proconsul, inquit, secundum leges Imperatorum, non secundum leges Evangelii. Ita fecerit, secundum leges Imperatorum Proconsul judicaverit. Si ergo male contra te judicant Imperatores, quare a Proconsule ad eorum judicium provocasti? Jam erant leges Imperatorum contra te, an nondum erant? Si nondum erant, non secundum ipsas Proconsul judicavit. Si jam erant, numquid pro te Imperatores contra leges suas judicaturi sunt? Deinde quæro abs te : Ipsæ leges Imperatorum quæ sunt contra te? Quid factum est? doce me! Manifestum est enim, et non negatur, multas Imperatorum leges esse adversus ipsos. Unde hoc contigit? Unde hoc factum est? Nos forte persecuti sumus, et multa mala Imperatoribus de vobis diximus? Hoc quidem dicunt his, quos miseros decipiunt imperitos. Causam enim, quemadmodum illo tempore gesta est, penitus occultant eis, quos decipere volunt. Sed, quantumlibet occulteut, eruitur, patescit, publicatur, in notitiam profertur etiam invitorum, et recusantium. Claudentes oculos, ac nolentes lucem videre ipsa lux feriat. Non eis liceat dissimulare manifesta! Non eis liceat averti a patentibus! Non eis liceat aperta operire! Urgeam eos manifesta veritate. Vos Imperatoris judicium flagitastis. Mentimini! inquit. Extant chartæ publicæ (*a*). Ipsi Donatistæ de Parte Majorini, qui prior ordinatus est, contra Cæcilianum adierunt Proconsulem tunc Anullinum (*b*), et detulerunt libellos accusatorios de nomine Cæciliani, et in aluta (*c*) signatos, dicentes, sed adversus Cæcilianum crimina (*d*) quæ illo libello scripsissent, et rogantes, ut ipsam accusationem eorum mitteret ad comitatum (*e*) Imperatori. Extat relatio Anullini Proconsulis scribentis ad Imperatorem Constantinum : quod homines de Parte Majorini venerint ad illum cum libellis de accusatione Cæciliani, rogantes ut eosdem libellos mitteret Imperatori, et se dicit fecisse, quod illi rogaverunt. Scripsit Imperator ad Meltiadem (*f*) episcopum et Marcum, transferens ad illos causam ecclesiasticam, et removens a se. In eisdem litteris scribit Imperator : misisse se chartas missas ab Anullino, et in ipsis litteris ignorat (*a*), quæ illæ chartæ sint, sed in relatione Anullini cognoscitur, quæ hodie publicis codicibus continentur. Deinde scribit idem Constantinus ad Anullinum, ut partes Romam dirigat ad episcopale judicium. Refert etiam Anullinus in extremo : misisse se partes. Vos ergo istis ad Imperatorem, vos causam Ecclesiæ ad humanam potestatem detulistis. Ille melior, quam vos. Vos enim ad Imperatorem deferebatis, ille ad Episcopos. Dicta est causa in episcopali judicio illis primo accusantibus. Prolata est sententia pro Cæciliano. Illi non contenti judicio ecclesiastico murmurare cœperunt, rursus eumdem Imperatorem adierunt, post episcopale judicium quærentes imperiale judicium. Dedit alterum ecclesiasticum apud Arelatum (*b*). Ab ipso etiam judicio illi ad ipsum Imperatorem appellaverunt. Victus importunitate eorum voluit et ipse causam suscipere, atque cognoscere. Suscepit, cognovit, Cæcilianum innocentissimum judicavit, etiam omnes jussiones Imperatorum contra illos. Quid mirum? Cujus judicium flagitasti, ejus sententiam recusare audes? Quare ad illum voluisti deferre judicium? Habebas Ecclesiam in Africa, non habebas in toto orbe terrarum? Sed quo ibant, unde se jam ipsi præciderant? Illi jam in Ecclesia non hærebant, sed Imperator ibi hærebat, ad quem judicium referebatur. Proinde ille mansuetissime Episcopos voluit judicare, et illis postea cessit, ut etiam ipse judicaret. Inde sunt leges adversus vos; videte, si non contra vos. Primo vos ipsi fuistis, vos primi accusatores, vos extremi appellatores, vos novissimi murmuratores. Numquid tamen, inquit, ex Evangelio superatus sum? Ex eo judicio superatus es, quod tu ipse delegisti.

IX. Sed non recusamus evangelicam sententiam. Plane, etsi non diceret, nos legeremus, nos erueremus, nos ostenderemus. Recitetur Evangelium? Videamus, ubi esse dicit Ecclesiam Dominus Jesus Christus. Illi certe et aures nostræ, et corda patere debent. Ipsum audiamus. Dicat nobis, Ecclesia ubi sit. Si in Africa esse dixerit Ecclesiam suam, omnes confluamus in Partem Donati. Si in toto terrarum orbe dixerit Ecclesiam suam, redeant ad corpus membra præcisa, non enim sic fracti sunt rami, ut denuo inseri non possint. Habes apostolum Paulum dicentem. *Sed dicis : Fracti sunt rami, ut ego inserar. Bene. Propter incredulitatem fracti sunt; tu autem fide stas. Noli altum sapere, sed time. Nam, si Deus naturalibus ramis non pepercit, neque tibi parcet* (*Rom.* XI, 19-21). Fracti enim erant Judæi, tanquam rami naturales, et insertæ erant Gentes, tanquam oleaster in olivam. Ex his insertis ramis, et ex hoc inserto oleastro omnes sumus participes olivæ. Sed, sicut minatus erat Apostolus superbientibus ramis oleastri,

(*a*) Anterioris videlicet causæ sub Constantino M. inter Majorinum et Cæcilianum. Vide *Epist. Cleri Hippon.* inter Augustinianas LXXXVIII. edit. *Maur.* T. II. *col.* 213. ipsumque S. Patrem non uno loco.

(*b*) *Anulinum* scribunt Mauriani, et rectius fortasse, quamvis in Aut. Pagii *Insert. Hypat.* ad an. Chr. 199. P. Corn. *Anulinum*, ad an. vero 216. sex. Corn. *Anullinum* habeamus Coss.

(*c*) Tenuior pellicula, membranæ instar, ut videtur, qua obvolvebantur Libelli supplices. Occurrit etiam in *Epistola Cleri supracit.*

(*d*) Videtur omissum : *habere.*

(*e*) Id est, ad *Palatium.* Adi *Ducang. Gloss.* h. v.

(*f*) Melchiadem, Miltiadem Pont. Rom. Quis vero *Marcus* additus? An ille qui deinceps a Melchiade secundus Pontificatum gessit? An unus e tribus Episcopis Gallicis judicio illi adjunctis?

(*a*) Putem : *ignoratur*, et paulo post : *continetur.*

(*b*) Anno 314. altero post damnationem Romanam.

tales isti facti sunt superbiendo, ut cum illis naturalibus ante amputatis, et ipsi superbia præcidi mererentur. Sed quid ait Apostolus? *Et illi*, inquit, *si non permanserint in infidelitate, inserentur* (*Rom.* XI. 23), et tu, si non permanseris in fide, excideris. Nemo ergo in vite superbiat, nemo præter vitem desperet. Si superbis in vite, observa, ne præcidaris. Si præter vitem positi sunt, non desperent, audeant inseri. Non enim manu sua inserendi sunt. Ait enim : *Potens est Deus iterum inserere illos* (*Ibid.*). Non dicant ; Unde fieri potest, res præcisa, ramus fractus ut denuo inseratur? Recte dicis fieri non posse, si interroges humanam facultatem, non, si interroges divinam majestatem. Quid enim? Quod jam factum est a Domino, facere potest aliquis agricolarum? Oleastrum tulit, et in olivam inseruit, et oleaster in olivam insertus non baccas amaras, sed olivam dedit. Faciat hoc modo aliquis ; inserat oleastrum in olivam, videbit nihil procedere, nisi baccas oleastri. Potens ergo fuit Deus non olivam in oleastr', sed oleastrum inserere in oliva, et oleastrum facere participem pinguedinis olivæ, ut exuta amaritudine pinguedine induceretur, et non erit potens te præcisum per superbiam inserere per humilitatem? Bene, inquit, hortaris me, sed prius meo ostende præcisum, ne forte te ipsum hortari debeas, ut ad me venias, non me, ut in te inserar. Audeo dicere : Audi me, et tamen timeo dicere : Audi me. Timeo enim, ne contemnat hominem. Imo hortor, ut contemnat hominem. Si enim contemneret hominem, non esset de Parte Donati. Homo enim fuit Donatus. Ergo, si nostra verba dicimus, contemnamur ; si Christi verba dicimus, ille audiatur, qui non gratis auditur, et non gratis contemnitur. Auditur enim ad præmium, non auditur ad supplicium. Ipsum audiamus. Ipse Dominus dicat nobis.

X. Ecclesiam innumerabilibus locis ostendit, sed tamen commemorem unum aliquod. Post resurrectionem, nostis, fratres, ostendit se Discipulis suis, cicatrices demonstravit, palpandum præbuit, non solum videndum. Illi autem tenentes, et palpantes, et agnoscentes, adhuc tamen præ gaudio hæsitabant, sicut Evangelium nos docet, cui oportet credere, cui nefas est non credere. Dominus autem adhuc hæsitantibus præ gaudio, et dubitantibus intulit firmitatem de Scripturis, et ait : *Hæc dicebam vobis, cum adhuc essem vobiscum, quia oportet impleri omnia, quæ scripta sunt in Lege, et Prophetis, et Psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas, et dixit eis : Quia sic oportebat Christum pati, et resurgere tertia die, et prædicari in nomine ejus pœnitentiam, et remissionem peccatorum per omnes gentes incipientibus ab Jerusalem* (*Luc.* XXIV. 44 47) Ibi tu non es. Ibi ego sum. Quid expectas hominem, qui de te judicet de tribunali? Audi Christum de Evangelio. *Per omnes gentes*, inquit, *incipientibus ab Jerusalem*. Tu ibi es? Communicas omnibus gentibus? Communicas ei Ecclesiæ, quæ diffusa est per omnes gentes incipiens ab Jerusalem? Si communicas, ibi es, in vite es, præcisus non es. Ipsa est enim vitis, quæ crevit, et implevit totum orbem terrarum, corpus Christi, Ecclesia Christi, cujus caput in cælo. Si autem non communicas, nisi Afris, et de Africa, quo potueris, clanculo mittis, qui consolentur peregrinos, non te invenis in Parte remansisse, a Toto præcisum esse? Quid dixisti in judicio Proconsulis? Catholicus sum. Vox est ipsius. De Gestis recitatur. Catholicus Totum tene. *Holon* (*a*) *enim Totum est, et inde appellata est Ecclesia catholica, quia per Totum est. Numquid Catamerica dicta est, et non Catholica? Meros* enim pars est, *Holon* totum est. De græco verbo dicta est Catholica, secundum totum. Ergo communicas Universo? Non, inquit. Ergo in parte es, quomodo Catholicus es? Multum interest inter Totum, et Partem. Unde accipit nomen Catholica? Tu enim accepisti nomen de Parte Donati, Catholica nomen accepit ab universo orbe terrarum. Sed nos dicimus in universo esse, et Deus forte non dicit? Evangelium commemoravi, ex Evangelio recitavi. *Per omnes gentes*, inquit, *incipientibus ab Jerusalem*. Non inde venit ad Africam? Si enim cœpit ab Jerusalem, implendo omnia venit ad te, non siccando. Quis est, qui dicat : Ductus est rivus de fonte, ut veniret ad me, siccavit (*b*) in via, et pervenit ad me? Si in via siccavit, ad te qua pervenit? Utique implendo omnia pervenit ad te. Ingrate rive, quare fontem blasphemas? Nisi manaret, non implereris. Sed timeo, ne tu siccaveris. Etenim omnis rivus a fonte præcisus siccet, necesse est. De siccitate aspera loquuntur adversus Ecclesiam ; lenia loquerentur, si rigarentur. Catholicus sum. Quid est Catholicus? Homo de Numidia? Interroga saltem Græcos. Non est utique Catholicus verbum Punicum, sed verbum Græcum. Interpretem quære. Merito eras in lingua, qui non consentis omnibus linguis.

XI. Spiritus quando venit de cœlo, et implevit eos, qui in Christum crediderant, omnibus linguis locuti sunt, et hoc erat signum illo tempore accepisse Spiritum sanctum, si quis linguis omnium loqueretur (*Act.* II, X *et* XIX). Numquid modo fidelibus non datur Spiritus sanctus? Absit ut hoc credamus, alioquin spem non habebimus. Et illi utique fatentur dari fidelibus Spiritum sanctum, et nos hoc dicimus, hoc credimus, hoc maxime, et in sola Ecclesia catholica fieri assequamur (*c*). Sed illi sint Catholici, illic datur Spiritus sanctus. Nos simus Catholici, hic datur Spiritus sanctus ; modo, quid intersit, non quæramus, qui sint Catholici ; manifestum est, quia datur Spiritus sanctus. Quare modo linguis omnium non loquuntur, qui Spiritum sanctum accipiunt, nisi, quia tunc in paucis figurabatur, quod postea in omnibus ostenderetur? Quid enim pronuntiavit Spiritus sanctus commonens (*d*) corda eorum, quos tunc impleverat, et docens eos linguas omnes? Vix discit homo duas aut tres, aut per magistros, aut per regiones, in quibus

(*a*) Ὅλον. Et mox. Μέρος. Inde, ut Καθολική, formatum Κατα-μερική.

(*b*) Neutrum verbum, ut apud Caton. de Re rust. *Ubi pluerit, et siccaverit.*

(*c*) Ita membranæ, sed rescribo : *attentamur*.

(*d*) Puto : *commovens*.

versatur aliqua consuetudine, ut multum tres, aut quatuor linguas. Omnibus linguis loquebantur, qui impleti a sancto Spiritu erant, verum et locuti repente, non paulatim discentes. Quid ergo tunc ostendebat Spiritus? Dic mihi, quare modo hoc non facit, nisi quia aliquid significando faciebat? Quid significabat, nisi Evangelium per omnes linguas futurum? Audeo dicere. Et modo loquitur Ecclesia omnibus linguis. In omnibus enim linguis clamat Evangelium, et quod modo dicebam de membris, hoc dico et de linguis. Et quomodo dicit oculus : Mihi ambulat pes, sic et pes dicit : Mihi videt oculus, sic et ego dico : Lingua mea est græca, lingua mea est hebræa, lingua mea est syra. Omnes enim una fides tenet, omnes enim una charitatis compago concludit. Quod per Dominum demonstratum est, hoc per Prophetas ante prædictum est. *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum* (*Psal.* XVIII, 5). Ecce quousque crevit Ecclesia, quæ appellatur a Toto, Catholica. Et vide, quia omnes linguæ ierunt per omnes terras. *Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum* (*Ibid.* 4).

XII. Hanc ergo Ecclesiam teneo, tu illam non tenes. Si ergo præcisus es, agnosce, unde præcisus es. Redi, et inserere, ne arescas, et in ignem mittaris. Loquuntur Prophetæ, loquuntur Apostoli, loquitur Dominus de Ecclesia toto orbe diffusa. Contra te dicunt omnes isti sententiam. A Proconsule ad imperiale judicium. Ab Evangelio quo? An forte ad Donatum? Donatus judicabit contra Christum? An Donatum judicat Christus? Quid tibi dicturus est Donatus? Ego Christum meum prædicavi de Africa. Quid ducturus? An : Me pro Christo opposui, et : Ego Christo successi? Hoc restat, ut dicat, quia a corpore præcidere ausus est homines, quia Christo successit. Ecce Christi sententia, ecce Evangelia. *Per omnes gentes*, inquit, *incipiens ab Jerusalem*. Cœpit ab Jerusalem. Ibi venit Spiritus sanctus, ibi erant Apostoli, quando in illos supervenit, inde cœpit Evangelium prædicari, inde diffundi per omnes gentes, inde postea venit in Africam. Quo postea venit? Ipsos deseruit? Imo non deseruit, si nolint. Nam et nos Afri sumus. Utique Evangelium, quod venit in Africam, manet hic in Catholicis Afris, quo modo in omnibus gentibus manet. Nam et per omnes gentes sicut Hæretici, alii ibi, alii hic, et non sunt nati (*a*) Afri, qui sunt in illis gentibus. De vite præcisi sunt. Catholica enim novit omnes, ipsi se non noverunt. Etenim vitis, unde sarmenta præcisa sunt, novit omnia sarmenta, et, quæ in se manent, et quæ de se præcisa sunt. Etenim ubique diffusa est Ecclesia catholica. Illa sarmenta, ubi præcisa sunt, ibi remanserunt, ad alias partes, et alias partes pervenire non potuerunt. Illa autem ubique diffusa ubique tenet suos, ubique plangit præcisos. Clamat ad omnes, ut revertantur, et inserantur. Clamor ejus non auditur, sed tamen ubera Charitatis manare exhortatione non quiescunt. Sollicita est pro præcisis, clamat in Africa ad Donatistas, clamat in Oriente adversus Arianos, adversus Photinianos, adversus alios, atque alios. Quia enim ubique diffusa est, ubique invenit, contra quos clamet, quia in illa erant, et de illa præcisa sunt. Sarmenta cœperunt infructuosa esse, et præcisa sunt. Si non permaneant in infidelitate rursus inserentur. Hæc audite, fratres, cum timore, ne superbiatis; cum Charitate, ut etiam pro illis oretis. Conversi ad Dominum, etc.

(*a*) Membranæ prave : *noti*. Fortasse, quia sequitur : *novit, noverunt*.

## SERMO XX.

*De verbis Psalmi* XXXVIII, *vers.* 1-5. Dixi : Custodiam vias meas, etc. (*a*).

### SYNOPSIS.

*I. Sollicitudo de profectu quotidiano, et inde divini auxilii imploratio. II. Usus Linguæ tam necessarius, quam periculosus. III. Lingua regitur ab animo. IV. Lingua dolosa Judæorum confusa. V. Linguæ bonus usus in muliere adultera. VI. Adulteræ confessio nobis instructio. VII. Quomodo agendum cum conviciatore. VIII. Conviciatoribus ignoscendum, et pro eis orandum. IX. Inquiritur in finem hominis. X. Finis hominis Christus est. XI Fide et operibus hic finis attingitur. XII. Scopus tentationum, et quomodo in iis versandum. XIII. Dictorum repetitio.*

I. Christianorum est, quotidie in Deum proficere, et de Deo, vel de donis ejus semper gaudere. Peregrinationis enim nostræ tempus brevissimum est, et patria nostra sine tempore est. Inter æternitatem enim et tempus multum distat. Hic conquiritur pietas, illic requiescitur. Inde quotidianis diebus, quasi boni negotiatores, noverimus, quid profecerimus. Non tantum enim studiosi esse debemus in audiendo, sed vigilantes in operando. Hæc schola, in qua Deus solus magister est, bonos quærit discipulos, non fugitivos, sed studiosos. Apostolus dicit : *Studio non pigri, spiritu ferventes, spe gaudentes* (*Rom.* XII, 11). In hac ergo schola, fratres, quotidie discimus. Aliud discimus in præceptis, aliud in exemplis, aliud in sacramentis. Sunt ista medicamenta vulnerum nostrorum, et fomenta studiorum nostrorum. Modo respondimus : *Exaudi orationem meam, et precem meam, Domine! Inaurire* (*b*), hoc est : *Auribus percipe lacrymas meas* (*Psal.* XXXVIII, 13). Quid putas, iste petiturus est, qui primo sibimet Deum cupit propitium esse? Quid ab illo expetiturus est? Videamus, discamus. Forte divitias petiturus, forte in hac vita aliquam felicitatem? Dicat ergo nobis, quid petiturus est, qui primo Deum deprecatur. Vidit enim, quod

(*a*) In Codice *fol.* 68. inscriptus : *Sermo sancti Augustini ep.* Agit præci, ue de usu Linguæ, et de fine Hominis. Ut nihil dissimulem, quædam mihi minus cohærere videntur, quædam esse infra Augustini dignitatem, verba etiam *Psalmi* non semel inopportune repeti, et intrudi, atque adeo interpolatorem suspicor. Expendant, qui lectioni D. Doctoris me magis innutriti sunt. Locus in Editione esset post *Sermonem XVI*.

(*b*) Insolens fictio verbi *Inaurior* ad græc. ἐνωτίζομαι, quod LXX, hoc loco.

ex se habere non potuit, sed a Deo habere potuit. Audierat enim : *Petite, et accipietis* (*Joan.* XVI, 24). Noverat ergo, quid esset petiturus, qui primo Deum rogavit. Ergo *Exaudi, Deus, orationem meam!* Et quasi interrogatus : Quid vis, quid pulsas, quid clamas, quid interpellas? Audiam. Quid vis? Quid volo? ait. Audi voluntatem meam, et perfice opera tua. Quæ est voluntas mea? *Dixi; Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea* (*Psal.* XXXVIII, 1). Arduam rem iste disponit, sed non dubitat, quoniam primo Dominum deprecatus est. Noverat enim magisterium Pauli : *Non ego, sed gratia Dei mecum* (1 *Cor.* XV, 10).

II. *Dixi ergo : Custodiam vias meas.* Quas vias? Terrenas. Numquid per linguam ambulamus in terra? Aut pedibus nostris in terra ambulamus, aut pedibus alienis. Aut animalibus vehimur, aut pedibus nostris imus. Quid est ergo? Quam iste viam quærit? Ne delinquat in lingua sua. Magna doctrina, videte, fratres. Numquid enim, quemadmodum una hora possumus cibum accipere, et refecti recedere, sic possumus momento uno loqui etiam, et silere? Quemadmodum enim habemus oculos ad vivendum, aures ad audiendum, cæterosque sensus ad percipiendum, sic iterum linguam ad loquendum. Est nobis magna necessitas linguæ. Aut aliquid auditurus es, ut respondeas, aut aliquid dicturus es, ut doceas. Numquid oculo dicturus, et non lingua? Et si aure auditurus es, lingua responsurus es. Quid facimus de tam utili membro? Inde Deum rogamus, inde satisfacimus, inde laudes dicimus, inde una voce concinentes Deo cantamus, inde quotidianis diebus aut misericordes efficimur, cum aliis loquimur, aut consilia damus. Quid facimus nunc? Ipsa lingua nostra vobis ministerium exhibet. Quid facimus, ut non delinquamus in lingua, maxime cum dictum sit : *Mors et vita in manibus linguæ* (*Prov.* XVIII, 21). Et iterum dictum sit : *Multos vidi cadentes per casum gladii, sed non sic, quomodo qui ceciderunt per linguam* (*Eccli.* XXVIII, 22)? Iterum dictum est : *Et lingua in membris nostris constituitur, quæ maculat totum corpus nostrum* (*Jacob.* III, 6). Inde iterum idem Dominus : *Docuerunt linguam suam loqui mendacium* (*Jerem.* IX, 5). *O docuerunt!* Facit enim consuetudinem loqui mendacium. Etiam, si non vis, illa loquitur mendacium. Quemadmodum enim, si rotam volvas semel (*Jacob.* III, 6), jam, ut manu impuleris, illa ipsa figura et rotunditate, vel ipso instabili, et quasi naturali cursu currit, sic et lingua nostra, opus est (*a*) ut non doceatur loqui mendacium ; jam enim ultro sponte currit ad id, ad quod facilius potest moveri. Aliud habes in corde, aliud illa aliquando volvit ex more. Quid factúrus es? Quæ, videtis, fratres! quæ statera cordis facienda est, ut lingua aliquid proferat! Neque enim sponte movetur. Intus est, qui movet.

III. Est enim quædam vis, quæ se, et cætera ministeria sua movet. Opus est, ut bonus sit ille, qui regit, et quamlibet malam consuetudinem adjutus per gratiam vincit. Bonus sit minister, et quiescit ministerium. Miles habet arma, sed si non ferierit (*a*), nihil faciunt arma. Sic et lingua in membris nostris arma animæ nostræ sunt. De ipsa dictum est : *Inquietum malum* (*Jacob.* III. 8). *O inquietum!* Quis fecit istud malum, nisi inquietus? Tu noli esse inquietus, et non est hoc malum. Tu noli agitare (*b*), et non est, quæ se agitet. Neque enim animus est, ut moveatur; Corpus est enim. Jacet. Noli movere, et non movetur. Vide autem, quomodo moves (*c*). Ipsa est illa, de qua multi fraudibus studentes, et avaritiæ servientes, cum cœperint de negotiis aliquid agere, ejiciunt membrum factum ad laudem Dei, et ibi blasphemant Deum, et dicunt : Per Christum! tantum emi, tantum vendo. Quando (*d*) interrogavi te : Jura mihi, quantum vendis? Ego te interrogavi : quantum vendis? Decem follibus vendo, viginti follibus (*e*). Per Christum juras? Per oculos tuos jura, per filios tuos jura; et ipsa hora contremiscit conscientia. O impietas linguæ! Creatorem contempsisti, creaturam custodisti. *O inquietum malum, plena veneni mortiferi! In ipsa benedicimus Deum, et Patrem.* Deum propter naturam, Patrem propter gratiam. *Et in ipsa maledicimus hominem, qui factus est ad imaginem Dei* (*Jacob.* III, 8, 9). Attendite, fratres, quid portetis! Ecce dico, quid portemus. Et ego enim vobiscum homo sum. Sed recurramus.

IV. *Exaudi, Deus, orationem meam.* Inde sunt illi Judæi, quos modo in Evangelio legimus. Utique lingua illos perduxit ad mortem. Modo enim in Evangelio audivimus. Adduxerunt, inquit, Judæi quamdam mulierem licet meretricem ad Dominum, tentantes illum, et dicentes : *Magister, hæc mulier modo comprehensa est in adulterio* (*Joan.* VIII, 4). In lege Moysis scriptum est, ut quæcumque fuerit in adulterio comprehensa, lapidetur. *Tu quid dicis?* Hoc lingua dicebat, sed creatorem non agnoscebat. Nolebant isti orare, ut dicerent : *Eripe animam meam a lingua dolosa* (*Psal.* CXIX, 2). Dolose enim accesserant, hoc enim volebant agere. Venerat enim Dominus : *Non legem solvere, sed implere* (*Matth.* V, 17), et peccata dimittere. Dixerunt ergo apud se Judæi : Si dixerit : Lapidetur! dicemus ei : Ubi est, quod peccata dimittis? Non tu es, qui dicis : *Donata sunt tibi peccata tua* (*Id.* IX, 5; *Marc* II, 5-9; *Luc.* V, 23)? Si dixerit : Dimittatur! dicemus : Ubi est, quod legem venisti adimplere, non solvere? Videte linguam dolosam ad Deum. Ille, qui venerat redemptor, non damnator (venerat enim *redimere, quod perierat* (*Matth.* XIII, 11) aversus est ab ipsis, quasi conspicere eos nolens. Non vacat aversio ista ab ipsis. Intelligitur aliquid

(*a*) Trajecit voces Librarius. Lege : *Opus non est, ut doceatur*, etc.

(*a*) Ita scripti pro : *fecerit*, quod habent membranæ.
(*b*) Rectius fortasse : *agitari*.
(*c*) Videtur excidisse : *linguam*.
(*d*) Codex habet : *Quare*.
(*e*) Aut pro Marsupiis certam pecuniæ summam continentibus, ut est apud *Juvenal.* et *Veget.* aut pro ipsa quadam Nummorum specie, de qua vide *Sirmondum in not. ad Sermones inquis. opp.* T. I. *Paris.* 1696. *col.* 544. Ipse S. Doctor *Folles* memorat T. V. *col.* 219. et 1199.

in hac aversione. Quasi diceret : Peccatricem mihi adducitis, Peccatores! Si putatis, quia damnare deleo peccata, a vobis incipio. Et ipse, qui venerat donare peccata, ait : *Qui se scit vestrum sine peccato esse, prior in illam lapidem mittat* (*Joan.* VIII, 7). O responsio, vel propositio! Si mittere voluissent lapidem in peccatricem, ipsa hora iterum recitaretur : *In quo judicio judicaveritis, judicabitur de vobis* (*Matth.* VII, 2). Damnastis, damnabimini. Illi tamen, etsi creatorem non agnoscebant, conscientiam suam sciebant. Ponentes invicem faciem post faciem, ut nec ipsi se propter confusionem videre vellent, a senioribus (hoc dixit Evangelista) usque ad minores omnes egressi sunt. Dixerat enim Spiritus sanctus : *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt. Non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum* (*Psal.* XIII, 3).

V. Et exierunt omnes. Remansit solus, et sola. Remansit creator, et creatura; remansit misera (*a*), et misericordia; remansit, qui suum reatum agnoscebat, et qui peccatum dimittebat. Nam ipsum est, quod conversus scribebat in terra. Scripsit enim in terra. Quando enim peccavit homo, dictum est ei : *Terra es* (*Gen.* III, 19). Peccatrici ergo cum daret indulgentiam, dans scribebat in terra. Indulgentiam dabat, sed, cum daret indulgentiam, erigens faciem suam ad illam : *Nemo, ait, te condemnavit* (*b*)? Et illa non dixit : Quare? quid feci? Domine! Numquid enim rea sum? Non hoc dicit; sed ait : *Nemo, Domine!* Semetipsam accusavit. Probare illi non potuerunt, subduxerunt se. Sed illa confessa est cujus Dominus non reatum nesciebat, sed ejus fidem atque confessionem quærebat. *Nemo te condemnavit?* At illa : *Nemo, Domine!* Et *Nemo* propter confessionem peccatorum, et *Domine!* propter indulgentiam meritorum. *Nemo Domine!* Utrumque agnosco. Qui sis, novi. Quæ sim, novi. Tibi enim confiteor. Audivi enim : *Confitemini Domino, quoniam bonus est* (*Psal.* CV, 1). Novi confessionem meam, novi misericordiam tuam. Ista dixit : *Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea.* Illi deliquerunt dolose agendo; ista magis se absolvit confitendo. *Nemo te condemnavit?* Illa inquit : *Nemo.* Et tacens ille iterum scribit. Bis scripsit. Hoc audiamus! Bis scripsit : semel indulgentiam dando, iterum præcepta renovando. Utrumque enim fit, cum indulgentiam accipimus. Subscripsit Imperator. Cum iterum Forma (*c*) procedit, quasi iterum alia præcepta dantur. Ipsa sunt, per quæ primo in Apostolo audivimus charitatem illam imperatam (*d*). Primo enim ipsam lectionem audivimus; inde hoc ipse Dominus dixit : *Diliges Dominum Deum tuum de toto corde tuo, et de tota anima tua, et de tota virtute tua, et diliges proximum tibi tanquam te ipsum. In his duobus præceptis tota Lex pendet, et Prophetæ* (*Matth.* XXII, 37-40).

VI. Ne aliquis nostrum laboraret, duo quædam sunt dicta : Deus et Proximus, qui te fecit, et, cum quo te fecit. Nemo tibi dixit : Dilige solem, dilige lunam, dilige terram, et quæcumque facta sunt. In his laudandus est Deus, benedicendus est Factor. *Quam magnificata sunt opera tua!* dicimus. *Omnia in sapientia fecisti* (*Psal.* CIII, 24). Tua sunt. Tu fecisti omnia. Gratias tibi! Sed nos fecisti super omnia. Gratias tibi! Sumus enim imago et similitudo tua. Gratias tibi! Peccavimus. Quæsiti sumus! Gratias tibi! Negleximus. Non sumus neglecti. Gratias tibi! Cum nos te contemneremus, non sumus contempti. Ne Divinitatem tuam obliti fuissemus, et te amitteremus, tu etiam nostram humanitatem suscepisti. Gratias tibi! Ubi non gratias? *Dixi ergo : Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea.* Illa enim mulier, cum offerretur causa adulterii, accepit indulgentiam, liberata est, onerosum nobis est, quoniam per baptismum, per confessionem, per gratiam accipiunt omnes omnium peccatorum suorum indulgentiam? Sed nemo nunc dicat : Illa accepit indulgentiam; ego adhuc Catechumenus sum. Faciam adulteria, quoniam accepturus sum indulgentiam. Pone et me unum esse, quemadmodum illa mulier (*a*) confessa est, et liberata est. Deus noster bonus est, et, si peccavero, confiteor illi, et dimittet mihi. Bonitatem ipsius attendis, sed justitiam ejus considera. Quomodo bonitatem ad indulgentiam, sic justitiam ad pœnam. *Dixi ergo : Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea.* Vellem scire, si in hoc tempore, quo sermonem Vestræ Charitati ministramus, nemo delinquat in lingua sua. In hoc tempore, quo hic sumus, forte nemo nostrum aliquid locutus est mali, sed forte cogitavit aliquid mali. Attendite. *Dixi : Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea.* Dic vere : *Posui ori meo custodiam, dum consistit peccator adversus me* (*Psal.* XXXVIII, 2).

VII. Attendite. *Posui ori meo custodiam, dum consistit peccator adversus me.* Stat adversus te aliquis improbus, conviciatur tibi, dicit, quæ nescis. Tu pone ori tuo custodiam. *Dixi : Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea.* Dicat ille, tu audi, et tace. Duæ enim res sunt, aut verum dicit, aut falsum. Si verum dicit, tu fecisti, ut diceret, et forte hoc misericordia est. Cum enim tu non vis audire, quod fecisti, Deus, qui curam tui gerit, per aliquem tibi dicit, quod fecisti, ut vel ipso pudore confusus aliquando ad medicinam recurras. Noli ergo rependere malum pro malo; nescis enim, qui tibi per ipsum loquatur. Ergo, si aliquid dicit, quod fecisti, agnosce te misericordiam consecutum, ut aut oblitum te putes, aut ad confusionem tuam hoc dictum esse judices. Si non fecisti, libera est conscientia. Quid quæris? Quid irasceris de eo, quod non fecisti? Quid enim ait tibi : Fur! Ebriose? Cito tu re-

(*a*) Numquid rectius : *miseria?*

(*b*) Ridiculo hic, et his infra pro *condemnavit* Librarius scripsit : *lapidavit.*

(*c*) Id est, Rescriptum, Decretum Principis, unde etiam *Formulæ, Litteræ Formatæ.*

(*d*) Lecta fuerit ante Sermonem *Epistola Jacobi* C. H. ubi v. 8. Legem Charitatis appellat Νομον βασιλικον, quo alludit *imperatam*, et tota de Imperatore similitudo.

(*a*) Hic intersero : *quæ.*

curre intus ad secreta conscientiæ. Vide te intus. Judex esto, discussor tui esto. Quære ibi. Ubi putas, posui peccata mea, quæ feci? Aut, si non sunt, dic : Non feci. Si : Non feci, dicit tibi conscientia tua, dic : *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ* (2 *Cor.* I, 12). Dixit tibi hæc conscientia tua, tace, dole illum dicentem tibi. Dic etiam tu Deo : Pater, ignosce illi, quia nescit quid dicat. Roga pro illo Deum. *Dixi : Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam, dum consistit peccator adversus me.* Noli enim putare, quia tunc videris sanctus, si nemo te tentet. Tunc es sanctus, quando aliquo convicio non moveris, quando doles dicentem, quando non curas quod pateris, sed tamen doles eum, a quo pateris. Ibi est omnis misericordia. Doles, quoniam et ille frater tuus est, membrum tuum est. Insanit adversum te, phreneticus est, ægrotat. Dole illum. Noli gaudere ; tantummodo de conscientiæ tuæ securitate gaude ; inde dole. Homo es enim ; vide, ne et tu tenteris. Dictum est enim : *Onera vestra portate, et sic adimplebitis legem Christi* (*Galat.* VI, 2). Modo, cum dicit, tace ; postea, cum quieverit, dic ei : Frater, per salutem tuam, quare mihi dixisti, quod non feci ? Peccasti in me, rogo Deum pro te. Ego tibi quidem veniam do, et rogo pro te Deum meum, cui fecisti injuriam, cum in me peccasti. Noli ulterius facere, noli superbire ! Non dico : Redde illi, Deus, qui dixit mihi, quod non feci. Nolo hoc dicere. *Posui ori meo custodiam, dum consistit peccator adversus me.*

VIII. *Obsurdui et humiliatus sum* (hoc sequitur) *et tacui a bonis* (*Psal.* XXXVIII, 3). *Obsurdui.* Non illum audivi dicentem. Iste animus quantum profecit, qui etiam intus in fratris errore, et conscientiæ suæ securitate gaudens, quod foris latretur, nescit ! Qualis ista anima est, quam secura, quam gaudens ! Ista est, quæ dicit Deo : *Ambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus tuæ* (*a*) (*Id.* C, 2). Fores effractores pulsabant, sed idonea erat domus. *Obsurdui et humiliatus sum*, non adversus illum superbus extiti. *Et humiliatus silui a bonis ;* nec enim temporis erat, ut aliquid boni dixissem. Tempus est enim, ut taceas modo, posteaquam ille sinceraverit (*b*), loquere, tunc intelliget. Plerumque filii ægrotantes patres suos cæciderunt, tamen illi propter infirmitatem filiorum et vapulabant, et plorabant. Quem affectum adhibent filiis homines, ne moriantur, expectantes salutem filiorum ! Sed : Non est filius meus, ais ? Sed est opus Dei, imago Dei, filius Dei. Si contemnis, quia non est filius tuus, noli contemnere, quia filius Dei est, frater tuus est. Ergo *Obsurdui, et humiliatus sum :* Non superbivi, sed *Silui a bonis, et dolor meus renovatus est*, non de me, sed de ipso, quia non feci, quod dixit. Habui dolorem, sed, quia ita dixit, habui dolorem. Fratris enim mei curam gerens renovatus est in me dolor. Ista est via. Hoc enim fecit ipse Dominus Pater noster, qui etiam ipse Sponsus dictus est. *Non jejunabunt filii Sponsi, ait, quousque cum ipsis est Sponsus* (*Luc.* V, 34). Vapulavit a phreneticis filiis, occiderunt illum phrenetici filii. Rogavit pro illis. Postea sinceraverunt, agnoverunt et crediderunt, et, qui noluerunt curari per medicum, curati sunt per discipulum medici ; per Petrum enim curati sunt. Cum enim illos Petrus increparet, aiunt : *Quid faciemus ?* Ait tunc Petrus : *Pœnitemini, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini Jesu Christi* (*Act.* II, 38). Modo furebant, modo credebant. Videtis, quid facit infirmitas, et sanitas. Quando infirmi fuerunt, tolerati sunt, quando salvi facti sunt, redempti sunt. Inde et nos, fratres quotiescumque talia patimur, taceamus, quo illa teneamus : Aut verum dicit, aut falsum. Etsi non dixerit, et feci, quid ? Quia non dicit, et ego feci, optandum est, ut dicat, ut ego confundar, quia feci. Ista misericordia Dei est. Si autem hoc dicit, quod non feci, gaudeam de mea securitate, doleam de fratris infirmitate. *Caluit cor meum intra me* (*Psal.* XXXVIII, 4), ferbuit cor meum intra me ex dilectione, quam habeo in fratrem, sed tempus loquendi non potui modo facere. Inde ipse Paulus dicit : *Non potui loqui vobis quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus* (1 *Cor.* III, 1). Locutus est tamen. Quomodo locutus est ? Ergo *Caluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescit ignis.* Ignis est in me charitatis. Non habeo, cui dicam, quia infirmus est. Humiliem ergo me. Erit forte aliquando tempus, ut possim aliquid loqui. Tamen *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI, 12). Dimittam illi, quod non habeo in conscientia. Parum est, quia nihil habeo in conscientia, sed rogem illum propter conscientiam.

IX. Jam iste percurrerat : *Dixi : Custodiam vias meas. Ponam ori meo custodiam. Humiliatus sum*, et : *In meditatione mea exardescit ignis.* Nescio quid, subito educit hic aliud majus, et post tot certamina, magnosque labores, audite quid dicat. *Locutus sum in lingua mea* (*Psal.* XXXVIII, 5). Est enim lingua animæ motus ipsius voluntatis. Quemadmodum enim lingua motus est in corpore, sic voluntas motus est in anima. Ibi est prima lingua. Inde est, inde loquitur Deo. Hæc enim lingua ministerium exhibet extra positis hominibus ; illa autem lingua, quæ est in motu voluntatis, ministerium exhibet intus manenti in templo suo. Ipsa est vera lingua. Unde dixit Dominus, eos, qui adorant eum, *In spiritu et veritate* (*Joan.* IV, 23) adorare debere. Ipsa est vera lingua. *Dixi in lingua mea : Notum mihi fac, Domine, finem meum, et numerum dierum meorum, qui sit, ut sciam, quid desit mihi* (*Psal.* XXXVIII, 5, 6). Si attendat Sanctitas Vestra, intelligat primo sententiam, et sic Dominus misericordia sua, qua sæpe consuevit, dabit nobis orationibus vestris, ut possimus hanc discutere, quia satis est ardua. *Locutus sum in lingua mea. Notum mihi fac, Domine, finem meum, et numerum dierum meorum, qui sit, ut sciam, quid desit mihi.* Vi-

(*a*) Emendo : *meæ*.
(*b*) Et paulo inferius : *sinceraverunt*. Non reperio in Glossariis, nisi articipium *sinceratus*

dete, quid oret. *Notum mihi fac, Domine, finem meum.* Finis est, fratres, ubi tendimus, ubi permansuri sumus. Quod exivimus de domibus nostris, finis nobis fuit ad Ecclesiam veniendi. Ergo iter nostrum hic finitum est. Hinc iterum unusquisque ad domum suam finem habet redeundi. Ibi finit, ubi tendebat. Modo ergo in hac peregrinatione constituti finem habemus, ubi tendimus. Ubi ergo tendimus? Ad patriam nostram. Quæ est patria nostra? Jerusalem mater piorum, mater vivorum. Illic tendimus. Finis noster ipse est. Et quia viam nesciebamus. Ipse civis civitatis ipsius fecit se viam. Nesciebamus, qua ire. Anfractus, nescio qui, spinosi, lapidosi, omnino graves erant in via. Descendit huc ipse primus, qui est ibi principalis, descendit quærens cives civitatis illius. Aberravimus enim, et, cum simus cives Jerusalem, facti sumus cives Babyloniæ, facti sumus filii confusionis; Babylonia enim confusio est. Descendit huc quærens cives suos, et factus est civis noster. Non noveramus civitatem istam, provinciam istam non noveramus. Sed, quia nos ad illam non venimus, descendit hac ad cives suos, et factus est ipse civis, non consentiendo, sed suscipiendo. Descendit huc. Quomodo descendit? In forma servi. Ambulavit hic inter nos Deus Homo. Si enim tantummodo Homo fuisset, ad Deum non perduxisset. Si tantummodo Deus fuisset, hominibus conjunctus non fuisset. Suscepit nobiscum conditionis æqualitatem, habens cum Patre Divinitatem. Suscepit nobiscum temporalitatem, habens cum Patre æternitatem. Hic nobiscum æqualis, ibi Patri æqualis. Descendit huc civis noster, et ait: Quid hic facitis? Cives Jerusalem! Imago et similitudo Dei non est erecta, nisi in Jerusalem. Statuæ Dei in hac vita non ponuntur. Laboremus, redeamus! Qua redimus? Ecce substerno me vobis, fio vobis via, ero vobis finis. Imitemini me! *Notum mihi fac, Domine, finem meum!* Ipsum credimus, qui est finis noster.

X. Deus Pater nunc loquitur. Ego dico tibi, o Anima, quam ego feci, o Homo, quem ego feci, ego dico tibi: Finieras. Quid finieras? Perieras. Misi tibi, qui te quæsisset; misi tibi, qui tecum ambularet; misi tibi, qui ignovisset. Inde ambulavit pedibus, ignovit manibus. Inde, quando post resurrectionem ascendit, manus, latus, et pedes ostendit: manus, unde indulgentiam dedit peccatorum; pedes, quibus pacem annuntiavit desertorum; latus, unde cucurrit pretium redemptorum. *Finis ergo legis Christus ad justitiam omni credenti* (*Rom.* x, 4). *Notum mihi fac, Domine, finem meum.* Jam factus est tibi notus finis tuus. Quomodo tibi notus factus est? Finis tuus pauper fuit, finis tuus humilis fuit, finis tuus alapis cæsus est, finis tuus sputis oblitus est, adversus finem tuum falsum testimonium dictum est. *Posui ori meo custodiam, dum consistit peccator adversum me.* Ipse factus est tibi via. *Qui dicit se in Christo manere, debet, quomodo ille ambulavit, et ipse ambulare* (1 *Joan.* II, 6). Est via. Modo ambulemus, non timeamus, ne aberremus. Foris a via non ambulemus; dictum est enim: *Circa viam scandala posuerunt mihi, et circa viam muscipulam* (*a*) *posuerunt mihi* (*Psal.* CXXIX, 6). Et ecce illam misericordiam. Ne in muscipulam incidisses, ipsam misericordiam habes viam. *Notum mihi fac, Domine, finem meum.* Ecce habes finem. Christum redemptorem imitamini. *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* (*Philipp.* III, 17). Paulus quomodo imitatus est Christum? Attendite, quid dixit. *In fame, et siti, in frigore et nuditate,* et cætera usque: *Quis scandalizatur, et ego non uror* (2 *Cor.* XI, 27-29)? *Factus sum omnia omnibus, ut omnes lucrifacerem* (1 *Cor.* IX, 22), *Posui ori meo custodiam, dum consistit peccator adversum me.* Quæ sunt verba Pauli, fratres. *Quis nos separabit a charitate Christi?* Finem attende. *Quis me separabit a charitate Christi? Tribulatio, an pressura, an persecutio, an nuditas, an periculum?* (*Rom.* VIII, 35). O amantem, o ferventem, o currentem, o pervenientem Virum! Quid patiebatur hæc anima, quomodo fervebat, quomodo docebat. *Quis me separabit a charitate Christi? Angustia?* et cætera usque: *An gladius?* Quid passus est iste. Et ne aliquis putaret, quia inde superbiebat, ait: *Fratres, arbitror me non apprehendisse* (*Philipp.* III, 13).

XI. Hoc ut quid: *Notum mihi fac, Domine, finem meum, et numerum dierum meorum, qui sit:* Quantum hic habeo vivere. Ut quid tibi, scire diem? *Ut sciam, quid desit mihi:* Quid desit, sed ad æternitatem. Modo attende Paulum. Post tantos labores dinumeratos adhuc *Me, ait, non arbitror apprehendisse.* Audi dicentem: *Quid desit mihi.* Nemo ergo dicat: Jam multum jejunavi, multum laboravi, multum donavi. Jam omnia præcepta Dei feci. Heri feci, hodie feci, et adhuc hodie erit, si aliquando fecisti. Heri semper hodie habet. Ad crastinum si veneris, hodie habebit, et ad annos decem si veneris, hodie erit. Semper tu hodie dic: *Quid desit mihi.* Si enim Paulus in tantis laboribus miles cœlestis, si enim ille post tantam exercitationem, et post tantas revelationes, raptus usque in tertium cœlum, et audivit ineffabilia verba, et tamen, ne in revelationibus extolleretur, accepit stimulum carnis, qui illum humiliaret, quis est, qui dicere valeat: Sufficit? Inde ergo *Notum fac mihi, Domine, finem meum.* Et ecce habes ante te Christum finem. Non habes jam, quod quæras. Cum jam credidisti, jam agnovisti. Sed non in fide tantum res est, sed in fide, et opere. Utrumque necessarium est. Nam et *Dæmones credunt* (audistis Apostolum) *et contremiscunt* (*Jacob.* II, 19); non autem prodest illis, quia credunt. Parum est fides sola, nisi et opera conjungantur. *Fides, quæ per dilectionem operatur* (*Galat.* V, 6), ait Apostolus. *Notum fac mihi, Domine, finem meum, et numerum dierum meorum, qui sit.* Istud non dicitur, quia, si unusquisque nostrum sciret, quando moreretur, decerneret sibi verbi gratia, ut bene viveret. Inde ipse Magister volens nos sollicitos fieri interrogatur de die, et hora, et dicit: *De*

(*a*) Quod Hebræo רשת et Græco παγις, Augustino et hic et *Enarrat. II. in Ps. XXX.* v. 5. *Muscipula* est.

*die illa, et hora nemo scit.* Nolebat enim, ut illi scirent. Inde dixit : *Neque Filius* (*Marc.* XIII, 32). Hoc est : non vobis expedit, ut sciatis; eritis enim negligentes, non solliciti. Eo magis bene vivetis, cum solliciti fueritis, non, quia nescio diem, nam *Omnia, quæ habet Pater, mea sunt* (*Joan.* XVI, 15). *Notum mihi fac, Domine, finem meum, et numerum dierum meorum, qui sit.* Notum fac mihi istud, ut semper sim sollicitus, quia nescio, quando veniet fur ut noverim, *Quid desit mihi.*

XII. Ibi ergo, fratres, simus cauti, ut noverimus, quid desit nobis. Tentatio Christianorum probatio Christianorum est. Nam qui tentatur, ostenditur illi, quid illi desit. Duæ res sunt. Aut ostenditur illi, quid habeat, aut ostenditur illi, quid desit. Tentatus est Abraham, non, ut ostenderetur illi, quid ille habuisset, sed, ut ostenderetur nobis, quid imitaremur. Tentatus est autem in filio. Quæ illa tentatio fuit? Optavit filium in ætate provecta, de quo jam desperabatur. Tamen, dum promissionem Dei audivit, non hæsitavit omnino, credidit, accepit; meruit, suscepit. Natus est, nutritus est, in ætatem perductus est, lactatus (*a*) est, et dictum est ei: *In semine tuo tuo benedicentur omnes gentes* (*Gen.* XXII, 18). Noverat ille, in quo semine. Habemus enim testimonium in Evangelio. *Abraham concupivit diem meum, ait, videre; et vidit, et gavisus est* (*Joan.* VIII, 56). Noverat ergo. Post illa autem omnia, quæ crediderat, audivit a Deo : Abraham, offer mihi filium tuum sacrificium. Tentatus est (*Gen.* XXII), Quare? Non noverat Deus fidem ipsius? Sed propter nos hæc ostendere dignatus est. Nobis enim dicitur : Offer mihi sacrificium saccelli (*b*) tui; et dubitamus. Quod sacrificium? *Date eleemosynam, et ecce vobis munda sunt omnia* (*Luc.* XI, 41). Et iterum : *Misericordiam volo, quam sacrificium* (*Matth.* IX, 13 *et* XII, 7). Da aliquid de saccello tuo, dicitur tibi, et ligas. Quid si tibi juberetur de filio tuo? Ecce de saccello tuo sic dubitas, de filio tuo quid fecisses? *Ut sciam, quid desit mihi.* Dicturus sum non sine dolore et pudore. Pleræque fœminæ forte volunt Deo servire, et si audaces fuerint, dicunt parentibus : Dimitte me. Virgo Dei volo esse, aut servus Dei volo esse; et audiunt : Nec salva sis, nec salvus sis. Vere non facies, quod vis. Quod ego volo, hoc facies. Quid si diceretur tibi : Occide? Vivis, vita æterna promittitur tibi, ante te est, et resistis, et dubitas, et oppugnas? Certe Christianus es. Quare? Domne (*c*)? Quia Christianus sum, ideo non debeo habere nepotes? Debes habere nepotes? Scis, quantum tibi deest. Quod heri jejunasti? Canta, quod iste dixit : *Notum fac mihi, Domine, finem meum, et numerum dierum meorum, qui sit, ut sciam, quid desit mihi.* Præstet enim Deus, et misericordia ipsius, ut quotidie agitemur, aut tentemur, aut probemur, aut exerceamur, aut (*d*) proficiamus. *Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem, spes vero non confundit* (*Rom.* V, 3).

XIII. Ergo, fratres mei, optemus quotidie scire, qui simus, ne, cum securi sumus, postea veniat dies, et nihil inveniatur de eo, quod putabamus, et dicatur nobis : *In inferno quis confitebitur tibi?* (*Psal.* VI, 6). Ergo, fratres mei, demus operam quotidie proficiendi in Deum, non parcendo rebus caducis, quas hic sumus dimissuri. Attendamus Abrahæ fidem, quia et ipse pater noster fuit, imitemur devotionem, imitemur fidem. Si in filiis nostris tentati fuerimus, non timeamus; si in saccello, non terreamur; si infirmitatibus corporis nostri aliquid fuerit ingestum, spem nostram in Deum collocemus. Christiani sumus, peregrini sumus. Nemo terreatur, patria hic non est. Qui hic vult habere patriam, et istam perdet, et ad illam non veniet. Ut boni filii ad patriam tendamus, ut cursus noster approbetur, et perducatur. Conversi ad Dominum, etc.

(*a*) Rescribo fidenter : *ablactatus.*
(*b*) Ut supra *Serm.* VII. *n.* 3. ubi vide *notam* 6, p. 169.
(*c*) Non inusitata S. Doctori compellatio.
(*d*) Fortassis : *ut.*

## SERMO XXI.

De verbis Psalmi XXXII, *vers.* 1, *Exultate, Justi, in Domino, etc.* (*a*).

### SYNOPSIS.

*I. Quos deceat Laus Dei. II. Non judicandum de Deo temporali Impiorum felicitate. III. Deus a Rectis corde etiam in adversis laudatur. IV. Castigatio divina paterna est. V. Usus facit divitias bonas, aut malas. VI. Exemplum Job Christianis proponitur. VII. Rectitudo cordis Job in omni tentatione. VIII. Dei consilia adoranda, non discutienda. IX. Implorandus tamen in adversis.*

I. In Dei laude gaudere, et laudi Dei vivendo congruere, admonet nos, quod modo cantavimus. *Exultate, justi, in Domino. Rectos decet laudatio* (*Psal.* XXXII, 1). Si enim rectos decet, pravos non decet. Qui autem recti, ipsi etiam justi sunt, quibus dicitur, ut exultent in Domino; ipsos enim decet laudatio. Qui autem pravi, nisi peccatores et iniqui, qui in Domino exultare non possunt, quoniam non eos decet laudatio. Merito dicitur in alio Psalmo : *Peccatori autem dixit Deus : Ut quid tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum* (*Id.* XLIX, 16)? *Quoniam rectos decet laudatio*, et utique justificationes Domini, et testamentum Domini ibi est, ubi laus Domini. Merito et alibi dicitur : *Non est speciosa laus in ore peccatoris* (*Eccli.* XV, 9). Ubi enim non decet, speciosa non est, et ubi speciosa est, ibi decet.

II. Qui sint tamen recti viri proprie, ut quisque agnoscat, utrum in ore suo speciosa sit laus Dei, quærentes Scripturas invenimus hoc modo. Psalmus qui-

(*a*) In Codice *fol.* 71, p. 2. inscriptus : *Sermo sancti Augustini ep. De Divite, et Lazaro.* Ex hac, et Jobi Historia contendit Noster, Virum rectum nec propter Impiorum felicitatem, nec propter calamitates Justorum a laudando Deo desistere debere. Locus hujus Sermonis in Editione post *Sermonem XV.*

dam dicit: *Quam bonus Deus Israël rectis corde.* Et sequitur: *Mei autem pene commoti sunt pedes, quia zelavi in peccatoribus pacem peccatorum intuens* (*Psal.* LXXII, 1-3). Confitetur iste non quidem aversionem, et casum suum, sed tamen periculum. Non enim se recidisse dicit, sed pedes suos nutasse, ut caderet. Hoc enim ait: *Quam bonus Deus Israël rectis corde. Mei autem pene commoti sunt pedes.* Cum autem se per hoc, quod est aversus, discernit a rectis corde, confitetur se aliquando non fuisse rectum corde, et ideo pene commotos pedes suos. *Bonus ergo*, inquit, *Deus Israël rectis corde*; mihi autem aliquando bonus non est visus, quia non eram rectus corde. Non est autem ausus dicere: Non est mihi Deus visus bonus; sed tamen hoc dixit. Cum enim ait: *Bonus Deus Israël rectis corde; mei autem pene commoti sunt pedes*, ostendit, quia propterea moti sunt pedes, quia non ei videbatur bonus. Unde autem non ei visus est bonus Deus? *Paulominus effusi sunt gressus mei. Paulominus* quid est? *Pene effusi sunt.* Unde? *Quia zelavi in peccatoribus pacem peccatorum intuens.* Attendi, inquit, peccatores non colentes Deum, blasphemantes Deum, irritantes Deum. Vidi, quod abundent pace, abundent felicitate, et visum est mihi, quod non recte judicet Deus blasphematoribus suis donans felicitatem. Hoc ergo cum intueretur, id est, felicitatem malorum, dixit nutasse pedes suos, ut non ei videretur bonus Deus. Sed, quia postea cognovit, sicut in ipso Psalmo dicit: *Suscepi, ut cognoscerem*, et addidit: *Hoc labor est ante me;* quare sint iniqui felices, *Hoc labor est ante me*, ait, *donec introeam in sanctuarium Dei, et intelligam in novissima eorum* (*Ibid.* 16, 17); quia, quibus modo iniquis ad tempus datur felicitas, servatur in novissimo pœna sempiterna. Hoc cum cognovisset, factus est rectus corde, et cœpit laudare Deum in omnibus, et in laboribus piorum, et in ipsis felicitatibus impiorum, attendens Deum justum esse retributorem in novissimis, nunc vero dare quibusdam temporalem felicitatem, quibus servat in extremo sempiternam infelicitatem, et quosdam pios exercere in præsenti infelicitate, quibus rursus servat æternam felicitatem, et oportere, ut mutentur vices, tamquam Divitis illius, *Qui epulabatur quotidie splendide* (*Luc.* XVI, 19), et Pauperis illius ulcerosi jacentis ad januam Divitis, et de micis, quæ cadebant de mensa Divitis, saturari concupiscentis. Cum autem mortui essent ambo, ille in pœna in inferno esse cœpit; ille in sinu Abrahæ requievit, et cum indignum videretur Diviti, et vellet sibi de modico digito Lazari stillari guttam aquæ, vicissim de digito ipsius desiderans guttam, de cujus mensa ille desideravit micam, audivit ab Abraham sententiam rectæ Dei. *Fili*, inquit, *memento, quia recepisti bona in vita tua, Lazarus autem mala. Nunc vero hic requiescit, tu autem torqueris* (*Luc.* XVI, 25). In hæc novissima intendit aspectum intrans in sanctuarium Dei ille, cui non videbatur bonus Deus, quia zelavit in peccatoribus pacem peccatorum intuens, et agnoscens judicium Dei verum, et justum, quod quidem modo agitur, sed occulte, futurum in fine in manifestatione, et tanquam correcto corde ex privitate propria, admota velut regula justitiæ Dei, qua cor tortum corrigeretur, erupit in hanc vocem, et ait: *Quam bonus Deus Israël rectis corde!* Modo intelligo bonum, quia factus sum rectus corde; antea vero non mihi videbatur bonus, quia nutabant pedes mei. *Zelavi enim in peccatoribus pacem peccatorum intuens.*

III. Si ergo jam tibi videtur bonus Deus, et quando malis dat felicitatem, unde solebas murmurare adversus Deum, factus es rectus corde, decet te laudatio; *Rectos enim decet laudatio.* Si autem sis pravus, non te decet laudatio. Quare non te decet? Non erit perseverans laus, qua laudas Deum. Laudas enim Deum, quando tibi bene est; blasphemas Deum, quando tibi male est. Etenim tunc tibi placet, quando dat felicitatem; displicet autem, quando castigat. Non es rectus corde, non poteris dicere canticum illud alterius Psalmi: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo* (*Psal.* XXXIII, 2). Quomodo enim *Semper*, si tunc, quando tibi bene est, laudas, non et quando tibi male est? Quia et ipsum; quod dicitur male tibi esse, bene est, si castigatorem patrem esse intelligas. Puer insensatus amat plerumque magistrum blandientem, odit cædentem; puer vero intelligens intelligit magistrum bonum et blandientem et cædentem. Blanditur enim, ne puer deficiat; cædit, ne pereat. Tale itaque cor cum quisquam habuerit, id est, rectum, ut non ei displiceat Deus, et quando facit quod forte illi ad tempus adversari videatur, securus laudet Deum, quia *Semper* laudabit, et vere illum decet laudatio, et vere fideliter cantat: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. Flagellat autem omnem filium, quem recipit* (*Hebr.* XII, 6). Quid ergo eligis? Flagellari, et recipi, an non tangi, et non recipi? Vide, qualis sis filius. Si hæreditatem paternam appetis, flagellum non recuses. Si flagellum respuis, nega hæreditatem. Quo enim te erudit, nisi ut det hæreditatem? Hæres patris tui ut esses, non te increpavit, non objurgavit, non castigavit, non verberavit? Ut quid hoc? Ut ei succederes in domum quandoque ruituram, et fundum quandoque transiturum, et aurum non diutius in hoc sæculo mansurum, quam tu ipse, qui aurum possides. Etenim aut vivens amissurus es, quod habes, aut moriens relicturus. Propter istam tamen temporalem hæreditatem pertulisti flagella patris tui, et murmuras ad Deum erudientem, ut det tibi regnum cœlorum?

IV. Cum ergo talis es, ut placeat tibi Deus, et castigans placeat tibi; aut enim est in te aliquid, quod flagello corrigatur, aut ipsa rectitudo tua in flagello probatur; cum ergo talis es, lauda; securus enim laudas. Quare securus laudas? Quia decenter laudas, quia perseveranter laudas. Non enim timeo, ne modo laudes, post paululum blasphemes. Non timeo, ne sanus laudes, et ægrotus blasphemes. Non timeo, ne de sani ore procedat laus Dei, de ægroti lingua quæratur Mathematicus, aut Sortilegus, quæratur Præcanta-

tor, et remediorum diabolicorum Alligator (*a*). Non timeo, quia jam intellexisti bonum Deum esse, et cum castigat, et scis, quia ille, qui percutit filium, novit et quando parcat. Decebit te laudare, quia semper perseveranter laudabis, et erit semper laus Dei in ore tuo. Accipis libenter blandientem patrem, accipis libenter et flagellantem patrem. Non ad illum curris, cum blanditur, et fugis ab eo, cum flagellat. Si enim hoc feceris, eris tanquam puer, qui, cum fugeret a flagellante patre, incurrit in blandientem mangonem (*b*), et putavit eum bonum, patrem vero suum malum, et prætulit dolos blandimentorum veritati flagellorum, præferendo autem amisit hæreditatem, incurrit in conditionem (*c*). Muta tu consilium, et fac cor tuum rectum. Non enim mutatus est Deus, quia flagellat te, sed tu mutabilis es. Agit ille aliquid per commutationem, ut tu in melius commutatus percipias hæreditatem. Nam si relinquat te, et negligat te, quando tibi videtur bonus, tunc multum irascitur. Intendat Charitas Vestra, quid dicat in alio Psalmo Scriptura Dei. *Irritavit Dominum peccator*, Ait. Quare irritavit? Videte, ubi exclamaverit de irritato Deo. Utique ad iracundiam majorem irritavit Dominum peccator. *Præ magnitudine*, inquit, *iræ suæ, non exquiret* (*Psal.* x, 4).

V. Contra Job sanctus benedicens Dominum in omni tempore, in cujus ore semper erat laus ejus, cum esset dives, benedixit Dominum in divitiis suis, faciens de illis omnia opera bona, quæ in Libro ejus enumerantur, frangens panem esurienti, vestiens nudum, suscipiens peregrinum, et cætera, quæ sola divites de divitiis suis percipiunt, quæ divites sola lucrantur. Neque enim lucrantur, aut præsumunt de lucris, quæ filiis suis relinquunt. Nesciunt enim, quis post eorum mortem sit possessurus labores ipsorum. Et hanc vanitatem Scriptura dixit: *Verumtatem universa vanitas omnis homo vivens. Thesaurizat et nescit cui congreget ea* (*Psal* xxxviii, 6, 7). Ergo lucrum totum, quod fit de divitiis, thesaurus est regni cœlorum. Unde Dominus dedit consilium, non ut perdas, sed ut mutes locum auro tuo. Non enim ait tibi: Cum dederis, perdes, sed male habens in terra, in cœlo ego tibi servabo. Quid times, ne perdas? In cœlo ponis, custode Christo. Si locus te sollicitat, cœlum erit; si custos, Christus erit. Quid times, ne perdas? Ergo cum hæc de talibus faceret Job, utique operabatur, et in ipsis operibus ejus Deus laudabatur, et benedicebat Dominum in his, quæ acceperat. Non enim vere, fratres, divitiæ accusantur. Putatis, quando videtis divites malos, divitias esse malas? Divitiæ non sunt malæ, sed illi; divitiæ autem dona Dei sunt. Da illas justo, et vide, quæ bona inde faciat. Numquid ideo malum vinum, quia nescio quis se ebriat? Da sobrio bene utenti, et vide munus Dei. Sic da aurum homini avaro. Ut amplius faciat hoc, quod habet, quærit committere omnia facinora. Da aurum homini justo, et vide, quemadmodum distribuat, quemadmodum impertiatur, quemadmodum, quibus potuerit, necessitatibus hominum subveniat. Non ergo divitiæ, sed utens male divitiis ipse est malus. Job ergo bene usus est divitiis, sicut bene usus est Abraham. Certe enim, fratres, ille mendicus ulcerosus jacens ante januam divitis ita egens erat, ut canes lingerent ulcera ejus. Sic certe legimus, sic scriptum est, et tamen quo ablatus est? *In sinum Abrahæ* (*Luc.* xvi, 22). Recense Scripturas, vide, si pauper hic fuit Abraham. Invenies illum habuisse hic multum auri, multum argenti, multum pecorum, multum mancipiorum, et prædiorum. Ergo pauper levatur in sinum divitis. Si meritum illi paupertas faceret, non eum ad requiem Abraham ipse præcederet, et eum succedentem susciperet, sed quia hoc in paupere Lazaro erat, quod erat in divite Abraham, id est, humilitas, pietas, Dei cultus, Dei observantia, nec illi obfuerunt divitiæ, nec huic paupertas, sed illius meritum pietas fuit. Inde in illo divite, qui male mutavit vices, non reprehenduntur divitiæ ipsius, sed animus ipsius. *Induebatur enim purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide* (*Luc.* xvi, 22). Et patiebatur ulcerosum mendicum jacere ante januam suam? et eum superbe contemnens non satiabat ejus inopiam. Quid putatis dixisse divitem fastidientem mendicum? Quid hic jacet iste! Sed merito illa lingua, quæ contempsit pauperem, guttam de digito ejus desiderabat.

VI. Cum ergo Job sanctus, ut dixi, haberet multas divitias, laudavit Deum, tentatus, ut probaretur; probatus, ut ostenderetur. Latebat enim non solum homines, sed et ipsum diabolum latebat, qui diligentius inspicit, quam quisquam hominum. Latebat ergo eum, quis esset Job, sed Dominum non latebat. Permisit tentatorem probator; probator autem non sibi, sed nobis, ut nobis manifestaret, quid imitari debeamus. Non enim ipsi diabolo voluit ostendere Job, sed per diabolum nobis, ut diabolo victo nos haberemus, quod imitaremur. Ergo amissis omnibus, non paulatim, sed repente, ait: *Dominus dedit, Dominus abstulit. Sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum. Sicut Domino placuit, ita factum est* (*Job.* i, 21). Non potest pravum esse, quod recto placuit. Non potest malum esse, quod bono placuit. *Bonus enim Deus Israel rectis corde.* Rectus corde erat Job, ideo decebat eum laudatio. *Dominus dedit, Dominus abstulit. Sicut Domino placuit, ita factum est.* Confessus est laudans: *Sit nomen Domini benedictum. Dominus dedit, et Dominus abstulit.* Erat copia, nunc est inopia. Apud me res mutatæ sunt, ille non est mutatus. Ego aliquando dives, aliquando pauper. Ille semper dives, semper rectus, semper pater. *Sit nomen Domini benedictum!* Non enim benedictum erat nomen Domini in copia mea, et maledictum erit in inopia mea. Absit hoc a me. Hoc dice-

(*a*) *Mathematicus*, i. e. Astrologus, Divinator, ut sæpe in Opp. S. Doctoris. Pro *Sortilogo* malo *Sortilegum*, ut T. III. P. II. *In Evang. Joan. c. Tract.* 7. *col.* 344. ubi etiam *Præcantores*. Remedia, quæ memorat, alibi pluries *Ligaturas*, i. e. Amuleta vocat.

(*b*) Similia supra *Serm. VII. n.* 3.

(*c*) In servitutem. Quo pertinet sensus vocis obscenus apud *Suet. Jul. Capitol.* et *Lamprid.*

bat Job divitiis interioribus ditatus. Totam domum amiserat, sed pectus plenum erat. Amiserat domum, aurum, impleverat pectus. Deus pro his omnibus, quæ dederat, ipse aderat. *Dominus dedit, Dominus abstulit.* Videte, quemadmodum intelligat supereminentissimam potestatem. Ne forte Deum velis colere, o Christiane! propter regnum cœlorum, et diabolum timeas propter bona terrena. Omnino penes illum est tota potestas et summa. Diabolus nocere tantum voluit, non permissus non potuit. Apud illum ergo potestas est. Cæterum, si tantum liceret diabolo, quantum vult, quis Christianorum remaneret? Quis Dei cultor in terra relinqueretur? Non videtis templa ejus cadere, simulacra confringi, sacerdotes ejus ad Deum converti? Non putatis hinc dolere, et torqueri diabolum? Si ergo pro dolore suo et potestas ei esset, quæ Ecclesia in terra remaneret? Proinde cum Job sanctus per diaboli insidias omnia perdidisset, non dat ei aliquam potestatem. Cum laudat Deum, non ait: Dominus dedit, diabolus abstulit; sed ait: *Dominus dedit, Dominus abstulit.* Nihil sibi arroget diabolus. Et quod dives eram, Dei erat, et quod pauper sum, Dei est. Et si permissus est ut tentaret, non est permissus ut suffocaret. Suffocaret autem non gulam tenens et confringens, sed spiritum intercludens. Si forte ille tribulationis passus angustias unum verbum blasphemum ex ore emitteret, tunc exhalaret extremum suffocatus excluso a se spiritu vitæ. Hoc nec in illa repentina paupertate fecit, nec in illo ultimo vulnere.

VII. Nam, cum parum fuisset diabolo abstulisse omnia, quæ ille possidebat, abstulit et filios, quibus ille possidebat, sola relicta uxore. Solam enim illam non abstulit, et hoc utique sciens, quid faceret. Noverat Adam per Evam deceptum. Servabat ergo suam potius adjutricem, quam mariti consolatricem. Cum ergo abstulisset illa omnia, et reliquisset unam, per quam rursus tentaret, parum ei fuit; petit etiam auferre sanitatem corporis. Et ipsam permissus est auferre, ut et in illo vulnere positus Job laudaret Deum rectus corde, in nullo varians, quem decebat laudatio. Accessit ad eum illa ad hoc relicta, et persuasit, imo suasit blasphemiam. Ait enim: *Quanta mala patimur! Dic aliquid in Deum, et morere* (*Job* II, 9): Primo Eva a diabolo quasi ad vitam invitata seducta est, et invenit mortem. Etenim diabolus ait: *Non morte morieris* (*Gen.* III, 4). Et putans se habituram vitam, mortem invenit, quia contra præceptum Dei fecit, et contra præceptum Dei viro persuasit. Modo contra: *Dic aliquid in Deum, et morere!* Sufficiat Evæ, quia persuasit facere contra præceptum Dei. Illa adhuc Eva. Ille jam non Adam. Illa a diabolo impleta, ille exemplo correctus. Melior Job in stercore, quam Adam in Paradiso. Ut noveritis quantum sit rectum cor habere, Job quomodo prostravit diabolum in illa inopia, in illo vulnere? Respondit enim mulieri, et ait: *Tanquam una ex insipientibus mulieribus locuta es. Si bona percepimus de manu Domini, mala non sustinebimus* (*Job.* II, 10)? Benedixit Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore illius. Rectus enim erat corde, propterea illum decebat laudatio. Estote recti corde. Si vultis autem esse recti corde, non vobis displiceat in aliquo Deus. Aut enim vides causam, quare faciat, quod facit, et causam intuens non reprehendis, aut, si te causa latet, scito, quia ille facit, qui in nullo poterit displicere.

VIII. Dejicit, nescio, quis domum suam, reprehenditur. Si causam noveris, fors non reprehendis hominem facientem. Utique in hac modo Basilica sumus, et angusta est, et habet aliquid parvum, et placuit Domino alteram fieri, et destruenda erit hæc. Quicumque forte viderit dejicientes, cum cœperit dejici, dicet: Hic non oratum est? Hic nomen Dei non invocatum est? Quid patiuntur isti, ut dejiciant? Displicet opus, quia latet consilium. Sic ergo et Deus aliquid facit. Quare faciat, aut scis, et laudas, aut nescis, et credis, si rectus es corde. Ipse est enim rectus corde, qui et in ipsis causis, quas novit, laudat Deum, et in his, quas nescit, non dat insipientiam Deo. Injuste, et stulte reprehenderis, Homo gubernator domus tuæ! ab ignaro causarum, et ignaro consiliorum tuorum, et tu audes Gubernatorem totius mundi, et Creatorem cœli et terræ reprehendere, quia flavit ventus, et aruerunt vites, aut surrexit nubes, et fudit grandinem? Noli reprehendere. Novit ille omnia opera sua et gubernare, et numerare. Tu certe non potuisti fabricare cœlum et terram, et tamen, si tibi liceret, diceres Deo: O si ego gubernarem, non facerem quod facis. Quando enim tibi displicet, nescio quid, factum a Deo, nonne velles te esse gubernatorem? Erubesce. Cui velis succedere, vide. Moriturus immortali, homo Deo. Melius est te illi cedere, quam quærere succedere. Cede Deo, quia Deus est, etsi forte contra voluntatem tuam fecit, non est forte contra utilitatem tuam. Quanta faciunt medici contra ægrotorum voluntatem, et tamen non faciunt contra sanitatem. Et errat medicus aliquando, Deus nunquam. Si ergo committis te medico aliquando erranti, committis te humano consilio, non ut adhibeat cataplasma, quod leve est, aut emplastrum, unde tibi dolorem non faciat, sed plerumque ut urat, ut secet, ut auferat membrum tibi, et tecum natum, committis te illi, non dicis: Hic forte errat, et ego minus habebo unum digitum; permittis ut tollat unum digitum, ne forte inde totum corpus putrescat, et non permittis Deum secare, ut tollat aliquid de fructibus tuis, si forte in ipsa moderatione habeas disciplinam?

IX. Ergo, fratres, estote recti corde, id est, ut in nullo vobis Deus displiceat. Non dico, ut eum non rogetis. Rogate, quantum potestis, in afflictione. Suspendit imbrem; rogandus est, sed et, si pluerit, laudandus, sed et, si non pluerit, laudandus, tamen rogandus. Non enim dicimus, ut non rogetis. Aliquando enim flectitur, et concedit rogantibus, et non vult concedere non rogantibus. Arrogans est Deus, ut non concedat, nisi roganti. Sed tunc anima parvula ad magnitudinem Dei proficiet, si ei in tribula-

tione subveniat, ut nobis rogantibus et tribulatis det consolationem. Dulcescere nobis vult bono nostro, non suo. Videte enim, quid mali est, ut tibi dulcis factus sit mundus, et amarus sit Deus, qui fecit mundum. Nonne mutandus es, nonne corrigendus es, ut habeas rectum cor? Imo sit amarus mundus, et dulcis sit Deus. Misceat itaque Dominus Deus noster amaritudines mundo huic. Misceat plane! Hic fruere (*a*), circumfluere, abundare deliciis, oblivisci Deum delectat. Si habet aliquid amplius pecuniæ, nugari inde vult, non vult inde aliquid utile facere, aliquid cœleste comparare; perdere vult et pecuniam, et se, et cæteros, in quos impendit pecuniam. Non vultis ergo, ut recesset Deus superflua, ne de putredine totum putrescat? Novit ergo, quid agat. Dimittamus illum, tantum nos curandos demus, non medico consilium præbeamus. Conversi ad Dominum, etc.

## SERMO XXII.

*De verbis Psalmi* LI. *vers.* 10. Speravi in misericordia Dei (*b*).

### SYNOPSIS.

*I. Quamdiu debeat durare Spes nostra. II. Spes humanæ longæ, inanes, fallaces. III. Quænam vera Spes nostra.*

I. Primo respondeam Fratri et Collegæ meo. Ego mane inquietam dixi debere esse charitatem, non pigram, sed quia hoc voluit, nos obaudiamus et illi, et Deo per illum, et vobis, et det (*c*) in vobis obedientiam. Cantavimus: *Speravi in misericordia Dei* (*Psal.* LI, 10). De spe nostra pauca dicamus. Et verba quidem sermonis nostri competentem tempori finem habebunt, Spes autem ipsa, de qua sermo est, perdurare debet, et non cum sermone nostro cessare. Nos loquamur, et desinamus, illa semper clamat ad Deum. Sed et ipsa Spes (durum enim fortasse, quod dico, sed non offendet, si ostendero, quare dico, et credo, quia non offendet) sed et ipsa spes non erit sempiterna. Cum enim res venerit, Spes non erit. Tandiu quippe dicitur Spes, quandiu nondum tenetur res, dicente Apostolo: *Spes autem, quæ videtur, non est Spes. Quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus, speramus, per patientiam expectamus* (*Rom.* VIII, 24. 25). Si ergo Spes, quæ videtur, non est Spes, quia quod videt quis, quid sperat, et ideo vocatur Spes, quia, quod non videmus, speramus, cum venerit, quod videamus, Spes non erit, quia res erit. Nec tunc maledictum erit, esse sine Spe; modo vero cuicumque sine Spe esse, maledictum est, et opprobrium. Et væ illi, qui sine Spe modo est! Male est enim sine Spe esse, quia nondum est cum re. Tunc esse desinat Spes, quando tenebitur res.

II. Res autem ipsa, quæ est, quæ tenebitur? Quid est, quod succedet Spei? Videmus enim modo homines multa terrena sperare, et secundum sæculum. Ipsa vita nullius hominis est sine Spe, et, donec moriatur, quisque non est sine Spe. Spes in pueris, ut crescant, ut erudiantur, ut aliquid noverint. Spes in adolescentibus, ut uxores ducant, ut filios generent. Spes in parentibus filiorum, ut nutriant, ut erudiant, ut grandes videant, quibus parvulis blandiebantur. Ut ipsam vitam Spei humanæ potissimum (*a*) nominem, quæ quasi naturalior, et excusabilior, et tristior (*b*) est. Sunt enim multæ Spes vulgares, multum reprehensibiles; sed hanc teneamus, quæ civilis et naturalis est. Ad hoc enim quisque nascitur, ut crescat, ut conjugetur, ut filios procreet, ut erudiat, etiam ut pater dicatur filiorum. Quid amplius quærit? Et nondum est finita spes. Optat conjungere filiis suis uxores, et adhuc sperat. Et cum et hoc adeptus fuerit, optat nepotes. Et cum hos habuerit, jam ecce tertia successio est, et piger est senex dare locum pueris. Adhuc quærit sibi quid optet, quærit quid speret, et benevolus videtur. Utinam, inquit, vocet me puer ille avum, et audiam hoc de ore ipsius, et moriar! Crescit puer, vocat avum, et ille nondum se cognoscit avum. Utique enim, si avus est, si senex est, quare non agnoscit, migrare jam debere, ut succedant, qui nati sunt? Et cum audierit a voce parvuli honoris nomen, vult illum ipse erudire. Numquid deest, ut speret et pronepotem? Sic moritur, et sperat, et sperat aliud atque aliud, cum illud, quod sperabat, acceperit. Sed accipiendo, quod sperabat, non satiatur, inhiat in aliis. Quare venerat, quod sperabas? Certe jam, ut finias, quo pergis. Non finis extenditur. Et quantos fallit hæc Spes, Spes trita! Primo non satiat, cum venerit, et quantis non venit! Quanti speraverunt uxores, et ducere non potuerunt! Quanti speraverunt, cum quibus eis bene esset, et duxerunt, a quibus cruciarentur! Quam multi optaverunt filios, et suscipere nequiverunt! Quam multi de susceptis malis gemuerunt! Sic omnia. Speravit aliquis divitias; non adeptis cruciatus est cupiditate, aut adeptis tortus timore. Et nemo est, qui sperare desinat, nullus satiatur. Tam multi falluntur, et ab spe sæculi non quiescunt.

III. Sit aliquando et Spes nostra non fallax, sed satians, et aliquid tam bonum, ut amplius esse non possit. Quæ est ergo res, quam speramus, quæ cum venerit, cessabit Spes, quia succedet res. Quid est illud? Terra est? Non. Aliquid, quod in terra nascitur, sicut aurum, argentum, arbor, seges, aqua? Ni-

(*a*) Mendum Librarii pro *frui*. Sequens περικόπη: *Si habet — impendit pecuniam*, intrusa videtur.

(*b*) In Cod. *fol.* 74. inscriptus: *Sermo sancti Augustini ep.* De Spe humana et divina præclare disserit. Habitum fuisse in Officio vespertino docet Exordium. Quis fuerit Episcopus ille, qui Charitatem quietam inquietæ prætulit, ignoro. Sermonem Augustini *de Charitate inquieta* notat Possidius in *Indiculo Opp.* c. 8, reperiendum fortasse, si Bibliothecarum scrutatores non contenti fuerint Elenchos Mss. percurrere, aut sola Codicum terga lustrare. Eodem C. Possidius et præsentem memorat, qui Editioni post *Sermonem* XX inseri possit.

(*c*) Fortassis excidit *Deus*.

(*a*) Lego: *Ut ipsam spem vitæ humanæ potissimam.*

(*b*) Potius: *tritior*, ut paulo infra: *Spes trita.*

hil horum. Aliquid, quod in aere volitet? Abhorret anima. Numquid forte cœlum est, tam speciosum, ornatumque luminibus? Quid enim in his rebus visibilibus delectabilius, quid pulchrius? Neque hoc est. Et quid est? Delectant ista, pulchra sunt ista, bona sunt ista. Quære, qui fecit. Ipse est Spes tua. Ipse est modo Spes tua, ipse erit postea res tua. Spes est credentis, res erit videntis. Dic ei : *Spes mea es tu.* Bene enim modo dicis : *Spes mea es tu.* Credis enim, nondum vides. Promittitur tibi, nondum tenes. Quandiu es in corpore, peregrinaris a Domino, in via es, nondum in patria. Ipse rector, et conditor patriæ via factus est, ut te perducat. Dic ergo illi modo : *Spes mea es tu.* Quid postea? *Portio mea in terra viventium* (*Psal.* CXIII, 6). Quæ modo Spes tua est, postea erit portio tua. Sit Spes tua in terra morientium, et erit portio tua in terra viventium. Conversi ad Dominum, etc.

## SERMO XXIII.

*De verbis Psalmi* CXLV, *vers.* 1. Laudabo Dominum in vita mea, etc. (*a*).

### SYNOPSIS.

*I. Dei laus producenda ultra hanc vitam. II. Nihil in hac vita diu. III. Christiano non imponat felicitas transitoria. IV. Extrema Divitis et Lazari nos erudiant.*

I. De verbis istius Psalmi, quem modo cantavimus, donec Dominus, ut vobis loqui valeamus. Diximus enim : *Laudabo Dominum in vita mea. Psallam Deo meo, quandiu vivo.* (*Psal.* CXLV, 1). Quibus verbis hoc primo admoneamus Charitatem Vestram, ne, cum auditis, vel dicitis : *Quandiu vivo, psallam Deo meo;* existimetis, cum hæc vita finita fuerit, finiri nobis laudem Dei. Magis enim tunc laudabimus, quando sine fine vivemus. Si enim laudamus in peregrinatione, unde transimus, quomodo laudabimus in domo, unde nunquam migrabimus? Sicut dicitur, et legitur, et canitur in alio Psalmo : *Beati qui habitant in domo tua. In sæcula sæculorum laudabunt te* (*Id.* LXXXIII, 5). Ubi audis : *In sæcula sæculorum,* finis nullus est, et vivere beata vita, ubi Deus sine dubitatione conspicitur, sine offensione amatur, sine fine laudatur. Prorsus hoc erit nostrum vivere, Deum videre, amare, laudare. Si ergo laudamus, quando credimus, quomodo laudabimus, cum viderimus. Quomodo laudabitur species, si sic laudatur fides. Dicit enim Apostolus : *Quandiu enim sumus in corpore, peregrinamur a Domino. Per fidem enim ambulamus, et non per speciem* (2 *Cor.* V, 6, 7). Modo ergo per fidem, tunc per speciem. Modo credimus, quod non videmus, tunc videbimus, quod credebamus. Non confunditur, qui credit, quia verum est, quod videbit; Dominus autem noster prius in nobis ædificavit fidem, ubi (*a*), si merces fidei reddatur, non præpostere ante quæratur.

II. Dicit aliquis : Cur ergo Psalmus dixit : *Psallam Deo meo, quandiu vivo,* et non dixit : *Psallam Deo meo semper?* Ubi enim dicitur : *Quandiu vivo,* quasi finis significatur, sed si (*b*) non intelligatur. Si putas de hac vita dictum : *Quandiu vivo,* discute vitam istam, utrum sit diu. Quantumcumque hic vixeris, diu non est. Quomodo est diu, quod te non satiat? Dicit puer diu vixisse hominem, quem videt senem, sed cum pervenerit, quo ille pervenit, tunc videt, quam non fuerit diu. Prorsus sic volat ætas, ita in se momenta transcurrunt, ut videamus, nudiustertius fuisse nos pueros, heri juvenes, hodie senes. Ubi ergo putas de hac vita esse dictum : *Quandiu vivo, psallam Deo meo,* ideo, quia dixit : *Quandiu vivo,* ibi verax intellectus est, de hac vita non esse dictum, quia dixit : *Quandiu.* Nunquam enim diceret Veritas : *Quandiu,* de ista vita, ubi nihil est diu. Potuerunt hoc videre Sapientes hujus mundi, et non hoc possunt videre Christiani? Quidam Sapientum mundi eloquentissimus homo dixit : *Quid est enim hoc omnino ipsum diu, in quo est aliquid extremum* (*Cicero, Orat. pro M. Marcello n.* 28)? Omnino negavit diu esse, quod ad finem quandocumque potuerit pervenire. Prorsus quandocumque, non quousque tu vixisti, si forte ad senectutem ultimam pervenisti. Unius enim hominis vita, præsertim hoc tempore, *Vapor est ad modicum apparens.* Hoc, quod dixi, Scriptura dixit exultantibus hominibus, et per superbiam multam pollentibus, et, an continuo moriantur, nescientibus, Scriptura divina dixit, et eos ita superbientes, et in vanis confidentes suæ transitoriæ fragilitatis admonuit. *Quæ est enim,* inquit, *vita vestra? Vapor est ad modicum apparens, deinceps exterminabitur* (*Jacob.* IV, 15). Qui ergo se erigit in elatione, confidit in vapore, extollitur in honore, et perit cum vapore. Reprimenda est ergo superbia, et quanta possumus, intentione calcanda, et intelligendum nos in hac terra mortaliter vivere, et cogitandum esse de fine, ubi non erit finis. Homo enim, si tu, ut dicere cœperam, quicumque senuisti, valde extolleris, si putas te diu vixisse, qui aliquando finiturus es, sed ipse Adam, si adhuc viveret, et non modo, sed in fine sæculi moreretur, nihil haberet diu, in quo aliquid esset extremum (*c*). Et verissime dictum est, et prudenter intellectum est, et verum esse non tantum prædicatur, sed etiam ab auditoribus agnoscitur.

III. Referamus animum ad Psalmum, quem cantavimus, et inveniamus, quia ille non diceret : *Psallam Deo meo, quandiu vivo,* nisi de illa vita, ubi diu est. Si enim in ista vita ideo nihil diu, quia est aliquid extremum, non ad istam vitam desiderandam vocamur, quando Christiani efficimur. Non enim pro-

(*a*) In codice *fol.* 74. *p.* 2. inscriptus : *Sermo sancti Augustini ep.* De vitæ brevitate, et felicitate transitoria egregie rursus exemplo Divitis et Lazari illustratus. In Editione locandus post *Sermonem XXXIII.*

(*a*) Pro *ubi* videtur reponendum : *ut*, q. d. non debere quæri mercedem fidei ante ipsam fidem.

(*b*) Videtur legendum : *etsi.*

(*c*) Ineptum Επιφωνημα, quod sequitur, a margine irrepsisse putem.

pterea Christiani efficimur, ut bene nobis sit in hac vita. Si enim propterea putaverimus nos fieri Christianos, ut hic nobis bene sit secundum vitam istam temporalem, secundum felicitatem volaticam, et vapoream, valde erramus, et nutabunt pedes nostri, videntes aliquem tanta dignitate pollere, ut emineat cæteris, cum quibus vivit, sanum esse corpore, ad senectutem decrepitam pervenire. Videt hoc Christianus pauper, ignobilis, in gemitibus quotidiano labore suspirans, et dicit forte apud semetipsum : Quid mihi prodest, quia Christianus sum factus. Numquid ideo melior sum, quam ille, qui non est? Quam ille, qui in Christum non credit? Quam ille, qui Deum meum blasphemat? Admonet eum Psalmus. *Nolite fidere in principes.* Quid te delectat flos fœni? *Omnis caro fœnum*, Propheta loquitur, non solum loquitur, sed exclamat. Exclamavit illi Dominus. *Exclama*, inquit. Et respondit : *Quid exclamabo? Omnis caro fœnum, et omnis honor carnis, ut flos fœni. Fœnum aruit. Flos decidit.* Ergo totum periit? Absit. *Verbum autem Domini manet in æternum* (*Isai.* XL, 6-8). Quid te delectat fœnum? Ecce periit fœnum. Vis non perire? Tene te ad verbum. Sic et in isto Psalmo. Attendebat enim forte Christianus pauper, humilis in Pagano forte divite ac potenti, attendebat florem fœni, et eligebat eum fortasse patronum habere magis, quam Deum. Hunc alloquitur Psalmus : *Nolite fidere in principes, et in filios hominum, quibus non est salus* (*Psal.* CXLV, 3). Ille continuo respondet : Numquid de isto dicit, cui est salus? Ecce sanus est. Hodie illum vegetum video. Ego magis assidue miser ægroto. Quid attendis ista, quæ tibi placent, et quæ te delectant? Non est salus. *Exiet spiritus ejus, et revertetur in terram suam.* Ecce tota salus, *Vapor ad modicum apparens. Exiet spiritus ejus, et revertetur in terram suam.* Transeant aliquot anni. Moveatur fluvius, sicut fieri solet. Per diversa transcurrens aliqua sepulcra mortuorum discerne ossa divitis ab ossibus pauperis. Exeunte spiritu suo revertitur in terram suam. Optime de spiritu ejus nihil dixit, quia et ille, cum viveret, nihil spiritualiter cogitavit. *Revertetur in terram suam*, secundum carnem utique, secundum corpus, ubi pollebat, ubi efferebatur, ubi te decipiebat, in cujus te carnis felicitate fallebat. *Exiet spiritus ejus, et revertetur in terram suam. In illa die peribunt omnes cogitationes eorum* (*Ibid.* 4). Cogitationes illæ, quæ terrenæ erant : Ecce facio, ecce impleo, ecce pervenio. Ecce illud emo, ecce illud acquiro, ecce ad talem et talem honorem pervenio. *In illa die peribunt omnes cogitationes ejus.* Si autem, quoniam *Verbum Dei manet in æternum*, teneas te ad verbum, ut det tibi vitam æternam, non solum cogitatio tua tunc non peribit, sed tunc venit. Quando illius perit, tua tunc venit. Ille enim cogitabat temporalia atque terrena, opes opibus addere, pecuniarias facultates exaggerare, nitere honoribus, tumere potentia. Ergo, quia talia cogitabat, *In illa die peribunt omnes cogitationes ejus.* Tu autem, si cogitabas, quia Christianus factus es, non temporalem felicitatem, sed requiem sempiternam, quando corpus tuum redierit ad terram suam, tunc invenit anima tua requiem suam.

IV. Attende Evangelium, et vide, atque inspice cogitationes duorum hominum. *Erat quidem Dives, qui induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide* (*Luc.* XVI, 19). Quotidie fœnum, et flos fœni. Non te seducat illius felicitas, qui *Induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide.* Superbus erat, impius erat, vana cogitabat, vana concupiscebat. Quando mortuus est, in illa die perierunt cogitationes ejus. Erat autem ante januam ipsius quidam Pauper, nomine Lazarus. Tacuit nomen Divitis, et dixit nomen Pauperis. Cujus nomen ventilabatur, ipsius tacuit Deus. De cujus nomine silebatur, ipsum dixit Deus. Nolo, mireris. Deus, quod in Libro suo scriptum invenit, hoc recitavit. De impiis enim dictum est : *Et in libro tuo non scribentur* (*Psal.* LXVIII, 29); itemque Apostolis, cum gloriarentur, quia in nomine Domini dæmonia illis subjecta fuerant, ne de hac re sicut homines extollerentur, seseque jactarent, quamvis de re magna, quamvis de virtute præclara : *Nolite*, inquit, *in hoc gaudere, quia dæmonia vobis subjecta sunt; sed gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlo* (*Luc.* X, 20). Deus enim inhabitator cœli tacuit nomen Divitis, quia scriptum non invenit in cœlo; dixit tamen Pauperis, quia ibi scriptum invenit, imo ibi scribi jussit. Sed videte illum Pauperem. Diximus enim de cogitationibus impii Divitis, præclari, induentis purpuram et byssum, et epulantis quotidie splendide, quia, cum mortuus esset, perierunt omnes cogitationes ejus. Pauper autem Lazarus erat ante januam Divitis, *Ulceribus plenus, et cupiebat saturari de micis, quæ dejiciebantur de mensa Divitis, et nemo illi dabat. Sed et canes veniebant, et lingebant ulcera ejus* (*Id.* XVI, 21). Ibi te volo videre, Christiane. Dicuntur enim exitus duorum istorum. Potens est quidem Deus, et in hac vita salutem dare, et egestatem auferre, et sufficientiam donare Christiano. Et tamen, si etiam hoc non esset, quid eligeres? Ut ille pauper esse, an, ut ille, dives esse? Non te fallat. Audi finem, et observa malam electionem. Sine dubio enim Pauper ille, quoniam pius erat, in ærumnis temporalibus constitutus finiendam quandoque illam vitam, et adipiscendam æternam requiem cogitabat. Mortui sunt ambo, sed illius Pauperis non illa die perierunt cogitationes. Contigit enim mori inopem illum, et auferri ab Angelis in sinum Abrahæ. In illa die sanatæ sunt omnes cogitationes ejus. Et, quoniam Lazarus in latina lingua interpretatur *Adjutus* (*a*), qui in hebræa Lazarus, bene admonuit Psalmus : *Beatus, cujus Deus Jacob adjutor ejus* (*Psal.* CXLV, 5) Quando spiritus ejus exibit, et caro ejus revertetur in terram suam, non peribunt cogitationes ejus, *Quia spes ejus in Domino Deo ejus.* Hoc discitur in schola Christi doctoris, hoc speratur ab animo fidelis auditoris, hæc est merces verissima Salvatoris.

(*a*) Ita et Hieronymus in *Interpret. Nom. Hebr.* Videlicet *a Deo adjutus* ab אל et עזר, Idem, quod אעזר, aut עזריה.

## SERMO XXIV.

*De verbis Evangelii Luc.* XVI. *vers.* 19-31, Homo quidam erat dives, etc. (*a*).

### SYNOPSIS.

*I. Oraculis Propheticis de Christo, et ejus Ecclesia Judæi nondum credunt. II. Judæorum incredulitas coarguitur exemplo divitis Epulonis. III. Dives Epulo salubre nobis exemplum. IV. Satis de futuris prænoniti nullam excusationem habemus. V. Fides nostra confirmanda ex jam impletis, et ex promissis a Deo. VI. Dei promissa in Gente Judæorum ex Abraham, cujus fides commendatur. VII. Dei in exolvendis promissis fidelitas, et insania Idololatrarum. VIII. Deus quærit imaginem suam in anima, ut Cæsar in nummo. IX. Quanta promissa Dei jam exoluta sint. X. Abrahæ fides nobis exemplum. XI. De tolerandis adversis duplex similitudo. XII. Dei patientia nobis utendum est, et illa imitanda. XIII. Committere nos debemus Deo in adversis absque querela. XIV. Exhortatio ad patientiam.*

I. Christianorum fides, quæ ab impiis et infidelibus irridetur, hæc est, quia nos dicimus, esse aliam vitam post istam vitam, et esse a mortuis resurrectionem, et esse post transactum sæculum in fine judicium. Hoc cum in rebus humanis non crederetur, prædicaretur autem, et annuntiaretur a Prophetis servis Dei, et a Lege, quæ per Moysen data est, et adhuc incredibile hominibus videretur, venit Dominus et Salvator noster Jesus Christus, qui hoc hominibus persuaderet. Qui cum sit Filius Dei natus de Patre invisibiliter, et ineffabiliter, coæternus Patri, et æqualis Patri, et cum Patre unus Deus, cum sit Verbum Patris, per quod facta sunt omnia, et Consilium Patris, per quod reguntur omnia, tantam magnitudinem suam, et incomprehensibilem majestatem, ac potestatem, quæ non poterat cognosci ab hominibus, deposuit ad terras (*b*) accipiendo carnem, et apparendo oculis hominum. Cum ergo Deus, id est, ipsa Divinitas, in Christo non videretur, caro visa contemnebatur; ille autem interiorem suam Divinitatem miraculis approbabat (*c*). Et cum talis videretur, qui humanis oculis posset sperni, tantum faciebat, ut in ipsis operibus appareret Filius Dei. Cum ergo magna faceret, utilia præciperet, corrigeret vitia, castigaret, virtutes doceret, sanitates etiam corporum operaretur, ut sanaret mentes infidelium, iratus populus, ubi est natus, et nutritus, et tanta ista fecit, occidit eum. Ille autem, qui nasci venerat, utique et mori venerat. Nec mortem carnis suæ, quam propter exemplum demonstrandæ resurrectionis acceperat, voluit esse infructuosam, sed permisit eam magis manibus impiorum, ut, cum illi nollent facere, quod jubebat, pateretur ille, quod volebat. Factum est. Occisus est Christus, sepultus, resurrexit, ut novimus, ut testatur Evangelium, ut jam toto orbe prædicavit (*a*), et adhuc Judæi, videtis, quia nolunt credere in Christum, jam posteaquam resurrexit a mortuis, et glorificatus in oculis Discipulorum suorum ascendit in cœlum, cum jam impleantur per totum orbem terrarum præconia Prophetarum. Etenim omnes Prophetæ, qui prænuntiaverunt Christum nasciturum, et moriturum, et resurrecturum, et in cœlum ascensurum, prænuntiaverunt etiam Ecclesiam ejus per omnes gentes futuram. Judæi autem, si non viderunt Christum resurgentem, et ad cœlum euntem, viderent saltem Ecclesiam toto orbe diffusam, quod utique cum impleretur, prædicta Prophetarum dicta implerentur.

II. Fit in illis, quod modo audivimus ex Evangelio. Ideo enim non audiunt Christum, qui a mortuis resurrexit, quia Christum in terra positum non audierunt. Hoc enim dixit Abraham illi Diviti, qui apud inferos torquebatur, et volebat aliquem mitti ad superos, ut fratribus ejus nuntiaret, quid agatur apud inferos, et antequam venirent ad loca illa tormentorum, viverent bene, agentes pœnitentiam de peccatis suis, ut mererentur ire potius in sinum Abraham, non ad illa tormenta, quo Dives ille pervenit. Cum ergo hoc ageret ille Dives sero misericors, qui Pauperem jacentem ante januam suam contempserat, et propterea forte (*b*) superbus in illum erat, ipsa lingua ardebat, et ibi stillam aquæ desiderabat, cum ergo non egisset apud superos, quod agendum illi erat, ne illuc veniret, sero cœpit esse misericors pro aliis. Sed quid ait Abraham? *Si Moysen et Prophetas non audiunt, neque, si quis a mortuis resurrexerit, persuadebit eis* (*Luc.* XVI, 31). Omnino verum est, fratres. Ideo Judæis hodie non persuadetur, ut credant in eum, qui resurrexit a mortuis, quia Moysen et Prophetas non audierunt (*c*). Nam si illos audire vellent, ibi invenirent prædictum esse, quod modo impletum est, et nolunt adhuc credere. Quod ergo de Judæis diximus, de nobis agamus, ne cum alios attendimus, et nos in ipsam impietatem incidamus. Evangelium, charissimi, Judæis non legitur, Moyses et Prophetæ leguntur, quos nolunt audire. Quod si audire vellent, crederent in Christum, quia Moyses et Prophetæ Christum venturum prædicaverunt. Non ergo nos tales simus, quando nobis legitur Evangelium, quales sunt illi, quando illis leguntur Prophetæ. Apud ipsos enim, ut dixi, Evangelium non recitatur, apud nos recitatur.

III. Ecce audistis modo ex Evangelio duas vitas: unam præsentem, alteram futuram. Præsentem habemus, futuram credimus. In præsenti sumus, ad futuram nondum pervenimus. Cum in præsenti sumus,

(*a*) In Codice *fol.* 80. inscriptus: *Sermo sancti Augustini episcopi, De Divite et Lazaro.* Veritas potius Religionis christianæ comprobata ex hactenus impletis, et deinceps implendis Dei Promissis cum Exhortatione ad Patientiam. Meminit insignis Sermonis Possidius in *Indiculo Opp. c.* 8. Collocandus in Editione post *Sermonem CXIII.*

(*b*) Rescribendum puto: *ad tempus.*

(*c*) In membranis: *approbat.*

(*a*) Nempe Evangelium. Fortasse autem legendum: *prædicatur.*

(*b*) Intersero: *quia*, quod excidisse videtur.

(*c*) Numquid potius: *audiunt.*

futuræ meritum comparemus; nondum enim mortui sumus. Numquid Evangelium apud inferos recitatur? Quod utique si recitaretur, frustra illud Dives audiret, quia jam fructuosa pœnitentia esse non posset. Nobis ibi legitur, et ibi a nobis auditur, ubi dum vivimus corrigi possumus, ne ad illa tormenta veniamus. Credimus quod legitur, an non credimus? Absit ut hoc opinemur de Charitate Vestra, quia non creditis! Christiani enim estis, nec Christiani ullo modo essetis, si Evangelio Dei non crederetis. Quia ergo Christiani estis, manifestum est vos Evangelio credere. Audivimus. Modo recitatum est. Erat utique Dives superbus, utique extollens se in divitiis, qui *Induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide* (*Luc.* xvi, 19). Jacebat autem ad januam ejus ulcerosus pauper quidam nomine Lazarus, cujus etiam ulcera canes lingebant, et cupiebat *Saturari de micis, quæ cadebant de mensa Divitis* (*Ibid.* 21), et non poterat. Ecce crimen Divitis, quia utique de micis saturari cupiebat, et non poterat, cui participanda humanitas erat. Ille ergo Dives, si compateretur Pauperi ante januam suam jacenti, et vellet esse de divitiis illis misericors, illuc veniret et ipse, quo venit et ille Pauper. Non enim illum Lazarum paupertas duxit ad requiem et non humilitas, aut vero illum Divitem ab illa tanta requie divitiæ retraxerunt, et non superbia et infidelitas. Nam, ut noveritis, fratres, quia apud superos Dives iste infidelis fuit, de verbis ipsius approbemus, quæ dixit apud inferos. Intendite. Voluit aliquem a mortuis ire, ut nuntiaret fratribus ipsius, quid agatur apud inferos, et cum illi hoc non concederetur dicente Abraham: *Habent Moysen, et Prophetas. Audiant illos. Non, pater Abraham, inquiens, sed, si quis hinc ab inferis ierit, persuadebuntur*; ostendit, quia et ipse, cum esset apud superos, non credebat Moysi et Prophetis, sed aliquem surgere sibi a mortuis cupiebat. Attendite tales modo, et videte, ubi ex exemplo hujus Divitis admonemur, si fidem habetis. Quanti sunt, qui modo dicunt: Bene nobis sit, cum vivimus! Manducemus, et bibamus, et deliciis istis perfruamur! Quid est, quod nobis dicitur, quia erit postea? Quis huc inde rediit? Quis huc inde surrexit? Dicuntur hæc. Hoc dicebat Dives ille, et, quod non credebat vivus, expertus est mortuus. Melius vivus fructuose corrigeretur, quam mortuus infructuose torqueretur!

IV. Nunc ergo mutemus verba ipsa, si quis forte in nobis est, qui hæc solet dicere. Non enim ostendit Deus modo, quod nos jubet credere. Ideo illud non ostendit, ut merces sit fidei. Si enim ostendat tibi, quod meritum habes, quia credis! Non est jam credere, sed videre. Magis tibi hoc non ostendit Deus, ut credas. Imperat tibi, quod credas, servat tibi, quod videas. Sed si non credas, cum imperat fidem, speciem suam non tibi servat, sed illud tibi servatur, unde Dives ille apud inferos torquebatur. Et, cum venerit Dominus noster et Salvator Jesus Christus, qui sic annuntiatur modo venisse, ut speretur etiam esse venturus, veniet cum retributionibus fidelium, et infidelium: fidelibus præmia daturus, infideles in ignem æternum missurus. Et dixit hoc in Evangelio, quomodo sit in fine judicaturus. Positurum se alios ad dexteram, alios ad sinistram, et discreturum omnes gentes, sicut pastor separat oves ab hœdis; justos ad dexteram futuros, impios ad sinistram; justis se dicturum: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab initio mundi.* Impiis autem et infidelibus: *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* xxv, 34-41)! Quid tibi amplius potuit prodesse Judex, quam ut definitivam sententiam suam tibi diceret, ne in illam possis incurrere? Fratres, omnis qui minatur, non vult ferire. Nam, si subitaret (*a*), et feriret. Qui dicit: Observa; non vult invenire, quem feriat. Homines sibi plagas conciliant, homines sibi pœnas comparant, qui tandiu dicenti Deo: Observate; nolunt credere. Et quidem errantis pœna, quæ hic est forte aliqua afflictio, et aliquod flagellum, aut emendatorium, aut probatorium est. Aut enim emendatur quisque pro peccatis suis, ne incidat in majores pœnas non emendatus, aut probatur uniuscujusque fides, qua tolerantia, aut qua patientia sub flagello patris permaneat, non murmurans de patre castigante, et gaudens ad blandientem, sed ita gaudens ad blandientem, ut gratias agat et castiganti, quia *Flagellat omnem filium, quem recipit* (*Hebr.* xii, 6). Quanta Martyres passi sunt, quanta toleraverunt! Quas catenas, quos squallores, quos carceres, quos cruciatus, quas flammas, quas bestias, quæ genera mortis! Calcaverunt omnia. Videbant enim aliquid spiritu, ut, quod videbant corpore, non curarent. Erat in illis oculus fidei, tendebatur oculus in futura, contemnebant præsentia. Cujus autem oculus de futuris extinctus est, expavescit ad præsentia, et non pervenit ad futura.

V. Est ergo fides, quæ ædificatur in nobis. Modo, quicumque non vult credere, quia natus est Christus de Maria Virgine, quia passus est, quia crucifixus est, credat Judæis, quia fuit, et occisus est, credat Evangelio, quia de Virgine natus est, et resurrexit. Est enim, unde credat. Et inimici Judæi non audent dicere: Non fuit Christus in gente nostra, aut: Non fuit iste homo, nescio quis, quem colunt Christiani. Fuit, dicunt, et parentes nostri occiderunt illum, et mortuus est, ut homo. Si ea, quæ consecuta sunt mortem ipsius, invenimus dicta (*b*) a Prophetis, quia in nomine ejus cursurus (*c*) erat totus mundus, quia adoraturæ illum erant omnes gentes, et omnes patriæ gentium, quia omnes etiam reges sub jugum ipsius mittendi erant, et videmus impleta post mortem Christi, quæ prædicta erant ante nativitatem Christi, quomodo nos fallimus, si cætera credere nolumus, cum videamus in nobis multa impleta? Nos enim ipsi, fratres, non soli nos, qui hic sumus Christiani,

(*a*) Id est: *obrueret illico.* Vox Afris familiaris, qua usus S. Cyprianus *Epist.* 57. et Pontius Diac. in ejus *Vita.* Tardius et alii.

(*b*) Puto: *prædicta.*

(*c*) Fortassis: *in nomen ejus cursurus*, vel *creditura* pro *cursurus.*

nos totus mundus sumus modo. Ante paucos annos non eramus, et mirum est, quomodo factum sit, ut, quod per tot sæcula non erant, modo sint. Legimus illud in Prophetis. Ne putemus casu evenisse, invenimus prædictum esse. Hinc enim augetur fides nostra, hinc ædificatur, hinc confortatur. Nemo est, qui dicat: Subito accidit. Unde? Ecce hoc, quod nunquam fuit in terra. Nonnunquam in Scripturis debitor in illis (*a*) Deus tenebatur, sed tempore suo debitum redditurus. Unde autem debebat Deus? An ab aliquo mutuum acceperat, qui omnibus omnia insuper donat? Qui fecit, quibus donaret? Non enim vel ipsi homines, quibus aliqua donarentur, erant. Potest aliquis dicere: Meritis meis Deus concessit hæc bona? Puta, concessit meritis tuis bona ista. Ut es ses, cui concessit? Qui non eras, quid tibi donavit? Ut esses gratis. Non enim promerueras illud, ante quam esses. Crede ei, quia et cætera gratis tibi donare dignatus est. Habemus ergo gratiam Dei, et tenebat Deum quodam modo debitorem mundus totus. Imo non tenebat; quia cautionem, quam fecerat, nesciebat. Promittendo se fecit debitorem, non mutuum accipiendo. Nam duobus modis dicitur debitor: Redde, quod accepisti, aut quod promisisti. Quia, quod promisit Deus, non potest dici: Redde; nihil enim ab homine accepit, qui totum homini dedit; restat ut debitor non sit, nisi quia polliceri dignatus est.

VI. Hæc pollicitatio in Scripturis erat, hæ Scripturæ in una gente Judæa, quam elegit nasci de carne servi sui, fidelis sui, qui in illum credidit. Et quomodo gens illa nata est? De Abraham sene, et de Sara sterili. Ut parturiretur, ut nasceretur ipse Isaac, unde venit gens Judæorum, miraculum fuit (*Gen.* XVII *et* XXI). Nihil de membris suis senex sperabat, nihil de sterilitate conjugis suæ optare audebat. Quod omnino non computabat, Deus illi obtulit, et offerenti Deo credidit, qui a Deo optare non ausus est. Et cum credidisset, et natus ei esset filius, de quo credidit, nascituram innumeram prolem, petiit Deus ipsum filium immolari sibi (*Id.* XXII). Tantæ autem fidei fuit Abraham, ut non dubitaret immolare unicum, de quo acceperat promissum. Numquid hæsitavit, et dixit Deo: Domine, pro magno mihi concessisti Filium in senectute, pro magnis votis, pro magna lætitia, insperato mihi natus est filius. Hunc exigis, ut occidam? Nonne melius erat, ut non dares, quam ut datum auferres? Non hæc dixit, sed credidit utile esse, quidquid Deum videbat velle. Hæc est fides, fratres. Certe Pauper ille in sinum Abrahæ sublatus est, et Dives ille ad tormenta inferorum. Ut sciatis non in culpa esse divitias, Abraham dives erat, in cujus sinu Lazarus requiescebat. Dives hic erat in terra: sicut habemus docentem Scripturam. Habebat multum auri, argenti, pecorum, familiæ. Dives erat, sed superbus non erat. Ut noveritis, quia in divite sola torquebatur superbia, sola torquebantur vitia. Ipsa meruerant pœnam, non substantia Dei. Substantia enim Dei bona cuicumque datum (*a*) fuerit. Sed bene utenti merces acquiritur, male utenti pœna retribuitur. Attendite autem, quomodo habebat Abraham divitias. Numquid filiis suis servabat? Si ipsum filium jubente Deo obtulit, divitias quomodo contempsit?

VII. Ergo hæc Scriptura, ubi se Deus promittendo fecerat debitorem, latebat apud Judæos. Venit Dominus noster Jesus Christus, secundum ipsam Scripturam natus, quia secundum ipsam redditus (*b*). Secundum ipsam Scripturam passus, quia in ipsa prænuntiatus passurus. Secundum ipsam Scripturam resurgens, quia in ipsa prænuntiatus resurrecturus. Secundum ipsam Scripturam ascendens in cœlum, quia in ipsa prænuntiatus ascensurus. Posteaquam ascendit ignoratus a Judæis, cœpit mittere Apostolos suos ad gentes, et quodam modo excitare dormientes, et dicere? Surgite, recipite debitum, quod olim vobis promissum est! Quis est, qui excitat creditorem suum, et offert illi quod debet? Non enim gentes, quia debitorem habebant Deum, surrexerunt. Vocatæ sunt, in Scripturam intendere cœperunt, et ibi invenire, quia, quod accipiebant, jam olim ipsis promissum erat. Acceperunt Christum promissum, et exhibitum, acceperunt gratiam Dei, Spiritum sanctum promissum, et exhibitum, acceperunt ipsam Ecclesiam per omnes gentes, dispersam, promissam, et exhibitam. Idola, quæ colebant gentes, promiserat Deus se eversurum. Legitur in Scripturis; ibi illud invenis (*Isai.* II, 18; *Ezech.* VI, 6; *et Mich.* I, 7). Videtis quemadmodum hoc temporibus nostris fecit Deus, quod ante tot millia annorum promisit. Etenim converterant se homines ab eo, a quo facti erant, ad illud, quod ipsi fecerant. Et cum sit semper melior, qui facit, quam illud, quod facit, ideo melior est Deus non solum homine, quem fecit, sed omnibus Angelis, Virtutibus, Potestatibus, Sedibus, Thronis, Dominationibus, quia omnia ipse condidit (*Ephes.* I, 21; *et Coloss.* I, 16), ut sit inferius, quidquid facit homo, quam est ipse homo. Ad tantam dementiam ducti erant homines, ut adorarent idolum, qui damnare deberent. Si adorarent fabrum, qui fecerat idolum, manifestum est, fratres, quia faber melior, quam idolum, quod fecit. Et cum detestandi essent homines, si fabrum adorarent, ipsum idolum adorant, quod factum est a fabro. Detestandi essent adorando fabrum, sed meliores essent, quam qui adorant idolum. Si ergo damnantur meliores, quomodo plango pejores? Si vero adorantem fabrum damnandum esse dixi, qui dimittit fabrum, et adorat idolum, qui utique meliorem dimisit, ad inferiorem se contulit, quomodo damnandus est? Sed quem meliorem primo dimisit? Deum a quo ipse factus est. Imaginem Dei quærit. In se habet. Non enim potuit facere faber imaginem Dei, sed Deus potuit facere imaginem sibi. Non fecit autem aliud tibi, sed te ipsum fecit ad imaginem suam. Adorando autem imaginem hominis, quam fecit fa-

(*a*) Aut redundat: *in illis*, aut subintelliguntur prædicta, vel promissa.

(*a*) Lego: *data*.
(*b*) Fortasse legendum: *promissus*.

ber, conteris imaginem Dei, quam tibi impressit Deus. Ideo, cum te vocat, ut redeas, reddere tibi vult illam imaginem, qua tu ipse cupiditate terrena quodam modo confricando perdidisti, et obsoletasti (*a*).

VIII. Inde est, fratres, quod imaginem suam a nobis quærit Deus. Hoc commemorat Judæos illos, quando illi obtulerunt nummum. Primo enim tentare illum voluerunt, cum dicerent : *Domine, licet tributum dare Cæsari* (*Matth.* XXII, 17)? ut, si diceret ille : Licet; calumniarentur illi, quia in maledicto vellet esse Israel, quem volebat esse tributarium, ut subjugatus esset Regi, ut daret tributa. Si autem diceret : Non licet reddere tributa; calumniarentur illi, quia contra Cæsarem præciperet, et auctor esset, ut non redderent tributum suum, quod debebant, quia subjugati erant. Vidit tentantes, tanquam veritas falsitatem, et convicit breviter mendacium ex ore mentientium. Non enim dixit in illos sententiam, ex ore suo, sed fecit, ut illi in se dicerent sententiam, quia scriptum est : *Ex ore tuo justificaberis, et ex ore tuo damnaberis* (*Id.* XII, 37). *Quid me*, inquit, *tentatis? Hypocritæ, ostendite mihi nummum.* Ostenderunt. *Cujus* ait, *habet imaginem, et inscriptionem?* Responderunt : *Cæsaris.* Et ille : *Reddite ergo Cæsari, quod Cæsaris est, et Deo, quod Dei est* (*Id.* XXII, 18-21). Sicut Cæsar quærit imaginem suam in nummo tuo, sic quærit Deus imaginem suam in animo tuo. Redde Cæsari, ait, quæ Cæsaris sunt. Quid a te quærit Cæsar? Imaginem suam. Quid a te quærit Deus? Imaginem suam. Sed Cæsaris in nummo est, Dei imago in te est. Si quando nummum perdis, plangis quia imaginem Cæsaris perdidisti. Quando adoras idolum, non plangis, quia injuriam facis in te imagini Dei?

IX. Tenete ergo, fratres, pollicitationem Domini Dei nostri, et numerate jam ex illo numero pollicitationum suarum, quanta reddidit. Christus nondum erat natus. In Scriptura erat promissus. Reddidit illum. Natus est. Nondum erat passus, nondum resurrexerat. Et hoc reddidit. Passus, crucifixus, resurrexit. Passio ipsius præmium nostrum est. Sanguis ipsius redemptio nostra est. Ascendit in cœlum, sicut promiserat. Et hoc reddidit. Misit Evangelium per omnes terras. Ideo quatuor Evangelia esse voluit, ut significaretur quaternario numero totus orbis terrarum, ab Oriente et Occidente, ab Aquilone et Meridiano. Ideo duodecim Discipulos habere voluit, ut terni quodam modo per quatuor distributi videantur, quia in Trinitate vocatus est mundus, in Patre, et Filio, et Spiritu sancto. Reddidit hoc. Misit Evangelium, sicut prædixit. *Quam speciosi pedes evangelizantium eorum, qui annuntiant pacem, evangelizantium bona* (*Rom.* X, 15)! Sicut prædixit : *Non sunt sermones, neque verba, quorum non audiantur voces eorum. Per omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum* (*Psal.* XVIII, 4, 5). Quomodo dixit, sic misit. Evangelium per omnes terras scribitur. Etiam Ecclesia persecutionem primo passa est. Reddidit, quia et Martyres promiserat. Recita cautionem : *Pretiosa in conspectu Domini mors justorum ejus* (*Psal.* CXV, 15). Reddidit etiam Martyres, quia et ipsos promiserat. Quid postea reddendum erat? *Adorabunt in conspectu ejus omnes reges terræ* (*Id.* LXXI, 11). Crediderunt et reges, qui primo persequendo Martyres fecerant. Videmus ergo et modo reges credidisse. Reddidit etiam, quod promiserat, ut jubentibus regibus idola frangerentur, quibus primo jubentibus Christiani occidebantur. Abstulit etiam idola, quia promiserat : *Et in idolis nationum non erit respectus* (*Sap.* XIV, 1). Cum tanta ergo reddiderit, fratres, quare non illi credimus? Minus idoneus debitor est Deus? Si omnino nihil adhuc nobis reddidisset, idoneum debitorem tenebamus, qui fecit cœlum et terram. Non enim pauper futurus erat, ut non haberet, unde redderet, aut fallit, cum ipse sit Veritas, aut tanta potestas est Deus, cui possit succedi, ut non habeat tempus reddendi?

X. Justum est, fratres, ut credatur Deo, antequam aliquid reddat, quia utilibet mentiri non potest, fallere non potest. Deus est. Sic illi crediderunt Patres nostri. Abraham sic illi credidit. Ecce vere laudanda fides, et prædicanda. Nihil ab illo acceperat, et credidit promittenti. Nos nondum credimus, qui tanta jam accepimus. Numquid poterat illi dicere Abraham : Credam, quia illud mihi promisisti, et reddidisti? A primo jussu credidit, nihil tale aliud acceperat. *Exi de terra tua, dictum est illi, et de cognatione tua, et vade in terram, quam tibi dabo* (*Gen.* XII, 1). Et credidit statim, et non dedit illi ipsam terram, sed semini illius illam servavit, et semini ipsius promisit quid? *In semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Gen.* XXII, 18). Semen ipsius Christus, quia de Abraham Isaac, de Isaac Jacob, de Jacob duodecim, de duodecim populus Judæorum, de populo Judæorum Virgo Maria, de Virgine Maria Dominus noster Jesus Christus. Et factus est semen Abraham Dominus noster Jesus Christus, et quod promissum erat Abrahæ, invenimus impletum in nobis. *In semine tuo*, inquit, *benedicentur omnes gentes.* Credidit hoc, antequam aliquid vidisset. Credidit, et non vidit quod promittebatur. Nos autem videmus quod illi promissum est. Et quidquid illi promittebatur, futurum erat. Quid enim nondum reddidit Deus? Labores in sæculo isto futuros denuntiavit, et sanctos suos, et fideles suos futuros in laboribus, et fructum allaturos cum tolerantia (*Luc.* VIII, 15). Prænuntiavit, et videmus. Ipsis laboribus atterimur. Qui nondum labores prænuntiati sunt? Neque enim putetis, fratres, quia, quod videtis atteri res humanas modo, non est scriptum in Scriptura Dei. Totum scriptum est, et tolerantia indicta est Christianis, et magis futura bona, quia venerunt mala, quæ prædicta ventura erant. Nam si non venirent, quæ dicta (*a*) erant, etiam de bonis nobis fidem auferrent, sed ideo venerunt ante mala, ut credamus futura bona.

(*a*) Ita Tertullianus Augustini κατρωντις Apolog. c. 5. *obsoletant.* Scorp. c. 6. *obsoletassent.*

(*a*) Certe : *prædicta.*

XI. Modo mundus sic est, quomodo et torcular in pressuris est. Sed si amurca (*a*) es, per cloacas vadis; si oleum, in gemellario (*b*) manes. Nam necesse est, pressuræ sint. Attendite amurcam, attendite oleum. Pressura fit aliquando in mundo, verbi gratia : fames, bellum, inopia, egestas, mortalitas, rapina, avaritia, pressuræ pauperum, labores civitatum. Sunt ista. Videmus. Et prædicta sunt futura, et videmus, quia sunt. Invenimus homines inter istas pressuras murmurare, et dicere : Ecce temporibus christianis quanta mala sunt! Ante tempora christiana quanta bona abundabant! Non erant tanta mala ista. De pressura amurca exit. Per cloacas currit. Os ipsius propterea nigrum est, quia blasphemat. Non splendet. Oleum relucet. Invenis autem alium hominem de pressura ipsa, et de ipsa tritura, quæ illum trivit. Numquid non ipsa tritura est, quæ illum trivit? Audistis vocem amurcæ, audite vocem olei. Deo gratias! Benedictum nomen tuum! Ista omnia mala, quibus nos conteris, prædicta erant. Securi sumus, quia ventura sunt et bona. Quando nos, et mali simul emendamur, fit voluntas tua. Te novimus Patrem promittentem, te novimus Patrem flagellantem. Erudi nos, et redde hæreditatem, quam in fine promisisti. Benedicimus sanctum nomen tuum, quia nusquam fuisti mendax. Omnia, quemadmodum prædixisti, sic exhibuisti. In his laudibus de ipsa pressura emanantibus oleum currit in gemellario. Tamen quia torcular est totus iste mundus, unde etiam dicitur alia similitudo (*c*). Sicut in fornace probatur aurum et argentum, sic probat justos tentatio tribulationis; et de fornace aurificis similitudo ponitur. In angusto cacabo tres res sunt : Ignis, aurum, et palea. Et ibi vides imaginem totius mundi. Est ibi palea, est ibi aurum, est ibi ignis. Palea comburitur, ignis ardet, aurum probatur. Sic et in isto toto mundo sunt justi, sunt impii, est tribulatio. Mundus tanquam fornax est aurificis, justi tanquam aurum, impii tanquam palea, tribulatio sicut ignis. Numquid aurum purgaretur, nisi palea ureretur? Fit, quod impii ad cineres rediguntur. Cum enim blasphemant, et murmurant contra Deum, cinis efficiuntur. Ibi aurum purgatum justi, qui tolerabiliter ferunt omnes molestias mundi, et in suis tribulationibus laudant Deum, ut aurum purgatum, rediguntur in thesauros Dei. Habet enim Deus thesauros, quo mittat aurum purgatum; habet etiam loca sordida, quo mittat cinerem paleæ. De isto mundo totum exigit. Tu vide, quid sis. Nam necesse est, ut veniat ignis. Si aurum te invenerit, sordes tollet; si paleam te invenerit, comburet, et ad cinerem perducet. Elige tibi, quid sis. Nam non potes dicere : Sine igne ero. Jam in fornace es aurificis, quo necesse est, veniat ignis. Magis te ibi esse necesse est, quia sine igne esse non poteris.

XII. Quare ergo non credimus, fratres, et venturum finem sæculi, et diem judicii, ut ibi recipiat unusquisque nostrum ea, quæ gessit in corpore, sive bonum, sive malum? Quando videmus tot res promissas, exhibitas, et datas, quare non nobis eligimus, cum vivimus, illud, ubi semper vivamus? Puta, quia negligentes fuimus, hodie simus diligentes. Negligentes non debemus semper (*a*) esse. Crastinus dies, nescis, quid sit. Dei patientia id agere nos admonet, ut et nos, et vitam nostram, si mala fuerit, corrigamus, et, cum tempus est, meliora eligamus. An putatis, quia Deus dormit, et non videt facientes mala? Sed forte patientiam nos docet, et patientiam prior exhibet. Invenit autem hominem forte profecisse, et non facere, quod faciebat, id est, malum. Patitur iste aliquem malitiosum, et vult, ut tollat illum Deus, et murmurat adversus Deum, quia retinet inimicum ipsius fortem, et male facientem, et non illum tollit. Oblitus est, quia in ipsum patienter egit, et si prius agere vellet severiter, non esset qui loqueretur. Severitatem exigis Dei? Quia tu transisti, transeat et alter. Non enim, quia tu jam transisti, præcidisti pontem misericordiæ Dei. Adhuc est, qui transeat. Fecit te bonum, cum esses malus, vult et alium, ut sit et ipse bonus ex malo, sicut tu ex malo factus es bonus. Sic omnes veniunt ordinibus suis. Sed alii nolunt venire, alii veniunt. Talibus enim dicit Apostolus : *Tu autem secundum duritiam cordis tui, et cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ, et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua* (*Rom.* II, 5). Deinde si malus vult perseverare in malo, non est socius tuus, sed erit probator tuus. Etenim, si malus est, et tu bonus, tolerando malum probaris bonus. Tu accipies coronam probationis tuæ; ille autem habebit pœnam in malo perseverationis suæ. Deus autem, quid agat, patienter expectemus bonam ejus patientiam, paternam ejus disciplinam. Pater est, benignus est, misericors est. Magis si dimiserit nos fluere, tunc male irascitur nobis.

XIII. Attendite enim, fratres, et videte Amphitheatra ista, quæ modo cadunt. Luxuria illa ædificavit. Putatis, quia illa pietas ædificavit? Non illa ædificavit nisi luxuria hominum impiorum. Non vultis, ut aliquando cadat, quod luxuria ædificavit, et surgat, quod pietas ædificat? Permisit enim Deus, quando ista ædificabantur, ut quandoque cognoscerent homines mala sua, quæ faciebant. Sed quia noluerunt cognoscere, venit Dominus Jesus Christus, cœpit illis mala sua prædicare, cœpit evertere, quod pro magno habebant, et dicunt : Mala sunt tempora christiana. Quare? Quia evertitur tibi, ubi moriebaris. Sed : Abundabant, inquiunt, omnia bona, quando ista fiebant. Utique sic, ut bona de illis fierent. Si ergo nosti, quia dedit tibi Deus aliquando abundantiam,

(*a*) Ἀμόργη ab Ἀμέργω, prima fæx olivarum premi incipientium. Vide *Plin. L. XV.* c. 18. Memorat Noster et alibi.

(*b*) Columellæ *Gemellar. L. XII.* c. 50. Noster in *Psal. CXXXVI.* T. IV. *col.* 1518. *Oleum in Gemellaria non videas.* An igitur rectius *Gemellarium*, an *Gemellaria?* Vas fortasse duplex a *Gemellis.*

(*c*) Locus turbatus : Quid si legas : *Tamen, quamvis — inde etiam ducitur alia similitudo.* Subolet pariter in mox sequentibus aliqua interpolatio.

(*a*) *Non semper* pro *nunquam.*

et male usus es, et ad perditionem usus es, vide, quia abundantia illa fecit te fluere, et perdere animam tuam. Nonne venit severus pater, et cœpit dicere : Indisciplinatus est puer iste. Commisi illi hoc, aut illud. Quomodo illud perdidit, et illud. Si nos semen terræ, nisi bona fuerit, non damus, ne semen intereat, quomodo vultis, ut Deus nobis indisciplinatis, et negligentibus vitam nostram det abundantiam suam ad male utendum, et non vultis, ut præcidat Deus defluxus hominum? Fratres mei, medicus est, et membrum putre novit præcidere, ne putrescant inde et alia loca. Unus, inquit, digitus inde præciditur; quia melius est, ut unus digitus minus sit, quam totum corpus putrescat. Si hoc homo medicus per artem suam facit, si ars medicinæ aliquam partem membrorum tollit, ne omnia putrescant, quare Deus, quidquid novit putre esse, non secet in hominibus, ut perveniant ad salutem?

XIV. Nolite ergo, fratres, tædiari (*a*) ad Deum flagellantem, ne dimittat vos, et in æternum pereatis, sed magis rogemus illum, ut moderetur ipsas plagas, et sic temperet, ne sub ipsis deficiamus, et rogemus, ut emendet cum salute, metiatur, et reddat postea, quod promisit sanctis suis. Videte, quid dixit Scriptura : *Irritavit Dominum peccator. Secundum magnitudinem iræ suæ non exquiret* (*Psal.* x, 4). Quid est : *Pro magnitudine iræ suæ non exquiret?* Quia multum irascitur, *Non exquiret*, id est, dimittet illos perire. Si ergo multum irascitur, quando non exquirit, etiam multum misericors est, quando exercet. Tunc autem exercet, quando flagellat, quando cor nostrum affigit ad se. Teneamus ergo salutare ejus, et non fugiamus flagellum ipsius. Hoc nos docet, hoc monet, in hoc nos ædificat. Ipse filius ipsius, qui ad hoc venit, ut consoletur nos, quid boni hic pertulit? Dicite mihi. Certe Filius Dei est, Verbum Dei est, per quod facta sunt omnia. Quid boni hic pertulit? Non ipse est, qui, cum dæmonia ejiceret, tales contumelias audiebat, ut diceretur illi : *Dæmonium habes* (*Joan.* vii, 20)? Filio Dei, qui dæmones ejiciebat, Judæi dicebant : *Dæmonium habes.* Jam meliores dæmones, qui confitebantur Filium Dei, quam illi (*Luc.* iv, 41). Nam et illi confitebantur, et illi non confitebantur. Tanta autem erat potentia illius, et tanta magnitudo, et tanta patientia, ut omnia toleraret. Flagellatus est, contumelias audivit, alapas accepit, consputus est in faciem, spinis coronatus est, irrisus est, delusus est, ad extremum ligno suspensus interfectus est, postea sepultus est. Filius Dei tanta hic pertulit. Si Magister, quanto magis Discipulus. Si ille, qui nos creavit, quanto magis nos creatura illius. Qui, ut nobis exemplum daret, patientiam nobis dimisit. Quare nos deficimus in ipsa patientia, quasi caput nostrum perdiderimus, quod nos præcessit ad cœlum? Ideo enim caput nostrum præcessit ad cœlum, tanquam dicens : Ecce qua. Venite, per molestias, per patientiam. Hæc est via, quam vobis tradidi. Sed quo ducit via, qua me videtis ascendere? In cœlum. Qui non vult hac ire, non vult illuc pervenire. Qui vult ad me pervenire, per viam veniat, quam monstravi. Et non potestis pervenire, nisi per viam molestiarum, dolorum, tribulationum, angustiarum. Sic pervenies ad requiem, quæ tibi non tollitur. Si autem vis istam requiem, quæ est ad tempus, et recedere a via Christi, observa tormenta Divitis illius, qui apud inferos torquebatur, quia et ipse requiem præsentem desideravit, et pœnas sempiternas invenit. Fratres charissimi, eligite potius duriora, quæ sine fine requiem habebunt in æternum. Conversi ad Dominum, etc.

(*a*) *Tædiare* apud Veget. Lamprid. Tertull. etc.

## SERMO XXV.

*De verbis Evangelii Matth.* XII, *vers* 41-50. Ecce plus quam Jonas hic, etc (*a*).

### SYNOPSIS.

*I. Judæi deteriores Ninivitis, et Regina Saba. II. Quomodo hominis a spiritu immundo liberati novissima fiant pejora prioribus. III. Parentes a Christo docentur, non impedire filios in bono opere. IV. Cum Christus nascendo utrumque sexum honoraverit docetur officium Prolium. V. Refelluntur Manichæi asserentes Christum non habuisse Matrem. VI. Concluditur contra Manichæos Christum habuisse matrem. VII. Unde Mariæ Virginis excellentia. VIII. Quomodo Christianus fieri possit mater Christi.*

I. Ea, quæ de sancto Evangelio recitata sunt, fratres charissimi, si omnia pertractare cupiamus, vix tempus sufficit singulis, quanto magis non sufficit omnibus. Jonam prophetam, qui dejectus in mare belluæ marinæ utero exceptus est, et die tertia vivus emovitus, figuram gessisse Salvatoris, qui passus est, et die tertia resurrexit, ipse Salvator ostendit. Accusatus est populus Judæorum in comparatione Ninivitarum, quoniam Ninivitæ, ad quos missus est redarguendos (*b*) Jonas propheta, agendo pœnitentiam iram Dei placaverunt, et misericordiam meruerunt. *Et ecce, inquit, plus quam Jonas hic* (*Matth.* XII, 41), volens intelligi se ipsum Dominus Christus. Audierunt illi servum, et vias suas correxerunt; audierunt isti Dominum, et non solum se non correxerunt, sed insuper illum occiderunt. *Regina Austri exurget*, inquit, *in judicio cum generatione hac, et condemnabit eam. Venit enim a finibus terræ audire sapientiam Salomonis, et ecce plus quam Salomon hic* (*Ibid.* 42). Non fuit magnum Christo plus esse quam Jonas, plus esse quam Salomon. Ille enim Dominus, illi servi erant. Sed tamen quales sunt, qui præsentem Dominum contempserunt, quando alienigenæ servos ejus audierunt?

II. Deinde sequitur : *Cum autem spiritus immundus exierit ab homine, ambulat per loca arida quærens requiem, et non invenit. Tunc dicit : Revertar in domum*

(*a*) In Codice *fol.* 89. inscriptus : *Feria quarta Hebdomadæ primæ de Quadragesima. Sermo sancti Augustini ep contra Manichæos.* Contra hos posteriori parte subtiliter disputatur. Priora de Judæorum cæcitate, Peccatorum recidivis, Parentum, Proliumque officiis agunt. Tractatus in serendus post *Sermonem* LXXII.

(*b*) Membranæ mendose : *sed arguendos.*

*meam, unde exivi. Et veniens invenit eam vacantem, scopis mundatam, et ornatam. Tunc vadit, et assumit secum alios septem spiritus nequiores se, et inhabitantes habitant in ea, et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus Sic erit generationi huic pessimæ* (*Matth.* XII. 43-45). Hoc ut intelligatur, si congruenter exponatur, multum sermo immorabitur. Breviter tamen attingam, quantum Dominus donat, ne vos ab hujus rei intellectu jejunos dimittam. Quando fit in Sacramentis remissio peccatorum, mundatur domus, sed habitator est necessarius Spiritus sanctus. Spiritus autem sanctus non habitat nisi humiles corde. Deus enim dicit: *Super quem requiescet Spiritus meus?* et respondet proposito: *Super humilem, et quietum, et trementem verba mea* (*Isai.* LXVI, 2). Ille ergo cum fuerit habitator, implet, regit, agit, frenat a malis, ad bona excitat, suavem facit justitiam, ut homo bene faciat amore recti, non timore supplicii. Hoc, quod dixi, agere per semetipsum homo minus idoneus est; sanctum autem Spiritum si habuerit habitatorem, ipsum in omnibus bonis etiam invenit et adjutorem. Superbi autem quidam, peccatis sibi remissis, si præsumpserunt ad bene vivendum de solo libero humanæ voluntatis arbitrio, ipsa superbia a se excludunt Spiritum sanctum, et remanet domus quasi mundata a peccatis, sed inanis omnibus bonis. Dimissa sunt peccata tua, caruisti malis, sed non te nisi Spiritus sanctus implebit bonis. Hunc repellit superbia. Præsumis de te, dimittit te. Confidis tibi, donaris tibi. Sed illa cupiditas, qua malus eras, repulsa ab homine, hoc est, a mente tua, quando remissa sunt peccata tua, vagatur per deserta quærens requiem, et non inveniens requiem redit ad domum illa cupiditas, invenit mundatam, *Adducit secum alios spiritus septem nequiores se, et erunt pejora hominis illius novissima, quam erant prima. Septem alios adducit secum.* Quid est, *Alios septem?* Ergo et ipse immundus spiritus septenarius est? Quid est hoc? Per septem universitas significatur. Totus ierat, totus venit, et utinam solus veniret. Quid est: *Adducit secum alios septem?* Quos non habebat, quando erat malus, habebit alios falso bonus. Intendite, ut, si possum, quantum adjuvor, explanem quod dico. Spiritus sanctus operatione septenaria commendatur, ut sit in nobis *Spiritus sapientiæ et intellectus, consilii, et fortitudinis, scientiæ, et pietatis, et timoris Dei* (*Isai.* XI, 2, 3). Huic septenario bono constitue a contrario septenarium malum: spiritum stultitiæ et erroris, spiritum temeritatis, et ignaviæ, spiritum ignorantiæ, et impietatis, et spiritum superbiæ contra timorem Dei. Isti sunt septem nequam. Qui sunt *Alii septem nequiores?* Alii septem nequiores in hypocrisi inveniuntur. Unus malus spiritus stultitiæ, alter pejor simulatio sapientiæ. Spiritus malus spiritus erroris, alter pejor simulatio veritatis. Spiritus malus spiritus temeritatis, alter pejor simulatio consilii. Spiritus malus spiritus ignaviæ, alter pejor simulatio fortitudinis. Spiritus malus spiritus ignorantiæ, alter pejor simulatio scientiæ. Spiritus malus spiritus impietatis, alter pejor simulatio pietatis. Spiritus malus spiritus elationis, alter pejor simulatio timoris. Septem non ferebantur, quis ferat quatuordecim? Necesse est ergo, ut, cum malitiæ fuerit addita simulatio veritatis, sint pejora hominis novissima, quam erant prima.

III. *Hæc eo loquente ad turbas* (Evangelium sequor) *mater ejus, et fratres ejus stabant foris volentes loqui cum illo. Nuntiavit ei quidam dicens: Ecce mater tua et fratres tui foris sunt, loqui tecum volunt. Et ille: Quæ mihi mater est, aut qui fratres? et extendens manum super Discipulos suos ait: Hi sunt mater mea, et fratres mei. Et quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse mihi frater, soror, et mater est* (*Matth.* XII, 46-50). Hinc solum vellem loqui, sed, quia superiora nolui præterire, non parvam partem temporis, quantum sentio, consumpsi. Hoc enim, quod modo proposui, multos habet sinus, nodosque quæstionis, quomodo pie Dominus Christus contempserit matrem, non qualemcumque matrem, sed quanto magis Virginem matrem, tanto magis talem matrem, cui sic attulit fœcunditatem, ut non adimeret integritatem, matrem Virginem concipientem, Virginem parientem, Virginem perpetuo permanentem. Talem matrem ille contempsit, ne operi, quod agebat, maternus se insereret, eumque impediret affectus. Quid enim agebat? Populis loquebatur, veteres homines destruebat, novos ædificabat, animas liberabat, vinctos solvebat, cæcas mentes illuminabat, bonum opus faciebat, in bono opere actu et sermone fervebat. Inter hæc nuntiatus illi est carnalis affectus. Audistis quid responderit, ut quid ego repetam? Audiant matres, ne impediant carnali affectu bona opera filiorum. Si enim voluerint impedire, et agentibus sic irruerint, ut saltem interpolent, quod differri non oportet, contemnentur a filiis. Audeo dicere: Contemnentur, pietate contemnentur. Et quando erit filio suo bono operi mente intento, et ideo matrem venientem contemnenti, quando erit irata mulier, sive maritata, sive vidua, quando contempta est Virgo Maria? Sed dictura es mihi: Ergo filium meum Christo comparas? Nec illum Christo comparo, nec te Mariæ. Non ergo Dominus Christus maternum damnavit affectum, sed contemnendæ matris pro opere Dei magnum in se ipso demonstravit exemplum. Et in loquendo doctor erat, et in contemnendo doctor erat, et ideo dignatus est contemnere matrem, ut pro Dei opere te contemnere doceret et patrem.

IV. Non enim poterat Dominus Christus homo fieri sine matre, qui potuit sine patre. Si oportebat, imo quia oportebat, ut homo fieret propter hominem, qui fecit hominem, considerate et recolite, unde ipsum primum hominem fecit. Primus homo factus est sine patre, sine matre. Quod potuit primo humanis instruendis rebus aptare, non potuit postea tale aliquid ad reparandas res humanas sibi coaptare? Difficile erat Sapientiæ Dei, Verbo Dei, Virtuti Dei, unigenito Filio Dei, difficile erat, quem sibi coaptaret, facere hominem, undecumque voluisset? Angeli se homines hominibus præbuerunt. Abraham sanctos Angelos pavit, et tanquam homines invitavit, nec tantum vidit;

sed et tetigit; nam pedes lavit (*Gen.* XVIII). Numquid illa, quasi per phantasmata ludicra, ab Angelis facta sunt? Si ergo potuit Angelus humanam speciem, cum voluit, veram exhibere, non potuit Dominus Angelorum, undecumque vellet, quem susciperet, verum hominem facere? Sed noluit hominem habere patrem, ne per concupiscentiam carnalem veniret ad homines, voluit tamen matrem, ut matrem haberet inter homines, quam pro Dei opere contemnendo doceret homines. Voluit sexum virilem suscipere in se, et muliebrem sexum honorare dignatus est in matre. Etenim antiquitus et fœmina peccaverat, et viro peccatum propinaverat (*Id.* III). Utrumque conjugium diaboli fraude deceptum est. Si veniret Christus vir non cum fœminei sexus commendatione, desperarent de se fœminæ, maxime, quia per illam lapsus est homo. Utrumque honoravit, utrumque commendavit, utrumque suscepit. De fœmina natus est (*a*). Nolite desperare, viri. Vir esse dignatus est Christus. Nolite desperare, fœminæ. De fœmina nasci dignatus est Christus. Ad salutem Christi sexus uterque concurrat. Veniat masculus, veniat fœmina. In fide nec masculus est, nec fœmina (*Galat.* III, 28). Docet ergo te Christus contemnere parentes tuos, amare parentes tuos. Tunc enim ordinate et pie amas parentes, quando Deo non præponis parentes. *Qui amat* (*Domini verba sunt*) *qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus* (*Matth.* X, 37). His verbis quasi videtur admonuisse, ne amares. Imo, si attendas, admonuit, ut amares. Potuit enim dicere : Qui amat patrem aut matrem, non est me dignus. Non hoc dixit, ne loqueretur contra legem, quam dedit. Ipse enim legem illam per Moysen famulum suum dedit, ubi scriptum est : *Honora patrem tuum, et matrem tuam* (*Exod.* XX, 12; *et Deut.* V, 16). Non contrariam legem promulgavit, sed illam commendavit, et ordinem te docuit, non pietatem subvertit. *Qui amat patrem aut matrem, sed plus quam me.* Amet ergo, sed non plus quam me. Deus Deus est, homo homo est. Ama parentes, obsequere parentibus, honora parentes; sed, si te Deus ad aliquid amplius vocat, ubi possit impedimento esse parentalis affectus, serva ordinem, noli evertere charitatem.

V. In tanta veritate doctrinæ Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi quis credat calumniam quæsivisse Manichæos, qua conarentur asserere Dominum Jesum Christum non habuisse ullam matrem? Hoc enim sapiunt, imo desipiunt, quod Dominus Jesus non habuerit hominem matrem, contra Evangelium, contra lucem ipsius veritatis. Et, unde argumententur, attendite. Ecce, inquiunt, ipse dicit. Quid dicit? *Quæ est mater mea, aut qui sunt fratres mei* (*Matth.* XII, 48)? Ipse, inquiunt, negat, et tu ei vis imponere, quod negat. Ipse dicit : *Quæ est mater mea, aut qui sunt fratres mei?* et tu dicis : Habet matrem. O stulte, o contentiose, o merito odiose! responde mihi, unde scias dixisse Dominum : *Quæ est mater mea, aut qui sunt fratres mei?* Tu negas Christum habuisse matrem, et quod intendis, per hoc docere conaris, quia dixit : *Quæ est mater mea, aut qui sunt fratres mei?* Si alius existat, et dicat hoc Dominum Christum non omnino dixisse, unde convinces? Responde, si potes, ad hominem negantem, quod hoc dixerit Christus. Unde convinces, inde convinceris. Numquid enim, hoc se dixisse, in aurem tibi Christus ipse indicavit? Responde, ut ore tuo convincaris. Responde ut, hoc Christum dixisse, convincas. Novi, quod dicturus es : Codicem sumam, Evangelium aperiam, verba ejus recitabo scripta in sancto Evangelio. Bene, bene. Ipso Evangelio tenebo te cum ipso, Evangelio alligabo te, de ipso Evangelio suffocabo te. In ipso Evangelio recita, quod pro te, putas. Aperi, lege. *Quæ est mater mea?* Quare hoc dixit, supra leges. Nuntiavit ei quidam : *Ecce mater tua, et fratres tui foris stant* (*Matth.* XII. 47). Nondum premo, nondum teneo, nondum suffoco, Adhuc potes dicere : Ille quidem falsus nuntius fuit, non verum dixit, mendacia suggessit. Propterea Dominus falsum nuntium refutavit. Post nuntium quippe ejus respondit : *Quæ est mater mea?* Quasi diceret : Tu dicis : Foris stat mater tua. Ego dico : *Quæ est mater mea?* Cui vis, inquit, credamus? Nuntio suggerenti, an, quod nuntiaverat, Christo respuenti. Audi ergo. Adhuc interrogo te. Tantum Evangelium tene. Noli mihi codicem projicere post te. Tene, da auctoritatem Evangelio, quam nisi dederis, non erit unde probes Dominum dixisse : *Quæ est mater mea?* Cum vero auctoritatem dignam tribueris Evangelio, vide quid interrogem. Paulo ante interrogaveram, unde scires utrum dixerit Christus : *Quæ est mater mea?* Quid præcesserat? Nuntius quidam dixerat Christo : Mater tua foris stat. An equam hoc diceret nuntius, vel, ut hoc diceret nuntius, quid præcessit? Cogo (*a*), ut legas. Video te jam timere, ne legas. *Respondit Dominus, et dixit.* Quis dixit? Non dico, quis dixit : *Quæ est mater mea?* respondebis enim : Dominus dixit. *Respondit Dominus*, quis dixit? Responsurus es : Evangelista dixit. Evangelista iste verum dixit, an falsum? Dicturus es, quod verum dixit, aut (*b*) falsum. *Respondit Dominus, et ait illi*, quod Evangelista dixit, verum dixit, an falsum? Si dicturus es falsum dixisse Evangelistam, Dominum respondisse, unde scis : *Quæ est mater mea?* Dominum dixisse? Si autem propterea convincis : *Quæ est mater mea?* Dominum dixisse, quia hoc eum dixit Evangelista dixisse, non convincis hoc Dominum dixisse, nisi credideris Evangelistæ. Jam si credis Evangelistæ, quia nihil dicis, si non credideris Evangelistæ, lege superius quid dixerit ipse Evangelista.

VI. Quandiu tibi moras facio! Quandiu te suspendo! Beneficium est, ut cito vincaris. Attende, inspice, lege. Video te nolle. Da codicem. Ego lego : *Hæc eo loquente ad turbas.* Quis hoc dicit? Evangelista, cui si non credis, nihil Christus dixit. Si nihil Christus dixit, *Quæ est mater mea?* Christus non dixit. Si autem, *Quæ est mater mea?* Christus dixit, verum est

(*a*) Addo : *vir.* Ita videntur exigere.

(*a*) Fortasse : *Rogo.*
(*b*) In membranis : *an*, quod ἄλογον videtur

quod Evangelista scripsit. Vide, quid ante dixit. *Hæc eo loquente ad turbas, mater ejus et fratres ejus foris stabant, volentes loqui cum eo.* Nondum aliquid nuntius ille nuntiavit, quem potes dicere fuisse mentitum. Quid nuntiaverit vide, quid Evangelista præmiserit attende. *Hæc Domino loquente ad turbas, mater ejus, et fratres ejus foris stabant* Quis hoc dicit? Evangelista, cui credis, Dominum dixisse: *Quæ est mater mea?* Sed si hæc dicta non credis, ut illa, Dominus ergo non dixit: *Quæ est mater mea?* Sed vere Dominus dixit: *Quæ est mater mea?* Crede ergo ei qui dixit, Dominum dixisse: *Quæ est mater mea?* Qui enim dixit, Dominum dixisse: *Quæ est mater mea?* ipse dixit: *Hæc eo loquente, foris stabat mater ejus.* Quare ergo negavit matrem suam? Absit! Intellige. Non negavit, sed aliquid, quod faciebat, matri præposuit. Postrema sola (*a*) causa est quærere, quare Dominus dixerit: *Quæ est mater mea?* Prima causa est videre, quod habuerit, de quo diceret: *Quæ est mater mea?* Habuit, foris stabat, loqui cum eo volebat. Dic mihi, unde scis? Evangelista dicit, cui si non credidero, nihil Dominus dicit. Ergo habuit matrem; sed quid est: *Quæ est mater mea?* Ad ista, quæ ego facio, *Quæ est mater mea?* Si dicas alicui periclitanti, et patrem habenti: Liberet te pater tuus; quem scit ille non esse idoneum liberando filio suo, nonne respondet tibi summa pietate, integra veritate: Quid est pater meus? Ad hoc quod volo, ad hoc quod mihi nunc opus esse sentio, quid est pater meus? Ad illud ergo, quod agebat Christus, quod vinctos solvebat, cæcas mentes illuminabat, interiores homines ædificabat, templum spirituale sibi fabricabat, quæ est mater ejus? Sed si putas ideo Christum non habuisse matrem in terra, quia dixit: *Quæ est mater mea?* nec Discipuli ejus habuerunt patres in terra, quia dixit eis ipse Dominus: *Ne vobis dicatis patrem in terra.* Domini verba sunt: *Ne vobis dicatis patrem; unus est enim Pater vester Deus* (*Id.* XXIII, 9). Non patres non habebant, sed ubi venturum est ad regenerationem, quæratur pater regenerationis, non damnetur pater generationis, sed ei præponatur pater regenerationis.

VII. Ecce illud magis attendite, charissimi fratres mei, illud magis attendite, obsecro vos, quod ait Dominus Christus extendens manum super Discipulos suos: *Hæc est mater mea, et fratres mei. Et qui fecerit voluntatem Patris mei, qui me misit, ipse mihi et frater, et soror, et mater est.* Numquid non fecit voluntatem Patris Virgo Maria, quæ fide credidit, fide concepit, electa est, de qua nobis salus inter homines nasceretur, creata est a Christo, antequam in illa Christus crearetur? Fecit, fecit plane voluntatem Patris sancta Maria, et ideo plus est Mariæ, discipulam fuisse Christi, quam matrem fuisse Christi. Plus est felicius discipulam fuisse Christi, quam matrem fuisse Christi. Ideo Maria beata erat, quia, et antequam pareret, magistrum in utero portavit. Vide, si non est, quod dico. Transeunte Domino cum turbis sequentibus, et miracula faciente divina, ait quædam mulier: *Felix venter, qui te portavit* (*a*). *Beatus venter, qui te portavit.* Et Dominus, ut non felicitas in carne quæreretur, quid respondit? *Imo beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt* (*Luc.* XI, 27, 28). Inde ergo et Maria beata, quia audivit verbum Dei, et custodivit. Plus mente custodivit veritatem, quam utero carnem. Veritas Christus, caro Christus. Veritas Christus in mente Mariæ, caro Christus in ventre Mariæ. Plus est, quod est in mente, quam quod portatur in ventre. Sancta Maria, beata Maria, sed melior est Ecclesia, quam Virgo Maria. Quare? Quia Maria portio est Ecclesiæ, sanctum membrum, excellens membrum, supereminens membrum, sed tamen totius corporis membrum. Si totius corporis, plus est profecto corpus, quam membrum. Caput Dominus, et totus Christus caput et corpus. Quid dicam? Divinum caput habemus, Deum caput habemus.

VIII. Ergo, charissimi, vos attendite Et vos membra Christi estis, et vos corpus Christi estis. Attendite, quomodo sitis, quod ait: *Ecce mater mea, et fratres mei.* Quomodo eritis mater Christi? Et *Quicumque audit, et quicumque facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, et soror, et mater est* (*Matth.* XII, 49, 50). Puta, *Fratres* intelligo, *Sorores* intelligo; una est enim hæreditas, et ideo Christi misericordia, qui, cum esset unicus, noluit esse solus, voluit nos esse Patri hæredes, sibi cohæredes. Talis est enim illa hæreditas, quæ cohæredum multitudine angusta esse non possit. Intelligo ergo fratres nos esse Christi, sorores Christi esse sanctas et fideles fœminas; matres Christi quomodo possumus intelligere? Quid igitur? Audemus nos dicere matres Christi? Imo audemus nos dicere matres Christi. Dixi enim vos fratres ejus omnes, et matrem suam non auderem? Sed multo minus audeo, quod Christus dixit, negare. Ea, charissimi, intendite, quomodo sit Ecclesia, quod manifestum est, conjux Christi, quod difficilius intelligitur, sed tamen verum est, mater Christi. In ipsius typo Maria Virgo præcessit. Unde, rogo vos, Maria mater est Christi, nisi quia peperit membra Christi? Vos, quibus loquor, membra estis Christi. Quis vos peperit? Audio vocem cordis vestri: Mater Ecclesia. Mater ista sancta, honorata, Mariæ similis et parit, et virgo est. Quia parit, per vos probo. Ex illa nati estis, et Christum parit: nam membra Christi estis. Probavi parientem, probabo virginem. Non me deserit divinum testimonium, non me deserit. Procede ad populum, beate Paule. Esto testis assertionis meæ. Exclama, et dic, quod volo dicere. *Sponsavi vos uni viro virginem castam exhibere Christo* (2 *Cor.* XI, 2) Ubi est ista virginitas? Ubi timetur corruptio? Ipse dicat, qui virginem dixit. *Sponsavi vos uni viro virginem castam exhibere Christo. Timeo autem*, inquit, *ne sicut serpens Evam seduxit versutia sua, sic et vestræ mentes*, inquit, *corrumpantur a castitate, quæ est in Christo.* Tenete in mentibus virginitatem mentis. Virginitas fidei catholicæ integri-

(*a*) Numquid: *solum?*

(*a*) Videtur redundare hæc sententia.

tas. Ubi corrupta est Eva sermone serpentis, ibi debet esse virgo Ecclesia dono Omnipotentis. Ergo in mente pariant membra Christi, sicut Maria in ventre Virgo peperit Christum, et sic eritis matres Christi. Non est longe a vobis, non est præter vos, non abhorret a vobis. Fuistis filii, estote et matres. Filii matris, quando baptizati estis, tunc membra Christi nata estis. Adducite ad lavacrum baptismatis, quos potestis, ut sicut filii fuistis, quando nati estis, sic etiam ducendo ad nascendum matres Christi esse possitis.

# SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PIO PAPÆ VII.

Beatissime Pater,

Quandoquidem gratulandum mihi plane video quod illud fuerit sorte datum, ut novos quosdam Divi Aurelii Augustini Sermones in Codicibus Mss. Cassinensis hujus Archicœnobii delitescentes, omniumque oculis hactenus impervios nunc primum e blattis eruerem, lucisque usura donarem, patiare, quæso, Beatissime Pater, ut illorum Tibi specimen sistam, quod quidem, nec temere, in antecessum procudendum curavi. Istud, inquam, sermonum specimen Beatitudini tuæ jure, meritoque sistendum putabam, tum quod monumenta exhibet pretiosissima Magni illius Ecclesiæ Doctoris, et Magistri, cujus doctrinæ præstantia, ac divina quædam celsitudo in Apostolicæ Sedis Tuæ culmine potissimum sibi semper propugnaculum vindicavit, tum quod illinc Sermones isti sunt deprompti, unde Benedictina Soboles est propagata, cui Sanctitas tua olim in minoribus emancipabatur, cujusque nunc et Parens existis, et Decus, et Præsidium. Renidentiori igitur fronte quam quisquam alius illos excipias ac benigniori veluti sinu foveas, præsentissimum iis columen præstans; ne quis pateat obtrectationi, invidiæque locus : eo vel magis quod Benedictina Familia illud fere privilegium non immerito sibi arrogel, ut per suos præcipue Alumnos tanti Doctoris opera recognoscantur, illustrentur, edantur. Tu igitur votis, cœptisque annue, Beatissime Pater, quem dum Christianus Orbis Parentem publicum jamdiu colit, ac veneratur, simul et scientiarum, et Artium Mæcenatem, Patronumque beneficentissimum suspicit, ac miratur : Cujus demum Sanctissimis provolutus pedibus paternæ Benedictionis pignus in me, meumque Archicœnobium istud, Congregationemque universam quam humillime deposco.

Sanctitatis Tuæ

Humillimus, atque Obsequentissimus Filius

D. Octavius Fraja Frangipane Monachus Cassinas.

# Præloquium editoris.

Codices manuscriptos Bibliothecæ hujus Cassinensis in novum catalogum digerere aggredienti, tum ad rerum materias, tum ad characterum formam, tum ad ætates ipsas æquiore qua possem lance expendendas, nihil mihi optatius, nec auspicatius contigisset unquam, quam ut in plerosque inciderem magni Doctoris Augustini sermones, quos in editis Exemplaribus, iisque probatissimis vel desiderari prorsus, vel pluribus intercipi lacunis perspexi. Horum aliquos licet enuntiatos invenerim in Bibliotheca Medicea cum Laurentiana Leopoldina, in illa S. Marci Venetiarum, aliisque, quarum exstant Catalogi Codicum Mss. typis impressi; de iis tamen singulis ibidem annotatum legi ab Editione exulare. Nonnullos vero ad numerum viginti quinque nuper reperi in lucem editos apud Germanos anno 1792 per Virum clarissimum Michaelem Denis Præfectum Bibliothecæ Vindobonensis; cæteros in tenebris adhuc delitescere dolui. Quibus lucem amplius invideri ægrius ferens nil potius habui, quam ut investigandis, si quæ forent, laciniis adlaborarem, ex quibus nimirum *unus et alter videretur assutus pannus* : neque enim me fugiebat mos ille præposterus, qui apud sequiores præcipue ætates invaluerat, concinnandi videlicet ex Patrum Excerptis unum aliquem veluti nothum partum, quem temere cui vellent adjudicarent. Verebar scilicet ne operam luderem, neve quid audacius molirer supra sedulam hoc in genere, vixque sane æquiparandam curam doctissimorum Monachorum Congregationis S. Mauri in sua Parisiensi Editione : meritoque etiam suspicabar ne cæterarum longe præclariorum Bibliothecarum dignitati, spectatæque præcellentiæ derogatum a me vel aliquantulum videretur.

Ad locupletiorem proinde rei evidentiam ipsos consulendos duxi præstantes doctrina Viros, et quavis fere exceptione majores, nec non alios egregios rerum hujusmodi æstimatores in variis Italiæ urbibus degentes, mihique litterarum familiaritate conjunctos, inter quos principem profecto locum tenet doctissimus Aloysius Vincentius Cassittus ex Prædicatorum Familia, cujus sagacitati solertiæque hac in

re plurimum et honorem testor, et gratiam ; qui quidem omnes sermones istos ( quot nempe præ oculis habuere ) unanimi prope judicio novos pronuntiarunt, necnon et Augustinianam redolere dicendi formam : quin et ab iis additos mihi stimulos fateor, ad illos quam citius publici juris faciendos. Quorum mehercule gravissimorum hominum et stimulis, et votis amplius obluctari non valens, deque litterarum Republica præclare me meriturum confidens, iis morem gessi ; illudque unum mihi cavendum statui, quod cautum cuique optimo novimus, ut ne quid falsi auderem, ne quid veri non auderem.

Et sane non inconsultum quoddam aucupandæ celebritatis studium, non præceps quædam judicandi libido, non ipsum denique in magnum Doctorem obsequium me illos Augustino vindicare jusserunt ; at cum cæteris probatæ Critices præsidiis suffultus, tum una potissimum fretus fide Codicum, quos in reliquis omnibus ad unguem conspirare cum excusis Exemplaribus animadverti, quidni illorum auctoritati acquiescerem? Quod si qui forte vel dissonantia styli, qui dicitur, vel argumentorum levitate, vel alia quavis de causa non satis digni tanti Doctoris nomine inveniantur, quique proinde vel ut apocryphi expungendi, vel inter dubios videantur amandandi, prudentiorum judicium non moror ; eosque peroptem linceis oculis instructos, quibus et Verlinus ipse, et Vindingus invideant.

Num vero ex stylo præcipue satis certum argumentum eliciatur ad auctorem definiendum hæret aqua. Perarduum sane, ac perdifficile dixerim, cæteris tamen paribus ; illudque sit exemplo. In Homiliario Patris Combefisii sermo habetur : *Hodie verus sol :* (T. 1, pag. 519) quem Ipse Origeni adjudicatum refert, quem contra P. Bruni Divo Maximo vindicat, f. 413 ; Vallarsius putat inter Hieronymi apocrypha amandandum ; Bibliotheca vero Laurentiana apud Bandinium Divo Ambrosio accenset. Anne Patrum stylus novus veluti Proteus in novas, et varias sese fingit species?

Ipse etiam Augustini stylus quantopere, quamque multis de causis varius sit, et multiplex, graphice exponunt ipsi Editores Monachi in Præfatione ad Tomum quintum : qui simul doctissime, ut assolent, persuadent unum in omnibus, eumdemque existere Augustini *spiritum*, quo veluti animatur illius stylus. *Ubique enim*, inquiunt, *agnoscitur Augustinus proprio quodam eloquentiæ gravis, ac seriæ genere, quod sibi lectorum animos subjicit, non lepore comptæ, et affectatæ elocutionis, sed efficacia quadam judicii, prudentiæ, pietatis.*

Neque illud hic prætereundum putem ; dictiones ipsas, ac sententias, ipsasque fere periodos, quæ alicubi in Augustino occurrunt, in novis etiam istis sermonibus passim iterari. Cave tamen ex hoc laciniosos dixeris, dubiæque fidei : id ipsum enim præfati Editores sæpenumero deprehenderunt vel in ipsis authenticis Augustini partubus, et Augustinum legentibus ubique patet, in libris præsertim *De Quæstionibus*. Nonnulla autem in nonnullis sermonibus adesse, quæ et alibi adsunt, longe secus est ac sermones verbis ejus consarcinari. Ecquis autem neget S. Doctorem innumeros prope sermones aut ex tempore fundentem, aut scriptis consignantem facillime potuisse iisdem verbis nonnunquam easdem reddere sententias?

Quod si quis curiosius sciscitetur qui factum sit ut doctissimi illi Monachi nullibi sermones istos meminerint, percontari et mihi liceat, qui fieri unquam potuerit, ut meminissent, cum nec ipsos Cassinenses Codices in exornanda Augustini Editione vel a limine salutarint? idque ex eo vel maxime patet quod inter Manuscriptos omnes ab iis singillatim recensitos, et naviter collatos nostri prorsus silentio prætereantur. Nec tamen arguas eos idcirco fuisse posthabitos, quod vel ut minus probatæ fidei, vel ut apocryphi omnino in nullo habiti sint numero : namque apocryphis saltem contentas Homilias accensuissent, uti pronum est colligere ex trina apud ipsos instituta sermonum classe ; quos nempe integerrimis illis Editoribus libuit dispescere in authenticos, dubios, et apocryphos.

Si quem porro cupido incesserit dignoscendi penitius, qua potissimum de causa ea in Editione nulla Bibliothecæ Cassinensis habita sit ratio, fieri hoc potuit seu quod ipsa fuerit minus celebratæ famæ apud Gallos priusquam Mabillonius, Montfauconius, aliique hujusce subsellii homines suum illi testarentur honorem, seu quod ingruentia undique bella, quæ tunc temporis, ætate nimirum Ludovici Magni Regis Christianissimi Europam pene totam fatigabant, communicandi libertatem adimerent, ipsaque fortasse litterarum diribitoria præpedirent. Quod si hæc naso suspenderis adunco, nullo plane negotio evincerem ex syllabo Codicum quos contulere, hoc iis fuisse propositum, ut ex Bibliothecis Italis omnibus Vaticanam tantum, necnon et S. Crucis in Jerusalem de Urbe consulerent, reliquis universis posthabitis, vel ipsa nobilissima Medicea.

Ipsum autem Mabillonium, Montfauconium, cæterosque apud nos diversatos sæpe sæpius ad expiscanda litterarum, et vetustatis monumenta, quoad Homilias istas cæcutire pene visos esse, neque iverim inficias, neque mirari subit. Cum enim post adornatam jam Parisiensem Editionem eruditissimi illi hospites huc perrexerint, nullum putarunt pretium operæ ad Sermones istos attendere impensius, quos facile censebant cum reliquis omnibus luce donatos. Quin et suspicari merito licet Codices ipsos utpote sequioris ævi præ aliis longe remotiorum ætatum minime fuisse iis exhibitos ; vel demum, quod multo verosimilius, tempus eos defecisse Codices nostros singulos trutinandi numero quidem supra quingentos. Idque Montfauconii ipsius exemplo liquido patet, qui cum cæterarum Bibliothecarum, tum et Cassinensis Codices omnes recensendo enumerat, quavis seclusa peculiari analysi. Quid quod et ab ipso in Bibliotheca Monasterii SS. Severini, et Sosii Neapoli Ordinis

S. Benedicti Codex inter cæteros recensetur, et describitur Num. 7, quin de thesauro illo nec nova proferat, nec vetera? Codex, inquam, tunc temporis Monasterio illi deputatus, nunc Bibliothecæ Vindobonensi plurimis ab hinc annis addictus, unde scilicet præfatus perspicacissimus Denisius novos Augustini sermones auspicatissimo elicuit; in quo hercle hanc nobis gloriam invidit non ita multis annis ante, viam tamen munire visus est ad confirmandam Codicum nostrorum authentiam.

Sed ad rem universam secundis curis recognoscendam, utque ex Horatiano præcepto *nonum prematur in annum*, certum mihi est decem duntaxat ex sermonibus hisce (quos complures datum est detegere) in præsens typis mandare *Speciminis* instar; atque eo vel magis quod frustrari ulterius spem publicam non liceret, neu quis illud in nos merito obganniret: *Fortunati sua si bona norint.* Modicis vero, iisque pernecessariis annotationibus, animadversionibusque illos communire ad rem duxi, uti et in antecessum annotatu dignum est illos e Codicibus Membranaceis prodire, et quidem sæculi ut plurimum X, et XI, characteres Longobardos præ se ferentibus, ad typum porro eorum, quos exhibet Mabillonius de Re Diplom. Tom. I, Num. 4, ex Codice Chisiano sign. Num. 1521, et Num. 5, ex Codice Mediceo Laurentiano; quo que et idem P. Bruni annotat in Editione Rom. S. Maximi; quos et Trombellius refert in sua Arte internoscendæ ætatis Codicum Latinorum, et Italorum pag. 79, quos denique et P. Blasi meminit in serie Principum, qui Longobardorum ævo Salerni imperarunt. Tab. III. Num. III. Quibus Codicibus omnibus licet solertissimi isti Diplomatices Magistri nullam præscripserint ætatem, cum characteres Longobardi diu obtinuerint, comparati illi tamen cum Cassinensibus, cum eo imprimis, qui signatur exterius Num. 148, interius vero annum refert decimum supra millesimum, vix alter ab altero videtur internosci. Quod satis superque innuit, quotquot eosdem præ se ferunt characteres nonnisi ad sæculum X, sive XI, referri oportere.

In hisce autem Cassinensibus Codicibus ut bene multa insunt Augustini opera, sic et duplicem licuit dignoscere sermonum classem. Prima suæ integritati restituit mutilos, et imperfectos jam typis vulgatos, sarcitque fragmenta, et lacunas, quibus restaurandis Maurini Editores locupletiora expetissent Exemplaria. Sic enim ad sermonem in Natali Domini, qui et hic prodit quarto loco, annotantes dolent: *Sunt et alii quidam loci forte minus integri; sed iis sanandis necessaria Exemplaria nos deficiunt.* Secunda e tenebris evocat sermones quos tum Possidius in *Indiculo*, tum et alia æque certa indicia e regulis sanæ Critices hausta fidem faciunt fuisse illos ab Augustino elucubratos, attamen deperditos nonnisi vota supererant assequendi.

Harum Classium specimen in decem istis Homiliis deprehendere est; quarum priores quatuor ad priorem classem, posteriores sex ad secundam revocantur. Quod superest, præmonere juvat, Codices istos eosdem plane esse ac qui exarati leguntur jussu Theobaldi, et Desiderii Abbatum Cassinensium, quorum posterior ascito dein nomine Victoris III clavum tenuit Ecclesiæ, meruitque in Sanctorum Album cooptari: cujus quidem rei testis est locuples Leo Ostiensis (Lib. 2. Chron. c. 51, et lib. 3, c. 63.) qui apud Baronium dicitur *integerrimæ fidei*, quique Codices singulos enuntiat, quamvis plures temporum injuria deperierint, non semel expilata Bibliotheca Cassinensi. Characterum forma, ipsaque ætas nonnullis per eamdem manum apposita rem videntur conficere.

Ii vero Codices, licet elegantissima characterum forma, et splendidissimo maximarum Litterarum ornatu præoptandum nil habeant, tamen non satis accurate conscripti sunt. Quamvis enim librarius ipse, vel quivis alius ferme ejus æqualis qua interscribendo, qua ad marginem notando, qua eradendo litteras correxerit errata, non raro tamen vel neglectu verborum intercipitur dictionis sensus, vel maculatur mendo, vel solœcismo. In quibus emendandis eo usque mihi licuit, quod ex collatione Codicum inter se germanam lectionem successerit adipisci. Ut autem in sermonibus jam a Parisiensibus vulgatis, sed nostrorum Codicum fide instauratis, facilius internoscatur, quid nunc primum publici juris fiat, visum est idipsum litteris, quas Italicas dicunt, monere (1); seduloque opportunis animadversionibus annotare quæcumque Editio Parisiensis aut varie legit, aut lectioni nostrorum Codicum supplet: quæ vero annotanda occurrunt, ut diximus, ea vel sermonum initio præfiguntur, vel ad oram paginæ differuntur. Permagni quippe intererat sermonum istorum perspicuitati, dignitatique pro viribus consulere; nec mediocris in eo collata diligentia est.

Num vero cœptis e sententia successerit, severioris Censuræ judicium esto: quæ utinam *nec vexet Columbas*, dicam cum Juvenali, *nec veniam aet Corvis!*

[1] In præsenti vero nostra Editione inter uncinos posuimus loca deprompta.

# NOS D. STEPHANUS ALESSANDRI

ABBAS S. BENEDICTI SUBLACI, PROCURATOR GENERALIS, ET DELEGATUS APOSTOLICUS CONGREGATIONIS CASINENSIS.

*Cum D. Octavius Fraja Frangipane Congregationis Nostræ Monacus, et in Archicœnobio S. Benedicti Montis Casini Tabularii, et Bibliothecæ Custos, Nobis constare fecerit sequentes decem Sermones in Codicibus*

*MSS. qui in præfato Tabulario asservantur, conscriptos reperiisse Sancto Doctori Augustino attributos, tenore præsentium, quantum nostra interest, eos publici juris faciendi facultatem eidem in Domino concedimus.*

*Dat. Romæ ex Æd. S. Callixti die* 6. *Decembris* 1819.

D. STEPHANUS ALESSANDRI Ab. Proc. Gen. et Delegatus Apost.

L † S

D. Aloysius Belmonte Pro-Canc.

# SANCTI AURELII AUGUSTINI,

## HIPPONENSIS EPISCOPI SERMONES X

## EX COD. CASSINEN. RECENS EDITI.

### SERMO I.

(a) *De decem plagis, et decem præceptis, quæ per Mosen data sunt Populo Judæorum.*

*Sermonem hunc ediderunt Maurini* (*Tom. V. Column.* 41), *uti fragmentum ex Eugipio, et in manuscriptis Regio, et Victorino repertum. Eumdem integritati quidem restituit Codex Casinensis n.* 17., *cui titulus* Augustini Sermones de verbis Domini, et de aliis, *sed incuriosius exscriptum emendat Codex num.* 13 *inscriptus* Eugipii sententiæ excerptæ ex libris Augustini, *in quo tamen nonnisi vulgatum fragmentum adest, paucis variantibus. Si quæ supersunt menda, intemerata servavi, quippe qui unicum illum Codicem nactus fuerim ex tot MSS. Casinensibus Sermonem hunc integrum exhibentem. Sunt autem in illo Codice* 26 *Sermones de verbis Domini eodem ordine dispositi, quos ediderunt Lovanienses; hos excipiunt* 58 *alii quorum* 27 *in Editione Maurina*, 23 *in nupera appendice Denisii*, 8 *denique vel ex parte, vel ex toto adhuc sub cinere latebant.*

1. [Domino Deo nostro, cujus cultores sumus, in laude dictum est quodam Scripturarum loco: *Omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti* (*Sap.* xi, 21). Deinde Apostolica doctrina edocemur *Ea quæ facta sunt intellecta conspicere, et ea, quæ latent per manifesta investigare* (*Rom.* i, 20). Unde interrogata quodam modo ubique creatura, Dominum Deum se artificem habere, ipsa specici suæ voce, respondet. Deinde Apostolus Paulus ea quæ scripta sunt in libris Veteris Testamenti in figura contigisse commemorat: *Scripta autem sunt*, inquit, *ad correptionem nostram, in quos* (a) *finis sæculorum obvenit* (1 *Cor.* x, 11). Proinde, charissimi, ea quæ videntur in rerum natura fortuito provenire interrogata diligenter, atque discussa, et prudenter vestigata, et inventa laudem intimant Creatoris, divinamque Providentiam per cuncta diffusam, et disponentem suaviter omnia, ut dictum est, cum *Attingit a fine usque in finem fortiter* (*Sap.* viii, 1). Quanto magis ea, quæ non solum (b) faverunt, sed etiam divinis Litteris commendata recitantur? Unde propositam nobis a fratribus quæstionem, imo inquisitionem, et disputationem, quid sibi velit quod decem plagis percutiuntur Ægyptii, et decem præceptis instituitur populus Dei, suscipimus in nomine Domini Dei nostri, adjuvante ipso, et donante, adveniente nobiscum pia intentione cordis vestri, quantum possumus explicare. Arbitramur enim ipsum adjutorium etsi non propter nos, certe propter vos, ut ea dicamus certe, quæ (c) didici, et audiri ut ille est, ut in via veritatis ejus pariter ambulantes, et ad patriam pariter festinantes, insidiatores itineris nostri, agnoscendo voluntatem legis, evitare merea-

(a) Maurini hunc enuntiant *de decem plagis, et decem præceptis*. Codex Eugipii habet: *Expositio decem præceptorum, salva firmitate sui ad litteram fundamenti, ex Decalogi expositione ad Populum*. Augustinus in Psal. 77. num. 27. hunc memorat, et ibi compendiose explicat decem plagas.

(a) Juxta versionem antiquam, seu Italam Scripturæ Textus recitat Augustinus, qui versionem illam L. 2. De doct. Chr. c. 15. cæteris præferendam dicit. Utinam id advertisset clarissimus Denisius! Qui non sic temere censuisset in Sermone de Laude Cerei nota (b): *lapsus videtur memoria Auctor apem formicis Proverb.* 6. 6. *substituens*; adinvenisset enim apud Italam post LXX. proferri exemplatum apis, tum formicæ.

(b) Sic in Codice.

(c) Locus intricatus, profecto irrepsit mendum librarii.

mur. Decem sunt plagæ, quibus Pharaonis percussus est populus; decem sunt præcepta, quibus populus Dei instructus est. Videamus ergo, fratres, quomodo corporaliter facta, spiritaliter intelligenda sunt. Non enim negamus esse facta, ut putemus tantum dicta, atque conscripta, non facta; sed facta credimus quemadmodum facta legimus, et tamen ipsa facta umbram fuisse futurorum Apostolica Doctrina cognoscimus. Putamus ergo spiritualiter esse investiganda, quæ facta sunt, facta tamen esse. Nemo ergo dicat: Scriptum est quidem aquam conversam in sanguinem in plaga Ægyptiorum; sed significat aliquid; non enim revera fieri potuit. Hoc qui dicit, ita quærit voluntatem Dei, ut injuriam faciat potentiæ Dei. Qui enim, si dicendo significare potuit, etiam faciendo non potuit? An non? Non est natus Isaac, aut non Ismael? Nati erant, homines erant, ex Abraham nati erant, et *Unus ex ancilla, alter de libera* (*Galat.* IV, 22). Quamvis ergo homines fuissent, quamvis nati essent, figurarunt tamen duo Testamenta, Vetus, et Novum. Ita (*a*) » prius in fundamento posita rerum gestarum firmitate (1) significantia debemus inquirere, ne subtracto fundamento in aere velle ædificare videamur. « Arbitror enim omnes qui decem legis præcepta contemnunt, et non observant, spiritaliter pati ea, quæ Ægyptii corporaliter passi sunt. Hoc propositum donec adjutorio Dei explicem, intentos vos volo, et orantes pro nobis, ut dicamus vobis. Quod enim ad nos pertinet fortasse cogitamus, quod autem loquimur vobis servimus. Illud ergo prius accipite ne in numero fallamini (2) ad plagas istas] decem non pertinere quod primo factum est signi causa, ut virga in serpentem converteretur. Aditus enim (3) erat iste ad Pharaonem, quo commendabatur (4) Moses educturus ex Ægypto populum Dei (*Exod.* VII, 10); nondum autem contumaces feriebantur, sed divino signo jam terrebantur. [Neque opus est, neque propositum nobis est de ipsa virga in serpentem conversa aliquid dicere. Verumtamen quia ejus mentionem necessitate ferimus, ne quis in numero erraret, nec debet in cujusquam auditoris animo tanquam non intellectæ rei scrupulus remanere (*b*), breviter dicimus (5),] virgas significare regnum Dei, idemque regnum esse utique populum Dei, serpentem autem tempus mortalitatis hujus; mors enim a serpente propinata est. Tanquam ergo cadentes de manu Domini in terram mortales effecti sunt; unde projecta virga ex manu Mosi serpens effecta est. Fecerunt et Magi (6) similiter: virgis eorum projectis, serpentes facti sunt. Sed prius serpens Mosi, id est, virga Mosi, devoravit omnes serpentes Magorum; tunc demum cauda comprehensa identidem virga facta est, et (1) regnum remeavit ad manum. Sunt enim virgæ Magorum populi impiorum. Qui autem populi impiorum? Victi Christi nomine; cum in ejus corpus transferuntur, tanquam a serpente Mosi devorantur: donec (2) redeamus ad regnum Dei, sed in finem mortalis sæculi, quod significat cauda serpentis, magnum signum fiat. Audistis quæ debeatis desiderare, audite quæ debeatis vitare

II. Primum præceptum in Lege de colendo uno Deo: *Non erunt*, inquit, *tibi Dei alii præter me* (*Exod.* XX, 3). Prima plaga Ægyptiorum aqua conversa in sanguinem (*Id.* VII, 20).

III. Compara primum præceptum primæ plagæ. Deum unum ex quo sunt omnia (3) in similitudinem intellige aquæ, ex qua generantur omnia. Quo autem pertinet sanguis, nisi ad carnem mortalem (4)? Quid ergo conversio aquæ in sanguinem? nisi quia *Obscuratum est insipiens cor* (5) *ipsorum? dicentes enim* (6) *se sapientes, stulti facti sunt, et commutaverunt gloriam* (7) *incorrupti Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis.* Gloria incorruptibilis Dei (*a*) sicut aqua, similitudo imaginis corruptibilis hominis sicut sanguis. Et hoc quidem fit in corde impiorum, nam Deus incommutabilis manet; neque enim (8) quia Apostolus dixit: *Commutaverunt*, ideo mutatus est Deus.

IV. Secundum præceptum: *Non accipies nomen Domini Dei tui in vanum, qui enim* (9) *accepit nomen Domini Dei in vanum, non mundabitur* (*Id.* XX, 7). Nomen Domini Dei nostri Jesu Christi veritas est, ipse enim dixit: *Ego sum veritas* (*Joan.* XIV, 6). Veritas ergo mundat, vanitas autem inquinat. Et quoniam qui loquitur veritatem (10) *De Dei veritate loquitur; qui enim loquitur mendacium, de suo loquitur* (*Id.* VIII, 44): veritatem loqui est rationabiliter loqui; vanitatem (11) loqui est strepere potius quam loqui: merito, quia secundum præceptum est dilectio veritatis, cui contraria est dilectio vanitatis. Loquitur autem veritas (12), est per strepitum vanitas. Huic præcepto secundo contrariam (13) vide esse secundam plagam. Quæ est illa secunda plaga? Ranarum abun-

(*a*) Ab his verbis exordiuntur Maurini, et Codex Excerptorum Eugipii, qui quidem sæpissime concordant.

(*b*) Prolixius enim dixerat in Sermone sexto n. 7., et in Psal. 73. n. 5.

(1) *Edit. habet* significantiam.

(2) *Edit.* Sed ad plagas decem non pertinet quod primum.

(3) *Edit.* ipse erat.

(4) Codex Casinensis continuo legit *Moses* pro *Moyses* uti legitur in Editione. Sufficiat semel hoc annotasse.

(5) *Edit.* virga significat regnum Dei, idemque regnum Dei esse utique populum Dei. Serpens autem.

(6) *Edit.* Magi Pharaonis.

(*a*) *Gloria incorruptibilis Dei sicut aqua, similitudo imaginis corruptibilis hominis* supplevi ex Codice Excerptorum; vix enim putes non aberrasse oculum a voce priori ad eamdem posterius redditam, animo a sensu verborum abstracto et ad exemplandum unice intento.

(1) *Edit* ergo.
(2) *Edit.* redeat regnum Dei ad manum Dei, sed in finc.
(3) *Edit.* in similitudine.
(4) *Edit.* quid est ergo.
(5) *Edit.* eorum.
(6) *Edit.* Se esse sapientes
(7) *Edit.* incorruptibilis. *d Rom. I.* 21.
(8) *Edit.* quia et Apostolus.
(9) *Edit.* accipit nomen Domini Dei sui.
(10) *Edit.* de Deo loquitur.
(11) Vanitatem autem loqui.
(12) *Edit.* perstrepit vanitas.
(13) *Edit.* vi lete secundam.

dantia. Habes (*a*) expressam (1) significatamque vanitatem, si attendas ranarum loquacitatem. Vide amatores veritatis, non (2) accipientes nomen Domini Dei sui in vanum, loqui sapientiam inter perfectos, etiam inter imperfectos; non quidem loqui quod capere non possunt, non tamen recedere a veritate, et pergere in vanitatem. Quamvis (3) imperfecti non capiant si quid paulo excelsius fuerit disputatum de Verbo Dei *Deo apud Deum, per quod facta sunt omnia;* possintque capere quod inter eos loquitur Paulus tanquam inter parvulos Christi. *Jesum Christum, et hunc crucifixum;* non tamen illa est Veritas, et ista vanitas. Vanitas autem esset (4) si Christus mortem non implevisset, sed finxisse diceremus. Si vulnera illa in phantasmate fuissent, si sanguis non verus, sed simulatus de vulneribus emanasset, si falsas cicatrices, tanquam post falsa vulnera demonstrasset. Cum vero ista omnia (5) dicimus facta, dicimus certa, expressa, impleta credimus, et prædicamus. Quamvis de sublimi illius, et incommutabili veritate non loquamur, non tamen imus in vanitatem. Qui autem illa omnia in Christo falsa, et simulata dicunt, ranæ sunt clamantes in palude. Strepitum vocis habere possunt, doctrinam sapientiæ insinuare non possunt. Denique in Ecclesia loquuntur hærentes veritati veritatem (*b*), per quem facta sunt omnia, veritatem Verbum carnem factum, et habitantem in nobis, Veritatem Christum natum Deum de Deo, unum de uno, Unigenitum et Coæternum, Veritatem accepta forma servi natum ex Virgine Maria, passum, crucifixum, resurgentem, ascendentem, ubique veritatem, et (6) quam parvulus capere non potest, veritatem (*c*) et in pane, et in lacte, in pane magnorum, in lacte parvulorum. Idem quippe panis, ut lac fiat, per carnem trajicitur. Qui autem huic veritati contradicunt (*d*), et in sua vanitate decepti decipiunt, ranæ sunt, tædium (7) offerentes auribus, non cibum mentibus. Audi denique homines rationabiliter loquentes: *Non sunt*, inquit, *loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum:* sed voces non inanes, quia *In omnem terram exiit* (*e*) *sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum* (*Psal.* XVIII, 4, 5). Si autem et ranas vis e contrario intelligere, illum versum Psalmi recole: *Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum* (*Psal.* XI, 3).

V. Tertium præceptum: *Memento diem Sabbati sanctificare eum* (*Exod.* XX, 8). In tertio isto præcepto insinuatur quædam vacationis indictio, quæ est cordis tranquillitas, et mentis, quam facit bona conscientia. Ibi sanctificatio, quia ibi Spiritus Dei. Denique videte vacationem, hoc est quietem: *Super quem*, inquit, *requiescit Spiritus meus, nisi super humilem, et quietum, et trementem verba mea* (1) (*Isai.* LXVI, 2). Inquieti ergo resiliunt ab Spiritu sancto, rixarum amatores, calumniarum seminatores, contentionis quam veritatis cupidiores inquietudine sua (2) non admittunt quietem (*a*) Sabbati spiritalem. Contra istorum inquietudinem dicitur, tanquam ut Sabbatum habeant in corde, sanctificationem Spiritus Dei (3): *Esto mansuetus ad audiendum verbum, ut intelligas.* Quid intellecturus sum? Deum dicentem: Cessa ab inquietudine tua, non sit tumultus quidam in corde tuo, per corruptionem volitantibus (4) phantasmatis, et compungentibus te; non sit ita (*b*). Deum enim intellecturus es dicentem tibi (5): *Vacate et cognoscite, quia ego sum Deus* (*Ps.* XLV, 11). Tu per inquietudinem vacare non vis (6), contentionumque tuarum corruptione cæcatus exigis videre quod non potes.

VI. Attende enim, et contrariam tertiam plagam huic præcepto tertio, *Ciniphes natæ sunt in terra Ægypti de limo*, muscæ (7) quædam minutissimæ, inquietissimæ, inordinate volitantes, in oculos irruentes, non permittentes hominem quiescere, dum abiguntur et irruunt, dum abactæ rursus redeunt, sicut omnino vana phantasmata cordis contentiosorum (8). Tene præceptum, cave plagam.

VII. Quartum præceptum est: *Honora patrem tuum, et matrem tuam* (*Exod.* XX, 12). Huic contraria quarta Ægyptiorum plaga (9) Cynomia (*c*). Quid est Cynomia? Cynomia est canina musca; græcum vocabulum est. Caninum est parentes non agnoscere; nihil tamen caninum, quam cum illi, qui genuerunt, non agnoscuntur: merito ergo et catuli canum cæci nascuntur.

VIII. Quintum præceptum est: *Non Mœchaberis* (*Ibid.* 14). Quinta plaga est *Mors in pecora Ægyptiorum* (*Id.* IX, 6). Comparemus. Da hominem (10) mœchantem, conjugio non contentum suo; appetitum

(*a*) Codex Excerptorum Eugipii habet: *expressius significatam vanitatem.*

(*b*) *Per quem facta sunt omnia, Veritatem Verbum carnem factum, et habitantem in nobis* supplevi ex Cod. Excerptorum Eugipii; hæc enim lacuna etiam a verbis similibus bis positis inducta est.

(*c*) Codex Excerptorum legit: *Veritatem, quæ in pane.*

(*d*) Beda ad Corinth. c. 1. comm. c. 2. legit: *et sua vanitate.*

(*e*) Codex Excerpt. *exivit.*

(1) *Edit.* significatam.

(2) Non accipientes in vanum nomen Domini Dei sui.

(3) *Edit.* quamvis enim imperfecti non capiunt.

(4) *Edit.* Si Christum mortem non implevisse, sed finxisse diceremus, si vulnera illa in phantasmate fuisse, si sanguinem non verum, sed simulatum de vulneribus emanasse, si falsas eum cicatrices.... demonstrasse.

(5) *Edit.* vera dicimus, facta dicimus certa.

(6) *Edit. addit* et quam perfecti capiunt.

(7) *Edit.* inferentes.

(*a*) Codex Excerpt.: *id est Sabbatum spiritale.*

(*b*) Editio diverse interpungit; sed Codex Excerpt. conformis est lectioni nostræ.

(*c*) *Quid est cynomia?* Supplevi ex Cod. Excerpt. Hieronymus epist. ad Sun. et Fret. omne muscarum genus designatum contendit, et exscribendam vocem illam Κυνομοία per διφθογγον οι, non Κυνόμυια per υ.

(1) *In Edit. interrogatio prævonitur voci* super.

(2) *Edit.* non ad se admittunt.

(3) Ecclesiast. 5, 15.

(4) *Edit.* phantasmatibus.

(5) *Edit.* vacate, et videte quoniam.

(6) *Edit.* contentionum.

(7) *Edit.* quædam sunt. Exod. 8. 18.

(8) *Edit.* tenete.... cavete.

(9) *Edit.* Κονομία... Κονομία.

(10) *Edit.* mœchari meditantem, conjugio non contentum suo.

quemdam carnis in se domare non vult, qui est nobis pecoribusque communis. Etenim concumbere, et generare etiam (1) porcinum est ; et intelligere, hominum est. Ideo ratio, quæ præsidet in mente motus inferiores carnis, tanquam regnans, et dominans frenare debet ; non immoderate, et illicite, passim vageque laxare. Ideoque ipsis pecoribus natura datum est, instituente Creatore, ut non moveantur ad fœminas, et ad concubitum, nisi certis temporibus ; neque enim se ratione cohibet alio tempore pecus, sed omnino motu ipso frigescente torpescit. Homo autem ideo semper moveri potest, quia et (2) frenare motum potest. Tibi dominationem rationis Creator dedit, tibi præcepta continentiæ, tamquam in bestias inferiores lora, concessit. Tenes tu quod pecus non (3) habet, et ideo speras tu quod pecus non potest. Labores aliquantum (4) continendo, quod non laborat pecus ; sed gaudebis in æternum, ad quod non pervenit pecus. Si opus fatigat, merces consoletur, et ipsa enim patientia est interiorem motum frenare, et quod habes commune cum pecore, non tanquam pecus in omnia (5) relaxare. Quod si contempseris te (6) in te, et imaginem Dei, in qua fecit te neglexeris victus cupiditate (7) bestiarum, tanquam amisso homine eris pecus ; non quasi conversus in naturam pecoris, sed in hominis forma habens similitudinem pecoris, qui non audis dicentem : *Nolite esse sicut equus, et mulus* (8) *quibus non est intellectus* (*Psal.* XXXI, 9). Et forte eligis tibi esse pecus, et (9) liber vagari libidine, nulla lege appetitum carnis ad continentiam refrenando : attende plagam (*a*) ; si pecus esse non times, saltem mori sicut pecus time.

IX. Sextum præceptum : *Non occides* (*Exod.* XX, 13) ; Sexta plaga : *Pustulæ in corpore, et vesicæ bullientes, et* (10) *scatentes, et incendia vulnerum ex favilla fornacis* (*Id.* IX, 10). Tales sunt animæ homicidales, ardent ira, quia per iram homicidii fraternitas deperiit. Ardent homines (11) iracundia, ardent et gratia. Sed alius est fervor sanitatis, alius fervor ulceris. Ardentes papulæ per totum corpus concepta homicidia scatent, et sanum non est, quod fervet. Fervet, sed non de Spiritu Dei. Nam et qui vult subvenire fervet, et qui vult occidere fervet; ille præcepto (12), ille morbo, ille bonis operibus (13), ille saniosis ulceribus. Nam si possemus animas videre homicidarum, plus plangeremus, quam putrescentia corpora ulceratorum.

X. Septimum (1) præceptum sequitur : *Non furaberis* (*Exod.* XX, 15). Plaga septima *Grando in fructibus* (*Id.* IX, 23). Quod contra præceptum subducis, de cœlo perdis : nemo enim habet injustum lucrum sine justo damno. (2) Furatur verbi gratia ; qui furatur acquirit vestem, sed cœlesti judicio amittit fidem. Ubi lucrum, ibi damnum. Visibiliter lucrum, invisibiliter damnum Lucrum de sua cæcitate, damnum de Domini nube. Neque enim aliquid sine providentia, charissimi. Aut vere putatis ea, quæ patiuntur homines, Deo dormiente pati ? Passim videntur fieri hæc, nubes colligi, imbres infundi, grandinem jaci, (3) tonitru terram concuti, coruscatione terreri ; passim putantur fieri, et quasi ad divinam Providentiam non pertinere. Contra tales cogitationes vigilat ille Psalmus : *Laudate Dominum de terra* (cum laudes dictæ essent de cœlo) *dracones et omnes abyssi, ignis, grando, nix, glacies, spiritus tempestatis, quæ faciunt verbum ejus* (*Psal.* CXLVIII, 7, 8). Ergo qui malo desiderio suo forinsecus furantur, justo Dei judicio intrinsecus grandinantur. Oh ! Si (4) possint inspicere agrum cordis sui, profecto lugerent, dum ibi non invenirent quod in os mentis mitterent, (*a*) etsi in furto suo invenirent, quod in aviditatem ventris mitterent. Major fames (5) est hominis interioris, major fames est, et periculosior plaga, et gravior mors, multi mortui ambulant, et multi (6) famelici de vanis divitiis exultant. Denique Servum Dei Scriptura intus dicit locupletem ; inquit : *Absconditus cordis vestri homo, qui est ante Deum dives.* Non ante homines dives (7), sed ante Deum, dives ubi Deus. Vide tibi dives, quid ergo tibi prodest (8) ? Ubi homo non videt furaris, et ubi Deus videt grandinaris.

XI. Octavum præceptum : *Falsum testimonium non dices* (*Exod.* XX, 16). Octava plaga : *Locusta, animal dente noxium* (*Id.* X, 13). Quid autem vult falsus testis, nisi nocere mordendo, et consumere mentiendo ? Denique admonens homines Dei Apostolus, ne se falsis criminationibus appetant : *Si mordetis*, inquit, *et comeditis invicem, videte ne ab invicem consumamini* (*Ad Galat.* V, 15).

XII. Nonum præceptum : *Non concupisces uxorem proximi tui* (*Exod.* XX, 17). Nona plaga : *Densæ tenebræ* (*Id.* X, 22). Etenim est quædam mœchia contra quam supra (9) præceptum datum est, etiam in non appetenda castitate uxoris alienæ. Mœchus

(*a*) Codex Excerpt. Eug. legit : *Si pecus es, et non times.*

(1) *Edit.* pecorum est, ratiocinari, intelligere humanum est.
(2) *Edit.* refrenare.
(3) *Edit.* potest *pro* habet.
(4) *Edit* in continendo, non laborat pecus, sed gaudebis semper in æternitate, ad quam.
(5) Laxare.
(6) *Edit.* et in te imaginem.
(7) *Edit.* insinuatarum rerum *pro* bestiarum.
(8) *Edit.* non habentes intellectum. Sed forte.
(9) *Edit.* libera.
(10) *Edit.* scaturientes.
(11) *Edit.* ira.
(12) *Edit.* iste.
(13) *Edit.* iste famosis. *Eugip legit cum nostro Cod.*

(*a*) *Etsi in furto suo invenirent, quod in aviditatem ventris mitterent* Supplevi ex Cod. Exc. patebat enim lacuna non dissimilis a præcedentibus.

(1) *Edit. præponit vocem* Sequitur.
(2) *Edit.* verbi gratia qui furatur, acquirit vestem.
(3) *Edit.* tonitruis.
(4) *Edit.* possent.
(5) *Edit.* esset hominis interioris, major fames, et periculosior.
(6) *Edit.* facinorosi.
(7) *Edit.* homines dives, sed ante Deum dives, et ubi Deus videt, ibi dives.
(8) *Edit.* Si ubi.
(9) *Edit.* præceptum est.

est enim et qui non it ad uxorem alienam ; tantum quia non contentus est sua. Jam vero non solum post suam peccare, sed etiam alienam attentare veræ densæ sunt tenebræ. Nihil enim sic dolet in corde patientis, et qui hoc facit alteri nihil sic (1) vellet pati. Ad alia paratior est omnis homo, hoc autem nescio (2) utrum inventus est qui tolerabiliter ferat. O densas tenebras ista facientium, talia concupiscentium ! vere excæcantur furore (3) terribili, furor enim indomitus est (4) commaculare viri uxorem.

XIII. Decimum præceptum est : *Non concupisces ullam rem proximi tui, non pecus, non possessionem, non subjugium, non aliquid omnino proximi tui concupisces* (*Exod.* xx, 17). Huic malo plaga contraria est decima : *Mors primogenitorum* (*Id.* xii, 29). In qua plaga (5) cum comparatione quædam quæro ; nihil mihi interim occurrit, fortassis occurrat melius, ac diligentius inquirentibus (6), nisi quia omnes res (*a*) quas homines habent hæredibus servant. Reprehenditur hic autem concupiscens rem proximi ; concupiscit enim et qui furto aufert : et qui furatur aliquid proximi non potest nisi concupiscendo rem proximi furari. Sed de furto jam superius præceptum est (7), ut ibi intelligas et rapinam. Non enim de furto præciperet, et de rapina taceret Scriptura, nisi te intelligere voluisset, quia si pœnale est clanculo auferre, multo majoris pœnæ est violenter eripere (8). Auferre nolenti sive occulte sive palam habet præceptum suum. Concupiscere autem rem proximi, quod notat Deus in corde, etiamsi justam ibi successionem quæras, non licet. Denique qui volunt res alienas tanquam juste possidere, hæredes se quærunt fieri a morientibus. Quid enim tam justum videtur, quam rem sibi derelictam possidere, habere jure communi ? Quid apud te facit homo ? Dimissum est mihi (9) ; hæreditatem consecutus sum ; testamentum lego. Nihil videtur justius ista voce avaritiæ (10). Tu : juste tenes ; et laudas quasi jure possidentem. Deus damnat injuste concupiscentem. Vide qualis es, qui optas te ab aliquo hæredem fieri : non vis ut habeat hæredes (11). In hæredibus nihil charius primogenito, proinde in primogenitis tuis (12) puniris qui concupiscendo res alienas, id, quod tibi jure non debebatur (*b*) quasi juris umbra perquiris. Et facile est quidem, fratres, corporaliter amittere primogenitos ; moriuntur enim homines sive ante parentes suos, sive post parentes suos ; morituri moriuntur. Illud molestum est, ne per hanc occultam, et injustam concupiscentiam primogenita cordis tui perdas. Primogenitus enim in nobis imaginem habet gratiæ Dei : novus natus, prior natus, inter omnes tanquam natos cordis nostri primogenita fides est. Nemo enim bene operatur, nisi fides præcesserit, sicut dicit Apostolus : *Sine fide*, inquit, *impossibile est placere Deo* (*Hebr.* ix, 6). Omnia opera tua bona filii tui sunt spirituales, sed inter hos tibi (1) primo nata est fides. Quisquis ergo rem alienam occulte concupiscis (2), internam fidem perdis. Eris enim primo sine dubio simulator, obsequens non charitate, sed fraude ; velut amans eum, a quo te cupis fieri hæredem : amando, eum mori quæris (*a*), et ut in re ejus te videas possessorem, illi invides successorem.

XIV. Eja (*b*), fratres decursis decem præceptis, et decem plagis, comparantes contemptores præceptorum contumaciæ Ægyptiorum, cautos vos fecimus, ut habeatis securi res vestras in præceptis Dei, res vestras, inquam, res vestras (3) interiores arcæ vestræ, interiores thesauri vestri ; res vestras, quas vobis nec fur, nec latro, nec vicinus potens possit auferre, ubi nec tinea, nec rubigo metuenda est, cum quibus (4) extitit naufragus. Sic enim eritis et populus Dei inter iniquos Ægyptios (*c*) illis hæc in corde patientibus, vobis autem incolumibus in ipsis interioribus vestris hominibus, donec educatur populus de Ægypto quodam (5) Exodo, quod et fit, nam illud semel factum est, hoc non cessat fieri.

XV. [Nam (*d*) si attendamus etiam expoliamus Ægyptios. Neque enim illud præter mysterium factum est, quomodo homines minus intelligentes accusari hic audent Deum, quia jussit peti ab Ægyptiis aurum, et argentum, et vestes ; data sunt hæc, et ablata (*Exod.* xii, 35). Fures isti essent, nisi Deo jubente fecissent. Intendat Charitas Vestra, fures, inquam, isti essent nisi Deo jubente fecissent ; quia vero Deo jubente fecerunt, fures non fuerunt. Hos jam non accusas, ipsum Deum accusare paratus es. Ad illos obtemperare pertinuit (*e*) ; apud Deum fuit jubentis consilium, qui novit quid quis pati debeat ;

(*a*) In Excerp. Eugip. habetur : *quas habet hæredibus servare deprehenditur. Hic autem clamat.*

(*b*) In iisdem Excerp. legitur : *juris sub umbra.*

(1) *Edit.* volet pati. Ad alienam. *Codex Excer. conformis lectioni nostræ.*

(2) *Edit.* utrum-ne est.

(3) *Edit.* horribili.

(4) *Edit.* conculcare.

(5) *Edit.* cum comparationem quamdam.

(6) *Edit.* nisi qui omnes res quas habet hæredibus servat, reprehenditur. Hic autem clamat qui rem proximi concupiscit, et qui furto aufert, et qui furatur aliquid proximi, non potest nisi rem proximi furari.

(7) *Edit.* ubi intelligas

(8) *Edit.* auferre ergo nolens.

(9) *Edit.* hæreditate.

(10) *Edit.* tu laudas quasi jure.

(11) *Edit.* in hæredibus autem.

(12) *Edit* punieris. *Eugipius confirmat lectionem nostram.*

(*a*) In Editione deest conjunctio, quæ tamen habetur in Eugipio.

(*b*) Noster Codex habet : *Hæc, fratres, decursa decem præcepta, et decem plagas, comparatos contemptores præceptorum contumaciæ Ægyptiorum, cautos vos faciemus.* Huic lectioni fortasse minus integræ alteram præposui desumptam ex Codice Excerp. Eugipii.

(*c*) *Illis hæc in corde patientibus, vobis autem incolumibus in ipsis interioribus vestris hominibus, donec educatur populus de Ægypto*, Supplevi ex Cod. Exc. Eug. ex voce enim *Ægyptios* ad illam *Ægypto* manifeste aberravit oculus, ut jam vidimus in præcedentibus.

(*d*) Vide lib. 22. cont. Faust. , 71. et seqq.

(*e*) Vide lib. 2. Quæstionum in Exodo quæstione sexta.

(1) *Edit.* primogenita.

(2) *Edit.* interius.

(3) *Edit.* interioris.... interioris.

(4) *Edit.* exit et naufragus.

(5) *Edit.* Exodo suo.

quis, quid, quo merito patiatur. Parricidium apertissimum et funestum esset Abrahæ, si ultro filium percussisset, hoc tantum secus, laudabiliter faciebat, quia Deo jubenti obediebat, et quod esset in spontanea voluntate crudelitas, sub Dei præcepto facta est pietas (*Gen.* XXII).]

XVI. [De Actibus Apostolorum volo aliquid dicere. Petrus cum esset inclusus in carcere, venit ad eum Angelus salutis, qui (*a*) catenis de manibus ejus jussit exire (*Act.* XII). Egressus ille secutus est Angelum; de carcere liberatus est Domini imperio, Dei auctoritate. Postero die judex eum quæsivit ad audiendum; abcessisse cognovit, custodes carceris duci jussit; *Milites*, inquam, *interrogatos duci jussit;* dedit in illos sententiam, legem, quam sibi (*b*) videbatur, nisi invenirent Petrum. Quid dicis? Petrus auctor fuit mortis illorum? Nonne esset perverse pius, si voluntati Dei contradiceret, diceretque Angelo jubenti, ut exiret: Non exeam, ne propter me miseri homines, custodes carceris moriantur? Responderetur ei: Dimitte ista Creatori; quia non es artifex ut homo nascatur, non esse judex potes quomodo moriatur: nemo enim moritur, nisi quem vult Deus. Mori consilium judici Deo dimittitur, sed tamen concupiscentia homicidæ damnatur. Neque enim hic attendendum est quid Deus judicaverit, sed quid mala gens cogitaverit (*c*). Judas quippe tradidit ad passionem Filium Dei, et per passionem Filii Dei omnes gentes redemptæ sunt ad salutem; nec tamen pro salute gentium merces reddita est Judæ, sed pro ejus malitia debitum supplicium retributum est. Nam si traditio Christi, et non tradentis animus considerandus est, hoc fecit Judas, quod fecit Deus Pater, de quo scriptum est: *Qui Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum* (*Rom.* VIII, 32). Hoc fecit Judas, quod fecit ipse Dominus noster Christus, de quo scriptum est: *Qui se ipsum tradidit pro nobis oblationem, et hostiam Deo in odorem suavitatis;* et iterum: *Sic Christus*, inquit, *dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea, ut eam sanctificaret* (*Ephes.* V, 2 *et* 25). Et tamen gratias agimus Deo Patri, qui *Unico Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum.* Gratias agimus ipsi Filio Dei, *Qui se ipsum tradidit pro nobis, et in eo voluntatem Patris implevit.* Et detestamur Judam, de cujus facto tantum beneficium præstitit Deus, et recte dicimus: *Reddidit ei Dominus secundum iniquitatem ejus, et secundum malitiam ejus disperdidit eum* (*Psal.* XCIII, 23). Non enim pro nobis tradidit Christum, sed pro argento, quo vendidit eum, quamvis Christi venditio sit nostra redemptio.]

XVII. [Nemo ergo, fratres, nemo discutiat Deum. Superbum est, impium est, stultum est. Tu concupiscentias tuas frena, nihil facias animo malo, obtemperare paratus esto, non nocere. Itaque fecerunt illi, fecit Deus. Si illi furtum fecis-ent, etiam sic voluerat forte Deus Christus pati qui paterentur, quando permisit eos, qui fecerunt, facere: servaret tamen (*a*) furibus pœnam, exigeret aliquam temporalem vindictam de iis, qui passi sunt furtum. Nunc vero illi ultro non fecerunt, Deus justo judicio fieri voluit. Cum si appendas causam, forte non aurum alienum tulerunt, sed debitam mercedem exegerunt. Injuste oppressi dum in Ægypto lateres fecerunt, pro duris operibus servitutis sine mercede non exierunt, et tamen Deus certa aliqua causa fecit hoc (*b*). Si sumus, tanquam populus Israel in Ægypto, in hoc mundo, certe audeo vobis dicere, puto enim quia Spiritu Dei loquor ad vos, tollite aurum, argentum, vestes Ægyptiis. Aurum ipsorum sapientes, ipsorum argentum eloquentes ipsorum, vestes ipsorum varietas linguarum ipsorum. Nonne hæc omnia videmus in Ecclesia? Nonne quotidie hoc facit Ecclesia? Quanti sapientes in sæculo credunt Christo? Ablatum est aurum Ægyptiis (*c*). Sanctus, cujus mensa ista vocatur, fuit aliquando vel aurum, vel argentum Ægyptiorum. Vestes autem Ægyptiorum, quibus quodam modo sensus induuntur; linguæ sunt variæ. Videtis eas ex Ægypto ad populum Dei migrare: *Non sunt enim loquelæ, neque sermones, quorum non audientur voces eorum* (*Id.* XVIII, 4). Hic aurum, hic argentum Ægyptiorum, et videntes eximus, et mercedem nostram ferimus; non enim sine causa in luto Ægypti laboravimus. Sic omnia, fratres, sive quæ exponi a nobis possunt, sive quæ nondum possunt, sive quæ potestis intelligere, sive quæ nondum potestis, sive hoc modo, quo a nobis dicta sunt, sive alio meliori modo, credite omnino, quia *Omnia tunc in figura contingebant eis, scripta autem sunt ad correptionem nostram, in quos* (*d*) *fines sæculorum devenerunt* (*Cor.* X). Itaque ego non fierem intentus ad ea? Et tu quilibet, Christiane spiritualis, non essemus intenti, et sine causa factum diceremus, quod in tertiam plagam Magi Pharaonis defecerunt? Nihil hic quærerem, frustra factum vel scriptum putarem? Faciunt Magi Pharaonis (*e*) contra Mosen de virgis serpentes, de aqua sanguinem, faciunt ranas, faciunt hæc. Veniunt ad tertiam plagam, id est, ad illas muscas, quæ appellantur Ciniphes, et ibi deficiunt qui fecerunt serpentes, qui fecerunt ranas deficiunt, deficiunt ad muscas. Non est prorsus, non est sine causa. Pulsate mecum (*f*). Tertia plaga hæc cui contraria est? Præcepto Dei tertio, ubi de Sabbato præcipitur populo, ubi quies prædicatur, ubi sanctificatio commendatur,

(*a*) Aliquid profecto omissum est, forte adjunctum vocis *catenis*.

(*b*) Sic in Codice; forte deest aliquid.

(*c*) Quæ sequuntur verba, iterata inveniuntur in Psal. 93. usque ad illa *nostra redemptio*.

(*a*) Vide in Psal 104. num. 28.

(*b*) Libro sec. de Doctrina christiana ditati dicuntur Ægyptiorum divitiis. Cyprianus, Hilarius, Victorinus, Optatus aliique.

(*c*) Fortasse ad mensam Cypriani loquebatur, qui rhetoricam docuerat priusquam a Cæcilio converteretur.

(*d*) In orationibus pro tempore, et data occasione habitis Augustinum sua, ut ita dicam, facere aliquoties Scripturæ verba annotavit doctiss. Sabatier in Præfat. ad veterem Bibliorum versionem. Hinc apud eumdem S. Doctorem enatæ sunt tot ejusdem textus variantes lectiones, quarum hic vides exemplum.

(*e*) Vide resp. ad Epist. Januar. c. 11. 15. 16.

(*f*) Vide Sermonem 9. num. 6., et Serm. 251. num. 5., necnon lib. 1. de Genesi ad litteram a cap. 13. ad 20., ubi de sanctificatione diei septimi.

ibi enim dicitur : *Memento diem Sabbati sanctificare eum.* Denique et in primis operibus mundi fecit Deus diem, fecit cœlum, terram, mare, luminaria, stellas, animalia ex aquis, ex terra hominem ad imaginem suam. Facit hæc omnia, nusquam sonat aliquid sanctificatum. Peraguntur ista sex diebus, sanctificatur dies septimus vacationis Dei : opera non sanctificat, vacationem sanctificat (*Gen.* II, 3). Quid dicturi sumus? Quomodo nobis laborantibus plerumque dulcius est otium, quam opus, ita putamus et Deum? Non hoc putare debemus, nec sic laborando fecisse, et non jubendo creavisse, *Dixit Deus : Fiat, et factum est.* Hoc modo faciendo, nec ipse homo laboraret. Sed in illo die commendata nobis quædam requies ab omnibus operibus nostris, ut post bona opera nostra intelligeremus nos requieturos sine termino. Nam omnes dies ibi habent vesperum, septimus non habet; operamur enim cum fine, requiescimus sine fine. Ibi sanctificatio sonat magno quodam mysterio, pertinens ad Spiritum sanctum. At eum me docentem, fratres : Accipite cum venia, obsecro vos, magis inquirentes quid coner, quam quid explicem : novi quis loquar, et quid vobis loquar; Divina hominibus homo (*Isai.* LXVI, 25). Ecce annitimini mecum, laborate mecum, ut quiescatis mecum, quantum Dominus donat, quantum aperit, quantum significat, quantum innuit ipsa sapientia ostendens se amatoribus suis in viis hilariter, et in omni providentia occurrens eis. Sanctificatur dies Sabbati, quies Dei. Ibi primum sonat sanctificatio, quantum mihi videtur, quantum et vos cognoscitis, quantumque credimus (*a*).] Sanctificatio nulla divina et vera est, nisi ab Spiritu sancto. Non enim frustra dictus est proprie Spiritus sanctus; cum sit et Pater sanctus, cum sit et Filius sanctus, nomen tamen hoc proprium Spiritus accepit, ut tertia in Trinitate Persona Spiritus sanctus diceretur. Ipse *Requiescit super humilem, et quietum* tanquam in Sabbato suo. Ad hoc septenarius numerus etiam sancto Spiritui deputatur. Hoc Scripturæ nostræ satis indicant; viderint meliora meliores, et majora majores, et de isto septenario numero subtilius aliquid, et divinius dicant, et explicent. Ego tamen, quod in præsenti sat est, illud video, illud vos ad videndum commemoro, septenariam istam rationem (1) numeri proprie sancto Spiritui deputatam, quia (2) septenario die sonat sanctificatio. Et unde probamus sancto Spiritui deputari septenariam (3) numerationem? Dicit Isaias spiritum Dei venire super fidelem, super Christianum, super Christi membrum *Spiritum sapientiæ, et intellectus, consilii, et fortitudinis, scientiæ, et pietatis, Spiritum timoris Dei* [*Isai.* XI, 2]. (*b*) Si secuti estis septem res percucurri, tanquam descendentem ad nos Spiritum Dei a sapientia, usque ad timorem, ut nos ascendamus a timore ad sapientiam. *Initium enim sapientiæ timor* (1) *Domini* (*Prov.* I, 7). Ita ergo et septenarius spiritus et unus spiritus septenaria ratione unus. An aliquid evidentius vultis? Pentecosten diem festum Scriptura sancta de septimanis factum commemorat. Habetis in Scriptura Tobiæ (2), ubi etiam evidenter dicitur istum diem festum de septimanis. Septies enim septem quadraginta et novem in summa redeunt; sed tanquam ut redeatur ad caput; Spiritu enim sancto ad unitatem colligimur, non ab unitate dispergimur; ideo ad quadraginta et novem additur unum honor unitatis, et fiunt quinquaginta. Non ergo jam sine causa quinquagesimo die per Ascensionem Domini venit Spiritus sanctus (3). Resurgit Dominus, ascendit ab inferis, nondum in cœlum. Ab illa resurrectione, ab illa ab inferis assumptione numerantur quinquaginta dies, et venit Spiritus sanctus in quinquagenario numero, tanquam natalem sibi apud nos faciens. Quadraginta enim diebus hic conversatus est Dominus cum Discipulis suis, quadragesima die ascendit in cœlum, et peractis ibi decem diebus, tanquam (4) decem præceptorum signa, venit Spiritus sanctus, quia nemo implet legem nisi per gratiam Spiritus sancti. Itaque, fratres, manifestum est septenarium istum numerum ad Spiritum sanctum pertinere. Quisquis autem non cohæret unitati Christi (*a*) et oblaterat adversus unitatem Christi, intelligendus est non habere Spiritum sanctum. Contentiones enim, et dissensiones, et divisiones non faciunt nisi animales, de quibus Apostolus ait : *Animalis autem homo non percipit quæ sunt Spiritus Dei* (*Cor.* II, 14). Deinde scriptum est et in Epistola Judæ apostoli : *Hi sunt, qui segregant semetipsos* (5) *animales spiritum non habentes.* Quid manifestius, quid evidentius? Merito veniant etsi eadem credentes, quæ nos, tamen accepturi Spiritum sanctum, quem habere non possunt quamdiu sunt hostes unitatis. Hos autem comparat Apostolus Magis Pharaonis : *Habentes*, inquit, *formam pietatis, sed virtutem ejus abnegantes* (2 *Tim.* III, 5, *et seqq*). *Habendo formam pietatis similia fecerunt, sed virtutem ejus abnegantes* (6) *in signo tertio defecerunt.*

XVIII. [Sed adhuc quærite mecum quare in tertio signo? Defecissent enim in secundo, defecissent in quarto, quid interest ubi deficerent defecturi? Quare ergo in tertio (*b*)? Sed prius videte quod promiseram, utrum illis Magis hæreticos comparaverit apostolus Paulus. *Habentes*, inquit, *formam pietatis, virtutem autem ejus abnegantes, et hos evita. Ex his sunt qui*

(*a*) Hic resumitur lectio editionis.
(*b*) *Si secuti estis septem res percucurri tanquam descendentem ad nos Spiritum Dei* supplevi ex Codice Excerp. Eug. manifesta enim erat lacuna.

(1) *Edit.* inveniri proprie.
(2) *Edit.* septimo die.
(3) *Edit.* numeri rationem.

(*a*) *Et oblaterat adversus unitatem Christi* supplevi ex Cod. Excerpt.
(*b*) Hac explanatione frequenter abrupta, fortasse etiam longiore, genuinitatem Sermonis non hebetari Augustini familiares noverunt, aut saltem præfationem Erasmi ad Augustini opera legentes.

(1) *Edit.* Dei.
(2) Tob. 2. 1. juxta Italam post septuaginta Interpr.
(3) *Edit.* resurrexit.
(4) *Edit.* decimo præceptorum signo.
(5) *Edit. addit* (reprehendens loquebatur) hi sunt qui segregant semetipsos. *Judæ* 1. 19.
(6) *Edit.* qui vero in.

*penetrantes domos, et captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur a variis desideriis, semper discentes et ad veritatis scientiam nunquam pervenientes.* Testimonium quippe de Ecclesia catholica semper audiunt, et ad Ecclesiam catholicam venire nolunt. Semper dicentes, neque enim non semper audiunt: *In semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Gen.* I, 2): non semper audiunt: *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* (*Psal.* II, 8); non semper audiunt: *Commemorabantur, et convertebantur ad Dominum universæ Patriæ gentium* (*Id.* XXI, 58); non semper audiunt: *Dominabitur usque ad mare, et a flumine usque ad fines orbis terræ* (*Id.* LXXI, 18). Semper ista audiunt, semper discentes, et ad veritatis scientiam nunquam pervenientes. Videte jam quod promisi. Quid Apostolus sequitur? *Sicut autem Jamnes, et Mambres restiterunt Mosi, sic et isti restiterunt veritati; homines mente corrupti, reprobi circa fidem.* Quid deinde? *Sed ultra non proficient, dementia enim eorum manifesta erit omnibus hominibus, sicut et illorum fuit* (2 *Tim.* III, 8, *et seqq.*). Jam videte quare in tertio signo defecerunt. Mementote eos, qui adversantur unitati, non habere Spiritum sanctum. Tria vero illa præcepta prima in Decalogo ad Dei dilectionem pertinere intelliguntur, ut septem cætera intelligantur ad dilectionem pertinere proximi; ut duabus tabulis legis, et decem præceptis, duo illa tanquam summaria præcepta teneantur. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota virtute tua; et diliges proximum tuum* (1) *sicut te ipsum. In his duobus præceptis tota Lex pendet, et Prophetæ* (*Matth.* XXII, 37, 38). Referamus ergo tria prima præcepta ad dilectionem Dei. Quæ tria prima? Primum: *Non erunt tibi dii alii præter me;* Cui contraria plaga est aquæ conversæ (2) in sanguinem, propter quod summum principium Creatoris ad simulationem (3) humanæ carnis adductum. Secundum præceptum: *Ne accipias in vanum nomen Domini Dei tui.* Pertinet, quantum arbitror ad verbum (4) Dei quod est Filius Dei. *Unus enim Deus, et unus Dominus noster Jesus Christus, per quem omnia* (*Rom.* XI, 36). Contra verbum ranæ. Vide (5) contra verbum ranas, contra rationem strepitus, contra veritatem vanitatem. Tertium præceptum de Sabbato, pertinens ad Spiritum propter sanctificationem, quæ prima in Sabbato sonuit, quod vobis paulo ante vehementer, quantum potuimus, commendavimus. Huic præcepto contraria plaga inquietudo in musculis de corruptione nascentibus, in oculos irruentibus. Ideo in hoc tertio signo defecerunt, qui unitatis inimici Spiritum sanctum non habuerunt, facit enim hoc Spiritus sanctus pœna: aliud enim facit gratia, aliud pœna: aliud enim facit implendo, aliud deserendo. Denique ut jam evidenter ipsis confitentibus Pharaonis Magis agnoscere valeamus, quomodo appellatus est in Evangelio Spiritus Dei videamus, quod nomen (1) accipit. Objicientes Domino convicium Judæi, cum dixissent: *Hic non ejicit dæmonia, nisi in Beelzebub principe dæmoniorum,* respondit ille. *Si ego in Spiritu Dei ejicio dæmonia, certe supervenit in vos regnum Dei* (*Matth.* XII, 24); quod alius Evangelista sic enarrat: *Si ego* (2) *digito Dei ejicio dæmonia.* Quod alius Evangelista dixit, *Spiritus Dei* (*Luc.* X, 20). Alius dixit *Digitus Dei;* ergo Spiritus Dei digitus Dei. Ideo lex data, scripta digito Dei; quæ lex data est in monte Sina quinquagesimo die post occisionem ovis, celebrato Pascha a populo Judæorum. Implentur quinquaginta dies post occisionem ovis, et datur lex scripta digito Dei; implentur quinquaginta dies post occisionem Christi, et Venit Spiritus sanctus. Gratias Domino occultanti providenter, aperienti suaviter. Jam videte hoc etiam (3) Pharaonis Magos evidentissime confiteri; deficientes in tertio signo dixerunt: *Digitus Dei est hic* (*Exod.* VIII, 10). *Laudemus Dominum Datorem intellectus, Datorem verbi.* Hæc si non mysteriis gererentur, non studiose quærerentur; si autem non studiose quærerentur, non tam suaviter invenirentur.]

(1) *Edit.* tanquam.
(2) *Edit.* aqua conversa.
(3) *Edit.* simulationem, *et in animadversionibus,* simulationem. *Eugip. conformis est nostro Codici.*
(4) *Edit.* regnum Dei.
(5) *Edit.* Videte.

## SERMO II.

### (a) *De proprio Natali.*

*Codex MS. num.* 17, *de quo supra, discerptos ex hoc uno indicat Sermones* 339 *et* 40. *Editionis Maurinæ. Conjectanti mihi qui factum quod in Gallia præsertim distractum, et mancum habeant hunc Codices, juxta quos Amerbachius, Erasmus, Parisienses, Lovanienses, et Maurini editiones suas concinnarunt, hæc subit cogitatio fortasse minus absonas fidei; quoniam scilicet, iisdem Maurinis fatentibus* (*præf. tom. V*), *Cæsarius Arelatensis jam gravis ætate jubere solitus erat a Sacerdotibus, et Diaconis recitari non modo Sermones proprios, verum etiam Augustini, aliquando mutilos, quandoque etiam novo exordio, et peroratione donatos, potuit quispiam illorum disjungere præcipua Sermonis argumenta, prout opportunitas ipsi erat, his posthabitis, quæ partem redditam ex omissa nectebant. Id autem cum non fuerit, qua decebat sagacitate præstitum, supersunt adhuc indicia, quibus firmatur auctoritas nostri Codicis copulantis in unum partita illa membra. Interea Sermo Arelate concisus, et ita perlatus in publicum, Codices primum Gallos pervasit, deinde regiones dissitas, ad quas Cæsarius, ut lib.* I *ejus vitæ legitur,* transmittebat per eosdem Sacerdotes quid in Ecclesiis suis prædicare facerent. *Operæ pretium hinc*

(*a*) Editio inscribit: *In die Ordinationis suæ:* Natalem dici Anniversarium Consecrationis Episcopi, eumque solemnem diem esse testantur S. Paulinus epist. 20 ad Delphin. Sixtus PP. epist. ad Cyrill. anno 430. Leo M. Ser. 1. et 3. Hilarius PP. epist. 2 ad Episc. Terracon. Et Augustinus ipse epist. 255, et alib.

(1) *Edit.* accepit.
(2) *Edit.* in digito.
(3) *Edit. addit* fratres

*erit pristinam integritatem vindicare Sermoni in editis hactenus Bibliothecis desiderato.*

1. Hodiernus dies (1), fratres, me admonet attentius cogitare sarcinam meam, de cujus pondere etiamsi mihi dies, noctesque cogitandum sit, nescio quo tamen modo anniversarius dies iste impingit eam sensibus nostris, ut ab ea cogitanda omnino dissimulare non possim, et (2) quantum anni accedunt, imo decedunt, nosque propinquiores faciunt diei ultimo, utique quandoque sine dubitatione venturo, tanto mihi est acrior cogitatio, et stimulis plenior, qualem Domino Deo nostro rationem possim reddere pro vobis. Hoc enim interest inter unumquemque vestrum et nos, quod vos, pene de vobis (3) solliciti estis reddituri rationem, nos autem et de nobis, et de omnibus vobis. Ideo major est sarcina, sed bene portata majorem comparat gloriam, infideliter autem (4) gestata ad immanissimam præcipitat pœnam. Quid ergo mihi hodie maxime faciendum est, nisi ut commendem vobis periculum meum, ut sitis gaudium meum? Periculum autem meum est, si attendam quomodo laudatis, et dissimulem quomodo (5) vivitis. Ille autem novit, sub cujus oculis loquor, imo sub cujus oculis cogito, non me tam delectari laudibus popularibus, quam stimulari, et angi quomodo vivant qui laudant. Laudari autem a male viventibus nolo, abhorreo, detestor, dolori mihi est, non voluptati; laudari autem a bene viventibus, si dicam nolo, mentior, si dicam volo, timeo ne sim inanitatis appetentior, quam soliditatis. Ergo quid dicam? Nec plene volo, nec plene nolo. Non plene volo, ne in laude humana pericliter; nec plene nolo, ne ingrati sint quibus prædico. Sarcina autem mea est, quam modo audistis cum Ezechiel propheta legeretur. Parum est enim quia dies ipse admonet nos eamdem sarcinam cogitare; insuper talis lectio (6) recitatur, quæ nobis incutiat magnum timorem, ut quid portemus cogitemus; quia nisi nobiscum, qui imposuit, portet, deficimus. Ecce audistis: *Terra*, inquit, *super quam* (*a*) *induxero gladium, et posuerit sibi exploratorem, qui videat gladium supervenientem, et dicat, et denuntiet* (7). *Veniente autem gladio taceat ille explorator; superveniens* (8) *gladius super peccatorem occidat; peccator quidem pro sua iniquitate morietur, sanguinem autem ejus de manu exploratoris inquiram. Si autem viderit gladium supervenientem, et tuba cecinerit, et* (9) *nuntiaverit, et ille, cui* (10) *nuntiat, non observaverit, ille quidem in sua iniquitate morietur, explorator autem animam suam* (11) *liberavèrit. Et tu, fili hominis, exploratorem posui te filiis Israel* (*Ezech.* xxxiii, 2, *et seqq.*). Exposuit quid dixerit gladium, exposuit quid dixerit exploratorem, exposuit quam (1) dixerat mortem: non nos permisit in obscuritate lectionis excusare negligentiam nostram. *Posui ergo te*, inquit, *exploratorem. Si dixero peccatori: Morte morieris, et tu tacueris, et ille in peccato suo mortuus fuerit, ille quidem in peccato suo morietur* digne et juste, *Sanguinem autem ejus de manu tua* (2) *inquiram. Si autem tu dixeris peccatori: Morte morieris, et ille si non observaverit, ille in iniquitate sua morietur, tu vero animam tuam liberasti.* [Et addit verbo, quæ voluerit dici populo Israel. *Dices itaque filiis Israel: Quid est quod dicitis apud vosmetipsos: iniquitates nostræ super nos sunt, in peccatis nostris contabescimus, quomodo vivere possumus? Hæc dicit Dominus, quoniam nolo mortem impii, quantum reverti impium a via sua perversa, et vivere.* Hoc voluit, ut nuntiemus vobis. Hoc si non annuntiamus, malam rationem hujus speculationis reddituri sumus. Hoc autem si nuntiamus, egimus quod ad nos pertinet. Vos videte; nos jam securi sumus. Sed quomodo securi? vos periclitantes, et morituri. Nolumus sit nostra gloria cum vestra pœna. Data est quidem securitas, sed facit sollicitos charitas. Ecce dicimus, et scitis me semper dixisse, scitis me numquam tacuisse: *Hoc dicit Deus, nolo mortem impii, quantum reverti impium a via sua pessima, et vivere.* Quid est quod dicebat impius? *Dixit verba impiorum, et iniquorum: iniquitates nostræ super nos sunt, in peccatis nostris contabescimus, quomodo vivere possumus?* Æger desperat, sed medicus spem promittit. Homo sibi dixit: *Quomodo possum vivere?* (*Rom.* iii, 4). Deus dicit, potes vivere. *Si omnis homo mendax, Deus solus verax* deleat quod dixit homo, et scribat quod dixit Deus. Noli desperare, potes vivere, non de præteritis malis tuis, sed de futuris bonis tuis: delebis mala, si recedis a malo. Omnia sive bona, sine mala mutatione delentur. De vita bona inclinasti te ad malam, delesti bonam; de vita mala profecisti ad bonam, delesti malam. Vide quid attendas, quid percipias, thesauri duo sunt tibi præparati; quod miseris, hoc invenies; fidelis custos est Deus, reddet tibi quod feceris. Sunt autem alii, qui non desperatione pereunt, non sibi dicunt: *Iniquitates nostræ super nos sunt, in peccatis nostris contabescimus, quomodo vivere poterimus?* Sed alio modo se fallunt. De nimia misericordia Dei blandiuntur sibi, ut nunquam corrigantur; hoc enim dicunt: Etsi facimus mala, etiamsi iniquitates committimus, etiamsi luxuriose, et facinorose vivimus, etiamsi pauperem, et egentem contemnimus; etiamsi superbia nos extollimus, etiamsi nullum dolorem cordis de nostris malis habemus, perditurus est Deus tantam multitudinem, et paucos liberaturus (*a*)? Duo sunt ergo pericula, unum quod modo audivimus ex Propheta, alterum quod non tacuit Apostolus; nam

(*a*) Ita septuaginta Interpretes ἐφ' ἣν ἂν ἐπάγω quibuscum sæpissime Itala

(1) *Edit.* dies iste.
(2) *Edit.* quanto.
(3) *Edit.* Solis *pro* Solliciti.
(4) *Edit* gesta.
(5) *Edit.* vivatis.
(6) *Edit.* recitata est.
(7) *Edit.* Si veniente.
(8) *Edit.* et superveniens.
(9) *Edit.* annuntiaverit.
(10) *Edit.* annuntiat.
(11) *Edit.* liberavit.

(*a*) Vide Serm. 20. N. 3. 4. ubi similia occurrunt.

(1) *Edit.* dixerit.
(2) *Edit.* requiram

contra eos, qui desperando moriuntur, quomodo gladiatores quasi destinati ad ferrum, inhiando voluptatibus, et vivendo nequiter, quasi addictas jam animas suas contemnunt (*a*), ait quod dicunt sibi : *Iniquitates nostræ super nos sunt, et in peccatis nostris contabescimus, quomodo vivere poterimus?* Aliud autem unde Apostolus dicit : *An divitias bonitatis, et misericordiæ, et longanimitatis ejus contemnis* (*Rom.* II, 4). Contra eos qui dicunt : Bonus est Deus, misericors est Deus, non perdet tantam multitudinem peccatorum, et liberat paucos, nam utique si nollet illos esse, nec viverent; quando faciunt tanta mala, et vivunt, utique si Deo displiceret, de terra eos statim auferret (*b*). Contra hos Apostolos ignoras, inquit, quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? *Tu autem secundum duritiam cordis tui, et cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ, et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus.* Quibus hoc dicit? qui dicunt : Bonus est Deus, non reddet. Reddet prorsus unicuique secundum opera ejus. Tu quid facis? Thesaurizas, quid? Iram. Appone iram super iram, auge thesaurum; reddetur tibi quod thesaurizas, non defraudat cui commendas. Si autem in alium thesaurum mittas bona opera fructus justitiæ, vel continentiam, vel virginitatem, vel pudicitiam conjugalem : a fraude, ab homicidio, ab scelere alienus sis; memineris egentis quia et tu eges; memineris pauperis, quia et tu pauper es; quantumlibet abundes divitiis, pannis carnis indutus es. Si hæc cogitans, et hæc agens mittis in thesaurum bonum per diem judicii, ille qui neminem fraudat, et reddet unicuique secundum opera sua, dicet tibi : Tolle quod misisti, quia abundat : Quando mittebas, non videbas, sed ego servabam quomodo redditurus eram. Quia et revera, fratres, unusquisque quod mittit in thesaurum quia mittit scit, nec videt cum miserit. Pone thesaurum in terra obrutum habentem unum aditum, vel rimulam, qua mittas; paulatim quidquid acquisieris mittis, et non vides : si quod miseris et non videris servat tibi terra. Non tibi servabit qui fecit cœlum, et terram?

II. Relevate ergo, fratres, relevate sarcinam meam, et portate mecum, bene vivite (*c*) pascendos habemus hodie compauperes nostros, et cum eis communicanda est humanitas. Vobis autem fercula mea verba ista sunt. Pascere omnes panc tractabili, et visibili, non sufficio, inde pasco unde pascor; minister sum, paterfamilias non sum; inde vobis appono, unde et ego vivo de thesauro Dominico, de epulis illius patrisfamilias *Qui propter nos pauper factus est, cum dives esset, ut ejus paupertate nos ditaremur* (2 *Cor.* VIII, 9). Si panem vobis ponerem, fracto pane singuli frusta ablaturi eratis; et si ego multum ponerem, perparum ad singulos perveniret. Modo autem quod dico et omne totum habent, et singuli quique totum habent. Numquid enim verbi mei inter vos syllabas divisistis? Numquid ipsius (*a*) producti sermonis singula verba abstulistis? Unusquisque vestrum totum audivit. Sed videat quomodo audivit, quia erogator sum, non exactor. Si non erogem, et pecuniam servem, terret me Evangelium. Possem enim dicere : Quid mihi est tædio esse hominibus? dicere iniquis : Inique agere nolite? sic vivite? Sic agite? Sic agere desistite? Quid mihi est, oneri esse hominibus? Accepi quomodo vivam. Vivam quomodo jussus sum, quomodo præceptus sum. Assignem (1) quod accepi, de aliis (2) reddere rationem quo mihi? Evangelium me terret. Nam ad istam securitatem otiosissimam nemo me vinceret : nihil est melius, nihil dulcius, quam Divinum scrutari nullo strepente thesaurum;

(*a*) Forte aliquid deest.

(*b*) Vide Serm. 18. n. 3. et in Psal. 101. Serm. 1. n. 10. et in Psal. 144. n. 11. Vide etiam lib. 1. cont. advers. leg. et Proph. c. 17. n. 34.

(*c*) Editio addit *natalis Domini imminet*. Dandum ne incuriæ Librarii, quod verba : *natalis Domini imminet* prætereantur in MS.? An invecta fuerunt in tot Codicibus Gallis a quopiam Cæsarii Ministro, vel alio nescio quo de Episcopi ordinatione dicente circa Nativitatis festum? Dicam quod sentio, conjectura sequens probabilia. A Mauristis tom. V in appendicem rejicitur Sermo 116 Cæsario inscriptus a Codice Corbeiensi, cujus n. 6 legitur : *Natalis Domini imminet..... ad convivia vestra frequentius pauperes vocate* et num. 3. *Pauperes ante omnia ad convivium frequenter vocemus* : Cæsarium vero mense Decembri renuntiatum Episcopum conjicere haud prohibet ejus vitæ scriptor, qui Æonio e vivis sublato XVI Kal. Septembris *non longo tempore post* Cæsarium Arelatensi Ecclesiæ præpositum dicit : Quibus verbis maluerim designari intervallum paucorum mensium, potiusquam dierum nonnullorum spatium ejunatum a Bollandianis. Quidam ergo ex Diaconis, vel Sacerdotibus Cæsarii, de ejusdem Ordinatione, advenante Natali verba faciens, illius Episcopi Sententiam cum Augustini sermone consuit, immutando vocem *hodie* in illas : *Natalis Domini imminet*, ut de conviviis pauperum diceret, arrepta occasione a metaphora spiritualis alimoniæ, in quam perhumaniter luserat Augustinus. Sed quæres cur ea denegem Episcopi Hipponensi? Nullibi, quod sciam, S. Doctor de peculiari hac præparatione ad Domini Natalem locutus est, hic proinde unus esset locus, in quo pro illa instituisset. Ecquis autem in Augustini lectione vel mimimum versatus dixerit, potuisse Eum hujusmodi præparationis necessitatem furtim, raptimque, simplici commate urgere, ne dum prolixius in ea immorari? Siquidem ejus Scripta legentem non fallit, eumdem ipsum qui in speculativis auditores acutos requirit, in practicis, et moralibus exposcere homines laboris patientes, dicam cum Erasmo (præfat. ad Oper. Aug.), ut eis æque semper arrideant Sententiæ, quibus instandum ipse duxerit. Præterea difficile suasu credam, S. Doctorem præoptasse illo die onus spiritaliter pascendi fideles a futura Solemnitate mutuari, potius quam a Pastoris ministerio, de quo tanta præmiserat. Sed Pagium, Bollandianos, Maurinos, Tillemontium, cæterosque primi subsellii criticos inscius offendo, qui omnes textui Editionis lubentissime adstipulantur, ut inde Ordinationem Episcopi Hipponensis peractam concludat mense Decembri. Porro ad hanc Epocham definiendam nullam de penu meo, sed Divi Prosperi sententiam recito, quam Cassiodorus in Cronico, et Hermannus Contractus apud Canisium secuti sunt, quamque ipse Tillemontius auctoritate Domini Pontac certam latetur (Mémoires pour servir à l'histoire Ecclésiast. tom. 13. not. 24, §. 85). Dignus autem ille Augustini discipulus testatur (Chronici parte Secunda) imperante adhuc Theodosio cum filiis Arcadio, et Honorio, Coss. autem Olybrio, et Probino, anno scilicet 393 ad Hipponensem Cathedram evectum fuisse inclytum illud Ecclesiæ decus : At cum Socrates dicat hist. Ecclesiast. l. 6, c. 1. Theodosium vita functum XVI Kal. Februar. ejusdem anni, omnesque chronographi ad unum consentiant; profecto Augustinus mense Januario renuntiatus est Episcopus Hipponensis. His omnibus ergo positis, firmatur veritas Codicis Cassinensis *hodie* pro *Natalis Domini imminet* legentis.

(*a*) Quomodo *producitur* dicitur Sermo, si vix dimidiam Editionis paginam excrevit. Ablata ergo fuerant, quæ a MS. Cassinensi restituuntur.

(1) *Edit.* quomodo.

(2) *Edit.* de alus me reddere.

dulce est, bonum est, prædicare autem, arguere, corripere, ædificare, pro unoquoque satagere, magnum onus, magnum pondus, magnus labor. Quis non refugiat istum laborem. Sed terret me Evangelium. Processit servus quidam, et ait Domino suo : *Sciebam te hominem molestum metere ubi non seminasti* servavi pecuniam tuam, nolui eam erogare ; tolle quod tuum est ; si aliquid minus est (1) judica ; si integrum est, noli mihi molestus esse. Ait autem ille : *Serve nequam, ex ore tuo te* (2) *condemno* (*Luc.* XIX, 21, *et seq.*). Quare hoc ? quia avarum me dixisti, lucra mea quare neglexisti ? Sed timui dare, ne perderem. Hoc dicis ? plerumque enim dicitur : Quid corripis ? perit ad illum quod dicis ; non te audit ; et ego, inquit ille, nolui dare, ne perderem pecuniam tuam. Ait illi : Si tu dares pecuniam meam et ego veniens cum usuris exigerem ; erogatorem, inquit, posueram te, non exactorem ; si tu exerces erogationem, mihi relinqueres exactionem. Hoc timens ergo, unusquisque videat quomodo accipiat. Si ego erogans timeo, qui accipit securus esse debet ? Qui malus fuit heri, bonus sit hodie. Hæc est erogatio mea : qui malus fuit heri, bonus sit hodie. Malus fuit heri et non est mortuus ; si mortuus esset (3) malus, isset, unde non rediisset. Malus fuit heri, vivit hodie ; prosit illi quod vivit, non male vivat. Quare ergo diei hesterno hodiernum vult addere malum ? Longam vitam vis habere, bonam non vis ? Quis longum ferat malum, vel prandium ? Usque adeo cæcitas mentis obcalluit, usque adeo surdus est homo interior, ut omnia bona velit habere, præter se ipsum ? Vis habere villam ? nego te habere velle malam villam. Uxorem vis habere (4) nonnisi bonam ; domum nonnisi bonam. Quid curram per singula ? Caligam non vis habere malam, et vis habere vitam malam ? quasi plus tibi noceat mala caliga, quam vita mala. Cum tibi caliga mala, et constricta nocuerit, sedes (5) dedecalceas te, abjicis, aut corrigis, aut mutas ne digitum lædas, et calceas te (6). Malam vitam, qua animam perdit, corrigere non curas. Sed hoc plane video unde falleris. Caliga nocens dolorem facit, vita nocens voluptatem facit ; illud nocet, illud libet, sed quod ad tempus libet, postea pejus dolet ; quod autem ad tempus dolet salubriter, postea infinita voluptate et abundantia gaudio lætificat (7). « Videte (*a*) libentem, et dolentem, divitem illum libentem, et pauperem illum dolentem ; ille epulabatur, ille cruciabatur ; ille circumdatus familia honestabatur, ille a canibus lingebatur ; ille epulis crudior reddebatur, ille nec micis saturabatur (*a*). Transiit voluptas, transiit necessitas ; præterierunt bona divitis, mala pauperis ; successerunt mala diviti, bona pauperi. Quæ præterierunt, non revocabantur ; quæ successerunt, non minuebantur. Ardebat dives apud inferos, lætabatur pauper in gremio Abrahæ. Desideraverat prius pauper de mensa divitis micam, desideravit postea dives de digito pauperis guttam. Illius egestas satietatis fine terminata est, illius voluptas succedente dolore sine fine peracta est. Epulis successit sitis, voluptati dolor, purpuræ ignis (*b*). Hoc est prandium, quod Lazarus visus est habere in gremio Abrahæ, hoc volumus, ut omnes habeatis ; hoc volumus, ut simul habeamus. Numquid esset prandium, quod vobis exhiberem, si omnes vos invitarem, et ista Ecclesia plena esset mensis epulantium ? Transitoria ista sunt. Ista cogitate, quæ dico ut ad illas epulas veniatis, quas nunquam finiatis. Ibi enim nemo est indigestus epulando, nec ipsæ epulæ tales sunt, ut sua corruptione nos pascant, et sua defectione reficiant. Et illæ integræ erunt, et nos ab eis reficiemur. Si oculus noster pascitur luce, nec deficit lux, quales erunt illæ epulæ in contemplatione veritatis, in conspectu æternitatis, in laudibus Dei, securitate felicitatis, mente stabili, corpore immortali, nullo senio tabescente carne nostra, nulla fame laxante animam nostram ? Ibi nemo crescit, nemo decrescit ; ibi nemo nascitur, quia nemo moritur ; ubi nec ulla opera vos cogimini facere, quæ modo hortamur, ut faciatis. Modo enim audistis (*c*) Dominum dicentem, omnibus nobis dixit : *Quando facis epulum, noli vocare amicos tuos.* Ostendit ubi esses largus : *Noli parentes, qui habent unde tibi retribuant ; sed voca pauperes, debiles, cæcos, claudos, egentes, qui non habent unde tibi reddant* (*Luc.* XIV, 12). Et numquid perdes ? *Retribuetur tibi in retributione justorum* (*Id.* v. 14) Tu eroga, inquit, ego accipio, annoto, reddo : Deus hoc dixit, et hoc nos hortatus est, ut faciamus ista, et reddet nobis. Quando nobis reddiderit, quis nobis auferet ? *Si Deus pro nobis, quis contra nos* (*Rom.* VIII, 31) ? Peccabamus, et mortem Christi nobis donavit ; juste vivimus, et nos decipiet ? *Non enim Christus pro justis, sed pro impiis mortuus est* (*Ibid.* 5, 6). Si donavit iniquis mortem Filii sui, justis quid servat ? quid illis servat, non habet melius quod illis servet, quam quod pro illis dedit. Quid pro illis dedit ? *Filio proprio non pepercit* (*Ibid.* 32). Quid illis servat ? Ipsum Filium. Sed Deum ad fruendum, non hominem ad moriendum. Ecce quod vos vocat Deus ; sed quomodo attendis ? quo dignare attendere, (*d*) et qua dignare attendere, et quomodo ? sed plane cum veneris,

(*a*) Editio subnectit insuper clausulam Augustino a Mauris denegatam, ibique desinit sermo 339. Natalis Alexander (hist. Eccles. Sæc. V, c. 4.) opinatur rejiciendam esse integram ultimam periodum, et perorationem ab illis verbis : *postea pejus dolet :* Verum nullus dubito quin nostræ adhæsisset lectioni, si novisset.

(1) *Edit.* indica.
(2) *Edit.* condemnabo.
(3) *Edit.* Si mortuus esset, et malus esset, isset,
(4) *Edit.* non vis *pro* nonnisi.
(5) *Edit.* discalceas.
(6) *Edit.* mala vita est.
(7) *Edit. addit :* Secundum illud quod Scriptum est : Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent. Et illud : Beati qui lugent, quoniam ipsi saturabuntur.

(*a*) Vide in Psal. 48. Serm. 1. n. 10, et Serm. 56, num. 6.
(*b*) Forte aliquid deest, nullum enim antecedens, cui referantur voces illæ *Hoc est prandium.*
(*c*) Lectum fuerat eo die de Evang. Lucæ c. 14., quod frequenter assignatum in antiquis Lectionariis videmus.
(*d*) Sic in Cod.

numquid hoc dicetur tibi : *Frange panem tuum esurienti ; si vides nudum, vesti* : numquid recitatur tibi hoc capitulum? *Cum facis epulum, vocà claudos, cæcos, egentes, inopes* (*Isaï.* LVIII, 7). Ibi inops nullus, ibi erit nullus claudus, cæcus nullus, nullus debilis, nullus hospes, nullus nudus, omnes sani, omnes vegeti, omnes abundantes, omnes æterna luce vestiti. Quem ibi vides peregrinum? Patria nostra ipsa est; hic sumus peregrini. Illam desideremus, jussa faciamus, ut promissa exigamus. Imo non bene dixi; emendo quod dixi : absit, ut promissa exigamus, ultro data sumemus. Si enim exigimus, quasi Deus nolit dare ; prorsus dabit, neminem fraudabit. Hoc considerate, fratres mei, videte Dominus Deus noster quanta bona det malis, lucem, vitam, salutem, fontes, fructus, generationes, plerumque honores, celsitudines, potestates, hæc omnia dat bona et bonis et malis. Putamus-ne nihil est quod servat bonis, qui tanta bona dat et malis? Nemo hoc inducat in cor suum. Fratres mei, magna bona servat Deus bonis, sed *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (*Cor.* I, 2-9). Non potes cogitare antequam accipias, videre potes cum acceperis ; cogitare antequam accipias non potes. Quid est quod vis videre (*a*)? Non est cithara, non est tibia, non est sonus, qui facit in auribus voluptatem. Quid vis cogitare? In cor hominis non ascendit. Et quid facio? Nec video, nec audio, nec cogito. Quid facio? Crede magnum compendium. Vas magnum, ubi possis accipere magnum donum, fides est. Para tibi vas, quia ad magnum fontem habes accedere : para tibi vas. Quid est para? Crescat fides tua, augeatur fides tua, firmetur fides tua, non sit lubrica, et lutea fides tua, tribulationibus hujus mundi non frangatur, sed coquatur fides tua. Cum autem feceris, et habueris fidem, tanquam vas idoneum, capax, firmum, implebit illum Deus. Non enim dicet tibi quomodo dicunt homines deprecanti, et dicenti : Da mihi aliquid vini, rogo te : et ille : Do, veni, et facio. Ille urnam attulit, et dicit : Ut jusseras veni ; et ille : Ego putabam te allaturum unam lancellam, quid attulisti, aut quo venisti? Ego non sufficio tantum dare, revoca vas majus, quod attulisti, et affer aliquid breve ; affer mihi, cui possit paupertas mea sufficere. Non hoc dicit Deus ; plenus est, plenus eris, et cum te impleverit, ipse tantum habebit quantum habebat antequam te impleret : copiosa sunt dona Dei, nulla talia invenis in terra ; crede et probabis. Sed non modo ; et quando inquies? sustine Dominum, viriliter age, et confortetur cor tuum, ut cum acceperis dicas : Dedisti lætitiam in cor meum (*b*). Sustine (1) Dominum, viriliter age, et confortetur cor tuum, et sustine Dominum. Quid est : Sustine Dominum? ut tunc accipias, quando dabit, non tunc exigas quando vis. Tempus dandi nondum est ; sustinuit te, sustine illum. Quid est quod dixi, sustinuit te, sustine illum? si jam juste vivis, si jam ad illum conversus es, si tibi displicent facta tua præterita, si jam placuit tibi eligere vitam bonam novam, noli festinare exigere, sustinuit te, ut mutares vitam malam, sustine illum, ut coronet vitam bonam. Si te ille non sustineret, non esset cui daret ; sustine ergo quia sustentatus es (*a*). Tu vero, qui non vis corrigi ; o quisquis hic es, qui adhuc non vis corrigi ; quasi unus sit ; magis dicere debui quicumque hic estis. Tu tamen qui hic es, si tamen hic es, qui non statuisti corrigi ; sic loquar quasi ad unum. Quisquis non vis corrigi, quid tibi promittis? Desperando peris, an sperando? Quisquis desperando peris hoc dicis in animo tuo : *Iniquitas mea super me est, in Peccatis meis contabesco, quæ mihi spes est vivendi?* Audi Prophetam dicentem : *Nolo mortem impii, quantum* (1) *revertatur impius a via sua pessima, et vivat* (*Ezech.* XXXIII, 11). Sperando (2) peris? quid est, sperando peris? Hoc dicis in animo tuo : Bonus est Deus, misericors est Deus, ignoscit omnia, non reddet mala pro malis. Audi Apostolum dicentem : *Ignoras* (3) *quoniam patientia Dei ad pœnitentiam te adducit?* Quid ergo restat (4)? Quasi fecisti aliquid, si intravit in cor quod dixi. Video quid mihi (5) respondeatur : verum est, nec despero ut desperando peream, nec male spero, ut sperando peream ; non mihi dico : Iniquitas mea super me est, jam nullam spem habeo ; nec illud mihi dico : Bonus est Deus, nemini (6) reddet mala, nec illud dico, nec illud dico ; premit me Propheta, premit (7) Apostolus. Et quid dicis? Adhuc modicum tempus vivam quomodo volo. Isti sunt qui nos fatigant ; plurimi sunt, molesti sunt. Adhuc modicum tempus vivam quomodo volo, postea, quando me correxero ; utique verum est quod dixit Propheta ; Nolo mortem impii (8), quantum revertatur impius a via pessima, et vivat : quando conversus fuero, delebit omnia mala mea, quare non addo aliquid voluptatibus meis, et vivo quantum volo, quomodo volo, postea me conversurus ad Deum? Quare hoc dicis, frater? quare? Quia

(*a*) Aliquid omissum, uti patet ex his verbis Serm. 331. n. 3. Oculus non videt, quia non est color ; Auris non audit, quia non est sonus : etc.

(*b*) Hic incipit Sermo 40 Editionis sic inscriptus : *De eodem loco Ecclesiastici* 5. 8. Ne tardes converti ad Deum, etc. *In eos qui conversionem de die in diem differunt, quorum alii male sperando, alii desperando pereunt :* Qui Sermo ab iisdem codicibus profertur, a quibus ille 339. fuerat evocatus.

(1) *Editio sic exorditur Sermonem* 40 Frequenter, fratres cum Psalmista cantavimus : Sustine.

(1) *Edit.* tantum.

(2) *Edit.* Qui sperando peris hoc dicis in animo tuo et *omissis interrogationibus.*

(3) *Edit.* quia.

(4) *Edit.* quia si obtinuimus apud te aliquid.

(5) *Edit.* respondeas.

(6) *Edit.* reddit.

(7) *Edit.* premit me Apostolus.

(8) *Edit.* tantum.

(*a*) Emunctæ naris judices legant, perlegant, meditentur, nexum denique edisserant inter hanc primam periodum, uti jacet in Editione, exordii vice fungentem, et Sermonis partes reliquas. Quod si nullo conatu præstiterint, fateantur Sermonem Editionis integritate destitui, periodum hanc primam præcedentibus colligari, et disquisitionem de nimia fiducia et desperatione hic denuo urgeri, tum quia moralis locus erat, tum quia in illa annuntianda universam rationem suæ Pastoralis sollicitudinis sitam esse jam dixerit.

promisit Deus indulgentiam, si me mutavero. Video, scio (1) promisit indulgentiam per sanctum Prophetam, hanc promittit (2) per me minimum servum suum. Promittit? verum est quod promittit, hanc promisit per unicum Filium suum. Sed quid vis addere dies malos diebus malis? sufficiat diei malitia sua : malus dies hesternus, malus et hodiernus, malus et crastinus. An putas bonos dies esse, quando facis satis voluptatibus tuis? quando in luxuriis enutris cor tuum? quando insidiaris alienæ pudicitiæ? quando fraude contristas proximum tuum? quando commendata negas? quando falsum pro nummo juras? quando exhibes tibi bonum prandium, ideo putas quia bonum diem ducis? Unde fieri potest, ut dies bonus sit, cum malus sit homo? malos dies addere vis malis diebus? rogo aliquantum, inquit, dimittatur mihi; quare? quia promisit mihi Deus indulgentiam, sed crastino die te victurum nemo tibi promisit, aut lege mihi. Quomodo mihi legis Prophetam, Evangelium, Apostolum; quia cum te converteris delet Deus omnes iniquitates tuas : lege mihi, ubi tibi promissus est crastinus dies, et vive crastino die male. Quanquam, frater meus, non tibi hoc debui dicere. Longa erit forte vita tua : si longa erit, bona sit. Quare vis habere vitam longam, et malam? aut longa non erit : et illa longa te debet delectare, quæ non habet finem. Aut longa erit, et quid mali erit quia diu bene vixisti? Tu male vis diu vivere, bene non vis, et tamen crastinum diem nemo tibi promisit. Corrige te (*a*), audi (3) de Scriptura. Ne me quasi hominem natalitiarium contemnas. De Scriptura tibi loquor : *Ne tardes converti ad Dominum :* Verba ista mea non sunt, sed et mea sunt; si amo, mea sunt; amate et vestra sunt. Sermo iste, quem modo dico, Scriptura sancta est, si contemnis illum, adversarius tuus est. Sed audi Dominum dicentem : *Concorda cum adversario tuo cito* (*b*) (*Matth.* v, 25). [Quis est iste sermo terribilis? Ad lætitiam venistis : natalis hodie Episcopi dicitur : numquid aliquid ponere debeo, unde vos contristem? imo hoc pono, unde gaudeat dilector, irascatur contemptor : melius est mihi contemptorem contristare, quam fidelem fraudare.]

III. Audiant omnes, verba recito (4) de Scriptura, o male dilator, o crastini male appetitor, audi Dominum dicentem, audi Scripturam sanctam prædicentem; de isto loco speculator sum : *Ne tardes converti ad Deum, neque differas de die in diem.* Vide, si non vidit illos, vide si non inspexit illos, qui dicunt : Crastino bene vivo, hodie male vivam. Et cum cras venerit, hoc dicturus es. *Ne tardes converti ad Deum, neque differas de die in diem, subito enim veniet ira ejus, et in tempore vindictæ disperdet te* (*Eccle.* v, 8, 9). (1) Quid ego feci? delere illud possum? timeo deleri. Tacere illud possum? timeo taceri (2). Prædicare cogor, territus terreo. Timete mecum, ut gaudeatis mecum. *Ne tardes converti ad Deum.* Domine, vide, quia dico, Domine, tu scis quia terruisti me, cum tuus Propheta legeretur; Domine, nosti in illa cathedra (3) tremorem meum (*a*) cum tuus Propheta legeretur. Ecce dico : *Ne tardes converti ad Deum, neque differas de die in diem, subito veniet ira ejus, et in tempore vindictæ disperdet te,* sed nolo perdat te; nolo mihi dicas. Perire volo; quia ego nolo : melius (4) est nolo meum, quam volo tuum. Si lethargicus pater tuus ægrotaret inter manus tuas, at adesses juvenis ægrotanti seni, et diceret medicus : Periclitatur pater tuus, somnus iste gravedo est quædam lethalis, observa eum, noli eum permittere dormire. Si videris eum dormire (5) excita; si parum est excitare, vellica; si et hoc parum, stimula eum, ne moriatur pater tuus. Adesses (6) et esses juvenis seni onerosus. Ille in dulcem morbum resolutus iret, oculos gravedine illa premente clauderet. Tu contra (7) : Noli dormire; at ille : Dimitte me, dormire volo; et tu : Sed medicus dixit : Si voluerit dormire, non dormiat; at ille : Rogo, dimitte me, mori volo; sed ego nolo, dicis (8) filius patri. Cui? utique optanti se mori. Et tamen vis differre mortem patris tui, et aliquanto diutius vivere cum morituro sene patre tuo. Dominus tibi clamat : Noli dormire, ne in æternum dormias; evigila ut mecum vivas, et Patrem habeas, quem nunquam efferas; et tu surdus es. Quid ergo feci speculator? liber sum, non vos gravo. Scio dicturos quosdam, quid nobis voluit dicere? terruit, gravavit nos, reos nos fecit. Imo a reatu volui liberare. Fœdum est, turpe est, nolo dicere malum, nolo dicere periculosum, nolo dicere exitiosum; turpe est, ut vos fallam, si Deus me non fallit. Dominus minatur mortem impiis, nequissimis, fraudatoribus, sceleratis, adulteris, voluptatum inquisitoribus, suis contemptoribus, de temporibus murmurantibus, et mores suos non mutantibus; Dominus illis mortem minatur, gehennas minatur, interitum sempiternum minatur. Quid volunt, ut ego promittam, quod ille non promittit? Ecce (9) dabit tibi securitatem procu-

(*a*) En verba de industria omissa ab eo, qui orationem mutilam fecit, ut de sola conversione loqueretur. Vox *Natalitiarius* deest in Glossariis.

(*b*) En rursus verba consulto omissa; vide interim *Natalem* dici diem Anniversarium Ordinationis. Sententiam vero hic *terribilem* non illam Matthæi, sed Ecclesiastici dixisse ex sequentibus patet.

(1) *Edit.* promisit Deus.
(2) *Edit. Sic legit verba quæ sequuntur.* Promisit Deus indulgentiam per sanctum Prophetam, hanc promittit et per me minimum servum suum promittit. Verum est, etc
(3) *Edit.* audi Scripturam.
(4) *Edit.* Scripturæ divinæ.

(*a*) Vide Augustinum dicentem se esse speculatorem, se fuisse territum, et a Propheta territum cum legeretur. At de speculatione, et de illa Ezechielis lectione nihil dictum in hoc Serm. 40 Editionis, sed tantum in Serm. 33; ergo illi duo conjungendi; ergo certa est fides nostri Codicis illos copulantis.

(1) *Edit. Sic legit verba quæ sequuntur :* Numquid ego hoc scripsi? Numquid ego delere illud possum? Si delevero, timeo deleri, etc.
(2) *Edit.* tacere.
(3) *Edit.* timorem.
(4) *Edit.* melius est ergo.
(5) *Edit.* excita eum.
(6) *Edit.* adesses juvenis seni.
(7) *Edit.* Tu contra clamares patri.
(8) *Edit.* dicit.
(9) *Edit.* dat.

rator; quid tibi prodest, si Paterfamilias non acceptet? Procurator sum, servus sum. Vis dicam tibi: Vive quomodo vis, Dominus te non perdet? securitatem tibi procurator dedit; nihil valet securitas Procuratoris. Utinam Dominus tibi daret, et ego te sollicitum facerem! Domini enim securitas valet, etiamsi nolim; mea vero nihil valet, si ille noluerit. Quæ est autem securitas, fratres, vel mea, vel vestra, nisi ut Domini jussa intente, et diligenter audiamus, et promissa fideliter expectemus? In his, quibus fatigamur, quia homines sumus, ipsius adjutorium imploremus, ad illum ingemiscamus; preces nostræ non sint pro rebus sæcularibus, prætereuntibus, transitoriis, et vice vaporis evanescentibus; sed sint preces nostræ pro ipsa implenda justitia, et sanctificatione pro nomine Dei; non pro vincendis vicinis, sed pro vincenda libidine; non pro (1) satianda, sed pro domanda avaritia. Hinc sint preces nostræ; intus nos adjuvent luctantes, ut coronent vincentes.

## SERMO III.

(*a*) *De contemptu temporalium rerum.*

*Codex MS. num.* 173, *cui titulus* Augustini Operum Tom. 12. *Tractatus, et sermones continet, quorum potior pars cum editis ad unum congruit, reliqui vero præter lectiones variantes exhibent periodos ab editis exulantes. Ex his postremis unum selegi variantibus prope innumeris refertum. Cum enim dijudicare non ausim utrum a Notariis præpropere exscribentibus, scriptaque postea instaurantibus eædem profluxerint, an illàs intulerit Augustinus, qui forte sermonem ex tempore prius dictum postea conscripsit, ut lib.* 15 *de Trinitate alias a se factum professus est, satius esse duxi, ut id judicent eruditi, et ex hoc uno statuant quid de aliis in eodem Codice exaratis sentiendum sit. Sed et Codex num.* 219, *inscriptus,* Dydimus de Spiritu Sancto, et alia, *habet sermonem hunc, nihilo quidem a priori codice disparem. Maurini Tom.* 5, *num.* 345, *hunc ediderunt a Colbertinis, et Sirmondianis exemplatum, quem sua integritate destitui ultimode suspicati sunt.*

Admonet (*b*) nos et solemnitas Martyrum, et Dominicus dies hoc (2) loqui Charitati Vestræ, quod pertineat ad contemptum præsentis sæculi (3), et ad spem futuri (4). Si quid contemnas (5) quæris? Omnis (6) sanctus, et pius Martyr etiam vitam præsentem contempsit. Si quid speres quæris (7)? Hodie Dominus resurrexit (1). Si titubas in re, esto (2) fortis in spe. Si (3) te opus turbat, erigat (4) merces (*a*). Prima Apostolica lectio in Epistola, quam scribit ad Timotheum (5) nos quoque admonet, quod ei præcepit dicens: *Præcipe divitibus mundi hujus non superbe sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed* (6) *in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendum. Divites sint in operibus bonis, facile tribuant, communicent, thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam* (1 *Tim.* VI, 17, *et seqq.*). [Et ista lectio non nobis videatur minus congrua solemnitati Martyrum beatorum; habet enim contemptum sæculi. Nam cum divitibus præcipitur, ut thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum, et apprehendant veram vitam (*b*), sine dubio ista falsa vita est.] Et maxime hoc divites audire debent (7) quos quando pauperes intuentur, murmurant, gemunt, laudant, invident, (8) æquari optant (9), impares se esse dolent, et inter laudes divitum hoc plerumque dicunt: soli isti sunt (10), isti soli vivunt (11). Propter hæc ergo verba, quibus homines tenues divitibus adulantur (12) [Quia ipsi vivunt, et soli vivunt, ne his adulantium inflati verbis putent se vivere, *Præcipe,* inquit, *divitibus hujus mundi, non superbe sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendum* (*c*). *Divites sint* sed ubi? *In operibus bonis: facile tribuant* quia non perdunt quod tribuunt: communicent cum eis, qui non habent. Et quid ex hoc? *Thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram justitiam,* non assentientes adulantibus, qui eos dicunt vivere, et solos vivere.] Vita ista (13) somnium est; divitiæ istæ velut in somnis fluunt (14). Audi (15) Psalmum? o dives pauperrime (16) *Dormierunt somnum suum, et*

(*a*) Inscribitur a Maurinis, *de Contemptu mundi,* et habitus est diebus Paschalibus, et in Solemnitate SS. Tuburbuatarum, quæ ex Sirmondo duæ, Felicitas, et Perpetua; ex Henrico Valesio tres, Maxima, Donatilla, et Secunda, testantibus iisdem Maurinis Patribus.

(*b*) Exordium ab adjuncto temporis evidentius hic aperitur quam ed editione.

(1) *Edit.* Sananda carne.
(2) *In Edit. Exordium est:* loquar hoc Charitati Vestræ, fratres, quod pertineat, etc.
(3) *In Edit. deest,* etc.
(4) *In Edit. additur* sæculi.
(5) *In Edit. præponitur* ei quæris.
(6) *In Edit.* omnis Martyr.
(7) *In Edit. additur* resurrectionem dico, quia hodie, etc.

(*a*) Primæ lectionis nomine venit Epistola Pauli, quam sequebantur Psalmi et Evangelium, aperte hoc innuit Augustinus Ser. 177, ubi tria illa indiscriminatim lectionum nomine donavit. In præsenti Liturgia etiamsi idem servetur ordo, sola tamen Epistola nomen lectionis retinet.

(*b*) Frequenter Augustinus hunc Pauli textum commentans reputat falsitatem præsentis vitæ. Aptissime autem hoc in loco, ut nulla suspicio sit de genuinitate istius periodi. Vide præ cæteris Serm. 39. n. 5.

(*c*) Non dissimilis sententiam, et ordo verborum in Serm. 39. n. 5.

(1) *In Edit.* o tu homo si, etc.
(2) *In Edit.* firmus *pro* fortis.
(3) *In Edit.* Si autem.
(4) *In Edit.* ipsa merces.
(5) *In Edit.* nos quoque admonet Apostolus cum præcipit Timotheo, dicens.
(6) *Edit.* in Deum vivum.
(7) *Edit. addit* audite divites qui aurum, et argentum habetis, et tamen cupiditate ardetis, quos quando, etc.
(8) *Edit. legit.* et invident.
(9) *Edit. addit,* etc.
(10) *Edit.* ipsi *pro* isti.
(11) *Edit.* pro his verbis, *quibus.*
(12) *Edit.* cum dicunt isti soli vivunt; ne in superbiam erigamini, o vos divites; sed potius Apostolum audite morbi curatorem, et non verbi adulatorem, Vita ista, etc.
(13) *Edit.* vita ista somnus vester est.
(14) *Edit. addit.* Paulus dicit: Ut apprehendant vitam veram. Paulum audite et superbire nolite.
(15) *Edit.* Audi et Psalmum.
(16) O tu dives pauperrime, quid habes, si Deum non habes? vel quid non habes, si Deum habes? De divitibus dicit Psalmus; Dormierunt, etc.

*nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis* (*Psal.* LXXV, 6). Aliquando et mendicus in terra jacens (1), frigore tremens, occupatus (2) tamen somno thesauros somniat, et gaudet (3) et superbit in somnis, et patrem suum pannosum (4) non dignatur agnoscere, et donec evigilet dives est. *Cum ergo dormierit invenit quod falsum gaudeat? cum evigilaverit invenit quod verum doleat.* Dives ergo moriens, similis est (5) pauperi vigilanti, qui thesauros videbat in somnis. Nam et (6) ille induebatur purpura, et bysso. Quidam dives nec nominatus, nec nominandus, contemptor pauperis jacentis ante januam suam, induebatur purpura, et bysso, sicut Evangelicum testimonium est, et epulabatur quotidie splendide (7); mortuus est (8), sepultus est: evigilavit et se in (9) flammis invenit (*Luc.* XVI, 19). *Dormivit ergo somnum suum et* (10) *nihil invenit ille vir divitiarum in manibus suis*, quia nihil boni egit (11) manibus suis (12). Propter vitam ergo quæruntur divitiæ, non vita propter divitias. Quam multi cum suis hostibus pacti sunt, ut (13) totum tollerent, et vitam relinquerent (14): quantumcumque habuerunt (15) tanti vitam emerunt. Quanti comparanda est vita æterna, si tam pretiosa est vita peritura (16)? Da Christo aliquid, ut vivas beatus, si totum das hosti, ut vivas mendicus. A vita tua temporali, quam tanto pretio redimis, appende quanti valeat æterna quam negligis, ut (17) vivas diebus paucis, etsi ad senectutem perventurus sis. Omnes enim dies hominis ab infantia usque ad (18) senectam pauci dies sunt (*a*). Et si ipse Adam hodie moreretur, paucos dies vixerat, quia omnes finierat (19). *Paucos ergo dies, et hos laboriosos in tanta inopia; in tanta* (20) *tentatione redimis? Quanti? nihil habere vis, ut habeas te. Vis nosse quanti valeat vita æterna? adde et te.* Ecce inimicus qui te captivaverat (1) dixit tibi: Si vis vivere quidquid habes da mihi, et ut viveres dedisti totum, hodie redemptus, eras forte moriturus; ab isto (2) dimissus, forte ab illo trudendus. Erudiant nos (3) pericula, fratres mei. Quid tam indocti, et inter Dei verba, et inter humana experimenta? Ecce totum dedisti, et (4) abiisti gaudens quia vivis (5) etsi pauper, etsi nudus, etsi egens, etsi mendicus (6), gaudes tamen quia vivis, et dulcis est lux. Appareat Christus, paciscatur et ipse (7), non qui te (8) captivavit, sed qui pro te captus est, non qui te quærit occidere, sed qui pro te occidi dignatus est (9), qui dedit se pro te. Quantum pretium? Qui te fecit (10) dicit tibi. Mecum paciscere (11): te vis habere, et totum perdere? Si habere vis te (12), me habere oportet, ut oderis te (13), ut diligas me et vitam tuam perdendo (14) invenias, ne tenendo perdas (15). De divitiis istis tuis, quas amas possidere, et quas tamen pro vita tua præsente paratus es dare (16), jam dedi salubre consilium (*b*). Si (17) amas et ipsas, noli (18) et illas perdere (19): sed ubi eas amas, tecum perituræ sunt. Consilium et de ipsis do (20): Amas eas? Mitte (21) eas quo sequaris eas, ne cum eas amas in terra aut vivus (22) amittas, aut mortuus dimittas. Et hinc, inquit (23), consilium dedi: non dixi: Perde, sed serva (24): thesaurizare vis, non dico noli, sed dico ubi, Consultorem (25) accipe, non (26) prohibitorem. Ubi ergo dico thesaurizare (27)? *Thesaurizate vobis thesaurum in cœlo, quo fur non accedit, nec tinea, nec rubigo exterminat* (*Matth.* VI, 20). Sed (28) non video, inquis (29), quod pono in cœlo (30). Vides enim quod obruis in terra. Securus es obruendo

(*a*) Hac ipsa lectio in serm. 301. n. 9.

(1) *Edit.* et frigore.
(2) *Edit.* occupatus a somno.
(3) *Edit.* gaudet, exultat, superbit.
(4) *Edit.* pannosum videre indignatur. In somnis est quod vides o tu mendice, qui dormis, et gaudes. Tamen donec eviliget dives est: cum dormierit invenit quod certum doleat.
(5) *Edit.* illi pauperi dormienti et thesauros somnianti.
(6) *Edit.* Nam ille dives qui induebatur.
(7) *Edit.* postea mortuus est.
(8) *Edit.* et sepultus.
(9) *Edit.* in flamma.
(10) *Edit.* post somnum nihil.
(11) *Edit.* nihil operatus est de manibus.
(12) *Edit. addit* id est, de divitiis suis.
(13) *Edit.* vitam solam redimerent.
(14) *Edit. habet interrogationem, quam silet Codex.*
(15) *Edit. addit* totum dederunt tantum ne vitam amitterent. Totum dedisti barbaris quod habuisti, frater? totum, inquit, dedi, nudus remansi; et si nudus vivam. Et quare? totus occidendus eram, ideo totum dedi. Et quare hoc tibi contigit? Vis dico tibi? quia antequam barbarus superveniret, pauperi non subveniebas, ut per pauperem eleemosyna ad Christum perveniret? Christo modicum non dedisti, et barbaris totum quod habuisti dedisti, et hoc cum Sacramento dedisti. Christus rogat et non accipit: ille torquet, et totum aufert. Si tanti redemisti vitam perituram, quanti comparanda, etc.
(16) *Edit. transponit commata hujus hypotheticæ sententiæ, et habet* qui *pro* si.
(17) *Edit.* ut vivas paucis diebus, quod hostis exigit, facis, et quod Christus exigit, contemnis?
(18) *Edit.* ad senectutem.
(19) *Edit. addit* qui utique sex millia annos vixerat et tamen pauci erant, quia cunctos finierat.
(20) *Edit.* tentationibus plenas redimis, ut modicam terram habeas, id est, villam.

(*a*) Vide sermonem 38 a n. 7 usque ad finem. Ibi omnes hujus Sermonis Sententiæ iteratæ leguntur.

(1) *Edit.* dicit.
(2) *Edit.* redemptus ab alio trucidandus. Ecce quanta a barbaris patiuntur homines propter vitam temporalem, et nos piget aliquid pati pro vita æterna.
(3) *Edit.* ista pericula.
(4) *Edit.* et subjecisti; et gaudes.
(5) *Edit.* et hoc dicis etsi.
(6) *Edit.* gaudeo quia vivo, et istam lucem dulcem non perdidi.
(7) *Edit.* ipse tecum: non barbarus.
(8) *Edit.* captivaverat.
(9) *Edit.* ille qui se dedit pro te, ipse tibi dicit.
(10) *Edit.* ipse tibi dicit mecum.
(11) *Edit. cum interrogatione legit.*
(12) *Edit. habet et* me. Oportet.
(13) *Edit.* et pro ut.
(14) *Edit. punctum præponit voci* vitam, *sicque legit* vitam tuam perdendo invenies.
(15) *Edit. addit* eam.
(16) *Edit.* do consilium quid facias.
(17) *Edit.* si et ipsas amas.
(18) *Edit.* noli eas.
(19) *Edit.* quod si hic eas amas.
(20) *Edit.* si eas amas *absque interrogatione*
(21) *Edit.* præmitte eas.
(22) *Edit.* vivus eas amittas.
(23) *Edit.* jam dedit consilium.
(24) *Edit.* jam dixi: Thesaurizare vis? bene non dict.
(25) *Edit.* me accipe.
(26) *Edit.* non perditorem.
(27) *Edit.* scriptum est: Thesaurizate.
(28) *Edit.* sed forte dicis.
(29) *Edit.* non video locum in cœlo, ubi ponam.
(30) *Edit. addit* quam scalam, quam machinam quæsiturus sum, quæ ad cœlum attingat ut videam ubi ponam pecuniam

in terra (1) et sollicitus et (2) ei dando, qui fecit cœlum, et terram (3)? Serva (4) ubi vis, si inveneris meliorem (5) Christo, (6) custodi, commenda. (7). Commendo, (8) inquis, servo meo (9). Quanto melius Domino tuo (10)? Servus (11) fortassis (12) aufert (13), atque fugit; et inter tanta mala, quæ jam acciderunt, hoc optandum fuit, ut servus auferret, et fugeret, non ad Dominum suum hostes ducerat (14). Multi (15) servi dominis suis repente inimici extiterunt, et eos cum (16) illo quod habebant, hostibus (17) prodiderunt. Cui ergo commendas? Interim, inquis, servo (18) meo (19) commendo aurum meum (20). Aurum tuum (21) servo : animam tuam cui (22)? Commendo, inquis, Deo animam meam. Quanto melius (23) illi et aurum tuum, cui et animam tuam? An forte fidelis est in custodiendo animam tuam, et infidelis est in custodiendo pecuniam tuam? Non servat tibi, qui servat te? Fac ergo fidem. Servus agit ne tollat : numquid agit ne perdat? Tota fides ejus est ne te fraudet; fidem ejus attendis (24), et infirmitatem non attendis? Posuit, non latuit (25); venit alius (26), abstulit. Numquid hoc Christo quisquam facturus est? Pigritiam excute, consilium accipe : thesauriza in cœlo. Et quid dixi', pigritiam excute? quasi labor sit in cœlo thesaurizare : etsi labor esset, faciendum erat (27) et suscipiendus labor erat, et reponenda ea, quæ pro magno habemus in loco munito unde (28) ea nemo posset auferre. Non tamen dicit tibi Christus, in cœlo thesauriza (29), scalas quære (30), pennas apta (31), sed mihi in terra da, et ibi (32) servabo. In terra, inquit, mihi da, ideo veni (1) pauper hic esse, ut (2) tu ibi dives sis. Fac trajectitium (3). Times fraudatorem ne perdas (4). Quæris qui portet (5) quo migras? Christus tibi in utroque adest. Non (6) facit imposturam, sed facit (7) laturam. Sed Christum, inquis, ubi invenio (8)? Cum habeat fides mea, quod (9) audivi in Ecclesia; hoc didici, sic credidi, hoc Sacramento imbutus sum (10) : sepultus est, resurrexit tertia die, post quadraginta dies ascendit (11) in Cœlum coram oculis Discipulorum suorum, sedet (12) in dextera Patris, in fine venturus est; quando hic enim invenio? cui dabo (13)? Noli satagere, totum audi, aut si totum audisti, totum die. Scio quia hoc acceptisti, suspensus est Christus in cruce, depositus est de ligno, positus est in sepulcro, resurrexit, ascendit in Cœlum (14); sed et illud legisti (15) quia cum ejus Ecclesiam Saulus persequeretur (16) superbiens, crudelis, anhelans cædes, et Christianorum sanguinem sitiens, cum sæviret, cum persequeretur litteras portans Damascum, ut quos inveniret hujus disciplinæ viros ac mulieres vinctos ad pœnas adduceret (*Act.* VI, 2) (17). Audisti quid declamavit, quem sedentem confiteris in cœlo? Recole (18) ergo quid dixit, quid audisti, quid legisti : *Saule, Saule, quid me persequeris* (19)? Paulus enim nec eum videbat, nec tangebat (20) et tamen dicebat ille : *Quid me persequeris?* Non ait : Quid persequeris familiam meam, servos meos, sanctos meos, adde honorem (21), fratres meos, nihil horum; sed quid ait? *Quid me persequeris* (22)? id est, membra mea, pro quibus in terra calcatis caput de cœlo clamabat; quia (23) et pro pede tuo, si calcetur in terra, clamat lingua tua; non calcas pedem meum, sed calcas me (24). Quid ergo dubitas cui des (25)? Qui dixit : *Saule, Saule, quid me persequeris?* ipse tibi dicit : Pasce me in terra (26) : Saulus sæviebat, et (27) tamen Christum persequebatur. Sic et tu in terra eroga, et Christum (28) pascis. Nam istam quæstionem, qua moveris, prædixit ipse Dominus. *Com-*

meam? Quid dicis? Vides in terra locum ubi obruis? Video inquit. Bene satis : si securus.

(1) *Edit.* quare *pro* et.

(2) *Edit.* de Deo.

(3) *Edit. addit* da securus Deo. Ipsi te commenda, qui tibi pecuniam in cœlo servat; quia ipse et te in terra, quandiu vivis, gubernat. Pecuniam servare vis? serva.

(4) *Edit.* quomodo vis.

(5) *Edit.* custodem quam Christum.

(6) *Edit.* commenda ei pecuniam tuam.

(7) *Edit.* inquit.

(8) *Edit. addit* bene.

(9) *Edit. addit* o Christianum virum!

(10) *Edit.* servus tuus.

(11) *Edit.* auferet.

(12) *Edit.* et fugiet.

(13) *Edit.* numquid Christus hoc facturus est? Multi.

(14) *Edit.* Multi ad dominos suos servi repente.

(15) *Edit.* cum ipso auro hostibus tradiderunt.

(16) *Edit.* tradiderunt *pro* prodiderunt.

(17) *Edit.* servo *inquit* meo.

(18) *Edit. addit* novi fidem servi mei, ideoque commendo servo meo aurum.

(19) *Edit. addit* bene satis, præfers servum tuum.

(20) *Edit.* tuum commendas servo tuo.

(21) *Edit.* animam meam commendo Deo meo.

(22) *Edit.* o homo, illi.

(23) *Edit.* et te? Laudas fidem servi tui? Etiam ego novi fidem servi mei. Tota fides ejus est, ne fraudet, ne tollat.

(24) *Edit.* ecce posuit, et.

(25) *Edit.* invenit alius, et tulit.

(26) *Edit.* da Christo esurienti, thesauriza in cœlo. Numquid labor est in cœlo thesaurizare?

(27) *Edit.* ad ponendum pecuniam tuam in loco munito.

(28) *Edit.* nemo eam possit auferre. Cum tamen.

(29) *Edit.* dicit tibi.

(30) *Edit.* machinas liga, pennas.

(31) *Edit.* Hoc dicit mihi.

(32) *Edit.* et tibi in cœlo servo.

(1) *Edit.* ideo veni egere ego in terra.

(2) *Edit.* ut sis tu.

(3) *Edit.* Forte times.

(4) *Edit. aufert interrogationem, et addit* et quæris

(5) *Edit.* qui migret.

(6) *Edit.* faciet.

(7) *Edit.* faciet insuper et laturam.

(8) *Edit.* invenio, inquit, in terra? Eum ibi invenio, ut dem illi? Cum.

(9) *Edit.* audio :

(10) *Edit.* passus est, mortuus, et sepultus.

(11) *Edit.* in cœlos.

(12) *Edit.* ad dexteram.

(13) *Edit. addit* ut ad eum deferat?

(14) *Edit.* vel legisti.

(15) *Edit. addit* an istud nunquam audisti.

(16) *Edit.* superbus.

(17) *Edit.* Non audisti quid ei clamaverit.

(18) *Edit.* Recole. Quid ergo dixit?

(19) *Edit.* Quem Paulus nec videbat.

(20) *Edit.* In cœlo clamat.

(21) *Edit.* vel fratres? nihil eorum dixit. Et quid dixit?

(22) *Edit.* ait, id est, membra mea. Pro.

(23) *Edit.* et si pedem tuum in terra calcet aliquis, lingua tua de capite clamat.

(24) *Edit.* dicis : Quid ergo?

(25) *Edit.* Qui dicis? Qui dixit Saulo : Quid me.

(26) *Edit.* in terra Saulus sæviebat.

(27) *Edit.* et Christum in cœlo tangebat.

(28) *Edit.* Christum in cœlo pascis.

*movebuntur, et illi qui ad dexteram ponentur, et cum dixerit : Esurivi, et dedistis mihi manducare ; respondebunt : Domine, quando te vidimus esurientem ? et audient continuo : Cum uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (*Matth.* LXXV, 35 ) (1). Si ergo non vis dare, habes quod in te accuses, nam non habes quod excuses. De divitiis ergo (2) istis dicit tibi Dominus tuus : dedi consilium (3) Saluberrimum : amas (4) eas ? migra eas ; et cum migraveris (5) sequeris, sequere eas interim corde (6) *Ubi enim est thesaurus tuus* (7), *illic erit et cor tuum* (8). Si terræ commendas thesaurum, in terra obruis et cor : cum autem in terra obrueris cor, erubesce (9) cum respondes, ( quando audis *Sursum cor* ) *habemus ad Dominum.* Dedi ego, inquit, salubre consilium (10) de divitiis tuis, si feceris, si audieris, si talis dives fueris, qualem describit Apostolus, ut non superbe sapias, neque speres in incerto divitiarum, facile tribuas, communices (11). Thesaurizes tibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendas veram vitam. Jam interroga (12) me, inquit Dominus tuus ; ecce obmigravi in cœlum quod habeo, sive totum erogando, sive quod remansit sic habendo tanquam non habens, utens hoc mundo tanquam non utens. Tanti valet regnum cœlorum (1 *Cor.* VII ) (13) ? Ecce si feci hoc, tanti valet. Chare est ? Charius valet. Non enim vere tale est ut tanti (14) valere debeat ; in æternum vives. Qui omnes thesauros istos pro vita paucorum dierum dares, ibi verus dives eris, quia non egebis. Sed hoc agis cum esse dives vis, ne in terra egeas. Et ideo tibi exaggeras, et congeris densum lutum, quo graveris. quo premaris, quo siccato arctius concludaris (15). Ideo itaque ne egeas, quæris ad vectionem multa animalia, ad victum epulas copiosas, ad indumentum (16) pretiosissimas vestes. Ne vero multa habendo tu dives (17) et Angelus pauper, qui nec equo utitur, nec rheda vehitur, nec (1) implet apparatibus mensam, nec ei vestis texitur, quia luce (2) vestitur (3), disce veras divitias. Tu istas (4) habere vis, ut habeas unde (5) fauces mulceas, et ventrem impleas : ille te vere divitem facit, qui tibi donat ne (6) esurias. Hoc est non egere omnino, non esurire : Nam quantumvis habeas, cum venerit hora (7) qua prandeas, vel antequam ad mensam accedas, cum esuris (8) egenus es. Postremo (9) remotis epulis anhelas superbus. Non est expletio ista indigentiarum, sed fumus curarum (10). Vide quid cogitas de divitiis istis tuis augendis. Vide si facile dormis (11) cum cogitas vel ne perdas ubi servasti, vel ut augeas quod servasti. Divitias ergo invenisti, qui requiem invenisti. Cum vigilas, augmentum divitiarum cogitas ; cum dormis, latrones somnias : in die sollicitus (12), in nocte pavidus, semper mendicus (13). Verum divitem te vult facere, qui tibi promittit regnum Cœlorum. Et (14) quanti putas empturus es illas veras divitias, illam veram(15) vitam, eamque æternam ? Quid ? Ideo veram putas quod tanti eam empturus es, quanti paratus fuisti emere paucos istos laboriosos, et miseros dies ? Aliquid (16) plus valere debet quod (17) longe majus est. Et quid faciam, inquis (18) ? Totum quod habui pauperibus dedi, et quod habeo cum indigentibus communico, quid plus possum (19) ? Habes (20) plus, te ipsum ; te habes plus ; tu es de rebus tuis ; tu addendus es. Attende consilium Domini tui (21) quod dedit diviti : *Vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus.* Et numquid dimisit eum posteaquam dixit hoc ? Et ne se ille quod amabat perdere putaret (22), primo eum securum fecit, quia non perdidit, sed condidit : *Habebis*, inquit, *thesaurum in cœlo* (23). Sufficit hoc ? Non. Et quid ? *Veni, sequere me* (*Matth.* XIX, 21)(24). Ama-

(1) *Edit.* si audieras hoc aperte dic : Nolo dare et non habes unde te excusare, sed voce tua te damnare.
(2) *Edit.* ergo tuis dicit.
(3) *Edit.* quid facias.
(4) *Edit.* amas divitias. Amo, inquit. Ergo migra.
(5) *Edit.* migraveris eas, sequere eas.
(6) *Edit. addit* cum vivis : quia ubi fuerit thesaurus.
(7) *Edit.* ibi *pro* illic.
(8) *Edit.* Si autem in terra obruis cor tuum, erubesce.
(9) *Edit.* erubesce quia mentiris cum respondes quando audis sursum cor. Nam dicitur : Sursum cor, et continuo respondes : Habemus ad Dominum. Deo mentiris. Una hora in Ecclesia verum non dicis, Deo mentiris, quod semper hominibus facis. Dicis : Habemus ad Dominum, et in terra obrutum habes cor, quia ubi fuerit thesaurus tuus, ibi erit et cor tuum.
(10) *Edit.* si feceris de divitiis tuis, quod audisti, si talis dives fueris qualem Apostolus dicit, non superbe.
(11) *Edit.* ut thesaurizes.
(12) *Edit.* interroga Deum, et Dominum tuum, et dic illic : Ecce jam migravi, Domine, in cœlum quod habeo sic habeo, tanquam si non habeam. Tanti valet.
(13) *Edit.* quantum patrimonium meum ? Charius valeat.
(14) *Edit.* tanti valeat. Hoc dicit Dominus tuus, quem interrogasti de patrimonio tuo : ad tempus victurus es et postea moriturus, in regno meo nunquam moriturus, sed in æternum victurus es. Verus ibi dives eris ubi nunquam egebis.
(15) *Edit.* Nam ideo ad subvectionem multa animalia quæris, ne deficias ; ad victum, etc.
(16) *Edit.* pretiosas.
(17) *Edit.* Re vera tu multa habendo dives es, et Angelus meus pauper est, nihil habet, nec equo, etc.

(1) *Edit.* nec mensam honestis implet apparatibus.
(2) *Edit. addit* æterna.
(3) *Edit.* Disce o homo dives, veras divitias appetere.
(4) *Edit. addit* divitias.
(5) *Edit.* unde multum manduces, quia deficis.
(6) *Edit. addit* in æternum.
(7) *Edit.* hora quinta, antequam.
(8) *Edit.* esuris et deficis, quia miser es. Numquid Angelus sustinet ? Absit, nec esuriem, nec defectionem habet Angelus.
(9) *Edit.* his epulis.
(10) *Edit.* cum cogitas de divitiis augendis, vide.
(11) *Edit.* Ni fallor, ubi divitias invenisti, requiem perdidisti.
(12) *Edit.* et in nocte.
(13) *In editione adest transpositio verborum in hoc commate.*
(14) *Edit.* et putas quia tanti empturus.
(15) *Edit.* veram et beatam vitam, quanti paratus es redimere istos miseros et laboriosos dies ?
(16) *Edit.* multo plus.
(17) *Edit.* quod multo plus est, quia regnum cœlorum est.
(18) *Edit. addit* ecce sancte Episcope, monita tua audivi, consilio tuo parui, jussum Domini non sprevi, quod habui.
(19) *Edit. addit* facere ?
(20) *Edit.* habes, adhuc temeti sum habes, tu ipse plus es, tu dees rebus tuis.
(21) *Edit.* tui fecisti ? Feci, inquit. Quid mentiris ? Non totum fecisti : ex una parte fecisti, ex alia nihil tetigisti. Audi quod jubet, vade, etc.
(22) *Edit.* quod pauperibus erogavit, securum eum reddidit dicens : Et habebis.
(23) *Edit.* numquid sufficit.
(24) *Edit. dicit.* Amas et sequi vis eum ; quis eum ?

sti? sequi vis? Cucurrit, volavit; quære qua? nescio qua. O Christianum? nescis qua ivit Dominus tuus? Vis dico tibi qua eum sequaris? per pressuras, per opprobria, per falsa crimina, per sputa in faciem, per (1) alaparum, et flagellorum verbera, per coronam spineam, per crucem, per mortem. Quid piger es (2)? Sequi volebas, demonstrata est via. Et tu: quis illum sequitur? Erubesce, barbate (3). Fœminæ secutæ sunt, quarum hodie natalitia celebramus. Fœminarum Martyrum (4), Tuburbitanarum solemnitatem hodie celebramus. Dominus vester, Dominus noster, Dominus illarum, Dominus omnium, Redemptor vitæ nostræ, de via angusta, et aspera præcedendo stratam (5) fecit, stratam regalem, munitam (*a*), [et puram, in qua delectaret et fœminas ambulare, et adhuc piger es? Non vis fundere sanguinem pro tanto sanguine? hoc dicit tibi Dominus tuus: prior pro te passus sum; da quod accepisti, redde quod bibisti. Non potes tu? Potuerunt pueri, et puellæ; potuerunt delicati, et delicatæ; potuerunt divites, et magni divites, qui subito irruente tentatione passionis non retenti sunt copia divitiarum, nec capti hujus vitæ dulcedine, cogitantes illum divitem finientem divitias, et invenientem tormenta, et non suas divitias præmiserunt, sed eas potius in martyrio præcesserunt. Tantis exemplis præcedentibus piger es? Et tamen festa Martyrum celebras. Natalis est hodie Martyrum; præcedam, dicis, et forte cum meliore tunica. Vide qua conscientia, ama quod agis; imitare quod celebras; fac quod laudas. Sed ego non possum. Dominus in proximo est, nihil solliciti fueritis (*Philip.* IV, 6). Ego, inquis, non possum; tu fontem ipsum noli timere: unde impletæ sunt illæ potes et tu impleri, si avidus accedas, si non quasi collis tumescas, sed quasi vallis humilieris, ut impleri merearis. Non ergo nobis dura sint, fratres, maxime his temporibus abundante (*b*) pressura: Contemptus est a Martyribus mundus cum floreret. Vere magna laude contemptus est florens, et amatur periens. Contempserunt illi flores ejus, et tu amplecteris spinas ejus. Si migrare piger es, vel domus ruinosa te terreat. Sed insultat tibi Paganus. Unde tibi insultat Paganus? Re vera tempus est ut insultet tibi Paganus, quia implentur prædicta Domini tui. Rectius tibi insultaret, si non implerentur quæ ille prædixit. Ille Deum negat, quem colis, tu ex his quæ patitur mundus, ostende veracem, et non contristatus prædictis, gaudeas promissis. Venit enim eo tempore, quo jam mundus, ætate vergente, quasi ita factus, ut finiendus, abundaturus erat cladibus, et calamitatibus, et angustiis, et molestiis. Ad solatium tuum venit qui tunc venit; ne deficeres in pressuris vitæ pereuntis, atque transeuntis, promisit alteram vitam. Antequam mundus his afflictionibus, et calamitatibus laboraret, missi sunt Prophetæ; missi sunt servi ad ægrotum istum grandem, ad genus humanum, quasi unum hominem languidum ab Oriente usque ad Occidentem distentum, et jacentem; misit Medicus potens servos suos. Ventum est ut tales accessiones venirent ægroto huic, in quibus multum laboraturus erat. Et ait Medicus: Multum laboraturus est iste ægrotus, ego sum necessarius. Jam stultus ægrotus dicat Medico: Domine, laboro ex quo venisti: Stulte non laboras de eo, quia veni, sed, quia eras laboraturus, veni. Compendio igitur, fratres, quid multa dicimus? *Verbum consummans breviavit Dominus super terram* (*Rom.* IX, 28). Bene vivamus, et pro bona vita nostra bona terræ transeuntia non speremus (*a*). Vilis merces est bonæ vitæ terrena felicitas; non tanti valet quod hic bene vivis, quanti valet quod hic concupiscis; quamvis talia concupiscendo nec bene vivis, si vis mutare vitam, muta concupiscentiam. Servas fidem Deo, et ideo ut in terra sis felix; et hoc tibi est totum. Quare servas fidem Deo? fides tua tanti valet? tanti illam æstimas? sic illam adducis? si aliquid venale habeas in terra, et cum emptore paciscaris, tu charius pretium dicis, ille vilius; tanti valet, inquis, quoniam quod vendis exaggeras; et ille: Non valet tanti, sed tanti; et dat sibi minus pretium, volens vilius emere. Dominus Christus corrigit te. Dicis tu Domino tuo Christo: Domine, servo tibi fidem, et tu da mihi in terra. Stulte, non tanti valet quod vendis; erras, nescis quod habes. Servas fidem, et quæris terram? Plus valet fides tua, quam terra, nescis illam appretiare. Ego novi quanti valeat, qui tibi donavi; tanti valet quantum est tota terra; adde terræ et cœlum: plus valet. Et quid est plusquam terra, et cœlum? Ille qui et terram fecit, et cœlum. Conversi ad Dominum (*b*).]

(*a*) Vide Serm. 235, n. 1 et mutilam periodum restauratam agnosces.

(*b*) Ingruente prima persecutione Vandalica, sermonem habitum duco post annum 427. Vide Serm. 296 a n. 6 ad 11. Sed ibi de urbis Romæ vastatione, hic Africam ipsam vexatam dicit.

(1) *Edit.* per alapas, et flagellorum.

(2) *Edit.* ecce demonstrata est tibi via. Sed dura est, inquis, via; quis per istam illam sequatur?

(3) *Edit. addit* erubesce: a virtute vir diceris.

(4) *Edit.* Suburbitarum, in *animadversione autem* Suburbitanarum *ex Sirmondo.*

(5) *Edit.* stratam eam vobis fecit, stratam, securam, munitam. Christus Dominus noster, qui regnat in sæcula sæculorum. Amen. *Sicque explicit sermo.*

## SERMO IV.

### *De Natali Domini.*

*Sermonem num.* 189 *Tom. V. Maurini dolent nusquam vidisse in MS. ut loca minus integra, vel male sarta reficerent. Eumdem in integritatem suam restitutum exemplavi a septem Codicibus, quorum tres sunt antiqua lectionaria, quibus in officii recitatione solemni Monachi utebantur in choro, quos inter præstat Codex num.* 106. *elegantissime exscriptus manu propria Leonis Ostiensis, qui epocham, et nomen suum apposuit, et Codicem figuris ornavit. Duo alii Codices sunt Breviaria characteribus latinis sæculi XIV. ante ætatem*

(*a*) In Epilogum arctissime cum reliquo Sermone connexum, ejusque perficientem integritatem.

(*b*) Sermones editi variis post hæc verba *Conversi ad Dominum* subjiciunt clausulas; anceps ergo est, qua potius usus fuerit Augustinus, quoties nihil insuper additur. Vide Serm. 67, 100, 111, etc.

*Urbani V. nam Psalmos ex editione Romana legunt, non ex Gallicana, quam ille Pontifex Cassinensibus præscripserat. Reliqui duo continent sermones diversorum, sicque etiam inscribuntur. In his vero septem Codicibus una et constans est sermonis lectio, unaque inscriptio, quæ cum Maurina editione concordat. Bibliotheca Medicea Laurentiana monet extare in Cod.* 1. *Plut. XIV. hunc eumdem sermonem integrum, ut in nostris Codicibus.*

Sanctificavit nobis (1) istum diem dies, qui fecit omnem diem, de quo Psalmus (2) cantat *(a) Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra; cantate Domino, et benedicite* (3) *nomen ejus* (*Psal.* xcv, 1, 2). (4) bene nuntiate de die in diem salutare ejus. Quis est iste dies de die, nisi Filius de Patre, lumen de lumine. Sed dies ille (5) qui genuit diem, qui de Virgine nasceretur hoc die. Dies ergo ille non habet ortum, non habet occasum. Diem dico Patrem Deum. [Non enim esset Jesus dies de die, nisi esset et Pater Dies.] Quid est dies nisi lumen? non oculorum carnalium, non lumen, non lumen commune hominibus (6), et pecoribus, sed lumen quod Angelis lucet, lumen cui videndo corda purgantur. Transit enim ista nox, in qua modo vivimus, in qua nobis accenduntur lucernæ Scripturarum, et veniet illud, quod in alio Psalmo canitur *(b)* : *Mane astabo tibi, et contemplabor te* (*Id.* v, 5). Dies ergo ille Verbum Dei, dies, qui lucet Angelis, dies, qui lucet in illa Patria, unde peregrinamur, vestivit se carne, et natus est de Maria Virgine. Mirabiliter natus est. Quid mirabilius Virginis partu (7)? Concepit et virgo est? parit et virgo est. Creatus est enim (8) de illa quam creavit, et attulit ei fœcunditatem, non corrupit (9) integritatem, Maria unde? ex Adam. Adam unde? de terra (10). Si Adam de terra, et Maria de Adam, ergo et Maria terra. Si (11) Maria terra, agnoscamus quod cantamus : *Veritas de terra orta est.* Quale nobis beneficium præstitit *(c)*. *Veritas de terra orta est? et justitia de cœlo prospexit* (*Id.* lxxxiv, 12). *Judæi enim*, sicut dicit Apostolus, *ignorantes Dei justitiam, et suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti* (*Rom.* x, 3). Unde potest homo esse justus? a semetipso? Quis pauper sibi dat panem? quis nudus cooperitur, nisi acceperit vestem? [Justitiam non habebamus; peccata hic sola erant.] Unde justitia? quæ justitia sine fide? *Justus enim ex fide vivit* (*Id.* i, 17). Qui sine fide se dicit justum, mentitur (1). Quomodo non mentitur in quo non est fides? si vult verum dicere convertat se ad veritatem. Sed (2) longe erat. *Veritas de terra orta est.* Dormiebas, venit ad te; stertebas, excitavit te; viam tibi fecit per se, ne perderet te. Ergo (3) quia veritas de terra orta est, Dominus noster Jesus Christus de Virgine natus est; *Justitia de cœlo prospexit* (4), ut haberent homines justitiam non suam, sed Dei. Quantam dignationem! Qualis præcessit indignatio! Indignatio quæ præcessit? Mortales eramus, peccatis (5) premebamur, pœnas nostras portabamus. Omnis homo, quando nascitur, inchoat a miseria. Noli quærere prophetantem; interroga nascentem, et vide flentem. Cum (6) ergo ista esset in terra magna Dei indignatio, qualis subito facta est dignatio? *Veritas de terra orta est.* Creavit omnia, creatus est inter omnia; fecit diem, venit in diem; erat ante tempora, signavit tempora. Dominus Christus in æternum sine initio apud Patrem (7); [et tamen hodie quære quid est. Natalis est. Cujus? Domini. Habet Natalem? Habet. In principio Verbum, Deus apud Deum, habet natalem? Habet.] Nisi haberet ille humanam generationem, nos non perveniremus ad divinam regenerationem: natus est, ut renasceremur. Nemo dubitet renasci, Christus natus est; generatus est, non regenerandus. Cui enim necessaria erat regeneratio, nisi cujus est damnata generatio? Fiat itaque in cordibus nostris misericordia ejus. Portavit eum Mater in utero, portemus (8) in corde; gravidata est Virgo incarnatione Christi, gravidentur pectora nostra fide Christi; peperit (9) Salvatorem, pariamus laudem. Non simus steriles; animæ nostræ fœcundæ sint Deo. Generatio Christi a Patre sine Matre (10); generatio Christi a Matre sine Patre : ambæ generationes mirabiles. Prima generatio æterna, secunda temporalis. [Quando natus est de Patre? Quid est quando? Quæris ibi quando, ibi, ubi non invenies tempus? Noli ibi quærere quando. Hic quære quando : Quando de Matre bene quæris. Quando de Patre non bene quæris; natus est, et non habet tempus;] natus est æternus de æterno, coæternus. Quid miraris? Deus est. Fit consideratio Divinitatis, et perit causa admirationis, [Et quando

(*a*) Versio Itala habet : *Cantate Domino, benedicite nomen ejus, bene nuntiate diem de die salutare ejus.* Ideirco Maurini opinati sunt hunc Psalmi versum a Mss. ad hanc lectionem restitui posse. At Codices nostri conjecturæ illi stabiliendæ non sufficiunt. Sed annotat Cl. Sabatier in sua veteri versione Bibliorum, semel tantum usum fuisse Augustinum lectione illa, cæteris autem in locis semper scripsisse *de die in diem*, vel *de die ex die*.

(*b*) Singularis prorsus hic locus. Licet enim in Psal. 56, 58, 148, et in Tract. 34 in Joan. legatur : *Mane astabo tibi, et contemplabor ;* hic tamen solum additur pronomen *te*.

(*c*) Diverse interpungitur in editis : præcedit enim interrogatio.

(1) *Edit. addit* Fratres.
(2) *Edit.* canit.
(3) *Edit.* nomini.
(4) *Edit.* benedicite.
(5) *Edit.* hunc genuit diem, qui de Virgine natus est hodie.
(6) *Edit.* cum *pro* et.
(7) *Edit.* concipit.
(8) *Edit.* de ea.
(9) *Edit. addit* ejus.
(10) *Edit. legitur :* Si Maria de Adam, et Adam de terra, ergo, etc.
(11) *Edit.* si autem.

(1) *Edit. ait sine interrogatione* quoniam mentitur.
(2) *Edit.* Longe enim veritas est. Dormiebas, venit ad te, gravi opprimebaris somno, excitavit te.
(3) *Edit.* Ergo veritas de terra orta est, quia Christus de Virgine natus, etc.
(4) *Edit.* ut per justitiam homines resipiscerent qui per injustitiam desipuerunt. Mortales, etc.
(5) *Edit.* opprimebamur.
(6) *Edit.* hæc esset.
(7) Hæc *omnia desunt in editione pro quibus hoc solum legitur :* habet et natalem in principio Verbum, qui nisi, etc.
(8) *Edit.* et nos in corde.
(9) *Edit. addit* Virgo.
(10) *In editione pro verbis* Generatio Christi *habetur*, etc.

dicimus, natus est de Virgine; magna res! miraris? Deus est; noli mirari :] transeat admiratio, (1), accedat laudatio. Fides adsit; crede (2) quia factum est. [Si non credideris illud factum est, tu remanes infidelis. Dignatus est homo fieri, quid quæris amplius? ] Parumne pro te humiliatus est Deus? Qui Deus erat, homo factus est; angustum erat diversorium, involutus pannis in præsepe positus (3) : audistis cum Evangelium legeretur. Quis non (4) miretur. Ille, qui mundum (5) implebat, in diversorio locum non (6) inveniebat; in præsepe positus (7) cibaria nostra factus est. Accedant ad præsepe duo animalia, duo populi (8) : agnovit enim bos possessorem suum, et asinus præsepe Domini sui. Attende ad præsepium; noli erubescere (9) esse jumentum Domini. Christum portabis, non errabis (10); ambulans per viam, [sedet supra te via. Meministis asellum illum adductum ad Dominum? Nemo erubescat, nos sumus.] Sedeat supra nos Dominus, et quo vult nos (11) vocet. Jumentum ipsius (12) sumus, ad Jerusalem (13) imus. Ipso (14) sedente non (15) premimur, sed elevamur; ipso ducente non (16) erramus, ad illum imus, per illum imus, non perimus.

## SERMO V.

*Habitus Carthagine ad* (*a*) *Mensam B. Cypriani sexto Idus Septembris de eo, quod Apostolus ad Galatas dicit : Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales*, etc.

*Non adhuc vulgati sequentes sermones classem alteram constituentes nunc primum lucem aspiciunt, habituri, ut opinor, vindices quotquot in Augustini lectione tantisper versati fuerint. Primum hunc exscripsi ex cod.* 17, *de quo supra, eumdemque signavi titulum quem in cod. præfert. In bibliothecis editis non reperi, eumque si adamaveris inserere sermonibus Editionis Maurinæ, præpones serm.* 164. *Ex hoc fonte hausisse Florum sententias ad priores versiculos capit. 6. epistolæ ad Galatas explanandos ipsius commentarium legentibus patet. Maurini sermonem hunc ignorantes ex laudato serm.* 164 *easdem transtulisse Florum censuerunt; sed ibi de proprio et alieno onere ferendo tantum agitur, hic autem sex priores versiculi exponuntur, et Flori commentarium ab hac expositione non abhorret.*

1. Recolite commemorantem Epistolæ apostolicæ lectionem : *Fratres*, inquit, *si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis, intendens te ipsum, ne et tu tenteris. Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis Legem Christi. Qui enim putat se esse aliquid, cum nihil sit, se ipsum seducit. Opus autem suum probet unusquisque, et tunc in semetipso tantum habebit gloriam, et non in altero. Communicet autem qui catechizatur verbum ei, qui se catechizat in omnibus bonis. Nolite errare, Deus non subsannatur; quod enim seminavit homo, hoc et metet; quia qui seminaverit in carne, ex carne metet corruptionem; qui autem seminaverit in spiritu, de spiritu metet et vitam æternam. Bonum autem facientes non infirmemur; tempore enim suo metemus infatigabiles. Itaque dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei* (*Galat.* VI, 1, *et seqq. juxta Italam versionem*). Huc usque recitatum est de Epistola Pauli : huc usque vobis tanquam lector fui. Sed, fratres mei, si intellectus est lector, cui rei necessarius est disputator? Ecce audivimus, intellexi-mus, faciamus et vivamus. Et quid opus est vestram onerare memoriam? tenete ista et inde cogitate. An forte movet aliquem vestrum quomodo intelligendum sit quod ait : *Invicem onera vestra portate*, et paulo post ait : *Unusquisque proprium onus portabit?* Dicitis enim in cordibus vestris qui tamen hoc advertistis : Quomodo invicem onera nostra portamus, si unusquisque proprium onus portabit (*b*)? si invicem onera nostra portamus? Fateor, quæstio est. Pulsate, et aperietur vobis : pulsate intendendo, pulsate studendo, pulsate etiam pro nobis, ut aliquid dignum vobis dicamus, orando : ita pulsantes adjuvatis nos, et cito ista quæstio soluta erit. Utinam quam cito solvetur, tam efficaciter quisque quod intellexerit operetur? In pondere infirmitatis *Invicem onera nostra portamus : in ratione pietatis unusquisque proprium onus portabit.* Quid est quod dixi? Omnes homines quid sumus nisi homines, ac per hoc infirmi, et qui omnino sine peccato non sumus? In hoc enim *Invicem onera nostra portamus.* Si enim tædium passus fueris ad peccatum fratris tui, et ille ad tuum, negligitis invicem, et facitis vere grande peccatum. Si autem quod ille non potest toleras tu, et quod tu non potest toleret ille, invicem onera vestra portatis, et quia invicem onera vestra portatis, impletis legem sacratissimam charitatis. Ipsa est enim Lex Christi; lex charitatis est Lex Christi. Ideo venit quia nos amavit, et non erat quod amaret, sed amando amabiles fecit. Audistis quid sit, *Invicem onera vestra portate, et sic adimplebitis Legem Christi.* Quid est ergo *Unusquisque proprium onus portabit?* Unusquisque pro peccato suo rationem reddet; de peccato alieno nemo redditurus est rationem. Habet quisque causam suam; Deo redditurus est rationem suam. Sed et ipsi Præpositi, qui rationem reddunt de gregibus Christi, de peccato suo rationem reddunt, si

(*a*) Quæ fuerit Carthagine B. Cypriani mensa videsis in serm. 310. n. 2.

(1) *Edit.* ascendat.
(2) *Edit.* quod *pro* quia.
(3) *Edit.* positus est.
(4) *Edit.* admiretur.
(5) *Edit.* implet.
(6) *Edit.* invenit.
(7) *Edit.* cibus noster.
(8) *Edit.* cognovit.
(9) *Edit.* Dei esse jumentum.
(10) *Edit.* ambulans per viam, sedet super te.
(11) *Edit.* dirigat *pro* vocet.
(12) *Edit.* simus.
(13) *Edit.* eamus.
(14) *Edit.* insipiente.
(15) *Edit.* opprimemur.
(16) *Edit.* errabimus, per ipsum ad ipsum eamus, ut cum nato hodie puero in perpetuum gaudeamus.

(*a*) Fortasse abundat in Codice hæc altera interrogatio.

neglexerint de gregibus Christi. Ergo, fratres, *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, quicumque estis qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis.* Et si clamas, intus ama; hortaris, blandiris, corripis, sævis; dilige et quidquid vis fac. Non enim pater odit filium; et tamen pater, si opus est, verberat filium, incutit dolorem ut tueatur salutem. Hoc est ergo *In spiritu lenitatis :* si enim *Præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto* et dixeris : Non ad me pertinet; et dixero tibi : Quare ad te non pertinet? et responderis mihi : *Quia unusquisque proprium onus portabit :* respondebo tibi : Certe libenter audistis, et intellexistis : *Invicem onera vestra portate. Ergo si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto,* tu qui spiritualis es, instrue hujusmodi in spiritu lenitatis.De peccato quidem suo ipse redditurus est rationem, quia *Unusquisque proprium onus portabit :* sed tu vulnus illius si neglexeris, de peccato negligentiæ tuæ malam redditurus es rationem : ac per hoc si invicem onera vestra non portaveritis, malam rationem habebitis in eo quod *Unusquisque proprium onus portabit.* Facite illud ut invicem onera vestra portetis, et parcit vobis Deus quod unusquisque proprium onus portabit. Si enim portabis onus alterius, quando præoccupatur in aliquo delicto, ut in spiritu lenitatis instruas eum, venies ad eum locum ubi audisti : *Unusquisque proprium onus portabit :* et bona conscientia dicis Deo : *Dimitte nobis debita nostra.* Ergo, fratres, mementote *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto,* non transeuntes accipias, homo : potuit enim dicere : Si præoccupatus fuerit quispiam, si præoccupatus fuerit quicumque. Non hoc dixit, sed dixit, homo. Valde autem difficile est, ut non in aliquo delicto præoccupetur homo; quia quid est homo? Sed spirituales isti, quos admonuit, ut in lenitate instruant eum hominem, qui delicto fuerit præoccupatus, forte dicebant in cordibus suis : Portemus onera eorum qui præoccupantur delictis, quia nos non habemus quid in nobis ipsi portare possint. Audi, quia non debes esse securus, sequentia verba : *Vide, intendens te ipsum, ne et tu tenteris.* Ne superbirent spirituales, ne se extollerent; quamquam si sunt spirituales non se extollent; timeo ne propterea se extollant, quia carnales sunt; tamen attendat et spiritualis, ne et ipse tentetur. Numquid enim quia spiritualis est, homo non est? numquid quia spiritualis est, non portat corruptibile corpus quod aggravat animam (*Sap.* IX, 15)? Numquid quia spiritualis est, finivit hanc vitam, quæ *Tota tentatio est super terram* (*Job,* VII, 1, *juxta Italam*)? Ergo bene illi dictum est, omnino bene : *Intendens te ipsum, ne et tu tenteris.* Et cum admonuisset illos, id est, spirituales, intulit continuo generalem illam sententiam : *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis Legem Christi.* Quid est alter alterius? Carnalis portet onus alterius carnalis; Spiritualis portet alterius spiritualis : *Invicem onera vestra portate;* peccata vestra invicem nolite negligere : apud quos fiducia est vobis, arguite; apud quos arguendi fiducia non fuerit, admonete (2 *Cor.* VII, 4); et si hoc necesse est, nè quisquam peccet, orate, rogate. An forte humiliavi vos, quia dixi, rogate? Apostolum audite : *Præcipientes autem,* inquit, *et rogamus, ne in vacuum gratiam Dei suscipiatis* (*Id.* VI, 1, *ex Itala*). Medicus si vires invenerit in ægroto, corripit; si autem vires non invenerit, et timet ne sub amaritudine correctionis forte deficiat, supplicat, rogat ut audiat, faciat, et vivat. Constat ergo propter hoc dixisse Apostolum, *Invicem onera vestra portate;* quia spiritualem admonuerat, et dixerat : *Intendens te ipsum, ne et tu tenteris;* ne tantum sibi arrogaret iste spiritualis, ut putaret se non habere onus, quod debeat ab altero supportari. Audi ipsum rursus propter typhum, propter tumorem, propter inflationem, audi ipsum iterum : *Qui enim putat se esse aliquid, cum nihil sit, se ipsum seducit.* Non potuit dici melius, *Se ipsum seducit.* Non in omnibus diabolus est accusandus; aliquando enim ipse homo diabolus suus est. Cur enim cavendus est diabolus? Nempe ideo ne te seducat. Nonne ergo tu ipse es diabolus tuus, quando te ipsum seducis? Quid deinde? *Opus autem suum probet unusquisque, et tunc in semetipso tantum habebit gloriam, et non in altero.* Quando facis aliquid boni, si propterea tibi placet, quia laudat te alter; si autem alter te hinc non laudaret, in faciendo opere bono deficeres destitutus vocibus laudatoris : in altero habes gloriam, non in te ipso. Si laudat, facis; si forte bonum opus tuum displicuerit homini stulto, non facis. Nonne vides homines res suas effundentes histrionibus, et nihil pauperi porrigentes, quam multorum ore laudantur? Numquid ideo bonum est quod faciunt quia laudantur? Expergiscere tandem : *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ.* Omnes acclamastis, quia Scripturam sanctam, unde testimonium commemoramus, nostis. Audiant et qui nesciunt. Scriptura sancta dixit, Scriptura sancta prædixit, quoniam *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et qui inique gerit, benedicitur* (*Psal.* IX, 24). Modo jam si laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et qui iniqua gerit benedicitur, quære laudatores. Dilanient te desideria mala? fac iniquitates quotidie ad explenda desideria tua, et quære laudatores. Mihi crede, non invenis, nisi adulatores, aut seductores. Quomodo seductores, quomodo adulatores? Debeo verborum meorum reddere rationem. Adulatores sunt qui sciunt te male facere, et tamen laudant; qui vero ideo te laudant malum facientem, quia bonum putant esse quod facis, non sunt adulatores, quia ex animo laudant, sed sunt seductores, quia ad illa mala facienda te suarum laudum frequentatione seducunt, et respirare non sinunt : is enim in auras inanes, putas bonum esse quod facis; præcipitas bona tua; exinanis domum tuam; nudos relinquis filios tuos : laudes illæ insanum fecerunt; curris, manus moves, favores accipis, ad os ponis, fundis domum, et colligis ventum. Quomodo, inquis, sunt isti seductores mei qui me ex animo laudant? Ideo sunt seductores tui, quia

prius errando fuerunt et sui. Itane vero scalas ad te ponere laborabit, ut non te seducat, qui se ipsum seducit? Ergo *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et qui iniqua gerit, benedicitur.* Cave talem laudatorem, vita hujusmodi benedictorem. Imo tu bonum fac. Sed inquies, displicebo tali illi, si fecero : et displice illi, et place Deo. Si enim illi displicueris et Deo placueris, in te ipso habebis gloriam, et non in altero. Sed detrahunt mali bonis, et amatores hujus sæculi maledicunt contemptoribus sæculi, dicunt opprobria, quærunt quid reprehendant ; mox ut aliquid mali dictum fuerit, continuo credunt ; si aliquid boni dictum fuerit, credere nolunt, et turbatur cor tuum, ut deficias in bono faciendo, quia non est inventus laudator, vel adulator, vel deceptor. Et non tibi sufficit testimonium conscientiæ tuæ? In theatro pectoris tui, sub oculis Dei quare turbaris : obsecro te, quare turbaris? Quia multa dicuntur de me mala. Hoc dicis? non turbareris in navi cordis tui, nisi Christus dormiret (*a*). Audisti cum Evangelium legeretur : *Irruit magna tempestas, et navis turbabatur, et operiebatur fluctibus ;* quare? quia *Christus dormiebat* (*Matth.* VIII, 24). Quando dormit Christus in corde tuo, nisi quando oblivisceris fidem tuam? Fides Christi in corde tuo tanquam in navi Christus est. Audis opprobria, fatigaris, turbaris : dormit Christus. Excita Christum, excita fidem tuam. Habes quid facias vel turbatus : excita fidem tuam, evigilet Christus, et loquatur tibi : turbant te opprobria? quæ non ego prior audivi pro te? Hoc tibi dicit Christus, sic te alloquitur fides tua. Audi illam, et vide quia si te alloquitur an forte oblitus es, quia *Pro nobis passus est Christus* (1 *Petr.* II, 21)? et antequam pro nobis tanta mala pateretur, audivit opprobria? Dæmonia ejiciebat, et dicebatur ei : *Dæmonium habes* (*Joan.* VIII, 48). De illo per Prophetam dictum est : *Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me* (*Psal.* LXVIII, 12). Excita ergo Christum, et dicet tibi in corde tuo : *Cum vobis detraxerint homines et dixerint omne malum adversum vos propter me, gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis* (*Matth.* V, 11, *ex Itala*). [Crede quod dictum est, et fit in corde tuo tranquillitas magna.] Si ergo *Putat se esse aliquid homo, cum sit nihil, se ipsum seducit ; opus autem suum probet unusquisque, et tunc in semetipso gloriam habebit, et non in altero.* Sive laudet, sive reprehendat, tu in temetipso habes gloriam, quia gloria tua Deus tuus est in conscientia tua, et eris similis virginibus sapientibus, quæ tulerunt oleum secum in vasis, ut non in altero haberent gloriam, sed in se ipsis (*Matth.* XXV, 8). Nam illæ, quæ non tulerunt oleum secum, mendicaverunt ab ipsis, et extinctæ sunt lampades earum et dixerunt : *Date nobis de oleo vestro.* Quid est, *Date nobis de oleo vestro* (*b*) nisi, laudate opera nostra, quia non nobis sufficit conscientia nostra? Quod obscurum videbatur in apostolica lectione, sicut Dominus donavit, exposui. Cætera plana sunt, non quærunt expositionem, sed factorem. Ut autem quod audivimus faciamus, ipsum rogemus, sine cujus adjutorio facere nihil boni poterimus, quoniam ipse dixit suis Discipulis : *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV, 15). Conversi ad Dominum, etc.

(*a*) Ad cognoscendam liturgiam Carthaginensem vide eo die lectum fuisse de capite 6. Epistolæ ad Galat., et de cap. 8. Evang. Matth.

(*b*) Hunc eumdem Matthæi locum sæpe de inani gloria interpretatus est S. Doctor. Vid enarr. in Psal. 140. n. 13.

(*a*) *Et post Sermonem.*

Quia plebs postulavit ut ante diem Natalis beati Cypriani non proficisceretur, adjecit : Vere dico Charitati Vestræ, quia nostrum desiderium, et querelas etiam per litteras ferre non possumus; sed quia hoc, quod petitis, jam jussit et sanctus Senex, sic concludo sermonem : Natalis beati Cypriani jam propinquat ; propter eam solemnitatem in me retinendo violenti esse voluistis ; ergo qui verbo studemus, bonum est ut etiam corpore jejunemus.

## SERMO VI.

(*b*) *De pluribus Martyribus.*

*Ex Cod. n.* 12, *cui titulus* Sermones Augustini et aliorum, *prodit hic Sermo Augustini quidem nomine insignitus, et genuinis ejusdem fœtibus permixtus. In bibliothecis editis, quas adire licuit, nulla occurrit sermonis istius memoria. In Maurinâ editione collocabis post sermonem* 326. *Exordium, et sententia in eo posita iterantur serm.* 286, *et fere iisdem verbis. Vide etiam serm.* 328, *n.* 2, *post medium.*

Martyrum nomen græcum est, latine testes dicun-

(*a*) Hujusmodi additiones frequentes sunt in sermonibus editis. Prima autem verba sunt alicujus notarii, vel exceptoris. Porro ex hoc loco confirmatur, quod Possidius in Augustini vita testatus est, sæpe Episcopos, et populum, apud quos S. Doctor diversabatur, non solum fuisse deprecatos, sed eum insuper ad sermocinandum adegisse : quod eximium argumentum est probatissimæ scientiæ, florentisque famæ illius inclyti.

(*b*) Licet sermonis inscriptio sit indiscriminatim *de Pluribus Martyribus*, certos tamen hic laudari Martyres constat ex actorum lectione, quæ præcessisse dicitur his verbis : « Quando sanctorum passio legebatur. » Arbitror autem hic locutum fuisse Augustinum de Martyribus Carthaginensibus, quorum meminit in Breviculo Collationis diei tertiæ c. 17 ubi hæc leguntur : « Confitebantur in passionibus suis se collectam, et Dominicum egisse. » Eos XLVIII. fuisse narrant Optatus Milevitanus, Balutius, et Ruinartus, et martyrium subiisse pridie Idus Februarii an. 304. Et revera collectæ hic exprobrantur a judice veluti unica reatus causa, easque Martyres cum gratiarum actione se peregisse fatentur. Vix autem credibile est nullum sermonem habuisse Augustinum de his Martyribus tota Africa celebratissimis, cum Carthaginense Calendarium recenseat quinque distinctas istorum solemnitates, quibus deinceps et sexta accessit postquam Justinianus Imperator in suis ædibus templum extruxit inclytæ Virgini Primæ, ut refert Procopius (de ædific. a Justinian. extruct. 6), quam inclytam Baronius ex his Martyribus unam fuisse tenet. In editis autem huc usque collectionibus desiderabatur aliquis sermo de his Martyribus, quem duo Codices Cassinenses 12 et 17 servabant, Carthagine fortassis habitum, ubi celebrior eorum memoria compulit Augustinum, ut peculiari coercitione moneret fideles, ne in ebrietates, et comessationes diffluerent nimia gestientes lætitia. Sic enim dicendi finem fecit : « Celebremus Martyrum dies, honorando Mar« tyrum passiones, non amando potiones ; » quod etiam fere similibus verbis in solemnitatibus Divi Cypriani Carthagine monuit, et in festivitate viginti Martyrum Hypone Regio celeberrima. Porro ubi res ista se habeat, falsitatis arguendus erit Collector Donatista apud Optatum,

tur : si ergo testes sunt, pro testimonii sui veritate tanta perpessi sunt. Serviebat veritas Deo, mentiebatur iniquitas sibi. Sic enim scriptum est ; corpus Christi loquitur in Psalmo, quod est Ecclesia *Et surrexerunt mihi testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi* (*Psal.* xxvi, 12). Testes et testes ; testes iniqui, et testes justi ; testes diaboli, et testes Christi. Utriusque testis genus vidimus, expectavimus, audivimus cum beatorum Martyrum, quorum dies solemnitatis agitur, passio legebatur. Interrogati, responderunt collecta se egisse, quia Christiani essent. Hoc est testimonium veritatis. Judex dicebat : Quoniam de scelere confessi estis. Hoc est testimonium iniquitatis. Prædicabatur Deus, et vocabatur scelus. In prædicatione Dei obediebat veritas Deo ; in appellatione sceleris mentiebatur iniquitas sibi. In ipsos enim quod dicebat, revertebatur, et falsum scelus vero scelere damnabatur. Non faciebant scelus Martyres nostri ; non faciebant scelus Christi Martyres congregando se in collecta ad laudandum Deum, ad audiendam veritatem, ad sperandum Regnum Cœlorum, et contemnendum præsens nequissimum sæculum. Non faciebant isti scelus. Hæc pietas vocatur. Hujus rei nomen religio est. Hujus rei nomen devotio est. Hujus rei nomen verum testimonium est. Quod ergo scelus faciebant qui de pietate confessos insuper occidebant ? Illum et illum, ait judex iniquitatis, testis falsitatis, illum et illum et illum gladio animadverti placet. Ecce scelus. Audi et vocem pietatis : Deo gratias, dixit testimonium primus (*a*). Primus clausit testimonium victoria perpetua. Credo quod advertit Charitas Vestra, quando Sanctorum passio legebatur, qui primus confessus est ; primus vocabatur ante novissimum ; victoria in fine perpetua. O victoria sine labe ! o finis sine fine ! Quid est enim victoria perpetua, nisi victoria sine fine ? Hoc est vincere carnis illecebras, vincere perversi judicis minas, vincere corporis dolorem, vincere vitæ amorem. Dicam si potuero, Domino adjuvante, fratres mei, quod sentio : in sanctis Martyribus amor vitæ amore victus est vitæ. Qui acclamastis, intellexistis, sed propter eos qui non intellexerunt, patimini me qui intellexistis, paulisper aperire quod dixi. Hoc dixi : in sanctis Martyribus amor vitæ amore victus est vitæ. Amando vitam contempserunt vitam. Quis amando argentum contemnit argentum ? Quis amando aurum contemnit aurum ? Quis amando prædia contemnit prædia ? Nemo contemnit quod amat. Invenimus Martyres, qui amaverunt vitam, et contempserunt vitam. Non pervenirent ad illam, si non calcarent illam. Noverant quod agebant, qui erogando acquirebant. Ne putetis eos, charissimi, consilium perdidisse, quando vitam amabant, et vitam contemnebant ; non consilium perdiderunt. Semina spargebant, et messem quærebant. Video agricolæ consilium, et cognosco in Martyribus sapientiam. Agricola amando triticum spargit triticum (*a*). Qui nescis quid faciat seminator, forte corripies illum, et dicis : Quid agis, insane ? quod tanto cum labore collegisti, profers, spargis, ab oculis tuis aufers, in terram projicis, insuper obruis ? Respondet tibi : Amo triticum, ideo projicio triticum ; si non amarem, non projicerem ; crescat volo, non pereat. Ecce quod fecerunt Martyres nostri incomparabiliter sapientiores agricolis. Pauca enim grana spargunt seminatores, et colligunt multa messores. Sed et quod spargunt, et quod colligunt habet finem. Quod spargitur non est multum, multum est quod colligitur, tamen utrumque finitur. Et nolebatis ut Martyres nostri spargerent vitam quandoque mortem finiendam, ut acciperent vitam, quæ non habet mortem ? Boni fœneratores, boni seminatores, qui multiplicat Deus est. Ipse multiplicat et in agro fruges ; ipse quidquid de terra gignitur nutrit. Grana multiplicare Deus potest, Martyres suos servare non potest ? Ecce dico vobis, audite quod audierunt. Audistis et vos modo cum Evangelium legebatur ; quid eis promissum sit, accepistis : (*b*) *Tradent*, inquit, *vos in conciliis, et in synagogis suis ; flagellabunt vos, et ex vobis occident : dico autem vobis : Capillus de capite vestro non peribit, et in vestra patientia possidebitis animas vestras* (*Matth.* x, 19 ; *et Luc.* xxi, 18, 19). Possidebitis, et non perditis (*c*). Nemo enim ibi persequitur inimicus ; nemo moritur amicus. Ibi eritis ubi perpetuus dies non habet hesternum præcedentem, nec crastinum consequentem. Ibi eritis boni fœneratores, quo vos diabolus sequi non potest. Ferte ad tempus ; gaudete in æternum. Dura sunt quæ toleratis, sed magnum fructum habet quod seminatis. Legite quid de vobis, cum seminaretis, dictum est : *Euntes ibant et flebant mittentes semina sua* (*Psal.* cxxv, 6, 7). Quo fructu ? quo fine ? qua consolatione. *Venientes autem venient in exultatione por-*

et Balutium (tom. 1. Miscell. p. 14 edit. 1761.), qui in suis additamentis refert, Martyres sanctos famis atrocitate adhuc in custodia detentos occubuisse ; siquidem judex nonnullos saltem eorum gladio hic jubet animadverti. Baronius, et Ruinartus jam additamenta illa rejecerant Mensurii, et Cæciliani historiam improbantes ; non igitur absre si auctor Donatista in uno falsus, etiam in cæteris falsus extiterit. Denique Codices Colbertinus, Compediensis, et Pratellensis quibus Ruinartus usus est, et additamentis illis destituuntur, at in actorum titulo inscribunt sanctos illos Martyres diebus locisque diversis sanguinem suum fudisse. Ex quo titulo etiam illud cognoscere datur, cur discretis anni diebus Sanctorum illorum memoria sigillatim ageretur Carthagine. Cassinensibus ergo codicibus acceptam referamus veridicam martyrii historiam, quæ et illorum codicum fidem astruit.

(*a*) Aliquid hic positum per figuram, quam rethores *notationem nominis* dicunt, verba illa *vincere*, et *victoria* toties iterata forsitan evincunt. In sermone enim 325 de Fidentio et Victoria per eamdem figuram dixit S. Doctor : « Initium a Fide, finis ad Victoriam. » Certum est autem unam ex his Martyribus Carthaginensibus nominari Victoriam, cui nisi mea me fallat opinio, animum hoc loco intendit Augustinus.

(*a*) Eamdem hanc similitudinem reperies serm. 331. n 1.

(*b*) Duo Scripturæ testimonia hoc loco permixta sunt, quamvis de Evangelio eo die in lithurgia posito se dicere profiteatur Augustinus. Scilicet hoc illud est, quod cum Cl. Sabatier (præfat. ad vers. Antiq. Biblior.) annotavi in primo sermone, SS. Patres non semper recitasse Scripturæ textus ex libris, sed quandoque solum retinuisse verborum sensum, quandoque compendium exhibuisse, quandoque prout suggerebat memoria protulisse, quandoque etiam textus similes confudisse, quod factum hic vides.

(*c*) Hanc sententiam sexcentis in locis iteratam reperies, præsertim in sermonibus de Martyribus.

*tantes manipulos suos.* De manipulis istis coronæ fiunt. Celebremus ergo Martyrum dies honorando Martyrum passiones, non amando potiones. Conversi ad Dominum, etc.

## SERMO VII.

### *De Sancto Joanne Baptista.*

*Extat hic Sermo in quatuor codicibus MS. Cassinensibus, in Cod. videlicet n.* 12, *et in tribus lectionariis sæculi XII. constanter Augustino nuncupatus. In bibliotheca vero Leopoldina Blandinii tribuitur auctori anonymo. Sermonis exordium excripsi ex cod.* 12, *breviatum enim legitur in Leopoldina, et lectionariis forsan ex eo, quod alienum tantisper visum fuerit ab hac festivitate. At clausulam a lectionariis positam retinui, ne mutilus prodiret sermo; Codex enim* 12. *clausulæ loco subdit quæstionem* de verbo et voce, *quæ et lacunis intercepta, et insoluta omnino ab incurioso librario relicta fuit. Cæterum hujusmodi immutationum in lectionariis frequentium exempla passim afferunt Editores Maurini, qui in serm.* 44. *de verbis Isaiæ. c.* 53. *hæc scite annotant :* « *Nam qui in Ecclesia legendi essent Augustini tractatus, necessario plerumque decurtabantur, iisque exordium aptabatur, et idonea conclusio.* » *Possidii Indiculus plures enumerat* (*c.* 8. 9. 10.) *de hac festivitate sermones, quos inter accensendos esse hunc, et sequentem confirmant jam edita Maurinis Tom.* V. *n.* 288, 293. *et seqq.; nam cum iis sæpe cohærent horum sermonum verba, et sententiæ. In illa autem editione hunc inseres post Serm.* 293, *eritque VIII. de Nativitate S. Joannis Baptistæ.*

Quoniam (*a*). Voluit Dominus hodierno die reddere Charitati Vestræ vocem et præsentiam nostram, et hoc fecit ipse non secundum dispositionem nostram, sed secundum voluntatem suam, agimus ei gratias vobiscum, et reddimus vobis sermonis obsequium, quod est ministerium nostrum, in quo nos servire vobis et oportet, et decet. Vestrum est autem, charissimi, dispensationem qualemcumque servorum Dei accipere cum charitate et illi gratias agere nobiscum (*b*), qui nobis donavit hunc diem simul agere vobiscum. Unde ergo loquimur hodie, nisi de illo cujus natalis est hodie? Joannes ergo sanctus natus de sterili, Præcursor Domini nati de Virgine, factus est Domini sui salutator, ex utero annuntiator. Huic Joanni mater sterilis, quæ parere non noverat, Salvatoris autem mater virgo unde pareret non habebat : genuit sterilis præconem, virgo peperit judicem. Sed multos præcones Dominus ipse Jesus Christus ex utero virginis venturus ad homines præmiserat ante se. Omnes Prophetæ ab ipso præmissi sunt, sed ipse in illis loquebatur; qui venit post illos erat ante illos. Cum ergo multos præcones ante se miserit Dominus, quid tantum iste meruit? quid tantæ excellentiæ amplius habuit, cujus natalis hodie commendatur? Nam neque hoc sine signo cujusdam magnitudinis est ut non lateat dies natalis ejus, sicut non latet dies natalis Domini ejus. Alii Prophetæ quando nati fuerint ignoramus, de Joanne nescire non licuit quando natus sit. Etiam hinc magnum ipsius meritum apparuit, quia cæteri prænuntiaverunt Dominum, et videre desideraverunt, et non viderunt, et si viderunt in spiritu, futurum viderunt; præsentem autem non hic fuerunt ut viderent. Dicit autem ipse Dominus de illis ad Discipulos suos, quia *Multi prophetæ, et justi voluerunt videre quæ videtis, et non viderunt, et audire quæ auditis, et non audierunt* (*Matth.* XIII, 17). Numquid non ipse illos mittebat? Sed erat in omnibus desiderium, si fieri posset, videre hic in carne Christum. Sed quia præcesserunt moriendo, sicut præcesserant nascendo, non hic eos Christus invenit, sed tamen eos in æternam vitam Christus redemit. Et ut noveritis quale circa omnes desiderium erat videre hic Christum, recordamini senem illum Simeonem, cui non pro parvo bono nuntiavit Spiritus Dei, quod non es et exiturus de hoc sæculo, nisi vidisset Christum. Natus est Christus; cognovit illum infantem in manibus matris, accepit, tenuit in manibus, cujus Divinitate ipse portabatur; et tenens in manibus infantem Verbum, benedixit Deum dicens : *Nunc dimittis, Domine, servum tuum in pace, quoniam viderunt oculi mei salutare tuum* (*Luc.* II, 29). Prophetæ ergo alii non hic viderunt Christum, Simeon infantem vidit; Joannes conceptum agnovit, et salutavit : Joannes annuntiavit et vidit, digito demonstravit, et dixit : *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (*Joan.* I. 29). Excellentior ergo iste omnibus cæteris. Audi de illo testimonium Domini, ubi se illi prætulit, neminem alium. Valde magnus erat cui qui se præferretur, præter Christum, non erat. Proinde ipse Dominus ita dicit : *In natis mulierum nemo exurrexit major Joanne Baptista* (*Matth.* XI, 11). Et ut se illi præponeret, secutus adjunxit : *Qui autem minor est in regno cœlorum major illo est.* Se dixit minorem, et majorem; minorem nascendo, majorem dominando; minorem ætate, majorem vero majestate. Post Joannem natus est Dominus. Sed in carne, sed de Virgine, ante illum autem *In principio erat verbum.* Magna res post Joannem Christus, et tamen Joannes per Christum : *Omnia enim per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* I, 1). Quare ergo venit Joannes? Ostendere viam humilitatis, ut præsumptio hominis minueretur, gloria Dei augeretur. Venit ergo Joannes magnus commendans magnum; venit Joannes mensura hominis. Quid est mensura hominis? Plusquam Joannes nullus homo esse poterat : quidquid Joanne plus erat, jam plusquam homo erat. Si enim mensura magnitudinis humanæ fuerat, terminata in Joanne, non inveniebas jam hominem majorem, et tamen invenisti majorem, confitere Deum, quem profecto homine potuisti invenire majorem.

(*a*) In Leopoldina, et lectionariis exordium sic se habet : « Solemnis dies hodie, fratres charissimi, de Nativitate « S. Joannis Baptistæ, et præcursoris Domini illuxit. Quid, « inquam, et primum admirer, o charissimi, nativitatem « Salvatoris, an Præcursoris? Huic Joanni mater sterilis, « quæ parere non noverat, etc. »

(*b*) Fortasse hæc verba indicant se loqui ex tempore, et extra suam Ecclesiam. Minus enim officiose diceret, si tuos alloqueretur

Joannes homo, et Christus homo ; sed Joannes solum homo, Christus Deus et homo. Secundum quod Deus est, ipse fecit Joannem ; secundum quod homo, natus est post Joannem. Sed tamen ille præcursor Domini sui Dei et hominis quantum se humiliat videte : quo nemo exurrexit major inter natos mulierum interrogatur, utrum ipse esset Christus ? Tam magnus erat, ut possint falli homines : dubitatum est de illo, utrum ipse esset Christus, et ita dubitatum est ut interrogaretur. Jam si esset filius superbiæ, non doctor humilitatis, apponeret se hominibus errantibus, et non ageret ut id putarent, sed jam quod putabant, acciperet. Forte nimium illi erat velle persuadere hominibus, quod ipse esset Christus ? Si conaretur persuadere, ei non crederetur : remansisset abjectus et dejectus, et inter homines comtemptus, et apud Deum damnatus. Sed non illi opus erat persuadere hominibus, jam videbat eos hoc putare ; acciperet errorem illorum, et augeret honorem suum. Sed absit hoc a fideli amico Sponsi, ut se pro illo ab sponsa diligi vellet. Confessus est se non esse quod non erat, ne perderet quod erat. Non enim erat ille Joannes sponsus ; nam cum interrogaretur, ait : *Qui habet sponsam, sponsus est : amicus autem sponsi stat, et audit eum, et gaudio gaudet propter vocem sponsi. Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam : qui autem venit post me, major me est* (*Joan.* III, 29). Quantum major ? *Cujus non sum dignus corrigiam calceamenti solvere.* Videte quantum minor esset, si dignus esset ; quantum se humiliaret, si hoc diceret : Major me ille, cujus ego dignus sum corrigiam calceamenti solvere ; dignum enim se curvare ad pedes ejus dixerat. Nunc autem quam multum commendavit humilitatem, quando et ipsis pedibus, imo calceamentis ejus indignum se dixit ! Venit ergo Joannes docere superbos humilitatem, annuntiare viam pœnitentiæ. Venit vox ante Verbum. Quomodo vox ante Verbum ? De Christo enim dicitur : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum ; hoc erat in principio apud Deum* (*Id.* I, 1). Sed ut veniret ad nos, Verbum caro factum est, ut habitaret in nobis. Ergo quia Christum Verbum audivimus, quia vox Joannes est audiamus. Nam dum diceretur illi : *Tu quis es ?* respondit : *Ego sum vox clamantis in eremo : parate viam Domino, rectas facite semitas ejus.* Audiamus Joannem clamantem, et paremus viam Domino, veniat ad nos Verbum (*a*), quoniam *Omnis caro fœnum, et claritas hominum, ut flos fœni. Fœnum aruit, flos decidit ; Verbum autem Domini manet in æternum* (*Isai* XL, 7, 8).

(*a*) Quæ sequuntur ex lectionariis, et ex Leopoldino Codice exscripta fuerunt. Codex enim n. 12 loco hujus clausulæ hæc subdit : « Paululum ergo, charissimi, paululum, quantum dat Dominus, de verbo et voce tractemus. « Christus verbum est, Verbum quod non sonat et transit, « vox est, non verbum ; Verbum ergo Dei, per quod facta « sunt omnia, Dominus noster Jesus Christus est. Vox clamantis in eremo, Joannes est. Quid est prius, vox, an « verbum ? Videamus quid est verbum, et quid est vox, et « ibi videmus quid sit prius. Quid putatis esse verbum, « fratres ? Omittamus illud verbum Dei, per quod facta « sunt omnia ; de verbis nostris aliquantum loquamur, si « possumus de his ad summa capere gradus aliquos similitudinis. Verbum Dei, per quod facta sunt omnia, quis « comprehendit ? quis dignus, qui vel cogitare possit, nedum eloqui paululum ? Ergo illius Majestatem ineffabilem, « æternitatem, et cum patre coæternitatem ponamus, ut « credendo videre mereamur. » Quis porro non videt tot lapides hic sine calce positos, et confusim in aggerem redactos, ne imaginem quidem tugurii mentis oculis exhibere ?

## SERMO VIII.

### *De Sancto Joanne Baptista.*

*Appellationem hanc*, Fratres charissimi, *initio sermonis positam Maurini Editores annotarunt* (*serm.* 243. *Append. T.* 5. ) *in spuriis Sermonibus solemnem, et consuetam esse. At cum hic manifeste sese prodat Augustinus, dicere præoptarem exordium in lectionariis n.* 115 *et* 123, *a quibus exscripsi immutatum fuisse ea ipsa ex causa, quam a Maurinis Patribus in præcedenti mutuam sumpsi. Quod si ibi sorte datum, ut germanum principium delegerem, de clausula autem ambigerem, hic e contrario anceps mihi exordium est, clausula vero certissima. Permagni autem faciendum sermonem hunc ea docent, quæ sub finem posita sunt ; nam superstitionem in pervigilio festivitatis hujus a plebe servari solitam monent, quam nullus huc usque ejusdem S. Doctoris sermo indicaverat. Incassum hunc quæsivi in Bibliothecis editis, quem in Maurinam editionem transferre poteris sub num.* 295, *et* nonus *erit* de Nativitate S. Joannis Baptistæ.

I. Fratres charissimi, natalem hodie magni Dominis celebramus ; et vultis nosse quam magni ? *Nemo*, inquit Scriptura, *surrexit major inter mulierum natos Joanne Baptista* (*Matth.* XI, 11). Hoc de illo dixit Virginis natus ; hoc testimonium perhibuit testi suo ; hanc sententiam protulit Judex de præcone suo ; sic voluit Verbum honorare vocem suam ; sicut nostis, et audistis hodie etiam in Sermone (*a*) matutino.

II. Verbum Christus est ; vox Joannes. Quoniam de Christo scriptum est, quia *In principio erat Verbum* (*Joan.* I, 1). Joannes autem cum de se ipso loqueretur : *Ego sum*, inquit, *vox clamantis in deserto* (*Ibid.* 23). Verbum ad cor pertinet ; vox ad aurem. Quando vox fuerit ad aurem, et verbum non perducit ad mentem, habet inanem usum, sed non habet utilem fructum. Ut autem nascatur in corde meo Verbum, voce non indiget ; ut autem perferatur ad tuum cor, quod in corde meo jam natum est, ministerium vocis assumit. Potest ergo verbum vox (forte *vocem*. Sed in Codicibus *vox*) præcedere, sed non potest Verbum sine voce procedere. Ad hoc vox creatur, non ut Verbum, quod noverat, gignat ; sed ut quod erat emittat. Hoc ergo quod de Verbo, et voce diximus, id est, Christo, et Joanne, videamus quale Christus Verbum, qualis sit et Joannes vox. *In principio erat Verbum.* Ubi erat ? *Et Verbum erat apud Deum.* Quantum ante nos ! Quantum supra nos ! *Et Verbum caro*

(*a*) Patet sermonem fuisse habitum in Officio vespertino ; quisnam vero sermo fuerit mane habitus hariolari non auderem, nullus enim sermo est de Joannis nativitate, in quo Augustinus illud Evangelii testimonium non protulerit, et nominibus testis, præconis, et vocis Joannem non decoraverit.

*factum est, ut habitaret in nobis* (*Joan.* I, 1 *et* 14). Et hoc unde sciremus, si vocem non audiremus? Ambulabat enim inter homines Christus mortali jam carne vestitus, et tamen veniebant homines ad Joannem, et dicebant ei : *Tu es Christus?* respondebat Joannes : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (*Ibid.* 29). Audite illum, agnoscite illum; ipsum præcedo, ipsum annuntio. Mementote quid dixerit : *Ego sum vox clamantis in deserto : parate viam Domino;* Non mihi, sed Domino. Quando enim ego clamo, illum annuntio; quoniam vox præconis, adventus est Judicis. Quando autem venerit ille, quem ego annuntio et in vestro corde requieverit, *Illum oportet crescere, me autem minui* (*Id.* III, 30). Nostis enim? (*a*) Dixerunt novimus. Quoniam Verbum quando adjumento vocis arrepto per semitas arctius in regionem cordis influxerit, verbum illud in corde crescit, in aure vox deficit. Non enim permanet sonus, qui percussit aurem; quia non permanet infinitus, quia descendit ad mentem. Hoc quare? quia *Illum oportet crescere, me autem minui.* Baptizat Joannes, baptizat et Christus. Dictum est Joanni : *Super quem videris Spiritum descendentem sicut Columbam, et manentem super eum, ipse est, qui baptizat in Spiritu sancto, et igne* (*Matth.* III, 15). Nostis hoc, fratres. Factum est quando baptizatus est Christus. Ecce jam toto orbe terrarum, ipse est, qui baptizat. Crevit ubique baptismum Christi; baptismum vero Joannis quamvis habeat mysterium in recordatione præteriti, non tamen habet mysterium in celebratione præsenti. Cessavit baptismum Joannis, et crevit baptismum Christi : Unde et dicit : *Illum oportet crescere, me autem minui.* Hanc sententiam et in nativitatibus amborum, et in passionibus invenimus. Quamvis enim de Joanne dixerit Joannes, hoc est, Joannes Evangelista de Joanne Baptista; quamvis dixerit de eo : *Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes; hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine* (*Joan.* I, 6); hodie tamen natus est, fratres, quando nox crevit, et minui incipit dies. Christus vero hyemali solstitio, sicut nostis, natus est, quando in luctum lucis noctis incipiunt damna transferri : *Quoniam fuimus aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* (*Ephes.* III, 8). Quare sic nati sunt? *Quia illum oportet crescere, hunc autem minui.* In passionibus etiam : Joannes decollatur gladio; Christus autem exaltatur in ligno. Ille vero erigitur, iste vero prosternitur. Iste ut minuatur est capite truncatus; ille vero ut crescat, in crucis patibulo est exaltatus. Illi vero duo, Dominus, et servus. Dominus in patibulo crucis, servus in decollatione mortis; unde et dicimus : Illum oportet crescere, hunc autem minui. Non immerito, quantum arbitror, etiam ætates in Parentibus eliguntur. Parit enim Joannem mulier grandæva, Christum Virgo Juvencula. In utero portabatur Virginis, et in cœlis adorabatur ab Angelis. Istum desperata edit sterilitas, illum intacta virginitas. Postremo illum Juvencula crescens, istum senecta deficiens. Illud autem, quale est, fratres mei? quanta est hujus hominis dignitas quod nasciturum, sicut Dominum Christum, Angelus parentibus nuntiavit? Quare hoc meruit? *Quia nemo surrexit major inter mulierum natos Joanne Baptista* (*Matth.* XI, 11). Sicut enim vos scitis, Gabriel angelus et ad Virginem Mariam mittitur, promittitur utrique filius, accepit ab utraque responsum. Respondit Zacharias ad Angelum filium promittentem : *Unde hoc sciam? Ego enim sum senex, et uxor mea sterilis, et provecta in diebus suis* (*Luc.* I, 18). Respondit et Maria : *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco* (*Ibid.* 34)? Ambo de naturæ lege desperant, adhuc, credo, nesciebant, [accedente dono gratiæ Dei, legem cessare Naturæ.] Ergo ambo (*a*) de dubitatione respondent, et tamen ille punitur, ista benedicitur. Illi dicitur : *Ecce eris tacens.* Mariæ dicitur : *Benedicta tu inter mulieres* (*Ibid.* 42). Zacharias amittit vocem; Maria concipit Verbum. Post hæc vero quid? Verbum caro fit in Virgine, et vox nascitur de tacente. Joannes natus reddit patri vocem; pater loquens dat filio nomen. Mirantur omnes, stupescunt omnes, et inter se murmurant alterna miscentes. Dicunt sibi : *Quid putas erit puer iste* (*Ibid.* 66)? De Evangelio loquamur (*b*), *Etenim manus Domini erat cum illo.* Quid putas erit qui sic cœpit; adhuc tantillus est, et jam magnus est; et si iste qui modo cœpit, magnus erit, qui semper erat, quid erit? Ille, quem Joannes adhuc in secreta materni ventris inclusus etiam ipsum jacentem in thalamo uteri virginalis agnovit, et quia nondum poterat vocibus, motibus salutavit. Ille ergo quid erit? Vultis scire quid erit? breviter dicam, audite Prophetam : *Ipse* inquit, *Dominus universæ terræ vocabitur* (*Isai.* LIV, 6). Beati ergo Joannis Dominici præcursoris, hominis magni natalem diem festis cœlestibus celebrantes orationum ejus auxilia postulemus. Quia enim sponsi amicus est, potest etiam et nobis præstare; ut ad sponsum pertinere possimus, ut ejus gratiam invenire mereamur.

III. Sed si volumus invenire ejus gratiam, non faciamus natali ejus injuriam. Cessent religiones sacrilegiorum, cessent studia, atque joca vanitatum; non fiant illa, quæ fieri solent, non quædam jam in dæmonum honorem. Sed adhuc tamen secundum dæmonum morem. Hesterno die post vesperam putrescentibus flammis antiquitus more dæmoniorum tota civitas flagrabat, atque putrescebat, et universum aerem fumus obduxerat. Si parum attenditis Religionem, saltem injuriam cogitate communem. Scimus, fratres, hæc a pauperibus fieri, sed a majoribus fieri prohiberi debuerant. Ait enim quidam : Qui non vetat peccare, cum potest, jubet quidem. Fratres, in nomine Domini, et Dei nostri Jesu Christi, quia proficit Ecclesia per annos singulos, ista utique, et om-

(*a*) Fortasse hæc duo verba ab exceptoribus notata sunt. *Dixerunt Novimus*

(*a*) Vide Serm. 291. n. 5. ubi distincte exponitur hæc sententia; forte in matituno sermone fusius de ea pertractaverat, quam breviter innuere hic tantum voluit.

(*b*) Liturgia illius Ecclesiæ idem Evangelium præscribebat, quod hodie in Missa legitur.

nis diminutio tendit ad nihilum, sed nondum ita consumpta sunt, ut securi tacere possimus. Nihil est vetustas et novitas, nisi pervenerit ad debitos fines, et vetus superstitio consumatur et nova religio perficiatur; Per Dominum nostrum Jesum Christum, cui est honor et gloria, et potestas, una cum Deo Patre omnipotente, et cum Spiritu sancto, nunc, et semper, et per omnia sæcula sæculorum. Amen.

## SERMO IX.

*De Evangelio Luc.* XVII, 4. Dimitte, et dimittetur tibi.

*Ex Codice Ms n.* 170, *cui titulus : S. Augustini Operum T. IX ; hunc exscripsi tractatum ( sic enim inscribitur in Codice) aliis jam editis permixtum in Codice illo contentis. Augustinus de hoc ipso Lucæ capitulo alias locutus fuerat ad mensam S. Cypriani, præsente Comite Bonifacio, ut testatur sermo* 114. *Editionis Maurinæ, post quem locandus hic noster erit. Collatis autem in se his duobus, una eademque manus recognoscitur. Hunc in Bibliothecis editis non reperi. Elucubratum vero fuisse opinor post annum* 429, *postquam divus Prosper ad Augustinum scripserat de hæresi Semipelagianorum jam in Gallia gliscente, qua gratiam ad initium fidei necessariam inficiabantur presbyteri Massilienses ; nam, occasione arrepta a laudibus Dei, sibi ipsi quæstionem movet, num primitiæ fidei sint a Deo? quam ex Apostolo ad Philipp. confirmat. Cæterum egregius sane sermo est, continetque maximi momenti doctrinas ad fidem, et mores spectantes.*

Præceptum saluberrimum audivimus de sancto Evangelio ut dimittamus fratri, qui in nos peccaverit Ne sufficiat hoc semel fecisse, sed quotiescumque peccaverit dimittendum esse, si veniam postulabit: hoc ergo ait : *Si septies in die peccaverit in te, et septies in die conversus fuerit ad te dicens : Pœnitet me; dimitte illi* (*Luc.* XVII, 4). Si septies in die intelligas, ergo quotiescumque; solet enim numerus septenarius pro universitate poni. Unde est illud : *Septies cadet justus, et resurget* (*Prov.* XXIV, 16); id est, quotiescumque fuerit aliqua tribulatione humiliatus, non deseritur, sed ab omnibus suis tribulationibus liberatur. Inde etiam est illud : *Septies in die laudabo te* (*Psal.* CXVIII, 164). Hoc est enim *Septies in die* quod est semper. Hoc ergo *Septies in die* quod alibi dicitur : *Semper laus ejus in ore meo* (*Id.* XXXIII, 2). Non enim laudes Domini lingua tantummodo personamus, et quando tacemus non laudamus. Plane in omnibus bonis cogitationibus nostris, in omnibus actibus, et bonis moribus nostris illum laudamus, a quo hæc nos accepisse gaudemus. Videmus enim etiam Apostolos petere, ut augeatur eis fides (*Luc.* XVII, 5). Numquid primitias fidei ipsi sibi dederunt, et augmentum a Domino petiverunt? Absit. Hoc ergo petierunt, ut qui inchoavit ipse perficiat, secundum Apostolum : *Quoniam qui in vobis opus bonum cœpit, perficiet usque in finem* (*Philip.* I, 6). Et quod cantavimus modo (*a*) quid aliud demonstrat, charissimi : *Deduc me, Domine*, inquit, *in via tua, et ambulabo in veritate tua* (*Psal.* LXXXV, 11). Non ait : Adduc me ad viam tuam; nam et hoc ipse facit; sed non, cum adduxerit, dimittat. Parum ergo est ad viam adduxisse, nisi sequatur, in via deduxisse, et ad patriam perduxisse. Cum ergo bona omnia habeamus a Deo, in bonis omnibus operibus nostris quando datorem bonorum omnium cogitamus, Deum sine fide laudamus; cum autem Deum, si bene vivimus, sine fide laudamus, *Benedicamus Dominum in omni tempore, et semper laus ejus propter hoc in ore sit nostro* (*Psal.* XXXIII, 2). *Septies*, inquit, *in die laudabo te*, septenario numero universitatem significans. Ergo si septies in die frater tuus peccaverit in te, et veniens dixerit: Pœnitet me; dimitte illi. Non tibi sit tædium semper ignoscere pœnitenti. Si non es debitor, impune esses molestus exactor; cum vero debitor habeas debitorem, et tu ejus sis debitor, qui non habet debitum, vide quid facias cum debitore tuo; hoc enim Deus facturus est cum suo. Audi, et time : *Lætetur*, inquit, *cor meum, ut timeam nomen tuum* (*Id.* LXXXV, 11) Si lætaris quando tibi dimittitur, time ut dimittas. Quantum enim timere debeas, idem ipse Salvator ostendit proponens servum illum in Evangelio, cum quo rationem Dominus fecit, et invenit eum debitorem centum millium talentorum; *Jussit eum venumdari, et omnia quæ habebat, et reddi* (*Matth.* XVIII, 32). Ille provolutus ad pedes Domini sui orare cœpit, ut acciperet dilatationem, et meruit remissionem. Ille autem exiens a facie Domini sui, omni sibi debito relaxato, invenit etiam ipse debitorem suum conservum suum, qui ei debebat centum denarios, et obtorto collo cœpit trahere ad solutionem. Quando ei dimissum est, lætatum est cor ejus; sed non sic ut timeret nomen Domini Dei sui. Servus dicebat conservo quod servus dixerat Domino : *Patientiam habe in me, et reddam tibi.* At ille : Non : hodie reddis. Renuntiatum est patrifamilias; et quod nostis, non solum minatus est ei quod deinceps non esset remissurus (*a*), si debitorem invenizet, sed totum quod relaxaverat, in caput ejus replicavit, et reddere eum quidquid donaverat jussit. Quomodo ergo timendum est, fratres mei, si est in nobis fides, si credimus Evangelio, si mendacem Dominum non putamus? Timeamus, observemus, caveamus, dimittamus. Quid enim perdis ex eo, quod dimittis? Veniam das, non pecuniam; quanquam et in ipsa eroganda pecunia, aridæ arbores non esse debetis. In eroganda pecunia, indigenti tribuis; in danda venia, peccanti ignoscis; utrumque Dominus videt, utrumque remunerat, utrumque uno loco commendavit : *Dimittite, et dimittetur vobis, date et dabitur vobis* (*Luc.* VI, 37). Tu autem nec ignoscis, nec erogas; tenes iram, servas pecuniam. Observa iram, ubi non possis liberari per pecuniam (*b*) *Non proderunt thesauri iniquis :* non est ista mea, sed divina sententia. Noverunt qui legerunt. Legi ut dicerem, credidi ut loquerer : *Non proderunt thesauri iniquis* ( *Prov.* X, 2). Videntur prodesse, sed non proderunt. Forte in præsenti? forte; si tamen aliquid prosunt; sed in die illo non proderunt. Teneantur et non proderunt; contemnantur et proderunt. Justitia tunc bene uteris si amaveris, quia si non amaveris, non habebis fortitudinem, temperantiam, castitatem, charitatem. Aliis animi bonis bene uteris si amaveris; pecunia tunc bene uteris, si non amaveris. Postremo pecunia

(*a*) Ex tribus lectionibus in Liturgia positis eo die duas solum commemorat, secundam de Psal. 85. v. 11., tertiam de capite 17. Luc., de quo sermocinatur; primam vero omisit, ni forte illis verbis : *videmus etiam apostolos petere ut augeatur eis fides*, immiscere voluerit lectum fuisse de Ep. ad Philip., cujus attulit testimonium.

(*a*) Quamvis in Evangelio id non legatur, Augustinus tamen ad moralem locum insinuandum deducit illatione legitima, et tanquam in Evangelio positum reputat; unde etiam in Ser. 5. n. 2. Editionis ex eadem deductione loquens dixit : « Caveant ne si quis in illos peccaverit, et « noluerint ipsi dimittere, non solum deinceps non illis « dimittatur, sed etiam omnia, quæ dimissa fuerant, re« plicentur. »

(*b*) Vide juxta Sixti Senensis criticem Augustini genus dicendi mixtim quam plurima secum rapiens aliquando, quod lectorem, et familiarem, et acutum, et attentum, et bene memorem requirit. (Bibliot. Sanc. Voc. Aug.) Etenim cum docuisset iram temperare quem eleemosynæ liberare non possent, occasione data prius de usu divitiarum loqui autumavit, ut postea a contrariis primam illam sententiam firmaret, resumens ab his verbis periodum, quam producta quidem digressione abruperat : hæc dicis cum vis pecuniam servare, etc.

si amatur, in cœlo servetur. Si timendum est ne amittatur, loco tutiore custodiatur. Neque enim in conservanda pecunia fidem tibi servat servus tuus, et fallit te Dominus tuus. Non eum dicentem audis : *Thesaurizate vobis thesaurum in cœlo?* Ecce non tibi præcepit perdere, sed migrare : *Thesaurizate vobis thesaurum in cœlo, quo fur non accedit, neque tinea corrumpit; ubi enim est thesaurus tuus, ibi et cor tuum* (*Matth.* VI, 20, 21). In terra thesaurizas, in terra cor ponis. Quid futurum est in terra cordi tuo? Tabescit, putrescit, cinerescit. Sursum leva quod amas, et ibi ama, et noli putare hoc te recepturum esse quod ponis. Ponis enim mortalia, recipies immortalia; ponis temporalia, recipies æterna; ponis terrena, recipies cœlestia; postremo erogas quod tibi dedit Dominus tuus, et mercedem accipies ab ipso Domino tuo. Sed dices : Quomodo sum in cœlo positurus, per quas machinas cum auro, et argento meo sum ascensuras in cœlum? Quid quæris machinas? Migra (*a*). Laturarii tui pauperes sunt, et per contritionem mundi facti sunt laturarii. Postremo trajectitium facis; hic das, et ibi accipis. Prorsus si hic dederis, ibi accipies, et cui dederis, ab illo accipies. Non tibi modo veniat in mentem pannosus quisque mendicus; sed veniat in mentem, *Quando uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (*Id.* XXV, 40). In paupere accipit, qui pauperem fecit; a divite accipit, qui divitem fecit; quod enim dedit inde accipit; de suo das Christo, non de tuo. Quid enim te jactas, quia hic multa invenisti? Recole qualis venisti. Cuncta hic invenisti, et multis inventis si male uteris, superbia tumuisti. Nonne de ventre matris nudus existi? Da ergo, da, ne perdas quod habes. Si dederis, ibi inventurus es; si non dederis, hic relicturus es : tamen dederis non dederis, migraturus es. Sed aliquando, etsi nugatoriam et improbandam et respuendam ab auribus fidelium, tamen habet aliquam excusationem avaritia nolens erogare pauperi ex eo quod abundat. Dicit enim sibi : Si dedero, non habebo : et multum dando, egebo; et postea requiram a quo et ipse accipiam; debet mihi abundare non solum ad victum, et tegumentum, et domui meæ, et familiæ meæ, sed etiam propter bonos casus, ut habeam quid calumniatori impendam, ut habeam unde redimam; casibus plenæ sunt res humanæ, debeo mihi servare unde me possim liberare. Hæc dicis cum vis pecuniam servare. Quid dicturus es quando peccanti non vis dare veniam? Si pecuniam piget erogare indigenti, eroga veniam pœnitenti. Quid perdis si dederis? Novi quid perdas, novi quid amittas; video, sed bono tuo amittis. Amittis iram, amittis indignationem, amittis de corde odium fratris. Maneant illic ista? ubi eris? Ira, indignatio, odium permanent; quid de te facit? Quid mali de te non facit? Audi Scripturam : *Qui odit fratrem suum, homicida est* (*Joan.* V, 15). Ergo et si septies in die peccaverit in me, dimittam illi? Dimitte, Christus hoc dixit, veritas dixit cui cantasti : *Deduc me, Domine, in via tua, et ambulabo in veritate tua.* Noli timere, non te decipit. Sed nulla, inquies, erit disciplina; impunita erunt semper quæcumque peccata; delectat enim semper peccare, quando te ille qui peccat cogitat semper ignoscere. Non est ita. Et disciplina vigilet, et benevolentia non dormitet. Quid enim putas malum pro malo te reddere, cum peccanti dederis disciplinam? Absit. Bonum pro malo reddis, et tunc non bene facis si non dederis. Aliquando quidem etiam ipsa disciplina mansuetudine temperatur, dura tamen est. Sed non aliud est eam negligentia extinguere, aliud mansuetudine temperare? Vigilet disciplina, ignosce et cæde (*b*). Videte ipsum Dominum, audite ipsum Dominum, cogitate cui quotidiani mendici dicimus : *Dimitte nobis debita nostra* (*Matth.* VI, 12). Et tædia pateris quando tibi frater assidue dicit : Ignosce mihi pœnitenti. Tu quoties hoc dicis Deo? taces ab hac supplicatione in omni oratione. Numquid vis ut dicat tibi Deus : Ecce heri ignovi, nudiustertius ignovi, per tot dies ignovi, quoties adhuc ignosco? Non vis ut dicat tibi : Semper cum illis verbis venis, semper dicis : *Dimitte nobis debita nostra :* semper pectus tundis, et tanquam ferrum durum non corrigis? Sed quia egebamus de disciplina, numquid non dimittit nobis Dominus Deus noster, quia ex fide dicimus : *Dimitte nobis debita nostra?* Et tamen quamvis dimittat nobis, quid de illo dictum est? quid de illo scriptum est? *Quem enim diligit Deus corripit :* sed forte verbis? *Flagellat autem omnem filium, quem recipit* (*Hebr.* XII, 6). Ne indigetur peccator filius flagellatus corripi, et ipse unicus sine peccato dignatus est flagellari. Ergo da disciplinam, sed ex corde dimitte iram. Sic enim ait et ipse Dominus, cum de illo ageret debitore, cui replicavit omne debitum, quod inhumanus fuerit in conservum : *Sic et vobis,* inquit, *faciet Pater vester cœlestis, si non dimiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris* (*Matth.* XVIII, 35). Ubi Deus videt, ibi dimitte; inde noli perdere charitatem; exerce salubrem severitatem; dilige et cæde; dilige et verbera. Aliquando enim blandiris et sævis. Quomodo blandiris et sævis? quia peccata non arguis, et illa peccata interfectura sunt eum, quem perverse parcendo diligis. Verbum tuum aliquando asperum, aliquando durum; quod est læsurum, attende, quid est facturum. Peccatum cor vastat, interiora demolitur, animam suffocat, animam perdit : miserere, cæde. Constituite vobis, charissimi, ante oculos, ut planius intelligatis, quod loquor, homines duos (*a*). Puerulus quilibet incautus volebat sedere ubi noverant in gramine latere serpentem. Si sederet, morderetur, et moreretur. Noverant hoc homines duo. Ait unus : Noli ibi sedere; contemptus est, ivit sedere, ivit perire. Ait alter : Non vult iste nos audire, corripiendus, tenendus, avellendus, colapho est percutiendus, quidquid possumus faciamus ne hominem perdamus. Ait alius : Dimitte, noli ferire, noli offendere, noli lædere. Quis horum misericors? Parcens, ut homo a serpente moriatur; an sæviens, ut homo liberetur? Et sic intelligite, eos qui sunt vobis subditi corrigitis, moribus imponite disciplinam. Servate benevolentiam, de corde dimittite, intus non sit ira, quia ira illa recens festuca est, tenuis, et quasi contemptibilis. Ira recens turbat oculum tanquam festuca in oculo : *Turbatus est in ira oculus meus* (*Psal.* VI, 8). Sed festuca illa suspicionibus nutritur, productione temporis roboratur, ad trabem perventura est ista festuca. Inveterata ira odium erit; jam ubi odium homicidium erit : *Qui odit fratrem suum, homicida est,* inquit (*b*). Et aliquando homines habentes in corde odium, reprehendunt irascentes : odium tenes, irascentem reprehendis? *Festucam in oculo fratris tui vides, trabem in tuo non vides* (*Matth.* VII, 3)? sermo concludatur. Dominus invocetur, ut quod præcipit, donare dignetur : *Dimittite, et dimittetur vobis; date, et dabitur vobis* (*c*) (*Luc.* VI, 37, 38).

(*a*) Vocem hanc *laturarii*, et alium *trajectitium* solemnes Augustino fuisse demonstrant Maurini. Vide Ser. 18. n. 4. serm. 38. n. 9. serm. 60. n. 8, etc

(*b*) Ex excursu alio abrupto tam periculum, ad quam redit per illa verba : *sed quia agebamus de disciplina.*

## SERMO X.

### *In Dedicatione Ecclesiæ*

*Ex codicibus Mss. n.* 98, 115, 125 *et* 545, *quorum duo inscribuntur collectiones sermonum Augustini, duo*

(*a*) Eamdem fere similitudinem posuit serm. 82. n. 2. Edit.

(*b*) Brevis quidem digressio, stylum tamen indicans Augustini. Vide Pope Blount Censura Auctor. pag. 271. edit. 1710. Sententiam autem eamdem iterat Augustinus sæpissime; præcipue serm. 5. 42. 82.

(*c*) In fine sermonis legitur in Codice, *explicit de Evangelio Luc.* 17. *Tractatus.*

*vero sunt lectionaria variorum sermones complectentia, sermonem hunc exemplavi, nomine Augustini insignitum, et tanto Doctore dignum. Sed et in Codice n.* 2. *Biblioth. Pomposianæ Monasterii S. Benedicti Cartusiæ Ferrariensis, cujus index completus in Archivo Casinensi inter Miscellanea asservatur, extat fol.* 77 *a ter. Hic idem sermo Augustino pariter nuncupatus, et in tres lectiones divisus, VI, VII, VIII. Codex vero ille est membranaceus in folio characteribus Latinis sæculo XI, exaratus,* 79 *habens paginas, et ad oram primi folii legitur recentiori manu annotatum.* Iste liber est Monachorum Congregationis S. Justinæ de Padova, deputatus usui Conventus S. Mariæ de Pomposa, signatus n. 5. *In editis Bibliothecis non reperi. In editione Maurina inseres post serm.* 338, *eritque IV,* in Dedicatione Ecclesiæ, *Familiares autem in Augustini lectione, inspectis sententiis simul cadentibus, aliisque figuris, quas in deliciis habuit S. Doctor, non secus ac transitionibus, ambagibus, argutiis, quibus Auditores recreare solebat, germanum Augustini partum recognoscent.*

I. Admoneo vos, dilectissimi, ut demus operam, ut simus domus Dei, ut habeamus in nobis habitantem Dominum; nam si habeamus in nobis Deum habitatorem, semper eum habebimus adjutorem. Congratulemur istis bonis operibus, quæ in suis fidelibus operatus est Christus, et unusquisque in quantum divinitus adjuvatur bonorum operum profectus jugiter imitetur. Hoc est autem necessarium, fratres, ut omnis ædificet domum Dei. Ædificet autem dives, ædificet pauper; ædificet sublimis, ædificet humilis; ædificet dominus, ædificet servus. Sed quomodo simul hæc dicimus et diviti, pauperi, et sublimi et humili, et domino et servo? Quandoquidem nec facultas illis æqualis, nec dignitas, nec potestas? Potest denique fiducialiter respondere dives, et dicere: Ædifico domum Deo, quia copiosam possideo facultatem. Respondet sublimis: Ædifico domum Deo, quia excelsam adeptus sum in sæculo dignitatem. Respondet dominus: Ædifico domum Deo, quia magnam habeo in subditis potestatem. Quam bene gaudemus in istis, qui nos lætificant, et sermonibus, et operibus bonis! Sed ut isti nobis talia responderent, securus est dives de abundantia facultatum, attendit sublimis excellentiam honorum, considerat Dominus multitudinem subditorum. Audivimus ergo responsum divitis, audiamus et pauperis; audivimus responsum sublimis, audiamus et humilis; postremo audivimus responsum domini, audiamus et servi. Illi enim habuerunt quod promitterent, habent isti forsitan quod excusent. Dicit enim nobis sine dubio pauper: Quomodo possum domum Deo ædificare, qui sum inopia paupertatis astrictus? Dicit nobis humilis: Quando possum fabricare domum Deo, qui sum ignobilitate dejectionis comprehensus? Deinde dicit servus: Quomodo possum fabricare domum Deo, qui teneor jugo servitutis obnoxius, et cum a domino meo vix diurni panis mihi prorogetur annona, ad ædificandum domum Deo unde mihi sufficiens potest esse substantia? Quasi videntur rationabiliter respondisse. Sed si responsionem nostram velint libenter accipere, nullatenus se ab ædificatione domus Dei poterunt excusare. Respondemus ergo primitus pauperi quod donaverit Dominus, ut ipse potius ædificetur dum ad ædificandum domum Deo salubriter admonetur. Audi quisquis de paupertate conquereris, et ideo ad ædificandum domum Dei te invalidum protestaris. Quare solam attendis paupertatem tuam, et despicis interiorem substantiam? Ibi enim domum Deo construere, ibi oportet te spiritualibus divitiis abundare: Proinde si pauper es inopia terrenæ facultatis, esto dives abundantia charitatis; non possides villam, possides sapientiam; non est nummus in sacculo, sit Deus in animo. Esto nitidus paupertate mentis, quod multo melius est, quam si pretiosis splendeas indumentis; non habes deliciosos cibos, quibus corpus pascitur, sint tibi boni mores, quibus anima saginatur: deliciosi enim cibi quod aliud noverunt, quam in corpore nutrire libidinem? boni autem mores sanctam in corde enutriunt charitatem. Noli ergo pro magno quærere divitias, quæ hic remanebunt; spirituales enim divitias si habueris, pauper non eris; imo si talis fueris, ut per corporales divitias spirituales inquiras, in eo vere dives eris, quia pauper laudabilis eris: Sic vere domum Deo ædificabis, quia ipsa domus Dei tu eris. Ædificando quippe domum Dei non necesse est abundantia nummorum, quia non placet Deo numerositas solidorum, sed puritas animorum. Veram ergo domum Dei charitas ædificat, non facultas. Quod nobis donavit Deus respondimus pauperi; tempus est ut respondeamus et humili. Opponit enim nobis excusatione, quia nullum habuit in sæculo celsitudinis dignitatem.

II. Audi, et esto, charissime, humilis in corde, ut ob hoc existimes domum Dei ædificare te posse. Hic militas tua plus sit in voluntate, quam in necessitate. Esto humilis in corde, et incipiens in te domum Deo ædificare. Ipse enim dicit: *Super quem requiescit Spiritus meus, nisi super humilem, et quietum, et tremontem verba mea* (*Isai.* lxvi, 2). Quanto ergo te fecit voluntas humilem, tanto te cognosce esse in sublimem; et in quantum servaberis humilitatem cordis, in tantum Deo sanctissima fabricabis.

III. Jam nunc servis respondeamus, qui dum nobis opponunt servitutis conditionem, putant sibi ad fabricandum domum Deo nullam suppetere facultatem. Audi quisquis es temporaliter servus, quisquis teneris quocumque jure dominationis obstrictus, qui quis conditione qualibet obnoxius, ut ædifices domum Deo esto servus, esto et liber. Esto servus humiliter obediendo, esto liber fideliter serviendo, esto servus Domini tui, et noli esse servus peccati. Cum servieris homini, Deum cogita, Dei præcepta conserva, Dei voluntati semper obtempera, a Deo mercedem benæ servituris expecta: custodi fidem, fuge fraudem, cognosce Deo te reddere rationem de omni opere tuo: non te faciat pigritia contemptorem, non segnitia negligentem. Ista fiet, ut dum bonam exhibes servitutem, a Deo recipies perpetuam libertatem. Sit ergo in tuo corpore libertas, quæ in se habet veras magnasque divitias, non quibus homo mortalis inflatur, sed ex quibus Deo domus delectabilis fabricatur. *Apud Deum enim, ubi non est servus neque liber* (*Galat.* iii, 23), ille veram domum Deo ædificat, qui bonam conversationem in Dei timore conservat. Quantum existimo, fratres, donante Domino, pauperibus, humilibus, servisque respondimus, ut agnoscant ædificare se debere domum Deo non extra se, sed in se. Verumtamen quia et divitum et pauperum, et sublimium et humilium, et dominorum et servorum servi sumus in Christo, quia ipse hoc præcepit, qui primum hoc fecit, *Qui cum sit verus dives, pro nobis pauper factus est, ut illius paupertate nos divites essemus* (2 *Cor.* viii, 9); cum sit verus Altissimus, *Humiliavit semetipsum pro nobis factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (*Philip.* ii, 8); cumque sit verus rerum omnium Dominus, semetipsum servus fecit, quando formam servi non solum pro nobis, verum ex nobis accepit. Ergo quia in Christo servi omnium sumus, sicut pauperibus, humilibus, et servis, ita divitibus, et sublimibus, et dominis debemus servitutem nostri redhibere sermonis. Facilius enim solet et divites facultas inflare, et sublimes dignitas ventilare, et dominos potestas extollere. Proinde ipsi sunt sollicitius instruendi, ut studium quod habent in construendis Ecclesiis adhibeant semper operibus bonis, domumque veram Deo in semetipsis ædificent, cujus sancta ædificatio nulla vetustate concidat, nulla reprehensione succumbat. Vos ergo nunc alloquimur, vos in charitate ipsius nostri ædificatoris hortamur, qui divitiis abundatis, qui honoribus excellitis, qui dominatione potestatis gaudetis. Curam gerite, ut domum

Dei ædificetis in vobis non lapidibus, et lignis, sed moribus sanctis. Talis autem erit ædificatio vestra, qualis fuerit operatio vestra. Principaliter itaque estote stabiles in fundamento, et permanete in Christo. Deinde contra ipsam copiam, et abundantiam vestram custodite congruam in corde cautelam. Tunc enim ædificatis Deo veram domum, si nullum patiamini vestræ animæ detrimentum. Fugite superbiam, si non vultis pati ruinam; *Nolite sperare in incerto divitiarum* (1 *Tim.* VI, 17), et stabile semper habetis ædificii firmamentum. Divites estote semper in operibus bonis, ut non destructioni, sed ædificationi vestræ proficiant. Estote proni ad misericordiam, et nolite esse faciles ad rapinam. Facultas vestra non sit violenta; dignitas vestra non sit superba; potestas vestra non sit injusta. Omnes ergo fideles ædificate domum Deo bene vivendo. Attendamus, fratres, quid nos beatus Petrus admoneat, et quomodo nobis curam hujus ædificationis injungat. Dicit enim: *Et vos tanquam lapides vivi superædificamini domus spirituales* (1 *Petr.* II, 5). Ecce, fratres, in ista Ecclesia, quam cernimus, quomodo nobis placet lux, novitas, et firmitas. Proinde et nos, qui domus Dei sumus, bonis operibus luceamus, *Veterem hominem deponamus* (*Ephes.* IV, 22), et novum laudabiliter induamus; firmitatem quoque sanctæ charitatis indefessam jugiter habeamus. Ecce videmus columnas, quibus sunt superpositi parietes, videmus etiam lapides in ædificio sibi invicem cohærentes. Qui sunt in domo Dei columnæ, a quibus lapidum multitudo portatur, nisi viri spirituales, per quos multitudo fidelium gubernatur? Qui sunt lapides mutua sibi connexione conjuncti, nisi omnes fideles, qui sunt unitatis vinculo colligati, qui habentes animam unam et cor unum in Deum, ædificant in semetipsis Deo habitaculum sempiternum? Conjungantur ergo lapides vivi lapidibus vivis in ædificio domus Dei; adhæreant sibi invicem sancti lapides, et insolubiliter socientur non admixtione calcis, sed dulcedine charitatis. Quisquis ergo intras in domum Dei, esto domus Dei; custodi fidem, tene unitatis Ecclesiæ charitatem, *Declina a malo, et fac bonum* (*Psal.* XXXVI, 28), fuge avaritiam, dilige misericordiam, fuge fornicationem, dilige castitatem; et si nondum potes esse in domo Dei columna, ut onus multorum lapidum portes, esto lapis adhærens lapidibus, ut in ædificio perseveres. Bonum est quidem, ut ædifices Deo etiam visibilem domum in jure tuo, in solo tuo, in prædio tuo; sed multum melius est ut ædifices Deo domum invisibilem in animo tuo. Extra te est domus orationis humanæ, intra te sit domus orationis tuæ. Hic frequenter habeto illam, et in te jugiter porta: ibi te Deus tanto exaudiet libentius, quanto in ea dignatur licentius habitare. In corde ergo tuo domum Deo semper ædifica, ipsam munda, illam Deo præpara, ubi et in Deum semper possis habere præsentem, et ille te salubriter audiat orantem. Cui est honor, et regnum, et summa potestas in sæcula sæculorum. Amen.

# INDEX SUPLEMENTI.

## SERMONES RECENS EDITI A MICHAELE DIONYSIO,

CUI INDICI JUNGIMUS INITIA SERMONUM.


PRÆFATIO. 813-814

SERMO I. De Cereo paschali. *Deo et Domino nostro.* 817

SERMO II. In Sabbato sancto. *Multas divinas lectiones.* 821

SERMO III. De Sacramento altaris ad infantes. *Reddendi sermonis officium.* 826

SERMO IV. De Paschate. *Sicut veritas per apostolos.* 828

SERMO V. Iterum de Paschate. *Audivimus Evangelium. Lecta est.* 850

SERMO VI. Iterum de Sacramento altaris ad infantes. *Hoc quod videtis.* 854

SERMO VII. De Paschate. *Dies Paschæ nos celebrare.* 856

SERMO VIII. In octava Paschatis ad infantes. *Sermo mihi est ad vos, modo nati.* 858

SERMO IX. De Psalmi CXVII, vers. 1. *Confitemini Domino. Quod nos voce,* etc. 841

SERMO X. De Psalmi CXLIX, vers. 1. *Cantate Domino canticum novum. Venerunt dies ut cantemus.* 845

SERMO XI. In Natali Joannis Baptistæ. *Loquimur Charitati vestræ.* 846

SERMO XII. In vigiliis apostolorum Petri et Pauli. *Omnia, quæ modo leguntur.* 851

SERMO XIII. In Natali Laurentii martyris. *Propter fastidium auditoris.* 855

SERMO XIV. In Natali Cypriani martyris. *Sancta solemnitas beatissimi Martyris.* 862

SERMO XV. Item in Natali Cypriani martyris. *Psalmum cantavimus: Benedictus.* 866

SERMO XVI. In Natali Martyrum Scilitanorum. *Martyres sancti, testes Dei.* 869

SERMO XVII. In solemnitate sanctorum Machabæorum. *Evangelium et verbum Dei vivum.* 874

SERMO XVIII. In Natali Quadrati martyris. *Præclare Dominus Deus noster.* 881

SERMO XIX. De verbis Apostoli I Cor. XII, 31. *Supereminentem vobis viam demonstro. Bonum est loqui.* 887

SERMO XX. De verbis Psalmi XXXVIII, 1-5: *Dixi: Custodiam vias meas,* etc. *Christianorum est, quotidie.* 898

SERMO XXI. De verbis Psalmi XXXIII, 1: *Exultate, justi, Domino. In Dei laude gaudere.* 908

SERMO XXII. De verbis Psalmi LI, 18: *Speravi in misericordia Dei. Primo respondeam fratri* 915

SERMO XXIII. De verbis Psalmi CXLV, 1: *Laudabo Dominum in vita mea. De verbis istius Psalmi.* 917

SERMO XXIV. De verbis Evangelii Luc. XVI, 19-31: *Homo quidam erat dives,* etc. *Christianorum fides.* 921

SERMO XXV. De verbis Evangelii Matth. XII, 41-51: *Ecce plus quam Jonas hic. Ea quæ de sancto Evangelio.* 952


## SERMONES X RECENS EDITI AB OCTAVIO FRAJA FRANGIPANE.


DEDICATIO PIO PAPÆ VII. 939-940

PRÆLOQUIUM EDITORIS. Ibid.

SERMO I. De decem plagis, et decem præceptis, quæ per Mosen data sunt populo Judæorum. *Domino Deo nostro.* 945

SERMO II. De proprio Natali. *Hodiernus dies, fratres.* 960

SERMO III. De contemptu temporalium rerum. *Admonet nos et solemnitas.* 971

SERMO IV. De Natali Domini. *Sanctificavit nobis istum diem dies.* 980

SERMO V. De verbis Apostoli ad Galatas VI, 1. *Si præoccupatus fuero. Recolite commemorantem.* 983

SERMO VI. De pluribus Martyribus. *Martyrum gravium nomen est.* 988

SERMO VII. De sancto Joanne Baptista. *Quoniam voluit Dominus.* 991

SERMO VIII. Iterum de sancto Joanne Baptista. *Fratres charissimi, natalem hodie.* 994

SERMO IX. De Evangelio Luc. XVII. *Finite et diminuetur tibi. Præceptum salubérrimum.* 997

SERMO X. In Dedicatione Ecclesiæ. *Admoneo vos, dilectissimi, ut domus.* 1000


FINIS TOMI UNDECIMI.

Ex typis MIGNE, in Petit Montrouge.

AD OPERA

# SANCTI AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

# SUPPLEMENTUM

COMPLECTENS

CELEBERRIMAS CRITICORUM ET DEFENSORUM SANCTI DOCTORIS

## IN EJUS OPERA DISQUISITIONES,

NECNON IPSIUS

## SANCTI AUGUSTINI OPUSCULA

A VARIIS ANECDOTORUM COLLECTORIBUS, NEMPE AMADUTIO, MAIO, MINGARELLI, FONTANI, E TENEBRIS ERUTA.

ACCEDIT

## VARIANTIUM LECTIONUM

IN SANCTI PATRIS SERMONES SIVE GENUINOS SIVE SUPPOSITITIOS,

NOVISSIMA COLLECTIO QUAM E VARIIS MANUSCRIPTIS ERUERUNT DOCTISSIMI

A.-B. Caillau et B. Saint-Yves.

## TOMUS UNICUS

OMNIBUS AUGUSTINIANÆ DOCTRINÆ STUDIOSIS DESIDERABILIS, IMO NECESSARIUS, QUACUMQUE ET QUANTUMVIS COMMENDANDA OPERUM EJUS EDITIONE FRUANTUR: NULLA, INTER NUMERO PROPEMODUM INFINITAS QUÆ AB ORTU TYPOGRAPHIÆ PRODIERUNT, RARISSIMA PRETIOSISSIMAQUE MONUMENTA CONTINENTE QUÆ NOS PRIMUM, NE SCILICET IMMORTALE S. PATRIS ÆDIFICIUM CORONIDE LITTERATORUM VOTIS EXOPTATA DIUTIUS CAREAT, COLLIGERE SUSCEPIMUS.

VENIT SEPTEM FRANCIS GALLICIS.

PARISIIS, VENIT APUD EDITOREM,
IN VIA DICTA D'AMBOISE PROPE PORTAM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

1849

# ELENCHUS AUCTORUM

## QUORUM OPERA IN HOC TOMO XLVII CONTINENTUR.


**PHEREPONUS SIVE CLERICUS.**

Variorum exercitationes in S. Augustini opera. col. 197

**NORISIUS.**

Vindiciæ Augustinianæ. 571

**MERLIN.**

Tractatus tres Gallice adornati in defensionem S. Augustini. 883

**FONTANI.**

Collectio quatuor opusculorum S. Augustini antehac anecdotorum. 1113

**MAI.**

Collectio quatuor sermonum quos ipse primus e tenebris eruit. 1139

**A. B. CAILLAU ET SAINT-YVES.**

Variantes lectiones operum S. Augustini ab ipsis ex variis codicibus collectæ. 1157



Ex typis MIGNE, au Petit-Montrouge.

# SUPPLEMENTUM

## AD OPERA

# S. AUR. AUGUSTINI.

### HIPPONENSIS EPISCOPI.

## NOTITIA LITTERARIA

### IN VITA, SCRIPTIS ET EDITIONIBUS OPERUM S. AUGUSTINI.

(Schœnemanni Biblioth. Lipsiæ 1794.)

### CAPUT PRIMUM.

*Vita S. Augustini.*

Natus est Tagastæ, obscuro Africæ oppido, in mediterranea Numidiæ parte, haud procul a Madauris et Hippone Regio sito, idibus Novembris anno CCCLIV, i. e. trecentesimo quinquagesimo quarto, parentibus honestis de Curialium, seu eorum qui munia publica procurabant in municipiis, numero, ut tradit Possidius. Pater erat Patricius, mediocri fortuna, sed liberali et propenso in omnes animo, simul tamen iracundus et ferox, ut ipsum pinxit Augustinus (*a*); fidem Christianam sub finem vitæ demum amplexus; mater Monica, clarissimum inter Christianos nomen, quæ liberos suos ab incunabulis statim religionis Christianæ sensu et amore imbuit. De infantia sua, prima educatione, et institutione deinde puerilis ætatis ipse plura retulit in Confessionibus, quam ad sequentia vitæ ejus acta illustranda opus erat et conducibile. Vividum fuit scilicet aut fervidum potius pueri et adolescentis ingenium, partim a sanguine parentis, partim cœli natura. Jam pater liberos suos, ut ex variis elucet, quæ memoriæ de eo Augustinus prodidit, medullitus amabat et in sinu gaudebat de quibuscumque aut ingenii aut corporis quas exsererent viribus; mater pia sane nec minus prudens, plurimum tamen indulsit appetitui filii, qui, si strenue litteras disceret, satis bene educari videbatur. Hinc semina ingentium vitiorum simul cum ætate maturescente succreverant, quæ si non ipsum penitus perdidissent, videbantur tamen a fide christiana abstrahere et plane reddere alienum. Postquam Madauris aliquamdiu Latinis imprimis litteris et oratoriæ artis elementis vacasset, nam Græcarum litterarum tum eum tædebat et postea nonnisi leviter eas attigit; Carthaginem missus est, ut eloquentiæ, qua sola tunc hominibus mediocri loco natis ad gloriam et opes aut in foro aut in academiis consequendas patebat via, studium excoleret; quem in finem, ut ipse narrat, pater gloriæ cupidus plus sumptuum, quam domesticæ paterentur facultates, ei suppeditabat. Ibi tum fiebat, ut, cum aliquantisper et urbis et commilitonum exemplis pellectus et suapte natura proclivis, nec angustias fortunarum sentiens, dissolutiori vitæ sese dedisset, annum vix decimum octavum natus *Adeodatum* filium ex concubina susciperet, quem puerum frugi et acris ingenii non semel in scriptis suis laudat et immatura morte in ipso adolescentiæ flore sibi ereptum doluit. Sed antequam ei hic puer natus esset, patre orbatus est, nec tamen magnam inde studiorum suorum jacturam fecit, siquidem et mater quibuscumque posset modis necessaria ei prospexit, et Romaniani cujusdam, quem idcirco enixe prædicat, liberalitas effecit, ne ei quidquam non solum ad necessitatem, sed et jucunditatem vitæ deesset. Circa id tempus agebat vero ætatis annum undevigesimum, ad sapientiæ seu philosophiæ cognitionem se applicuit, incitatus subito libro Ciceronis, qui Hortensius erat inscriptus et ad sapientiam amplectendam hortabatur; quæ cogitatio sic totum eum cepit et ad tempus tenuit, ut, sepositis extemplo oratoriis exercitationibus, omnes spes rationum suarum, quæ non cum illa conjungi posse, et ex ea quasi nasci viderentur, abjiceret et fastidiret; tametsi deliberabundus adhuc velut inter anfractus et confragosa hæreret, qualis via sibi ingredienda esset. Ex una parte interiore quadam mentis agitatione, quam religionis aliquis sensus ex prima pueritiæ perceptione residuus tetigit et quasi afflavit, ad Christianam doctrinam ferebatur, ex altera parte variæ ac multiplices veterum Græcorum et Romanorum sapientium scholæ eum

(*a*) Conf. l. IX, n. 9 et 19.

invitabant. Sed cum semel inter hæc Scripturas sa- A eras legere cœpisset, tantum subito eum cepit humilis earum et vilis, ut ipsi, Tullianam dignitatem spiranti, videbatur, dictionis tædium, ut non magis declinasse quam refugisse hanc semitam dici possit. Tradidit ergo se alteris, non tamen magistri alicujus institutioni confidens, sed suopte studio. Arripuit primum Aristotelis Categorias, quas a rhetore Carthaginensi magistro suo mirifice commendari audierat, easque solus non solum legit, sed percepit etiam, ut ex sermonibus cum iis, qui easdem in schola cum voce, tum figuris in pulvere depictis dicerant, institutis expertus est. Ab eo tempore pariter omnes liberalium artium libros per se ipsum legit, et intellexit quoscumque legere poterat, et quidquid de arte loquendi et disserendi, quidquid de B dimensionibus figurarum et de musicis et de numeris, sine magna difficultate et nullo hominum tradente. Per hanc ipsam de sapientia consequenda sollicitudinem incidit in Manichæos, quos postea, cum probe illos cognovisset, apte vocat homines *superbe delirantes, carnales et loquaces*. Nam cum nescio quam reconditam et abstrusam assecti sibus suis initiandis pollicerentur sapientiam : nugas et vana acumina venditabant, et sobrietatem castitatemque in ore gerentes vitam omni nequitiarum et turpitudinis genere commaculabant. Quæ quamquam Augustini perspicacem animum fugere non poterant, non impedire tamen potuerunt, quominus per novem integros annos, ingenti matris dolore, eos sequeretur. Quare quod ipsum in consortio eorum C retinuit, nihil pene aliud fuisse videtur, quam spes jucunda, fore, ut, superatis auditoris aliisque discentium docentiumque gradibus, ad mysteria tandem penetraret. Docuit interea temporis primum Tagastæ, quo ad tempus se contulerat, grammaticam, et postquam inde Carthaginem rediisset, ibi rhetoricam professus est. Scripsit tum quoque, anno ætatis vicesimo sexto aut septimo, primos libros suos *de Apto et Pulchro*, sed qui jam tum, cum Confessiones scriberet, interciderant. Inter hæc accidit, ut amici quidam ejus, qui Romam proficiscendi consilium ceperant, ipsi quoque, et honoris majoris et amplioris emolumenti in ea urbe, quæ litterarum studia præmiis uberrimis aleret et ubi juvenes magistrorum subsellia frequentantes morum modestia et studiorum quodam ordine longe a ferocia Carthaginensium abhorrerent, ostentatione, ut secum iter faceret persuaderent. Vix autem e matris amplexibus arte quadam se extorsit, et cum tandem Romam appulisset, gravi morbo, qui morti propinquum fecit, implicatus est, ex quo simul ac paulisper convaluisset, scholas aperit et discipulos longe quidem a Carthaginensium licentia alienos sensit; sed quod iidem pessime audirent ob turpitudinem, qua in fraudem magistri, cui mercedem deberent, quasi conspirarent, eumque, ubi aliquamdiu audiissent, desererent et ad alium transirent; et hæc sprevit. Posteaquam igitur Mediolanenses a præfecto urbis Symmacho petiissent, ut sibi rhetoricæ magistrum provideret, Augustinus hanc provinciam ambivit et dictione proposita probatus Mediolanum ab eo missus est anno circiter 384.

Hic vero locus fuit, unde totius vitæ ejus conversio et commutatio originem duxit. Nam cum Ambrosii urbis illius episcopi sermones, quos statis diebus ad populum habere solebat, nulla quidem ab initio alia de causa, quam ob eloquii suavitatem, frequentasset, sensim cum verbis res ipsæ animum ejus penetrarunt, et primum quidem Manichæorum dogmata, quæ diu quidem falsi convincere optabat, concusserunt; mox ubi ipse tandem omnibus ingenii animique viribus obniti cœpisset, funditus everterunt. Fuit sub recentem hanc de hæresi sua inveterata victoriam, cum mater ejus, quæ a prima filii in Italiam transfretatione consolari non potuisset, Mediolanum accederet; quam mirifica de novo rerum statu lætitia cepit. Sed etsi illam quidem hæresin exuisset et catholicæ fidei redditus videretur, incertus tamen, quem vitæ et studiorum cursum in posterum teneret, dubiorum aculeis et consiliorum celeri fluctuatione vexatus ac jactatus est. Animum modo huic, modo illi adjicit; quæ modo cœpisset, medio opere rursus dimisit et in aliis viam vix ingressus substitit. Erat vero nullus tum non solum in rebus suis, sed et in alienis casus tam fortuitus, quin nova aliqua sollicitudine animum ejus maceraret aut novo aliquo proposito accenderet. Non parum etiam aluit et auxit hanc animi concitationem et ex crebro sensuum impulsu et affectuum vehementia conflictuum Platonicorum lectio, cui plurimum tempus tribuebat. Addidit his Pauli epistolas, quarum obscurior sensus cum gravitate conjunctus facile intelligi potest, quantopere animum inter metus et terrores omnisque generis phantasmata suspensum percellere debuerit. His accedebant quotidianæ confabulationes cum Alypio et Nebridio familiaribus, quorum hic Carthagine Mediolanum nullam aliam ob causam se contulerat, quam ut ipsi adhærere posset, ille diu noctuque consilia de vitæ communione et perpetua invicem societate instituenda agitabat. Adde matris nullo non tempore quiescentem sollicitudinem, gemitus et preces, quas indefessa cum in templis, tum domi, pro filii salute ad Deum effunderet, et quæ Augustinum latere minime poterant, immo et ipsius cum eo conversationis partem plurimam efficiebant; itemque Ambrosii monita et cohortationes aut amicas reprehensiones : et intelliges, paucos futuros fuisse, quos tantæ animi perturbationes non fregissent et penitus oppressissent. Aliter tamen Augustino pro ingenii felicitate et ignea imaginationis ejus natura accidit. Nam cum ipse et Alypius a Pontitiano quodam, Afro genere, in palatio Valentiniani Mediolani militante, vitam S. Antonii enarrari audiisset, tantus ex ea auditione omnia mentis sensa et ideas superavit pectoris tumultus et exæstuans affectus, ut excluso omni rerum externarum impulsu, cœlum velut cogitatione

peteret, et numen ipsum quasi intercedere huic fremitui cogeret. Nam subito divinitus, ut ipsi videbatur, audita voce, omnis hic furor resedit et leniori-bus de vitæ ratione conformanda deliberationibus locum fecit.

Primum igitur (accidit vero a. 386) omnibus terrestribus curis valedicere statuit, refugit consilium quod ipsi sederat novissimum, uxoris ducendæ, gloriæ item ex litteris capiendæ fastidium subiit, et insecutis mox vindemialibus feriis magisterio suo sese abdicavit; atque sic gravissimis muneris et cupiditatum vinculis exsolutus, in rus (villam *Cassiacum*) concessit, et in matris amicorumque congressionibus de quæstionibus utilibus nec raro subtilibus otium sanctum et Deo totum dicatum exegit. Varia, quæ ex illius cum amicis colloquiis per idem spatium enata et ab eo edita sunt opuscula, facile ex temporis quam singula in recensu præferunt nota cognosci possunt. Ex hoc recessu tandem Mediolanum rediit, ut sacrum baptismum per Ambrosium susciperet; quod contigit in Paschatis pervigilio, nocte ante 25 aprilem a. 387. Paulo post ipsi et amicis Alypio et Evodio, Tagastensi eodem, cum simul Deo servire unaque habitare proposuissent, eorumque omnium curam Monica, perinde ac si singulorum parens exstitisset, gereret, in Africam remeare ibique locum vitæ suæ instituto aptum quærere placuit. Cum eo erat Navigius frater et Adeodatus filius : sed cum ad Ostia Tiberina pervenisset, mater optima subito morbo correpta (paucis ut Benedictini supputant diebus ante idus Novembres a. 387) decessit. Dolorem ex ejus obitu sibi inflictum verissimis verbis expressit, dum *quasi dilaniatam sibi vitam, quæ una facta fuerit ex sua et illius* diceret (*a*). Jam vero hac tam dulci itineris comite orbatus, dilato ad tempus in Africam reditu, Romam divertitur. Ubi cum antea cum Manichæis familiarissime vixisset, iidemque interceptam discessu ejus consuetudinem revocare cuperent, ille vero refugeret iisque errores suos et pravitatem vitæ serio exprobraret, post varias ab initio velitationes, tandem in apertum illud adversus eos cunctos ac singulos bellum prorupit, quod sine ulla virium et animi relaxatione ad obitum usque acerrime voce et scriptis gessit. Scripsit itaque, Romæ constitutus, sine intercapedine libros, quorum fama mox omnem Africam est pervagata, *de Moribus Ecclesiæ catholicæ* et *de Moribus Manichæorum*, in quibus jactantiam eorum de falsa et fallaci sua continentia reprimere studuit; ibidemque opus de *Libero arbitrio* contra disputationes eorum de origine mali, quod illi ab immutabili quadam et Deo coæterna natura deducebant, ipse ex libero voluntatis arbitrio derivabat, inchoavit. Nondum autem in his libris (quorum primum tantum Romæ conscripsit, reliquos duos jam presbyter addidit) attigit quæstionem *de gratia Dei, qua suos electos sic prædestinasset, ut eorum, qui jam in eis uterentur libero arbitrio, ipse etiam præparet voluntates*, quoniam id solum quæstionis erat, *unde malum*, non *unde redeatur ad pristinum vel ad majus perveniatur bonum* (*b*). At sæpe postea a Pelagianis ad hos ipsos libros, quasi eorum causam in iis egisset, provocatum est, nec parum ipsum sollicitum habuit in Retractationum libris, ut eorum quæ tunc disputasset, cum serioribus opinionibus suis nexum et quasi cognationem ostenderet. Roma digressus mense Augusto vel Septembre anni 388. Africam exeunte hieme appulit et per Carthaginem Tagastam petiit, ubi ruri, id est, agris paternis, qui hæreditario jure ipsi obtigerant (*c*), vivere constituit; ac transegit ibi fere triennium procul ab omnibus sæculi curis, meditationibus et exercitiis sacris vacans, ac nihil pene a monacho differens. Assumpserat vero ad idem vitæ institutum, quod ipsum, vel locum ubi degebant, *monasterium* appellat (*d*), amicos quosdam, quorum numerum augeri haud ægre patiebatur. Interim et scriptorum suorum, quæ identidem sat grandibus voluminibus emisit, et hujus speciosæ vitæ fama usquequaque adeo percrebuerat, ut et secessus ejus resonaret, et ipse ea loca, quibus episcopus deesset, accedere caveret, metuens, ne, si qui agnoscerent, invitus ad episcopatum traheretur. Tanto magis improvisum ei accidit, quod, cum amici cujusdam gratia, quem Deo se lucrari posse putabat, ut secum in monasterio esset, sub finem anni 391 Hipponem Regium, securus, quia episcopum locus haberet, adiisset, ibique Valerii interesset concionibus, subito ad monitum illius de ordinandi presbyteri necessitate, magno cum tumultu et clamore omnium raperetur et quantumvis repugnaret, crearetur presbyter. Ferunt tunc quosdam, cum lacrymas eum effundere vidissent, suspicatos, eas pœnitentiæ deberi, quod non continuo episcopus factus esset, studuisse consolari suggerendo, presbyterium quidem infra dignitatem ejus esse, proxime tamen ad episcopatum accedere: At alia et dignior ipsi erat lacrymarum causa, ut non semel in scriptis suis professus est. Quippe longe augustior et gravior ipsi quam vulgo plerisque eam ambientibus omnis hæc sacrorum officiorum provincia videbatur, et metuebat, ne tantum non in se præsidii haberet, quam ad eam rite obeundam opus esset. Quapropter etiam id temporis, quod interesset ab ordinatione sua ad Paschatis festum a. 392, dari sibi ad præparandum optavit, et cum impetrasset, in solitudinem se recepit. Igitur muneris illius primordia ex hoc demum tempore juste repeti posse videntur. Prima autem ipsius cura fuit, ut Hippone quoque monasterium institueret, in quo vota ejus adjuvit Valerius, horto Ecclesiæ Hip-

(*a*) Confess., l. IX, c. 12, n. 30.
(*b*) Retract., l. I, cap. 9, § 2.
(*c*) Possidius in Vita Augustini, c. 3, narrat eum agros suos, simul ac Tagastam rediisset, vendidisse et pretium distribuisse pauperibus. Quod si vere ab illo proditum fuit, necesse est, eum vel in alimatis aut alienis plane degisse, aut saltem partem de suis retinuisse.
(*d*) Sermo 355, c. 1, n. 2.

ponensis ad hunc usum ei concesso. Aliam deinde et præclaram de Ecclesia bene merendi et simul nomen suum illustrandi occasionem nactus est per eumdem Valerium, eo quod ipsi coram se concionandi potestatem faceret. Quod quidem antehac a presbyteris fieri insolitum in Ecclesiis Latinis, mox ubi præivisset Valerius, Græcus natione scilicet et Latini sermonis usu tardior, plures per Africam episcopi imitati sunt. Nec vero desiit inter hæc et cætera muneris avocamenta scriptis insigniora fidei capita aut illustrare et apud suos corroborare, aut contra aliter ac prave sentientes astruere et defendere; assiduum insuper ipsi cum amicis tam propinquis loco, quam remotissimis permultis, fuit commercium. Tanta vero fuit hujus presbyteri apud omnes etiam Africæ episcopos citra invidiam existimatio, ut summa dignitate inter eos viri, veluti Aurelius, consilia ejus lubenter admitterent, et cuncti adeo in concilio Hipponensi a. 393, sine exemplo coram ipsis *de fide et symbolo* sermonem facere eum juberent. Quibus omnibus de causis haudquaquam sane inanibus metuens Valerius, ne, sicubi episcopus deesset, ad Ecclesiam illam regendam subito evocaretur, petiit ab Aurelio Carthaginis episcopo totiusque Africæ primati, ut sibi liceret eum collegam et coepiscopum suum facere. Quod ubi impetrasset, mox clero et populo suo pluribusque episcopis præsentibus significavit et magno cum omnium consensu a Megalio episcopo Calamensi Numidiæ primati, cujus hæ partes erant, postulavit, ut episcopum ordinaret. Intercedebat quidem ejus ordinationi, criminis nescio cujus eum insimulans Megalius; sed ubi falsum illud esse, in hoc ipso litigio cognovisset, pœnituit eum calumniæ, nec diutius in ordinationem ejus consensum cohibuit. Sed et ipse Augustinus reluctabatur et non nisi prolatis variis, non Africanis modo, sed transmarinis exemplis, quæ ab Ecclesiæ consuetudine non abhorrere probarent, ut vivente adhuc episcopo alius eidem Ecclesiæ præficeretur, vinci potuit. Apte hoc loco ad ingenium hominis declarandum de recusatione ejus excidit Benedictinis : *Non minor erat ejus modestia et religio, quam tot illustrium virorum, qui ætate illa, ut episcopatum susciperent, sicuti scribit* (*a*), *tenebantur inviti, perducebantur, includebantur, custodiebantur, patiebantur tanta quæ nolebant, donec eis adesset voluntas suscipiendi operis boni.* Contigit ordinatio ejus exeunte anno 395 aut sub initium sequentis. In hanc vero tam insignem dignitatem ipse tantum de suo transfudit honorem atque claritudinem, ut nullum eo illustriorem episcopum Ecclesia Latina noverit. Nam etsi jam ante susceptum episcopatum summa esset presbyteri celebritas, nec ipsos episcopos puderet ejus consilia et vota exsequi, nulla tamen erat auctoritas ejus legibus ecclesiasticis confirmata, circumscriptaque agendi licentia alieno arbitrio. Ex quo vero semel ad regendam Ecclesiam Hipponensem evectus est, ex ejus nutu atque ordinatione non solum Valerius coepiscopus, sed Aurelius etiam Carthaginensis episcopus et totius Africæ primas, totaque cum eo Ecclesia Africana, quin immo transmarinæ Ecclesiæ per totum Occidentem, plurimæque in Orientis partibus pependerunt.

Nostrum quidem in præsenti non est omnium ejus factorum gestorumque historiam contexere, quippe quæ cum universa temporum illorum ac eventuum serie tam arcte cohærent, ut sine accurata istorum enarratione parum concinne fieri possit, nec, si locus minus esset alienus, nostram operam post tot summorum virorum diligentiam requirant. Exspectabitur vero imago viri, qualis ab hoc tempore fuerit, ex scriptis ejus gestorumque memoria expressa, in qua, si minus acute viderim, qui colorum delectus esset habendus, id reprehendi non ægre patiar. Ac primum quidem huc facit vitæ privatæ ejus consideratio. Natura vehemens erat, facileque sensibus commovebatur, ita ut quæcumque objicerentur, subito complecteretur, modumque non raro in fruendo excederet. Exercitiis ergo quotidianis huic animi morbo ac imbecillitati mederi instituerat, nempe contemplatione sui ipsius ac investigatione vitiorum, prece porro continua et studio amorem Dei in se augendi. Ac hoc postremum quidem potissimum fuit præsidium, quo contra cupiditatum impetus ac insidias uti soleret. Nimirum ut celeres istos sensuum motus et crebras vibrationes aut sisteret aut saltem præpediret, alio convertere opus habuit interna quadam contentione animique ad sublimiores cogitationes evectione aut potius raptu, quo plurimum omni tempore ac in omni contemplationis genere homines vividi ingenii potuisse compertum est. Nec vero iste nisus infirmioris erat cerebri, aut mentem ejus de statu deturbabat, sed utebatur etiam in his ratiocinatione quadam ipsi propria et velut ex perfecta cognitione et propiori aspectu inflammari videbatur. Hinc querebatur apud se de lassitudine sua, quæ impediret, quominus Deum, prout vellet, amaret. Metuens scilicet corporis imaginem in Deo concipere, sensu tamen amplecti cupiebat, quæ solius intellectus erant. Nam pulchritudinem et dulcedinem Dei laudat et in amplexus ejus vitam suam currere dicit et cum illo quasi amico et familiari blando sermone, colloquebatur (*b*). Nec tamen emen-

(*a*) Ipsius verba in *ep. ad Donatum* 173, n. 3.

(*b*) Confess. l. XIII, c. 8, n. 9 : « Da mihi te, Deus meus, redde te mihi : te enim amo, et si parum est, amem validius. Non possum metiri, ut sciam, quantum desit mihi amoris ad id quod sat est, ut currat vita mea in amplexus tuos, nec avertatur donec abscondatur in abscondito vultus tui. Hoc tantum scio, quia *male est* præter te, non solum extra me, sed et in me ipso, et omnis mihi copia quæ Deus non est, egestas est! » Ibid. lib. eod. cap. 29, et sq. fin.: « Et attendi ut invenirem, utrum septies vel octies videris, quia bona sunt opera tua, cum tibi placuerunt : et in tua visione non inveni tempora, per quæ intelligerem, quod toties videris, quæ fecisti. Et dixi, O Domine, nonne ista scriptura tua vera est quoniam tu verax et veritas edidisti eam? Cur ergo

dare inter ea cessavit, quotquot in se deprehenderet vitia, sed ita, ut non sibi illud arrogaret, sed Deum ipsum operari in se putaret, quo magis eum in dies vicissim amore complecteretur; indeque enata illa de operatione Dei in homine seu gratia divina effectrice opinio, quæ plurimum per totam vitam ejus dominata est. Cæterum erat affabilis et blandus, et tam singulis, quam toti Ecclesiæ suæ, bene cupiebat. Mores emendare haud postrema ejus erat cura, et nihil fucatæ tribuens religioni, bene discernebat, quæ ex recto animi proposito, quæve ex momentanea commotione aut levitate aliqua proficiscerentur : id quod tot ejus seu ad amicos, seu alios quoscumque, consilia, monita atque cohortationes per epistolas communicata declarant. Nec vero disciplinam Ecclesiæ severis legibus exercebat, et parcissimus erat in puniendo. Idem nec avarus in augendo Ecclesiæ patrimonio, quippe qui hæreditates non appeteret, quasdam vero sibi oblatas recusaret et redderet ; quam ob rem a nonnullis etiam reprehendebatur, quod minus Ecclesiæ bonis prospiceret. Sed vitæ solitariæ ut antea cupidissimus, cum per episcopi negotia et officia humanitatis, quæ ipsi novum munus erga hospites injungebat, sequi illam minime posset, novum monasterium in ipsa episcopali domo constituit, unde juniores alumnos ad ministeria ecclesiastica subinde provehere solebat. Ac sane multifariarum rerum administratio cum episcopi talis loci munere in Africa erat conjuncta, in quibus tamen omnibus expediendis ita se gessit, ut numquam florentiorem Ecclesiæ Africanæ statum fuisse existiment, quam cum ille summæ rerum non loci jure, sed per summam auctoritatem præesset. Nam et concionabatur non solum statis diebus absque intermissione, sed et alias creberrime et numquam sine ingenti hominum confluxu et studio. Ipse autem summo ardore ac contentione ad fatigationem usque id agebat, ut verba sua in animos penetrarent, audientes percellerent, commoverent, incenderent (*a*). Præterea respondebat quotidie iis, qui vel præsentes, vel de privatis rebus, vel de Ecclesiæ et fidei rationibus, vel de moribus, vel denique, quod frequentissime fieri solebat, de locis biblicis ipsum consultabant. Ut nihil de iis dicam, qui more jam pridem in Ecclesiis inoleto in causis litigiosis, antequam in jure desuper contenderent, arbitrium episcopi deposcere solebant; cujusmodi interpellationes non exiguo ipsi temporis impendio constabant. Quæstiones autem illæ, quas diximus crebro ad eum deferri solitas, ex momentis fere levibus erant repetitæ et ab inani et frivola Africanorum sedulitate profectæ, de quibus vere si quid umquam Erasmus pronuntiavit : *Uberiores fructus nobis dedisset illud ingenium, si in Italia Galliave vel nasci, vel vivere contigisset. Rudis erat Africa, voluptatum avida, studiorum inimica, curiosarum rerum appetens. Unde frequenter illum exercent quæstionibus frivolis, nec multum facientibus ad pietatem : et ad suæ gentis affectus sæpe cogitur attemperare calamum. Verum tali excolendo senticeto tali opus erat agricola. Quamquam digniora lectu scripturus erat, si vel ad Romanorum aut Græcorum judicia se composuisset, vel minus indulsisset simplicium imperitiæ. Sed Christiana charitas prius habet prodesse quamplurimis, quam probari præcipuis, fraternæ salutis, quam suæ gloriæ sitientior. Quosdam autem, præcipue mulierculas pia quædam habebat ambitio, pulchrum esse ducentes, qualecumque scriptum impetrasse ab episcopo. Ita factum est, ut dum vir pius omnium votis obsequitur, minus alicubi satisfaciat lectori fastidioso* (*b*). Enimvero non inter Africam solum hæc insania erat domestica; sed in Italia etiam aliisque Occidentis provinciis erant, qui omnes ab eo veluti oraculo quodam quæstiones solvi atque explicari posse putarent, quibus non litteris solum, sed integris voluminibus sæpe respondere opus habuit, dum nemini non satisfacere non magis per summam charitatem, quam laudis ac honoris causa, cujus quidem ad finem vitæ appetentissimus mansit, cuperet. Publica deinde Ecclesiæ cura sæpe eum ad concilia et synodos vocabat, in quibus partim de disciplina atque moderatione Ecclesiæ in universum tuenda reparandave, aut de singulis consuetudinibus dis-

tu mihi dicis, non esse in tua visione tempora; et ista scriptura tua mihi dicit per singulos dies, ea quæ vidisti te vidisse bona sunt? Et cum ea numerarem, inveni quoties? Ad hæc tu dicis mihi, quoniam tu es Deus meus, et dicis voce forti in aure interiore servo tuo perrumpens meam surditatem, et clamans : O homo, nempe quod Scriptura mea dicit, ego dico. Et tamen illa temporaliter dicit, Verbo autem meo tempus non accidit, quia æquali mecum æternitate consistit. Sic ea, quæ vos per spiritum meum videtis, ego video; sicut ea, quæ vos per spiritum meum dicitis, ego dico. Atque ita cum vos temporaliter ea videatis, non ego temporaliter ea video. Et audivi, Domine Deus meus, et elinxi stillam dulcedinis ex tua veritate. »

(*a*) Digna sunt verba ejus, quæ a pluribus ac vulgo solet legantur ex libro de catechizandis rudibus cap. 2, n. 3 : « Mihi prope semper sermo meus displicet. Melioris enim avidus sum, quo sæpe fruor interius, antequam eum explicare verbis sonantibus cœpero : quod ubi minus, quam mihi notus est, evolvero, contristor linguam meam cordi meo non potuisse sufficere. Totum enim quod intelligo, volo, ut, qui me audit, intelligat: et sentio, me non ita loqui, ut hoc efficiam ; maxime, quia ille intellectus quasi rapida coruscatione profundit animum : illa autem locutio tarda et longa est, longeque dissimilis; et dum ista volvitur, jam se illa in secreta sua condidit; tamen quia vestigia quædam miro modo impressit memoriæ, perdurant illa cum syllabarum morulis; atque ex iisdem vestigiis sonantia signa peragimus. *Nos autem plerumque in auditoris utilitatem vehementer ardentes*, ita loqui volumus, quemadmodum tunc intelligimus, cum per ipsam intentionem loqui non possumus. Et quia non succedit, angimur, et velut frustra operam insumamus, tædio marcescimus ; atque ex isto tædio languidior fit idem sermo et hebetior, quam erat unde perduxit tædium. *Sed mihi sæpe indicat eorum studium, qui me audire cupiunt, non ita frigidum esse eloquium meum, ut videtur mihi; et eos inde aliquid utile capere, ex eorum delectatione cognosco;* mecumque ago sedulo, ut huic exhibendo ministerio non desim, in quo illos video bene accipere quod exhibetur. »

(*b*) In præfatione epistolis præmissa, quæ est in tomo II Opp. statim in aversa tituli pagina.

ceptabatur, aut de vita et moribus clericorum singulorum judicium fiebat, aut denique pro doctrina confirmanda custodiendaque consilia salutaria agitabantur, ac hæreticorum ac schismaticorum dogmata artesque damnabantur et impugnabantur. Interfuit igitur conciliis, de quibus quidem exploratum est, Carthaginiensibus, quarto a. 398, quinto eodem anno, sexto et septimo a. 419 in causa appellationum habitis; Africano tertio a. 401, et quarto a. 407; Collationi adversus Donatistas a. 411; Cirtensi contra eosdem a. 412, et Milevitano contra Pelagianos a. 418. Atque ut nulla harum synodorum acta clariora sunt, quam quæ ad hæresium impugnationem spectarunt, ita Augustini quoque nulla vel in iisdem, vel suopte consilio gesta illustriora sunt, quam adversus suæ ætatis hæreticos.

*Hic Schœnemannus, suæ sectæ indoli nimium indulgens, S. Augustini contra hæresim nobilissimos agones tanta invidia prosequitur ut minus historicum quam sycophantam agere videatur. Quæ igitur illius Notitiæ supererant, nostrisque fuerant nimis fidenter inserta columnis, succidimus, atque ex Possidio, charta medicabili adhibita, supplemus, alibi dicta repetere quam hæretica proferre eligentes.* EDIT.

« Docebat, *inquit Possidius*, et prædicabat ille privatim et publice, in domo et in ecclesia, salutis verbum cum omni fiducia adversus Africanas hæreses, maximeque contra Donatistas, Manichæos et Paganos, libris confectis, et repentinis sermonibus, ineffabiliter admirantibus Christianis et collætantibus, et hoc ipsum ubi poterant non tacentibus, sed diffamantibus. Sicque, adjuvante Domino, levare in Africa Ecclesia catholica exorsa est caput, quæ multo tempore illic convalescentibus hæreticis, præcipueque rebaptizante Donati parte majorem multitudinem Afrorum, seducta et oppressa jacebat. Et hos ejus libros sive tractatus mirabili Dei gratia procedentes ac profluentes, instructos rationis copia, atque auctoritate sanctarum Scripturarum, ipsi quoque hæretici concurrentes cum Catholicis ingenti ardore audiebant: et quisquis, ut voluit, et potuit, notarios adhibens, etiam ea quæ dicebantur excepta descripsit.

« Ejus dicta atque excepta, maxime Donatistæ in eadem Hipponensi vel vicina manentes civitate, ad suos episcopos deferebant. Quæ cum audissent, et contra forte aliquid dicerent, aut a suis refellebantur, aut eadem responsa ad sanctum Augustinum deferebantur, eisque compertis, patienter ac leniter, et, ut scriptum est, cum timore et tremore salutem omnium operabatur (*Philipp.* II, 12): ostendens, quam nihil illi refellere voluerint ac valuerint, quamque verum manifestumque sit quod Ecclesiæ Dei fides tenet ac docet. Et hæc diebus ac noctibus ab eodem jugiter agebantur. Nam et epistolas privatas ad quosque ejusdem erroris episcopos, et eminentes scilicet laicos dedit, ratione reddita admonens atque exhortans, ut vel ab illa se pravitate corrigerent, vel certe ad disputationem venirent. At illi causæ diffidentia ne quidem unquam rescribere voluerunt: sed irati furiosa loquebantur, atque seductorem et deceptorem animarum Augustinum esse, et privatim et publice conclamabant; et ut lupum occidendum esse in defensionem gregis sui, dicebant et tractabant; omniaque peccata a Deo indubitanter esse credendum posse dimitti iis qui hoc facere ac perficere potuissent, nec Deum timentes, nec homines erubescentes. Et ut eorum causæ diffidentia cunctis innotesceret, elaboravit: et publicis gestis conventi, non sunt ausi conferre. Habebant etiam iidem Donatistæ per suas pene omnes Ecclesias inauditum hominum genus perversum ac violentum, velut sub professione continentium ambulantes, qui Circumcelliones dicebantur. Et erant in ingenti numero et turbis per omnes pene Africanas regiones constituti. Qui malis imbuti doctoribus, audacia superba et temeritate illicita, nec suis, nec alienis aliquando parcebant, contra jus fasque in causis interdicentes hominibus: et nisi obedissent, damnis gravissimis et cædibus afficiebant, armati diversis telis, bacchantes per agros villasque, usque ad sanguinis effusionem accedere non metuentes. Sed dum verbum Dei sedulo prædicaretur, et cum his qui oderant pacem, pacis ratio haberetur, illi loquentem debellabant gratis. Et cum adversus eorum dogma veritas innotesceret, qui volebant et poterant, sese inde vel eripiebant vel subducebant, et paci atque unitati Ecclesiæ cum suis quibus poterant cohærebant. Unde illi sui erroris congregationes minui videntes, atque augmentis Ecclesiæ invidentes, accensi exardescebant ira gravissima, et intolerabiles persecutiones unitati Ecclesiæ compacti faciebant; ipsisque sacerdotibus catholicis et ministris aggressiones diurnas atque nocturnas, direptionesque rerum omnium inferebant. Nam et multos Dei servos cædibus debilitaverunt. Aliquibus etiam calcem cum aceto in oculos miserunt, aliosque occiderunt. Unde etiam suis iidem Donatistæ rebaptizatores in odium veniebant.

« Aliquoties vero etiam vias armati iidem Circumcelliones contra famulum Dei Augustinum obsederunt, dum forte iret rogatus ad visitandas, instruendas et exhortandas catholicas plebes; quod ipse frequentissime faciebat. Et aliquando contigit, ut illi succenturiati hactenus perderent captionem: evenit enim Dei quidem providentia, sed ducatoris hominis errore, ut per aliam viam cum suis comitibus, sacerdos quo tendebat venisset, atque per hunc quem postea cognovit errorem, manus impias evasisset. Et cum in omnibus liberatori Deo gratias egisset, omnino suo more illi nec laicis nec clericis pepercerunt sicut publica contestantur gesta.

« Inter ea silendum non est, quod ad laudem Dei per illius tam egregii in Ecclesia viri studium domusque Dei zelum adversus prædictos rebaptizatores Donatistas gestum et perfectum est. Cum forte unus ex iis quos de suo monasterio et clero episcopos Ecclesiæ propagaverat, ad suam curam pertinentem Calamensis Ecclesiæ diœcesim visitaret, et quæ didicerat

pro pace Ecclesiæ contra illam hæresim prædicaret, A factum est ut medio itinere eorum insidias incurrisset, et pervasum cum omnibus illi comitantibus, sublatis animalibus et rebus, injuriis et cæde eum gravissima affecissent. De qua re, ne pacis Ecclesiæ amplius impediretur profectus, defensor Ecclesiæ inter leges non siluit. Et præceptus est Crispinus, qui eisdem Donatistis in Calamensi civitate et regione episcopus fuit, prædicatus scilicet et multi temporis, et doctus ad muletam teneri aurariam publicis legibus contra hæreticos constitutam. Qui resultans legibus præsentatus cum apud Proconsulem se negaret hæreticum, oborta est necessitas, ut illi recedente Ecclesiæ defensore, a catholico episcopo resisteretur, et convinceretur eum esse, quod se fuisse negaverat: quoniam si ab eodem dissimularetur, forte catholicus B episcopus ab ignorantibus hæreticus crederetur, illo se quod erat negante, atque ita ex hac dissidia infirmis scandalum nasceretur. Et memorabili Augustino antistite omnimodis instante, ad controversiam ambo illi Calamenses episcopi venerunt, et de ipsa diversa communione tertio conflictum secum egerunt, magna populorum christianorum multitudine causæ exitum, et apud Carthaginem, et per totam Africam exspectante: atque ille Crispinus proconsulari et libellari sententia est pronuntiatus hæreticus. Pro quo ille apud Cognitorem catholicus episcopus intercessit, ne auraria mulcta exigeretur; et ei est beneficium impetratum. Unde cum ingratus ad piissimum Principem provocasset, et ab Imperatore relationi debitum est responsum solutum, et consecutum est præce- C ptum, nullo prorsus loco hæreticos Donatistas esse debere, et eos ad vim legum omnium contra hæreticos latarum ubique teneri debere. Ex quo et Judex, et Officium, et idem Crispinus, quod minime fuerit exactus, præcepti sunt denas auri libras fisci juribus inferre. Sed protinus opera data est per catholicos episcopos, præcipue per sanctæ memoriæ Augustinum, ut illa omnium condemnatio principis dimitteretur indulgentia: et Domino adjuvante perfectum est. Qua diligentia et sancto studio magis magisque, juvante Christo, de die in diem augebatur et multiplicabatur pacis unitas, et Ecclesiæ Dei fraternitas. Et id maxime factum est post collationem, quæ ab universis episcopis catholicis apud Carthaginem cum eisdem Donatistarum episcopis postmodum facta est, D id jubente gloriosissimo et religiosissimo imperatore Honorio; propter quod perficiendum etiam a suo latere tribunum et notarium Marcellinum ad Africam judicem miserat. In qua controversia illi omnimodis confutati, atque de errore a Catholicis convicti, sententia Cognitoris notati sunt; et post eorum appellationem, piissimi Regis responso juste inter hæreticos condemnati sunt.

« Adversus Pelagianistas quoque, disputatores callidos, arte magis subtili et noxia scribentes, et ubicumque poterant publice et per domos loquentes, per annos ferme decem laboravit, librorum multa condens et edens, et in ecclesia populis de eodem errore frequentissime disputans. Et quoniam iidem perversi Sedi apostolicæ per suam ambitionem eamdem perfidiam persuadere conabantur, instantissime etiam conciliis Africanis sanctorum episcoporum gestum est, ut sancto papæ Urbis, et prius venerabili Innocentio, et postea sancto Zosimo ejus successori persuaderetur, quam illa secta a fide catholica et abominanda et damnanda fuisset. At illi tantæ sedis antistites, suis diversis temporibus eosdem notantes, atque a membris Ecclesiæ præcidentes, datis litteris et ad Africanas Occidentis, et ad Orientis partis Ecclesias, eos anathemandos et devitandos ab omnibus Catholicis censuerunt. Et tale de illis Ecclesiæ Dei catholicæ prolatum judicium, etiam piissimus imperator Honorius audiens ac sequens, suis eos legibus damnatos, inter hæreticos haberi debere constituit. Unde nonnulli ex eis ad sanctæ matris Ecclesiæ gremium, unde resilierant, redierunt, innotescente et prævalescente adversus illum detestabilem errorem rectæ fidei veritate.

« Et erat ille memorabilis vir, præcipuum dominici corporis membrum, circa universalis Ecclesiæ utilitatem sollicitus semper ac pervigil. Et illi divinitus donatum est, ut de suorum laborum fructu, etiam in hac vita gaudere provenisset, prius quidem in Hipponensi Ecclesia et regione, cui maxime præsidebat, unitate ac pace perfecta; deinde in aliis Africæ partibus, sive per se ipsum, sive per alios, et quos ipse dederat sacerdotes, pullulasse, et multiplicatam fuisse Domini Ecclesiam pervidens, illosque Manichæos, Donatistas, Pelagianistas, et Paganos ex magna parte defecisse, et Ecclesiæ Dei sociatos esse congaudens: profectibus quoque et studiis favens erat et exultans bonorum omnium; indisciplinationes pie ac sancte tolerans fratrum, ingemiscensque de iniquitatibus malorum, sive eorum qui intra Ecclesiam, sive eorum qui extra Ecclesiam sunt constituti, dominicis, ut dixi, lucris semper gaudens, et damnis mœrens.

« Vestes ejus et calceamenta vel lectualia ex moderato et competenti habitu erant, nec nitida nimium, nec abjecta plurimum: quia his plerumque vel jactare se insolenter homines solent, vel abjicere; ex utroque non quæ Jesu Christi, sed quæ sua sunt iidem quærentes: at iste, ut dixi, medium tenebat, neque in dexteram, neque in sinistram declinans. Olera et legumina, etiam carnes aliquando propter hospites, vel quosque infirmiores, semper autem vinum habebat, quia noverat, et docebat, ut Apostolus dicit, quod *omnis creatura Dei bona sit, et nihil abjiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur; sanctificatur enim per verbum Dei et orationem* (I *Tim.* IV, 4, 5). Et, ut idem Augustinus sanctus in suis Confessionum libris posuit, dicens: *Non ego immunditiam obsonii timeo, sed immunditiam cupiditatis. Scio Noe omne genus carnis quod cibo esset usui, manducare permissum; Eliam cibo carnis refectum; Joannem mirabili abstinentia præditum, animalibus, hoc est locustis, in escam cedentibus non fuisse pollutum. Scio et Esau lenticulæ concupiscentia deceptum; et David prop-*

*ter aquæ desiderium a se ipso reprehensum; et Regem nostrum, non de carne, sed de pane esse tentatum. Ideoque et populus in eremo, non quia carnes desideravit, sed quia escæ desiderio contra Deum murmuravit, meruit improbari* (*Confessionum lib.* 10, *cap.* 31, *n.* 23). De vino autem sumendo Apostoli exstat sententia ad Timotheum scribentis ac dicentis : *Noli usque adhuc aquam bibere, sed vino modico utere propter stomachum et frequentes tuas infirmitates* (1 *Tim.* v, 23). Cochlearibus tantum argenteis utens, cætera vasa quibus mensæ inferebantur cibi, vel testea, vel lignea, vel marmorea fuerunt : non tamen necessitatis inopia, sed proposito voluntatis. Sed et hospitalitatem semper exhibuit. Et in ipsa mensa magis lectionem vel disputationem, quam epulationem potationemque diligebat. Et contra pestilentiam humanæ consuetudinis in ea scriptum ita habebat :

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
Hanc mensam vetitam noverit esse sibi.

Et ideo omnem convivam a superfluis et noxiis fabulis et detractionibus sese abstinere debere admonebat. Nam et quosdam suos familiarissimos coepiscopos illius scripturæ oblitos, et contra eam loquentes, tam aspere aliquando reprehendit, commotus ut diceret, aut delendos esse illos de mensa versus, aut se de media refectione ad suum cubiculum surrecturum. Pauperum vero semper memor erat, eisque inde erogabat, unde et sibi suisque omnibus secum habitantibus; hoc est, vel ex reditibus possessionum Ecclesiæ, vel etiam ex oblationibus fidelium. Et dum forte de possessionibus ipsis invidia clericis fieret, alloquebatur plebem Dei, malle se ex collationibus magis plebis Dei vivere, quam illarum possessionum curam vel gubernationem pati; et paratum se esse illis cedere, ut eo modo omnes Dei servi et ministri viverent, quo in Vetere Testamento leguntur (*Deut.* XVIII, 1), altari deservientes de eodem comparticipari. Sed nunquam id laici suscipere voluerunt. »

Sic Augustinus, solis hostibus fidei terribilis, per omnia sanctum, simplicem et mansuetum se præbebat, non minorem forte gloriam morum integritate meritus quam innumeris pene libris quos ipsius ingenium adversus hæreticos, schismaticos et paganos quasi ex inexhausto fonte protulit. Sed antequam gloriosissimi doctoris operum sub lectoris oculos index evolvatur, Possidium, nobis qualiter e vita excesserit narrantem audiamus. EDIT.

« Sane ille sanctus in vita sua prolixa pro utilitate ac felicitate sanctæ Ecclesiæ catholicæ divinitus condonata, vixit annis septuaginta et sex, in clericatu autem vel episcopatu annis ferme quadraginta. Dicere autem nobis inter familiaria colloquia consueverat, post perceptum baptismum, etiam laudatos Christianos et sacerdotes absque digna et competenti pœnitentia exire de corpore non debere. Quod et ipse fecit, ultima qua defunctus est ægritudine : nam sibi jusserat psalmos Davidicos, qui sunt paucissimi de pœnitentia scribi, ipsosque quaterniones iacens in lecto contra parietem positos diebus suæ infirmitatis intuebatur, et legebat, et jugiter ac ubertim flebat : et ne intentio ejus a quoquam impediretur, ante dies ferme decem quam exiret de corpore, a nobis postulavit præsentibus, ne quis ad eum ingrederetur, nisi iis tantum horis, quibus medici ad inspiciendum intrarent, vel cum ei refectio inferretur. Et ita observatum ac factum est : et omni illo tempore orationi vacabat. Verbum Dei usque ad ipsam suam extremam ægritudinem imprætermisse, alacriter et fortiter, sana mente, sanoque consilio in ecclesia prædicavit. Membris omnibus sui corporis incolumis, integro aspectu atque auditu, et, ut scriptum est, nobis astantibus, et videntibus, et cum eo pariter orantibus obdormivit cum patribus suis, enutritus in bona senectute; et nobis coram pro ejus commendanda corporis depositione sacrificium Deo oblatum est, et sepultus est. Testamentum nullum fecit, quia unde faceret pauper Dei non habuit. Ecclesiæ bibliothecam, omnesque codices diligenter posteris custodiendos semper jubebat. Si quid vero Ecclesia, vel in sumptibus, vel in ornamentis habuit, fidei presbyteri, qui sub eodem domus Ecclesiæ curam gerebat, dimisit. Nec suos consanguineos, vel in proposito vel extra constitutos, in sua vita et morte vulgi more tractavit, quibus, dum adhuc superesset, id si opus fuit, quod et cæteris, erogavit, non ut divitias haberent, sed ut aut non, aut minus egerent. Clerum sufficientissimum, et monasteria virorum ac feminarum continentium cum suis præpositis plena, Ecclesiæ dimisit, una cum bibliothecis, libros et tractatus vel suos vel aliorum sanctorum habentibus, in quibus dono Dei qualis quantusque in Ecclesia fuerit noscitur, et in his semper vivere a fidelibus invenitur. Juxta quod etiam sæcularium quidam poetarum, suis jubens quo sibi tumulum mortuo in aggere publico collocarent, pro epigrammate finxit dicens,

Vivere post obitum vatem vis nosse viator,
Quod legis ecce loquor, vox tua nempe mea est

Et in suis quidem scriptis ille Deo acceptus et charus sacerdos, quantum lucente veritate videre conceditur, recte ac sane, fidei, spei, et charitatis catholicæ Ecclesiæ vixisse manifestatur : quod agnoscunt qui eum de divinis scribentem legentes proficiunt. Sed ego arbitror plus ex eo proficere potuisse, qui eum et loquentem in ecclesia præsentem audire et videre potuerunt, et ejus præsertim inter homines conversationem non ignoraverunt. Erat enim non solum eruditus scriba in regno cœlorum, de thesauro suo proferens nova et vetera, et unus negotiatorum, qui inventam pretiosam margaritam, quæ habebat venditis, comparavit (*Matth.* XIII, 52, 45, 46) : verum etiam ex iis ad quos scriptum est, *Sic loquimini, et sic facite* (*Jacobi* II, 12); et de quibus Salvator dicit, *Qui fecerit et docuerit sic homines, hic magnus vocabitur in regno cœlorum* (*Matth.* V, 19). »

## CAPUT II

### *Scripta S. Augustini.*

§ I. Scripta Augustini genuina, servato Retractationum ordine, quem similiter auctores Magnæ Bibliothecæ Patrum secuti sunt.

*Contra Academicos* libri tres post librum *de Pul-*

*chro et Apto* deperditum, primi omnium sunt, scripti a. 386.

2. *De Vita beata* liber, dialogis tribus constans, eodem a. 386, non post libros *contra Academicos*, sed inter illos scriptus.

3. *De Ordine* libri duo, dialogi quatuor, eodem tempore, quo præcedentes scripti.

4. *Soliloquiorum* libri duo sub initium a. 387.

5. *De immortalitate Animæ* liber, a. 387.

6. *De Musica* libri sex a. 387 Mediolani inchoati, a. 389 in Africa absoluti.

7. *De Moribus Ecclesiæ catholicæ*
8. *De Moribus Manichæorum* | Libri duo Romæ versus initium a. 388 scripti.

9. *De quantitate Animæ* dialogus ibidem, eodem tempore conscriptus.

10. *De libero Arbitrio* libri tres, quorum primum Romæ a. 388 inchoavit, duos posteriores Hippone presbyter ordinatus, absolvit a. 395.

11. *De Genesi adversus Manichæos* libri duo quos in secessu prope Tagastam scripsit circa a. 389.

12. *De Magistro* liber ibidem et eodem a. 389 scriptus.

13. *De Vera Religione* eodem a. 389 vel 390 scriptus.

Hi libri una cum n. 35, in *I tomo* editionum *Erasmi*, *Lovaniensium* et *Benedictinorum*.

14. *De Utilitate credendi* liber Hippone a. 392 exaratus. Exst. in edit. *Erasm.* et *Lovaniens.* tomo VI, Bened. VIII.

15. *De duabus Animabus* liber eodem a. 392 confectus. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* t. VI, *Bened.* VIII.

16. *Acta* contra *Fortunatum* quemdam Manichæorum presb. quocum disputaverat d. 28 et 29 Aug. a. 392. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. VI, *Bened.* VIII.

17. *De Fide et Symbolo* liber natus ex sermone, quem coram episcopis in concilio Hipponensi a. 393, presbyter adhuc, habuit. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. III, *Bened.* VI.

18. *De Genesi ad litteram* liber imperfectus circiter a. 393 scriptus. Exst. in ed. *Erasm.*, *Lovan.* et *Bened.* tom. III.

19. *De sermone Christi in monte* ad Matth. c. v, vi, vii, libri duo circa a. 393. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. IV, *Bened.* III.

20. *Psalmus contra Donatistas* a. 393. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. VII, part. i, *Bened.* IX.

[21.] Ad eumdem fere a. 393 referendus est liber deperditus *contra Epistolam Donati*, Carth. episc. schismatici. Nam proxime post *Psalmum* ponit *Augustinus* Retract. i, 21.

22. *Contra Adimantum* liber a. 394. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. VI, *Bened.* VIII.

23. *Expositio quarumdam Propositionum* ex Epist. Pauli ad Romanos. Dedit Carthagine adhuc presbyter a. 394. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. IV, *Bened.* III.

24. *Expositio Epistolæ ad Galatas* eodem circiter anno scripta. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. IV, *Bened.* III.

25. *Expositio Epistolæ ad Romanos inchoata* sub idem fere tempus. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. IV, *Bened.* III.

26. *De Mendacio ad Consentium* liber a. 395. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. IV, *Bened.* VI.

27. *De Continentia* liber *in Ps.* CXLI, 3, 4, scr. c. a. 395. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. IV, *Bened.* VI

28. *De diversis Quæstionibus* LXXXIII, sive *Responsiones ad Quæstiones* LXXXIII. Has Augustinus a fratribus interrogatus, nullo observato ordine, dictavit in Africa c. a. 390. Episcopus vero factus, eas colligi jussit, et unum ex iis librum fieri curavit a. 398. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. IV, *Bened.* VI.

29. *De diversis Quæstionibus* VII libri duo. Qui primi omnium sunt, quos episcopus scripsit *Augustinus* ad *Simplicianum* Mediol. episc., qui S. Ambrosio suffectus est a. 397. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. IV, *Bened.* VI.

30. *Contra Manetis* Epistolam, cui titulus *Fundamenti*, liber scriptus circiter a. 397. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. VI, *Bened.* VIII.

31. *De Agone Christiano* a. 396 conscriptus. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. III, *Bened.* VI.

32. *De Doctrina Christiana* libri quatuor. Hos inchoavit circa a. 397; verum ad tertii libri caput tertium absolvit, tribusque quartum addidit a. 426. Exst. in ed. *Erasm.*, *Lovan.*, et *Bened.* tom. III.

[33.] Ad a. 398 referendi quoque *Contra partem Donati* libri duo, quorum meminit Retract. i, 5. Sed non amplius exstant.

34. *De fide rerum, quæ non videntur.* Hunc tractatum *Erasmus* et eum secuti *Lovanienses* tamquam spurium et ex *Augustini* scriptis consarcinatum rejecerant; *Benedictini* vero pro genuino receperunt. Videtur ad a. 399 referendus. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. IV, Append. *Bened.* tom. VI.

35. *Confessionum* libri tredecim circa a. 400 scripti. Exst. in ed. *Erasm.*, *Lovan.*, et *Bened.* tom. I.

36. Contra *Faustum* Manichæum *Disputationes* seu libri triginta tres. Opus absolutum c. a. 400, quod ad *Hieronymum* misit a. 404. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. VI, *Bened.* VIII.

37. *De actis cum Felice Manichæo* libri duo sunt *acta Collationis* quam cum eo habuit *Augustinus* Hippone mense Decembri a. 404. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. VI, *Bened.* VIII.

38. *De natura Boni* liber adversus Manichæos scr post a. 404. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. VI, *Bened.* VIII.

39. *Adversus Secundinum Manichæum* liber scr. a. circiter 405. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. VI, *Bened.* VIII.

[40.] Hic referendus esset, si exstaret, quem contra *Hilarium* quemdam virum tribunitium laicum ca-

tholicum scripsisse se testatur Retract. lib. II, cap. 2.

41. *Quæstionum Evangelicarum* XCVIII libri duo, quos festinanter admodum scripsit *Augustinus* post a. 400. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. IV, *Bened.* III.

42. *Annotationes in Jobum*, scriptæ versus a. 400. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. IV, *Bened.* III.

43. *De Catechizandis rudibus* liber post a. 400 scriptus. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. IV, *Bened.* VI.

44. *De Trinitate* libri quindecim a. 400 inchoati, a. 416 absoluti. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. III, *Bened.* VIII.

45. *De Consensu Evangelistarum* libri quatuor versus a. 400 scripti, quos inter scribendum libros de Trinitate composuit. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. IV, *Bened.* III.

46. Contra *Parmeniani*, Donati in sede Carthag. successoris, *Epistolam ad Tychonium* scr. c. a. 400. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. VII, *Bened.* IX.

47. *De Baptismo* libri septem eodem tempore adversus Donatistas exarati. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. VII, *Bened.* IX.

[48.] Sequitur in *Retractationum* serie, lib. II, c. 19, proxime liber, cui tit. : *Contra quod attulit Centurius a Donatistis*, qui non exstat.

49. *Ad Inquisitiones Januarii* libri duo, c. a. 400 scr. Exst. in ed. *Erasm.*, *Lovan.*, et *Bened.* tom. II.

50. *De Opere Monachorum* liber jubente *Aurelio*, episc. Carthag. c. a 400 scr. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. III, *Bened.* tom. VI.

51. *De Bono conjugali* liber adversus Jovinianum a. 400 scr. Exst. in ed. *Erasm.*, *Lovan.*, et *Bened.* tom. VI.

52. *De sancta virginitate* liber scr. an. 401. Exstat in ed. *Erasm.*, *Lovan.*, et *Bened.* tom. VI.

53. *De Genesi ad Litteram* libri duodecim a. 401 inchoati, absoluti a. 415. Exst. in ed. *Erasm.*, *Lovan.*, et *Bened.* tom. III.

54. *Contra Litteras Petiliani Donatistæ*, Cirtensis vel Constantiniensis in Numidia episc., libri tres. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. VII, *Bened.* IX.

55. *Ad Catholicos Epistola contra Donatistas*, vulgo de *Unitate Ecclesiæ* liber, qui a quibusdam non *Augustini* putatur, a *Dupinio* tamen ei asseritur et ad a. 402 refertur. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. VII, *Bened.* IX.

56. *Contra Cresconium Grammaticum*, qui *Petiliani* causam defendendam susceperat, libri quatuor, a. 406 scr. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan* tom. VII, *Bened.* IX.

Hoc loco subjungendi fuissent, si exstarent, libri tres subsequentes, quorum Augustinus meminit Retract. II, c. 27, 28, 29, scilicet,

[57.] *Liber Probationum et Testimoniorum contra Donatistas.*

[58.] *Contra nescio quem Donatistam.*

[59.] *Admonitio Donatistarum de Maximianistis.*

60. Liber *de Divinatione Dæmonum* scr. inter a. 406 et 411. Exst. in ed. *Erasm* et *Lovan.* T. III, *Bened.* VI.

61. *De sex quæstionibus contra Paganos* expositis liber ad *Deogratias* presbyterum, c. a. 408 scr. videtur. Meminit *Augustinus* Retract. II, 31. Inter epistolas editus est (olim 49, nunc 102) in ed. *Erasm.*, *Lovan.*, et *Bened.* T. II.

[62.] Sequitur in *Retract.* lib. II, 32, *Expositio Epistolæ S. Jacobi*, quæ non exstat.

63. *De Peccatorum Meritis et Remissione ac de Baptismo Parvulorum* libri tres, ad. *Marcellinum*, scr. a. 412. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. VII, part. II, *Bened.* X.

64. *De unico Baptismo* liber eodem tempore scr. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. VII, *Bened.* IX.

[65.] Quem post opus de *unico Baptismo* recenset *Augustinus* II, 35, liber de *Maximianistis contra Donatistas*, jam non amplius restat.

66. *De Gratia Novi Testamenti* liber ad *Honoratum* scr. c. a. 412. Exst. in ed. *Erasm.*, *Lovan.*, et *Bened.* T. II.

67. *De Spiritu et Littera* liber ad *Marcellinum* a. 412 vel 413 scr. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. III, *Bened.* X.

68. *De Fide et Operibus* liber scr. a. 413. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. IV, *Bened.* VI.

69. *Breviculus Collationum contra Donatistas* scr. sub finem a. 411. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. VII, *Bened.* IX.

70. *Ad Donatistas* post dictam *Collationem* liber forte sub init. a. 412 scr. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan* T. VII, *Bened.* IX.

71. *De videndo Deo ad Paulinam* liber. Exst. in ed. *Erasm.*, *Lovan.*, et *Bened.* T. II.

72. *De Natura et Gratia contra Pelagianos* liber a. 415. scr. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. VII, part. II, *Bened.* T. X.

73. *De Perfectione justitiæ hominis* ad Eutropium et Paulum, episcopos Gallicanos, liber seu epistola scr. a. 415. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. VII, part. II, *Bened.* X.

74. *De Civitate Dei libri* viginti duo, ad comitem *Marcellinum*, quos aggressus est scribere *Augustinus* a. 413, post captam ab *Alarico*, Gothorum rege, urbem Romam; absolvit demum a. 427 vel 428. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. V, *Bened.* VII.

75. *De Bono Viduitatis* liber (seu epistola). Non meminit ejus in *Retractationibus*, sed a Possidio in indicem relata est. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. IV, *Bened.* VI.

76. *Contra Priscillianistas et Origenistas* liber a. 411 scr. ad *Paulum Orosium* Hispanum. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. VI, *Bened.* VIII.

77. *De Origine animæ* ad Hieronymum. Vid. infra n. 92.

[78.] Sequitur in *Retract.* lib. II, c. 46, liber ad *Emeritum*, Donatistarum episc., qui hodie non exstat. Cf. n. 85, 86.

79. *De Gestis Pelagii contra adversarios Gratiæ D. N. J. C.* liber a. 416 seu 417 scr. ad Aurelium, episc. Carthag. Exst. in *Supplem. Vignerii* T. I, p. 413 *sqq.*, et ed. *Bened.* T. X.

80. *De correctione Donatistarum* liber ad *Bonifacium* tribunum ac demum comitem in Africa scr. c. a. 417. Exstat inter epistolas olim 50, nunc 185, ed. *Erasm.*, *Lovan.* et *Bened.* T. II.

81. *De Præsentia Dei* liber *ad Dardanum* in Galliis præfectum scr. circa idem tempus. Exstat inter epistolas (olim 57, nunc 187) edit. *Erasm.*, *Lovan.*, et *Bened.* T. II.

82. *In Evangelium Joannis* tractatus CXXIV, quibus præfixa est *Præfatio* incerti auctoris. Sermones sunt ab *Augustino* pro concione habiti annis 416 et 417. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. IX, *Bened.* III.

83. *In Epistolam I divi Joannis ad Parthos* tractatus X, sub idem tempus scripti. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. IX, *Bened.* III.

84. *De Gratia Christi et Peccato Originali contra Pelagium et Cœlestium* libri duo, circa medium a. 408 scr. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. VII, *Bened.* X.

85. *De gestis cum Emerito* Cæsareæ in Mauritania Donatistarum episcopo liber a. 413 vel 418 script.

86. *Sermo ad Cæsariensis Ecclesiæ plebem* Emerito *præsente* habitus. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. VII, *Bened.* IX.

87. *Contra Sermonem quemdam Arianorum* sine Auctoris nomine liber a. 418 scr. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. VI, *Bened.* VIII.

88. *De Patientia* liber vel potius Sermo scr. ut creditur, ante a. 418. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. IV, *Bened.* VI.

89. *De Nuptiis et Concupiscentia* ad *Valerium* comitem libri duo. Prior scriptus est a. 418 exeunte, secundus a. 420. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. VII, part. II, *Bened.* T. X.

90. *Locutionum* libri septem, c. a. 419 scripti. Exst. in ed. *Erasm.*, *Lovan.* et *Bened.* T. III.

91. *Quæstionum in Heptateuchum* DCLXV libri septem, eod. a. 419. scr. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. IV, *Bened.* III.

92. *De Anima et ejus origine* libri quatuor a. 419 et 420 scripti. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. VII, part. II, *Bened.* X.

Cæterum scripserat *Augustinus* a. 415 ad S. Hieronymum de *Origine animæ* librum, qui inter epistolas exstat ordine 166 in ed. Bened., alias 28, simulque alterum de sententia D. Jacobi apostoli II, 10 : *Qui offenderit in uno, factus est omnium reus*, epist. 167, olim 29. Utramque tamquam libros recensuit *Augustinus* Retract. lib. II, c. 45.

93. *De Conjugiis adulterinis ad Pollentium* libri duo, scr. a. 419. Exst. in ed. *Erasm.*, *Lovan.*, et *Bened.* T. VI.

94. *Contra Adversarium Legis et Prophetarum* libri duo, scr. a. 420. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. VI, *Bened.* VIII.

95. *Contra Gaudentium*, Thamugadensem episc. Donatistarum, libri duo, eodem a. 420 scr. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. VII, *Bened.* IX.

96. *Contra Mendacium* liber ad *Consentium* a. 420 scr. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. IV, *Bened.* VI.

97. *Contra duas Epistolas Pelagianorum* libri quatuor, ad *Bonifacium* I, episc. Rom., *Zosimi* successorem, scripti a. 420 vel paulo post. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. VII, part. II, *Bened.* X.

98. *Contra Julianum* libri sex a. 421 scripti. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. VII, part. I, *Bened.* X.

99. *Enchiridion* s. *Manuale* ad Laurentium, *de Fide, Spe et Charitate*, scr. 421. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. III, *Bened.* VI.

100. *De Cura pro mortuis gerenda* a. 421 scr. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. IV, *Bened.* VI.

101. *De octo Dulcitii Quæstionibus* liber scr. a. 422. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. IV, *Bened.* VI.

102. *Regula ad servos Dei* de tribus ultima (*a*), de qua dubitat *Erasmus*, licet indignam *Augustino* non judicet, asserunt plane *Benedictini*. Exstat in epistola 211 (alias 109), Sanctimonialibus ab ipso scripta a. 423 vel 424. Inde vero depromptam virisque aptatam fuisse dicunt. Ed. *Erasm.*, *Lovan.*, et *Bened.* T. I.

103. *De Gratia et Libero Arbitrio ad Valentinum abbatem et monachos Adrumetinos* scr. a. 426 vel 427. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. VII, part. II, *Bened.* X.

104. *De Correptione et Gratia* liber ad monachos item Adrumetinos a. 427 scriptus.

105. *Retractationum* libri duo, in quibus *Augustinus* opera sua XCIV, in libris CCXXX, recenset ad annum usque 427, quo scripti sunt. Exst. in ed. *Erasm.*, *Lovan.*, et *Bened.* T. I.

106. *De Hæresibus* liber intra a. 428 et 430 absolutus. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. VI, *Bened.* VIII.

107. *Tractatus* s. *liber de Incarnatione Domini adversus Judæos* post librum de Hæresibus a Benedictinis ponitur. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. VI, *Bened.* VIII.

108. 109. *Collatio cum Maximino Arianorum episcopo* librique duo *contra eumdem*. Collatio habita est a. 428, Hippone. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. VI, *Bened.* VIII.

110. *De Prædestinatione sanctorum* liber ad *Prosperum* et *Hilarium* scr. a. 428 vel 429. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. VI, *Bened.* X.

111. *De Prædestinatione Sanctorum* liber secundus,

(*a*) De reliquis vide infra n. 21, 22, in *Dubiis*.

vulgo *de Dono Perseverantiæ* nuncupatus ad eos- A dem scr. a. 428 vel 429. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. VI, *Bened.* X.

112. *Contra secundam* Juliani *responsionem, opus imperfectum sex libros complectens* scr. a. 428. vel 429. Exst. in *Vignerii Supplem.* T. II, *Bened.* ed. X.

113. *Speculum ex utroque Testamento* sub a. 427 scriptum, et a *Possidio* in *Indiculo* et *Vita Augustini* memoratum. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. III, *Vignerii Suppl.* I, *Bened.* III.

114. *Examinationes in Psalmos Davidis* CL. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. VIII, *Bened.* IV.

115. *Epistolæ* numero CCLXXI, juxta ordinem chronologicum a Benedictinis in IV classes dispositæ. Ima classis eas continet quas Augustinus nondum B episcopus scripsit ab a. 386 ad 395. Secunda, quas ab eo tempore scripsit ante *Collationem Carthaginensem* cum Donatistis habitam et detectam in Africa *Pelagii* hæresin, i. e. ab a. 396 ad 412. Tertia, quas ab eo tempore ad obitum scripsit, nempe ab a. 411 ad 430. Quarta, eas quarum tempus minus compertum habetur, quas tamen omnes ab *Augustino* jam episcopo scriptas esse certum est. *Augustini* epistolis antea vulgatis paucæ hactenus ineditæ accesserunt in ed. Benedictinorum. Exst. in ed. *Erasm.*, *Lovan.*, et *Bened.* tom. II. Plures autem jamjam inter epistolas leguntur, quas tamquam libros *Augustinus* in Retract. recensuit, quas suis locis notatas videbis.

116. *Sermones.* Horum variæ exstant collectiones, C quarum quinque sequentes (præter *Sermones ad fratres in Eremo*) prodierunt in ed. *Erasm.* Bas. 1529, tom. X.

1° *De Verbis Domini* sive *de Verbis Evangelii*, Sermones LXIV. Ex his Sermo 14, *Eradii* presbyteri est; 19, *Maximi* Taurinensis; 28, *S. Ambrosii* Mediolanensis episcopi.

2° *De Verbis Apostoli* Sermones XXXV. Ex his Sermo 25, *Maximi* est; inter *Ambrosianos* nonus.

3° *Homiliæ L, in quibus varia Scripturæ loca explicantur et Loci communes tractantur.* Harum quarta ex *Ambrosii* scriptis decerpta.

Collectiones istæ tres antiquæ sunt, ante annos quippe 800 factæ, Augustino tamen nequaquam æquales. Duæ sequentes autem summa incuria D adornatæ sunt ab ed. Amerbachianæ curatoribus, nempe :

4° *Sermones de Tempore* CCLVI, ex quibus plurimi alios præ se ferunt auctores. Sermones vero 87, 215, 255, spurii habentur. Sermonem 191 Augustino abjudicat *Phil. Labbeus.* Eorum vero *nonus* est Sermo *Bernardi;* 11 *Maximo* tribuitur; 15 *Severiano* uti et *Fulgentio* ascribitur; 33 *S. Leonis* est; 37 *Maximi;* 48 ex *Hilario*, *Ambrosio* et *Augustino* hinc inde desumptus est; 63 *S. Leonis* est; 68, 77, 117, *S. Ambrosii;* 118 *Maximini;* 120 *Eusebio* tribuitur; 125 idem fere est ac *Symbolum Damaso inscriptum* inter Opera *S. Hieronymi;* 128, *Maximum;* 130 *Chrysostomum* auctorem habet; 136, 138, 156, 176, inter *Eusebianos* habentur; 177 *S. Gregorii* est; 173 ex ejusdem scriptis desumptus; 226, 228, 229, 242, ex *Ambrosii* scriptis.

5° *De Sanctis Sermones* LI, ex quibus Sermones 1 et 18 *Fulgentio* ascribunt nonnulli; sermo 22 e *Petro Ravennatensi* decerptus est; 26 inter *Ambrosianos* reperitur; 27 *Maximi* est; 30 et 31 spurii sunt, posterior inter *Ambrosianos* habetur, uti et sermo 33; 35 *Fulberti* est; 36, *Eusebii* episcopi; 37, *Alcuini* presbyteri, ex variis tamen consarcinatus; 47 etiam *S. Leoni* tribuitur.

6° *Sermones* alii XVII, ex quibus sex *de Tempore*, septimus *de Verbis Apostoli*, decem *de Sanctis* in editione Parisiensi 1531 primum editi.

7° *Sermones* IV, videlicet *de Jacob et Esau*, in festo *S. Vincentii*, in *Proverb.* XIII, in *Parabolam Seminantis*, et in illud *Matth.* XVI, *Qui vult venire post me*, etc. Hi primum prodierunt (cum tractatu in *Orationem Dominicam*) in ed. Basil. 1556. Quibus accesserunt in ed. a. 1569.

8° *De Diversis* Sermones XLIII.

9° *Fragmenta Sermonum* S. Augustini XXVII, ex *Eugippii* abbatis *Thesauro* seu Collectionibus, ad *Probam* virginem, atque ex Commentariis *Flori*, Lugdunensis Ecclesiæ diaconi, in Epistolas Pauli, ex verbis *Augustini* sub *Bedæ* nomine inter ejus opera et seorsim etiam impressis.

10° *Sermones de diversis* CXXIII, a Lovaniensibus a. 1571 tomo X editi, annumeratis prædictis sermonibus XLIII. Ex his plurimos supposititios esse fatentur ipsi Lovanienses.

11° *Homiliæ* XI, a Parisiensibus editæ a. 1614, ex mss. Carthusianis, atque *aliæ* XIII, ex mss. Pithœanis.

12° *Sermones* XL de variis argumentis a *Jacobo Sirmondo* Jesuita primum editi cum notis Paris. 1631, in-8, « quorum nonnullos, ait *And. Rivetus*, ut nolim negare *Augustinum* auctorem habere, maxime qui in Indiculo *Possidii* numerantur, alios tamen, qui e monachorum cryptis prodierunt, patietur editor apud nos esse suspectæ fidei, donec probationibus dignioribus nobis commendentur. » Inter hos autem XL Sermones habentur Homiliæ illæ XIII superius commemoratæ.

13° *Sermones* VI Romæ primum editi a. 1644. a *Joan. Bapt. Maro* Romano, S. Angeli in Foro Piscium Canonico.

Quatuor posteriores Sermonum Collectiones recudit *Vignerius* parte I *Suppl.;* parte vero II alios XLVI, hactenus ineditos atque ex diversis Bibliothecis depromptos, addidit.

Cæterum in præcedentibus Sermonibus notari debet, non raro evenire, ut idem Sermo in diversis Sermonum Collectionibus bis vel forsan sæpius numeretur : quamplurimi vero ex aliis *Augustini* scriptis excerpti sunt. Sermones ex hisce aliquot spurios obiter notavimus : at cum longe accuratius

id præstiterint Benedictini, nos Censuram Sermonum ab iis latam in compendio exhibere e re fore arbitrati sumus (*a*). Sermones itaque omnes quibus tomus V absolvitur (de quo vide infra ad ipsius editionis commemorationem) in quatuor classes redegerunt, *de Scripturis Vet. et Novi Testamenti*, *de Tempore*, *de Sanctis*, et *de Diversis* : quibus accessit quintus Ordo *sermonum dubiorum* ; cum nonnisi *aperte suppositiii* in Appendicem rejecti sint. Classes istæ quinque, Sermones complectuntur CCCXCIV, præter Fragmenta. In appendicem rejiciuntur, tamquam certo certius spurii, Sermones CCCXVII, ex Collectionibus supra memoratis hinc inde selecti : nimirum ex vulgari Collectione Sermonum *de Verbis Domini* (vid. supra n. 1°), Serm. 3, 14, 19, 20, 22, 28, 34, 47, 52, 54, 56, 17, 58; *de Verbis Apostoli* (n. 2°), Serm. 21, 25, 26, 34, 35 ; *Homiliarum* L (n. 3°), Sermo 2, 3, 4, 6-10, 12, 15, 16, 21, 22, 26, 30, 31, 33, 35, 39, 45-48; *de Tempore* (n. 4°), Serm. 1, 2, 3 et omnes reliqui, præter quintum, 12, 16, 19, 20, 23, 25, 27, 28, 30, 31, 32, 34, 39, 42, 45, 49, 50, 52, 72, 74, 94, 96, 107, 109, 110, 113, 119, 135, 139, 140, 141, 143-149, 151, 155, 160, 164, 165, 170, 174, 186, 187, 196, 205, 212, 214, 220, 234-237, 245, 246, 254, 256. Sermones *de Sanctis* (n. 5°) omnes spurii sunt, præter quartum, 12, 17, 23, 24, 42, 45, 48, 50, 51. Inter Sermones XVII (de quibus n. 6°) spurii sunt 1, 2 (qui pars est Sermonis 51 in Collectione Benedict.), 7 (pars Sermonis 361), 35, 36 (pars Sermonis 279), 38, 65, 96, 97, 98, 99, 118 ( pars Sermonis 325). Ex Sermonibus LXXVI, *ad fratres in Eremo commorantes*, etc., nonnisi sex in tomo V exhibent Benedictini, reliquos in sequenti. Ex his sex, spurii sunt *tres*, qui in vulgari Sermonum istorum collectione locum obtinent 56, 70 et 72. Ex Sermonibus ab *Hieron. Vignerio* editis *Supplem.* parte I, spurii sunt 3, 4, 5, 13, 14, 15, 17, 18. In parte II spurii sunt 1, 2, 8, 10-14, 20, 23, 25, 26, 27, 29, 34, 36-39.

Denique rejecti sunt a Benedictinis inter Sermones tom. V libri aliquot ab *Erasmo* et *Lovaniensibus* inter tractatus repositi ; nimirum :

117. *De Epicuræis et Stoicis* in Act. XVII Apost. tractatus *non omnino malus, juxta Erasmum* in censura huic præfixa, *sed nihil aut quam minimum habens Augustini*. Contra Benedictini judicant ; *et omnino bonum Sermonem, et nihil habentem nisi Augustini*. Ejus meminit *Possidius* in Indiculo cap. 1. Exstat in editione *Erasm.* et *Lovan.* tom. VI ; *Bened.* V, serm. 150, class. 1.

118. In illud Exod. III, 14, *Ego sum, qui sum*, scilicet, *de rubo, in quo flamma erat, et rubus non comburebatur*. Hic tractatus in Erasmiana quidem editione incerti auctoris esse prænotatur : at in *Ulimmer.* et *Lovan.* tribuitur *Augustino*. Benedictini vero inter dubios parum abfuit, quin reponerent. Ibid. serm. 7.

119. *De decem Chordis* liber seu sermo a *Possidio* notatus in indice c. 8, atque ab *Eugippio* et *Floro* citatus. Ibid. serm. 9, *Erasm.* et *Lovan.* tom. IX.

120. *De Pastoribus* } Uterque ad Ezech. cap. XXXIV.
121. *De Ovibus* } Ibid. serm. 47 et 48 contra Donat.

122. *De Convenientia decem plagarum et decem præceptorum*. Ibid. serm. 8. Hujus quoque meminit *Possidius* in Ind. c. 9, et ipse *August.* in ps. LXXVII, n. 27. Fragmentum repertum est inter Eugippii Excerpta in ms. Regio et Victorino.

### § II. Scripta deperdita.

Præter illa, quæ passim indicata sunt n. 21, 33, 40, 48, 57, 58, 59, 62, 65, 78, alia diligenter enotavit *Guil. Cave*, scilicet :

1. *Contra Paganos* libri tres, et *Exhort. ad eosdem.*
2. *De Sacrificiis spiritualibus contra Manichæos.*
3. *De Sacrificio vespertino.* Qui tractatus fortasse non alius est, quam sermo ejusdem tituli ordine 342, ed. Bened. ex *Sirmondianis* (olim 8us), in quo explicatur initium Evangelii Joannis.
4. *De Die Domini* secundum *Sophoniam* prophetam *contra Manichæos.*
5. Tractatus diversi *contra Arianos*
6. Ad *Primianum*, Donatistarum Carthaginens. episc. *Commonitorium.*
7. *De Traditione in persecutionibus et de falso Baptismate contra Donatistas* libri tres.
8. *De Baptismo contra eosdem* liber.
9. *Ad Mercatorem* episcopum *contra eosdem.* Primum quidem prodiit in editione Benedictinorum ex pervetusto codice monast. S. Bertini in Belgio *Augustini* epistola (ordine 193) ad *Mercatorem*, eum procul dubio, cui *Mario* prænomen fuit, anno circiter 418 scripta, quam recensuit *Possidius* in Indic. c. 4, ejusdemque tertiam partem transtulit *Augustinus* in librum de *octo Dulcitii Quæstionibus* (de quo supra n. 101 ).
10. *De Charitate* tractatus diversi.
11. *Principia Geometriæ*, *Arithmetices*, *et Philosophiæ.*
12. *Epistolæ*, *Sermones et Tractatus* plures, quorum mentio habetur in Ind. *Possidii*, apud Bedam, ipsum *Augustinum*, et alibi.

### § III. Scripta Dubia, Suppositiia, Spuria.

1. *De Symbolo s. Regula fidei* ad Catechumenos libri vel potius sermones quatuor. Exstant in ed. *Erasm.* et *Lovan.* t. IX, *Bened.* VI, usque ad n. 8.
2. *Sermo de quarta Feria, sive cultura agri Dominici.*
3. *De Cataclysmo seu diluvio.*
4. *De Tempore Barbarico sive in tempus persecutionis Barbarorum.*

(*a*) Commode nobis datum fuit hoc loco diligentiam auctorum *Magnæ Bibl. Eccles. Colon.*, qui post *Caveum* et *Oudinum* hæc ex Benedictinis excerpserunt, in usum nostrum convertere.

5. *De novo Cantico et de reditu in cœlestem patriam ac viæ periculis*, sermo ad Catechumenos.
6. Sermo *de Disciplina Christiana.*
7. Sermo *de Utilitate Jejunii.*
8. Sermo *de Urbis excidio.*

Quæ sequuntur, usque ad n. 15, exstant in append. tomi VI ed. *Bened.* n. 9, 10, 11, tom. IX ed. *Erasm.* et *Lovan.*

9. Sermo *de Contemptu mundi.* Incerti auctoris. Item Sermo *de Vanitate sæculi*, qui ferme totus habetur in tractatu *de Rectitudine catholicæ conversationis*, de quo infra n. 61.
10. Sermo *de Bono disciplinæ.* Melch. *Goldastus* ab *Haiminsfeld* asseruit *Valeriano* Cemeliensi apud Alpes maritimas episc. sæc. v, ejusque etiam nomen præferunt fragmenta hujus opusculi in vetusto codice Colbertino reperta.
11. Sermo *de Obedientia et Humilitate.*
12. *Tractatus de Charitate*, s. de verbis psalmi, *Terra dedit fructum suum.*
13. *De Oratione et Eleemosyna* tractatus (seu potius fragm. majoris operis) ab *Hieron. Vignerio* editus tomo II Supplem.
14. *De Generalitate eleemosynarum.*
15. *Sententiæ Miscellaneæ.* Hæc omnia incerti sunt auctoris, nec Augustinum sapiunt.
16. *De Creatione primi hominis.* Totus insertus est hic liber in tractatu *de Spiritu et Anima* n. 67. Reperitur inter Opera *Ambrosii* sub tit., *Tractatus de Dignitate primi hominis;* et inter Opera *Alcuini* cum tit., *Cogitationes B. Albini Levitæ* in hæc Geneseos verba, *Faciamus hominem ad imaginem nostram.* Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. IX Append.
17. *De Arbore scientiæ boni et mali.* Exst. in ed. *Erasm.*, *Lovan.*, et *Bened.* t. IX append.

Sequentia, usque ad num. 23, exstant in append. tom. I ed. *Bened.*

18. *De Grammatica* liber.
19. *Principia Dialecticæ et Rhetorices.* Libri tres.
20. *Categoriæ decem ex Aristotele decerptæ.* Quatuor isti tractatus, qui Augustino in præcedentibus editionibus ascripti erant (*Erasm.* et *Lovan.* t. I) a Benedictinis in appendicem rejectis spuriis accensentur (tom. XI).
21. *Regulæ Clericis traditæ* fragmentum.
22. *Regula secunda.* (*Tertia* est genuina, vide supra n. 102.) Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. I in append.
23. Liber *de Vita Eremitica* ad sororem, quem non edidit *Erasmus.* Exstat in append. t. I ed. *Lovan.* et *Bened.* *Ælredi* Rievallensis est (qui sæc. XII vixit) juxta *Lucam Holstenium.* Tertia circiter pars in Operibus *Anselmi*, scil. Medit. 15, 16 et 17 exstant.

Quæ sequuntur, usque ad n. 26, in append. tomi II ed. *Lovan.* et *Bened.* exstant.

24. *Epistolæ* XVI mutuæ *S. Augustini* et papæ *Bonifacii I* brevissimæ, quas antiquas esse fatetur *Erasmus*, sed *Augustino* abjudicat; quod judicium *Bellarminus* et *Lovanienses* secuti sunt.
25. *Epistola ad Demetriadem. Pelagii* est, ut ipse Pelagius fatetur in suis ad *Innocentium* papam litteris.
26. Epistolæ mutuæ *SS. Augustini* et *Cyrilli de magnificis admirandisque S. Hieronymi virtutibus et miraculis.* Suppositiæ.
27. *Altercatio* seu *Collatio* S. Augustini cum Pascentio *Ariano* Hippone habita, præsente *Laurentio* judice delecto a *Pascentio*, viro spectabili. Non est *Augustini.*
28. *De Mirabilibus S. Scripturæ* libri tres. Incerti auctoris, qui post a. 700 vixisse perhibetur. Exst. in ed. *Erasm.* tom. III, *Lovan.* et *Bened.* ibid. in append., ubi et sequens.
29. *De Benedictionibus patriarchæ Jacob* opusculum. Decerptum est ex *S. Hieronymi* Quæst. Hebr. in Genes. et Moralibus *Gregorii M.* et *Alcuinum* auctorem habet.
30. *Quæstiones Vet. et N. Test.* in tres partes divisæ, quibus quartam superaddiderunt, XXV Quæstiones complexam, sed spuriam Lovanienses, *Hilario* diacono adjudicantes. Exst. in append. tomi IV ed. *Lovan.* et tomi III *Bened.*
31. *In Apocalypsin* D. Joannis Expositio sive Homiliæ XVIII. Fortasse *Tychonii* Afri Donatistæ. Notæ sunt ex *Victorino*, *Primasio* et *Beda* collectæ. Exst. in ed. *Erasm.* tom. IX, *Lovan.* ibid. in append., et *Bened.* III.

Quæ sequuntur, usque ad n. 65, exstant in append. tomi VI ed. *Bened.*, præter *Sermones ad Fratres in Eremo*, aliosque de quibus supra 9-15.

32. *Liber Sententiarum* s. *Quæstionum* XXI, ex *Augustino* aliisque nullo ordine ab auctore aliquo imperitissimo collectarum. Exst. in edit. *Erasm.* et *Lovan.* tom. IV in append., ubi et sequens.
33. *Quæstionum* LXV *Dialogus* ex variis *Augustini* libris maximam partem congestus.
34. *Liber de Fide* ad *Petrum* diaconum, olim inter opera Augustini impressus, ab Erasmo vero primum ei abjudicatus. *Fulgentii* est Ruspensis episcopi. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. III in append., ubi et sequens.
35. *De Spiritu et Anima* liber. Continet Dicta et Collectanea ex multis et diversis auctoribus exscripta.
36. *De Amicitia.* Nonnisi Epitome est trium librorum Ælredi Rievallensis de eodem argumento. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. IV in append., ubi et sequens.
37. *De Substantia dilectionis et amoris* liber. Duo libri in unum confusi. Auctores ignorantur.
38. *De diligendo Deo* liber, qui et *Meditationum* inscribitur. Conflatus est item ex variis libris *Hugonis Victorini*, *Bernardi* et *Anselmi.* Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. IX in append., usque ad n. 48.
39. *Soliloquium animæ ad Deum*, liber. Ab auctore

incerto ex Augustino non modo, sed aliis etiam auctoribus, veluti ex *Hugonis Victorini* libro *de Arra Animæ* collectus.

40. *Meditationum* liber. *Lovanienses* inter genuinos *Augustini* fetus reliquerant, neque de eo aliud pronuntiaverant, quam quod antea dubitans incertusque *Erasmus* dixerat, auctorem esse vel Augustinum, vel qui ejus libros non indiligenter legisset. Collectus est potissimum ex *Anselmi* scriptis ab auctore XII sæc., nec non ex Joannis abbatis Fiscamensis opere.

41. *De Contritione cordis* liber. Auctor sæc. XII consarcinavit ex *Anselmi* et *Hugonis de S. Victore* operibus.

42. *Manuale.* Opusculum ex variis antiquioribus et sæc. XI scriptis collectum : Augustino, Cypriano, Gregorio et Isidoro, Anselmo Bernardo, etc.

43. *Speculum* sive *Manuale*, ut in aliquot codicibus inscribitur : et in cod. Bibl. Bernardinorum Parisiensis habetur sub titulo : *Libellus catholicæ fidei*, alterumque adjunctum habet opusculum. Hæc autem duo opuscula nihilo diversa sunt a part. I, II *Confessionis Fidei*, quæ cura *Pet. Franc. Chiffletii* Jes. sub Alcuini nomine prodiit. Certe auctor sæc. XII non antiquior.

44. *Speculum peccatoris.* Incerti auctoris est et sæc. XII non excedit.

45. *De triplici habitaculo* liber. Incerti nec ineruditi auctoris.

46. *Scala Paradisi.* Est *Guigonis* seu *Guidonis* sæc. XII.

47. *De cognitione veræ Vitæ. Honorii Augustodunensis* putatur.

48. *De Vita Christiana.* Liber est *Fastidii* Britanni.

49. *Liber exhortatorius*, vulgo *de Salutaribus documentis ad quemdam comitem.* Paulino Aquileiensi seu Forojuliensi patriarchæ, qui sæc. VIII vixit, haud injuria asserunt. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. IV in append.

50. *De duodecim Abusionum gradibus.* Cypriano æque ac Augustino falso tribuitur. Auctor ignoratur. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. IX, append.

51. *Tractatus de septem Vitiis et septem Donis Spiritus sancti.* Hugonis Victorini. Primus edidit inter *Sanctorum Patrum Monumenta* Paris. 1634 *Guil. Camerarius Scotus* Congreg. Oratorii presbyter. Theol. D. Paris., eum *Augustino* non ab antiquis mss. codicibus, sed tantum *a multis viris doctis* tribui dicens. Inde recepit *Vignerius Supplem.* tom. I. Sed quia inter opera *Hugonis* vulgo occurrit ibidemque alius affinis ei, et pars quasi quædam ejusdem, inscriptus : *De septem Peccatis mortalibus : contra quæ valent Orationis Dominicæ septem petitiones*, reperiatur, omisere *Benedictini.*

52. *De Conflictu Vitiorum et Virtutum.* Ambrosii *Autperti* est sæc. VIII scriptoris. Hoc opusculum quatuor antiquis Ecclesiæ doctoribus tributum : Augustino primum in omnibus operum illius editionibus; deinde *S. Leoni* papæ in ed. Paris. 1511; postea *S. Ambrosio* Med. ep. in ed. Rom. 1585, in qua *ad Simplicianum* inscribitur; denique et *S. Isidoro Hispalensi* in ed. Matrit. 1599, et Paris. 1601. Sed plurimum decepit *Sigebertus Gemblacensis de Vir. ill.* c. 55, deceptus ipse falsa vet. aliquot codd. inscriptione, qui nomen Isidori habere dicuntur. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. IX, append., ubi et sequens.

53. *De Sobrietate et Castitate.* Ignoti auctoris, sed antiquus liber et elegans, judice *Dupinio.*

54. *De vera ac falsa Pœnitentia ad Christi devotam.* Totus fere hic liber cum *Augustini* nomine in Decreta *Gratiani* et in Sententias *Petri Lombardi* translatus est. Tribuerunt postea eidem *Petrus Blesensis, Vincentius Bellovacensis* et *Thomas Aquinas.* Inter recentiores de auctore a *Trithemio* inde disceptatum est. Vicit tamen probabilior sententia, auctorem esse ab Augustino diversum. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. IV, append.

55. *De Antichristo.* Plerumque *Alcuino* tribui solet, inter cujus opera integer, hic vero et apud *Rabanum Maurum* imperfectus exstat. Sæculo nono asserendus videtur. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. IX, append.

56. *Psalterium*, quod matri suo composuisse fertur Augustinus. Sed in ms. cod. Regio 4373 inscribitur : *B. Joannis papæ factum apud Viennas.* Hic autem *Joannes* creditur esse nomine XXII. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. IX, append., usque ad n. 61.

57. *Cantici* Magnificat *Expositio.* Ex *Hugonis Victorini* tractatu in hunc hymnum decerpta.

58. *De Assumptione B. Mariæ Virginis* liber seu potius sermo. Auctor creditur *Fulbertus Carnotensis*, qui ineunte sæc. XI vita functus est. Alii codd. *Ambrosii Autperti* (sæc. VIII) nomen præferunt.

59. *De Visitatione infirmorum* libri duo.

60. *De Consolatione mortuorum* libri s. sermones duo, ex Joanne Chrysostomo forsan decerpti.

61. *De Rectitudine catholicæ conversationis.* Exstat in lib. II Vitæ *S. Eligii*, Noviomensis episc. per *S. Audoenum* Rothomag. descriptæ. Alii tamen ex ipso Eligio (sæc. VIII) et *Cæsario* Arelatensi (sæc. VI) collectum volunt.

62. Sermo *de Symbolo.* Integre collectus ex Symbolo Rufini Aquilei. presb. ex Homiliis *S. Cæsarii* papæ et *Yvonis Carnotensis* (sæc. XI et XII). Insuper etiam complectitur totum Sermonem 242, qui exstat in *append.* tom V ed. *Bened.* membratim dissectum.

63. Sermo *in pervigilio Paschæ de esu agnæ.* Reperitur etiam inter *S. Hieronymi* supposititia.

64. Sermo *in Ps.* XLI, *ad Neophytos*, qui et *Hieronymo* falso tribuitur.

65. Sermones tres *de Ritibus et Mysterio Baptismatis.* Hoc primus evulgavit *Sirmondus* in append. post Sermones XL, sed minime *Augustini* esse arbitratur

Sequentia usque ad an. 77 in *append.* tom. VIII, ed. *Bened.*

66. *Adversus quinque hæreses*, seu *contra quinque hostium genera tractatus*, scilicet adversus Paganos, Judæos, Manichæos, Sabellianos, et Arianos. Hunc Erasmus hominis eruditi, arguti et facundi esse censuerat, non tamen *Augustini*, nisi forte, ait, juvenis scripserit. *Augustino* sine cunctatione abjudicant *Bellarminus*, *Lovanienses*, aliique, Bedæ auctoritate. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. VI.

67. *Contra Judæos, Paganos et Arianos.* Sermo alius, ut videtur, ab illo, qui in Indiculo *Possidii* legitur, et quem ideo vere *Augustini* esse judicat *Bellarminus:* nam auctor istius exscripsisse videtur *S. Gregorium* tum in exordio, tum quædam ejusdem alia cap. 17. Exstat in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. VI.

68. *De Altercatione Ecclesiæ et Synagogæ* dialogus. Auctoris sæc. XIII vel XIV, nam Joannis Scoti coætaneum se fuisse testatur. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* tom. VI in append.

69. *De Fide seu unitate Trinitatis adversus Manichæos* liber. Hunc ex vetustissimi codicis Corbeiensis auctoritate *Evodio Uzalensi*, in Africa episcopo, asseruit *Jac. Sirmondus* Hist. Prædest. c. 1. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. VI.

70. *Commonitorium* (vulgo *S. Augustini* episc. *Ecclesiæ catholicæ*) *quomodo sit agendum cum Manichæis, qui convertuntur.* Sub *Augustini* nomine vulgatum est in append. ad T. X ed. *Paris.* 1586. Scriptum antiquissimum est, quod *Dupinius* concilii alicujus Africæ constitutionem putat.

71. *Contra Felicianum* Arianum *de Unitate Trinitatis* liber *ad Optatum.* Pronuntiavit olim Erasmus non esse probabile, hunc librum esse *Augustini* (cujus in Retractationibus non meminit). Dissimulata vero *Erasmi* censura librum istum Lovanienses inter genuinos *Augustini* fetus reposuerunt, *Bedæ*, *Lanfranci*, *Alcuini* et *Petri Lombardi* fere auctoritatibus ducti. Fortasse *Vigilii Tapsensis* est. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. VI.

72. *Quæstiunculæ de Trinitate et de Genesi*, quæ ex *Alcuino* descriptæ sunt. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. III, append.

73. *De Deitate et Incarnatione Verbi* ad Januarium libri duo, collecti ex Origenis opere περὶ Ἀρχῶν juxta versionem *Rufini* Aquilei. presb. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. IV, append., usque ad n. 76.

74. *De Trinitate et Unitate Dei* liber. Distinctus olim fuit in capita 13, quorum 9 posteriora totum fere, sed contractum et interpolatum *S. Augustini* librum *contra Sermonem Arianorum* continebant. Capita autem priora quæstiones aliquot dialogi *Pauli Orosii* (qui exst. in append. T. VI) decurtatas et depravatas referunt.

75. *De Essentia Divinitatis* liber unus. Non Augustino tantum, sed multis aliis, Ambrosio, Hieronymo, Anselmo, Bonaventuræ tributus. Prima et maxima pars ex Eucherii Lugd. ep. opere *de formulis spiritualis intelligentiæ* sumpta.

76. *Libellus seu dialogus de Unitate sanctæ Trinitatis.* Ignoti, sed antiquissimi auctoris. Exst. in append. ed. Paris. 1586.

77. *De Dogmatibus Ecclesiasticis* liber *Gennadii Massiliensis*, cujus sub nomine seorsim etiam edidit *Geverh. Elmenhorstius* Hamb. 1614, in-4°. Exst. T. III ed. *Erasm.* et *Lovan.* in append.

78. Sermo *de Rusticiano* subdiacono.

79. Contra *Fulgentium* Donatistam. Non Augustini, sed vetustissimi tamen auctoris, utpote qui concilium illud Carthaginense contra Cæcilianum viderit. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. VII, in append. part. I; *Bened.* IX, append.

80. *Hypomnesticon contra Pelagianos et Cœlestianos* libri sex *Sixto* III P. R. (a. 432). *Garnerius* Jesuita, alii cum *Sirmondo Mario Mercatori* tribuunt. Exst. in ed. *Erasm.* et *Lovan.* T. VII, append. p. II; *Bened.* X, append., ubi et duo sequentes.

81. *De Prædestinatione et Gratia* liber, a nonnullis *Fulgentii Ruspensis* ep. creditus, ab aliis utroque et Augustino et Fulgentio abjudicatus.

82. *De Prædestinatione Dei* libellus, ignoti auctoris.

83. Hymnus : *Te Deum laudamus*, Ambrosio et Augustino simul tribui solitus, de cujus auctore certo nihil statui potest.

## CAPUT III.

### *Variæ editiones operum S. Augustini.*

#### PROOEMIUM.

Haud opus esse puto rei litterariæ et ecclesiasticæ historiæ studiosis, ut de ratione, qua tot tantaque, quibus Augustini scripta comprehenduntur, volumina ab ipsius inde auctoris manu propagata et ad typographiæ salutaria tempora servata fuerint, sedulo disquirant : siquidem jam sua ætate cum fama ejus scriptorum exemplaria omnem pene orbem pervagata essent, et post obitum ejus nequaquam cessante eorum usu non defuerint, qui et conservandis et multiplicandis assidue studerent (*a*). Observat Fabricius (*b*), sæculis aliquot ab excessu ejus elapsis, tanto in pretio fuisse illa monumenta, ut eorum causa, cum in Hispania exemplaria deessent, circa a. 650, Taio Cæsaraugustanus episcopus Romam mitteretur. Sequioribus autem temporibus cum bonæ litteræ lumen suum benignum plane abscondis-

(*a*) In Hipponensi Bibliotheca magnam, immo pene omnium librorum Augustini supellectilem fuisse, quæ flammas etiam ac rapinas Wandalorum evaserit, multa, cum Augustini, tum aliorum loca testantur, et postremum quidem, hoc, quod Possidius ad illius intuitum indicem scriptorum Augustinianorum composuerit; de quibus omnibus adeant, qui tanti putant, Engelberti Klupfelii disq., *an et quomodo Bibliotheca S. Augustini incolumis servata fuerit in excidio Hipp.* 430, insertam ejusd. *Vet. Bibl. Ecclesiasticæ*, vol. I, part I (Friburgi Brisg. 780, in-8°), p. 175, sqq

(*b*) In *Bibl. Lat.* T. II, l. IV, c. 3, ed. Ven., p. 353

sent, hujus tamen libros non ex manibus monachorum excussos fuisse, non solum tot ex sæculo nono, decimo et sequentibus proximis reliqua mss. exemplaria loquuntur, sed documento sunt etiam varia illa *Collectanea* seu *Florilegia Sententiarum* et locorum insigniorum, quæ pusillo studio ex operibus ejus decerpta et compacta sunt, quorum, quod felici omine contigit, paucissima tamen typis sunt impressa, sed passim in bibliothecis justis tenebris premuntur (*a*). De Carolo Magno pervulgatum est Eginhardi testimonio, quanti libros *de Civitate Dei* fecerit. Sed quod paucis notum fuerit, Carolus V, rex Galliæ, virum inter doctos suæ ætatis longe eminentissimum Radolphum de Preulles stipendiis rege dignis adegit, ut idem opus in Gallicum sermonem transfunderet et commentariis eruditis illustraret (*b*). Ex quo vero sæculo decimo quinto mira illa libros multiplicandi ars occœpit, inter primos statim, qui typorum formulas flagitarent, Augustinus fuit, nec ullus Latinorum scriptorum crebrius eo prelo deinceps mandatus est. Primum autem, quod stanneis characteribus exscriptum est opus, fuit liber ejus *de Arte prædicandi* seu ultimus ex quatuor libris *de Doctrina Christiana*, circa annum 1465, *Argentorati* apud *Joannem Mentelinum*, quem eodem vel proximo statim anno repetiit *Joannes Fust Moguntiæ*. Jam vero a 1467 ex celebri illo *Sublacensi monasterio* prodiit primarium ejus opus *de Civitate Dei*, et sequenti statim proximoque anno *Romæ* ab iisdem typographis repetitum, cito omnes pene Italiæ officinas pervolitavit. Igitur excusum est eodem anno 1470 *Venetiis*, ibidemque bis 1475 apud *Nic. Jenson* et *Gabr. Petr. de Tarvisio*; *Romæ* 1474, apud *Udalr. Gallum*; *Neapoli* 1477; *Venetiis* 1486, 1489; *Tholosæ* 1488. Nec minus in Germania circa idem opus in prela incubuerunt, quamquam serius aliquando, cum jam remissior factus esset in Italia primus ille librorum excudendorum ardor. Unum solum novimus antiquius exemplar excusum a 1473. *Moguntiæ apud Petr. Schoiffer*; deinde *Basileensibus* signum extulit *Mich. Wenszler* a. 1479, quem decem annos post secutæ sunt *Amerbachianæ* impressiones, *Friburgensis* 1499, *Langendorfii* 1515, *Lugdun.* 1520. Exstat quoque *Lovaniensis* 1488. Germanicis vero plerumque adjuncti conspici solent commentarii *Thomæ Valois* et *Nicolai Triveth*, quibus admodum tum delectatos fuisse videntur obscurioris hujus doctrinæ amatores, donec per *Ludovicum Vivem* sunt sepulti. Cum Basileensibus librorum *de Civitate Dei* editionibus hujus ætatis pari fere passu incedunt libri *de Trinitate*. Horum prima descriptio fuisse videtur *Venetiana* absque anni mentione per *Paganin. de Paganinis*, aut *Mediolanensis* per *Leonh. Pachel.* 1489. Fortasse autem Germania antiquiorem habuit in ea, quæ loci quidem et anni signo caret, sed singularis vetustatis indicia habet. Eodem vero anno, quem Mediolanensis profert, prelo dedit *Jo. Amerbach* iterumque 1490, quæ sequentem habuit Friburgensem a. 1494, *Basileensem Langendorfii* 1515, et *Lugdunensem* 1520. Ad hæc prima circa Augustini libros studia pertinet porro in Germania editio libri *de Consensu IV Evangelistarum*, *Lavingæ* 1473. Item libri *de Fide et Operibus*, *Coloniæ eodem anno*; variaque ibidem minori forma excusa opuscula, quæ omnia ad eumdem annum redire videntur. Suppar iisdem fortasse, modo Germanica sit, *Confessionum* editio *loci et anni* indicio destituta, quarum vetusta admodum descriptio *Mediolani* facta est 1475, et mox *s. l.* 1482. *Sermones* etiam frequenter per hoc tempus prela exercuerunt, ex quibus antiquissimæ *Homiliæ* L. *Augustæ* per *Anth. Sorg.* 1475 excusæ, quas exceperunt *Sermones ad Eremitas fratres*, *Mutinæ* a. 1477; *Mediolani* 1484; *Brixiæ* 1486; *Venetiis* per *Pagan. de Paganinis* 1487; *ibidem* per *Vinc. de Benaliis* 1492; tandem *Amerbachiana Collectio*, inter quos recens farrago Sermonum *de Tempore* 1494 et 1495, repetita illa *Parisiis* apud *Jodoc. Badium* 1516, et *Hagenoæ* 1521. *Epistolarum* porro impressiones præter *antiquam loco et anno non insignitam* factæ sunt ab eodem, qui toties nobis laudandus est, *Jo. Amerbachio* a. 1493 et 1494, itemque *Enarrationes in Psalmos* repetitis vicibus a. 1489, 1493 (cujus anni Veneta etiam editio laudari solet), 1494, 1497, ex sua officina exire passus est, eumque secutus *Lugdunensis* artifex a. 1519. His insuper adde ingentem numerum eorum librorum, qui propter indiciorum et notarum defectum certo anno affigi nequeunt, cujusmodi non una exstat editio librorum *de Doctrina Christiana*, *de Quantitate animæ*, *Soliloquiorum*, *Sermonum*, *de Trinitate*, *Confessionum*, *Epistolarum*, *de Consensu quatuor Evangelistarum*, *de Spiritu et Littera*, *de Civitate Dei*; *in Evangelium Joannis*, *Enchiridii ad Laurentium*, etc.; quos omnes suo loco diligenter notavimus et pro viribus descriptos dedimus.

Interea plurima etiam ejus opuscula colligi et in unum corpus condi cœpta sunt, licet in allegendis singulis non semper ratio quædam et consilium spectatum fuit, sed casui magis, qui varia invicem illius scripta sociasset, curatores obsecuti esse videntur. Primum in his locum sibi vindicant *Tractatus* a. 1484 *Venetiis per Andream de Bonetis de Papia* in-4° junctim editi, nisi iidem forte jam ex priori *Veneta* per *Octavian. Scotum* 1483 sint derivati, quod certo confirmare non possum; et *Argentinensis* editio per *Martin. Flach* a. 1489, et *iterum ibidem* excusa 1491. Posterior Veneta editione non parum auctior est, licet ultra dimidiam partem cum eadem egregie concordet, adeo ut difficile dictu sit, utrum vestigiis illius insiterit, an incepto plane diverso sit adornata.

(*a*) Subjunximus infra quædam ex Oudino et M. Bibl. Eccl. Coloniensi de ejusmodi *Defloratoribus et Commentatoribus* tam antiquis, quam recentibus.

(*b*) De imperatore Carolo V, hujus nominis idem narrasse Gallum quemdam in *Ephemerid. Erudit.* (*Journal des Sav.*) 1666, 15. Mart., alicubi in *Bibl. Colon. Eccl.* legimus.

Utraque tamen talia complectitur opera, quæ non magna voluminis mole constant, certe non prolixiora libris *de Doctrina Christiana*, idque hoc imprimis respectu, quod illa vel seorsim jam prostarent, veluti *de Civitate Dei*, *de Trinitate*, *Enarrationum* in Psalmos libri, vel peculiarem sibi quæque postularent operam, qualem contigisse etiam *Epistolis* et *Sermonibus* vidimus. Eadem fortasse Veneta editio rescripta est *ibidem* apud *Dionys. Bertholdum* 1491, a qua distant editiones, *Parmensis* per *Angelum Ugoletum* et *Veneta* per *Pelegrinum de Pasqualibus*, utraque a. 1491, quas opinor exemplum præbuisse editioni *Jodoci Badii Ascensii*, excusæ *Parisiis* 1520 apud *Jo. Parvum* et adhibitæ diligenter a Patribus Maurinis. Nec silentio prætereundum est singulare ejusdem *Jodoci Badii* et *Augustini de Ratispona* consilium in colligendis edendisque sua opera correctis diversis *Quæstionum Augustini libris*. Prodiit hoc opus a. 1497. *Lugduni* per *Jo. Trechsel. in-fol.* eximia industria et multo cum judicio instructum.

His tandem omnibus præparatis *Jo. Amerbachius* de omni re litteraria et imprimis ecclesiasticis scriptoribus Latinis meritissimus, non ut aliorum frueretur diligentia, nam sua ipsius huc potissimum adducta res erat, sed ne incrementis litterarum, quæ matura videbantur, deesset, consilium *universorum Augustini operum per partes edendorum* cepit. Confecit igitur XI volumina, quorum octo prioribus omnia ipsius scripta ordine chronologico ad fidem Retractationum ejus disposuit addiditque tribus insuper, ea, quæ in Retractationibus vel omissa erant, vel serius elaborata. Simul vero ne moles in immensum cresceret et quod exemplaria haud dubie superessent, rationem habuit eorum, quæ antea seorsim ex sua officina protulerat, *Epistolasque*, *Sermones* et *Enarrationes in Psalmos* ab hac editione sejunxit. Prodiit hæc Amerbachiana *Basileæ* a. 1506, et magnis omnium, qui hasce litteras amabant, plausibus fuit accepta, recusa etiam *Parisiis* a. 1515. Videtur autem hæc editio plene omnibus desideriis satisfecisse. Nam ad annum usque 1529, non solum nihil innovatum est in Amerbachii instituto, sed singulatim etiam pauci iidemque minores Augustini libelli hoc intervallo temporis, *Coloniæ* imprimis 1527, *de Doctrina Christiana*, *de Spiritu et Littera*; 1528, *de Fide et Operibus*, *de Natura et Gratia*, etc. Item *Augustæ Vindelicorum* 1523, *de Fide et Operibus* et *Enchiridion ad Laurentium*, et *Norimbergæ* denique, veluti a. 1524, de *Natura et Gratia*, evulgati sunt, quibus omnibus textus Augustini nihil incrementi cepit. Tanto benignior fortuna in libros *de Civitate Dei* omnia cumulavit, quæ per istam ætatem a doctorum hominum ingenio ac diligentia in exornando libro veteri exspectari poterant, siquidem *Jo. Ludovicus Vives* litterarum elegantiorum in Hispania et Belgio stator et vindex, in editione *Basileensi apud Frobenium*, non modo textum ex codicibus mss. ad quorum usum magnam sermonis Latini et priscæ doctrinæ facultatem afferebat, dedit recognitum, sed commentario insuper illustravit, cui parem ubertate et elegantia in ullo prisco scriptore ne Itali quidem viderant; tantusque a cunctis ævi istius litterarum amatoribus honos habitus fuit, ut Erasmus novo in hoc opere labore supersedere se posse judicaret totumque in editionem suam reciperet.

Erasmiana autem illa recensio, quæ licet diversissima, pro more, experiretur judicia, studia tamen in hoc genere incredibile quantum accendit. Consilium soli Frobenio debetur, qui nullis hac in re sumptibus pepercit et hoc nomine tantum vitam sibi produci a summo numine optabat, ut hæc ad exitum perducta videret. Sed voti hujus compos non factus est, morte præreptus cum vix duo priores tomi absoluti essent. Dederat autem Frobenii precibus Erasmus, ut opus, cujus nonnisi partem exiguam in se recepisset, cum profligando nemo succedere vellet, totum tandem sustineret, eoque mortuo filiis ejus idem obsequium præstandum esse duxit. Tria igitur in hac editione feneratus est hic scriptor perquam magna ad promovendum ipsius studium. Primum munditiem a characteribus et chartis et justum aliquod decus in toto habitu ac descriptione. In Amerbachianis enim impressis, ut nemini ignotum esse potest, liberalior cultus merito desideratur, dum partim litteræ ad aspectum ingratæ sunt adhibitæ, partim charta adest crudior et omnia denique paginæ spatia adeo sunt oppleta, ut sordidum pene in eo se præbuisse Amerbachium dixeris. Deinde integra primum exhibet ipsius opera. Tertia denique dos fuit textus correctus a vitiis innumeris ex grammatico potissimum genere, et iis, quæ ab ignorantia antiquitatis et doctrinæ veteris orta videri poterant, tum nova partitio et judicia de iis, quæ aut omnino non genuina essent, aut saltem viderentur dubia.

Sæpius autem iterata et identidem aucta est hæc editio. Sic non contemnendis *Sermonum* accessionibus locupletata est *Parisiis apud Chevallonium* 1531-32, et *ibidem apud Carolum Guillard* 1541, nec non in singulis *Basileensium* repetitionibus, nempe 1541-43, cui suppetias tulit *Martinus Lypsius*; 1556, curante *Joanne Costerio*; et 1569, quæ ultima Frobeniana fuit absolutissima et nitidissima omnium, in quam etiam *Sermones* illi, quos primum ex mss. codicibus eduxit et *Lovanii* a. 1564 publicavit *Joannes Vlimmerius*, migrarunt. Porro recusa est etiam *Lugduni* 1561-63 in-8° et *Parisiis* 1571 in-fol., et impuras etiam *Venetorum* bibliopolarum manus passa a. 1545, 1552, 1570 et 1584. Cæterum Erasmianam recensionem sequuntur, quotquot ab ejus editione diversis in locis seorsim excusi sunt Augustiniani libelli, quorum haud exiguus quidem numerus fuit, sed nihil ex iis Augustini lectio lucri fecit. Frequenter imprimis lectitatæ esse debent *Confessiones*, quæ *Coloniæ* 1531 et 1569, *Lovanii* 1563 et 1571, *Antuerpiæ* 1567 et 1568 descriptæ sunt; item liber *de Spiritu et Littera* excusus *Parisiis*, 1558,

*Witebergæ* 1541, *Antuerpiæ* 1568; *de Fide et Operibus Parisiis* 1534, *Coloniæ* 1552, *Antuerpiæ* 1568; *de Consensu* quatuor *Evangelistarum Parisiis* 1538, et *Coloniæ* 1539; *de Cura pro mortuis gerenda Parisiis* 1543; *de Libero arbitrio, de Prædestinatione et Gratia Coloniæ* 1568; *de Natura et Gratia Antuerpiæ* 1568; *de Doctrina Christiana Venetiis* 1534; *Enchiridion ad Laurentium Coloniæ* 1532; item per *Lambertum Danæum Genevæ* 1575, cum Commentario repetito ibidem 1579, 1583, 1597. Idem Danæus anno post addidit librum *de Hæresibus*, qui pariter repetitus est a. 1578, 1593 et 1595. Denique iteratum quoque *de Civitate Dei* opus cum *Jo. Lud. Vivis commentario Parisiis* 1544 et 1555, *Basileæ* 1555 et 1570.

Sed nova repens Augustino lux oborta est per conjuncta *Theologorum* Lovanien ium studia in editione *Operum* ipsius *Antuerpiæ* apud *Christoph. Plantinum* a. 1577, XI tomis in-fol., publice proposita; in qua non solum critica apertior, sed præclarum etiam hoc, quod spuria dubiaque prorsus a reliquis separata, sua cuique tomo subjecta sint. Ut nihil de animadversionibus dicam aliisque commodis, quæ nulla non ætas in ea summopere probavit. Certatim ea expressa est et plerumque cum accessione aliqua: *Parisiis* 1586; *Genevæ* 1596; *Parisiis* 1603, 1604, 1613-14; *Coloniæ* 1616; *Parisiis* 1626, 1635, 1652. Subinde etiam extrinsecus augmenta quædam allata sunt, veluti a. 1611, cum primum librum *de Gestis Pelagii* ex codice ms. ex Italia sibi transmisso *Augustæ Vindelicorum* imprimi curasset *Marcus Velserus*. Similiter *Claudius Menardus* Andegavensis *Parisiis* a. 1617, primum publici juris fecit *duos libros priores contra secundam Juliani responsionem*, quos denuo recognitioni suæ subjecit *Mich. Paludanus* Gandavensis *Lovanii* 1642. Porro *Jacobus Sirmondus* XL *Sermones* novos edidit Parisiis 1631, et *Joannes Marus Sermones* sex cum fragmentis aliquot *Romæ* 1644. Sed sequiores illæ repetitiones, utut auctiores sensim, propter vitia crebra multo primis sunt deteriores. Quare cum non sine manifesto damno sumptus in eas impendi cognovisset *Hieronymus Vignerius*, Congreg. Oratorii D. Jesu Paris. presbyter, subvenire studuit edito anno 1654 et 1655, duobus tomis *Supplemento omnium Operum Augustini ante a.* 1614 *impressorum*, quo comparato quamvis antiquiorem, seu Erasmi, seu Lovaniensium editionem absque damno, immo fructu majori, retinere studiosi possent. Simul *sex* libros *contra secundam responsionem Juliani* operis ejusdem, cujus duos libros primum ediderat Menardus, variosque insuper *Sermones* et *Tractatus* usque dum ineditos addidit. Ad exemplar Lovaniense se composuerunt, quæ ab extremo sæculo XVI usque ad finem XVII seorsim singula aut plura invicem juxta argumenti affinitatem excusa sunt Augustini scripta. Cujusmodi sunt *Confessiones*, *Wirceburgi* 1581, et *Turoni* 1588; *De Civitate Dei Antuerpiæ* 1600; *Genevæ* et *Lugduni* 1610; *Parisiis* 1613, 1636, 1651; *Francofurti* 1624; *Hamburgi* 1661; *de Doctrina Christiana Antuerpiæ* 1601; *Witebergæ* 1604; *Helmestadii* 1629 et 1655, per *Ge. Calixtum*; *de Unitate Ecclesiæ Moguntiæ* 1602, cum notis *Justi Calvini*, *Helmestadii* 1657, per *Ge. Calixtum*; item liber *de Utilitate credendi* per *eumdem, ibidem eodemque anno*, et postea *Lovanii* 1680; *de Hæresibus*, *Helmestadii* 1621; *Oxoniæ* 1631; *Helmestadii* 1678, *cum Danæi comm.*; *de Fide et operibus Francofurti* 1652; *Enchiridion ad Laurentium Witebergæ* 1604; *Parisiis* 1665; *Epistolæ Francofurti* 1678, selectæ *Flexiæ* 1638, et *Lovanii* 1662. Novam quidem *Confessionum* recensionem juxta plures mss. jactitavit *Henricus Sommalius* Soc. I, quæ dici non potest, quoties impressa sit et repetita *Lugduni*, *Coloniæ*, *Duaci*, *Dilingæ*, etc.; sed cui a criticis exiguum pretium statutum est. Nec vero momenti ullius sunt variæ illæ opusculorum *contra Pelagianos* collectiones, cujusmodi Parisiis 1644 et 1652, *Lovanii* 1647 et 48, *Romæ* 1652, *Bruxellis* 1654 et 1673, et *Lugduni* 1673, prodierunt. Sed quod miraberis, ex *Gallicis* aliquot *versionibus*, quæ frequenter intra hoc spatium provenerunt, præcipue *Arnaldinis*, fructus quidam ad textum hujus scriptoris confirmandum redundarunt.

Nova denique atque ultima series a Benedictinorum luculentissima opera orditur. *Conspectum* hujus editionis jam a. 1671 publice proposuit vir doctus Congregationis Maurinæ, qui curam illius in se receperat, sed paulo post a Congregatione pulsus, alii eam provinciam cedere coactus fuit *Franc. Delfau*. Tradita deinde est *Thomæ Blampino* et *Petro Coutantio*, quibus per occasionem alii quidam sodales diligentiam suam commodarunt. Sed Mabillonii partes in hoc negotio nullæ fuerunt, præterquam quod epistolam nuncupatoriam ad regem Ludovicum XIV, cujus auspiciis totum opus gestiebat, elaborasse dictus est. A copiis criticis et diligentia editorum est consummatissima. Imprimis autem nova singulorum scriptorum ad temporum rationem discussio et spuriorum a genuinis discriminatio ecclesiasticæ historiæ studiis perquam salutaris commendatur. Recudi eam fecit et uno volumine variarum ad maxime illustres Augustini controversias dissertationum suarumque haud vulgaris notæ observationum auxit *Jo. Clericus Antuerpiæ* seu *Amstelodami* verius 1700-1703, quo factum est, ut ad plures saltem inter Protestantes usus hujus editionis pertingere potuerit. Italis non æque placuisse videtur. Nam *Parisiensem* Benedictinorum, *autographo undequaque similem*, jam anno 1706 iterum prelo committere parabat *Joannes Bapt. Clarellus*, typographus Venetus, publiceque id consilium significavit misso ad eruditos Protreptico, in quo Antuerpiensis editio male ipsi ob fidem et voluntatem Clerici audiebat; quod turpe tamen quæstuosi mangonis artificium non opus erat, ut Oudini bilem moveret et ad Clerici patrocinium suscipiendum eum, ipsi minime faventem, impelle-

ret (*a*). Cæterum ignoramus, an Clarelli istud consilium successum habuerit, sed procul dubio haud multum ab eo abludit ea, quam a. 1729 et sequentibus ibidem prodire jussit *Joannes Baptista Albrizzi.*

Reliqua, quæ separatim a Benedictinorum inde ætate in Augustinum collata sunt, haud capiunt magnificam commendationem. *Duæ* quidem *Epistolæ ad Optatum*, altera *de Natura et Origine Animæ*, altera *de pœnis parvulorum, qui sine baptismo decedunt*, recens ex codice abbatiæ Gottwicensis in Austria inferiori erutæ sunt, *Viennæ* 1732 et *Parisiis iterum* 1734 impressæ. Memoratu etiam digna videtur *Jo. Schilteri* IC. editio libri *de Conjugiis adulterinis*, *Ienæ* 1698; a quibus cætera, veluti *Tricassini* ed. librorum *de Gratia contra Pelagium et Cœlestium*, *Mogunt.* 1687; *Liber de Hæresibus* Cantabrig. 1687 et Oxon. 1721; *Speculum Augustini* a *Tommasi* editum *Romæ* 1679; Confessiones cum prolixissimo *Franc. Archangeli de Præsentatione* commentario evulgatæ *Florentiæ* 1757, et libelli, quos nuper *Teegius* Thuringus ad Benedictinorum exemplum typographorum formulis exscribi fecit *Lipsiæ* 1767, 69 et 70 longo intervallo distant. In hoc tanto autem Augustini recentiori ætate neglectu optandum foret, ut, quod Parisinus quidam *Ph. D. Pierres* exorsus erat institutum, præclaro specimine in nitidissima *Confessionum* descriptione a. 1776 proposito, non deseruisset, aut alii in simili subsidiorum criticorum fortuna imitarentur.

Sed transeamus tandem ad *Annales editionum* Augustini, quos quidem ita descripsimus, ut I. *Scriptorum collectorum* a primis initiis. II. *Singulorum* juxta seriem consuetam a nobis proponerentur. Quibus omnibus absolutis paragrapho peculiari quædam non inutilia *de Epitomatoribus*, *Defloratoribus* et *Commentatoribus Augustini*, tam antiquis, quam recentibus, subjicientur. Ejusmodi autem scripta, quæ non tam explicandis aut commentandis certis Augustini libris inserviunt, quam de doctrina Augustini vel universa, vel de singulis illius capitibus sive instruendi, seu convincendi, aut alienas opiniones redarguendi causa tractant, intra limites operis hujus haud apte cogi posse arbitrati sumus.

### ARTICULUS PRIMUS

### Collectiones Operum et Opusculorum Augustini

#### SÆCULO XV.

1473. *Coloniæ*, *in*-8° maj. Augustinus de Fide. Ab initio : *Incipit liber sancti Augustini ad Petrum Diaconum de fide.* In fine : *Liber iste S. Augustini de fide catholica ad Petrum Diaconum Coloniæ impressus est. In vigilia sancti Johannis Baptiste. Anno domini M.CCCC. septuagesimo tercio.*

Character hujus voluminis est Gothicus antiquus luculentus, charta densa, paginæ lineis latis 26 impressæ. Nullæ exstant paginarum foliorumve vel plagularum notæ. Distinctionibus, quas commata et puncta appellamus, inseruit lineola duplicata, qua alias grammatici in verbis bicompositis uti solent, quamque ὑφεν vocant. Tribuimus vero huic voluminis locum inter opuscula propter sequentium cum eo similitudinem, quæ si non eodem anno, attamen ex eadem officina vere prodierunt, ut nunc quidem comparatione singulorum inter se inducti opinamur, et egregiam artis perfectionem in paucis plagulis ostendunt. Nempe tria, quæ sequuntur volumina, eodem charactere, sed nitidissimo et quo absolutius hoc in genere vix quidquam fingi possit, in charta longe optima et fulgenti, pagina lineas 27 complectente, impressa sunt. Cæterum characterum notæ nullæ prorsus cernuntur, nec loci, nec anni ullum indicium. Complectuntur autem :

1° Librum *de Agone Christiano* una cum ipsius de eodem judicio, *ex libris Retractationum*; librum *de Sermone Domini in monte habito*, cujus in fine ad calcem voluminis : *Explicit liber primus beati Aug. de Montana.*

2° Tractatum *de Fuga mulierum*; tr. *de Continentia*; librum *de Contemptu mundi*; *Epistolam beati Ieronimi ad Paulinum presbiterum*; *Sermones duos Augustini de communi vita clericorum*, qui incipiunt, *Propter quod volui*, etc., *et charitati vestræ*, etc.

3° *Omelias* B. Augustini, et primo *de eo, quod Psalmista ait : Quis est homo, qui vult vitam et cupit videre dies bonos*; — secundo *de eo, quod scriptum est : Esto consentiens adversario tuo*, etc. *Et qui odit fratrem suum, homicida est*; — tertio *de eo, quod Dominus ait : Diligite inimicos vestros*; — quarto *de eo, quod scriptum est in Ysaia : Clama, ne cesses*; — quinto *de eo quod Apostolus ait : Radix omnium malorum cupiditas*; — sexto *de eo, quod scriptum est : Beatus, qui post aurum non abiit*; — septimo *de eo, quod Apostolus ait : Redimentes tempus cum dies mali sunt.*

Opuscula n. 2° et 3° exhibita commemorat etiam *Catal. Crevennæ novissimus* T. I p. 106 et 107, additque :

4° Librum *de Disciplina Christiana* supra enumeratis plane conformem n. 470, et

5° *Sermonem* super *Orationem Dominicam*, nec non *Enchiridion ad Laurentium*; n. 469 posteriores tractatus, quos omnes per *Ulricum Zel de Hanau* circa 1470 excusos esse statuit editor, secutus in eo judicium *Deburii* in *Cat. Bibl. Ducis de la Val.* T. I, p. 172 sq., qui n. 478 posteriores hosce tractatus notavit, addens primum novem, alterum sex foliis constare. Ibidem n. 473, cum libris a nobis n 2° commemoratis simul existunt et quidem ab initio.

6° *S. Augustini liber de Vita beata. Liber de Honestate mulierum. Libellus de Honestate vitæ.*

(*a*) Reperitur *Clarelli* epistola in *Actis Eruditorum Lips. Febr.* 1707, pagg. 94-96. Conf. *Oudinus Comment.* tom. I, pagg. 985 sq.

1483.

*Venetiis cura et impensis Octaviani Scoti civis Modoetiensis, in-4°*, B. Augustini opuscula Ascetica minora. Recenset *G. Pray* in rarioribus libris Bibl. Budens. T. I.

1484.

*Venetiis per Andream de Bonetis de Papia*, in-4°. S. Augustini opuscula. In fine : *Explicit liber S. Augustini de vera religione, et de clericorum vita sancti Augustini, nec non cujusdam dignissimi tractatus de spiritu et anima. Que omnia in isto libro continentur : cum summa diligentia per M. Andream de bonetis de papia venetiis impressa fuerunt. inclito principe Joanne mocenigo venetiarum duce. M. CCCC. LXXXIIII. die XXII. Mensis Julii.*

Insunt eadem, quæ in editione sequenti Argentoratensi numeris 1-22. exhibentur. Hinc vero adjecta sunt : 23° *Eusebii Corradi* canonici regularis Lateranensis *Epistola ad Sixtum IV, R. P., de auferendo ab Ecclesia errore scribentium*, S. Augustinum fuisse eremitam ; 24° *Regula S. Augustini ;* 25° *Vita S. Augustini* scripta a *S. Possidio, episcopo Calamensi ;* 26° *Eusebii Corradi ad Sixtum* IV et Cardinales Annotatio, seu potius tractatus brevis *de errore scribentium, S. Augustinum fuisse eremitam.* 27° *Liber S. Augustini de Anima.* Diligenter hanc editionem jam ab aliis bibliographis obiter commemoratam recensuit *Cl. Seemiller* fasc. III, p. 7, quo duce nihil certius in lubrica hac semita deprehendimus. Ab eo igitur docemur, omnia hæc opuscula eodem charactere, Gothico nimirum minuto, duabus columnis, nitidæ ac firmæ simul chartæ impressa esse. Observat porro per priora viginti duo opuscula foliis superscriptos esse titulos, non item in reliquis. Litteras initiales, custodes et numeros paginarum deficere, easdem tamen esse signatas. In *Cat. Bibl. Reg.* T. I, p. 376, laudatur a primo *Meditationum* opusculo. Nec raro etiam fit, ut singuli ex hac collectione libri tamquam seorsim h. l. et a. excusi, vel incuria scriptorum, vel quod avulsi a reliquo corpore interdum obveniant, commemorentur.

1489.

*Argentorati per Martin. Flach.* in-fol. *Aurelii Augustini opuscula plurima.* Hæc sola tituli instar pagina prima habentur, charactere Gothico majori impressa. In fine *: B. Aurelii Augustini Hipponensis episc. ac doctoris Ecclesiæ sanctissimi pariter et perspicacissimi : plurimorum opusculorum, nec non vitæ ejus a Possidonio conscriptæ : impensis et opera Martini Flach Argentinæ accuratissime impressorum. Finis Anno a nativitate Salvatoris M. CCCC. LXXXIX. X II. kalendas Apriles.*

*Hos juvat arguta scrutari indagine verum.*
*Illos Dulichio verba lepore tenent.*
*Ast aliis gratum est varios versare libellos.*
*Sunt quos scripta quibus non nisi sancta placent.*
*Quisquis es ex istis : paucis nummis eme multos*
*Aurelii libros : hancque levato sitim.*
*Nervosos cernes rationum viribus : atque*
*Ornatos : varios : de deitate simul.*
*Hos menda expertes tulit Argentina : premique*
Martinus *docili* simus *ab arte dedit.*

Litteræ sunt Gothicæ. Paginæ columnis binis impressæ, folia, sex prioribus exceptis, numerata, singula capita numeris suis et argumentis sunt perquam commode distincta. Insunt sequentia : 1° *Meditationes*, 2° *Soliloquia*, 3° *Manuale de verbo Dei*, 4° *Enchiridion ad Laurentium*, 5° *Liber de triplici habitaculo*, 6° *Scalæ paradisi*, 7° *de duodecim Abusionum gradibus*, 8° *de Beata Vita*, 9° *de Assumptione beatæ Mariæ virginis*, 10° *de Divinatione Dæmonum contra Paganos*, 11° *de Honestate mulierum*, 12° *de Cura agenda pro mortuis ad Paulinum Nol. Ep.*, 13° *de Vera ac Falsa Pœnitentia*, 14° *de Contritione cordis*, 15° *de Contemptu mundi ad clericos*, 16° *de Convenientia X præceptorum et X plagarum Ægypti*, 17° *de Cognitione veræ vitæ*, 18° *Confessiones*, 19° *de Doctrina Christiana*, 20° *de Fide ad Petrum Diaconum*, 21° *Sermones duo de vita et moribus clericorum*, 22° *de Vera Religione ad Romanianum*, 23° *de Spiritu et Anima*, 24° *de Vita Christiana ad sororem suam viduam*, 25° *de Definitionibus orthodoxæ fidei et ecclesiasticis dogmatibus*, 26° *de disciplina Christiana*, 27° *Sermo de charitate*, 28° *de decem chordis*, 29° *Sermo de Ebrietate*, 30° *Tractatus de vanitate hujus sæculi*, 31° *de Obedientia et humilitate*, 32° *de Agone Christiano*, 33° *de Bono disciplinæ*, 34° *Regula de communi vita clericorum*, 35° *Posidonius de vita Augustini.* Præcedunt præter hunc ipsum omnium opusculorum indicem, peculiares aliquot quorumdam librorum tabulæ. Miror *Cl. Seemillerum*, qui eamdem editionem in commentarios fasc. III, p. 171, retulit, non contendisse cum ed. Veneta 1484. Habet etiam *Cl. Braun.* l. l. T. II, p. 174.

1491.

*Ibidem ap. eumd.* in-folio. Eadem *ex secunda editione.* In fine : *M. CCCC. XCI. die XI. mensis Augusti.* Ejus exemplum mancum tamen notavit *Gemeiner* l. l. p. 203, integrum ut nostrum *Cl. Braun.* l. l. T. II, p. 213.

---

*Parmæ per Angelum Ugoletum*, in-fol. Augustini opuscula varia finita *Pridie kalend. Aprilis. Cat. Bibl. Smith.* p. 28, et *Crevennæ noviss.* T. I, p. 110. Ordiuntur seriem libri *contra Academicos*, unde *Morellus* in *Cat. Bibl. Pinell.* hoc nomine ea refert.

---

*Venetiis per Dionysium Bertoldum*, in-fol. Aur. Augustini *opuscula plurima : quædam non plus impressa.* Hæc in speciem tituli in prima primi folii pagina. Incipiunt a *Meditationibus*, quarum titulus minio impressus ; ultimum est *Vita* ejus per *Possidonium* conscripta, ad cujus calcem : *Ejusdem videlicet Aur. Augustini Hipponensis episcopi ac doctoris Ecclesiæ sanctissimi pariter, nec non vite ejus a Possidonio conscripte : impensis et opera Dionysii Bertoldi de Bolonia Venetie accuratissime impressorum finis anno a nativitate salvatoris nostris* (sic) *M. CCCC. XCI. die XXVI. Martii.* His denique epigramma est subjec-

tum. Textus occupat folia CCCXXXIX. Accedunt autem ab initio voluminis præter titulum octo folia tabulam materiarum exhibentia. Superest in fine folium cum chartarum registro symbolum typographi sistens. Litteræ sunt Gothicæ. Descriptio facta est per binas columnas, expressis foliorum numeris ac signaturis, ut tamen custodes desiderentur. Debemus hujus et sequentis editionis notitiam *Cl. Braunio*, *Notit. Lit.* T. II, p. 229. Utinam vero viro diligentissimo contenta ejusdem, vel enumerare, vel cum aliis saltem comparare placuisset.

---

*Venetiis* per *Pelegrinum de Pasqualibus* In-fol. min. *Plurima opuscula S. Augustini.* Hæc pro titulo. Ad calcem : *Finiuntur opuscula S. Augustini hipponensis anno a nativitate domini M. CCCC. LXXXXI. die vero* 10 *novembris impressa fuerunt Venetiis per Pelegrinum de Pasqualibus de Bononia.*

Volumen est foliorum CXXXI exscriptum typis Gothicis, columnis binis. Insunt numeri ac signaturæ, nec tamen custodes. Initium faciunt libri contra Academicos, cum hac epigraphe minio impressa : *Divi Aur. Augustini Hipponensis episcopi contra Academicos ;* vel *de Academicis, quem adhuc Catechumenus edidit.* Præmittitur epistola *Severini Chalci*, Canonicorum regularium S. Crucis Montanensis Canoniæ Præpositi ad lectorem, cui operum index et epigramma aliquod subnexa sunt.

[1495.]

*Basileæ per Joannem de Amerbach. In-fol. VI vol.* S. Augustini Opera. *Maett.* T. I, part. II, p. 588, ex fide *de la Caille*, p. 82. Sed frustra eam apud alios litteratos viros, et in optimarum bibliothecarum catalogis conquisivimus. Vereor ergo, ne per errorem, nescio quem, talis notitia inciderit, quod vel ex eo fit verisimile, quod formam chartarum duplicem, *folii* scilicet et *quarti*, prodidit. Meminit ejus quidem etiam *Vignerius* in *Præf.* ad *Supplem.* Operum Augustini. Sed non majori fide. Immo pene certus sum, varias singulorum Augustini scriptorum, veluti *Enarrationum in Psalmos*, *Epistolarum* et *Sermonum* editiones per annos 1493, 94, 95, 97, identidem ab Amerbachio excusas, hunc errorem peperisse.

1497.

*Lugduni per Jo. Trechsel.* In fol. *Opus questionum divi Augustini, in quo hec omnia continentur.*

*Heptateucon opus variarum questionum super septem libros biblie : comprehendens totidem, septem libros.*

*Questionum novi et veteris Testamenti lib. III.*

*De consensu Evangelistarum libri IV.*

*Questionum Evangeliorum libri III.*

*Questionum octoginta trium liber I.*

*Questionum LXV Orosii : ejusdem dyalogus, qui est liber unus.*

*Questionum octo Dulcidii libellus unus.*

*Questionum Laurentii de fide, spe et charitate : enchiridion.*

*Inquisitionum Januarii et de consuetudinibus ecclesie II.*

*Questionum Honorati de Gratia N. T. liber unus.*

*Questionum quinque Hylarii libellus unus.*

*Questionum sex contra Paganos ad Deogratias, libellus unus.*

*Item omnium istorum indices et retractationes in faciebus posite.*

Hæc in fronte tituli, quibus subjecti sunt in commendationem ejus versiculi aliquot ad D. Augustinum. In fine (extremæ paginæ columna prima) : *Finis sex questionum divi aurelii augustini epi contra paganos ad deo gratias : et per consequens totius hujus operis. Deo gratias.* Columna altera deinde post Badii perorationem et subjectum eidem chartarum registrum : *Impressum est autem hoc opus Lugduni : opera et impensis M. Joannis Trechsel Alemanni : anno salutis nostre Millesimo quadringentesimo nonagesimo septimo. VII. Kalend. Maias.* Quibus in extrema pagina subjicitur symbolum typographi. Præfatus est *Jodocus Badius* ad Magistrum Petrum Gerardum, sacræ theol. profess. et fratrem Eremitarum Augustini Parchiensem (*sic*) priorem. (d. Lugduni. VII kal. Mai. 1497.) Ex eo quidem discimus, opus hoc collectum esse atque castigatum ab *Augustino de Ratispona, S. Theol. Baccalaureo*, de scholasticorum aliquot doctorum scriptis, jam ante editis, bene merito. Neque vero ipsius etiam *Badii* studium operi defuit, siquidem et conquirendis quam pluribus, quos ille nancisci non potuerat, tractatibus et corrigendis iisdem non modicam sibi hujusmodi diligentiæ particulam vindicare posse fatetur. *Nam primum*, inquit, *eum, quem in tergo conspicis ordinem, observatum voluimus : ut primo loco veteris dumtaxat Testamenti questiones ; secundo novi et veteris ; tertio evangeliorum, quæ novi dumtaxat sunt : et ultimo relique ponerentur. Ceterum si forte quispiam reprehenderit, quod de consensu evangelistarum et enchiridion inter questiones inseruimus : non recte animadverterit, quantum ea opera cum questionibus conveniant. Deinde retractationes ipsius Augustini, ubicumque fecerit, operi præposuimus : et in marginibus locorum, quos tractavit, ipsas consignavimus. Tum grecum suis characteribus conscripsimus et in margine iis, qui Grecos ignorant, latinis repetimus : adjecta nonnumquam significatione. Tum quoties in diversis codicibus duplicem, quarum neutra aspernanda esset, lectionem offendimus, utramque posuimus : sed alteram sub margine. Tum libros in fronte chartarum distinximus. Tum indices omnium, quæ in singulis operibus continerentur, ipsis preposuimus, et interdum etiam ante ipsa capita reposuimus. In primis tamen questionibus, quas in formam questionum redegimus, non opus repetito visum est : ne forte prænotatio ipsa narratione major nasceretur : loca tamen biblie, unde excepta sunt, diligentius cum ipsis questionibus annotavimus.* Nec omittenda plane nobis videtur, quæ in extrema columna legitur ejusdem Badii de operis complemento, et ut dicunt registro, ad magistratum

nostrum Petrum Gerardi, priorem, etc., Peroratio, quæ sic sonat : *Hæc sunt magistratorum nostrorum optime : magister petre Gerardi : quo de questionibus divi patris augustini : multo quidem labore parta tandem tuo nomini dicata emittimus : precantes omnes ea perlectores in partem accipiant bonam : veniamque dent : si vel pauciores questiones, quam ipse sanctissimus doctor augustinus confecit : vel has minus cognitas omiserimus. Pauculas enim deesse remur atque eas tantum, que ad simplicianum mediolan. episcop. conscripte sunt : quas hactenus reperire non potuimus : — locum tamen, quo inseri possent, reliquimus trium quaternionum : Mm. Nn. Oo. quem si vocantem dereliquimus : vitio dandum nullus nisi inhumanus et calumniator censebit : cum vel singula opera plena sint : et seorsum emitti possint. — Que vero errata veremur : ejusmodi credimus, que sine recognitione aut admonitione nostra facile quivis deprehenderit et emendaverit. Ne quis autem chartarum convertendarum ignoret : et ob id deesse quidquam putet : hec series est : a-s, A-G, Aa-Ll, Pp. Quorum b, k, q, r, G et Ll, terne sunt pp. quine : relique autem quaterne*, etc. Exscriptum est opus hocce charactere Gothico minuto binis columnis, lineis adeo scriptis ut 55 paginam capiant. Enimvero perquam commode adornatum est. Tametsi enim foliorum paginarumve numeri, custodesque desint, habet tamen chartarum signaturas, continuam in summa pagina inscriptionem charactere majusculo expressam; litteræ item initiales parvis quidem indicatæ sunt, sed cujusvis capitis linea prima characterem majorem sortita est, gaudetque argumento numeroque præmisso, qui numerus litteris Romanis simul in margine repetitus est. Præcedit porro septem foliis quæstionum tabula cum sententia ipsius Augustini super Quæstionibus ex libris Retractationum, in qua unum hoc observanti dignum restat, quod singulari annotatione editor lectionem *scripturarum sanctas* contra alteram *scripturas sanctas* complurium codicum auctoritate excusat ac defendit. Meminit hujus ed. *Cl. Braun.* T. II, p. 295. Nec alia fortasse est ab ea, cujus sub titulo primi operum Augustini tomi meminit *Maettarius* T. I, p. 482, fide *de la Caille* subnixus, apud quem per errorem a. 1487 pro 1497 scriptus esse videtur (*a*).

SÆCULO XVI.

1503.

*Basileæ apud Joannem Amerbachium.* In fol. IX tomis. *D. Augustini prima pars librorum, quos edidit Catechumenus. — Pars II. Libri, quos scripsit Baptizatus. — Pars III. Libri, quos edidit Presbyter. — Pars IV-VIII. Libri, quos edidit Episcopus. — Pars IX-XI. Libri, quos non recenset in libris Retractationum.*

Primæ hujus operum Augustini editionis exempla adeo rara sunt, ut licet non paucos evolverim diversarum bibliothecarum catalogos, in duobus tantum hactenus reperire contigerit (*b*), qui ambo eumdem quidem, quem in conspicuo posuimus annum, produnt, quemque Maettarius eruit (*c*). Datur nimirum in his discrepantia quædam, dum alii, velut auctores Colonienses, annum 1504, alii annum 1501 et 1503 præferunt (*d*), unde fortasse jure aliquo colligas, non uno anno totam hanc editionem esse absolutam, sed inceptam anno 1503, ad finem tandem a. 1506 perductam, eoque anno, qui terminus integri operis fuisset, singulos tomos esse signatos (*e*). Nec tomorum numerum eumdem omnes tradunt, sed alii *novem*, alii *undecim* constare opus totum volunt, non sane scripturæ aliquo errore, sed disertis verbis numerum enuntiantes. Quid? quod Trithemius *quindecim* voluminibus impressum esse dicat (*f*).

Nunc tamen, ne diutius hisce experiundis operam impenderemus, effecit Oudinus qui, declarata totius partitione, satis significat ipsam editionem a se fuisse inspectam. Docet autem *undecim* partibus, *novem* vero tomis esse comprehensam, atque sic distinctam, ut *octo* priores eos Augustini libros, quos ipse in suis *Retractationibus* recenset, contineant, reliquæ cæteros, quorum nulla in hoc opere mentio injicitur, complectantur, quod ita se habere ex Catalogo bibl. Emmeranæ intelleximus, qui tres priores partes uno tomo seu volumine comprehensas ostendit. Simul monet, plurimos *Sermones*, plurimasque *Epistolas*, nec non *Enarrationes in Psalmos*, utpote quæ jam antea per annos 1489, 1494, 1495, 1497 excudi curaverat, undecim his partibus adjicere noluisse. Usus autem fuerat *Jo. Amerbachius* in paranda hac editione opera cujusdam *Augustini Dodonis, Frisii, Basileæ ad S. Leonardum canonici*, qui, illo sumptus præbente, Italiæ, Galliæ et Germaniæ bibliothecas perscrutatus erat, et ipse, si per fata licuisset, operibus undique comportatis, manum admoturus fuisset.

(*a*) Nunc idem jam *Hambergerum* monuisse video tomo III, pag. 104.

(*b*) Nempe in Catalogo Bibl. Bodleianæ, qui citat Augustini opera IX tomis per Amerbachium Bas. 1506, et Cat. bibl. princip. ecclesiæ et monasterii Ord. S. Benedicti ad S. Emmeranum Ratisbonæ part. I (1748, in-8°), in quo plenior titulus p. 40 seqq. ascriptus est, sed omissis partibus V, VI, VII et X, mancum illud exemplum esse proditur.

(*c*) Tom. II, part. I, p. 216.

(*d*) Pertinet huc locus, quem etiam Colonienses adducunt, ex *Sweertii Athenis Belg.* p. 148, ubi de *Dodone* scribit : *Primus congessit et castigavit S. Augustini opera omnia, adjecit et argumenta in opera singula ac censuras, sed immaturam ejus operam pestis absumpsit, eo ipso anno, quo prelo subjiciendum opus erat*, 1501, *prodiitque post mortem ex officina Amerbachii* 1505.

(*e*) Consentit *Oudinus* in *Comment.* T. I, p. 954, circa annum 1500 inceptum, anno vero 1506 completum esse opus dicens. Pro posteriori numero operarum vitio ibi exscriptum est 1586. Oudinum fere totum exscripserunt Colonienses, nisi quod de suo addiderunt, *omnia* a. 1504, *lucem aspexisse*.

(*f*) In Epistola ad *Jacob. Kymolanum* Carmelitam data Herbipoli 16 Augusti 1507, apud Maett. II.

1515.

*Parisiis..... In-fol.* IX *tomis.* Divi Aurelii Augustini opera *juxta Amerbachianam descripta.* Deest hujus editionis memoria in Maettario. Commemorant eam Colonienses, notat Catalogus bibl. Bodleianæ. In Germania vix unum ejus exemplar inveniri putem, nec in Gallia quidem, nisi in bibliothecis obscurioribus lateant. Certe Cat. bibl. Reg. Paris. eam ignorat.

1517.

*Sine loco. In-fol.* Index Operum S. Augustini per eximium *Joannem Theuschlein de Frickenhausen*, ex Rottenburga Tuberina. Sic exstat in Cat. Bibl. Emmeranæ p. 41. Pertinere autem puto ad editionem Amerbachianam.

1520.

*Parisiis apud Joannem Parvum.* In-4°. D. Aur. Augustini libri tres contra Academicos, Soliloquia et alia opuscula : quatuor hæc jam primum impressa de Visitatione infirmorum ; de Adulterinis conjugiis, de bono Conjugali et bono Virginali. *Cat. Bibl. Reg.* T. I, pag. 376.

1528—29.

*Basileæ ex officina Frobeniana. In-fol. X tomis.* D. Aurelii Augustini, episcopi Hipponensis, Opera omnia ex emendatione *Des. Erasmi.*

Pleniorem titulum, unde hauriremus, non datum fuit. Opinamur autem, non procul eum abludere ab eo, quem editio a. 1543 præfert. Sed cum jam accesserimus ad eam editionem, quæ non modo integra ac plena prima dici potest, sed sequentium omnium, non excepta novissima, fundamenta jecit et in iis quodammodo dominatur, necesse erit, ut ante omnia, quæ ipse Erasmus de instituti sui ratione in medium attulit, cum lectoribus communicemus. Etenim sequentium editionum curatores aut contenti fuerunt, Erasmianam operam accessionibus aliquot locupletatam prelo committere, aut ultra vestigiis ipsius institerunt et partim codicibus, partim judicio suo confisi emendatiorem ac sinceriorem efferre contenderunt, aut etiam ab illo longius recesserunt. Quorum omnium studia atque conamina non dicam æstimare, sed ne examinare quidem absque accurata Erasmianæ operæ cognitione licet. Nec vero universe atque paucis didicisse sufficit, Erasmum textum emendasse, genuina a suppositiliis secrevisse et cuncta novo ordine esse dispartitum, quo sane nec ad auctoris, nec ad editoris ingenium cognoscendum magnopere juvamur. Sed cum primus ille explicare aggressus sit, quæ peculiaris Augustini ac maxime propria tam in sentiendo, quam eloquendo, virtus fuerit, eamque notionem deinde, qua solet in cæteris quoque ecclesiasticis scriptoribus solertia, ad explorandam tam universam scriptorum genuitatem, quam singulorum locorum sanitatem traduxerit, omnique inde sæculo critices aliqua formula in Augustino restituendo præiverit, non facile quemquam, qui hæcce studia curat, fore, arbitror, qui hac Erasmi disputatione absque damno carere possit. Accedit quod primus item Erasmus depravationum textus Augustiniani causas, variaque corruptorum genera indagaverit, quorum descriptio quodammodo eumdem usum præstare potest, qui alias a codicum notitia bene explicata exspectari solet. Atque hæc præfaminis loco, ne inserenda hac oratione bene longa negligenter aut parum verecundi aliquibus videremur. Jam ipsum audi. Sic enim in epistola (data Friburgi Brisgaviæ, 1529), qua totum opus *Alfonso Fonsecæ, principi et archiepiscopo Toletano totiusque Hispaniæ primati*, nuncupat, cujusque dimidiam partem in laudes Augustini impendit, loquitur :

« Quo dilabor? Non enim institueram encomium Augustini, quod si suscepissem, hæc quota portio laudum illius erat? Illud tantum volebam ostendere, quam dolendum fuerit, tantum ecclesiæ thesaurum tam sero per typographos prodiisse in publicum, quem maxime referebat in omnium versari manibus. Deterrebat nimirum illos impendiorum magnitudo. Primus hoc egregium facinus ausus est, vir singulari pietate Joannes Amerbachius, re sat beatus, sed animi dotibus longe beatior, quem nec sumptus immensi, nec in conquirendis undecumque exemplaribus instantia, nec in conferendis tædium, nec operis difficultas, nec distractionis alea, nec ulla res alia deterruit, quominus totum Augustinum redderet omnibus communem. Non huc invitavit virum quæstus amor, sed sincera pietas, quam omnes illius præfationes spirant, ac revocandi priscos illos Ecclesiæ doctores studium, quos videbat ac dolebat propemodum antiquatos. Proinde non dubito, quin illius manibus bene precentur omnes, qui per Augustini libros ad pietatem profecerunt. Idem in universas Hieronymi lucubrationes majori etiam studio molientem deus ad superos evocavit. Eam tamen provinciam tribus filiis, Brunoni, Basilio, et Bonifacio, quos in hoc curarat trium peritia linguarum instituendos, moriens delegavit, per quos non minore studio, quam fide peractum est, quod optimus pater voluit. Sic enim illos et ad pietatem et ad eruditionem educarat, ut quodammodo se major ac melior in illis superesset, hodieque supersit. Nam natu maximus tantum in fata concessit. Tot sunt examina monachorum in orbe, quorum otium magnis censibus alitur. Tot sunt abbates opimo reditu, nihil aliud quam ædificantes, vel alentes equos, vel epulantes. Hic erat illorum proprius labor, quem homo laicus sua sponte suscepit. Atque in Augustino quidem tantum adhibitum est ab illo curæ, studii, vigilantiæ, quantum illa tum ferebat ætas, rudior adhuc et perpaucos habens in hoc genere litterarum exercitatos. Illud potius mirandum, quod cum Augustini lucubrationes tot jam annis versentur inter manus eruditorum, nulla exstiterit de illo publica querimonia, quemadmodum de Hieronymo nemo non querebatur. Atqui ni multos haberem testes, qui operi excudendo vel præfuerunt, vel adfuerunt, nemo mihi crediturus sit, quantum men-

darum offenderim ac sustulerim, etiam illinc, ubi nihil esse depravatum putabatur. Habet enim Augustinus suum quoddam dicendi genus, argutum, et periodis in longum productis multa convolvens, quod lectorem et familiarem, et acutum, et attentum, et bene memorem requirit, denique tædii laborisqu[illegible]ientem, quales non ita multos reperias. Jam tametsi profanas litteras parcius ostentat, quam Hieronymus, tamen obiter ad eas frequenter alludit. His rebus factum est, ut lector, audaculus magis quam argutus, mutarit quidquid offendebat. Verum quæ vel librariorum incuria, vel lectorum inscitia commissa sunt, habent utcumque colorem, quo culpam liceat, si non excusare, certe extenuare : quamquam hanc oportuit esse publicam principum, præsulum et abbatum curam, ut utilium, sed præcipue sacrorum voluminum exemplaria per eruditos viros quam diligentissime castigata servarentur in publicis bibliothecis. Illos vero, quos absolvat a sacrilegii crimine, qui nec errore, nec ulla necessitate, sed inepta libidine, studio mutarunt hujus viri scripta, vertentes *que* in *et*, *et* in *que*, *sed* in *at*, *at* in *sed*, *dixit* in *ait*, *ait* in *dixit*, verbum in participium, participium in verbum, aliaque innumera his consimilia, quasi luserint in opere alieno. Hoc flagitium cum alias, tum præcipue deprehendimus in libris de Trinitate. Deprehendimus autem ex collatione *codicis*, quem nobis præbuit *Flandriæ monasterium quoddam*, cujus nomen in præsentia non occurrit, sane bellum ac vetustum, dixisses bonæ fidei, magnæque autoritatis exemplar. Vix umquam occurrebant duo versus, quin esset, quod jugularet transversus calamus. Hic non erat error aut oscitantia, sed impius ludus hominis male feriati. Alibi nescio quis sententias expleverat, adjectis verbis aliquot non necessariis : velut quoties beatus Augustinus citabat e Scripturis canonicis, quantum ad id, quod agebatur, satis erat, ille Scripturæ testimonium altius repetitum ex eodem loco longius prosequebatur, cum nihil esset ad rem necesse. Id præcipue factum comperimus in Commentariis quos scripsit in Epistolam ad Romanos et ad Galatas. Risimus non paucis locis insignem scribarum delirationem, qui, quod lector ineptiens annotarat in margine sui codicis, retulerunt in contextum. Ex multis duo proponam exempla, quorum alterum est in epistola 58, ubi leguntur hæc Augustini verba : *Hos autem prophetas, quos post apostolos posuit, non puto illos esse, qui ordine temporum ante apostolos fuerunt, sed istos, quibus jam sub apostolis per gratiam donabatur, aut interpretatio Scripturarum et inspectio mentium, aut prædictio temporis secuturi.* In priori editione participium *secuturi*, a suo nomine, *temporis*, prolixo verborum assumento divulsum comperimus, idque non solum insigniter indoctum erat ac stultum, verum ne ad rem quidem tantillum faciens. Non enim illic ambigebatur, qui essent apostoli, et unde ducta vox, sed de quo prophetarum genere loquerctur illic Apostolus. Non repetam hic longum nugamentum, ne sim tædio; decerpam modo pauca, unde facilis sit conjectura, quam cætera nihil habeant mentis. Hunc in modum orditur : *Si enim egō ipse ut de his, quid sentiam, habeas, differentiam facturum me speraverim.* Agnoscis sermonis florem. Ac mox : *Ut enim ad vim termini proficiscar, Apostolos Græcum, dicitur ab apos, quod notat argumentum, vel præminentiam, et scolon, quod est missio, quasi præminenter missus, ad augmentationem scilicet fidei catholicæ, vel apostolus quasi postmissus*, etc. Quid hac deliratione prodigiosius? *Apos* enim apud Græcos tantum significat, quantum *Kikildrivium* apud Latinos, et *scolon* Græcis sonat offendiculum. Deinde stultissime imaginatur in nomine *apostolus*, *apost* additum pro *postmodum* pro quo Barbari dicere solent *depost*. Atqui si Græca vox est apostolus, ut ipse docet, unde illic Latina præpositio *post?* Sequitur, *propheta* autem a *pro*, id est procul, et *for*, *faris*, cum propheta Græcis nihil aliud sonet, quam Latinis prædictor. Hæc proposuisse satis arbitror, ad totius nugamenti gustum quemdam, quod ita attextum est, quasi quis pro Augustino Paulinum doceat, de quo significarat se dubitare. Alter locus est in libro secundo *de Sermone Domini in monte habito*. Quoniam inter fructus spiritus Paulus commemorat gaudium, ne quis existimaret, illum de quovis gaudio loqui, sic locum explanat Augustinus : *Sane sciendum est, hic gaudium proprie positum. Mali enim homines non gaudere, sed gestire dicuntur proprie, sicut superius diximus voluntatem proprie positam, quam non habent mali*, etc. Hæc Augustini verba cum nihil habeant obscuritatis, tamen aliquis conatus erat, dilucidius, scilicet, explicare sententiam hisce verbis : *Neque gaudium virtutis sit, sicut voluntas, et hæc potius ad sanctos pertinent : ad peccatores vero gestus magis et cupiditas deputanda sunt.* Et hoc tam insulsum nugamentum e spatio marginis in contextum relatum aliquamdiu nos torsit. Cum hujusmodi portentis fuit nobis subinde luctandum. Alius ex undequaque decerptis frustulis, veluti novum opus, Augustini titulo construxerat; alius aliena cum Augustini scriptis miscuerat; alius ex quæstione fecerat epistolam, assutis initio paucis verbis. Ne singula persequar, vix in alterius tam impie, quam in hujus sacri doctoris voluminibus lusit otiosorum temeritas. Ut omittam interim pseudepigrapha, quædam non inerudita, quædam vix tolerabilia, quædam prorsus indocta. Verum in omnibus, quæ illi falso sunt inscripta, nihil insulsius aut impudentius Sermonibus ad Eremitas, in quibus nec verba, nec sententiæ, nec pectus, nec omnino quidquam est Augustino dignum : et tamen quisquis hoc opus confinxit, homo suavis sibi promisit futurum, ut Augustinus crederetur, et sane repererunt similes labra lactucas. Nihil tamen horum submovimus, nisi quod ea, quæ bis aut sæpius habebantur inter hujus viri lucubrationes, sat habuimus semel ponere, ne voluminum magnitudinem supervacua sarcina oneraremus : censuris tantum additis indicavimus, quid nothum esset,

quid ambiguum, quid commixtum. Hæc igitur in tam eximio scriptore committi sane dolendum est : sed æque mirum, super his nullam hactenus fuisse studiosorum querimoniam : unde conjectura capi potest, divum Augustinum antehac a plerisque theologis aut non legi solitum, aut indiligenter fuisse lectum. Ne mihi quidem umquam persuaderi potuisset, tantum in tam celebri scriptore latuisse mendarum. Equidem nihil minus habebam in animo, quam hanc capessere provinciam. Deterrebat immensa voluminum moles, et operis difficultas juvenile robur, ac prorsus adamantinum quemdam hominem exigebat : me vero jam et ætas et valetudo ab hoc genere laborum in totum dehortabatur. Sed felicis memoriæ Joannes Frobenius, vir ob singularem erga studia favorem omnium studiosorum amore perenni dignus, tandem illud a me precibus extorserat, ut in Epistolis unicum ternionem emendarem, quo posset operis specimen in proximis nundinis ostendere. Pollicitus sum, sed hac lege, ne quid speraret amplius. Annuit. Cæterum cum perspicerem, illi certum esse consilium, volumen Epistolarum absolvere, neque quemquam esse paratum, qui posset, aut certe vellet, emendandi partes obire : vicit animi destinationem, cum singularis amici pertinax voluntas, tum ipsa negotii pietas. Hoc volumen totum ad me recepi, sed unicum, etiam atque etiam testificans, ut si pergere vellet, alium inveniret castigatorem, nec me suo quoque dispendio, non modo studiorum, a melioribus curis avocaret. Quid multis? cum nullus existeret, qui vellet eam sarcinam in humeros tollere, et Joannes Frobenius asseveraret, stare sententiam, ut si non daretur aliud, totum Augustinum, qualis qualis erat, rursus excuderet : ego partim amici respectu, cui nihil pernegare valebam; sed multo magis inexpiabile piaculum esse reputans, si tam eximius Ecclesiæ doctor, tot mendis obsitus, tantis impendiis denuo prodret in orbis theatrum, hoc insigniore deformitate notabilis, quo magis elegantia formularum, ac majestate voluminum, oculos omnium ad se rapturus esset : perinde quasi purpuram eximiam ostendas fœdis maculis deformatam, passus sum imponi mihi clitellas. Tandem ubi tantum pelagus ingressus ventis vela dedissem, longe plus, quam exspectaram, comperi difficultatis, ut non semel animum desponderim, deque deserendis institutis cogitarim : ad quod ipsum evidens etiam valetudinis periculum invitabat, aut, ut rectius dicam, compellebat. Jam me terrebat et exemplum Joannis Frobenii, quem videbam huic immortuum negotio, virum alioqui cum firmo corpore, tum vita longissima dignum. Verum quod prima fronte deterrebat a negotio, hoc ipsum propius consideranti stimulos addebat. Non enim oportet bonorum virorum amicitiam vitæ spatio terminari, præsertim cum hujus difficillimi negotii moles in filios illius Hieronymum et Joannem Erasmium, reliquosque liberos esset devoluta, quibus hoc minus oportebat deesse, quod tali patre essent orbati. Nam quidquid erat erga Frobenium affectus, in hos transtuli. Itaque obfirmato animo, sic ut operi tam sacro satius ducerem animam impendere, quam semel susceptum non absolvere, tædium omne devici : quoque sum altius ingressus, hoc labor assuetudine factus est levior, ipso, ut opinor, Augustino cœptis nostris prospera favoris aura cœlitus aspirante, donec tandem procul aperiret sese portus, in quem propitii numinis auxilio delati, lætum celeusma nunc canimus. In dirigendis porro voluminibus hunc ordinem secuti sumus. In Primum volumen contulimus ea, ex quibus tota Augustini vita, mores, ingenium, et affectus perspiciuntur, quod hoc pacto futurum arbitrarer, ut et rectius intelligeretur, et avidius legeretur. Amor enim doctoris et attentum reddit, et lubentem discipulum. Adjecimus ejusdem progymnasmata, quibus vel infans adhuc in Christo, vel novus tyro felicissime prælusit ad egregia facinora. Secundum volumen dedimus Epistolis, partim quod in his quoque permulta sunt quæ scripsit juvenis; partim quod ex his maxime deprehenditur, si quid in illius natura fuit peculiare. Tertium et Quartum dedimus his lucubrationibus, quas ad docendum paravit. Quintus habet Civitatem Dei, quod hoc opus simul et docens et confutans errores maxime paganorum, utrinque mixtum esset. In hac portione nihil est nostræ industriæ, quod hanc provinciam hortatu meo sibi proprie sumpsisset vir apprime doctus Joannes Ludovicus Vives. In Sextum et Septimum distribuimus pugnas adversus hæreses diversas. In Octavum et Nonum collecti sunt tractatus, sic enim appellat Augustinus Scripturarum enarrationes apud populum habitas, nisi quod in Nonum farraginem quamdam adjecimus libellorum, quos viri nescio qui spiritales in hoc parasse videntur, ut affectum suum ad rerum cœlestium contemplationem inflammarent. Decimum volumen complectitur homilias varii argumenti, in quibus permulta sunt aliena, quemadmodum et in Nono. In singulis, ne nullus esset ordo, vel sacrorum voluminum, quæ interpretatur, ordinem, vel hæreseon origines secuti sumus. Ipse Augustinus in libris Retractationum maluit ætatis suæ, et in Christianismo progressuum ordinem sequi, recensens, quæ scripserit catechumenus, quæ sacro lavacro renatus, quæ presbyter, quæ episcopus, nisi cum epistolis et tractatibus suum locum destinasse videtur, quam hujus curæ partem non absolvit, ut ex ipsius aliquot scriptis apparet. Siquidem hoc moliebatur jam extrema senecta, veluti præsagiens extremum imminere diem, tantoque studiosius agens, ut quoniam vocis officio diutius Ecclesiæ prodesse non poterat, in libris illi superesset, quatenus licebat, et emendatus et integer, quod propemodum assecutus est. Vix enim ex alterius monumentis minus intercidit, a depravatoribus nihil omnium potuit umquam esse tutum. Nostram operam hic non exaggerabimus; conferat cui vacat, et agnoscet. Nec tamen ausim polliceri, nihil resedisse, quod egeat emen-

datore. Alicubi nos destituerant vetusti codices, aliquando in opere tam prolixo somnus obrepsit, quem Flaccus putat esse condonandum humanæ naturæ. Jam si operarum incuria commissum est, a nobis præstari non potuit, qui cum officina nihil habemus commercii. Tantum illos admonere possumus, qui præsunt officinæ : quod quidem a nobis factum est sedulo. Quidquid nostra mediocritas potuit, bona fide præstitit. »

Habes hic omnia, quibus nova editio se commendet. Nec supervacaneum, immo necessarium plane existimem, indicem singulorum, quæ in unoquoque tomo continentur, operum subjungere. Quamvis enim ab initio constitutum erat, in editionum recensu ordinem continuum librorum non attingere, et facile nos ejusmodi indice carituros esse mihi persuaseram, maxime cum supra in recensu omnium diligenter notatum sit, ubi quodvis tam in Erasmianis, quam Lovaniensibus et Benedictina reperiatur; ipsa tamen re edocti sumus, certam de successu collatæ in auctorem operæ notitiam informari non posse, nisi in potioribus editionibus librorum numerum et seriem intueri liceat. Hujus igitur Erasmianæ ordo hic est : *in tomo I* insunt : Retractationum lib. II, *cum censura;* Confessionum libri XIII, *cum censura;* De Grammatica liber unus; Principia dialecticæ; Categoriæ decem; Principia rhetorices; De musica lib. VI; Contra Academicos lib. III; De ordine lib. II; De vita beata; Soliloquiorum lib. II; De magistro; De immortalitate animæ; De libero arbitrio lib. III; De vera religione; De moribus Ecclesiæ catholicæ, et de moribus Manichæorum lib. II, *cum censura;* De Genesi contra Manichæos lib. II, *cum censura;* Regulæ Augustini, *cum censura;* Posidonius de vita Augustini.

*In tomo II.* — Epistolarum farrago. — Epistolæ sunt CCXLII, ducentæ quadraginta duæ, inter quas et spuriæ quædam ab Erasmo obelo transfixæ, nec tamen prorsus loco motæ. Pertinent huc epistolæ vulgo Augustini dictæ ad Bonifacium et hujus ad Augustinum, e quibus nonnisi unam vehementer prolixam et insigniter illitteratam, ut ipse inquit, removere sustinuit, prætereaque *coronidem sub titulis Cyrilli, subito Latine loquentis et Augustini Græco male Latine scribentis impudentissime confictam resecuit.* Atque his epistolis, tam singulis, ubi quidem ex re videbatur, censuræ aliquid addidit, quam universis etiam præfatus est in *epistola ad lectores*, scripta *Basileæ MDXXVII*, docens partim, quod ad externum earum habitum spectet, eas, sicut, et populares orationes (homilias), numquam nec in Retractationum libris, nec postea, aliqua vel temporum, vel personarum, vel materiarum ratione fuisse digestas, indeque facilius postea admixtas esse, quæ nihil Augustino dignum haberent, vel confictas etiam, nec vero libros et epistolas semper invicem discretos esse, dum alibi librum appellat Augustinus, quem alio loco pro epistola venditat; partim autem ipsam eorum indolem et vim mirifice declarans.

*Tomo III.* — De doctrina Christiana lib. IV; Locutionum lib. VII; De fide et symbolo lib. I; Enchiridion de fide, spe et charitate ad Laurentium lib. I; De ecclesiasticis dogmatibus lib. I, *cum censura;* De fide ad Petrum diaconum lib. I, *cum censura;* De Trinitate lib. XV; De Genesi ad litteram imperfectus lib. I; De Genesi ad litteram lib. XII; De mirabilibus sacræ Scripturæ lib. III, *cum censura;* De agone Christiano lib. I; De opere monachorum lib. I; De spiritu et littera ad Marcellinum lib. I; De divinatione dæmonum lib. I; De spiritu et anima lib. I, *cum censura;* Speculum lib. I, *cum censura;* Quæstiunculæ de Trinitate; De benedictionibus Jacob patriarchæ, *cum censura;* Sententiæ ex Augustini et aliorum libris decerptæ.

*Tomo IV.* — De mendacio ad Consentium liber unus; Contra mendacium ad eumdem lib. I; De fide et operibus lib. I; Quæstionum in Vetus Instrumentum lib. VII; Quæstionum Evangelicarum lib. II; Quæstionum Evangelicarum secundum Matthæum lib. I, *cum censura;* De consensu Evangelistarum lib. IV; Octoginta trium quæstionum lib. I, *cum censura;* Viginti unius sententiarum lib. I, *cum censura;* De diversis quæstionibus ad Simplicianum lib. II; De octo Dulcitii quæstionibus lib. I; Quæstionum LXV dialogus, *cum censura;* Quæstionum veteris et novi Testamenti lib. I, *cum censura;* De cura pro mortuis gerenda ad Paulinum lib. I; De catechizandis rudibus lib. I; De incarnatione Verbi lib. II, *cum censura;* De trinitate et unitate Dei lib. I, *cum censura;* De essentia divinitatis lib. I, *cum censura;* De fide rerum invisibilium lib. I, *cum censura;* De substantia dilectionis lib. I, *cum censura;* De continentia lib. I, *cum censura;* De patientia lib. I, *cum censura;* De bono viduitatis lib. I, *cum censura* (Huic quoque tomo inserta est *Censura* libri *de singularitate clericorum*, qui ipse tamen tamquam alienus fetus et inter aliorum etiam Patrum opera iterata vice vulgata, omissus est); De vera et falsa pœnitentia lib. I, *cum censura;* De salutaribus documentis lib. I, *cum censura;* De amicitia lib. I, *cum censura;* De sermone Domini in monte lib. II; Expositionis Epistolæ Pauli ad Romanos lib. I; Expositionis quarumdam propositionum ex Epistola ad Romanos lib. I; Expositionis Epistolæ Pauli ad Galatas lib. I; Annotationum in Job. lib. I;

*Tomo V.* — De civitate Dei libri XXII, cum commentariis Ludovici Vivis.

*Tomo VI.* — De hæresibus ad Quodvultdeum lib. I; De quinque hæresibus oratio, *cum censura;* Concio ad catechumenos contra Judæos, Paganos et Arianos, *cum censura;* Oratio adversus Judæos; De altercatione Ecclesiæ et Synagogæ dialogus, *cum censura;* De utilitate credendi ad Honoratum lib. I; Contra epistolam Manichæi, quam vocant Fundamenti lib. I; De duabus animabus contra Manichæos lib. I; Contra Fortunatum quemdam Manichæorum presbyterum, *cum censura;* Contra Adimantum, Manichæi discipulum; Contra Faustum Manichæum lib. XXXIII; De actis

cum Felice Manichæo lib. II, *cum censura;* Contra Secundinum Manichæum lib. I; De natura boni contra Manichæos lib. I; De fide contra Manichæos lib. I; Contra adversarium Legis et Prophetarum lib. II; Contra Priscillianistas et Origenistas lib. I; Contra sermonem Arianorum lib. I; Contra Maximinum, Arianorum episcopum, lib. III, *cum censura;* Contra Felicianum Arianum de unitate Trinitatis, *cum censura;* De bono conjugali contra Jovinianum; De sancta virginitate; De adulterinis conjugiis ad Pollentium lib. II; Tractatus de Epicureis et Stoicis, *cum censura;* Tractatus de eo, quod dictum est a Deo ad Moysen, Ego sum, qui sum, incerti auctoris.

*Tomo VII.* — Contra partem Donati, psalmus; Contra epist. Parmeniani lib. III; Contra litteras Petiliani, Cirtensis episcopi Donatistæ lib. III; Contra Cresconium Donatistam grammaticum lib. IV; Contra Gaudentii, Donatistarum episcopi, epist. lib. III, quorum postremus nunc primum est excusus; De baptismo contra Donatistas lib. VII, *cum censura;* De unico baptismo contra Petilianum lib. I; De unitate Ecclesiæ contra Petiliani Donatistæ epistolam lib. I; Opus Breviculi collationum cum Donatistis; Post collationem contra Donatistas lib. I; Super gestis cum Emerito, Donatistarum episcopo, lib. I; Contra Fulgentium Donatistam lib. I, *cum censura;* De peccatorum meritis et remissione, ac de baptismo parvulorum, ad Marcellinum lib. III; De natura et gratia contra Pelagianos lib. I; De gratia Christi et peccato originali, contra Pelagium et Cœlestium lib. II; De nuptiis et concupiscentia ad Valerium comitem lib. II; Contra duas epistolas Pelagianorum ad Bonifacium lib. IV; Contra Julianum Pelagianum lib. VI; De anima et ejus origine lib. IV; De prædestinatione et gratia lib. I; Prosperi epistola ad Augustinum de reliquiis Pelagianæ hæreseos; Hilarii epist. ad eumdem de eadem materia; De prædestinatione sanctorum lib. I, *cum censura;* De bono perseverantiæ lib. I; De prædestinatione Dei lib. I, *cum censura;* De gratia et libero arbitrio ad Valentinum lib. I; Ad eumdem de correptione et gratia lib. I; Ad articulos sibi falso impositos, Augustini responsio; Contra Pelagianos, Hypognosticon. lib. VI, *cum censura præcedente;* De perfectione justitiæ contra Cœlestium lib. VI, *cum censura.*

*Tomo VIII.* — Enarrationes in Psalmos.

*Tomo IX.* Cujus libri fere omnes censuras habent annexas. — In Evangelium Joannis expositio; In Epistolam Joannis expositio; In Apocalypsim Joannis expositio; Meditationum lib. I; De diligendo Deo liber alius, qui et Meditationum inscribitur; Soliloquiorum animæ ad Deum lib. I; Manuale lib. unus; De triplici habitaculo lib. I; Scalæ paradisi liber; De duodecim abusionum gradibus; De contritione cordis liber unus; De cognitione veræ vitæ lib. I; De assumptione beatæ Mariæ virginis; De disciplina Christiana; De decem chordis; De cantico novo lib. I; De contemptu mundi lib. I; De vanitate sæculi lib. I; De obedientia et humilitate sermo; De bono disciplinæ sermo; De visitatione infirmorum lib. II; De consolatione mortuorum sermones II; De quarta feria, sive cultura agri dominici, sermo; De cataclysmo sermo; De tempore Barbarico sermo; De sobrietate et virginitate sermo; Speculum peccatoris tractatus; De utilitate pœnitentiæ tractatus; De conflictu vitiorum et virtutum lib. I; De quatuor virtutib. charitatis tractatus; De laudibus charitatis tractatus; De honestate mulierum lib. I; De pastoribus lib. I; De ovibus liber sive homilia; De symbolo fidei ad catechumenos lib. IV; De convenientia decem præceptorum et decem plagarum Ægypti, liber unus; De rectitudine catholicæ conversationis tractatus; De utilitate jejunii tractatus; De Urbis excidio tractatus; De creatione primi hominis tractatus; De arbore scientiæ boni et mali tractatus; De pugna animæ tractatus; De antichristo tractatus; Psalterium, quod matri suæ composuit; Super Magnificat expositio.

*Tomo X.* — De verbis Domini; De verbis Apostoli; Homiliæ L; Homiliæ de tempore, *cum censura;* Homiliæ de sanctis; Ad fratres in eremo, *cum censura.*

Quam late autem harum censurarum usus pateat non solum ex eo, quod speciminis loco de præfatione in Epistolas produximus, sed multo etiam magis ex iis, quas longe instructiores monachi Benedictini dederunt, constare potest. Contentorum index duplex, unus juxta tomorum seriem, alter ordine alphabetico concinnatus, nec non ordo editionis Amerbachianæ insigni cum lectoris commodo post præfationem additi sunt. Non est vero *hujus* editionis contentorum index, quem Oudinus venditat, sed novissimæ Erasmianæ, utpote qui Posidonii indiculum scriptorum Augustini una cum Vita hic editum mentitur, qui primum a. 1564 in lucem editus est.

1528—30.

*Coloniæ apud Jo. Gymnicum:* in 8° Ex hac officina prodierunt non uno nomine, sed perbrevi temporis spatio, varia Augustini opuscula (uno non raro volumine comprehensa), quæ suis quæque titulis discreta sic se habent: 1° *Divi Aur. Augustini, Hipp. episcopi, De opere monachorum liber unus ad Aurelium, episcopum Carthaginensem. Anno M.D.XXIX. mense Augusto.* 2° *Divi Aur. Augustini Hipp episc. Enchiridion ad Laurentium II. Anno M.D.XXVIII.* 3° *D. Aur. Augustini, Hipp. ep. De gratia et libero arbitrio ad Valentinum et cum illo monachis, liber unus. Ejusdem De correptione et gratia ad eumdem et cum illo monachis, liber unus. Quibus præmittuntur epistolæ duæ Divi Augustini ad Valentinum contra eos, qui negant liberum arbitrium. Anno M.D. XXX.* 4° *Divi Aur. Augustini De immortalitate animæ. Liber unus. Ejusdem De agone Christiano, liber unus, absque anni et loci nota.*

1531—32.

*Parisiis, ex officina Claudii Chevallonii; in-fol.* X

*Tomis.* D. Aur. Augustini, quæ exstant ex emendatione Des. Erasmi.

Laudat hanc Erasmianæ repetitionem *Oudinus in Comm.* p. 939 seqq., eique accessisse ait *Jacobi Hemeri Stadgardiensis* epistolam nuncupatoriam ad Gallum Millerum, Ecclesiæ Tubingensis theologum, quæ totam editionis hujus rationem fusius exponat. Idem monet in hac editione primum editos esse *Sermones XVII :* sex *de tempore*, septimus *de verbis Apostoli*, et decem *de Sanctis. Catalogus Bibl. Musei Britt.* (Lond. 1789, in-fol.) In hujus editionis mentione annum 1532 profert, quocirca utrumque præfigere placuit.

1537.

*Augustæ Vindelicorum excudebat Heinricus Steyner ; in-fol.* Divi Aurelii Augustini episcopi *Opuscula*, nempe: — In libros Moysi, Josuæ et Judicum libri VII; Quæstiones veteris et novi Testamenti; Quæstionum evangelicarum secundum Matthæum ; Quæstiones ad Orosium liber unus; Quæstionum Hilarii liber unus; De octo Dulcitii quæstionibus liber unus; De diversis quæstionibus, ad sanctum Simplicianum libri II; Quæstionum evangelicarum libri II; Octoginta trium quæstionum liber unus ; De sex quæstionibus contra Paganos liber unus; Ad inquisitiones Januarii libri duo; De inquisitione Trinitatis liber unus; De Epicureis et Stoicis liber unus; De Hæresibus ad Quodvultdeum liber unus; De quinque Hæresibus liber I; Contra Judæos, Paganos et Arianos liber unus; Contra Judæos liber unus; Retractationum libri duo;

Hæc series librorum integrorum efficit *Tomum tertium Epitomes Operum Augustini* a Jo. Piscatorio concinnatæ. Expressi sunt ex ed. Lugdunensi a. 1497 et Amerbachiana, ut ipse editor in præfatione professus est.

1541.

*Parisiis apud Carolum Guillard; in-fol. X tomis.* D. Aurelii Augustini opera omnia ex *Des. Erasmi* emendatione; editio auctior et locupletior cum indice locupletissimo, cura et studio *Florentii Bourgoini. Cat. Bibl. Regiæ Paris.*

1543.

*Basileæ in officina Frobeniana per Hieronymum Frobenium et Nicolaum episcopum; in-fol. XI tomis.* Omnium operum D. Aurelii Augustini, Hipponensis episcopi, *primus tomus*, ad fidem vetustorum exemplarium, post omnium in hunc usque diem editiones denuo summa vigilantia repurgatorum a mendis innumeris, ut optimo jure tantus Ecclesiæ doctor renatus videri possit. Inspice, lector, et fateberis hanc non vanam esse pollicitationem: quod si gratus etiam esse voles, non patieris tantum laboris, tantumque impensarum frustra sumptum esse. Sub finem annexi sunt indices duo, alter materiarum, alter interpretatorum Scripturæ locorum : quibus lectorem haud leviter adjutum iri confidimus.

(Hic primi voluminis atque operis universi titulus annum 1543 impressum habet, sed ad calcem tomorum singulorum annus, quo unusquisque absolutus fuerit, exstat.)

*Secundus tomus* Op. D. A Aug. H. E. complectens illius Epistolas, non mediocri cura emendatas per Des. Erasmum Roterodam. Anno M.D.XLI.

*Tertius tomus*, — complectens τὰ διδακτικὰ, hoc est, quæ proprie ad docendum pertinent. Anno M.D.XLI.

*Quartus tomus*, — complectens reliqua τῶν διδακτικῶν. Anno M.D.XLI.

*Quintus tomus*, — XXII libros de civitate Dei, diligenter recognitos per eruditiss. virum Joan. Ludovicum Vivem, ac ejusdem Commentariis, denuo ab auctore revisis, illustratos, continens. Anno M.D.XLII.

*Sextus tomus*, — continens τὰ πολεμικὰ, hoc est, decertationes adversus hæreses, præcipue Judæorum, Manichæorum, Priscillianistarum, Origenistarum, Arianorum et Joviniani. Anno M.D.XLII.

*Septimus tomus*,— continens reliquam partem τῶν πολεμικῶν, id est, pugnas adversus hæreses Donatistarum et Pelagianorum. Anno M.D.XLII.

*Octavus tomus*, — continens enarrationes in Psalmos mysticos. Anno M.D.XLII.

*Nonus tomus*, — continens illius tractatus, hoc est: expositiones ad populum factas in novum Testamentum, cum aliis varii generis opusculis, quorum indicem habet alterum hujus paginæ latus. Anno M.D.XLII.

*Decimus tomus*,— continens reliqua tractata apud populum, quorum summam indicabit hæc pagina versa. Anno M.D.XLII.

In omnia D. A. Augustini Scripta indices duo, eo conscripti modo, ut nihil annotatu dignum possis desiderare, neque quidquam velut supervacaneum rejicere: quorum prior materias in ipsis passim operibus tractatas, indicat : posterior sacræ Scripturæ locorum interpretationes juxta Bibliorum ordinem observatorum ostendit. Anno M.D.XLIII. *In fine :* Mense Septembri.

Quid novi in hac altera Frobeniana editione operibus Augustini evenerit, per quos illa et quibus subsidiis sustentata fuerit, præfatione, versa tituli primi pagina impressa, bibliopolæ exponunt. Orsi enim ab Amerbachii meritis, gratiam, quam Erasmus opera sua apud omnes iniverit, cumulatiorem eum initurum fuisse monent, si soli tam ingentem provinciam obire vacasset, et non bonam ejus partem, aliis negotiis ex transverso se ingerentibus, in amicos partiri compulsus esset.

Deinde pergunt : « Sed quod ille posteriore editione sartum tectum præstaturus sperabatur, interim alii occupaverunt. Succedente enim Lutetiana editione, celeberrimæ scholæ aliquot alumni in hoc incubuerunt, ut si quid Erasmum sociosve subterfugisset, sarcirent sua cura, haud pœnitenda per Musas, et minime supervacua. Tandem urgente jam fato extremam castigationis manum, et ut credi par est, ipsius Augustini sancta anima tot præclaris successi-

bus favente, exstitit vir omnium bonorum benevolentia dignissimus, et ad hanc functionem a natura factus sculptusque, olim eo potissimum nomine Erasmo cum primis charus, illique in hoc negotio (ut sic dicam) succenturiatus, *Martinus Lupsius :* cui viro et temporis spatium, et otium, et exemplarium copia, et in labore sociorum delectus, et litteratura idonea, huicque par industria, et in tanto negotio non tam diligentia, quam religio, ad hoc doctorum hominum favor adhortationesque atque insuper præmiorum allectamenta, denique quidquid præsidiorum opus esset, abunde suppeteret. Namque is a teneris unguiculis Augustini admirator, atque etiam ex professo ejus instituti sectator pro suo peculiari erga sanctiss. virum affectu, annos plus viginti hoc pene solum egit, ne quod mendum in scriptis ejus subsideret : utpote qui etiam prima nostra editione Erasmo plura loca, quam alius quisquam amicorum suppeditavit. Deinde præter domesticam symmystarum bibliothecam, corrogatis ex circumquaque vicinis monasteriis vetustis et incorruptis exemplaribus, optimo quoque in hunc usum promptissime communicante, adscitis ex suo sodalitio impigris aliquot, qui adjutarent, nihil vel aliis, vel sibi ipsi ad summam conferendi diligentiam reliquum fecit, magna, mediocria, minuta, pari lance appendens, et annotans. Vix credas, mi lector, hæc citra exaggerationem dici, ni margines exemplaris ab illo missi videas, hominis indefessum studium testantes : dum certis notis terna quaternave, aut etiam plura exemplaria profert, tum quatenus evarient, indicat : nam cum sit non minore modestia, quam eruditione, maluit aliis judicandi munus cedere, aliquando tamen suum præjudicium addens, quod quidem semper libenter amplexi sumus. Cætera viris doctis, et qui Augustinianæ phraseos salivam diu multumque regustatam jam probe callerent, judicanda commissa sunt : id quod non cuivis proclive fuerit..... Illud dissimulandum non est, in parte quadam decimi tomi, non magna sane, si germana tantum spectes, nos Lypsii subsidio destitutos, grassantibus sub id tempus Geldris in Lovanium et viciniam, ubi tum Lypsius agebat : quod ideo lectorem monitum oportebat, ne forte ex paucis illis de reliquis conjecturam faciat ; in cæteris potius quisque suis oculis inoffense (modo stylo Augustini assueti sint) omnia percurrentibus, quam nostro testimonio credat ; comperiet universa pariter accurata, ne pseudepigraphis quidem exceptis. Cæterum in tanta indagine et pervestigatione unicum opusculum, dumtaxat e germanis, nunc primum repertum est et editum, videlicet *Contra Gaudentium liber tertius :* unde liquet, vix hic aliud quidquam, quod exstet, desiderari, nam sermones De tempore (ut vocant) et sanctis, a quibusdam copiæ magis, quam delectui servientibus, mira licentia passim interfarcti, nihil ad præsens negotium attinent : cum cuivis erudito appareat, quosdam etiam excusos toto stylo Augustinum parentem inficiari, nonnullos Græcum magis, quam Latinum auctorem præ se ferre. Æquum igitur est, ut, quod Romanæ eloquentiæ candidati in Cicerone, Livio, Seneca, Plinio, aliisque non paucis, in quibus posterior eruditorum cura ad priorem semper aliquid adjunxit, magno applausu obviisque ulnis exceperunt, idem sanctioris litteraturæ studiosi in Augustini scriptis non fastidiant, si pectora, qualia decet, ad eorum lectionem afferre volunt. »

Totum opus exscriptum est binis columnis solito Frobenianæ officinæ charactere, sed minori et non admodum nitido, præterquam in præfatione, quæ typis paulo majoribus est exarata.

1545.

*Venetiis ex officina Erasmiana apud Vincentium Valgrisium ; in*-8°, *tomis III* De Aurelii Augustini, Ecclesiæ doctoris eximii, Opusculorum *tomus primus*, quo omnia, quæ ad fidem et opera spectant;— *tomus secundus*, quo omnia, quæ ad gratiam et liberum arbitrium spectant; — *tomus tertius*, quo omnia, quæ ad electionem, vocationem, glorificationemque spectant, declarantur : ex libris ejusdem a *M. Augustino Fregoso Sosteneo* excerptus et scholiis, argumentis et indice locupletatus.

Liber rarissimus, cujus nuspiam mentionem factam esse memini. Ne quis vero a titulo sibi imponi patiatur, quasi locorum diversorum undecumque excerptorum et avulsorum, nunc vero juxta varias argumenti sedes compositorum farrago sit, libros integros ad unum argumentum facientes, collectos esse sciat hac serie :

*Tomo primo :* — De doctrina Christiana libri IV ; De disciplina Christiana liber ; Enchiridion ad Laurentium liber ; De ecclesiasticis dogmatibus liber ; De hæresibus liber ; De V hæresibus oratio ; De Utilitate credendi liber ; De fide et symbolo liber ; De fide ad Petrum diaconum liber ; De agone Christiano liber ; De fide et operibus liber ; In psalmum XXIX enarratio ; In psalmum XXX ; In psalmum XXXI.

*Tomo secundo :* — Liber expositionis inchoatæ Epist. divi Pauli ad Rom. ; Liber expositionis quarumdam propositionum, ex Epist. ad Rom. ; Liber expositionis Epist. ad Gal. ; Epist. Hilarii ad Augustinum ; Rescriptum Augustini ad Hilarium ; Epist. Patrum Carthaginensis concilii ad Innocentium papam ; Rescriptum Innocentii papæ ad Patres Carthaginensis concilii ; Epist. Patrum Milevitani concilii ad Innocentium papam ; Rescriptum Innocentii papæ ad Patres Milevitani concilii ; Epist. Augustini ad Hilarium ; Epist. quinque episcoporum ad Innocentium papam ; Rescriptum Innocentii papæ ad quinque episcopos ; Libri tres de libero arbitrio ; Epist. prima divi Augustini ad Valentinum, et cum illo fratribus ; Epist. 2 Augustini ad Valentinum, et cum illo fratribus ; Epist. prima divi Augustini ad Sixtum presbyterum ; Epist. secunda divi August. ad Sixtum presb. ; Epist. Alipii et Augustini ad Paulinum episcopum ; Liber de gratia, et libero arbitrio, ad Valentinum, et cum illo monachis ; Liber de natura et gratia, ad Timasium et Jacobum, contra Pelagianos ; Epist. sancti Prosperi Aquitani de gratia et

libero arbitrio ad Rufinum; Liber de gratia et libero arbitrio sancti Prosperi Aquitani, pro defensione divi Aurelii Augustini contra Cassiani presbyteri librum; Epist. sancti Aurelii episcopi de damnatione Pelagii atque Cœlestii. Epist. decerpta ex gestis synodalibus contra Pelagium hæreticum, quæ in Palæstina synodo, sibi objecta damnare compulsus est; Canones tredecim, epist. Cœlestini papæ pro Prospero et Hilario de gratia Dei adversus quosdam Galliarum presbyteros, Pelagii sectatores.

*Tomo Tertio:* — Retractationum lib. II; Hypognosticon contra Pelagianos et Cœlestianos lib. VI; Contra duas Pelagianorum epistolas ad Bonifacium lib. IV; De spiritu et littera ad Marcellinum liber, De prædestinatione et gratia, qui intitulatur de voluntate Dei, liber; Prosperi Aquitani de reliquiis Pelagianæ hæreseos ad Augustinum epistola; Hilarii Arelatensis de eadem materia ad Augustinum epistola; De prædestinatione sanctorum liber primus; De bono perseverantiæ liber secundus; Prosperi responsiones ad excerpta, quæ de Januensi civitate missi sunt; de prædestinatione Dei liber.

Singulis tomis præmissa est tabula, argumenta librorum et capitum singulorum declarans, quam inscripsit: *Argumenta per M. Augustinum Sosteneum Fregosum compendiose in unum redacta; et index alphabeticus materiarum insignium.* Nuncupavit editor opus suum M. Hieronymo Suripando totius Augustinianæ Religionis Generali. Descriptio est elegans typis rotundis nitidis, charta alba et tenera, marginibus amplissimis, quippe qui ultra lemmata et loca biblica in ipsis notata late protenduntur.

1552.

*Venetiis ad signum spei; in-4°. X Tomis.* Divi Aur. Augustini, Hipp. episcopi, Omnium Operum *primus tomus*, ad fidem veterum exemplarium summa vigilantia repurgatorum a mendis innumeris notata in contextu et margine suis signis veterum exemplarium lectione, ut optimo jure tantus Ecclesiæ doctor renatus videri possit. Inspice, lector, et fateberis hanc non vanam esse pollicitationem: quod, si gratus etiam esse voles, non patieris tantum laboris, tantumque impensarum frustra sumptum esse. *Cui accesserunt libri, epistolæ, sermones et fragmenta aliquot*, hactenus numquam impressa. Additus est et index, multo quam Basileensis fuerat, copiosior. M.D.LII. (1552.)

*Secundus tomus* Operum rel. (ut in Basileensi a. 1543), *nunc postremo accuratiori quam antea diligentia excusus.* M.D.LII.

*Tertius tomus*, ut in Basileensi. M.D.LII.

*Quartus tomus*, complectens reliqua τῶν διδακτικῶν. *Pleraque, quæ erant plane convulsa et luxata, ea ad fidem exemplarium veterum Victorinorum restituta sunt.* M.D.LI. (1551.)

*Quintus tomus*, continens XXII libros de Civitate Dei. Cui accesserunt Commentarii *Jo. Ludov. Vivis* ab auctore recogniti. M.D.LI.

*Sextus tomus*, ut in Basileensi. M.D LI.

*Septimus, octavus, nonus* et *decimus tomus* similiter. M.D.L. (1550).

*Index* omnium, quæ insigniter a D. Aurelio Augustino dicta sunt, nunc recens supra præcedentes editiones, per *F. Florentium Bourgoinum* Parisiensem, Franciscanum, longe quam antea auctior ac locupletior redditus. Insurper multa, quæ erant manca, mutila et solum inchoata, tam in indice auctoritatum sacræ Scripturæ, id est, veteris ac novi instrumenti, quam in locis aliquot sacrarum Scripturarum pugnantibus conciliatis in Augustino, reformata, aucta et repurgata sunt. Perlege et judica. MDLII. (1552.)

Editio extra Italiam paucissimis visa. Notatam deprehendimus in Catalogo bibliothecæ Tigurinæ (*a*). Illius exemplar erat quondam Hannoveræ in ditissima præstantium librorum supellectile Duviana, quod feliciter in manus *Davidis Clement* incidit, et ab eo curiosius est descriptum in *Bibliotheca Historica Critica* T. II, p. 269 seqq. Duo vero simul præstitit insignia litteratoribus beneficia: alterum, quod librum rarissimum nec per se accuratiori cognitione indignum primus patefecit, alterum majus etiam, quod diligenti ejus collatione, cum sequenti Veneta editione, omne hujus artificium et constructionem luculenter declaravit, atque id, de quo inter Clericum et Rich. Simonium litigabatur, facili negotio expedivit. Scilicet non meram præcedentium alicujus repetitionem putare oportet, sed ad plures et fere superiores omnes (*b*) conformatam. Siquidem non omnes, sed complures tamen Erasmi censuras retinuit, variantes lectiones in margine offert, et sicubi in textum aliquid receptum sit, ibidem indicat, ex qua editione proficiscatur. Recusa autem non solum, tomo I *Erasmi* præfatio ad *Alphonsum Fonsecam*, sed in secundo etiam *Jacobi Haemeri*, quem editionis Parisiensis a. 1532 curam gessisse supra vidimus, ad lectorem admonitio. Cæterum nescio, quam verum sit, quod de augmentis in titulo promissum est. Clementius enim alteri quidem editioni Venetæ, quæ eamdem formulam hinc petiit et limine suo suspendit, vanitatem et fraudulentiam exprobrat, attamen in hac eamdem sollicitare neglexit. Nec minus equidem optassem, ut Victorinos codices, quos ad quarti tomi emendationem præsto fuisse dicunt, circumspexisset.

1556.

*Basileæ apud Hieronymum Frobenium et Nic. Episcopium; in-fol. X tomis.* D. Aur. Aug. Opera, emendata per Erasmum Roterod.

In hac editione, teste Oudino, additi sunt Sermo-

(*a*) T. I, p. 70. Sic: *Venet. 4. X tomis. D. Aur. A. op. per Fl. Bourgoinum.*

(*b*) *Les éditions de Bâle, de Paris et de Venise, qui l'ont précédée, sont le fond sur lequel on a travaillé.* Venetam editionem Operum omnium hac ipsa antiquiorem ignoro, et nisi incuriosius ab eo scriptum sit, ad eam attendere bibliographiæ amatores jubeo

nes quinque antea nondum excusi, videlicet, *De Jacob et Esau ad populum sermo*, col. 1487; *Sermo in caput* XIII *Proverbiorum Salomonis*, col. 1505: *In parabolam seminantis sermo*, col. 1517; *In illud Matthæi* XVI : *Qui vult venire post me* , etc. col. 1519; *Tractatus in Orationem Dominicam*, col. 1523. Suspicamur autem hujus editionis curam gessisse *Joannem Costerium*. Occurrit in *Cat. Bibl. Bernensis et Thottianæ*.

1561-63.

*Lugduni apud Sebastianum Honoratum* (ad calcem tomi II) excudebat *Jacobus Faure in*-8°. *Tomis X*. D. Aur. Augustini, Hipp. episcopi omnium Operum *tomus primus :* Quo Retractationum libri duo, variaque illius opuscula, quæ versa pagella indicabit, continentur. Omnia vetustorum codicum collatione ab innumeris mendis repurgata, ac summa fide pristino suo nitori restituta, nunc demum in lucem redeunt. Accessit et index rerum selectiorum copiosissimus. M.D.LXI.

D. Aur. Augustini *Epistolæ*, majori studio, fide ac religione, quam hactenus umquam excusæ, atque a vitiis, quibus multiplici olim impressione contaminatæ fuerant, vindicatæ. *Tomus secundus*. Cum duplice indice uno nominum eorum, ad quos hæ Augustini Epistolæ missæ fuere ; altero rerum omnium in unaquaque Epistola contentarum locupletissimo. M.D.LXI.

D. Aur. Augustini *de Trinitate*, una cum reliquis illius libris, quibus τὰ διδακτικὰ continentur. *Tomus tertius*. Cum indice rerum et sententiarum locupletissimo. M.D LXII.

D. Aur. Augustini *Quæstiones in vetus novumque Testamentum*, una cum reliquis illius voluminibus, quæ τὰ διδακτικὰ appellantur. *Tomi quarti pars prima*. Cum indice, etc. M.D.LXI. *Pars secunda* similiter.

D. Aur. Augustini *de Civitate Dei* l. XXII, etc., quorum XII hoc omnium illius Operum septimo tomo continentur (sic vitiose pro *tomi quinti parte prima*, ut mox etiam *tomus octavus*, quo reliqui X continentur, pro *tomi quinti parte secunda*.) M.D.LXIII.

D. Aur. Augustini τῶν πολεμικῶν pars prima. *Tomus sextus*. M.D.LXII. — Pars secunda et tertia. *Tomi septimi pars prior et posterior*. M.D.LXII.

D. Aur. Augustini *Enarrationes in Psalmos mysticos. Tomi octavi pars prima et secunda*. M.D LXIII.

D. Aur. Augustini *Enarrationes in Joannis Evangelium et Apocalypsin*, una cum variis illius voluminibus, etc. *Tomus nonus* M.D.LXII.

D. Aur. Augustini *Sermones*. Quorum seriem et numerum sic habeto : De verbis Domini ; De verbis Apostoli ; Homiliæ L ; Homiliæ de tempore ; Homiliæ de Sanctis ad fratres in eremo ; Decem et septem Sermones nonnullique alii. *Tomus decimus*. M.D.LXIII.

Editio rarissime obvia, sed perquam commode instituta, ut vel ex copiosis rerum memorabilium indicibus, singulis tomis, quin singulis etiam tomorum partibus subjunctis, constare potest. Typi sunt Romani, satis venusti, sed minutiores paulo ; in marginibus loca biblica, rarius lemmata, nec sæpe etiam lectiones aberrantes charactere Italico notantur.

1569.

*Basileæ per Ambrosium et Aurelium Frobenios, fratres ; in-fol. XI tomis.* — Primus tomus : Eximii Patris, inter summa Latinæ Ecclesiæ ornamenta ac lumina principis, D. Aurelii Augustini, Hipponensis episcopi, cujus præstantissima in omni genere monimenta, quæ quidem inveniri possunt, universa, denuo ad optimorum et fidelissimorum exemplarium examen revocata, nova eruditissimorum virorum recognitione, multo sunt quam umquam antehac emendatiora, ab innumeris vindicata erroribus, ac demum novis quibusdam censuris plurimisque minime aspernandis accessionibus locupletata. Cum indice tripartito, ad calcem adjecto, omnibus, qui exstant, uberiore, et theologiæ studiosis commodiore. Totum novæ hujus editionis institutum et ratio ex Carmine sequenti liquidius patebunt.

Reliqui tomi ut in ed. a. 1543 inscribuntur, nisi quod in tomo III, qui τὰ διδακτικὰ continet, additum sit, *ad veterum codicum collationem* post Martinum Lipsium, *nunc multis in locis summo studio emendatus*. X tomus vero sic habet : Tomus X Operum D. Aur. Augustini, continens Sermones ad populum et clericos, vetustissimorum exemplarium collatione nunc denuo plurimis in locis emendatus : cui Sermones de Diversis et fragmenta quædam antehac numquam excusa, opera et studio doctissimorum virorum, *Martini Lipsii*, *Joannis Vlimmerii*, et aliorum e tenebris eruta ad calcem adjecimus : quorum catalogum sequens pagina indicabit.

Index juxta superiorem editionem descriptus est.

Hujus editionis accuratam notitiam dedit olim *Sigism. Jac. Baumgartenius* (*a*). Quidquid in ipsam collatum est industriæ, ad tomum IX et X unice redit, quorum illum nova codicum collatione donaverunt, decimum vero totum immutasse atque refinxisse se profitentur. En verba, quæ ex præfatione raro instituto versibus conscripta huc spectant :

Multa *tomi* noni, priscis ut consona libris
Essent, contulimus : collata hæc quisque probabit.
Parte sed in decima mendis quæ tota scatebat
Innumeris semper, vel iniquo judice constat,
Quantum mutarit nostra hanc industria *partem*.
Hac in purganda multum quoque præstitit olim
*Lipsius*, hunc que pari vir sedulitate secutus
*Costerius* : magna est horum, non gloria parva.
Nos tamen optantes meliorem imponere limam,
Majus onus sumus aggressi, majoraque cœpta :
Nosque suo hic multum studio *Vlimmerius* acri
Juvit : qui vigili cura vigilique labore
Ante alios unus longe est præstantior omnes.
Ille imperfectum nil linquens, mutila multa
Integra restituit, priscaque in sede locavit.
Adde, quod e libris aliquot tractata vetustis,
Sermonesque sacros toti nunc protulit orbi,
A nullo excusos prius, atque a nemine visos :

(*a*) *In Nachrichten von merkwürd. Büchern* St. LIII. (T. IX) Halle 1756, p. 400 seqq.

Hos in calce hujus *partis* tibi, candide lector,
Linquimus, ut videas, sit quanta accessio facta.
His prius excusos junctos quoque, lector, habebis
Non paucos : verum magna quia parte fuerunt
Corrupti, et vitiis scatuerunt pluribus illi :
Ut si supplendi quavis ex parte fuissent,
Pagina mutasset pariter numerumque locumque
Pristina, et utilitas parva hinc, labor improbus esset.
Indicis hic fuerat ratio, pie lector, habenda :
Mutatis numeris cum mutaretur et ille.
Ne tamen inde aliqua frustratus spe videaris :
Omnia in adjunctis fuerant quæ digna notatu,
Hæc inserta tenet vetus, at multo auctior, *index*.
Optato a multis, at multis ante negato
Indice *Possidii*, Divi qui Auctoris alumnus
Discipulusque fuit, nos Vlimmerius idem
Participes facit, et præstanti munere donat.
Atque is conveniens nostræ ut foret editioni,
Haud operam exiguam suscepimus atque laborem,
Ne quicquam in nobis lector desideret æquus.
Diversis si quæ sententia pendula dictis
Nobis visa fuit, hanc signis quisque notatam
Cernet, et ex illa sibi sensus eliget aptos
Quin etiam aliis sunt aucta vŏlumina multis,
Quæ non laude sua, lector studiose, carebunt.

Nempe *Joannes Vlimmerius Lovaniensis*, prior canonicor. regular. ad S. Martinum, in patria plurium Patrum scriptis editis clarus (*a*), anno 1564 Lovanii ediderat *Augustini Sermones de Diversis* XLIII et *fragmenta Sermonum* XXVII, ex Thesauro Eugippii abbatis et Commentariis Bedæ seu Flori, Lugdunensis Ecclesiæ diaconi decerpta, una cum *Possidii indiculo scriptorum Augustini* recens a se in bibliotheca abbatiæ Villariensis reperto et per ipsum marginalibus scholiis illustrato. Inscripserat edita illa *Jacobo Pamelio*, sacrarum litterarum tunc licentiato ac Brugis canonico, epistola, data Lovanii e suo Martiniano cœnobio IX kalend. Aprilis anno M.D.LXIV. Jam ut *sermones* isti recens ab illo editi ad calcem tomi X subjuncti sunt, ita Possidii libellus una cum epistola Vlimmerii primum tomum aperit. Quæ epistola induxit Baumgartenium, ut anno 1564 incœptam esse hanc editionem opinaretur, quod ignoraret, haud dubie, peculiari illam editioni antea inseruisse. Præterea vero totius decimi tomi recognitionem Vlimmerius sustinuit, ut ex hac epistola patet.

Cæterum impressio facta est, ut in superiore, binis columnis, sed charta litterisque aliquanto elegantioribus. Titulus primus figuris ligneis formis impressis exornatus est.

1570.

*Basileæ per Ambrosium et Aurelium Frobenios fratres; in-fol.* XI *tomis.* D. Aurelii Augustini, Hipponensis episcopi Opera.

Mirum forte alicui videri possit, idque mihi ipsi accidisse fateor, quod cum plenam atque absolutam editionem Operum Augustini proximo anno iidem Frobenii fratres dedissent, eamdem denuo jam sub incudem revocaverint. Atque paucis et fortasse nemini cognitam esse integram certo intellexi, ut justam dubitandi causam habere duxerim, si a quovis alio magis, quam ab ipso editore testimonium accepissem. Is vero fuit Hieremias Mylius Pieropedianus, corrector, ut arguo, aut administrator typographiæ fratrum Frobeniorum, qui præfatus est ad libros *de Civitate Dei* epistola *ad nobilem ac generosum juvenem D. Stanislaum Starzechovium, Polonum, Joannis Starzechovii Palatini, Podoliensis, filium* (*d. Basileæ a.* M.D.LXX. *decimo sexto Februarii*), in qua de se et opera sua hæc profitetur : « Ambrosius et Aurelius Frobenii cum ob defectum exemplarium *quarto* Augustinum prelo subjicere constituissent, me ut operam in eo denuo conferendo, repurgando ac illustrando præstarem, obsecrarunt, tandemque communis utilitatis respectu et sacrorum doctorum precibus victum ad hunc laborem sane difficillimum, ac molestia plenum pertraxerunt, motum præsertim tot magnorum virorum exemplo, ac rerum theologicarum ac hujus auctoris præstantia. Hanc provinciam *inter alia negotia typographica, quibus obruebar, tandem jam tertio exacto anno*, post tot lucubrationes, sudores, intricatissimas revolutiones, distinctiones et abruptas variasque cogitationes indefesso labore etiam cum valetudinis jactura exhaustas, ita me gessisse spero, ut oleum et operam non perdidisse videri possim, et apud theologiæ studiosos et æquos censores gratiam me non contemnendam iniisse putem. Sed omissis his, ad ipsam rem, quæ in novæ editionis præfatione præcipua esse debet, accedam, *et quid præstiterim, recensebo. Primo* ( præter ornamenta typographica et indicem, multis modis auctum, aliasque utiles accessiones) Augustini opera, collatis emendatissimis exemplaribus, ita distinxi, ut posthac in intelligendo lector multo quam antea expeditior sit futurus. *Secundo* ex eadem collatione hactenus omissa inserui, depravata correxi, luxata restitui. *Tertio* testimonia sacræ Scripturæ et aliorum auctorum, quæ in his libris citantur, in margine annotavi : magnum sane adjumentum his qui memoria non adeo valent. *Quarto* marginales summas, ut facilius quærentibus materiæ occurrant, non levi cum totius operis lumine adjunxi : posteriora tamen duo maxime in *quinto et decimo tomo, in quibus fere sesquiannum consumpsi*, sunt adjecta : in decimo præsertim non contemnendum Tractatuum atque Sermonum numerum ex *Vlimmerii*, viri venerandæ antiquitatis studiosissimi, editione addidi. *Quinto* hæc omnia non solum ita disposui, ut multi alii solent, sed etiam ut in actum diligentissime producerentur, ad prela frequenter astans operam dedi. Hic autem, pergit, fortasse mihi occurrent Zoili invidi et calumniatores ( quibus, cum ipsi quidem nihil aut non meliora faciant, aliorum honesti conatus semper displicent ) me irrisuri qui post tantos viros in tanto opere actum quasi agam, et arrogantiæ me insimulaturi. His breviter ita responsum volo, Erasmo, Germaniæ phœnici, et Ludovico Vivi, viro eruditissimo, me quidem non comparandum, sed tamen *cum per exemplaria illi potius quam proprium judicium, repurgationem suam perfecerint*, et non omnia simul fieri possint, me die diem docente, pluribus illos imitantibus et exemplarium copiam augentibus, nec leviora, nedum notabilia errata tollere potuisse. Accedit quod

(*a*) Cf. *Foppens* Bibl. Bel. T. II, p. 747.

operarum negligentia, cum ipsi prelis non affuerint, multa etiam recte constituta corrumpantur aut omittantur : quod et præsenti mihi vel satis intento sæpissime contigit. Sed quid multis? *ipsa editionum collatio, quid præstitum sit*, abunde diligenti lectori testabitur. Quod vero *hic tomus* reliquis sit *vendibilior* et in eruditorum hominum manibus frequentior, *hic potissimum* de meis in hoc eximio patre laboribus *præfari* libuit. » Tantum ex verbosa Mylii epistola excerpere visum fuit, ut ipsi lectores oculis suis haurirent, quod ex intuitu quidem tituli ejus voluminis, cui illa adhæsit, minime arguent, integram operum Augustini editionem denuo hoc anno peractam dici. Nam, ut antea diximus, volumen apud nos est, libros de Civitate Dei complectens, cujus titulum ab illo ed. a. 1569 plane diversum infra, ubi ad illorum librorum singulares editiones accesserimus, dabimus. Quod ad ipsam vero epistolam attinet, quam vane et temerarie multa jactitata sint, nemo non videt; attamen quorsum hæc omnia disputata sint, non facile intelliges. Etenim ut unum tantum proferam, per tres annos editor hunc lapidem voluisse videri vult, ut correctior et melior Augustinus prodiret : intereaque ab iisdem, qui ei istam injunxerant provinciam, totum Augustinum absque ulla illius viri impensa opera excudi potuisse putabimus? An vero tot ac tam cupidos editiones illas et postremam maxime emptores invenisse credibile est, ut pluribus eodem tempore viris doctis expurgationem operum committere non dubitarent Frobenii, semper imprimere parati, ut plagula prelo matura esset. Expeditior quidem res videtur, si tibi persuadeas, bibliopolas emptoribus fucum facere voluisse, ut pro nova editione venderent, cui nil nisi titulus novus et præfaminis aliquid additum fuerat : tametsi ne sic quidem artificium epistolæ illius satis intelligo.

A

B

C

1570.

*Venetiis apud Vincentium Valgrisium*, item *Juntas* et *Dominic. Nicolinum; in-4°. XI tomis.* D. Aurelii Augustini, Hipponensis episcopi, Operum *tomus primus*. Cui accesserunt libri, epistolæ, sermones et fragmenta aliquot, hactenus nunquam impressa. *In quo, præter locorum multorum restitutionem, secundum collationem vetustiorum exemplarium, curavimus removeri ea omnia, quæ fidelium mentes hæretica pravitate possent inficere, aut a catholica et orthodoxa via deviare.* Additus est index cæteris omnibus et locupletior et copiosior. Nunc recens impressus, recognitus et emendatus. Venetiis M.D.LXX. (1570).

*Tomus secundus*, complectens illius epistolas ad amicos transmissas : cum nonnullis responsis eorum ad ipsum. *In quo*, etc., quod postea in singulorum titulis reperitur. Nomenclaturam eorum, ad quos Augustinus litteras dedit, ad calcem hujus tomi facile reperies. Nunc, etc.

D

Tomus III-X inscribuntur ut Basileensis a. 1543, additis ubique verbis, quæ modo produximus. Attamen in quinti tomi titulo commentarii Jo. Lud. Vivis mentio est omissa.

Index omnium, quæ insigniter a D. Aurelio Augustino dicta sunt, longe quam antea auctior ac locupletior redditus. Insuper multa, quæ erant manca, mutila et solum inchoata, tam in indice auctoritatum sacræ Scripturæ, id est, veteris ac novi Instrumenti, quam in locis aliquot sacrarum Scripturarum pugnantibus conciliatis in Augustino, reformata, aucta et repurgata sunt, Venetiis M.D.LXX.

Recenset hanc editionem, sed titulo contracto, *Audiffredus* in *Catal. Bibl. Casanat.* T. I, p. 341, docens, primum tomum apud Valgrisium, reliquos ad Octavum usque cum indice ibidem eodemque anno apud Juntas, nonum et decimum apud Nicolinum prodisse. His tam diserto testimonio contradicit *Davides Clement.* in *Bibl. Hist. Crit.*, ubi accuratam ejus mentionem fecisse supra jam significavimus (*a*). Ab eo sane titulum pleniorem mutuati sumus, quem ipse primum ex Catalogo Bibl. Magerianæ (*b*) excerpserat, mox vero, cum ipsam editionem nactus esset, ex propria inspectione approbavit. Reprehendit autem Clementius Fabricium, quod Valgrisium excudisse eam dixerit. En igitur par virorum et doctorum et curiositate ac sedulitate in suo genere nemini cedentium, in re levi et quæ errorem inter testes oculares vix ferre possit, sibi repugnans. Optimum quidem aliquis duxerit, missos eos facere, et fidem tertii alicujus, cui videre eamdem contigerit, exspectare. Non abnuo, nec tamen mihi tempero, quo minus suspiciones meas addam. Audiffredum virum supra, quam dici potest, in iis omnibus, quæ ad descriptionem libri alicujus ab eo inspecti pertinent, sedulum, in his tam distinctis verbis ab eo conceptis errasse, ægre mihi persuadeo. Jam in titulis certe nullum exstat typographi indicium. Igitur in calce tomi cujusque nomina subscripserint, necesse est. Atqui titulos aliunde jam in suam Bibliothecam transcripserat Clementius, cum hujus editionis exemplar ipsi in manus incideret. Tunc vero quid illum egisse putas ad Fabricii fidem explorandam? Evolvit scilicet singula volumina et circumspexit typographos. Minime vero unice tunc curabat, ut de integritate editionis, quam in dubium alii vocaverant, et defenderant alii, certior fieret. Incidit tamen in oculos, dum in hoc negotio occupatus erat, Dominici Nicolini epistola dedicatoria, fortasse etiam tomi noni et decimi subscriptio, et cum præterea duos a Fabricio in illius commemoratione errores admissos animadvertisset, de tertio, puto, non amplius dubitandum sibi existimavit. Forte his, a me disputatis, facilius credetur, si ipsa, quibus Fabricium taxat, verba adduxero, quam ob rem hic subjicienda curavimus (*c*).

(*a*) Bibl. curieuse, historique et critique T. II, p. 265 seqq.

(*b*) Edito *Berol.* 1715, in-8, p. 783.

(*c*) M. Fabricius s'est trompé, quand il a dit dans sa *Bibliotheca latina*, T. III, p. 544 : *Augustini opera decem tomis in-quarto comprehensa, Valgrisius excu-*

Jam his remotis progredimur ad id, quod meliorem aut potius famosam hanc editionem reddidit. Nimirum curam illius gessit, seu quod credere malim, vel aliis bibliopolis in societatem assumptis parare eam instituit, vel ab aliis incœptam redemit Dominicus Nicolinus bibliopola, et typographus Venetus, cujus aperta in ipsa fronte operis confessio, *quod ea omnia removeri curaverat, quæ fidelium mentes hæretica pravitate possent inficere, aut a catholica et orthodoxa fide deviare*, haud benigna inter heterodoxos est experta judicia. Perstrixerunt eam hoc nomine *Caveus* in *Prolegom.* ad *Hist. litt. Script. Eccles. sect.* VII, et *Jo. Clericus* in *Præfatione Artis Criticæ* sect. III, § 9 (*a*); atque ante eos vehementissime in hoc ausum invectus est *Franc. Turretinus* in disputationibus *de necessaria secessione nostra ab Ecclesia Romana, et impossibili cum ea Syncretismo* (*b*). Neuter tamen eam vidit, sed sua ipsius confessione satis malignitatis convictam esse statuerunt. Sed hoc iniquius aut saltem præcipitatius judicasse visi sunt, Caveus quidem et Clericus, *Rich. Simonio*, qui mutationes istas non in ipso textu, sed in censuris tantum et scholiis factas esse contendit (*c*). Quocum plane conveniunt, quæ ex inedita dissertatione P. *de Vitry* in *Memoriis Trevoltinis* excitantur (*d*). Sed reposuit Clericus, non esse, cur sui se judicii pœniteat. Simonium textum hujusce editionis cum alia vix contendisse, Italorum autem correctorum, qui tam vaga oratione operam suam declarassent, religioni non multum esse tribuendum (*e*). Ac ita quidem diu lis sub judice pependit, donec Clementius tandem arbitrium illius susciperet. Nam cum rara in his litteris felicitate ipsi contigisset, editiones Venetas anni 1552 et 1570 inter se conferre, vidit primum, quod plane usque dum ignoratum fuit, priorem huic quodammodo pro fundamento fuisse, nec tamen per omnia esse descriptam, sed ut quæstui convenientissimum visum esset, et consilio, quod professus est bibliopola, aptum, aliis demptis, et mutatis aliis. Sic accessiones, quæ in titulo jactantur, jam iisdem verbis in superiore promitti, atque indicem, titulo tantum immutato et delete imprimis auctoris nomine, plane ab eadem desumptum esse, ostendit. Contra vero in multis etiam recedere ab illa animadvertit, omissis et illatis tam singulis vocibus, quam libellis integris, quorum exempla sat multa ab eo sunt coacta quibusque omnibus effici colligit, defensionem hujus editionis a Simonio perperam esse susceptam. Nec sane nos videmus, quo meruerit Nicolinus, ut patrocinium ejus Simonius susciperet, cum nuspiam ab ipso aliquam cautionem ad mutationes suas defendendas allatam esse novimus, quin potius omnia sibi permisisse, nec textui ullo modo pepercisse, in epistola sua, cujus initium ex Clementio hic apponimus, aperte fassus est: « Cum divi Augustini Opera, inquit, non sine magno catholicæ fidei detrimento circumferri viderem, hæreticorum versutia multis in locis depravata, operæ pretium me facturum existimavi, si ea, integritati suæ restituta, hoc tempore imprimerem. Id quod, ut facilius assequerer, curavi imprimis, ut a sacræ theologiæ professoribus recognoscerentur, utque cum vetustioribus codicibus collata, ad genuinam eorum lectionem redigerentur. Curavi præterea, ut inter imprimendum accederet cura ac labor excellentissimi viri *Borgarutii a Borgarutiis*, typorum accuratissimi ac diligentissimi castigatoris. Qui quantum in hujusmodi operum castigatione præstiterit, ex collatione cum his, cæterorum exemplarium, facile patebit. »

1571.

*Lugduni apud Morellium, et Parisiis apud Nivellium.* Basileensis editionis factas esse iterationes a Fabricio proditur; quam vere, protinus non affirmare ausim. Sed memini me *Lugdunensem* hujus anni editionem *octonis* factam apud *Seb. Honoratum* deprehendere in Hendrichii Pand. Brandeb., ubi Enarrationes in Psalmos voluminibus II in-8° laudat, quæ sine dubio ad integram operum editionem pertinent.

1577.

*Antuerpiæ ex officina Christophori Plantini; in-fol. XI tomis.* Opera divi Aurelii Augustini, Hipponensis episcopi et doctoris præcipui, tomis decem comprehensa, per theologos Lovanienses ex manuscriptis codicibus multo labore emendata, et ab innumeris erroribus vindicata; illustrata præterea eruditis censuris et locupletata multis homiliis et aliquot epistolis ejusdem Beati Augustini, antea non editis. Cum indice tripartito.

Cum singulis tomis peculiares additæ sint, ab Erasmianis fere desumptæ inscriptiones, hic tamen generalis titulus præfigitur volumini, quod ultimum recte diceres, nisi, ut hoc ipso patet, reliquis omnibus præponi deberet, indices cum Possidii Vita et indiculo scriptorum Augustini, nec non præfationem, quæ de ratione totius instituti exponit, complexum.

Susceperat nimirum hanc novæ et emendatioris Augustini operum editionis provinciam primum *Thomas Gozæus* Bellemontanus Hanno, theologiæ in Lovaniensi studio professor, apostolicus et re-

*dit, A. C.* 1571. Il y a là trois fautes. 1° Cette édition a onze volumes, et non dix; 2° elle est de l'année 1570, et non 1571; 3° elle ne vient pas de *Valgrisius*, mais de *Dominicus Nicolinus*, qui l'a enrichie d'une dédicace, adressée *Joanni Antonio Fachineto a Nuce, Neocastri episcopo, et apud sereniss. Venetorum rempublicam oratori Pontificio.* Elle est datée de Venise, le 15 d'octobre 1570.

(*a*) Edit. noviss. *Lugduni Bat.* 1778, T. I, p. 16.

(*b*) Disp. V, § 26, p. 130 Prodierunt primum *Genevæ apud Sam. de Tournes*, 1687, in-4°.

(*c*) *Seulement dans les sommaires et les scholies.* V. in *Bibliothèque critique de Sainjore.* T. I, p. 261 (Paris et Amst. 1708, in-8°), et *Lettres choisies de M. Simon* (Amst. 1730, in-12, T. IV, p. 12).

(*d*) *Memoires de Trévoux.* 1729. Sept. p. 1618.

(*e*) V. *Bibliothèque choisie* T. XVIII, p. 169.

gius librorum per Belgium censor. Susceperat autem sic, ut summa quidem ac arbitrium totius operæ penes se esset (*a*), laborem vero cum pluribus viris doctis et studiorum similitudine conjunctis et affectu in S. Augustinum quasi invicem æmulantibus communicaret, et pensa quasi singulis distribueret, conquisitis et divisis inter suos plus quam ducentis mss. exemplaribus. Postquam vero apoplexia correptus vitam cum morte improvisa a. 1571 die 8 Martii commutaverat, successor ejus in munere censorio Joannes Molanus etiam hoc onus a Plantino sibi injungi passus est, et remotis aliquot suffectisque aliis in eorum locum lectoribus (*b*) suis veluti auspiciis profligari ac perfici tandem opus vidit.

Nec vero singulis modo tomis dati sunt administratores, sed in singulis plures pro ratione codicum elaboraverunt. Præfuerunt autem operibus, teste Molano, in *primo* tomo corrigendo *Martinus Baccius*, Tiletanus, postea Aloflensis pastor; in *epistolis Jacobus Baius*, Melunensis, collegii Sabaudiæ Lovanii præses. Accessit autem additamentum earum ab *Joanne Gravio* ex Societate Jesu Bruxellis transmissum. In *tertio tomo* desudavit *Henricus Cuykius*, Culenburgensis, ethices tunc professor, post episcopus Ruræmundensis. *Quartum* emendavit *Embertus Everaerds*, Arendoncanus, pastor ecclesiæ D. Jacobi. Libros de *Civitate Dei*, qui tomum *quintum* faciunt, *Petrus Coretus*, Athensis, pastor et professor Crispiniensis correxit. In *sexto* tomo *Christophorus Broide*, ad Ariensis ecclesiæ decanatum evocatus, elaboravit. *Septimus tomus*, quem mendis scatuisse dicunt, ab *Henrico Gravio*, Lovaniensi, theologiæ doctore et professore regio, et alias celebri, recognitus est. *Psalmis* præfuit *Claudius Porta*, Bapalmensis, theologiæ baccalaureus, post Binduæ pastor et canonicus. In tomi *noni* correctione *Guilielmus Estius*, Gorconius, operam suam studiumque navavit. Atque hi omnes, præter Henricum Gravium et Claudium Portam, theologiæ licentiati dignitatem assecuti erant. *Decimus* denique tomus *Regularibus Martinianis* datus erat, quippe in quem jam pridem apud eos *Martinus Lipsius*, Bruxellensis, ejusque discipuli *Joannes Costerius* et *Joannes Vlimmerius*, Lovaniensis, magni laboris impensam egerant. *Joannes* vero *Vlimmerius* in hanc quoque editionem contulit varios Augustini sermones a se repertos, et multos antea non editos ex Cambronæ codicibus studiose transcripsit. De se autem Molanus affirmat, sibi reservatum fuisse, ut singulis Augustini libris, ut in manuscriptis fieri observatum erat, retractationem ipsius, aut si ea deesset, brevem censuram multorum theologorum sententia confirmatam præmitteret. Quæ manifeste deprehensa constaret Augustini non esse, ea præmissis censuris, in appendice tomi sui reponenda censuit. *In his censuris autem*, inquit, *Erasmus aliquoties, sæpius autem indiculus Possidii, citationes Bedæ, censura manuscripta doctissimi theologi Joannis Hesselii in novem tomos et reverendi patris Martini Lipsii in tomum decimum magno nobis adjumento fuerunt. Nihil autem adhibui, quin a duobus collegii nostri professoribus, Henrico Gravio et Laurentio Westerhovio, quos in hac parte socios et adjutores habui certe strenuos, approbatum sit.* Ac hoc quidem privati hominis quasi de sua ipsius opera est judicium atque professio. Sed fortasse juvabit etiam censuram, quam auctoritate muneris publici emisit, quæque versa statim tituli pagina impressa legitur, cognoscere. Ecce vero.

« Opera beatissimi Augustini, per theologos Lovanienses castigata, tribus potissimum de causis, omnibus prioribus editionibus sunt præferenda. *Primum*, quia ex vetustissimis manuscriptis exemplaribus innumeri fœdique errores per singulos tomos sint emendati, apposita etiam ad cujusque tomi calcem sua castigatione. *Secundo*, quia quæcumque in his tomis erant indoctæ, aut censuræ, aut annotationes (ut nihil amplius dicatur), eæ in hac editione absunt. *Tertio*, quia singulis libris retractatio ipsius sancti Augustini est præmissa, aut ubi ea deest, brevis censura, multorum theologorum judicio confirmata. Quæ autem certo Augustini non esse sunt deprehensa, ea in sui tomi appendicem sunt reposita, præfixis censuris, quæ per theologos aliquot Lovanienses sunt discussæ et approbatæ (*c*). »

Ad quæ pauca jamjam nobis sunt observanda. Ac præmonere quidem lubet, partitionem per singulos tomos ex Erasmiana esse servatam, sed mutatum passim librorum ordinem, maxime per eos, qui in appendices rejecti sunt. Non immerito autem hoc sibi tribuerunt, quod textus a multis gravibusque mendis in mss. exemplarium, quorum immensa ipsis suppetebat copia, sit emendatus. Probant illud *castigationes* seu *recognitiones* ad finem cujusque tomi, præter decimum, adjectæ, in quibus diligenter, sed paucis verbis lectio superior cum lectione codicum collatorum seu recens recepta comparatur, indiculo codicum adhibitorum ubique præmisso. Harum vero emendationum vel locorum emendandorum largis-

(*a*) *Difficultates tantum, ac ea, quæ dubitationem haberent, ad se referri eum voluisse*, scribit Molanus.

(*b*) Sic vocat Molanus eos, qui conferendis cum mss. exemplaribus et corrigendis Augustini libris atque repurgandis Erasmi maxime censuris et Vivis commentariis ex Gozæi dispositione vacarent: *Examinatis lectorum operis, in multis quidem*, inquit, *acre judicium cum summa diligentia conjunctum probavi : in aliis autem, etsi non tantum diligentiæ deprehenderem, tamen id studii, quod habebant, excitandum potius, quam improbandum putavi. Pauci fuere, quorum in locum quod minus idonei viderentur, alios eruditione judicioque præstantes viros suffeci, qui ex nostro præscripto, tum superiora, tum ea, quæ restarent, accurate corrigerent, et difficultates ac dubia loca tantum ad nos referrent.*

(*c*) Signata est *Lovanii anno M.D.LXXI kalendis Septembris.* Joannes Molanus Lovaniensis, *apostolicus et regius librorum visitator, meo nomine, et imprimis mandato et auctoritate venerandæ facultatis nostræ theologicæ, sic subscripsi.*

sima succrevit seges in tomum septimum, qui controversias cum Donatistis atque Pelagianis continet. Multa quoque adeo intricata aut in utramque partem explicabilia, ut parum sibi laborem successurum sentiret, qui hujus tomi vindex constitutus erat, Henricus Gravius, nisi ab instituta in reliquis brevitate recederet. Vincebat enim « non tam infinita erratorum turba, quæ hunc tomum turpissime defœdabant, quam, quod necesse frequenter esset, mutatæ lectionis rationem reddere, mendosam convincere, vitiatæ causam et occasiones aperire : interdum autem varios expendere, ac collatione aliorum inter se locorum dijudicare, nonnumquam et contra fidem ms. vulgatam asserere: aliquando vero divinationem quoque proponere, quomodo hiulca impleri, luxata curari, depravata restitui posse viderentur. » « Postremo, inquit, annotanda etiam loca suspecta, et quibus medelam sine ms. præsidio afferre non possemus; ut nimirum occasio studiosis præberetur, veteres aliarum regionum bibliothecas excutiendi, nuncubi forte, vel antiquiora, vel fideliora exemplaria lateant, unde corrigi, vel emendari ea possent. » Quin ubi semel ab instituto recessisset, ausus est aliquanto etiam longius procedere. « Ac primum, inquit, historiam, quæ plurima his et ignota frequenter occurrit, breviter aperuimus; dehinc obscura illustravimus; ad hæc suspecta et periculosa explicavimus; tum ab aliis arrosa defendimus; præterea non recte a quibusdam intellecta, quo sensu accipienda forent, ostendimus; denique si quid contra hodiernas hæreses faceret, aut alioqui observatione dignum occurreret, paucis annotavimus. Sed nec id visum fuit prætereundum, ut, quoniam Germanicum exemplar corrigendum nobis datum erat, multi autem *Gallicana* uterentur *editione*, *quæ alios frequenter ac alios a Frobeniana errores haberet*, eos quoque indicaremus. Id quod in locis aliquot non indiligenter fecimus, sed temporum angustiis exclusi perficere non potuimus. » Singulare itaque volumen, et quod peculiari titulo ab ipso tomo septimo discretum est, hæ Gravii discussiones efficiunt, inscriptæ, *Annotationes in tomum VII B. Augustini, Hipp. episc., quibus castigationum ratio varietasque lectionum indicatur, res memoratu dignæ observantur, obscuriora difficilioraque loca explicantur et illustrantur. Antuerpiæ M.D.LXXVII.* Jam quod *alterum* attinet, quod in virtutibus hujus editionis publica censura reponit, nihil attinet dicere quid in Erasmi censuris et in Vivis commentario, hisce theologis displicuerit. Plus valet tertium, spuria a genuinis prorsus secreta et in appendicem rejecta, quod sane laboris momentum multo eruditius, quam Erasmus, persecuti sunt, qui plerumque, quæ sibi suspecta essent, in censuris tantum notare contentus fuit, paucula sejunxit, quædam plane ejecit. In sermonibus tamen, ubi difficile fuisset, de singulis in particulari censere, Martini Lipsii exemplum se secutos esse professi sunt, ut iis, qui certo Augustini esse viderentur, nomen ejus ascriberent, et ex Beda, aut aliunde, prout occurret, probationem adjicerent; qui vero certo Augustini non esse deprehensi essent, eos in appendicem rejicerent, reliquos aut non satis discussos, aut ex judicio quorumdam eruditorum dubiæ auctoritatis inter Augustinianos relinquerent, non addito tamen ejus nomine. Atque hæc hactenus de Lovaniensium studiis. Quod typographi partes attinet, impressa sunt opera quidem charactere rotundo, satis nitido, binis columnis, censuræ eodem, sed minori, argumenta autem sicut et in marginibus notata, Italico. Omnes autem tomi, præter eum qui indices complectitur, et universi operis titulum præfert, itemque annotationes in tomum VII, annum *M.D.LXXVI* in fronte gerunt; nec tamen omnes hoc anno absolutos esse, ex subscriptione patet, quæ in aliis annum septuagesimum sextum, in aliis septuagesimum septimum ostendit. Denique adjecimus, Plantinum nuncupasse editionem *Christophoro et Ludovico Madruciis* cardinalibus.

1584.

*Venetiis, per Joannem Baptistam Sessam, sub signo Felicis; in-4°. XI tomis.* D. Aur. Augustini, Hipp. episcopi, opera omnia impressa, recognita et emendata. *Cat. Bibl. Reg. Paris.*

Iteratio est Venetæ prioris. Saltem Turretinus verba, quibus tantopere offensum esse novimus, quæque supra sunt excitata, ex hac laudat, idque Colonienses confirmant, qui *Ancillonium* corrigunt, in *Miscell. Crit.* T. I, p. 243, perperam numerum a. 1548 efferentem. *Oudinus* tamen T. I, p. 952, Plantinianæ descriptionem esse tradit, meque ipsum ancipitem reddidit Turretinus eo, quod apud *Juntas* expressam vult, quod de priori ex parte quidem verum, de hac mihi non liquet. Facile autem fieri potuit, ut editionem, quam intenderet, a typographo recte significaret, anni numerum tamen cum alterius Venetæ anno confunderet. Sed in superiore sententia confirmat nos Clementius, qui laudatis auctoribus alia testimonia addidit in *Bibl. Hist. Crit.* T. II, p. 268.

1586.

*Parisiis, cum insigni Magnæ Navis; in-fol. XI tomis.* D. Aur. Augustini opera, etc., *ut in Antuerpiensi.* Additis nonnullis aliis homiliis Lutetiæ nunc primum editis, quas pagina secunda tomi X indicabit: cum indice tripartito.

Homiliæ, quas de novo adjecerunt, sunt XIII ex ms. codice bibliothecæ Carthusianæ-Majoris desumptæ. 1° *In natali Martyrum;* 2° *De Susanna;* 3° *In illud Evangelii Joannis*, usque nunc nihil petiistis in nomine meo; 4° *In natali S. Casti et Æmilii Martyrum;* 5° *Tractatus in vigiliis Pentecostes;* 6° *De lectione Exodi, de Rubo, in quo flamma erat, et rubus non comburebatur;* 7° *De verbo et voce, et de jejunare et esurire;* 8° *In illud Joannis : Ego non ascendo ad diem festum istum;* 9° *De arbore, cui maledixit Dominus, et aruit, quia fructum in ea non invenit;* 10° *De Apostolico, Nihil in hunc mundum intulimus, verum nec auferre aliquid possumus;* 11

*In illud* Pauli, *Qui gloriatur, in Domino glorietur;* 12° *In Pervigilio, in illud Exodi, Quando in Ægypto agnus immolatus est;* 13° *In psalmum XLI, ad Neophytos.* Augustini nomen ms. præferre notant, nec quemquam fore, sibi persuadent, quin illius esse agnoscat. Præter homilias vero addita sunt insuper hæc incertorum auctorum ex eodem fonte haud dubie petita : *Commonitorium ad universam Ecclesiam* (*a*); *Forma epistolæ de quodam episcopo Manichæorum sectæ; Collatio Trinitatis B. Augustini a se ipso ad semetipsum; Miscellaneæ sententiæ a quopiam collectæ; Tractatus de XII lapidibus, de quibus in Apocalypsi.* Cæterum quoad typorum et chartæ nitorem hæc editio Plantinianam antecellit.

1596.

*Genevæ excudebat Jacobus Stoer; in-8° XI Tomis.* D. Aur. Augustini Opera per theologos Lovanienses emendata. Laudant *Colonienses* et *Ceillerius.*

Mihi nonnisi quintum hujus editionis tomum videre contigit, libros de Civitate Dei complectentem, hoc titulo : *D. Aurelii Augustini, Hipp. ep. de Civitate Dei libri XXII. Veterum exemplarium collatione nunc demum castigatissimi facti, eruditissimisque* Ludovici Vivis *commentariis illustrati. Quorum XII priores hac omnium illius Operum* tomi quinti parte prima *continentur. Cum* indice *hac postrema editione castigatissimo ditissimoque facto.*— Alterum vero volumen inscribitur :

*D. A. A. Operum* tomi quinti pars secunda, *qua reliqui X libri d. C. D. continentur,* etc. — Nimirum non raro hujus et Lugdunensium simili forma editionum tomi separatim obveniunt, et proclivius quidem erat, ut distraherentur, per modicam voluminum molem et usum commodiorem et proinde crebriorem.

sæculum xvii.

1603.

*Parisiis, in-fol., XI tomis.* D. Aur. Augustini Opera ejusdem recensionis. *Oudinus* et ex eo *Colonienses.*

1609.

*Parisiis : . . . in-fol., XI tomis.* D. Aur. Augustini Opera juxta theolog. Lovaniensium recensionem expressa. Citat eam *Vignerius* in Præf. ad Supplem., et hinc alii.

1613-14.

*Parisiis, sub signo Magnæ Navis; in-fol., X (XI) tomis.* D. Aur. Augustini Opera ex secunda editione theologor. Lovaniensium emendata et locupletata, una cum *Leonardi Coquæi* commentariis in libros de Civitate Dei. *Cat. Bibl. Reg. Paris.;* cui adde *Oudinum.*

*Vignerius.* in præfatione ad Suppl. hanc juxta quam præcedentem non pœnitendis additionibus locupletatam esse tradidit; sed quibus, nescio. Nec satis intelligo, quæ fuerit *secunda* theologorum Lovaniensium editio, quam secutos se in titulo profitentur curatores.

1616.

*Coloniæ Agrippinæ* [*sumptibus Antonii Hierat.*]; *in-fol., XI tomis.* D. Aur. Augustini Opera ex theologorum Lovaniensium editione, jam longe auctiora.

Vignerius pronuntiat, hanc editionem præcedentibus editionibus auctiorem esse, sed charta, ad oleum et piper releganda, impressam. Quapropter nullus equidem dubito, quin a bibliopola, dubitanter a nobis significato, profecta sit.

1626.

*Parisiis, in-fol., XI tomis.* D. Aur. Augustini Opera juxta theologorum Lovaniensium editionem. *Vigner.*

1635.

*Parisiis, in-fol., XI tomis.* Eadem. *Vigner.*

1644.

*Parisiis, apud Anton. Vitray; in-8°, II voll.* Augustini Opera contra Pelagianos. *Cat. Bibl. Reg. Paris.* T. I, p. 377, n. 679.

1647-48.

*Lovanii, apud Bernardin. Masium; in-4°, III voll.* B. Augustini, Hipp. episcopi, et veterum ejusdem discipulorum opuscula insigniora adversus Pelagianos et eorum reliquias; juxta editionem Plantinianam. *Cat. Bibl. Reg. Paris.*

1651.

*Parisiis . . . ; in-fol., XI tomis.* S. Aur. Augustini Opera ex Lov. theol. recensione. Testatur Cl. Rosler hanc descriptionem sibi in Bibliothecæ suæ tomo V usum præstitisse. Nisi fortasse una editio sit hæc et insequentis anni mox laudanda, adeo ut priores tomi, in quibus Retractationes et Epistolæ a. 1651, reliqui a. 1652 excusi sint.

1652.

*Romæ, per Ignat. de Lazaris; in-4.* S. Augustini, Hipp. episc., aliqua opera insigniora adversus Pelagianos et eorum reliquias. *Cat. Bibl. Reg.*

—

*Parisiis, in-fol., XI tomis.* S. Aur. Augustini Opera ex Lovaniensium theologorum recensione. Has omnes autem editiones auctiores quidem sed inemendatiores esse, Vignerius prodidit.

1654.

*Bruxellis, in-12.* S. Augustini opuscula quædam selecta. Insunt : *De gratia et libero arbitrio, De conceptione et gratia, De prædestinatione sanctorum,* et *De dono perseverantiæ ;* cum tribus Augustini epistolis : I, ad *Paulinum,* episc. Nolanum ; II, ad *Sixtum,* Ecclesiæ Rom. presbyterum (postea pontificem); III, ad *Vitalem* Carthaginiensem (inter Augustinianas olim 105, 106, 107, nunc 194, 186, 217), præmissis duabus *Hilarii* et *Prosperi* ad Augustinum epistolis. Cf. *M. Bibl. Eccl. Col.* p. 745 et 746. Num vero titulus juxta ipsa verba ibi declaratus sit, ignoro.

1654-55.

*Parisiis, sumptibus Simeonis Piget, in via Jacobæo,*

(*a*) Huic ascriptum : *Videtur mihi potius Cœlestini, aut Leonis, aut alterius papæ, qui sua vi deos exterminent.*

*ad insigne Prudentiæ ; in-fol., II tomis.* Sancti Aurelii Augustini, Hipponensis episcopi, Operum omnium ante annum M.DC.XIV, tam Basileæ, quam Lutetiæ, Antuerpiæ, Lugduni et Venetiis editorum supplementum; una cum sex libris secundæ responsionis ejusdem B. Augustini contra Julianum hæreticum Pelagianum, variisque sermonibus et tractatibus hactenus ineditis. *Hieronymus Vignerius*, Congregationis Oratorii D. Jesu presbyter, ex optimæ fidei et bonæ antiquitatis codicibus mss. eruit. — T. I, editio secunda 1655. (In fine : 1654, *ex typographia Francisci Le Cointe*); T. II, 1655.

Animadverterat Vignerius non solum in novissimis, quæ tum erant Augustini Operum editionibus, plurima deesse opuscula proximis ante annis recens ac seorsim evulgata, sed quod moleste potissimum iis accidebat, qui aliquam editionem comparaturi erant, recentiores omnes utut auctiores singulæ, nec integræ tamen, longe antiquioribus, quoad textus puritatem et emendationem, erant inferiores. In animum igitur induxit, supplementum operum sancti hujus doctoris parare, non tam ut recentioribus id commendationis afferret, ut hac sua opera assumpta integræ omnino, dici possent, sed potius ut iis, qui antiquas et castigatiores mallent retinere, gratificaretur. Complectitur itaque I tomus : 1° *Sermones novos XL*, a Sirmondo a. 1631 Parisiis editos et in sequiores inde editiones receptos cum appendice Sermonum V, et notis ejusdem ; 2° *Sermones de Diversis CXXVII*, duabus partibus distincti ac primum a Lovaniensibus a. 1576 editi. 3° *Homiliæ undecim*, ex codice manuscripto bibliothecæ Carthusianæ-Majoris desumptæ. 4° *Sermones VI*, a Joanne Baptista Maro Romæ editi. Sed nescio, quo casu factum sit, ut hi cum præcedentibus in unum cogerentur, ita quidem, ut non undecim, ut titulus pollicetur, sed XII Sermones ex codice Bibl. Carthusianæ-Majoris exhibiti sint, iidem, qui primum a. 1586 a Parisiensibus excusi erant, sed uno auctiores, qui hic desideratur, cujusque in locum alius, *brevem Symboli explicationem* sistens, successit, quem, ut sequentes tres *In Calendas Januarias, de Calendis Januariis et ante altare ad infantes de sacramento* etiam in novissima tunc temporis Parisiana editione deesse notat. 5° *Tractatus de septem vitiis et septem donis Spiritus Sancti*, editos olim a *Guil. Camerario*, Theologo Scoto, a novissima editione (a. 1652) pariter exsulans. 6° De gestis Pelagii liber. 7° *Epistolæ*, quæ in antiquioribus editionibus, Basileensi, Parisiensibus et Lugdunensibus omissæ erant. 8° *Speculum S. Augustini in Scripturam sacram*, hactenus ineditum; de quo infra nobis sermo erit. Sed longe insignior Supplementorum horum pars, libri usque dum inediti expanduntur in *tomo secundo*. Quare ipse ait, *quod Galliæ ob hanc supplementi editionem applaudat universus orbis Christianus potiorem ex altera parte, quam ex prima nasci rationem. Primo* nempe loco in lucem prodeunt ex tenebris, quibus sepulti hactenus exstinctique pene jacuerunt, *Sex libri Augustini contra Julianum*, a Fulgentio Beda, Servato Lupo aliisque sequioribus scriptoribus passim commemorati, sed exigua tantum parte sua Claudii Menardi beneficio cogniti, adeo ut ex octo libris amplius duobus superesse nemo jam sperare auderet, cum ecce hic Vignerio fortuna obtigit, ut sex integros libros bibliothecæ Clarævallensis codice deprehenderet. Qua de felicitate ipse quidem sic exsultat, ut non injuria fortasse dici possit, affectum aliquid detraxisse judicio, animumque a tranquilla pensitatione præcipitasse, dum non sex modo, sed ipsos, quotquot ab Augustino scripti esse dicuntur, octo libros reperisse videri voluit. Sed de his infra in singulorum opusculorum editionibus n. 98. Sequuntur tamquam altera quædam secundi hujus tomi pars : 1° S. Augustini epistola unica ad Macrobium ; 2° Sermones inediti XL, et 3° Tractatus duo, alter de *Oratione* ex codice Divionensi, alter inscriptus de *Oratione* et *Eleemosyna* ex codice Regio ; denique 4° *Sententiæ adversus Pelagianum hæreticum*. Adjecti sunt in utroque tomo indices necessarii. Inscripsit autem Vignerius tomum secundum *Claudio Largentier*, Abbati Clarævallensi; primum *Gondo* cardinali de *Retz*.

1673.

*Lugduni, in*-12. S. Augustini opuscula quædam selecta ; ejusdem collectionis, quæ a. 1654 Bruxellis prodiit.

—

*Bruxellis, in*-12. Eadem ex quinta repetitione. *Colonienses.* 1. 1.

1679-1700.

*Parisiis, apud Franciscum Muguet; in-fol., XI Tomis.* S. Aur. Augustini, Hipponens. Episcopi, Opera, post Lovaniensium theologorum recensionem, castigata denuo ad manuscriptos codices Gallicanos, Vaticanos, Anglicanos, Belgicos, etc., nec non ad editiones antiquiores et castigatiores. Opera et studio monachorum ordinis Sancti Benedicti e congregatione Sancti Mauri. Tomus I, II, 1679; III, 1680 ; IV, 1683; V, 1684 ; VI et VII, 1685 ; VIII et IX, 1688 ; X, 1690 ; XI, 1700. Tomus I et II recusi ibidem 1689.

Tria sibi in nova hac editione paranda cordi fuisse, fatentur Patres Maurini (in præf. gen. tomo XI præmissa) : videlicet ut *accurata* esset, *commoda* et *rite illustrata*. His quantum adjunxerunt, quod per se non tam commendationem meretur in editore, quod justum est, quam reprehensionem pati debet, sicubi præter exspectationem desit, hic tamen ob causas omnibus notas et gravius multo et longe difficillimum, scilicet, ut nullis partium studiis esset addicta.

Ac primum quidem, ut quam maxime *accurata* esset, tribus ipsis constare visum est conditionibus : nempe ut contextui genuina integritas ad veteres et sinceriores codices restitueretur; ut certa ac germana opera secernerentur a dubiis et spuriis; et ut editio ipsa a typographicis mendis repurgata prodiret. Ut vero perquam *commoda* redderetur, quatuor

a se curata esse monent; nimirum *operum ordinem*, in quo instituendo et temporum, quo deinceps singula elaborata sunt, et argumentorum ratio habita est, adeo ut quæ unius generis essent, veluti exegetica, moralia, etc., junctim quidem exhiberentur, sed eadem juxta annorum seriem disposita; *sectiones*, quibus capitula in plures et minores particulas magno legentium usu divisa sunt; *summaria*, vel libris omnibus et plerisque capitulis præmissa, quæ argumentum demonstrarent, vel marginalia et partim ex ipsis contextus verbis expressa, partim a Lovaniensibus desumpta; *indices* denique non solum in singulos tomos, sed generales etiam et universales, utrosque vero uberrimos. Ad *illustrationem* spectant partim præfationes singulis tomis præmissæ, in quibus potius res historicæ, quam dogmaticæ explicantur; partim admonitiones, ad explicandum singulorum opusculorum argumentum additæ; denique in margine inferiori notulæ, quibus vel variantes lectiones indicantur, vel obscura loca, maxime comparatione aliorum locorum explanantur. Quod attinet ad quartum, alte sibi animo infixum fuisse affirmant, et a præpositis suis inculcatum, ut partium studia in explicanda Augustini doctrina sedulo caverent, idque causæ fuisse, ut a prolixioribus commentariis et observationibus abstinuerint, ut ne cuiquam vel minimum offendiculi præberent, ullive theologorum sententiæ præjudicarent. Nihilominus constat, quantæ in ipsos coortæ sint turbæ, quanta adhibita stratagemata atque insidiæ, ut vel interciperetur successus, vel perfectum in invidiam adduceretur. Ipsi Benedictini dum in undecimo tomo generalem operis præfationem conscribunt et curam suam ac providentiam palam facere student, fatentur, difficile fuisse cavere, ne quid in tam vasto opere incauti ipsis subreperet, vel, ne quid secus, quam ipsi intendissent, in sequiorem partem non acciperent homines male erga ipsorum studia affecti. Sed non cum scrupulosis forte, æquis cæteroquin adversariis sibi rem esse, sed a calumniatoribus et hostibus nullum insidiarum genus, quamvis turpe, spernentibus jus petitos sese conqueruntur. Et quoniam regis jussu utrique parti silentium esset impositum, haud quidquam aliud prædicto loco in tutamen suum attulerunt, quam ut a gravissimis, quæ ipsis impactæ fuerant, criminationibus in virorum piorum ac benevolorum, quorum forte animis scrupuli quidam exinde insedissent, gratiam sese purgarent. Sed harum litium artiumque frivolarum historiam non attingimus. Nec enim ad nostrum vel minimum facit, et suppetunt, quibus vel negotii, vel animi causa curare illa contigerit, ampli satis comA plurium virorum doctorum de iisdem commentarii (*a*). Pergimus potius ad opuscula, quæ singulis tomis comprehensa sint, accurate recensenda, eaque, quæ insigniter hic a doctissimis Patribus præstita sunt, declaranda, ubi simul Lovaniensium ordinem et discrimen notabimus. Sunt autem *contenta* in unoquoque volumine hæc :

*Tomo primo :* — Opuscula, quæ adhuc catechumenus, aut nondum presbyter edidit cum Retractationibus et Confessionibus; hoc ordine : Retractationum lib. II; Confessionum lib. XIII; Contra Academicos lib. III; De Vita Beata lib. I; De Ordine lib. II; Soliloquiorum lib. II; De immortalitate animæ lib. I; De quantitate animæ lib. I; De musica lib. VI; De magistro lib. I; De libero arbitrio lib. III; De Genesi contra Manichæos lib. II; De moribus Ecclesiæ catholicæ et moribus Manichæorum lib. II; De vera religione lib. I; De regula ad servos Dei. — *In appendice :* De grammatica liber; Principia dialecticæ; Categoriæ decem; Principia rhetorices; Regulæ clericis traditæ fragmentum; Regula secunda; De vita eremitica ad sororem. — Complectitur hic tomus ea omnia, quæ ab Erasmo et Lovaniensibus in eo fuerunt comprehensa. Illud tantum interest discrimis, quod Benedictini in appendicem rejecerunt nonnulla, quæ ab illis pro genuinis Augustini scriptis habita erant, scilicet libellos de *Grammatica*, *Categorias*, *Principia Dialecticæ* et *Principia Rhetoricæ*, et quod alia quædam cum aliis locum mutare jusserunt, *ut seriem ordinemque temporis, quo unumquodque opus ab Auctore prodiit, quoad ejus fieri posset, servarent.*

*Tomo secundo :* — Epistolæ *ducentæ septuaginta* secundum temporum ordinem dispositæ, et quatuor in classes digestæ. — *In appendice :* Augustini nomine ad Bonifacium et contra, epistolæ breviores sexdecim; Ad Demetriadem Pelagii epistola; Augustini nomine ad Cyrillum et contra, de Laudibus Hieronymi; Altercatio Augustini cum Pascentio.

Longe nobilissima pars operæ eruditissimorum monachorum in hoc tomo concluditur, vere talis, in qua Constantii sagacitatem et solidam doctrinam agnoscas. Licet enim totidem plane genuinas epistolas Lovanienses recenseant, nec plura, nec pauciora ab iis in appendicem hujus tomi rejecta sint, non ausi tamen sunt longius progredi et quam omnes Augustini lectores ardentissimis votis exoptabant, molestam scilicet et multarum virium curam suis sibi humeris imponere, qua intactam adhuc seriem et nexum tot diversi generis et ætatis epistolarum discriminassent, ac prorsus tandem expediissent. Ferebant omnes hoc desiderium eo impatientius, quod, cum reliqua opuscula pene omnia per ipsius Augustini in

(*a*) Præter Dupinium *Bibl. nouv. des Aut. Eccl.*, T. XVIII, sub articulo : *Nouvelle édition des œuvres de S. Augustin*, et Bælium in *Dict. Crit.* : e recentioribus, Auctores *Bibl. Coloniensis Ecclesiasticæ* pag. 464; Ceillier T. XII, pag. 680 seq., et Auctores de *l'Histoire littéraire de la Congrég. de S. Maur* (*à Bruxelles* 1770, in-4°). V. Blampin. pag. 287 seqq. Quid? quod peculiari adeo volumine scripta exstat hujus editionis historia auctore Antonio Vincentio Thuillier, ejusdem congregationis quondam sodali, h. t., *Histoire de la nouvelle édition de S. Augustin, donnée par les PP. Bénédictins de la congrégation de S. Maur. En France* (Paris), 1756, in-4°, mihi non visa, sed cujus ipsius varia fata in eadem Historia congregationis pag. 528 seq. enarrantur.

Retractationibus institutum juxta temporum et occasionum, quibus enata essent, ordinem, cognoscere ipsumque in sacris studiis et gestis suis animo velut comitari liceret, solæ epistolæ, ex quibus plenissima fere casuum et gestorum temporis istius memoria depromenda erat, hoc beneficio carerent.

Sed Benedictini quoque hunc laborem declinassent non magis difficultatum metu, quas licet innumeras vel eis solis spernere licebat, quam quod vererentur, ne novo inducto ordine lectionem Augustini apud eos, qui veteri semel assuevissent, retardarent. Sed vicit tandem Augustini amor et aliorum maximeque sodalium suorum in aliis scriptoribus ecclesiasticis exemplum, jamque ex ipsis, quo negotium hoc aggressi sunt animo, audiamus.

« In superioribus editionibus, inquiunt, adeo perturbatus erat Augustinianarum epistolarum ordo, ut, *quod temporis historiam spectat*, non facile quisquam seriem rerum omnium assequi potuisset absque longa et sæpe repetita lectione ac meditatione. Nam ejusdem temporis et argumenti epistolæ per totum Collectionis corpus hinc inde dispersæ erant, tum priores posterioribus postpositæ et in fidem rejectæ ac demum (quæ intoleranda confusio erat) Augustini rescripta quam longissime ab interrogatis et consultis nonnumquam aberant; immo rescripta consultis longe præferebantur : adeo ut Evodii, v. g., consulentis epistolæ post multas interjacentes epistolas Augustini responsum consequerentur. Quapropter optandum erat, ut Augustini epistolæ in rectum ordinem pro temporum ratione digererentur. Quod procul dubio curaturus fuisset Augustinus ipse, si eorum recensionem, quam susceperat, ei absolvere licuisset. Quippe in Retractationum suarum proœmio optare se testatur, ut opera sua eo, quo scripta sunt ordine, perlegantur, eique rei daturum se operam, quo demum intelligant lectores, *quomodo scribendo* profecerit. At quo minus id tentaremus, intercedebant diversæ res, nempe usus superiorum temporum, receptus ordo ab annis circiter centum septuaginta, citationes usitatæ, quas violare, aut demum pervertere, nefas esse videbatur, ne mutatio hæc plurimum negotii studiosis facesseret. Ad hæc non leves difficultates in constituendo epistolarum ordine, qui omnibus probetur, cum de nonnullarum ætate disputent eruditi. Atque hæc potissimum nos ratio morabatur, quippe qui præcipue in animum induximus, hoc in labore nostro neutrorum sententiæ temere adversari aut favere. Hæc ergo momenta a mutando epistolarum ordine nos deterrebant, nec facile id a nobis contra superiores editiones suscipiendum videbatur. Ex adverso tamen aliud suadebant, non tantum varia eruditorum exempla in epistolis S. Cypriani, S. Leonis, etc., sed etiam virorum non minus sententia, quam dignitate, præstantium auctoritas, qui posteritati hac nova editione consultum volebant. His omnino exemplis et auctoritatibus adducti, tandem consensimus, ut Augustini epistolas ad annorum seriem (quoad fieri posset) accuratam revocaremus. Et ne levi fundamento hanc seriem designasse videamur, non modo nostris, sed etiam alienis eam studiis et consiliis investigare sategimus Ordine epistolarum chronologico constituto, eas in quatuor classes distinximus, quarum prima illas exhibet, quas Augustinus nondum episcopus scripsit. Qua in re Augustinum ipsum secuti auctorem sumus, qui in Retractationum priore libro ea dumtaxat recensuit opuscula, quæ antequam fieret episcopus in lucem protulerat. In secunda classe repræsentantur epistolæ, quas ab inito episcopatu ad collationem cum Donatistis Carthagine habitam et Pelagianæ hæreseos in Africam invectionem edidit. In his enim duobus sive retegendis, seu expurgandis, erroribus versantur ut plurimum hæ litteræ, quæ eorum initia, progressus atque damnationem accurate describunt. Tertia epistolarum classis eas complectitur, quas ab eo tempore S. Doctor ad vitæ finem exaravit; quibus scilicet certa epocha potest assignari. In quartam demum classem reliquas Augustini litteras redegimus, quas quidem scripsit episcopus, nulla tamen alia præfixa temporum aut circumstantiarum nota, quæ certum tempus præ se ferat. Ex hac quadruplici classis distinctione id commodi eveniet, quod antea observabamus, ut studiosus lector ea, quæ ad hæreses Donatistarum et Pelagianorum pertinent, uno fere conspectu ac tenore percipiat. »

Monent præterea, nonnullos tractatus, qui antea in epistolarum ordinem relati essent, loco motos a se non esse, tametsi id non levis momenti rationes suasissent. Sed *Altercationem cum Pascentio*, quæ CLXXVIII numerabatur inter Augustini epistolas, ut jam pridem Lovanienses fecerant, in appendicem relegarunt.

Revocasse se deinde testantur epistolas quasdam, non solum quas Augustinus nomine suo misit ad alios, sed ex illis etiam, quæ ad ipsum a multis fuerunt directæ. Veluti *Timasii* et *Jacobi*, item *Honorii* et *Theodosii*, *imperatorum*, *Quodvultdei*, *Prosperi*, ad *Pelagium*, ad *Simplicianum* de opere ipsi dicato, ad *Aurelium*, ad *Valerium*, ad *Claudium*, ad *Quodvultdeum* super libris eorum nomine nuncupatis, quæ antea in epistolarum recensu desiderabantur. Eas omnes ergo suo loco inserendas curarunt : uti et catholicorum episcoporum rescripta ad *Marcellinum* tribunum occasione collationis Carthaginensis, nec non epistolam ad *Proculum* et *Cylinnium*, Gallicanos antistites, Leporii causa transmissam : quæ scripta, inquiunt, non minus pro veris ac genuinis Augustini fetibus habenda sunt, quam epistolæ illæ Carthaginensis ac Milevitanæ synodi nomine *ad Innocentium* directæ, quas uti a S. Doctore dictatas cum aliis ejus epistolis omnes recipiunt. In aliquibus tamen usu jam pridem recepto obsecutos se esse fatentur. Revocandum enim fuisse juxta institutum suum etiam tractatum *de Bono Viduitatis*, quippe qui vera sit Augustini epistola, eoque nomine nulla ejus in Retractationum libro mentio habeatur. Sed *libri* titulum, ex longinquo ipsi inhærentem, detrahere nolebant.

Ejusdem conditionis fuit epistola, quam Augustinus *fidelibus ad suæ salutis curam pertinentibus* scripsit contra Petilianum, quæque jam inde ab Augustini tempore, sicuti in libro II Retractationum cap. 25 testatur, prioris adversus ejusdem hæretici litteras libri locum obtinuit. Nec *Secundini* Manichæi ad *Augustinum epistolam* huc retrahere sustinuerunt, sed in sexto operum tomo reliquerunt, scilicet ob id solum legendum, ut ea plenius intelligantur, quæ illic adversus Secundini errores disputat Augustinus.

Denique nec solum editas epistolas reddidisse videri volunt, sed novas aliquot primi in lucem protulerunt; cujusmodi sunt *Augustini* adhuc presbyteri ad *Alypium, episcopum Tagastensem, epistola* n. 29, duæ *Augustini*, item *Augustini* et *Alypii* ad *Paulinum Nolensem epistolæ*, quibus numerus earum epistolarum in Possidii indice annotatus completur, num. 42 et 45, *Augustini epistola* ad *Mercatorem*, ex tertia parte olim exhibita in libro ad Dulcitium, nunc autem primum ex integro data, num. 193. Attamen miratio subit, qui factum sit, ut licet *quatuor* epistolæ de novo, *septemdecim* (*a*) autem ex aliis superiorum editionum tomis huc relatæ fuerint, par tamen numerus in Lovaniensi et Benedictina compareat; nec ejectas esse aliquot ab illis, præter *Altercationem cum Pascentio*, ullo indicio proditum sit. Jam quod rationes attinet, quibus in constituenda epistolarum ætate atque loco ducti fuerint, de singulis sigillatim exposuerunt, et in commentarium juxta classes divisum retulerunt inscriptum: *Epistolarum Ordo Chronologicus argumentis demonstratus.* Nec indices, quoscumque usus requirere videbatur, desiderari passi sunt, in quibus maxime insignis is est, in quo epistolæ secundum præcipua eorum argumenta digestæ sunt, et epistolæ *theologicæ, polemicæ, exegeticæ, ecclesiasticæ, morales, philosophicæ, historicæ* et *variæ* denique recitantur.

*Tomo tertio :* — Opuscula exegetica, per tomum III, IV et IX, in Lovaniensi distracta, secundum Scripturarum ordinem disposita et in duas partes, veteris et novi Testamenti, sunt divisa, præmissis in fronte libris de Doctrina Christiana, *veluti clavem atque artem quamdam rectæ interpretandi rationis, quam adhibuerit Augustinus et post eum catholici commentatores.—In prima parte :*

De Doctrina Christiana lib. IV; De Genesi ad litteram imperfectus liber; De Genesi ad litteram lib. XII. Locutionum lib. VII. (*Lovan.* T. III.) Quæstionum in Heptateuchum lib. VII; Annotationum in Job. lib. I. (*Lovan.* T. IV.) Speculum. (*Lovan.* T. III.) — *In secunda parte :* De consensu Evangelistarum lib. IV: De Sermone Domini in monte lib. II; Quæstionum Evangelicarum lib. II; Quæstionum secundum Matthæum lib. I. (*Lovan.* T. IV.) In Joannis Evangelium tractatus CXXIV; In epist. Joannis ad Parthos Tractatus X. (*Lovan.* T. IX.) Expositio quarumdam propositionum ex Epistola ad Rom. lib. I; Epistolæ ad Romanos inchoata expositio lib. I; Expositio Epistolæ ad Galatas. (*Lovan.* T. IV.) — *In Appendice : De Mirabilibus sacræ Scripturæ lib. III; De Benedictionibus Jacob patriarchæ; Quæstiones veteris et novi Testamenti; Quæstiones veteris et novi Testamenti post vulgatæ.* (*Lovan. app.* T. III.) *In B. Joannis Apocalypsin Expositio.* (*Lovan. App.* T. IX.)

Præcipiunt in præfatione de eximiis Augustini dotibus in exponendis Scripturis, multa quidem, nec inepta tamen ipsius laude. Vitia ejus non defendere, sed excusare student. De versione, qua in exponendo veteri Testamento usus fuerit, monent, eum ipsum Græcum contextum τῶν LXX ab eo receptum esse, quem recensuit Nobilius; hujusque plerasque variantes ex Augustino lectiones ex editionum vitiis ortas esse, quæ veterum codicum subsidio in sua editione sustulerunt. In libris autem Locutionum et Quæstionum in Heptateuchum, quos jam senex composuit, itemque in Speculo, quod sub finem vitæ suæ exaravit, versionem eum consuluisse docent, ex Hebræis fontibus proxime derivatam, vulgari nostræ convenientem, et forsan Hieronymianam; indeque factum esse colligunt, ut eadem in manus populi ab Augustino per librum huncce, ex variis Scripturæ centonibus collectum, tradita, vulgaris evaserit ac receptissima. Quod ad suam operam, cavent imprimis, ne quis negligentiæ aut temeritati suæ tribuat, si in nonnullis Scripturæ testimoniis varietatem apud Augustinum deprehenderit, atque unam eamdemque sententiam non constanter in integrum ubique, sed certis quibusdam in locis restitutam, sed potius religioni et sinceræ fidei, qua codicum semper optimorum vestigia secuti fuerint.

*Tomo quarto :* — *Enarrationes in Psalmos* continentur, quas octavus Lovaniensium tomus complectitur.

In præfatione exponunt de diversa enarrationum harum methodo ac indole, pro variis, a quibus progignebantur, occasionibus; item de regulis, quas in interpretando servaverit Augustinus, quæ quidem, ut ex libro de Doctrina Christiana discimus, ad duplicem de littera, et de sensu spiritali curam redeunt. Ad utrumque igitur argumentum plurima utilia observant, in quibus, ut facile intelligitur, ea sunt potiora, quæ de studio Augustini, ut textum purum et integrum consequeretur, componendo partim Latina, partim Græca exemplaria, atque colligendis examinandisque variantibus lectionibus,

(*a*) Sunt illæ 1° *ad Simplicianum*, n. 37; 2° *Silvani*, etc. *catholicorum episcoporum collatio ad Marcellinum*, n. 128; 3° *Eorumdem ad Marcellinum*, n. 129; 4° *ad Pelagium*, n. 146; 5° *Timasii et Jacobi*, n. 168; 6° *ad Aurelium*, n. 174; 7° *ad Valerium Comitem*, n. 200; 8° *Honorii et Theodosii*, n. 201; 9° *ad Claudium*, n. 207, 10° *Aur. Aug.*, etc., *ad Proculum et Cylinnium*, n. 219; 11° *Quodvultdei*, n. 221; 12° *ad Quodvultdeum*, n. 222; 13° *Quodvultdei*, n. 223; 14° *ad Quodvultdeum*, n. 224; 15° *Prosperi*, n. 225; 16° *Hilarii Galli*, n 226; 17° *Anonymi*, n. 270

disserunt. Omnino autem, quæ in commendationem A ipso Augustino, neque in Possidii catalogo vel mihujus operis ab iis afferantur, dicta esse volunt, ut generatim Augustini methodum defendant; non vero, *ut extorqueant ab omnibus, ut vel levissimas ejusdem allusiones eadem, qua ipsi, veneratione prosequantur.* Satis esse, scribunt, si non indignas materia, quæ tractatur, æqui rerum æstimatores judicarent. Quo plurimum conducere existimant, si reputarent, Augustinum temporis ingenio servire ac plebis captui sese accommodare, ad exemplum ab ipso numine in sacris litteris propositum, debuisse. Insuper de commentariorum horumce merito non esse pronuntiandum comparate ad Hebræum textum hodiernum, neque etiam ad Hieronymianum; siquidem Augustinus LXX interpretes, qui forte Hebræum exemplar æque vel etiam magis emendatum habuissent, B sequendos sibi proposuerit. Ac hoc loco sequitur jam ad finem usque præfationis pertingens digressio *de variis Psalterii versionibus* ex LXX Interpretatione deductis, quæ Augustini ac Hieronymi ætate usurpatæ fuerint. Inter hanc autem disputationem subnata est illis cogitatio, permultis sane et eorum etiam, qui minus Augustinum curant, grata futura, ut dispicerent, *quem locum inter alia Psalteria Augustinianum sibi vindicaret; an variæ illæ lectiones, in quibus a Vulgata nostra dissidet, aliorum suffragio innitantur; et utrum tandem cum Græco LXX Interpretum, quod nostra hac memoria exstat, plus minusve consentiat.* Quod ut bene ipsis cederet, exemplaria diversa, tum prelo, tum calamo edita contulerunt, varietatesque, quas deprehenderent maxime C insignes, juxta cum Augustinianis in quadam veluti tabula proxime post præfationem repræsentarunt, addito mss. et editorum exemplarium indiculo.

*Tomo Quinto* :—Duabus ille partibus complectitur Sermones ad populum in quatuor classes divisos, nempe (*parte prima*) : 1° Sermones de scripturis veteris et novi Testamenti; 2° Sermones de tempore; (*parte secunda*) : 3° Sermones de Sanctis; 4° Sermones de diversis; quibus 5° succedunt Sermones dubii; in appendice vero Sermones supposititii, quaternis similiter classibus comprehensi.

Scilicet ex *decimo* tomo, ubi apud Lovanienses legebantur Augustiniani sermones, in *quintum* transtulerunt, ut, cum plerique in Scripturam sacram habiti essent, propius a tractatibus tertii et quarti tomi, D quibus eadem illa exponitur, quosque maximam partem concionum formam præ se ferre dicunt, abessent. Novo præterea ac diverso a superiore, quem in generali recensu scriptorum Augustini n. 116 dedimus, ordine eos astrinxerunt, quo et secundum genuinam suam seriem disponerentur, et ab adulterinis et suppositiis omnibus sejungerentur. Erat sane in his tanto plus arbitrii, quod neque ab

nima de iis ordinandis exstaret præceptio, nec denique, ullius distinctæ collectionis tractatuum Augustini vivente eo, aut post ex certis codicibus, factæ memoria ad nos perlata sit. Tres enim antiquiores, quæ supersunt collectiones, *de verbis Domini, de verbis Apostoli, et Homiliarum quinquaginta*, licet in codicibus octingentorum annorum et amplius reperiantur, nequamquam tamen, ut aliqui persuadere sunt conati, ipsius Augustini ætatem attingunt, ut Benedictini Patres tum ex silentio Possidii, tum vero etiam, quod suppositiis non carent, demonstrarunt (*a*). Ac primam quidem classem *de verbis Domini*, observant Benedictini, non eodem ordine sermones ubique in vetustis exemplaribus ostendere. Plurima quidem cum editionibus consentire, sed non omnia. Conjectasse hoc ipsum ex locis a Beda seu Floro excerptis theologos Lovanienses, se vero certum plane deprehendisse in codice bibliothecæ Colbertinæ annorum fere octingentorum n. 2821 : unde non paucos deprompsisse se fatentur sermones antea non editos. Germanam quoque hujus classis inscriptionem, cum Flori, tum mss. bene multorum testimonio comprobatam, monent, non *de verbis Domini*, sed *de verbis Evangelii* sonasse : quod Augustini commentationes in omne genus locorum e quatuor Evangeliis petitorum complecteretur.

Secundam classem *de verbis Apostoli*, eorumdem est observatio, nusquam nisi cum illis conjunctam reperiri, quamvis dentur exemplaria, in quibus Sermones *de verbis Domini*, sine illis *de verbis Apostoli* occurrant. Unde colligunt, duas hasce classes nihil aliud esse, quam unam sermonum in Scripturam novi Testamenti collectionem.

Tertiam porro classem, aiunt, semper quidem ab aliis separatam inveniri, at non raro numerosiorem, quam in excusis. Modo enim duos, modo quatuor, aut etiam plures supra quinquaginta Sermones in mss. nonnullis exhiberi : tametsi propemodum in omnibus sermones integri ex iis, qui numerum quinquagenarium in vulgatis libris conficiunt, desiderentur. Omnino autem de his judicant, collectionem Cæsarii temporibus non posse dici antiquiorem propterea, quod eidem tot homiliæ ab ipso scriptæ inserantur et plerisque aliorum recapitulationes ab ejusdem stylo non abhorrentes assutæ fuerint. Truncatos porro esse ut plurimum in ea Augustini sermones, ac brevibus quibusdam exordiis atque epilogis omni auditorum generi accommodatis interpolatos Hæc fere de tribus antiquioribus sermonum Augustini collectionibus Benedictini censent. Jam insequentes, exceptis sermonibus *ad fratres in eremo*, quos sequens tomus habet, tempore in-

(*a*) Ex lectionariis eas fuisse digestas, aliosque deinceps sermones ex aliis lectionariis descriptos, Augustinianis adjectos in editionibus, quæ subinde apparuerunt, docent *Ballerinii* in *Præf. ad Sermones S. Leonis.* T. I Opp. part. 1, § 64. Addunt ibidem, non desse alios, qui adhuc ex iisdem fontibus derivari queant ejusdem S. Doctoris sermones, et sese ipsos viginti amplius genuinos ejus sermones in *Anecdotis Miscellaneis* aliquando edituros esse.

ventæ jam typographiæ exortæ multo minus accuratiores sunt, quippe e codicibus longe pluribus et magis invicem diversis erutæ; quique dehinc passim in editionibus variis additi fuerunt sermones, eos nulli certo generi ascriptos esse constat. Harum ergo classium cum maxime arbitraria fuisset descriptio, eademque tantum confusionis ac turbarum secum ferret (*a*), penitus eam abolitam et cum accuratiore et concinniore permutatam esse nemo non, qui lubenter hocce S. Doctoris pabulo fruitur, debita cum laude editorum agnoscet.

Alterum, quod in Sermonum editione præstare sunt connisi, est spuriorum a genuinis separatio. In quo negotio hæc potissimum ad judicium regendum valuisse sibi momenta fatentur : 1° Stylus, seu color, aut propria quodammodo orationis facies in Augustini æque ac in aliorum insignium scriptorum meditationibus facile conspicua, ea cautione, ut eumdem pro ætatis ratione, et rerum, quas juvenis et maturiore deinde ætate tractavit, diversitate, itemque commentandi methodo, dum alios accurate et cum meditatione elucubratos, alios ex tempore fusos esse constet, variare aliquantum debuisse cogitarent. « Ad hujusmodi ergo, inquiunt, censuram recte obeundam, præterquam quod stylus operis dubii ad singula indubitata opera exigendus est, nequaquam vis illa, sive spiritus, quo stylus quasi animatur, posthaberi debet. Ubique enim agnoscitur Augustinus proprio quodam eloquentiæ gravis ac seriæ genere, quod sibi lectorum animos subjicit, non epore comptæ atque affectatæ elocutionis, sed efficacia quadam judicii, prudentiæ, pietatis, honestatis, modestiæ, comitatis, aliorumque virtutum, quæ passim in ejus oratione adeo fulgent atque emicant, ut ipius stylum nemo imitatione assequatur. Hic est præcipue Lydius lapis, quo sermones vere Augustiniani probantur; et ad quem appendicem si quis adhibeat, in eam prope universam cognoscet cadere illud posse, quod de Hypognostico pronuntiatum est : *Et sensus ab illius sensu inferior habetur, et modestia atque humilitas morum et sermonum ejus non ibi servatur.*» 2° Versio, qua singuli in testimoniis scripturæ veteris Testamenti utantur. Cum enim Augustinus sequi solet translationem antiquam, novam autem, id est Hieronymianam ex Hebræo concinnatam, jam inde a sæculo quinto Salvianum Massiliensem, Eucherium Lugdunensem, Leonem Romanum aliosque amplexos esse constet, facile intelligitur, quam late hujus judicii usus atque applicatio pateat. Hoc loco notamus, Benedictinos addidisse nova quædam partim ad supplenda, partim etiam defendenda a quorumdam objectionibus ea, quæ in A præfatione tomi quarti de Translatione Vulgata Psalterii disseruerunt. 3° Doctrina, ut scilicet in unaquaque examinarent, utrum cum Augustiniana sive in fidei ac morum dogmatis, sive in Scripturæ expositione ac usu congrueret, non prætermissis iis, in quibus aut sententiam, aut loquendi rationem eum mutasse compertum erat. 4° Observatio temporum, locorum, personarum, negotiorum, factorum, errorum, aliorumque similium, de quibus in sermonibus disputatur, unde plurima ad statuendam criticen argumenta sibi deprompta esse affirmant. 5° Indiculus Possidii, non quod sermones omnes, quorum inscriptiones ibi leguntur, Augustino putaverint ascribendos, quasi non potuisset a multis concionatoribus eadem materia tractari; sed ut ei non ita facile B sermones illic minime designatos ascriberent. Huic indiculo priscum Carthaginiensis Ecclesiæ Kalendarium, in III tomo Analectorum Mabillonii recens tunc vulgatum, adjungentes, censoria nota confixerunt conciones quasdam ad solemnitates, veluti *Litaniarum* seu *Rogationum*, *Conversionis S. Pauli*, *Cathedræ S. Petri*, *Annuntiationis Dominicæ*, *Assumptionis B. Mariæ*, etc., quarum in neutro mentio reperiebatur. 6° Bedæ ac Flori collectiones in Paulum. Hic quidem tenendum est, Bedæ collectionem eos appellare ineditam aliquam, quæ sine controversia illius sit et nomine ejus in mss. exemplaribus inscribatur; eam vero, quæ inter vulgata ejus opera ipsi adjudicari solet, Floro, diacono Lugdunensi, tribuunt eam- C demque sententiam suam pluribus astruxerunt in III Analector. Mabillonianor. tomo. 7° Mss. codices, quorum immensam copiam recensere non sustinuerunt. Horum autem subsidio partim locos quosdam, quibus permoti nonnulli criticorum Augustinum de possessione sermonum aliquot vere Augustinianorum exegerant, in excusis compte legi deprehendisse se asseverant, partim aliorum quorumdam, qui ipsius esse ferebantur, auctores detexisse. Ad hæc aliorum Patrum opera diligenter sibi lecta et comparata fuisse profitentur, ut scilicet ex stylo et argumentis, quæ tractant, dignoscerent, quinam sermones ipsis tribuendi essent, et lacinias investigarent, ex quibus adulterini tractatus consarcinati essent. Esse autem inter eos, qui ex Origene, Cypriano, Ambrosio, Maximo, Fausto, Gregorio Magno, Alcuino, D Ivone Carnutensi atque aliis desumpti fuerint, hac opera experti sunt. Magnam autem partem eorum, qui Augustinum auctorem mentiri deprehenderunt, Cæsarium Arelatensem agnoscere demonstrant, de quibus adeo pluribus nobis in tomo tertio nostræ Bibliothecæ dicetur.

Postremo monent eorum, qui a se rejecti fuerint,

(*a*) « Animadvertet aliquis, inquiunt Maurini Patres, sermones, qui commodius in quatuor classes revocantur, in duodecim, quarum aliæ debita aliis argumenta continebant, fuisse distractos. Agnoscet libros, quos vocant *de verbis Domini* et *de verbis Apostoli*, tantummodo partem complecti sermonum eorum, qui ad hosce titulos pertinebant; intelliget sermones de Festis, cum eos in classes *de Tempore* et *de Sanctis* coactos oportuisset, in alias septem aut octo dissipatos, et ex sermonibus amplius triginta, qui de festis Paschalibus, ut hoc exemplo utamur, inscribuntur, nonnisi decem in serie de *Tempore* inveniri, alios vero, si quis omnes evolvere in animo haberet, inter L. homilias, a Parisiensibus additas, in utraque classi *de Diversis*, ac in posterioribus classibus pervestigandos. »

longe plurimos ex illis esse, *quos non satis discussos, aut dubiæ auctoritatis vocaverint* Lovanienses theologi. Consultas sibi etiam esse aliorum in Augustinianos sermones censuras, inter quas duas præcipuas, unam *Simonis Verlini*, editam a. 1618, alteram *Bernardi Vindingii*, a. 1622 ; et cum his quoque viris, utut sagacissimis interdum hallucinari licuerit, idem sibi, si nonnumquam judicio fallerentur, concessum iri sperant. Severissimos denique se in sermonibus nondum editis, qui Augustino in manuscriptis codicibus ascriberentur, præbuisse se affirmant, ex quorum numero longe maximo octodecim tantum cum fragmentis aliquot adjiciendos curarunt, utpote in quibus illius character, ingenium ac doctrina lucidissime emicaret.

*Tomo sexto* opera moralia cum aliquot quæstionum libris comprehenduntur, hoc ordine: De diversis quæstionibus LXXXIII lib. I; De diversis quæstionibus ad Simplicianum lib. I; De octo Dulcitii quæstionibus, lib. I. (*Lovan.* T. IV.) De fide rerum, quæ non videntur, lib. I. (*Lovan.* T. III. App.) De fide et Symbolo lib. I. (*Lovan.* T. IV.) De fide et operibus lib. I. (*Lovan.* T. IV.) Enchiridion de fide, spe ac charitate lib. I ; De agone Christiano lib. I. (*Lovan.* T.III. ) De catechizandis rudibus lib. I ; De continentia lib. I. (*Lovan.* T. IV.) De bono conjugali lib. I; De sancta virginitate lib. I. (*Lovan.* VI.) De bono viduitatis lib. I. (*Lovan.* IV.) De conjugiis adulterinis lib. II. (*Lovan.* VI.) De mendacio lib. I ; Contra mendacium lib. I. (*Lovan.* IV.) De opere monachorum lib. I; De divinatione dæmonum lib. I. (*Lovan.* III.) De cura pro mortuis gerenda lib. I; De patientia lib. I. (*Lov.* IV.) De symbolo ad catechumenos tractatus IV; De disciplina Christiana tr. I; De cantico novo tr. I; De quarta feria tr. I; De cataclysmo tr. I; De tempore barbarico tr. I; De utilitate jejunii tr. I; De urbis excidio tr. I. (*Lovan.* IX.) — *In Appendice* : Liber XXI sententiarum; Dialogus LXV quæstionum. (*Lovan.* T. IV App.) Liber de fide ad Petrum ; De spiritu et anima. (*Lovan.* T. III App.) De amicitia; De substantia dilectionis. (*Lovan.* T. IV App.) De diligendo Deo; Soliloquia; Meditationes; De contritione cordis; Manuale; Speculum; Speculum aliud quod dicitur peccatoris; De triplici habitaculo; De scala paradisi; De cognitione veræ vitæ; De vita Christiana. (*Lovan.* T. IX App.) De salutaribus documentis. (*Lovan.* IV App.) De duodecim abusionum gradibus. (*Lovan.* T. IX App.) De septem vitiis et septem donis Spiritus sancti. (*Ex supplemento Vignerii.*) De conflictu vitiorum et virtutum ; De Sobrietate et castitate. (*Lovan.* T. IX App.) De vera et falsa pœnitentia. (*Lovan.* T. IV App.) De Antichristo; Psalterium, quod Augustinus matri suæ composuisse fertur; Expositio cantici Magnificat; Tractatus de Assumptione B. Mariæ; De visitatione infirmorum lib. II; De rectitudine catholicæ conversationis. (*Lovan.* T. IX App.) De Symbolo. (*Lovan.* T. X App.) De esu Agni · Sermones ad Neophytos. (*Ed. Par.* X App. *A Jac. Sirmondo editi.*) De creatione primi hominis ; De vanitate sæculi ; De contemptu mundi ; De bono disciplinæ; De obedientia et humilitate. (*Lovan.* T. IX App.) Sermones alii ad populum. (*Ex* App. T. X *Edit. Par. aut ex Vignerio aut Sirmondo.*) Sermones ad fratres in Eremo. (*Lovan.* T. X App.) — Hæc quoque opuscula, ut ex appositis numerorum notis patet, in diversos a Lovaniensibus tomos distracta erant, et partim inter exegeticos, partim inter polemicos libros, nonnulla vero post tractatus in Joannem legebantur. Fundamentum ordinis novi est generis atque argumenti similitudo, qua effectum iri sperabant, ut continenter ac ordinate perlecta et melius intelligerentur, et altius infigerentur studiosorum animis. Quod criticæ partes attinet, recesserunt subinde ab aliorum judiciis et nonnulla genuinis asseruerunt a Lovaniensibus rejecta, et eliminarunt contra, quæ pro sinceris venditari antea solebant. Appendicis præcipuam curam habuerunt, imprimis cruendis et declarandis veris librorum Augustino subditorum auctoribus.

*Tomo septimo :* — De Civitate Dei contra Paganos lib. XXII; — *In Appendice* exhibentur scriptiones aliquot de Stephani martyris detectione, translatione et miraculis, scilicet Aviti ad Palchonium epistola de reliquiis S. Stephani, et de Luciani epistola a se e Græco in Latinum versa; Luciani epistola ad universam Ecclesiam de revelatione corporis Stephani martyris; Anastasii ad Landuleum epistola de subsequente scriptura; Scriptura de alia detectione ac translatione S. Stephani in urbem Byzantium, quam Anastasius Latinitate donavit; Severi Epistola ad omnem Ecclesiam de virtutibus in Minoricensi insula factis per reliquias sancti Stephani; De miraculis sancti Stephani lib. II, ad Evodium. (*Lovan.* T. X App.) — Insignem plane manuscriptorum exemplarium copiam, quam hoc opus propter multifariam historiam et reconditiorem doctrinam postularet, a se collatam fuisse testantur Benedictini. Repetierunt quoque *Capitulorum cum argumentis suis distinctionem*, tamquam ipsius Augustini opera aut jussu concinnatam operique absoluto adjectam, quod codicum ante annos nongentos exaratorum testimonio comprobari dicunt. Ex virorum dictorum commentariis, quæ in hos libros exstant uberioribus, non improbando, ut nobis quidem videtur, consilio, perpauca admodum excerpta sunt, et criticis notulis interspersa.

*Tomo octavo* opera polemica adversus Judæos, Manichæos, Priscillianistas et Arianos, cum præfixo in capite libro de hæresibus et adjunctis in calce libris de Trinitate, exhibentur : — De hæresibus, ad Quoldvultdeum lib. I; Tractatus adversus Judæos; De utilitate credendi; ad Honoratum lib. I; De duabus animabus contra Manichæos lib. I; Acta seu Disputatio contra Fortunatum Manichæum lib. I; Contra Adimantum Manichæi discipulum lib. I; Contra epistolam Manichæi, quam vocant Fundamenti lib. I; Contra Faustum Manichæum lib. XXXIII; De Actis cum Felice Manichæo lib. II; De natura boni

contra Manichæos lib. I; Contra Secundinum Manichæum lib. I; Contra adversarium Legis et Prophetarum lib. II; Ad Orosium contra Priscillianistas et Origenistas lib. I; Sermo Arianorum; Contra Sermonem Arianorum lib. I; Collatio cum Maximino, Arianorum episcopo; Contra eumdem Maximinum Arianum lib. II. (*Lovan.* T. VI.) De Trinitate lib. XV. (*Lovan.* T. III.) — *In Appendice* : Tractatus contra quinque hæreses; Sermo contra Judæos, Paganos et Arianos. (*Lovan.* T. VI.) Dialogus de altercatione Ecclesiæ et Synagogæ. (*Lovan.* T. VI App.) De fide contra Manichæos liber Evodio tributus. (*Lovan.* T. VI.) Commonitorium (vulgo Augustini) de recipiendis Manichæis, qui convertuntur. (*Ed. Par.* T. X App.) Contra Felicianum Arianum de fide Trinitatis liber Vigilio Tapsitano episcopo restitutus. (*Lovan.* T. VI App.) Quæstiones de Trinitate et de Genesi, ex Alcuino descriptæ. (*Lovan.* T. III App.) De Incarnatione Verbi ad Januarium libri duo ex Origine collecti. (*Lovan.* T. IV App.) Lib. de Trinitate et unitate Dei. (*Lovan.* T. IV App.) De essentia divinitatis. (*Lovan.* T. IV.) Dialogus de unitate sanctæ Trinitatis. (*Ed. Par.* T. X App.) Liber de ecclesiasticis dogmatibus. (*Lovan.* T. III App.)

*Tomo nono*, opera polemica contra Donatistas : — Psalmus contra Partem Donati; Contra Parmenianum lib. III; De baptismo contra Donatistas lib. VII; Contra litteras Petiliani lib. III; Epistola ad Catholicos contra Donatistas, vulgo de unitate Ecclesiæ lib. I; Contra Cresconium grammaticum Donatistam libri IV; De unico baptismo contra Petilianum; Breviculus Collationis cum Donatistis; Post Collationem ad Donatistas lib. I; Sermo ad Cæsareensis Ecclesiæ plebem Emerito præsente dictus; De gestis cum Emerito; Contra Gaudentium Donatistam episcopum. lib. II. (*Lovan.* T. VII.) Sermo de Rusticiano subdiacono, a Donatistis rebaptizato et in diaconum ordinato. (*Ex supplemento Vignerii.*) — *In Appendice* : Contra Fulgentium Donatistam, incerti auctoris liber; Excerpta et scripta vetera ad Donatistarum historiam pertinentia. (*Lovan.* T. VII App.)

*Tomo decimo*, opera polemica contra Pelagianos : — De peccatorum meritis et remissione et de baptismo parvulorum, ad Marcellinum, lib. III; De spiritu et littera ad eumdem lib. I; De natura et gratia contra Pelagium, ad Timasium et Jacobum lib. I; De perfectione justitiæ hominis epistola, seu liber ad Eutropium et Paulum; De gestis Pelagii ad Aurelium lib. I; De gratia Christi et de peccato originali contra Pelagium, ad Albinam, Pinianum et Melaniam lib. II; De nuptiis et concupiscentia ad Valerium lib. II; De anima et ejus origine contra Vincentii Victorem lib. IV; Contra duas epistolas Pelagianorum. lib. ad Bonifacium. I. VI; Contra Julianum hæresis Pelagianæ defensorem lib. IV; De gratia et libero arbitrio ad Valentinum et cum illo monachos Adrumetinos lib. I; De correptione et gratia ad eosdem lib. I; De prædestinatione sanctorum ad Prosperum et Hilarium l. I; De dono perseverantiæ ad eosdem lib. I. (*Lovan.* T. VII.) Contra secundam Juliani responsionem imperfectum opus, sex libros complectens. (*Ex Vignerii Supplem.*) — *In Appendice, Prima parte* : Hypomnesticon contra Pelagianos et Cœlestinos, vulgo libri Hypognosticon; Liber suspecti auctoris de prædestinatione et gratia; Libellus incerti auctoris de prædestinatione Dei. (*Lovan.* T. VII App.) *Secunda parte* : Varia scripta et monumenta ad Pelagianam historiam pertinentia. *Tertia parte* : Prosperi Aquitani pro Augustino contra iniquos doctrinæ ipsius de gratia et prædestinatione reprehensores apologetica opuscula scilicet; Epistola ad Rufinum de gratia et libero arbitrio; Liber contra Collatorem; Responsiones ad capitula calumniantium Gallorum; Responsiones ad capitula objectionum Vincentianarum. (*Lovan.* T. VII App.) Responsiones ad excerpta, quæ de Genuensi civitate sunt missa. (*Lovan.* T. V App.) Ejusdem liber sententiarum ex Augustino : (*Lovan.* T. V. App.) Augustini Vita, auctore Possidio; Indiculus librorum, tractatuum et epistolarum Augustini, cura Possidii editus. (*Lovan.* T. I.)

Cum trium posteriorum voluminum series fere tota cum Lovaniensium ordine consentiat, minor in his labor exantlandus fuit. Quapropter in ipsas rerum tractatarum origines et causas acrius incubuerunt, ac Donatisticarum et Pelagianarum litium historiam in introitu cujusvis tomi accurate enucleari studuerunt. Cui industriæ debetur etiam, quod in Appendice ultimi tomi quædam aliena incerta sint, quo plenior scilicet rerum istarum memoria ex junctis monumentis hauriri posset.

*Tomo undecimo* insunt, primo loco, præfationes generales duæ, una in opus universum, quæ de consilio, occasione, auxiliis, laborum distributione, successu, offendiculis, patronis ejus exponit, altera brevior in Appendices singulis tomis adjunctas, et ipsa denique hujus undecimi voluminis contenta. Ad hanc posteriorem proxime spectat indiculus scriptorum, quibus tamquam veris auctoribus varia opuscula Augustino perperam tributa denuo asseruerunt. Hæc excipit *Vita S. Augustini* ex Tillemontii schedis, quas adhuc tum ineditas auctor ipsis communicaverat, fere traducta. Hanc pone sequuntur indices librorum, nempe unus, qui seriem librorum tomi cujusque novæ editionis; secundus, qui Lovaniensis ordinem ostendit; tertius alphabeticus singulorum opusculorum. Proximi sunt indices rerum : primus universalis in omnia decem tomorum contenta copiosissimus et mole sua amplissimus; alter generalis Scripturarum sacrarum; tertius denique omnium spuriorum opusculorum, quæ per decem voluminum appendices dispersa sunt.

Superest, ut de iis adhuc verba faciamus, quæ ex mss. exemplaribus jam primum excusis incrementa atque ornamenta duxerit Maurina editio. Non levem sane Lovanienses theologi congesserant copiam codicum manu exaratorum et tamen omnes fere unum

suppeditaverat Belgium, si Anglicanos nonnullos, sed qui serius ad manum pervenerant, excipias. Longe igitur uberior variantium lectionum messis ex Gallicanis, monasteriorum imprimis, Bibliothecis exspectari poterat, quarum colligendarum industria magis etiam accendebatur beneficio tam insigni, quam insperato. Nimirum centum ipsi jam expleti erant anni, cum sub auspiciis *Sixti*, dein *Clementis VIII*, novam Augustini operum editionem Vaticanis codicibus superstruendam aggressi erant *Petrus Morinus*, Vaticanæ typographiæ præfectus, *Adrianus* abbas, *Obrius*, doctor Parisiensis, aliique docti viri, confisi et numero exemplarium manuscriptorum et bonitati, quippe quæ plurima adeo continere affirmarent, quæ in Lovaniensi editione quantumvis accurata desiderarentur. Collati itaque sunt Lovanienses libri cum Vaticanis codicibus perquam accuratissime et ad marginem appositæ variantes lectiones ad adornandam editionem, cui cardinalis Veronæ sacri collegii princeps præfectus fuit. Verum cum res effectu caruisset, omnes illæ variationes jussu *Clementis* X per cardinalem Bonam cum Benedictinis sunt communicatæ, ut iis in nova editione sua uterentur. Tum vero undequaque tum ex suis, tum alienis per Galliam bibliothecis conquirere cœperunt subsidia, et non solum in sancti Germani Parisiensi, sed et in aliis aliarum provinciarum congregationis suæ monasteriis sodales ad conferendos codices astrinxerunt. Ac horum quidem omnium immensa plane fuit copia, ex quibus textus quam plurimis in locis vere emendatus est, in aliis tamen locis potiores tantum lectiones variantes subnotatæ sunt. Emendationum autem, juxta quam varietatum commemoratio partim, ut in Lovaniensi, fit indiculo post ipsos genuinos libros exhibito, in quo etiam exemplaria, quæ in singulis comparata sunt, nominatim demonstrantur; partim vero sub ipso statim textu, cujus distractionis causas nec ab editoribus proditas invenimus, nec ipsi assequi potuimus. Qui vero in appendices rejecti sunt libri, etsi non omnino expertes fuerunt hujus curæ, simili tamen annotatione non gaudent.

Denique nefas videbitur, si eorum, qui præcipuas tanti laboris partes sustinuerunt, nomina sileamus. Initio igitur cura hujus editionis commissa fuit a præpositis congregationis istius P. *Francisco Delfau*, qui *prospectum* ejus publicasse traditur a. 1671. Cum autem edito a. 1673 libro, cujus tit., *l'Abbé Commendataire*, exsilii pœnam iste meruisset, concredita est relicta ab eo provincia P. *Thomæ Blampino*, quem in diversis partibus diversi sodales juvarunt. Ac *Petro* quidem *Coustantio* debentur censura et indices omnium tractatuum suppositiorum ac præterea sermonum recensio. Vitam Augustini composuerunt, seu ex Tillemontii commentariis, paucis mutatis, traduxerant *Hugo Vaillantius* et *Jacobus du Frische* (Ambrosii editor). Tabulam generalem atque indices confecit *Claudius Guesnié*. *Nicolaus* denique *Goysot* impressioni præfuit ac corrigendarum de prelo plagularum curam molestissimam in se recepit et præclare administravit. Nihil autem a celeberrimo *Joanne Mabillonio* huic editioni accessit, quam epistola dedicatoria ad Ludovicum XIV, unde recte quidem, sed nimia fere contentione, Oudinus reprehendit Caveum, qui in Historia sua litteraria hanc editionem duce et ἐργοδιώκτῃ Mabillonio esse perfectam scripserat (*a*). De ornatu ac splendore operis, digno et hoc nomine quod regi offerretur, dicere supersedemus, hoc unum adjicientes, Augustini effigiem æri impressam simul cum tomo XI exhiberi (*b*). Gravem autem hæc Benedictinorum Patrum opera reprehensionem passa est ab *Richardo Simonio* in *Bibl. Crit.* T. III, p. 101-116, iterumque in *Censura Bibl. Eccl. Dupinii* T. I p. 147. Et primum quidem universe succenset iis, qui novis semper omnium operum scriptorum ecclesiasticorum iterationibus medendum esse existiment superiorum vitiis aut defectibus, quod multo aptius et commodius, minori item sumptu fieri posset, si libri singulares minimæ molis, sed a judicio auctorum suorum tanto ditiores ederentur, in quibus vel integra recensio vel supplementa et variarum lectionum delectus prostarent, cujusmodi exempla producit, *Arcudii Collationes Isidorianas* et *Combefisii Basilium*

(*a*) *Oudin.* Comment. T. I, p. 954 sqq.; *M. Bibl. Eccl. Colon.* p. 761; *Hist. litt. de la Congrégation de S.-Maur.* p. 292.

(*b*) Exstant de hac editione multæ tam justæ descriptiones, quam relationes breviores, quarum nonnullas haud gravate commemorabimus. Ac primo loco nominanda sunt diaria erudita, quæ, simul ac singuli tomi prodierant, eos indicarunt. Quo pertinent Diarium Erud. Gall. (*Journal des Sav.*) Parisiense (40), ad *tomum I*, April. 1679, p. 96; ad *tomum II*, ibid, p. 114; ad *tomum III*, ibid., Aug. 1680, p. 272; ad *tomum IV*, ibid., Novemb. 1683, p. 325; ad *tomum V*, ibid., Febr. 1684, p. 46; ad *tomum VI*, ibid., Dec. 1685, p. 545; ad *tomum VII*, ibid., Jan. 1686, p. 18; ad *tomum VIII*, ibid., Septemb. 1688, p. 415; ad *tomum IX*, ibid., eodem mense et anno, p. 422; — Acta Erud. Lips. tom. II 1683, in Jan., p. 1-5; tom. VII, 1688, Novemb. p. 1618-25. Frequentior etiam in commentariis litterariis occurrit ejus memoria, veluti apud *Caveum* in Hist. lit. tom I ed. prior. Lond. p. 242, ed. Oxon. a 1740 p. 292-298; *Jo. Fabricium* in *Hist. bibliothecæ propriæ* T. I (1717), p. 203-29; † *Oudin.* in *Comment. de SS. Eccl.* T. I., pag. 954-85; † in *Bibl. Magna Eccles. Colon.* T. I (a. 1734), p. 761-65; in *Bibl. Crit. Sacra et Prof. Michael a S. Josepho*, T. I (a. 1741), pag. 419-23; in *Bibl. Casan. Cat.* T. I (1761), pag. 538-40; in *Bibl. Augustiniana Jo. Fel. Ossingeri* (a. 1768), p. 1-8. Quorum potiores et accuratiores apposito signo crucis distinximus. Possem etiam hic commemorare *Dupinium* T. III p. 160 seqq. et *Ceillerium* in *Hist. gén. des aut. eccl.* T. XI p. 41, T. XII p. 255 (a. 1744). Sed hi non tam editionis curam habuerunt, quam indicem Augustini scriptorum juxta eamdem contexuerunt, argumento uniuscujusque et occasione ubique fusius declarato. Jam qui unum forte aut alterum ex hisce libris, aut omnes juxta ad manum habent, comparent, si lubet, nostra cum iisdem et cognoscent, spero, nobisne libuerit aliorum industria frui, an ipsi excusserimus singula.

*integro recensitum*, et in ipso Augustino simile laudavimus supra *supplementum Vignerii*. Quam viri docti æque ac sagacis sententiam nobis etiam haud displicere fatemur, tametsi veram omnino et justam non censeamus. Etenim in re litteraria, quemadmodum in vita communi dandum est aliquid tempori et delicatiorum aut nummatorum hominum oblectamentis. Rarescunt porro ipso temporis lapsu et usu antiquiorum editionum exemplaria, et si in plures regiones perferenda sunt, quamvis sæpe repetita, haud facile obveniunt. Quod in Lovaniensi editione manifestum, cujus Antuerpiensis descriptionis exempla per Germaniam sunt rarissima, ex Gallicanis nonnisi pauca et unius fere impressionis, primæ scilicet a. 1586 ostendi solent. Ut nihil dicam de *Vignerii Supplemento*, quod per multas puto bibliothecas frustra quæsiveris, sine quo tamen omnia Lovaniensis hujus recensionis apographa manca esse constat. Illud autem omnino præter veritatem contendit Simonius, novam Augustini editionem post Lovaniensem locum non habuisse et iniquius statuit, Lovaniensem Benidictinæ multis ex causis esse præferendam, idemque dicemus, si judicium hocce suum ad reliquas Benedictinorum Patrum Latinorum vel Græcorum editiones extendere velit, e quibus vix ullus est, Hilarium ipse excipit, quin recentem tunc ab ingeniis eruditorum et preli munditie cultum desiderasset. Ut vero ad ea tandem accedamus, quæ in ipsa hac Patrum Maurinorum opera vel perperam, vel imperite facta esse queritur, reprehendit primum, omissas esse notas Lovaniensium theologorum Ecclesiæ catholicæ causæ tam utiles (nam id sibi vult *si importantes à la religion*). Nec vero eam excusationem admittendam censet, qua ab omnibus omnino theologicis notis sese abstinuisse affirmant. Quippe quod partim ab iis factum esse negat, partim damnat, quod criticis observationibus æque in theologia ac in Grammatica, quam solam exercuerint, locus fuerit. At majus his omnibus opprobrium est, et quod non parum hujus editionis pretium elevaret, si satis ille probasset, defuisse monachis eis omnes, quas critices munus sibi postulet, facultates, doctrinam, judicium et acumen. Præbet exempla aliquot, in quibus non neges, non admodum scite eos esse versatos, sed pleraque omnia versionem locorum veteris aut novi Testamenti concernunt, in quibus si timidius aut etiam non docte satis aliquid elocuti sint, quis tanto stomacho ferat? Præterea pauca sunt, et licet de multis ea speciminis quasi loco exhibere se significat, et in altera quidem harum censurarum ad librum justæ magnitudinis conficiendum materiam de prætermissis et perperam dictis sibi suppetere scripserit; tamen quoniam hunc talem librum non scripsit, nec exemplorum numerum usquam auxit, illud viri hujus judicium non temere quisquam suscipiat. Illam vero critices partem, quæ ad genuitatem et integritatem librorum tendit, de qua semper hujus congregationis monachi præclare meruisse existimati sunt, quæque in Augustino sane non postremi laboris fuit, quam tamen Simonius ne verbo quidem attigit, quis æquus judex, ubi ad sententiam de toto opere ferendam consederit, prætermittere ausit?

1700-1703.

*Antuerpiæ sumptibus Societatis; in-fol., XII tomis.* Sancti Augustini, episcopi Hipponensis Operum T. I-XI. Post Lovaniensium theologorum recensionem castigatus denuo, etc., *ut in præcedenti*. Editio nova a multis mendis purgata. *Prodierunt T. I-V a.* 1700, *T. VI* 1701, *T. VII-X* 1700, *T. XI* 1702; *tandem* 1703, *Antuerpiæ apud Petrum Mortier:* Appendix Augustiniana, in qua sunt *S. Prosperi* carmen de Ingratis, cum notis Lovaniensis theologi; *Joannis Garnerii*, Societatis Jesu presbyteri, Dissertationes pertinentes ad Historiam Pelagianam; *Pelagii Britanni* Commentarii in Epistolas S. Pauli; ac denique *Des. Erasmi, Jo. Lud. Vivis, Jacobi Sirmondi, Henrici Norisii, Joannis Phereponi* et aliorum præfationes, censuræ, notæ et animadversiones in omnia S. Augustini opera. *T. XII*, qui huic editioni peculiaris, undecim prioribus ex sola editione Parisiensi sine mutatione expressis.

Constat hanc editionem non Antuerpiæ, sed Amstelodami per Petrum Mortier, bibliopolam Amstelodamensem, qui non solum nomen suum in Appendicis seu tomi XII titulo professus est, sed ad calcem XI tomi quoque ascripsit, esse perfectam, qua fraude in consecuturos sese sperabant curatores, ut in terris pontificis formulam colentibus vendibilior esset, si ex urbe pontificiæ doctrinæ addicta exire videretur, quam si nomen urbis heterodoxæ præferret. Nec minus pervulgatum est, editorem fuisse celebrem illum, sed apud catholicos male imprimis audientem *Joannem Clericum*, qui sub *Joannis Phereponi* larva latere voluit.

Sunt autem duo genera scriptorum in hanc appendicem a Clerico conjecta, libri scilicet tum veterum aliquot auctorum, tum recentiorum scriptorum dissertationes Augustiniana scripta illustrantes, quibus et præfationes et censuræ superiorum editorum accenseri merentur, et ipsius notæ recens in singulos tomos operum conscriptæ. Ad prius spectant *Prosperi Carmen* et *Pelagii Commentarii*, de quibus justior, ubi ad ipsos hosce auctores pervenerimus, nobis dicendi locus erit; *Garnerii dissertationes*, quæ inter Prosperi et Pelagii opuscula locum obtinent, quæque similiter ad *Marium Mercatorem* a nobis commemorabuntur. Ad eas autem pertinent *Henrici Norisii cardinalis episcopi epistolæ, quibus Garnerii errores in Geographia sacra Africæ*, dum episcopis synodum Africanæ et Numidicæ sedis assignaverat, *perstringuntur* et *emendantur*, animadversionibus in tomum II subjectæ. Ad Pelagium observat editor, additurum se fuisse seorsim omnes ejus reliquias, nisi quæ præter epistolam ad Demetriadem exstarent in ipsis Garnerianis dissertationibus jam collectæ fuissent, illa vero in tomo II Antuerpianæ hujus editionis inter Augustinianas epistolas locum obtinuisset.

Quod præfationes attinet, prima est *Erasmi dedicatio* ad *Alfonsum Fonsecam*, archiepiscopum Toletanum, dein præfatio *Joannis Vlimmerii*, sermonibus a se a. 1564 editis præmissa et in sequenti Basileensi repetita, tum ipsa hæc Basileensis a. 1569 præfatio versibus concepta ac denique Erasmi in libros Retractationum et Confessionum censura. Postremam hanc, cur seorsim a reliquis censuris Erasmianis, quas suis animadversionibus interposuit, hic exscribendam dederit, nullam video causam. Nec magis intelligo, cur unam Vlimmerii præfationem ad *Pamelium*, quæ proprie tantum Possidii indiculum una cum Sermonibus evulgatum attinet, huc reposuerit, alteram ad *Martinum Rithovium*, primum Yprensem episcopum, una cum Sirmondi præfatione Sermonibus XL Parisiis a. 1631 publicatis adjecta, ante animadversiones in T. V recudendam tradiderit. Certe in his festinationem quamdam cognoscere mihi videor, cujusmodi non raro Clericum, si typis aliquid parandum esset, urgebat (*a*). Sed ut ipsius tandem *Animadversiones* attingamus, de iisdem universe pronuntiavit, se non aggressum esse Commentarium aut notas perpetuas in S. Augustinum scribere, sed tantum sparsim quædam in varia ejus opera annotare, quorum, si quæ aliis debuerit, auctorum nomina se diligenter ubique apposuisse, ut unicuique laus sua constaret; alia intacta, aut quæ, an alii attigissent, nesciverit, suo nomine protulisse. Esse autem tum grammatici aut critici generis, tum multa philosophica ac theologica permistim a se exhibita, quod non tantum interpretem Augustini agere, sed ratiocinationes ejus expendere statuisset. « Non voluimus, inquit, dumtaxat obscura quædam explicare, aut alia illustrare; sed et vere ac recte dicta subinde meritis laudibus afficere; eaque, in quibus hallucinatus esse videbatur, notare; ne alios incautos, vel viri auctoritate territos, fallerent. Noveramus non legi hosce libros, ut ex iis eruditio critica colligatur, sed potius ratiocinationum ac dogmatum causa; ideoque hæc potissimum expendi a nobis oportere credidimus, ut essent Animadversiones nostræ veluti manuductio quædam in eorum usum, qui multum tempus hisce legendis impendere nequeunt; judiciumque magis, quam memoriam, Veterum lectione excolere atque acuere se debere merito existimant. Verum audire mihi videor homines nonnullos clamitantes, quæ a me dicta sunt variis in locis, ea apta esse ad corrumpendum potius, quam excolendum judicium. Quibus respondeo, me, si in illorum sententia fuissem, ea omissurum fuisse; sed cum aliter senserim, non potuisse committere, ut ea, quæ mihi optima dictu videbantur, prætermitterem. Ita se et ipsi gerunt; neque enim ea scribere solent, quæ putant mihi aut aliis probatum iri, sed quæ ipsi vera esse censent. Necesse est profecto unumquemque id facere, quod optimum factu ei videtur. Sed erit postea omnium Judex supremus, qui aliquando tandem, quinam rectius senserint, certo docebit. Quin et nostra ætas, ne posteros dicam, judicium hac de re ferre poterit; nec, si rationibus meis assentire nequeat, auctoritate mea, quæ nulla plane est, transversa saltim agi poterit. Erat, cur timerem, ne auctoritate *S. Augustini* obruerer, quamvis rationibus essem superior; at nihil simile a me possunt vereri, qui nisi firmissimis argumentis verum esse evicero quod defendo, sine dubio damnabor. »

Generatim diximus, censuras et admonitiones Erasmi insertas esse animadversionibus, sed accessit etiam ad tomum II ejus præfatio epistolis præmissa, quas ideo tantopere ab eo laudatas esse scribit Clericus, ne in consuetudinem peccaret. Varia porro his animadversionibus insunt ad versionem LXX Interpretum, vexationem Donatistarum, aliorum hæreticorum et damnationem Pelagianam spectantia, quæ lectorem præjudiciorum vacuum expendere jubet. Animadversiones ad T. III, qui libros de interpretatione Scripturæ S. complectitur, frequentes Augustini propter Græcæ et Hebraicæ linguæ imperitiam in interpretando lapsus ostendunt, quo Castigationum genere et Hieronymo gravem se præbuisse Clericum novimus. De *quarto* tomo, qui sermones Augustini in Psalmos habet, ipsius Clerici verba proferre non pigeat, verissimum, sed novum tunc et inauditum judicium complexa. « Sermones Augustini in Psalmos, inquit, valde laudat Erasmus; et ad eorum exemplum etiam ipse varios Psalmos interpretatus est tomo V Operum. Verum jam exolevit, et quidem merito, ea ratio interpretandi Scripturam, ubicumque linguæ præsertim Hebraicæ studia floruerunt a ducentis propemodum annis. Igitur *præfatiuncula Erasmi ad examen hic a nobis revocatur*, ostendimusque eadem opera, quis possit esse usus horum S. Augustini sermonum; quamvis ad intelligendos accurate Psalmos nihil aut parum conferre queant. Qui eos legere possunt Hebraice, nec criticæ sacræ sunt prorsus imperiti, ex sola lectione horum aliquot sermonum intelligent, nihil esse verius. Quod et alii animadvertent, si veritatis studio ducti expendant *examen interpretationis Augustinianæ trium primorum psalmorum;* nam plures excutere non vacabat, nec vero opus erat. » Animadversionibus in *quintum* tomum Sirmondi notas, quarum nonnullas tantum Benedictini ediderant, integras interspersit, sed nomine addito a suis secrevit. Ad *tomum VI* animadversiones pleræque quæstionibus et objectionibus constant. Continet enim hic tomus theologica, quibus varia apposuit Clericus, quæ ex principiis in illis libris positis vix solvi posse videbantur. Imprimis in iis, quæ

(*a*) Eam ipse fatetur in admonitione animadversionibus in T. X præmissa. Sed major etiam conturbatio per eamdem illata est. Quippe præfationes Lovaniensium, quas hoc loco insertas esse in præfatione hujus appendicis dicit, exciderunt, dum per incuriam Vlimmerii epistolam ad Pamelium, quæ infra inter animadversiones ad tomum X, pag. 621 seqq., iterum, sed hic justo loco exscripta est, imprimendam designasset.

ad Enchiridion ad Laurentium notavit, demonstrare studuit, Augustini de libero arbitrio sententiam interdum non facile intelligi, quia vocibus *libertatis* et *liberi arbitrii* aliud intelligat, quam quod iis solet significari. Animadversiones in libros de Civitate Dei, qui *tomum VII* constituunt, reliquis copiosiores sunt, sed eædem diversi generis. Præmittitur Jo. Lud. Vivis præfatio. Additurus erat etiam Coquæi notas, sed prolixitas earum et belli tunc per totam Europam ingruentis, librarii commercii rationes juxta conturbantis calamitas, deterruit bibliopolas. Quæ animadversionum ad *tomum VIII* et *IX* indoles sit, ab ipso iterum Clerico disce. « *Tomus VIII* totus est contra hæreticos, et præsertim contra Manichæos et Arianos. Eos quidem nulla ratione defensos cupimus, nec ab eorum deliriis quemquam longius abesse, quam nos putamus; sed optassemus sæpe alia via, aliisve armis oppugnatos, ut intelligere licebit præsertim ex iis, quæ habemus ad librum *de Utilitate Credendi* atque ad libros *de Trinitate*. Alioqui cum bene eos aggressum esse *S. Augustinum* existimavimus, laudes in eum pleno modio, ut alibi, effudimus, et ambabus ulnis rationes ejus amplexi sumus, sicut ad lib. XXXIII contra *Faustum* Manichæum. *Tomus nonus*, in quo cum Donatistis pugnat *S. Augustinus*, nos non valde exercitos habuit, quia eadem ferme ibi repetit, cum Donatistæ easdem objectiones, eosdemve paralogismos adversariis ad fastidium usque oggererent. Mirum tamen est *S. Augustino* tædium aut somnum non obrepsisse, idem toties dicenti. In libros contra Epistolam Parmeniani nos quoque iterum egimus de persecutione hæreticorum, de qua sat multis in animadversionibus ad tom. II dixeramus; neque synodorum auctoritate in libros de Baptismo, ubi tamen summatim dumtaxat rem attigimus. » In tomum decimum minus studium collatum est. Nam exhibentur non nisi hæc : *Præfatio ed. libri de Gestis Pelagii* anno 1611, *Augustæ Vindelicorum* evulgatæ; *Henr. Norisii*, historiæ ecclesiasticæ in Academia Pisana professoris, post cardinalis, *Adventoria* ad Franciscum Macedonem in Patavina Acad. ethices interpretem, *in qua de inscriptione libri S. Augustini de Gratia Christi, Albine, Piniane et Melania disseritur. Animadversiones paucæ in librum de Correptione et Gratia; Claudii Menardi Præfatio in ed. librorum II Operis imperfecti contra Julianum; Animadversiones in eumdem librum, Vlimmerii præfatio ad editum a se primum Possidii indiculum*, altera vice hic excusa ; *Animadversio in Vitam Augustini*. Plura quominus addiderit tria obstitisse monet, videlicet typographorum festinationem, ipsorum librorum Augustini contra Pelagianos indolem, in quibus innumeræ repetitiones, ut quæ tribus verbis absolvi potuissent, millenis dicta sint, multaque præterea aliena infarta; tædium denique omnium harum rixarum, quod tantopere se cepisse affirmat, ut eas vix, aut ne vix quidem ferre posset. *Cui vero etiam nauseam non moveant*, exclamat, *tot et tam longæ, ut voce sequioris ævi utar, rhetoricationes, aut ad declinandum adversarii ictum, aut ad eum insectandum, aut denique ad invidiam vel movendam, vel fugiendam? Mihi certe tantum crearunt inter legendum fastidium, ut plane recreatione gratiorum et utiliorum studiorum indigeam.* Sic Clericus cocta incoctaque juxta lance satura lectoribus apponens. Fatendum enim, eum, quæ sic affectus scriberet, non semper satis meditatum fuisse, linguamque impotentiorem non raro præcurrisse mentem. Id quod graves ei, nec omnino injustas reprehensiones conciliavit. Nam peculiarem contra has ejus animadversiones censuram emisit Anglus quidam *Robertus Jenkins*, Cantabrigiæ 1707 (*a*), et *Ludov. Ant. Muratorius* in libro III operis *de ingeniorum Moderatione in religionis negotio*, sub *Lamindi Pritanii* persona a. 1714 editi, Augustini patrocinium contra eumdem suscepit. Inania autem sunt et insulsa plane, quæ in *Jo. Clericum* in hujus editionis et præcipue appendicis commemoratione conjecit convicia *Casimirus Oudinus* T. I *Commentar.* p. 986 seqq. Coronat opus *index* admodum scite confectus et bibliopolæ monitum, quo seorsim quoque hunc XII tomum, cum in minori, tum etiam majori charta, ut posset cum Parisiensi editione conjungi, venditurum se promisit. Recensent appendicem Augustinianam *Acta Eruditorum* Lips. 1703, m. Jul. pagg. 289-92.

1729-32.

*Venetiis excudebat Jo. Bapt. Albrizzi Hieron. fil.; in-fol.* Sancti Augustini, Hipp. episcopi Operum tomus I-V post Lovaniensium theologorum recensionem castigatus denuo ad manuscriptos codices Gallicanos, Vaticanos, etc., etc. Opera et studio monachorum ordinis Sancti Benedicti e congreg. S. Mauri.

Nuda descriptio editionis Parisiensis. Sic enim ab initio professus erat typographus. Cf. *Nov. della Rep. delle Lettere* Martii 1729, pag. 94. Ibidemque m. Junio pag. 199 innuitur *tomum primum* prodiisse. *Tertius* pleno titulo indicatur ibidem a. 1730 m. Jun. pag. 193. *Quintus* ibidem 1731 , m. August., pag. 237. Reliqui tomi an prodierint, nec ne, ignorare me fateor.

1754.

*Romæ apud Fratres Palearinios; in-8°, tomi II.* S. Aur. Augustini, Hipponensis episcopi, de Gratia Dei et libero Arbitrio hominis et Prædestinatione sanctorum opera selecta. Editionem emendatissimam, et variis lectionibus undique collectis, præcipue vero ex codd. mss. Vaticanis adornatam curavit *P. F. F.* (*Petrus Franciscus Foggini.*)

Duo hæc volumina, quæ seorsim veneunt, uti ti-

(*a*) Integer libri titulus est : *Defensio S. Augustini adversus Joannis Phereponi in ejus Opera animadversiones.* Cantabrigiæ, typis Academicis, impensis *Richardi Thurlbournæ*, Bibliop. Cantabr. Prostant venales apud *Rob. Knaplock*, ad Angelum in cœmeterio D. Pauli, *Londin.* 1707, in-8°. Augustinum interdum bene tuetur, non æque secundo successu reliquas Clerici sententias impugnans.

tulus exterior (*S. Augustini opera selecta*) prodit, seriem etiam faciunt cum tribus aliis *Prosperi, Aquitani* et *Fulgentii*, potissima ejusdem argumenti exhibentibus, quæ junctim sub una formula *SS. Patrum opera selecta de Gratia Dei et Prædest. SS.* comprehenduntur. Editio est nitidissima et usui forma descriptioneque aptissima. Ex Augustinianis super hoc argumento libris nonnisi ii huc repositi sunt, quos jam episcopus post exortam Pelagianam hæresin exaravit, ex quo tempore scilicet ipse fatetur, se diligentius hæc esse rimatum (*a*). Itaque primus tomus habet librum *de Gratia Christi contra Pelagium et Cœlestium, Epistolam ad Sixtum, Epistolas duas ad Valentinum abbatem et cum illo monachos Adrumetinos*, Epistolam *Valentini* abbatis ad S. Augustinum, *Librum de Correptione et Gratia ad abbatem Valentinum et cum illo monachos Adrumetinos, Epistolam ad Vitalem;* Tomus secundus autem *Prosperi epistolam ad S. Augustinum, Hilarii epistolam ad eumdem, Librum S. Augustini ad Prosperum et Hilarium de Prædestinatione sanctorum, ejusdem ad eosdem de Dono perseverantiæ*, denique *Enchiridion* sive *librum de Fide, Spe et Charitate ad Laurentium.* Nuncupata sunt duo hæc volumina *Benedicto XIV*, sedem apostolicam tunc obtinenti. Additus est in secundo index locuples utrique communis.

### APPENDIX AD ARTICULUM PRIMUM.

#### I. Versiones.

Plura Augustini opuscula certo respectu collecta et in aliam linguam junctim conversa, præterquam in *Germanicam*, nec ipsum me deprehendere memini, nec ab alio novimus commemorata. Quapropter tanto jucundior nobis accidit Germanicæ hujus versionis mentio. Constat illa duobus voluminibus sic inscriptis:

*Augustini des heyligen Bischofs IIII Bücher von Christlicher leer. I Buch vom Geist und Buchstaben. I Buch vom glauben und wercken. Durch Doctor* Caspar Hedion *vertolmetscht. Alles vorhin in Teütscher sprach me gelesen, nützlich aber yedem Christen der zum heil begert gelert zu werden.* Strasburg. Im Iar MDXXXII.

*Augustini des heyligen Bischofs Bücher, 1. Von warem gottsdienst. 2. Enchiridion, das ist Handtüchlein, von Glauben, Hoffnung und Liebe. 3. Von warer Vnschuld. 4. Von natur und gnad. 5. Von Fürsehung der heiligen 6. Wie ein gutt ding sey umb beharrligkeit. Alles durch D.* Caspar Hedion, *warheyt und frid in unsern tagen zu fürdern, neuwlich verteüscht.* Strasburg. Anno MDXXXIII.

In priori volumine præter ea, quæ titulus pollicetur, additur n. IX (*b*), *Ambrosii vom mittleiden gegen armen, vnnd wann die Kirchenschaetz anzugreiffen.* Præmittuntur autem libris conversis n. I, *Vorred D. C. Hed. an den Erwürdigen und wolgebornen Herrn, Herren Wilhelmen Graven zu Eysenberg*, etc.; n. II, *Erklaerung etlicher schwerer wörter auff die verteüschten Bücher A. Augustini;* n. III, *Entwerffung kurtz und ohne alle gevar des lebens Augustini;* n. IIII, *Zeügniss sanct Hieronymi von Augustino;* n. V, *Erleüterung aus den büchern Retractationum, uff die bücher von christlicher leer, Geist vnd Buchstaben, Glauben vnd Wercken.*

Alteri insertæ sunt post librum de Natura et Gratia, *Brieff Prosperi an Augustinum* et *Brieff Hilarii an Augustinum.* Præcedunt autem, n. I, *An den Hochgebornen Fürsten und Herren Herrn Georgen Graven zu Würtenberg*, etc. *Vorred D. Caspar Hedions, darynnen eins freyen Christlichen Concilii gedacht, vnd was Christlicher und Teütscher Nation hierauff zu beradtschlagen*, etc.; n. II, *An den Leser kurtzer bericht von schweren sentenzen und worten in Augustino.*

#### II. Codices.

In recensendis libris mss. qui ad Patrum Latinorum, quotquot ad consilium nostrum pertinent, scripta ab editoribus excussi sunt, non unam hactenus ubique ingressi sumus viam. Plerumque ipsos quidem editores in hoc secuti sumus, ut, si diligenter ab iisdem tractati essent, nobis non minus incumbere existimaremus accuratam enumerationem. Plurimum enim prodest hæc industria non solum ad ipsius textus singulorum historiam, quod proximum; sed etiam ad cognoscendam immensam illam scriptorum copiam, quæ quoniam abdita latet in scriniis et cancellis circumsepta, fugere propemodum solet bibliographorum imperium, Quam ob rem deinceps etiam, ubicumque datum fuerit, non lassi erimus in hac parte operis nostri, historiæ litterariæ amplificandæ causa. Aliter se res habuit, quando strictim tantum vel universe, vel ad singulos libros unius auctoris libri, qui consulti fuerint, indicarentur. Tum generatim fere nominum elencho contentos esse oportuit, quem ex dispersis etiam ad singulos libros notitiis non sine molestia concinnavimus, modo ne eosdem sexcenties repetere per scriptorum enumerationem cogeremur. Exempla sunt Hilarius, Ambrosius et Hieronymus. Idem quoque in Augustino nunc evenit, sed labore longe majori nobis constitit, quamquam non deerant, quæ alteram rationem, quæ minus certe molestiæ habebat, amplecti suaderent causæ. Nam cum mss. librorum Augustini in omnibus fere bibliothecis ingens sit copia, tum iidem mirum inter se differant pro numero scriptorum contentorum; vel ipsi editori difficillimum omnes seligere et ad classes quasdam revocare, et re ipsa nec Lovanienses, nec Benedictini tale quidquam sustinuerunt (Erasmo autem, ut aliquoties monitum, solemne fuit, parvi æstimare librorum mss. declarationem): sed ad calcem tomi cujusvis cum insigniore lectionis varietate longam nominum pompam codicum, ad quos singuli

(*a*) *De Prædestin. SS.* cap. 3 et 4.

(*b*) Prius volumen divisum est in novem numeros vel partes. Quinque numeri I, II, III, IV, V, ut mox dicitur, continent, in modum prolegomenorum, opera titulo non memorata. Numeri sequentes, VI, VII, VIII, corpus efficiunt, titulo que respondent. Postremo, sicut appendix, habetur numerus IX. Ed T

recogniti fuerint, adduxerunt. Tantum vero abest, A ut descriptionis aliquid sit additum, ut potius illa ipsa nomina non singulos codices, vel ætatis aliqua nota aut bibliothecarum numeris aliisve signis distinctos, sed classes plurium unius loci librorum denotent, et si quis indagare vellet, quæ Augustini scripta ad unumquemque pertineant, frustra multum laboris esset consumpturus. Fortassis itaque non inepte ea ipsa nominum per singula S. Doctoris scripta enumeratio a nobis exhibita fuisset, qua id saltem consecuturos nos sperandum erat, ut qui in bibliothecarum mss. abundantium catalogos inciderent, dum omnes fere paginas Augustinianis scriptis repletas viderent, aut si ipsas bibliothecas accessissent, et eumdem omnes pene forulos ecclesiasticis scriptoribus destinatos obsedisse cognoscerent, parcius has B gazas admirarentur, moniti, jam satis optimorum librorum cum hoc vel illo scripto comparatum esse. Sed facile etiam videbamus, tot nominum introductionem vanam ac inanem fore, nisi disertior explicatio accessisset, quæ domicilia singulorum, unde illæ appellationes petitæ essent, demonstraret. Tandem hæc expeditior via visa est, licet ingratæ operæ multum in ea subeundum esset, ut omnibus illorum nominum indicem alphabeticum concinnaremus, et ad unumquodque velut ad classem quamdam et ordinem, quantum fieri poterat, notaremus, quot, aut qui, aut quales in singulis adhibiti essent, quo factum est, ut, si non singuli codices, quod vix umquam in Augustino sperandum, nec optandum valde videtur, certe bibliothecæ, in quibus repositi fuerint, noscantur. Pertinet autem hæc opera sola ad Benedictinam editionem : de Lovaniensi enim sufficere putavimus, si generatim nomina bibliothecarum, ad quas pertinebant, et numerus, quemadmodum ab ipsis proditum est, recitarentur. Cæterum Benedictini Belgicos aut Lovanienses codices ad singulos etiam libros denuo a se excussos diligenter laudarunt. Sequitur jam index.

A) *Codices a* Lovaniensibus *Theologis excussi.*

Alnenses, i. e. codices *bibliothecæ Alnensis abbatiæ Cisterciensis in ditione Leodiensi.* Aderant *viginti.* Hujus bibliothecæ codices et inter eos etiam Augustinianos recenset strictim *Antonius Sanderus* in *Bibliotheca Belgica Manuscripta*, parte II, pagg. 234 (241-43). D

S. Amandi, i. e. *cœnobii Elnonensis*, vulgo *S. Amandi in Pabula*, codices *triginta duo* transmissi erant a *Max. Morillonio*, provinciæ Medelinensis Vicario generali. In *Bibl. Belg. MS.* p. I, p. 32 seqq., Augustinianos hujus monasterii codices invenies.

Cambronenses, i. e. *biblioth. cœnobii Camberonensis Ord. Cisterciensis in Hannonia haud procul ab urbe Montensi.* Præsto fuerunt *triginta.* Cf. *Bibl. Belg. MS.* p. I, p. 346 seqq.

Floreffiacenses, cœnobii nescio cujus *Floreffiæ. Octo.*

Gemblacenses, i. e. *abbatiæ Gemblacensis. Triginta*, omnes ex membrana.

Lovanienses. Horum alios acceperant e *collegio Theologorum*, alios e *collegio Societatis Jesu*, alios a *Carthusianis*, *Martinianis Præmonstratensibus* in *Parcensi monasterio* et *Bethlehemitis.* Numerum singulorum tamen non indicarunt. Ex his in *Bibl. Belgica MS.* recensentur codices *collegii Societatis Jesu*, parte I pag. 326; *Abbatiæ Parcensis*, p. II, p. 166, et *Bibl. Canon. Regul. S. Augustini in Valle S. Martini*, p. II p. 210 seqq.

Tornacenses, i. e. *monasterii S. Martini Tornaci*, unde *triginta* et *unus* allati erant. De his vide *Bibl. Belg. MS.* part. I, p. 93 seqq.

B) *Codices, qui* Benedictinorum *usibus concessi fuerunt.*

*a*) Gallicani (*a*).

Albinenses apud *Andegavos*, i. e. *Abbatiæ Andegavensis S. Albini* codices. *Unum* fere citant in plurimis *primi* tomi libris, inter quos *Retractationes* et *Confessiones;* item tomo *sexto* et *decimo*, nec non ad libros *de Civitate Dei* tomo *septimo*, et libros *de Trinitate* tomo *octavo.* Ad librum *de Symbolo ad Catechumenos* tomo *sexto*, monent, in Albinensi 800 annorum codice primum ex quatuor, quibus constat sermonibus, reperiri.

Antissiodorenses, i. e. *abbatiæ Præmonstratensium S. Mariani Antissiodori* codices. Unum ex quatuor, C quibus instructi fuerunt codicibus mss. *librorum contra secundam Juliani responsionem* suppeditavit.

*Monasterii* S. Arnulfi *Metensis* codex. Unum fuisse conjicio, siquidem Arnulfensem ubique numquam plurali numero laudant. Frequens potissimum in tribus prioribus tomis ejus fit mentio. Lectiones scilicet habebant, non ipsum ms., ut ad Retract. libros monent.

*Abbatiæ* S. Audoeni *Rothomagensis* codices. Ex his *Opus de Civitate*, *Sermones* et plurima alia Augustini scripta emendata sunt. Præcipue in tomo primo frequenter *Audoenenses* appellantur, in sequentibus parcius. Nescimus, an omnes unius ætatis fuerint, sed in opere *Enarrationum in Psalmos*, 700 annos iis tribuunt.

PP. Augustinianorum *majoris conventus Parisiensis* codices. *Quatuor* ad *Confessionum libros* suppetebant; *unius* sæpius fit mentio.

Beccensis *abbatiæ* codices plures annorum 700 laudantur ad *Opus Psalmorum*, unus ad libros *Retract.*, *de Civ. Dei*, *Epistolas*, librum *de Hæresibus*, *de Trinitate* et *ad Donatistas* (tomo VIII et IX), et sæpius in tomo *decimo;* duo ad libros *de Consensu Evangelistarum* et *de Sermone in Monte*, plures in *Sermonibus.*

(*a*) Sunt tamen inter eos et Belgici quidam, quos ipsi consuluerunt et Corbeienses, sed hos sejungere dubitavimus, partim quod ipsi eos Gallicanorum nomine comprehenderent, partim quod Corbeiensis monasterii codices adeo omni tempore Maurinorum Patrum studiis paruerunt, ut veluti domestici apud eos facti esse videantur.

Becherónense exemplar citant in Tractatibus *in Evangelium Joannis* tomo *tertio* et in *libro de Hæresibus* tomo *octavo*.

Bellovacensis Ecclesiæ exemplar antiquissimum ad *Tractatus in Joannis Epistolam*, cui ad calcem ascriptum fuerit : *anno regis Clotharii duodecimo;* aliud item *ad posteriores L Psalmos* tomo *tertio* et *quarto* præsto fuit.

Ab hoc differt codex Bellovacensis abbatiæ S. Quintini adhibitus iisdem *Tractatibus in Epistolam Joannis*.

Benigniani, i. e. *bibliothecæ* S. Benigni *Divionensis* codices. In Retractationum et Confessionum libris unum 700 annis antiquiorem notant. Nescio an idem sit, qui in *Epistolis* quoque et *Tractatibus in Joannem*, libro *de diversis Quæstionibus contra Mendacium*, *de Cura pro mortuis gerenda*, *de Trinitate*, etc., præsto fuit. Codicem, quo in libro *de Symbolo* usi sunt, 800 annorum ætatem præferre tradunt. *Tres* aut *plures* habuerunt ad Sermones castigandos.

Bernardinorum *collegii Parisiensis* codex ms. *unus* et *alter*. Profuit in libris *de Opere monachorum* tomo *sexto*, item *Expositionum Epistolæ ad Romanos*, et *Galatas* tomo *tertio*, nec non libris VII *de baptismo* et libris IV *contra Cresconium* tomo *nono*. *Alterum* appellant ad *libros contra Maximinum et collationem* cum *eodem*. Diversum ab hoc puto librum *PP. Fuliensium* cœnobii *S. Bernardi Parisiis*, quod exemplar *Fuliense* appellare solent.

Bernardinorum *de misericordia Dei* liber ms. unus laudatur in libro *de Opere monachorum*.

S. Bertini in *Belgio* codex perantiquus, unde eruta est *Epistola Augustini ad Mercatorem*, quæ in Benedictina primum prodiit num. 193.

Bigotianus seu codex ms. ex bibliotheca Emerici Bigot *Rothomagensis*. Ex eo sunt recognita, epistolæ, aliquot libri tomi *sexti*, *de Civitate Dei* tomo *septimo*, libri *de Natura boni*, *de Trinitate* XV, tomo *octavo*, et libri sex *contra Julianum* tomo *decimo*.

Carcassonensis *Ecclesiæ* liber ms. laudatur ad Sermones tomo *quinto* et ad *Tractatus CXXIV in Joannis Evangelium* tomo *tertio*.

Carnotensis, i. e. *abbatiæ S. Petri in valle Carnotensi* codex. *Unius* mentio fit ad librum *contra Mendacium* tomo *sexto*, libros *contra Faustum* tomo *octavo* et librum *contra Secundinum*, qui in Belgicis codicibus frustra quæsitus ex eo unico ab innumeris mendis repurgatus esse dicitur, item librum *de Natura* et *Gratia*, et *de Perfectione hominis* tomo *decimo*.

Ab iis diversus est liber Ecclesiæ Carnutensis, qui laudatur in *Sermonibus*.

Casalensis seu Casalinus, i. e. codex ms. *cœnobii Casalis Benedicti*. Ex eo (nam singulari numero semper laudarunt) *Epistolæ*, item plures tomi *primi* et aliquot tomi *octavi*, *noni* et *decimi* libri castigati sunt.

Cisterciensis *abbatiæ*, haud dubie Parisinæ, codices. Ex Cisterciensi, si modo unus fuit, singuli pene tomi *primi*, *tertii*, *sexti* et *octavi* libri, tum secundo tomo *Epistolæ* emendantur. Cisterciensis porro crebro appellatur in *Sermonibus*. *Duos* Cistercienses laudant in libris *de Consensu Evangelistarum* tomo *tertio*, *de Civitate Dei*, tomo *septimo*, libro *de diversis Quæstionibus* tomo *sexto*, et *de Gratia et libero Arbitrio* tomo *decimo*.

PP. Cisterciensium *S. Crucis in Jerusalem in Urbe* codex vetus. Ex eo edita est primum *Epistola* 29, ad *Alypium*. Plures in *Sermonibus* laudant, ex iisque Sermonum aliquot occasionem didicisse se dicunt, itemque quo loco eos Augustinus dixerit.

Clarævallensis *abbatiæ* exemplar *librorum sex contra secundam Juliani responsionem*. Hoc ipsum est, ex quo primus eos deprompserat *Vignerius*, ex eoque denuo discrepantes a Vigneriana editione lectiones in usum Benedictinorum excerptæ sunt.

Colbertinæ *bibliothecæ* codices complures suppetias tulerunt. Erat enim hæc bibliotheca libris vetustis instructissima, qui omnes deinde in *Regiam* migrarunt In tomo *primo* nulli adfuerunt, sed *Epistolæ* juxta eosdem excussæ sunt. Laudantur etiam modo *unus*, modo *duo* in tomo *tertio* et *sexto;* item tomo *quarto* in *Enarrationibus* in *Psalmos* Colbertini codices optimæ notæ (*a*); *tres* ad opus *de Civitate Dei*. Passim etiam in tomo *octavo* eorum fit mentio, et quidem ad librum *de Hæresibus*, *quatuor* memorantur; in *decimo* vero ad singulos fere libros citantur. Inter plures, ex quibus *Sermones* tomo *quinto* castigati sunt, unum præcipue commemorant, qui 821 notatus fuerit, Sermones de verbis Evangelii veteri ordine, secundum quem in Bedæ seu Flori collectione plerumque laudantur, digestos complexum, iisque insertos quosdam, quorum vel nihil prorsus in ante editis, vel fragmenta solum exstabant. In libro *de Mendacio* tomo *sexto* Colbertinus 800 annorum et ibidem in libro *de Opere monachorum* alius 900 fere annorum appellatur. Ex Colbertina itidem bibliotheca nacti sunt codicem *Operis imperfecti contra secundam Juliani responsionem* mutilum tertia parte, illum ipsum nempe, ex quo *Claudius Menardus* a. 1617 primum priores duos libros publicaverat.

In Colbertinam bibliothecam jam tum, nescio an omnes, transierant *Thuanei* mss., unde *Thuanei codices* interdum censendi sunt ex Colbertina, e. g. in libro *de Agone Christiano*, et *Bono conjugali* tomo *sexto*.

Compendienses, *vide* Cornelienses.

(*a*) Inter hos etiam erat unus, qui *Epitomen Commentariorum Augustini in Psalmos* continebat, cui codici propylæum, cameræ forma ad Davidis complectendam imaginem appictum, conspiciebatur et inscriptum his ad fornicem verbis : *Landulfus ovans hunc libellum fieri jussit, pro quo funde preces carmina qui legis*, etc. Ad imaginis vero pedes : *Orate pro Annone, hoc supplico.* Versus subjecti constant XIV distichis, incipiunt :

Cantica Davidico Christum modulantia plectro,
Explanata tenet floridus iste liber.

Finiunt :

Atque duos inter Cherubinos voce tremenda
Intonat, et rapidi fulguris igne micat.

Corbeienses. Antiquissimi et numerosissimi. Vix enim ullus liber est, quin ad eosdem castigatus fuerit. Nam ab initio statim, ad *Retractationum* libros, librum *de Ordine* et *Regulam ad Servos Dei* præsto fuit codex 900 ferme annos præferens; ad *Confessiones Corbeiensis* ante annos 700 scriptus laudatur, et sic ad omnes pene tomi primi libros, Corbeiensium optimæ notæ fit mentio.

Qui ad *Epistolas* tomo *secundo* adhibiti sunt, plerique ante annos 800 aut 900 scripti dicuntur.

Tomi *tertii* libri, excepto uno, omnes ad Corbeienses excussi sunt, quorum unus ad *Quæstionum Evang.* libros, 900, item alter ad libros *de Consensu Evangelistarum*, 900 aut 1000 annos habere et optima manu descriptus dicitur.

Ad libros *Enarrationum in Psalmos* tomo *quarto* adhibiti sunt per totum opus, *duo*, in eosdem tractatus interdum *plures*, plerique ante annos 800 scripti.

Pariter in *Sermonibus* tomo *quinto* Corbeienses optimæ notæ et vetustissimi notantur, et in singulis pene tomi *sexti* libris codices 800 et 900 annorum et ad libros *de diversis Quæstionibus ad Simplicianum* unus peregregius *ante annos mille* descriptus. In libris *de Civitate Dei* tomo *septimo* præsto fuerunt *duo*. Nec parcius in *tribus posterioribus* tomis Corbeiensis abbatiæ librorum antiquissimorum et elegantissimorum fit mentio, et in ultimo quidem ad libros *de Gratia et libero Arbitrio*, nec non *de Correptione et Gratia* unum vetustissimum *ante mille annos* scriptum censuerunt.

Aderat quoque ex eadem bibliotheca *Excerptorum Eugyppii codex* et liber ms. ante annos circiter 500 scriptus, qui *Flori* seu *Bedæ* vulgati *collectionem in Epistolas Apostoli* complectebatur.

Cornelienses, i. e. libri mss. abbatiæ *S. Cornelii Compendiensis*. Unus pervetustus memoratur ad librum *de Immortalitate animæ* tomo *primo*. Plures ad *Sermones* tomo *quarto*.

*Abbatiæ de* Cultura *apud Cenomanos* codices. Laudatur ad *Epistolas*, item ad *Tractatus in Evang. Joannis* tomo *tertio*; nec non tomo *quarto* in *Enarrationibus ad Psalmos* perantiquus, qui priores L psalmos complectebatur. Citatur quoque ad librum *de Anima et ejus origine* tomo *decimo*.

Dominicanorum *majoris conventus Parisiensis via Jacobæa* libri mss. adhibiti sunt ad libros *Confessionum* et *de libero Arbitrio* tomo *primo*, ad libros *de Trinitate* tomo *octavo*, librum *de Unico baptismo* tomo *nono*, libros tres *de Peccatorum meritis et remissione* tomo *decimo*.

Ebrulphenses, i. e. *S. Ebrulphi* Uticensis codices. Laudatur ad librum *de Immortalitate animæ* et *de Quantitate animæ* tomo *primo*, ad librum *de Agone Christiano* et *de Cura pro mortuis gerenda*, aliosque libros tomo *sexto*.

*Codex ms. D. Antonii* Faure, *doctoris theol. Paris.* præbuit librum *de Fide, Spe et Charitate*; et libros *de Civitate Dei*.

Ferrariensis *abbatiæ* codex *viginti sex psalmos* ex opere Enarrationum, nempe LXIII-XCVIII, complectebatur.

Fiscannensis liber ms. Notatur ad librum *de Magistro* tomo *primo*, ad librum *de Consensu Evangelistarum* tomo *tertio*, ad librum *de Catechizandis rudibus* tomo *sexto*, *Contra adversarium legis et prophetarum* tomo *octavo*.

Floriacenses. *Bibliothecæ Floriacensis mss.* frequentissime laudantur non solum ad integros tomos, veluti secundum, *Epistolas*; quartum, *Enarrationes in Psalmos*; quintum, *Sermones* complectentem: quorum illis, qui ad tomum quartum memorantur, anni tribuuntur 700; sed etiam ad singulos libros per diversa volumina, veluti ad *Retractationes* et librum *de Quantitate animæ*, primo; ad omnes pene tomi tertii; ad librum *de Octo Dulcitii quæstionibus, de Agone Christiano*, et hic quidem *duo; de catechizandis rudibus, de Opere monachorum* et *de Patientia* tomo *sexto*; ad libros *de Hæresibus, Contra Faustum, de Trinitate* tomo octavo; ad libros VII *de Baptismo, Contra Petiliani litteras, de Unitate Ecclesiæ* et *de Uno baptismo* tomo nono; denique ad libros sex *contra Julianum* tomo decimo.

Fossatensis *S. Mauri abbatiæ* nescio *unus* an *plures*; sed verosimilius posterius. Adhibiti sunt ad *Confessionum* libros tomo primo, *Epistolas*, tomo secundo; ad libros *de Consensu Evangelistarum* tomo tertio. Perantiquus laudatur ad *Psalmos Graduales* in *Enarrationum* opere tomo quarto. *Sermones* etiam ex iisdem castigati sunt; item tomo sexto liber *de diversis Quæstionibus XXXVIII*, et *de Cura pro mortuis gerenda*; tomo octavo *Collatio cum Maximino* et *libri contra ipsum duo*. Ad *Tractatus in Evangelium Joannis* laudatur *Fossatense* exemplar jussu *Ingilberti* abbatis circiter annos 840 scriptum.

PP. Franciscanorum *Parisiensium* codex. Illi *unum* librum ms. præbuerunt emendando libro *de Moribus Manichæorum* tomo primo.

PP. Fuliensium *cœnobii S. Bernardi Parisiis* codices mss. duo adhibiti sunt ad castigandum *Opus Enarrationum in Psalmos*. Alter psalmos sexdecim a XXXV ad L, alter octodecim a CI ad CXVIII complexus erat. *Sermones* quoque ad ejusdem bibliothecæ codices excussi sunt; item liber *de Continentia, de Symbolo ad Catechumenos sermones quatuor*, et *Sermones de Cantico novo, de quarta feria, de Cataclysmo* et *de Tempore Barbarico* tomo *sexto*.

Fuxensis *collegii* apud *Tolosates* exemplar ad *Epistolas* præsto fuit. Laudatur etiam ad librum *de Agone Christiano* tomo *sexto*.

*Ecclesiæ* S. Gatiani *Turonensis* codex optimæ notæ laudatur ad *Enarrationes in Psalmos*, complexus *centum priores*; item ad libros de *Trinitate* tomo *octavo*.

Libri mss. *abbatiæ* Gemmeticensis creberrime laudantur. Ex iis castigantur *Epistolæ*, *Sermones*, *Enarrationes in Psalmos*, et ex *uno* eorum opus *de Civitate Dei*. Porro in *primo* tomo libri *de libero Arbitrio*, *de Genesi contra Manichæos*, *de Moribus Ecclesiæ catho-*

*licæ*, *de Moribus Manichæorum* et *de vera Religione*; in *tertio*, libri *de Consensu Evangelistarum*, *de Sermone Domini in monte* et *Tractatus in Evangelium Joannis*; in *sexto*, *de Symbolo ad Catechumenos sermones quatuor*, et qui ibidem proxime sequuntur Sermones *de Disciplina Christiana*, *de Tempore Barbarico*, *Cantico novo*, etc.

Genofevæus, i. e. liber ms. bibliothecæ *abbatiæ S. Genofevæ Parisiis* laudatur in libro *de beata Vita* tomo *primo*; in libris *de Consensu Evangelistarum* tomo *tertio*; in libro *de diversis Quæstionibus octoginta tribus* et *de Quæstionibus ad Simplicianum* tomo *sexto*; in libro *de Natura* et *Gratia* tomo *decimo*.

Georgianus, i. e. codex *Domini de S. Georges*, canonici comitii *Lugdunensis*, post episcopi *Claræmontani*, et, cum ad finem opus Maurinorum properaret, archiepiscopi *Turonensis* a rege designati. Adhibitus est ad libros de *Consensu Evangelistarum* tomo *tertio*; ad librum *de diversis Quæstionibus octoginta tribus* tomo *sexto*; ad libros *de Baptismo contra Crescon.ium* et *de Unico baptismo* tomo *nono*; ad libros *de Peccatorum meritis et remissione* et *de Spiritu et Littera* tomo *decimo*.

S. Germani *a Pratis in suburbio Parisiensi* codices permulti vetusti et elegantes collati sunt ad integros tomos *Epistolarum*, *Sermonum*, *Enarrationum in Psalmos*; *duo* ad opus *de Civitate Dei*, ad *tractatus in Evangelium*, itemque *in Epistolas Joannis* tomo *tertio*; *unus alterve* in plerisque tomi *primi*, *tertii*, *sexti*, *octavi* libris opem tulit, ex quibus is, qui ad librum *de Mendacio* collatus est annorum 800, et ad librum *de Bono Viduitatis* mille, aut amplius æstimatur. Exemplar *Germanense* valde insigne, quod recens tunc eidem bibliothecæ donaverat dux *Noaliensis*, usum præstitit libro *de Agone Christiano* tomo *sexto*.

*Collegii* Gervasiani *apud Parisios* codex amplus et elegans laudatur in *Epistolis*.

Jolyense exemplar pertinebat ad dominum *Joly*. Ex eo emendatæ dicuntur *Epistolæ*. Citatur etiam *in Expositionibus in Epistolas ad Romanos et Galatas* tomo *tertio*. *Jolyensis* codex annorum 800 laudatur ad *Retractationes*.

Laudunensis *Ecclesiæ* codices citantur ad *Epistolas* et *Sermones*. Priori loco antiquissimi audiunt. Frequenter imprimis adfuerunt castigandis quamplurimis tomi *sexti* libris, ad quos identidem *Ecclesiæ Laudunensis* libri memorantur. Non diversos puto ab his, quoad domicilium, qui tomo *sexto* ad librum *de Bono viduitatis*, *Laudinensis Ecclesiæ Majoris* dicuntur (*a*). Ac posteriori titulo imprimis frequenter citatur liber ms. tomo *octavo*, semel *nono*.

Laudunensis *Abbatiæ S. Vincentii* codex libris *de Civitate Dei* tomo *septimo* et de *Trinitate* tomo *octavo* usui fuit.

Lyrensis *abbatiæ* codices collati sunt ad tomum *quartum*, Expositiones in Psalmos, et *quintum* Sermones comprehendentem. Unus adfuit libris *de Civitate Dei*, item ad *Confessionum* libros tomo *primo*; libros *de Sermone in monte* tomo *tertio*; *de Agone Christiano* tomo *sexto*: *de Trinitate* tomo *octavo*; libros sex *contra Julianum* tomo *decimo*.

Exemplar *Nicolai* Manessier, *doctoris theologi Parisiensis et socii Sorbonici*, juxta quod liber *de Gratia et libero Arbitrio*, nec non *de Correptione et Gratia ad Prosperum et Hilarium* libri *duo*, i. e. libri *de Prædestinatione sanctorum et Dono perseverantiæ*, tomo *decimo* emendati sunt.

Liber *domini* Maran, *archidiaconi Ecclesiæ Tolosatensis*. Adhibitus est emendandis *Epistolis*; item libro *de Utilitate credendi*, *contra Sermonem Arianorum*, et *libris Collationis cum Maximino et contra eum* tomo *octavo*.

Martinensis liber citatur ad libros de Genesi *contra Manichæos* tomo *primo*. Fortasse idem est, qui frequentius nomine *Sagiensis* venit.

Medardensis liber laudatur ad *Regulam ad Servos Dei* tomo *primo*.

Metensis *vide* Arnulphensis.

Michaelini, i. e. *monasterii et abbatiæ S. Michaelis de monte in periculo maris* codices frequentissime per omnia *decem* volumina citantur, quod plures fuisse liquidum est testimonium, licet ubique fere unus tantum appellari solet, semel *duo* ad libros *de Nuptiis et Concupiscentia* memorantur. Castigata sunt ex eis *Epistolæ*, *Sermones*, *Enarrationes in Psalmos*, libri *de Civitate Dei*, tum plerique, et tantum non omnes tomi *primi*, *sexti*, *octavi*, *noni* et *decimi*; pauci tamen *tertii*.

Navarrici *collegii* seu *gymnasii*, *Parisiis*, codices. Hujus exemplar amplissimum laudant ad *Epistolas*. In *Sermonum* quoque et librorum *de Civitate Dei* recognitione uno ejusdem bibliothecæ usi sunt. Porro *Navarricus* laudatur ad *Soliloquiorum libros*, ad librum *de Moribus Ecclesiæ catholicæ*, *de Moribus Manichæorum*, et *de Vera Religione* tomo *primo*; *Navarrici duo* ad librum *de beata Vita*, librum *de Magistro*, *ibidem*; ad unum eorum recogniti sunt libri de *Consensu Evangelistarum* tomo *tertio*; ad duos itidem liber *de diversis Quæstionibus octoginta tribus*; ad *unum* rursus liber *de Fide et Symbolo*, liber *de Agone Christiano* et de *Divinatione dæmonum* tomo *sexto*.

Noaliense exemplar, *vide sub* Germanensibus.

Noviomensis ecclesiæ mss. annorum ad minus 600 ad *Enarrationes in Psalmos* emendandas adhibiti sunt.

Illustris familiæ Primarconensis *codex corticeus*, quem olim *Narbonensis* Ecclesiæ fuisse Benedictini suspicantur, in sermonibus usum præstitit. Ex eodem *Epistolæ duæ*, 42 et 45, perbreves, ad Paulinum, antehac ineditæ erutæ sunt.

*Carthusia* Portarum *Bugiensis provinciæ* in *Gallicis* præbuerat exemplar ms. librorum *contra secundam Juliani responsionem*.

Pratellenses, i. e. *abbatiæ S. Petri de Pratellis co-*

(*a*) Sed codex ad libros *Retractationum* commemoratus *ex Archivo Laudino* ad Anglicanos pertinet.

*dices mss.* ante annos 600 exarati laudantur in opere *Enarrationum in Psalmos;* ad eosdem recensiti sunt *Sermones*, et singuli libri ex mediis tomis, e. g., *Retractationes, de Libero arbitrio et de Genesi contra Manichæos*, tomo *primo; de Consensu Evangelistarum, de Sermone in monte*, et *Tractatus in Evang. Joannis* tomo *tertio;* liber *de Catechizandis rudibus, de sancta Virginitate, de Conjugiis adulterinis, de Mendacio, de Patientia; et* ad *duos* liber *de Cura pro Mortuis gerenda*, tomo *sexto*. Nec parcius laudantur tomo *octavo*, ubi libri *contra Faustum, contra Adversarium legis ac prophetarum, contra Sermonem Arianorum*, et *de Trinitate;* et *nono* ad libros *contra Epistolam Parmeniani, de Baptismo, contra litteras Petiliani;* denique *decimo* ad libros *de Peccatorum meritis et remissione, de Natura et Gratia, de Nuptiis et Concupiscentia, de Anima et ejus origine*, ad libros quatuor *ad Bonifacium contra duas Epistolas Pelagianorum*, ad libros porro sex *contra Julianum de Gratia et libero Arbitrio, de Correptione et Gratia*, ad libros denique *de Prædestinatione sanctorum* et *Dono perseverantiæ.*

Puxensis codex laudatur ad librum *de Continentia*, additusque, jam in *Colbertinis* eum reperiri.

Remenses. Hoc nomine quidem duo generis manuscripti intelliguntur, *ecclesiæ cathedralis Remensis* scilicet et *abbatiæ S. Remigii Remis;* plerumque tamen nuda illa appellatio libros Ecclesiæ cathedralis significat, quorum *unus* profuit libro *de Magistro* tomo *primo; Epistolis*, libris *de Fide et Operibus, de Bono conjugali, de sancta Virginitate, de Cura pro mortuis gerenda*, tomo *sexto;* libris *de Civitate Dei*, tomo *septimo;* libris *contra Sermonem Arianorum* et *de Trinitate*, tomo *octavo;* denique libris *de Natura et Gratia, de Perfectione justitiæ hominis, de Gratia et libero Arbitrio, de Correptione et Gratia* tomo *decimo.*

Remigienses, i. e. *abbatiæ S. Remigii Remensis* libri. Unus adhibitus fuit libro *de Quantitate animæ*, tomo *primo;* libris *de Consensu Evangelistarum, Tractatibus in Evang. Joannis*, tomo *tertio.*

Pariter tomo *quarto* plurium in eosdem *Psalmos* copia fuit, quorum alii ante annos 500, alii ante 800 descripti erant. Plures item consuluerunt in *Sermonibus.* Tomo *sexto* vero profuerunt in libris *de Fide et Symbolo, de Agone Christiano, de Opere monachorum* et *de Divinatione dæmonum.* Remigianus *unus* laudatur quoque ad libros *de Civitate Dei*, et tomo *octavo* ad libros *contra Maximinum et Collationem cum ipso, duo* vero ibidem in libris *de Trinitate.*

Denique ex uno emendati sunt tomo *nono*, libri *de Baptismo; decimo*, libri *de Peccatorum meritis et remissione, de Spiritu et littera*, et *de Anima et ejus origine.*

*Libri* Regii. Regia bibliotheca Parisiensis jam tum satis magnam librorum mss. Augustini complexa erat copiam, nunc vero, migratis in eamdem *Colbertinis* et *Thuaneis* singulas fere catalogi eorum paginas Augustinus occupat. Tanto magis juvat scire, qui in usum conversi sint, quo rectius de universis judicari queat. Igitur ad *Regios* codices singuli fere, duobus tribusve exceptis, tomi *primi* libri castigati sunt. Iidem ad *Epistolas* præsto fuerunt, non item in *tertio* et *nono* tomo.

Sed in *Enarrationibus in Psalmos* adjuti sunt *codice Regio*, quem sic descripserunt : « Est Liber miræ magnitudinis et in duos nunc tomos divisus, qui in prima pagella vacua præfert : *Hoc immensum opus donavit mihi vir egregius, Dominus Joannes Bocaccio, poeta nostri temporis, quod de Florentia Mediolanum ad me pervenit* 1355 *April.* 10. Quod Francisci Petrarchæ manu inscriptum intelliges ex data ab ipso ad Bocaccium epistola, quæ Variarum in Veneta est 21, in Basileensi 22, incipiens, *Beasti me munere magnifico*, etc., ubi Augustini in Psalmos *opus immensum totum uno volumine comprehensum, Bocaccii* beneficio sibi transmissum testatur, scribens *Mediolani v idus Maii.* » Hanc Petrarchæ epistolam Benedictini hoc ipso tomo post indices præfationibus subjunctos recudendam curarunt.

Porro ad *Sermones*, tomo *quinto*, præter alia exemplaria ex bibliotheca Regia, adfuit unum volumen singulare, a *Jacobo Sirmondo* occasione Sermonum a se editorum laudatum, complectens duas priores partes *collectorii Sermonum Augustinianorum Roberto de Bardis*, Cancellario Parisiensi, auctore, adornati (*a*).

Nec pauci, immo singuli pene libri tomi *sexti* ex iisdem castigati sunt, ex quibus unus ad librum *contra Mendacium* censetur annorum 900.

Ad libros *de Civitate Dei* recensendos duo suppetebant. *Duo* itidem ad librum *de Hæresibus ad Quodvultdeum*, tomo *septimo.*

*Unus* denique adhibitus est tomo *decimo* libris *de Gratia et libero Arbitrio*, nec non *de Correptione et Gratia*, item *de Prædestinatione sanctorum et Dono perseverantiæ.*

*Liber* Regiomontensis. Ad hunc, paucis exceptis,

(*a*) De hoc *Collectorio* ipsi Benedictini in Præf. ad tomum *quintum* hæc referunt : « *Robertus de Bardis*, Parisiensis Cancellarius, aliam pulchriorem ac magis ingeniosam (quam vulgata, quam ante recensuerant) instituerat Sermonum distributionem in *Collectorio*, ut vocat, *Sermonum Augustini*, numquam vulgato, quod trecentis annis abhinc retro elapsis excogitavit, iisdem Sermonibus in quinque partes discretis. *In prima parte collecti sunt Sermones de quibusdam gestis et sanctis veteris Testamenti. In secunda parte de solemnitatibus et sanctis novi Testamenti. In tertia de verbis et scripturis veteris Testamenti. In quarta de verbis et scripturis novi Testamenti. In quinta de ornamentis et impedimentis Ecclesiæ sive fidelium ac de retributionibus ultimis bonorum et malorum* Servatur in bibliotheca Regia manuscriptus unus quo primæ duæ istius collectionis partes continentur; et in Colbertina duo, in quibus index Sermonum illarum quinque partium repræsentatur. Cæterum, *judicant*, licet Sirmondus in præf. suorum XL Sermonum affirmet, in *recensendis approbandisque Augustini operibus... minime contemnendum esse Roberti suffragium* : tamen adulterinos Sermones prope innumeros admisit, ut qui in prima Collectorii parte solos legitimos relinqueret, istam pene ad nihilum reduceret, etc. »

omnes tomi *primi* libri excussi sunt. Laudatur præterea in *sexto* ad librum *de Mendacio*.

*Liber ms. abbatiæ* SAGIENSIS *S. Martini*. Juxta eum recensiti sunt libri *de Sermone in monte* tomo *tertio;* liber *contra Mendacium* et *de Opere Monachorum* tomo *sexto;* libri *contra Faustum* et *contra Sermonem Arianorum*, tomo *octavo;* libri *de Anima et ejus origine*, tomo *decimo*.

SERGIENSIS, i. e. *S. Sergii Andegavensis* liber laudatur tomo *primo* ad libros *de Quantitate Animæ* et *de libero Arbitrio;* ad *Expositionem inchoatam Epistolæ ad Galatas;* ad librum *de Agone Christiano*.

*Codex* SIGIRAMNENSIS, i. e. *abbatiæ S. Cygiranni* seu CYGIRANNENSIS. Notatur in libris *de Bono viduitatis* et *contra Mendacium* tomo *sexto;* ad libros *de Civitate Dei*, tomo *septimo;* ad librum *ad Orosium contra Priscillianistas*, tomo *octavo;* ad libros *contra litteras Petiliani*, *contra Cresconium* et *de Unico baptismo*, tomo *nono;* idemque ad libros *de Peccatorum meritis et remissione*, ad librum *de Natura et gratia*, *de Perfectione justitiæ hominis*, item ad librum *de Gratia Christi et de Peccato originali*, *de Nuptiis et Concupiscentia* et *de Anima et ejus Origine*, tomo *decimo*.

*Codex* SILVÆ-MAJORENSIS. Ejus fit mentio ad libros *de Consensu Evangelistarum* tomo *tertio*.

SILVANECTENSIS *Ecclesiæ* exemplar suppeditavit *Epistolas* et *libros de Civitate Dei*.

SORBONICI. Modo *unus*, modo *duo*, immo *tres* identidem adhibiti sunt ad singulos fere, quos tomus *primus* complectitur libros. Ad eosdem excussæ sunt *Epistolæ*, *secundo* tomo; libri *Quæstionum Evangeliorum* tomo *tertio; Sermones*, *quinto;* et in *sexto* vix tres aut quatuor numerabis, qui ex iisdem non fuerint castigati. Tomo *octavo* laudatur codex Sorbonicus ad librum *contra Adimantum*, *contra Epistolam Manichæi*, *de Natura boni*, *contra Adversarium legis et prophetarum*, *ad Orosium contra Priscillianistas*, *contra Sermonem Arianorum*, *contra Maximinum*. Libri vero *de Trinitate* ad *quinque* Sorbonicos recensiti sunt. Tandem in tomo *decimo* vix *quatuor* sunt ex omnibus, qui non ex *uno* saltem *Sorbonico* emendati fuerint.

SUESSIONENSIS *abbatiæ B. Mariæ* liber unus libris *de Civitate Dei* recognoscendis profuit.

TELLERIANÆ *bibliothecæ* codices. Duo fere laudantur in recensione *Epistolarum* frequentissime.

*Libri* THEODORICENSES, i. e. *abbatiæ S. Theodorici prope Remos*. Unum Theodoricensem, qui olim Hincmari Remensis fuerit, laudant ad *Retractationes*. Nescio an idem sit, cujus etiam ad libros *contra Academicos*, *de Ordine*, *de Genesi contra Manichæum*, et *de Moribus Ecclesiæ catholicæ* tomo *primo* fit mentio. Passim dicitur *optimæ notæ* et ad libros *de Ordine*, *nongentorum* fere annorum, quæ temporis nota in ætatem Hincmari convenit. Ad eosdem emendatæ sunt *Epistolæ*. Vetustissimus et optimæ notæ ms. citatur ad *Tractatus in Epistolam Joannis* tomo *tertio;* in *Enarrationibus in Psalmos* tamen usi sunt libris A hujus bibliothecæ ætatis aliquanto recentioris. *Theodoricenses* ad *Sermones* quoque præsto fuerunt; in tomo *octavo* vero nonnisi libri *de Trinitate* opem hinc experti sunt.

*Libri Bibliothecæ* THUANEÆ. Ex Thuaneo annorum 700 vel 800 recogniti sunt *Confessionum* libri. Idem fortasse est, quocum collati sunt in eodem tomo libri *de Beata Vita*, *Soliloquiorum*, *de libero Arbitrio*, *de vera Religione et Regula ad servos Dei*. Libri *de Ordine* duobus gavisi sunt. Tomo *tertio* citatur Thuaneus *ad Expositionem quarumdam propositionum ex Epistola ad Romanos*, nec non in *Expositione inchoata Epistolæ ad Galatas*.

VALIENSIS liber memoratur ad *Confessiones*.

VEDASTINI, i. e. libri *abbatiæ S. Vedasti Atrebatensis*. Laudatur Vedastinus codex tomo *primo* ad libros *Retractationum*, *Confessionum*, *de beata Vita*, *de Ordine*, *Soliloquiorum*, *de Immortalitate animæ* et *de Genesi contra Manichæos;* item ad *Epistolas* tomo *secundo*.

VICTORINI, seu codices *abbatiæ S. Victoris Parisiensis*. *Tres* suppetebant ad castigandos libros *Retractationum* et *Confessionum*, *de Ordine*, *de Magistro*, *de Quantitate animæ*, *de Moribus Manichæorum;* duo in libris *contra Academicos*, *de Immortalitate animæ*, *de Genesi contra Manichæos et moribus Ecclesiæ catholicæ; unus* in reliquis *primi* tomi paucis exceptis. Profuerunt, porro emendandis *Epistolis* et *Sermonibus*, tomo *secundo* et *quinto;* nec non libris *Quæstionum Evangeliorum*, *Quæstionum XVII in Matthæum*, tomo *tertio;* item libris *de Diversis quæstionibus ad Simplicianum*, *de Octo Dulcitii quæstionibus*, *de Fide et Symbolo*, *de Agone Christiano*, *de Catechizandis rudibus*, *de Bono viduitatis*, *de Mendacio*, *contra Mendacium*, *de Opere monachorum*, *de Cura pro mortuis gerenda* et *de Patientia*. Similiter libri tomi *octavi*, *de Hæresibus*, *adversus Judæos*, *de Utilitate credendi*, *de duabus Animabus*, *contra Fortunatum*, *contra Adimantum*, *contra Epistolam Manichæi*, *contra Faustum*, *Acta cum Felice*, liber *de Natura boni*, liber *ad Orosium contra Priscillianistas* ad *unum* vel *duos* Victorinos excussi sunt; nec non liber *de unico Baptismo*, tomo *nono;* liber *de Gratia Christi* et liber *de Peccato originali*, libri *de Nuptiis et Concupiscentia* et libri sex *contra Julianum* tomo *decimo*.

VINDOCINENSIS *abbatiæ* libri. Libri *Soliloquiorum*, *de Immortalitate animæ*, *de Quantitate animæ*, tomi *primi* ex uno castigati sunt; item *Epistolæ* tomo *secundo*, *Enarrationes in Psalmos*, *quarto*, et *Sermones* tomo *quinto*. Unus quoque adhibitus est ad libros *de Civitate Dei*, tomo *septimo*. In tomo *tertio* collati sunt cum *uno* libri *de Consensu Evangelistarum*, *de Sermone in monte*, *Tractatus in Epistolam Joannis*, cum *duobus*, *Tractatus in Evangelium Joannis;* tomo *sexto* libri *de Agone Christiano* et *de Patientia;* tomo *octavo* libri *contra Faustum* et *de Trinitate*.

UTICENSIS, *vid.* EBRULPHENSIS.

*b*) Itali.

VATICANI, quorum scilicet variantes lectiones,

collectæ olim per selectos viros, qui post Lovaniensem editionem denuo castigandis S. Augustini operibus auctoritate Clementis VIII incumbebant, cum Benedictinis communicatæ fuerant.

Generatim ad *plures* eorum recognitæ sunt *Epistolæ; quinque* adhibiti sunt in libris *de Civitate Dei*, *unus* in *Enarrationibus in Psalmos ad priores quadraginta novem Psalmos*. Deinde, uno excepto, omnes tomi *primi* libri cum Vaticano aliquo codice, *Regula ad servos Dei* etiam cum *duobus*, collati sunt. Similiter in *tertio* tomo vix tres reperiantur, qui ad hosce codices non fuerint emendati; libri *de Sermone in monte* ad *duos*; libri *de Consensu Evangelistarum* ad *quatuor*. In *sexto* itidem modo *duo*, plerumque *tres*, vel etiam *quatuor*, immo *quinque* præsto fuerunt. Similiter in tomo *octavo* duo tantummodo libri sunt, quibus non auxilii aliquid ex iis accesserit, cum aliis *duo*, aliis *quatuor*, *quinque*, *sex*, ut libris *contra Faustum*; quin libris *de Trinitate*, *undecim* adeo exemplaria adhibita esse notatum reliquerunt. Parcius profuerunt tomo *nono* : quippe *duo* tantum juvarunt libros contra *Epistolam Parmeniani* et *libros VII de Baptismo*, *unus* collatus est cum libro *de Unico Baptismo*. Sed in *decimo*, si duo dempseris, singuli ad libros Vaticanos non raro *quatuor* aut *quinque* sunt recogniti.

Christianæani, quos vocant *codices*, i. e. *mss. Christinæ reginæ Suecorum*, fortasse Vaticanis accensendi sunt. Nam si tum nondum ad Vaticanam bibliothecam pertinebant, certe postmodum illati sunt. Sed hoc præterea interest inter eos et reliquos discriminis, quod Vaticani, quos appellant Maurini Patres centum et quod excurrit annos collati essent, hi nunc demum et, ut mihi quidem videtur, ab ipsis PP. oculis usurpati sunt. Laudant autem *unum* tomo *primo* ad librum *de Moribus Manichæorum*, quem fortasse una cum parte *Enarrationum in Psalmos* complectebatur. Nam ad hoc opus præsto fuerunt *duo*, *unus*, qui septemdecim ex prioribus psalmis, nempe XXXIV-L : *alter*, qui posteriores triginta duos exhibebat, a CXIX ad CL.

Romanus *codex* libri Augustini *de Gestis Pelagii*, cujus variantes lectiones ad oram libri sui annotaverat *Marcus Velserus*.

Florentini, i. e. tres mss. in bibliotheca Ducali Florentiæ existentes, quorum in eodem *de Pelagii gestis* libro variantibus usi sunt.

*c*) Anglicani.

Absoluta jam tota editione transmissæ sunt ex Anglia lectiones variantes *octo* fere codicum per *E. Bernardum*, astronomiæ in Oxoniensi Academia professorem, ex quibus in secunda demum tomi primi, ad quem unice spectant, editione correctiones aliquot translatæ sunt. Erant autem *tres* ex bibliotheca *Bodleiana*, ex collegio *Mertonensi duo*, unus ex Archiva *Laudina*, *duo Cantuarienses* (*a*) Priores *sex* adhibiti sunt ad *Retractationum* libros; *quatuor* ad *Confessiones*, scilicet *unus Bodlei.* et Laud. et Mert. *duo;* quinque ad libros *Soliloquiorum*, nempe *unus* Bodl., *duo* Mert. et *totidem* Cant.

Hæc de codicibus ex iis indicibus, quos singulorum librorum lectionibus discrepantibus ad calcem genuinorum scriptorum cujusque tomi Benedictini PP. adjecerunt. Alios paucos, quos interdum in ipsis notulis textui subjunctis aut in farragine variantium laudant, inde excerpere non vacat. Operæ vero sit *impressos* etiam codices *antiquiores* fere, quos in singulis libris castigandis adhibuerint, consignare, si quidem hi ipsi mss. instar censendi sunt, quos illorum temporum incuria, modo semel imprimendo operi vacassent, parvi ducebat et nulla memoria dignos.

Igitur in *primo* tomo ad libros *Retractationum* subsidio fuerunt editio Amerbachiana (a. 1505) et prima Erasmi; ad *Confessiones* præter easdem Badiana, quo nomine illa opuscula appellant, quæ Jodocus Badius a. 1520 per Joannem Parvum excudi curavit, et Arnaldina (versio), quæ a. 1649 ad *duodecim* mss. codices recognita prodiit. Ad superiores tres porro recogniti sunt libri *contra Academicos*, *de beata Vita*, *de Ordine*, *de Immortalitate animæ*, *de Magistro;* ad solas Bad. et Erasm. libri *Soliloquiorum*, *de Quantitate animæ*, *de libero Arbitrio* : ad Bad., Erasm. et Arnald. recentiorem, libri *de Moribus Ecclesiæ catholicæ*, *de Moribus Manichæorum*, *de vera Religione;* ad Amerb. et Erasm. libri *de Musica*, *de Genesi contra Manichæos*, et *Regula ad servos Dei.*

In tomo *secundo* Epistolarum editiones laudantur sequentes : Amerbachiana a. 1493, in-fol.; Badiana, Parisiis, 1515, et Erasmiana Bas. ap. Frob. 1528.

In *tertio* tomo notarunt ad libros *de Consensu Evangelistarum* editionem ejusdem Jodoci Badii, quam ex recensione Augustini *Ratisponensis* excudi curavit Lugduni 1497, et Erasmianam a. 1528; ad libros *de Sermone Domini in Monte* præter Erasmianam et Amerbachianam (a. 1506) editionem Jacobi Mareschalli, Lugdun. 1520; ad libros *Quæstionum Evangeliorum et Quæst. XVII in Matthæum* eamdem Badianam, nec non Erasm. et Amerbach., ad *Tractatus in Jo. Evangelium*, Bad. et Erasm., ad *Tractatus in Epist. Jo.* Amerb., Bad. et Erasm., ad *Expositionem quarumdam Propositionum in Epp. ad Romanos et Galatas*, nec non *Expositionem inchoatam Epistolæ ad Rom.* (quæ in Gallicanis mss. non reperta, emendata est unius Vaticani ope) Amerbach. et Erasm.

In tomo *quarto ad Enarrationes in Psalmos* præsto fuerunt lib. Bas. per Jo. Amerbach. 1489 excusus, et Erasmiana 1529.

*Sermonibus* in *quinto* tomo castigandis adhibitæ sunt editiones, Amerbachiana a. 1494 et 1495, Erasmiana a. 1571, Sirmondiana 1631, et Supplementi Vigneriani ed. altera 1655.

(*a*) Sic enim interpretor compendium illud vocis *Cant.*

In tomo *sexto* ad librum *de Diversis quæstionibus octoginta tribus* consultæ sunt Lugdunensis, quæ Augustini Ratisponensis cura apud Joannem Trechsel a. 1497 excusa est, et Erasmiana a. 1523; ad libros *de Diversis quæstionibus* et *de Catechizandis rudibus*, et *De fide et Operibus* Amerbach. et Erasm., ad librum *de VIII Dulcitii quæstionibus* et *de Fide et Symbolo*, eædem et Lugdunensis ante laudata; *ad Enchiridion de fide, spe et charitate* præter Amerb. et Erasm. editiones Lauberti Danæi et Ant. Arnaldi; tandem ad librum *de Agone Christiano* præter Amerb. et Erasmianam, ed. Joh. Parvi a. 1515.

Libri *de Civitate Dei* tomo *septimo* recogniti sunt ad ed. Venetam Vindelini 1470, Amerb. a. 1490, et Erasm. 1529.

Denique Amerbachiana et Erasmiana editiones etiam per totum tomum *octavum*, *nonum* et *decimum* adhibitæ fuerunt.

Ex quo indiculo librorum impressorum etiam hoc patet, Romanas et Venetas aliasque insigniores singulorum operum Augustini editiones, quibus si uti voluissent, carere non poterant, præter unam *de Civit. Dei* a Benedictinis Patribus esse neglectas.

### ARTICULUS SECUNDUS

Annales editionum singulorum Augustini librorum.

#### § I. *Genuinorum librorum.*

*I.* — (1*) *Contra Academicos.*

Seorsim hi libri numquam prodierunt. Attamen in compluribus antiquis opusculorum Augustini collectionibus primum fere locum occupant, de quibus infra fiet mentio. Gallice conversi sunt juxta Benedictinorum editionem a *Villefortio*.

1703. *Paris, chez Elie Josset; in-12* « Les livres de St. Augustin contre les philosophes académiciens, avec le Traité de la grâce et de la liberté, traduits en Français sur l'édition des PP. Bénédictins, par M. Villeford ou Villefort. » *Cat. Bibl. Reg.* Cf. *Journal des Savans*. 1703, p. 221.

*II.* — (3) *De Ordine libri duo.*

Latine numquam seorsim excusi sunt, sed *Gallice* eos convertit *Villefortius* una cum libris *de libero Arbitrio* et *de Doctrina Christiana*, de quibus suis locis.

*III.* — (4) *Soliloquiorum libri duo.*

Horum unam tantummodo eamque vetustissimam editionem Latinam reperire potuimus. Nam pleraque hujus nominis edita ad spuria pertinent et infra a nobis commemorabuntur. Hanc vero accipe.

*Sine anno, loco et typogr.; in-fol.* S. Augustini Soliloquiorum libri duo.

Volumen est foliorum 23, lineis latis 35 per paginam impressum. Exorditur verbis : *Aurelii Augustini episcopi Ipponensis incipit Soliloquium liber primus feliciter.* Similiaque habes in fronte libri secundi folio 11. In fine primi : *Aurelii*, etc., *explicit.* Ast in fine secundi, qui contingit in prima pagina folii 23, nulla prorsus formula exstat. Litteræ sunt Gothicæ, breves et pingues, quæ, licet multæ verborum abbreviaturæ ac litterarum notæ sint inspersæ, oculis tamen nequaquam ingratæ accidunt. Ad *Guntherum Zainer*, typographum Augustanum, qui ab anno inde 1468 decem fere per annos ibidem libris imprimendis operam navavit, referri solet. Certe inter plura cum Augustini, tum aliorum opuscula hisce libris plane conformia, nec raro uno volumine cum iisdem comprehensa, quæ quidem manifesto se unius ejusdemque familiæ esse profitentur, una occurrit *Thomæ a Kempis de Imitatione Christi* editio cum subscriptione : *per Gintheum* (sic) *zainer ex reutlingen pgenitum litteris impressi ahenis*, unde de cæteris conjecturam haud improbabilem viri in his litteris exercitatissimi capiunt. Vide, quos laudavimus occasione similium quorumdam Hieronymi opusculorum tom. I, p. 488. Nuper etiam cl. *Braunius* in *Not. H. Lit.* (1788), p. 38, hanc editionem retractavit.

*IV.* — (7) *De Moribus Ecclesiæ catholicæ.*

Hujus *duæ* exstant *versiones Gallicæ* iisdem auctoribus, qui librum *de vera Religione* transtulerunt, quem videsis.

*V.* — (9) *De Quantitate animæ.*

*Sine anno, loco et typogr.; in-fol.* S. Augustini liber de Quantitate animæ. « De charactere omnique hujus voluminis descriptione plura disseremus ad libros *Soliloquiorum* ex eadem officina emissos. In præsenti notabimus tantummodo, constare illud foliis 29, ac plerumque cum uno vel pluribus ejusdem generis impressis compactum inveniri, in quibus inæqualis pariter foliorum numerus deprehenditur. Ex quo sequitur, manifeste fuisse ea omnia continuo ac una serie excusa. » Sic apud *Braunium* in *Notit. Hist. Lit.* p. 38 ; adhæret illi *Speculum peccatoris*, in nostro exemplari compacta sunt *Soliloquiorum* libri duo, *Speculum peccatoris*, *de Quantitate animæ* et Soliloquium *de Arra animæ*. Exorditur in summa pagina titulo : *Aurelii Augustini Hipponensis episcopi liber de ãie quantitate incipit feliciter.* Desinit in extrema folii ultimi : *Explicit liber Aurelii Augustini de anime quantitate.*

Augustiniani hujus libri artificium omnemque indolem late explicavit et commentarium quasi in eumdem contexuit sub extremum sæculi præteriti homo doctus Siculus in opere sequenti : *Animæ humanæ natura ab Augustino detecta in libris de animæ Quantitate, decimo de Trinitate et de animæ Immortalitate, exponente* Michaele Angelo Fardella, *Drepanensi, S. Th. D. et in Patavino Lyceo astronomiæ et meteorum professore, eminentissimo Henrico de Noris, S. R. E. cardinali consecrata. Venetiis, sumptibus Hieronymi Albricci* 1698; *in-fol.* Cujus argumentum expositum est in *Actis Erudit. Suppl.* III, p. 302-307. Contractius habetur in *M. Bibl. Eccles. Cola-*

* Numerus uncinis inclusus, qui præmittitur huic titulo sequentibusque, respondet numero ordinali quem adeptus est quisque liber in catalogo supra habito col. 24 et seq. EDIT

*niensi*, p. 729 sq. Ipse auctor denuo ideam operis sui delineavit epistola inserta Diario Italico, *Giornale di Minerva* T. III part. I, p. 29, *Venetiis apud Albriccium* 1700, *in-fol.*, hoc titulo : *Lettera al Illustrissimo ed Eruditissimo Sig. Antonio Magliabecchi, Bibliothecario del Serenissimo Gran Duca di Toscana, in cui si contiene l'argomento, e l'idea della sua opera già ultimamente stampata col titolo, Animæ humanæ natura ab Augustino detecta*, etc., testante *Antonio Mongitore* in *Bibl. Sicula* T. II, p. 71 (*a*).

*VI.* — (10) *De libero Arbitrio lib. tres.*

1524. *Basileæ*, *in*-8° D. Augustini de libero Arbitrio l. III. Ad fidem *Cat. Bibl. Traject.* p. II, p. 59, laudant Colonienses.

1568. *Coloniæ*, *in*-12. Iidem libri in Enchiridii formam redacti. Ejusdem de Prædestinatione et Gratia liber unus. Laudant *Possevinus App.* p. 154, *Hendreich Pand. Brandb.* p. 341. Cf. lib. *de Gratia.*

*Gallice* reddidit *Villefortius* cum libris *de Doctrina Christiana.*

*VII.* — (13) *De vera Religione.*

Singularem hujus libri editionem *Venetiis*, 1484, *in* 4° procusam laudant Colonienses; sed perperam. Nam quam illi viderint, ea nihil amplius fuit, quam particula et quidem extrema, *Opusculorum* ibidem editorum; unde ex subscriptione ad calcem proposita licebat hariolari.

*Versiones.*

*Duas* illius *versiones Gallicas* jam supra obiter commemoravimus. Prodiere autem

1647. *Paris, chez Anton. Vitré; in* 8° « Le livre de S. Augustin, De la véritable religion, traduit en françois, avec le latin ensuite, reveu exactement; par *Antoine Arnauld*, docteur de Sorbonne. » Repetita est *Bruxellis* 1675. Theologorum Lovaniensium errores a se observatos antiquiorum editionum et aliquot mss. codicum ope emendasse in præfatione professus est. Vid. *Magna Bibl. Colon.* et *Ant. Arnaldus*. Iterata vice prodiit a. 1652 et 1657. Nescio vero, qui liber prior sit in volumine, quive posterior. Utroque enim modo profertur a bibliographis.

1690. *Paris, chez veuve Jean-Bapt. Coignard ; in* 8°. « Les deux livres de St. Augustin, De la véritable religion et des mœurs de l'Eglise catholique, traduits en françois sur l'édition latine des PP. Bénédictins, avec des notes et des nouveaux sommaires des chapitres; par *Philippe Goibaud du Bois.* »

*VIII.* — (14) *De Utilitate credendi.*

1602. *Moguntiæ*... S. Augustini liber de Utilitate credendi ad Honoratum. Argumentis, notis atque analysi illustratus a *Justo Calvino*. Exstat in ejusdem sub ementito nomine *Justi Baronii Præscriptionum adv. Hæret. Tract.* a p. 423. In *Cat. Bibl. Bodl.* eumdem librum laudatum invenio a. 1605.

1680. *Lovanii, per Hieron. Nempeum; in*-12. D. Augustini liber unus ad Honoratum, de Utilitate credendi; ejusdem libellus de Catechizandis rudibus. *Cat. Bibl. Reg. Paris.*

*IX.* — (19) *De Sermone Christi in monte.*

1683. *Paris, chez André Pralard; in*-12. « Les Commentaires de S. Augustin sur le Sermon de N. S. sur la montagne, qui contiennent toutes les règles de la morale chrétienne, traduits en françois par *Pierre Lombert.* » Capita singula argumentis sunt instructa. Cf. *Journal des Savans* 1683, n. XXIII. p. 273.

1767. *Mantova, in*-8° « I due libri di S. Agostino, per ispiegare il *Ragionamento del Redentore a Discepoli sul Monte*, etc., trad. in Ital., con note del *P. Agostino Nicolo Bianchi.* » *Cat. Bibl. Firm.*

Plura de his libris disputare *Rich. Simonium* in *Hist. Crit. Commentat. N. T.* cap. 17 monent Colonienses; non item *Bælii* sunt in librum observata, quæ iidem laudant ex Dictionario ejus v. *Septimius Acindynos;* sed ibi simpliciter exponitur historiola, quam Constantii temporibus Antiochiæ sub Acindyno præfecto accidisse Augustinus narrat cap. 50 lib. I.

*X.* — (23, 24, 25) *Augustinus in Epistolas Pauli.*

1499. *Parisiis, per Udalr. Hering et Berth. Rembolt.* « Divi Augustini in sacras Pauli Epistolas nova et hactenus abscondita interpretatio : per venerabilem *Bedam* ex innumeris illius codicibus mira industria summoque labore collecta, ubi quid primum ammirari debeas, non facile judicabis; divinumve interpretis ingenium : aut singularem Bedæ in excerpendo pariter et expingendo sollertiam. Utcumque sit : Abissalem ibi comperies eruditionem. Porro interpretationi præfatæ septem aureas Chrysostomi omelias sapientes addere curaverunt impressores : quibus clarissimas Pauli laudes, dotes et præconia parvo labore, sed non mediocri fructu facile deprehendet lector studiosus. » Hæc titulus; cui insuper insigne Remboltianum et epigramma in operis commendationem impressa. In fine Commentariorum in Ep. ad Hebræos, post epilogum, operis summam iterum verbis complectentem : *Impressum est autem præsens opus ad omnipotentis Dei gloriam et fidelium salutarem eruditionem opera et impensa Udalrici Hering et magistri Bertholdi Rembolt sociorum. Parrhisiis in Sole Aureo vici Sorbonici. Anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCIX. Die vero XXVIII Novembris.* Præcedunt cum indice alphabetico rerum ac verborum admodum copioso, qui aversa statim tituli pagina incipit, præfationes *Gaufridi Boussardi theologorum minimi, ad Petrum Securabilem (sacrarum litterarum interpretem archidiac. Rothomag.) atque omnes viros studiosos et litt. amantes in sequens Bedæ et Augustini opus, et sancti Hieronymi in omnes Epistolas Pauli.*

Vetustam hanc *Flori* Lugdunensis *Excerptorum* editionem commemorare visum est, non solum quia

(*a*) Auctorem Bibl. Siculæ non satis curiose inspexit auctor hujus articuli in *Bibl. Eccl. Coloniensi*, dum duplicem hujus epistolæ editionem, alteram seorsim a. 1700 *Ven. in-fol.*, alteram in laudato *Diario* fingit, cum potius hoc ipso anno et loco eaque forma tertium volumen Diarii illius editum sit,

paucis innotuisse eam cognovimus, sed maxime etiam propterea, quod mss. ejus collectionis codices haud raro cum fructu a PP. Maurinis consulti sunt.

—

Ad Epistolam ad Romanos spectat opus a Coloniensibus laudatum : *Augustinus, Pauli ad Romanos interpres apostolico - romano - catholicus, seu Via Veritatis et Vitæ, in unitate fidei salvificæ, per genuinam interpretationem S. Augustini super Epistolam ad Romanos, perque varias deductiones Theologico - polemicas, contra Atheos, Paganos, Judæos, Mahometanos, Hæreticos et Infideles quoscumque, novissime ac perspicue demonstrata per* Barthol. Fibus *Soc. Jesu, S. theol. doctoris.* Coloniæ Agripp. 1696, *in-fol.*

*XI.* — (27) *De Continentia.*

*Versionem* hujus libri *Gallicam* v. infra n. xvii.

*XII.* — (29) *De diversis Quæstionibus VII libri duo.*

Editi sunt in collectione *Quæstionum* Augustini, Lugduni 1497, *in-fol.*, quam vide inter *Opuscula ejusdem.*

*XIII.* — (32) *De Doctrina Christiana.*

Sæc. XV. — *Sine anno et loco, in-fol.* S. Augustini ep. de Doctrina Christiana libri IV. Profert *Ge. Pray* in *Indice libr. rar. Bibl. Budensis* typum vetustissimum dicens, quod ex defectu numeri paginarum, item custodis et aliorum signorum recte conjectaverat. Addit ibi sententias singulas uno puncto esse discretas, litteram *i* ubique caudatam apparere, etc. præterea litteras initiales exemplaris illius picturatas esse. Adeo autem obtusus est voluminis hujus character, ut vir laudatus litteras magis ad ligneas, quam ex ære fusas accedere prodiderit. Insuper, quod longe etiam memoratu dignissimum est, insignem hujus voluminis a reliquis, quæ vulgo præstant, illius libri editionibus discrepantiam notavit ejusdemque specimina aliquot ab initio et fine librorum desumpta proposuit, quæ nec nos omittenda duximus. Itaque initium libri I sic se habet : *Hoc opus nostrum, quod inscribitur de Doctrina Christiana, in duo quedam fueram prima distribucione partitus. Nam post prohemium quo respondi eis qui hoc fuerant reprehensuri. due sunt res inquam quibus nititur omnis tractacio scripturarum. modus inveniendi que intelligenda sunt. et modus proferendi que intellecta sunt. De inveniendo prius de proferendo postea disseremus. quia ergo de inveniendo multa jam diximus. et tria de hac una parte volumina absolvimus. adjuvante domino de proferendo pauca dicemus, ut si fieri potuerit uno libro cuncta clamamus* (claudamus) : *totumque hoc opus quatuor voluminibus terminetur.* Finis libri IV autem : *Longius evasit liber hic quam volebam. quamque putaveram..... Ego tamen domino nostro ihesu christo gratias ago. quod in his quatuor libris. non qualis ego essem cui multa desunt. sed qualis esse debeat qui in doctrina sana. non solum sibi sed et aliis eciam laborare studet. quantulacumque potui facultate disserui. Explicit quartus de doctrina Christiana beati Augustini episcopi.*

*Sine anno et loco, in-8° maj.* B. Augustini.... liber de Doctrina Christiana divisus in quatuor partes. Incipit statim a prologo libri primi. In fine : *Finit opus egregium aurelii augustini ipponensis epi de doctrina xstiana in quatuor libros distinctum valens oimode pro itellectu scripturaru et serie proferedi easdem qualis* (sic) *doctorem decet catholicu.... Deo gracias.*

Impressum est volumen charactere Gothico luculento in charta pura et densa. In superiori margine libri, in inferiori vero plagulæ numerus notatur, sed custodes et foliorum numeri desunt.

*Sine anno et loco* [*Argentorati apud Jo. Mentelinum*]; *in fol.* Augustini liber de Arte prædicandi (qui quartus est ejusdem de Doctrina Christiana). Editor anonymus cum valde utilem prædicantibus hunc librum fore existimaret et propter totius operis magnitudinem vix paucis innotescere eum videret, bene mereri de aliorum studiis hoc voluit, quod a reliquo corpore segregatum typis multiplicandum daret. Nec levem etiam, si fides ipsi habenda est, operam in corrigendo et emendando ex pluribus exemplaribus posuit, qua de re ipsa ejus verba non indigna judicamus, quæ memoriæ serventur, quæ sic sonant : *Feci ergo. deo teste magnam per ejus correctionem diligenciam. ita. quod omnia exemplaria. quæ in studio heidelbergensi nec non in spira et in wormacia. atque tandem eciam in Argentina in ullis librariis reperire potui. diligenter proinde respexi. Et. cum inter hec. experimento discerem. quod idem liber augustini. raro invenitur eciam in magnis et preciosis librariis. Et adhuc rarius. de ullo ex eisdem librariis ad rescribendam potuit. haberi. Atque eciam quod pejus est. rarissime correctus sive emendatus inibi queat reperiri. Idcirco permotus fui. ad hoc studiose laborare, ut secundum exemplar meum. tanto nunc studio et labore quantum saltem potui correctum. dictus libellus taliter in brevi tempore multiplicari posset. ut ad plurimorum usum et ad omnem profectum ecclesiasticum. facile et cito perveniret. Quapropter. cum nullo alio modo sive medio. id expedicius fieri posse judicarem. discreto viro* Johanni mentelino *incole argentinensi impressorie artis magistro. modis omnibus persuasi. quatenus ipse assumere desiguaretur. onus et laborem multiplicandi hunc libellum. per viam impressionis. exemplari meo ante oculos habito*, etc. Inscripta est hæc præfatio : *Canon pro recomendatione hujus famosi operis sive libelli sequentis. de arte predicandi S. aug.* Volumen impressum est foliis 21 charactere Gothico minuto, obtuso et oculis ingrato lineis latis, quarum 39 paginam faciunt. Absunt vero omnes cujuscumque generis chartarum et paginarum notæ. Prima atque ultima pagina nudæ sunt relictæ atque seorsim adjicitur duabus plagulis rerum notabilium index bene instructus. Dirigitur nimirum juxta litteras, quibus omnis textus, continuus ceteroquin, in plurimas sectiones juxta alphabeti ordinem (A-LL.) est descriptus, ita quidem, ut mediis lineis ab initio particulæ cujusvis eæ sint insertæ. Quocirca ipse editor in

præfatione : *Intermixtæ sunt*, inquit, *operi litteræ majusculæ tam simplices quam duplicatæ. deserviunt pro ejusdem libelli tabula alphabetica. in fine ejus posita. quæ tabula ad easdem litteras remittit per singula puncta. Et quisque cui placuerit. poterit eas faciliter manu sua per pennam. eciam in marginibus nigro vel rubrico colore signare. correspondetur ad istas intra litteram positas. quod non parum utile erit. quia citius in margine positæ occurrent quærenti. Et sic. per remisiones tabulæ ad ipsas easdem litteras. unumquodque ex hoc libello contentorum. ad vota cum placuerit. cito potuerit reperiri.* Cæterum experta est hæc editio diligentiam bibliographorum doctissimorum cl. *Morelli* in *Bibl. Pinell.* T. I. p. 87, sqq., et *Placidi Braun* in *Notitia Hist. Litt. libr. ab artis typogr. inventione ad a.* 1479 *impress. in Bibl. Monast.* B *ad S. Udalr. et Afram Aug. Vind.* p. 3.

— [*Moguntiæ per Jo. Fust.*] *in-fol.* Idem liber ex præcedenti editione fidelıter expressus, adeo ut in præmonitione impressoris tantum nomen mutatum sit atque hic legatur : *Discreto viro Johanni Fust incole maguntinensi impressorio artis mgro. modis omnibus persuasi*, etc. Cæterum constat hoc volumen foliis 22, quorum duo priora occupat præfatio, dehinc textus protenditur ad medium folium 17, tandem tabula materiarum sequitur, postremo denique foliis duobus, altero aversa, altero adversa pagina impressis tractatuli duo : *De tribus precipuis operibus predicatoris*, et *De tribus generibus dicendi, quibus uti debet predicator* claudunt. Plura vide apud *Deburium* in *Cat. Bibl. Duc. de la Val.* T. I, p. 174. Obi- C ter eumdem commemorat *Cat. Bibl. Bunav.* Cf. *Mémoires de Trévoux* 1765, *Juin* p. 1454, et cl. *Steigenberger* l. l. p. 47. Quod ætatem hujus et superioris editionis attinet, Deburio jam animadversum est, *Fustinam* vel ipso anno 1466, vel ante eum expressam esse debuisse, quoniam compertum est, *Jo. Fustum* post hunc annum artem suam exercere desiisse. Utra vero antiquior sit, hæc, an Argentoratensis, de eo dubitat *Morellus*, minus ambigit *Gerh. Steigenberger*, Argentinensi primum locum assignare inductus, primum, argumento duorum opusculorum, quibus Moguntina Argentinensi est locupletior, quæ quidem de novo potius illi accessisse, quam in hac fuisse omissa censet; deinde etiam, quod præ- D fatio Moguntinæ quatuor lineis, quæ nova est ejus observatio, sit prolixior. Quibus addimus tertium, quod litteræ, quibus textus in sectiones distinguitur, in Moguntina non jam mediis lineis inspersæ, sed in margine interiori collocatæ conspiciantur, quo artificii aliquem progressum agnoscere mihi videor. Jam vero optaverim, ut vir doctus aliquis, cui Fustinæ editionis sit copia, præfationem excutiat, animumque intendat ad hoc, num iisdem verbis ibi legantur, quæ in Argentinensi de litteris illis calamo in margine privato studio pingendis erant monita. Quod si nihilominus factum cognoscet, negligentia in istius temporis editionibus non adeo rara accidisse oportet.

— *Ibidem, per eumdem ; in-fol.* Idem liber ejusdem editionis, priori valde, nec tamen per omnia similis. — Testatur se vidisse apud amicum quemdam *Morellus* l. 1, p. 9, atque in bibliotheca Canon Regular. Rottenbuchii deprehendit *Cl. Gerhoh. Steigenberger* in tr. *üb die zwo allcraelteste gedr. deutsche Bibeln.* (*Münch.* 1787, *in-4°*), p. 48.

Sæc. XVI. — 1527. *Coloniæ, apud Heronem Alopecium* ( *impensis Godefr. Hittorpii* ), *mense Julio ; in-8°.* D. Aur. Aug. de Doctrina Christiana libri quatuor, omnibus sacram scripturam vel recte intelligere, vel fructuose populo proponere volentibus, perquam et utiles et necessarii.

1554. *Venetiis, per Joa. Patavinum et Venturinum de Ruffinellis ; in-8°.* D. Aur. Aug. de Doctrina Christiana libri IV, etc., ut in præcedenti.

*Sine anno. Coloniæ, in-8°.* S. Augustinus de Doctrina Christiana. *Cat. Bibl. S. Aug. ad Nidum Neapoli.*

Sæc. XVII. — 1601. *Antuerpiæ, in-8°.* Laudant Colonienses.

1604. *Wittembergæ, typis Cratonianis ; in-8°.* S. Aur. Augustini de Doctrina Christiana l. IV. Cf. præf. *Sal. Gesneri.* Cf. *M. Bibl. Eccles. Colon. Cat. Bibl. Thott.*

1629. *Helmstadii ; in academia Julia, typographeo autem Calixtino, excudit Henningus Mullerus ; in-8°.* Sancti Patris et Doctoris Aurelii Augustini, ep. Hipp. de Doctrina Christiana libri IV, de Fide et Symbolo liber unus : Vincentii Lerinensis commonitorium. *Georgius Calixtus* recensuit et edidit. — Laudatissimus ille theologus cum forte occasione, quam recusare ægre poterat, sibi oblata typos Græcos et Lati- C nos una cum prelo et reliquis ad artis typographicæ exercitium necessariis armis emisset, justam domi officinam instruxerat, ex qua et propriæ delectationis et a serioribus studiis relaxationis causa et in studiosorum, quibus angusta domi res esset, gratiam, annuente principe Brunovi ensi, complures ab hoc inde anno utiles libellos inque iis prima hæc Augustini et Vincentii volumina foras dedit. Ipse instituti hujus rationem in epistola his præmissa ad Petrum Tuckermannum (Theol. Doct. Aulæ et Ditionis Brunsvicensis protoecclesiasticen et abb. Riddageshusanum) uberius explicavit. Quod librorum vero horum edendorum concernit consilium, de eo ita in subjecto ad lectorem proœmio præcepit, ut simul universam eorum indolem et descriptionem patefaceret et lau- D daret. Nec vero cavere sibi potuit, quin apud multos tunc temporis religiosæ opinionis homines ob Vincentii de Ecclesiæ traditione dogmatis commendationem male traduceretur. Cum reliquas aliquot in calce libri superfuturas cerneret plagellas *Paciani Ep. ad Sympronianum fratrem epistolam tertiam* iis inscribere placuit.

1643. *In Venezia, in-4°.* S. Augustinus de Rhetorica ecclesiastica (qui est liber IV de Doctrina Christiana). Exst. in *Autori del ben parlare*, vol. XII, part. ult., p. 57.

1655. *Helmstadii, ex typogr. Calixtino, opera Henningi Mulleri, in-4°.* «Aur. Aug. de Doctrina Christ. libri IV, etc. Ge. Calixtus recensuit et edidit. Editio

prima prodiit anno cIↃIↃCXXIX; nunc succedit altera anno cIↃIↃCLV.» Accessit in hac altera editione titulo *Admoniti ad lectorem* disputatio Calixti *de Symbolis et Confessionibus veterum Christianorum*, cui temporum injuria insigne aliquod momentum conciliabat.

A

Sæc. XVIII. — 1769. *Lipsiæ, sumptu Jo. Frid. Langenhemii; in*-8°. Aur. Augustini, Hipp. ep. de Doctrina Christiana libri IV, e recensione Benedictinorum e congregatione S. Mauri. Varietate lectionum animadversionibusque brevibus illustravit, atque cum præfatione S. R. *Joh. Frider. Burscheri, Th. D. et P. P. O.*, etc. edidit *Joh. Christ. Beniam. Teegius, Schol. Sangerhus. Colleg. III.* — Ad elegantiam hujus descriptionis accedit insignis a munditie chartæ ac typorum commendatio, quæ optare facit, ut plura optimorum Patrum Græcæ ac Latinæ Ecclesiæ scriptorum exemplaria pari cura instructa et æque luculenter excusa venalia redderentur. Theologus Lipsiensis interpretem suscepti ab editore negotii agens, ipsum a præfandi necessitate liberavit. Secutus vero est *Teegius* textum Benedictinorum ex Antuerpiana Clerici iteratione descriptum et varietate *Amerbachianæ* et *Erasmianæ* anni 1569, nec non utriusque Helmstadiensis mactatum. Commode etiam harum et Benedictinæ simul recensionis partitiones diversis numeris sunt expressæ, additusque est index non contemnendus.

B

*Versiones.*

Duæ *Gallicæ: Colletetii* altera, altera a *Villefortio*, unaque *Germanica* Hedionis de qua supra in *Collectionibus egimus.*

C

1636. *Paris, chez Jean Camusat, in*-12. « La Doctrine Chrestienne de S. Augustin, divisée en IV livres, avec le manuel adressé à Laurentius, le tout traduit en françois par *Guillaume Colletet.* »

1701. *Paris, chez Jean-Bapt. Coignard, in*-8°, *II voll.* « Les livres de la Doctrine Chrétienne de S. Augustin et les livres de l'Ordre et du Libre Arbitre, du même. Traduits en françois sur la nouvelle édition latine des PP. Bénédictins de la Congrégation de S. Maur. » Auctor est Dn. de *Villefort*, qui plures Augustini libros insigni cum laude in linguam Gallicam transtulit. De præsenti enim traductione auctores *Diarii Eruditorum Paris.* 1702, p. 195, sic testantur: « Les matières que S. Augustin traite dans ces trois ouvrages, et particulièrement dans le livre de l'Ordre, étant abstraites, ils étoient très-difficiles à traduire d'une manière intelligible et agréable. C'est cependant ce que *M. de Villefort* a fait, ayant trouvé le moyen, en rendant exactement le sens de son auteur et s'attachant à la pureté des termes, d'égaler la beauté et la liberté de l'Original. » Præterea tenendum est, utrumque hujus versionis tomum etiam seorsim haberi, adeo, ut de Doctrina Christiana libri IV, itemque reliqua peculiari volumine constent. Cf. *Cat. Bibl. Reg. Paris.* T. I, p. 379 sq., n. 724 et 727. Nescio vero, quid sit, cur ibidem versio hæc nomen *Philippi Goibaud du Bois* ferat. Fuerat is Academiæ Parisiensis socius anno 1674 vita functus haud inceleber. Nec me fugit nomen ejus ementitam esse versionem aliam, nempe libri spurii *Soliloquiorum*, ut suspenso hoc signo merx esset vendibilior. Sed hujus auctor nec latuit, nec latere voluit, immo maximopere famæ traducendis pluribus Augustini libris studuit. Quocirca equidem de errore confectoris Regii Catalogi jam vix dubito.

D

*Compendium Doctrinæ Christianæ ex Augustini libris* excerptum edidit *Theod. Bibliander* episcopocellensis, *Theol. Prof. Tigurinus.* Basil. 1550, *in*-8° *Lipen.* et ex eo *Colonienses.* Juxta eosdem quartum hujus operis librum, qui de eloquentia sacra potissimum tractat, diligenter excussit, ejusque sententiam non alia esse eloquentiæ Christianæ præcepta, quam Civilis, pluribus astruxit *Balth. Gibert*, rhetorices quondam in collegio Mazariniano professor, in *Jugemens des Sçavans sur les Auteurs qui ont traité de la Rhétorique.* T. II, p. 125-135. Paris. 1716, quem librum indicarunt *Acta Erudit. Lips.* 1721, p. 257.

*XIV.*— (35) *Augustini Confessionum libri tredecim.*

Sæc. XV. — 1475. *Mediolani, in*-4°. S. Aurelii Augustini Confessionum libri XIII. Folii ultimi pagina adversa impressi versiculi cum subscriptione:

Quam lætum augustina ferat confessio fetum
Præsens fratre refert pagina pressa suo.
Theutonicis delatus enim bonus ære Joannes
Hoc mediolani fertile pressit opus.
Anno Incarnation̄s Domini M° CCCC° LXXV° :
XII° Kalendas Avgvsti :

Character rotundus est, elegans, lineæ per paginam latæ 26 Desunt numeri, signaturæ, custodes. *Saxius* tribuit *Joanni Wurster de Campidonia.* Cf. *Cat. Bibl. Crevennæ noviss.* Duo exempla illius servabat *Bibl. Pinelliana.*

1482. *S. l. in*-8° *min.* Confessionum libri XIII. Eadem voluminis descriptio est idemque character, quem in libris *de Doctrina Christiana* simili forma sine l. et a. excusis notavimus, solo libri numero in superiori margine deficiente. Incipit a locorum quorumdam obscurorum in his Augustini libris annotatione, quæ alteram folii primi paginam replet, prima vacua relicta. In fine : *Explicit ɔfessionū beati augustini liber XIII. Anno dn̄i MCCCCLXXXII. in pfesto lauretij.*

*Editio Veneta*, a. 1484, *in*-4°, quam *Colonienses* laudant, non est unius hujus libri, sed opusculorum plurium, quam suo loco latius descripsimus.

*Sine anno et loco, in-fol. min.* B. Augustini episc. libri Confessionum. Volumen est foliorum impressorum 152, quibus in aliis exemplaribus, ut in eo, quod cl. *Braun* manu versavit, præcedit unum non impressum, in nostro deperditum. Incipit a particula *Ex libro Retractationum sancti augustini episcopi.* Formula finalis desideratur, miniatori ascribenda relicta, id quod in nostro exemplari tam in fine totius, quam singulorum librorum, factum est. Nec initia librorum magnis spatiis a fine præcedentium, sed una tantum linea, *Sancti Augustini liber.....*

*Incipit*, discreta comparent. Character est gothicus medius obtusior (*a*), paginæ lineas latas 32 complectuntur amplis marginibus circumdatas. Distinctionis signa punctum, colon et interrogationis nota. Absunt omnino custodes, signaturæ, numeri et tituli paginarum. Meminere hujus rarissimi libri *Deburius in Cat. Bibl. Duc. de la Val.* T. I, p. 168. Cl. *Morellus* in *Bibl. Pin.* T. I, p. 90 sq., ac nuper iterum descripsit *Plac. Braun* in *Notitia Hist. Lit.* (1788) p. II. Ac hic quidem ad insignem ejus vetustatem confirmandam observat, in *exemplari Tegernseensi* a calligrapho ascriptum esse annum 1470.

Aliam horum librorum editionem, quaternis, nulla apposita *loci*, *anni* et *typographi*, aut editoris nota, quam tamen Romanum putat, sæculi XV certe, notavit *Audiffredus* in *Cat. Bibl. Casanat.* Adde *Cat. Bibl. Pinell.*

Sæc. XVI. — 1531. *Coloniæ*, *in*-8°. Augustini Confessionum libri tredecim. *Cat. Bibl. Bernens.* T. I, p. 15.

1563. *Lovanii*, *in*-12. S. Augustini Confessionum libri XIII. *Cat. Bibl. S. Angeli ad Nidum Neapoli.*

1567. *Antuerpiæ*, *in*-8° Iidem libri. *Possevinus* in *App.* T. I, p. 154, ex eoque *Hendreich* in Pand. Brandeburgicis, *Lipenius* et *M. Bibl. Eccles. Col.*

1568. *Ibidem*, *in*-16. Iidem libri. *Possevinus* et ex eo *Colonienses.*

1569. *Coloniæ*, *in*-12. Idem libri. *Hendreich.* Sed nescio, an idem sit liber, quem e *Possevino* laudant *Colonienses*, *Confessionum S. Augustini libri XIII. in Epitomen redacti a* Jo. Schwaygero *in-fol.* Schweigero, *collegii ad B. Virginem Francofurti Scholastico*, *Coloniæ apud Cholinum.*

1573. *Lovanii*, *in*-8°. S. Augustini Confessionum libri XIII. *Hendreich.*

1578. *Basileæ*, *in*-8°. S. Hilarii et Augustini Confessiones. *Coloniens.*

1581. *Wirceburgi*, *in*-12. S. Augustini Confessionum libri XIII. *Hendreich.*

1588. *Turoni*, *apud Claudium Michaelem* (....). Iidem libri. *Possevini App.* T. I, p. 154.

Sæc. XVII. — 1604. *Coloniæ*, *Agrippinæ in officina Birkmannica*, *in*-12. D. Aur. Augustini libri XIII Confessionum : ejusdem confessio theologica et expositio succincta missæ Romanæ : omnia ex ms. cod. emendata, opera et studio theologorum Lovaniensium. *Cat. Bibl. Reg. Paris.*

1606. *Lugduni*, *in*-12. S. Augustini libri XIII Confessionum juxta Lovaniensium correctionem. *Hendreich.*

1607. *Duaci*, *in*-8. S. Augustini Confessionum libri XIII, editi per H. Sommalium. *Cat. Bibl. Bodl.*

1608. *Lugduni*, *in*-12. Iidem libri ex recensione Lovanien. *Hendreich.*

1610. *Ibidem*, *in*-12. Iidem libri. *Hendreich.*

1619. *Coloniæ Agrippinæ*, *in*-12. D. Augustini Confessionum libri XIII, per H. Sommalium. *Cat. Bibl. Mus. Britt.*

1628. *Duaci.* 16. Iidem libri ex ejusdem recensione. *Lipen.* et *Colon.*

1629. *Coloniæ Agrippinæ*, *ap. Corn. ab Egmond.*, *in*-24 (vulgo *in*-12). D. Aur. Augustini libri XIII Confessionum ad tria mss. exemplaria emendati opera et studio Henrici Sommalii. S. J.

1630. *Ibidem*, *in*-24. Iidem libri. *Hendreich.*

—*Dilingæ*, *in*-8°. S. Augustini Confessionum libri X priores cum notis et summariis Henr. Wagnereck Soc. J. *Colonienses* ex *Alegambii Bibl. SS. S. J.*

1631. *Coloniæ Agripp.*, *in*-8°. S. Augustini Confessionum L. XIII, per Henr. Sommalium.

1632. *Ibidem*, *in*-16. S. Augustini Confessionum libri X priores, per Henr. Wagnereck. Occurrit ejusdem a. et l. editio apud *Hendreichium.* Nos addidimus titulum libri, cum certum sit, nonnisi X libros a Wagnereckio esse in lucem editos.

1637. *Coloniæ Agr.*, *sumpt. Corn. ab Egmond. et soc. in*-12. D. A. Augustini . . . . . libri XIII Confessionum. Editio Sommalii.

1638. *Ibidem*, *in*-12. Iidem libri. *Hendreich*

1640. *Ibidem*, *in*-8°. Iidem libri. *Hendreich.*

1645. *Lugduni ap. Sim. Rigaud. in* 16 (vulgo *in* 12). Eadem Sommaliana recensio.

1646. *Coloniæ*, *apud Jodoc. Kalcovium et socios*, *in*-12. D. A. Aug. Conf. libri X, cum notis R. P. Henrici Wagnereck Soc. Jesu. Præter notas cuicumque capiti *usus* suus subjectus est. Ad hanc editionem quodammodo pertinet et cum exemplari quidem, quod manu terimus, compactus est liber hoc titulo munitus : *Rei Pœnitentis Simplex et Humilis Confessio, cum Sermone de S. Augustino.* Ibid. apud eumd.

1647. *Ibidem.* Iidem libri X, per eumdem. *Hendreich.*

1649. *Coloniæ Agr.*, *sumpt. Egmond. in*-16 vel *in*-24. D. A. Aug. Confess. l. XIII, opera Sommalii.

1650. *Antuerpiæ*, *ex off. Plant. Balthazaris Moreti*, *in*-8°. D. Aur. Aug. libri XIII Confessionum. Hendreichius editionem Antuerpiensem tamquam repetitionem editionis Wagnereckianæ profert. Sed perperam, nisi forte plane diversam viderit. Argumento sint ea, quæ ex diligentiori ejus inspectione referunt Colonienses. « Typographus monet se, cum audiret præ cæteris laudari exemplar a R. P. *Sommalio* recensitum, varias ejus editiones conquisivisse, earumque facta comparatione, multos errores typographicos emendasse, ac postea exemplar contulisse cum editione Operum S. Augustini a *Christophoro Plantino* excusa, idque in multis discrepare animadvertisse, attamen in quibusdam P. *Sommalii* recensionem, in aliis *Plantinianam* editionem præferendam censuisse. *Quod ne temere fecisse culpares, adhibui codicem ms. antiquissimum, qui ante plura sæcula conscriptus cum*

(*a*) Eodem, inquit *Braunius*, quo impressa fuerit Epistolarum S. hujus Doctoris absque anni locique professione editio, ut adeo ex eadem officina utraque prodierit.

*aliis multis mss. codicibus in hoc Plantiniano typographeio asservatur.* Hunc codicem fidelissimum expertus, ex ejus auctoritate emendavit exemplar a *Sommalio* recensitum, idque gaudet, quod viri docti, quibus correctiones suas ostenderit, non improbaverint. »

1652. *Duaci*, *in*-12. Iidem libri ex ed. Sommalii. *Cat. Bibl. Thuaneæ.*

1661. *Coloniæ*, *in*-12. Iidem libri. *Hendreich.*

1665. *Lugduni*, *in*-24. Iidem libri. *Cat. Bibl. Nic. Rossii.*

1675. *Lugd. Bat.*, *ap. Elzevir*, *in*-12. S. Augustini Confessionum libri. Profert *Debure* in *Biblioyr. instr.* T. I, p. 249. Adde *Cat. Ducis de la Valière.*

1679. *Bruxellis*, *in*-8°. Iidem libri per eumdem Sommalium recensiti.

1685. *Augustæ Vindelicorum*..... S. Augustini Confessionum liber octavus ex Sommalii recensione. Exst. in Pio Litterati hominis secessu *Theoph. Spizelii* a pag. 42.

1687. *Parisiis*, *ap. Jo. Bapt. Coignard*, *in*-12. S. Aur. Augustini libri XIII Confessionum emendatissimi et notis illustrati, cum novis in singula capita argumentis.

1699. *Antuerpiæ*, *vel Coloniæ Agr. apud Corn. ab Egmond*, *in*-24. Iidem libri. Ita plane proferunt Colonienses.

Sæc. XVIII. — 1740. *Antuerpiæ*, *apud Gotthard. Joan. Püttnerum*, *in*-8°. D. A. Aug. Confess. l. XIII, studio Sommalii. Binis columnis paginæ impressæ sunt.

1743. *Antuerpiæ*...*in-fol.* S. Augustini Acta priora sive prima vitæ pars S. Doctoris ab infantia usque ad 33 æt. annos excerpta ex IX prioribus libris Confessionum. Exst. in Actis SS. Augustini tomo VI, p. 387 sqq.

1757. *Florentiæ*, *ex typographio Petri Cajetani Viviani*, *ad insigne Jani.* S. Aur. Augustini, Hipp. ep. Confessionum libri tredecim vario Commentariorum genere illustrati, ab æmulorum obtrectatorum vel datis, vel dandis, seu conviciis, seu censuris, seu etiam cavillationibus vindicati et expediti opera et studio *Fr. Archangeli a Præsentatione*, sacerd. professi Carmelitæ Excalceati Theol. et S. S. lectoris.

1776. *Parisiis*, *typis Philippi-Dionysii Pierres*, *via San-Jacobæa*, *in*-16. Divi Aurelii Augustini, Hipponensis episcopi, Confessionum libri tredecim. Ad calcem additæ sunt variæ lectiones. Editio nitidissima, accuratissima atque emendatissima, in qua nihil omissum, quod ad partes typographicas et emendationem pertinet. Quippe non solum ad impressa melioris notæ exacta fuit, sed collata est etiam cum codicibus manuscriptis bibliothecarum, Regiæ ac San-Genovefanæ, quorum omnium *variantes* copiosissimæ diligentia insuperabili viri cujusdam docti *L. St. Rondet*, cujus eximias in hoc genere virtutes in præfamine debita laude prosequitur typographus, excerptæ ad calcem exstant. Interspersæ etiam sunt notulæ quædam; addita *librorum et capitum summaria* summa cura confecta, ut et ab initio *Augustiniani Annales*, *sive Compendiosa D. Augustini Vita cum suis annorum notis.* Idem typographus pollicitus erat, se, si lectores huic ejus suscepto et specimini faverent, ad alia Patrum Latinorum scripta minora simili nitore ac castigatione foras danda perrecturum : quod ejus promissum successum habuerit, necne, ignoro. Codicum vero, qui hoc loco usum præstiterunt, elenchum infra dabimus.

*Versiones*

Exstant *Italicæ*, *Hispanicæ*, *Lusitanicæ*, *Gallicæ*, *Anglicæ*, *Germanicæ*. Nec vero mirabitur quispiam viri tam eximie, ne dicam tanta adoratione culti vitam ab ipso tam insigni arte ingenioque superante perscriptam a multis cum voluptate esse lectitatam. Immo summis etiam per proxima abhinc tempora viris adeo placuit sancti doctoris institutum, ut imitari non indignum ducerent, id quod Petrarcha, Huetius, et nuperrime, qui nomen etiam traduxit, Russavius, quisque pro ingenio suo, modo pressius, modo ex longinquo Augustinum secuti, effecerunt. Singulas ergo ordine indicato enumerabimus.

*Italicæ.* — 1561. *In Venetia*, *presso Bolognino Zaltieri*, *in*-4°. « Le divote Confessioni del Divino Padre S. Agostino tradote (*sic*) per l'eccellente medico M. *Vincenzo Buondi.* » Cf. *Cat. Bibl. Crevennæ noviss.*

1595. *Roma*, *nella tipografia Medicea*, *appresso Giacomo Luna*, *in*-4°. « Confessione di S. Agostino tradotti di Latino in Italiano per il S. *Giulio Mazzini* nobile Bresciano. Ed con alcune annotazioni dal medesimo illustrati cosi nelle margini, come nel fine de' Capitoli, etc. » *Cat. Bibl. Casanat.* et *Crevennæ noviss.*

1620. *Milano*, *per Gio Batt. Bidelli*, *in*-4°. « I tredici libri, etc., » ejusdem versionis. Cf. *Bibl. degli Aut. volg.* sæpius a nobis laudata.

1760. *In Venezia*, *appresso Marzellino Piotto*, *in*-4°. « Delle Confessioni di Sant' Aur. Agostino Vesc. di Bona, libri tredeci da copiosi Commentarj illustrati e dalle censure degli aversari difesi : e volgarizzati del P. *Giangiuseppe da S. Anna*, Carmelitano scalzo della provincia di Venezia. » Immensa notarum ex omni Commentatorum populo colluvies. Imprimis Coloniensem interpretem Henr. Wagnereck studiose excerpsit.

*Philippus Alegambius* ex S. I. in *Bibl. SS. Soc. Jesu* novissime Romæ 1676, a *Nathanaele Solvello*, edita p. 830, in recensu librorum tacitis auctorum nominibus a commilitonibus S. I. editis notat etiam *Confessiones Augustini Italice redditas*, auctore *Jacobo Fuligato*, idque transcripserunt Hendreichius in Pandectas Brandeb. et Colonienses in M. Bibliothecam Ecclesiasticam; sed neuter illam vidit, neque ego quidem ejusmodi versionem, quæ intra annos 1621-1653 prodire debuisset, uspiam memoratam inveni.

*Hispanicam versionem Confessionum Meditationum*,

*Soliloquiorum et Manualis D. Augustini* curavit *Petrus Ribadeneira* Toletanus ex S. I. Matriti 1598, II tomis, quæ repetita est in *Operibus ejusdem* Matriti 1604 in-fol. editis, part. III, p. 633 sqq. Hendreich in Paud. Brandeb. Hispanicam commemorat *Bruxellis* 1674, in-24. Sed illius auctoritatem parvi pendendam esse crebro usu edoctus sum.

*Lusitanice* convertit *Sebast. Toscano* sive *Tuscanus* eremita Augustinianus Portuensis, cujus versionis duas editiones *Antuerpiæ* 1555, et *Coloniæ* 1556, prodidit *Nic. Anton.* in *Bibl. Hisp.* T. II, p. 186. Hendreich l. l. perperam tamquam Hispanicam citat.

*Gallicæ.* — *Primam* laudant Colonienses *Parisiensem* 1609, *in*-8°, cum Annotat. *Hernequinii.* Hanc subsecuta est versio *Renati Ceriserii* (*René de Ceriziers*) ex S. I. quam *Lugduni* 1649, *in*-12, et 1650, *in*-24, prodiisse iidem referunt. Nos recentiorem deinde ostendemus. Successerunt *Arnaldus Andilliacensis* eodem a. 1649, et novissimus *Duboisius*, qui absque codicum mss. subsidio sola ingenii sagacitate et eruditione accurataque sententiarum Augustini cognitione fretus, plurima feliciter correxisse dicitur. Utriusque opera frequentissime typis est descripta, ex quibus ea, quæ nobis disquirentibus se obtulerunt, jam enumerabimus.

1649. *Paris, chez veuve Jean Camusat, in*-12. « Les Confessions de S. Augustin, traduites en françois par *Robert Arnauld d'Andilly.* » Eædem repetitæ apud eosdem bibliopolas a. 1651.

1659. *Paris, chez Pierre le Petit, in*-8°. « Les Confessions de S. Augustin, traduites en françois par *Robert Arnaud* d'*Andilly*, septième édition avec le latin à côté, reveu et corrigé sur douze anciens mss., et des notes à la fin, où l'on rend raison des principales corrections par Antoine Arnauld, docteur de Sorbonne. » Eamdem ab eodem typographo a. 1656, in-12. excusam laudat *Cat. Bibl. Casanat. Hendreichius* quoque repetitiones annorum 1653, 1660 et 1665, notat.

1675. *A Paris, chez Pierre le Petit, in*-8°. « Les Confessions de S. Augustin traduites en françois par *Arnaud d'Andilly*, nouv. éd. » *Hendreichius* in *Pand. Brandeb.* commemorat versionem factam *par les Messieurs de Port-Royal*, et impressam hoc anno Bruxellis in-12. Editiones item a. 1671 Parisiis in-12, nec non Bruxellis 1691 in-8°, factas se vidisse testantur Colonienses, p. 734, n. 68.

1688. *Paris, chez Jean Bapt. Coignard, in*-4°. « Les Confessions de S. Augustin, traduction nouvelle sur l'édition latine des PP. Bénédictins, avec des notes et des nouveaux sommaires des chapitres par *Philippe Goibaud du Bois.* » Prima lucem vidit a. 1686. Eadem vero apud eosdem bibliopolas repetita a. 1700 et 1716

1690. *Bruxelles, chez François Foppens, in*-8°. « La Conversion de S. Augustin décrite par lui-même » (liber VIII et IX Confessionum).

1703. *Paris, chez Chart. Robustel, in*-12. « Les Confessions de S. Augustin abrégées, où l'on n'a mis que ce qui est le plus touchant et le plus à la portée de tout le monde, traduction nouvelle par *Simon Michel Treuvé.* »

1709. *Paris, chez Nic. le Gras, in*-12. « Les Confessions de S. Augustin, traduites en françois par le *P. René de Ceriziers.* »

1719. *Paris, chez Phil. Nic. Lottin, in*-12. « Les Confessions de S. Augustin abrégées, etc. » Vid. ad a. 1703. Sed nomen interpretis abest. *Journal des Sçav., mai* 1719, *Bibl. Colon.*

1722. *Paris, chez Jean Bapt. Coignard, in*-12. Repetitio superioris quartæ editionis versionis Duboisianæ.

1740. *Paris, in*-8°. Iidem libri per *Arn. d'Andilly.*

1743. *Paris, chez P. G. le Mercier, in*-8°. « Les Confessions de S. Augustin traduites en françois sur l'édition latine des PP. Bénédictins de la Congrégation de Saint-Maur, avec des notes et des nouveaux sommaires des chapitres par M. *Du Bois, de l'Acad. Franç.* Nouv. éd. »

*Anglica.* — 1650. *London, in*-12. « Saint Augustines confessions translated and with some marginal notes illustrated : by *William Wats* : ou Confessions de S. Augustin, traduites en anglois, avec des notes par Guil. Wats. » *Cat. Bibl. Reg.* — Eamdem versionem jam a. 1631 Londini octonis editam prodidit. *Cat. Bibl. Bold.*

*Germanica.* — 1673. *Cölln, b. Willh. Friessen, in*-12. « Des heyligen und Hocherleuchten Vatters Augustini Bischoffs zu Hippon und furtrefflichen Kirchenlehrers Dreyzehn Bucher der Bekandtnüssen. » Titulum justo verbosiorem, quantum licuit, contraximus.

*Codices, qui in novissima eaque elegantissima Parisiensi horum librorum descriptione sunt adhibiti.*

*Codices Regii* : I, num. 1807, *Colbertinus.* Libros XIII integros complectitur, sed ultimus cæteros præcedit. Tribuitur sæc. XIII. — II, num. 1911. Libri XIII integri. Tribuitur sæc. IX. — III, num. 1912. Libri XIII integri. Tribuitur sæc. IX. — IV, num. 1913, *Colbertinus*, complectens libros XIII, sed deficientibus foliis a libro VII, cap. 6, n. 4, ad librum VIII, cap. 5, n. 3. Tribuitur sæc. IX. — V, num. 1913 A, *Colbertinus.* Libri XIII integri. Tribuitur sæc. IX. — VI, num. 1914, *Colbertinus.* Libri XIII integri. Tribuitur sæc. XI. Hunc integrum legisse se testatur Rondetius. — VII, num. 1915. *Colbertinus.* Libri XIII; sed deficiunt folia priora usque ad Libri I, cap. 16, n. 3. Tribuitur sæc. XII. — VIII, num. 1916, *Colbertinus.* Libri XIII integri. Tribuitur sæc. XIII. — IX, num. 1917. Libri XIII, sed deficientibus foliis aliquot libri IX, a cap. 4, n. 2, ad cap. 9, n. 1. Tribuitur sæc. XIII. — X, num. 1918, *Tellerianus.* Libri XIII integri. Tribuitur sæc. XIII. — XI, num. 1919, *Colbertinus.* Sub titulo *Confessionum* aliud opus est majorem habens affinitatem cum libro *Meditationum*; sed ab utroque partter diversum. — Sed cum inserta quædam Confessionum fragmenta in eo re-

perirentur, ex iisdem singularia quædam haurire licuit. Tribuitur sæc. XIV. — XII. num. 1948. Libri tredecim in fine mutili, in cap. 36 libri ultimi. Tribuitur sæc. XIV. — XIII, num. 2375. Libri XIII integri. Tribuitur sæc. XIV. — XIV, num. 2694. Libri XIII, sed ab initio et in fine truncati. Tribuitur sæc. XIII. XV. num. 5296, *Colbertinus*. Fragmentum libri I ab initio usque ad cap. 11, n. 1. Videtur tribuendum sæc. IX.

*Codex Genofevanus* : — XVI, num. 34. Libri tredecim, sed lacunis quibusdam libro X, XI, XII, XV, et ultimo, affecti. Tribuendus sæc. XIV. Etiam hunc totum legisse affirmat *Rondet*.

*S. Augustini* Confessionum Flosculi resectis rerum difficilium spinis et in sex areolas distributi. Lugduni 1618, in-24, et Coloniæ 1620, in-12. *Coloniens.* et *Heindreich*.

*XV.* — (38) *De Natura boni liber.*

*Gallice* versus juxta Benedictinorum editionem insertus est in libro, cui titulus : *La Distinction et la nature du bien et du mal*, etc. Paris, 1704, in-12. Vide *Colonienses*, qui de eodem libro lectores ad sequentem bibliothecæ suæ, sed qui numquam prodiit, tomum remittunt.

*XVI.* — (41) *Quæstionum Evangelicarum XCVIII, libri duo.*

Insunt in opere *Quæstionum D. Augustini* edito *Lugduni* a. 1497, de quo supra. A *Colonienſibus* affertur hoc loco *Augustinus in Novum Testamentum*, Paris 1619, nec non Gallica ejusdem versio in *Explication de St. Augustin et des autres Pères Latins sur le Nouveau Testament*. Paris 1675, in-8° nec non alia, modo recte mentem eorum ceperim, versio gallica edita *Lugduni apud Plaignard* 1694, in-8. IV voll.

*XVII.* — (43) *De Catechizandis rudibus.*

1678. *Paris, chez André Pralard*, in-12. « Les livres de S. Augustin, de la manière d'enseigner les principes de la religion chrétienne à ceux qui n'en sont pas encore instruits ; de la vertu de continence et de tempérance ; de la patience et contre le mensonge : traduits en françois. »

*XVIII.*—(44) *De Trinitate libri quindecim.*

1489. *Mediolani, per Leon Pachel, in-fol.* S. Augustini libri XV de SS. Trinitate. In fine : *Mediolani impressus per magistrum Leonardum Pachel. Anno a nativitate domini nostri Jesu Christi milesimo quadringentesimo octuagesimo nono septimo Kalendas junii.*

Excusi sunt hi libri una cum Hilario de Trinitate unoque plerumque volumine inclusi occurrunt. Cf. T. 1, p. 279. Aversa nempe ultimi ejus voluminis, quod Hilarium complectitur, pagina registrum chartarum utriusque operis præbet. Impressa vero sunt charactere Gothico minusculo duabus columnis in charta nitida ac firma. Initiales litteræ parvæ. Paginarum foliorumve notæ desunt. Describit Braunius l. l. T. II, p. 187.

1489. *Basil., per Jo. Amerbach., in-fol.* Augustinus de Trinitate. In fine libri XV : *Aurelii Augustini de Trinitate liber explicitus est. Anno domini MCCCC LXXXIX.* Sequitur proxime *tabula* in libros præcedentes, in cujus calce decem disticha, quorum initium :

Æquora si penetrat Cyclops, etc.

Postremum ita sonat :

Numine sancte tuo pater o tueare Joannem
De Amerbach ; presens qui tibi pressit opus.

Charactere Gothico binis columnis impressum est, ut pleraque Amerbachii. Plerumque una cum libris de Civitate Dei per eumdem h. a. impressis compactum cernitur.

1490. *Basil., per Jo. Amerbach., in-fol.* Augustinus de Trinitate. Concordant omnia cum præcedente accuratissime. Character luculentior et æqualior. Commemorant eamdem *Denis Garell. Bibl.* p. 135, et *Gemeiner Regensb. Stadtbibl.* p. 197, *Gesner Lübeck. Stadtbibl.*, p. 51. Uberius descripsit *Masch Beytrr. z. Gesch. merkw. Bb.* St. II, p. 73 sq.

1494. *S. loco, in-fol.* Augustinus de Trinitate. Editionem Amerbachianam refert, sed versus in fine tabulæ desunt. Nisi me fallit judicium Friburgi, hi libri excusi sunt per eosdem typographos, qui hoc anno quoque opus *de Civitate Dei* dederunt.

*Sine anno, et loco, in-fol.* « Augustinus de Trinitate. » Incipit statim a *Sententia B. Augustini de libro Retractationum.* In fine : *Aur. Augustini episcopi liber de Trinitate finit feliciter.* Volumen charactere gothico magno admodum eleganti ac nitido, lineis late, æqualiter tamen distantibus impressum est. Charta candida ac densa, folia maximi moduli sunt, columnæ binæ, margines lati. Absunt omnes signaturæ ac numeri.

*Sine anno, loco et typographo, in-fol. max.* B. Augustini de Trinitate liber (libri XV). In fine : *Aurelii Augustini episcopi liber de Trinitate finit feliciter.* Vetustissimi hujus juxta quam rarissimi libri descriptionibus, quas primus omnium *Denisius* in *Bibl. Garell.* p. 37, et post eum *Seemillerus in Incunabb. typ. Ingolst.* Fasc. I, p. 34, harum deliciarum amatoribus obtulerunt, adeo satisfactum cognoscendi eorum studio vidimus, ut quid a nobis addi ultra posset, quantumvis curiosa comparatione vix inveniremus. Constat autem volumen hoc foliis 105 maximi moduli, impressum paginis sectis, lineis 47 quas margines amplissimi et lata interstitia condecorant. Chartæ densæ sunt, sed paulo crudiores, nec candidæ satis. Character Gothicus grandis et aliquanto pinguior. Desunt numeri, signaturæ, custodes, item litteræ initiales librorum et capitum, quas quidem nostrum exemplar minio habet appictas. Capita tamen unius aut duarum linearum spatiis inter se distant, eorumque argumenta ante libri cujusque initium summatim indicantur. Incipit totum a *Sentencia beati augustini de libro retractionum* (sic), quam *Epistola augustini aurelii yponēsis episcopi ad aurelium episcopum cartaginensis ecclesie*, mox, *capitulis* præmissis, ipsius libri primi initium sequitur. Exemplo, quod celeb. Denisius describit, coævi cujusdam manus apposuerat annum 1471 : illud vero, quod See-

millerus manibus versavit anno 1478. Doctor Georgius Fingel. prof. theol. Ingolst. octo florenis comparaverat. Cæterum plures lectiones ab editione Benedictina et Antuerpiensi discrepantes hanc editionem exhibere Denisius significavit et exemplis quibusdam additis comprobavit, nec non proœmiorum ratione et distributione capitum differre utramque observavit, quod, quoniam omnes hactenus bibliographos fugerit, non negligendum est. Cf. *Braun. Not. H. Lit.* p. 82.

*Sine anno. Venetiis, per Paganinum de Paganinis, in-4°.* S. Augustini de Trinitate libri XV, adjectis ejusdem argumenti libris Hilarii. Cf. T. I, p. 280.

Sæc. XVI. — 1515. *Basil., per Jo. Ad. de Langendorff; in-fol.* « D. Aug. Hipp. ep. de summa Trinitate *que deus* (sic) : *Ad Aurelium*, Carthaginiensem episcopum : *Libri quindecim :* opus prorsus divinum : *et cui laus omnis inferior*, ubi perversa hæreticorum *dogmata :* disputationibus doctissimis *confutans* profunda mysteria *inattingibilis divinitatis* mira ingenii claritate aperuit. Cui *Theologice veritates* illuminati *doctoris Francisci Maronis* aptissime connectuntur. » Juxta insigne typographi : *Anno M.D.XV.* Infra *Directorium.* Vide ed. librorum *de Civitate Dei* per eumdem typographum, ubi quæ dicta sunt, de hac etiam dicta putes. In subscriptione notatus annus *M.D.XIIII. Calendæ Juniæ.* In aversa tituli pagina brevis Jo. Amerbachii ad lectorem præfatio exstat, sed quæ solas librorum Augustini laudes tractat.

1520. *Lugdun., ære et impen. Jo. Koburger; arte tamen ac cura Jac. Saccon; in-fol.* S. Augustini de Trinitate libri XV, quibus theologicæ veritates illuminati doctoris Francisci Maronis connectuntur. Una cum libris Augustini de Civitate Dei plerumque circumferri solent. *Cat. Bibl. Casanat.* T. I, pag. 342.

*Versiones.*

Græce convertisse dicitur hos libros Maximus Planudes, cujus *capita nonnulla*, quæ probant Sp. S. etiam ex Filio procedere, exstant inter *Opuscula Aurea theologica quorumdam* (sequiorum) *Græcorum* de Process. Sp. S. collecta a *P. Arcudio*, edita *Romæ typis S. C. de propag. fide, in-4°*, a pag. 187. Eadem jam a. 1630 ibidem edita esse, quin etiam multo prius 1578 Basileæ *in-8°* Gr. lat. per *Jo. Leunclavium* fuisse publicata ex *Whartoni ad Caveum* Supplementis, monent Colonienses. Sed Leunclavii opus dubito an huc trahi possit, quod aliunde memoria teneo ibidem capita aliquot de Trinitate ex libro *de veræ vitæ cognitione* exstare, quæ ab Arcudio pariter in opus laudatum p. 672 relata sunt.

De *Gallica* versione, cujus *Crucius Cenomanensis* meminit, recte statuunt Colonienses, libros de Trinitate cum libris de Civitate Dei, ad quos versio ista spectat, ab eo esse confusos.

*XIX.* — (45) *De Consensu quatuor Evangelistarum libri quatuor.*

*Sine anno, loco et typogr., in-fol.* De Consensu quatuor Evangelistarum. Volumen charactere Gothico admodum luculento et æquali, in charta candida et densa, binis columnis amplo spatio secretis impressum, quod in duplo servat bibliotheca Regia Academiæ nostræ, haud dubie Italiam patriam agnoscit. Incipit ab ipsius Augustini super hoc opere in libris Retractationum testimonio, quod statim libri primi initium subsequitur. Secundo autem, tertio et quarto libro præmittuntur *capitula*, id est summaria cujusvis capitis. In fine : *Explicit feliciter liber quartus Aurelii Augustini yponiensis episcopi De consensu sanctorum quattuor Evangelistarum. Deo gratias.* Plagulas quaternas numerat a-l. Aliæ notæ desunt. Litteris initialibus spatium plane vacuum est relictum.

1473. *Lavingæ absque typogr. indicio, in-fol. Liber beati yponensis episcopi Augustini de Consensu Evangelistarum in quatuor libros incipit feliciter.* Sic in ipsa libri fronte legitur. In fine : *Liber. Beati. Augustini. Yponensis episcopi de Consensu Evangelistarum. explicit feliciter. In civitate. Laugingen. Impressus. Anno a partu Virginis salutifero. Millesimo. quadringentesimo septuagesimo tercio. Pridie. Idus. Aprilis.* Constat hæc editio foliis 105 litteris rotundis ac nitidis impressum, absque custodibus, numeris, signaturis, litteris initialibus ac titulis. Descripsit cl. *Braun* in *Not. H. Lit.* (1788), p. 154. Rarissimam esse complures testati sunt bibliographi, quos etiam Braunius laudat.

1538. *Paris, in-12.* D. Aur. Augustinus de Consensu Evangelistarum. *Mus. Britt.*

1539. *Coloniæ, ex off. Heron. Alopecii, in-8°.* D. Aur. Aug. de Consensu Evangelistarum libri quatuor. *Catal. Bunav.*

*Versio.*

*Gallicam* hujus operis *versionem* Lugd. 1526, *in-8°.* memorat *Jac. le Long* in *Bibl. Sacr.* p. 619. *Colon.*

*XX.* — (52) *De S. Virginitate*

1562. *Romæ, ap. Paul. Manutium . . . .* S. Augustini liber de S. Virginitate. Exst. inter Opuscula SS. DD. Ambrosii, Hieronymi et Augustini de Virginitate.

*Versiones.*

1638. *Paris, chez Jean Camusat, in-8°.* « De la sainte virginité, discours traduit de S. Augustin, avec des remarques pour la clarté de la doctrine par *Claude Seguenot* » (cujus sub nomine latuisse ferunt *Joannem du Vergier de Hauranne*, abbatem *San-Cyranum*). Pertinet ad hunc librum : *Censura S. Facultatis theologicæ Parisiensis, lata in librum, qui inscribitur : De la sainte virginité*, etc. *Paris, apud Adrian. Tapuinort*, 1638, *in-4°* Cf. *Bibl. Jansen.* p. 198, a. 1722.

Huc etiam referas :

1680. *Paris, chez Helie Josset; in-12°.* « Traitez de morale de S. Augustin, pour tous les états, qui composent le corps de l'Eglise, sçavoir, 1° de la Ste virginité, pour les vierges; 2° du bien de la viduité; 3° de la manière dont on doit prier Dieu pour les veuves; 4° du bien de mariage; 5° du mariage et de la concupisence : traduits en françois par M. *Jean Hamon.* »

*XXI.* — (55) *De Unitate Ecclesiæ.*

1602. *Moguntiæ* . . . S. Augustini liber seu Epistola de Unitate Ecclesiæ contra Petiliani Donat. Epistolam, argumentis, notis atque analysi illustrata, studio *Justi Calvini*. Exstat in ejusdem *Præscriptionum adversus Hærett. Tractt.* a *pag.* 249. In *Cat. Bibl. Bodl.* idem liber præfixo a. 1605 laudatur, ut semel jam a nobis monitum.

1657. *Helmstadii ex typogr. Calixt. in*-8°. SS. Cypriani et Augustini de unitate Ecclesiæ tractatus. Accedit *Georgii Calixti*, S. theol. doct. et in Acad. Julia prof. primarii, in eorumdem librorum lectionem *Introductionis* fragmentum, edente *Frid. Ulrico Calixto, Georgii filio.* »

1690. *Ultrajecti apud viduam Guil. Clerck, in*-4°. Aurelii Augustini, episcopi Hipponensis, liber de Unitate Ecclesiæ contra Donatistas. Exst. cum Commentariis uberrimis et utilissimis in *Melchioris Leydeckeri Historia illustrata Ecclesiæ Africanæ*, cujus totum pene tomum secundum constituit inscriptum: *Tomus secundus* ad *Librum Augustini de Unitate Ecclesiæ contra Donatistas, de Principiis Ecclesiæ Africanæ, illiusque fide in Articulis de Capite Christo et Ecclesia, de Unitate et Schismate, plurimisque Religionis Christianæ capitibus agit.*

*Versio.*

*Gallice* vertit notulasque ad difficiliorum locorum intelligentiam aspersit *Jac. Tigeou*, Andegavensis, theol. doctor et canonicus Ecclesiæ cathedralis Metensis, quæ illius versio prodiit *Rhemis* 1567, in-8°, sub tit.: *Epistre ou le Livre de S. Augustin de l'Unité de l'Eglise, contre Petilien, evesque Donatiste, avec certaines observations pour entendre les lieux plus difficiles; imprimé à Reims par Jean de Foigny.* Cf. *Duverdier* ed. *de Juvigny*. T. IV, p. 314.

*XXII.* — (67) *De Spiritu et Littera liber.*

Sæc. XV. — *Sine anno, loco et typogr., in*-4°. S. Augustini liber de Spiritu et Littera. Adjectus est *Tractatus* anonymi *de periculis, quæ contingunt circa Sacramentum Eucharistiæ, cui annexa est resolutio quæstionis: utrum suffragia facta pro multis æqualiter prosint singulis?* Exhibet cl. *Seemiller* fasc. I, p. 191. Totum volumen foliis 38 conficitur, exscriptum characiere Gothico, quem alius comparatione ibidem propius declaravit. Lineæ 28 paginam faciunt. Numeri, signaturæ, custodes, initiales litteræ et tituli desunt, nisi quod ab initio legitur: *Incipit prologus beati Augustini episcopi in libro* (sic) *de Spiritu et Littera:* et in fine libri, qui in primam paginam folii 35 incidit: *Explicit liber Beati Augustini episcopi de spiritu et littera.*

Sæc. XVI. — 1524. *Norimbergæ*... D. Aur. Augustini de Spiritu et Littera liber unus. Laudant *Colonienses.*

1527. *Coloniæ, apud Heronem Alopecium; in*-8. D. Aur. Augustini de Spiritu et Littera liber unus. Eamdem editionem sub anno 1528 profert *Ossinger* in *Bibl. Augustin.*

1538. *Parisiis, apud Joan. Roigny; in*-16. Idem liber. *Ossinger.*

— *Parisiis, apud Anton. Augarellum, sub intersignio D. Jacobi, via ad S. Jacobum.* . . . S. Aur. Augustini de Spiritu et Littera liber unus una cum epistola ad Sixtum presbyterum adversus Pelagianorum argumenta.

1542. *Parisiis*... *in*-8°. Idem liber. Vidisse se testatur auctor Coloniensis.

1545. *Wittembergæ, impressit Josephus Klug, in* 8°. Augustini, *Hipponenensis* (*sic*) episcopi, liber de Spiritu et Littera. Cum præfatione et præmonitione lectoris. Nescio an fallitur *Hendreichius* in *Pand. Brandeb.* p. 341, editionem Vitebergensem a. 1548 laudans.

1568. *Antuerpiæ*, in-16. S. Aur. Aug. de Spiritu et Littera ad Marcellinum liber unus. Ejusdem de natura et gratia. Item de fide et operibus. *Colonienses* ex *Lipenio* et *Becmanni Cat. Bibl. Francof.* p. 35, quibus adde *Hendreichium l. l.*

Sæc. XVIII. — 1767. *Lipsiæ, apud Jo. Frid. Witzleben*; in-8°. Aur. Augustini, Hip. ep. de Spiritu et Littera ad Marcellinum liber unus e recensione Benedictinorum e Congreg. S. Mauri, varietate lectionum animadversionibusque brevibus illustratus ab *Jo. Christ. Beniam. Teegio.* S. S. Theol. Cult. — In præfatione pauca de occasione libelli hujus itemque de editionibus ac recensionibus ejus monentur, ubi etiam ad aliorum librorum singulatim editorum mentionem decurrit. Inscripsit Erdm. Rudolpho Fischero, theologo Coburgensi.

1770. *Lipsiæ, apud Joh. Frid. Langenhemium; in* 8°. Aur. Aug.... de Sp. et Litteris ad M. liber unus.... Iterum edidit rel. *Jo. Christ. Beniam. Teegius.* Scholæ Sangerh. Col. III. Correctiorem sese profitetur altera editio, aucta insuper indice rerum memorabilium.

*Versiones.*

*Italica.* — 1543. *Venezia, per Comin da Trino; in*-8°. « Opera utilissima del B. Agostino V. I. *de Spiritu et Littera* chiamata, al B. Marcellino, novamente di latino in volgare tradotta. »

*Gallicæ.* — 1547. *Lyon, par Jean Pitier, in*-16. « Le livre de l'Esprit et de la Lettre de S. Augustin, traduit par *Jacques Le Conte.* » Cf. *Duverdier* ed. nova, T. IV, p. 274.

1551. *Paris, de l'Imprimerie de Mich. Voscan; in*-4°. « Opuscule de S. Augustin, évêque de Hyppone en Afrique, de l'Esprit et de la Lettre, traduit par *Valentin du Caunoy.* » *Maitt.* part. II, T. III, p. 598. *Duverdier* ed. nova, T. IV, p. 459.

1700. *Paris, chez Jean-Bapt. Coignard; in*-12. « Le Livre de S. Augustin de l'Esprit et de la Lettre, traduit en françois sur l'édition des PP. Bénédictins, par *Philippe Goibaud du Bois.* »

*XXIII.* — (68) *De Fide et Operibus, liber unus.*

1473. *Coloniæ*. . . . *in*-4°. B. Augustini liber de Fide et Operibus. *Cat. Bibl. Boldei.*

1523. *Argentorati, ex officina litteraria ingeniosi viri Jo. Grieninger, in*-4°. Divi Augustini libellus aureus de Fide et Operibus. Exstat cum *Ysidoro de sectis et nominibus hæreticorum*, item Hieronymi *libro de*

*Perp. Virg. Mariæ* et *Epistola ejus contra Vigilantium* junctim editi ab *Hier. Gebwiler*, cathedralis ædis Arg. Litterarii Ludimagistro. Fol. v-xxvi.

— *Augustæ Vindelic.*, *in*-8°. D. Aur. Aug. liber de Fide et Operibus *M. Bibl. Eccl. Col.* p. 737.

1528. *Coloniæ. Excudebat Eucharius Cervicornius*; *in*-8°. D. Aur. Augustini de Fide et Operibus liber unus. » Occurrit subinde compactus cum libro ejusdem *de Natura et Gratia* ex eadem officina.

1534. *Paris, apud Joannem Roigny*, *in*-16. D. Aug. liber de Fide et Operibus. *Maitt.* T. II, p. II, p. 799, ed. 2.

1539. *Lipsiæ*, *in*-8°. B. Aur. Aug. liber de Fide et Operibus cum præfatione *Georgii Wicelii*. Cf. *Beckmanni Cat. Bibl. Francof.* p. 35. Unde jam laudarunt *Hendreichius* et *Colonienses*.

1552. *Coloniæ, apud Petrum Horst*; *in*-8°. Idem liber cum *Enchiridio* ejusdem vide suo loco.

1568. *Antuerpiæ*, *in*-8°. Idem liber laudantibus *Coloniensibus* l. l.

1652. *Francof. ad M. et Rintelii*, *in*-8°. S. Aur. Augustini... liber de Fide et Operibus. Edente *Joan. Hennichio*. Cum dissertatione ejusdem argumenti eodem auctore. *Hendreich. in Pand. Brandeb.*, p. 342.

*Versiones.*

1545. *Venezia, per Comin da Trino*, *in*-8°. « Il libro del B. Agostino V. I. della Fede e dell'opere, di latino in volgare novamente tradotto. »

*XXIV.* — (72) *De Natura et Gratia.*

1524. *Norimbergæ*, *in*-8°. D. Aur. Augustini de Natura et Gratia liber unus. Notatur a *Coloniensibus*.

1528. *Eucharius Cervicornius excudebat.* In fine : *Apud S. Coloniam impensa M. Godefridi Hyttorpii, civis Agrippinensis celeberrimi*, *in*-8°. D. Aur. Aug. de Natura et Gratia liber unus. Præfatus est paucis verbis *Jo. Petreius.*

1568. *Antuerpiæ, ap. Gymnicum*, *in*-8°. « D. Aur. Aug. liber de Natura et Gratia. » *M. Bibl. Eccl. Col.* p. 737, quæ si vera prodidit, accenseri debet hæc editio rarissimis, paucis nimirum libris iis, quos Antuerpiæ Joannis Gymnici celebris quondam typographi Coloniensis impensis impressi sunt. Sic enim statuere malim, quam cum Maettario Gymnicum ipsum Antuerpia Coloniam migrantem facere, cum ex Annalibus etiam constet, eum jam anno 1555 Coloniæ prelum exercuisse, adeoque non post annum 1540, demum, cujus anni editionem Antuerpiensem Maettarius commemorat, domicilium ibi figere potuit.

*Versio.*

1545. *Venezia per Comin da Trino*, *in*-8°. « Il libro del B. Agostino vescovo Ippon., di Natura e Grazia, contra Pelag ; di latino in volg. novamente tradotto. »

*XXV.* — (74) *De Civitate Dei Libri XXII.*

Sæc. XV. — 1467. *E Monasterio Sublacensi f. max.* S. Aur. Augustini de Civitate Dei libri XXII. In calce : Aurelii Augustini. *Doctoris egregii atque episcopi Ypponensis de Civitate Dei liber vicesimussecundus explicit contra paganos. Sub anno a nativitate Domini M.CCCCLXVII. Pontificatu* Pauli *papæ secundi anno ejus tertio. Tertio regnante Romanorum imperatore* Friderico. *Indictione XV, die vero duodecima mensis Junii. Deo gratias. GOD AL.*— Impresserunt Conradus Sw. et Arnoldus Pannartz juvante haud dubie viro aliquo solerti, cujus nomen in litteris *GOD AL.* insidere tam facile sibi omnes persuadent, quam operam in explicandis eorum mysteriis perdunt (*a*). Paginæ in duas columnas linearum 44 impressæ sunt, quas ampli margines ambiunt. Præcedunt XII rubricarum folia. Cf. *Audiffr.* p. 6. Recensent etiam *Debure Bibliogr. instr.* T. I, p. 243. Exstabat in *Bibl. Ducis de la Valière.*

1468. *Romæ in domo Petri de Max.*; *in-fol. max.* S. Augustini de Civ. Dei libri XXII. In calce : *Hoc Conradus opus*, etc. *In domo Petri de Maximo. M.CCCC.LXVIII.* « Hujus editionis character, mea quidem sententia, nitidior est, quam in Lactantio ejusdem anni. Sed textus inquinatior est et mendis scatet fœdissimis. Præcedunt XIV folia rubricarum. » Cf. *Debure Bibl. instr.*, *Cat. Bibl. Smithianæ* (Venet. 1755, *in*-4°), p. 27, et *Bibl. Pinell.* T. I, p. 86.

1470. *Romæ, apud eosdem*; *in-fol. max.* S. Augustini de Civ. D. libri XXII. *In calce : Aspicis illustris.*, etc. Audiffredus diligenti trium editionum Romanarum inter se comparatione citra omnem dubitationem posuit, diversas invicem esse atque singulatim iteratas. Atque hæc, tertia etiam præcedente, emendatior est et pleraque vitia ejus abstersit. Exstabat in *Bibl. Pinell.*

—*Venetiis, per Jo. de Spira et Vindelinum fratrem*; *in-fol.* Augustini libri XXII de Civitate Dei. In fine :

Qui docuit Venetos exscribi posse Joannes,
Mense fere trino centena volumina Plini,
Et totidem magni Ciceronis Spira libellos
Ceperat Aureli, subita sed morte peremptus,
Non potuit cœptum Venetis finire volumen,
Vindelinus adest ejusdem Frater et arte
Non minor Hadricaque morabitur urbe.
M.CCCC.LXX.

Præcedit rubicorum tabula XIV foliis. « *Debure Bibliogr. instr. Biblioth. Smithiana, Cat. Bibl. Bunav.* Laudant eamdem *Cat. Bibl. Reg.* et *Bibl. Pinell.* »

1473. *Moguntiæ, per Petr. Schoeffer de Gernsheim*; *in-fol. II vol.* B. Aur. Aug. libri XXII de Civitate Dei cum *Thomæ Valois* et *Nic. Triveth* commentariis. In fine rubris characteribus : *Igitur Aurelii Augustini*, etc. (cf. edit. Hieronymianam ib. a. 1470 per eumd. typogr. excusam), *consummatum per Petrum Schoiffer de Gernzheim, anno Domini M.CCCC.LXXiij. die V. mensis Septembris presidibus ecclesie katolice Sixto tercio pontifice Summo, sedi Ant. Moguntine Adolfo secundo presule magnifico tenente autem ac gubernante Christianismi monarchia imperatore serenissimo Frederico tercio Cesare semper Augusto.* Incipit a tabula capitum libri primi, quæ una cum exmonuit. Probabilior *Petri Scriverii* sententia, *Godeschalci* seu *Godofredi Alemanni* nomen substituentis, videri possit.

(*a*) Lairius *Gratias Omnipotenti Deo a Laudembachio* interpretatur. Sed huic omnino obstare videntur verba *Deo gratias*, ut recte etiam Audiffredus

cerpto ex libris Retractationum uno folio comprehenditur. Tum sequitur ipsum Augustini opus totum intra hoc primum vol. absolutum inque fine legitur : *Finito libro sit laus et gloria Christo.* Deinde minio impressum : *Textus sancti Augustini de Civitate Dei, Maguntiæ impressus, explicit feliciter, anno LXXiij.* Alterum volumen complectitur commentaria supra laudata cum indice alphabetico. Ad utramque voluminis calcem finita subscriptione, more consueto, insignia typographi minio impressa cernuntur. *Debure Bibliogr. instr. Seemiller* fasc. I, pag. 49, *Braun Not. H. Lit.* (1788), p. 159.

Auctores vero horum Commentariorum, quæ prima vice hic excusa sunt, Angli uterque fuerunt et de Prædicatorum ordine ambo. *Nicolaus Treveth* seu *Trivet*, vel etiam *Traveth*, origine Nortwicensis erat, natus circa annum 1258, vitaque functus a. 1328. Commentatus est in omnes libros XXII : *Thomas Walleis* vero seu *Vallensis*, aliis *Gualois* vel corrupte *Valois*, haud dubie quou ex principatu Wallia oriundus esset, theologiæ doctor Oxoniensis, diem suum obiit a. 1340, scripsitque Expositionem in decem primos libros e XXII de Civitate Dei, quæ finitur in libro x, cap. 29. Utriusque operam magni olim factam esse testantur innumera mss., quæ adhuc in bibliothecis Parisiensibus potissimum supersunt exempla, de quibus vid. *Echard* in SS. Ord. Præd. tom. II, pag. 561 et 597. Creditum est aliquando, Trevethum et Thomam conjuncto studio istas lucubrationes composuisse, falso tamen. Nam ista conjunctio, quemadmodum etiam in hac prima editione obtinet, notariis debetur et omnibus codicibus mss. est solemnis. Nicolai autem Trevethi expositio in X priores libros numquam prodiit atque hoc casu fortasse in perpetuum luci subtracta est. Cf. præter laudatum Echardum locupletissimum in his auctorem, Fabric. Bibl. Med. et Inf. Lat.

1474. *Romæ, ap. Udalr. Gallum.; in-fol. max.* S. Augustini de Civitate Dei libri XXII. In calce : *Presens Aurelii Augustini Hipponēn Epī de Civitate Dei preclarum opus : Alma in urbe Roma totius mundi regina et dignissima imperatrice : que sicut ceteris urbibus dignitate preest : ita ingeniosis viris est referta : non attramento plumali calamo neque stilo ereo : sed artificiosa quadam adinventione seu caracterizandi sic effigiatum ad dei laudem industrieque est consummatum. per Udalricum Gallum Almannum et Symonem Nicolai de Luca. Anno Domini M.CCCC.LXXIIII. die vero IIII. mensis Februarii, Pontificatu vero Sixti divinina* (sic) *providentia Pape quarti anno ejus tertio.* Antecedunt rubricarum folia XIII, cum foliis duobus puris. Character non omnino tam luculentus est et magnus ac Romanarum editionum, sed longe contra æqualior.

1475. *Venetiis ap. Nic. Jenson.; in-fol.* S. Augustini de Civitate Dei libri XXII. In fine : *Aurelii Augustini opus de civitate dei feliciter explicit : confectum venetiis ab egregio et diligēti magistro Nicolao Ienson : Petro Mozenicho principe : Anno a nativitate domini milesimo quadringentesimo septuagesimo quinto: sexto nonas octobres.* Impressum est columnis binis; incipit a *tabula capitum* IV folia complectente. *Cat. Bibl. Ducis de la Valière*, II. *Bibl. Smithianæ.* Servabat eamdem olim *Bibl. Pinellii*, itemque una cum sex præcedentibus *Bibl. Crevennæ.* Vid. *Cat. noviss.*

—*Venetiis, per Gabrielem Petri de Tarvisio; in-fol.* Augustini de Civitate Dei libri XXII. In fine : *Aurelii Augustini de Civitate Dei Liber XXII. et ultimus feliciter finit. Impressumque est opus hoc a diligenti Magistro Gabriele Petri de Tarvisio. M.CCCC.LXXV. existente Petro Mocenico Duce Venetiarum. Venetiis. Cat. Bibl. Bud.* T. I, p. 89, ubi merito *rarissimis* libris accensetur. Ex Catalogo vero *Bibl. Ducis de la Valière* discimus, binis columnis volumen esse impressum, præcedere materiarum tabulam XIV foliis, signaturas esse *a*...ad *D* secundi alphabeti. Memoratur etiam in Catalogo Bibl. Bodleianae ed. recent. p. 88, apud *Denis.* in *Bibl. Garell.* T. I, p. 135. Addatur cl. *Reuss* in *Bibl. Tuving.* (1780), p. 69.

1477. *Neapoli, per Matthiam Moravum; in-fol. min.* S. Augustini de Civitate Dei libri XXII. In fine : *Aurelii Augustini de Civitate Dei liber XXII et ultimus feliciter explicit. Impressumque est opus hoc Neapoli a diligenti magistro Matthia Moravo. Anno Christi. M.CCCC.LXXVII. Cat. Bibl. Ducis de la Valière.*

1479. *Basileæ, per Mich. Wenszler; in-fol.* Iidem cum commentariis Thomæ Valois et Nicolai Triveth. In fine charactere rubro impressum : *Igit̄ aurelij augustini ciuitatis orthodoxe sideris p̄fulgidi de ciuitate dei opus praeclarissimum. binis sacre pagine p̄fessoribus eximiis id commentantibus. rubricis tabulaque discretum p̄celsa in urbe Basilica. partium alemanie. quam non solum aeris clementia et fertilitas agri verum etiā impmentium subtilitas reddit famantissimā. ad laudem trinitatis indiuidue ciuitatis dei psidis ingenio et industria Mihahelis Wenzsler. Anno salutis nostre post M. et CCCC.LXXIX. Viij kl. aprilis operose est consummatum.* Subter his insigne typographi minio pariter refulget. Incipit a *Sententia Augustini ex libris Retractationum*, quam statim *tabula* capitum libri primi sequitur, cujusmodi unicuique libro est præfixa. Post textum legitur subscriptio rubro item charactere exarata additoque infra typothetæ insigni : *Textus sancti Augustini de civitate dei Basileu impressus Explicit feliciter. Anno LXXIX.* Adhibiti sunt characteres Gothici luculentæ formæ, in textu majores, in Commentariis, qui pone sequuntur, longe minores. Columnæ binæ, prorsus absunt numeri, signaturæ, custodes, litteræ initiales titulique. *Debure in Cat. Bibl. Ducis de la Valière, Seemiller Incunab. Ingolst.* Fasc. II, p. 36 sq.

1482. *Romæ... in-fol.* Augustinus de Civitate Dei. Hujusce editionis memoria sola perstat apud *Labbeum Nova Bibl. mss.* p. 347. num. 689 ; unde *Maittarius* in forulos suos retulit T. I, p. II. p. 435. *Laerius* laudabat insuper ejusdem libri paginam 354, n. 1029; sed perperam, ut dudum solita acerbitate monuit *Audiffr.* p. 252.

1484. *Lovanii... in-fol.* S. Augustini de Civitate Dei cum Comment. Th. Valois *Maitt.* T. I, part. II, p. 455, addito *Heidani* testimonio ex *Cat.* p. 6, n. 121, absque uberiore declaratione. Incertum ergo eumdemne typographum, qui a. 1488 prelo eum commisit, an alium auctorem agnoscat.

1486. *Venetiis, per Bonet. Locatellum; in-4°.* B. Augustini libri XXII de Civitate Dei. In fine : *Opus de ciuitate Dei feliciter explicit : confectum Venetiis per Bonetum Locatellum, impendio et sumptibus Octaviani Scoti Modoetiensis.* 1486. *quinto Idibus Februarii. Cat. libr. rarior. Bibl. Budens.* et *Bibl. Pinell.*

1488. *Tholosæ, per Henricum Mayer Alamanum (die XII Octobris); in-fol. min.* Thomæ Valois et Nicolai Triveth Commentaria in libros S. Augustini de Civitate Dei, una cum complemento fratris Nicolai Cerseth. Cf. *Cat. Bibl. Crevennæ noviss.*

— *Lovanii, per Joannem Westfalensem; in-fol.* Augustini de Civitate Dei l. XXII, cum Comment. Th. Valois et Nic. Triveth. In fine : *Impressum in alma Vniuersitate Louaniensi, quæ Brabantiam haud parvum præ ceteris ornatam reddit, ingenio et industria Ioannis Westfalensis. Anno M.CCCC.LXXXVIII. XIIII. Calendas Octobris. Maittaire* T. I, p. II, p. 493. Apud alios tamen bibliographos mentionem ejus non invenimus, nititurque adeo solius Maettarii fide, ex qua eamdem editionem laudant Colonienses, Ossingerus aliique.

1489. *Venetiis, typis Vincent. Octaviani Scoti; in-fol.* Augustinus de Civitate Dei cum commentariis *Thomæ Valois*, sive *Walleis* et *Nicolai Triveth. Cat. Bibl. Casanat.;* unde suppleri poterit Maettarius T. I, p. II, p. 510.

— *Basil., ap. Jo. Amerbachium; in-fol.* Augustinus de Civitate Dei cum commento. In fine :

Hoc opus exactum divina arte Joannis
Amerbacensis : lector ubique legas
Invenis in textu glosis seu margine mirum :
Quo merito gaudet urbs Basilea decus.

*Anno salutiferi virginalis partus octogesimo nono supra millesimum quaterque centesimum idibus Februarii.*

Commentarii, sunt *Thomæ Valois* et *Nicolai Triveth*, sacræ paginæ professorum ord. Prædicat. Ac illius quidem notæ in cap. 29 libri X deficiunt; reliqua per Nicolaum Triveth sunt conscripta. A *Nicolao* quoque profecta est tabula seu index. Character est Gothicus, columnæ duæ, sed *Commento* utrinque apposito quatuor plerumque paginam faciunt. In interiore tituli pagina Augustini effigies ligno impressa cum alia figura emblematica, inscriptione et versibus conspicitur. Descripsit eamdem *Braunius Not. H. Litt.* T. II, p. 182.

1490. *Basileæ, ap. Jo. Amerbach.; in-fol.* Editio anni præcedentis accurate iterum expressa, *finita idibus Februariis. Denis Garell. Bibl.* p. 134; *Gemeiner Regensburg. Bibl.* p. 197. Exstabat etiam in Bibl. *Ducis de la Valière. Gessner Lübeck. Bibl.* p. 51. Curiose descripsit *Masch Beytrr. z. Gesch. merkw.* Bb. St. II, p. 73 sq

1494. *Friburgi, in-fol.* Amerbachianæ iteratio. In fine : *Finitum est hoc opus in friburga. Anno incarnationis Dni MCCCCXCIIII.* Exst. etiam in *Cat. Bibl. Bodl.* et *Crevennae noviss.*

*Sine anno, loco et typogr.; in-fol.* S. Augustini de Civitate Dei l. XXII, cum Commentariis *Thomæ Valois* et *Nic. Triveth.*

Hujus editionis rarissimæ juxta quam antiquissimæ notitiam suppeditant cl. *Morellus in Bibl. Pin.* T. I, p. 86; *Seemiller* fasc. I, p. 120; iterumque non minori diligentia descripsit *Plac. Braun in Notitia Hist. Lit.* p. 9. Constat, ut editio a. 1473, duabus quodammodo partibus, quarum prior textum, majoribus litteris, posterior commentarium minori charactere columnis duabus impressum sistit. Ac textus quidem pagina 47, commentariorum vero 57 lineas complectitur. Litteras Germanicas appellat *Morellus; Seemillerus* plane similes esse vult iis, quibus recusus est Augustini liber quartus de Doctrina Christiana per Jo. Mentelin Argentinensem, cui idcirco acceptam referre nullus dubitat. Qui cum jam a. 1478 diem obierit, ante hunc certe expressa esse deberet. Sed longe vetustiorem putat, nec ab anno 1470 valde remotam, adeo, ut princeps forte cum commentariis laudatis statuenda foret, quam sententiam jam Morellus amplexus fuerat. Caret omnibus, quas sequior ætas per artis progressum sensim introduxit, foliorum paginarumque notis numerisve, item litteris initialibus, nec non titulis tam in fronte operis, quam singulorum librorum aut capitum initiis, quæ solo spatio vacuo, nec eo admodum amplo inter se distinguuntur, præterquam quod ad calcem libri XVIII subscriptio, et dehinc a libro decimo nono inscriptiones librorum et capitulorum inveniantur. Nihilominus occurrunt frequenter marginalia decurtatis textus lineis apposita, quod in Basileensibus quoque eorum librorum editionibus deprehendere me memini. Denique in fine textus legitur : *Finito libro sit laus et gloria Christo;* post commentaria vero tabula materiarum decem foliis non omnino integris comprehensa desinit subjecto : *Explicit Tabula.*

Sæc. XVI. — 1515. *Basileæ, per Ad. Petri de Langendorf;* in-fol. Divi Aurelii Augustini, Hipponensis episc. ad Marcellinum de Civitate Dei contra paganos libri duo et viginti : opus dignissimum : humanarum divinarumque litterarum disciplinis clarissime refertum. *Cum Commentariis Thomæ Valois* et *Nicolai Triveth :* nec non additionibus *Jacobi Passauantii* atque theologicis veritatibus *Francisci Maronis.* Porro impressum est titulo insigne Adami Petri addito *Anno M. D. XV.* Infra : *Directorium in singulos totius operis libros indice certo congestum.* In pagina aversa eadem, quæ in Amerbachiana habentur. Præfigitur deinde præfatio *Fratris Conradi Leontorii Malbonnensis* (sic) charactere Romano impressa, qua rationem et institutum operis Augustiniani docet. In fine ejusdem *Conradi Leontorii Malbronnensis* (sic) subjicitur epilogus, in quo ingen-

tem textus emendationem, multorum mss. collatione perfectam pollicetur, nec non subscriptio, quæ Joannem Koburger, Nurimbergensem bibliopolam, impensas imprimendi voluminis fecisse significat. Hæc quoque rotundo charactere, reliquum volumen litteris Gothicis quatuor plerumque, interdum etiam quinque columnis et crebris sectionibus impressum oculos et hoc ipso et vario characterum genere in eadem pagina obvio offendit. *Casp. Barthius Advers.* LIX, cap. 10, p. 2795, hanc editionem multis mss. meliorem vocat.

1520. *Lugduni impensis Jo. Koburger, arte Jac. Saccon.; in-fol.* Augustinus de Civitate Dei *una cum libris* de Trinitate, quos vide. Plane expressa est præcedens Basileensis.

1522. *Basileæ, apud Jo. Froben.; in-fol.* D. Aur. Augustini opus absolutissimum de Civitate Dei, ad vetera exemplaria collatum et commentariis illustratum studio et labore *Jo. Lud. Vivis. Cat. Bibl. Reg. Mus. Britt. et Budens.* Prima hæc est editio cum Vivis commentariis. Post dedicationem ad *Henricum VIII* Angliæ regem, dat. *Lovanii nonis Juliis M. D. XXII* præfatio occasionem operis Augustiniani docens et singularis præterea *de veteribus interpretibus hujus libelli* deque *Gothis qui Romam ceperint* dissertatio est adjecta.

1554. *Paris., in-fol.* S. Aur. Aug. de Civitate Dei, edente *Lud. Vive. Cat. Bibl. Bern.* T. I, p. 16.

1555. *Parisiis, apud Carolum Guillard; in-fol.* Iidem libri cum eodem Commentario. Laudant *Colonienses* p. 739. Si præcedens editio recte se habet, non dubito quin ex eodem bibliopolio profecta sit ac hæc.

— *Bas., ap. Hier. Froben. et Nic. episcop.; in-fol.* « D. Aurelii Augustini, Hipp. ep. de Civitate Dei libri XXII, ad priscæ venerandæque vetustatis exemplaria denuo collati eruditissimisque insuper Commentariis per undequaque doctiss. virum *Jo. Lud. Vivem* illustrati et recogniti. Accessit index fecundissimus. » In aversa tituli pagina Henrici, Angliæ regis, epistola legitur, qua Lud. Vivi pro oblatis sibi Augustini libris gratias agit, data *Grenuici die XXIIII Jan.* 1523.

1570. *Basileæ, per Ambrosium et Aurelium Frobenios fratres; in-fol.* « D Aurelii Augustini, Hipp. ep. de Civitate Dei libri XXII, ad priscæ venerandæque vetustatis exemplaria jam iterum post virum undequaque doctissimum *Joannem Ludovicum Vivem* summo studio collati ac ejusdem commentariis eruditissimis illustrati. Accessit *Index* multo, quam antea fuerat, fecundior. »

Videantur quæ de hac editione in *Annalibus Collectionum* notavimus. In toto volumine nihil est præter præfationem, quod ad integram operum editionem respicit et impedire potuit, quominus separatim hic tomus venderetur.

1596. [*Genevæ*] *excudebat Jacobus Stoer; in-8°, II tomis.* D. Aur. Aug. Hipp. ep. de Civitate Dei l. XXII. Tomum *quintum* Operum omnium h. l. et a. excusorum efficiunt. Vid. supra in *Annalibus Opp.*

Sæc. XVII. — 1600. *Antuerpiæ, apud Plantin., in-fol.* Iidem libri. *M. Bibl. Colon.*

1610. *Genevæ.... in-8°.* Iidem libri. *Iisdem sponsoribus.*

1613. *Parisiis, sub insigni urbis; in-fol.* « S. Augustini l. XXII. de Civitate Dei, recogniti per theologos Lovanienses: cum comment. *Leon. Coquæi* et *Jo. Lud. Vivis.* » *Cat. Bibl. Thott.*

1624. *Francof., typis Wechel. ap. Dan. et Dav. Aubrios et Clem. Schleich.; in-fol.* Casp. Barthii Commentariorum in D. Aur. Augustini Civitatem Dei liber primus seu Adversariorum Comment. lib. LX. Exstat cum *Adversariis* a pag. 2816 sqq. Præcedit hæc ejus admonitio: *Eccum tibi, amice lector, specimen Commentariorum nostrorum in Civitatem Divinam Augustini, multis expetitum. Sequentur ipsa Commentaria, si Deus vitam dederit; Opus immensum, et licet ominari, æternum. Reliquimus autem, ut scripsimus; non sublatis iis, quæ ex Adversariis in hunc Commentarium transtulimus; idque consilio, ut quale ipsum opus sit, eo facilius perspiciatur.* Quæ ipsius Barthii verba eo lubentius huc transcripsimus, quod nuper demum *Lipenii*, sublestæ non raro fidei testis, auctoritati tantum dedisse Colonienses vidimus, ut refragantibus licet *Christ. Daumii*, Barthio quondam familiarissimi, aliorumque, quos ipsi in medium producunt, melioris notæ scriptorum testimoniis gravissimis, non prorsus tamen de integri hujus Barthiani commentarii editione, qualem Halæ Sax. a. 1620 in-fol. lucem vidisse Lipenius prodiderat, desperarent. Imposuerat illis etiam hoc, quod ipse Barthius in suis ad Statium Animadversionibus sæpius hujus commentarii in Augustinum meminisset. Sed quæ ibidem ex iis proferunt verba, tantum scriptum jam fuisse eum probant, non item, ut ipsi volunt, editum. Cæterum ingens tunc temporis apud doctos homines hujus commentarii fuit desiderium, imprimis quoniam ipse auctor de eo tam magnifice locutus erat, et oppido pauci erant, qui non eximie reconditam istius viri doctrinam admirarentur. Hodie non majorem in eo jacturam orbem eruditum fecisse credimus, quam in eo, quem Salmasius super Arnobium meditabatur.

1636. *Parisiis, sub insigni Magnæ Navis, in-fol.* « S. Aurelii Augustini, Hipp. ep. De Civitate libri XXII. Ex vetustissimis manuscriptis exemplaribus per *theologos Lovanienses* ab innumeris mendis repurgatus. » Quorum diligentiam attestatur sub finem tomi, castigationum ratio et lectionum varietas majori ex parte annotata. Cum Commentariis novis et perpetuis R. P. F. *Leonardi Coquæi*, Aurelii Eremitæ, Augustiniani, Doct. Theol. Paris. et *Jo. Lud. Vivis.*

Inscripsit *Leon. Coquæus* Christianæ a Lotharingia Magnæ Etruriæ Duci Matri a sacris Confessionibus. Notæ ejus æque copiosam theologicam eruditionem ostendunt, quam Lud. Vivis commentarius omnigena antiquitatis doctrina illustris est. Ipse quoque *de inscriptione, occasione, partitione, dignitate et*

*utilitate* horum librorum, quod haud perfunctorie Vives egerat, denuo commentatus est.

1651. *Parisiis.... in-fol.* lidem cum Coquæi commentariis. Ita *Colonienses.*

1661. *Hamburgi, sumpt. Zach. Hertelii; in-4°, II tomis.* S. Aur. Aug. Hipp. ep. de Civitate Dei libri XXII, in duos tomos divisi, ex vetustissimis mss. exemplaribus emendati, juxta novissimam ed tionem Coloniensem. Accedunt Commentarii eruditi et integri quidem, Jo. Lud. Vivis, Hispal. ac Leonh. Coquæi Aurelianensis. Cum indice gemino, altero locorum Sc. S., altero rerum ac verborum locupletissimo.

SÆC. XVIII. — 1748. *Neapoli.... in-4°.* S. Augustini libri XXII de Civitate Dei cum notis monachorum S. Mauri. *Cat. Bibl. S. Aug. ad Nidum Neap.*

*Versiones.*

Versionum quoque hujus Augustiniani operis non exiguus est numerus. Nam et vario idiomate redditum est, et sæpius eodem, sed nullo frequentius, quam Gallico. Ex pluribus autem qui huc studium suum contulerunt Francogallis, nemo laude sua apud populares caruit, studioseque excepta sunt et prelo multiplicata *Radulphi de Prælis*, *Gentiani Herveti*, *de Ceriziers*, *Ludovici Giry* et *Petri Lomberti* conanima. Sed singula brevi indiculo complectamur.

*Italicæ. — S. l. et a., in-fol.* « Il libro di S. Augustino, de la Cita di Dio, il quale è diviso in XXII libri, tradotti in lingua volgare. » *Cat. Bibl. Reg.* T. I, p. 381, n. 786, apposito lemmate *vetus editio.* In *Bibl. Smithiana*, p. 28, legitur : *La Città di Dio : tradetta (forse) da Iacopo Passavanti. Deburius* in *Cat. Bibl. Ducis de la Valière* circa annum 1480 excusam existimat scripsitque characterem esse romanum minorem, binas columnas, signaturas a-II secundi alphabeti, tabulamque materiarum ab initio XI foliis præfixam. Erat eadem penes *Crevennam* olim, teste *Cat. Bibl.* ejus novissimo. Cf. *Biblioteca degli Autori volgarizz.* in *Raccolta d'Opusc. scient. e filol.* T. XXXII, pag. 342.

De auctore hujus versionis inter ipsos Italos haud convenit, dum alii, in quibus *Fontaninus* (in opere suo *de Eloquentia Italica*), *Nicolao Piccolomineo* eam asseruerunt, quos tamen refellit Apostolus Zenus in Annotationibus ad Fontanini librum; alii, veluti Jacobus Corbinellus, *Jacobum Passavantium* auctorem statuerunt; utrisque adversatus est Petrus Bassaglia in editione Veneta a. 1742, a Florentino quodam anonymo eam profectam et Venetiis circa a. 1480 elaboratam esse dicens.

1734. *Roma, per Antonio de Rossi, in-fol.* « La Città di Dio, opera del gran Padre S. Agostino vescovo d'Ippona tradotta nell' idioma Italiano dal *P. D. Cesare Benvenuti* da Crema abbate generale dei Canonici Regolari della Congregazione Lateranense. » Plurima commendant hanc operam, versionis elegantia, index copiosus, splendor artificii, ipsumque denique P. M. Benedicti XIV, cui dedicata est, nomen, teste *Bibl. degli Aut. volgarizz.* in *Raccolta d'Opusc. scient. e filol.* T. XXXII, p. 343.

1742. *Venezia, appresso Piet. Bassaglia e Franc. Hertzhauser.; in 4°.* « Della Città di Dio di S. Aurelio Agostino. Tomo primo, che comprende gli XI primi libri. » Hæc est recens editio antiquæ illius versionis, de cujus auctore editorem Petrum Bassagliam prolixius in epistola dedicatoria huic tomo præmissa disputasse diximus. Alterum tum (a. 1745) nondum absolutum fuisse diserte monet auctor *d. Bibl. degli Aut. volg.* l. l. Sed postmodum additus esse debet. Nam Audiffredus in Cat. Bibl. Casanat. *duos* citat. Textus Latinus versioni adjungitur, insuperque Vita Augustini a Possidio scripta Latine accessit.

*Gallicæ. — 1486. Abbeville, chez Jean du Pré et Pierre Gérard; in-fol., II vol.* « Dix premiers livres de Monseigneur S. Augustin de la Cité de Dieu translatés par *Raoul de Preulles.* » In fine tomi I : « Imprimé en la ville d'Abbeville par Jean du Pré et Pierre Gérard marchans libraires, achevé le XXVIII de Novembre, l'an mil quatre cens quatre vingt et six. » Tomo II : « Les sept derniers livres. » In fine : « Imprimez *par les mêmes* à Abbeville. VII d'Avril, mil quatre cens quatre vingt et six, après Pasques. » — Commemorant hanc editionem *Maittarius*, *Debure Bibliogr. instr.* T. I p. 218, *Deburius sen.* in *Cat. Bibl. Ducis de la Valière* T. I, p. 167. Notatur etiam in *Cat. Bibl. Reg. Paris.* Primus liber est ex paucis, qui Abbatisvillæ sunt impressi. Superat tamen editionis vetustatem ipsius versionis ætas. Auctor enim, cujus nomen diverse, modo *de Preulles*, modo *de Prælles*, *Præsles*, *Presles*, quin etiam *de Praieres*, Latine vero *de Prællis*, *de Praieriis*, *Preslæus*, efferri solet, Caroli V Franciæ regis temporibus floruit, penesque eum magistri libellorum supplicum officio functus est, natus ex illicito concubitu *Radulphi de Praellis*, Philippi Pulchri quondam consiliarii a. 1315, cum iniqua custodia pater ejus detentus esset. Sed filii legitimi jura Radulphus noster jam senex regis sui beneficio a. 1376 est consecutus. Diem obiit mense Novembri 1382. Variis ille scriptis tam vernaculo, quam Latino, sermone compositis, ætate jam devergente, inclaruerat, cum singulari regis mandato stipendioque ad conficiendam Augustini hujus libri versionem adigeretur, quam inchoatam anno 1371, die 1 Novembris, seu festo omnium Sanctorum, anno 1375, die 1 Septembris absolvisse fertur (*a*). Præsto erant 30 codices, quos ita tamen secutus est, ut parcius verborum quam sensus explicationi studeret, et regis jussui obtemperans sententiæ veritatem claritatemque per ambages orationis sectari mallet, quam eamdem

(*a*) Ab eodem auctore profecta est Bibliorum versio Gallica, quam specimine proposito accurate descripsit P. *le Long* in *Bibl. sacra* p. 318, quæque eidem regi in litteras propenso debetur. Cf. *Lancelot* in *Mém. de l'Ac. d.. Inscr.*, T. XIII, p. 656.

verbis insistendo periclitari. Ut vero commodius sua legerentur, singulos libros in capita plura dispescuit, quacum descriptione nescio an hodierna Latini textus divisio concordet. Nec contentus, Augustinum Gallicani sermonis eloquio civibus suis admovisse, ejusdem etiam ubi doctius locutus esse videretur, interpretem egit, subjuncta singulis capitibus *expositione*, in qua de mythicis, historicis, philosophicis aliisque reconditioris scientiæ capitibus, prout quidem eruditionis tunc temporis conditio ferebat, disseruit, ut tamen ostenderet, se hominum doctorum ævi sui longe esse excellentissimum. Nempe auctores, unde sua deprompsit, si a paucis discesseris, sæculo VII non antiquiores sunt, siquidem frequenter imprimis laudat *Isidorum Hispalensem*, *Orosium*, *Paulum Diaconum*, *Hugonem*, *Papiam*, *Fulgentium*, *Catholicon*, *Nicolaum Triveth*, *Vincentium Bellovacensem*, *Alanum* de Complanctu Naturæ, *Joannem Sarisberiensem*, *Gulielmum Paris*, *Petrum Comestorem*, *Helinandum* aliosque, aliquoties *Paulum Diaconum* de Mirabilibus Mundi, *Coranum Mohamedis* et *Joannem Magdunensem* (*Jean de Meun*) tamquam auctorem fabellæ Gallicæ *de Rosa* appellat. Plura etiam ex historia tum sui temporis, tum antiquiori Franciæ admiscuit, nec non traditiones passim vulgique superstitiones varias aspersit, ex quibus speciminis loco nonnulla proposuit *Lancelotus*, *Academiæ Inscriptionum et litter. elegantior. Paris.* quondam Socius, cujus binæ de Radulpho Preslæo ejusque scriptis commentationes insertæ sunt *Memoriis* ejusd. Academiæ T. XIII, a pag. 607 ad 665. Illius enim viri laudabili diligentia effectum est, ut quæcumque auctorem versionis hujus concernunt juxta documentorum optimorum fidem explorata nunc habeantur, simulque tenebræ istæ, quibus *Crucius Cenomanensis* (*La Croix du Maine*) in *Bibl. Gall.* p. 427 hæc obsepsit, quibusque dispellendis non admodum profecerunt conjecturis suis auctores *M. Bibliothecæ Coloniensis* (p. 740, n. 157) clarissima luce sint collustratæ. Præ cæteris autem illius scriptis hunc librum paucissimis visum, inspectum vero, quantum equidem scio, nemini, diligenter examinavit, præcipuasque ejus dotes cum judicio exposuit. Enumerat præterea p. 654 insigniores aliquot codices mss. qui ad unum omnes in Bibliotheca Regia Parisiis asservantur et numeris suis sunt notati. Cæterum non minus rara hac principe hujus versionis editione est altera diu postea facta.

1531. *Paris (chez Galiot du Pré), par Nicolas Savetier; in-fol., II tomes.* « La Cité de Dieu de Monseigneur Saint Augustin, translatée de latin en françois par *Raoul de Præsles;* » cujus splendidum exemplar olim inter ornamenta *Bibliothecæ Ducis de la Valière* numerabatur. Cf. *Cat.* T. I, p. 168, n. 458. Laudat eamdem *Cat. Bibl. Musei Britt.* Tenendum est autem, Lancelottum etiam æque ac Colonienses hujus editionis mentionem facere, sed ita, ut apud *Galiotum du Pré* prodiisse affirment, cum tamen Deburius l. l. Nicolao Savetierio tribuit. Quocirca nos conjecturam secuti utrumque in titulo posuimus, alterum redemptoris, alterum impressoris partes gessisse suspicati.

1570. *Paris, chez Nic. Chesneau; in-fol.* « La Cité de Dieu du Saint Augustin traduite en françois par *Gentian Hervet.* » *Cat. Bibl. Mus. Britt.* Cf. *M. Bibl. Col.*

1585. *Paris, chez Mich. Sonnius; in-fol.* « Saint Augustin de la Cité de Dieu, illustré des commentaires de Jean-Louis Vivés, traduit en françois par *Gentian Hervet*, avec les annotations et observations de *François de Belleforest.* Troisième edition, augmentée. » *Cat. Bibl. Reg.* Eamdem repetitam *Parisiis* 1610, *in-fol.* tradunt Colonienses.

1655. *Paris, chez Pierre le Petit; in-fol.* « Saint Augustin, de la Cité de Dieu, traduit en françois par *de Cereziers*, aumônier du Roy. » *Cat. Bibl. Reg. et Casanat.*

1665 et 67. *Paris, chez Pierre le Petit; in-8°, II voll.* « Saint Augustin de la Cité de Dieu, traduit en françois par *Louis Giry*, tomes I et II, contenant les dix premiers livres. « *Cat. Bibl. Reg.*

1675. *Paris, chez André Pralard, in-8°, II voll.* « La Cité de Dieu de Saint Augustin, traduite en françois et reveue sur plusieurs anciens mss. avec des remarques et des notes, contenant des corrections du texte par *Pierre Lombert.* » *Cat. Bibl. Reg.* et *Ducis de la Valière.* Eadem repetita est eodem anno *Bruxelles*, et 1693 *Paris II voll.* (*Cat. Bibl. Thott.*)

1701. *A Paris, chez Nicolas Pepie; in 8°, en II tomes.* « La Cité de Dieu de Saint Augustin; traduite en françois et revue sur l'édition des PP. Bénédictins, avec des remarques, etc. »

1736. *A Amsterdam, chez Pierre Mortier, in 8°, IV tomes.* « La Cité de Dieu de Saint Augustin; traduite en françois et revue sur plusieurs mss.: avec des remarques et des notes qui contiennent quantité de corrections importantes du texte latin; et la Vie de M. *Lombert.* » Notæ imprimis de versione tractant ejusque licentiam ex eo, quod elegantiæ sensui traductor debeat et quod linguarum invicem abhorrens ingenium postulet, excusant. Hinc nec ubique eadem iterum inculcare, sed ad priores tantum XI libros talia monere satis visum est. Emendationes, quas in titulo profitetur, ex 10 circiter aut 11 mss. Gallicanis nonnullisque Vaticanorum, quas Benedictini PP. ipsi concesserant, lectionibus haustas esse monet. Eadem versio totidem voluminibus in-12, *eodem anno ibidem apud Jac. Rollin* excusa, quæ similiter ac præcedens vitam traductoris in titulo gerit, memoratur in *Cat. Bibl. Reg.* T. I. p. 379. Eamdem *duodenis IV voll. Parisiis* 1737 excusam laudat *Cat. Bibl. Firmianæ.*

*Hispanicæ.* — 1614. *Matriti, in-fol.* S. Augustinus de Civitate Dei l. XXII, Hispanice per *Ant. de Roys* et *Rozas.* Laudant *Colonienses.*

1676. *Amberes* (Antuerpiæ), *in-fol.* Iidem ejusdem versionis. *Cat. Bibl. Thott.* Iterumque ibidem repetiti dicuntur a. 1696 *in-fol.* in *Bibl Eccl. Colon.*

*Belgicam* versionem impressam *Lugduni Bat.* 1621, ex *Cat. Bibl. Traject.* T. II, p. 3, proferunt Colonienses.

*Germanicam Joannis Godfridi de Odernheim*, qui circa a. 1495 Oppenheimensis Ecclesiæ pastor fuisse perhibetur, ex *Eisengrenii* fide commemorat *Possevinus App. Sacr.* T. I, p. 889. Aliam auctore *Hans Nicolao Sigmaro a Schlusselberg*, excusam *Ratisbonæ* 1666, *in*-4° laudat *Gemeiner Regensb. Stadtbibl.* p. 197 : attamen non nisi librum primum eam complecti significat.

*XXVI.*—(75) *De Bono Viduitatis liber.*

1517. *Paris, chez Jean Petit, in*-4°. « De l'Etat de Veuvage ; de la Manière de prier Dieu ; la Vie de Sainte Monique ; Opuscules de Saint Augustin, traduits par *Adrian Gemelli* (Jumel), prêtre docteur en theologie et grand archidiacre de Laon en Picardie. » *Du Verdier* ed. recent., T. I, p. 7. Tractatus *de Orando Deo* inter epistolas censetur 130.

*XXVII.* — (79) *De Gestis Pelagii liber*

1611. *Augustæ Vindelicorum*, *in*-8°. D. Augustini liber de Gestis Pelagii, nunc primum editus studio *Marci Velseri.*

*Fæsulis* (urbe agri Florentini, quam hodie *Fiesoli* dicunt) inventus erat in bibliotheca abbatiæ S. Bartholomæi canonicorum regularium Lateranensium. Hinc ejus antigraphum cardinalis *Scipio Cobellutius*, tunc ab epistolis et secretis summi pontificis, Roma ad *Marcum Velserum* duumvirum Augustanum transmiserat: qui quidem aliquamdiu editiones, quæ Romæ Florentiæque accuratissime parari ferebantur, cupide exspectavit ; sed quoniam longum id futurum negotium res loquebatur, gratiam apud viros pios et eruditos, antiquæ doctrinæ amantes, Romanis Florentinisque editoribus ipsis non invitis, se initurum esse ratus, si nuda interim Augustini verba utenda fruenda proponeret, exemplum Romæ transmissum cum fide exprimendum curavit, lectionibus variantibus, quæ ad marginem ejusdem comparaverant, pariter in ora ascriptis, subjectis vero in ima pagina aliis, quas maximam partem *Marco Velsero*, canonico tunc Frisingensi, deberi editor significat, easque conjectura fere subitaria inter legendum notatas, paucas etiam paulo audaciores ab auctore improbatas scribit. Nullas vero quantavis probabilitatis specie blandientes in contextum a se receptas esse asseverat. Præfationem hanc repeti fecit *Joannes Clericus* in Append. Augustinianea (T. XII ed. Antuerp.), p. 607. Exspectatæ vero illæ Romanorum Florentinorumque editiones lucem non viderunt, sed Parisiis paulo post cum libro *contra secundam Juliani responsionem* cura *Menardi* iterum prodiit, quem vide n. 98. Nec dubito, quin inter *Opuscula Augustini discipulorumque ejus* editus sit, quæ supra a nobis sunt in medium producta.

*XXVIII.*—(80) *De correctione Donatistarum liber.* Edidit seorsim hunc librum *Nic. Bergius* Revalensis *Holmiæ* 1696, in-8°, sub. tit. : *D. Augustini liber de moderate coercendis hæreticis ad Bonifacium comitem*

*XXIX.*—(82, 83) *Augustinus in Evangelium Joannis et Epistolam ejus I, ad Parthos. Sine anno, loco et typogr.* in-fol. *Augustinus super Joannem.* Hæc verba tituli loco litteris majoribus folio primo cæterum vacuo sunt impressa. In limine textus : *Divi Aurelii Augustini, Hipponensis episcopi: in Evangelium secundum Joannem Tractatus primus feliciter incipit. Ab eo quod scriptum est : In principio erat Verbum : et verbum erat apud deum : et deus erat verbum. usque ad id quod ait : Et tenebre eam non comprehenderunt.* In fine : *Divi Aurelii Augustini hipponensis episcopi expositio in evangelium secundum Joannem feliciter explicit.* Præcedunt *Annotatio seu Inventarium principalium sententiarum*, nec non *tituli seu rubricæ tractatuum*, x foliis. Impressio facta est litteris Gothicis minoribus, duabus columnis. Chartæ litteris signatæ sunt, desiderantur tamen foliorum numeri et custodes. In summa pagina non solum tractatus, sed et capita indicantur. In ipso contextu autem verba Evangelii aut alia loca biblica commentariorumque initia, illa medio, hæc majori charactere distinguuntur. Addita sunt marginalia, in quibus vel loca parallela, vel lectiones variæ locorum Biblicorum ab Augustino laudatorum producuntur. His consideratis, nemo non insignem hujus editionis similitudinem cum impressis Amerbachianis, quorum exemplaria passim a nobis inter Augustiniana proferuntur, agnoscet. Lubens tamen concesserim in cl. *Braunii* sententiam, qui tomo II Not. II. Litt. p. 33, *Norimbergæ* per *Antonium Koberge-rum* excusam esse statuit, modo non in sola typorum similitudine, sed totius operis descriptione nitatur illius judicium. Unum accedit, Cobergerum plura, Amerbachium contra vel nulla, vel pauca admodum absque nomine suo emisisse.

*Versiones.*

1670.

*Romæ typis S. C. de propag. F. in*-4°. Capita nonnulla ex diversis tractatibus in Evangelium Joan. de Sp. S., Lat. et Gr. interpr. *Max. Planude; inter* opuscula aurea collecta a *P. Arcudio* a pag. 631. In Bibl. Eccl. M. Coloniensi laudatum invenio librum *de Spiritu S.* ex diversis Augustini tractat. *super Joannem* collectum, qui prodiisse dicitur Basileæ 1578 Gr. Lat. Ex his intelligere mihi videor, non alium indicari librum, quam *Leunclavii Legationem Manuelis Comneni ad Armenios*, cui aliquot capita de Trinitate ex Augustino gr. conversa sunt inserta. At si hunc voluit quem testem laudat *Lipenius in Bibl. Theol.* T. II, p. 783, fallitur ille quidem ; nam ista prorsus ibidem non leguntur. Nescio vero an huc forte pertineat *liber Augustini de Spiritu Sancto. Genevæ* 1540, *in*-8°, quem profert *Cat. Bibl. Bernens.* T. I, p. 15.

1670. *Paris, chez Jean-Bapt. Coignard; in*-12. « Homelies de S. Augustin sur la premiere Epistre de S. Jean ; traduction nouvelle.

1700. *Paris, chez Jean-Bapt. Coignard; in*-8°, *IV voll.* « Les traitez de S. Augustin sur l'Evangile du

S Jean et son Epistre aux Parthes, traduits en françois sur l'édition des PP. Bénédictins, avec des sommaires à la marge, par *Philippe Goisbaud du Bois.*»

*XXX.* — (84) *De Gratia Christi et Peccato originali contra Pelagium et Cœlestium.*

1687. *Moguntiæ, typis Petri Hermans, in* 8°. Liber Divi Aur. Augustini, Hipp. episc. contra Pelagium et Cœlestium de Gratia Christi, Commentario brevi et continuo illustratus a R. P. *Carolo Josepho Tricassino*, ord. Fratr. Min. Capucin. S. Francisci. Cf. *Act. Erud. Lips. Suppl.* T. I, p. 134.

Ad hunc Augustini librum spectat editoris liber, *Gratia efficax refutata ex libris S. Augustini*, per eumdem typographum hoc ipso anno excusus, quem recensent *Acta Erud.* vol. eod. p. 128-133, idque intendisse auctorem declarant, Pelagianos ab Augustino propterea hæreseos fuisse insimulatos, quod nullam omnino gratiam Dei admitterent in voluntate necessariam, non vero ob id, quod gratiam eam indifferentem, seu talem, cui voluntas humana, seu obtemperare, seu resistere posset, statuerent. Idem fere *Tricassinus* jam ante in libro *De Natura peccati originalis, secundum mentem S. Augustini*, etc. edito *Parisiis* 1677, in-4°, docuerat. Cæterum Auctor Coloniensis non *Moguntiæ*, sed *Trecis*, unde oriundus erat *Tricassinus*, eum impressum existimat.

*Versio.*

1738. *Paris, chez Franc. Babuty, in*-12. «Les deux livres de S. Augustin, de la Grâce de J.-C. et du Peché originel, traduits en françois sur l'édition des PP. Bénédictins de la Congrégation de S. Maur. »

*XXXI.* — (93) *De Conjugiis adulterinis libri II.*

1698. *Ienæ, per Joan. Bielkium; in*-4°. D. Aur. Augustini libri duo de adulterinis conjugiis ad Pollentium, cum notis jurisconsulti celeberrimi, quibus dogma Ecclesiæ de matrimonii dissolutione illustratur.

Auctor notarum fertur *Joannes Schilterus*, antecessor quondam Argentoratensis, ingenio æque ac doctrina inter jurisconsultos eminens, edidit vero et præfatus est *Georgius Schubartus*, humaniorum litterarum tunc temporis apud Ienenses professor. Occasionem libro causamque simul cur latere Schilterus voluit, dedisse ferunt *Ulricum Obrechtum*, virum eleganti doctrina et multis editis scriptis tunc apud Argentoratenses insignem. Qui cum Argentorato urbe in potestatem Ludovici XIV redacta Jesuitarum captionibus in castra Pontificia esset pellectus, idque deinde præmii tulisset, ut senatui Argentoratensi præsidis nomine a rege præficeretur, morem in judiciis receptum, matrimonia adulterii causa dissolvendi, patrum istius societatis placitis haud dubie obtemperans, aboleri fecit ejusque rei gratia etiam hunc Augustini librum Germanice vertisse traditur. Cf. *Morerius* in *Dictionario (ed. Amst. in Suppl.)*. Tametsi vero posterius asserere non ausim, arbitror tamen, Augustini sententiam a causæ hujus patronis fuisse jactitatam, idque ipsum Schilterum impulisse non ut eludendam sibi sumeret, quod a tali viro exspectari non poterat, sed ut denuo sub judicium eamdem revocaret et ab omni parte perpensam proponeret. Facile tamen temporum ratio suadere poterat, ut nomen invidiæ subtraheret. Liceat nunc brevem disputationis ejus conspectum, quemadmodum a *Frib. Bened. Carpzovio* per examen hujus libri in *Actis Erud. Lips.* 1698, p. 340, delineatus est, subjungere. « Primum, inquit, animadvertit Schilterus, controversiam esse duplicem : alteram *de jure divortiorum*, quæ Augustinus nisi ex causa adulterii negabat esse permissa; altera *de jure iterum nubendi*, quod Augustinus, vivente altera parte, concedit nemini, ne quidem ex causa adulterii : nisi quod cap. 6 innuit, Christianos tantum conjuges hoc præcepto teneri; unde colligas, ab adultero non Christiano discedenti nuptias secundas minus fuisse interdictas. Pollentium vero in priori quæstione labi docet notarum auctor, abreptum Hebræorum Romanorumque moribus ac legibus, quibus divortiorum licentia invaluerat. In hac ergo parte triumphare Augustini facundiam et disputandi subtilitatem, licet argumentis ejus non id semper conficiatur, quod illis colligere velit. Sic locum illum Paulinum I Cor. VII, 10, 11, nec ab Augustino, nec a Pollentio recte capi et explicari observat. Augustinum ex præjudicata opinionem mulierem, quæ discedat a viro, accipere de ea, quæ ob adulterium divortat aut repudietur, atque adeo, ut scholæ loquuntur, petere principium. Pollentium contra, quæ Apostolus in eam conditionem conferat, si fiant, pure accipere, ac si licite fieri possunt, atque adeo, quæ *de facto* dicuntur, perperam *de jure* intelligere. In altera vero parte controversiæ, qua de jure iterum nubendi, si factum est divortium, quæritur, Augustinum sine causa ab apertis Christi verbis Matth. v, 32, discedere, eisque vim inferre notat; cum ea, quæ particulis exceptivis regulæ eximuntur, non in vim exceptionis, sed exempli valere velit, invito sensu communi, rectisque interpretandi regulis, ad Grammaticæ, Logicæ, subjectæque materiæ principia revocatis. Neque reliquas ejus rationes ita esse comparatas, ut nos cogant ad contortam interpretationem verborum perspicuorum confugere, evoluto cujusque argumenti paralogismo demonstrat. Hæc fere sunt, quæ priori libro disputantur et notantur. Altero libro eadem controversia discutitur, a Pollentio denuo et luculentius exposita, novisque rationibus munita, quibus Augustinus occurrit, suamque sententiam tuetur et expolit. Doctissimus vero Schilterus et hic Augustinum κατὰ πόδα sequitur, et quid sit in controversia, cujus ponderis sint rationes aut responsiones allatæ, quæ inter se consentanea sint aut dissentanea, magno judicio examinat: sub finem ex lib. II Retractat. cap. 57 observans, in hæc sententia ipsum sibi non satis fidere, nec satisfacere Augustinum. » Hactenus Carpzovius. Restat, ut observemus, rarissime jam occurrere Schilterianam hanc opellam, quippe qua nostra etiam Bibliotheca caret cujusque mentionem

in Catalogis præcipuarum bibliothecarum, præterquam in Catalogo Bibl. Regiæ Parisiensis, frustra quæsivimus.

*XXXII.*—(98) *Contra secundam Juliani responsionem*, Operis imperfecti *libri VI.*

1617. *Lutetiæ Paris., apud Sebast. Chappelet*, *in*-8°. « S. Aur. Augustini, Hipp. ep. contra secundam Juliani responsionem, Operis imperfecti, libri duo priores. Nunc primum ex manuscriptis codicibus editi. Additus est et ejusdem Augustini *de Gestis Pelagii* liber ante paucos annos editus. Nunc primum in lucem editus cura *Cl. Menardi*, Juliomagi Andium prætoris. » Paucas, sed selectæ doctrinæ notas editor haud inceleber aspersit. Nuncupavit autem archiepiscopo Lugdunensi Dionysio de Marquemont ep. d. pridie non. Aug. 1616. Exstat eadem editio hoc ipso anno ab iisdem typographis in-folio excusa. Cf. *Cat. Bibl. Reg. Paris.*

1642. *Lovanii, apud Cornel. Cœnestenium, in* 4°. S. Aur. Augustini contra secundam Juliani responsionem, Operis imperfecti, libri duo priores, restituti a F. *Mich. Paludano*, Gandaven. O. Eremit. S. Augustini. Præmittuntur iidem libri, quales a 1617. Parisiis editi fuere. *Cat. Bibl. Casanat.*

— *Lovanii apud Jacobum Gezers*; *in*-4°. « S. Aur. Augustini libri duo priores, Operis imperfecti, contra Juliani secundam responsionem : ex recensione *Michaelis Paludani.* » *Cat. Bibl. Reg. Paris.* In hac iteratione prioris editionis errata innumera sola conjectura correcta esse, ex Riveto monent Colonienses.

1654. *Parisiis sumpt Simeonis Piget; in-fol.* S. Augustini episcopi catholici contra Julianum hæreticum Pelagianum operis *perfecti* libri sex. In *Suppl. Hieron. Vignerii.* T. II, p. 1322.

Octo libris opus secundæ responsionis Juliani constabat. Eam vero Augustinus sic refutare aggressus est, ut singulis libris librum opponeret. Sed morte præventus nonnisi sex libros absolvere potuit, atque imperfecta adeo hæc ejus responsio mansit, ut Possidius etiam testatur. Ex his diu nonnisi *duo* habebantur editi per *Claud. Menardum.* Paris. 1617. Enimvero a. 1654 *Hieronymus Vignier* ex Soc. J. *supplementis* ad editiones Augustinianas anteriores hoc anno editis clarus, non solum quatuor de novo ex codice ms. abbatiæ Claræ-vallensis eruit, sed sibi etiam persuasit et aliis persuadere conatus est, integrum hisce VI libris Augustini opus a se exhiberi. Argumentis utebatur, *primo*, quod nullus a se inspectus sit Possidii codex, in quo vox ista, *imperfectum*, exstet; *secundo*, quod in ms. Claræ-vallensi sexto demum libro vocula *explicit*, non item reliquis sit addita, unde colligit, finem totius operis eo indicari; *tertio* denique, id quod longe foret gravissimum, si probasset, sextum librum cæteris esse longiorem atque tam Juliani invectiones, quam Augustini responsa cæteris prolixiora; quocirca concludit, probabile videri, sexto hoc libro tres Juliani simul esse collectos idque ex ipsius verbis finalibus astruere nititur, in quibus omnia ad generalem ex illatis conclusionem apprime conspirent. Enimvero Benedictini tomo X, p. II, omnia hæc vana esse pronuntiant atque exemplis contrariis luculenter demonstrarunt. Præmisit editor disputationem de Juliano ejusque in B. Augustinum scriptis et testimonia veterum, qui horum sex librorum meminerunt et locos ex iis in suos commentarios retulerunt.

*Versio.*

1736. *Paris, chez Franc. Barbuty; in*-12, *II voll.* « Les VI livres de S. Augustin contre Julien, défenseur de l'hérésie pélagienne, traduits en françois sur l'édition des PP. Bénédictins. »

*XXXIII.* — (99) *Enchiridion ad Laurentium.*

Sæc. XV. — *Sine anno et loco, in-fol. min.* S. Augustini Enchiridion. Constat foliis XXXIII. Exordium capit ab ipso statim prologo verbis : *Incipit liber enchiridion sācti augustini de fide, spe et charitate.* In fine textus folii xxxi, pagina aversa : *Deo gracias.* Dein, post *capitulorum titulos* folio xxxii incipientes, folio xxxiii pagina prima : *Amen.* Describit hanc editionem antiquissimam sane cl. *Seemiller* fasc. I, p. 156 sq., inter eos libros de quorum typographis ne conjectura quidem experiri ausus est. Quod ætatem attinet, ante annum 1477 excusam esse non dubitat, litterasque, quibus expressa est, non fusas, sed sculptas propter inæquabilitatem sibi videri edixit, genus tamen earum declarare oblitus est. Unicum ab eo interpunctionis signum, punctum nempe, atque id ipsum rarissime observatum. Deerant signa quævis paginarum foliorumve, nec non litteræ in tiales, capita tamen numero Romano distinguebantur. Lineas per paginam numerabat 34.

Sæc. XVI. — 1527. *Augustæ Vindelic.* seu *Coloniæ*; *in*-8°. S. Aur. Augustini Enchiridion de Doctrina Christiana ad Laurentium urbis Romæ primicerium, nec non libellus de essentia Divinitatis ejusdem. Laudat *Hendreich* in *Pand. Brandeb.* p. 341, sed adeo negligenter locum, ubi impressa sit, editio indicat, ut in medio relinquam, *Augustam* an *Coloniam* voluerit.

1552. *Coloniæ, ap. Petr. Horst., in*-8°. « S. Aur. Augustini Enchiridion de fide, spe et charitate, accedit ejusdem liber de Fide et operibus. » *Cat. Bibl. Thott.*

1575. [*Genevæ*] *apud Eustath. Vignon; in*-8°. D. Aur. Augustini Enchiridion ad Laurentium, sive summa et præcipua totius Christianæ religionis capita. Liber utilissimus iis omnibus, qui brevissimam Augustinianæ doctrinæ epitomen ex ipso Augustino, et quidem jam sene, habere desiderant, multis mendis et glossematis, quibus antea scatebat, ex veteri manuscripto repurgatus et commentariis illustratus. Per *Lamb. Danæum.* Accessit operi triplex index.

Divinas plane Augustini scriptorum virtutes *Lamb. Danæus* in epistola dedicatoria ad Edzardum

Frisiæ Orientalis principem prædicat, indeque progressus ad querelas de iniquo eorum paulo post auctoris sui excessum fato, dum partim temporum injuria perdita, partim hominum improborum malevolentia corrupta et interpolata fuerint, ansam capit operam suam utcumque commendandi, quippe qua non solum verborum vulnera sanasse, sed Augustinum ipsum sui testem et interpretem produxisse gloriatur. De manuscripto, quo ad emendandum textum usus sit, nihil amplius ab eo proditum est. Præmittuntur vero præter dictam epistolam, *de methodo librorum Augustini et de eorum evolvendorum ratione disputatio*, nec non *Prolegomena* ad librum jamjam editum, in quibus *de titulo, utilitate, ætate operis* ac *de Laurentio, ad quem dirigitur*, præcepit. In Commentariis dogmata cum Augustiniana, tum Calvinistarum latissime explicantur, et quod ista ætas in deliciis habere cœperat, contra dissentientes strenue defenduntur.

1579. [*Genevæ*] *apud Eust. Vignon; in*-8°. Idem liber, secunda editio aucta et ab ipso auctore recognita.

1583. *Genevæ, in-fol.* Eadem libri hujus recensio recusa in *opusculis theologicis Lamb. Danæi* pag. 729 896.

1597. *Ibidem, in*-8°. Eadem recensio. Laudante *Hendreichio* in *Pand. Brandeb.*

Sæc. XVII. — 1604. *Witebergæ, sumpt. Pauli Helwichii typis Cratonianis; in*-8°. « D. Aur. Aug. Enchiridion ad Laurentium urbis Romæ primicerium, nec non libellus de Essentia Divinitatis, qui inter opera Augustini exstat tomo quarto : In gratiam studiosorum theologiæ seorsim edita, cum præmissa ad illustres et generosos Barones, Dom. Richardum et Dom. Joannem a Tschernemel, *de vera patrum lectione et lectionis utilitate*, præfatione et dedicatione *Salomonis Gesneri*, Theol. Witeb.»

1641. *Lugd. Bat., in*-12. Idem liber. Notat *Hendreich* in *Pand. Brandeb.* l. l.

1656. *Helmst., in*-4°. Idem liber. *Hendreich* in *Pand. Brandeb.* Sed in his omnibus adeo desultorius est viri hujus labor, ut, quamvis providus, metuam tamen, ne male eum intellexerim. Vereor ne, quod hanc editionem attinet, in errore versetur, diversa Augustini scripta, Enchiridion Doctrinæ Christianæ cum libris IV de Doctrina Christiana, a. 1655 hac forma Helmstadii editis, confundens.

1665. *Paris., apud Steph. Loyson...* Augustini Enchiridion ad Laurentium V. Romæ primicerium. Exst. in *opere Spirituali* a pag. 129.

Sæc. XVIII. — 1705. *Lipsiæ, sumpt. Joan. Heinichii viduæ, litteris Jo. Heinr. Richteri*, in-8°. D. Aur. Aug. Enchiridion ad Laurentium, urbis Romæ primicerium, in usum studiosæ juventutis, cum præfatione *de studio theologico D. Adami Rechenbergi* recusum.

*Versiones.*

*Demetrium Cydonium* in *Græcam* linguam Enchiridion Augustini transtulisse tradunt, inquit *Possevinus App. S.*, T. I, p. 153. Sed unde hanc notitiam hauserit tacet. Edita certe hæc versio non est, et si exstitit umquam, in *Bibl. Vaticana* latere etiamnum debet (*a*). Ex *Gallicis* duabus alteram *Colletetii* jam supra, cum librorum *de Doctrina Christiana* editiones recenseremus, commemoravimus. Superest altera *Antonii Arnaldi*, quæ prodiit.

1648. *Paris, chez Anton. Vitré: in* 8°. «Le livre de S. Augustin, de la Foy, de l'Esperance et de la Charité, traduit en françois par *Antoine Arnauld*, docteur de Sorbonne, avec le latin ensuite, reveu sur *six* anciens mss.» Addit Hendreichius hujus versionis repetitiones annorum 1652 et 1656.

1681. *Kiobenhav, in*-8°. Idem liber *Danice*, «overs. af *Henr. Olafsen.*» Cf. *Cat. Bibl. Thott.*

Pertinet ad hunc Augustini librum peculiariter opusculum absque auctoris nomine hoc titulo editum : *Theologia Moralis S. Augustini, in qua præceptum de amore Dei plene pertractatur*, etc., per *E. B. S. M. R. D.*, de quo v. *M. Bibl. Eccl. Col.* p. 744.

*XXXIV.* — (100) *De Cura pro mortuis gerenda liber.*

1543. *Parisiis, ex officina Joannis Palieri, in*-8°. «D. Augustini de Cura pro mortuis gerenda, ad Paulinum liber unus; item de Chrysostomi Homilia, Latine, quod pro defunctis lugendum non est, sed orandum.» Maitt. T. III, p. 1, p. 345. Laudant *Germanicam* hujus libri versionem, auctore *Vito Mileto* (*Moguntiæ* 1604 et 1634, *in*-12) Lipenius in *Bibl. Theol.* T. II, p. 329, T. I, p. 498, et ex eo Colonienses, apud quos præterea egregias quasdam super Augustini de mortuis et sanctorum cultu sententia observationes ex doctorum theologorum scriptis collectas h. l. invenies.

*XXXV.* — (102) *Regula ad servos Dei*, seu verius *Regula Sanctimonialibus scripta*, alias *Epistola CCXI vel CIX.*

*Bernardus Vindingus* et *Prosper Stellartius*, ambo ex familia Augustiniana, primi viderunt, *Regulam ad servos Dei* ex epistola laudata fuisse depromptam virisque aptatam. Quo, quibus id factum sit auctoribus, ignoratur. Sed mature admodum factum esse appareret. Observant enim Benedictini, eam perantiquæ Tarnatensis regulæ potissimam partem facere et laudari in Concordia regularum a Benedicto Aniano abbate et in codice etiam Corbeiensi, mille annorum, viris accommodatam, et cum ea quæ inscribitur *Regula secunda*, in unum corpus compactam exhiberi. Tenendum est autem, hac transmutatione priorem epistolæ partem a verbis initialibus : *Sicut parata est severitas*, etc., usque ad illa, *Sed potius lacrymas Petri pasteris*, penitus esse abjectam : cujus loco pauca hæc præmitti solent adscitia : *Ante omnia, fratres charissimi, diligatur Deus, deinde proximus, quia ista*

(*a*) Hendreichius in *Pand. Brandeb.* p. 342 manuscriptam Demetrii versionem laudat, adducto teste *Hottingero* in *Bibliothecario* p. 372. Ubi tamen altum de ea silentium.

*præcepta sunt principaliter nobis data.* Atque hac forma sæpius separatim ab Operum collectionibus, ita ut vel sola adjectis nimirum *Hugonis de S Victore* aut *Lairvelizii* commentariis volumen efficiat, vel cum aliis ordinis Augustiniani constitutionibus excusa est. Sed cum latissime hic ordo pateat, totque diversæ eo nomine comprehendantur congregationes, quarum omnium constitutiones, quæ plus minusve hanc regulam respiciunt, sæpius quidem sunt impressæ, sed natura sua paucorum manibus teruntur et fere delitescunt : intelligitur, quam lubricum sit accuratum aut plenum *editionum* hujus *regulæ* indicem contexere. Equidem oppido paucas ipse vidi, nec quos, cessantibus illis, sequi potuissem nobilium bibliothecarum scriptores satis fidos hac in re expertus sum. Collegi tamen, quantum potui, atque hoc saltem assecutus mihi videor, ut, quod desit, aut minus recte se habeat, si tanti putatur ab aliis suppleri aut corrigi facilius possit (*a*).

Sæc. XV. — 1481. *Romæ*, *in-fol.* Regula S. Augustini cum Commentario *Ambrosii Coriolani*. *Orlandi* pag. 284 et 316.

1490. *Argentinæ*, *per Martinum Schott.*; *in-fol.* Canones *Aurelii Augustini juxta triplicem quam edidit regulam omni statui modum vivendi præstantes.* (Hæc litteris majusculis, sequentia minoribus tituli instar in prima pagina : )

*Prelati. regendi copiam nanciscuntur*
*Hic Subditi. suis curatis obsequendi debitum prestare docentur.*
*Mores accipiunt xpi fideles universi.*

Ad calcem : *Opus canonum Aurelii Augustini cum nova ac præclara interpretatione* Ambrosii Choriolani *viri prestantissimi. generalis magistri totius ordinis heremitarum divi Augustini. per spectabiles viros* Tilmannum limperger. *ordinis heremitarum sancti Augustini fratrem.* Jacobum fedderer. Joannem scherrer. *artium liberalium professores et sacre theologie bachalarios formatos exquisitissime castigatum atque revisum est. Impressumque* Argentine *arte et impensis solertissimi viri* Martini schott. *Anno salutis MCCCCXC.*

His omnibus denique subjecta sunt *monimenta ad lectorem* sex distichis constantia subsignataque litteris : *F. D. L.* Ab initio occurrit *Tilmanni Limperger* præfatio ad *Nicholaum Friess*, theologum Augustinianum, episcopum Tripolitanum. Deinde a folio inde primo usque ad octavum præmittuntur *Vita Augustini per Coriolanum*, et *commendatio regulæ ejusdem.* Tandem folio IX incipiunt *Commentarii super regula divi Augustini..... editi ab Ambrosio Coriolano..... per modum Dialogi*; continuantur vero usque ad folii CXVIII finem. Dehinc separatim folio CXX usque ad finem fol. CXXXIII excusi sunt *Commentarii Ambrosii Choriolani in primam regulam sancti Augustini* cum tribus ejus in laudes et doctrinas quasdam hujus doctoris orationibus. Præfatio, quæ huic parti fol. CXIX, pag. altera præmittitur *Oliverii Servii Tholentinatis* ad *Guillermum de Estoutevilla episcopum Ostiensem et cardinalem*, in qua se primum hæc foras mittere scribit, ad aliam, quæ hanc præcesserit, editionem spectare videtur. Cæterum sedulo cautum est a typographis, ne vacuas paginas admitterent; quocirca passim, veluti fol. VIII pagina altera, nec non eadem pagina tituli, item prima fol. CXIX Augustini effigiem ligno impressam videbis. Conferri etiam de hoc opere poterit *Braun Not. H. Lit.*, T. II, pag. 195.

1500. *Venetiis*, *impensis Giuntæ*, *arte Joannis de Spira*; *in-4°*. S. Augustini Regula una cum Vita ejus. Inter *Regulas quatuor primum approbatas*, de quibus ad *Benedictum* dicetur, simulque hanc editionem latius descriptam dabimus.

Sæc. XVI.—1516. *Lugduni*, *in-8°* (†) S. Augustini Regula.

[1517.] *Sine loco et typographo*, *in-8°*. B. Augustini episcopi Regula. Exstat in *Constitutionibus* fratrum Heremitarum Sancti Augustini ad Apostolicorum privilegiorum formam pro reformatione Alemanniæ. Præmittitur *ad omnes ordinis fratrum Heremitarum S. Augustini per Alemanniam Conventus adhortatio* Joannis de Staupitz, *prioris generalis ad negotium dictæ reformationis tunc vicarii*, signata a. 1517.

1526. *Parisiis. . . . . Hugonis a S. Victore* in Regulam D. Augustini expositio, edita in prima integra *Operum ejusdem* collectione h. a. facta. Num ipsa quoque *Regula* una expressa sit, ignoro. Hugonis vero Commentarius postea pariter recusus, est in editione *Veneta* (*apud Jo. Bapt. Somascum*) 1588, et Coloniensi 1617, nec non novissima, quam singulatim indicabimus.

1550. *Venetiis*, *in-4°*. S. Augustini Regula ad Servos Dei, *seu verius* Regula Sanctimonialibus præscripta : *cui præmittitur* Regulæ clericis traditæ fragmentum cum Regula secunda (supposititia). Exst. inter quatuor primum approbatas Regulas, collectore *Jo. Francisco Brixiano*, congreg. S. Justinæ O. S. Benedicti; . . . *circa finem.*

1561. *Venetiis*, *per Bernardinum Fasianum*, *sumptibus Canonicorum Regularium Lateranensium. Mense Aprili*; *in-4°*. S. Augustini Regula, cum expositione *Hugonis de S. Victore Latine et Italice. Cat. Bibl. Pinell.* cf. *Fabric.* in *Bibl. M. et Inf. Lat.* ed. Mansi T. III, pag. 301.

1575. *Coloniæ Agripp.*, *in-8°*. S. Augustini Regula et Constitutiones fratrum ord. Prædicatorum. *Cat.*

(*a*) Quæ *cruce* notantur, eas solummodo in *Catalogo Bibl. Bodleianæ* laudatas reperi, qui ut inter præstantissimos bibliothecarum publicarum indices merito numeratur, ita haud raro bibliothecariorum usibus magis, quam communi utilitati est accommodatus, librosque quibus aliqui tractatus inserti sunt, non verbis indicat, sed ubi in forulis reperiantur, signis declarat. Cæterum nescio etiam an omnes Ordinis Augustiniani Constitutionum editiones *regulam* hanc a limine præferant. Alias numerus earum ex Lipenio (*Bibl. Theol.* T. I, pag. 118 sqq.), Hendreichio (*Pand. Brandeb.* pag. 343.) et Catalogo Bibliothecæ Casanatensis (v. *Constitutiones*) facile augeri posset.

*Bibl. Bodl.* cui addatur *Hendreich* in *Pand. Brandeb.*

1581. *Dilingæ*, *in*-4°. S. Augustini Regula cum Commentario *Hugonis a S. Victore. Lipen. Bibl. Th.* T. I, p. 119.

1582. *Venetiis.* (†) S. Augustini Regula.

1585. *Mantuæ*, *in*-4°. Regula S. Augustini et Constitutiones Eremitarum congregationis Observantiæ Longobardicæ. Laudat *Greg. Rivius* Puritanus (i. e. *Ge. Burch. Lauterbachius*) in *Historia Monastica Occidentis* T. I, pag. 45.

Sæc. XVII. — 1601. *Venetiis.* . . . S. Augustini Regula, cum Comment. Hugonis. Teste *Lipenio.*

1605. *Comi*, *apud Hieron. Froiræ*; *in*-8°. Eadem cum Expositione Hugonis a S. Victore. *Possevin.*

1614. *Coloniæ Agrippinæ*, *in*-8°. Eadem cum Commentario seu *Optica Regularium Servatii de Lairveltz.*

1736. *Gandavi*, *in*-8°. S. Augustini Regula et Constitutiones fratrum Ord. Prædicatorum. *Hendreich.*

1618. *Coloniæ Agrippinæ*, *in*-8°. Eadem cum *Comment. Lairveltzii*, laudante *Lipenio* T. II, pag. 647.

1620. *Barcinonæ*, *in*-8°. S. Augustini Regula et Constitutiones Fratrum Prædicatorum. *Cat. Bibl. S. Aug. ad Nidum Neapoli.*

1625. *Parisiis*, *apud Seb. Chappelet via Jacobæa sub signo Rosarii*; *in*-8°. Regula S. Augustini episcopi et Constitutiones Fr. et sororum ord. Prædicatorum. Cum declarationibus ex Actis Capitulorum Generalium, etc., etc.

— *Ingolstadii.* (†) S. Augustini Regula.

— *Romæ.* . . . . . S. Augustini Regula cum expositione Hugonis a S. Victore. *Fabric. Bibl. M. et I. L.* l. l.

1648. *Rothomagi*, *in-fol.* Hugonis a S. Victore Expositio in Regulam Augustini in *Operibus* ejusdem T. II, p. 5.

1660. *Monachii*, *in*-12. Augustini Regula. Accesserunt Constitutiones canonicorum regularium ejusdem S. Augustini congregationis Gallicanæ. Anno 1638. *Lipen.* T. I, p. 118.

1661. *Romæ in*-4°. S. Aur. Augustini, Hipp. ep. Epistola CIX, Regulam Sanctimonialibus præscriptam continens. Exst. in Codice Regularum *L. Holstenii*, parte III (in qua SS. PP. regulæ ad Virgines) a pag. 1.

1663. *Parisiis*, *apud Ludov. Billaine*; *in* 4°. Eadem Epistola: *Ibidem* in eadem Collectione Regularum hic recusa.

Sæc. XVIII. — 1759. *Augustæ Vindelicorum*, *in-fol.* S. Aur. Augustini Hipponensis Epistola CIX, Regulam Sanctimonialibus scriptam continens; in *p.* III *Cod. Regular. Holstenii* ed. denuo a *P. Mariano Brokie.* T. I, pag. 347 sqq.

*Versiones.*

Versionum indicem ad annorum seriem componere visum est, quam juxta *Anglica* primas tenet, sequuntur proxime *Hispanicæ* et *Italicæ*, ultimumque locum *Gallicæ* tenent.

*Anglica.* — 1525. *London*, *in*-4°. « The Exposicyon of Saynt Augustynes Rule after the great Clerke and holy Saynt, Saynt Hugh, called de Sancto Victore, by the Wretche of Syon *Rychar de Whytforde* : *Imprynted at London in Fletestrate by me Wynkyn de Worde* M. CCCCCXXV. the XXVIII. of November. » *Maittaire.*

*Hispanicæ.* — 1600. *Cordoba.* . . « La Regla de San Agostino declarada. . . . por *Juan de Montoya* » (Matritensi Dominicano).

*Italicæ* — 1613. *Firenze*, *per Bartolommeo Sermartelli*, *in* 4°. « Regola di S. Agostino. » Aliam antiquiorem translationem adjuncto textu Latino ad a. 1561 notavimus.

1635. *Viterbo*, *in*-8°. S. Agostino Costituzioni delle Monache di penitenza. » *Cat. Bibl. S. Angeli ad Nidum Neap.*

1654. *Venezia*, *per il Giolito*, *in*-4°. « La Regola di S. Agostino vescovo e dottore di S. Chiesa cattolica, posta nel libro dell' Epistole nell' epistola 109, tradotta di latino in lingua volgare fedelmente da *Bernardino Scardeone*, canonico di Padova, insieme coll' esposizione di Ugone di S. Vittore. »

1687. *Brescia*, *per il Rizzardi*, *in*-4°. « Regola data dal P. S. Agostino alle monache; e qui per maggior loro istruzione, e profitto spirituale dal P. maestro fra Paolo Richiedei de' Predicatori volgarizzata, ed esposta. »

*Gallicæ.* — 1691. *Paris*, *chez Guillaume Desprez*, *in*-12. « La Règle de saint Augustin expliquée par le vénérable docteur Hugues de Saint-Victor. » Auctor fuit *Jo. de la Grange*, Canon. Reg. et subprior ejusdem abbatiæ de S. Victore, cui nomen Hugo ille debet. Regulam ipsam juxta Benedictinorum recensionem interpretatus est. In præfatione uberius disserit super pauca illa verba, quæ in mutata regula Augustiniana assuta esse supra monuimus, quæque a Hugone nondum lecta fuisse docet. » Cf. *Journal des Sçav.* an. 1691 (Amst. 1692, in-8°) pag. 353 et 56.

*Prosperi Stellartii* (prioris cœnobii Tornacensis † 1626) Nucleus historicus Regulæ S. Augustini. *Tornaci apud Guil. a Tongris* 1618, *in*-8°.

« Discorsi claustrali sopra la Regola del gran Padre S. Agostino, recitati a' suoi Religiosi dal Padre *Prospero da San Giuseppe* » (vicario gen. Augustinianorum Discalceatorum). *Bibl. M. Eccl. Col.*

*XXXVI.* — (103) *De Gratia et libero Arbitrio.*

1563. *Fiorenza*, *a istanza di Giorgio Maresotti per Bartolomeo Sermartelli*; in-12. « Libro della grazia e del libero arbitrio di S. Agostino vescovo d'Ippona a Valentino e Monaci che eran con lui; tradotto da *Lodovico Domenichi.* » *Bibl. degli Aut. volg.*

*XXXVII.* — (105) *Retractationum libri II.*

Nonnisi unicam horum librorum editionem seorsim factam hucusque comperi *Lugduni apud Frellonios* 1536, *in*-8°, quam ex Gesnerianis Pandectis laudat *Maittarius*, T. II, p. II, pag. 856.

Germanice eos vertit et annotationibus necessariis instruxit *Christ. Frid. Roesler* in tomo V *der Bibliotheck der Kirchenvaeter* (Leipz. 1785), pagg. 257-416.

*XXXVIII.* — (106) *De Hæresibus.*

1576. *Genevæ*, apud *Eustathium Vignon*; *in*- 8°. « D. Aur. Augustini, Hipp. ep. liber de hæresibus, ad Quodvultdeum. *Lamberti Danæi* opera emendatus et commentariis illustratus, a quo eodem additæ sunt hæreses ab orbe condito ad constitutum Papismum et Mohametismum, etiam eæ, quæ hic erant ab Augustino prætermissæ. Accessit operi quadruplex index, ut non modo chronologiæ hæreseon ratio, sed etiam, quæ ex illis utilitas percipi possit, intelligeretur, et a quibus in unoquoque Decalogi præcepto, Symboli apostolici articulo, item disputatione de Sacramentis sit erratum. In calce operis addita est arbor hæreseon, ex qua quomodo aliæ ex aliis natæ sint et propagatæ, et ut sæpe una quædam hydra plura capita produxerit, perspicue docetur. Per eumdem *L. Danæum*. Additus est præterea tractatus de Ecclesia, ubi, quibus sensim gradibus illa tandem in Papisticam tyrannidem inciderit, ostenditur. » Digna est ævo isto et imprimis hujus eximii hæreseon genealogistæ ingenio epistola ad senatum Genevensem ab eo scripta, qua sortem sibi gratulatur divinitus concessam, quod in ea civitate vivere contigerit, quam nulli gloria in exstirpandis igne ferroque hæresium auctoribus secundam censeri oporteat, atque lætabundus supplicia ab hæreticis Genevæ sumpta recenset.

1578. *Ibidem, apud eumdem, in*- 8°. Eadem plane editio. *Cat. Bibl. Thott.*

1583. *Genevæ*, *in-fol.* Idem liber in *Opusculis Theologicis Lamb. Danæi.* pagg. 897-1048.

1595. *Genevæ*, *in*-8°. Idem liber cum iisdem commentariis. *Cat. Bibl. Bodl.*

1621. *Helmstadii, typis hæredum Jacobi Levi; in*-4°. D. Aur. Augustini liber de Hæresibus ad Quodvultdeum. Item S. Philastrii ejus coætanei Catalogus hæresium pene omnium, quæ a condito mundo ad illud usque sæculum notæ fuerunt. Accessit utriusque scripti supplementum et index genuinus : unus chronologicus, alter alphabeticus. »

1631. *Oxoniæ*, *in*- 8°. S. Augustini liber de Hæresibus. *Cat. Bibl. Bodl.*

1673. *Helmstadii, ap. Jo. et Frid. Luderwald, in*-4°. Idem liber cum commentariis et supplementis Lamb. Danæi, cura *Gebhardi Theodori*, *Meieri.* Vid. *Cat. Bunav.*

1687. *Cantabrigiæ*, *in*- 12. Idem liber *cum* Vincentii Lirinensis Commentario pagg. 169, 269. *Cat. Bunav.* Addit Cat. Bibl. Bodleianæ : *cum notis Baluzii.*

1721. *Oxonii, e theatro Sheldoniano*; *in*- 8°. « D. Aur. Augustini, Hipp. ep. liber de Hæresibus ad Quodvultdeum, una cum Gennadii Massiliensis appendice. Edidit notisque illustravit *Eduardus Welchmann*, Eccl. Anglic. presb. Coll. Merton quondam socius. » Notæ sunt aptæ, sed doctis nequaquam scriptæ.

« Commentarii historico-dogmatici in librum S. Augustini de Hæresibus ad Quodvultdeum. Digesti atque illustrati labore et studio *P. Laurentii Cozza a S. Laurentio*, ord. Min. Reg. Observantiæ lectoris jubilati, ejusd. ord. scriptoris, in Romana provincia ministri provincialis, diœcesis Viterbiensis examinatoris synodalis, sacræ congregationis Indicis consultoris. Oblati eminentiss. et Reverendiss. S. R. E. cardinalibus, ejusdem S. congregationis Indicis. « Opus omnigena eruditione refertum. Utile Theologis, philosophis, scriptoribus, historicis, concionatoribus, confessariis, curam animorum habentibus, humanarum divinarumque litterarum atque rerum Ecclesiasticarum studiosis. *Pars prima continens hæreses XII a Simone Mago usque ad Marcionem.* Adjecta ad calcem cujuscumque hæresis Collatione ejusdem cum recentiorum Evangelicorum hæresibus. *Romæ* 1707, *typis Ge. Plachi, sumptibus Val. Fregianti.* (5 Alph. 7 plagg. et Præf. plagg. 6.) — Augustini verba velut *rari nantes in gurgite vasto* apparent. Potiorem voluminis partem collatio in titulo prædicata occupat. Cæterum ignoro, utrum plus viri ardor morte sit exstinctus, an vero bibliopola juvenilem jubilati scriptoris impetum represserit. Cf. *Mém. de Trévoux*, *Juin* 1707, pag. 1110, *et Acta Erud., Lips.* 1708, *Nov.*, p. 489.

*XXXIX.* (110. 111.) *De Prædestinatione sanctorum libri duo, quorum alter inscribi solet de Dono Perseverantiæ.*

Cf. *de Gratia et libero Arbitrio n.* 103; item *Opuscula selecta.*

1711. *Parisiis, apud Guil. Desprez ; in-fol.* S. Augustini de Prædestinatione et de Dono perseverantiæ libri. Exst. in *Opp. S. Prosperi* a p. 23.

*Versiones.*

*Italicæ.* 1537. *Brescia, per Lodovico Britannico ; in*-4°. « Della Predestinazione de' SS. e del bene della Perseveranza ; » absque nomine traductoris.

1544. *Venezia, al segno del Pozzo ; in*-16. « Del bene della Perseveranza, tradotto da *Lodovico Domenichi.* »

1547. *Venezia, per Comin da Trino ; in* 8°. « Libo del bene della Perseveranza composto dal B. Agostino vescovo Ipponense, di latino in volgare novamente tradotto. » Est versio superior, quicquid titulus venditet ; id quod etiam de sequenti valet.

—*Ibidem, in*-8°. « Il libro del B. Agostino V. I. della Predestinazione de' Santi, di latino in volgare novamente tradotto. » Laudantur istæ versionum editiones in *Bibl. degli Aut. volg.* Inserta in *Racc. d'Opusc. sc. e filol.*, T. XXXII, p. 349. Ei vero potissimum Fontaninus auctor fuit.

*Gallicæ.* — *Gallicam* utriusque libri, editam *Lugduni* 1616, commemorant Colonienses. Notior est, quæ, longo abhinc spatio, prodiit auctore *Dubois*, ut proditum est in Bibl. Eccl. Coloniensi (p. 746). Sed aliam indigitat Catalogus Bibl. Reg. Parisiensis hoc titulo :

1676. *Paris, chez Guil. Desprez; in*-12. « Les deux livres de S. Augustin, de la Prédestination des saints et du Don de la persévérance, avec les lettres 105, 106 et 107 de ce saint docteur; le tout

traduit en françois par *Jean Segui.* » Ephemerides Paris. (*Journ. des Sçav.*) h. a. num. XIV, pag. 92, de auctore omnino tacent.

1715. *Paris, chez Jacq. Estienne; in*-12. « Les deux livres de S. Augustin, de la Prédestination des saints et du Don de la persévérance, avec les lettres 105, 106 et 107 du même saint; le tout traduit en françois. »

—

S. Augustini sententia de Prædestinatione et Perseverantia excerpta, cum scholiis *Georgii Cassandri Belgæ.* Parisiis 1616. Eadem *Anglice* per *I. Scory*, *in*-8°. *Lipen. Bibl. Th.*, T. I, p. 525.

*XL.* — (113) *Speculum ex utroque Testamento.*

Diversi sub hoc nomine editi exstant libri, qui utique ab editoribus suis Augustino vindicantur: unus, qui in omnibus hactenus operum Augustini editionibus vulgatus prostat, et in novissima Benedictinorum Antuerpiæ recusa recensetur, Tomo III, a pag. 507 ad 612, juxta seriem librorum V. et N. T. compositus; alter, qui ab *Hieronymo Vignier* in supplem. T. I, a pag. 515 ad 545, ex autographo Bibliorum mss. *Theodulphi Aurelionensis* episcopi, qui circa a. 820 obiit, est prolatus, in quo ad capitula certa moralia Bibliorum sententiæ referuntur, absque præfatione. Hunc plane spurium censent Benedictini, quod et minus cum *Possidii* verbis et cum præfatione Augustini exemplari a se edito præfixa conveniat. Præfationem autem istam nemo non Augustinianum calamum sapere profiteatur. Nec vero assensum eis quemquam in hoc negasse comperio, nisi quod textus biblicos concernit, qui non ex antiqua, qua procul dubio Augustinus utebatur, sed ex Hieronymiana seu vulgata versione sunt descripti. Augustini manum a sciolo aliquo monacho temeratam esse, non improbabiliter viri aliqui doctissimi, refragantibus tamen Benedictinis, contendunt (*a*).

1679. *Romæ, apud Josephum Vanuccium; in*-8°. D. Aur. Augustini Speculum, ut in eo, quam obediens Deo, inobediensque sit, facilius quisque agnoscat, hac minori forma primum editum. Accessit ejusdem doctoris Psalterium, quod matri suæ composuit. Edidit et præfatus est tacito tamen nomine *Josephus Maria Tommasi* (forte *Tommasius*), Alicatensis in Sicilia clericus Regularis; idem qui postea (Romæ 1709-12, III voll., *in*-8°) titulo *Theologicorum antiquiorum Patrum* selecta Græcorum et Latinorum opuscula evulgavit (*b*).

*XLI.* — (114) *Enarrationes in Psalmos Davidis CL.*

1489. *Basileæ, per Joa. de Amerbach; in-fol.* Aurelii Augustini prima, secunda ac tertia Quinquagena. In fine tertiæ: *Post exactam diligentemque emendationem* (auctore Deo) *perfectum est insigne atque præclarum hoc opus explanationis Psalmorum: aivi ac magni doctoris Augustini. opus re vera majori commendatione se dignum exhibens legentibus, quam quibusvis verbis explicari possit; ut et in præfatione et prologo ipsius evidenter colligi potest. Quanto vero studio et accuratione castigatum, emendatum et ordinatum sit: hi judicent, qui illud aliis similibus sibi: sive manu scriptis: sive ære impressis litteris contulerint. Consummatum Basileæ per magistrum Joannem de Amerbach. Anno dni M.CCCCLXXXIX.* impressum est charactere Gothico in duabus columnis. Adsunt signaturæ, litteræ initiales parvæ et paginarum tituli, non item custodes et foliorum numeri. In prima folii primi pagina charactere Gothico magno impressum: *Aur. Augustini Prima Quinquagena.* Præcedit index rerum alphabeticus XIV foliis. Exempla hujus ed. exstant in Bibl. Bodleiana et Acad. Ingolstadiensis. Cf. *Seemiller* fasc. III, p. 164. Adde *Braunium* l. l., T. II, p. 181.

1493. *Venetiis, per Bernardin. Benalium; in-fol.* Augustinus in Psalmos. *Orlandi* p. 284.

— *Basileæ, per Jo. Amerbachium; in-fol.* Augustini opus in Psalmos. *Maitt.*, T. I, p. II, p. 563.

1494. *Ibidem, in-fol.* Augustinus in Psalmos. *Eodem teste* l. l.

1495. *Ibidem, per eumdem; in-fol.* Idem opus.

1497. *Basileæ, per Jo. de Amerbach; in-fol.* Idem opus. *Consummatum anno dni M.CCCC.XCVII.* Sed loco exilis, quem in priori editione notavimus, indicis, seorsim hic adjecta est *principalium sententiarum annotatio*, quæ sola in volumen modicæ magnitudinis excrevit. Ejus exemplar memoratur quoque inter rariora Bibl. Reg. Budensis.

1519. *Lugduni, in-fol.* B. Augustinus in Psalmos. Laudatur a *Hendreichio*, in *Pand. Brandeb.* p. 342. Asservatur in Bibl. monasterii Ord. Eremit. S. Augustini Monachii, teste *Ossingero* in *Bibl. Augustin.* pag. 11.

1529. *Basileæ, in-fol.* Idem liber, commemorante *Hendreichio.* Sed haud dubie pertinet ad editionem primam Operum omnium ex recensione Erasmi. Apud eumdem solum laudatas invenio sequentes editiones: 1543 et 1555, *Parisiis;* 1555, *Lugduni;* 1556, *Basileæ;* 1561, 1562, 1563, *Lugduni:* haud graviori fide.

1569. *Basileæ, per Frobenium, in-fol.* Augustinus in Psalmos. Sic quidem exstat in *Georgii allg. Europ. Büchertex.* Suppl. I, p. 21. Sed perperam omnino, si de singulari descriptione intelligendum sit: non item si inter Opera quæras, *Genevensem* ejusdem anni editionem notat *Hendreich.* Vereor autem, ne in anni indicio erraverit. Exstat enim ed. Operum Augustini Genevæ 1596, non 1569, facta, ad quam hæc fortassis referenda est.

1570. *Venetiis, in-fol.* Idem opus. *Hendreich.* Qui ed. Venet. Operum omn. h. a. noverit, intelliget quantum in eo veri sit.

1571. *Lugduni, apud Seb. Honoratum, in*-8°, II

(*a*) Cf. *Caveus*, *Dupinius* et *Rich. Simon* in *Crit. Bibl. Eccl.*, T. I, p. 143.

(*b*) Purpura a. 1712 a Clemente XI donatus, obiit 1713.

voll. Augustini Enarrationes in Psalmos. Laudant *Hendreich* et *Colonienses*. Tu vide, quæ supra in *Annalibus edd. Operum omnium* ad h. a. notavimus. Similiter autem se habet cum ed. *Parisiensi*, quam ibidem notat.

1576. 1577 et 1579. *Antuerpiæ*.... Augustini Enarrationes in Psalmos, Sponsore *Hendreichio*. Nescio vero pluresne tomos diversis annis editos, an diversas editiones totius operis indicare voluerit. Illud autem scio, non seorsim, sed cum Operibus a Lovaniensibus editis hanc exstare. Unus idem profert editiones, *Venetam* 1584, et *Parisiensem* 1586, de quibus idem valet. Sed Lugdunensis ed. 1586, quæ sit, non contendam.

1653. *Rothomagi, typis Dav. et Petri Geoffroy*; *in*-8°, tomis III. Augustini Enarrationes in Psalmos cum præfatione recentioris cujusdam (inserta etiam ed. Benedictinorum.)

1662. *Antuerpiæ*, *in-fol.* Idem opus cum indice concionatorio. *Hendreich.* in *Pand. Brandeb.* l. l. *Colonienses.*

1680. *Antuerpiæ*.... Idem opus, curante *Jacobo Willemant*, Eremita Augustiniano.

*Versiones.*

1521. *Hagenau, bei Thom. Ansshelm*; *in*-4°. « S. Augustinus Auslegung über den CXXVI Psalm. durch Georg. *Spalatinum* verteutscht. »

Eumdem Psalmum *Italice* conversum exstare monet *Hendreich*, qui in notandis variis horum commentariorum versionibus satis est confusus.

1683. *Paris, chez Pierre le Petit*; *in*-8°, *VII voll.* «Sermons de S. Augustin sur les Psaumes, traduits en françois par *Antoine Arnauld*. » Tom. I-VII. *Cat. Bunav.* et *Bibl. Reg. Paris.*

—

*Recueil* des consolations et instructions salutaires de l'âme fidèle, extrait du livre de St. Augustin sur les Psalmes, par *Jacques de Billy*. *Paris chez Claude.*

*Instructions* Chrétiennes sur les Psaumes. *Bruxel.* 1662, *in*-8°.

*Règles* de S. Augustin pour l'intelligence des Psaumes : *Paris* et *Bruxel.* 1685, *in*-12.

*XLII.* — (115) *Epistolæ.*

Variæ Augustini epistolæ passim editæ sunt cum aliorum Patrum, veluti *Hieronymi*, *Paulini*, *Prosperi Aquitani*, etc., operibus, quibus indicandis hoc loco supersedere lubet, dum nonnisi collectiones omnium pluriumve, vel sicubi seorsim singulæ editæ sint, enumerare instituerimus, quarum elenchus est sequens.

Sæc. XV.— 1493. *Basileæ, per Joh. Amerbach.*; *in-fol.* Liber Epistolarum beati Augustini episc. Hipponensis Ecclesiæ. In fine : *D. Aur. Augustini H. Ep. liber Epist. vigilanti accuratissimo studio emendatarum et impressarum : Argumentorum quoque notorum prænotatione succincte et dilucide expositarum : atque opera magistri Joannis de Amerbach civis Basilien. perfectum : Anno dni*, etc. XCIII. *Feliciter expliciт.* — Character Romanus est præterquam in titulo, qui more Amerbachii Gothicis litteris exaratus est. Epistolas continet CCVI. Præcedit VII foliis brevis annotatio singularum epistolarum, initia, materiam atque ordinem exponens. Post subscriptionem index sententiarum et materiarum copiosissimus succedit. Eamdem in Bibl. Ratisbonensi notavit *Gemeiner* p. 213, nec non in Lubecensi *Gesner* p. 58. In *Catalogo Bibl. Bernensis*, T. I, p. 15, laudatur Epistolarum editio Amerbachiana de anno 1483.

1494. *Basileæ*, *ap. Joh. de Amerbach.*; *in-fol.* Idem liber. Exstat in Bibliotheca Lubecensi. Cf. *Gesner*, p. 58.

—*Venetiis, per Bernardinum Benalium*; *in* 4°. Idem liber. *Cat. Bibl. Pinell.*, T. I, p. 92.

*Sine anno, loco et typographo, in-fol. magno.* S. Augustini episc. liber Epistolarum. Editio princeps Epistolarum Augustini a Cl. *Braunio* primum detecta et descripta in *Notitia Hist. litt.* (1788), pag. 11. Volumen est foliorum CCLXIII, impressum charactere majusculo, duabus columnis, in charta munda et firma. Columna quævis lineas 50 continet; desunt signa quævis paginarum foliorumve, nec non litteræ initiales. Interpunctiones habet, punctum, colon et interrogandi signum. Ab initio : *Liber Epistolarum sancti Augustini. Incipit feliciter*; terminatur vero absque ulla subscriptione pagina ultima, in columna prima, epistola ad Asellicum. Epistolæ, quæ partim ipsius Augustini sunt, partim aliorum ad ipsum, numerantur CXCVII, in quibus etiam illæ *Africanorum episcoporum ad Innocentium I* hujusque ad illos leguntur.

Sæc. XVI et XVII. — 1541. *Bononiæ*. S. Augustini Epistola decima ad Xystum presbyterum de Gratia Dei. *Hendreich* in *Pand. Brandeb.*, *p.* 342.

1604. — *Moguntiæ, apud Balthas. Lippium*; *in*-4°. S. Augustini Epistola de S. Martyribus et de Inimicis diligendis cum notis *Gerardi Vossii.* Lipen. in *Bibl. Th.* T. II, pag. 254, quasi seorsim editam laudat. Enimvero inserta est *operibus Gregorii Thaumaturgi* (Neocæsariensis episc.) ab eodem Vossio una cum aliis Patrum opusculis editis p. 228. Erat vero Vossius ille præpositus Ecclesiæ Tungrensis, qui plura id generis scripta tunc emisit, deinque obiit a. 1609. Vid. *Foppens Bibl. Belg.*, T. I, pagg. 362, 63.

1638. — *Flexiæ* (La Flèche), *in*-4°. S. Aur. Augustini Epistolarum selectarum libri III. Recensuit primum, argumentis uberioribus explicavit, atque observationibus illustravit *Rolandus Phigerius*, Soc. Jesu, Armoricus. — Liber primus didacticas, secundus ethicas et parænéticas, tertius mistas et familiares complectitur. *Colonienses.* Exstitit etiam in *Bibl. Thottiana.*

1662. *Lovanii*, in-12. D. Augustini Epistolæ selectæ, cum appendice supposititiarum. *Hendreich.*

1678. *Francof.*, *sumpt. Jo. Crameri*; *in*-4°. S. Aur. Augustini et aliorum quorumdam ad ipsum vel ejus causa scriptæ Epistolæ CCLXXVIII, cum appendice supposititiarum, variis lectionibus aliis-

que marginalibus et indicibus utilissimis seorsim accuratissime editæ cura *Lucæ Friderici Reinharti*, Norimbergensis S. Theol. in Universit. Altdorfina prof. publ.

Cypriani Epistolas ab eodem viro docto aliquot annis post editas in tomo primo commemoravimus. Non segniorem operam Augustino præstitit, in eo præcipue laudandus, quod plures ejus epistolas, quæ eo usque temporis nondum cum reliquis colligi, sed per reliquos tomos operum ejus sparsim pro rerum similitudine exhiberi consueverunt, conjunctim primus proposuit. Commode factum est, quod aliorum ad Augustinum scriptæ epistolæ Italico charactere exscriberentur, dum ipsius Augustini epistolis rotundus adhibitus est. In margine tum variæ lectiones, tum Allegationes Scripturæ S. itemque Codicis Theodosiani, Juris Canonici, Lombardi et Thomæ Aquinatis loca, quæ vel ex Augustino illustrari possent, vel verba ejus exhiberent, sunt notata.

Sæc. XVIII. — 1721. *Parisiis in-fol.* S. Augustini ..... Epistolæ duæ; prima ad Bonifacium papam; secunda ad Cœlestinum. Exst. inter *Epistolas Rom. Pontiff.* per *Coustant.*, T. I, pagg. 1023 et 1051.

1732. *Viennæ Austriæ. typis Jo. Petri van Ghelen. in-fol. maj.* S. Augustini, Ep. Hipp. ad Optatum episcop. Milevitanum de Natura et Origine Animæ Epistola secunda. Accessit ejusdem S. Augustini epistola de pœnis parvulorum, qui sine baptismo decedunt, scripta ad Petrum et Abraham. Prodeunt nunc primum ex Bibliotheca Liberæ et Exemptæ Ordinis S. Benedicti Inferioris Austriæ abbatiæ Gottwicensis. Eadem *sequenti anno, ibidem* apud *Joannem Adamum Schmidium*, Bibliop. Norimbergens. typis descriptæ sunt. — In præfatione ad lectorem abbas Godefridus de occasione utriusque epistolæ erudite commentatus est. *Codex*, in quo repertæ sunt, unicus ut jure suo existimasse videtur eruditissimus abbas, exaratus est in membranis, in-folio, et ad sæculum minimum duodecimum ab illo refertur, reperiundus in illius abbatiæ bibliotheca, *Lit.* 6, *N.* 10. Nuncupavit κειμήλια hæcce fortuito detecta cardinali Passioneo, magno tunc temporis in Italia litterarum statori et bibliothecæ Vaticanæ aliquando summo præfecto.

1734. *Parisiis, apud viduam Reymundi Mazieres; in-fol.* S. Aur. Augustini epistolæ duæ, recens in Germania repertæ, notis criticis, historicis chronologicisque illustratæ, opera et studio *D. Jacobi Martin*, presb. congreg. S. Marci. *Cat. Bibl. Reg.*

— *Paris, chez veuve Mazières; in-8°.* « Lettres nouvelles de S. Augustin, traduites en françois, avec le latin à côté et avec des notes critiques, historiques et chronologiques, et un traité de l'origine de l'âme tiré de ses écrits, nouvellement trouvées dans un ms. de l'Abbaye de Gottwic, près la ville de Vienne en Autriche.

*Versiones.*

1573. *Paris, chez Mathur. Prevost; in-8°.* « La XLVIIIe epistre de St. Augustin, adressée à Vincent evesque, de l'heresie Rogatiane, fort convenable pour remettre à l'unité de l'Eglise catholique les separez et heretiques, comme pour y maintenir et conserver ceux qui y sont demeurez et retournez, par *Clement Vaillant* » (Bellovacensem in suprema curia Causarum patronum). — Epistola in ed. Bened. numeratur 93. Pertinet ad eamdem quodammodo *Disquisitio Theologica de sententia, an hæretici et schismatici vi ad fidem sint cogendi?* Ubi simul ingens discrimen ostenditur inter causam Donatistarum et Protestantium. Auctore D. *Elia Veielio*, Ulmæ 1689, in-4°, scripta occasione persecutionis Reformatorum in Gallia, cujus fautores Augustinum etiam in partes trahere conati erant.

1574. *A Reims, par Jean de Foigny; in-8°.* « La forme et manière de bien prier Dieu : qui est œuvre principale du bon Chrétien; écrite premièrement en latin par saint Augustin, en son épître 101, à Probe, veuve, et traduite en françois par *Nicolas Chesneau*, » (Retelensem decanum et canonicum S. Symphoriani Rhemensis). *Duverdier par Juigny*, T. V, p. 109.

1653-59. *Paris, chez Pierre le Petit; in-12, V voll.* « Epistres choisies de S. Augustin, traduites en françois par *Louis Giry.* » Tomus I et II, 1653; III, 1656; IV, 1658; V, 1659, exscriptus est. *Hendreich* in *Pand. Brandeb.* aliam, interprete *de la Cande*, a. 1653 producit.

1684. *Paris, chez Jean Bapt. Coignard; in-fol. II voll.* « Les lettres de S. Augustin, traduites en françois sur l'édition nouvelle des Bénédictins de la congr. de Saint-Maur, où elles sont rangées selon l'ordre des tems. Revues et corrigées sur les anciens manuscrits et augmentées de quelques lettres, avec des notes sur les points d'histoire, de chronologie et autres qui peuvent avoir besoin d'éclaircissement, par *Philippe Goibaud du Bois.* » *Cat. Bibl. Reg. Paris.* Eamdem VI voluminibus, octonis, habet *Cat. Bibl. Duc. de la Val.* Vide etiam *Journ. des sçav. Paris.* a. 1685, n. II, et *Novelle d. Rep. delle Lettere. m. Novembre* 1684. Ex codd. mss. loca aliquot editionis Benedictinorum correxit. Notas *Tillemontii* esse aiunt. Cf. quæ Colonienses adduxerunt testimonia.

1690. *A Lyon...* « Lettre XXXIX (ed. Lovan.) de S. Augustin à un jeune homme (Licentius) qui avait été son disciple et qui s'était engagé dans le siècle. » Exst. in *la Solitude Chrétienne*, T. I, p. 471.

1700. *A Cologne.* « Lettre de S. Augustin au comte Boniface (secunda ex tribus ad eumdem scriptis), de la traduction de M. *du Bois.* » Exst. in *le Soldat Chrétien instruit*, etc., par le *P. Henri Godefroy.*

1707. *A Lille, chez Jean-Bapt. Brovellio; in-12, VI voll.* « Les lettres de S. Augustin, traduites en françois sur l'édition nouvelle des PP. Bénédictins de la congrégation de S. Maur, où elles sont rangées selon l'ordre des temps, revues et corrigées sur les anciens manuscrits, et augmentées de quelques lettres qui n'avaient pas encore paru, avec les notes, par M. *du*

*Bois.* Troisième édition. » *Cat. Bunav.* et *Bibl. Reg. Paris.* Hæc ipsa fortasse est repetitio, quam h. a. Colonienses Amstelodami factam prodiderunt.

*Anglicam* versionem *Epistolæ XLVIII* sub titulo : « Judicium S. Augustini de Legibus pœnalibus adversus conventicula et de unitate religionis propositum in ep. 48, *Londini* 1670, *in*-4°, memorant Colonienses, addito testimonio *Lipenii* in *Bibl. Philos.* v. *Conventicula.*

Denique *Epistolæ de pœnis parvulorum, qui sine Baptismo decedunt*, versio esse videtur, quæ in *Cat. Bibl. Firmianæ* memoratur hoc titulo : *Sermone di S. Agostino, in cui si tratta della pena de' fanciulli morti senza Battesimo, trad. con annotazioni da G. G. Pavia*, 1778, *in*-8°.

— Insigniorum Augustini Epistolarum argumenta modo brevia, modo prolixiora cl. *Roeslerus* inseruit tomo V *der Bibliotheck d. Kirchenvaeter*, pag. 417 usque ad fin.

*XLIII.* — (116) *Sermones et Homiliæ.*

Sæc. XV. — 1475. *Augustæ, per Antonium Sorg ; in-fol. min.* S. Augustini liber, qui vocatur *Quinquaginta* sive *Homiliæ L.* In fine : *Anno dm. M.CCCC.LXXV. circiter Kal. Februarii impressus est liber iste ad honorem dei, per Antonium Sorg. In Augusta.* Incipit a registro homiliarum, quod primum folium implet. Character Gothicus est, sed elegans. Nec foliis, nec paginis numeri notæve sunt ascripti, teste cl. *Zapf.* in *Annal. Typ. August.* p. 32, *Seemillero* fasc. I, p. 70. Adde *Braunium Not. H. Lit.* (1788), p. 179.

1477. *Mutinæ, per Balthassarem de Struciis; in*-4°. S. Augustini Sermones ad Fratres in Heremo. Nusquam nisi in *Cat. Bibl. Pinell.* T. I, p. 92, laudatam invenimus.

1482. *Spiræ, factore Petro drach juniore* (in *vigilia nativitatis marie virginis*); *in-fol.* B. Augustini sermones varii ; in *Omeliario Karoli Magni* hujus ed.

1484. *Mediolani, per Teutonicos : in*-4°. S. Augustini Sermones ad Fratres in Heremo. *Cat. Bibl. Pinell.* T. I, p. 92.

— *Paduæ per Mathæum Cerdonis ; in*-4°, B. Augustini sermones tres de Clericorum vita et moribus. — Editor est *Eusebius Corradus* Mediolanensis, Canonicus regularis Congreg. Lateranensis, a cujus *epistola ad Sixtum quartum, pontificem maximum : pro auferendo de Ecclesia errore scribentium : Augustinum Ecclesiæ doctorem fuisse heremitam* volumen exordiitur. Præter dictos tres sermones, quorum primus incipit, *Charitati vestræ*, etc.; secundus, *Propter quod volui et rogavi*, etc.; tertius, *Ante omnia fratres*, etc.; inest etiam *Vita Augustini* a *Possideo* (sic) conscripta et, nisi mendax fuerit, contentorum tabula post epistolam dedicatoriam statim subjecta, etiam *Epistola Augustini, si liceat clericis populum et gregem sibi commendatum persecutionis tempore relinquere.* Eam vero in exemplari, quod manibus teneo, non invenio, nec mancum illud videtur, sed illius loco exstat editoris ad Sixtum IV et ad patriarcham Aquileiensem, cardinalem et sancti Marci protectorem, A cæterosque cardinales *Annotatio brevissima in errorem scribentium sanctum Augustinum fuisse heremitam.* Atque hæc ipsa omnia in epistola dedicatoria libro huic inesse Corradus dicit, nec ibi quidem epistolæ illius mentionem facit, cum contra in laudata tabula hæc *annotatio* non sit indicata. Ad calcem tamen legitur : *Finis adest trium sermonum beati Augustini de Clericorum vita moribusque una cum vita S. Augustini, nec non cujusdam epistole ipsius* : An clericis, *etc., que omnia impressa fuere Padue per magistrum Matheum Cerdonis. Anno Domini* 1484. Colophonem addit *Oda in laudem Augustini*, incipiens : *De profundis tenebrarum.* Absolvitur hæc editio foliis 36 lineis per paginam impressis. Character est Gothicus luculentus. Præter chartarum numeros notæ cujus- B cumque generis foliorum paginarumve desunt. Sunt tamen litteræ initiales formulis ligneis expressæ. Meminit ejus quoque *Braunius Not. H. Lit.* T. II, p. 111.

1486. *Brixiæ, per Jacobum Britannicum Brixianum; in* 8°. S. Augustini episcopi Sermones ad fratres Heremitas. In fine : *Impressum Brixiæ* per *Jacobum Britannicum Brixianum. Anno domini. M.CCCC. LXXXVI. die V Januarii.*

Editionis hujus nulli bibliographorum antea cognitæ notitiam solus præbet *Braun Not. H. Lit.* T. II, p. 130, significans volumen esse XXI plagularum fasciculis contentum, charactere Romano ac pereleganti impressum, deficientibus quibuscumque foliorum paginarumve notis, parvisque litteris loco ini- C tialium miniatoris gratia appositis. Continet omnia eademque serie ac sequens, ne sermonum tabula quidem excepta.

1487. *Venetiis, per Paganinum de Paganinis; in*-8°. S. Augustini Sermones ad Eremitas. Ab initio : *Incipiunt sermones sancti Augustini ad Heremitas : nonnulli ad sacerdotes suos : ad aliquos alios. Et primo de istitutioe regularis vite ssmo p* (sic). In fine : *Impressum Venetiis per Paganinum de paganinis Brixianum. Anno Domini : M.CCCC. lxxxvii. die xxvi Maii.*

Præter sermones LIX, accedunt : 1° *de sancta Monica sermo LX;* 2° *Calisti narratio de conversione S. Augustini;* 3° *Sigiberthi de eodem narratio ex epistola ad Macedonium;* 4° *Excerpta quædam ex Chronico* D *Bedæ;* 5° *Relationes aliæ incertorum auctorum;* 6° *Oratio de Passione Domini, a nonnullis S. Augustino ascripta, quam per quadraginta continuos dies recitantibus Bonifacius VIII plenariam concessit indulgentiam.* Textum præcedit tabula sermonum duo folia non integra complectens. Impressio facta est duabus columnis charactere Gothico. Initiales litteras parvas typographus interdum addidit et omisit alibi. Charæ signatæ sunt *a-r.* Custodes, numeri, paginarumque tituli desunt. *Seemiller* fasc. III, p. 92.

1492. *Venetiis, apud Vincent. de Benaliis; in*-8°. S. Augustini Sermones ad Heremitas et ad alios. Exst. cum D. Bernardi ad Sororem modo bene vivendi. Venet. 1493. Sic *Audiffr.* in *Cat. Bibl. Cas.*

1493. *Basileæ, factore Nicolao Kessler (pridie Cal. Octobris); in-fol.* B. Augustini Sermones varii; in *Homeliario Doctorum*, qui *hoc a. et l.* cura *Joannis Ulrici Surgant AA. et Decretorum D.*, etc., prodiit, ut præmissa epistola ejus ad Nic. Kessler testatur.

1494. I. *Basileæ per Jo. de Amerbach. in-fol.* «Sermones divi Aurelii Augustini ad fratres suos in heremo commorantes, et quosdam alios. » Quamquam neque locus, neque annus, neque typographus disertis verbis in hoc volumine sit editus: nequaquam tamen dubitanter illos indicavimus, cum alia Augustini scripta, in unum volumen cum præsenti opere compacta, quæ ista omnia veluti a nobis posita præferunt, similitudine characteris, descriptionis et dispositionis, judicium nostrum tueantur. Litteræ videlicet sunt Gothicæ, paginæ columnis binis impressæ. Ab initio (*a*) carmen elegiacum *Sebastiani Brant ad Divum Aurelium Augustinum*, Romano charactere exscriptum, præmittitur satis prolixum: cui brevior *de ortu, ingenio, eruditione, errore, conversione ac sacra baptismali regeneratione ejus narratio* subjicitur. Hæc excipit *Hymnus Ambrosianus, sermo ejusdem B. Ambrosii super conversione Augustini*, item *tres hujus regulæ monachales et forma, secundum quam communem sobrietatem eis dederit, qui suo fratrumque suorum consortiis conjungi optabant.* Tandem prævia contentorum tabula, ipsi *sermones LXXVI*, cum appendice variarum de Augustino narrationum, ex diversis auctoribus, quorum nomina ex parte etiam prodita sunt, veluti Calixti, Sigeberti, Antonini, exhibentur. In fine: *Expliciunt collecta quædam ex diversis et ad gloriam b. Aug. sermonibus ad fr. in h. subjuncta: feliciter.* Postremo index materiarum et sententiarum amplissimus x foliis volumen claudit.

II. *Ibid., per eumdem; in-fol.* Divus Aurelius Augustinus de verbis Domini (*Sermones* LXIV). In fine: *Explicitus est liber sermonum... Bas. per magistrum Jo. de Amerbach. Anno salutiferi partus virginalis nonagesimo quarto supra millesimum centesimum.* Consonant omnia cum præcedentis operis adornatione etiam quoad materiarum et sententiarum tabulam et sermonum indicem.

III. *Ibid., per eumdem; in-fol.* Divi Aur. Aug. Sermones de verbis Apostoli (XXXV). In fine: *Explicitus est liber Sermonum... D. A. Aug. Basilæ. A. D. M.CCCC.XCIV.* Nihil a superioribus discrepat.

IV. *Ibid., per eumdem; in-fol.* Expositio divi Aur. Aug. in Epistolam beati Joannis.

V. *Ibid., per eumdem; in-fol.* Opus quinquaginta homeliarum divi Aur. Aug. In fine: *Basileæ. M.CCCC.XCIIII.*

1495. *Bas. ap. Jo. de Amerbach.; in-fol.* Sermones sancti Augustini de tempore (CCLVI); subscriptionis formula eadem atque in sermonibus de verbis Domini anni præcedentis. Sermonum contentorum tabula diligentissime est composita. Sed index materiarum et sententiarum minus copiosus videtur pro hujus voluminis mole, si cum indicibus superiorum collectionum comparaveris. Cæterum interior tituli pagina effigiem emblematicam ligno impressam et disticha latina in hanc editionem parata offert.

*Sine anno, per Conradum de Homborch; in-fol.* B. Augustini Sermones varii in dies dominicales et festos; in *Omeliario Caroli M.* hujus ed.

*Sine anno et loco, in-4°.* Sermones sancti Augustini ad Heremitas. Hæc in titulo litteris grandibus expressa. Sermones sunt CLIX, cum additamentis quibusdam, charactere Gothico, binis columnis impressi, sine ullo loci et anni indicio. Quapropter nescio, quibus argumentis inductus fuerit, qui nostro exemplari appinxit, circa a. 1490 lucem aspexisse. In *Bibliotheca Ratisbonensi* teste *Gemeiner* l. l. p. 276, exstat horum sermonum editio absque loci et anni indicio quaternis impressa, quæ foliis 108 constans sermones exhibet LIX. Editionis Venetæ a. 1490 obiter mentionem facit *Gemeiner* l. l. p. 277; adde *Braunium* in *Not. H. Lit.* T. II, p. 53.

*Sine anno et loco; in-4°. Sermones duo* (hæc litteris Gothicis grandiusculis, sequentia charactere Romano majori exscripta sunt) *Aurelii Augustini episcopi de Vita et Moribus clericorum.* Sunt duo priores ex tribus, qui in editione Paduana a. 1484 eduntur. Additur vero ex Retractationum libro animadversio ejus in librum de vera Religione. Impressum est charactere Gothico minori admodum nitido, duabus columnis. Voluminis argumentum litteris Romanis scriptum per singularum paginarum margines supremos decurrit.

Sæc. XVI. — 1515. *Parisiis*. . . Editionem hanc *Sermonum ad Eremitas fratres* obiter laudat *Gemeiner* l. l. p. 277. ( *Clementio* et *Ossingero* sponsoribus, ut jam conjicio ).

1516. *Lugduni, per Joannem Clem. Alemannum* ( D. septimo idus Augusti.) *in-fol.* B. Augustini Sermones varii; in *Homiliario doctorum* edito, si recte ex præfixa epistola concludimus, curante *Joanne Thiery* Lingonensi V. I. professore.

(*a*) Ita plerumque conspicitur. Tenendum vero, integrioribus exemplaribus præfixum esse titulum sequentem litteris Gothicis exaratum: *Plura ac diversa divi Aurelii Augustini Sermonum Opera videlicet:* (huc usque characteres grandiores; reliqua minoribus absolvuntur.)

*Ad fratres in heremo commorantes: Sermones LXXVI.*
*De verbis domini: Sermones LXIV.*
*De verbis Apostoli: Sermones XXXV.*
*In epistolam Canonicam beati Joannis primam; Sermones X.*
*Homelie: id est Sermones populares L.*
*De tempore: Sermones CCLVI.*
*De sanctis: Sermones LI.*

Unde simul proditur, plura hanc sermonum collectionem ab initio fuisse complexam, quam nunc exemplaria pleraque retinuerunt, nec vero pro integris habenda esse, quæ, ut nostra, in Homiliis deficiunt. Cæterum aversa folii pagina effigiem episcopi pro concione dicentis ligno impressam sistit, subscriptis versiculis: *Salve gemma confessorum: Augustine lux doctorum.*

— *Parisiis, per Berthold. Rembolt: in-fol. max.* « Præclarissima et inæstimabilis doctrinæ atque utilitatis divi Aur. Augustini Sermonum opera: nuper summa cura et diligentia magistri Bertholdi Rembolt impressa. Apud impressorem ipsum sub Sole Aureo in via Jacobæa Parisii : et in officinis Joannis Coberger ac Jodoci Badii venalia comperies quæ hoc ordine in hoc continentur volumine. Videlicet :

Ad fratres in Eremo commorantes. *Sermones LXXVI.*

De verbis Domini, *Sermones LXIV.*

De verbis Apostoli, *Serm. XXXV.*

In Epistolam Canonicam beati Joannis primam, *Tractatus X.*

Homeliæ, id est *Sermones populares L.*

In Evangelium secundum Joannem, *Tractatus CXXIV.*

De Tempore, *Sermones CCLXVI.*

De Sanctis, *Sermones LI.*

Cum tabulis et repertoriis amplissimis. » In fine : *Explicit Parisiis in Edibus Magistri Bertholdi Rembolt. Anno Domini..... Die vero XIX Decembris.*

Litteræ sunt Gothicæ, paginæ columnis sectis sunt impressæ, nec alius ornatus deest.

1521. *Hagenoæ, per Henr. Grau ; in-fol.* B. Augustini præclarissima sermonum opera ; summa nuper diligentia revisa atque recognita, tum plerisque locis emendata. In fine : *Impressum est præclarum hoc opus in officina industrii Henrici Grau : civis imperialis oppidi Hagenow : sumptibus et expensis probi viri Joannis Rynman de Oringaw archibibliopole, mense Octobri anno a nato Christo* 1521.

1525. *Lugduni*, per *Joannem Crespin ( die X Januarii ); in-fol.* B. Augustini Sermones varii in Dies dominicales et festos; inter *Homelias præclarorum doctorum in Evangelia dominicalia*, quas jussu Caroli M. collegisse fertur Alcuinus, editas h. l. et a. cum præfatione Fr. *Lamberti Campestris*, theol. ad Simphorianum Camperium Patritium Lugdunensem.

1564. *Lovanii*, apud *Hieron. Wellæum; in-4.* D. Aur. Augustini sermones, et Possidii, Calamensis episcopi, indiculus operum D. Augustini : ex editione et cum scholiis marginalibus *Joannis Vlimmerii. Cat. Bibl. Reg.* Confer, quæ supra ad editionem operum Basileensem a. 1569 tradita sunt.

1576. *Coloniæ Agripp. in-fol.* S. Augustini Homiliæ variæ. Exst. in *Collectione Fr. Alcuini.*

1588. *Lugduni, in-fol.* S. Augustini Homiliæ quædam in *Bibliotheca Homil. Cumdii.*

Sæc. XVII. — 1631. *Parisiis, apud Sebast. Cramoisy; in-8°.* S. Aur. Augustini Sermones novi XL, cum quinque aliis ex antiquis exemplaribus collecti, cum notis, studio et opera *Jacobi Sirmondi. Cat. Bibl. Reg. et Casanat.*

1644. *Romæ, per Franc. Monetum; in-4°.* Sermones aliquot S. Aur. Augustino adscripti, ex bibliothecis Vaticana et Barberina excerpti, nunc primum in lucem editi et quibusdam notis illustrati studio et opera *Joannis Baptistæ Mari. Cat. Bibl. Reg.*

1647. *Romæ, apud Ludovic. Grignanum ; in-4°.* S. Aur. Augustini Sermo in natali S. Joannis Baptistæ, nunc primum in lucem editus, cum observationib. *Joannis Baptistæ Mari. Cat. Bibl. Reg.*

1648. *Matriti, typis Regiis ; in-fol.* S. Augustini Sermones *aliquot* de B. Virgine. Exst. in *Bibliotheca Virginali P. de Alva*, T. III, a pag. 448. *Audiffredi* in *Cat. Bibl. Casanat.*

1685. *Parisiis*, chez *P. de Laulne ; in-8.* S. Augustini Sermonum ad Eremitas fragmenta tria, quibus præmittitur Syllabus Sermonum ad FF. in Eremo, Sermonum ad presbyteros Hipponenses et Sermonum ad populum ex autographo Jordanis de Saxonia. Exst. in *Supplem. PP. Jac. Hommey*, a pag. 644.

*Versiones.*

1493. *Firenze, per Maestro Antonio Miscomini, ( A dì XXVIII di Giugno ) in-4°, min.* « Sermoni Volgari del Venerando dottore Santo Aurelio Augustino, Padre della regola eremitana, molto devoti, e spirituali ad acquistare la gloria spirituale del Paradiso. » *Cat. Crevennæ noviss.* T. I, p. 107.

1546. *Venezia, per Gabriel Giolito de' Ferrari ; in-4°.* « Varj sermoni di S. Agostino, e d'altri cattolici ed antichi Padri utili alla salute dell' anime messi insieme e fatti volgari da Monsign. Galeazzo vescovo di Sessa, con due tavole, la prima de' Sermoni ed Omilie ; e la seconda delle cose più notabili. » *Bibl. degli Aut. volg.* in *Raccolta d'Opuscul. scient. e filol.* T. XXXII, p. 345.

1553. In *Vinegia*, presso *G. Giolito de' Farrari Fratelli.....* « Alcuni Sermoni di S. Agostino delle Parole Signore e dell'Apostolo, fatti volgari da Monsr. *Galeazzo Florimonte* Vescovo d'Aquino. » Exst. in *Varj Sermoni di S. Agostino ed altri dottori* volgarizzati dal medesimo. Cf. *Cat. Bibl. Casanat.* In *Cat. Bibl. Smith.* a. est 1588, *in-4°.*

1567. *Venezia, per il Giolito; in-4°.* « Varj Sermoni, etc. »

1568. *Venezia, per il Sansovino; in-4°.* « Varj Sermoni di S. Agostino e d'altri cattolici ed antichi dottori, ne quali trattandosi diverse materie sopra diversi luoghi della Sacra Scrittura del vecchio e del nuovo Testamento si contiene Cristiano desideroso di vivere puramente fra le persone, e della salute dell' anima sua, messi insieme e fatti volgari da monsignor Galeazzo, vescovo di Sessa, con due tavole, l'una de' Sermoni, e l'altra delle cose notabili. »

1572. *Fiorenza, per i Giunti ; in-4°.* « Libro iii de' varj Sermoni di S. Agostino ..... raccolti insieme e fatti volgari da *Raffaello Castruccio* monaco della badia di Firenze a imitazione di monsign. Galeazzo, vescovo di Sessa. » Prodiit etiam liber quartus, sed in quo nihil Augustini contentum fuit. Secundam vero partem impressam inveni a. 1654 h. tit. :

1654. *Venezia, per Girolamo Scotto ; in-4°.* « Seconda parte de' Sermoni di S. Agostino .... tradotti in volgare da Msgn. Galeazzo Florimonzio, vesc. di

Sessa, con alcuni Omilie del medesimo. » Hæc omnia nobis suppeditavit *Bibl. degli Aut. volg.* l. 1.

1694 et 1700. *Paris, chez veuve Jean-Bapt. Coignard ; in-8°, IV voll.* « Les sermons de S. Augustin sur le Nouveau Testament, traduits en françois sur l'édition latine des PP. Bénédictins, par *Philippe Goibaud du Bois.* »

1731. In *Firenze* presso *Dom. M. Manni ; in-4°.* « Volgarizzamento de' XL Sermoni falsamente attribuiti a S. Agostino, fatto da un Religioso dell' Ordine detto di S. Agostino, nell' anno 1300, e, come si crede, da Fr. Agostino da Scarperia. » *Cat. Bibl. S. Aug. ad Nidum Neapoli, Audiffredi* in *Cat. Bibl. Casanat.*, it. *Cat. Bibl. Smith.*

*XLIV.* — (119) *De decem chordis liber.*

Hujus *versionem Hispanicam*, auctore *Gundisalvo Garzia de Sancta Maria*, Cæsaraugustano, editam a. 1494, *in-8°. Los Tratados de las diez cuerdas de la vanidad del mundo* commemorant ex *Nic. Anton. Bibl. Hisp.* p. 425 Colonienses.

ARTICULI SECUNDI SEQUENTIA.

Annales editionum singulorum Augustini librorum.

§ II. *Spuriorum scriptorum.*

*I.* — (6) *De Musica libri sex.*

Nescio equidem, an huc spectat, qui in Catalogo Bibl. Bodleianæ memoratur *S. Augustini libellus de Musica. Basileæ*, 1521, *in-4°.*

*II.* — (18) *De Grammatica liber.*

1605. *Hannoviæ, in-4°.* Augustinus de Grammatica. Exst. inter Auctt. Antiqq. de Grammatica Lat. collect. ab *Helia Putschio*, a pag. 1975.

*III.* — (19) *Principia Dialectices et Rhetorices libri duo.*

1479. *Florentiæ, apud S. Jacobum de Ripoli ; in-4°.* Augustini Logica. *Cat. Bibl. Casanat.*

1599. *Parisiis, in-4°.* Augustini principia Rhetorices. Exst. inter *Antiquos Rhetores* a pag. 290.

1643. *In Venezia, nella Salicata ; in-4°.* « S. Agostino della Retorica. » Exst. *Autori del ben parlare* Tomo XXX, pag. 21.

*IV.* — (34) *Liber de Fide ad Petrum Diaconum.*

Prodiit seorsim *sine loco et anno, in-fol.* Sed vide *Fulgentium* tomo III. Cf. supra in Opusculis ad a. 1473, n. 1.

*V.* — (35) *De Spiritu et Anima.*

1472. *S. l. et typogr. ; in-4°.* S. Augustini liber de anima et spiritu, de ebrietate, ad virgines de castitate et sobrietate, de quatuor virtutibus charitatis, de contritione cordis. In fine : *Finitus est liber beati Augustini, ep. Yponensis cum ceteris tractatulis ejusdem. Anno millesimo quadringentesimo septuagesimo secundo quinto Idus Nov.* Exstat in Bibl. Lubecensi *Gessner.* l. 1, p. 26. Is vero ex litterarum similitudine et chartarii signo (capite taurino) jure aliquo suo concludere sibi videtur, *Moguntiis apud Petrum Schœfferum*, qui eadem forma absque loci et anni indicio libros *de vita Christiana* et *veræ vitæ cognitione* excudit, fuisse impressum. Ibi tamen insignia Schœfferi non, ut in hoc volumine, desunt.

*VI.* — (36) *De Amicitia.*

1510. *Lipsiæ, in-4°.* « D. Aur. Augustini, Hipp. episc. de amicitia liber, in quo Ciceronis errata castigantur, cunctis, qui pacem, concordiam et veram atque perfectam diligunt amicitiam, utilis et summe necessarius. » Subjiciuntur huic titulo statim disticha sequentia :

Augustinus in hoc aphorum (*sic*) gloria gentis
Quæ sit vera libro narrat amicitia
Magnus Aristoteles callens arcana capaci
Naturæ ingenio : nescius hujus erat
Nescius eras hujus Plato tu divine magister
Hanc veterum ignorans ethnica turba virum.

In fine : *Impressum Lyptzk p. Baccalaureum Wolffgangum Monaceu. Anno* 1510. — Character est Gothicus. Præfatus est *ad studiosos et eruditos bonor. artium in acad. Liptzen. Amatores Magnus Hundt parthenopolitanus, theologorum*, ut quidem se appellat, *infimus*, ep. data *in collegio principis die Calixti.*

*VII.* — (39) *Soliloquia.*

1473. *S. l. in-fol.* Augustini soliloquium de Arrha animæ. Ab initio : *Incipit soliloquium beatissimi Augustini episcopi yponensi* (sic) *de Arra animæ.* In fine : *Raptus est finis hujus tractatus Augustini de arra anime feria tertia post festum sancti Dyonisy Anno dni IXXIII XC* (sic). Ejusdem est editionis ac *Soliloquia* genuina s. l. et a. et Hieronymiana *de essentia div.*, etc. Conf. dicta ad librum Augustini *de Quantitate animæ.* Extremæ raritatis esse exinde discas, quod nemini hactenus bibliographorum cognitus fuerit. Summum vero in eo ad ætatem illorum opusculorum definiendam situm esse momentum nemo facile negabit, si ne minimum quidem ab illis differre dixero. Quod si igitur vere ea Guntheri Zainer a quibusdam sunt credita, ut equidem nullus dubito, sequitur, Hambergeri sententiam, Zainerum post annum 1472 charactere gothico uti desiisse, postquam primum mense Novembri ejus anni Romanos typos Isidoro imprimendo adhibuisset (*a*), ipsum fefellisse, quod plerisque accidere solet, qui nimis exactis formulis limites ac tempora eventuum aut institutorum quorumdam circumscribere amant. Ac quænam causa tam repentini fastidii Gothici characteris in eo viro cum verisimilitudine fingi possit?

*Versiones.*

1489. *Sine loco et typogr. A dì XX di giogno* (sic) *in 4° min.* « Li Soliloquj del divo Padre santo Agostino. » Character rotundus est. Florentiam natales ejus esse suspicatur editor *Cat. Crevennæ noviss.* T. I, p. 111.

1491. *Firense. A dì X dì Novembre ; in-4°.* « Soliloquj di santo Augustino volgari. » *Cat. Bibl. Crevennæ noviss.* l. l.

1492. *Mediolani . . . . . in-8°.* Hujus anni, loci ac formæ versionem Italicam horum librorum commemorat *Denisius Garell. Bibl.* p. 235.

(*a*) *Zuverläss. Nachrr.* T. IV, p. 806, ubi de Zaineriana ed. Thomæ Kempisii præcipit.

1663. *Paris, chez Charl. Savreux, in*-12. « Les Soliloques, le Manuel et les Meditations de S. Augustin, traduits en françois par D. L. C. C. F. »

1671. *A Lyon, in*-8°. « St. Augustin : les Soliloques, le Manuel. » *Cat. Bibl. Bern.*

1684. *Paris, chez Pierre le Petit, in*-12. « Les Soliloques, les Méditations, le Manuel de S. Augustin, traduits en françois par le *P. Nicolas Regnier.* »

1691. *Paris, chez Guil. Desprez; in*-12°. Eadem, « traduction nouvelle, revue sur le latin : édition augmentée de l'Esprit du même saint, tiré de ses Confessions. »

— *Paris, chez Jean-Bapt. Coignard; in*-12. « Les Soliloques, les Méditations et le Manuel de S. Augustin, traduits en françois sur l'édition latine des Pères Bénédictins, avec des notes, par *Philippe Goibaud du Bois.* »

1696. *Paris, chez Jean Couterot, in*-8°. « Les Soliloques de S. Augustin, mis en vers françois, avec le latin et une Méditation, sur le jugement dernier, en vers. »

1704. *Paris, chez Nic. le Gras; in*-12. « Les Soliloques et les Méditations de S. Augustin traduits en françois par le *P. René de Ceriziers.* »

Plura de variis horum librorum *Gallicis versionibus* attulit auctor hujus articuli in *M. Bibl. Eccl. Colon.* p. 729, num. 4, de quibus, quoniam aliunde haud quicquam recognovi, sollicitari me non sinam.

VIII. — (40) *Meditationes.*

*Sine anno loco et typogr.; in-fol.* Liber S. Augustini de Meditatione. A prima statim pagina legitur : *Incipit liber p. locutionis beatissimi patris nostri Augustini et ejus otemplatione.* In fine : *Explicit liber de meditatione beatissimi patris nostri Augustini. Deo gratias.* Laudat hoc opusculum cl. *Seemiller* fasc. I, p. 112, inter eos libros, quos absque loci et anni commemoratione a Christophoro Valdarsero, Ratisbonensi, qui intra annos 1471-1476. Venetiis et Mediolani impressit, excusos esse sibi persuasit, et quorum plures ibidem eosdemque omnes invicem charactere et descriptione reliqua valde similes proposuit. De nostro vero prodidit, litteris oblongis paulo majoribus exscriptum folia tredecim integra et paucas in decimo quarto lineas complecti, sine numeris ac notis paginarum foliorumve, absque itidem litteris initialibus.

*Sine anno et loco; in*-4°. B. Augustini Meditationes. *Cat. Bibl. Reg.* T. I, p. 376, ubi additur : *Vetus editio circa annum* 1500.

*Sine anno. Parisiis per Antonium Caylaut, in*-4°. Meditationes Beati Augustini. *Cat. Bibl. Duc. de la Val.* T. I, p. 175.

Sæc. XVI et XVII.—1516. *Venetiis... in*-8°. « S. Augustini Meditationes. Soliloquiorum animæ ad Deum liber unus. Manuale. Exst. in *Opusculo multarum bonarum rerum referto*, ab initio. » Sic *Audiffr. in Cat. Bibl. Casanat.*

1608. *Duaci, per Balth. Bellerum; in*-24. D. Aur. Augustini Meditationes, Soliloquia et Manuale, etc. Plenum titulum vide in sequenti.

1613. *Duaci, per Balthazar. Bellerum; in*-24. « D. Aur. Aug... Meditationes, Soliloquia et Manuale. Meditationes *B. Anselmi* cum tractatu de humani generis redemptione. Meditationes *D. Bernardi. Idiotæ* viri docti contemplationes de amore divino. Omnia ad mss. exemplaria emendata et in meliorem ordinem distributa : opera et studio R. P. *Henrici Sommalii*, Soc. Jesu theol. »

1614. *Coloniæ apud Conrad Butgenium.* Idem liber ejusd. ed.

1631. *Lugduni, in*-24. S. Augustini Meditationes. *Cat. Bibl. S. Angeli ad Nidum Neap.*

— *Coloniæ Agrippinæ, sumpt. Corn. ab Egmond.; in*-12. Idem liber ex ed. *Henr. Sommalii.*

1637. *Ibidem, per eumdem; in*-12. Eadem editio.

1649. *Ibidem, in*-12. Idem liber per eumdem.

1650. *Parisiis, apud Claudium Cramoisy; in*-12. D. Aur. Augustini Meditationes, Soliloquia et Manuale : omnia ad mss. exemplaria emendata, opera et studio *Henrici Sommalii.*

1672. *Romæ, per Barthol. Lupardum; in*-4°. Eadem.

*Sine anno. Dilingæ, apud Sebald. Mayer; in*-8°. D. Aur. Aug... Meditationes, Soliloquia, Manuale. Aliam horum librorum editionem *Dilinganam* an. 1571 commemorant obiter Colonienses p. 729, ad n. 4.

Sæc. XVIII. — 1701. *Antuerpiæ, in*-8°. Divi Aur. Aug... Meditt., Soliloquia et Manuale, ad mss. exemplaria emendata et in meliorem ordinem distributa, op. et studio *R. P. Henr. Sommalii.*

*Versiones.*

*Sine anno et loco, in*-12. S. Augustini Soliloquia in Græcum vulgare translata. *Cat. Bibl. Reg.* T. I, p. 377.

1671. *Paris, chez la veuve Charles Savreux; in*-12. Eadem *Gallice.* « Par le sieur D. L. C. C. E. »

1679. *A Paris, chez Guill. Desprez; in*-8°. « Les Soliloques, le Manuel et les Méditations de S. Augustin. Traduction nouvelle, revue très-exactement sur le latin. Nouv. éd. à laquelle sont ajoutés quelques fragmens de piété tirez des Confessions de ce mesme *saint*, qui feront voir quel estoit son esprit. » Postrema sub titulo, « L'Esprit d'Augustin tiré de ses Confessions » addita sunt.

1714. *Bruxelles, in*-8°. Idem liber Gallice c. notis. *Cat. Bibl. Thott.*

1604. *Madrid...* Eadem *Hispanice* reddita a P. *Ribadeneira.* Exst. in ejusdem Opp. p. III, pag. 633 sqq.

1600. *Francf. a. d. Oder; in*-8°. Idem liber *Germanice* per *Henr. Raetell.*

1717. *Gent., in*-8°. Idem liber, *Belgice* per *Andr. van Loo. Cat. Bibl. Thott.*

---

Ex Meditationibus excerptum esse S. *Augustini Rhythmum de gloria et gaudiis Paradisi* versibus politicis compositum, qui exstat inter *Ge. Fabricii*

*Poet. Christ. Basil.* 1561, *in*-4°, p. 845, monet *Audiffredus in Cat. Bibl. Casanat.*

IX. — (42) *Manuale.*

1471. *Turvisii per Gerardum Lisam de Flandria, in* 4° *min.* S. Augustini liber de Salute, sive de Aspiratione animæ ad Deum. Ad calcem litteris unciabilibus excusum visitur

*In laudem scriptoris epigramma.*
Gloria debetur Girardo maxima lisae.
Quem genuit campis Flandria picta suis.
Hic Tarvisina nam primus cœpit in urbe.
Artifici raros aere notare libros.
Quoque magis faveant excelsi numina regis.
Aurelii sacrum nunc MANUALE dedit.
TARVISII
M. CCCC. LXXI.

Constat hocce opusculum, a quo typographiam Tarvisinam initium duxisse suspicatur Morellus (*a*), foliis xx, impressum charactere rotundo eleganti, lineis 22 per paginas. Complectitur sola XXIV priora capita juxta sequiorum editionum distributionem. *Audiffredi* in *Cat. Bibl. Casanat.* Adde *Crevennæ Cat. novissimum.*

X. — (44) *Speculum peccatoris.*

*Sine anno, loco et typogr.; in*-4°. B. Augustini Speculum peccatorum. *Vetus editio circa annum* 1500. Sic *Cat. Bibl. Reg.*

*Sine anno, loco et typogr.; in-fol.* S. Augustini Speculum peccatoris. Vide quæ ad libellum *de Quantitate animæ* ejusdem editionis sunt notata.

XI. — (47) *de veræ Vitæ cognitione.*

*Sine anno. Moguntiæ, apud Petr. Schœffer*, ut ex insigni illius ad calcem minio impresso apparet, *in*-4°. Incipit a capitulorum tabula tres pene paginas occupante, cujus versiculi novem præfixi sunt hoc exordio :

Augustine pater, aquilino more Johannis
Ingenii velis petis alta recondita celis, etc.

In fine : *Augustini de v. v. c. libellus explicit.* Character plane idem est cum præcedentis libri formis. Anno circiter 1470 procusam suspicatur *Deburius* in *Cat. Bibl. Ducis de la Val.* T. I, p. 176. Exstat etiam in Bibl. Lubecensi. V. *Gessner* p. 14, a quo *Schelhornius* in *diatriba ad Quirin.* (Lindav. 1761, *in*-4°), p. 37, et *Schwindelius* in Not. hist. crit. libr. vet. rar. l. XXXVII, laudantur.

1578. *Basileæ...* S. Augustini de Trinitate fragmentum ex libro qui inscribitur de Cognitione veræ vitæ (*cujus Auctor Honorius Augustodunensis*) *Gr. Lat. I. Leunclavio interprete.* Exst. cum Legatione imp. Cæs. Man. Comneni ad Armenos, etc.

1670. *Romæ... Idem cum levi aliquo discrimine.* Exst. inter Opuscula Aurea Theol. quorumdam Græc. collecta a *P. Arcudio a pag.* 672. Sic *Audiffredus* in *Cat. Bibl. Casanat.*

XII. — (48) *De Vita Christiana.*

*Sine anno et loco* (*Moguntiæ, apud Petr. Schœffer*); *in*-4°. *Incipit prologus beati Augustini de vita Xpiana.* In fine : *Explicit liber b. Aug. de v. Chr. Hec faciendo quisque vitam obtinebit eternam.* Extremo loco signum Schœfferianum minio, ut solet, impressum conspicitur. Character ex Gothico ad rotundum deflectit, sed perquam exilis et rudis est. Signaturæ et numeri foliorum plane absunt. Cf. *Cat. Bibl. Duc. de la Val.* T. I, p. 174. Laudatur quoque in *Catal. Bibl. Bunav.*, itemque in Bibl. Lubecensi exstat.

*Sine anno. Parisiis, apud Joan. Lambert; in*-8°. Liber beati Augustini de Vita Christiana. Hæc in suprema paginæ parte, reliqua signum officinæ pro more typothetarum Parisiensium exeunte sæculo XV, et sub initium XVI occupat. In fine : *Explicit*, etc. *Impressus parisiis per Johānem lambert in vico sancti jacobi commorantem p. Dyonisio Roce.* Litteræ sunt Gothicæ minutæ.

1467. *Per Olricum Zel de Hanaw; in*-4°. Beati Augustini liber de Vita Christiana. Ejusdem liber de singularitate clericorum. In fine posterioris : *Explicit Liber beati augustini epi. de singularitate clericorum. Per me Olricum Zel de hanau clericu dioces. Moguntinen. Anno millesimo quatercentesimo sexagesimo septimo.* Prior tractatus XIX folia, alter XXXIII complectitur, quorum singulæ paginæ lineis 27 constant. *Debure* in Cat. Ducis de la Val. T. I, p. 173. Supra sub *opusculis* plures invenies Augustini tractatus huic editioni valde similes, ab eodem haud dubie typographo, circa annum 1470, ut putant, impressos.

*XIII.* — (50) *De XII abusionum gradibus.*

*Sine anno et loco; in-fol.* « Aurelii Augustini Iponensium presulis dignissimi liber de XII abusionibus seculi, incipit feliciter. » In fine : *Laus deo.* Separatim vero folio ultimo impressa sunt *Augustini de origine animæ electissima auctoritas* et *Augustinus de divinatione dæmonum.* In fine iterum : *Laus deo.* Hinc est, quod in duobus hujus editionis exemplis apud *Seemillerum* fasc. I, p. 109, alterum non nisi opusculum primo loco commemoratum exhibeat, alterum præter reliqua duo uno folio comprehensa præbeat etiam *B. Anselmi libros duo de eo, cur Deus homo?* viginti novem foliis impressos. — Plagulæ sunt quatuor. Characteres Gothici rudiores et inæquales lineis latis impressi, in quibus imprimis frequens syllabarum *de. be. po. bo. vo. co. ho.* in unam figuram contractio, Nec desunt crebra syllabarum compendia.

1514. *Lipsiæ, in*-4° D. Aur. Aug. Hipp. ep. de duodecim abusionum gradibus in mundo : liber utilis atque delectabilis. In fine, post tituli repetitionem : *Lypssck per baccalaureum Martinum herbipolensem diligenter impressus : anno a nativitate Christi Millesimo quingentesimo quarto decimo.* Subjiciuntur insignia typothetæ in ipso fine.

1521. *Augspurg, durch Sigism. Grimm und Marx Wirsung; in*-4°. « Augustinus von den zwoelff Stapffeln der Myssbrauchung von dem neuen Gesang, wie man das Reich der hymel erlangen mag, verteutscht durch *Georg Spalatinum.* »

*XIV.* — (55) *De Antichristo.*

1522. *Parisiis.* . . . . S. Augustini fragmentum ex

(*a*) In *Cat. Bibl. Pinell.*

tractatu de Antichristo (qui inter Alcuini et Rabani opera reperitur). Exstat in *Mirabili libro, qui Prophetias*, etc., demonstrat. *Audiffred.* in *Cat. Casanat. Bibl.*

*XV.* — (75) *De essentia Divinitatis.*

1510. *Lipsiæ per Wolffgangum Monacens.*; *in-4°.* « D. Aur. Aug. Hipp. episc. liber de essentia divinitatis, quo Anthropomorphitarum et Vadianorum errores ex falsis quorumdam philosophorum opinionibus exortos præcipue reprobat: luce clarius explicans corporalia et humana membra. non carnaliter sed spiritualiter in sacris litteris. divinitati attribui. Annexis quibusdam annotationibus. a doctore *Magno Hundt* Parthenopolit. in Academia Liptzen. ex tempore collectis: Studiosis et philosophiæ et sacrarum litterarum amatoribus admodum profi- cuis. » — Præmissa est editoris ep. ad Paulum Schillerum, philos. et SS. litt. profess. data. in Colleg. Princip. 1508 decima septima Octobris. Verba Augustini et Annotationes alternis se invicem excipiunt. In Bibl. Colon. laudatur editio Hundii Lipsiæ 1509, ex Beemanni Cat. Bibl. Francof. p. 35.

ARTICULI SECUNDI SEQUENTIA.

Annales editionum singulorum S. Augustini librorum

§ III. *Scriptorum prorsus dubiorum.*

*I.* — *In Matthæum Comm.*

*Sine anno et loco.* S. Augustini commentarii in Matthæum. Per omnia editioni librorum de doctrina Christiana absque loci et anni indicio expressæ similes esse tradit *Ge. Pray* in *Cat. Bibl. Bud.* T. I, p. 89. Uterque liber etiam uno volumine in istâ Bibliotheca comprehendebatur et Praius descripturus erat accuratius, ni mutilum hujus exemplum fuisset. Nescio an sit particula *Quæstionum Evangelicarum*, quæ inter genuina n. 41 recensentur.

*II.* — *De Vanitatibus sæculi.*

*Sine anno, loco et typogr.*; *in-4°.* S. Augustini, episcopi Hipponensis, 1° de Vanitatibus sæculi, 2° de Vita Christiana.

Hujus editionis memoriam, ut tot aliarum, quæ rarissime alias obtingunt, servavit cl. Seemiller fasc. II, p. 150. Separari duo hæc opuscula non possunt, atque una constant foliis XXIII, lineis 25 per paginam, charactere Gothico paulo majori, oblongo et luculento, eodem, quo Conradus Finer Esslingensis usus est (*a*), impressis. Absunt custodes, signaturæ, numeri et inscriptiones paginarum. Attamen duæ initiales litteræ horum opusculorum formis ligneis impressæ sunt. Initium: *Incipit liber Augustini de Vanitatibus seculi.* Sub finem folii quinti pagina aversa duabus lineis: *Explicit liber sancti Augustini de Vanitatibus seculi feliciter.* Tum in fronte folii sexti: *Prologus libri beati Augustini de Vita Xpiana incipit feliciter*; atque in extrema tandem pagina tribus lineis: *Explicit liber sancti Augustini de Vita Christiana feliciter.* Cæterum nescire me fateor, quo primum tractatum referam, suspicor tamen, eumdem esse cum sermone, qui vulgo *de Vanitate* sæculi inscribitur, inter dubia relatus num. 9.

*III.* — *Expositio Symboli et Orationis Dominicæ.*

*Sine anno, loco et typographo, in-fol.* S. Augustini 1° Expositio Symboli. 2° Ejusdem expositio Orationis Dominicæ.

Commemorat duo hæc opuscula, cum aliquot Thomæ Aquinatis et Henrici de Hassia, idem pene argumentum concernentibus et iisdem typis expressis, compacta, cl. *Seemiller* fasc. I, p. 152 sq. Impressa sunt charactere Gothico nonnihil majori et oblongo. Interpunctionum signa sunt punctum, comma supra et infra lineam prominens, cui interdum punctum in formam signi exclamandi subjici vir laudatus animadvertit. Lineæ triginta per paginam integram numerantur: numeri, signaturæ, custodes, nec non initiales litteræ desunt.

*Sine anno, loco et typogr.*; *in-4° min.* S. Augustini 1° sermo super oratione Dominica, 2° Expositio Symboli, 3° Sermo de ebrietate cavenda.

Tria hæc opuscula, quorum penes eumdem virum doctum fasc. I, p. 163, memoria est prodita, uno volumine VIII foliorum, ita, ut separari nequeant, comprehenduntur. Characteres, eodem teste, sunt Gothici, minuti, sed admodum pingues, non absimiles iis quos imprimis Udalricus Zel frequenter adhibuit, minores tamen. Distinctionis signum laqueus hac forma | ⌣ |. Numeris, signaturis, custodibus et litteris initialibus caret. Pagina juxta lineas 27 complectitur.

*IV.* — *De virtute Psalmorum.*

*Sine anno, loco et typogr.*; *in-4°.* In fronte: *Incipit Augustinus De virtute psalmorum.* In fine: *Explicit Augustinus de virtute psalmorum.* Cl. *Seemiller* fasc. II, p. 163. Impressum est volumen, hoc teste, Gothico charactere singularis formæ et justæ magnitudinis in charta alba ac nitida, absque custodibus, numeris, etc. nisi quod priora quinque folia typographus signavit.

*Sine anno. Parisiis, per Dionys. Roce*; *in-8°.* Augustinus de Virtute Psalmorum. Typographus ex signo titulo impresso noscitur. Vid. ex eadem officina librum *de Vita Christiana.* In *Cat. Bibl. Bodl.* hujus libri editio quaternis *sine l. et a. indicio* facta memoratur.

CAPUT IV.

*Defloratores et Commentatores præcipui Operum S. Augustini.*

*Casimirus Oudinus* in Commentario *de Scriptoribus Ecclesiasticis* Tomo I, pag. 990, absoluta jam notitia de vita, scriptis et editionibus S. Augustini, singulare caput *de Defloratoribus vel Commentatoribus D. Augustini, tam antiquis, quam recentibus præcipuis* perscripsit et reliquis tamquam *septimum et ultimum*

(*a*) Cujus gratia lectores ablegat ad *Gerhohi Steigerberger literarisch k.it. Abh. ü. die zwo alleraeltesten gedr. deutsche Bibeln*, etc., qui Tab. III, n. 3 et 4, eumdem acre incidendum curavit.

adjecit. Quem secuti *Auctores M. Bibliothecæ Ecclesiasticæ Coloniensis*, totum pene servata etiam epigraphe in commentarios suos, voce AUGUSTINUS num. VI, pag. 767, retulerunt, ita tamen, ut resectis iis, de quibus alio loco commodius verba fecissent, auxerint etiam non pœnitendis additionibus. Optimum institutum a nobis non sine lectorum detrimento deseri posse videbatur. Sed intelleximus etiam, quæ ab illis novissime congesta erant, paucis tantum in locis emendationem aliquam desiderare et pauciora inesse, quæ nostræ tractationi apta non essent. Nec sperandum fuit, ut ipsi ampliora quodammodo daremus, quinimmo, quæ in proprias schedulas digesseramus ad hocce argumentum spectantia, ad unum omnia ab illis occupata esse cognovimus. Quapropter nullatenus dubitavimus, quidquid in tota hac Oudini et Coloniensium dissertatione nobis probaretur, ipsis eorum verbis huc transferre, dummodo non alieno merito quidquam subtraxisse videremur.

Primus fuit *S. Prosper Aquitanus*, qui circa annum 450 librum *Sententiarum ex S. Augustino delibatarum* confecit, studio *Jo. a Fuchte* aliquoties seorsim editum, de quo nos suo loco. Colonienses, titulo libri non satis integro inducti, memoriam ejus tamquam ipsius editoris opellæ post *Lumnii Thesaurum* inseruerant. Proximus ætate fuit, cui primum locum in hac serie dederat Oudinus.

*Eugyppius* abbas et presbyter Africanus sæc. VI, qui *sententias, quæstiones*, etc., ex *S. Augustini* scriptis defloravit et in unum corpus, cui *Thesauri* nomen fecit, collegit. Hic cum ad nostrum etiam censum pertineat, plura de eo in sequenti tomo dicta invenies.

Inter mss. codices bibl. Venetæ cardinalis Bessarionis, exstat *Petri* abbatis Tripolitani nomine *Expositio in Epistolas D. Pauli ex divi Augustini Sermonibus*, in membrana, de qua loquitur Baronius ad annum 562, post Cassiodorum *Divinarum Institutionum* cap. 8. Sed an legitimum opus Petri Tripolitani abbatis sit, caute discutiendum est : licet hoc scribat Jacobus Philippus Thomasinus in Catalogo bibliothecarum Venetarum publicarum et privatarum, quem anno 1650, Utini, in-4° imprimendum curavit. *Oud.*

Venerabilis *Beda*, natione Anglus, professione monachus et presbyter, qui anno 710 et sequentibus floruit. Exstant inter Opera Ven. Bedæ *Commentaria in omnes Epistolas S. Pauli, ex Augustini operibus ut plurimum excerpta*, de quo opere Baronius in Annalibus ad a. 562 litem Bedæ movet, ac Petro abbati Tripolitano, de quo Cassiodorus *Divinarum Institutionum* cap. 8, ascribendum censet. Verum Joannes Mabillonius litem intentatam præclare diluit, qui T. I *Analectorum*, Dissertatione singulari p. 12, nec Bedæ, nec Petro, sed *Floro* magistro, Lugdunensis Ecclesiæ diacono, deberi demonstrat. Verum interim *Commentarium Bedæ* (nam S. Pauli Epistolas ab eo explicitas esse, ipse in *Indiculo* Operum suorum fidem facit) ejusque *Collectaneum in Apostolum ex Operibus Augustini decerptum*, grandi satis volumine nondum impressum, penes se habuisse testatur Lupus, Ferrariensis abbas, epistola 76 ad Hincmarum, p. 118. Exstat autem in duobus mss. exemplaribus apud Joannem Mabillonium, ex bibliotheca S. Germani Pratensis, ut idem testatur. Vide quæ habet Stephanus Baluzius in Notis ad Lupum Ferrariensem p. 405. *Oud.*

Magister *Florus*, Lugdunensis Ecclesiæ diaconus, circa a. 850 inclytus, scripsit *Commentarium in omnes S. Pauli Epistolas ex S. Augustini Scriptis contextum*, qui habetur tomo VI Operum Bedæ, ei falso ascriptus. Nam *Flori* istius esse ex pluribus mss. codicibus docuit Joannes Mabillon, Disquisitione hac de re composita *Analectorum* T. I, p. 12 sqq., qua etiam ostendit, genuinum Bedæ Commentarium ab evulgato esse opus diversum, idque nondum typis editum penes se habere, aliquando in lucem proferendum. Alibi tamen observat in 3 mss. codicibus abbatiæ S. Galli in Helvetia, qui annorum 800 et 700 sunt, hanc ipsam Bedæ expositionem sub nomine *Flori presbyteri* contineri, de qua vide quæ annotavit erudite T. IV *Analectorum* p. 630. Abbreviavit prolixum *Flori Commentarium in Epistolas Pauli* circa a. 1180 *Robertus de Torinneio*, in Normannia, abbas S. Michaelis de Monte, diœcesis Abrincensis, quem arbitratus est spectasse ad Petrum Tripolitanum, quamque sententiam ad annum Christi 562 Baronius amplexus est, cujus *Abbreviatio* ms. exstat inter mss. codices bibliothecæ S. Michaelis de Monte. Exstat autem *Epistola et Prologus in Abbreviationes Epistolarum Apostoli secundum Augustinum*, in Appendice ad Guiberti Opera a Luca Dacherio edita Parisiis in-fol. 1651, p. 715, quam ex ms. codice produxit. Hæc *Oudinus*, copiosius alibi de iisdem in recensu operum *Bedæ* et *Flori* Lugdunensis disserens. Nos supra singularem eamque vetustissimam horum *Commentariorum* editionem produximus.

*Bonizo*, Sutrii ac Placentiæ episcopus, circa a. 1073 composuit *Augustinianam Epitomen* seu *Excerptum Sententiarum Mirifici doctoris Augustini* libris VIII distinctum, quod S. Joanni Gualberto, fundatori et primo abbati Vallis-Umbrosæ dedicavit, exstatque ms. in bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, inter mss. codices ex arce Ambrosiana illuc allatos, codice 85, ut testatur Petrus Lambecius illius inspector et custos T. II *Commentariorum* hujus bibliothecæ cap. 8, p. 790 sqq. *Oud.*

*Guillelmus* abbas S. Theodorici prope Remos, in Gallia, ordinis S. Benedicti, tum ex abbate factus monachus ordinis Cisterciensis apud Signiacum in eadem diœcesi, sæculo XII, cujus inter Collectanea habetur opusculum *Sententiarum de Fide ex S. Augustini* Operibus collectum, quod a se ex autographo ms. Bibl. Signiacensis ord. Cisterciensis transcriptum testatur Oudinus traditumque *Thomæ Blampino* Bened. Congreg. S. Mauri, qui hanc Collectionem sub Auctoris proprii nomine in Append. ultimi voluminis Operum *S. Augustini* edendam promiserat,

quod tamen non præstitit. *Colonienses ex Oudino.*

*Rob. Kilwardby* Ord. Prædic. natione Anglus, Cantuariensis archiepiscopus, et cardinalis episcopus Portuensis sæc. XIII, libros *S. Augustini* fere omnes, aliorumque plurium Ecclesiæ doctorum per parva capitula distinxit, sententiam singulorum sub brevibus annotando. Cujus laboris varia in Bibl. Regia Paris. supersunt monumenta ms. quæ recenset *Echardus* in Script. Ord. Præd. ad a. 1279, p. 379, ubi et alia memorat ex Catal. Anglic. *Colonienses.*

*Bartholomæus* Urbinas episcopus circa medium sæc. XIV, eremita Augustinianus, *S. Augustini* et *Ambrosii* Operum lector assiduus, sententias utriusque insigniores excerpsit, quas in alphabeti ordinem digestas, *Milleloquium* appellari voluit. Atque ab *Augustino* quidem *Triumpho* ejusdem Ordinis (vulgo *de Ancona* dicto) ejus præceptore, *Milleloquium Augustini sententiarum* incœptum, a discipulo absolutum, *Lugduni* a. 1555 impressum est. *Milleloquium Ambrosii* ibid. a. 1556, in-fol. *Colon. ex Oud.*

*Antonius de Nomis* Florentinus (*aliis* Maciallensis) eremita Augustinianus, qui a. 1438 decessit, e libris *S. Augustini* capita omnem fere litterarum Divinarum tractationem continentia digessit et inscripsit, *Flores Doctoris S. Patris Augustini*, quæ exstare dicuntur in Bibl. S. Spiritus Florentiæ. *Colon.*

*Joan. Frid. Lumnii* (*a*) *Thesaurus Christiani hominis* ex scriptis *S. Augustini* collectus, *Antuerp.* 1588. *Colon.*

*Dulciloquiorum S. Augustini libros tres*, ex vetere ms. exemplari Bibl. *Romersdorpianæ* primum editos *Herbonæ* 1592, in-12, a viris fide dignis se accepisse testatur Labbeus (*b*), sed nondum vidisse scribit. *Colonienses.* In *Cat. Bibl. Reg. Paris.* dictus liber exstat editus *Herbonæ Nassoviorum* 1614, in-12, h. t. *Aur. Augustini libri tres Dulciloquiorum e bibliothecæ Römerstorpianæ vetere manuscripto exemplari nunc primum editi studio Guil. Rolichii.*

*Jo. Gastius*, Brisacensis, Commentarios in universa Biblia ex Augustini operibus collectos edidit *Basileæ apud Hervagium* 1542, *II tomis in-fol.* Laudat *Cat. B bl. Bodlei.* Ejusdem operis tomum I, Vetus Testamentum complexum, editionis *Venetæ* ex *officina Erasmiana* 1543 profert *Cat. Bibl. Thott.*

*Hieron. Torres* seu *Torrensis*, Soc. Jesu Hispanus, *Confessionem Augustinianam* in libros IV distributam, et certis capitibus locorum theologicorum comprehensam, ex omnibus *S. Augustini* Operibus magno studio collectam, edidit Dilingæ 1568, et rursum auctiorem ac emendatiorem, 1569, *in-fol.* (*c*) Eam *Augustanæ Confessioni* opposuit; *quo in opere* (ait *Alegambius* Bibl. Script. S. J. p. 188) *duo egregie præstat: alterum, quod catholica dogmata mirifice probat, et confirmat, refutatque hæreticorum errores ex* Augustino; *alterum, quod locos ipsius* Augustini, *vel male intellectos, vel malitiose detortos, atque ab hæreticis depravatos, adamussim revocat, atque sincere interpretatur. Oud.* et *Colon.*

*Joannes Piscatorius* Lithopolitanus, qui Epitomen omnium Operum Augustini diligentia nequaquam sordida composuit, cujus editionem factam *Augustæ Vindelicorum apud Heinricum Steyner* 1537, in-fol., præsentem intueri licet. Ejus vero hic est titulus: *Omnium Operum Divi Aurelii Augustini episcopi, undecumque doctissimi, Epitome: Et quid vir ille, de Ecclesiæ Sacramentis, nec non sacræ Scripturæ locis communioribus insignioribusque senserit, scripserit, simul atque docuerit per* Joannem Piscatorium *Lithopolitanum hoc libro fidelissime et compendiaria quadam via diligentissime comportatum.*—Accedit in titulo brevis admonitio ad lectorem, in qua præsentissima atque ipsissima Augustini verba exhibuisse se affirmat, et *Steph. Vigilii* Pacimontani Decastichon in laudem libri. Ejusdemque Vigilii præfatio ante ipsius auctoris præfationem est inserta. Dividitur autem opus in tres tomos, quorum primus Augustini sententias juxta doctrinæ Christianæ capita ordinatas proponit, alter varia et miscellanea offert, tertius integros Augustini libros, quos supra in *Annalibus editionum Operum* indicavimus, præbet.

In hanc *Piscatorii* operam manus temerarias immisit et convicia gratiarum loco rependit Joannes Pesselius. Prodiit enim

*Joannis Pesselii*, ord. Prædic. Tilani in Geldria, *Omnium Operum S. Augustini Epitome, primum quidem copiose ac sinistre collecta a* Joanne Piscatorio *hæretico, et a* Joanne Pesselio *recognita, aucta duplo, et catholico sensu reddita; cui accessit ejusdem opera ex eodem Augustino collectus de septem Sacramentis tomus quartus* Colon. Agrip. 1539, 1542, 1549, in-fol. (*d*)

*Jac. Tribesci* Brixiani, canonici regularis Lateranensis, *Responsiones ad mille Quæsita in omni fere facultate* ex omnibus *S. Augustini* libris excerptæ, *Venet.* 1583, in-4°. Alibi deprehendimus signatas: *Venetiis ap. Bernh. Juntam* 1586, in-4°.

*Jo. Bapt. Masculi*, Soc. Jesu Neapolitani, *Ponderationes Concionales in Opera S. Augustini*, Neap. 1652, in-fol. (*e*). Forte idem opus, quod apud *Toppium* (*f*) inscribitur: *Eruditarum lectionum S. Augustini libri Acroamatici ad Conciones, decem tomis contractis in unum*, Neap. 1656, in-fol. *Colon.*

(*a*) Male *Lunicii* apud *Lipen.* Bibl. Theol. II, 916. *Colon.*

(*b*) *Dissert. de Script Eccles.* in addend. et corrigendis p. 714, apud *Oudinum* col. 952. *Colon.*

(*c*) Ita Alegambius *MDLXIX*. Lipenius vero Bibl. Theol. I, 117, habet 1596, uti et *Oudinus* in Comment. col. 993, *ad multam usque senectutem*, ait, *protectus correxit, ablatis iis, quæ tamquam* S. Augustini *attulerat* ex lib. *de Fide ad Petrum*, quem *S. Fulgentii* esse compertum est: et ex libro *de Ecclesiasticis Dogmatibus*, qui est *Gennadii* Massiliensis. *Colon.*

(*d*) Ex *Echard.* in *Script. Ord. Præd.* ad a. 1549, p. 135. *Colon.* Sed ed. a. 1535, quæ apud eosdem notatur, falsa est; nam *Piscatorii Epitome* primum a. 1537. lucem aspexit.

(*e*) Ex *Lipen.* Bibl. Theol. I, 118.

(*f*) *Bibl. Napol.* p. 157.

*David. Lenfant* Parisiensis ord. Præd. *Concordantiæ Augustinianæ, sive collectio omnium sententiarum, quæ sparsim reperiuntur in omnibus S. Augustini Operibus ad instar Concordantiarum Sacræ Scripturæ* Tom. I, Paris, 1656, in-fol.; II, 1665.

Ejusdem *Biblia Augustiniana*, sive *collectio et explicatio omnium locorum Sacræ Scripturæ, quæ sparsim reperiuntur in omnibus S. Augustini Operibus, ordine Biblico.* Paris, 1661, 1670, tomis II.

*Albertus*, Dux Luinens's (*de Luines*) Parisiis demortuus d. 10. Oct. a. 1690. æt. 69, edidit *Sententias* et *Instructiones ex S. Augustino excerptas.* Parisiis 1677. Hæc *Colonienses* p. 214.

Hactenus omnino de Augustino dictum esto.

# VARIORUM * EXERCITATIONES

IN

# S. AUGUSTINI OPERA.

## IN TOMUM PRIMUM.

### DESIDERII ERASMI CENSURA

IN LIBROS RETRACTATIONUM ET CONFESSIONUM.

Erit fortasse qui miretur cur his duobus operibus primum dederimus locum. Is rationem accipiat: Duæ res sunt quæ vehementer et accendunt ad lectionem, et conducunt ad intellectum voluminis, vita auctoris cognita et operis non ignotum argumentum. Plurimum enim refert, quam existimationem, quem animum afferas ad legendum: nec facile dictu sit quantum in judicando momenti habeat præsumpta de homine opinio. Frequenter exosculamur dictum ab eo profectum quem amamus, de quo magnifice sentimus, consputuri si ab alio quem odimus venisse crederetur. Utramque commoditatem vir sanctus juxta ac prudens Augustinus his duabus lucubrationibus nobis procuravit. Libris Retractationum omnium operum suorum argumenta contexuit, et Confessionum libris vitam omnem suam depinxit, quorum utrumque tam diligenter ab illo factum est, ut iniquior aliquis suspicari possit non prorsus abfuisse humanum affectum κενοδοξίᾳ seu φιλαυτίᾳ cuipiam affinem. Verum res longe secus habet, si qui optimi viri consilium expendat. Olim solemne erat præstantium virorum gesta libris et orationibus celebrare. Hoc exemplum a militia ad studia, a Græcis ad Latinos et barbaros, a ducibus ac philosophis ad episcopos demanavit. Perspiciens itaque frequenter in historiis hujusmodi multum falsitatis inveniri, sive immodico studio, sive errore scriptoris, sive etiam inopia fidei ac laudis amore, maluit ipse sui historiographus esse: nimirum, sibi conscius quam non assentaretur sibi, deinde probe cognitum habens se nulli mortalium notiorem esse posse quam esset sibi. Nam, ut omittam animorum abstrusos sinus, quos quisque suos novit, nec quilibet tamen pernovit, quotam vitæ portionem noverunt qui nobis arctissima familiaritate juncti sunt! Porro famæ quanta levitas, quanta vanitas? Ad hoc quantum humanæ memoriæ perfluvium? Cum duo rem aut orationem eamdem, cui pariter interfuerunt, referunt, quanta narrationis diversitas? Jam quid istos memorem qui fabulis impudenter vanis et confictis miraculis memoriam eorum quibus favent, student vulgo commendare, nonnunquam ea laudantes quæ laudatus nec fecit, nec probavit? Et arbitror fuisse qui pium existimarint hujusmodi fucis animos ad religionis studium accendere. Ego pestilens hoc rabularum genus inter Christianos semper sum exsecratus, qui neque sciunt veram pietatis imaginem adumbrare, quod nemo novit nisi vere pius, quales si essent illi, nunquam talibus mendaciis fallerent discipulos illius qui veritas est, et hujusmodi technis hoc efficiunt ut nec vera narrantibus habeatur fides. Horum ne quid accidere posset, Augustinus suo penicillo seipsum nobis depinxit, idque ut majore cum fide faceret, nec mala sua reticuit, nec hominibus ista loquitur, sed Deo confitetur, cui mentiri nec pium

* De his auctoribus lectorem monitum volumus, non omnes pari orthodoxiæ laude commendari. Nemini enim non notum est, Erasmum Roterodamum necnon et Phereponum, seu potius Joannem Clericum (le Clerc) sub hoc fictitio nomine latentem, in multis heterodoxiæ reos a viris catholicis haberi. Verumtamen, cum satis multæ illorum in S. Augustinum annotationes non mediocris sint momenti, has reticere noluimus, propter locos aliquot non penitus irreprehensos aut etiam erroneos, a quibus studiosus quisque facile præcavere poterit. Cæterum quis nesciat quædam hæresiarcharum et paganorum opera studiose sæpius fuisse collecta, tum ne si quid intermisceretur boni, deperderetur, tum etiam ut quod errorem sapiebat novum historiæ ecclesiasticæ suppeditaret monumentum. Hujus rei testes sunt scholiastæ, commentatores collectoresque duorum quæ præcessere sæculorum, atque in primis Benedictini, quibus, heterodoxorum omnis generis, v. g., Celsi, Porphyrii, Juliani, Pelagii et aliorum erramenta suis editionibus quasi suscitasse, a nemine unquam vitio versum est. EDIT.

est, nec tutum. Jam in voluminibus quanta fuerit inscriptionum vel impostura vel infelicitas reputans, dum vel incuria multæ celebrium scriptorum lucubrationes intercidunt, vel inscitia studiove fraudatis auctoribus in alienum nomen plagio transferuntur, vel sub gratioso piorum hominum titulo supposititii nugonum, ne dicam hæreticorum libelli sparguntur in vulgus, libris Retractationum his malis occurrit tanta cura, ut singulorum operum et titulos et tempora et argumenta et occasiones et initia notarit, adeo nihil prætermittens, ut nec ea quæ prælusit catechumenus, quæ vix orsus fuerat, quæ non agnoscebat, denique nec psalmum vulgari rhythmo scriptum in Donati factionem præterierit. Patiar ut hanc diligentiam reprehendas, si prius supputaris quantum egregiorum voluminum nobis aliorum indiligentia perierit, quantum næniarum mendacibus titulis obtrusum sit orbi Christiano. Atque utinam pari diligentia quod cœperat absolvisset! Recognovit enim quidquid aliquo pacto libri nomen meretur. Supererant epistolæ et tractatus, quas ipse testatur ab aliis homilias vocari, hos dividit bifariam, in dictatos, et dictos ad populum. Quædam enim sic dicebantur, ut ex consensu dicentis ad preces amicorum a notariis exciperentur quæ dicebantur. Idem nonnunquam fiebat et apud populum, velut in actis solemnibus. Quanquam id temporis fere notariorum celeritas excipiebat quidquid publicitus apud multitudinem dicebatur. Quod quidem ut ubique facere molestum sit, ita in seriis disputationibus aut concionibus facere vehementer conducibile fuerit. Nunc quidem apud multitudinem quamlibet frequentem dicunt quidquid animo collubitum fuerit : cum urgentur, dejerant se nihil ejusmodi dixisse : ex adverso nonnullis exhibetur negotium, quasi dixerint quod non dixerunt. Ilic si quis citet testem populum, bellua multorum est capitum, ut ait ille : scriptura manens certius litem dirimit. Recognita certum habent parentem. De epistolis et tractatibus aliunde sumendum est judicium. Neque tamen protinus adulterinum haberi debet quidquid in catalogo non recensetur, cum nec epistola sit nec homilia. Quanquam enim senex hoc opus accuravit, tamen certum est illum postea quædam dedisse in hunc ordinem accersenda, veluti librum de Hæresibus ad Quodvultdeum. Aliis igitur argumentis docendum est quædam esse ambigui partus, quædam certo notha. Porro libri Confessionum non solum huc conducunt, ut avidius legamus illius scripta, cujus et sincerissimam erga Deum pietatem et flagrantissimam erga proximum caritatem cognovimus ; verum habent et aliam utilitatem, eamque geminam. Altera est, qua hinc cognitis personis rectius intelligimus dialogos illius et epistolas ; altera, qua qui familiariter noverant ingenium, sensum ac dictionem hominis, multis non offendantur quibus graviter erant offendendi, si hæc ignorarent : id esse verissimum alunde docet vitæ communis experientia. Quosdam natura tristiores, parum amicos crederes, ni perspectum haberes ingenium. Alios blandiores ve. adulari vel ridere credas ; rursus alios occulta naturæ vi proclives ad jocandum, parum graves arbitrere, ni propius ac domestice nosses. Nec dubito quin hoc multis usu veniat eorum qui recens ad Augustinianorum voluminum lectionem velut in colloquium illius veniunt. Offendit species quædam loquacitatis, offendunt in longum productæ periodi, ostendit oratio nonnunquam ad popularem sermonem degenerans, offendit earumdem rerum crebra repetitio ; dicas alicubi quiddam esse subinane, et affectum hominis sibi plus æquo placentis. Cæterum ubi diutina lectione factus sis familiarior, sermonis copiam et eadem subinde iterata facile excusat docendi studium, et quod docuit penitus animis hominum infigendi : circuitus proliores quibus comes esse solet obscuritas, arguunt admirandam memoriæ felicitatem et ut ingenio fecundissimo plurima sese confertim offerunt, multa paucis complectendi studium : dictionis humilitatem excusat caritas, οὐχ ὑψηλοφρονοῦσα, ἀλλὰ τοῖς ταπεινοῖς συναπαγομένη. Paulinis enim verbis libenter utimur. Quemadmodum autem erat alienarum virtutum candidissimus æstimator, ita mire φιλόστοργος fuisse videtur erga cognatos et amicos, quod ipsum eximiæ cujusdam humanitatis indicium est. Suas vero dotes nec ignoravit ob stultitiam, nec odit ob putiditatem. Verum hactenus, ut ea res nihil officiat hominis insigni modestiæ. Non aliter amat, non aliter prædicat in se dona Dei, quam amaret ac prædicaret in aliis : « Ignorare tua bona, stupiditatis est ; non prædicare Domini benignitatem, ingratitudinis est ; non expendere in utilitatem proximi quod acceperis, impietas est ; non gaudere de fructu fraterno quem Dominus per te contulit, impii simul et ingrati livoris est. Quomodo depremes talentum in usuram si non agnoscas quod tibi traditum sit ? Quomodo possis inde tollere cristas, quod intelligas totum esse gratuitæ Dei benignitatis ? Quoties autem divina bonitas te velut organo dignatur uti, ad juvandos alios, non habes quod insolescas, sed habes unde gratulere fratribus, unde gratias agas Deo, tuo pariter et illorum nomine. » Sic amavit, sic prædicavit suas dotes vir sanctissimus. Quanquam in iis libris quos scripsit catechumenus, deprehendas nonnihil humanæ gloriæ, quem affectum minime malum generosissimis quibusque ingeniis petissimum videmus insitum esse. Non enim excusare conabor quod ipse putavit accusandum, dicens eos libros quos scripsit rudis adhuc ac velut infans in philosophia Christiana, ita servisse Christo, ut adhuc resiperent scholam superbiæ, magisque spirarent Platonis dogmata, quam divinarum Scripturarum mysteria. Habet Africa suum quoddam ingenium, et habebat omnino quiddam suæ gentis Augustinus, nisi Christus illum in alium virum transformasset. Porro Confessionum libri quos et otiosus et otiosis scripsisse videtur, habent quiddam peculiaris molestiæ. Primum in hoc quod multa de seipso commemorat, partim minutiora, quam ut ea severiore prædirus ingenio commemoranda putaret, par-

tim ad gloriæ speciem accedentia. Quid autem fastidiosius quam humani livor ingenii, si quis quid quamlibet modeste de seipso prædicet? Ad hæc, dum de rebus humilioribus, ne dicam sordidioribus, velut de infantia, de ephebia, de affectu libidinis, deque similibus verba faciens, studet iis quæ dicuntur orationis honorem addere, veluti pudorem sententiarum hoc velo tegens, fit hac occasione nonnunquam obscurior. Verum hæc tædiola si devoraris, reliqua cum majore tum fructu, tum voluptate perleges.

## ANIMADVERSIONES *

### IN LIBROS RETRACTATIONUM.

Prol. § 1. *Tractatibus.*] Hoc est *sermonibus* seu concionibus, quibus populo Scripturam interpretatus est : nam *tractare*, eo ævo, erat concionari, et *tractatores* dicebantur Scripturæ interpretes. Quarum vocum non rara sunt apud *Cyprianum* exempla.

Ibid. *Denotem.* ] Id est gravi improbantis *nota* inuram, ut censoris erat mores malorum *notare*. Frequenter ea notione apud Tertullianum verbum hoc occurrit, ut initio lib. de Pallio, *habitus denotare*. Vide indicem Glossarum Tertulliani.

§ 2. *Absit ut multiloquium deputem*, etc.] Expressit Augustinus hæc Philemonis comici, quæ et alii imitati sunt.

> Τὸν μὴ λέγοντα τῶν δεόντων μηδὲ ἓν
> Μακρὸν νόμιζε, κἂν δύ' εἴπῃ συλλαβάς.
> Τὸν δ' εὖ λέγοντα, μὴ νόμιζ' εἶναι μακρόν,
> Μηδ' ἂν σφόδρ' εἴπῃ πολλὰ, καὶ πολὺν χρόνον.
> Τεκμήριον δὲ τοῦδε τὸν Ὅμηρον λάβε·
> Οὗτος γὰρ ἡμῖν μυριάδας ἐπῶν γράφει,
> Ἀλλ' οὐδὲ εἷς Ὅμηρον εἴρηκε μακρόν.

*Longum censeto dicentem nihil eorum quæ dici debent, vel si duas dixerit syllabas. Bene vero dicentem ne existimato longum esse, ne si multa quidem dixerit et multo tempore. Argumentum certum hujus rei ex Homero accipe. Hic enim nobis multas myriadas versuum scribit; at nemo Homerum dixit longum.* Exstat locus tit. 36 Florilegii Joan. Stobæi. Vide et epist. 20 lib. I Plinii.

Libro I. Cap. 1, § 2. *Cujus ratio et causa secreta est.*] Si hæc tantum *casui* tribuerentur et dicerentur *fortuita*, essent hæc duntaxat nomina quibus ignorantiam nostram velaremus. Sed *fortuita* etiam recte dicantur, quæ scholastico sermone vocantur *contingentia*, hoc est quæ non evenire et evenire æque possunt : qualia sunt quæ pendent a libertate naturarum intelligentium, quæ interdum ut velint nulla, non modo necessitate, sed ne ratione quidem aut affectu ullo, vel certe ineluctabili adducuntur. Quanquam hæc quoque pendent a divina providentia, qua inscia aut invita nihil contingit; et quæ mutationem quamvis rebus omnibus potest afferre. Igitur cum nulla sit necessaria causa cur nonnulla velimus, illa ideo *fortuita* dici possint; non vero duntaxat quia eorum *causa et ratio secreta est*. Verum hic locus non est hac de re agendi.

Ibid., § 3. *Amorem pulchritudinis.*] Φιλοκαλία duo significat, elegantiæ quidem atque munditiarum amorem, in rebus corporeis; studium vero rerum honestarum, ubi sermo de rebus ad animum pertinentibus. Docebunt hæc quævis lexica. Ideoque minus commode vertas *amorem pulchritudinis*, quibus verbis significatur tantum amor formosorum puerorum, aut formosarum mulierum. Fateor φίλον esse *amicum* et καλὸν *pulchrum*, æque ac *elegantem* aut *honestum*. Sed ex usu, non ex etymologia sunt explicanda verba. Interea merito damnat suam philocaliam Augustinus, quia sumitur illic pro amore munditiarum. Vide lib. II contra Academicos, cap. 2. Si vero philocaliam vocasset amorem rerum honestarum, non esset cur nomen hoc damnaret, quasi idem significaret ac philosophia; nam quævis philocalia non est philosophia, si hoc vocabulum ex usu recepto interpretemur. Certe Basilius Cæsariensis et Gregorius Nazianzenus non vocassent philosophiam, nisi improprie, excerpta ex Origene quibus philocaliæ titulum fecerunt.

Ibid., § 4. *Laus quoque ipsa*, etc.] Retractasset ergo quod de Academicis dixit initio epist. 1, si epistolas suas recensuisset. Sed et hoc obiter tangit Confessionum lib. IX, cap. 4, num. 7.

Cap. 3. *Bene viventes facillime exaudiet.*] Si vocibus *bene viventes* intellexisset Augustinus peccati omnis immunes, eosque solos a Deo exaudiri dixisset, sine dubio graviter errasset; sed si intellexerit eos *qui optimis moribus operam dant*, hoc est qui Dei timentes sunt, et conantur in dies meliores fieri, quanquam subinde peccant, infirmitate non nequitia, nescio quare retractaverit hunc locum. Nam certum est impios, in sua impietate manentes, a Deo minime exaudiri. Vide interpretes ad Joan. IX, 31, et Jac. IV, 3.

Cap. 7, § 6. *Nemo fere de scarabæis dubitat*, etc.] Recte hac de re multi dubitabant, quam nunc pernegant accuratissimi physici. Vide Franc. Redum de Insectis. Nec minoris potentiæ ac sapientiæ est efficere culicem quam camelum.

Cap. 10, § 2. *Quod omnes homines possunt, si velint.*] Necesse erat hanc locutionem explicari ab Augustino; quia solet ita vulgo intelligi, ut statuantur ii de quibus ita loquimur *posse velle*. Quis enim non horreret, si quem audiret dicentem, *Christus homo potest, si velit, a Patre suo deficere?* Nimirum, ea locutione statui solet, posse fieri ut velit is de quo sermo est.

Cap. 13, § 3. *Res ipsa quæ nunc dicitur Christiana religio erat apud antiquos.*] Hæc intelligenda sunt ex iis quæ dicuntur cap. 21, num. 2. Alioqui minus vera essent quam quæ retractantur.

Ibid., § 6. *Vendentes et ementes flagellando ejecit de templo.*] Non videtur tamen proprie hæc *vis* potuisse dici, qua vires mercatorum victæ sint. Auctoritati potius propheticæ cesserunt, quam vi qua

* In hac Animadversionum collectione, Pherepono ascribendum est quidquid non est alio nomine signatum. Edit.

expulsi fuerint. Nimis severus censor fuit in se Augustinus, qui credidit propter hoc Christi factum, minus vere a se dictum fuisse Christum *nihil egisse vi, sed omnia suadendo et monendo.* Verum hæc eo spectabant, ut opinioni quam postea amplexus est, de persecutione licita, patrocinaretur; ut liquet ex epistolis ad Bonifacium et Vincentium. Qua in re δεύτεραι φροντίδες non fuere σοφώτεραι.

Cap. 17. *Competentibus.*] Hoc est catechumenis, qui *una petunt* baptismum, quam ob rem *competentes* dicuntur. Vide tomo VI librum de Fide et operibus, cap. 6; 11, 9.

Cap. 22, § 4. *In potestate hominis est mutare in melius voluntatem.*] Clarius, ex sententia quam propugnat Augustinus, dixisset *in potestate hominis, quem Deus gratia donat*, etc. Sed incautius locutus fuerat contra Manichæos, nam ut valeat ratiocinatio, ejus hic debet esse sensus: *Nisi* quisque *voluntatem mutaverit, bonum operari non potest, quod in nostra* (quorumvis nempe) *potestate esse positum alio loco docet*, etc. Atqui non quibusvis datam gratiam censuit postea.

Libro II. Cap. 13. *De frontibus codicis.*] Hoc est ex marginibus libri Jobi, quibus Augustinus hasce Adnotationes alleverat.

Cap. 20. *Unicuique secundum propriam voluntatem in ore sapiebat.*] Recte quidem fecit Augustinus, cum rem incertissimam retractavit; sed tamen hæc fuit Judæorum vulgaris opinio, ut multis eorum testimoniis ostendit Joan. Buxtorfius, in Exercitatione de Manna.

Cap. 32. *Porphyrium Siculum.*] Porphyrius fuit Tyrius, non Siculus; sed Siculus a nonnullis creditus, quod diu vixerit in Sicilia, in qua etiam libros contra religionem Christianam edidit. Vide Lucam Holstenium in ejus Vita, subjecta operi de Abstinentia animalium.

Cap. 37. *At carendo appellatas cerimonias.*] Aliæ sunt multo verisimiliores sententiæ, de origine hujus vocis, quas legere est in Etymologico G. J. Vossii. Sed quæcunque sit ejus origo, mirum est Augustinum ab ea abstinuisse voluisse, *quod non sit in usu Litterarum sanctarum*, hoc est interpretationis Latinæ Scripturæ; quot enim aliæ voces in ea non exstant, quibus tamen Christiani scriptores passim utuntur? Quot vocibus ipsum abstinere oportuisset in contentionibus cum Arianis et Pelagianis, si hanc suam legem observasset? Satis fuit res esse in Scriptura, quæ vere sic dici poterant. Itaque nimis severum censorem sui egit.

Cap. 55, § 2. *Cum haberet necessitatem bis in die ingredi sancta sanctorum.*] Duabus in rebus ab accuratissimis Mosis interpretibus, et ipsa veritate dissentit hic Augustinus. Alterum est quod credit suffitum quotidie bis oblatum fuisse in sanctissimo adyto, quod solet *sancta sanctorum* dici; cum fieret hoc duntaxat in sanctuario in quo erat altare thymiamatis, soleretque pontifex maximus semel duntaxat quotannis *sancta sanctorum* ingredi. Alterum vero quod suffitum quotidianum semper a pontifice maximo oblatum censeat, cum a quovis sacerdote posset offerri, ut vel exemplo Zachariæ patris Joannis Baptistæ constat. Fateor Exod. xxx, 7, munus suffitus offerendi tribui Aaroni; verum illic nomen Aaronis pro cujusvis sacerdotis nomine sumitur. Vide ad eum locum interpretes, et ad Lev. cap. xvi.

## ANIMADVERSIONES
### IN LIBROS CONFESSIONUM.

Libro I. Cap. 1. *Et laudare.*] Τὸ *et* perinde hic est ac *tamen*, ut sequens repetitio hujus membri orationis ostendit.

Ibid. *Ad te.*] Hoc est propter te, vel ut *ad te*, tanquam ad summæ beatitudinis unicam atque ultimam causam, contenderemus.

Cap. 4. *Stabilis et incomprehensibilis.*] Sunt incomprehensibilia nonnulla, propter summam instabilitatem, ut venti variabiles, quorum ratio ideo intelligi non potest; at Deus, quanquam semper idem est et absque ulla mutationis obumbratione, nihilo magis comprehendi potest. Ideo Augustinus cum *incomprehensibili* hic *stabilem* conjungit.

Cap. 5, § 5. *Moriar, ne moriar, ut eam videam.*] Scio hic posse quæri ὀξύμωρον, quale est illud animi beatitudinem sitientis: *morior, quia non morior;* attamen suspicarer sic locum interpungendum: *Noli abscondere a me faciem tuam. Moriarne? moriar ut eam videam.* Respicit nempe Augustinus ad historiam quæ exstat Exod. xxxiii, 17 et seqq., ubi Mosi *gloriam* vel *faciem Dei* videre cupienti hoc editur responsum: *Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo et vivet.* Igitur postquam a Deo petiit ne abscondat sibi faciem suam, illico subjicit, *moriarne?* si, nimirum, eam videam; remque secum reputans, tantique esse intelligens, ut propterea vitam amitteret, *moriar*, inquit, si ita tibi videtur, *ut eam videam.*

Cap. 7, § 11. *Me commemorat.*] Hoc est mihi in memoriam revocat; quo sensu, apud Augustinum, cum accusativo personæ conjungitur; at significatu narrandi construitur cum dativo. Sic Græci dicunt, ἀναμιμνήσκω σέ τινος, *commemoro te alicujus*, hoc est ejus tibi memoriam revoco. Igitur recte ex mss. hic restituerunt accusativum viri docti.

Cap. 20, § 18. *Terram*, etc.] *Terram* vocare videtur Augustinus naturam humanam corruptam, quæ nihil nisi terrestria spirat; *effigiem* vero imaginem Dei, per baptismum renovatam atque instauratam. Vide num. 21 sub finem.

Cap. 16. *Flumen*, etc.] Collatio depravatæ consuetudinis cum flumine frequens apud optimos quosque scriptores, etiam ethnicos. Hinc *brachia contra torrentem dirigere*, perinde est ac pravæ consuetudini adversari. Juvenalis sat. 4, 89.

> Ille igitur nunquam direxit brachia contra
> Torrentem.

Cap. 16, § 26. *Supra mercedem salaria.*] Hoc est præter minerval, a singulis pueris solvi solitum, privato ære, grammaticis publice constituta erant *salaria*,

seu stipendia ex publica pecunia solvenda. Aut forte a mercede pecuniaria distinguitur *salarium*, ut hac voce significentur sal publice præbitum, carnes, vinum, oleum, etc. Sic in epistola Valeriani, quæ legitur in Vita Probi, a Flavio Vopisco conscripta, memoratis vestibus et pecunia quas præfectus prætorio jubebatur dare Probo : *Item in salario diurno, bubulæ pondo, porcinæ pondo sex, caprinæ pondo decem, gallinaceum per biduum, olei per biduum sextarium unum, vini veteris diurnos sextarios decem, cum larido bubalino; salis, olerum, lignorum quantum satis est.* Vide ad hunc locum Intt. et ad Vitam Clodii Albini sub finem, ubi *stipendium a salario* etiam distinguitur. Sic et in Cod. lib. x, tit. 52, de Professoribus et Medicis, Constantinus jubet eis *mercedes et salaria reddi, quo facilius liberalibus studiis multos instituant.* B

Ibid., § 26. *Vinum erroris, quod nobis propinabatur ab ebriis doctoribus.*] Quamvis non ignorem *vinum iniquitatis* et *compunctionis* in Scriptura memorari, attamen crediderim hic respicere Augustinum ad Cebetis, Platonici celeberrimi, Tabulam, in qua Ἀπάτη, seu *Impostura* inducitur pueros omnes in vitam ingredientes ποτίζουσα τῇ ἑαυτῆς δυνάμει, hoc est, ποτηρίῳ πλάνης, *poculo erroris*. Vide ejus initium.

Cap. 18, § 29. *Scripta conscientiæ.*] Respicit Augustinus ad Rom. II, 15, ubi dicuntur ethnici *ostendere opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum*, etc.

Cap. 20, § 31. *Secretissimæ unitatis*, etc.] Hoc est Dei, cujus voluntas est veluti secretissimum vinculum, quo universi unitas sarta ac tecta conservatur. C Vide lib. IV de Genes. ad litteram, cap. 12, ubi agit de conservatione rerum omnium. Cæterum Platonici ἑνάδα et μονάδα passim Deum vocitant. Adi Procli Theologiam Platonicam.

Libro II. Cap. 2. *Obsurdueram.*] Qui ediderant *obsorduerat* credebant *o* et *u* hic esse mista, ut in voce *jocundus* pro *jucundo*. Respicere autem videtur Augustinus ad id quod fertur de catarractis Nili, ubi *Nilus præcipitans se fragore auditum accolis aufert*, ut loquitur Plinius Hist. nat. lib. VI, cap. 29.

Cap. 6, § 14. *Potuitne libere quod non licebat*, etc.] Ovidius nequitiæ magister affirmat, nec falso, Amor. lib. II, el. 19 :

> Quod licet ingratum est, quod non licet acrius urit;
> Quod sequitur fugio, quod fugit usque sequor.

Et lib. III, el. 3 :

> Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata,
> Sic interdictis imminet æger aquis.

Nempe, nullam rationem legum habere, sed ita nos gerere, quasi iis soluti essemus, nescio quid amplum ac magnificum videtur humanæ superbiæ.

Lib. III. Cap. 3, § 6. *Eversores.*] Videntur ita dicti petulantiores juvenes, qui scholas rhetorum, a quibus non docebantur, irrumpentes omnia illic evertebant, ludibrioque habebant magistros. Ejus nequitiæ meminit iterum Augustinus lib. de Vera Rel., Cap 40, num. 75. De petulantia vero juventutis Carthaginiensis, vide quæ habet infra lib. V, cap. 8, quæ confer cum cap. 12.

Cap. 6, § 21, *Quinque antra tenebrarum*, etc.] Deliramenta hæc Manichæorum copiosius exponit et confutat Augustinus in lib. contra Epist. Manichæi, cap. 15. qui liber est tom. VIII.

Cap. 7, § 13. *Nunquid justitia varia est et mutabilis*, etc.] Hæc accuratius excussit Augustinus, in libris contra Manichæos, qui adeundi ab iis qui responsum hoc probe intelligere cupiunt. Collecti sunt ii libri in unum corpus, tom. VIII.

Libro IV. Cap. 3, § 5. *De paginis poetæ cujuspiam* etc.] Consulturi deos de eventu consilii cujuspiam, interdum in eorum templis, aut privatim aperiebant volumen celebrioris poetæ, ut Homeri, vel Virgilii; et primum versum, qui occurrebat, responsum deorum putabant. Vide Intt. ad Vitam Adriani a Spartiano conscriptam, non procul ab initio. Christiani etiam, simili ratione, Scriptura sacra abutebantur, ut videbimus lib. VIII, cap. 12 hujusce Operis.

Cap. 5. *An fletus res amara est*, etc.] Delectamur tristitia et luctu, ut cæteris omnibus affectibus, quibus libenter indulgemus, ægre obsistimus; quia ut eos vincamus, vis inferenda est perturbationi animi et corporis. Minuitur etiam sensim tristitia, dum eam libere in lamenta et lacrymas effundimus. Verba sunt Euripidis in Œnomao, apud Stobæum Florileg. tit. 123.

> Ἀλλ' ἔστι γάρ δή καὶ ἐν κακοῖσιν ἡδονή
> Θνητοῖς ὀδυρμοί, δακρύων τ' ἐπιῤῥοαί.
> Ἀλγηδόνας δὲ ταῦτα κουφίζει φρενῶν,
> Καὶ καρδίας ἔλυσε τοὺς ἄγαν πόνους.

*Verum in malis voluptati sunt hominibus, lamenta et defluxus lacrymarum. Hæc levant tristitiam animi, et nimiis doloribus cor liberant.* Alia sunt ibidem et alibi in eamdem sententiam.

Cap. 7. *Diligere homines humaniter.*] Hoc est, eo amoris modo, qui rebus perituris tribui potest. Sic et Græci usi sunt voce ἀνθρωπίνως, et quidem in re simili Menander apud Stobæum Floril. tit. 125.

> Ἀνθρωπίνως χρὴ τὰς τύχας φέρειν, ξένε·
> Τὰ κοινὰ κοινῶς δεῖ φέρειν συμπτώματα.

*Humane oportet calamitates ferre, o hospes, communia par est tolerare communiter.*

Cap. 12, § 18. *Ecce ubi est, ubi sapit veritas.*] Si D ita legas, sic videtur interpungendum, *Ecce ubi est? ubi sapit veritas.* At forte melius legamus, *Ecce ubi est, ibi sapit veritas*; hoc est ejus animi palato, ut ita dicam, sapida est veritas, cui Deus adest.

Cap. 14, § 21. *Hierium.*] Estne Fl. Hierius, qui anno Christi 427 cum Fl. Ardaburio consul fuit? Certe interdum viris eruditis collata ea dignitas, propter solam eruditionem, ut Ausonio poetæ, aliisque. Non puto tamen, propter alias viri dignitates quas vide apud Jacobum Gothofredum in prosopographia codicis Theodosiani.

Ibid. § 23. *Ob os contemplationis.*] Si hæc vera est lectio, perinde est ac *ob oculos mentis.*

Libro V. Cap. 9, § 16, *In cruce phantasmatis.*]

Hoc est in cruce e qua pependisse phantasma, non Christum ipsum, credebant Manichæi. Vide quæ contra hoc dogma habet Augustinus tom. VIII, aut, si paucioribus rem descriptam cupias, libellum ejus de Hæresibus, ad hæresin Manichæorum.

Cap. 10, § 18. *Quos electos vocant.* ] Hi apud eos veluti primariæ virtutis, aut commentis ejus sectæ addictissimi erant; minus perfecti dicebantur *auditores. Nam*, ut verbis utar Augustini ex memorato libello, *his duabus profectionibus, hoc est, electorum et auditorum, Ecclesiam suam constare voluerunt.*

Ibid. § 20. *Nisi carni concernentur.*] Qui voce *concerni* pro misceri primi usi sunt, videntur voluisse exprimere vocem Græcam συγκιρνᾶσθαι, quæ idem significat, nec sono a Latina abludit.

Cap. 13. *Dilexit.* ] Crediderim legendum *direxit*, hoc est peregrinum episcopalibus consiliis adjuvit.

Cap. 14, § 24. *Cum ad litteram acciperem, occidebar*, etc. ] Augustinus in declamando probabilia sequi, non explorata solitus, similibus ratiocinationibus in interpretatione Scripturæ satisfieri sibi passus est. Nam alioqui constat Ambrosium plus æquo allegoriis deditum fuisse.

Ibid., § 25. *Sicut existimantur.*] Vide quæ de vera Academicorum sententia suspicabatur Augustinus lib. III de Academicis, cap. 17.

Libro VI. Cap. 2. *Quo jam non solum aquatissimo sed etiam tepidissimo, cum suis præsentibus per sorbitiones exiguas partiretur.*] Conjiciunt in margine viri docti, *quod non solum aquatissimum, sed etiam tepidissimum.* Sed minore mutatione sanabitur hic locus si legamus *potaretur*; ut suadent etiam sequentia : *quia pietatem ibi quærebat, non voluptatem.*

Cap. 3, § 3. *Quolibet tamen animo*, etc.] Si alloqueretur homines, qui cuperent scire qua ratione vitam instituisset Ambrosius, superior narratiuncula forte non displicuisset; sed Deo minuta illa, qualia passim occurrunt, narrare, nescio quomodo decorum putaverit Augustinus. Sed magis hominum causa hæc narrabat, quam Dei; at præstitisset amicum alloqui, quam Deum.

Cap. 8. *Gladiatorii spectaculi.*] Nefandi hi ludi, a sapientibus etiam ethnicis damnati, facti etiamnum videntur in gratiam ethnicæ plebis. Sed mirum est episcopos non impetrare potuisse ab imperatoribus, ut dira illa consuetudo abrogaretur.

Cap. 9, § 14. *Æditimi fori.*] *Æditimus* idem est ac *edituus*, nempe, νεωκόρος, sed hic sumi videtur pro apparitoribus, qui custodiæ causa in foro versabantur, aut pro iis qui curiam servabant.

Cap. 10, § 16. *Comiti largitionum Italicianarum.*] Sic loquebantur eo ævo. Vide codicem Theodosianum, lib. VI, tit. 19, leg. de Consularibus et Præsidibus.

Cap. 13. *Discernere se, nescio quo sapore, quem verbis explicare non poterat, quid interesset inter revelantem te et animam suam somniantem.*] Itaque Monnica sibi suas, ut opinabatur, revelationes servare debebat, quarum discrimen a somniis dicere non poterat. Quam facile est homines imperitos, religionis specie, in talibus aberrare! Ad eventum somniorum quod attinet, idem dixeris quod de Genethliacorum prædictionibus, interdum non vanis, dixit Augustinus lib. VII, § 8. Sed honorificum erat Monnicæ filio, ipsius conversionem fuisse somniis θεοπέμπτοις præsignificatam; quod tamen alii pudentius commemorassent.

Cap. 16. *Versa et reversa in tergum, et in latera, et in ventrem et dura sunt omnia.*] Metaphora desumpta ex ægro, vel insomnia laboranti, qui in lecto se jactat, et quamcunque in partem se vertat duram culcitam experitur. Sic animus anxius, dum quærit veritatem in qua conquiescat, nec eam invenit, omnia fastidit quasi noxia.

Libro VII. Cap. 6, § 9. *Dealbatiores vias.*] Viæ muntæ opere publico, quadrato lapide, calce interlito, stratæ erant, quæ cum reficiebantur, nova calce hiantibus lapidum rimis immissa, dealbatæ videbantur; quamobrem *dealbatiores viæ* dici vulgo poterant, quæ diligentius curabantur, ac proinde commodiores erant. Hinc translata videtur hæc metaphora. Vide, si vacat, Nicolaum Bergierium, de publicis et militaribus imperii Romani Viis, lib. II, cap. 18.

Cap. 9, § 13. *Ibi legi quod in principio erat Verbum*, etc.] Similitudine verborum aliquot et sententiarum deceptus Augustinus, ut et multi Græci scriptores, cum doctrina Christiana miscuit Platonismum, qui merus erat, hac in parte. Arianismus; ut ostendit Joan. Clericus epist. critic. 7 et 8. Fortasse intelligit hic Augustinus Plotini opera, quem vehementer laudat lib. III contra Academicos, num. 41, et de Civitate Dei lib. IX, cap. 10.

Ibid., § 15. *Legebam ibi etiam immutatam gloriam*, etc.] Quamvis de summi Numinis natura rectius sentirent Platonici, quam alii philosophi, miscebant tamen idololatriam turpissimam iis dogmatibus, erantque infensissimi hostes Christianorum, ut liquet vel ex Porphyrio, Jamblicho et aliis, qui sub imperatoribus Christianis floruerunt.

Libro VIII. Cap. 2, § 3. *Victorinus quondam rhetor urbis Romæ.*] *Victorinus*, inquit Hieronymus in lib. de Scriptoribus ecclesiasticis, *natione Afer, Romæ sub Constantino principe rhetoricam docuit; et in extrema senectute Christi se tradens fidei scripsit adversus Arium libros, more dialectico, valde obscuros, qui ab eruditis modo intelliguntur, et commentarios in Apostolum.* Eum in præfat. Comment. in Epist. ad Galatas *C. Marium Victorinum* vocat, aitque eum *Scripturas omnino sanctas ignorasse.* Sed rhetorica, ut ita dicam, ingenia, ob loquendi facultatem, putant se scire omnia de quibus, plebe plaudente, loqui possunt.

Ibid. *Omnigenum deum monstra*, etc.] Respicit ad Virgilii locum Æneid. VIII, 698, ubi Ægyptios deos, pro Antonio et Cleopatra contra Augustum ad Actium pugnantes, describit poeta :

> Omnigenumque deum monstra et latrator Anubis
> Contra Neptunum et Venerem, contraque Minervam,
> Tela tenent.

An ex decori legibus talia apud Deum dici possint nescio, quamvis a pugnante cum ethnicis recte proferri potuerint.

Ibid., § 5. *Quæ verbis certis conceptis retentisque*, etc.] Symbolum quod apostolicum dicebatur, aut simile quidpiam.

Cap. 3, § 6. *Pater plus gaudes.*] Deus *gaudere* et *plus gaudere*, nunquam alter, nisi ἀνθρωποπαθῶς dicitur a Christo hominum imbecillitati sese attemperante. Nec potest hoc urgeri aut inquiri cur Deus magis gaudeat. Cæterum, ut ad grammatica transeam, non intelligo cur in sequentibus verbis viri docti *pœnitentem* et *pœnitentiam*, ut et alibi, scribant per *œ*, cum constet esse a nomine *pœna*, quod a Græco ποινή. Quod non observarem, nisi viderem eos harum minutiarum curam non abjecisse, cum orthographiam priorum editionum passim emendent, prout putant rectius esse. Sic vocem *jucundus* scribunt perpetuo *jocundus*, quasi esset a *joco*, non a *juvo;* sed *o* et *u* frequenter miscebantur a veteribus Latinis. Vide Quintilianum Institut. orator. lib. I, cap. 4, et Vossium in Etymologico, ad hanc vocem.

Cap. 4. *Cum Paulus proconsul per ejus militiam*, etc.] Inquirant alii, an deceret narrare Deo historiolas, et quidem de quarum veritate minime constabat; qualis hæc erat de ratione cur Paulus dictus fuerit, qui patria lingua *Saulus* erat appellatus; quam multi doctissimi viri falsam esse putant. Meram esse conjecturam, *quam nulla scriptura memorat*, ingenue fatetur Hieronymus ad Epistolam ad Philemonem.

Ibid. *Quanto igitur gratius cogitabatur Victorini pectus.*] Nolim vocem *gratius* notare accentu, quasi sit adverbium, ut fecit editor Parisinus. Est enim nomen adjectivum, hac sententia : Quanto Victorini ingenium gratius atque acceptius futurum Ecclesiæ cogitabatur : tanto abundantius exsultare oportuit filios tuos.

Cap. 5, § 10. *Ex perversa voluntate facta est libido; et dum servitur libidini, facta est consuetudo; et dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas.*] Optime describit quibus gradibus vitium obrepat, atque augeatur. Sed iisdem paulatim imminui potest, *necessarium* enim hic dicitur difficile victu, nec ulla est ante peccandi consuetudinem necessitas delinquendi. Vide et finem § 12.

Ibid., § 11. *Pugnatior.*] Legendum *pugnacior*, ut in Basileensi, nam est a *pugnare;* aut *pugnantior*, si forte ita habent mss. codices.

Cap. 6, § 15. *Agentes in rebus.*] Hi erant principis nuntii per provincias, negotiorum causa, de quibus vide Guidonem Pancirollum ad Notitiam dignitatum Orientis, cap. 65.

Cap. VII, § 18. *Humerisque liberioribus pennas recipiunt.*] Hæc Augustinus ex Platonismo suo. Plato enim in Phædro docet ὅτι ψυχὴ τελέα μὲν οὖσα καὶ ἐπτερωμένη μετεωροπολεῖ τε καὶ ἅπαντα τὸν κόσμον διοικεῖ, ἡδὲ πτεροῤῥυήσασα φέρεται ἕως ἂν στερεοῦ τινος ἀντιλάβηται, *animam perfecta dum est et alata, in sublimi volare, et universum mundum administrare; cui vero alæ defluxerint, eam ferri donec solidum quidpiam arripuerit.* Non multo post pag. 345 ed. Gen. Ficini : Εἰ τὸ γὰρ αὐτὸ, ὅθεν ἥκει ψυχὴ ἑκάστη, οὐ καθικνεῖται ἐτῶν μυρίων (οὐ γὰρ πτεροῦται πρὸ τοσούτου χρόνου) πλὴν ὁ τοῦ φιλοσοφήσαντος ἀδόλως, ἢ παιδεραστήσαντος μετὰ φιλοσοφίας, καὶ τὰ ἑξῆς : *In idem enim, unde profecta est, unaquæque anima non redit, decem millibus annorum (neque enim recuperat alas ante tantum tempus), excepta ejus qui philosophatus est sine fuco, aut cum sapientiæ studio pueros amavit.* Sic postea ejus discipuli vulgo locuti sunt, eosque imitati Christiani resipiscentiam vocarunt ἀναπτέρωσιν, seu *novarum alarum exortum*, ut hic Augustinus. Hinc et Chrysostomus usurpavit ἀναπτεροῦν, pro *incitare, impellere.* Vide Thesaurum Ecclesiast. Joan. Caspari Suiceri.

Cap. 8, § 19. *Pede post pedem.*] Vestigia mea proxime secutus, Græce κατὰ πόδα, quasi dixeris, singulis pedibus in antecedentis vestigiis posi is.

Cap. 12, § 28. *Cras et cras.*] In animo Augustino observabatur locus Persii sat. 5, 66, ubi sic describitur cunctator, qui reditum ab bonam mentem in dies differt.

> Cras hoc fiet; idem cras fiet; quid quasi magnum,
> Nempe, diem donas? Sed cum lux altera venit,
> Jam cras hesternum consumpsimus; ecce aliud cras
> Egerit hos annos, et semper paulum erit ultra.

Ibid., § 29. *Audio vocem*, etc.] Redolet hoc superstitionem ethnicam, ex fortuitis vocibus omina captantem; quod nemo paulo humanior ignorat. Si quis singulari providentia divina factum hoc putet, ita ut æstuanti Augustino editum cœlitus sit monitum; oportebit ut ostendat opus fuisse ejusmodi miraculo, quo Augustinus intelligere posset sibi legendam Scripturam sacram, ut ex ea resciret quid sibi agendum esset. Quod cum quotidie audiret a catholicis, cum in Ecclesia, tum alibi, non video cur confugiendum sit ad miraculum. Sed rhetor noster, quod cum pace ejus dictum sit, omnia exaggerat, quibus persuadere poterat non agi hic de homine vulgari, sed singulari vocatione divinitus ad Ecclesiam allecto; quæ tamen ex alius calamo rectius fluxissent.

Ibid. *Utrumnam solerent pueri*, etc.] Quasi vero necesse fuisset solas ludentium puerorum solemnes cantilenas audiri! Annon potuit ludens aliquis de projecta charta crebro hoc repetere? Oportuisset apud vicinos quærere quis eam vocem misisset, antequam non sine Deo missam judicaret.

Ibid. *Audiveram enim de Antonio.*] *Athanasius* in Vita Antonii, § 2, cujus verba brevitatis causa duntaxat ex Evagrii versione proferam : *Ad Ecclesiam, ut solebat, accurrens recordabatur quomodo et apostoli, omnibus spretis, secuti fuissent Salvatorem; et multi, in Actibus apostolorum, facultatibus suis venditis, pretia ad pedes eorum detulissent egentibus partienda, quæve aut quanta spes iis reposita esset in cœlis. Talia secum volvens intravit in ecclesiam et accidit ut tunc Evangelium legeretur, in quo Dominus dicit ad divitem :*

Si vis perfectus esse, vade et vende omnia tua, quæcunque habes et da pauperibus et veni, sequere me et habebis thesaurum in cœlis.

*Quo audito, quasi divinitus hujusmodi ante memoriam concepisset, et veluti propter se hæc esset Scriptura recitata, ad se dominicum traxit imperium, statimque egressus possessiones, quas habebat, vendidit.*

Ibid. *Arripui, aperui*, etc.] Hoc non multum aberat a sortibus Virgilianis, aut ab iis quibus ex Scriptura temere aperta futura quærebantur, quod damnat ipse Augustinus epist. 55 ad Januarium. An opus præterea erat temere aperire Scripturam, ut sciretur quod ne ethnici quidem honestiores ignorabant? Vide hac de re Ant. van Dale, virum eruditum, de Divinationibus idololatricis sub V. T. Cap. 4.

Libro ix. Cap. 2, § 3. *Ne in ima vergeremus*, etc.] Recte viri docti hanc lectionem prætulerunt alteri, *mergeremur*; solet enim verbum *vergere* ut et *devergere* dici de iis quæ pondere suo deprimuntur. Apuleius de Deo Socratis : *Quod si manifestum flagitat ratio debere propria animalia etiam in aere intelligi, superest ut quæ tandem et cujusmodi ea sint, disseramus. Igitur terrena nequaquam; devergunt enim pondere.* Vide, si opus est, alia exempla apud Nicolaum Heinsium, in notis ad Valerium Flaccum lib. i, vers. 289.

Cap. 3, § 6. *Quidquid illud est quod illo significatur sinu.*] Desumpta est locutio ex Luc. xvi, 22, ubi tamen *sinus Abrahami* non tam sedes beatas quam locum in illis insignem significat, ut recte animadvertit Hugo Grotius ad Lucam. Augustinus intellexit sedes quietas, qualescunque sint, in quibus animi piorum resurrectionem corporum exspectant. Lib. xii de Genesi ad litteram, § 63 : *Neque enim Abraham, vel ille pauper, in sinu ejus, hoc est in secreto quietis ejus, in doloribus erat.* Sermone 14 ad populum in vers. 14 psal. ix : *Contigit*, inquit, *mori inopem illum et auferri ab angelis. Quo?* In sinum Abrahæ, *id est in secretum ubi erat Abraham.* Vide, hac de re, eruditam dissertationem Ludovici Cappelli, quam inscripsit Νεκρῶν Βίον, inter opera ejus Amstelodami edita.

Cap. 7, § 16. *Antistiti tuo per visum aperuisti, quo loco laterent martyrum corpora Protasii et Gervasii*, etc.] Si hæc aliæque ejusmodi inventiones sanctorum cadaverum, non fuissent conjunctæ cum ingenti lucro ac emolumento eorum qui ea effoderunt, multi, qui callidorum hominum figmenta hæc credunt ad plebeculam in officio continendam, fidem eis non facile detraherent. Hæc inventio, exempli causa, non parum auxit existimationem auctoritatemque Ambrosii; quandoquidem ea Justinæ principis Arianæ *animus*, ut habet noster, *etsi ad credendi sanitatem non ampliatus, a persequendi tamen furore compressus est.* Duo præterea hic obiter observari possunt. Alterum est, Augustinum hic et de Civit. Dei lib. xxii, cap. 8, dicere *per visum* revelata esse hæc corpora Ambrosio, Ambrosium vero ipsum de hoc plane tacere ep. 22 A class. 1, ubi hanc inventionem narrat. Alterum est ita Ambrosium rem describere, ut narrationem suspectam reddat : *Invenimus*, inquit, *miræ magnitudinis viros duos, ut prisca ætas ferebat.* Quæ vero ætas? Heroicane, postquam homines decrescere cœperunt? *Nam genus hoc vivo jam decrescebat Homero.* An etiam tribus sæculis, quæ a Christo nato ad Constantini tempora fluxerunt, grandioris erant staturæ homines quam quarto aut quinto sæculo? An augustior erat statura martyrum quam aliorum, vel an major fiebat post mortem? Nemo, ut opinor, credet. Sed lege cætera, ubi torti diaboli, ope horum martyrum, Arianos opportunissime damnant; nec amplius miraberis esse qui stratagema hoc Ambrosianum fuisse censeant, quo plebem sibi devinciret, Justi- B namque et Arianos perterrefaceret, excogitatum.

Cap. 8, § 17. *Agens in rebus militaret.*] Vide dicta ad lib. viii, cap. 6, § 15.

Ibid., § 18. *Per homines præpositos.*] Hoc est, quos tibi *præponis*, ut post eos veluti lateas, ac per eos occulte agas. Nihil ergo mutandum. Cæterum hic Augustinus, vere, quod aiunt, fluctus in simpulo excitat.

Cap. 10, § 25. *Phantasiæ terræ*, etc.] Hoc est species omnium rerum terrestrium, quæ sese animo nostro offert. Lib. iii, cap. 6, § 10. De iis Lucretius lib. iv.

Ibid. *Sonitum nubis.*] Hoc est vocem e nube emissam, qualem audivit Moses.

Ibid., § 26. *Servum ejus videam.*] Hoc est cælibem vitam agere aggressum. Sic passim Augustinus κατ' C ἐξοχήν Ecclesiæ ministros *servos Dei* vocat, ut supra vocatur Monnica *serva servorum* Dei, § 22.

Cap. 12, § 32. *Visum etiam mihi est ut irem lavatum, quod audieram inde balneis nomen inditum, quia Græci* βαλανεῖον *dixerint, quod anxietatem pellat ex animo.* Sic revera Græci, quanquam absurda hæc est etymologia. Scriptor Etymologici magni : Βαλανεῖον τὸ λουτρόν· τινὲς δὲ λέγουσι παρὰ τὸ ἀποβάλλειν τὰς ἀνίας· καὶ Ὅμηρος παρετυμολογεῖ λέγων·

ἀρ' ἐκ τρίποδος μεγάλοιο
Ὄφρα μοι ἐκ κάματον θυμόφθορον εἵλετο γυίων.

Οὐ λέγουσι δὲ καλῶς, εἰ γὰρ ἦν ἐκ τούτου, ὤφειλε γράφεσθαι διὰ τῷ Ι. ἀλλ' ἔστιν εἰπεῖν ὅτι ἀπὸ τῶν βαλάνων εἴρηται. οἱ γὰρ ἀρχαῖοι βαλάνους εἶχον ἔθος ὑποκαίειν. παρὰ τὸ τὰς βαλάνους αὔειν, τουτέστι τὰς δρῦς. οὕτω γὰρ καλοῦνται αἱ δρῦς, καὶ ἄλλο τι φυτόν. Ἐπαφρόδιτος δὲ παρὰ τὸ αὔω τὸ σημαῖνον τὸ καίω — ἵνα μήποθεν ἄλλοθεν αὔοι. At hæc omnia meræ sunt Græculorum nugæ, quibus Augustinus assensus non fuisset, si etymologicam artem calluisset. Βαλανεῖον originem ducit a voce Hebraica בלל *ballal*, quæ significat *perfundi* psal. xcii, 11, et unde בלהה *ballahah*, nebula. Sic et apud Arabas בלה significat *irrigari, madefieri.*

Cap. 13, § 35. *Nunc pro peccatis matris meæ deprecor te*, etc.] Species forte pietatis aliqua hic inest, at ea consuetudo nec ratione ulla, nec revelatione nititur. Vide librum de cura gerenda pro mortuis tomo VI.

Libro x. Cap. 3. *Quid mihi est ergo cum homini-*

*bus, ut audiant confessiones meas*, etc.] Videtur hæc scripsisse Augustinus, non tantum post scriptos, sed etiam post editos priores libros Confessionum; quos avide videntur lectitasse ii quibus notus erat, et quorum hominum nonnulli Augustinum semet ipsum accuratius describere optabant. Sunt qui suspicentur, cum multa Augustino, ob priorem vitam, ab adversariis, quos non paucos habuit, objicerentur, eum Confessiones hasce scripsisse; quasi apologiam quamdam obliquiorem, in qua fateretur, veluti apud Deum, quod negare non poterat; cætera vero prætermitteret aut emolliret, et quæcunque ad honorem suum facerent quasi aliud agens exaggeraret. Quæ suspiciones, quamvis forte iniquiores sunt, ex inusitata tamen nascuntur ratione qua Augustinus cum Deo garrit atque argutatur, rhetoricoque fuco quo pictæ sunt hæ Confessiones. Dum tandiu de se apud Deum, imo apud homines, loquitur, et tam multa perexigui momenti, ad alios quidem quod attinet, narrat, nemo est qui non quærat, *Cui, bono?* et sunt multi proniores ad male judicandum, qui φιλαυτίαν ingentem, religionis specie tectam, hic videre se putant. Sed præstat nimis indulgentes nos esse, quam nimis severos; si modo meminerimus in Evangelio, ejusque auctore Christo, quærendam esse vivendi normam, non in hominibus; qui et ipsi ad eam sunt exigendi, nec imitatione unquam effingendi, nisi quatenus et ipsi sunt Christi imitatores.

Cap. 11, § 18. *Cogenda rursus ut sciri possint, id est velut ex quadam dispersione colligenda, unde dictum est cogitare.*] *Cogo* est quasi *coago*, ut ostendit Ger. Joannes Vossius in Etymologico, et *cogitatio* est quasi *coagitatio*. Festus: *Cogitatio dicta velut coagitatio, id est, longa ejusdem rei agitatio in eadem mora consilii explicandi.* Vide et Varronem de L. L. lib. v. Cum Augustino addendum non tantum esse agitationem, sed simul plurium rerum collationem, quæ est vis præpositionis *cum*, ex quo inseparabiles *con* et *co*.

Cap. 31, § 47. *Ebrietas longe est a me, crapula autem nonnunquam subrepit servo tuo.*] Non erat quidem ebriosus, ita ut vino esset deditus, sed aliquando tamen satis vini bibebat, ut crapula ei esset molesta. Nam *crapula* idem est Latine quod Græce κραιπάλη, hoc est dolor capitis qui ex hesterna compotatione superest. Thomas Magister: κραιπάλη ἡ ἐκ τῆς χθὲς γενομένης οἰνοποσίας κάρωσις, μέθη δὲ ἡ ἐπὶ τῆς αὐτῆς ἡμέρας. *Dolor capitis ex compotatione heri facta, μέθη ejus ipsius diei.*

Cap. 35, § 57. *Curiositas quotidie nostra tentatur*, etc.] Nemo est qui hæc peccata habeat, si modo cæteris officiis suis non desit. Corpus enim et animus relaxatione quadam indigent; neque semper seria agitare ac meditari animus potest, aut corpus labori incumbere. Si quis hodie talia inter delicta numeraret, crederetur, dum humilitatem præ se fert, superbe se gerere ac dissimulare majora. Deceretur muscas percolare et deglutire camelos. Quod tamen de Augustino suspicari nefas habetur.

Cap. 38, § 64. *Qui placent sibi de se*, etc.] Miror acuto homini in mentem non venisse, fore ut Donatistæ, Manichæi, aliique ejus adversarii dicerent eum non displicere sibi, qui tandiu non tam apud Deum quam apud homines, de se et suis loquatur, et dum gravia peccata, quæ negari non poterant, aut minutiora ambitiose proloquitur, laudes suas interea minime omittit. Miror etiam eum veritum non esse, ne iidem adversarii hic desiderarent confessiones eorum quæ baptismum ejus secuta sunt, et quæ in ejus vita habentur. Maligni homines facile dicere poterant, non esse usque adeo mirum eum valedixisse arti rhetoricæ, inter pueros docendæ, exiguis cum emolumentis et tenui honore; ut eam, in multo ampliore theatro, et multo fructuosius exerceret; in Ecclesia nimirum, sacrosancta auctoritate instructus, et in cujus administratione eloquentia sua magnas laudes populi, magna a divitibus munera referre facile poterat, dum paupertatem præ se ferret. Commodissimum fuisse, sine magno labore homini eloquenti, prout tempora ferebant, piis liberalitatibus aliorum sustentari. Non exiguam fuisse voluptatem non omni imperandi cupiditate exuto, plebem veluti nomine Dei regere, adversantes Ecclesiastica societate ejicere, damnare, proscribere. Ducem partium agere propter dicendi facultatem, et longe inter pares eminere. Fuisse cur a Deo veniam peteret, quod loquendi duntaxat facilitate instructus, tumultuaria lectione Scripturæ in linguam Latinam conversæ, sine ulla Hebraicæ aut Græcæ linguæ cognitione, presbyter et episcopus contra canones Nicænos factus, interpretari aggressus est quod non intelligebat, et tot volumina de Scriptura scribere, antequam necessaria præsidia ad eam intelligendam sibi comparasset. Nam quæ dici possunt, eum invitum factum esse presbyterum et episcopum, canonem Nicænum quo vetabatur episcopus sibi vivo successorem sufficere, ignotum fuisse, pauperem vitam egisse, etc., ea maligni homines dixissent partim simulationem esse, partim satis esse divitem, qui haberet quod aliis largiretur, et inde tantum sibi sumeret, quantum vellet; ac denique notas dudum eas esse artes, quæ ad quam potentiam evexerint homines humiles scilicet et mundi contemptores jam videmus. Ad me quidem quod attinet, ut non sum credulus ejusmodi criminationibus: sic non difiteor me defensiones Augustini, hisce de rebus, libenter lecturum fuisse.

Cap. 42, § 67. *Ambiendum mihi fuit ad angelos? Qua prece? Quibus sacramentis? multi conantes ad te redire, neque per se ipsos valentes, sicut audio, tentaverunt hæc*, etc.] Videtur omnino respicere ad theurgica Platonicorum sacra, quibus se angelos et archangelos elicere, Deoque singularem in modum se conjungi putabant. Qua de re multis scripsit Jamblichus in libro de Mysteriis Ægyptiorum, præsertim sectione v et x. Ejus ævi Platonici, mirum in modum, superstitiosis id genus sacris erant dediti. Vide Vitam Procli, a Marino scriptam, quam Joan. Albertus Fabricius, vir eruditus, integram edidit Hamburgi anno 1700.

Libro xi. Cap. 2, § 3. *O Domine perfice me et revela mihi eas.*] Religiosa profecto et digna episcopo oratio, sed cum qua conjungi debuerant studium linguarum quibus conscripta erat Scriptura, et comparatio omnium aliorum præsidiorum; quibus demum adhibitis, Scriptura intelligi potest, ita ut intelligenda est ab eo qui eam pro concione, atque editis scriptis, interpretaturus est. Auxilium enim Dei eo non pertinet, ut sine facultatum nostrarum usu nos interno afflatu doceat quæ scire cupimus; sed ut vires animi et corporis nobis sufficiat, quibus utamur, et in iis quæ humana industria perfici nequeunt, si ita ei videatur, auxiliator adsit. Si hæc intellecta in usum revocasset Augustinus, exauditus sine dubio fuisset. Nunc vero cum ea neglexerit, illa duntaxat in Scriptura intellexit, quæ potuit homo linguarum et criticæ imperitus intelligere; in cæteris ἀεροβατεῖ, et Platonismum nobis pro doctrina apostolorum propinat, aut argutias inanes magna verborum pompa nobis obtrudit. Loquor nimirum de iis quæ ei cum omnibus Scripturæ interpretibus non sunt communia; hæc enim etiam catechumenus accepit ab iis a quibus edoctus est, non meditatione retexit. Quæ non eo dico, quod eloquentiam et acumen, in rebus præsertim metaphysicis, Augustino detraham, aut quod meritas laudes minus libenter tribuam; sed quia video multos ejus auctoritate abuti, et eos præ illo contemnere, quibus nulla ratione conferri potest.

Cap. 10, § 12. *Quid faciebat Deus, antequam faceret cœlum et terram*, etc.] Multo brevius respondeas huic quæstioni, si dicas te nescire, ac æternitatis immensitate ingenium humanum absorberi; neque propterea fidem de creatione omnium rerum, aut religionem ullo in periculo versari. Etenim non profitentur Christiani se paratos esse omnibus quæstionibus satisfacere; sed tantum se id quod affirmant gravissimis rationibus posse demonstrare. Possumus ostendere omnibus esse initium, præterquam soli Deo, et hanc nostram tellurem ab eo esse creatam; quod satis nobis esse debet. Reliqua *quæ supra nos*, ut recte Socrates, *ea nihil ad nos.* Quæ hic Augustinus de æternitate et tempore, Platonico more et tam multis, argutatur, et quidem apud Deum, multo dilucidius sunt a recentioribus philosophis et theologis excussa. Adito vel Joannis Clerici Pneumatologiam. Non aggrediar enim expendere quæ de æternitate et tempore philosophatur Hipponensis episcopus, et quæ adeo tenuia sunt, ut vel tenuitate sua evanescant.

Cap. 32, § 29. *Circuitum illius ligneolæ rotæ.*] In qua, nimirum, sol, gnomonis ope, horas notabat. Tempus est ipsa duratio rerum, seu existentia continuata, sed eam existentiam metimur ope motus astrorum, et præsertim quidem solis ac lunæ.

Libro xii, § 1. *Promissa tua sunt et quis falli timeat, cum promittit veritas?*] At verba: *Petite et accipietis*, etc., Matth. vii, 7, ita non sunt intelligenda, quasi quarumvis metaphysicarum quæstionum solutionem petenti eam tribuere necesse habeat Deus. Verum hæc intelligenda tantum de necessariis ad salutem, conditione etiam hac posita, ut qui ea intelligere cupit, non tantum precibus ad Deum confugiat, sed etiam omnia faciat quæ ratio suadet esse facienda, ut consequatur quod vult. Si quis a Deo peteret ut acciperet ab eo peritiam linguarum Græcæ et Latinæ, an propterea impetraret, si interea nihil faceret ad eam sibi comparandam? Sane neque illa peritia necessaria est ad salutem, neque sine labore acquiri nunc potest. Idem de aliis ejusdem generis dixeris. Nec sine periculo esset opinio ejus qui existimaret se id quod cogitat de re quapiam divinitus accepisse, quia Deum prius orasset, ut sibi veritatis cognitionem impertiretur. Merus hoc tandem enthusiasmus esset, cujus ope somnia quævis divinæ revelationi, etiam repugnante recta ratione, æquarentur. Vide ad lib. xiii cap. 25.

Cap. 3, § 3. *Ubi enim lux esset, si esset, nisi super esset eminendo et illustrando?*] Crediderim legendum *emicando*, nam

> Ignea convexi vis et sine pondere cœli
> Emicuit, summaque locum sibi legit in arce

Ut utar verbis Ovidianis.

Cap. 17, § 24. *Nomine cœli et terræ totum istum visibilem mundum prius universaliter et breviter significare voluit, ut postea digereret dierum enumeratione quasi articulatim universa quæ sancto Spiritui placuit sic enuntiare.*] Hi sane *contradictores*, quicunque sint, multo melius Mosem intelligebant quam Augustinus, qui, nisi fallor, cogitabat hic de Platonicorum suorum ὑπερκοσμίῳ τόπῳ, de quo Plato in Phædro. Interea dignum est notatu quod habet Augustinus cap. 9, cœlum hoc inconspicuum esse *æternitatis particeps*, quod ante tempus conditum esset. At mira est ratio explicandæ Scripturæ, quam postea proponit cap. 18: *Dum quisque conatur id sentire, in Scripturis sanctis, quod in iis sensit ille qui scripsit, quid mali est, si hoc sentiat, quod tu lux omnium veridicarum mentium ostendis verum esse, etiamsi hoc non sensit ille quem legit, cum et ille verum, nec tamen hoc senserit?* Est hoc malum, quod ex quovis loco quævis veritas deduci possit, et paulatim nulla certa superfutura sit ratio explicandæ Scripturæ; si nulla regularum criticarum habeatur ratio, et hoc unum quæratur an sit per se verum quod dicitur. Commodum quidem hoc est declamatoribus, sed plane contrarium recte instituto Scripturæ sacræ studio, quod eo spectat ut quid singula loca significent, quatenus licet, liqueat. Cæterum ubi ambigua est sententia, nec ulla arte intelligi potest quid spectaverit scriptor sacer, tum vero nihil affirmandum. Absimilia veris rejici possunt, sed nulla est causa cur æque verisimili id præferas, quod ex omnibus artis criticæ canonibus verisimilius non est. Quærere vero in quopiam Scripturæ loco, quod nulla ratio grammatica ei inesse docet, hoc demum est Scripturam interpretari, ut campanarum sonitum pueri solent.

Libro xiii. Cap. 11, § 12. *Trinitatem omnipotentem quis intelligit? Et quis non loquitur eam, si tamen eam?*

*Rara anima quæ, cum de illa loquitur, scit quid loquitur. Et contendunt et dimicant, et nemo sine pace videt istam visionem.*] Nihil verius dici potuit. Itaque multo præstaret parce loqui de iis quæ nescimus, nec scire debemus, cum non sint perspicue a Deo revelata; multum vero de omnibus vitæ officiis, quorum præstationem a nobis exigit Deus. Si de iis loqueremur duntaxat, quatenus nobis sunt revelata, atque, locutionibus Scripturæ contenti, ignota Deo relinqueremus, non tot essent contentiones; quibus ut nescio an illustretur veritas, sic video vehementer lædi Christianam caritatem.

Cap. 18, 25. *In principio diei.*] Legendum *in principia*, ut paulo post legitur in mss. codd. Respicit enim Augustinus ad Gen. 1, 16, ubi LXX habent Deum fecisse luminare magnum εἰς ἀρχὰς τῆς ἡμέρας, *in principia diei*, ut habebat versio Latina, quæ tempore Augustini legebatur. Vide tamen ad Geneseos locum Flaminium Nobilium.

Cap. 21, § 29. *Piscem manducet levatum de profundo.*] Respicit ad vocem ἰχθύς, quæ cum *piscem* significet, complectitur initiales litteras vocum Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ Υἱὸς Σωτὴρ, *Jesus Christus Dei Filius Servator*. Ideo Tertullianus de Baptismo cap. 1 : *Sed nos pisciculi, secundum ἰχθῦν nostrum Jesum Christum, in aqua nascimur.*

Cap. 24. § 36. *Tibi confiteor credere me, Domine, non in cassum te ita locutum esse.*] Non in *cassum* induxisset ita loquentem Deum Scriptor sacer, quamvis non minus possit dici Deus benedixisse quadrupedibus quam piscibus aut avibus. Sed in simplicissimo Scripturæ stylo, multa adduntur aut omittuntur, non ut arcanum nescio quid innuatur; sed quia ea indoles est ejus styli, quæ patitur additamenta aut etiam omissiones, sine ulla sententiæ mutatione. Sic Gen. 1, 8, in Hebraicis codicibus addita non sunt solemnia dierum aliorum verba : *et vidit Deus esse bonum;* quæ tamen non minus conveniunt secundo die creatis quam cæteris omnibus. In creatione vero tertii diei a vers. 9 ad 13 bis hoc legitur, quod si semel, ut in aliis diebus, additum esset, nihil deesse animadverteremus. Qui in talibus argutabantur, Scripturæ styli nondum fuerunt satis periti. Nam allegorica figmenta qui probet, neminem eruditum nunc inventum iri puto.

Cap. 25, § 38. *Verum enim dicam, te mihi inspirante.*] Hoc est consectarium eorum quæ diximus ad lib. XII, cap. 1. Commenta allegorica, quæ quamvis veram doctrinam complectantur, non possunt tamen ex loco Mosis deduci, quasi revelationem divinam nobis obtrudit hic Augustinus. Rem ipsam, hoc est, pastoribus necessaria esse a gregibus præbenda, docuerat eum Paulus, et ipsa rei æquitas, sine ulla revelatione; sed hanc doctrinam hic contineri non magis ei est revelatum, quam Philoni et Origeni quod allegoriarum fidiculis ex Scriptura, in alienos sensus contorta, deduxerunt.

Cap. 19, § 44. *Atque ita cum vos temporaliter ea videatis, non ego temporaliter video.*] Conjunctiones A *atque ita*, si modo nullum hic sit mendum, debent significare *sed*, hoc est obtinere vim adversativam.

Cap. 33, § 48. *Speciem et privationem.*] Εἶδος καὶ στέρησιν, quod scholasticorum sermone nunc dicimus, *formam et privationem*, quæ sunt opposita.

Cap. 36, § 51. *Dies autem septima, sine vespera est, nec habet occasum.*] Si velimus argutari, diei septimi *mane* non magis memoratur quam *vespera;* nam *mane*, cujus mentio fit vers. 31, est diei sexti, cum Hebræi, Mose præeunte, νυχθήμερον incipiant a vespera, quam deinde sequitur dies. Sed septimi diei partes a Mose non attinguntur, quia eo die nihil fecit Deus.

## ANIMADVERSIONES
### IN LIBROS CONTRA ACADEMICOS.

B Libro I. Cap. 1, § 2. *Si edentem te munera ursorum, et nunquam ibi antea visa spectacula civibus nostris, theatricus plausus semper prosperrimus accepisset*, etc.] Recte *ursorum* editum, nam agit Augustinus de ignotis in Africa spectaculis, qualia fuissent munera ursorum, nam, ut habet Plinius lib. VIII, cap. 36, *in Africa ursum non gigni constat.* Idem affirmat cap. 58.

Ibid. *Fortunatissimus, ut fuisti, jactareris.*] Falsum est Romanianum *fortunatum* potuisse dici, ut ostendit Augustinus in sequentibus. Igitur non potuit dicere *ut fuisti*, nec magis *ut suesti*, quemadmodum habent alii codd. mss. Malim ego *ut suevere isti*, hoc est eo sensu quo clientes, cives, populi beatum prædicant.

Libro II. Cap. 2, § 5. *Cum ecce tibi libri quidam pleni, ut ait Celsinus, bonas res Arabicas ubi exhalarunt*
C *in nos*, etc.] Non intelligo qui libri *pleni* dici queant, nisi addatur qua re pleni sint. Igitur hic aliquid deesse suspicer, ut *sapientia*, aut simile quidpiam.

Ibid., § 6. *Adversario tuo.*] Cum quo, ut videtur, litem habebat Romanianus.

Ibid. *Ne ille et baias et amœnâ pomeria.*] Hic tria sunt menda, quorum primum et postremum ex prioribus editionibus desumpta sunt, medium huic proprium est. Primo pro *ne* legendum est *næ*, ναὶ, hoc est profecto; hoc enim vult Augustinus, si adversario Romaniani spectandam proponere potuisset speciem philosophiæ, illum profecto, rebus relictis, ad eam advolaturum. Sæpe hoc mendum in mss. codd. occurrit, quod utraque vocula eodem modo pronuntiaretur. Secundo, *Baias* debuit scribi, majusculo *B*, ut
D est in editione Erasmi, nam nomen est amœnissimi loci ad Puteolanum sinum, circa quem erant elegantissimæ Romanorum villæ, et de quo Horatius sæpe alibi et 1 epist. libri I.

Nullus in orbe locus Baiis prælucet amœnis.

Denique non *pomeria*, sed *vomaria* legendum liquet, ex epitheto *amœna*

Cap. 3, § 7. *Phrenetica ista vulgo dicitur*, etc.] Vide notata ad lib. I Retractationum, cap. 1, num. 3.

Ibid. *Sine pennis.*] Cui pennæ defluxerunt. Ex Platonicorum disciplina, ut notavimus ad Confess. lib. VIII, cap. 7.

Cap. 4, § 10. *Sine metro.*] Hoc est, ἄνευ μέτρου, *sine modo*. In ambiguitate ludit Augustinus, nec mer-

ea prætermittit occasionem pauca verba Græca, quæ A norat, proferendi.

Cap. 6, § 14. *Archesi'as.*] Turpe mendum, omnes enim sciunt vocatum hunc philosophum fuisse Ἀρκεσίλαον, non Ἀρχεσίλαον. Itaque hoc quoque mendum antiquiorum editionum tollendum erat, et hic et in sequentibus, ubi iterum iterumque occurrit. Nam quamvis Græce nesciret Augustinus, habebat tamen veteres Ciceronis codices, in quibus hoc mendum ab eruditioribus grammaticis relictum non puto.

Cap. 15, § 34. *Ille autem casu planus erat, de iis quos Samardacos jam vulgus vocat.*] Crediderim Africanam, aut potius Punicam esse vocem, a radicibus שמר *schamar*, observare, et דק *douck*, inspicere, deductam, eaque significatos fallaces homines, qui ex observatione siderum, ominum, prodigiorum, etc., B inspectioneque victimarum futura prænuntiare se posse sperabant, aut fingebant. Sic enim eos describit Scholiastes vetus Horatii ad vers. 113 sat. 6 lib. I. Fallacem circum *dixit propter Sarmadacos* (Scribe *Samardacos*) *et sortilegos mathematicos, qui ad metas spectatores circumstabant et imperitos sortibus et nugis fallebant.* Paulo post etiam *Samardacos et sortilegos* conjungit, et divinos esse docet. At Jacobus Cruquius, qui eum Scholiasten emendatiorem edidit, suspicatur vocem esse compositam ex *Sarmata* et *Dacus*, qui populi olim non parum hujuscemodi ludibriis infames fuerint. Elige utrum volueris, et adi etiam Joannem Meursium, in Lexico Græco-barbaro.

## ANIMADVERSIONES

### IN LIBRUM DE VITA BEATA.

§ 3. *Quod ita nihil intus plenum atque solidum habet, ut inflatos sibi super ambulantes, succrepante fragili solo, demergat ac sorbeat.*] Legerim *inflato sibi*, num hic montem nubis describit vento tumentem. Sed facile potuit ex sequente voce antecedenti adhærere.

§ 4. *Lectis autem Platonis paucissimis libris.*] Crederem legendum *Platonicis*, nam Augustinus habet Confessionum libro VII, cap. 9, § 13, *quosdam Platonicorum libros;* nisi quinque mss. hic haberent *Plotini*, quam veram lectionem esse puto. Antequam hunc locum attentius legissem, jam suspicatus eram Platonicos illos libros, in quibus Augustinus similia Christianæ theologiæ invenisse se credidit, fuisse libros Plotini; in qua conjectura vehementer lectione hic mss. codicum confirmor.

§ 5. *Eloquentia tua territus non sum.*] Exstat elegans dissertatio de Vita Fl. Mallii Theodori, ab Alberto Rubenio conscripta, quæ edita est Ultrajecti anno 1693, ex qua quæ fuerit eruditio Theodori et ad quæ munera pervenerit intelligere licebit. Itaque ad eam lectorem amandamus.

§ 7. *Cum fateamur cuncti, neque sine corpore, neque sine anima, esse posse hominem, cibos propter quid horum appetamus.*] Imo *appetimus?* Est enim interrogatio Augustini, ad quam, *propter corpus*, respondet Licentius. Mendum hoc fuit Basileensis editionis, in hanc transfusum.

§ 35. *Illa est igitur plena satietas animorum, hæc est beata vita, pie perfecteque cognoscere a quo inducaris in veritatem, qua veritate perfruaris, per quem connectaris summo modo.*] Etsi non difficile est intellectu quid velit Augustinus, attamen est cur queramur eum in hac tota disputatione metaphoricis vocibus ac locutionibus, quas aliis æque tralatitiis definit, perpetuo ferme abusum. Quo factum est ut nihil præter argutias ex ambiguitate captatas, et quæ dialecticam nimium redolent, hic habeamus. Cum pueris fateor, et muliercula loquebatur; sed cum hæc ederet, tot verbis nihil dicere nescio quomodo sustinuerit. Quam facile ostendere potuisset beatitudinem proprie dictam esse eam animi affectionem qua in sorte nostra acquiescentes, nec quidquam cupimus, nec timemus? Quam proclive fuit demonstrare hanc animi affectionem in hac vita non posse comparari, in qua semper multa sunt quæ timeamus, aut cupiamus? Quibus dictis, collegisset beatam vitam nullam posse esse in hisce terris; omnes homines esse miseros; sed eos demum minus esse miseros, quam alios, qui possent, ex Evangelii legibus, sibi beatitudinem post hanc vitam mortalem polliceri. Verum vocum definitiones accuratæ, sermo simplex, et ordo commodus res erant rhetoribus illius ævi propemodum ignotæ.

## ANIMADVERSIONES

### IN LIBROS DE ORDINE.

Libro I. Cap. 1, § 2. *Quis tam cæcus est mente, ut quidquam in movendis corporibus rationis, quod præter humanam dispositionem ac voluntatem est divinæ potentiæ, moderationique dare dubitet?*] Transposita hic est vox *rationis*, quæ debet præponi proxime voci *divinæ*, ut series sit : *potentiæ moderationique Rationis Divinæ*, Græce, δυνάμει καὶ διοικήσει Λόγου Θείου. Nempe, ex Platonicorum sermone desumpsit Augustinus *Rationem Divinam;* de qua locutione vide quæ collegit Joan. Clericus ad Joan. I, 1. Benedictini docent decem a se mss. codd. inspectos, in quibus hic ordo erat observatus; sed male habent *rationi*, si modo nullum sit in Benedictinorum notula mendum. Eadem voce in eumdem sensum utitur etiam postea Augustinus § 26, ubi memorat *pulchritudinem Rationis* (nempe divinæ) *cuncta scientia et nescientia modificantis et gubernantis, quæ inhiantes sibi sectatores suos trahit, quacunque atque ubicunque se quæri jubet.* D

Cap. 3, § 6. *Nam et ipse in eodem conclavi lecto suo cubans vigilabat, nobis nescientibus; erant enim tenebræ quod in Italia etiam pecuniosis prope necesse est.*] Sic loquitur in gratiam suorum Afrorum. Utinam etiam in gratiam posteritatis, addidisset cur in Italia, potius quam alibi, in tenebris jacerent. An in Africa copia erat specularium lapidum, qui Lunæ et stellarum lucem in conclavia admitterent, qui in Italia rariores; quo fiebat ut, clausis ligneis fenestris, tenebræ essent in conclavibus? Viderint doctiores.

Cap. 11, § 31. *Vir et ingenio et eloquentia et ipsis insignibus muneribusque fortunæ et, quod ante omnia est, mente præstantissimus Theodorus, quem hunc ipsum*

*nosti, id agit, ut et nunc et apud posteros, nullum genus hominum de litteris nostrorum temporum jure conqueratur.*] Vellem exstaret opusculum Theodori de Origine et natura mundi, quod latere in bibliothecis dicitur a Cl. Salmasio in præf. ad Ampelium. Ex eo enim intelligere liceret an hic ei adulatur, quod sane suspicor, Augustinus, pro more sæculi sui, quo, si unquam alias, immodicæ laudes in usu vulgari fuere: Is Theodorus, cum militasset inter Advocatos sedis prætorianæ in Italia, præfectus fuit parti Libyæ, tum parti Macedoniæ, deinde quæstor sacri palatii, post comes sacrarum largitionum, ac tandem præfectus prætorio Galliarum anno 380. His honoribus defunctus ad vitam privatam rediit, in qua scribendis variis opusculis operam dedit. Quo intervallo, circa annum 386, Augustinus hæc scribebat. Ad ampliora deinde munera pervenit, ut docebit Albertus Rubenius in libello antea memorato.

Libro II. Cap. 1, § 1. *Nobiscum erat etiam mater nostra, cujus ingenium... cum antea convictu diuturno, et diligenti consideratione perspexeram, tum vero in quadam disputatione non parvæ rei quam... in libellum contuli, tanta mihi mens apparuerat, ut nihil aptius veræ philosophiæ videretur.*] Si hæc in sermone familiari matri dixisset Augustinus, vituperari sane non posset, imo forte laudaretur, pietatis causa. Sed hæc nescio quomodo scribere sustinuerit ad virum eruditum atque edere, cum præsertim liber de Vita beata, ubi eximia illa Monnicæ responsa leguntur, edendus etiam esset. Eum enim si quis legat, facile intelliget filium præ amore matris ingenium invenisse in verbis bonæ anus, quod alii non facile animadvertant. Quæ mulier nunc paulo liberalius educata talia et meliora etiam aliud agens non effundat?

Cap. 2, § 4. *Defini ergo, inquam, si placet quid sit esse cum Deo... Odi ego, inquit, definire.*] At si hunc et superiorem librum legas, nullam definitionem paulo accuratiorem invenies; sed tantum descriptiones rhetoricas, re descripta sæpe obscuriores aut certe æque ac eam obscuras. Exempli causa *esse cum Deo*, quæ est locutio impropria et obscura, definitur *a Deo administrari*, aut *intelligere Deum*, etc. Si talia hodie conscribillarentur, et in publicam lucem protruderentur, profecto eruditorum plausum non ferrent, uti nec innumeræ inanes argutiæ, quibus hæc opuscula scatent. Sed illo ævo verba pluris multo fiebant, quam res ipsæ; quo vitio et nostrum sæculum, plus quam optandum esset, etiamnum laborat.

Cap. 4, § 12. *Quid sordidius, quid inanius decoris et turpitudinis plenius meretricibus, lenonibus, cæterisque hoc genus pestibus dici potest? Aufer meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus.*] Itaque recte faciunt, si Augustini judicium sequamur, legislatores et principes qui lupanaria esse patiuntur; nam præstat paucas domos pollui quam omnes libidinibus turbari. Quamobrem aiunt in urbe omnium nobilissima ea ferri, ne in matronas et pueros passim grassentur homines sponte quidem sua cælibes, sed minime propterea castiores. Quanto satius erat dicere malas mulieres et libidinosos juvenes abuti libertate a Deo accepta, et alia quæ ab eruditis nunc dici solent? Si talia hodie scriberemus, nunquam sat graves pœnas dare possemus iis qui ea in veteribus mirantur. Non expendam quomodo vitia faciant ad *ordinem*, nimis multis verbis opus esset, ut quæstio constitueretur, et in ordinem omnia digererentur. Verum orabo lectorem ut conetur ex iis quæ hic habentur apud Augustinum, conflare disputationem perspicuam et via ac ratione dispositam; quod si præstet, *erit mihi magnus Apollo*

Cap. 9, § 22. *Aeriorum animalium mira fallacia*, etc.] Platonici ζῶα vocant, seu *animalia*, quæcunque anima prædita sunt, quales sunt dii illi inferiores, quorum sedem in aere ponebant. Hos cacodæmonas esse interpretabatur Augustinus. De sententia Platonicorum sat multa Apuleius, in libris de Mundo, de Philosophia naturali, et de Deo Socratis.

Cap. 12, § 35. *Quibus duobus repertis* (litteris et figuris numerorum) *nata est illa librariorum et calculonum professio, velut quædam grammaticæ infantia, quam Varro litterationem vocat, Græce autem quomodo appelletur non satis in præsentia recolo.*] Vocabatur γραμματιστική, doctor vero γραμματιστής. Philo de congressu eruditionis causa: Τὸ γε μὲν γράφειν καὶ ἀναγινώσκειν γραμματικῆς τε ἀτελεστέρας ἀπάγγελμα, ἣν παρατρέποντές τινες γραμματιστικὴν καλοῦσι: *scribere et legere grammaticæ est imperfectæ, quam nonnulli convertentes vocabulum grammatisticam vocant.* Martianus Capella lib. III de Nuptiis Mercurii et Philologiæ, sic grammaticam loquentem inducit: Γραμματικὴ *dicor in Græcia, quod* γραμμὴ *linea et* γράμματα *litteræ nuncupentur, mihique sit attributum litterarum formas propriis ductibus lineare. Hinc mihi Romulus* litteraturæ *nomen ascripsit, quamvis infantem me* litterationem *voluerit nuncupare, sicut apud Græcos* γραμματιστικὴ *primitus vocitabar, tum et antistitem dedit, et sectatores impuberes aggregavit.* Isidorus Orig. lib. I, cap. 3: *Primordia grammaticæ artis litteræ communes existunt, quas librarii et calculatores sequuntur, unde et eam Varro* litterationem *vocat.* Plura hac de re veterum testimonia vide apud Joan. a Wower in tractatione de Polymathia, cap. 4, et Claud. Salmasium sub finem notarum in Pallium Tertulliani.

[Ibid., § 37. *Historia.*] Non ea intelligenda a qua dicti historici Thucydides, Polybius, aliique id genus, sed philologia, cujus periti πολυίστορες dicuntur, unde Alexander Polyhistor, Apion Polyhistor, C. Julius Hyginus Polyhistor, quasi dicas *multiscium*, ἀπὸ τοῦ πολὺ et ἴσασθαι. Vide Cl. Salmasium ad titulum Solini Polyhistoris. Sic nomen *historiæ* pro quavis cognitione usurpatur ab Augustino lib. II de Musica, cap. 1, § 1.

## DESIDERII ERASMI CENSURA
### IN SOLILOQUIORUM LIBROS.

Opus mire resipiens optimi viri infantiam in Christo. Nam Rationem ita loquentem facit cum Augu-

stino, quasi Ratio non sit potior Augustini pars. Tolerabilius Seneca fingit Rationis et Sensus dialogum. Ad hæc, quasi vero duo loquantur homines, in disputationes et libros dissecatur sermo, ne defatigentur : nonnunquam et in sophistica, levicul'aque argutatione imploratur auxilium divinum. Lectorem requirit patientem et candidum.

## J. PHEREPONI ANIMADVERSIONES IN EOSDEM LIBROS.

Libro I. Cap. 1, § 1. *Ait mihi subito, sive ego ipse, sive alius quis intrinsecus, sive extrinsecus nescio.*] Hæc redolent Platonismum, ex quo homines *rationales* sunt, quatenus divinæ *rationis* participes; a qua non tantum acceperunt substantiam ipsam et facultates mentis, sed etiam cum bene ratiocinantur occulte monentur, quasi a magistro. Vide librum de Magistro. Imo et rationem, abstracte spectatam, more Platonico substantiam esse vult, de Immortalitate animæ § 11. Ideo Augustinus rationem a mente sua distinxit, eamque cum illa colloquentem induxit. Hæc observanda fuere, propter censuram Erasmi; ne ineptior tum fuisse videatur Augustinus, quam revera erat. Alia possemus addere de ratione ex iis quæ ex Clemente profert Photius cod. CIX. Cæterequi quem non pigeat, tædeatque argutiarum, quas non sibi sed rationi ipsi tribuit?

§ 2. *Deus qui malum non facis, et facis esse ne pessimum fiat.*] Hoc est qui sponte quidem tua malum non facis, sed tantum ne quid deterius eveniat. Quæ sententia, nisi fallor, digna erat quæ retractaretur. Quid enim a recta ratione, Scripturisque sacris magis alienum, quam *Deum facere ut sit malum?* sed vide operis de Ordine lib. II, cap. 4, § 5. Potuit aliquo sensu dici Deus *pati mala*, ne deteriora ab hominibus fiant, cum se liberarum creaturarum affectioni attemperat; ut cum in Judæis toleraret divortium et alia. Sed ea *facere* dici non potest; nec sane mirum talia Deo ingerentem ab eo nihil impetrasse; nam his duobus libellis, quibus ad divinam opem sæpius confugit, quid tandem est, quod te legisse gaudeas?

Cap. 12, § 21. *Cogor interdum Cornelio Celso assentiri, qui ait summum bonum esse sapientiam, summum autem malum dolorem corporis.*] Videtur esse is cujus habemus libros de Medicina, nam et de aliis artibus scripserat, ut docet Quintilianus Institut. orator. lib. XII, cap. ultimo.

Libro II. Cap. 3, § 4. *Absurdius dicitur falsitatem, quam veritatem esse non posse.*] Vere Erasmus, ad oram suæ editionis, hic apposuit : *Sophistica inductio.* Postea etiam ad initium capitis sequentis : *Sophisticatur et hic de vero et falso.* Profecto non sophista tantum, sed propemodum ineptus haberetur, qui talia hodie scriberet.

Cap. 6, § 12. *Mel thyminum a mel'e thymino.*] Erasmus hic habet in ora : « Virgilius : *Redolentque thymo fragrantia mella.* Alias *Hymetinum* et *Hymetino*, sed altera lectio magis probatur. » Hæc ille. Miror varietatis hujus non meminisse editores Parisienses. Celebria fuerunt mella Hymettia, a monte Atticæ dicta; et thymosa, sive e thymo collecta. Adi Plinium Hist. nat. lib. XI, cap. 13 et seqq.

## ANIMADVERSIONES IN LIBRUM DE IMMORTALITATE ANIMÆ.

Cap. 1, § 1. *Si alicubi est disciplina, nec esse nisi in eo quod vivit potest et semper est, neque quidquam in quo quid semper est potest esse non semper, semper vivit in quo est disciplina.*] Quasi vero non possint esse in intellectu Dei ideæ disciplinarum, quamvis nullæ essent creaturæ! Imo fuerunt, ante creationem. Præterea, quis nescit distinguendam abstractam cujuspiam rei ideam, ac veritatem; ab actuali cogitatione de ejusmodi idea, aut veritate? Ideæ veritatesque abstractæ æternæ dicantur, quod sint natura sua immutabiles; sed quis inde colligat animos de iis cogitantes esse æternos, præter meros argutatores? Eadem opera, colligere potuisset animis humanis nullum fuisse initium. Sed talia ratiocinationum ludibria non moramur.

Cap. 7, § 12. *Nulla præcisio perducit ad nihilum. Omnis enim pars quæ remanet corpus est, et quidquid hoc est quantolibet spatio locum occupat.*] Vere et acute. Hinc colligere potuit substantiam corporis viribus humanis interire prorsus non posse, sed tantum mutari. Sic posset fieri ut a creaturis mutaretur nonnihil in substantia mentis, quæ tamen propterea deleri posse censenda non est.

## ANIMADVERSIONES IN LIBRUM DE QUANTITATE ANIMÆ.

Cap. 1, § 2. *Unde sit anima.*] Hujus quæstionis sensus erat, an a Deo creata sit anima, an æterna, an una cum corpore ex traduce nascatur. Sed Augustinus rhetorice eam solvit aut eludit, quasi quæreretur, quæ patria sit animæ; quod quis unquam somniavit?

Ibid. *Si pergeres quærere unde ipsa terra, vel aqua, vel aer, vel ignis constent, nihil jam quod dicerem reperirem.*] Omnibus tamen notum erat constare ea ficta elementa omnium rerum innumeris partibus, in quas resolvi possunt. Quod si dici posset de mente, actum esset de ejus immortalitate. Sed eorum, qui minus accurate philosophantur, comparationes ad vivum resecandæ non sunt. Quod hic faciendum non esse liquet, ex eo quod Augustinus, mentem extensam esse neget, in sequentibus.

Cap. 3, § 4. *Et hoc interim satis est.*] Facilis sane fuit Evodius, qui tam paucis sibi satisfieri passus est, de quæstione *qualis sit anima.* Sed eamdem invenies tractatam in altera quæstione, de quantitate animæ.

Ibid. *Ideoque bene præcipitur, etiam in mysteriis, ut omnia corporea contemnat, universoque huic mundo renuntiet.*] Bene in margine Erasmus adnotavit *in baptismo :* notum enim est renuntiare solitos, qui baptismum accipiebant, diaboli et mundi pompis. Quod faciebant etiam infantium susceptores, eorum nomine, ut testatur Augustinus lib. de Pec. origin., § 45, et lib. I de Nuptiis et Concupis., cap. 20, § 22.

Cap. 4, § 5. *Placetne tibi ut ipsam justitiam nihil esse credamus?*] Est plane nihil, si conferatur cum

substantia; nam justitia in abstracto nusquam est, nisi in animo eam intelligentis. Sed Platonici de ideis loquebantur, quasi de substantiis.

Cap. 7, § 12. *Auctoritati credere magnum compendium est, et nullus labor*, etc.] Sed prius ipsa illa auctoritas expendenda est, quam ei fidem habeamus; ita ut ei per omnia credamus, quia nobis indubitatis argumentis constat eam nec falli, nec fallere. Alioqui stultum esset ei credulitatem suam addicere, a qua verum dici nulla ratione constaret. Sin minus, barbari omnes populi, qui sacerdotibus aut majoribus suis tam multa temere credunt, recte facere dicendi essent. Compendiaria via etiam progrediuntur, sed ut ad omnis generis errores perveniant, ex quibus nunquam sese expediunt. Itaque cavere omnes oportet, quibus cordi est Christiana religio, ne idem ei fundamentum ponant, quo maximi et turpissimi quique errores nituntur. Accuratius loquitur Augustinus in libro de Vera Religione, § 45 : *Auctoritas*, inquit, *fidem flagitat et rationi præparat hominem*. Ratio ad intellectum cognitionemque perducit. *Quanquam neque auctoritatem ratio penitus deserit, cum consideratur cui sit credendum; et certe summa est ipsius jam cognitæ atque perspicuæ veritatis auctoritas.*

Cap. 30, § 39 : *Sensus est corporis passio per se ipsam non latens animam.*] Post tot verba facta, de definitione sensus, mirum est meliorem non esse prolatam, cum præsertim Augustinus probe sciret animum sentire, non corpus. *Sensus* duplici significatione dicitur : est enim aliquando ipsa sentiendi facultas quæ inest menti; aliquando passio ipsa qua ea facultas afficitur, et quam barbare *sensationem* vocamus. Sensus, posteriori significatu, nihil est præter *animadversionem mentis natam ex occasione motus corporis sui;* priori est facultas qua mens talium animadversionum capax est. Paucis verbis potuit totum hoc negotium absolvi, quod hic tam multis intricatum est. Plura non addam, quæ sunt omnibus nota, ex quo philosophia, nostra et Patrum nostrorum memoria, feliciter instaurata est, et de quibus etiam in opusculis philosophicis sat copiose egi. Nec philosophicas notas in Augustinum scribere aggressus sum : alioqui multa dici possent, quibus sequentes ejus ratiocinationes confutarentur; in quibus verborum tam est prodigus, quam parcus rerum.

Cap. 33, § 76. *Vanitas vanitantium.*] Oportet, in quibusdam exemplaribus Græcis, lectum olim fuisse ματαίοτης ματαιούντων; quam vitiosam lectionem Latinus interpres, quo utebatur Augustinus, expresserit. In veteribus glossis est ματαιοῦμαι *vanor*, cujus frequentativum fuit *vanitor*.

## ANIMADVERSIONES
### IN LIBROS DE MUSICA.

Libro I. Cap. 1, § 1. *Eo distat, quod in diversis locis habent acumen.*] Ita loquitur de *pone* verbo, et *pone* adverbio, et acumen sine dubio vocat accentum. Credibile est verbum habuisse accentum in prima, adverbium in secunda, discriminis causa. Hinc intelligere licet quam male hodie linguam Latinam omnes pronuntiemus, et quam prave versus præsertim legamus : quis enim inter loquendum aliter *ponè* aut *pone* pronuntiare solet?

Cap. 10, § 17. *Sesque appellantur, ubi duo numeri ad se ea ratione affecti sunt, ut tot partes habeat ad minorem major, quota parte sui eum præcedit.... Nominis autem hujus originem non facile dixerim, nisi forte* sesque *quasi* se absque *dictum, id est*, absque se, *quia quinque ad quatuor, absque quinta parte sua major hoc est quod minor.*] Sed non *quinque*, verum *sex*, est numerus *sesquatus*, si cum *quatuor* conferatur. Itaque merito hanc Augustini etymologiam reprehendit Jul. Cæs. Scaliger lib. II de Re poetica, cap. 26, qui putat *sesqui* dici pro *semis æquum*, quod idem sit ac ἡμιόλιον. Sed Ger. Joan. Vossius felicius conjecit *sesqui* (aut *sesque*, ut scribitur hic apud Augustinum) idem fuisse ac *semisque* seu *et semis*, ita ut *que* respectum habeat ad totum, cui *semis* superadditur, unde Græcis ἡμιόλιον, *totum et semis*.

Libro II. Cap. 1, § 1. *Scias velim totam illam scientiam, quæ* grammatica *Græce, Latine autem* litteratura *nominatur, historiæ custodiam profiteri*, etc.] *Historia* hic dicitur cognitio rei cujuspiam, quæ non pendet a ratiocinatione, sed ab hominum arbitrio. Paulo post grammaticus, docens syllabam esse longam aut brevem, dicitur esse *custos historiæ*, nimirum usus linguæ Latinæ aut Græcæ de quantitate syllabarum.

Libro III. Cap. 1, § 2. *Rhythmus, id est numerus.*] Scio quidem id quod Græce ῥυθμὸς dicitur, a Latinis dictum *numerum*, sed vereor ne Augustinus miscuerit ῥυθμὸν cum ἀριθμῷ. Felicior hic est lingua Græca quam Latina, nam ῥυθμὸς dicitur ἀπὸ τοῦ ῥέειν, *fluere*, estque id quod fit ut versus facile pronuntietur, et gratius ad aures accidat. Galli vocant *la cadence*, et *fluentes* (*coulants*) etiam *versus* vocant, in quibus nihil est asperum aut durum. Ex voce quidem *rhythmus* venit vox linguarum hodiernarum *rima*, sed hac significatur finis versuum ὁμοιοτελεύτων, quæ significatio a Græca voce plane aliena est. Non fuisset hoc observandum, nisi esset eruditus Gallus, qui hac in re peccavit, quem nomine non appellabo.

Libro V. Cap. 3, § 4. *Non mihi* versus *ex eo appellatus videtur, ut nonnulli putant, quod a certo fine ad ejusdem numeri caput reditur, ut nomen ductum sit ab iis qui se* vertunt, *dum via redeunt, nam hoc illi cum his etiam metris quæ* versus *non sunt, apparet esse commune.*] Ideo etiam non modo poetarum metra *versus* dicuntur, sed et quævis scripturæ *lineæ*, quemadmodum nunc loquimur, ut recte observavit Joan. Ger. Vossius in Etymologico, ad vocem Versus. Idem optime ostendit dubitari non debere quin singuli scripturæ sulci ex eo *versuum* nomen acceperint, quod ut agricola Vomere solum : sic scriptor stylo ceram *vertat;* ac ut ille, in terra, sulco uno absoluto, vertit aratrum, aliumque sulcum efficit : sic qui scribit, stylo sinistrorsum *verso*, prolatoque, novum in cera sulcum ducat. Cumque, ut docet, id non minus in prosa fiat quam in carmine, patet *versus* no-

men natura sua, non minus solutæ quam ligatæ orationi convenire. Sed quia poetæ versus suos certo absolvunt pedum numero, et stylum proinde frequentius *vertunt*, hinc factum ut hi sibi *versus* nomen prope fecerint peculiare. Adde hisce *versum* revera in agricultura sulcum dictum, et apud Græcos vocem στίχος, qua *versum* scripturæ signant, esse etiam ex agricultura desumptam; quod erudite ostendit Joan. Croius part. 1 Observationum in N. T., cap. 9.

Ibid. *Sed magis fortasse e contrario nomen invenit, ut quemadmodum grammatici* deponens *verbum, quod* r *litteram non deponit, sicuti est* lucror *et* conqueror, *appellaverunt: ita quod duobus membris confit quorum neutrum, in alterius loco, salva lege numerorum, constituitur, quia* verti *non potest* versus *vocetur.*] Prior etymologia plane falsa est, ut sunt pleræque omnes quæ κατ' ἀντίφρασιν finguntur; nam multa *deponentia* olim in *o* et *or* exibant, eorumque catalogum contexuit Joan. Ger. Vossius Aristarchi lib. v, cap. 7. Credibilius est ea *deponentia* dicta, ut idem innuit capitis 6 initio, quia passivam significationem *deposuerint*, quæ etiam sententia fuit Franc. Sanctii summi grammatici. Sed et scriptor libri de Grammatica, qui solebat Augustino tribui, aliud nobis suppeditat etymon. Agens de verbis, *Restat*, inquit, *verbum* deponens, *quia* deponit *aliquid de quantitate communis verbi. Nam cum participia quatuor habeat verbum commune: præsens ut* criminans, *futurum* criminaturus, *præteritum* criminatus, *futurum* criminandus, *a passiva significatione, hoc non habet verbum deponens. Et ideo dicitur* deponens, *quia* deponit *unum participium futuri temporis, a verbo passivo quod exit* in dus *syllabam; ut* puta opinor *vel* miror *verba sunt deponentia.* Sed mihi magis Vossiana etymologia arridet. Quod habet Augustinus de *versu* multo coactius est, et plane etiam falsum, nam permulti versus converti queunt eo modo quo eos converti posse negat. Pentametri, exempli causa, non pauci sic possunt converti; omnes nimirum quorum prior pars ante cæsuram duobus dactylis constat. Possumus enim æque dicere:

Semivirumque bovem, semibovemque virum,

Aut:

Semibovemque virum, semivirumque bovem.

Dixeris perinde:

Sæpe tibi pater est, sæpe legendus avus,

Vel:

Sæpe legendus avus, sæpe tibi pater est.

Innumera talia occurrent elegiacum poetam evolventi. Itaque in fumum abit quidquid tam verbose de versibus non vertendis disputavit antea Augustinus. Sed bene est quod fatetur vir modestus, initio lib. VI: *Se satis diu pene, atque adeo pueriliter in vestigiis numerorum ad moras temporum pertinentium, moratum esse.* Igitur hæc et alia ei ignoscamus, sed tempus melius collocandum in iis legendis, in quibus ferme nihil præter tædiosam et infelicem ingenii ostentationem videas, minime teramus.

## ANIMADVERSIONES
### IN LIBRUM DE MAGISTRO.

Cap. 5, § 16. *In suis nobilissimis orationibus, quas Verrinas vocant,* coram *præpositionem, sive illo loco adverbium sit,* nomen *appellavit.*] Non vacat, data opera, legere Verrinas, ut locum quæram. Fuisset hoc diligentiæ Benedictinorum, qui otio abundant, et a quibus margini locum, ut alibi factum, adlini oportuisset.

Cap. 9, § 28. *Idem Persius omnibus pœnis, quas tyrannorum vel crudelitas excogitavit, vel cupiditas pendit, hanc unam anteponit, qua cruciantur homines, qui vitia, quæ vitare non possunt, coguntur agnoscere.*] Locus est satira 3, 35, cujus verba subjiciemus, quia et alibi, ad Confess. lib. XII, cap. 8, observavimus ad hunc poetam Augustinum respexisse:

Magne pater divum, sævos punire tyrannos
Haud alia ratione velis, cum dira libido
Moverit ingenium ferventi tincta veneno,
Virtutem videant intabescantque relicta,
Anne magis Siculi gemuerunt ora juvenci?

Cap. 10, § 33. *Saraballæ eorum.*] Cum in textu Chaldaico Dan. III, 27, scriptum sit סרבליהון *Sarballehon*, vix dubium videtur, quin scribendum sit *Saraballa*, aut *Saraballæ*, non *Sararabara*, ut habet versio Græca, in qua facillime mendum irrepere potuit in vocem barbaram, cum præsertim liquidas auris facile confundat. Sic scripta vox, per ל non per ר, usitata est apud Thalmudicos et Arabas, pro tunica, et verbum סרבל *sarbel*, significat *texit.* Itaque nomen vestis fuisse videtur, ut est etiamnum apud Arabas.

Cap. 14, § 46. *Dixici admonitione verborum tuorum, nihil aliud verbis quam admoneri hominem ut discat et perparum esse quod per locutionem aliquanta cogitatio loquentis apparet.*] Hoc est totius libri compendium. Mirum est quam Augustinus calluerit artem pauca et perspicua dogmata philosophica aut theologica multis verbis et obscuris dicendi atque impediendi. Sed hoc fuit vitium rhetoricæ illius ævi.

Ibid. *Utrum autem vera dicantur eum docere solum, qui se intus habitare, cum foris loqueretur, admonuit; quem jam favente ipso, tanto ardentius diligam, quanto ero in discendo provectior.*] Platonicum hoc est dogma, ex quo λόγος (quo nomine Christum vocavit Joannes) statuebatur quasi ratio universalis omnium hominum. Sic Justinus vult Christum partim fuisse Socrati notum, Λόγος γὰρ ἦν, inquit, καί ἐστιν ὁ ἐν παντὶ ὤν, *Ratio enim erat et est quæ est in rerum universitate.* Alia habet similia in sequentibus, in ea quæ dicitur Apologia 1 quæ non exscribam. Sed hæc diligenter notanda sunt iis qui Patres intelligere cupiunt; quos nunquam assequentur, nisi norint quæ eorum fuerit philosophia.

## ANIMADVERSIONES
### IN LIBROS DE LIBERO ARBITRIO.

Libro I. Cap. 2, § 4. *Nisi credideritis, non intelligetis.*] Locus est Isai. VII, 9. Sed in LXX int. versione, quæ cum Hebraico textu non consentit, qui habet, ut recte vertit Hieronymus post Symmachum: *Si non credideritis, non permanebitis.* Quo in loco, pro-

pheta alloquitur Judæos, eosque hortatur ad fiduciam in auxilio divino, contra moliliones Israelitarum et Syrorum, ponendam: quod si fecerint, pollicetur fore ut res eorum firmæ permaneant. Igitur nihil facit hic locus ad rem quam hic habet Augustinus, et pro sententia prophetæ laudat bonus vir figmentum Græcorum interpretum, si modo ita verterint. Unde vero hoc factum? Quia nimirum *credere* voluit antequam *intelligeret*. Credidit enim hunc esse sensum Scripturæ, antequam sciret an LXX interpretibus per omnia fidere liceret, aut hunc locum bene esse ab iis versum constaret. Sed et alibi hoc loco similiter abutitur, ut infra lib. II, § 6.

Cap. 3, § 8. *Libido in adulterio malum est.*] Dubium non est quin mala sit in adulterio libido; sed quare mala est? Quia adulterium ipsum est malum, quod illo societas humana plane perturbetur. Humanæ enim societatis fundamentum est societas viri et conjugis, quæ est omnium prima, nec incolumis esse potest, sine mutuo utriusque amore, et communi liberorum ac rei familiaris cura, quæ cum adulterio stare nequeunt. Præterea adulteria parentum sunt liberis efficacissimum scortandi exemplum; quod si promiscue fieret, actum quoque esset de societate humana. Talia ergo sunt vetita, hominum causa; quibus vehementer nocerent. Alioqui *libido*, seu cupiditas alterius sexus, nihil habet per se mali, si intra limites a Deo, imo et ab ipsa Ratione, præscriptos maneat. Quamobrem ita constituta sunt a Deo omnium animalium corpora, ut cum adoleverunt, ea cupiditas in iis, mechanico impetu, excitetur, non aliter ac cupiditas edendi aut bibendi. Consectarium est naturæ corporis, quale a Deo creatum est, ut ex brutis et ex ipso consilio propagationis generum intelligere est. Igitur vere dixit Evodius de adulterio: *Non sane ideo malum est, quia vetatur lege; sed ideo vetatur lege, quia malum est;* sed Augustinus minus commode indicavit cur sit malum. Similiter est ratiocinandum de homicidiis, et furtis, de quibus postea noster, et quæ mala sunt, quia sunt prorsus humanæ societati contraria; ac proinde ipsius Dei consilio, qui homines in terris collocavit ut amice inter se agerent, eosque qui aliis nocent plecti, quippe qui est ejus societatis auctor ac vindex.

Cap. 12, § 25. A. *Quæro abs te, sitne aliqua in nobis voluntas?* E. *Nescio.*] Mirum est Evodium, qui passim sat acute ratiocinatur, et interroganti prudenter respondet, hic tam stupidum fingi ut scire se neget, an insit hominibus voluntas. Qui postea lib. III, § 3, dicere potest idem Evodius; *quid suum dicat prorsus non invenire, si voluntas qua vult et non vult non est ipsius?* Sed Platonicorum dialogorum ambages talia multa habent, quæ nescio cui rei apta sint, nisi ad creandum lectori tædium.

Libro II. Cap. 2, § 5. *Ego demonstrarem quod cuivis facillimum, quanto esset æquius... ut etiam ipse tantorum virorum libris, qui se cum Filio Dei vixisse testatum litteris reliquerunt, esse Deum crederet*, etc.] Prius tamen ostendendum esset libros illos esse fide dignos, quod non brevius fieri potest, quam naturali ratione demonstrari Deum esse.

Ibid., § 6. *Frustra propheta dixisset:* Nisi credideritis, non intelligetis.] Jam antea ostendimus a propheta tale nihil dictum, ad lib. I, cap. 2.

Ibid. *Ipse quoque Dominus noster et dictis et factis credendum primo hortatus est, quos ad salutem vocavit.*] Recte dicit *factis*, nam miraculis ostendit se esse fide dignum, antequam fidem sibi haberi exigeret. Sed verum est pleniorem cognitionem fidei esse sequelam, ita ut generalior cognitio fidem pariat, et fides vice versa accuratiorem cognitionem generet.

Libro III. Cap. 3, § 7. *Non voluntate autem volumus; quis vel delirus audeat dicere?*] Vult Augustinus ostendere qui Deus libera possit præscire; sed ante omnia oportuisset definire *libertatem*, nec eam confundere cum *voluntate:* hæc enim non sunt semper conjuncta, ut postea videbimus.

*Quamobrem quamvis præsciat Deus nostras voluntates futuras, non ex eo tamen conficitur ut non voluntate aliquid velimus.*] At distinguenda sunt duo genera rerum quæ *voluntaria* dici possunt. Sunt enim quæ *volentes* quidem facimus, sed minime tamen libere; nam *libertas* est ea animi facultas qua possumus aliquid facere aut non facere; sunt autem quædam quæ ita volumus, ut ea non possimus nolle. In judicio ferendo de dogmate quopiam, dum obscuris rationibus nititur, quæ neque manifesto falsæ videntur, nec manifesto veræ, possumus id dogma rejicere aut amplecti, libertateque adeo nostra utimur. Sed si nobis proponatur axioma quoddam mathematicum, aut propositio ex eo necessaria consequentia deducta, non est amplius in potestate nostra assensum negare, si modo verba quibus concepta sunt intelligamus. Hic quidem *volentes* assentimur, neque enim aliter fieri potest; sed non libere, nam assensum negare non possumus. De hisce actionibus non quæritur an eas præsciat Deus, sunt enim plane necessariæ; sed nec sunt ulla laude aut vituperio dignæ. Est et altera res, præter summam evidentiam, in quam volentes quidem, sed non libere ferimur, quam exprimit ipse Augustinus sequentibus verbis.

*Nam et de beatitudine quod dixisti, non abs te ipso beatum fieri, ita dixisti quasi hoc ego negaverim; sed eo cum futurus es beatus, non te invitum, sed volentem futurum.*] At hic quoque nulla est *libertas*, omnes enim necessario optant summam beatitudinem, eamque consecuti non possunt in ea non acquiescere. Ideoque hoc exemplum ad rem nihil facit, cum sermo hic sit de *volitionibus*, ut loquuntur scholastici, non necessariis, sed prorsus liberis, ut sunt eæ quæ versantur circa bona singularia, quæcunque tandem sint.

*Cum igitur præscius Deus sit futuræ beatitudinis tuæ, nec aliter aliquid fieri possit quam præscivit, alioqui nulla præscientia est; non tamen ex eo cogimur sentire quod absurdissimum est et longe a veritate seclusum, non te volente beatum futurum.*] Hæc a proposita quæstione sunt aliena; quæritur enim quomodo Deus præsciat an Evodius, verbi gratia, assensum sit præ-

biturus Evangelio, si Evodius eum assensum negare possit; non vero quæ sit futura voluntas ejus, cum beatitatem consequetur.

*Sicut autem voluntatem beatitudinis, cum esse cœperis beatus, non tibi aufert præscientia Dei, quæ hodieque de tua futura beatitudine certa est : sic etiam voluntas culpabilis, si qua in te futura est, non propterea voluntas non erit, quoniam Deus eam futuram esse præscivit.*] Deus prævidit Evodium volentem fore beatum, si beatitatem consequeretur, quia hæc voluntas est plane necessaria, adeoque nec laudanda, nec culpabilis. Verum hoc non quæritur, sed quomodo libere Evangelio crediderit et adhæserit Evodius, ita ut ei fidem detrahere, et ab eo deficere potuerit; et tamen hæc Deus præscire certo potuerit. Fac contra Evodium Evangelio non credidisse aut nuntium remisisse, idque libere, hoc est, ita ut contrarium facere potuerit; volens etiam fecerit, id quod fecit. Quæritur qui Deus eventum prævidere potuerit qui sua natura in alterutram partem determinatus non fuerit. Rem ipsam tractare non aggrediar, quæ sane difficillima est, sed dicam Augustinum non creditum fuisse eam tam levi brachio a se solvi posse, si rem intellexisset. Nunc autem vidimus eam acumen ejus plane fugisse, nisi rhetorica dissimulatione hic usus fuerit; qua forte etiam factum est ut multa aliena ab iis de quibus agere aggressus est misceat, ne nimis jejune eis de rebus agere videatur.

Cap. 10, § 29. *Nam et illud appensum est æquitatis examine, ut nec ipsius diaboli potestati negaretur homo, quem sibi male suadendo subjecerat. Iniquum enim erat ut ei quem cœperat non dominaretur.*] Si quis diceret æquum esse ut monarcha patiatur eos perduellionibus servire quos malis artibus ejus imperio subtraxerunt, profecto non magis ferretur quam si quis diceret iniquum esse ut fur iis spolietur quæ furto surripuit justis dominis. Quis igitur patiatur dici iniquum futurum fuisse si Creator, qui longe optimo jure creaturis suis imperat, eriperet cacodæmoni, creaturæ rebelli, quos malus ille spiritus fraude a Deo alieniores reddidit? Ad me quidem quod attinet, diaboli patronos Manichæos et omnes alios similia delirantes, non possem, nisi infelicissimos rhetores, ut mollissime loquar, habere.

Cap. 17, § 50. *Quæcunque ista causa est voluntatis* (scilicet, malæ), *si ei non potest resisti, sine peccato ei cedatur; si autem potest, non ei cedatur, et non peccabitur.*] Cum Pelagius hoc loco uteretur contra Augustinum, ut ostenderet non posse damnari eos qui nequeunt resistere nativæ corruptioni, reposuit Augustinus cap. 67, de Nat. et Gratia, ut observarunt Benedictini, posse ei causæ resisti *opitulante eo qui non potest falli*. At si qui non potest falli non opitulatur, nisi perpaucis, atque ejus auxilium sit plane necessarium ad resistendum, quemadmodum putabat Augustinus; sequitur a cæteris peccandi causæ non posse resisti, ac proinde sine peccato ei cedi. Nam quisquis id non facit quod facere non potest, peccare dici nequit, aut certe pœnas nullas debet. Scio quæ dici hac de re soleant; sed profecto regulæ Augustinianæ, quam hoc in opere de Libero Arbitrio ponit, immutabili quippe justitia nixæ, tenebras offundere non possunt.

Cap. 19, § 53. *Nulli enim homini oblatum est scire utiliter quæri quod inutiliter ignoratur.*] Hanc plerorumque codicum lectionem esse testantur Benedictini. Sed omnino legendum est *ablatum*, non *oblatum*. Hæc enim est Augustini sententia, nemini esse hanc ablatam cognitionem, ea utiliter quæri, quorum non constat ignorantiam esse utilem. Sane ita hæc vox legitur in editione Basileensi, et forte typographico mendo laborat hic Parisiensis. Vide § 57.

Cap. 20, § 55. *Ut meliores gigneret quam ipse esset, non erat et æquitatis.*] Nec iniquum hoc erat, si ita Deo visum fuisset; nec etiam æquum, ita ut Deus, nisi contingeret, iniquitatis insimulari posset. Ordo duntaxat a Deo in omnium animalium propagatione institutus non patiebatur liberorum corpus melioris esse conditionis quam progenitorum corpora. Sed an æquum erat animos posterorum Adami pœnas luere peccati ab ipsis non admissi, et quod ne committeretur nulla ratione impedire potuerunt?

§ 56. *Si una anima facta est, ex qua omnium hominum animæ trahuntur nascentium, quis potest dicere non se peccasse, cum primus ille peccavit?*] Sed qui animam ex traduce esse voluerunt, non usque adeo delirarunt, ut putarint universam omnium animarum molem, ut ita loquar, in Adamo fuisse, quæ postea particulatim discerpta in posteros dividatur; sed nasci ut corpus, nec existere antequam nascatur. Sequentia verba obscurissima sunt, nec a scriptore ipso intellecta a me impetro ut credam. Quare non laborabo in iis explicandis.

Cap. 22, § 63. *Peccata, ut jam diu disserumus, nonnisi propriæ voluntati earum* (nimirum, animarum) *tribuenda sunt, nec ulla ulterior peccatorum causa quærenda.*] Quæ hæc rectissima sint ego quidem non dubito, sed quomodo consentiant cum iis quæ postea Augustinus docuit de pœnis quas posteri Adami, ut putabat, luunt ob peccatum ab Adamo admissum, non intelligo. Quare miror hæc ab eo retractata non fuisse, nisi fortasse dissimulare maluerit, ne Pelagianis gratificaretur, si fassus esset se in ipsorum sententia fuisse, antequam eos oppugnaret. Nam apparet ex recensione hujus libri, in Retractationibus, Augustinum voluisse videri Pelagianos oppugnasse antequam exorti essent; nedum ut se iis favis e ingenue profiteretur.

§ 64. *Ignorantia vero et difficultas si naturalis est, inde incipit anima proficere, et ad cognitionem et requiem, donec in ea perficiatur vita beata, promoveri*, etc.] Hæc quoque dicentiunt ab iis quæ paulo ante contra Pelagianos dixit; nam illas habuit pœnas primi peccati; absque quo fuisset, aliter plane essent homines nati.

Cap. 23, § 66. *Non enim metuendum est ne vita esse potuerit media quædam inter recte factum atque peccatum et sententia judicis media esse non possit inter præ-*

*mium atque supplicium.*] Hæc, quæ de infantium conditione habet, ut et sequentia, consentanea minime sunt iis quæ de pœnis peccati originis postea docuit. Volumen decimum ferme totum, et præsertim libri contra Julianum contraria omnia docent. Itaque retractanda hæc fuissent. Sed vide dicta ad num. 63.

Cap. 24, § 71. *Ut ergo infans nec stultus, nec saviens dici potest, quamvis jam homo sit; ex quo apparet naturam hominis recipere aliquid medium, quod neque stultitiam, neque sapientiam recte vocaveris : ita etiam, si quisquam tali affectione animatus esset, qualem habent illi qui per negligentiam sapientia carent, nemo eum stultum recte diceret, quem non vitio, sed natura talem videret.*] Sic describit Adamum primum creatum ut neque sapiens, neque stultus dici posset, sed sapientiæ capax; ex qua descriptione facile postea ostendit qui homo potuerit labi, dum ex media illa conditione ad stultitiam transiit. At propter hoc dogma, quod retractare noluit Augustinus, et cujus causa nunquam est damnatus, miris conviciis exagitati sunt sæculo a Christo nato XVII recentiores nonnulli theologi. Sic sæpe animadvertimus per latus recentiorum, quos oderant, gravissime vulneratam esse existimationem veterum ab hominibus imperitis; qui eos se revereri profitebantur, quorum scripta non legerant, aut oscitanter versaverant.

## ANIMADVERSIONES
### IN LIBROS DE GENESI.

Libro I, cap. 2, § 3. *His respondemus* Deum in principio fecisse cœlum et terram, *non in principio temporis, sed in Christo..... Dominus enim noster Christus, cum eum Judæi interrogassent quis esset, respondit :* Principium, qui et loquor vobis.] Locus est Joan. VIII, 25. Sed erravit Augustinus deceptus versione Latina; si enim Græca tunc legisset, vidisset Christum dicere accusativo casu τὴν ἀρχὴν, ac proinde non posse hoc haberi pro Christi nomine. Hanc tamen suam interpretationem tueri conatur tract. 38 in Joannem, forte ne male a se intellectum hunc locum ignorantia Græcæ linguæ liqueret. Vide Joan. Maldonatum ad hunc locum.

Cap. 10, § 16. *Sic deinceps reliqui dies computantur a mane usque in mane.*] Fallitur, nam νυχθήμερα, more Hebraico, constanter computantur a vespera ad vesperam, ita ut semper diem præcedat vespera. Res nunc omnibus nota est, sed eo tempore accurata Scripturarum interpretatio ferme ignota erat, ut liquet vel ex lectione horum librorum, quorum παρερμηνείας notare non aggrediemur.

Cap. 15, § 24. *Mons ille Macedoniæ qui Olympus vocatur, tantæ altitudinis esse dicitur, ut in ejus cacumine nec ventus sentiatur, nec nubes se colligant*, etc.] Multi hoc scripserunt, sed fabulam esse jam nemo dubitat : ut nec quisquam etiam physicæ paulo peritior vapores cum aere confundit. Itaque talia prætermittimus.

Libro II, cap. 24, § 37. *Quod ipsum non commutationem naturæ Dei significat, sed susceptionem* (naturæ) *interioris personæ, id est humanæ.*] Recte monachi Benedictini, ex auctoritate codicum manu descriptorum, expungunt vocem *naturæ* uncinis cinctam. Neque videtur ulla alia de causa addita, nisi quia theologiæ consentaneum non videbatur dici Verbum suscepisse personam humanam : cum, ex more recepto, dicatur humana natura a divina in unitatem personæ assumpta. Verum hic Augustinus, non sensu illo theologico, sed vulgari et Latino usus est voce *persona;* quo significat, non ὑφιστάμενον, ut theologi Græci loquuntur, sed certam quamdam conditionem quam actionibus effingimus. Perinde ergo est ac si dixisset, Verbum, ante incarnationem sublimem personam Dei gessisse; sed, assumpta humana natura, inferioris personæ partes sustinuisse. Nemo nescit vulgo ita locutos Latinos. Augustinus ipse epist. 140, § 18, de Christo ita loquitur : *Hæc ex persona sui corporis Christus dicit quod est Ecclesia. Hæc ex persona dicit infirmitatis carnis peccati, quam transfiguravit in eam, quam sumpsit ex Virgine, similitudinem carnis peccati. Hæc sponsus ex persona sponsæ loquitur, quia univit eam sibi quodam modo.* Igitur in hisce verbis Augustini eadem est sententia quæ inest verbis apostoli Philip. II, 6, 7, 8.

Cap. 29, § 43. *Illi dicunt naturæ Dei nocere aliena peccata; nos negamus, sed dicimus nulli naturæ nocere peccata, nisi sua.*] Ut hoc intelligatur legenda expositio doctrinæ Manichæorum, quæ habetur in libro de Hæresibus, ubi de origine mali et duabus animabus. Sane abusi essent hoc loco Pelagiani, si eum ad sententiam suam traxissent, sed non eadem est ratio locorum lib. III de Libero Arbitrio, quos tamen indictos prætermisit Augustinus, dum alios qui multo minus torqueri poterant explicat. Qua in re an ars aliqua fuerit, judicent alii. Candorem quidem et modestiam præ se ferunt retractationes; sed debent ingenue fieri, retractatis quæcunque falsa putantur, non paucis quibusdam exigui momenti, relictis gravioribus, ne forte adversarii objiciant se similia sentire. Sed Augustini animum noverat Deus.

## DESIDERII ERASMI CENSURA
### IN LIBROS DE MORIBUS ECCLESIÆ CATHOLICÆ ET MANICHÆORUM.

Duo opuscula quæ sequuntur, alteri loco fuerant destinata, prius πολεμικῶν, posterius διδακτικῶν. Verum quoniam altero fortissimus tiro velitanus est in hæreticos, altero mirandus doctor futurus prælusit in expositionem mysticarum Scripturarum, quæ juxta varios sensus tractantur, visum est huic tomo clausulam addere. Mox ut nomen dederat imperatori Christo, quo commilitonibus suis certissimam fidem faceret se bona fide a Manichæis transfugisse, sub quorum signis novem annis militaverat, prodit illorum mysteria. Idque facit admirabili sermonis elegantia, qua utinam illi licuisset in cæteris uti lucubrationibus. Hoc sane opere declaravit, si quid offendit eruditos in ipsius dictione, non fuisse inscitiæ, sed caritatis, qua stylum demisit ad imperitorum intelligentiam. Quandoquidem et textores et textrices id temporis intelligebant Latinam orationem simpli-

cit us verbis ac sensibus contextam, qualis est divi Gregorii, non intellecturi dictionem Hilarii. Itaque quo latius pateret lectionis utilitas, ad vulgi captum mutavit stylum in opere posteriore, quod idem in plerisque suis operibus fecisse videtur. Tandem usus, ut fit, in naturam abiit. Ita denique factum est, ut hodie nec a tenuiter litteratis satis intelligatur, et a politioribus non sine tædio legatur, nisi pietas excludat fastidium.

## ANIMADVERSIONES
### IN EOSDEM LIBROS.

Libro I. Cap. 2, § 3. *Naturæ quidem ordo ita se habet, ut cum aliquid discimus, rationem præcedat auctoritas.*] Nempe, si pueri magistrum discendi causa adimus. Ei enim tantisper credere nos par est, donec per nos ipsi res expendere possimus. Verum in controversiis tali instituto locus nullus est, cum neutra contendentium pars alteram pro magistro habeat. Itaque mirum est addere Augustinum : *Sed quoniam cum iis nobis res est qui omnia contra ordinem et sentiunt et loquuntur, nihilque aliud maxime dicunt, nisi rationem prius esse reddendam, morem illis geram; quod fateor in disputando vitiosum esse suscipiam.* Atqui absurdum et iniquum erat aliter se gerere : quis enim patiatur ex auctoritate contra se disputari, cujus pondus minime agnoscit? Vide notata in cap. 7 libri de Quantitate animæ.

Cap. 5, § 7. *Est ergo summum corporis bonum, non voluptas ejus, non* INDOLORIA, *non vires*, etc.] Cum vox *indoloria* Latina non sit, legamusque in aliis editionibus *indolentia*, mendum hoc erit typographicum; neque enim ulli codices notantur ita habere, nec, si haberent, essent fide digni. Notum est *indolentiam* vocem esse Ciceronianam.

Cap. 31, § 67. *Quis non illos miretur et prædicet, qui, contemptis atque desertis mundi hujus illecebris, in communem vitam castissimamque congregati simul ætatem agunt?* etc.] Egregie describit mores cœnobitarum, sed quales debuissent esse, non quales erant. De seditionibus eorum, nimis multa leguntur in Ecclesiarum Orientalium historia, quam ut huic panegyristæ credamus. Interea optima erat eorum eo suetudo, quam hisce verbis describit : *Operantur manibus ea quibus et corpus pasci possit, et a Deo mens impediri non possit.* In quibus forte legendum *et adeo*, nam vix puto dici *impediri mentem a Deo*, pro eo quod est, impediri ne Deo adhæreat, avocari a Deo. Hoc ab hodiernis mendicis, ut vocantur honoris causa, probe essent pensitanda.

Libro II. Cap. 13, § 28. *Possunt et catholici Christiani vestram a vino et carnibus abstinentiam jumentis et multis passeribus, postremo etiam innumeris generibus vermium comparare.*] Suntne ergo aliqui passeres qui comedant carnes et bibant vinum? Nulli. Igitur pro *et multis* lege *mulis et*. Respicit Augustinus ad id quod sanctimonialibus objiciebant Manichæi : *etiam mula virgo est*, de quo paulo antea. Cum scriptum fuisset *multis* pro *mulis*, postea conjunctio loco mota est. Vellem diligenter hic inspectos fuisse codd. mss.

Ibid., § 29. *Bibat autem mulsum, carœnum passum.*] Inter *carœnum* et *passum* est interponendum comma; nam carœnum et passum non sunt idem. Augustinus infra, § 47, nos docet carœnum *nihil aliud quam vinum coctum esse.* Palladius in octobri, tit. 18, ostendit defrutum et carœnum ex musto fieri, tum discrimen utriusque sic exponit : *Defrutum a defervendo dictum, ubi ad spissitudinem fortiter despumaverit, effectum est. Carœnum, cum, tertia perdita, duæ partes remanserint.* Κάρηνον autem dictum, quod τὸ κάρα offendat, ut cariotæ palmæ, ex quibus vinum fiebat quod καρηβαρίαν creabat, ut docet Plinius lib. XIII, cap. 4. *Passum* vero erat vinum, quod ex passis uvis fluebat, de quo idem Palladius tit. sequente.

Cap. 15, § 39. *Cur in viola eumdem colorem amplectimini, quem in choleribus, in morbo ictericorum, in infantis denique fimo aspernamini.*] Vix puto in Africa *choleres* dictos fuisse *cholericos*, malimque legi *cholericis*, a cholera, quo morbo *bilis*, seu χολὴ *supra infraque erumpit*, ut docet Celsus de Medicina lib. IV, cap. 2.

Cap. 19, § 69. *Eo tempore quo conventicula eorum lege prohibebantur.*] Videtur respicere ad annum 372, quo a Valentiniano et Valente sancitum est ut *ubicunque Manichæorum conventus, vel turba hujusmodi reperiretur, doctoribus gravi censione mulctatis, domus et habitacula in quibus profana institutione doceretur, fisci viribus indubitanter asciscerentur.* Verba sunt legis 3, tit. 5, lib. XVI, codicis.

## ANIMADVERSIONES
### IN LIBRUM DE VERA RELIGIONE.

Cap. 2, § 3. *Quod utrum timore severitatis an aliqua cognitione temporum fecerint, judicare non est meum.*] Cum novem mss. codd. omittant vocem *severitatis*, abesse ab hoc loco eam oportere putarim et sic legendum : *timore temporum, an aliqua cognitione veritatis fecerint.* Satis perspicua est sententia, et ad *timorem* quidem *temporum* quod attinet, locutionem hanc suam esse docet ipse Augustinus § 5, ubi de Platone : *Usque adeo perversam temporum horum timuit opinionem.*

Cap. 4, § 7. *Si hanc viam illi viri nobiscum rursus agere potuissent, viderent profecto cujus auctoritate facilius consuleretur hominibus, et paucis mutatis verbis atque sententiis Christiani fierent : sicut plerique recentiorum nostrorum temporum Platonici fecerunt.*] At tempore Juliani imp. Platonici fuere infensissimi Christianis et superstitiosissimi. Tales etiam magistri Procli, et Proclus ipse, qui natus est Byzantii sub finem vitæ Augustini. Vide Prolegomena viri doctissimi Joan. Alberti Fabricii in ejus Vitam a Marino Neapolitano conscriptam. Nimis bene sentiebat Augustinus de Platonicis, religionemque Christianam propiorem eorum dogmatibus putavit quam est revera.

Cap. 14, § 27. *Usque adeo peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium; et hoc quidem ita manifestum est, ut nulla*

*hinc doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat.*] Nempe, si *voluntarium* dicatur *liberum*, ita ut possit admitti peccatum aut non, et quidem ab ipso peccante. Ita sentiebant omnes mortales ante controversias Pelagianas; nec aliter sensisset ipse Augustinus, si post mortem ejus natæ demum fuissent. Itaque hæc frustra cum sententia quam postea amplexus est in concordiam redigere conatur Retract. lib. 1, cap. 13, § 5, quasi *voluntarium* dicatur tantum quod insidet voluntati, quamvis liberum non sit.

Cap. 55, § 3. *Honoramus eos caritate, non servitute; nec eis templa constituimus, nolunt enim se sic honorari a nobis*, etc.] Hæc expendant qui volunt angelos cultu δουλείας, hoc est *servitutis* coli, videantque quomodo se sentire et loqui cum Augustino dicere possint. Attamen jam ejus ævo quædam cœperant vulgo fieri quæ, quanquam a prudentioribus damnata, paulatim intromissa sunt. Sic libro 1 de Moribus Ecclesiæ catholicæ, § 7. *Novi*, inquit, *multos esse sepulcrorum et picturarum adoratores*, quos Ecclesiæ catholicæ a Manichæis objici non vult, et qui tandem maximus numerus facti sunt.

## DESIDERII ERASMI CENSURA
### IN REGULAM DIVI AUGUSTINI.

Hæc regula et sententiis et dictionis figura refert Augustinum, quin et pia civilitate humanitateque præfert auctorem suum: quanquam probabile est eam non clericis, sed feminis esse scriptam, quæ in unum collectæ sub moderatione sororis Augustini vivebant. Eam præpositam vocat, sed omnium summa potestas erat penes presbyterum. Nonnullis autem immutatis accommodarunt eam viris, velut ubi de modestia cultus præcipit feminis: *Non sit notabilis habitus vester, nec affectetis vestibus placere, sed moribus; ne sint vobis tam tenuia capitum tegmina; ut retiola subter appareant.* Sic enim arbitror legendum: *Capillos ex nulla parte nudos habeatis, nec foris vel spargat negligentia, vel componat industria:* quod viris accommodari non poterat omiserunt. Et in proximo: *In omnibus motibus nihil fiat quod cujusquam illiciat libidinem;* sic mutatum est, *quod cujusquam offendat aspectum.* Rursus quod præcipit de non aspiciendis feminis; item de hoc, ut bini aut terni procedant, de lavandis propriis vestibus, de operando in commune, aliaque permulta parum congruunt in clericos ejus temporis, quorum tum erat major et libertas et dignitas. In calce alludens ad formæ studium, speculum et odores quibus femineum genus peculiariter delectatur, quæ dicit: *Donet Dominus ut observetis hæc omnia tanquam spiritalis pulchritudinis amatrices, et bono Christi odore, de bona conversatione fragrantes, et vos autem in hoc libello tanquam in speculo possitis inspicere*, etc., non perinde quadrant in viros. Sunt alia quædam, verum hæc exempli causa proposuisse sufficit. Postremo ut nihil sit quod non possit ad clericos detorqueri, certe nihil est hic quod illis cum feminis non sit commune. At quam multa erant præscribenda de presbyterorum, hypodiaconorum ac diaconorum officiis, si illis regulam præscribendam judicasset? Et tamen hæc regula fundamentum est multorum ordinum, quam feminis traditam utinam bene servarent viri. Habetur autem in epistola 119. Ineptum est autem de hujus viri titulo contendere: magis ad rem pertinet pietatis et eruditionis illius æmulatione decernere, ut ii optimo jure dicantur Augustinenses qui virtutes Augustini proxime referunt. Illud constat orationem quæ *cucullæ* et *balthei* meminit, sub Ambrosii nomine confictam esse. Nec ipse Augustinus usquam se monachum vocat, nec suos clericos eo nomine designat, quanquam exiguum in cognomine momentum est. Ipse fatetur se reliquisse omnia, et eodem multos provocasse; tum in oratione quadam apud populum, negat se usurum *pileo rubro*, quod *pyrrhum* dicitur, nos corrupte *byrrhum* vocamus. *Decet* (inquit) *episcopum, at non decet Augustinum:* ubi magis dicendum erat, non decet monachum. In libris de Moribus Ecclesiæ, præter anachoretas et cœnobitas, tradit genus tertium, eorum qui quoniam in eremum secedere non erat commodum, vel ob parentes, vel ob liberos, aut alias causas, tamen non quietius viverent, complures in iisdem ædibus commorabantur, nullo imperio, sed libera caritate omnia moderante. Eos conventus *diversoria* vocat, quæ Romæ permulta viderat. Hoc exemplum videtur imitatus in Africa, sic ut nec cultu notabiles essent, quemadmodum monachi, et liceret ab eo convictu discedere, si cui parum esset commodus: licet Possidius appellet ea *Monasteria.*

## ANIMADVERSIONES
### IN EAMDEM REGULAM.

§ 2. *Quid prodest dispergere dando pauperibus et pauperem fieri, cum anima misera superbior efficitur divitias contemnendo quam fuerat possidendo?*] Nolim quidem damnare eos qui, cum sentiant se impares esse periculis quæ in vita communi bonis imminent, solitudinem et secessum monasteriorum quærunt. At debent ante omnia sibi cavere non modo a crassioribus vitiis carnis, quibus omnes offenduntur, sed et ab occultioribus, qualia sunt superbia, imperandi cupiditas, temere de hominibus rebusque ignotis judicandi prava consuetudo, tyrannis in rebus ecclesiasticis, factiosa indoles, pigritia, iracundia, simultates implacabiles, et alia id genus; quæ in secessibus monasteriorum non aliter regnant quam in frequentissimis aliorum hominum conventibus ac societatibus. Quare viri prudentes et vitæ humanæ peritiores, ut Desid. Erasmus et alii, sæpe de monastico vitæ instituto locuti sunt, quasi de vitæ genere non minus saluti periculoso quam est quodvis aliud. Interea si hanc Augustinianam regulam observarent, sine dubio tam frequentes de iis non essent querelæ quam adhuc fuerunt.

# IN TOMUM SECUNDUM,

DESIDERIUS ERASMUS PIO LECTORI S. D.

Ex calce secundi libri Retractationum, item ex epistola quæ præfixa est Catalogo hæreseon ad Quodvultdeum, satis quidem perspicuum est, id temporis nec epistolas, nec populares orationes ab Augustino fuisse digestas : nec post id ab eo curatum, vel illud arguit, quod in hoc volumine, neque temporum, neque personarum, neque materiarum ulla videtur habita ratio. Certius autem id arguit, quod quædam admistæ fuerant, quæ primo statim gustu deprehendebantur Augustini non esse, quas, addita censura, notavimus : nonnullæ simpliciter confictæ, quod genus sunt illæ Bonifacii ad Augustinum, Augustini ad Bonifacium. Nullam tamen omnino loco movimus, præter unam et vehementer prolixam, et insigniter illitteratam : ne id quidem facturi, nisi eadem in tomis haberetur. Tanta nobis cautio fuit, ne quis quid de nostra queri possit industria. Ad hæc inspersæ sunt nonnullæ, quas Augustinus ipse in Retractationibus libros appellat. Quanquam interdum subdifficile est epistolam a libro distinguere. Augustinus alicubi sic loquitur, quasi brevitas aut prolixitas tribuat adimatve nomen epistolæ verius quam orationis genus aut argumenti ratio : præsertim cum hoc exemplum ab apostolis venerit, ut argumenta, quamvis seria, committerentur Epistolis. Si quidem exceptis Evangeliis, quo nomine complectimur et apostolorum gesta, præter Epistolas nihil scripto prodiderunt, sed eas de rebus haudquaquam familiaribus, tum quas vellent ab omnibus legi. Alicubi putat epistolam non videri, quæ non præferat nomen et scribentis, et ejus ad quem scribitur. Et sane sunt aliquot, quas vere possis epistolas dicere, referentes familiare quiddam, et instar humani colloquii, licet perpaucæ. Verum hac de re liberum esto suum cuique judicium. Illud ausim affirmare, non alio in opere magis elucescere sanctissimi viri pietatem, caritatem, mansuetudinem, humanitatem, civilitatem, studium crediti gregis, amorem concordiæ, et zelum domus Dei. Ut satagit, ut molitur, ut se vertit in omnia, quoties affulsit aliqua spes pertrahendi vel paganum ad Christum, vel hæreticum ad Ecclesiæ communionem? Ut se submittit, ut (juxta Paulum) mutat vocem suam, undiqua que venans occasionem excitandæ propagandæque pietatis, ubicunque sentit, aliquam bonæ mentis scintillam residere? Cui mulierculæ, cui plebeio, cui aulico, cui pagano, cui hæretico, non prompte, mansuete, blandeque respondet? Quam anxia sollicitudine pro sceleratissimis, nec una morte dignis, circumcellionibus intercedit? Quis majori studio pro suis amicis interpellavit, quam ille pro suis hostibus? Quanto nixu parturit omnes Christo, quam gratulatur resipiscentibus, quam sollicite prospicit periclitantibus, quam sedulo docet errantes, A mederi studens omnibus, perdere neminem? Quam misere uritur, ad quodvis exortum offendiculum? Videas vere gallinam evangelicam sollicitam et anxiam, ut sub alas colligat foveatque pullos suos. In nonnullis epistolis agnoscere licebit et illud forense dicendi genus, quod Græci δικανικὸν appellant : præcipue cum agit adversus Donati factionem : nec deest argumentorum subtilitati, quæ illi peculiaris est, δείνωσις. Verum sive docet, sive corripit, sive pugnat cum deploratis hostibus, nusquam tamen non sentias Christianæ caritatis nativam dulcedinem : ut (si tamen congruit hæc collatio) mihi videatur quemdam e comœdia referre Mitionem, qui tum etiam mitis est, cum objurgat maxime. In hoc uno velut in speculo contemplari licet episcopum, qualem depinxit B Paulus, ἀνεπίληπτον, νηφάλιον, σώφρονα, κόσμιον, φιλόξενον, διδακτικὸν, μὴ πάροινον, μὴ πλήκτην, μὴ αἰσχροκερδῆ, ἀλλ' ἐπιεικῆ, ἄμαχον, ἀφιλάργυρον, μὴ αὐθάδη, μὴ ὀργίλον, φιλάγαθον, ἐγκρατῆ, ὅσιον, δίκαιον, ἀντεχόμενον τοῦ κατὰ τὴν διδαχὴν πιστοῦ λόγου, δυνατὸν καὶ παρακαλεῖν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαινούσῃ, καὶ τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν μετὰ πάσης πραότητος. Ad hoc speculum si sese contemplentur episcopi, et qui præcipuam episcoporum functionem occupant theologi, pudebit, opinor, quosdam sui supercilii cum insciția conjuncti : pudebit sævitiæ cum impuris moribus copulatæ. Ex aliis Augustini Libris perspicere licebit, qualis fuerit adhuc infans in Christo : ex aliis, qualis fuerit juvenis, qualis senex : ex hoc uno volumine semel totum Augustinum cognosces. Uberiores fruC ctus nobis dedisset illud ingenium, si in Italia, Galliave, vel nasci, vel vivere contigisset. Rudis erat Africa, voluptatum avida, studiorum inimica, curiosarum rerum appetens. Unde frequenter exercent illum quæstionibus subfrivolis, nec multum facientibus ad pietatem : et ad suæ gentis affectus sæpe cogitur attemperare calamum. Verum tali excolendo senticeto tali opus erat agricola. Quanquam digniora lectu scripturus erat, si vel ad Romanorum aut Græcorum judicia se composuisset, vel minus indulsisset simplicium imperitiæ. Sed Christiana caritas prius habet prodesse quam plurimis, quam probari præcipuis, fraternæ salutis quam suæ gloriæ sitientior. Quosdam autem, præcipue mulierculas, pia quædam habebat ambitio, pulchrum esse ducentes, qualecunD que scriptum impetrasse ab episcopo. Ita factum est, ut dum vir pius omnium votis obsequitur, minus alicubi satisfaciat lectori fastidioso. Vix quemquam crediturum opinor, quantum mihi sudoris exhaustum sit in tollendis mendis, ac reponenda sermonis confusissima distinctione. Sed ea demum perfecta est eleemosyna, quæ confertur nescienti ; generosior etiam, quæ confertur aversanti. Hæc Christo feneramus, non hominibus : quorum vix credibilem ingratitudinem, in nimium multis, experimur. Quan-

quam horum malitia nequaquam nos a benefaciendi A studio deterrebit unquam : cum optimæ fidei debitore nobis res est. Ne quid omittam, ab hujus voluminis calce resecuimus loquacissimam coronidem sub titulis Cyrilli, subito Latine loquentis, et Augustini Græco male Latine scribentis, impudentissime confictam : cujus tamen legendæ si quem forte tenet libido, reperiat inter ea quæ divi Hieronymi tomis adjuncta sunt. Illic expleat sese affatim, qui talibus capitur deliciis. Hæc, cordate lector, fac evolvas attente : non pœnitebit insumpti temporis. Bene vale. Dat. Basileæ, anno 1527.

## J. PHEREPONI ANIMADVERSIONES IN EPISTOLAS.

Epist. 1, § 1. *Academicos ego, ne inter jocandum quidem, unquam lacessere auderem ; quando enim me* B *tantorum virorum non moveret auctoritas ; nisi eos putarem longe in alia, quam vulgo creditum est, fuisse sententia ?* ] *Quando* hic est, aut pro *quomodo ;* vel, mutata interrogatione negante in simplicem affirmationem, perinde est ac si dixisset : *semper me moveret*, etc. Sensus est : motus fuissem auctoritate tantorum virorum, nec eorum sententiam oppugnare ausus essem, nisi mihi constaret aliam fuisse, adeoque me, dum aggredior id quod sensisse dicuntur, eorum vera dogmata nequaquam attingere. Certe Augustinus lib. III, 17, operis contra Academicos, ostendit dissimulasse eos suam sententiam, nec minus dogmaticos fuisse, quam cæteros philosophos. Sed et hoc ad hunc locum observandum, Augustinum postea pœnituisse, quod usque adeo extulisset aca- C demicos. Vide Retract. lib. I, num. 4.

Ibid. *Erit mihi satis congruisse temporibus, ut si quid sincerum de fonte Platonico flueret, inter umbrosa et spinosa dumeta, potius in pastionem paucissimorum hominum duceretur, quam per aperta manans, irruentibus passim pecoribus, nullo modo posset liquidum purumque servari.* ] Lege *potionem* aut *potationem*, nam liquore *potamur*, non *pascimur*.

Ibid. *Contra ejusmodi homines opinor ego illam utiliter excogitatam Dei veri artem ac rationem.* ] Crediderim scriptum ab Augustino fuisse *abscondendi veri*, atque extritis tribus prioribus syllabis, cum superesset . . . . *di veri*, exscriptores monachos fecisse *Dei veri*. Alioqui si vera hæc sit lectio, dicendum erit, hoc in loco respicere Augustinum ad parabolas, qui- D bus utebatur Christus, ne arduam veritatem deridendam objiceret multitudini non satis religiosæ. Qua de re vide Matth. XIII, 11 et seqq., atque ad eum locum interpretes.

Ibid. *Amiculo corporis.* ] Hoc est, pallio tenus philosophos, qui nihil habebant philosophicum præter amiculum.

Epist. 3, § 1. *Quem Plato noverat.*] Intelligit ideam hominis intelligibilis, quam Plato sibi animo effinxerat. Vide contra Academicos lib. III, cap. 17.

Epist. 7, § 3. *Anima, priusquam corpore utatur ad corpora sentienda, eadem corpora imaginari potest*, etc. ] Hic loquitur Augustinus ex dogmate Platonis, qui existimabat mentes humanas prius fuisse quam conjungerentur cum corporibus. Vide Retract. lib. I, cap. 1, num. 3; et lib. XII de Civ. Dei, cap. 26. Origenes et nonnulli alii Patres eam sententiam ex Platone hauserant. Adito et illustriss. P. Dan. Huetii Origenianorum lib. II, Quæst. 6.

Epist. 8, § 1. *Qua arte, quibus manganis, quibusve instrumentis, aut medicamentis ?* ] Hoc est, artibus miris, quales sunt præstigiatorum. Hesychius : Μάγγανα, φάρμακα, δίκτυα, γοητεύματα. Interpretatur tamen et μηχανεύματα, *machinationes*. Inde μαγγανεία significat γοητείαν, ut docet Suidas ex Procopio. Hæc omnia ficta videntur a voce μάγος. Glossæ veteres habent etiam hanc vocem Latine : Μάγγανον, *manganum*.

Epist. 10, § 2. *Deificari enim utrisque in otio licebat.* ] Hoc est, Deo similes fieri, quod θεοῦσθαι frequenter Græci Patres vocant. Eodem sensu ac hic Augustinus, Gregorius Nazianzenus vocat solitudinem θεοποιὸν, *deificam*, initio orat. 2. Alibi non raro similibus locutionibus utitur ; ut et Dionysius, qui dicitur Areopagita.

Epist. 14, § 2. *Remove nos et pone Glauciam prolem, nihil egeris, Quippe his etiam simillimis tanta est necessitas, ut proprie moveantur, quanta fuit ut singuli nascerentur.* ] *Glaucia proles* proverbium est, ductum a Glauci nescio cujus gemellis filiis, et omissum parœmiographis.

Ibid., § 3. *Proceritas Nævii pede longioris quam qui est seu longissimus.*] Locus corruptus. Legendum, *quam qui est ex longissimis*. Columella de R. R. lib. III, cap. 8 : *Nam et M. Tullius Cicero*, inquit, *testis est Romanum fuisse civem Nævium Pollionem, pede longiorem quam quemquam longissimum.* Hujus meminit etiam Plinius Hist. nat. lib. VII, cap. 16.

Ibid., § 4. *Rationem contineat.* ] Hoc est, ut loquebantur Stoici, σπερματικὸν λόγον, *rationem seminalem*. Vide Diogenem Laertium, lib. VII, § 135 et 136. Idem Platonici vocabant *ideam*, seu exemplar intelligibile ad quod singulæ species sunt factæ. Vide Retract. lib. I, cap. 3, num. 2.

Ibid. *Jam excesserim Nævium.* ] Hoc est, tantam epistolam scripserim, ut tanto cæteras superet, quanto Nævius alios homines. Vide ad superiora.

Epist. 16, § 2. *Horum busta, si memoratu dignum est, neglectis majorum suorum manibus, stulti frequentant : ita ut præsagium vatis illius indigne ferentis emineat :* Inque Deum templis juravit Roma per umbras. ] Legendum *jurabit*, ut apud Lucanum, lib. V, 454, nam hunc versum profert Madaurensis Grammaticus, non quasi describentem rem præteritam, sed quasi rei futuræ præsagium. At prava pronuntiatio eorum, qui *b* et *v* confundebant, locum corrupit.

Ibid., § 4. *Per quos.* ] Hoc est, *quos colentes colimus et eorum patrem*, quasi cultus minorum numinum in unius summi gloriam redundasset. Qua ratione multitudinem deorum suorum variumque cultum tunc temporis excusabant ethnici.

Epist. 17, § 2. *Eucaddires.* ] Sam. Bochartus,

Chanaanis sui lib. II, cap. 6, suspicatur legendum *encaddir*, hoc est, חנוך אדיר *hhanouch-addir*, *initiatus magnifici*, nimirum *Dei*.

Ibid. *Abaddires.*] אב אדיר, *ab-addir*, est pater magnificus. Vix crediderim respici ad lapidem a Saturno deglutitum, cum sit sermo non de Græcis, sed de Punicis nominibus.

Ibid. *Namphanio quid aliud significat, quam boni pedis hominem?*] Phœnicie נעם פעמו *naham pahamo*, significat *pulcher est pes ejus*, interpretibus Petito et Bocharto. Vide posteriorem, loco laudato.

Epist. 23, § 4. De circumcisione : *Hoc Sacramentum Jordanem fluvium refrenavit.*] Atqui manifestum est Hebræos etiamnum incircumcisos trajecisse Jordanem, ex Josuæ cap. v, 2 et seqq. ; sed Augustinum fefellit memoria, ratum Israelitas circumcisione demum susceptа trajecisse Jordanem, qua de causa putavit aquas Jordanis stetisse.

Ibid., § 6. *Tollamus a medio inania objecta, quæ a partibus imperitis jactari contra invicem solent, nec tu objicias tempora Macariana.*] Sic dicta a Macario Constantis imp. legato qui Donatistas non parum vexavit, anno Christi 348; ad quem vide Baronium, aut Spondanum.

Ibid. *Circumcellionum.*] Donatistarum seditiosorum, qui *circum cellas* vagabantur, et plebem ad arma capienda hortabantur contra præfectos impp. Vide de iis eosdem ad annum Christi 321.

Ibid. *Dictata divinitus verba credamus.*] Ut eloquentia hujus ætatis tumidior erat, ita et officiosa illa humanitatis verba, quibus vulgo utebatur, erant præter modum hyperbolica, ut passim videre est in horum temporum scriptoribus. Hoc eodem ævo *cœlestia* imperatorum rescripta dicebantur, *cœlestis* aula, et *divinitas* ac *æternitas* eis tribuebantur; quod docebunt Epistolæ Symmachi eos qui rem notissimam eruditis ignorant. Similia etiam passim occurrent in Theodosiano codice. Ejus operosæ et nimiæ humanitatis specimen hic habemus insigne, in laude hyperbolica primorum Augustini scriptorum ; quæ, quamvis spernenda minime sint, attamen neophytum sapiunt, quod non negat ipse Augustinus initio Retractationum. Moris hujusce hyperbolice laudandi et vituperandi nisi gnarus sit lector, sæpe in iis scriptoribus fallatur necesse est. Quod semel monuisse satis erit.

Epist. 26, § 3. *Quis numerum dedit ille tonos ?*] Lege *tonis*, hoc est, quibus tribuit numerum tonitribus, ut versus sequens ostendit. Videtur respicere ad libros Varronis de Musica, ad quos intelligendos indiguisset Licentius Augustino interprete.

Epist. 28, § 2. *De vertendis autem in Latinam linguam sanctis Litteris canonicis, laborare te nollem; nisi eo modo, quo Job interpretatus es; ut signis adhibitis, quid inter hanc tuam, et Septuaginta, quorum est gravissima auctoritas, interpretationem distet appareat.*] Mirum est, hominem modestum, statim ac presbyter factus erat, aggressum esse consilium dare viro multo doctiori, de re cujus plane imperitus erat, cum Hebraice plane nesciret, et Græcam linguam vix delibasset. Nam de laboribus Hieronymianis judicare velle, sine utriusque illius Linguæ diligenti studio, perinde est ac si cæcus natus de coloribus judicare aggrediatur. Sed bene est quod consilium spreverit Hieronymus, cujus judicium postea secuta est universa Ecclesia Latina.

Ibid. *Satis autem mirari nequeo, si aliquid adhuc in Hebraicis exemplaribus invenitur, quod tot interpretes illius linguæ peritissimos fugerit.*] At falso illos peritissimos Hebraicæ linguæ putabat; nam cum illa lingua dudum obsolevisset, cum Vetus Testamentum in Græcam translatum est, nec methodo ferme ulla adjuti fuissent illi interpretes, posteriorum diligentiæ multa emendanda relinquebant. Qua ratione factum est, ut ducentis abhinc annis, alii super aliis Bibliorum interpretes exstiterunt; qui se accuratius quam superiores ea vertere posse, sine ulla superbiæ aut temeritatis nota, existimarunt. Sic fundamento, quo tota ratiocinatio Augustini nititur, subruto, quidquid superædificavit corruat necesse est. Audiamus tamen quæ habet in sequentibus.

*Omitto enim Septuaginta, de quorum vel consilii, vel spiritus majore concordia, quam si unus homo esset, non audeo in aliquam partem certam ferre sententiam, nisi quod eis præeminentem auctoritatem in hoc munere, sine controversia, tribuendam esse existimo.*] Respicit ad putidam fabellam de consensu LXX interpretum, quam merito irrisit Hieronymus, atque exploserunt jam omnes eruditi. Eam lege, si vacat, apud ipsum Augustinum, de Civitate Dei lib. XVIII, cap. 42 et 43. Ubi etiam rejectam docet ipsius ævo versionem Hieronymi, *quamvis Judæi futerentur esse veracem, Septuaginta vero interpretes in multis errasse contenderent.* Dixerit forte quispiam Aristeam, Philonem et Josephum Judæos veram historiam esse credidisse, quæ de consensu LXX interpretum narrabatur ; universamque Ecclesiam Christianam Hieronymo antiquiorem illa esse usam. Sed ut ὕστερον πρότερον respondeam, dicam apostolos, qui apud Græce loquentes Evangelium nuntiabant, illa esse usos, quia nulla alia erat, et ad summam historiæ et religionis Judaicæ quod attinet, et quatenus utilis erat propagationi religionis Christianæ, satis erat fida; non quia eam vitiis omnibus carere putabant. Certe nec ex usu apostolorum, nec ex ullis eorum verbis, colligere licet eam translationem ab iis quasi omnibus numeris absolutam habitam. Si aliter sequentes ætates senserint, non sequitur ita sensisse apostolos. Ad historiam vero Judaicam quod spectat de consensu LXX interpretum, ita est confutata a viris doctis, ut nemo eam defendere cum aliqua veri specie possit. Denique quisquis conferet Hebraicum nostrum exemplar cum ea translatione, comperiet eam scatere vitiis manifestis, ut optimi quique interpretes ostenderunt. Scio non defuisse viros humaniorum litterarum peritos, qui aliter censerent; sed aut nunquam illam collationem diligenter instituerant, aut non intellexerunt utramque linguam, aut pertinacia imbecillitateve judicii laborarunt. Igitur non major potest esse aucto-

ritas LXX interpretum quam res ipsa patitur, quidquid contra ratiocinetur Augustinus. Verum rationem cur vitiosis translationibus et codicibus pertinaciter usa sint indocta illa sæcula, ingenue aperuit Joan. Clericus Quæstione Hieronymiana 9, § 18. Pergit tamen Augustinus de re, quam non intelligebat, argutari.

*Illi*, inquit, *me plus movent, qui cum posteriores interpretarentur, et verborum locutionumque Hebræarum viam atque regulas mordicus, ut fertur, tenerent, non solum inter se consenserunt, sed etiam reliquerunt multa, quæ tanto post eruenda et prodenda remanerent.*] Aquila, Symmachus, Theodotion et alii interpretes Græci, quamvis eruditi, omni erroris periculo exempti non erant; nec linguæ Hebraicæ usque adeo periti, cum dudum intermortua esset, ut nullus post eorum messem spicilegio locus foret. Præterea sunt multa loca Veteris Testamenti aut propter res ipsas nobis ignotas, aut propter codices antiquitate depravatos, obscura; quæ alii aliis melius interpretari nos posse conjecturis et ratiocinationibus, quæ variæ sunt, existimamus. Multa sunt etiam, in stylo ipso priorum interpretum, quæ sequentibus minus placent et emendanda videntur. Aquilæ, verbi gratia, translationes obscuriores erant, quod verbo tenus omnia vertere conatus esset, quam ut a peritis solius linguæ Græcæ intelligi ubique possent. Denique eorum dissensus tantus non erat, ut de summa rei non consentirent. At sacrarum Litterarum studiosi, et qui publice eas apud concionem interpretantur, in sola rei summa non acquiescunt: sed singula, quatenus licet, intelligere conantur. Hæc cum faciliat sint excogitatu rerum peritis, obscura tamen erant Augustino, qui ex auditu de iis interpretibus loquebatur, nec rem ipsam introspicere ipse poterat. Quare hic mere σκιαμαχεῖ, quamvis acute disputare sibi videretur, præsertim in sequentibus verbis.

*Et aut obscura sunt, aut manifesta. Si enim obscura sunt, te quoque in eis falli potuisse creditur; si manifesta, illos in eis falli non potuisse non creditur.*] Multa sunt utriusque generis in Veteri Testamento, atque in maxime quidem perspicuis, quibus continetur summa religionis et historiæ Judaicæ, consentiebant Græci interpretes. In aliis quanquam attendenti et perito claris, multa supererant explicanda, quod priores interpretes aliquando dormitassent, aut quædam assecuti non fuissent; quod omnes postremorum sæculorum interpretes expertos se esse merito dictitant. In obscuris, hoc est in iis quæ ab homine perito ita explanari non possunt, ut ausit affirmare nullam aliam posse verbis subesse sententiam, quid vetat plurium explicationes audire? Annon semper ita solet fieri? Annon Augustinus ipse varias passim interpretationes profert? Nullus interpres sese quasi erroris immunem venditat, sed putat tantum, in ambiguis, verisimiliora quædam aut certe æque verisimilia posse a se proferri. Igitur inane est dilemma Augustinianum; cui aliter etiam reposuit Hieronymus epist. 75 in hoc tomo. Præterea singularem ab eo cæterisque Græce nescientibus, gratiam inire debuit Hieronymus; quod, edita versione sua, possent intelligere quid maxime probabile in Græcis versionibus esset, ex quarum potissimum collatione suam adornaverat. Huc accedebat quod ex comparatione Hieronymianæ versionis cum Græca LXX interpretum, aut ejus translationibus Latinis, non exigua lux lectoribus affulgeret. Nunc vero pro gratiis, quas ei debebant, homines imperiti et pertinaces labores ejus infamare conati sunt. Quare vero? Quia iis laboribus liquebat eos innumera, in Vetere præsertim Testamento, male solitos interpretari; sique vulgo opinio obtinuisset Scripturæ versiones omnes esse cum archetypis conferendas, quippe quæ fallere possent, actum erat de eruditio e innumerorum rhetorum Latinorum, qui nec Græce nec Hebraice sciebant. Hæc paulo copiosius, postea nequaquam repetenda, persecuti sumus, quod videremus Hipponensem episcopum pertinaciter homini doctiori atque immerito adversatum fuisse.

Cæteroqui, cum in iis, quæ ex mera ratiocinatione pendent, Hieronymo inferior non esset Augustinus; in eo litterarum ejus capitè, quod spectat factum Pauli, sine dubio meliorem causam defendit; quod libenter hic observamus, ne Hieronymo præter meritum favere, vel Augustino æquo facilius adversari videamur.

Epist. 31, § 2. *Aderat etiam quod nulli chartæ adesse potest, tantum in narrantibus gaudium, ut per ipsum etiam vultum oculosque loquentium, vos in cordibus eorum scriptos, cum ineffabili lætitia, legeremus.*] Hoc est, alte eorum memoriæ impressos. De qua locutione vide quæ habet Joan. Clericus Artis criticæ part. 2 sect. 1, cap. 4, § 8.

Ibid., § 4. *Nisi majorem mihi coepiscopâtus sarcinam imponeret.*] Vide ad epist. 213, 4.

Epist. 33, § 1. *Non enim errorem schismatis... dignum honore aliquo existimo; sed ante te omnia, quod ipsius nobis humanæ societatis vinculo astringeris.*] Imo vero communis religionis Christianæ, nam Donatistas Christianorum numero habebant catholici; quandoquidem eos ad catholicam Ecclesiam redeuntes minime rebaptizabant.

Epist. 35, § 1. *Publicum officium*, etc.] Vide ad epist. 91, § 8.

Epist. 36, § 2. *In his enim rebus, de quibus nihil certi statuit Scriptura divina, mos populi Dei, vel instituta majorum pro lege tenenda sunt.*] Recte; si modo leges illæ non imponantur, quasi necessariæ ad salutem; quod si fiat, merito oppugnantur, quia solius est Christi jus *claudendi* cœli ita ut nemo aperiat, *et aperiendi* ita ut nemo claudat. Cujus legibus si aliæ quasi necessariæ addantur, tum novum Evangelium conflatur, quod ab omnibus discipulis suis rejici et Christus et apostoli voluerunt. Simile quidpiam habemus in epist. 54 ad Januarium, § 3: *Quod neque contra fidem, neque contra bonos mores esse convincitur, indifferenter est habendum, et propter eorum, inter quos vivitur, societatem habendum est.*

Epist. 43, § 7. *Tanto magis enim timere debuit, ne*

*pax unitatis violaretur, quanto erat Carthago civitas ampla et illustris... Erat etiam transmarinis vicina regionibus*, etc.] Siciliæ, credo; nam non est vicinior Italiæ, Galliæ et Hispaniæ littoribus, quam aliæ urbes maritimæ Africæ.

Epist. 44, ubi multis narrat collationem suam cum Fortunio Donatista, episcopo Tibursico, sic habet § 11 : *Dictum est quod adhuc eos* (Donatistas) *nostri* (catholici) *persecuturi essent; nobisque dicebat videre se quales nos essemus in illa persecutione præbituros, utrum consensuri essemus tali sævitiæ, an nullum commodaturi consensum.* Non malus conjector erat Fortunius, ut manifestum est ex epistola 89 ad Festum, octennio, et 93 ad Vincentium, decennio post scriptis, unde intelligere est gravem persecutionem in Donatistas concitatam fuisse, consentientibus episcopis catholicis ; et male collegis resistente Augustino, immemore eorum quæ in hac collatione dixerat. *Nos dicebamus*, inquit in proxime sequentibus verbis, *Deum videre corda nostra quæ ipsi non possent et illos temere sibi adhuc ista metuere, quæ si contigerint a malis contingere, quibus deteriores ipsi habent; nec tamen ideo nos a catholica communione segregare debere, si quid forte, nobis invitis, vel etiam, si valuerimus, contradicentibus factum fuerit, cum tolerantiam pacificam didicerimus, dicente Apostolo :* sufferentes invicem in dilectione, studentes servare unitatem Spiritus in vinculo pacis. Si ita vere animatus fuit Augustinus eo tempore, nimis facile in contrariam sententiam abiit, ejusque collegarum alius fuerat, ut docet epist. 89 et 93, animus. Est tamen cur quis dubitet an ex animi sententia loqueretur Augustinus, an vero more oratorum, prout præsens causa postulabat ; neque enim ignorabat ab imperatoribus, Theodosio præsertim et filiis ante annum 398, quo scripta est hæc Epistola 44, latas multas leges, quibus magistratus jubebantur persequi hæreticos confiscationibus locorum, in quæ convenerant, mulctis decem librarum auri, in singulos sacerdotes hæreticos, exsiliis, fustibus, etc. *Malos* harum legum auctores aut ministros dicere serio ausus non fuisset Augustinus. Cæterum hic obiter notandum Pelagium fuisse in sententia Donatistarum, ut liquet ex ejus Comment. in cap. IV epist. ad Galatas, ad hæc verba : *Qui secundum carnem natus erat persequebatur eum qui secundum Spiritum.*

Ibid., § 13. *Majorem cœlicolarum.*] De cœlicolis, deque hoc loco Augustini multis egit Jacobus Gothofredus ad leg. 19, tit. 8, lib. XVI codicis Theodosiani, quem adire lectores poterunt. Invidiosa eorum descriptio, conjunctioque nunc cum Judæis, nunc cum Donatistis, obstant quominus intelligamus quid senserint.

Epist. 53, § 2. *In urbe Roma Montensium, vel Cutzupitarum vocabulum propagavit.*] Cum hæc sit lectio plerorumque mss. codd. hic et in libro de Unitate Ecclesiæ, cap. 3, satisque constet cognomen hoc Donatistarum, neque Græcum esse, neque Latinum, credibile est ab Afris impositum iis fuisse. Igitur, antequam quidquam hic mu are aggrediamur, videndum an in lingua Phœnicia aut Punica vox *Cutzupitarum* significationem obtineat, cui sit aliqua affinitas cum appellatione *Montensium.* In lingua autem Hebraica, quam eamdem fuisse cum Phœnicia multis argumentis constat, קצב *ketseb*, aut, Syriaco more, קצף *ketseph*, a radice קצב *katsab*, abscidit, significat *abscissam cavernam.* Sic Jonas, in oratione quæ exstat cap. II, ait vers. 7 se descendisse לקצבי הרים *l'kitsbe harim*, εἰς σχισμὰς ὀρέων, *in scissuras montium*, ut habent LXX interpretes, quibus verbis intelligit propheta profundas in radicibus montium speluncas. Itaque *Cutzupitæ* significare possit homines qui speluncam adibant, quod egregie consentit cum eo quod de Donatistis Romæ commorantibus habet Optatus lib. II de Schismate Donatistarum : *Speluncam quamdam foris a civitate cratibus sepserunt ubi ipso tempore conventiculum habere potuissent, unde Montenses appellati sunt.* Hieronymus etiam in Chron. ad annum Christi 356 a monte in quem conveniebant dictos Montenses observat. Sub finem vero libri contra Luciferianos, eosdem vocat *Montenses* seu *Campates*, aut *Campitas ;* ubi legerim *Cutzupitæ*, nam *campus et mons* plane sunt opposita. Simili de causa, Eunomiani, teste Theodòreto Hæreticarum Fabular. lib. IV, dicti sunt *Troglodytæ* aut *Troglitæ*, ὡς ἐν οἰκίαις λανθανούσαις τὰς συνόδους ποιούμενοι, *quod in domibus occultis conventus suos celebrarent ;* nempe, ἀπὸ τῶν τρωγλῶν, *a cavernis.* Igitur *Scotopitæ* a Joan. Baptista Cotelerio ficti, meri sunt tenebriones, quos in tenebras unde prodierunt, amandamus. Non magis audiendi sunt qui ex Hieronymo volunt legi *Campitas ;* quod tamen vir eruditus Lud. Ellies du Pin, in notis ad locum Optati, mirum in modum concinere putat Optato, qui dicit *eos foris a civitate speluncam quamdam cratibus sepiisse ;* hinc enim æque *Campitas* ac *Montenses* dici potuisse. Sed Gallico quidem sermone, qui sunt extra urbes dicuntur esse *aux champs ;* Latine *ruri* aut *in agris ;* non *in campis*, qui planitiem significant, non rus. Video Gallos nostros interdum affinitate linguæ suæ cum Latina decipi. Sic in hac eadem voce erravit vir ingeniosus Robertus Arnaldus Andilliacus, qui *Josephum* Gallice vertit ; cum enim videret vocari μέγα πεδίον, tractum ad Jordanem situm, a Latinis interpretibus *magnum campum*, vertit *le grand champ*, cum debuisset vertere *la grande campagne*, vel *la grande plaine.*

Epist. 71. § 4. *Perdurum erit, si tua interpretatio per multas ecclesias frequentius cœperit lectitari, quod a Græcis ecclesiis Latinæ ecclesiæ dissonabunt, maxime quia facile contradictor convincitur, Græco prolato libro, id est linguæ notissimæ.*] Non tanti erat omnes Ecclesias eadem versione uti, ut propterea vitiosa in æternum uterentur; nec peperisset diversitas quidquam incommodi, quia, ut diximus ad epist. 28, consensus semper in summa rei futurus erat. Hodie videmus eos Christianos qui vernaculis versionibus utuntur, quamvis sint diversæ, propterea inter se minime digladiari; nam eorum dissensus non ex varietate

versionum, sed ex diversis interpretationibus eorumdem verborum oritur. Præterea, Augustini ætate, magna varietas erat Latinorum codicum apud Latinos et Græcorum apud Græcos, quæ nullum tamen præbebat offendiculum, cum omnes scirent fieri vix potuisse, ut longinquitate temporum et imperitia aut oscitantia librariorum, menda in Græcos codices non irreperent; in Latinos vero, præter ejusmodi menda, varietates ortas ex vario judicio eorum qui Græca vertere aggressi erant. Hoc non diffitetur Augustinus epist. 71, § 6. Ideoque *contradictor* paulo pertinacior non tam facile convinci poterat, quam hic narrat Augustinus, prolato Græco LXX interpretum Codice. Sed adiri poterant alii Græci interpretes, qui non tantum ad intelligenda Hebraica, sed et Græca LXX interpretum verba, magno usui esse poterant.

Ibid. *Quisquis autem in eo quod ex Hebræo translatum est, aliquo insolito permotus fuerit et falsi crimen intenderit, vix aut unquam ad Hebræa testimonia pervenietur, quibus defendatur objectum.*] Culpa scilicet eorum qui volebant videri egregii interpretes Scripturarum, quas non intelligebant, cum ex sola versione sæpe obscura et vitiosa penderent. Cur non dabant operam studio linguæ Hebraicæ, præsertim in Africa, ubi linguæ Punicæ cognitio iis viam muniebat ad Hebraicam, quam ei affinem esse probe notant, et quam proinde multo felicius quam Hieronymus didicissent, nisi eis mens læva fuisset? Præterea ex collatione versionum Aquilæ, Symmachi et Theodotionis, facile Hieronymiana a peritis defendi poterat; ab imperitis vero nihil recte, hac in re, fieri poterat.

Ibid. *Quod si etiam perventum fuerit, tot Latinas et Græcas auctoritates damnari quis ferat?*] *Hinc*, nimirum, *illæ lacrymæ*. Nam si semel statuas versioni LXX interpretum non posse per omnia credi, et vitia inesse; quid fiet fama tot ecclesiasticorum oratorum Græcorum et Latinorum, qui de locis perperam intellectis tam copiose scripserunt? Nempe dicendum erit eos imprudenter fecisse, cum aggressi erant interpretari quod probe intelligere non poterant, neglecto archetyporum studio. At censoria nota, inquies, obscurabuntur maxima Orientis et Occidentis lumina. Obscurentur sane, potius quam eorum causa falsa defendere aggrediamur; non enim agitur de existimatione virorum ecclesiasticorum, sed de invenienda veritate, quæ est famæ omnium mortalium anteferenda, imo hic unice spectanda. Quia viri celebres aliquid defenderunt quod falsum est, an ideo verum hoc vocabimus? An investigationem veri omittemus, ne forte eo invento cujuspiam fama minuatur? Si ita se gessissent omnes Judæi, si ita ethnici, quibus Evangelium nuntiarunt apostoli, nemo unquam Evangelio credidisset. Si quæ prava consuetudo inolevisset, nunquam posset emendari; nunquam enim desunt viri celebres qui eam secuti sint. In administratione reipublicæ varia feruntur, propter utilitatem præsentem, etiam iniqua et falsa pro veris jactantur; sed in iis quæ ad religionem pertinent, sola veritas quærenda atque id tantum expediit quod verum est. Ac sane a duobus propemodum sæculis, experti sunt Christiani multo satius esse, neglecta auctoritate imperitorum interpretum (quantævis fuerint famæ), ipsos fontes adire et linguæ Hebraicæ propterea sibi peritiam comparare; quod feliciter patribus nostris cessit, nec, ut spero, huic ætati infelicius cedet.

Ibid. *Huc accedit, quia etiam consulti Hebræi possunt aliud respondere, ut tu solus necessarius videaris, qui etiam ipsos possis convincere; sed tamen, quo judice mirum si potueris invenire.*] Hæc demum est mera invidia. Quidni vero Pœni tui, o Augustine, linguam Hebraicam addiscebant, ut Judæis amplius non indigerent, nec ad solum Hieronymum esset confugiendum? At hoc difficillimum erat. Non difficilius quam fuit Patrum nostrorum memoria, imo vero multo facilius et Afris et Syris et Arabibus Christianis, quorum linguæ affines Hebraicæ fuerunt; cum præsertim haberent Hexapla Origenis. Verum, ne quid dissimulem, multo facilius fuit eo tempore ut hoc nostro apud imperitam plebem declamitare.

Ibid. § 5. *Nam quidam frater noster episcopus, cum lectitari instituisset in ecclesia cui præest interpretationem tuam, movit quiddam longe aliter abs te positum, apud Jonam prophetam, quam erat omnium sensibus memoriæque inveteratum, et tot ætatum successionibus decantatum. Factus est tantus tumultus in plebe, maxime Græcis arguentibus et inclamantibus calumniam falsitatis, ut cogeretur episcopus (ea quippe civitas erat) Judæorum testimonium flagitare.*] Atqui minime opus erat, sed tantum consulendi fuerunt alii Græci interpretes et cum Hieronymiana versione conferendi. Præterea quid ad summam prophetiæ Jonæ faciebat vox קיקיון *kikajon*, seu *cucurbita* cum LXX interpretibus, seu *hedera* cum Hieronymo verteretur? Quidni potuit vario modo ea vocula verti, cum tot aliæ multo majoris momenti non una ratione, sine offensione plebis, explicarentur? Episcopi fuit, conscenso suggesto, hæc suam plebem docere.

Ibid. *Utrum autem illi imperitia, an malitia, hoc esse in Hebræis codicibus responderunt, quod et Græci et Latini habebant atque dicebant. Quid plura? Coactus est homo velut mendositatem corrigere, volens, post magnum periculum, non remanere sine plebe.*] Consuli, ut dixi, debuerant Græci alii interpretes, qui habebant κισσὸς, id est, *hedera*, ut docet Hieronymus ad Jonæ cap. IV, quamvis fateatur non esse aptam vocem; nam קיקיון *kikajon* est aliud plantæ genus cujus Latinum nomen nullum erat. Itaque Hieronymus pro eo nomen usurpavit quod Latini intelligere poterant. Mala sane fuisset Afra plebs, quæ tantilla de causa episcopum suum deserere parata fuit; sed videtur esse, ut probe olfecit Hieronymus, fabella Punica, qua hominem terrere voluit Hipponensis episcopus. Ipsum Hieronymum adi, epistola hujus voluminis 75.

Epist. 78 narrat Augustinus, cum accusatio esset obscura, misisse se accusatorem et reum Nolam, ad sepulcrum S. Felicis, ut veritas, ejus ope, cognosceretur; tum subdit : *Nam et nos novimus Mediola-*

*ni, apud memoriam sanctorum, ubi mirabiliter et terribiliter dæmones confitentur, furem quemdam qui ad eum locum venerat ut falsum jurando deciperet, compulsum fuisse confiteri furtum et quod abstulerat reddere; nunquid non et Africa sanctorum martyrum corporibus plena est? Et tamen nusquam hic scimus talia fieri.*] At non minora erant quæ dicebantur fieri a S. Stephano Calamæ et Hippone-Regio, ut liquet ex enumeratione miraculorum quæ exstat lib. XXII de Civitate Dei, cap. 8. Quidni etiam furta ibi retegebantur, aut alia occulta crimina? Respondet Augustinus : *Sicut enim quod Apostolus dicit :* Non omnes *sancti* habent dona curationum, nec omnes habent dijudicationem Spirituum : *ita nec in omnibus memoriis sanctorum ista fieri voluit ille qui dividit propria unicuique prout vult.* At quis credat post mortem sanctorum eamdem divisionem obtinere ? Quis putet hic cacodæmonas reliquiis martyris territos, illic sine commotione fuisse? Ne quid mentiar, quanta mihi facta est fides de miraculis Christi et apostolorum, quæ omnia veritatis indicia comitantur; tanta est de recentioribus diffidentia, cum præsertim superstitioni et lucro multo magis quam veræ virtuti propagandæ, ea serviisse videam. Augustinus ipse libro de Vera Religione, § 47, rariora sua ætate miracula fuisse non diffitetur. Scio hoc ab illo retractatum, sed miror qui potuerit antea in re notissima falli; non miror ad convincendos ethnicos, Donatistas et alios Hæreticos miracula jactata, quæ multo plura fuerunt et insigniora, si vere contigissent, quam miracula Christi et apostolorum, adeo ut nulla ratione dici potuissent rarius fieri quam antea. Sunt et aliæ rationes suspicandi, quas in brevibus notis non afferam. Vide quæ diximus ad Confess. lib. VII, § 16.

Epist. 89, § 2, postquam dixit martyres veros non fieri pœna sed causa, addit : *Et hoc quidem adversus eos dicerem, quos sola caligo hæretici erroris involveret, pro quo sacrilegio pœnas dignissimas luerent, nec tamen ulla quemquam violenta insania lædere auderent. Adversus autem istos quid dicam, quorum tam perniciosa perversitas, vel damnorum terrore coercetur, vel docetur exsilio, quam ubique diffusa sit Ecclesia, sicut futura prædicta est, quam malunt oppugnare quam agnoscere?* ] At scelera illa circumcellionum ad quæ respicit Augustinus, nihil ad rem faciunt, neque enim propter illa scelera pœnas dabant, sed propter schisma, ut ipse fatetur, utique ex legibus Honorii contra Donatistas constat, quæ exstant lib. XVI codicis Theodosiani, ubi ut hæretici, non ut facinorosi damnantur. Quænam autem essent *pœnæ dignissimæ*, aut *pœna debita*, ut loquitur Honorius leg. 29, tit. 5, lib. XVI codicis Theodosiani, docet Augustinus in epist. ad Bonifacium, quæ est 185, sed plenius expressa est ea pœna in lege Theodosii contra omnes hæreticos, quæ est 21, tit. 5, lib. XVI cod. Theod. *In hæreticis erroribus*, ait Theodosius, una cum filiis, in ea lege lata anno 392, *quoscunque constiterit vel ordinasse clericos, vel suscepisse officium clericorum, denis libris auri viritim mulctandos esse censemus; locum sane in quo vetita tentantur, si conniventia domini patuerit, fisci nostri viribus aggregari. Quod si id possessorem (quippe clanculum gestum) ignorasse constiterit, conductorem ejus fundi, si ingenuus est, decem auri libras fisco nostro inferre præcipimus, si servili fœce descendens, paupertate sui pœnam damni, ac vilitate contemnit, cæsus fustibus deportatione damnabitur.*

Epist. 91, § 8. *Postridie nostris ad imponendum perditis metum, quod videbatur apud Acta dicere volentibus, publica jura negata sunt.*] Nimirum, in singulis urbibus commentarii scribebantur rerum paulo majoris momenti quæ quotidie in iis gerebantur, qui postea ad proconsules aut imperatores mittebantur. Si quis ergo publice quidpiam contestatum cuperet, adibat Officium publicum, ut ab eo verba ejus exciperentur quo fidem facerent. Vide epist. 35, § 1, et epist. 93, § 12.

Epist. 93, § 2. *Si quisquam inimicum suum periculosis febribus phreneticum factum currere videret in præceps, nonne tum potius malum pro malo redderet, si eum sic currere permitteret, quam si corripiendum ligandumque curaret?* ] Hac epistola, copiosissime probare aggreditur Hipponensis episcopus licitam esse persecutionem ad eos quos in errore versari putamus, ad veritatis professionem adducendos. Qua ejus opinione cum multi abusi fuerint et etiamnum hodie abutantur, non erit, ut opinor, inutile ostendere Augustinum graviter hoc in negotio errasse, et a vera sententia in deteriorem abiisse; quamvis cæteroqui schisma ac pertinàciam Donatistarum nequaquam probemus. Igitur potissima quæque ejus argumenta ad examen revocabimus, prout ordine nobis occurrent. Ad primum quidem quod attinet, comparatio ex phrenetico deducta nullius est ponderis. Phrenetici enim sine ullo dubio sunt phrenetici, et societatem civilem plane perturbant. Itaque leges civiles eos coerceri patiuntur et jubent, donec curati pristinam valetudinem recuperarint. At in controversiis de religione, in quibus sæpe videas contrarias partes virtutum Christianarum æque studiosas legibusque civilibus pariter obsequentes ; res non est neque adeo manifesta, ut alteræ partes alterarum homines phreneticorum loco habere queant; nec in tantis affectibus quanti hic deprehenduntur, alii aliorum judices esse possunt. Multitudo aut potentia, quæ sibi jus judicandi vi arrogare solent, huc nihil faciunt, cum veritatem penes plerosque et potentissimos fore nusquam promiserit Deus. Ac sane contrarium statuito, videbis te contra te ipsum judicasse, si tempora mutentur ; ut contigit paulo post in Africa, ubi Vandali Ariani, et in Italia, ubi Gothi, eidem hæresi addicti, longe potentiores fuerunt. Si ad ea usque tempora vitam produxisset Augustinus, vidissetque a Vandalis Arianis male haberi catholicos Afros, quasi impios ac *phreneticos*, facile sensisset se periculosa ratiocinatione esse usum contra Donatistas, et denuo cœpisset defendere sententiam quam præ affectu retractarat. Nam frustra reposuisset a suis partibus veritatem stare, uti faciebant Donatistæ, negassent hoc Ariani ; et cum judices in hac sua causa essent, cum

eo se gessissent, quasi cum pertinace hæretico, exprobrassentque ei omnes vexationes quas Ariani a catholicis passi erant : quemadmodum hic Donatistis exprobrat Circumcellionum furores. O infelicia argumenta, quæ paulo post mera sophismata facta sunt! O rationes imprudentes ac fallaces, quæ errori æque patrocinabantur ac veritati!

Ibid. *O si tibi possem ostendere ex ipsis Circumcellionibus, quam multos jam catholicos manifestos habeamus damnantes suam pristinam vitam!* etc.] At quis credat homines facinorosos non rationibus, quas semper spreverant antequam vis admoveretur, sed pœnis subito adductos ad id profitendum quod damnarant, ita esse mutatos animo, non vero potentioribus partibus ore gratificatos? Valde credulum esse oportet, qui verbis metu extortis tam facile fidem habet. Sed satis habebant vexatores Afri partes Donatistarum afflixisse, nec multum curabant an eorum animos vere sanassent, si modo corpora obnoxia haberent. Præterea similia jactare poterant Ariani, postquam aliquandiu catholicos male habuerant; nam multos ex infirmioribus aut nequioribus adducebant terrore suppliciorum ad abjurandam synodum Nicænam. Sic fiebat ut optimi quique qui contra animi conscientiam agere et loqui detrectabant, atque propterea laudandi, licet cæteroquin in errore versarentur, erant, pessime mulctarentur; et contra ut levissimi quique ac dissimulatores callidissimi laudes et a catholicis et ab Arianis referrent.

Ibid., § 3. *Si terrerentur et non docerentur, improba quasi dominatio videretur. Rursus si docerentur et non terrerentur, vetustate consuetudinis obdurati, ad capessendam viam salutis pigrius moverentur*, etc.] Sed terror conjunctus doctrinæ eam vehementer suspectam facit; quippe quam putant homines, nisi vi et auctoritate fulciretur, sponte sua collapsuram, nec terrore legum uti, nisi quia lumine veritatis sibi hominum animos conciliare nequit. Hæc quæ dicimus Arianis objecisset Augustinus, si paulo diutius vixisset; quando eos vidisset iisdem argumentis uti contra catholicos.

Ibid. § 4. *Quis nos* (male editum est *non* in exemplari Parisiensi) *potest amplius amare quam Deus? Et tamen nos non solum docere suaviter, verum etiam salubriter terrere, non cessat. Diligamus etiam inimicos nostros, quia hoc justum est et hoc præcipit Deus, ut simus filii Patris nostri, qui in cœlis est, qui facit solem suum oriri super bonos et malos, et pluit super justos et injustos. Sed sicut ista dona ejus laudamus, ita etiam flagella ejus in eos quos diligit cogitemus.*] Ne jam repetam hoc quoque esse anceps auxilium quo Ariani æque uti poterant in catholicos, quis homo audeat sibi jus in ejusdem naturæ participes idem ac Deus arrogare, nisi qui se hominem esse sit oblitus? Quis enim ignorat aliud plane jus esse Creatoris in creaturas, aliud creaturarum in se invicem, aliamque Dei ac hominum affectionem? Deus summus est, jure creationis, dominus humani generis, idemque judex omnis erroris et affectus expers : homines vero conservi, erroribusque et pravis affectibus obnoxii. Itaque non erat cur Augustinus vexatorum amorem erga fratres compararet cum amore divino in humanum genus.

Ibid., § 5. *Putas neminem debere cogi ad justitiam, cum legas patremfamilias dixisse servis :* Quoscunque inveneritis cogite intrare; *cum legas etiam ipsum primo Saulum, postea Paulum, ad cognoscendam et tenendam veritatem, magna violentia Christi cogentis, esse compulsum*, etc.] Antequam *coactionem*, de qua sermo est Luc. XIV, 23, interpretaretur Augustinus, de vi illata legibus et pœnis, cogitare debebat parabolam illic a Christo tradi in qua hoc jubetur servus, qui frustra vocaverat convivas antea invitatos, et qui liberrime sese venturos negarant; neque hæc pars parabolæ contra ipsum urgeretur. Augustinus enim volebat omnes vocatos ad Ecclesiam catholicam cogi, cum in parabola mendici, duntaxat, claudi et cæci cogantur, prætermissis aliis. An putabat Augustinus ea *coactione* significari impositionem pœnarum, quales ex lege Theodosii ad epist. 89 protulimus? An sic homines ad convivium venire coguntur? Quis nescit eos *cogi* dici qui precibus adiguntur? Sic Lotus Gen. XIX, 3 dicitur καταβιάσασθαι, *coegisse* angelos ut apud se pernoctarent. Sic Matth. XIV, 22, et Marc. VI, 45, Jesus scribitur ἀναγκάσαι *coegisse* discipulos navigium ingredi. Sic Luc. XXIV, 29, discipuli duo Emmauntem euntes dicuntur Jesum παραβιάσασθαι, *coegisse* ut secum cœnaret. Sic Gal. II, 24, exprobrasse se dicit Paulus Petro quod gentiles *cogeret* (utitur verbo ἀναγκάζειν) *judaizare*. In hisce omnibus, nulla vis adhibita, sed tantum preces, auctoritas, exemplum, sine ullis pœnis; et sic solemus in omnibus ferme linguis loqui. Ad vocationem vero Sauli quod attinet, quæ cœleste miraculum est, similes artes adhibere si potuisset ad convertendos Donatistas, nihil erat cur eum hic confutaremus, et omnem pervicaciam facile vicisset. Sed cum divinis miraculis conferri vim a militibus lictoribusve magistratuum allatam; et quia Deus miracula interdum adhibuit ad homines convincendos, hinc colligi ideo licitum esse vi uti, non patimur sine aliqua indignatione. Quid enim hisce dissimilius? Si Augustinus ipse ad Vandalicas persecutiones vitam produxisset, et sic eas defendi audivisset ab Arianis, vix temperare potuisset quin exclamaret eos blasphemare qui talia compararent.

Ibid., § 6. *Cum legamus ancillam et filium ejus a Sara passos graves molestias, Paulus tamen apostolus dicit quod ab Ismaele persecutionem sit passus Isaac.* sed sicut tunc, *inquit*, ille qui erat secundum carnem persequebatur eum qui erat secundum Spiritum : ita et nunc; *ut qui possunt intelligant magis Ecclesiam catholicam persecutionem pati superbia et impietate carnalium, quos temporalibus molestiis atque terroribus emendare conatur.* Verum quidem est Hagaram male habitam a Sara, sed eo hic non respicit Paulus, verum ad Ismaelis actionem cum Isaaco protervius ludentis, quam vocat *persecutionem*, quamque confert cum persecutione quam Christiani patiebantur

a Judæis; et quæ non erat sita in eo quod viderent Judæos superbos esse ac pervicaces (quod nemo, nisi Pœnus rhetor, *persecutionem* vocarit), sed in eo quod ab iis omni molestiarum et pœnarum genere afficerentur. Absurdum est conferri hasce persecutiones, quas tempore Pauli Christiani ferebant, cum affectione animi episcoporum et cæterorum clericorum Afrorum, qua ægre patiebantur sibi contradici a Donatistis. Quis ferat eum *persecutionem* dici pati, cui dolet quod non dominetur aliis, æque ac miseros qui facultatibus omnibus spoliantur, in exsilium mittuntur, fustibus cæduntur, imo et occiduntur, nam hoc factum liquet ex epistola 100 in qua Augustinus intercedit ne amplius fiat? Illudebat sane miseris Hipponensis rhetor, quia sentiebat omnia impune a se in illos potuisse dici; sed si Ariani superiores ita locuti essent adversus catholicos, an non hi cœlum terræ miscuissent? Præterea quod primum dici oportuit, hic et ubique statuit atque assumit pro comperto Augustinus quod in controversia erat positum; suam, nimirum, Ecclesiam fuisse unam, exclusis Donatistis, Christi Ecclesiam. Non equidem probo Donatistarum schisma, sed cum illis disceptanti absurdum fuit perpetuo id assumere quod præfracte negabant; utque intelligas quam sit iniquum, pone loco Augustini Arianos et fac eos similia dicentes; tum vero videbis Arianis idem objectum iri quod Donatistæ Augustino objiciebant. Quænam autem hæc est lex : *Cum res meæ superiores erunt, tum mihi de æquitate et veritate causæ meæ judicium, frustra reclamantibus adversariis, attribuitor; si numero et auctoritate vincar, adversariis meis idem facere quod feci ne liceto?* Quid fingi potest iniquius? Eo tamen tendunt plerœque omnes ratiocinationes Augustini, et præsertim sequentes, quas non exscribam.

Ibid., § 7. *Aspice etiam tempora Novi Testamenti, quando jam ipsa mansuetudo caritatis non solum in corde erat servanda, verum etiam in luce monstranda, quando Petri gladius in vaginam revocatur a Christo, et ostenditur non debuisse de vagina eximi, nec pro Christo.*] Si quis his lectis ulterius non pergeret, facile crederet hæc esse verba Donatistæ ostendentis illicitas esse pœnas temporales in rebus ad religionem pertinentibus, quod sint indoli atque ingenio doctrinæ evangelicæ plane contrariæ. At hinc consectarium prorsus diversum deducit. Nempe vult inde colligi, ut Deus Pater tradidit Filium suum supplicio crucis, nec tamen minus est misericors : sic nec Ecclesiæ Africanæ crudelitatis notam inuri posse, quod Donatistas lictoribus plectendos traderet; nam spectandum hic esse animum tradentium, qui ad emendationem traditorum tendebat. Igitur quamvis catholici non aliter se gererent ac persecutores, eos tamen non esse illicitæ persecutionis incusandos. *Discamus*, inquit, *frater, in similitudine operum discernere animos operantium, nec clausis oculis calumniemur, et benevolos pro nocentibus accusemus.* At primum quid simile est actioni Dei patientis volentem Filium suum occidi, in salutem humani generis, a sceleratis hominibus, in moliminibus Ecclesiasticorum, qui concitabant magistratus in miseros Donatistas? Pudet immorari confutandis ejusmodi ratiocinationibus, quæ ne logicæ quidem tironibus hodie condonarentur. Sed ut concedam hæc posse conferri, an quisquam inter Afros fuit tam perfrictæ frontis, ut auderet postulare ab infelicibus Donatistis ut crederent catholicos tam bene erga eos quos vexabant affectos, quam erat Deus erga homines cum Filium suum vexationibus traderet, ut genus humanum servaret? Deus certe ex nostra salute nihil lucrabatur; sed Afri episcopi auctoritate, dignitate atque opibus eo majores erant, quo greges eorum numerosiores fiebant, quæ non ultima causa harum vexationum fuisse videtur. At rhetor noster non tantum veri, sed ne verisimilis quidem ullam rationem habet; nec opus erat, cum hisce argutiis minime cessuros muletæ, carceres, exsilia, mors manerent.

Ibid., § 8. *Si semper esset laudabile persecutionem pati, sufficeret Domino dicere :* Beati qui persecutionem patiuntur, *nec adderet,* [propter justitiam.] At Donatistæ partes suas catholicis non præferebant duntaxat, quia *persecutionem patiebantur*, sed quia, ut quidem putabant, hoc fiebat *justitiæ*, hoc est, virtutis causa; quod nollent id facere quod sibi illicitum esse ac Deo displicere credebant. Ea est sane animi affectio laudanda, etiam in errantibus : ut contra vituperandi qui ab invitis extorquent ut id faciant, metu suppliciorum, quod illicitum esse putant; quamvis enim quod inviti faciunt natura sua rectum esset, Deo non posset non displicere, qui non vult ore duntaxat coli, sed potissimum animo, nec ab invitis quidquam accipit.

Ibid. *Item si semper esset culpabile persecutionem facere, non scriptum esset in sanctis Libris :* Detrahentem proximo suo occulte, hunc persequebar; *aliquando ergo et qui eam patitur injustus est, et qui eam facit justus est.* Verum non hic de quavis *persecutione*, hoc est, quibusvis pœnis agitur; sed de ea tantum quæ fit propter dogmata, non propter delicta quibus perturbatur societas civilis, et de quibus non ex religiosis, sed ex civilibus legibus pœnæ sumi possunt. In loco psalmi c, 5, est quidem in versione LXX interpretum ἐδίωκον, *persequebar*, sed ut jam recte eos vertisse statuamus, non est hic sermo de dogmate controverso, sed de calumnia, hoc est, de peccato, quod qui committit peccatum esse diffiteri non potest. Rex David eo in loco Deo pollicetur se daturum operam ut omnes calumniatores a conspectu suo ejiciat : *Detrahentem*, inquit *clam proximo suo, tollam, elatum oculis et vastum animo non feram.* Quid hæc faciunt ad persecutionem hominum dogmata quæpiam bona fide amplexorum, nec cæteroqui deteriorum morum, quam sunt reliqui cives? Hoccine est Scripturam, ut decet, interpretari, an temere arripere vocabulum male intellectum, ut videaris aliquid dicere, cum revera nihil dicas?

Ibid. *Occiderunt impii prophetas; occiderunt impios et prophetæ.* Quosnam propter meras opiniones oc-

ciderint prophetæ, debuisset dicere Augustinus; nam si quos occiderint propter male facta, ex lege ipsa Mosis morte plectenda, hoc nihil facit ad Donatistas, aut alios similiter errantes. Præterea osteudendum fuisset quidquid fecerunt prophetæ id licitum esse sub Novo Testamento, nam hoc pernegat Christus disertissimis verbis Luc. IX, 55, 56, nec quemquam legibus a Christo latis solvere potest Augustini auctoritas. *Flagellaverunt*, inquit, *Judæi Christum, Judæos flagellavit et Christus.* Quasi vero flagellatio illa qua Christus pecudes potius quam homines ejecit e templo, possit conferri cum crudeli flagellatione quam Christus passus est a Romanis Judæis gratificantibus! Aut Augustinus valde spernebat ingenia Donatistarum, quibus se ejusmodi ratiocinationibus os obstruere posse sperabat; aut multo majorem fiduciam habuit in edictis Honorii quam in pondere rationum. Sic quoque pergit : *Traditi sunt apostoli ab hominibus potestati humanæ, tradiderunt et apostoli homines potestati Satanæ.* Tu quoque tradidisses Donatistas, si potuisses, potestati Satanæ; sed quia eum dicto audientem non habuisti, lictoribus tradebas; inter quæ maximum est discrimen. Nam homo nequam sæpe innocentes lictoribus tradidit, nunquam vero Satanæ; qui nemini paret nisi ei cui Deus eum subjicit, nec a Deo cuiquam subjicitur, nisi summæ virtutis viro et potestate edendorum miraculorum instructo.

Ibid. § 9. *Non invenitur exemplum*, inquiebant Donatistæ, *in evangelicis et apostolicis Litteris, aliquid positum a regibus terræ pro Ecclesia contra inimicos Ecclesiæ.* Reponit Augustinus : *Quis negat non inveniri? Sed nondum implebatur illa prophetia :* Et nunc, reges, intelligite; erudimini qui judicatis terram, etc.] Vult nimirum Augustinus Christum et apostolos non usos brachio sæculari, ut loquuntur, ad coercendos ac plectendos inimicos Ecclesiæ, quia nulli erant reges qui eis favorent. Quasi vero ea non fuerit nativa indoles regni Christi, quod ipse testatur non esse *hujus mundi*, quamobrem legionibus minime defendebatur! An non potuit Christus, si voluisset, ingentem copiam Judæorum ad arma vocare, ut se tueretur contra inimicos, et quod viribus humanis deerat vi divina miraculorum perfacile supplere, si ita Deo visum fuisset? Idem de apostolis dixeris.

Ibid., § 11. Sic Rogatistas, qui schisma ab ipsis Donatistis fecerant, alloquitur : *Mitiores quidem esse videmini, quia cum Circumcellionum immanissimis gregibus non sævitis; sed nulla bestia, si neminem vulneret, propterea mansueta dicitur, quia dentes et ungues non habet. Sævire vos nolle dicitis, ego non posse arbitror*, etc.] Non satis novimus Rogatistas, nec eorum libros habemus, ut intelligamus quomodo persecutionem oppugnarent; sed intelligimus facile immite hoc et inhumanum esse responsum, valdeque alienum a mansuetudine quam præ se ferre solebat Augustinus. Qui enim noverat eorum animos? An non poterat fieri ut ex animo ab omni persecutione abhorrerent? Facile sane hoc mihi persuadeo, qui satis mirari non possum qui Augustinus tam futilibus rationibus ad persecutionem probandam ac laudandam adduci potuerit, nec viderit eam cum caritate Christiana consistere nullo modo posse. Affectu, ut puto, obcæcatus est.

Ibid., § 17. *His ergo exemplis a collegis meis propositis cessi. Nam mea primitus sententia non erat, nisi neminem ad unitatem Christi esse cogendum, verbo esse agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum, ne fictos catholicos haberemus quos apertos hæreticos noveramus.*] Ut Augustinus norat ex rhetorica institutione, id dicere pro temporibus, quod causæ postulabant : ita etiam pro temporibus videtur sensisse. Quis enim dubitat quin, si Ecclesiæ Africanæ a persecutione abhorruissent et petiissent ab Honorio ut abrogarentur leges contra Donatistas, contrariam causam copiose peroraturus fuisset? Ego sane nullo modo dubito quin si illum apud Vandalos vexatæ ab Arianis Ecclesiæ Africanæ causam dicere oportuisset, contrariis plane usus esset argumentis, qualia olim Christiani apud ethnicos adhibuerant, cum ab iis male haberentur. Hic enim Augustinus an res sit per se iniqua non expendit, sed tantum an utilis videretur Ecclesiæ Africanæ; qualis utilitas nulla fuisset, si forte Honorius favisset Donatistis.

Ibid. *Sed hæc opinio mea* (nempe, fictos catholicos persecutione fieri) *non contradicentium verbis, sed demonstrantium superabatur exemplis. Nam primo mihi opponebatur civitas mea, quæ cum tota esset in parte Donati, ad unitatem catholicam timore legum imperialium conversa est, quam nunc videmus ita hujus vestræ animositatis perniciem detestari, ut in ea nunquam fuisse credatur.*] Facile quidem fieri potest ut adolescentes et puellæ sententiam vexatione mutent; sed difficillimum est ut grandiores natu et perspicacioris ingenii homines alieniores multo non fiant a doctrina quæ eis vi ingeritur. Itaque cum hi dicunt metu pœnarum se aliter sentire, propterea digni fide non sunt. At altera ætas, inquies, quæ schisma non vidit, estque in catholicis placitis educata, haud aliter ea amplectitur, quam si nullum unquam schisma fuisset. Non diffiteor, sed contendo schismati finem imponi vexationibus nonnisi inique atque inhumane posse; iisque artibus non modo schisma ex pertinacia aut imperitia ortum, sed et omnem veritatis cognitionem tolli : ut liquet vel ipsius Africæ exemplo, in qua ne unus quidem superest, a pluribus sæculis, Christianus. Nimirum, Muhammedanorum furor exstinxit illic religionem Christianam, similibus artibus iis quibus evulsum fuerat olim schisma Donatistarum. Igitur non erat quod de eventu gloriaretur Augustinus, qui omnium vexationum par est.

Ibid., § 18. *His omnibus harum legum terror, quibus promulgandis reges serviunt Domino in timore, ita profuit, ut nunc alii dicant : Jam hoc volebamus, sed Deo gratias, qui nobis occasionem præbuit jam jamque faciendi et dilationum moras amputavit*, etc.] Ne repetam eos qui ita loquebantur indignos fuisse fide, dicam, ejusmodi sermones auditos, ubicunque vi su-

perior aliqua causa facta est, hominum, nempe, victoris favorem ambientium et paratorum quidvis facere et pati, ut facultatibus suis tranquille fruerentur. Denique non capio qui ita ratiocinari posset Augustinus, qui credebat homines ad Deum sola gratia interna, et electis solis concedenda converti, et ad vitam æternam adduci. Quid enim magis alienum a gratia divina, quam mulctæ, exsilia, aliaque supplicia? Quis dicere sustineat, qui modo pudore aliquo teneatur, nec omnem religionis reverentiam exuerit, irritam plane esse verbi divini prædicationem, nec gratiam divinam cum ea conjungi, nisi accedat persecutio? Quod si divina gratia minime exspectet persecutionem, ut animos hominum molliat, quid hac opus est, quando gratia divina sine persecutione convertit? At Donatistæ, inquies, non audiebant rationes catholicorum, nisi postquam metu in horum ecclesias adducti sunt. Verum annon legebant Novum Testamentum? An gratia divina conjuncta potius fuit cum dictis et scriptis Afrorum, quam cum verbo divino? Qui hæc probe expendent facile intelligent affectibus hic multo plus datum fuisse, quam cupiditati adducendi alios ad saniorem mentem, episcoposque Afros ecclesias suas plebe refertiores, quæcunque tandem esset, cupiisse videre. Hæc de persecutione satis superque sunt.

Ibid., § 22. *Historicus doctus magnum aliquid invenisti.*] Historicus hic est πολυΐστωρ, *qui multa novit.* Vide not. ad lib. de Ord. II, cap. 12.

Ibid., § 35. *Hoc genus litterarum* (libri Hilarii, Cypriani et aliorum Patrum) *ab auctoritate canonis distinguendum est. Non enim sic leguntur tanquam ita ex eis testimonium proferatur, ut contra sentire non liceat, sicubi forte aliter sapuerunt, quam veritas postulat.*] Hæc aureis litteris scribenda essent in fronte operum singulorum Patrum, quæ eduntur, ne auctoritas eorum veritati præferatur. Nos quoque hoc jure erga ipsum Augustinum usi sumus, quod hominibus in homines minime afflatos perpetuo sit necesse est. Similes cum ipsius Augustini, tum aliorum sententias collegit Edm. Albertinus, in Præf. libri de Eucharistia.

Epistola 96, § 2. *Ille quidem Paulus postquam episcopus factus est, renuntiaturus suis omnibus rebus propter immensum cumulum fiscalium debitorum*, etc.] Confugerat ad episcopatum, quasi ad asylum, ne propter debita in carcerem compingeretur.

Epist. 97, § 2. *Noverint inimici Ecclesiæ leges illas quæ de idolis confringendis et hæreticis corrigendis, vivo Stilicone, in Africam missæ sunt, ex voluntate imperatoris piissimi et fidelissimi constitutas.*] Nimirum, cum Honorius mortalium esset infirmissimus, vehementer timebant catholici ne forte ethnici ac Donatistæ æquius quodpiam rescriptum impetrarent. Historiam harum legum vide lib. VI Vitæ Augustini, quæ exstat tomo XI hujus editionis, et in notis Jac. Gothofredi ad tit. 5 lib. XVI codicis Theodosiani.

Epist. 98, § 1. *Ideo ex Adam traxit quod sacramenti illius gratia solveretur, quia nondum erat anima separatim vivens, id est altera anima*, etc.) Nempe putabat Augustinus omnium hominum animos aliquo modo in Adami animo fuisse, quia ex eo erant propagati. Vide de Libero Arbitrio lib. III cap. 20, § 56. Hæc mira est opinio, ut et ratio qua quæstiones Bonifacii solvit. Faciles esse oportuit qui in talibus responsis acquieverunt.

Ibid., § 9. *Si enim sacramenta quandam similitudinem earum rerum quarum sacramenta sunt non haberent, omnino sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerumque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo secundum quemdam modum, sacramentum corporis Christi corpus Christi est; sacramentum sanguinis Christi sanguis Christi est : ita sacramentum fidei fides est.*] De sacramento Eucharistiæ, res difficilis non est intellectu; sed quis intelligat susceptorem infantis baptizandi, cum pro infante responderet *credo*, hoc velle : baptismum, vel sacramentum fidei suscipio? Quis non videt primum formulam illam antiquam baptismi esse institutam in usum adultorum, qui soli primum baptismum suscipiebant, deinde translatam etiam ad infantes? Satius fuisset novam horum causa instituere formulam; quod si factum esset, ad tam coactas et veri absimiles rationes Augustinum confugere minime necesse fuisset.

Epist. 100, § 1. *Corrigi eos cupimus, non necari; nec disciplinam circa eos negligi volumus, nec suppliciis quibus digni sunt exerceri.*] Lege nempe Honorii data VIII calend. Decembres anno 408 quæ est 44, tit. 5 de Hæreticis, lib. XVI codicis Theodosiani ad Donatum, supplicium exigendum de Donatistis præcipitur, illis enim et Judæis memoratis : *In eos igitur*, inquit, *qui aliquid quod sit catholicæ sectæ contrarium, adversumque tentaverint supplicium justæ animadversionis expromi præcipimus.* Ad quæ verba, vide Jac. Gothofredum. Si distinctione adhibita, juberet Honorius eos qui seditionem movissent justo, ex legibus Romanis, judicio plecti; parci vero iis qui quiete vixissent, et sola opinione prava tenerentur, non esset cur eum vituperaremus. Dum enim publicæ tranquillitati consuluisset, humanitatis et imbecillitatis ingenii humani, ut par erat, rationem habuisset. Nunc autem miscet ima summis, similesque de errantibus ac de seditiosis pœnas sumi vult. Augustinus quoque hic errantes cum sceleratis miscet, promiscue eos damnat, et pariter pro iis ne occidantur intercedit. Videtur esse aliqua prima fronte ea in re misericordia; sed vereor ne magis famam misericordiæ captarent Afri quam eam virtutem ex animo colerent; cum quia, ut dixi, Donatistas omnes eodem loco habebant; tum quia, etiam citra mortem, immanes erant leges Theodosii et filiorum in miseros homines, qualis est quarta tit. 6, qua sancitur, inter alia, ut *quisquis post hæc fuerit rebaptizasse detectus, judici qui provinciæ præsidet offeratur, ut facultatum omnium publicatione mulctatus, inopiæ pœnam, qua in perpetuum afficiatur, expendat;* item, ut qui e supradictis iterare baptisma non timuerint, aut qui consentiendo

hoc facinus propria hujus societatis permissione non damnaverint, sciant *non solum testandi sibi, verum adipiscendi aliquid sub specie donationis vel agitandorum contractuum in perpetuum copiam denegatam, nisi pravæ mentis errorem reverendo adversus rectam fidem consilio emendatio correxerit.* Quanta calamitate afficerent Donatistas ejusmodi leges exsecutioni mandatæ, quæ aliis legibus diligentissime præcipitur, omnes facile intelligunt. Igitur Africani episcopi non erant propterea admodum misericordes, quod eos occidi nollent, qui tam male habebantur, ut multi mortem vitæ præferrent. Quis nescit an non mallent videre locupletes Donatistas sibi vectigales in ecclesiis, quam eos in sepulcris jacere bonis fisco ascriptis? Nihil indignius est Christianis quam persecutio quam qui probant quidvis possunt probare.

Epist. 105, § 3, de presbytero qui catholicus factus erat : *Quare illum vestri persecuti sunt, et pene occidissent, nisi Dei manus per homines supervenientes violentias eorum compressisset*, etc.] Quin pessime fecerint Donatistæ nemo dubitet; et propter ejusmodi *violentias* pœnas luere debebant, at non propter opiniones. Attamen omnia illis ignoscebantur, si modo redirent ad Ecclesiam catholicam, ut liquet ex lege 41, tit. 5 lib. XVI codicis Theodosiani.

Ibid., § 6. *Et tamen quid est melius proferre veras imperatorum jussiones pro unitate, an falsas indulgentias pro perversitate, quod vos fecistis, et mendacio vestro subito totam Africam implestis?*] Non erat miseris exprobrandum hujusmodi mendacium, si mendacium fuisset; sed nimio affectu obcæcatus fallebatur Augustinus, nam ut observavit eruditus Benedictinus in Vita Augustini lib. VI, cap. 7, § 2, ex concilio Carthagine XVIII calendas Julias anni 410 habito, constat eo tempore lege cautum fuisse ne quis, nisi libera voluntate, Christianæ religionis cultum amplecteretur. Eum adito.

Epist. 120, § 3. *Absit ut ideo credamus, ne rationem accipiamus, sive quæramus; cum etiam credere non possemus, nisi rationales animos haberemus. Ut ergo in quibusdam rebus ad doctrinam salutarem pertinentibus, quas ratione nondum percipere valemus, sed aliquando valebimus, fides præcedat rationem, qua cor mundetur, ut magnæ rationis capiat et perferat lucem, hoc utique rationis est.*] Nihil verius, quamvis non intelligam quomodo hoc in concordiam redigi queat cum eo quod alibi habet de auctoritate. Vide not. ad tom. I, lib. de Quant. animæ, § 12. Nemo etiam non probet quod est § 6. *Sicut non ideo debes omnem vitare sermonem, quia est et sermo falsus : ita non debes omnem vitare rationem, quia est et falsa ratio.* Augustino nescio quid ex Academicorum, quos maxime adolescens miratus fuerat, ingenio adhæsit; quæcunque enim ve risimilia animo ejus sese objiciunt arripit, consectariorum omnium eorumque quæ alibi dixit securus. Sic se Cicero, in quo legendo tantum tempus triverat, gerebat. Vide Joannis Clerici Quæstionum Hieronymianarum octavam.

Epist. 126, § 7. *Ego quippe, secundum multorum sensum, comparantium semetipsos sibimetipsis* (hoc est, ut videtur, de aliorum animo judicium ex suo animo ferentes) *non divitias dimisisse, sed ad divitias videor venisse. Vix enim vigesima particula res mea paterna existimari potest, in comparatione prædiorum ecclesiæ, quæ nunc ut dominus existimor possidere.*] Nolim male de cujusquam animo mihi ignoto judicare, sed non possum non hinc observare, ex mutatione sortis laicæ in ecclesiasticam, male colligi meliores esse ecclesiasticos quam laicos; cum in illa mutatione, qua quispiam mavult fieri clericus quam uxorem ducere, laboreque suo sibi, conjugi et liberis ex ea susceptis victum quærere, non exiguum sæpe sit lucrum. Neque enim tanti est habere uxorem cum qua concumbas, quanti multo ditiorem esse, tranquillioremque et commodiorem vitam agere; ne jam loquar de dignitate ecclesiasticorum qui ad episcopatum perveniebant. Fateor posse esse et fuisse viros qui eas opes, dignitatesque non ambierint, recteque iis usi fuerint; at profecto quod talia prætulerint vitæ privatæ et obscuræ, non potest dici ortum ex animo divitiarum et honorum spretore; nec propterea cæteris hominibus sunt præferendi, nec laudandi quod beatiores et honoratiores esse aliis voluerint.

Ibid., de Piniano : *In qualibet autem maxime Africanarum ecclesiarum, hic noster, non dico presbyter, sed episcopus sit, comparatus pristinis opibus suis etiamsi animo dominantis egeret, pauperrimus erit. Multo ergo liquidius et securius in hoc amatur Christiana paupertas, in quo nulla rerum ampliorum potest putari cupiditas.*] Verum hoc non agebatur, nam Albina non querebatur filium suum rapi a plebe Hipponensi, ut Pinianus ditior fieret; sed quia dives erat et liberalis, sperabat plebs fore, si presbyteri munere apud se fungeretur, ut erogaret opes suas pauperibus, sive sortem ipse servaret, fructusque illis divideret, sive sortem ipsam simul ac semel largiretur. Exemplum ejusmodi largitionis præbuerat Paulinus Nolanus, cujus Vitæ cap. 8 in ed. Parisina anni 1685, vide. Si plebs Hipponensis, prout suspicabatur Albina, eo animo presbyterum Pinianum habere cupivit, et seditiose postulavit, fuit hæc seditiosa mendicitas. et periculosa, quippe quæ uxori virum rapiebat, ut ejus spoliis frueretur, non amor virtutis Piniani. Nec audet hoc plane negare Augustinus quamvis simu'et se non intelligere cur suspicaretur Albina; sed propemodum fatetur hisce verbis : *Et si fuerint illi multitudini permisti inopes vel mendici, qui simul clamabant, et de vestra venerabili redundantia indigentiæ suæ supplementum sperabant, nec ista, ut arbitror, cupiditas turpis est.* Turpe non est modeste mendicare, si aliter vitam sustentare nequeas; sed turpe est minas intendere, ut genus vitæ imponas homini, quo tibi facultates largiatur, nec ferenda in ecclesia talis mendicatio.

Ibid., § 8. *Restat ergo*, inquit, *ut iste pecuniæ turpissimus appetitus, ex obliquo in clericos et maxime in episcopum dirigatur. Nos enim rebus ecclesiæ dominari existimamur, nos opibus fruimur.*] Propterea *credibiliter*

potuisse hoc in Hipponensem clerum dici fatetur Augustinus; quod tamen verum esse pernegat, juratque se nulla pecuniæ cupiditate sordidatum. Quod ei credo de ipso, sed vehementer suspicor a nonnullis ex clero inferiore utilitatem ecclesiæ spectatam esse, quæ tam divitem presbyterum accipere non poterat sine emolumento; quod aliquo modo etiam redundabat in universum populum Hipponensem, cum cujusvis liberi et episcopi et presbyteri fieri possent. Quæ omnino nescio cur dissimulet Augustinus, cum plebs non soleret tumultuari ut pauper quispiam peregrinus presbyter fieret. Sic multa arcana olim dissimulata sunt in honorem Ecclesiæ, quæ si nota essent, non ultra apostolorum tempora exempla vitæ Christianæ omnibus numeris absoluta forte quæreremus.

Epist. 133, § 1. *Mihi sollicitudo maxima incussa est, ne forte sublimitas tua censeat eos tanta legum severitate plectendos, ut qualia fecerunt talia patiantur.*] Marcellinum orat ne Circumcelliones Donatistarum cædis, ut ait, et aliorum scelerum reos capite plectat. Sed cur non intercedit pro iis qui opinionis solius causa male habebantur, quos mollius haberi par erat? Nempe, famam, ut jam alibi diximus, misericordiæ ex insignium reorum salute captabat. Vide et sequentem epistolam.

Epist. 138, § 19, de Apuleio Madaurense : *Pro statua sibi apud Coenses locanda, ex qua civitate habebat uxorem, adversus contradictionem quorumdam civium litigaret.*] Adnotant Benedictini undecim mss. habere *Ocenses*, quinque *Oeenses*, duos *Coenses*. At nemo dubitabit quin quinque illi sint emendatiores, qui Apuleii Apologiam legerit, ubi multis de nuptiis suis cum Pudentilla Oeensi vidua. Quamobrem miror non admissam hanc lectionem in contextum.

Epist. 141, § 5. *Communio malorum non maculat aliquem participatione sacramentorum, sed consensione factorum.*] Nihil verius; nam dum palam licet improbare facta, iis minime maculamur. Sed cur hoc non extendatur etiam ad dogmata? Attamen propter errores quos damnare licuit, nec eos magni momenti, frequentissime homines, cæteroqui minime mali sunt ecclesiastica societate ejecti.

Epist. 143, § 2. *Fateor me ex eorum numero esse conari qui proficiendo scribunt, et scribendo proficiunt. Unde si aliquid incautius vel indoctius a me positum est, quod non solum ab aliis qui videre id possunt, merito reprehendatur, verum etiam a me ipso, quia et ego saltem videre debeo, si proficio; nec mirandum est nec dolendum; sed potius ignoscendum atque gratulandum, non quia erratum est, sed quia improbatum.*] Hæc habet Augustinus, explicaturus locum quemdam librorum suorum de Libero Arbitrio, quæ sane a nemine qui non sit prorsus iniquus improbari possunt. Sed miror non attingi alia ejusdem operis loca, quæ indicavi in animadversionibus ad tertium ejus operis librum. Miror et similia sentientes tam acerbe damnatos.

Ibid., § 7. *Si enim ratio contra divinarum Scripturarum auctoritatem redditur, quamlibet acuta sit, fallit verisimilitudine, vera esse non potest. Rursus si manifestissimæ certæque rationi velut Scripturarum sanctarum objicitur auctoritas, non intelligit qui hoc facit, et non Scripturarum illarum sensum, ad quem penetrare non potuit, sed suum potius objicit veritati; nec quod in eis, sed quod in seipso velut pro eis invenit opponit.*] Aurea hæc est regula, a qua si nemo abiret, et Scripturæ sua auctoritas legitimaque sententia, et rationi sua indubitata veritas constaret. Nunc vero, quia negligitur, modo Scripturæ fides, modo rationis lumen vacillat; aut inter se quæ dissentire nequeunt turpiter committuntur. Optandum esset hujusce suæ regulæ in controversiis Pelagianis memorem fuisse Augustinum. Vide ad ep. 120.

Epist. 149, § 3. *Unus habebat* (Græcus codex) *quod et Latini nostri :* Domine, perdens de terra dispertire eos; *alius, sicut ipse posuisti :* a paucis de terra.] Locus exstat psal. xvi, 14, ex divisione LXX interpretum respondetque Augustinus Paulino sensum horum quærenti. Hinc intelligere potuisset Augustinus, quam necessarius erat labor Hieronymi, denuo convertendi Scripturas Veteris Testamenti ex Hebraicis fontibus. Cum enim haberent alii libri Græci ΑΠΟΛΛΥΩΝ, *perdens*, alii ΑΠ ΟΛΙΓΩΝ, quorum prius est in Vaticano, posterius in Alexandrino exemplari, et sic Latini quoque variarent; utram lectionem eligere potuit, non inspecto archetypo codice? Si potuisset eum legere, vidisset verti vocem מִמְּתִים *mimthim*, quod est *a mortalibus;* unde collegisset primum LXX interpretes legisse מִתִּים *methim*, occidens, quod est participium hiphil; deinde rectam non esse eam versionem, quod hic non ostendam. Hieronymus tamen etiam habet hic *qui mortui sunt*, sed frustra, ut recentiores interpretes satis ostenderunt.

Ibid., § 4. *Quod vero sequitur :* Saturati sunt porcina, *jam quid mihi ex hoc videretur aperui. Sed quod alii codices habent et verius habere perhibentur* (saturati sunt filiis) *quia diligentiora exemplaria per accentus notam ejusdem Græci verbi ambiguitatem Græco scribendi more dissolvunt, obscurius est quidem, sed electiori sententiæ videtur aptius convenire.*] Alii nempe codices habebant ὑῶν *porcorum*, aut *porcis*, alii υἱῶν, *filiorum*, aut *filiis*, quæ putavit Augustinus, pro sua linguæ Græcæ peritia, differre tantum *accentu*, cum differant littera I. Alii tamen habent nunc ὑείων *porcinis*. Veram quidem lectionem partim vidit, nam est Hebraice בָּנִים banim, *filii*, sed casu ac prava conjectura, sensum enim habet plane alienum ab hoc loco. De sequentibus interpretationibus nihil addam, nam satis liquet ex recentioribus quanti sint faciendæ. Paucula tantum observanda duxi, ut liqueret eos in tenebris ambulare qui olim voluerunt Vetus Testamentum sine Hebraicæ linguæ cognitione interpretari. Multo rectius, quod modestia postulabat, tacuissent; sed qui excogitandi ac dicendi facultatem aliquam nacti erant putabant se de omnibus dicere posse.

Epist. 157, § 2. *Si quæris utrum in hac vita quis*

*quam ita justitiæ perfectione proficiat, ut hic sine ullo vivat omnino peccato; attende quid dixerit Joannes apostolus, quem Dominus inter discipulos præcipue diligebat :* Si dixerimus, *inquit*, quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, *etc.*] Hæc respondet Augustinus quæstioni Hilarii in antecedente epistola, ubi dicit quosdam Christianos varia Syracusis docere, et primum quidem *posse esse hominem sine peccato.* Cujus dogmatis hic est sensus, hominem vivere sine peccato non oportere inter impossibilia censeri, quod non potest negari; cum res sua natura non sit impossibilis, et, si ab hominibus minime præstetur, possit saltem gratia divina præstari. Præterea videndum quid intelligatur voce *peccatum*, nam forte Pelagius ejusque discipuli intelligebant non leviora delicta humanæ infirmitatis, quæ a Deo nequaquam imputantur, sed ea quæ non consistunt cum omnium virtutum Christianarum habitibus; sine quibus peccatis apostoli aliique sancti viri aliquandiu saltem vixisse videntur. Vide quæ habet Joan. Garnerius ex lib. Pelagii de Natura, in appendice ad dissert. 6, et ibidem fragmenta Cœlestii. Hæc cum pensitare debuisset Augustinus, invidiose illico interpretatur enuntiationem Pelagianam; quasi simpliciter dixisset, esse homines qui non peccarent; cum de *possibilitate* tantum, ut scholastici loquuntur, agat. Aliud plane est dicere *posse fieri* quidpiam, aliud *fieri revera.* Forte ne de omni quidem peccatorum genere loquebantur Pelagiani.

Ibid., § 4. *Sed isti*, inquit, *utcunque tolerandi sunt, quando dicunt vel esse vel fuisse hic aliquem, præter unum sanctum sanctorum, qui nullum haberet omnino peccatum.* Atqui hoc non dicebant, ut vidimus ad superiorem quæstionem. *Illud vero*, pergit Hipponensis episcopus, *quod dicunt sufficere homini liberum arbitrium ad dominica præcepta implenda, etiamsi Dei gratia et Spiritus sancti dono ad opera bona non adjuvetur, omnino anathematizandum est et omnibus exsecrationibus detestandum.* Hæc habet de hoc dogmate, hominem *mandata Dei facile custodire, si velit;* quo significatur homo qui ad saniorem mentem redire velit, posse emendare mores suos, et contrarios virtutum habitus contrahere, quo facto facilis erit mandatorum Dei observatio; at non unico quidem momento, quasi sceleri diu assuetus, illico ad summum virtutis gradum transgredi posset, sed sensim. Quod additur *sine gratia Dei*, nulla distinctione adhibita, id pernegabat Pelagius, qui multiplicem gratiam Dei agnoscebat, ut ostendit Dionys. Petavius Dogm. Theol., tom. III, lib. de Hæresi Pelag., cap. 2. At nolebat admittere eam gratiam internam qua, veluti afflatu quodam ineluctabili, seu cui resistere non licebat, pauci quidam electi ad fidem adducebantur. Quod ex Scriptura, non ambiguis locis, probandum fuit Augustino, antequam incenderetur tanto zelo, qui sine amarore non fuit. Nam quod probat indigere homines non tantum præceptis Dei, ut recte vivant, sed et adjutorio in legibus nequaquam sito, hoc minime negabat Pelagius, ut multis ostendit Petavius loco memorato.

Ibid., § 11. *Quod autem dicunt infantem morte præventum non baptizatum perire non posse, quoniam sine peccato nascitur, non hoc dicit Apostolus ..... dicit enim ille doctor gentium :* Per unum hominem peccatum intravit in mundum et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt.] Sed hunc locum Pauli pertinere ad adultos tantum qui peccatum Adami imitantur ostenderunt dudum viri doctissimi, nec Augustinus unquam probavit infantibus baptismum præscribi a Christo aut apostolis, ne pereant. Alia non dicam quæ hac de re dicta sunt a viris eruditissimis; neque enim scribo scholas theologicas, sed breves animadversiones. Hoc unum dicam eo confidentius hic loqui Augustinum, quominus probare poterat quæ hic habet. Locus Pauli Rom. v obscurior est quam ut a tam proletario interprete explicari possit; quod vel ex sequente animadversione liquebit.

Epistola 164. *Et Dominum quidem carne mortificatum venisse in infernum satis constat. Neque enim contradici potest, vel prophetiæ quæ dixit :* quoniam non derelinques animam meam in inferno; *quod ne aliter quisquam sapere auderet, in Actibus apostolorum idem Petrus exponit; vel ejusdem Petri illis verbis quibus eum asserit*, solvisse inferni dolores, in quibus impossibile erat eum teneri. *Quis ergo, nisi infidelis, negaverit fuisse apud inferos Christum?*] Vel hinc intelligere licet quam periculosum sit Scripturam velle interpretari, si necessariis subsidiis destitutus sis; primum enim in ea invenitur quod non est, deinde acerbe damnantur qui eam melius intelligunt. Postquam enim temere quispiam credidit id perspicue esse in Scriptura quod non est, facile damnat eos qui non esse putant. Sic Augustinus se gessit hoc in loco. Cum enim in sermone Christianorum illius ævi Latine loquentium *infernum et inferi* significaret locum in quo damnatorum hominum animi pœnas dant; quia invenit psalmo xv, 10, *Non derelinques animam meam in inferno*, qui locus Christo a Petro aptatur, continuo existimavit (nec solus, ne quid dissimulem, sed una cum innumeris aliis) Christi animum in locum suppliciorum descendisse, dum corpus ejus in sepulcro jaceret. Deinde quasi impios, qui aliter sentirent, traduxit. Verum ante omnia statuendum Petrum non quæsivisse in loco psalmi id quod minime est; ideoque ex loco psaltæ intelligendus Petrus, æque ac psaltes ex sermone Petri; nec ullus est inter eos dissensus, quamvis cum Augustino nullo modo sentiant. Nec dubium est quin Petrus recitaverit locum Hebraice aut Chaldaice, qua lingua utebatur. Sic autem habent verba psaltæ in Hebraico codice : *Non relinques animam meam sepulcro* (לשאל *lischol*), *nec patieris sanctum tuum videre corruptionem.* Voces quidem *anima mea* perinde sunt ac *ego*, idemque sonant ac in altero membro *sanctus tuus.* Ita solent, ut omnes norunt, loqui Hebræi. Vox vero שאל, perpetuo linguæ Hebraicæ usu, significat aut

sepulcrum, aut locum aliquem sub terræ superficie, aut certe statum ac conditionem mortuorum, quæcunque sit, nunquam locum peculiarem malorum supplicis attributum; ut examine locorum in quibus occurrit liquebit. Græci vero interpretes qui Septuaginta dicuntur, et gentilibus non una in re sese attemperarunt, verterunt semper ᾅδης, aut θάνατον, nunquam τάφον, *sepulcrum*, quæ tamen propria erat vocis significatio. Itaque hic etiam verterunt: Οὐκ ἐγκαταλείψεις τὴν ψυχήν μου εἰς ᾅδην, οὐδὲ δώσεις τὸν ὅσιόν σου ἰδεῖν διαφθοράν. Quæ versio incommoda est, nam liquet hoc velle psalten, sensu translatitio, Deum non passurum ut occideretur, nam *relinquere sepulcro*, aut *pati videre corruptionem*, est sinere vulneratum quempiam, aut male affectum mori. Hæc tamen verba, sensu proprio, melius in Christum quadrant, quem Deus passus non est in sepulcro diu jacere, neque in eo corrumpi. Quamobrem Petrus Actor. II, 27, eum locum de resurrectione Christi e sepulcro agere ostendit. Sic loquitur Apostolus vers. 24: *Quem Deus suscitavit, solutis doloribus inferni* (τοῦ ᾅδου), *juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo.* Quæ locutio desumpta est ex psalm. XVIII, 5, ubi sic David: *Dolores inferni* (חבלי שאל quod potest verti *dolores* et *funes sepulcri*) *circumdederunt me, præoccupaverunt me.* Cum Petrus Jerosolymæ Chaldaice loqueretur, quam linguam Judæi omnes, præter Hellenistas, intelligebant, eadem hæc verba protulit; ac proinde intellexit *vincula mortis*, quæ sunt sine dubio intelligenda. Nam quamvis חבלים significet etiam *dolores*, attamen verba *solvere* et *teneri* ostendant de vinculis agi; isque est etiam psaltæ sensus, ut sequens membrum ostendit. Sed Lucas versioni Græcæ assuetus, et scribens in gratiam Græcorum, adhibuit locutionem LXX interpretum. Voluit ergo Petrus Deum solvisse vincula mortis, quibus teneri Christum par non erat. Scio *Augustinum* dicere in sequentibus: *facile esse intellectu sic dolores inferni solutos esse, quemadmodum solvi possunt laquei venantium, ne teneant, non quia tenuerunt.* Sed primo falsissimum est usquam שאל significare *infernum*, hoc est locum suppliciorum, et ipsa psaltæ verba ostendunt *vincula mortis* esse intelligenda; deinde ubi Deus dicitur *solvisse dolores inferni*, ne Christi anima eos sentiret? Nusquam. Petrus loquitur hic non de ulla ejusmodi actione Dei, impedientis ne Christus supplicia damnatorum pateretur, sed de sola resurrectione Christi; *quem*, inquit, *Deus suscitavit, ἀνέστησε, solutis*, etc., atque ita pergit: *David enim dicit in eum* (psal. XVI, 8, ex divisione Hebraica): *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dexteris mihi est, ne commovear ..... Quoniam non derelinques animam meam*, etc. Tum, vers. 31: *Providens locutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem. Hunc Jesum suscitavit Deus*, etc. Hinc manifesto liquet Augustinum non tantum ignorantia linguæ Hebraicæ dogma ex Scriptura hausisse quod in ea nequaquam est, sed etiam seriem orationis Petri parum attendisse, ex qua intelligere potuisset locutionis ejus sensum. Non nego alios vulgo scriptores Ecclesiasticos hoc in negotio similiter aberrasse, de quo symboli apostolici interpretes sunt consulendi, inter quos eminet Joan. Pearsonius; sed non minus est falsum hoc interpretamentum quod tam asseveranter profert Hipponensis episcopus, qui hæc habet ad explicandum obscurum locum I Pet. III, 18. Qui ad eum confugiebant quasi ad oraculum, ubi agebatur interpretatio Scripturæ, ii profecto nesciebant quid sit Scripturam interpretari.

Ibid. § 7. *Ne ipsos quidem inferos uspiam Scripturarum in bono appellatos potui invenire.*] At Hugo Grotius, vir haud paulo doctior, meliorque interpres Scripturæ, nullum locum invenire potuit ubi in malam partem sumatur, nec nos etiam. Vide Grotium ad Matth. XVI, 18, et Luc. XVI, 23.

Epistola 166, § 5. *Certus etiam sum animam nulla Dei culpa, nulla Dei necessitate, vel sua, sed propria voluntate in peccatum esse collapsam*, etc.] Quomodo hæc possint cum peccato originali, ut nunc a theologis explicatur, consistere nescio, nam animi eo infecti non possunt dici *propria voluntate* eo esse inquinati, *nec ulla necessitate* in id peccatum esse prolapsi. Si dixeris hic de actuali peccato agi, ostendendum erit cur iniquum sit, ad hoc peccatum quod attinet, peccatum id haberi quod non propria voluntate, sed necessitate imposita admittitur; ad peccatum vero originis quod spectat, non item. Sed Augustinus, *ut propria voluntate*, nec ulla *necessitate* peccasse homines intelligerentur, eo propendebat ut crederet animas omnes fuisse in anima Adami, atque ex ea propagatas, ut jam alibi observavimus, quod satis aperte § 10 ostendit: *Dic mihi*, inquit, *si animæ singillatim singulis hodieque nascentibus fiunt, ubi in parvulis peccent, ut indigeant in sacramento Christi remissione peccati, peccantes in Adam, ex quo caro propagata est peccati; aut si non peccant, qua justitia Creatoris ita peccato obligantur alieno, cum exinde propagatis membris mortalibus inseruntur, ut eas, nisi per Ecclesiam subventum fuerit, damnatio consequatur; cum in earum potestate non sit, ut eis possit gratia baptismi subveniri*, etc. Sed qui animæ omnium hominum fuerint in Adami anima, ut cum ea peccarint, non facilius intelligitur, absurdissimumque est commentum. Itaque satius multo fuisset diligenter expendere loca Scripturæ, ex quibus ejusmodi opiniones fluxisse censebantur, et finem ac naturam baptismi; quod si penitius factum fuisset, intellexissent boni viri se, postquam in Scriptura quæsivissent quod in ea non est, inexplicabilibus difficultatum mæandris intricatos fuisse; nec articulos fidei esse tam facile ex locis obscuris eliciendos, atque imponendos Christianis terrore anathematum et omnis generis pœnarum: quemadmodum factum est eo tempore ab Ecclesiis Africanis.

Ibid., § 10. *Quoniam igitur neque de Deo possumus dicere quod vel cogat animas fieri peccatrices, vel puniat innocentes; neque negare fas nobis est eas quæ sine*

*Christi sacramento de corporibus exierint, etiam parvulorum, nonnisi in damnationem trahi; obsecro te, quomodo hæc opinio defenditur qua creduntur animæ non ex illa una primi hominis fieri omnes, sed sicut illa una uni, ita singulis singulæ?*] Certissimum est a Deo neque animas cogi ut sint peccatrices, neque plecti innocentes; Deus enim est, sine dubio, et sanctitatis amans et justus; at Augustinum oportuisset proferre locum aliquem Scripturæ ex quo liquido constet infantibus necessario impositum esse baptismum, ita ut sine eo damnentur, qualis locus nullus est. Ut enim concedam adultis credentibus baptismum necessario imponi, quasi Christianitatis publicam professionem ac tesseram; non ideo sequitur etiam imponi infantibus. Nam ut, quamvis fides promiscue ab omnibus exigatur, ita ea loca intelliguntur, ut explicentur de iis qui sunt fidei capaces, non de infantibus, qui credere non possunt ante rationis usum : sic quamvis essent generalia præcepta de suscipiendo ab omnibus baptismo, essent semper cum exceptione intelligenda de iis in quorum potestate est baptizari; non de iis in quorum potestate non est. At Augustinus morem Ecclesiæ profert § 21, *ubi propterea cum baptizandis parvulis festinatur et curritur, quia sine dubio creditur aliter eos in Christo vivificari omnino non posse.* Verum cur id crederent Christiani nullam in apostolorum scriptis certam rationem invenire possumus; nec ex consuetudine, aut opinione, quæ imperitis æque ac peritis ortum suum debere potuit, licet dogma Christianæ fidei colligere; præsertim cum difficultatibus quæ solvi nequeunt laboret. Quamvis non male baptizentur infantes, attamen id ab apostolis factum, et quidem ne baptismo destituti damnarentur, nullo vel minimo indicio constat.

Ibid., § 21. *Quisquis nobis dixerit quemquam in resurrectione mortuorum vivificari posse nisi in Christo, tanquam pestis communis fidei detestandus est.*] Sed quid sibi vult *in Christo?* Si *propter* aut *per Christum* intelligas, verum est; sed quis hoc negavit? Pergit : *Item quisquis dixerit quod in Christo vivificabuntur etiam parvuli qui sine sacramenti ejus participatione de vita exeunt, hic profecto et contra apostolicam prædicationem venit, et totam condemnat Ecclesiam*, etc. Ubi apostoli de infantibus hoc prædicarunt? Nusquam. De Ecclesiæ consuetudine jam diximus. Itaque tam facile *pestes communis fidei* non sunt habendi qui contra sentiunt. Atrox hoc est convicium in eos qui Scripturis convinci nequeunt.

Epistola 173, § 2. *Sed neque hoc putas tibi fieri deluisse, quia neminem existimas cogendum esse ad bonum.*] Recte; nam bonum esse non potest quod fit a coacto; Deus enim non accipit dicta aut facta quibus animus non adest. Qui eleemosynam dat invitus, Deo magis non placet quam qui eam præfracte negat. Attamen contra censet Augustinus, qui sic contra Donatistam ratiocinatur : *Attende quid Apostolus dixerit :* Qui episcopatum desiderat, bonum opus concupiscit, *et tamen tam multi, ut episcopatum suscipiant tenentur inviti, perducuntur, includuntur, custodiuntur, patiuntur tanta quæ nolunt, donec iis adsit voluntas suscipiendi operis boni.* Sed qui ita coguntur (ut ponamus esse qui vere coguntur dignitates et opes ecclesiasticas accipere, cum antea nollent) putant etiam ipsi episcopatum esse *opus bonum;* nec eum refugiunt, quasi malum quidpiam, sed tantum quod ei oneri recte ferendo impares se judicent. At Donatistæ malum per se esse, ac Deo displicere, quamvis ea in re errarent, putabant id quod facere cogebantur; nec vexationibus aliter ut sentirent adduci poterant. Itaque nihil ad rem hoc exemplum facit, nec adhibetur ab Augustino, nisi more eorum rhetorum quibus satis est vel levissima verisimilitudinis umbra ut sibi recte ratiocinari videantur; cujusmodi hominibus nimis scatuerunt per multa sæcula Christianæ Ecclesiæ, sed præsertim illo ævo. Optandum esset eos qui publice causam Ecclesiarum suscipiunt, paulo studiosius dialecticæ et rhetoricæ severiori operam dare, ne tot sophismata ac inanes phaleras plebeculæ venditarent.

## HENRICI DE NORIS ANIMADVERSIONES.

### IN EPIST. CLXXV.

*Cl. ac doctissimo viro Antonio Magliabeco Florentino F. Henricus de Noris, Veronensis Augustinianus.*

Cum Pisas pergere destinassem, et jam schedas ac litterarium instrumentum collegissem; institutum repente iter, vir clarissime, remoraris, simulque longissimam peregrinationem injungis, jubens ut in Africam ocissime transmittam, ibique plurimarum urbium, quas tempus edax, ac barbarorum olim furor evertit, ruderibus eruendis insudem. Scribis enim te nuper Lugduno Marii Mercatoris libellos amplissimis notis a Joanne Garnerio illustratos accepisse, ac gratulari te felici Mercatoris sorti, qui cum per duodecim sæcula latuisset, hoc anno orbi litterario primum innotuit, ejusdem libellis Parisiis, Bruxellis, et partim etiam Patavii una simul in lucem emissis. Videsne seram posteritatem doctissimorum virorum curam gerere, quos nec longæ ætas unquam obruit, sed e bibliothecarum angulis in manus atque ora hominum postliminio licet erumpunt? Addis legisse te in ejusdem Garnerii opere notas, quas *dissertatione* 2 *de Synodis in causa Pelagianorum habitis vivente S. Augustino* in utramque epigraphen litterarum synodi Carthaginensis et Milevitanæ anno 416 contra Pelagianos celebratarum, exaravit. Ubi quæ me assequi nullatenus posse dudum tibi per litteras significaveram, non modo idem scriptor tentavit, sed etiam, ut sibi persuasit, plane confecit. Etenim cum synodicæ litteræ ad S. Innocentium pontificem in epigraphe nomina tantum episcoporum, non vero etiam eorumdem sedes præferant, ut ex epistolis 90 et 92 inter Augustinianas patet, Garnerium inquis animum non despondisse, sed ex collatione Carthaginensi ante quinquennium, nempe anno 411 coacta, omnium fere illorum præsulum urbes, quarum sacris id temporis præerant, designasse. Fateor, vir doctissime, in eam me pa-

riter cogitationem, ut probe noris, olim abiisse, atque eidem operi acriter stylum intendisse, cum Pelagianam historiam concinnarem. Verum licet plurimorum episcoporum sedes ex laudata collatione deducerem, cum longe plurium urbes ignotæ mihi prorsus evaderent, manum e tabula amovi, dum divinare potius quam quidpiam me veri scribere intelligerem. Quod vero meum quoque ea de re judicium postulas, quamvis gravioribus curis distentus sim, ut nec inde machinis a quoquam evelli possim, animadversiones in Garnerii notas calamo ad alia properante scriptitavi; neque enim jubenti tibi, cui plurimum debeo, refragari possum. Erit id novum meæ erga te observantiæ argumentum, quippe qui volens ea exsequor quæ alio imperante, non dicam invitus, sed nulla plane ratione præstarem. Et ut magni voluminis in manus subinde recipiendi molestiæ eximaris, ipsa Garnerii verba præmitto, quibus notationes censorias suppositas leges. Cæterum operæ pretium duxi epigraphen Epistolæ synodicæ Patrum proconsularium ex titulo epist. 90 apud Augustinum exscriptam inserere.

*Domino beatissimo et honorandissimo fratri sancto Innocentio papæ, Aurelius, Mundius, Rusticanus, Fidentius, Eugarius, Antonius, Palatinus, Adeodatus, Vincentius, Publianus, Theasius, Tutus, Panthonius, Victor, Restitutus, Rusticus, Fortunatianus, alius Restitutus, Ampelius, Animus, Felix, Donatianus, Adeodatus, Octavius, Serotinus, Majorinus, Posthumianus, Trispulus, Victor, alius Victor, Leucius, Marianus, Fructuosus, Faustinianus, Quodvultdeus, Candorius, Maximus, Magarius, Rusticus, Rufianus, Proculianus, Thomas, Januarius, Octavianus, Prætextatus, Sixtus, Quodvultdeus, Penthadius, Quodvultdeus, Cyprianus, Servilius, Pelagius, Marcellus, Venantius, Didymus, Saturninus, Tiazacenus, Germanus, Germanianus, Juvenius, Majorinus, Inventius, Candidus, Cyprianus, Æmilianus, Romanus, Africanus, et Marcellinus, qui in concilio Ecclesiæ Carthaginensis adfuimus.*

Garnerius antequam laudatorum Patrum provinciæ Proconsularis sedes designet, hæc præfatur : *Visum est porro, nonnullum futurum operæ pretium, nonnullamque posse ab eruditis lectoribus iniri gratiam, si episcoporum qui synodo interfuerunt, ita recenserentur nomina, ut quod hactenus tentavit nemo, suæ singulis, quantum licet, assignarentur Ecclesiæ. Collectæ sunt illæ vero, sed non sine cura et labore ex diversis veterum libris inter se collatis, et potissimum tribus, Codice canonum Ecclesiæ Africanæ, parte prima collationis Carthaginensis, et Notitia provinciarum Africæ edita a Patre Sirmondo.* Verum quantum gratiæ apud eruditos sibi conciliarit ex iis quæ subjiciam patebit. Profecto *curam et laborem* inanem impendit, eamque sibi tantum laudem comparavit, quod magnis excidit ausis; longe majori præconio donandus, si opus, *quod hactenus tentavit nemo*, majori diligentia aggressus fuisset, vel saltem cum cæteris intactum reliquisset. Sed ad rem veniamus, neque enim epistolæ brevitas patitur ut per inania exspatier.

Aurelius Carthaginensis. *Successit Genethlio, seu Genedio, ut constat ex Augustini epistola* 163, *scripta an.* 412; *in qua tamen Genethlius dicitur* beatæ memoriæ, *cum tamen Aurelius sederet adhuc, imo tredecim post annis synodo Africanæ præsederit, an.* 425. *Baronius igitur audiri non potest Genethlium Aurelio substituens.* Rectius fecisset si nec audivisset Baronium dicentem memoratam epistolam 163 scriptam fuisse ab Augustino anno 412, cum Cirtam ad synodum pergeret. Certum est laudatam epistolam non esse scriptam post annum 397, nam ibidem Ambrosius Mediolanensis adhuc superstes memoratur. Etenim cum Augustinus hæc initio præmisisset, *Fortunium, quem Tubursicum habetis episcopum, per eamdem civitatem, quanquam festinantissime, cum ad Cirtensem Ecclesiam pergeremus, experti sumus,* hæc ait : *Quæsivi ab eo utrum justum et Christianum putaret episcopum Mediolanensis Ecclesiæ Ambrosium. Cogebatur utique negare, quod ille vir Christianus esset et justus : quia si fateretur, statim objiceremus, quod eum rebaptizandum esse censeret.* Itaque si Augustinus obtrudit Ambrosium Fortunio episcopo Donatistæ rebaptizandum, nondum eo anno obierat Ambrosius, vel illius saltem obitus nondum Augustino innotuerat. Quod autem epistola 163 data sit anno 397, ex iis quæ versus finem scribit aperte colligitur : *Sed quia,* inquit, *ordinandi causa episcopi necessitas nos inde,* nempe Tubursico, *jam jamque rapiebat,* etc. Itaque Cirtam properabat ad inaugurandum ibidem Fortunatum episcopum, quem eo anno in demortui Profuturi locum electum fuisse pluribus ostendi lib. II hist. Pelag., cap. 8 : quæ cum ibidem possis legere, eadem huc transferre non vacat. His accedit, testari Augustinum se disputasse cum Fortunio Tubursicensi Donatista. At anno 411 inter Donatistas in Collatione cap. 201 nominatur *Januarius episcopus de Tubursico Numidiarum,* qui Fortunio dudum defuncto successerat.

Numidius Maxulitanus. *Hunc oportuit diu Maxulitanam Ecclesiam rexisse, quippe cum jam inde ab anno* 403 *secundo loco sederit, nec tamen anno* 419 *diem obiisset. Civitas porro Maxula, quæ nunc Massa dicitur, non multum distat ab antiqua Carthagine versus ortum.* Laudo Garnerii correctionem, qui pro *Mundius* legit *Numidius.* Cæterum nescio unde sciverit Numidium ab anno 403 secundo loco sedisse. Exstat synodus habita eo anno, Theodosio et Rurimundo coss., Carthagine, in cujus calce solus Aurelius primas legitur nominatim subscriptus, et additur : *Similiter et cæteri episcopi subscripserunt.* In qua quidem synodo nusquam Numidii nomen sonat, qui forte potuit abesse. Longe melius Numidii episcopatus antiquitas probari poterat a Garnerio, si appellasset synodum anno 390 a Genethlio indictam, in qua legitur : *Numidius Maxulitanus dixit,* etc.; et Aquileiensem an. 381, cui adfuit *Numidius legatus Afrorum.*

Rusticianus Tabracensis. *Fuit autem Tabraca*

*nobilis olim colonia, Hipponem inter et Uticam.* Nolo objicere Carolum a S. Paulo, et Holstenium ascribere Tabracam Numidiæ; etenim cum in confiniis sit inter Numidiam et Proconsularem, potuit eamdem urbem suo jure proconsularibus Ecclesiis accensere. Illud tolerari nequit, quod inferius, ut videbis alterum Rusticianum hoc ipso anno 416 et in hac ipsa synodo Tabracensem episcopum dicit. Vel ergo hic Rusticianus, vel alter perperam ponitur Tabracæ antistes.

Fidentius Cæfalensis. *Incertum quæ fuerit civitas cujus Ecclesiam rexit.* In collatione primæ diei cap. 133 laudatur *Fidentius episcopus plebis Cæfalensis.* Hanc vero Ecclesiam spectasse ad provinciam Proconsularem probandum erat ex synodica ejusdem provinciæ Patrum, inserta actioni secundæ concilii Lateranensis anno 649, a S. Martino papa celebrati, ubi subscriptus legitur *Crescens gratia Dei episcopus S. E. Cæfalensis.* Fuit ergo Cæfala civitas provinciæ Proconsularis.

Evangelus Assuritanus. *In excusis codicibus legitur Evagrius; sed mendum inesse ex eo constat, tum quod Evagrii nomen vulgare non fuit Afris, fuerit autem Evangeli; tum quod Evangeli Assuritani fit mentio in collatione.* Utrumque Garnerio probandum venit : Evagrii nomen nec unius hominis fuisse, Evangeli vero solitum apud Afros et familiare. In elencho quadringentorum episcoporum in Notitia Africæ nec unus Evangelus nominatur; in ducentis octoginta sex episcopis in collatione Carthaginensi unus Evangelus Assuritanus appellatur, uti unus itidem Evagrius in epigraphe synodicæ. Unde igitur habet Evagrii nomen vulgare non fuisse Afris, fuisse vero Evangeli? Cum nullus Evagrius in collatione nominatus fuerit, ac vellet omnino episcopi quinto loco subscripti sedem assignare, ex Evagrio Evangelum fecit. Cæterum error correctoris manifeste apparet ex synodo Carthaginensi an. 401, in qua can. 77 Cod. Afric. hoc ordine legati ad urbem Hipponensem Diarrhytorum nominantur : *Reginus, Alipius, Augustinus, Maternus, Theasius, Evodius, Placianus, Urbanus, Valerius, Ambivius, Fortunatus, Quodvultdeus, Honoratus, Januarius, Aptus, Honoratus, Ampelius, Victorianus,* Evangelus, *et Rogatianus.* Quare cum in hac epigraphe Theasius et Ampelius post Evagrium nominentur, loco Evagrii Evangelus neutiquam poni potest, qui utroque laudato Episcopo posterior fuit.

Antonius Carpitanus. *Sermo fit de ipso in collatione an. 411; subscripsit epistolæ quam de appellationibus et causa Apiarii Africana synodus ad S. Cœlestinum scripsit.* Nisi Antonius anno 425 redux in vitam iterum Carpitanam sedem receperit, hæc procul a vero exorbitant, nam in synodo Carthaginensi, in causa de appellationibus, subscriptus nominatur *Penthadius episcopus Carpitanæ Ecclesiæ,* vel, ut in aliis codicibus, *Penthadius Carpitanus.* Cum vero in titulo epistolæ ad Cœlestinum inter primos nominetur Antonius, cur non iste idem fuerit qui anno 416 synodicæ præfixus legitur? Qui tamen Carpitanus esse non potuit, cum anno 419 Penthadius Carpis sederet. Alter familiaris huic scriptori error corrigendus est, quod postea in hac synodo an. 416 Penthadium Carpitanum episcopum pronuntiat. Itaque vel Antonius hic et Penthadius in eadem sede una coepiscopi apud Carpos ponuntur, vel in alterutrius sede designanda falsus Garnerius fuit.

Palatinus Bossetensis. *Palatini mentio fit in epistola synodi Africanæ ad S. Cœlestinum, Bossetensis sedis in collatione.* In epigraphe epistolæ ad S. Cœlestinum legitur : *Aurelius, Palatinus, Antonius, Tutus,* etc. In hac vero epigraphe Antonius præcedit Palatinum. Quare optime notat Labbeus legendum esse *Valentinum,* qui tempore Cœlestini erat primas Numidiæ. Illius sedes cap. 202 dicitur *Vosetensis,* et cap. 125 *Bosetensis.* Ex quibus patet pertinere illam Ecclesiam ad Proconsularem, quam tamen incertæ provinciæ dixerunt Carolus a S. Paulo et Holstenius, qui etiam lapsus est pag. 106 dum Vosetensem dixit Visicensem; etenim anno 411 apud Ecclesiam Bosetensem sedebant Palatinus catholicus et Felix Donatista, cap. 125 collationis; apud Visicensem vero urbem Felix catholicus, qui cap. eodem 125 dixit : *Episcopum contra me non habeo.*

Adeodatus Bencennensis. *In notitia episcoporum ex provincia Proconsulari ejectorum, Gulosi Beneventensis ( lege Bencennensis ) in Corsicam relegati mentionem fieri.* Postquam episcopi nomen mutavit, urbis quoque nomen antiquat, imo duas in unam civitatem conflat, Beneventum in Bencennam transcribens. Verum Beneventanam urbem fuisse in Africa præter Notitiam episcoporum, in qua legitur *Gulosus Beneventensis,* colligo ex synodo prima Arelatensi habita anno 314, cui ex Africa cum Cæciliano Carthaginensi interfuit *Anastasius de civitate Beneventina.* Præterea cum eidem collationi ex cap. 135 adfuerit *Adeodatus Simidiccensis* ex provincia Proconsulari, cur Adeodatus sexto loco in epigraphe nominatus, Bencennensis potius quam Simidiccensis appellandus sit, pro arbitrio tantum asseritur : præsertim cum Bencennensis Ecclesia iis accenseatur quæ incertæ prorsus provinciæ deputantur.

Vincentius Culusitanus. *Hunc oportet fuisse strenuum in rebus agendis, et acrem in fide defendenda,* etc. *Scio in Itinerario Antonini, ubi describitur via littoraria ab ostiis Ampsagæ Hipponem usque Regium, recenseri Paratianas, Culusitanas, Tacutuam, Sullucu, et Hipponem; nec aliud intelligi posse Culusitanarum nomine quam utrumque Colopem, vel saltem minorem.* Postea. *An emendanda lectio codicum, et pro Culusitano, seu Colositano episcopo restituendus Curobitanus ab urbe Curobi prope Neapolim in provincia Proconsulari sita?* Hic ex unius litteræ variatione ingentes excitat controversias, quæ nullæ sunt. Neque enim Antoninus scribit *Culusitanas* interjacere inter Hipponem et Ampsagæ ostia; hac enim ratione urbs Culusitana pleno jure ad Numidiam spectaret, cum Mauritaniæ Sitifensi vicinior esset quam provinciæ Carthagi-

nensi. Scribit Antoninus *Culucitanas*, et consentiunt Tabulæ Peutingerianæ, quæ inter Pusicadem et Cirtam ponunt *Parantianis* et *Culucitani*. At Garnerius legit *Culusitanas*, ex quo errore Culusitam ex Antonini sententia contendit locandam esse in Numidia. Ita Tacarata est Numidiæ urbs, et in Notitia laudatur inter Numidas *Crescentius Tacaratensis* : Tagarata vero est in Proconsulari, in qua ibidem nominatur *Honoratus Tagaratensis*. Itaque licet Culucitani inter Numidas statuantur, Culusitani Proconsularibus deputantur, et Vincentius in collatione cap. 133 dicitur *Culusitensis*, et in subscriptionibus synodi an. 419, *Culsitanus* et *Culusitanus*. In notitia legitur *Æmilianus Culsitanus* inter proconsulares; in synodo Bonifacii Carthaginensis anno 525, *Marcianus Culusitanus;* in Carthaginensi sub Grato can. 6, *Nicasius Culusitanus*. Nusquam legitur Culucitanus. Sed ne quæ varianda est lectio, ut pro Culusitano Curobitanus episcopus reponatur; nam Culusita et Curobis fuere distinctæ civitates proconsularium : etenim in synodo Carthaginensi sub Hilderico rege anno 525, subscripti leguntur et *Peregrinus episcopus plebis Curobitanæ*, et *Marcianus episcopus plebis Culusitanæ*. Vides Curobim a Culosita seu Culusita distinctam? Sed ex ipsa collatione hoc ipsum demonstratur, in qua cap. 138 Vincentius Culusitanus de sua diœcesi dixit : *Catholica est*. At cap. 198 inter Donatistas recitatur *Victor episcopus Curubitensis*. Res est clarissima, de qua unus Garnerius potuit dubitare.

Publianus Bazaradidacenus. *Ita quidem legitur in collatione : Sed quia nullibi, quod sciam, hujuscemodi civitatis mentio fit, suspicari posset aliquis inesse mendum, reponendumque Mazaranacenum; est enim Mazarana civitas in provincia Proconsulari inter Bagradam fluvium, et fontem Cataldæ, quo alluitur Carthago.* Profecto urbem Bazaradidacenam ex cap. 125 collationis habemus. Nusquam tamen novæ urbis *Mazaranæ* nomen, nisi in Nova Garnerii Geographia reperitur. In synodo S. Cypriani apud Aug. lib. vii de Baptismo, cap. 10, nominatur *Felix a Marazana*, et in tabulis Caroli a S. Paulo Marazàna describitur; synodum *Marazanensem* laudat Ferrandus Diaconus Carthaginensis can. 76. At Garnerii allucinatio apparet, qui Marazanam sitam fuisse putat in provincia Proconsulari, nam pertinebat ad Byzacium. Hinc in Notitia Africæ inter Byzacenos asseritur *Vindicianus Marazanensis*. Hoc ipsum ex Antonino evincitur, qui scribit ab *Aquis Regiis Marazaniam* M. P. XV. *Sufibus* M. P. XXVIII. Quare inter Sufetanos et Aquas Regias interjacet Marazana. Priores vero urbes pertinere ad Byzacenos constat ex Notitia laudata, in qua inter eosdem nominantur *Liberatus Aquarum Regiarum*, *et Eustrasius Sufetanus*. Sed omne dubium dispellit collatio Carthaginensis, in qua cap. 127 ponitur *Publianus episcopus plebis Bazaradidacenæ*, et cap. 133 appellatur *Eunomius episcopus plebis Marazanensis*. Igitur stulti solum suspicari possunt unam eamdemque esse urbem, cum ibidem distincti episcopi utriusque oppidi diserte asserantur. Ex Ortelii Tabularum mendo, ubi pro Marazana legitur Mazarana, errorem sorbuit, tot ignoratis pro Mazarana certissimis testimoniis.

Theasius Membresitanus. *Quod Membresa porro fuerit episcopalis dubium esse non potest; nam Lucii Membresitani mentio est in concilio Carthaginensi de rebaptizandis hæreticis : Salvii Membresitani apud Augustinum*, etc. Eumdem lapidem offendit, duas iterum urbes in unam confundens. Tempore collationis Carthaginensis, Membresa seu Membressa, ut Augustinus et Antoninus scribunt, erat civitas distincta a Memblosita. Hoc ad oculum patet ex memorata collatione, in qua cap. 133 recensetur *Gennadius episcopus plebis Membressitensis*, itemque ibidem ponitur *Theasius episcopus plebis Memblositensis*. In synodo Cypriani apud Augustinum lib. vii de Baptis., cap. 26, nominatur *Lucius a Membresa*, quam eamdem cum Memblosita Garnerius existimavit. Qui etiam ibidem probat Membressam spectasse ad proconsulares, quia ex Antonino *constat civitatem hanc inter Mustitanam et Sicilibbam fuisse*. At Mustitana pertinebat ad Numidiam ex Notitia Africæ, in qua inter Numidas nominatur *Antonianus Mustitanus;* si vero Membressa inter duas urbes proconsulares fuisset, forte intentum probasset. Hæc de Mustitana urbe juxta vulgarem sententiam loquor. Debuit ergo hæc demonstrare ex synodica act. 2 concilii S. Martini papæ, in qua inter proconsulares laudatur *Victor Membressitanus*, et ex synodo Bonifacii Carthaginensis an. 525, quam subscribit *Paschasius Membressitanus*.

Tutus Melditanus. *Scribitur in collatione Melzitanus, sed vitiose opinor : neque enim ab ullo fit mentio Melzitæ civitatis in provincia Proconsulari : Fit autem ab omnibus Meldítæ ad Hipponitidem paludem positæ, cujus situs a Ptolemæo describitur.* Ita Garnerio Plinius, ac trecenti et decem episcopi Donatistæ nulli sunt. Plinius lib. v, cap. 4, laudat in Africa oppidum *Melzitanum*. Synodus Bagaiensis Donatistarum inter duodecim ordinatores Maximiani Carthaginensis damnat *Valerium Melzitanum*. Apud Aug. lib. iii contra Cresconium, cap. 19 et 53. Recte ergo in collatione cap. 121 legitur : *Tutus episcopus plebis Melzitanæ*. Non tamen reprehendendus est Ptolemæus, ubi hoc ipsum oppidum Melditam vocat; familiare enim fuit antiquis pro Z usurpare D, ut pluribus ostendi lib. ii Hist. Pelag., cap. 3. Ita in eadem provincia Hipponem Zarruthum laudat Antoninus, et Zaritonensem episcopum nominat collatio cap. 139, eum alii eamdem urbem Hipponem Diarrythum vocent

Panthonius Puppitanus. *In collatione parte prima legitur Pannonius Puppitanus, sed gemino vitio, cum Pannonii nomen insolens sit apud Afros, Panthonii familiare, et civitas cujus sedem tenuit dicatur Pupput in Itinerario Antonini.* Imo *gemino vitio* labor hæc censura. Cum textus epigraphes synodalis ex collatione corrigendus esset, ut ubique erraret, maluit textum collationis erroris arguere. In ms. serenissimi magni ducis postea laudando, in epigraphe non *Panthonius*, sed *Pannonius* recte legitur. Verum quis illi dixit Pannonii nomen insolens esse apud Afros, Pan-

thonii vero familiare? Præter Pannonium Puppitanum, legitur in Notitia Africæ inter Mauritanos Cæsarienses *Pannonius Bitensis*. Unum tantum Panthonium ex depravata epigraphe novit, alterum ex incognitis libris ex Africa appellet, et tunc familiare apud Afros nomen Panthonii affirmabo, et erit mihi magnus Apollo. Quod vero contendit a Pupput dicendum esse *Pupputanum*, non *Puppitanum*, vix citra indignationem ab Afris audiri posset, quasi hic scriptor Africanarum urbium vocabula melius quam ipsimet Afri declinare sciat. In collatione cap. 187 inter Donatistas nominatur *Victorianus Puppitanensis*, Pannonii æmulus. Synodicam proconsularium act. 2 laudatæ synodi Lateranensis subscribit *Gulosus Puppitanus;* in synodo Bonifacii Carthaginensis anno 525 recitatur *Fortunatus Puppitanus*. Quis autem dixerit hos episcopos nescisse suæ urbis nomen Latine inflectere?

A

B

Victor Vinensis. *Legitur ipsius nomen in collationis prima parte, est autem Vina civitas prope Pupputanam.* Ariolatur; nam cum in titulo epistolæ, quam adeo eruditis notis illustrat, tres Victores nominentur, eorumdem sedes ex collatione Carthaginensi expiscatur. Priorem dicit Vinensem, alterum Uticensem, postremum Migirpensem. Quod ita pro arbitrio horum Victorum sedes disponit, nullam Garnerio quæstionem facio, quamvis prior potuerit esse Migirpensis, postremus autem Uticensis, et medius Vinensis. Hoc eumdem interrogatum velim cur tres alios Victores, qui in collatione recensentur, omisit, nullumque eorum in memorata epigraphe nominatum voluit? Recensetur cap. 116 *Victor Libertinensis*. Hanc vero urbem spectasse ad proconsulares patet ex synodica ejusdem provinciæ act. 2 concilii Lateranensis, ubi legitur *Januarius gratia Dei episcopus S. E. Libertinæ*. Rursus in eadem collatione recitatur cap. 215 *Victor Abitinensis*. Et hunc pariter proconsularibus accensendum constat ex proxime laudata synodica, in qua nominatur *Augustalis gratia Dei episcopus S. E. Abitinensis;* et apud Cyprianum habetur *Saturninus ab Abbitinis*. Denique tertius Victor occurrit cap. 133, ubi dicitur subscribere *Quintus pro Victore episcopo Tuburbitanorum minorum*. Fuisse vero Tuburbum in Proconsulari docet Notitia Africæ, in qua appellatur *Benenatus Tuburbitensis;* et utriusque Tuburbi situm in Proconsulari exhibent Tabulæ Peutingerianæ. Cur ergo tres hosce Victores, qui anno 411 eidem collationi cum tribus aliis quos laudat interfuere, a synodo anni 416 exclusit? Cur unum saltem ex illis intra synodum non admisit, sed solummodo Vinensem, Uticensem, et Migirpensem? Profecto vides, mi Antoni, Garnerium hic purum putum ariolatorem agere.

C

D

Restitutus Muzulensis. *Legitur in collatione Muzucensis, sed Augustinus lib.* VII (lege VI) *contra Donatistas, cap.* 41, *meminit episcopi Muzulensis, quem fuisse provinciæ Proconsularis colligo ex Notitia sæpius laudata, in qua numeratur inter ejectos ex ea provincia episcopos Felix Muzulensis.* Geographus urbes confundit. Recte in collatione Restitutus appellatur Muzucensis, cujus adversarius Donatista cap. 206 dicitur *Idaxius Muzucensis*. Porro hæc urbs erat inter Byzacenas; unde in Notitia Africæ inter Byzacenos episcopos recitatur *Innocentius Muzucensis*. Præterea more solito divinatur; nam in collatione cap. 133 scribitur *Restitutus episcopus plebis Simingitensis*. Hunc vero annumeratum proconsularibus colligo ex synodo Bonifacii, in qua appellatur *Cresconius episcopus plebis Simingitanæ*. Itaque errat Garnerius, dum Restituto Simingitensi provinciæ Proconsularis omisso, Restitutum Muzucensem ex Byzacio ad Proconsularem transferens, eumdem in Muzulensem episcopum vertit.

Rusticus, seu potius Rusticianus Tabracensis. *Sic enim legitur in collatione. Fuit autem Tabraca colonia in ipso confinio provinciæ Proconsularis et Numidiæ, unde factum est ut una pars auctorum in Numidia, alii in Provincia collocarent.* Infeliciter labitur. Etenim cum in collatione nullum Rusticum appellatum legeret quo hujus episcopi sedem designaret, eumdem ex Rustico in Rusticianum mutavit. Sed in hoc turpiter etiam errat; nam superius episcopum qui tertius ab Aurelio primate in epigraphe legitur, appellarat *Rusticianum Tabracensem*. Itaque auctore Garnerio anno 416, Tabracæ duo Rusticiani episcopi catholici sedebant, ut Ecclesiæ, quemadmodum et urbes id temporis regebantur, suos habuerint duumviros.

Fortunatianus Neapolitanus vel Siccensis. *Fortunatiani duo celebres exstiterunt tunc temporis: Neapolitanæ unus, alter Siccensis Ecclesiæ episcopus, uterque Proconsularis provinciæ,* etc. *Uterque sine dubio interfuit Africano concilio an.* 418. *Incertum uter electus ad finiendas causas cum aliis provinciarum legatis. Uterque pariter interfuit concilio universali an.* 419. *Incertum utrius nomen præferatur in epistola Afrorum ad S. Cœlestinum.* Laudo hominis eruditionem, qui duos Fortunatianos novit, eosque in diversis urbibus collocavit; verebar enim ne duos Fortunatianos uni urbi præficeret, quemadmodum duos Rusticianos uni civitati donavit. Verum statim cespitat et præceps ruit. Quod enim ait utrumque Fortunatianum interfuisse concilio universali Africæ an. 419, admitti non potest, nisi mortuos episcopos suffragia dare ac sententias dicere fingamus. Anno 419 Siccæ sedebat Urbanus in mortui Fortunatiani locum subrogatus, qui, cum anno superiori Apiarium igni aquaque interdixisset, et hic ad Zosimum appellasset, acriter a pontifice reprehensus fuit; unde diuturniores illæ de appellationibus controversiæ Afros inter et Romanam sedem exordium duxere. In litteris synodi Africanæ anno 419 ad Bonifacium pontificem datis hæc leguntur: *Prior autem coepiscopus noster Siccensis Urbanus, quod in eo,* nempe Apiario, *corrigendum est, sine ulla dubitatione correxit.* Unus ergo Fortunatianus Neapolitanus anno 418 et 419 synodis Africanis interfuit, unus Neapolitanus ad finiendas causas cum aliarum provinciarum legatis electus est, idem epistolæ ad S.

Cœlestinum papam præfigitur. Nota interim, vir clarissime, Garnerii confidentiam, qui asseveranter pronuntiat Siccensem Fortunatianum *sine dubio* laudatis synodis interfuisse, qui id temporis *sine dubio* diem obierat, ac in eadem sede Urbanum ex Hipponensi clero episcopum exceperat. De initio episcopatus Urbani scribit S. Augustinus epist. 59 ad Paulinum Nolanum.

Restitutus Cincaritensis. *Legitur in collatione episcopus hujus nominis et sedis ; credibile admodum est hunc ipsum esse quo de agitur.* Et hic divinatur; nam adfuit etiam collationi cap. 133 *Restitutus episcopus plebis Simingitensis.* Et in concilio Bonifacii an. 525 inter proconsulares laudatur *Cresconius episcopus plebis Simenglitanæ.* At Cincaritensem Ecclesiam incertæ provinciæ deputant Carolus a S. Paulo et Holstenius, nec quidquam pro ea re affert Garnerius. Ego tamen puto illam Ecclesiam fuisse inter proconsulares; nam in synodica act. 2 concilii S. Martini papæ inter ejusdem provinciæ episcopos nominatur *Quobulus Ceciritensis*, quæ forte Ecclesia eadem est cum Cincaritensi.

Ampelius. *Incertæ sedis. Nam Ampelius cujus fit mentio can.* 78 *Cod. Afric. cujusque sedes in collatione dicitur fuisse Vaga vel potius Vada, quique interlocutus legitur cap.* 176, *videtur fuisse Numidarum unus,* etc. *Unde ulterius corrigendus quoque collationis textus cap.* 215, *ubi duo appellantur episcopi Vagenses catholici, Ampelius et Primulus; legi enim debet Vadensis.* Ignoravit duas fuisse in Africa Vagas, unde alteram urbem Vadam dicendam contendit. At Plinius, cui melius Africanæ urbes cognitæ fuerunt, lib. v, cap. 4, inter quindecim oppida civium Romanorum nominat *Vagense*, et inter triginta libera oppida *Vagense aliud.* Consulto addidit *aliud*, ut Vagam utramque distingueret. Una erat Latio donata, altera liberum municipium. Hinc perperam collationem corrigendam ducit, in qua duæ Vagæ asseruntur. Hæc oppida, quæ Vagæ dicuntur in collatione, ambo *Vadæ* appellantur in Notitia Numidiæ, ubi recitantur *Rufinianus Vadensis*, et *Proficius Vadensis.* Imo tertia insuper Vaga ponitur in eadem collatione; nam cum cap. 177 nominatus fuisset *Privatus episcopus Vagensis*, Rogatus episcopus dixit : *Januarianus dicitur, non Privatus.* At respondit Primianus primas Donatistarum Carthaginensis provinciæ cap. 179 : *Est Auzagga, ubi fuit Januarianus, qui nunc defunctus est; alia Auzagga ubi est Privatus, qui nunc vivit.* Ubi patet has Vagas agnominatas *Auzaggas*, ut a Vaga, ubi Ampelius sedebat, distinguerentur. Et quidem præter duas Vagas quas Plinius in Africa, hoc est provincia Zeugitana ponit, Ptolemæus lib. iv, cap. 2, in mediterraneis urbibus Mauritaniæ Cæsariensis *Vagam* etiam collocat, cujus situm exhibent Tabulæ antiquæ Peutingerianæ, et recentes Caroli a S. Paulo. Ampelius qui laudatur can. 78 Codic. Afric. non est idem cum Ampelio qui hic appellatur; ille enim Ambivio Pisitensi posterior fuit, ut ibidem patet; hic autem eumdem præcedebat, ut proxime ostendam.

Animus. *Sin minus vitiosa sit lectio, quod non temere tamen quispiam conjiciat propter insolentiam vocis, ignota dici debet hujusce episcopi Ecclesia. Quod si vitium irrepsit, suspicari possit nonnemo reponi debere pro Animo Timianum, qui, ut est in collatione, rexit Ecclesiam Utinæ civitatis, a Ptolemæo sub Carthagine ad Bagradam fluvium repositæ.* Si vitiosam lectionem suspicabatur, cur antiquum aliquem codicem non consuluit? Exstat epistola hujus synodi Carthaginensis in codice ms. bibliothecæ serenissimi magni ducis ad D. Laurentii in pluteo 12, in quo non *Animus* legitur, sed Ambibius, qui in rescripto Innocentii papæ dicitur *Ambivius.* In collatione cap. 133 appellatur inter catholicos Patres *Ambibius episcopus plebis Pisitensis.* Evodius Uzalensis S. Augustini discipulus lib. I de Prodigiis S. Stephani, cap. 13, meminit *Pisitanæ civitatis.* Ambibii Ecclesiam omisit Carolus a S. Paulo, Holstenius incertæ provinciæ deputavit, et minus recte a Pisitana distinxit, quæ tamen ex hac epigraphe colligitur fuisse in Proconsulari. Ambivii fit mentio can. 78 Cod. Afric., ubi ante Evangelum nominatur, quem Garnerius pro Evagrio supposuit, ut vidisti, sed perperam; nam in laudato codice *Evagrius* nominatur, et pro *Mundius*, ut in excusis codicibus corrupte habetur, *Nimidius* recte ibidem legitur. In nullis codicibus epigraphen quæsivit Garnerius, qui tamen ob exscriptos ab alio e Vaticanis mss. Marii Mercatoris libellos, vah quales tragœdias in calce sui operis excitat, et in quos!

Felix Uzitensis. *Legitur in collatione Vizicensis, sed in Notitia episcoporum provinciæ Proconsularis mentio fit Caii Uzitensis, qui periisse scribitur antequam veniret ad exsilii locum; et Uzitha civitas ponitur in Ptolemaicis Tabulis prope Adrumetum et Ruspinam.* Cum istæ duæ urbes fuerint in Byzacio, in eadem etiam provincia Uzitha Ptolemæi locanda fuit. Uzithæ oppidi situm diserte tradit A. Hirtius lib. de Bello civili in Africa, ubi ait Cæsarem prope Uzitham castra metatum, *quæ aberant a portu* Leptis Parvæ *millia passuum sex.* Leptis vero erat in Byzacio supra Adrumetum versus Tripolim millia passuum 18, ex Antonino. Ex his in Notitia legendum est : *Caius Ucitensis*, non *Uzitensis*; hæc enim Ecclesia erat in Byzacio; Ucitensis vero in Proconsulari, in cujus provinciæ synodica act. 2 concilii Lateranensis laudatur *Tripolius Ucitensis*, ab Uci urbe, ut ex Plinio mox ostendam in notis ad Fructuosum. Igitur perperam Visicensem in Uzithensem Ecclesiam mutat. Scribitur in collatione cap. 125 *Felix episcopus plebis Visicensis.* Quam Ecclesiam pertinere ad proconsulares colligo ex eadem synodica, ubi inter proconsulares cernitur *Valentinianus episcopus S. E. Usicensis.* Erat hæc urbs prope Taboram, cujus episcopus Victor Donatista cap. 125 citato dixit Felici Visicensi : *Ego tibi intervenio.* Et cap. 201 idem Victor ait : *Susceperam quidem mandatum; sed quia beatissimus pater et princeps noster Primianus nunc suscepit, me necesse est mandare his actis.* Itaque erat in Proconsulari episcopus, si Primianum Carthaginensem suum primatem appellat. Perperam in di sert.

de Synodo v, cap. 10, Taboram Victoris Donatistæ cum Tabora altera Mauritaniæ confudi. Quare addenda est Tabora Tabulis proconsularium Caroli a S. Paulo et Holstenii. Cæterum de hujus Felicis sede Garnerius divinatur. In collatione cap. 127 laudatur *Felix episcopus plebis Aptungitensis*. Erat Aptunga in provincia Proconsulari, et alter Felix Aptungensis olim Cæcilianum Carthaginensem consecraverat, ut ex Optato lib. I, et Augustino epist. 68, 162, 163, et libris contra Donatistas passim habetur. Itaque omisso Felice Aptungensi, Felicem Visicensem synodo anni 416 pro arbitrio præsentem facit.

Donatianus Zeggensis sive Zellensis. *Recensetur in collatione Donatianus Zellensis. In Notitia provinciæ Proconsularis fit mentio Vincentii Zeggensis in exsilium ejecti.* Eodem in luto hæret, Ziggam cum Zella confundens. Erat Zella in Byzacio; Strabo enim recensens hujus provinciæ oppida, lib. XVII ait: *Prope etiam erant Zella et Achola liberæ civitates.* In tabulis Peutingerianis Achola ponitur inter Tapsum et Ruspam urbes in Byzacio, in cujus Notitia recitatur *Restitutus Acholitanus*. Concilium *Zellense* laudat Ferrandus Diaconus, quod Teleptense perperam dici ostendi lib. I Hist. Pelag., cap. 13. At Ziggera urbs in Proconsulari, in cujus Notitia recensetur *Vincentius Ziggensis*, quem Garnerius Zeggensem dixit ut facilius Zellensem faceret. In gestis purgationis Felicis coram Africæ proconsule, in calce Optati Albas, ineæ editionis, memoratur *Ingentius Decurio Ziguensium*, quæ urbs, ut ibidem patet, erat in Proconsulari. In litteris Constantini imperatoris, apud Augustinum epist. 68, et lib. III contra Cresconium, cap. 70, idem dicitur *Decurio Ziguensium civitatis*. Et *montem Ziquensem* memorat Victor Vitensis de Persecutione Vandalorum.

Adeodatus Simidicus. *Interfuit collationi ann.* 411, *unusque fuit an.* 419 *e decem legatis provinciæ Proconsularis qui cum legatis aliarum provinciarum canones Ecclesiæ Africanæ recognovit et subscripsit.* Et hic rursus episcopos et urbes confundit. Adeodatus qui anno 419 canones recognovit erat episcopus Simittuensis, non Simidiccensis. Leguntur apud Labbeum subscriptiones synodi anno 419 Carthagine celebratæ, in quibus *Adeodatus Simituensis* vel *Simitensis* dicitur. Oppidum *Simittuense* laudatur a Plinio lib. v, cap. 3; *Simittu* ab Antonino dicitur. In collatione cap. 135 recensetur *Benenatus episcopus plebis Simittensis*, et cap. 135 *Adeodatus episcopus plebis Simidiccensis*. Quare Adeodatus, qui anno 419 canones recognovit, anno 411 nondum erat episcopus, cum Simittuensem cathedram teneret Benenatus. Hoc ipsum etiam evidenter ostenditur ex subscriptione synodi anno 419, ubi legimus: *Penthadius Carpitanus, Adeodatus Simittuensis*. Quare Adeodatus fuit episcopus tempore posterior Penthadio: Africani enim juxta tempus delati episcopatus nomina synodis dabant, et in tractoriis scribebantur, ex canone 53 Cod. Afric. et Augustino epist. 217 ad Victorinum. Rursus certum est Penthadium anno 411 non fuisse Carporum episcopum; nam cap. 125 ponitur *Antonius episcopus plebis Carpitanæ*. Ex quibus colligimus Adeodatum Simittuensem diversum esse a Simidiccensi, qui anno 411 collationi interfuit, et diversas fuisse urbes Simittu et Simidiccam, cum tempore collationis hic Adeodatus, illic vero Benenatus sacra suprema auctoritate administraret.

Octavius uthinensis. *Interfuit collationi, est autem Uthina civitas in provincia Proconsulari ad Bagradam fluvium, ut habent Tabulæ Ptolemaicæ. In concilio Carthaginensi, etc., dixit vigesimo septimo loco sententiam Felix ab Uthina, et Lampadius Uthinus concilio Arelatensi* II *subscripsit.* Eadem chorda oberrat, Utinunam cum Uthina confundens. In cap. 133 collationis Carthaginensis editionis Massonis et Albaspinæi, legitur *Octavius episcopus plebis Utinunensis*. Scio duas fuisse Utinas in Africa; et tempore collationis cap. 125 legitur: *Timianus episcopus plebis Utinensis*; capite vero 133, *Isaac episcopus plebis Uthinensis*. Quare si Octavius fuit pariter episcopus Utinensis, tertiam in Africa Utinam nobis excitare debet, vel Octavium collegam Timiano aut Isaaco superimponere. Contra Isaac episcopum catholicum stabat Felicianus, contra Timianum Felix Donatistarum episcopi. At de Octavio refero integrum textum ex collatione Carthaginensi. *Octavius episcopus plebis Utinunensis coram V. C. tribuno et notario Marcellino superius mandavi et subscripsi Carthagine. Quare idem dixit: Econtrario mihi est Bonifacius.* Ex tribus igitur episcopis catholicis totidemque iisdem adversariis Donatis is duas Utinas et Utinunam in Africa urbes habemus. Quod insuper addit Uthinam ad Bagradam fluvium sitam ex Ptolemæo, notes velim, vir eruditissime, Garnerium ante septemdecim versus idem dixisse de Utina altera, in qua sedebat Timianus. Profecto Ptolemæus unam tantum Urbinam ponit; quod si noster geographus Uthinam Octavii, et alteram Timiani ad Bagradam reponit, de utraque Ptolemæi testimonium neutiquam laudare potest. Scribit Holstenius alterutram Uthinam cum aspiratione scribendam, et vere apud Augustinum lib. VI de Bapt., cap. 33, recitatur *Felix ab Uthina*. Omitto quod ibidem ait Lampadium Uthinensem subscripsisse concilium Arelatense II; voluit dicere primum indictum anno primo Sylvestri, an. 314. Bonifacius Octavii adversarius cap. 198 dicitur Utummensis; utri textui error irrepsit incertum.

Serotinus Thurzitensis. *Interfuit collationi. Ponitur autem a Ptolemæo Thursa prope Vinam coloniam non longe a Tunizza, atque adeo nec admodum procul a Carthagine.* Non ita scribitur in collatione; nam cap. 133 recensetur *Serotinus episcopus plebis Turuzitensis*. Quæ inflexio, uno Garnerio auctore, a Thursa Ptolemæi derivatur. Sane vapularent discipuli qui a Thursa Thuruzitanum declinarent; hoc enim adjectivum a Thuruzita originem ducit. Quare perperam Ptolemæus in testem vocatur. Imo nusquam legitur Thursa in Ptolemæo, sed tantum Thurza, quam ponit in Byzacio prope Adrumetum. Rectius autem ex ipsa collatione ostenditur Thuruzitam fuisse in pro-

vincia Proconsulari; quia cum Serotinus episcopus divisset se nullum habere episcopum adversarium, Primiani primatis Carthaginensis diaconus Habetdeum reposuit : *Presbyter est illic Cattus.* Qui quidem diaconus frequentius interloquebatur, ubi de episcopis proconsularibus quærebatur, ut passim ibidem patet; licet semel aut iterum de aliis quoque locutum concedam.

Majorinus Zemptensis. *Ita legitur in collatione; melius Zamensis, nam in Proconsulari provincia fuit Zama civitas, si Plinio, Ptolemæo ac Straboni credimus.* Quot verba, tot errata. In collatione cap. 133 laudatur *Majorinus episcopus plebis Zentensis.* Et quidem recte : nam in synodica proconsularium act. 2 concilii Lateranensis memoratur *Florentius gratia Dei episcopus S. E. Zentensis.* Quo egregio testimonio evincitur recte scribi in collatione Zentensem, ac male legi Zemptensem, et Zentam fuisse inter urbes proconsulares. Rursus quod Zentam in Zamam mutat vix patienter ferri potest. In collatione cap. 121 dicitur *Dialogus episcopus Zamensis*, cujus adversarius Montanus unus e septem Donatistis collatoribus recensetur. Igitur non Majorinus, sed Dialogus anno 411 erat Zamensis episcopus.

Postumianus. *Ignotæ sedis; nam qui dicitur in collatione Tagorensis diversus est ab isto; siquidem Tagora civitas, seu Tagura, est in Numidia, non item in Proconsulari, et inter episcopos e Numidia in exsilium actos, recensetur Timotheus Tagurensis.* Ignoravit duas fuisse in Africa Tagoras, quod tamen intelligere poterat ex collatione, cui inter catholicos antistites interfuere *Restitutus episcopus Tagorensis*, qui fuit custos tabularum cap. 143; et *Posthumianus episcopus plebis Tagorensis*, cap. 133. Itaque Posthumianus, qui ponitur in epigraphe, fuit episcopus Tagorensis in provincia Proconsulari. At fuisse Tagoram in hac provincia colligo ex Tabulis Peutingerianis, ubi hæc leguntur : *Thacora* v, *Gegetu* (supple xv, ex Antonino mox laudando) *Narragara* xii, *Sicca Veneria* xxx. Antoninus ita scribit in itinere Musti Cirtam. *Siccam* xxxii, *Naraggara* xxx, *Tagora* xx, *Tipasa* xxxiv. Certum est Tipasam spectasse ad Numidiam; nam in notitia hujus provinciæ nominatur *Rusticus Tipasensis.* Naraggaram Tipasæ finitimam Numidiæ ascripsere Carolus a S. Paulo et Holstenius, sed perperam; nam synodicam proconsularium act. 2 concilii Lateranensis subscripsit *Benenatus episcopus S. E. Narragaritanæ*, et in Notitia inter proconsulares recensetur *Maximinus Maraggaritanus*, ubi plane *Naraggaritanus* legendum est. Et in collatione inter Donatistas cap. 207 numeratur *Faustinus episcopus Naraggaritensis.* Ultra Naraggaram versus Numidiam ponitur *Gegetu.* Porro hanc etiam urbem fuisse intra diœcesim proconsularium patet ex Victore Vitensi, qui lib. I de Persecut. Vand. inter proconsulares nominat *Vicentium Gigitanum.* Itaque Tagora 5 millia passuum Gigetu distans, erat ultima urbs provinciæ Carthaginensis, Tipasæ confermina, cujus sacra tempore collationis Posthumianus ministrabat, qui post-

ea anno 416 sententiam contra Pelagianos subscripsit. Tagora in Numidia dicebatur etiam Tagura, ut ex Notitia Africæ patet.

Crispolus Volitensis. *In vulgatis codicibus legitur Trispolus, sed vitium per se manifestat insolentia nominis; quare emendari debet ex collatione.* Hoc recte priorem litteram corrigit. In ms. serenissimi magni ducis *Crispolus* legitur, tum in epigraphe synodicæ, tum in rescripto Innocentii.

Victor Uticensis. *Non ille quidem scriptor librorum de Persecutione Vandalica anno 484 excitata adversus catholicos ab Hunericō, sed alius ejusdem nominis et sedis, qui fuit Carthagine cum collatio haberetur.* Victor, qui sub Hunerico vixit ac scripsit libros de Persecutione Vandalica, non fuit episcopus Uticensis, sed Vitensis, ut egregie e mss. ostenderunt Chiffletius ac Holstenius. Hoc ipsum probatur ex elencho episcoporum ab Hunerico in exsilium deportatorum; nam inter proconsulares nominatur *Florentinus Uticensis*, et inter Byzacenos *Victor Vitensis*, qui libros scripsit de Persecutione Vandalica. Plura hac de re leges in Chiffletio, cujus volumen, ut pleraque alia, e copiosissima tua illa bibliotheca non semel mihi commodasti.

Victor Migirpensis. *Ita legitur in collatione*, etc. In hoc et præcedenti Victore redit ad solitas divinationes. Adfuere collationi tres alii e Proconsulari provincia Victores; nempe, Libertinensis, Abitinensis, et Tuburbitanus. Itane hosce intra quinquennium obiisse putat, vixisse vero Migirpensem, et Uticensem, ut isti solummodo, et nullus illorum trium synodo annō 416 Carthagine contra Pelagianos coactæ interesse potuerint? Sed cui facile fuit urbes pro arbitrio mutare, confundere, exstruere, haud quidquam pensi habuit episcopos ad synodos admittere prout libet, et prout libet excludere.

Lucius Tagaratensis. *Recensetur ejus nomen in collatione. Tagaratensis episcopi meminit notitia episcoporum provinciæ Proconsularis, refertur enim Honoratus Tagaratensis pulsus in exsilium.* Non possum non albos calculos adjicere.

Marianus Uzipparensis. *Nominatur in collatione. Meminit notitia Episcoporum provinciæ Proconsularis Augentii Uzipparitani in exsilium expulsi.* In plerisque editis codicibus legitur *Macianus*, sed Garnerio favet ms. Laurentianæ bibliothecæ. In Tabulis Peutingerianis *Usippira* ponitur supra Putput in mediterraneis versus meridiem. In Synodo Bonifacii appellatur *Sementius Uzipparensis.* Marianus fuit unus legatorum proconsularium in concilio anni 419.

Fructuosus Abziritensis. *Ita legitur in collatione, legendum tamen forte est Abderitensis, vel Abbiritensis: est enim apud Ptolemæum Abderæ mentio in Africa propria, seu provincia Proconsulari, siquidem ponitur sub Carthagine, et in Notitia provinciæ Proconsularis fit mentio Felicis Abaritani episcopi. Hunc vero Fructuosum oportet non diu fuisse superstitem; nam an. 419 Candidus Abbaritanus recensetur inter legatos provinciæ Proconsularis, qui tamen in subscriptionibus di-*

*citur Germaniæ, sed mendose: nam Germania sive vetus, sive nova, pertinet ad Numidiam, si qua fides Notitiæ sæpius citatæ, in qua fit mentio Felicis Abaritani episcopi.* Parum callet Africanam geographiam, dum urbem Abziritanam cum Abbiritana confundit. In collatione cap. 128 dicitur *Fructuosus episcopus plebis Abziri ensis.* Plinius lib. v, cap. 4, laudat in Africa oppidum *Abziritanum.* Hæc urbs Ptolemæo dicitur Abdera, nam D pro Z passim sumptum superius ostendi. Et in synodo Genethlii an. 390 *Victor Abziritanus* et *Abderitanus* in variis codicibus legitur. Cæterum adhuc in Africa numerabantur duæ urbes quarum episcopi Abbiritenses nuncupabantur. Nam cap. 215 laudatæ collationis ponitur *Annibonius Abbiritensis;* capite vero 133, *Felix episcopus Abbirmajus*, quæ urbs ita appellabatur, ut ab Abbirminus, ubi sedebat Annibonius, distingueretur; Afri enim ad duas ejusdem nominis urbes distinguendas, utebantur istis vocabulis *majus* et *minus;* ita apud eosdem habemus *Leptiminus*, nempe, Parvam Leptim, et in Notitia inter Byzacenos est *Fortunatianus Leptiminensis :* ita Plinius ibidem recenset oppida *Ucitana duo, majus et minus*, et cap. 133 collationis recitatur *Octavianus episcopus plebis Ucimajus.* Itaque eidem collationi anno 411 interfuere Fructuosus Abziritensis, Felix Abbirmajus, Annibonius Abbirminus. In synodali proconsularium act. 2 concilii Lateranensis laudati appellantur *Adeodatus Abbiritanus*, et *Victorinus Abziritanus*, quorum episcoporum urbes mirum non est Garnerium in unam confudisse, cum nec easdem Carolus a S. Paulo, nec Holstenius exacte distinxerint. Sed alia rursus Garnerii errata corrigenda sunt; falsum enim est Candidum successisse Fructuoso; nam Candidus fuit episcopus Abbiritensis, non Abziritensis; ita enim legitur in subscriptione synodi anno 419 Carthagine coactæ, *Candidus episcopus Abbiritensis Germanicianorum*, apud Labbeum tom. II Concil. pag. 1670. Et recte; nam apud Augustinum lib. VI de Bapt., cap. 23, nominatur in synodo Cypriani *Successus ab Abbir Germaniciana.* Si Garnerius pro *Germaniæ* in melioribus codicibus *Germaniciæ* legisset, rectius textum correxisset. Verum plusquam palmaris est ejusdem scriptoris allucinatio, ubi tradit Fructuosum post annum 416 haud diu fuisse superstitem, quod Candidus anno 419 in Fructuosi cathedra sedebat. Id ubi de Candido sermo inferius incidet, ostendam; nam ambos huic synodo præsentes fingit.

Quodvultdeus Verensis. *Fuit unus ex decem legatis provinciæ Proconsularis, qui cum aliarum provinciarum legatis an. 419, nomine totius Africanæ synodi canones recognoverunt.* Non ita est. Hic Quodvultdeus ante annum 411 erat episcopus, nam nominatur ante Thomam Cubdensem, qui interfuit collationi. At Quodvultdeus Verensis post an. 411 episcopatum indeptus est; cum in subscriptionibus an. 419 post Penthadium Carpitanum locetur. Earum fragmentum, quod plurimum ad rem facit, hic insero.

*Penthadius episcopus Carpitanæ Ecclesiæ subscripsi.*
*Ruffianus episcopus Ecclesiæ Masensis subscripsi.*
*Prætextatus episcopus Sicilibbensis Ecclesiæ subscripsi.*
*Quodvultdeus episcopus Verensis Ecclesiæ subscripsi.*
*Candidus episcopus Abbiritensis Germanicianorum Ecclesiæ subscripsi.*

Anno 411 sedebat Carpis Antonius, cui Penthadius subrogatus fuit ex cap. 125 toties memoratæ collationis. Idem etiam Quodvultdeus in epigraphe ponitur ante Candorium Mullitensem, qui collationi interfuit. Quare diversus plane fuit a Quodvultdeo Verensi.

Candorius Mullitensis. *Numeratur inter episcopos qui Carthagine fuerunt tempore collationis. Inter proconsulares ejectos Notitia habet Liberatum Mullitanum.* Tandem Garnerius *non sine cura et labore* aliquid expiscatus est.

Maximus et Megarius. *Ignotæ sedes.* Sed et aliorum parum eidem notæ.

Rufinus Drusilianensis. *Quanquam ita legitur in collatione, legendum tamen puto Dinisianensis, vel potius Dionisianensis : ejusce enim nominis episcopus ponitur in concilio Carthaginensi rebaptizantium num. 48. An non illa sedes quæ in Notitia provinciæ Proconsularis corrupte legitur Duassendelmai?* Non possunt sine risu hæc audiri. A carcere ad calcem pererrat. Lege, mi Antoni, epigraphen, videbis nominari non Rufinum, sed Rusticum. Ita cum duo Rustici in epigraphe scribantur, Garnerius ex priori Rusticianum facit, posteriorem in Rufinum mutat. Cum non possit Rusticum inter ducentos et octoginta sex episcopos qui collationi nomen dederunt reperire, satis urbano artificio pro Rustico Rufinum obtrudit. Porro Rufinus cap. 121 collationis vocatur *episcopus plebis Drusilianensis.* Verum metamorphoseos studiosus, non modo episcopum, sed et Drusilianam ejusdem sedem in aliam convertens ait : *Legendum tamen puto Dinisianensem.* Serione an jocose hæc scripsisse eumdem putas? Ubinam gentium, non dicam in Africa, sed orbe toto episcopatus Dinisianensis paruit? Verum vide quomodo eamdem Dinisianam suam illam urbem, quam uno ductu calami repente excitarat, altero statim dejecit; *vel potius*, inquit, *Dionisianensis.* Sed perperam Drusilianensem Ecclesiam cum Dionysiana confundit; illa enim ad proconsulares pertinet, ut ex Tabulis Peutingerianis constat, hæc vero ad Byzacenos; nam inter sedes Byzacii quæ sine episcopis erant anno 484, ponitur in Notitia Africæ *Dionysiana.* Easdem etiam diversas urbes fuisse evidenter ex collatione deducitur, in qua cap. 187 inter episcopos Donatistas qui collationi interfuere ponitur *Restitutus episcopus Drusilianensis*, et cap. 198 *Victor episcopus Dionysianensis.* Itaque Drusiliana et Dionysiana fuere diversæ, et diversarum provinciarum urbes, quibus distincti episcopi Donatistæ præsidebant; illas vero novus geographus in unam confundit, alteram ex Byzacio in Proconsularem sine machinis transferens. At neque his mutationibus contentus, cum ex Drusiliana fecerit Dinisianam, dein Dionysianam; tandem ex his omnibus tanquam dirutarum civitatum ruderibus novam urbem ædificat Duassendelmai; *An*

*non*, inquiens, *illa sedes quæ in Notitia provinciæ Proconsularis corrupte legitur Duassendelmai?* Imo ipsemet corrupte legit; nam in Notitia laudata non dicitur *Duassendelmai*, sed *Duassedemsai;* nominatur enim ibidem *Mannucius Duassedemsai*, cujus sedes cum statuatur in Proconsulari, nequit eadem esse cum Dionysiana, quæ in eadem Notitia locatur in Byzacio. Porro Ecclesiam Duassedemsai puto eamdem esse quæ cap. 202 collationis dicitur *Assenemsalensis*, ubi inter Donatistas recensetur *Fortunatianus Assenemsalensis*, et in synodo Bonifacii inter proconsulares ponitur *Patronianus Senemsalensis*. Synodicam proconsularium act. 2 synodi Lateranensis subscribit *Julianus gratia Dei episcopus S. E. duarum Senepsalitinarum.* Habes ergo in quatuor versibus tot errata recentioris hujusce geographi, quæ forte idem addenda putavit Geographiæ reformatæ, quam quidam (nosti hominem) in lucem emisit.

Rufianus Maxensis. *Dicitur in collatione Muzucensis; unus fuit e decem delegatis e provincia Proconsulari an.* 419 *ad recognoscendos canones*, etc. Putabat se lippis scribere ac tonsoribus, cum tot fabularum portenta chartis inseruit. Fallitur cum scribit Rufianum dici in collatione Muzucensem. Nec Rufianus dicitur, nec Muzucensis, sed cap. 127, nuncupatur *Rufinianus Muzuensis*. Erat Muzu in Proconsulari, et inter ejectos ex hac provincia in exsilium ab Hunerico recitatur *Felix Muzuensis*. In eadem collatione cap. 133 episcopus *Muzucensis* appellatur Restitutus. Denique in subscriptionibus superius adductis anno 419 Penthadius, qui post annum 411 electus fuit Carporum episcopus, subscribit ante Rufianum Maxensem. Nondum ergo hic anno 411 erat episcopus, neque interfuit collationi, cum Penthadio et Thomæ Cubdensi in hac epigraphe præponatur.

Proculianus. *Vel ignotæ sedis, vel, quod magis reor, legi debet Proculus Ginesitensis Salariæ, cujus nomen ponitur in collatione. Nam in Notitia episcoporum provinciæ Proconsularis legitur Carissimus Gisipensis, ejectus in exsilium. Nullus vero dubito quin idem Ginesitensis qui Gisipensis.* Vereor ne tot metamorphoses nauseam ac fastidium tibi ingerant, vir doctissime, ac memet non levi sane crimini obnoxium faciam, qui te a gravioribus studiis, quibus diu noctuque curam intendis, ad hæc plane fabulosa lectitanda interpellem. Scis Catonem post difficillima senatus-consulta animum ad cursum ludosque cum pueris vertisse. Ego quidem varias subinde hominum, urbium, ac provinciarum non secus ac in scena fieri solet, mutationes exhibeo. Refice interim te, ac oculos auresque commoda, nam novæ rerum facies occurrunt. Hic Proculianus in Proculum vertitur, ac Gisipa in Ginesitam urbem transmigrat. Quod hominis nomen varietur, dolo plerumque fit vel consilio, dum per adoptionem familiæ in alias transcr buntur; at urbes urbibus inserere unus Garnerius tentavit. Verum quam infeliciter, ne imperite dicam, collige ex cap. 133 collationis, in qua nominatur *Proculus episcopus plebis Ginesitensis Salariæ;* et ex cap. 135, ubi recensetur *Januarianus episcopus Ecclesiæ Gisipensis.* Et tamen cum utriusque urbis distinctio meridiana luce clarior appareat, confidenter exclamat Garnerius: *Nullus dubito quin idem Ginesitensis qui Gisipensis.* Adde etiam Proculiani nomen familiare fuisse apud Afros; nam episcopus qui in Hipponensi diœcesi contra Augustinum morabatur in parte Donati, Proculianus dicebatur, ad quem data est epistola inter Augustinianas 147, et nominatur etiam in epist. 168. Fateor tamen in codice Laurentiano *Proculum* scribi. Verum adest in cap. 135 etiam *Proculus Serrensis.*

Thomas. *Mirum ubique hujus nominis silentium, nisi quod Leo Magnus scripsit ad Thomam Africanum episcopum : sed incredibile est huncce Thomam nostrum tandiu vixisse.* Si præsens collationi hæc dixisset, surdum illum affirmassem; nam cap. 133 alta voce nominatus est ab Officio *Thomas episcopus plebis Cubdensis*, qui etiam respondit: *E contra neminem habemus.* Hanc vero Ecclesiam spectasse ad proconsulares poterat Garnerius discere ex synodica act. 2 concilii S. Martini papæ, quam subscripsit *Gentilis gratia Dei episcopus S. E. Cubdensis.* Portentum tibi forte videbitur hunc scriptorem non vidisse Thomam ubi erat in collatione, reperisse vero hunc ipsum ubi plane non erat, nempe in epistola S. Leonis Magni. Semel tantum Leo Magnus litteras, quæ exstent, in Africam misit; est epistola 87 ad episcopos Mauritaniæ Cæsariensis, in qua nullus Thomas appellatur. Interim non possum non dolere supinam ac immanem prorsus Garnerii allucinationem, qui, non contentus urbes et Africanos episcopos confudisse, Leonem Magnum pro Leone IX obtrudit. Exstat inter Leonis IX epistolas tertia cum hac epigraphe : *ad Thomam episcopum Africanum*, quam tamen fingit a Leone Magno scriptam. Damus ergo libentissime *incredibile esse Thomam* nominatum in hac epigraphe, *tandiu vixisse;* etenim usque ad tempus litterarum ab Apostolica sede *ad Thomam episcopum Africanum* scriptarum, sexcenti et triginta tres anni lapsi sunt; primus Leonis IX annus fuit nostræ epochæ 1049. Si in lib. II Victoris de Pers. Vand. vidisset alium Thomam episcopum Africanum ?

Januarius Timidensis. *In collatione legitur Tunudensis, sed legendum* (nota confidentiam) *omnino videtur Timidensis : nam in provincia Proconsulari nulla fuit Tunuda civitas, sed Timida, quæ Regia aliquando dicitur.* Eamdem cramben reponit. Audi interim quæ idem auctor in notis ad Vincentium Culusitanum scribit de urbibus proconsularibus : *Siquidem vix illius provinciæ plures quam sexaginta octo Ecclesias novimus, nec illas noti situs, cum tamen fuerint centum sexaginta quatuor, si qua fides Victori Uticensi.* Cur ergo Tunuda non fuit una ex illis centum fere quæ ignorantur ? Potuit tamen pertinere ad aliam Africanam provinciam; nam Tunuda incertæ provinciæ ab ecclesiasticis geographis deputatur. In Tabulis Peutingerianis in Proconsulari legitur *Uthica* XX, *Thunu* VII, *Maxula* XXI. Forte a Thunu dicta est Ecclesia Thunudensis. In Tabulis Ptolemaicis ponitur *Tunuba;*

ubi unius tantum litteræ variatio a textu collationis apparet. Et Plinius lib. IV, cap. 5, laudat in Proconsulari oppidum *Tunudisense*. Ex his poterat Garnerius memoratam Ecclesiam facilius et probabilius ostendere, quam illam in Timidensem sine teste convertere. Cum inter Donatistas nullus Timidensis nominetur, non obscure deducitur eamdem Ecclesiam fuisse catholicam (rari erant episcopi Donatistæ in Proconsulari, teste Petiliano capit. 165 collationis) ejusque episcopum ad synodum non venisse; nisi fuerit ex 64 Ecclesiis catholicorum quæ tempore collationis episcopis carebant, nondum in demortuorum locum novis subrogatis, ex eadem collatione cap. 215.

Octavianus Ressianensis. *Ita legitur in collatione.* Hoc brevissimo scholio rem se ad oculum monstrasse existimat. Errat autem, dum Ressianensem episcopum proconsularibus annumerat, qui inter Numidas locandus est, nam in Notitia Africæ inter Numidas habetur *Vigilius Ressanensis*. Hoc etiam ex ipsa collatione colligitur; nam cap. 121 hæc scribuntur : *Aspidius episcopus plebis Tacaratensis. Idem dixit : Præstò sum. Verissimus episcopus Donatista dixit : Agnosco illum : quatuor sunt in plebe mea, Datianus, Aspidius, Fortunatus et Octavianus.* Erat Tacarata in Numidia, unde ibidem in Notitia recitatur *Crescentius Tacaratensis*. Datianus erat episcopus Legensis ex cap. 121, Octavianus Ressanensis. Tres illæ diœceses intra Numidiam erant conterminæ. Octavianus ergo Ressanensis pertinet ad Numidiam. Garnerius tamen non vidit in eadem collatione alterum Octavianum episcopum proconsularem; is fuit *Octavianus episcopus plebis Ucimajus*, uti scribitur cap. 133. Plinius superius memoratus recensuit oppida *Ucitana duo, majus, et minus*, et in synodica proconsularium act. 2 concilii Lateranensis laudatur *Tripolius G. D. episcopus S. E. Ucitanæ*. Quare hic forte fuit Octavianus episcopus Ucimajus.

Prætextatus Sicilibensis. *Unus fuit e decem legatis provinciæ Proconsularis, qui cum aliis aliarum provinciarum recognovit canones ann. 419 nomine totius Africanæ synodi.* Neque sedem hujus episcopi recte divinatur; nam Prætextatus præsul Sicilibræ seu Sicilibbæ erat dignitatis tempore posterior Penthadio Carpitano; siquidem in subscriptionibus synodi a Garnerio laudatæ, Penthadio postponitur, ut ex tribus subscriptionibus apud Labbeum tom. II Concil., pag. 1168, 1669, 1670, apparet, quarum unum exemplum superius posuimus; at hic Prætextatus Penthadio præponitur, cum tertius in epigraphe ab eodem recitetur. Hic Holstenii sententia rejicienda mihi est, qui pag. 36 scribit Cilibiensem eamdem cum Sicilibbensi urbem fuisse; nam eidem collationi ex Donatistis interfuere *Quadratianus episcopus Sicilibbensis* cap. 198, et *Tertullus episcopus Cilibiensis* cap. 206. In synodo Bonifacii an. 525 nominatur *Restitutus Cilibiensis* inter proconsulares. Utraque Ecclesia deest in Notitia Africæ. Carolus a S. Paulo pag. 114 Cilibiensem episcopatum incertæ provinciæ ascripsit, qui tamen ad provinciam Carthaginensem spectavit

Sextus, *ignotæ sedis*. In codice Laurentianæ bibliothecæ *Sixtus* legitur, sed nusquam memoratur in vetustis Africæ monumentis.

Quodvultdeus Givirtensis. *Legi forte ita debet : fit enim mentio episcopi ejusdem nominis et sedis in collatione, nec tamen in aliis a Proconsulari provinciis reperitur sedes Givirtensis.* Sane Garnerius non legit subscriptiones synodi Bonifacii Carthaginensis apud Labbeum tom. IV Concil., pag. 1640, illam enim synodum subscribit *Vincentius episcopus plebis Gervitanæ legatus provinciæ Tripolitinæ*. Itaque sedes Givirtensis erat extra terminos Proconsularis, imo ultra Byzacium, et ad Tripolitanos pertinebat.

Penthadius Carpitanus. *Fuit unus e decem electis ex provincia Proconsulari ad recognoscendos canones an. 419.* Vides hunc scriptorem fingere duos Carpitanos episcopos una simul sedisse, et anno 416 eidem synodicæ nomina dedisse? E enim superius Antonium, qui sextus in hac epigraphe nominatur, appellarat episcopum Carpitanum, cui modo Penthadium concathedraneum facit.

Quodvultdeus. *Ignotæ sedis.* Hunc rectius Verensem dixisset, quippe qui in synodo ann. 419 post Penthadium subscriptus legitur.

Cyprianus Tuburbitanus. *Ita legitur in collatione. Est autem Tuburbus seu Tuburbo civitas in provincia Proconsulari, fuitque olim colonia Plinio et Ptolemæo nota. Meminit ejusdem Antoninus in itinere Hippone Regio Carthaginem, eamque ponit inter Cluacariam et Cigisam.* Duas urbes Tuburbitanas in unam confundit. Nam cap. 133 collat. nominatur *Victor episcopus Tuburbitanorum Minorum;* et cap. 135 *Cyprianus episcopus plebis Tuburbitanorum Majorum.* Victor lib. ult. de Persecut. Vand. meminit *Tuburbitanæ civitatis majoris*, et Antoninus in descriptione memorati itineris ait; *Cluacaria* XV. *Tuburbominus* XXVIII. *Cigisam.* Perperam ergo testimonium Antonini adducitur, quia Cyprianus sedebat apud Tuburbomajus, cujus nulla apud Antoninum mentio est. Verum utriusque Tuburbi situm describunt Tabulæ Peutingerianæ, ubi Sicilliba media visitur oblique utrumque Tuburbum respiciens, distans Tuburbomajus millia passuum 28. Errat insuper dum Cyprianum Penthadio Carpitano posteriorem ponit, qui tamen anno 411 erat episcopus, et Penthadius, quemadmodum dictum est, nondum eo anno Carpis sedebat.

Servilius. *Ignotæ sedis, quemadmodum* Pelagius, Marcellus, Venantius, Dibymus, Saturninus, Thiazacenus, Germanus, Germanianus, Juventius, Majorinus, Juventius. Hic collatio Carthaginensis hominem destituit, nec aliunde suppetias petere potuit; sed quam infeliciter eadem collatione usus sit nemo non videat.

Candidus Abiritanus. *Fuit unus e legatis provinciæ Proconsularis, etc.* Risum, amice, teneas. Superius in Fructuoso, quem Abbiritanum episcopum fuisse asseruit, hæc plane dixerat. *Hunc vero Fructuosum*

*oportet non diu fuisse superstitem, nam anno* 419 *Candidus Abbiritanus recensetur inter legatos provinciæ Proconsularis.* Si Fructuosus et Candidus ambo ejusdem urbis Abbiritensis episcopi una eademque die anni 416 simul adfuere Carthagine in synodo, cur una simul in altera quoque Carthaginensi synodo anno 419 esse nequivere? Tam cito sui oblitus, Candidum collegam in episcopatu Fructuoso dedit, quem paulo antea decessorem pronuntiaverat. Putasne Garnerium ullam his responsionem adornare posse, nisi ad calendas Græcas? Cæterum id etiam peccat quod utrumque ejusdem urbis episcopum facit, cum Fructuosus Abziritanum thronum sederit, Candidus fuerit episcopus Abbiritensis Germanicianorum, ac Felici, qui collationi interfuit, successerit, quemadmodum ubi de Fructuoso superius sermo incidit, palam ostendi.

Cyprianus et Æmilianus. *Ignotæ sedis.* Nec ego scio, nec inquiro.

Romanus Megalopolitanus. *Recensetur in collatione. Fit mentio in Notitia episcoporum provinciæ Proconsularis Coronii Megalopolitani in exsilium acti; qua vero in parte provinciæ Proconsularis sita fuerit Megalopolis ignotum mihi est.* Imo et Afris illius ætatis hominibus id pariter ignotum fuit; nulla enim unquam exstitit in Africa Megalopolis, cujus nominis urbs celebris fuit in Peloponneso, Polybii Historici patria. Erat quidem in Africa Meglapolis. Unde in collatione cap. 133 laudatur *Romanus episcopus plebis Meglapolitanæ*, et in Notitia citata a Garnerio, sed non bene lecta, vel certe corrupta, nominatur *Coronius Meglapolitanus;* denique in synodica act. 2, synodi S. Martini papæ recensetur *Reparatus episcopus S. E. Meglapolitanæ.* Hos episcopos unius litteræ detractione Garnerius ex Africa in Europam rapit. Cæterum amanuensis vel typographus erroris auctor judicetur; proprium Garnerii erratum est quod Romanum ante annum 411 episcopum quippe, qui collationi interfuit, sedisse in synodo putat post Penthadium Carpitanum, et Candidum ab Abbir Germaniciana, qui post annum 411 ad sacras sedes evecti sunt.

Africanus et Marcellinus. *Incertæ sedis* Marcus episcopus Donatista cap. 187 collationis interrogatus a nostro Alypio Thagastensi: *Unde es? Quæ est civitas tua?* respondit: *Secuta Prura Amidicca. Melimelimenia Nasuta Prura.* Poterat Garnerius pro ea quam in designandis pro arbitrio episcoporum sedibus auctoritatem usurpat, Africanum Secutæ Pruræ Amidiccæ, Marcellinum vero Melimelimeniæ Nasutæ Pruræ episcopos deputare.

Hactenus de notis Garnerii ad epigraphen Patrum proconsularium. Accedo ad ejusdem notas in titulum alterius synodicæ a Numidiæ episcopis anno eodem 416, itidem contra Pelagianos, ad Innocentium pontificem missæ.

## EJUSDEM ANIMADVERSIONES IN EPIST. CLXXVI.

*Domino beatissimo meritoque venerabili, et in Christo honorando papæ Innocentio Silvanus, Valentinus, Aurelius, Donatus, Restitutus, Lucianus, Alypius, Augustinus, Placentius, Severus, Fortunatus, Possidius, Novatus, Secundus, Maurentius, Leo, Faustinianus, Cresconius, Malcus, Littorius, Fortunatus, Donatus, Ponticanus, Saturninus, Christonius, Honorius, Lucius, Adeodatus, Processus, Cresconius, Secundus, Felix, Asiaticus, Ruffinianus, Faustinus, Servus, Terentius, Cresconius, Sperantius, Quadratus, Lucillus, Sabinus, Faustinus, Cresconius, Victor, Gignantius, Posidonius, Antonius, Innocentius, Præsidius, Crescentius, Felix, Antonius, Victor, Honoratus, Donatus, Petrus, Præsidius, Cresconius, Lampadius, Delphinus, ex concilio Milevitano, in Domino salutem.*

Pessimis iisdem auspiciis, horum quoque episcoporum sedes Garnerius describit; cujus quidem notis refellendis temporis jacturam facere forte videbor: sed hoc ipsum in lucri loco reponendum censeo, quod cum tibi hoc in opere morem gero, obsequium erga te meum extendo; neque enim periculum est, ne sit nimium, quod esse maximum debet. Collige interim te, et ex Proconsulari provincia in Numidiam a Garnerio vocatus gradum moveas, ut qualia de Carthaginensis concilii Patribus, eadem de Milevitani consessus episcopis commenta audias.

Silvanus Summensis *vel* Zumensis. *Utroque modo in collatione scribitur nomen sedis, quæ prima tunc erat in provincia Numidiæ,* etc. *Ubi vero sita fuerit Summa vel Zuma incertum est, nisi forte dicatur esse Zama, quam Plinius et Ptolemæus in Africa seu potius Numidia reponant.* Nisi hospes in Africana historia Zamam cum Zumma confundet. Etenim anno 411, cal. Junii, collationi Carthaginensi adfuere *Dialogus episcopus Zamensis*, contra quem Montanus unus e septem Donatistis collatoribus stabat ex cap. 121, et *Silvanus episcopus Zummensis* cap. 99, cui adversabatur eadem in diœcesi Felix Donatista, qui cap. 114, 201 et 202, dicitur *Zummensis.* Hic scriptor in notis ad epigraphen proconsularium dixerat. Majorinus *Zemptensis. Ita legitur in collatione; melius Zamensis, nam in Proconsulari provincia fuit Zama civitas, si Plinio, Ptolemæo ac Straboni credimus.* Eamdem inconstantiam qua passim laborat, in horum episcoporum sedibus designandis viris doctissimis affricat, qui, in recensendis illarum provinciarum urbibus, exactam utriusque provinciæ divisionem, qualis ab ecclesiasticis servata est, non afferunt, sed fluminum sectione illas dividunt, ut ad oculum patet. Ex collatione habemus Diafogum episcopum Zamensem, cui Garnerius Majorinum et Silvanum etiam collegas superimponit, ut episcoporum eadem in urbe triumviratum constituat. Zama Jugurthæ, dein Jubæ in Numidia Regia, rebus apud eamdem a Metello et Cæsare gestis celebratur a Sallustio et A. Hirtio; Zumma vero fuit exiguum in eadem provincia oppidum ex sola collatione Carthaginensi scriptoribus ecclesiasticis notum.

Valentinus Vajenensis. *Ita legitur in collatione. Incerta sedes est; fuit tamen prope Vegesclam, nam*

*in collatione pro Vegeselitano episcopo subscripsisse* A in diœcesi Adeodati Milevitani Donatistæ, ut ibidem *dicitur.* In cap. 135 collationis hæc leguntur : *Valentinus episcopus Vajensis pro consacerdote meo Regino Ecclesiæ Vegeselitensis, qui hic Carthagine infirmitatis causa detinetur*, etc., *subscripsi.* Ejusdem adversarius Donatista cap. 186 dicitur *Quintasius Vajensis.* Vegesela erat in confiniis Numidiæ versus Byzacium ; nam ex Antonino distabat Sufetula urbe Byzacii millia passuum 30, in itinere Thenis Thevestem. Vaja, seu Baja non semel in ecclesiasticis Africæ monumentis nominatur. *Felix Bajanensis* fuit in concilio Grati Carthaginensis, *Bejanus Bejanensis* fuit unus e duodecim ordinatoribus Maximiani damnatus Bagaiæ a Donatistis ex Augustino lib. III con. Cresc., cap. 53. Perperam vero ex subscriptione Valentini deducitur istum sedisse prope Vegeselam. In collatione cap. 208 et 209 plu- B res episcopi Donatistæ subscripsere pro collegis, qui *in itinere infirmitatis causa detenti* dicuntur, quorum tamen diœceses non erant conterminæ. Et cum Reginus Carthagine ægrotaret, invisentem se Valentinum rogare potuit ut mandatum suo nomine subsignaret. In Ephesina synodo pro Rufo Thessalonicensi subscripsit Flavianus Philippensis, quorum sedes non erant vicinæ ; hic enim in Macedonia secunda, ille in prima sacrorum præfectos agebant.

Aurelius Macomadiensis. *Bis Antoninus meminit civitatem Macomadum in Itinerario : semel dum describit viam quæ ducit Cirtam Carthagine ; iterum in itinere Assuris Thenas. Illic non procul a Cirta, isthic prope Thenas ponitur ; quare necesse est falli lexicographos qui legi debere putant Macomadem, eamque* C *collocant prope Sirtim Minorem.* Postea : *Gemina enim fuit Macomadia apud Numidas ; una cujus Ecclesiam regeret Aurelius, haberetque adversarium Sallustium Donatistam ; altera Resticiana, cui pro parte Donati Proficentius præesset.* Imo tres Macomades recenset Antoninus. Priorem in Numidia ponit distantem Cirta millia passuum 53 ; alteram in Byzacio prope Thenas, quæ urbs erat in Byzacio, in cujus Notitia nominatur *Pascasius Thenitanus* ; et rursus in eodem itinere a Magna Lepti, quæ erat metropolis Tripolitanæ provinciæ, Alexandriam ait : *Macomades Syrtis.* Antonino consentiunt Tabulæ Peutingerianæ, quæ prope Thenas in Byzacio reponunt *Macomades Minores.* Quarta Macomadia apud Numidas lexicographi, quos vellicat, a Garnerio discent. Quare Proficentius D Donatista sedebat apud Macomades Byzacenos ; hæc enim urbs dicitur ab Antonino *municipium.* Limes Macomadiensis in Notitia imperii Occidentalis ponitur sub custodia ducis Tripolitani.

Donatus Amporensis. *Dicitur quidem in collatione Auburensis, sed in Notitia fit mentio Cresconii Amporensis, ejecti in exsilium cum aliis.* In collatione cap. 121 non Auburensis dicitur, sed *Anburensis*, cujus adversarius Servatus cap. 198 appellatur *episcopus Amphorensis.* Potuit Donatus sedere Anburæ in diœcesi Amphorensi seu Amporensi, quemadmodum Delphinus ex cap. 65 ejusdem collationis, morabatur in diœcesi Constantiniensi, et quatuor catholici erant Petilianus conquestus est.

Restitutus Novasinus. *Ita in collatione. In Notitia episcoporum Numidiæ recensetur inter expulsos Candidus Novasinensis. Interfuit concilio tum Carthaginensi ante collationem anno* 411, *tum Milevitano anno* 416, *tum Africano universali an.* 418, *in quo tertius fuit legatorum provinciæ Numidiæ.* Hæc partim recte dicerentur, si unus e Numidia Restitutus Novasinensis appellaretur ; sed occurrit in eadem collatione cap. 143 *Restitutus episcopus Tagorensis*, quam Ecclesiam ad Numidiam spectare concedit Garnerius, quia in Notitia illius provinciæ ponitur *Timotheus Tagurensis.* Rursus in synodo anni 418 dicuntur electi legati de provincia Numidiæ *Alipius, Augustinus et Restitutus.* Quare cum hic Restitutus sederit in synodo anni 416 ante Alipium et Augustinum, perperam dicitur ille idem qui anno 418 nominatur Numidarum legatus, quia hic post Alipium et Augustinum ibidem, tanquam in episcopatu posterior memoratur.

Lucianus Guirensis. *Recensetur inter episcopos qui Carthagine synodum habuerunt ante collationem*, etc. *An vero et hic et illic corrupte legatur Ecclesiæ nomen, reponique debeat pro Guirensi vel Girensi, Girbensis, cujus episcopus decimo loco sententiam dixit in concilio rebaptizantium, dubitaverit forte aliquis, nec meo judicio valde temere.* Non ibo inficias judicio geographi urbes subinde miscentis non fore ita sentientem valde temerarium. Sed eruditi riderent hominem Girbam in Numidia locantem. Qui ponitur *Momillus a Garba* in synodo rebaptizantium, spectat ad Tripolitanos ; nam in Notitia hujus provinciæ laudatur *Faustinus Girbitanus.* In Numidia nulla Girba nominatur, sed tantum Garbe ; unde in synodo Secundi Tisigitani apud Cirtam adfuit *Victor a Garbe* ex Optato Milevitano lib. I, et Aug. lib. III, con. Cresconium, cap. 27.

Alipius Thagastensis. *Nobilior ille est cum scriptis Augustini, Hieronymi, ac Paulini, et aliorum, tum maxime rebus gestis fastisque Ecclesiæ, quibus ascriptus est inter divos die* 15 *Augusti*, etc. Omnia egregie. Sed Alipius supra omne Garnerii præconium est.

Augustinus Hipponensis. *Nulla hic nota opus est.* Utinam quemadmodum nullas hic scriptor de Augustino notas supponit, ita nec ulli Augustino notas inussissent ; neque enim nobis vindiciarum scribendarum necessitas imposita fuisset : unde eorum qui sc ac sua tantum probant, querela non uno loco erupit.

Placentius Madaurensis. *Legitur quidem in collatione Placentinus, imo et in codice Latino Ecclesiæ Africanæ, verum in Græco habetur Placentius, quæ vox communior apud Afros. Interfuit concilio Africano anno* 418, *personamque gessit legati Numidiæ, ac in causa Maurentii Tubursicensis contra seniores novæ Germaniæ interlocutus est.* Correctionem admitto. Interim annum synodi cui interfuit Placentius contra seniores novæ Germanicæ (ita legitur cap. 67 Cod. Africani) ipse etiam corrigat ; dicendus enim est annus 407, nam in synodo indicta Basso et Philippo coss., anno 408, nullum Placentii nomen sonat.

Severus Milevitanus. *Severi Ecclesiam silet collatio prout edita est, quamvis de Severo loquitur serius Carthaginem appulso cum novemdecim aliis catholicis, quorum catholicæ Ecclesiæ appellantur*, etc. Nulla nota his notis inferri potest. Loquitur ex cap. 215 collationis. Sedit Severus Milevi ante annum 397. Mileum dicitur ab Antonino, et fuit colonia ex Tabulis Peutingerianis.

Fortunatus Constantiniensis. *Fuit unus e septem catholicis qui collationem contra Donatistas susceperunt; sitne Constantiniensis Ecclesia eadem quæ Cirtensis, disputant eruditi.* Et adductis argumentis quibus eadem urbs utroque modo nominata apparet, ait : *Cogit me, licet reluctantem, tanta vis argumentorum assentiri Gravio Pamelioque, quem ducem secutus est. Quanquam prima ratio qua utitur omnino infirma est; siquidem Fortunatus ille Cirtensis quem memorat Augustinus lib. de Unico Baptismo cap.* 16, *diversus est procul dubio a Fortunato, quem lib.* III *contra Petilianum, cap.* 1, *et lib.* III, *cap.* 38, *Constantinensem vocat : ille enim Possidium dignitate episcopali præcessit, iste secutus est. Cirtensis siquidem paucissimis annis, antequam Augustinus librum de Unico Baptismo scriberet* (*scribebat vero anno* 407), *successit Profuturo, cum tamen Possidius ante annum* 394 *episcopus esset; at Constantinensis præcedebat Possidium, ut ex multis subscriptionibus constat.* Scribit Aurelius Victor in libro de Cæsaribus, victo anno 306 a Constantino prope Milvium pontem Maxentio, a senatu Romano *Cirtæ oppido, quod obsidione Alexandri ceciderat, reposito, exornatoque nomen Constantina inditum.* Hinc Constans et Constantius Constantini filii dederunt rescriptum *Ordini civitatis Constantinæ Cirtensium lege* 29 *de decurionibus cod. Theod.* Augustinus lib. I con. Petil. cap. 2, ait : *In eadem Constantiniense civitate Sylvanum episcopum majores vestri in ipso exordio sui schismatis ordinaverunt.* In libro vero tertio contra Cresconium cap. 27, *Sylvanum Cirtensem* nuncupat. Et lib. III con. Petilianum episcopum Constantinensem Donatistam ait : *Ego commemoravi Sylvanum Cirtensem, cui quibusdam interpositis etiam ipse successit.* Ubi Petilianum Sylvani *concathedraneum* appellat. Legatur epist. 165, itemque gesta sub consulari Numidiæ Zenophilo. Hinc idem S. doctor Petilianum et Fortunatum modo Cirtenses, modo Constantinenses episcopos dicit, ut pluribus ostendi lib. II Hist. Pelag., cap. 8. Hæc sunt evidentia : at Garnerius testatur *se reluctantem* in hanc sententiam descendere; malebat enim Constantinam a Cirta distinguere, ut, qui toties duas in unam urbem confudit, hic unam in duas dissecaret. Verum quod de urbibus malebat, hoc de episcopis fecit, dum Fortunatum Cirtensem a Fortunato Constantinensi diversum pronuntiavit. Scribit hæc Augustinus libro laudato de Unico Baptismo, cap. 16 : *Proinde si Profuturus ante paucissimos annos defunctus, et Fortunatus, qui in corpore adhuc est, atque illi successit episcopo*, etc. Itaque an. 407, cum hæc scriberet Augustinus, vivebat Fortunatus Profuturi in Cirtensi sede successor. Porro eodem vivebat etiam Fortunatus Constantinensis; nam lib. I con. Petil., cap. 1, ait : *Cum essem in Ecclesia Constantinensi, Absentio præsente, et collega meo Fortunatio ejus episcopo.* At lib. II, cap. 5, laudans Romanam Ecclesiam ait : *in qua hodie Anastasius sedet.* Ubi vides libros contra Petilianum scriptos fuisse a S. doctore, superstite S. Anastasio papa, qui cum diem obierit anno 402, consequens fit ut Fortunatus Constantinensis ante annum 402 fuerit episcopus Constantinæ, qui cum in collatione anno 411, et in synodo Milevitana anno 419, præsens fuerit, anno 407 juxta Garnerii chronologiam sedebat Constantinæ una cum Fortunato alio Cirtensi Profuturi successore. Ita duos Fortunatos ex uno faciens, fabulam de duobus Menæchmis belle iterum ludit.

Possidius Calamensis. *Fuit et ipse collatorum unus, imo individuus fere quemadmodum et Alipius Augustini in rebus Ecclesiæ agendis socius*, etc. Omnia bene se habent; sed quod proxime in notis ad Fortunatum dicit *Possidium ante annum* 494 *episcopum fuisse*, anachronismo scatet. Ipse Possidius Calamensis in lib. de Vita Augustini cap. 8 scribit S. doctorem Hippone consecratum *a primate Numidiæ Megalio Calamensi episcopo.* At Augustinus ex Chronico D. Prosperi viri et coætanei et amicissimi, inauguratus est antistes Olybrio et Probino coss., anno 395. Quare nondum illo anno Megalius obierat. Cæterum Fortunatum Constantinensem, et Possidium Calamensem ordinatos fuisse anno 397 evidenter ostendi lib. II Historiæ Pelagianæ, cap. 8.

Novatus Sinitensis. *Ita legitur in collatione. Sinitensis autem Ecclesiæ meminit Augustinus epist.* 128, *quæ est ad Donatum; meminit pariter Notitia episcoporum Numidiæ, in qua scribitur Stephanus Sinitensis in exsilium pulsus. Quæ porro fuerit, et ubi posita civitas illa incertum est; nisi quod ex Augustino colligi potest non procul ab urbe Hipponensi abfuisse. An non idcirco putari potest esse Sinistu colonia, cujus mentio fit apud Antoninum in Itinere ab Hippone Carthaginem, dicitur que Hippone distare* III. M. LXXX. M. M.? Omnia plane susdeque pervertit, urbes ex una in aliam provinciam portans, textus collationis et Antonini pessime corrumpens. In cap. 143 collationis legitur, *Novatus episcopus Ecclesiæ Sitifensis*; et cap. 204, *Novatus episcopus Ecclesiæ catholicæ Sitifi.* Erat Sitifis celebris Mauritaniæ urbs, et, ut ait Procopius lib. II de Bello Vandalico, *caput regionis Zabis, ultra Aurasium montem sitæ*, a qua Mauritania Sitifensis quinta ecclesiastica in Africa provincia denominabatur. In Codice Africano cap. 127 laudatur *Novatus Sitifensis legatus Mauritaniæ Sitifensis.* Garnerius ut Novatum inter Numidas recenseat, ex Sitifensi fecit Sinitensem. Erat Sitifis proxima Numidiæ, distans Guiculo urbe Numidica ex Antonino millia passuum viginti quinque, Ampsaga fluvio inter utramque posito. Nusquam Antoninus meminit *Sinistu* in itinere Hippone Regio Carthaginem : scribit enim : *Onellaba* M. P. L. *Ad Aquas* M. P. XXV. *Simittu* M. P. V. *Bullam Regiam* VII. At ille ex Simittu reddit Sinistu. Porro

Simittu erat in Proconsulari provincia; nam in synodica act. 2, 1, concilii S. Martini legitur *Benenatus Simitensis* inter Patres proconsulares, et in synodo anni 419 *Adeodatus Simittuensis*, et cap. 125 collationis nominatur *Benenatus Simittensis*, qui dixit: *Nec habeo alium, nec hæreticos.* Verum cap. 202 *Cresconius episcopus Sinitensis* cum Donatistis nominatur; ubi vero hæc urbs fuerit dicam suo inferius loco ad notas in LUCILLUM.

SECUNDUS RUSPITENSIS. *Ita legitur in collatione. Pertinuisse vero Secundum cum sua Ecclesia ad provinciam Numidiæ constat ex can.* 100 *Cod. Africanæ Ecclesiæ; ubi dicitur electus a Maurentio pro uno judicum sua in causa, apud primatem Numidiæ Xantippum. Nam alii omnes episcopi Numidæ sunt, et judicium illud provinciale fuit.* Tot sunt in paucis verbis errata, ut unde censuram exordiar ignorem. Hærebo ejusdem vestigiis, ut subinde labentem in pedes erigam. Erat Ruspa Byzacii urbs, quam S. Fulgentius et vitæ sanctitate et scriptorum excellentia illustravit. Laudatur in Notitia Byzacena *Stephanus Ruspensis*, et in synodali ejusdem provinciæ act. 2 concilii S. Martini *Julianus Ruspensis*. In Tabulis Peutingerianis in Byzacio ponuntur *Ruspe et Ruspina*. In Tabulis Ptolemaicis legimus hæc in Byzacio oppida: *Adrumetum, Ruspina, Leptis parva, Tapsus, Achola, Ruspe, Bracordes promontorium*, etc. Plinius *Ruspinam* liberum oppidum dicit lib. v, cap. 4. Itaque Secundus Ruspitensis qui in collatione nominatur, sive Ruspe, seu Ruspinæ sedit, perperam ad Numidiam transfertur. Secundus qui canone 100 Cod. Afric. memoratur, erat episcopus Megarmelitensis, ut postea ostendam. Denique quod ait antistites electos in causa Maurentii Tubursicensis *omnes Numidas fuisse*, falsum est. Nam hi plane fuere Xantippus Tagosensis primas, Augustinus Hipponensis, Florentius Hippoxarrhytensis, Theasius Memblositanus, Samsucius Turrensis ex epistola Augustini 168, Secundus Megarmelitensis ex collat. cap. 125, et Possidius Calamensis. At certum est Memblositam et Hipponem Diarrhytum fuisse in Proconsulari. De Theasio hoc ipsum dixit Garnerius in notis ad superiorem epigraphen, licet nescierit distinguere Membressam a Memblosita. In synodali apud concilium S. Martini, inter proconsulares subscribit *Donatus Ipponizaritensis*. Sed hæc clare patent, neque diutius in illis te volo.

MAURENTIUS TUBURSICENSIS. *Ita legitur in collatione*, etc. Rem acu tetigit: hinc illi etiam atque etiam gratulor. Tollit se humo: sed heu statim corruit.

LEO MUNICIPII MOPTENSIS. *Ita legitur in collatione. Est autem sermo Municipii in Notitia episcoporum Numidiæ, ubi scribitur* Victor Municipiensis *cum aliis actus in exsilium. Cavendum porro ne quis propter cognationem nominum Leonem hunc confundat cum alio, qui Moctensem Ecclesiam rexit adfuitque concilio plenario ann.* 419; *illa enim Ecclesia, quæ Moptensis dicitur, ad Numidiam provinciam, ista, quæ Moctensis, ad Mauritaniam Sitifensem pertinebat.* Moptam ex Sitifensi diœcesi in Numidiam rapit, ubi apud unum Garnerium *Mopta* collocatur. In Tabulis Peutingerianis in Mauritania Sitifensi scribitur: *Mopti municipium.* At ille municipium pro Municipio oppido, quod erat in Numidia, obtrudit, cum Mopta diceretur municipium, quod non erat colonia seu urbs Latio donata, sed vivebat lege municipali; et in laudatis Tabulis oppida quæ municipia vel coloniæ fuerint optime demonstrantur. Quod vero Leo in synodo ann. 419 dicitur Moctensis, mendose scribitur; nam ex vetustis codicibus Vaticani Labbeus tom. II Concil. pag. 1670, reposuit *Moptensis*.

FAUSTINIANUS TAMUGADENSIS. *Ita in collatione. Est autem prope Thevestam coloniam in Numidia Tamugade civitas nota Augustino, Antonino, Plinio, Ptolemæo, et aliis.* Neutiquam notum est Antonino Thamugadem esse vicinam Thevesti; nam hic scribit: *Theveste* M. P. XXII. *Timphadi* M. P. XX. *Vegesela* M. P. XVIII. *Mascula* M. P. XXII. *Glaudi* M. P. XXII. *Thamugadi.* Igitur Thamugada non est prope Thevestem ex Antonino, cum eodem teste, remota fuerit ab illa urbe millia passuum 104, et mediæ inter utramque fuerint Mascula et Vegesela urbes episcopales; hic enim tempore collationis Rheginus, illic vero Malchus antistites sedebant. Frugum copiam apud Thamugadam laudat Procopius lib. II de bello Vandalico. Ibidem etiam tradit pag. 97 Ed. Grot. Thamugadam sitam esse in campis ad Orientem, adversus montem Aurasium, quem ait *trium dierum itinere* Carthagine remotum fuisse. In eodem vero libro laudato pag. 120, *Thevestem sex dierum itinere Carthagine distans oppidum.* Verum quod Faustinianus ille fuit Thamugadensis, pura puta Garnerii divinatio est; nam in collatione cap. 215 recitatur *Faustinianus Rusiccadensis.* Hanc vero urbem in Numidia ponit Plinius lib. v, cap. 3, ubi scribit distasse Cirta Numidiæ metropoli millia passuum 48 Ponitur ab Antonino distans a Gallu Numidiæ millia passuum 60, a Paratianis 50; quæ loca erant in Numidia, et Rusiccades media inter illa locatur. Cur ergo Faustinianus Rusiccadensis nequit affirmari ille idem qui interfuit synodo Milevitanæ? Legit in laudato capite 215 Alipium dixisse de Faustiniano Rusiccadensi: *Hic est in hac civitate, sed male habet.* Quare morbo eumdem anno 411 putavit Carthagine exstinctum; unde unus Thamugadensis in collatione remanebat, quem synodo Milevitanæ præsentem citra dubium asseveraret. Visne tam speciosam conjecturam admittere?

CRESCONIUS CUICULITANUS. *Ita in collatione: scribendum forte Culcuitanus, est enim cognita non tantum Antonino, sed etiam Ptolemæo, Culcua colonia media fere inter Cirtam, Simittu coloniam, Lares, et Gausapham.* Rideas, per me licet, Novæ Geographiæ portenta. Ponit Cuiculum medium fere in itinere Cirta Orientem versus ac Carthaginem; et quod mirabilius est, ex Antonino, qui tamen hæc scribit: *Cirta Mileum* M. P. XXV, *Idicram* M. P. XXV, *Cuiculi* M. P. XXV, *Sitifi* M. P. XXV. Vides, teste Antonino, situm esse Cuiculum in itinere Cirta versus Occiden-

tem ad Sitifensem civitatem, quæ cum in Mauritania Sitifensi fuerit, aperte deducitur Cuiculum extremam fuisse Numidiæ urbem versus Mauritaniam, quam tamen idem in medio fere Numidiæ locat. Mirare interim hominis solertiam, qui in Antonino invenit Culcuitanum oppidum, quod nusquam in Antonini Itinerario legitur; non autem vidit Cuiculitanum, quod ab eodem tam diserte designatur. Sed vix pati possum ab hoc commentatore Cuiculitanam Ecclesiam in Culcuitanam mutari auctoritate Ptolemæi (qui tamen *Calcuam*, non *Culcuam*, ut mendose legit, inter Numidiæ novæ urbes posuit), cum in vetustis Africanæ Ecclesiæ monumentis nihil Cuiculitana urbe frequentius nominetur. In synodo Grati laudatur *Elpidophorus Cuiculitanus;* in synodo S. Cypriani *Pudentianus a Cuiculi;* in Notitia Africæ *Victor Cuiculitanus;* in collatione *Cresconius episcopus plebis Cuiculitensis;* in synodo V *Creses episcopus E. Cuiculitanæ provinciæ Numidiæ.* Memini Garnerium initio præfationis ad Historiam Nestorianam affirmare Christianum Lupum magnum ecclesiasticæ antiquitatis reparatorem *immensa eruditionis copia vix non obrui.* Procul ab hoc periculo remotum vides Garnerium, nondum enim immensa illa eruditione suffocatur; tota enim ejusdem litteraria supellex, quod notas præsentes attinet, pugno stringitur.

Malchus Masculitanus. *Ita in collatione. Nota vero Antonino est Mascula* M. M. LX. P. *a Thebeste distans euntibus ad Sitifensem coloniam. Recensetur etiam inter episcopos Numidiæ Januarianus Masculitanus, et meminit Augustinus lib.* III *cont. Cresconium, cap.* 27, *Donati Masculitani, qui in concilio Cirtensi Donatistarum anno* 303, *cui præfuit Secundus Tisigitanus Numidiæ primas, confessus est se traditorem.* Recte de Malchi sede : nam etiam in synodo Bonifacii laudatur *Januarius Masculitanus legatus provinciæ Numidiæ.* Verumtamen in iis quæ addit peccat biennii prochronismum. Nam synodus illa, teste Optato lib. I, *post persecutionem apud Cirtam coacta fuit.* Et Augustinus libro laudato cap. 26, ait : *Exstat Secundi Tisigitani concilium cum paucissimis quidem factum apud Cirtam, post persecutionem codicum tradendorum, ut illic in locum defuncti ordinaretur episcopus.* At ex gestis municipalibus persecutio codicum tradendorum incœpit Cirtæ *Diocletiano* VIII *et Maximiano* VII *conss.*, anno 303, XIV *kal. Junii*, ex eodem cap. 29, Cirtæ sedente *Paulo episcopo*, cui postea anno 305 mortuo Sylvanus successor datus est. Augustinus annum et diem synodi Cirtensis designat in breviculo collationis tertiæ diei cap. 18, ubi et tempus durantis in Africa persecutionis etiam declaratur. *Gesta*, inquit, *martyrum, quibus ostendebatur tempus persecutionis, consulibus facta sunt Diocletiano* IX *et Maximiano* VIII, *pridie idus Februarias : gesta autem episcopalia decreti Cirtensis post eumdem consulatum tertio nonas Martias, ac per hoc tredecim menses interesse inveniuntur.* Habes ex Augustino sævisse persecutionem anno etiam 304, cum martyres occisi sunt; synodum vero Cirtensem coactam anno 305, die quinta Martii, cum cessasset in Africa persecutio post abdicationem Diocletiani et Maximiani, dominante in Italia et Africa Severo Cæsare. Probat hæc ipsa pluribus eruditissimus Henricus Valesius in notis ad cap. 2 lib. VIII Eusebii Cæsariensis. Hadriani Henrici fratris litteras nuper ad te datas mihi ostendisti. Ambo de ecclesiastica ac profana historia benemeriti, ac proinde tua amicitia dignissimi.

Littorius Suanensis. *Ita quidem in collatione, sed forte legendum* Sugunensis. *Ponitur enim ab Antonino in Numidia prope Cirtam Sugus : quanquam in Notitia episcoporum Numidiæ fiat mentio Felicis Suabensis in exsilium pulsi.* Si non perfunctorie Notitiam lectitasset, cognovisset ibidem memorari *Victorem Sugitanum;* unde Suabensis seu Suavensis (non, ut ille ait, *Suanensis*) Ecclesiæ in Sugitanam convertendæ sententiam exuisset.

Fortunatus Casensi-Calanensis. *Ita in collatione; sed cum plures ejusdem nominis censeantur, dubium an Fortunatus noster sit hujusce Ecclesiæ episcopus.* Vah! quales modo scrupulos patitur, qui passim quosdam episcopos ad hanc synodum ex collatione admittit, aliis ejusdem prorsus nominis pro arbitrio exclusis! Sex Fortunati in collatione inter catholicos recensentur : Rusuccurensis, Capsensis, Constantiniensis; prior pertinet ad Mauritanos Cæsarienses, alter ad Byzacenos, postremus ad Numidas, qui ante Possidium legitur in epigraphe. Tres alii recitantur, Casensi-Calanensis, Abbenzensis, et Undesitensis. Has duas Ecclesias incertæ provinciæ vulgo ascribunt. At in Notitia Numidiæ recitatur *Optantius Casensi-Calanensis.* Garnerius ergo dubitat an Numidiæ episcopus Fortunatus sederit apud Ecclesiam Casensi-Calanensem, quam certum est ad Numidiam spectasse, vel potius fuerit episcopus Undesitæ, vel Abbenzæ, incertæ prorsus provinciæ oppidorum.

Donatus Tibilitanus. *Legitur in collatione Tigilitanus, sed procul dubio mendose; neque enim uspiam mentio reperitur civitatis Tigilis.* Libenter admitto Donatum legi in collatione *procul dubio mendose* Tigilitanum, sed ab uno Garnerio, nam qui litteras norit, in cap. 121 collationis leget : *Donatus episcopus Tisilitensis. Idem dixit : Præsto sum; sed non habeo contra me etiam episcopum.* Ille vero perperam pro *Tisilitensi*, quemadmodum in tribus editionibus Massonis, Albaspinæi, et Labbei legitur, *Tigilitanum* dixit. Sed præproperæ lectioni id vitio vertatur. Aliud insuper peccat, quod in urbe Tibilitana Donatum episcopum catholicum ponit anno 411, cum id temporis apud Tibilitanum oppidum sederet Simplicius Donatista episcopus, qui cap. 197 collationis dixit : *Adversarium non habeo.* Huic tamen, velit nolit, Donatum Catholicum in eadem urbe adversarium jungit : cum uterque sua in civitate testatus sit non habere adversantem coepiscopum. Estne hoc eruditorum patientia abuti?

Ponticanus, Saturninus, Christonius, Honorius, Lucius. *Incertæ sedis.* Uno verbo semel censuræ periculo, nos molestia liberat.

ADEODATUS BELLALITENSIS. *Ita quidem in collatione appellatur Ecclesia; sed in Notitia Numidiæ legitur Bellalisensis. Ubi vero Numidiæ sita fuerit ejusmodi civitas, incompertum mihi est.* Sed cum Garnerio expostulabit alter ejusdem nominis episcopus Numida, qui cap. 129 dicitur *Adeodatus episcopus plebis Bazaritanæ :* nam hanc urbem in Numidia fuisse docet Notitia ejusdem provinciæ, in qua laudatur *Vitalianus Vazaritanus;* et *loci Vazaritani* fit mentio can. 54 Cod. Africani. Itaque mere pro arbitrio Bellalitensem obtrudit, excluso Bazaritano. Quare hujus Adeodati qui in synodo nominatur, civitas etiam incerta est, et non tantum situs civitatis, ut ille affirmabat.

PROCESSUS. *Ignotæ sedis.* Procedamus ad notas.

CRESCONIUS CENTENARIENSIS. *Ita legitur in collatione. Et vero in Notitia episcoporum Numidiæ numeratur inter ejectos inde episcopos Florentius Centenariensis.* Cum plures Cresconii in collatione numerentur, hunc qui trigesimo loco in epigraphe nominatur, sedisse apud Centenarium (ita hoc oppidum appellatur in Tabulis Peutingerianis) sine teste non credam; cum præsertim idem Garnerius de Cresconiorum in Numidia urbibus nihil certi se statuere posse ingenue fateatur, ut suo inferius loco videbis.

SECUNDUS MAGARMELITANUS, seu AQUENSIS. *Quem Magarmelitanum collatio dicit, Aquensem præterea vocat Augustinus.* Nusquam in Augustini libris Secundi nec *Magarmelitani*, nec *Aquensis* nomen reperitur. In libello tantum Leporii hæc subscriptio legitur : *Secundus episcopus Aquensis, sive Megarmitanæ oblato nobis a Leporio libello subscripsi.* Ubi non Augustinus, qui ibidem eodem modo subscriptus legitur, sed ipse Secundus se Aquensem dixit.

FELIX VILLAREGENSIS. *Etsi certum est ex duobus ejusdem nominis episcopis Numidiæ alterum fuisse Villaregensem, alterum Tubiensem, dubium tamen uter utram ecclesiam rexerit.* Postea, *canon* 48 *Cod. Afric. continet causam Cresconii Villaregensis, qui cum Tubiensem Ecclesiam violenter invasisset, relicta Villaregensi, sæpiusque admonitus fuisset, contumaciter parere detrectaverat. Verum cum expostulatio facta fuerit ab Honorato et Urbano Mauritaniæ Sitifensis legatis, conjicere posset aliquis, nec temere utramque præfatam Ecclesiam ad hancce Mauritaniam pertinere. Sed cum Notitiæ auctor in contrarium sentiat, vix ego possim conjecturam probare : quis enim Victore Uticensi melius situm civitatum Africæ, Ecclesiarumque a suis rectarum sociis distinctius noverit? Quare donec lux aliunde major affulgeat, Notitiæ adhærendum puto.* Cespitat in plano, et in meridie *majorem lucem* exoptat. Sibi fingit testimonium Notitiæ canonis Africani dictis adversari. In Notitia Numidiæ scribitur *Donatus Villaregensis;* at Tubiensis Ecclesia ibidem non recitatur. Itaque Cresconius ex urbe Villaregensi Numidiæ ad Mauritaniam Sitifensem profectus, Tubiensem ibidem Ecclesiam invaserat. Hinc legati Sitifenses petiere a synodo ut agere possent contra Cresconium, coram *rectore provinciæ ;* erat enim Mauritania Sitifensis provincia præsidalis teste Sexto Rufo in Breviario. Ex quibus evidenter colligitur Tubiensem Ecclesiam huic provinciæ ascribendam, non vero Numidiæ; alias istius provinciæ legati contra Cresconium stetissent, non autem Sitifenses. Carolus a S. Paulo Tubiensis episcopatus non meminit, et Holstenius pag. 65 et 96 notarum ad eumdem minus recte cum Tubunensi confundit; Tubunæ enim erant in Numidia, ut postea dicam. Garnerius quod Cresconius relicto oppido Villaregensi Tubiensem sedem occupavit, utramque Numidiæ urbem asseruit. Scimus ex Socrate, Sozomeno, et Theodoreto Euzoium prius sedisse apud Germaniciam in Euphratensi provincia, dein Antiochensem thronum invasisse, postremo Constantinopolitanam sedem usurpasse. Eusebius teste synodo Alexandrina in apologia secunda S. Athanasii, primo Beryti in prima Phœnicia episcopus fuit, inde in Nicomediensem in Bithynia sedem se intrusit, tandem favente Constantio Augusto Constantinopolitanam arripuit, *semper aliorum civitates, oculis per invidiam conjectis, oblimans atque arrodens.* Juxta illationem Garnerii in eadem provincia erunt memoratæ urbes, cum tamen Constantinopolis fuerit in Europa, aliæ vero in variis ac abs se invicem remotis Asiæ provinciis. Forte quo erronem istum Cresconium longioris itineris molestia liberaret, utrumque oppidum Villaregense et Tubiense in eadem provincia posuit, ut Cresconius de uno ad alterum facile transiliret.

ASIATICUS. *Incertæ sedis, quemadmodum et* RUFINIANUS. Nullus hic censoriæ severitatis notæ locus est. Melius illi vertit ignorare quam docere.

FAUSTINUS SILLITENSIS. *Ita in collatione ; fit autem in Notitia episcoporum Numidiæ mentio Maximi Sillitani.* Exspecta parumper, et alterum Faustinum Sillitanam cathedram una simul sedentem audies; imo tertium Faustinum supposititium in hac synodo, Garnerio auctore, videbis.

SERVUSDEI BURENSIS. *Ita in collatione, nisi quod additur Tubursicensis Buræ. Verum in Notitia episcoporum Numidiæ dicitur simpliciter Leontius Burensis.* Non uno vitio laborat hoc scholion. Agnomen urbis pro ejusdem nomine obtrudit. Cum duplex esset Tubursicus in Africa, una dicta est Tubursicus *Buræ*, altera *Numidiarum.* Patet ex collatione, in qua cap. 121 laudatur *Servusdei episcopus plebis Tubursicensis Buræ*, contra quem Donatus hæreticus stabat, qui cap. 206 dicitur *Donatus Tubursicensis*, neque additur *Buræ;* unde constat Servumdei non esse dicendum Burensem, sed Tubursicensem; a nomine enim, non ab agnomine urbis appellandus est : hoc enim hujus Tubursicus ab altera istius nominis urbe distinctio tantum significatur. Ita dicimus Ultrajectum Rheni, ut hoc oppidum ab Ultrajecto ad Mosam secernamus, et perperam quis hujus civitatis episcopum vocaret *Mosensem.* Altera Tubursicus dicebatur *Numidiarum;* ita in eadem collatione cap. 201 inter Donatistas nominatur *Januarius de Tubursicu Numidiarum*, cui adversabatur ibidem Maurentius catholicus ex cap. 143, ubi appellatur *episcopus Ecclesiæ Tubursicensis.*

Utrumque oppidum confudit Holstenius pag. 55, et unius tantum meminit Carolus a S. Paulo. Ex his etiam infertur, Tubursicum, ubi sedebat Servusdei, non recte statui in Numidia, cum ad distinguendam alteram Tubursicum a Tubursicu Buræ, illa diceretur *Tubursicus Numidiarum*. Poterat Garnerius Servumdei ex Augustino lib. III contra Cresconium, cap. 43, eximie commendare, cujus verba hic laudanda sunt, ac germana lectio restituenda. *Episcopus*, inquit, *catholicus a Thubursicubure Servus nomine, cum invasum a vestris locum repeteret et utriusque partis procuratores proconsulare præstolarentur examen, repente sibi in oppido memorato vestris armatis irruentibus, vix vivus aufugit.* Ubi legendum esse *Thubursicu Buræ* patet ex collatione, unde S. Augustinus Servum diserte nuncupat *Tubursicensem*, et Donatus hæreticus cap. 106 dictus est *Tubursicensis*, non vero *Tubursicuburensis*. Ex laudatis Augustini verbis videtur colligi hanc Tubursicum Buræ fuisse in Proconsulari, quod illius oppidi causæ *proconsulari* judicio subjicerentur, cum proconsules Carthaginensem provinciam, consulares Numidiam regerent; sed video infirmum ac plane lubricum esse hoc argumentum; nam Possidii et Crispini in Numidia episcoporum causam cognovit proconsul ex Augustino lib. III, cap. 48, operis ejusdem contra Cresconium, quod etiam constat ex epistolis 127 et 128 ad Donatum proconsulem Africæ. Proconsules enim amplissima potestate in omnibus Africæ provinciis, excepta Mauritania Tingitana, utebantur. Tubursicus Numidiæ erat in itinere Hippone Cirtam ex Augustino epist. 163. Denique notes velim Garnerii technas, nolo enim dicere malitiam, aut vafritiem, a quibus longe esse virum probe scio; ille, ut citra dubium Servum seu Servumdei cum sua illa Burensi urbe, quæ nulla uspiam fuit, in Numidiam traheret, appellavit Notitiam Africæ, scribens in ea *dici simpliciter : Leontius Burensis*, cum tamen non ita legatur; nam *simpliciter* ibidem scribitur : *Leontius Burcensis*. Ita ex Burca Buram novam in Numidia urbem obtruxit. Burita fuit Numidiæ urbs, ut inferius patebit.

Terentius Seleucianensis. *Ita in collatione. Fit autem in Notitia episcoporum Numidiæ mentio Proficii Seleucianensis.* Poterat Terentium et Servumdei, quem proxime nominaverat laudare ex synodicis litteris Africanæ synodi ad Cœlestinum papam, in quarum inscriptione nominantur *Aurelius Valentinus, Antonius, Tutus, Servusdei, Terentius, Fortunatus*, etc. Ita in utraque synodo Servusdei et Terentius tanquam eodem fere tempore consecrati, proxime sedebant. Ex hac vero epigraphe deducès, maximos illos Augustinianæ nostræ gentis heroas, Augustinum, Alipium, Severum, ac Possidium, non fuisse in eo Africano concilio; nam ante Servumdei et Terentium inscripti legerentur, quemadmodum ponuntur in titulo epistolæ tantis notis a Garnerio illustratæ; quod nempe intelligerent eo in concilio ex universa Africa coacto adversus Romanas appellationes acerrime disputandum et decernendum esse, a qua sententia collegarum cum ipsi erga Romanæ Ecclesiæ jura obsequentissimi, procul essent, ideo ad eum episcoporum conventum se conferre recusarunt.

Cresconius de castello Tituliano. *Legitur in collatione* plebis Tituli; *sed notitia meminit Victorini de castello Tituliano episcopi Numidiæ.* Postea : *Monendum porro nunc, quoniam memini, vehementer esse probabile Notitiam episcoporum, qua tam sæpe* (at quam infeliciter!) *usi sumus, scriptam fuisse ab ipsomet Victore Uticensi, qui tres libros de Persecutione Vandalica composuit*, etc. *Atque hinc quisque satis perspiciat utrumque opus conjungendum, si quando Victoris historia edatur, tanquam alterum alterius supplementum et lumen.* Passim labitur. Scribitur in collatione cap. 125 *Cresconius episcopus plebis Tituli*, contra quem Victor Donatista stabat, qui capite 202 inter hæreticos ita recensetur : *Victor episcopus Titulensis.* Hæc autem Ecclesia pertinebat ad proconsulares, quod diserte Garnerius poterat discere ex Notitia episcoporum, qua se tam *sæpe usum* testatur, sed profecto hac vice usus non est; nam ibidem inter proconsulares legisset *Cresciturum Titulitanum.* At ille ut Cresconium in Numidia episcopum faciat, eumdem ex oppido Titulitano in *castellum Titulianum* cito citius volare jubet. Quod addit, notitiam episcoporum Africæ inserendam historiæ Victoris de Persecutione Vandalica, *atque utrumque opus conjungendum, si quando Victoris historia edatur*, vix sine risu leges; habes enim in insigni tua bibliotheca historiam Victoris editam a Petro Chiffletio, quem inter eruditissimos societatis Jesu scriptores post Petavium ac Sirmondum laudare soleo, in cujus libro quarto memorata Africæ Notitia legitur. Qui sane vir doctissimus Garnerii vota non modo jamdiu prævenit, verum etiam superavit; cum Notitiam illam non quidem tanquam appendicem historiæ Victoris assutam voluerit, quod se desiderare Garnerius dicit, sed medio prorsus operi inseruerit. Editum est illud volumen a Chiffletio Divione anno 1664. Hinc forte putabis Garnerium hoc præsenti anno 1673, quo Marium Mercatorem notis illustratum publicavit, Chiffletii opus, quod in ore famæ versatur, atque eruditorum omnium manibus teritur, penitus ignorasse. Verum si ita judices, ægre in tuam sententiam descendam; nolo enim tam supinam celebratissimi voluminis ignorantiam homini affricare. Arbitror autem Garnerium jam ante novennium hasce notas in utramque epigraphen adornasse; scribit enim se opus difficillimum, *quod hactenus tentavit nemo* aggressum, *sed non sine cura et labore.* Et quidem dissert. 5, pag. 319, testatur se ante duos et viginti annos ad Pelagianam Historiam commentariis illustrandam, a Sirmondo vetustissimis schedis communicatis animatum. Hinc ejusdem consilium laudo, qui juxta poetæ de scripto publicando monitum, *nonumque prematur in annum*, suas notas pleno a Chiffletiani Victoris editione novennio maturatas haud maturate vulgavit. Quod si ex eodem Horatio statim reponas :

Reprehendite quod non

Multa dies et multa litura coercuit, atque
Præsectum decies non castigavit ad unguem

Nullam pro homine responsionem adornare volo, ne ex censore repente, dum nescio, advocatus fiam.

Sperantius, *ve'*, *ut est in collatione*, Speratus Ammadærensis. *Dubium mihi fuit, debeatne Ecclesia Ammadærensis in Numidia censeri, an in provincia Proconsu'ari, quamvis certum sit ad alterutram pertinere, etsi in neutrius Notitia inveniatur ; verum cum prope absit a Thebes'e colonia, ut est apud Antoninum ; Thebeste vero ut constat ex Notitia episcoporum Numidiæ, civitas sit Numid æ, Ammadæra videtur quoque Numidiæ tribui debere, quantumvis repugnent vulgares tabulæ, profecto non exactissimæ. In concilio rebaptizantium* Eugenius ab Ammadæra *trigesimo secundo loco sententiam dixit, quem ad locum Pame'ius nihil attulit in notis, alioquin eruditis, quod optatam lucem afferret. Affert aliquam Antonini Itinerarium, cum via quæ Carthagine Cirtam ducit ita describitur :* Unucam M. P. XXII, Sicillibram M. P. VII, Vallos M. P. XV, Coreva M. P. XV, Musti M. P. XXVIII, Laribum coloniam M. P. XXX, Attieuros M. P. XVI, Ammadæram coloniam M. P. XXXII, Theveste coloniam M. P. XXV, etc. *Hinc enim patet Ammadæram tribuendam esse Numidiæ, siquidem media est inter Attieuros et Thebestem, quæ duæ civitates in ista provincia existunt.* Quæso, vir eruditissime, ne ægre ac moleste feras me in his discutiendis parumper immorari; nonnulla enim tradam hactenus ecclesiasticis geographis ignorata, queis tamen Africanæ diœceseos limites exactius statuentur. Unuca Antonini apud ecclesiasticos scriptores Uluca nominatur. In cap. 127 collationis laudatur *Procericius Uculensis*, et in synodica apud concilium Lateranense sæpius nobis memoratum, *Cresconius Uculensis* inter proconsulares recitatur. De Sicilibba in superiori epigraphe dictum est. Vallos etiam fuit urbs episcopalis, et inter præsules Carthaginensis provinciæ in synodo Bonifacii appellatur *Restitutus episcopus plebis Vallitanæ*. Corevæ episcopus nusquam mihi apparuit. Hic ab ecclesiasticis geographis Carolo a S. Paulo, et Luca Holstenio viris eruditissimis, designantur confinia provinciæ proconsularis. Etenim Mustim Corevæ finitimam ad Numidiam spectare ex Notitia Africæ citra dubium existimarunt; ibi enim inter Numidiæ episcopos memoratur *Antonianus Mustitanus*. Sed in eo decepti sunt, quod duas hujus nominis urbes in Africa non observarunt, quarum una in Numidia, altera erat in Proconsulari. Hoc patet ex collatione Carthaginensi, in qua inter Donatistas cap. 206 nominatur *Cresconius episcopus Mustitensis*. At superius cap. 121 hæc leguntur : *Victorianus episcopus plebis Mustitensis. Idem dixit : Præsto sum. Habeo Felicianum Mustitensem, et Donatum Turrensem contra me.* Et statim cap. 122, *Alipius episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit : De nomine Feliciani utrum in communione sit Primiani.* Ex his optime intelligis apud Mustim in Numidia anno 411, cum celebraretur collatio, sedisse Cresconium Donatistam, apud Mustim in Proconsulari Felicianum, qui toties S. Augustino in libris contra Donatistas memoratur. Inde vero assero Felicianum proconsularem episcopum et magni inter Donatistas Maximianistas nominis; quia Alipius petiit num Felicianus esset in communione Primiani primatis proconsularium, non vero Januarii primatis Numidarum ; cum tamen in synodo apud Bagajam Felicianus ab utroque primate ob Maximiani ordinationem damnatus fuerit. Adest evidens testimonium pro Musti proconsulari in synodica act. 2 concilii S. Martini papæ, quam inter proconsulares subscribit *Januarius episcopus S. E. Mustitanæ;* in Notitia vero Numidiæ etiam legitur *Antonianus Mustitanus.* Urbs autem Turrensis in Proconsulari, cujus sacris præerat Donatus Donatista, quem Victorianus Mustitensis sibi vicinum dixit, apparet in Tabulis Peutingerianis, in quibus habetur, *Thurris* VI, *Sicilibba* VIII, *Inuca*, etc. Turrensis urbs erat proxima Sicilibbæ, quam esse proconsularem in notis ad superiorem epigraphen ostendi, ubi inter legatos provinciæ Proconsularis laudavi Prætextatum Sicilibbensem. Hac occasione etiam supplendæ mihi sunt tabulæ Ecclesiæ Africanæ, quam laudati geographi Carolus a S. Paulo et Holstenius publicarunt, qui Inucensem Ecclesiam Sicilibba millia passum 13 distantem omiserunt; cum tamen in collatione cap. 187 nominetur *Valentinianus episcopus Inucensis.* Hinc vides Philippum Labbeum, cujus morti sacra eruditio indoluit, et collegam Cossartium virum insignem, minus recte in margine pro Inucensi *Juncensem* reposuisse; illa enim Ecclesia erat in Proconsulari, hæc in Byzacio, et laudatur *synodus* habita a Liberato primate Byzaceno act. 2 concilii Bonifacii Carthaginensis, cujus etiam canones commendat Ferrandus Diaconus. In Laribo statuendo iidem geographi decepti sunt. Nam cum in Tabulis Ptolomaicis viderent Lares poni prope Vagam in Numidia, eamdem urbem huic provinciæ ascripsere. Sed ad eumdem lapidem offenderunt. Duplex enim fuit hujus nominis oppidum. In collatione cap. 207 recitatur *Restitutus Laritensis*, et cap. 197 *Honoratus Laurensis*, ambo episcopi ex parte Donati. Lares vero etiam ad proconsulares spectasse patet ex synodo Bonifacii, quam cum illius provinciæ Patribus subscribit *Vitulus episcopus plebis Larensis*. Cæterum ex Tabulis Peutingerianis, quas mihi inspiciendas tradidisti, res illustrari potest; ita ibidem scribitur : *Theveste* XI, *Ad Mercurium* XIV, *Admedera* XVI, *Mutia* XVI, *Orba* VII, *Lærabus* XII, *Drusiliana* VII, *Thacia* VII, *Mubsi* VII, *Aboia* VI, *Tignica* XII, *Tichilla* XVI, *Membressa* VIII, etc. Aliud vero iter a Mutia describens ait : *Altuburos* XVI, *Altes ra* X, *Assures*, etc. Ubi *Mubsi* legendum *Musti*. Ex his patet, non satis consequenter poni Ammederam (ita scribunt Augustinus lib. VII. de Bapt., cap. 39 collatio cap. 207, et Antoninus) in Proconsulari a sacris geographis; Lares vero, Drusilianam, et Mustim in Numidia, cum istæ urbes recto itinere a Theveste Numidiæ supra Ammederam sint Carthagini propinquiores. Sallustius *oppidi Laris* meminit in Bello Ju-

gurthino, Procopius l.b. II de Bello Vandalico Laribum dicit, et Victor Vitensis lib. II. de Pers. Vand. *Laribus* scribit, ubi etiam *Siccensem et Larensem civitates* appellat. Ex eodem Peutingeriano fragmento apparet situs Tignicæ in Proconsulari, cujus meminit collatio cap. 133, ubi nominatur *Aufidius episcopus plebis Tignicensis*, quæ incertæ provinciæ deputatur a Carolo a S. Paulo, et omittitur ab Holstenio. Sed quid dicetur de Aboia? Ponitur in subscriptionibus synodi v *Valerianus episcopus Obbæ provinciæ Proconsularis.* Hæc quoque urbs desideratur apud Carolum a S. Paulo et Holstenium. An hic *Aobiæ*, vel *Obbæ* in Tabulis legendum incompertum mihi est. Ultra Lares ad 16 millia passuum ponitur ab Antonino Altieuros, seu, ut Surita legit, Altituros : utrobique corrupte, nam Altiburos legendum est. Hæc civitas erat in Proconsulari, et in synodica sæpe laudata ponitur *Constantinus episcopus S. E. Altoburitanæ*, et in Notitia ejusdem provinciæ *Vindemius Altoburitanus*. Garnerius mendose dixit *Attieuros*, cum *Altieuros* dicatur in Itinerario, cujus verba adducit. Ubi perperam Altiburos seu Altoburos Numidiæ accenset, contra laudata veterum synodorum testimonia. De Ammedera nihil certi invenio quo movear ad eamdem Proconsulari potius quam Numidiæ ascribendam. Cum in Notitia episcoporum Numidiæ illius urbis episcopus non appareat, qui tamen 123 ibidem recensentur, existimo Ammederam fuisse ultimam proconsularis diœcesis civitatem, cum Thevestis inde millia passuum 25 distans, ad Numidiam pertineat. Neque tamen ob eamdem in Numidia locatam, ullam Garnerio litem intendo; imo eidem gratias ago quod provinciæ in qua sita fuit Ammedera, investigandæ occasione data, Mustim ac Lares duas ejusdem nominis urbes fuisse ostendi; unde et exactior Africanæ Ecclesiæ Notitia relucet, ac synodorum subscriptiones neutiquam, quod ad provinciarum urbes attinet, inter se discrepare intelliguntur; inde etiam Tabulæ diœceseos Africæ facile corriguntur ac supplentur.

Quadratus. *Incertæ sedis.* Veritati exactius quadrarent cæteræ notæ, si easdem hisce tantum verbis exarasset.

Lucillus. *Incertæ pariter sedis; nisi forte legi debeat Lucianus Guirensis; nam hujus nominis aliquis in concilio quod collationem præcessit subscripsisse legitur. Fuit vero in provincia Numidiæ Guirensis episcopus; meminit enim Notitia Martialis Guirensis.* Plura peccat. Imprimis Lucilli nomen diminutivum implet augetque, *Lucianum* efformans. Rursus Guiræ seu Giræ in Numidia duos simul coepiscopos donat; nam superius alterum Lucianum itidem Girensem pronuntiaverat. Denique Lucilli urbem ignotam putavit, cum diserte designetur ab Augustino lib. XXII de Civit. Dei, cap. 8 : ubi loquens de miraculis post delatas in Africam anno 416 S. Stephani reliquias, ait : *In castello Sinitensi, quod Hipponensi coloniæ vicinum est, ejusdem loci Lucillus episcopus*, etc. In excusis codicibus legitur *Synicensi*; sed quatuor codices mss in bibliotheca serenissimi magni ducis diserte habent. *in castello Sinitensi.* Augustinus in epistola 128 ad Donatum proconsulem Africæ, mentionem facit colonorum, quos hic habebat in *Sinitensi vel Hipponensi* agro. Ibidem S. doctor Lucilli decessorem designat inquiens : *Collega tunc meus episcopus Sinitensis Ecclesiæ Maximinus.* In editis codicibus *Synicensis* itidem legitur, sed ex epist. 163, textus emendandus est, ubi scribens S. Pater ad Donatistas ait : *Modo præconem misistis, qui clamaret Siniti, quisquis Maximino communicaverit, incendetur domus ejus.* Maximinus ex Donatista factus erat catholicus.

Sabinus Tuccensis. *Tucca gemina est in Africa; altera in Mauritania Sitifensi ad Serpetem fluvium; altera in Numidia pene media, ut habent Ptolemaicæ Tabulæ. De Numidiæ episcopo intelligi debet collatio*, etc. *In concilio certe rebaptizantium utriusque Tuccæ episcopi sententiam dixerunt : alter, qui* confessor Saturninus, *quinquagesimo secundo loco; alter, qui* Honoratus, *septuagesimo septimo.* Longis erroribus agitur, malis avibus arduum opus aggressus. Imprimis quatuor Tuccæ in Africa memorantur, et Sabinus non Tuccensis, sed forte Tuncensis episcopus fuit. Ptolemæus prioris Tuccæ meminit in Mauritania Cæsariensi; alteram ponit inter urbes Numidiæ novæ; tertiam inter Bagradam amnem et Tabracam; quartam Antoninus locat in Byzacio, vel Proconsulari; nam in Itinere ab Assuris Thenas ait : *Assuris Tuccam Terebinthinam* M. P. XV, *Sufibus* M. P. XXV. Erat ergo Tucca Terebinthina media inter Assuros, quæ est urbs proconsularis, et Sufes Byzacenas. Utri deputanda incertum. Ille vero duas tantum Tuccas novit, quarum unam ad Serpetem fluvium in Mauritania Sitifensi, alteram in media Numidia ponit. Plinius Tuccæ Sitifensis situm exacte tradit lib. V, cap. 2. *Oppidum*, inquit, *Tucca impositum mari et flumini Ampsagæ.* Itaque erat in confiniis provinciæ Mauritaniæ Sitifensis, quæ Ampsaga flumine a Numidia separabatur. Concinunt Tabulæ Peutingerianæ, ubi hæc leguntur : *Tucca fines Mauritaniæ et Africæ.* Meminit Dio Cassius lib. XLVIII Tuccæ civitatis sub T. Sestio præfecto Numidiæ, pro Antonio triumviro. In Notitia Sitifensi memoratur *Uzulus Thuccensis.* Rursus Tuncam Sabini episcopi perperam in mediterraneo Numidiæ statuit. Nam Petilianus episcopus Constantinensis Donatista in collatione cap. 65 hæc dixit : *Nam etiam in plebe præsentis sanctissimi* (mulus mulum fricat) *collegæ ac fratris mei Adeodati, id est, in civitate Milevi ana, ita commissa res est, ut unum ibidem habeat adversarium, alterum in Tuncensi civitate, qui ad hujus scilicet plebem antiquitus pertinet, et ante biennium videtur esse constitutus.* Hic ipse erat Sabinus; etenim cap. 130 edit. Labbei hæc habentur : *Sabinus episcopus Tuccensis. Idem dixit : Præsto sum. Adeodatus episcopus dixit : In diœcesi mea est ordinatus.* Itaque Tunca, seu Tucca, nolo enim de nomine cum Garnerio contentionis funem ducere, erat in diœcesi Milevitana. At Milevis, quam Mileum Antoninus vocat, distabat Cirta versus Ampsagam mill. pass. 25, et in Tabulis Peu-

tingerianis scribitur *Milev. colonia*, et ponitur infra Rusiccadem, quæ Cirta aberat ex Plinio 48 mill. pass. Cirta non erat in media Numidia; nam distabat Hippone Regio mill. pass. 94, et Numidia ultra Hipponem Tabracam usque ultimum provinciæ limitem versus Orientem, protendebatur mill. pass. 64. Milevi Cuiculum extremam Numidiæ urbem versus Occidentem erat iter mill. pass. 50, Tabracam vero mill. pass. 183, euntibus ad proconsulares. Hæc ex Itinerario Antonini patent. Itaque Tunca, quæ erat in diœcesi Milevitana, non erat in media Numidia, sed supra Cirtam versus Sitifenses. In Tabulis Peutingerianis res ad oculum patet. Hinc etiam deduco neutrius Tuccæ, quas ex synodo S. Cypriani laudat, Sabinum episcopum fuisse; nam illæ urbes suos habebant episcopos ante annum epochæ Christianæ 258, quo Cyprianus martyrium subiit; oppidum vero Sabini *ante biennium* quam collatio Carthagine haberetur, nempe anno 409 episcopali primum dignitate ornatum fuit, cum *antiquius* intra diœcesim Milevitani antistitis censeretur.

Faustinus Sillitanus. *Ita in collatione legitur. In Notitia vero Numidiæ fit mentio Maximi Sillitani, qui periit in itinere ad exsilium.* In eadem omnino pagina duos Faustinos Sillitæ episcopos anno 416 Milevitanæ synodo præsentes facit. Error immanis, qui non modo memoriæ, verum etiam oculorum propemodum defectum indicat : si tamen vigilans ea scripsit. Mirare interim notas iisdem omnino verbis concinnatas, utrique Faustino supponi. Sane quæ de hoc Faustino repetuntur, dici nequeunt *nec sine cura et labore* exarata : quid enim facilius est quam exscribere?

Faustinus alter. *Vel hic, vel iste Sillitanus fuit; alterutter ignoratæ sedis.* Nec iste, nec ille Sillitanus fuit, nisi prior Faustinus, quem in Sillitana sede locaverat, dejiciatur. Cæterum tertius hic Faustinus emergit in Milevitana synodo uni Garnerio cognitus, cæteris hucusque ignoratus. Hi quidem tres episcopi in epigraphe numerantur vel apud ipsum Garnerium, Sabinus, Faustinus, Cresconius. At ille eadem auctoritate qua novas urbes condit, qua binos in una sede episcopos locat, qua civitatum et præsulum nomina detruncat, auget, commutat, eadem, inquam, auctoritate Faustinum, nuper domi suæ natum episcopum, sine tractoria synodo intrudit, cum jure ferendi in Pelagiana causa suffragii. Contineo impetum, ne epistola in satyram migret; vereor tamen ne ipse risum continere possis, dum hæc *non sine cura* a Garnerio scripta audis, qui ne ullus in numerandis episcopis error obrepteret, epigraphes iterum legendæ curam dimisit.

Cresconius Tubiniensis. *Cum quinque Cresconiorum nomina sint inscripta synodicæ, scire quidem possumus quæ ab iis indefinite Ecclesiæ in Numidia rectæ fuerint; definire non possumus quæ a singulis. Cresconius Tubiniensis aliquis appellatur in collatione, ponitur vero in Notitia Numidiæ Reparatus Tubuniensis.* Scribendum est ubique *Tubuniensis*, ut in Notitia. In synodo rebaptizantium appellatur apud Aug. lib. VI de Bapt., cap. 12, *Nemesianus a Tubunis*; idem pariter epist. 70 *Tubunas* nominat; sed nec addita cautio vel parum hominem juvat. Unde habet quinque Cresconios, qui anno 411 collationi interfuere, anno 416 adhuc superstites fuisse, ne uno quidem intra quinquennium defuncto? Itane quinque Cresconiorum numerus pleno quinquennio elapso non decrevit, auctore Garnerio, qui de Delphino scribens, brevi biennii spatio octodecim in una provincia episcopos, ut ostendam, diem obiisse publicat? Cur nec unus saltem illorum Cresconiorum domi remansit, vel nullus ejusdem nominis episcopus intra quinquennium consecratus Milevium perrexit? His addo alteram fuisse Tubunam in Mauritania Cæsariensi ex Notitia memorata, et in alterutra urbe sedit Nemesianus, quem ex Cypriani synodo appellabam.

Victor, Gignantius, et Possidonius. *Incertæ sedis.* Quid illi mali intulit *Victor episcopus Cullitensis*, qui cap. 125 in collatione nominatur? Fuit enim Cullu, seu Colops magnus, Numidiæ oppidum Plinio, Ptolemæo, Antonino, aliisque in Numidia memoratum, cujus situm in littorario illius provinciæ itinere exhibent Tabulæ Peutingerianæ. Solinus cap. 27 de Numidia agens : *Urbes*, inquit, *in ea quamplurimæ nobilesque; sed Cirta eminet, dein Cullu, purpureo fuco Tyriis velleribus comparatæ.* Hæc ille.

Antonius, forte Antonianus Lamfortensis, *cujus mentio est in collatione; Lamfortensem porro Ecclesiam pertinuisse ad Numidiam, probat Notitia episcoporum Numidiæ, cum recenset inter confessores Felicem Lamfortensem.* O quam turpiter illi vertit ex Antonio finxisse Antonianum! Nusquam infelicius allucinatus est; etenim catholicum episcopum in hæreticum commutavit. In collatione cap. 149, post Januarium et Primianum Donatistarum primates, fere statim recitatur *Antonianus episcopus Lansortensis*, qui cap. 163, cum iterum inter Donatistarum turbam nominaretur, dixit : *Non illic habeo adversarium.* Possimus enim Donatista totam diœcesim in parte Donati omni studio tenebat. Et hunc Donatistarum primipilum, tanquam Saul inter prophetas, locat Garnerius inter catholicos episcopos synodi Milevitanæ? Estne ista *immensa eruditionis copia qua vix non obruitur Christianus Lupus?* Omitto quod hujus hæretici Ecclesia non *Lanfortensis* dicenda est, sed *Lansortensis*. Ita legitur in collatione, cujus testimonium proxime laudabam, in Notitia appellatur *Felix Lansortensis*; in synodo Bonifacii an. 525 *Florentius Lansortensis*. Dum audio Garnerium ex Antonio Antonianum, hoc est, ex catholico hæreticum efformare, non possum non repetere lepidum Hieronymi dictum in apologia priori contra Rufinum, qui Eusebii Ariani pro Origene librum S. Pamphili martyris titulo prænotatum publicaverat : *Cum tantam*, inquit, *habeas licentiam nominum immutandorum, ut de Eusebio Pamphilum, de hæretico martyrem feceris, cavendus homo, et mihi maxime declinandus, ne me repente dum nescio, de Hieronymo Sardanapalum nomines.* Hæc ille. Poterat

Garnerius, Antoniano Donatista in malam crucem abire jusso, legere caput 133 collationis, ubi ponitur inter catholicos *Antonius episcopus plebis Mutugennensis*. Holstenius hanc Ecclesiam in Numidia ponit. Augustinus *villam Mutugennam* in territorio Hipponensi recenset epist. 204.

INNOCENTIUS GERMANIENSIS. *Ita legitur in collatione. Est autem Germanensis civitas in Numidia, ut constat ex Notitia : censetur enim inter confessores Numidas episcopos Crescentianus Germanensis.* Si ab anno 411 ad annum 416 Innocentius Germaniensis superstes fuit, nullusque alius hujusce nominis episcopus inter 123 Numidiæ antistites exstitit, verum dicit.

PRÆSIDIUS et CRESCENTIUS. *Incertæ sedis.* Nusquam securius sibi consulit quam cum ita loquitur.

FELIX TUBIENSIS. *Ita legitur in collatione. Tubiensem vero Ecclesiam non procul a Villaregensi positam, atque adeo in Numidia collocandam, colligi potest ex can.* 48 *Cod. Africanæ Ecclesiæ.* Vidisti ex eodem canone oppositum evidenter deduci. Dixi etiam Holstenium pag. 65 et 96 Tubiensem Ecclesiam cum Tubunensi confundere : cum tamen eidem collationi interfuerint ex cap. 121 *Felix Tubuniensis*, et ex cap. 133 *Felix Tubiensis*, ambo catholici episcopi.

ANTONIUS FUSSALENSIS. *Ita quidem mihi videtur, quamvis nulla ipsius mentio in collatione fiat, forte quia nondum ordinatus fuerat.* Quo ergo jure hic Antonius post annum 411 ordinatus, sedit in synodo Milevitana ante Donatum, Lampadium, et Delphinum, quos eidem collationi adfuisse Garnerius mox scribit? Junior antiquiores episcopos ex can. 53 Cod. Africani præcedere non poterat.

VICTOR. *Ignotæ perinde sedis, atque alter mox appellatus.* Hæc de utroque Victore scribens, nec oleum, nec operam perdit, quemadmodum malo eidem fato in aliorum sedibus designandis contigit.

HONORATUS THABENNENSIS. *Cur autem Honoratum, qui Milevitano huicce concilio interfuit, Tabennensem potius putem quam Moctariensem seu Matariensem, qui recensetur inter episcopos in collatione, licet ipse quoque ad Numidiam pertineat, perinde ac Thabennensis, facit Thabennensis sanctitas familiaritasque cum Augustino, cujus impulsu synodus coacta est, a quo velut res sua propter fidei studium procurata, amicis, reor, non sine invitatione prætermissis.* Et antea : *Suspicatur Ortelius Thabennam eamdem esse cum Thabba, quæ nota fuit Ptolemæo. Suspicionem non opinor levem.* Cum Thabenæ nec Plinius, nec Ptolemæus, nec Strabo meminerint; imo cum ejusdem episcopalis sedes omissa fuerit a Carolo a S. Paulo et Holstenio, licet ex D. Possidio cap. 30 de Vita S. Augustini *Honoratus Thabenensis episcopus* innotescat, Garnerius in tanto scriptorum silentio, sine teste, Thabenam Numidiæ ascribit. Unus A. Hirtius Thabenam oppidum, ejusque situm egregie tradit in libro de Bello Africano : *Thabenenses*, inquiens, *qui sub ditione et potestate Jubæ esse consuescent, in extrema ejus regione maritima locati, interfecto regio præsidio, legatos ad Cæsarem mittunt. Cæsar eorum consilio probato, M. Crispum tribunum cum cohorte, et sagittariis, tormentisque compluribus præsidio Thebenam mittit.* Tres id temporis in Africa reges erant Juba Massinissæ pronepos mediterraneam Numidiæ regionem a Cirta usque Zamam possidebat, itemque Mauritaniam Sitifensem usque ad Muluchan fluvium. Inde Bocchus Mauritaniam Cæsariensem regebat; de quo hæc habet Dio lib. XLIX : *Fuit is rex Mauritaniæ Cæsariensis.* Postremus in Mauritania Tingitana rerum potiebatur Bogud, ex eodem lib. XLVIII. Jubam, post occisum cum copiis Curionem pro Cæsare in Africa ducem, Pompeius eique adhærens senatus regem dixerat; quo tempore Bocchus et Bogud eadem dignitate a Cæsare insigniti sunt, quæ ex Dione lib. XLI initio fere belli civilis contigere. Juba tamen antea jure regio Getuliam ac Libyam tenebat; cum enim Curio esset tribunus plebis, tentaverat, ejecto Juba, regnum in provinciam Romanam redigere, teste Cæsare lib. II de Bello civili. Curio autem gesserat tribunatum ex Dione lib. XL, Marcello et Ruffo conss., biennio antequam a Juba occideretur. Plinius hæc scribit lib. V, cap. 2, de Mauritania, Tingitana et Cæsariensi. *Namque diu regum nomina obtinuere, ut Bogudiana appellaretur extima, itemque Bocchi, quæ nunc Cæsariensis. Ab ea portus magnus a spatio appellatus, civium Romanorum oppidum; amnis Mulucha Bocchi Massesulorumque finis.* Verum olim post bellum Jugurthinum, ut ait Rufus, *in populi Romani potestatem Numidia venit.* Quæ quidem de regione maritima Numidiæ, quæ fuerat ditio Adherbalis a Jugurtha occisi intelligenda sunt, ex Sallustio cap. 26 de Bello Jugurthino; Zamam enim et Cirtam regias in mediterraneis illius provinciæ urbes Cæsar Jubæ abstulit; unde ea Numidiæ pars provinciæ novæ nomen sortita est, auctoribus Appiano et Dione. Quare si Thabenenses erant *sub ditione Jubæ in extrema ejus regione maritima locati*, sane erant in ora maritima Mauritaniæ Sitifensis non procul a Mulucha, qua Mauritaniam Cæsariensem Bocchi regis spectabat. Et quidem aliquam Mauritaniæ partem Jubæ subditam fuisse, palam ex A. Hirtio intelligitur, qui scribit regem, cum destinasset in Byzacium cum exercitu ad Scipionem pergere, Saburam cum aliis copiis in Mauritaniam misisse, ne rex Bogud et Sitius Cæsaris præfectus ab altera parte ipsius regnum invaderent. Hinc apud Florum lib. IV, cap. 2, legitur *Mauritaniæ rex Juba.* Addit idem Hirtius fere in calce operis : *Publius interim Sitius, pulso exercitu Saburæ præfecti Jubæ, ipsoque interfecto, cum iter cum paucis per Mauritaniam ad Cæsarem faceret, forte incidit in Faustum Afraniumque*, etc. Erat id temporis Cæsar Uticæ in proconsulari. Itaque illa Mauritaniæ pars quæ olim Micipsæ et Hiempsali illius filio parebat, et postea ex divisione à legatis Romanorum facta, Jugurthæ tradita fuit, in Jubæ Hiempsalis filii potestatem venerat, in cujus maritima extrema regione Thabenenses ab Hirtio ponuntur. Hæc me fortasse curiosius prosecutum dices; sed rei obscuritas id exegit; sæpius enim illorum Africæ regum fines a

Romanis mutati sunt, ut optime ex Strabone lib. XVII et Dione noveris. Quod si Garnerius in extremo quodam ac sibi tantum noto Numidiæ angulo ad Mediterraneum Thabenam fuisse contendat, unum saltem testem appellare debet, ut tot testimoniorum, quæ adduxi fidem labefactet. Ex his intelligis suspicionem illam de Thabena cum Ptolemæi Thabba confundenda, quam *non levem* opinabatur, esse prorsus vanissimam; siquidem Ptolemæus Thabbam ponit in regione sita inter fluvios Bragadam et Tritonem : quorum primus prope Uticam in proconsulari, alter prope Tacapem in Byzacio mari miscetur; et tempore belli civilis nullum oppidum maritimum in eo tractu a Juba tenebatur, sed vel Cæsarianis, vel Scipionis, et Catonis præsidiis omnes illæ urbes insessæ erant, ut ex commentariis Hirtii, Appiani, et Dionis apertissime constat.

Donatus Buritanus, seu Burcensis. *Ita in collatione. Ubi vero posita fuerit Burca illa civitas, cujus Ecclesiam Donatus rexit, incertum est. In Notitia episcoporum Numidiæ fit mentio Leontii Burcensis.* Omnia prorsus invertit. Scribitur in cap. 133 collationis *Donatus episcopus plebis Buritanensis.* At excellentissimus immutandorum nominum artifex ex Buritanensi Burcensem reddit, ut in Numidia censeatur, cum Buritana Ecclesia incertæ provinciæ sit. Rursus superius in notis ad *Servumdei*, dixerat hunc sedisse Buræ tempore collationis, qua in urbe postea anno 484, ut in Notitia habetur, fuit episcopus, ut ille ait, *Leontius Burensis.* At hunc ipsum Leontium modo affirmat fuisse successorem post plures medios Donati Buritani, seu Burcensis, qui eidem collationi adfuit. Suspicor Buritanam Ecclesiam spectasse ad Proconsularem : nam act. 2 concilii S. Martini inter illius provinciæ episcopos subscribit synodicam *Cresciturus Busitanus*, qui forte Buritanus dicendus est ; ni potius e contra Donatus Busitanus appellandus videatur. Rem in medio relinquo.

Petrus, Præsidius, et Cresconius. *Incertæ sedis.* Hic sextus Cresconius tarde venit ad Garnerium, qui cum quinque aliis antea nominatis in epigraphe Cresconiis sedes in Numidia destinasset, duabus etiam urbibus Titulitana ex proconsulari, Tubiensi ex Mauritania Sitifensi in Numidarum censum translatis, ne quis Cresconiorum extra Numidiam sacris præesset, nullam postea in hac provincia, imo nec in finitimis urbem habuit reliquam, ad quam sextum Cresconium episcopum mitteret. Doleo istius antistitis vices, qui sacris omnibus civitatum Africæ præfecturis a Garnerio aliis Cresconiis pro libito distributis, remanet *incertæ sedis* episcopus.

Lampadius Tiseditensis. *Ita quidem in collatione ; at Tididitanus potius dici debet. Nam Notitia Numidarum episcoporum meminit Abundii Tididitani.* Imo Notitiæ textus ex collatione fortasse corrigendus est ; hic enim etiam inter Donatistas memoratur cap. 198 *Donatus episcopus Tiseditensis*; cujus quidem nomen capiti 135 inserendum est, ubi Lampadii Tiseditensis adversarius non legitur, lacuna ibidem existente.

A Hanc urbem egregie designat Sallustius in Bello Jugurthino cap. 62, ubi tradit Metello Romani exercitus imperatore contra Jugurtham Numidiæ regem in hac ipsa provincia bellum gerente, pro componenda pace, eumdem Jugurtham *Tisidium* accitum. Itaque Lampadius Tisiditensis vel Tisiditanus dicendus est, non Tididitanus. Lampadii urbem Tisidium omisit Carolus a S. Paulo, Holstenius incertæ provinciæ ascripsit ; quam tamen fuisse in Numidia constat ex Sallustio, et ex hac epigraphe in qua Lampadius ejusdem oppidi episcopus inter Numidas recitatur.

Delphinus. *Incerti nominis Ecclesiam rexit ; vicinam tamen Constantinæ, ut colligitur ex cap.* 65 *collationis, ubi Petilianus Donatista interlocutus* : In plebe mea, *inquit*, id est civitate Constantinensi, adversarium B habeo Fortunatum; in medio autem diœce is meæ nunc institutum habeo, imo ipsi habent, nomine Delphinum. *Meminit hujusce Delphini Augustinus epist.* 158, etc. Hic episcoporum epigraphes agmen claudit ; in quo quidem vellem cum Garnerio convenire, ut postquam in litteraria palæstra diutius cum eodem luctatus sum, amico erga eumdem animo ex certamine discederem, et ubi delphini imminentem procellam nautis indicant, ita hic Delphinus e contra commotam hucusque geographicam tempestatem, in qua Garnerius naufragio proximus fuit, illata tranquillitate sedaret. At novi iterum difficultatum fluctus insurgunt. Res altius, licet paucis, repetenda est. Anno 411 Petilianus in collatione ita Marcellinum judicem allocutus dicitur cap. 165, cum plures epi- C scopi catholici gloriarentur se suis in urbibus non habere episcopum Donatistam : *Lucrum enim videtur his cedere, qui multos se adversus nostros habere per hanc provinciam ostenderunt, si in provincia Numidia non ostendamus, eos penitus non habere, aut habere certe, sed raris locis.* Quæ licet ab hæretico olim causidico, emphatice dicta sunt, illud tamen constat hæresim Donatistarum, quæ, ut ait Augustinus epist. 134 ad Pammachium *in media consulari Numidia* ortum habuerat, istius provinciæ urbes ita pervasisse, ut plures episcopum solummodo Donatistam sine æmulo catholico antistite id temporis haberent. Hæ præsertim Ecclesiæ a solis Donatistis episcopis occupatæ in collatione recitantur. *Lansortensis* cap. 143, *Idassensis* cap. 182, *Legensis*, *Lamiggensis*, *Rotariensis* cap. 187, *Tibilitana* cap. 197, *Rusticianensis* cap. 198, *Lambiritensis* cap. 206, et aliæ plurimæ, ut ex interlocutione frequenti Aurelii Macomadiensis Numidarum episcopi non obscure colligitur. Rursus tempore collationis vacabant catholicorum cathedræ per sex Africanæ diœceseos provincias *sexaginta quatuor*, cap. 215 ; quarum ut minimum decem fuere in Numidia, cum in Tripolitana provincia quinque solum episcopi numerarentur. Peracta collatione, victi episcopi Donatistæ atque urbibus pulsi ab Honorio imperatore, solum vertere coacti sunt, ut patet ex cod. Theod. *lege* 54 *et* 55, *de hæreticis, dat. Constantio et Constante coss.*, anno 414. Tunc a catholicis episcopis in omnibus Africæ urbibus, ubi prius hæ-

retici sacra ministrabant, orthodoxi antistites consecrati sunt, et viduatis cathedris novi præsules assignati. Itaque in Numidia viginti saltem episcopi paulo post annum 411 inaugurati sunt, quos omnes Delphinus jam ab anno 411 ante collationem episcopus præcedebat. Itaque si hic ille idem est qui postremus in titulo synodicæ Milevitanæ recitatur, nullus horum viginti antistitum post annum 411 ordinatorum ad synodum anni 416 se contulit. Quæ quidem unus Garnerius sibi persuaserit. Præterea idem Petilianus in collatione cap. 65 de Sabino episcopo Tuncensi dixit : *Ante biennium videtur esse constitutus.* Quare anno 409 Sabinus primus apud Tuncam episcopus sedit. Ibidem autem Petilianus testatur Delphinum *nunc institutum* episcopum in diœcesi Constantinensi : nempe 411, ut proxime notabam. Cum vero in epigraphe inter Sabinum et Delphinum octodecim episcopi nominentur, si hic Delphinus ille est cujus mentio fit in cap. 65 collationis, affirmare debet Garnerius intra biennium octodecim in una provincia Numidiæ episcopos diem obiisse, ac totidem subrogatos, qui medii leguntur inter Sabinum et Delphinum. Quæ sine tabulis, sine teste non credam. Verum qui tot novas in Africam urbes transvexit, pestem aliquam Numidiæ forte importabit, qua intra biennium tantam episcoporum stragem late propaget. Nec credo Numidas de tot sublatis tam brevi spatio episcopis de Garnerio conquesturos, cum Mopta et altera Macomodia in ea provincia momento conditis, ac in illius diœcesim translatis urbibus Tituli, Tubiæ, Girbæ, Dionysianæ, Zellæ, Ruspinæ, et aliis, quæ finitimis, vel incertæ provinciæ ascribebantur, tam arcte Numidas sibi devinxerit, ut in lucri loco deputare possint, octodecim episcopos statim ab hoc suo Polioctiste sublatos, cum facta per eumdem tot oppidorum accessione, provinciæ fines longe lateque protulerint.

Habes, vir eximie, meum de Garnerii notis ad utramque epigraphen epistolarum concilii Carthaginensis, itemque Milevitani judicium; in qua quidem censura levi, ut aiunt, brachio easdem repastinavi. Profecto dum leges hunc scriptorem tot Africæ urbes confudisse, multas ignorasse, quasdam nuper excitasse, plurimas in alienæ diœceseos jura transcripsisse, episcoporum eorumque urbium nomina pro libito variasse, binos subinde catholicos antistites uni eidemque oppido præfecisse, defunctos dudum præsules præsentes synodis finxisse, et Donatistas pro orthodoxis Patribus obtrusisse; dum, inquam, hæc portenta leges, jure optimo pronuntiabis in Garnerium, cum opus quod *a nemine hactenus tentatum* scribit, illotis, ut aiunt, pedibus aggressurus, in Africam transmitteret, illud Augusti apophthegma regeri potuisse, qui, teste Macrobio lib. II Saturnal., cap. 4, Nomenclatori suo satis oblivioso dixit : *Accipe commendatitias, quia illic neminem nosti.* Plinius ille noster Veronensis lib. XV, cap. 18, scribit recentes ficus e Carthaginensium hortis tridui tantum navigatione Romam delatas, ac Patribus conscriptis a Catone ostensas, senatusconsultum de æmula ac Latino nomini semper infesta, urbe evertenda, invitis fere extorsisse. Hinc ipse pariter recentes geographiæ fructus, quos, te jubente, in Africa parumper censorio stylo versatus decerpsi, tuis oculis subjicio, quo tot urbes nuper a Garnerio per Africam exstructas, non dicam solo æquandas decernas, sed quod aeriæ prorsus sunt, unico oris flatu dispergas. Ille tamen testatur, *non sine cura et labore* se aggressum opus, *quod hactenus tentavit nemo.* In quæ Garnerii dicta libeat hoc rudi carmine ludere.

Mercatoris opus, tantis quod mercibus auctum,
Plurima Garneri *cura laborque* fuit.
Exstruit hic urbes : alias e sede revulsas,
Per Libyæ celeres currere regna jubet.
Jus habet in Manes; quando ad suffragia mittit
Quos olim e vivis abstulit atra dies.
Orpheus huic cedit : minor est Amphiona laude.
Quod semel his actum, sæpius ille facit.

Hic tamen te monitum velim, ne feliciori aliis in scriptis Garnerii eruditioni quidpiam per me detractum putes; illum enim tanti facio, ut si ejusdem de rebus Pelagianis commentaria historiam quam de eadem hæresi hoc anno Patavinis typis excusam emisi, prævenissent, mea statim scripta (quod sincere affirmo ac sancte juro) in angulum omnino projecissem; etenim plurima quæ me primitus ea de re publicaturum arbitrabar, tam feliciter assecutus est, ut dubio procul plagii reus delatus fuissem, si post vulgatum Garnerii volumen eadem repetere ausus essem. Fateor me in quibusdam ab eo dissentire, et, ut cætera sileam, nequeo approbare ejusdem emendationem qua litterarum antistitum Pelagianorum textum corrigit. Nam dissert. 5 ex schedis a magno Sirmondo Veronæ Venetiarum urbe intra diœcesim patriarchæ Aquileiensis inventis, sibique communicatis, recitat libellum fidei Pelagianorum, quem scribit a Juliano Eclanensi ad sedem apostolicam missum, in quo cum prope finem hæc legantur : *Illud etiam, sancte ac venerabilis frater et pater Augustine, necessario respondendum putavimus;* et certum sit, ut optime probat, hæc illos non scripsisse ad S. Augustinum Hipponensem, putavit errorem in vetustissimum codicem irrepsisse, ac pro *Augustino* Zosimum papam reponendum; etenim Pelagianos episcopos rescribere ibidem ad suum primatem, a quo hæresim illam damnare per litteras jubebantur, idem Garnerius luculenter demonstrat. Labitur tamen vir eruditus; nam id temporis celebris erat Augustinus Aquileiensis primas Venetiarum, Histriæ, Norici utriusque et Rhætiæ I. Audi Henricum Palladium, quo nemo diligentius aut elegantius Aquileiensium res in litteras misit : *Post Chromatium*, inquit, *eligitur patriarcha Augustinus, quo tempore alter Augustinus Hipponensis episcopus eloquentiæ et doctrinæ fluminibus hæreticorum vesaniam in Africa obruebat.* In aula patriarchali apud Utinum omnium Aquileiensium primatum elogia grandioribus, et plusquam uncialibus characteribus antiquitus descripta leguntur. Porro ibidem post Chromatium Augustino hoc epigramma inscribitur :

AUGUSTINUS URBE ROMA A GOTHIS DEVASTATA CONSTERNATOS AQUILEIENSIUM ANIMOS JEJUNIIS ET SUPPLICATIONIBUS SACRIS AD DIVINAM OPEM IMPLORANDAM EREXIT.

Scribit ibidem Palladius Augustinum Aquileiensem sedem indeptum fuisse anno 414, eamque cum vita reliquisse anno 422, dato eidem Adelpho successore. Errorem Ughelli in utroque primate haud suo loco statuendo, scis me adnotasse lib. II Hist. Pel., cap. 12. Cum Zosimus anno 418 Pelagianos damnasset, encyclicas ad Aquileiensem et Mediolanensem primates misit, ut easdem suis in diœcesibus publicarent; quemadmodum paulo antea damnatis Romæ ab Anastasio papa Origenistis, Chromatius Aquileiensis Augustini decessor, et Venerius Mediolanensis acceptis ab apostolica sede litteris, itidem in suis diœcesibus per suffraganeos episcopos Origenistas proscribendos curaverant, teste Hieronymo lib. II apologiæ contra Rufinum. Hinc Augustinus primas Aquileiensis apostolicæ sedis contra Pelagianos decretum cum litteris ad suarum provinciarum episcopos misit; quorum nonnulli, cum Pelagianis erroribus tenerentur, memoratum fidei libellum ad Augustinum primatem dederunt. Quam vero altius in diœcesi primatis Aquileiensis apud ecclesiasticos præsertim, Pelagiana hæresis radices fixisset, constat ex litteris Septimii Altinatis ad S. Leonem Magnum, et hujus rescriptis ad primatem Aquileiensem; de quibus fusius egi in eodem libro de Hæresi Pelagiana.

Ad Garnerium redeo. Hic in suis notis publicandis *nonnullam ab eruditis lectoribus gratiam iniri* posse sperabat; verum tam infeliciter ea in re calculos posuit, ut in lucri loco eidem reponendum videatur, si tam densæ errorum farragini veniam a lectoribus impetret. Hinc fatearis necesse est, viros eruditos quandoque, ut tuo verbo utar, paratragœdiare, ac suis ipsorum scriptis nimium lenocinari; eadem confidenter æque ac audacter in oculos manusque hominum mittentes, quæ tamen e re ipsorum esset scrinio claudere, ac blattis corrodenda relinquere. Et quidem, ut de me loquar, non quod in eruditorum numerum venire ausim, sed quia indoctorum, ut ait poeta, volumina passim scribentium turmæ accenseor; existimabam me cæteris diligentius in Pelagiana Historia chronologiam tractasse; sed quantum mea me opinio fefellerit statim intellexi: siquidem vel in ipso limine in prochronismum impegi. Nam in priori pagina scripsi cum Baronio S. Athanasium anno 372 diem obiisse; imo, quod cum pudore dico, laudans Proterii Alexandrini paschalem ad Leonem Magnum epistolam, cum ibidem ex epocha Diocletiani, et charactere paschali evidenter deducatur, anno insequenti ejusdem obitum statuendum fuisse. Plures meis in libris errores invenient rigidi censores, quorum agmen me manet: quibus, ubi me allucinatum ostenderint, gratias plurimas referam, quippe qui non mea, sed ipsorum cura ac labore, non dicam doctior, sed minus indoctus fiam; illud enim subinde Senecæ dictum repeto ex cap. 18 de Vita beata, *Cum vitiis convicium facio, imprimis meis facio.* Tu quidem, vir clarissime, securus ab hoc discrimine evades, qui magnum philosophum Socratem imitatus, nihil non dicam in litteras, mittis, sed quod in te mirari tam sæpe solitus sum, tenacissima memoria fultus, succenturiatis quibusque ejusdem præsidiis dimissis, ne verbum quidem unicum stylo alligas; sed volumina devorans, tibi Musisque instar Aspendii canis, publici judicii aleam refugis, et nullo scribendi cacoethe titillaris. Hinc te felicissimum puto, qui procul ab invidorum censuris, eximiis erga litteratos officiis nomen tanto nobilius posteritati propagasti, quanto dignius est factis potius quam dictis nomen in ævum extendere. Plura justæ molis volumina Gallorum ac Batavorum typis excusa, ac tibi certatim honoris gratia nuncupata, tot elogia ab eruditis quibusque Italis suis in libris tibi passim inscripta sunt, ut nullus posterorum quibus bonæ artes in amore erunt, ignorare unquam possit, vixisse Antonium Magliabecum, de litteraria republica ad invidiam usque benemeritum: ut illa tantum postrema tuo nomini dies stare posse videatur, quæ pessimo mortalium fato librorum ac litterarum omnium altam oblivionem inducat. Ego sane nullum grati animi officium missum faciam, quo tibi quantulascunque vices rependam. Etenim non modo prior doctissimis ac humanissimis litteris me convenisti, verum etiam illustrissimi senatoris et equitis Ferrantis Capponii generis nobilitate, rerum agendarum peritia, juris utriusque scientia, et magna etiam apud principem gratia conspicui, operam rogasti, ut in Etruriam sacræ eruditionis professor vocarer. Annuit omnium gratiarum vir, quo ad beneficia pronior ne voto quidem fingi potest; sciebat enim serenissimo cardinali Leopoldo (quo in nomine magnum Mediceæ gloriæ incrementum, et litterarum æque ac litteratorum cultorem et Mæcenatem incomparabilem orbis veneratur) nihil esse antiquius, quam ut historia sacra, quæ apud nostrates exsilium pati videbatur, patriam in Etruria cum honore reciperet. Hinc amplissimi senatoris opera factum est, ut serenissimus magnus Etruriæ dux Cosmus Ecclesiasticam Historiam, quæ publicis sapientum conventibus exclusa, cum umbraticis quibusdam hominibus in Italia sub paupere tecto hospitabatur, regia manu prehensam, in Pisanum Atheneum, hoc est, in suam omnium scientiarum regiam introduxerit, insignemque eidem cathedram inauguraverit. Cum sapientissimus idemque prudentissimus princeps optime intelligeret unam historiam magnorum regum nomina ad posteros cum laude transmittere, eamdem tam nobili judicio ac generosa munificentia demereri voluit: ut quando illum suprema et seris tantum nepotibus nota dies cœlo inseret, historiæ munere in Etruscæ gentis desideriis, in omnium populorum qui litteras extra barbariem norint, animis perenniter vivat. Et licet illum ingens erga superos religio, rarus in subditos amor, eximius litterarum cultus, ac sollicita felixque gerendi imperii cura jam pridem orbi universo spectabilem fecerint, ac grande iis qui sceptra moderantur exemplum posuerint; grato tamen historiæ obsequio ultra ævum per ora hominum

feretur, iisdemque quibus virtutum ac litterarum notitia, spatiis pervagabitur. Cæterum cum singuli felici Ecclesiasticæ Historiæ sub Maximo principe sorti adgratulentur, ipse hoc unice doleo, quod me nulla sacræ eruditionis supellectile ornatum, ejusdem Historiæ primum in Pisana Academia interpretem designavit; vereor enim ne cum sublimis sit historiæ majestas, interpretis vitio minor esse videatur. Unus tamen, vir undequaque eruditissime, ingentem animi molestiam minuis, dum e locupletissima bibliotheca, quæ domi tuæ atrium, cubicula, angulos quosque occupat, libros subinde ad me transmittis, ut tantæ eruditionis suppetiis firmatus, animum non despondeam. Te interim precor, ut me serenissimo domino qui te æque ac litteras amat, commendatum facias, ut tanti principis patrocinio fultus, felici faustoque auspicio demandatum munus aggrediar. Vale ac me, ut soles, ama.

## ANIMADVERSIONES IN EAMDEM EPISTOLAM.

Epistola 175. Inscriptiones hujus epistolæ et sequentis copiose explicuit eminentiss. cardinalis, contra Joan. Garnerium. Sed cum ad ipsas epistolas nihil dixerit, nonnulla ad eas monebimus ad doctrinam quam complectuntur pertinentia. Quamvis enim, ne quis calumnietur candorem nostrum, multa sint quæ improbamus in doctrina Pelagii ejusque sequacium, adversarii tamen ejus non ita sese gesserunt ac ratiocinati sunt, ut possint etiam a nobis per omnia probari. Damnatus quidem ille est et conviciis exagitatus ab omnibus, etiam quibus ejus dogmata ignota erant, ex quo est ab Africanis episcopis infamatus; sed nulla hominum damnatio efficere potest ut quod verum fuit falsum fiat, et vice versa nullæ hominum laudes ex errore veritatem faciunt. Præterea notum est in magnis cœtibus res magnis affectibus dijudicari; nec in re sat difficili facile fuit verum a falso secernere omnibus illis Africanis episcopis, quorum nonnulli ne scribere quidem potuisse dicuntur 1 collat. Carthag. c. 133, et doctissimi, præter dicendi facultatem, pro modulo illius ævi, quid eximium habuerint non video. Non dicerem hæc, nisi viderem multitudine et auctoritate, multo magis quam rationibus pugnari.

Ibid. § 2. *Id agunt isti* (Cœlestius et Pelagius) *damnabilibus disputationibus suis, ut non defendendo, sed potius in superbiam sacrilegam extollendo liberum arbitrium, nullum relinquant locum gratiæ Dei, qua Christiani sumus.* ] Non capio qui in superbiam extollerent liberum arbitrium, et quidem adversus Deum, qui fatebantur eum creatorem esse humanæ naturæ omniumque ejus facultatum, adeo ut ei debeant homines quidquid habent boni, et ab eo quasi ab omnium rerum domino pendeant; hominem vero, cum natura sua minime peccator esset, sua unius culpa in peccatum esse delapsum et delabi, non vero Dei, quasi illi negasset quæ necessaria erant ad vitandum peccatum; nec eo secius Deum voluisse ei ignoscere peccata et æternam vitam largiri, cum contraria omnia meritus esset, si modo Evangelio pareret, misso ei, ex mera gratia, servatore Jesu Christo, qui gratiam illam Dei ei annuntiaret, et ad officium misericorditer revocaret; neve homo parum credibile esse censeret, quod ille nuntiabat, addidisse Christum miracula, quibus fidem sibi vel apud pertinaces faceret; interdum etiam auxilium suppeditare quo animos hominum illustrat, quamvis non necessario adducat ad credendum; quin et per baptismum homines regenerari, et filios Dei fieri. Quod a Pelagio dictum multis ostendit Dionys. Petavius in Historia Dogmatum Pelagianorum, quæ est tom. III Dogm. ejus theologicorum ed. Amstelodamens s. Hoc unum dicebat Pelagius pendere ab homine quod *posset* recte uti aut abuti tot divinis beneficiis; qua in re, quamvis summopere vituperandi sint qui beneficiis Dei abutuntur, non sunt admodum laudandi, si rigidi censores naturæ nostræ esse velimus, qui iis recte utuntur; nam quod possint hoc præstare, totum muneris est divini, nec mirum est eos felices esse malle in æternum, quam miseros. Furiosum quidem est et impium, Deo vitam et mortem offerente, eligere mortem: at profecto non est eximiæ cujusdam prudentiæ et virtutis malle vitam. Quis superbiat ob sapientiam et acumen, quod maluerit vivere quam mori? Est igitur, ex sententia Pelagii, cur Deo gratias agant homines, sed non cur sibi placeant ac plaudant. Africanæ aut Punicæ rhetoricæ exaggeratio fuit, cum liberum arbitrium *in sacrilegam superbiam* extollere dictus est. Quam facile fuit Pelagio premere contrarias partes invidiosis consectariis, Deum jubere impossibilia, æternis pœnis afficere homines quod impossibilia non præstitissent, aliisque id genus, quibus excusatur hæc homo, ac tota culpa in Deum conjicitur? Humilitatis Christianæ esse putabant, si Deus omnium bonorum auctor fieret; et quidem merito; at non ita id intelligi oportuit, ut fieret eadem opera iniquus judex, quod Deo est contumeliosissimum. Ac sane hisce permota sæcula sequentia in Pelagii opinionem dilapsa sunt, quam etiam Augustino tribuerunt, cui ipsa Pelagii opuscula ascripserunt; quia non poterant sibi persuadere tantum virum quantum eum fuisse ex fama putabant, ejusmodi consectaria potuisse concoquere. Profecto si Africani illi Patres id fuissent quod videri volebant, gravibus illis Augustinianæ sententiæ incommodis probe pensitatis, sibi non liquere potius dixissent, quam tot damnationibus, quarum aliæ super aliis quaquaversum mittebantur, doctrinam non intellectam damnassent.

Pergunt hisce verbis: *Qua et ipsum nostræ voluntatis arbitrium vere fit liberum, dum a carnalium concupiscentiarum dominatione liberatur, dicente Domino:* Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis; *quod auxilium fides impetrat quæ est in Christo Jesu Domino nostro.* Non dubitabant Pelagiani quin divina gratia homines a peccatis liberarentur, si modo ea recte uterentur. Sed putabant homines ea posse abuti, ac præterea neminem esse usque adeo mancipatum peccato, ut gratia illa excitari nequeat, ad servitutem

illam fugiendam. Sed quid sibi volunt boni Patres Africani quando addunt, *quod auxilium fides impetrat?* Id enim auxilium quod fides impetrat, non est gratia *qua fimus Christiani*, quæ antecedit fidem, non eam sequitur; nam quando credidimus et fide aliquid a Deo impetramus, jam sumus Christiani. Redolent illa verba semipelagianismum, aut simile quidpiam. Itaque aut boni illi viri nondum satis intelligebant doctrinam Augustini, aut est hoc additamentum; cum, ut adnotant Benedictini, in duobus mss. codd. desint.

*Isti autem asserunt, sicut a fratribus qui eorum libros legerunt cognovimus, in eo Dei gratiam deputandam, quod talem hominis constituit, creavitque naturam, quæ per propriam voluntatem legem Dei possit implere, sive naturaliter in corde conscriptam, sive in litteris datam. Eamdem quoque legem ad gratiam Dei pertinere, quod illam Deus in adjutorium hominibus dedit.* Si credimus auctori Prædestinati, in prima synodo Carthaginiensi, quinquennio ante habita, *obtulerunt* Cœlestio *libros suos*, in quibus Pelagiana dogmata explicabat. Quod si verum esset, non mirari sane non possemus Carthagine non asservatos fuisse libros illos, ut quam jure damnatus ille esset liqueret; utque contra eum, ubi usus postularet promerentur. Sed parum hoc credibile est, cum Cœlestium hic Patres Carthaginienses damnent, libris ejus minime inspectis. Verum et hoc mirum est, graves episcopos tam acerbas sententias in absentem dixisse, minime lectis ejus libris et recitatis duntaxat accusatorum litteris. Quæ ratio judicandi a nemine paulo æquiore defendi potest; præsertim cum difficiles quæstiones agerentur, in quibus facillimum erat sententiam non auditorum male intelligere. Itaque et æquius et prudentius se gessisset synodus, si judicium post lecta Pelagiana scripta distulisset. Ad id vero quod hic ex illis habet quod attinet, creationem ac legem *gratias* Dei esse, non potest hoc negari, cum sint hæc longe maxima Dei beneficia. Nisi enim nos ratione præditos Deus creasset, non possemus ei parere, neque beatitudine frui; nisi etiam legem evangelicam promulgasset, officium nostrum nobis parum notum fuisset, maximaque credendi incitamenta ac præstantissima præmia non haberemus. Profecto non capio cur spretim de hisce tantis Dei gratiis loquantur Africani Patres, nisi accedat afflatus nescio quis, cui resistere non licet, isque pauculis concedendus. Prioribus beneficiis refertæ sunt litteræ sacræ, adeoque perspicue de iis loquuntur, ut sine insania ab iis qui Scripturæ credunt negari nequeant: posteriorem vero frustra probare nituntur Patres Africani, nec quidquam proferunt, præter loca aut plane aliena ab eo quod spectant, aut summum ambigua. Hoc quoque merito desideres in hac eorum epistola, quod *gratiam* illam suam nusquam definiant, neque vocis ambiguitatem discutiant; quasi illo uno sensu quem volebant legeretur in Scriptura, satisque esset proferre loca in quibus exstaret, ut probaretur quod sentiebant. Aptum hoc est, fateor, ad movendam invidiam, at minime ingenuum accommodumque ad probandum quod volunt, apud homines veritatis solius amantes.

Ibid., § 3. *Illam vero gratiam qua, ut dictum est, Christiani sumus, cujus Apostolus prædicator est, dicens:* Condelector enim legi Dei, secundum interiorem hominem; video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me sub lege peccati, quæ est in membris meis. Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei, per Jesum Christum Dominum nostrum; *nolunt omnino agnoscere, sed nec aperte quidem oppugnare audent.* Verum in Pauli verbis, quid aliud est *gratia Dei*, quam *Dei misericordia*, aut *Dei beneficio?* Nemo contrarium unquam ex vi nativa vocis usuque probabit. Non negabat autem Pelagius homines Dei beneficio peccato eripi; sed negabat fieri id afflatu quodam interno, cui reluctari non liceret, et sine quo cætera omnia Dei beneficia inutilia essent. Oportebat Africanos præsules perspicue suam et Pelagii sententiam exprimere, ut quid sentiendum quidve damnandum, ex eorum sententia manifesto liqueret. Sed longe maximam partem Christianorum in se concitassent, si aperte dixissent quod sentiebant; neque enim ante hæc tempora, et ante definitiones Africanorum conciliorum, aliter de gratia homines senserant quam Pelagius.

Pergunt Carthaginiensis concilii Patres: *Sed quid aliud agunt, cum hominibus animalibus, non percipientibus quæ sunt Spiritus Dei, persuadere non cessant ad operandam perficiendamque justitiam, ac Dei mandata complenda, solam sibi humanam sufficere posse naturam?* Sed mandata Dei non sunt ejusmodi, ut omni vi destituta sint ad movendos hominum animos. Eorum maximus consensus cum recta ratione constitutioneque ipsa humanæ naturæ, magnifica præmia iis adjuncta, miracula quibus eis fides facta est, exempla sanctorum virorum, ac præsertim Christi, qui ea observarunt; hujusce vitæ miseriæ ac calamitates, quæ frustra beatitudinem, quam usque adeo optamus, in ea quæri ostendunt, aliaque id genus maximæ sunt efficaciæ ad revocandos, paulatim certe, homines ad bonam frugem. Sed *homo animalis* inquies, ut docet Paulus I Cor. II, 14, ad quem locum respiciunt Afri præsules, *non percipit quæ sunt Spiritus Dei.* Imo *non admittit*, οὐ δέχεται, hoc est, iis non assentitur, nimirum, dum est *animalis* sequiturque impetum brutorum, præsentia tantum et sensilia quærentium. At nihil obstat quominus intellecta et pensitata Evangelii præstantia, animalis homo ejusmodi esse tandem desinat. Præterea enim quæsiverim a Patribus Afris, an non Deus jubeat homines animales desinere animalibus cupiditatibus obsequi; an non mandata negligentes plectat, ac proinde excusari non posse censeat? Hoc si ita est, quod nemo Christianus neget, oportet ut habeant, aut possint ii homines consequi quæcunque sunt necessaria ad parendum; alioquin iniquum esset eis id imperare ad quod præstandum necessariis essent destituti subsidiis. Plura non addam: norunt enim quicunque hasce con-

troversias attigerunt, quæ hanc in rem soleant dici. Sed audiamus Afros episcopos ostendentes *solam naturam humanam* non sufficere ad parendum Evangelio circumstantiis quas antea memoravimus cincto et suffulto.

*Non attendentes quod scriptum est:* Spiritus adjuvat infirmitatem nostram (*Rom.* VIII, 26); *et :* Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei (*Rom.* IX, 16); *et quod* unum omnes sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra, habentes dona diversa, secundum gratiam quæ data est nobis (*Rom.* XII, 5); *et :* Gratia Dei sum id quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius omnibus illis laboravi; non ego autem, sed gratia Dei mecum (I *Cor.* XV, 10); *et:* Gratias Deo, qui dedit nobis victoriam, per Dominum nostrum Jesum Christum (*Ibid.* 57); *et:* Non quia idonei sumus cogitare aliquid, quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est (II *Cor.* III, 5); *et :* Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, ut eminentia virtutis sit Dei et non ex nobis (II *Cor.* IV, 7); *et innumerabilia talia, quæ de Scripturis omnibus si colligere velimus, tempus non sufficiat.* Recordandum hæc omnia proferri ut probetur *gratia* quam descripsimus, hoc est, internus afflatus isque necessarius, ut Christo credamus; nec dubium est quin potissima loca hæc esse putarint synodi Patres quibus Pelagianismus profligari poterat. Atqui ne unus quidem probat id quod volunt; quæ ratio citandi Scripturam fuit illorum sæculorum, quibus soni singulorum vocabulorum, quam sententiæ locorum, pro orationis totius serie, multo major ratio habebatur. Statim enim ac sonus verborum non prorsus abludere videbatur ab eo quod agebatur, res confecta putabatur, et probatum quod erat in controversia. Scilicet, declamitare, et effutire quidquid in os veniebat apud plebem excommunicandam, si forte a declamante dissentiret, multo facilius fuit, quam criticæ seriam operam dare. *Spiritus* qui *adjuvat infirmitatem nostram*, de quo Paulus, est qui est in jam credentibus, eosque in orationibus recte fundendis apud Deum adjuvat. *Non est volentis neque currentis, sed Dei miserentis*, quod verbum Dei mittitur ad populum quempiam ad cognitionem ejus vocandum; sed quid hoc facit ad afflatu singulorum? *Gratia* secundum quam sunt diversa dona non est gratia qua singuli fideles ad Deum conversi sunt, sed beneficentia varia Dei, qua aliis alias dotes concesserat; seu solita sua providentia, sed extraordinaria spiritualium donorum effusione. *Gratia Dei*, qua Paulus *erat id quod erat*, hoc est, apostolus, est Dei misericordia et munificentia, qua eum ei muneri sustinendo necessariis donis instruxerat; nec quisquam unquam negavit a Deo per Jesum Christum nobis dari de peccato victoriam, ac esse cur propterea ei gratias agamus; verum hoc factum afflatu interno et ineluctabili, nusquam docet Scriptura. *Sufficientia* sane omnium Christianorum, ad cogitandum aliquid Evangelio consentaneum, est a Deo; quis enim nescit Evangelium non ingenio hominum, sed Deo deberi? At apostolorum præsertim *sufficientia*, ad munus ad quod vocati fuerant sustinendum, non humana, sed divina fuit. *Thesaurus* denique *in vasis fictilibus* de quo Paulus, sunt dona apostolica, ut liquet ex serie contextus. Si oculi non plane negligenter conjiciantur in loca allata, verissima esse omnia ac manifestissima quæ diximus comperientur; unde intelligere licebit bonos illos Patres Africanos parum aptos fuisse Scripturarum interpretes, ac proinde meram eorum auctoritatem levis ponderis esse oportere.

Ibid., § 4. *Consideret sanctitas tua et pastoralibus nobis compatiatur visceribus, quam sit pestiferum et exitiale ovibus Christi, quod istorum sacrilegas disputationes necessario consequitur, ut nec orare debeamus ne intremus in tentationem; quod Dominus et discipulos monuit, et posuit in oratione quam docuit; aut ne deficiat fides nostra, quod pro apostolo Petro se rogasse ipse testatus est.* Non necessario hoc sequitur, nam particula illa orationis dominicæ, aut preces Christi pro Petro non significant id quod innuunt Patres, quasi hoc sibi vellent : o Deus, fac afflatu interno, cui resistere nequeamus, ut tentationem vincamus; quidni enim Deus potest impedire ne succumbamus tentationi, ipsam tentationem minuendo, ac temperando, ita ut vires nostras non superet? Novit ille quam firmi aut quam infirmi simus, melius quam nos, potestque ea amoliri quibus ægerrime pares essemus si adessent; et quibus remotis, facile in pietate constantes sumus. *Si enim hæc possibilitate naturæ et arbitrio voluntatis*, inquiunt tamen Afri, *in potestate sunt constituta, quis non ea videat a Deo inaniter peti, et fallaciter orari, cum orando poscuntur quæ naturæ nostræ jam ita conditæ sufficientibus viribus obtinentur?* At quamvis forte concederet Pelagius nullam contingere tam atrocem tentationem cui resistere nequeamus, natura Evangelio illustrata et emendata; non negabat tamen, nec negare poterat in periculo constitutis ad Dei auxilium, etiam extraordinarium, esse confugiendum, duabus de rationibus. Primo tametsi viribus semel a Deo concessis, et confirmatis promissis divinis, resistere tentationi possumus; possumus etiam in ea cadere, quod non ita facile contingit cum inusitato Dei auxilio quodcunque sit (modo ne sit ineluctabilis afflatus) adjuvamur. Quis autem in periculo non sibi optet non modo quod est prorsus necessarium, sed etiam quam maximas vires, ut facilius et securius sese eo expediat? Deinde inter ipsas vires, quas Deus Christianis sufficientes largitur, nihil vetat, pro magnitudine periculorum, inusitata auxilia haberi. Itaque non potuit merito insimulari Pelagius, quasi doctrina sua orationis usum sustulisset.

Ibid., § 5. *Contradicitur etiam istorum contentione benedictionibus nostris, ut incassum super populum dicere videamur quidquid eis a Domino precamur, ut recte ac pie vivendo illi placeant, vel illa quæ pro fidelibus precatur Apostolus, dicens :* Flecto genua mea ad Deum Patrem Domini nostri Jesu Christi..... ut det

vobis secundum divitias gloriæ suæ, virtute corroborari per Spiritum ejus. *Si ergo volueri:nus benedicendo super populum dicere :* Da illis, Domine, virtute corroborari per Spiritum tuum; *illorum nobis disputatio contradicit, affirmans negari liberum arbitrium, si hoc a Deo poscitur, quod in nostra est potestate : virtute enim si corroborari volumus, inquiunt, possumus ea possibilitate naturæ quam nunc non accipimus, sed cum crearemur accepimus.* Quasi vero innumera non sint, præter creationem, quæ a Deo petere possumus, ut curriculum pietatis constanter decurramus, quæ tamen minime sunt ineluctabilis afflatus! Semper quidem est saluti incumbendum, *cum timore et tremore*, quia quamvis Deus *faciat velle et perficere in nobis*, possumus omnibus auxiliis abuti; sed minus tamen timendum nobis est, cum Deus amovet a nobis plurima quæ in hac vita virtutem nostram labefactare possent. Is metus eaque ejusmodi auxilii divini invocatio cum libero arbitrio optime consistunt. Hic possemus, nomine Pelagii, objicere Afris, ex eorum sententia a Deo nihil potuisse peti; cum reprobis quidem necessaria negare, electis vero omnia concedere, etiam non petentibus, ab æterno decreverit. Sed fatendum homines non semper convenienter dogmatibus suis se gerere; nec sunt insimulandi, nisi eorum quæ faciunt.

Ibid., § 6. *Parvulos etiam, propter salutem quæ per Salvatorem Christum datur, baptizandos negant, ac sic eos mortifera ista doctrina in æternum necant, promittentes, etiamsi non baptizentur*, etc. Fatentur tamen postea Cœlestium fassum esse *per baptismum Christi parvulorum fieri redemptionem. Sed multi*, inquiunt, *qui illorum perhibentur esse vel fuisse discipuli hæc mala, quibus fundamenta Christianæ fidei conantur evertere, quacunque possunt affirmare non cessant.* Quid de singulis quæstionibus quæ de baptismate proponi possent, censuerit Pelagius nescio; sed hoc scio, ex Novo Testamento probari nullo modo posse necessarium esse baptisma saluti infantium, aut præceptum esse a Christo eos baptizari. Itaque nonnisi absurde *fundamenta fidei* vocare potuerunt Afri ea de quibus altum est in Novo Testamento silentium. Attamen, ut jam alibi dixi, non damno baptisma infantium; quod esse queat, si velimus, non tantum professio fidei parentum, sed et symbolum redemptionis infantium, non quidem a peccato, quo carent, sed a vanitate cui cum cæteris creaturis subjacent, et a qua liberabit eos Christus in ultima resurrectione.

Epistola 176, § 2. *Cum Dominus docuerit ut dicamus :* Dimitte nobis debita nostra, *etc., isti dicunt posse hominem in hac vita, præceptis Dei cognitis, ad tantam perfectionem justitiæ suæ, sine adjutorio gratiæ Salvatoris, per solum liberum arbitrium pervenire, ut ei non sit jam necessarium dicere*, Dimitte, etc. At non dicebant quemquam per totam vitam immunem prorsus peccatorum vixisse, excepto uno Christo; unde sequebatur neminem esse, ex eorum sentientia, qui non deberet dicere : *Dimitte*, etc. Nam ad finem usque vitæ peccatorum semel admissorum veniam petere omnes necesse habemus. Hæc ergo est invidiosa criminatio, qualis est et sequens : *Illud vero quod sequitur*, ne nos inferas in tentationem, *non ita intelligendum tanquam divinum adjutorium poscere debeamus, ne in peccatum tentati decidamus, sed hoc in nostra esse positum potestate.* Quamvis, ex Pelagii sententia, gratiæ cœlestes neminem adigant ad officium attamen non parum in tentatione juvant, ac sine iis in gravibus tentationibus homines succumberent. Quare a Deo, uti putabat, erant auxilia illa petenda. Igitur frustra contra eum addunt Numidæ episcopi : *tanquam frustra Apostolus dixerit :* Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei; *et :* Fidelis Deus, qui non permittet vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam exitum, ut possitis sustinere. *Frustra etiam Dominus dixerit apostolo Petro :* Rogavi pro te, ne deficiat fides tua; *et omnibus suis :* Vigilate et orate ne intretis in tentationem; *si hoc totum est potestatis humanæ.* De primo loco Rom. IX, diximus ad antecedentem epistolam. Secundus, I Cor. X, 13, plane contrarius est sententiæ Augustini, cum doceat Paulus Deum adjuvare fideles, non ut ineluctabili afflatu acti sustineant tentationem, sed ut *possint sustinere*, quod solum promisit Deus. De cæteris etiam antea egimus.

Ibid. *Pueros quoque parvulos, etsi nullis innoventur Christianæ gratiæ sacramentis, habituros vitam æternam, nequam præsumptione contendunt, evacuantes quod dixit Apostolus* (*Rom.* V, 12) : Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt; *et alio loco* (I Cor. XV, 22) : Sicut in Adam omnes moriuntur, sic et in Christo omnes vivificabuntur. ] Existimabam legendum in loco Rom. V, *mors pertransiit*, nam vox θάνατος est in omnibus Græcis exemplaribus; sed et alibi perperam ita profertur hic locus ab Augustino, ut in lib. IV, contra duas epist. Pelagianorum, num. 7. Atque ex hac omissione perperam etiam argumentatur. Verum hujus loci sensus est : *ut per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors : ita etiam mors in omnes homines pertransiit, quia omnes peccarunt*, Nam οὕτως καὶ, *sic et*, perinde est ac καὶ οὕτως, *et sic*, ut Luc. XVII, 24, 26; Jac. II, 26. Deinde Ἐφ' ᾧ est *quia* vel *eo quod*, non *in quo*, ut II Cor. V, 4; Phil. III, 12. Quod viri doctissimi dudum ostenderunt, ut et hic agi de peccato actuali, cujus capaces non sunt infantes. Locus alter I ad Cor. nihil ad rem facit. Vult enim Paulus, ut unus Adamus mortem introduxit in mundum, omnibus qui eum imitantur morientibus : sic quoque Christum beatam resurrectionem allaturum omnibus qui ei parebunt. Nullus hic sermo de peccato infantium, qui conditione naturæ, quia hominibus mortalibus nati sunt, non quasi supplicio de iis sumpto, moriuntur; ut ostenderunt doctissimi theologi quos non memorabimus.

Epistola 177, § 2. *His auditis verbis* (Pelagii *gra-*

*tiam Dei* se agnoscere profitentis) *catholici antistites* (in Diospolitana synodo) *nullam aliam Dei gratiam intelligere potuerunt nisi quam in libris Dei legere et populis Dei prædicare consueverunt; eam utique, de qua dicit Apostolus* (*Gal.* II, 21) : Non irritam facio gratiam Dei. Nam si per legem justitia, ergo Christus gratis mortuus est; *sine dubio gratiam qua justificamur ab iniquitate, et qua salvamur ab infirmitate, non qua creati sumus cum propria voluntate.* ] Verum non sola creationis beneficia agnovit Pelagius, ut sæpius diximus, verum etiam evangelica omnia; sed non gratiam illam efficacem Augustinianam, ante eum incognitam, præsertim in Oriente. Itaque Joannes Hierosolymitanus Pelagium orthodoxum esse censuit, ut ex P. Orosio satis liquet. Locus Pauli nihil facit contra Pelagium, cum *gratia Dei* ibi sit Evangelium, aut evangelica œconomia, qua Deus justos censet, non eos qui peccato carent, sed qui Evangelio parent; quamvis anteacta eorum vita vitiis inquinata fuerit, nec sine lapsibus variis reliquam ætatem traducant. Eo sensu, semper sumitur *gratia*, quando opponitur *Legi*, quæ ex Judæorum sententia, contra quos Paulus disputat, summam perfectionem postulabat. In hac autem disputatione Epistolæ ad Galatas, ut et in simili, quæ legitur in Epistola ad Romanos; perpetuo *gratia* opponitur *legi* et *operibus*, hoc est, misericordia rigori, imperfecta observatio mandatorum Dei perfectæ sanctitati. Meridiana luce hoc clarius est, nec recentiorum interpretum quisquam rem non vidit. Itaque sensu Augustiniano hic minime sumitur, ut nec usquam alibi in Scriptura. Quamobrem testimonia allata § 8 omnia sunt extra rem. Qui tam negligenter legebant Scripturam, et tam oscitanter laudabant, eos nobis quasi egregiorum interpretum exemplaria proponi quis ferat? Quis quasi dogmata ad salutem necessaria, ut putabant, ex locis tam male intellectis deducta, imponi sibi patiatur?

Ibid., § 18. *Sed quoquomodo se habeat ista quæstio, quia, etsi non invenitur in hac vita sine peccato, id tamen dicitur posse fieri per adjutorium gratiæ et Spiritus Dei; quod ut fiat conandum atque poscendum est, tolerabiliter in eo quisque fallitur, nec diabolica impietas, sed error humanus est.* ] Videtur hic distinguere gradus errorum Augustinus, quod et alibi facit; sed debuisset etiam ubique distinguere gradus necessitatis in dogmatibus, nec quasi prorsus necessarium obtrudere, quod quamvis verum esset, nullo Scripturæ loco necessario nobis credendum imponitur, nec indivulso nexu cum necessariis dogmatibus conjunctum est.

Epist. 181, § 1. *Ad nostrum referendam approbastis esse judicium, scientes quid apostolicæ sedi, cum omnes hoc loco positi ipsum sequi desideremus Apostolum, debeatur*, etc. Paulo post : *Vel id vero quod Patrum instituta sacerdotali custodientes officio non censetis esse calcanda, quod illi non humana, sed divina decrevere sententia, ut quidquid quamvis in disjunctis remotisque provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, nisi ad hujus sedis notitiam perveniret; ut tota hujus auctoritate, justa quæ fuerit pronuntiatio firmaretur, indeque sumerent cæteræ Ecclesiæ*, etc. ] Dignum est observatu quam avide et callide arripiat sibi Innocentius jus quoddam ex Africanorum præsulum facto, quod ita interpretatur, quasi ausi non essent damnare Pelagiana dogmata eo inconsulto; cum ea prorsus damnassent, et, invito etiam Zosimo, Innocentii successore, postea damnarint. Notum etiam est, non tantum temporibus Cypriani, sed et hisce quoque Afros episcopos nulla ratione pendere voluisse a judiciis episcoporum Romanorum, ut liquet ex controversia de appellationibus transmarinis hoc ipso tempore nata. Hæc epistola tumida est declamatiuncula in eos qui negassent auxilium Dei esse necessarium ad pie vivendum; sed non definitur ratio et genus auxilii, quo factum ut postea Cœlestius hanc epistolam facile probarit.

Epist. 182, § 1. *Nam-ut durum arbitror conniventiam præbere peccantibus : ita impium judico magnum negare conversis.* ] Mendum hic est typographicum *magnum*, pro *manum*, ut liquet ex prioribus editionibus. Habet editio Erasmi *conhibentiam*, pro *conniventiam*, et sic etiam ea vox in codice Theodosiano scribi solet, ut observavit Jac. Gothofredus, cujus vide Glossarium Nomicum. Qui ita scribebant putabant dicendum *conhibeo*, non *conniveo*, sed male. In hac sententia Innocentii videtur etiam inversio esse, ita ut legendum forte sit : *Ut impium arbitror conniventiam præbere peccantibus; ita durum judico manum negare conversis.* Certe hoc postularet sermonis proprietas.

[Ibid., § 5. *Illud vero quod eos vestra fraternitas asserit prædicâre, parvulos æternæ vitæ præmiis, etiam sine baptismatis gratia posse donari perfatuum est. Nisi enim manducaverint carnem Filii hominis et biberint sanguinem ejus, non habebunt vitam in semetipsis* (*Joan.* VI, 54). *Qui autem hanc eis sine regeneratione defendunt, videntur mihi ipsum baptismum velle cassare, cum prædicant hos habere quod in eos creditur nonnisi baptismate conferendum.*] Verba quidem Christi Joan. VI de manducatione carnis ejus, ad baptismum pertinere non censebantur ab Innocentio, sed ad eucharistiam. Si autem statuas sine eucharistia neminem posse servari, quod doceri eo loco a Christo putabat, hinc sequetur sine baptismo vitam infantes consequi non posse; quia eucharistia iis dari non solebat nisi postquam baptizati fuerant. Eo manifesto respicit Innocentius, eaque consuetudine nititur vis ejus ratiocinationis. *Defendere parvulis vitam sine regeneratione*, est defendere hoc dogma, parvulis sine baptismo vitam dari. Notum est eo ævo datam infantibus eucharistiam, quasi necessariam ad salutem non aliter ac baptismum, quod ex loco Joannis male intellecto hauriebant veteres. Audi Augustinum lib. I de Merito peccatorum, cap. 20. *Dominum*, inquit, *audiamus non quidem hoc de sacramento lavacri dicentem, sed de sacramento sanctæ mensæ suæ, quo nemo rite nisi baptizatus accedit :* Nisi manducaveritis carnem meam et biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in

vobis. *Quid ultra quærimus? Quid ad hoc responderi potest?* etc. *An vero quisquam etiam hoc dicere audebit, quod ad parvulos hæc sententia non pertineat, posseque sine participatione corporis hujus et sanguinis in se habere vitam, quia non ait :* Qui non manducaverit, *sicut de baptismo :* Qui non renatus fuerit ; *sed ait :* Si non manducaveritis, *velut eos alloquens qui audire et intelligere poterant, quod utique non valent parvuli?* Duo hæc Joannis loca male explicata dudum ostenderunt doctissimi quique interpretes; unde sequitur ut perperam baptismus et cœna necessaria ad salutem habeantur. Vide et quæ habet Augustinus epist. 117, cap. 5. Sed hæc, hoc quidem in loco, non attingemus. Hoc tantum dicemus, liquere ex Innocentii verbis, non minus ac Augustini loco, eucharistiam necessariam ad salutem ab iis creditam. Scio aliter visum viris nonnullis doctissimis, sed profecto, non est hac in re quæsita ab iis veritas, sed quomodo Augustinum cum hodiernis placitis conciliare possent. Vide Vindicias Augustinianas emin. cardin. Henr. Norisii, cap. 4, § 4, ubi multis de hoc Innocentii loco.

Epist. 185, § 12, de Donatistis, qui sibi mortem inferebant : *Qui autem nesciunt consuetudinem illorum, putant eos modo seipsos occidere, quando ab eorum insanissima dominatione, per occasionem legum istarum quæ pro unitate sunt constitutæ, tanti populi liberantur.*] Hæc sunt accusatorie plane dicta; emollit enim Augustinus quæ contra miseros Donatistas fiebant, dum dicit *occasione legum* ereptos illis populos: cum debuerit dicere terrore legum et gravissimis pœnis, ut ostendimus ad epistolam 93. Deinde quod addit visuros eos iis qui eos non norant sibi violentas manus intulisse, quod populi liberarentur ab eorum dominatione, id est invidiose dictum. Quasi vero quisquam se occidat cui licet vivere et bonis suis tranquille frui, duntaxat quia munere ecclesiastico dejectus est! Non magis ecclesiastici Donatistæ dominabantur populis, quam catholici; nec quisquam suspicari poterat miseros homines tam levi de causa velle mori, cum præsertim constet eos tunc a magistratibus pessime habitos.

Ibidem. *Qui autem sciunt et ante ipsas leges quid facere soleant non eorum mirantur mortes, sed recordantur mores ; maxime quando adhuc cultus fuerat idolorum, ad paganorum celeberrimas solemnitates ingentia turbarum agmina veniebant, non ut idola frangerent, sed ut interficerentur a cultoribus idolorum. Nam illud si, accepta legitima potestate, facere vellent, possent habere qualemcunque umbram nominis martyrum ; sed ad hoc solum veniebant, ut integris idolis ipsi perimerentur. Nam singuli quique valentissimi juvenes cultores idolorum, quotquot occideret, ipsis idolis vovere consueverunt.*] Crediderim quidem nonnullos, inconsulta cupiditate martyrii, ethnicis sacris illusisse, ut ab iis interficerentur ; sed frequenter id contigisse, et præsentibus magnis Christianorum agminibus, cum imperatores Christiani essent, vix putarim. Neque enim licebat ethnicis impune Christianos occidere.

Ibid. *Quidam etiam se trucidandos armatis viatoribus ingerebant, percussuros eos se, nisi ab eis perimerentur, terribiliter comminantes. Nonnunquam et a judicibus transeuntibus extorquebant violenter ut a carnificibus vel ob officio ferirentur*, etc. *Jam vero per abrupta præcipitia, per aquas et flammas occidere se ipsos quotidianus illis ludus fuit.* Pauculos insanos in mortem temere ruisse non est incredibile, sed quotidiano ludo, sine ulla vexatione, hoc factum credant alii. Certe de hisce temporibus dici non potuit quibus Donatistæ acerbissime vexabantur; nec unquam adversario de inimicis credendum. Si enim non mentitur, affectu tamen multa dissimulat, minuit, aut auget, prout partibus quas sequitur conducit.

Ibid., § 19. *Quod enim dicunt, qui contra suas impietates leges justas institui nolunt, non petiisse a regibus terræ apostolos talia, non considerant aliud fuisse tunc tempus*, etc.] Jam hoc confutavi ad epist. 93, § 9. Alia etiam argumenta quam futilia sint ad eamdem epistolam ostendi. Non possum tamen non mirari hominem non hebetem potuisse ita affectu excæcari, ut, modo de Donatistis triumpharet, nihil pensi haberet an infamaret universam Ecclesiam Christianam, antequam essent imperatores Christiani, graviter semper de persecutionibus, quasi humanitati contrariis, conquestam. Si enim dicamus Christianos antiquiores ea tantum de causa vexationes damnasse, quod in ipsos exercerentur, non in ethnicos; cæterum si summam potestatem sibi faventem habuissent, superioresque ethnicis fuissent, ut sine periculo eos vexare possent, similia in eos continuo molituros fuisse quæ in ipsos ethnici fecerant; habendi erant antiquissimi Christianæ religionis patroni callidi dissimulatores, qui tempori duntaxat serviebant, cum damnarent quasi impia et inhumana quæ ipsi libentissime fecissent, si potuissent. Neque enim vetustiores Christiani damnabant persecutionem quam ipsi patiebantur, sed omnem omnino quæcunque esset. Quod si ethnici magistratus suspicati fuissent eos ideo tantum queri, quod ipsi non male haberent ethnicos, multo gravius et speciosius in homines sæviissent, quasi in seditiosos qui occasionem tantum vi evertendæ priscæ religionis, et male habendorum ei addictorum exspectabant; nec fuisset cur jure queri potuissent Christiani, nisi quod ab adversariis anteverterentur. Non poterant dicere Christiani se veritatis esse patronos, ethnicos mendacii; nam quamvis verum hoc esset, controversia illa etiamnum pendebat, dum ethnici contra sentiebant; armaque eis in Christianos, interea dum Christiani ipsi fierent, eis suppeditabantur, nam dum se pro veritate stare illi putabant, debebant, ex Christianorum sententia, vexare aliter sentientes. Si potuissent prævidere ethnici adfore aliquando tempus quo morte multarentur diis sacra facientes a Christianis imperatoribus, nec sine plausu episcoporum, licet alioquin in partes abiissent; Christianos infamassent, quasi factiosos et malos homines, qui non dicebant quod sentirent, cum religionem liberam esse oportere clamitabant. Sic tamen Augustinus epist. 93, § 10, alloquitur Donati-

stas : *Quis nostrum, quis vestrum non laudat leges ab imperatoribus datas adversus sacrificia paganorum? Et certe longe ibi pœna severior constituta est ; illius quippe impietatis capitale supplicium est.* Nec dubito quin ethnici qui supererant in imperio Romano, et vicini etiam idololatræ, ut Persæ, talia Christianis objicerent. Absit vero ut hæc probemus!

Epist. 186, § 37. *Natura humana, etiamsi in illa integritate in qua condita erat permaneret, nullo modo sibipsam, Creatore suo non adjuvante, servaret.* Definiendum erat quodnam auxilium Dei hic intelligatur, idque ex Scriptura non ambiguo loco probandum ; nam quis neget alioqui, si generaliter loquamur, semper creaturam indigere auxilio Creatoris ad salutem consequendam?

Epist. 187, § 5. *Quod vero illa animâ in infernum descenderit, apostolica doctrina prædicat*, etc.] Vide hac de re dicta ad epist. 164, ex quibus liquet Augustinum falli ; unde sequitur hic quoque eum a sensu verborum Christi aberrasse. De anima sua sine dubio loquitur Christus, cum qua latronis anima in paradiso fuit. De voce *Paradisus*, vide Hugonem Grotium ad hunc locum.

Ibid., § 33. *Quod in ea matum.*] Est in Græco Matthæi contextu cap. 1, 20, γεννηθὲν, *generatum*, quod obiter monitum oportuit ab Augustino. Sed forte neminem habebat ad manum qui Græce sciret, cum hanc conscriberet epistolam. Alioquin interdum non male ex Græca lingua quæstionibus respondet, ut infra epist. 197, ubi docet quodnam sit discrimen inter voces καιροί et χρόνοι.

Epist. 213, § 1. *Presbyterum Heraclium mihi successorem volo.*] Hæc sunt verba Augustini, successorem sibi designantis coram populo. Mirum est eum ignorasse illicitum hoc plane fuisse ex antiquis constitutionibus ecclesiasticis ; et qui fatetur § 4 se contra Ecclesiæ canones episcopum factum, vivo suo decessore, successorem etiam sibi elegisse contra eosdem. Canon apostolicus 76 ita habet : Οὐ χρὴ ἐπίσκοπον τῷ ἀδελφῷ, ἢ τῷ υἱῷ, ἢ τῷ ἑτέρῳ συγγενεῖ χαριζόμενον, εἰς τὸ ἀξίωμα τῆς ἐπισκοπῆς χειροτονεῖν ὃν ΒΟΥΛΕΤΑΙ : *Non oportet episcopum fratri, aut filio, aut alii cognato gratificantem, ad episcopi dignitatem quem* VULT *eligere.* Hæc ita concepta sunt verba, ut si episcopus conferat episcopatum fratri, filio aut cognato, sive in eorum gratiam alii, pro arbitrio, perinde peccet. Mirum est si non verba ipsa canonis nota fuisse Afris, at certe consuetudinem Orientalium in ea re non fuisse apud Afros receptam, cum gravissima ratione nitatur, quæ sic exprimitur in sequentibus verbis : Κληρονόμους γὰρ τῆς ἐπισκοπῆς ποιεῖσθαι οὐ δίκαιον τὰ τοῦ Θεοῦ χαριζόμενον πάθει ἀνθρωπίνῳ· οὐ γὰρ τὴν τοῦ Θεοῦ Ἐκκλησίαν ὑπὸ κληρονόμους ὀφείλει τιθέναι, εἰ δέ τις τοῦτο ποιήσοι, ἄκυρος μὲν ἔστω ἡ χειροτονία, αὐτὸς δὲ ἐπιτιμάσθω ἀφορισμῷ : *Episcopatus enim hæredes facere justum non est, ea quæ Dei sunt humano affectu largientem : non enim licet Ecclesiam Dei in hæredes conferre. Si quis autem hoc fecerit, irrita quidem electio maneat, ipse autem segregatione mulctetur.* Sic et Antiochena synodus, sub Constantio habita, cap. 23 sancit Ἐπισκόπῳ μὴ ἐξεῖναι ἀντ' αὐτοῦ καθιστᾶν ἕτερον ἑαυτοῦ διάδοχον, κἂν περὶ τῇ τελευτῇ τοῦ βίου τυγχάνῃ : *Episcopo non licere alium pro se constituere successorem, etiam si est circa vitæ finem.* Quod confirmationem esse memorati canonis apostolici observant Balsamon et Zonaras. Non opus est ut ostendamus quam gravia sint in contraria agendi ratione incommoda ; quam tamen ita secutus est Augustinus, ut pro imperio successorem sibi deligat voce VOLO ; quasi ne consensus quidem coepiscoporum fuisset necessarius, quod tamen statuit synodus Nicæna. Scio dicturos nonnullos ita solitum fuisse fieri in Africa ; nam ipse Augustinus in superioribus ait sua opera factum ut Milevitana Ecclesia episcopum acciperet quem decessor vivus apud clerum designarat. Addent, quamvis mali episcopi possent hac potestate abuti, bonos recte ea usos. Sed omnia illa sunt plena suspicionibus, nec putarim Afros meliores fuisse Græcis, qui periculosum putabant talia episcoporum arbitrio permittere. Vide de ejusmodi electione judicium Theodoreti Hist. Ecclesiast. lib. v, cap. 23.

Ibid., § 4. *Adhuc in corpore posito beatæ memoriæ patre et episcopo meo sene Valerio, episcopus ordinatus sum, et sedi cum illo ; quod concilio Nicæno prohibitum fuisse nesciebam, nec ipse sciebat.*] Est canon 8 Nicænæ synodi, ubi vetantur esse in una urbe duo episcopi. Ad quem locum vide adnotationes viri doctissimi Guilielmi Beveregii. Non intelligo qui usus ipse Ecclesiæ, ex quo constabat unum in singulis urbibus episcopum esse oportere, non monuerit Hipponensem hoc illicitum esse. Nam si collegam unum sibi adjungere licuit, quidni et plures? Quam magnam hoc aperuit fenestram adversariis Augustini, dicendi hominem sæpe in utilitatem suam errasse?

Epist. 217, quæ est contra Vitalem Pelagianum, qui contendebat Deum per verbum suum operari ut velimus. § 2. *Dic ergo*, inquit Augustinus, *apertissime pro iis quibus Evangelium prædicamus, non debere orare ut credant, sed eis tantummodo prædicare*, etc.] Sed præter nudam Evangelii prædicationem multa sunt alia quibus Deus solet hominum animos mollire, quæ tamen nunquam debent a prædicatione verbi sejungi ; quippe quæ, etiam cum alia adhibet, est peculiarissimum instrumentum quo Deus hanc in rem utitur. Illa autem alia sunt, exempli causa, vitæ calamitates, bona religiosorum hominum exempla, pœnæ de malis a Providentia sumptæ, consectaria virtutis et vitii etiam in hac vita, amotio tentationum, excitatio interna animi ad attentionem, exstinctio aut imminutio affectuum Evangelio contrariorum, aliaque ; quæ omnia multiplici Dei sapientia varie a Deo offeruntur hominibus, eorumque animis injiciuntur Quis enim novit quot modis Deus animos hominum aggrediatur? Nec quisquam negare queat quin Deus intrinsecus agere in animos hominum possit. Talia, quæ divinæ sapientiæ relinquuntur eligenda, a Deo petuntur, sed nullus ineluctabilis afflatus ; a Deo enim petuntur quæ solet ac vult facere, non quæ no

vult, neque solet. Quicunque preces aliter interpretantur, eas præter mentem fundentium urgent. Debent enim preces ejusmodi esse, quæ statuant Evangelii præcepta esse legitima, ac proinde posse ab omnibus quibus proponuntur observari; sin minus, Deo sunt, quem injustum faciunt, contumeliosæ. Non ita fas est interpretari religionem Christianam, ut dum aliquam ejus partem, ut tibi videtur, tueris, eam repugnantem cæteris facias. Potuit Vitalis convertere argumentum in Augustinum et dicere : Non debes Evangelium prædicare ex tua sententia, sed Deum orare pro hominibus; nam Deus omnia facit etiam sine verbo.

Ibid., § 16. Augustinus hic 12 capitibus complectitur doctrinam suam de gratia, quorum brevi examine ciaudemus quæ in hunc tomum II animadvertenda habebamus.

I. *Scimus nondum natos nihil egisse in vita propria boni, seu mali, nec secundum merita prioris alicujus vitæ, quam nullam propriam singuli habere potuerunt, in hujus vitæ venire miserias.* Hæc concessisset Pelagius, addidissetque singulos homines non tantum propriam vitam priorem nullam habere potuisse, ut putabant qui προϋπαρξιν animorum defendebant, ut Origenes; sed ne communem quidem, ut Augustinus, qui omnium hominum animos in Adamo fuisse credebat. Addit : *sed tamen secundum Adam carnaliter natos contagium mortis antiquæ prima nativitate contrahere.* Concessisset hæc quoque Pelagius, sed non omnia quæ sequuntur in hisce verbis : *nec liberari a supplicio mortis æternæ, quod trahit ex uno in omnes transiens justa damnatio, nisi per gratiam renascantur in Christo.* Dixisset enim 1° falsum esse transire damnationem ab Adamo in posteros, sed singulos qui damnantur, propriam ob culpam damnari; 2° renasci in Christo, hoc est, converti, si proprie loquamur, eos tantum qui mortui fuerunt in peccatis, sed non parvulos, qui nondum peccarunt.

II. *Scimus gratiam Dei, nec parvulis, nec majoribus, secundum merita nostra dari.* Ante omnia definienda fuisset accurate vox *gratia.* Intelligit, ut videtur, Augustinus afflatum illum qui certo, ex ejus sententia, peccatorem convertit. Pelagius quoque fateri, ex sua sententia, hoc potuit; nam Evangelii prædicationem cæteraque quæ Deus adhibet ad hominem primum convertendum nullis profecto meritis ab homine provocatus largitur. Sed si intelligas posteriora beneficia Dei, quæ jam credentibus dantur, ne Augustinus quidem negare potuisset ea meritis (hoc est, benefactis quæ Deus præmio afficere pro sua misericordia ac beneficentia decrevit) Deum concedere; nam constat habenti dari, ut diserte docet Christus, non habenti non dari. Infantibus secundum merita dari quidquam, ex sententia Pelagii, dici non potuit, cum infantes sint virtutis prorsus incapaces : ut nec etiam propter vitia, quæ non cadunt nisi in ratione utentes, plecti possunt.

III. *Scimus majoribus ad singulos actus dari.* Afflari adultos ita ut afflatui resistere nequeant, negasset Pelagius, seu conversionem summatim spectatam attendas, seu singulos actus; neque contrarium ex Scriptura probari adversus negantem potuisset.

IV. *Scimus non omnibus hominibus dari, et quibus datur non solum secundum merita operum non dari, sed nec secundum merita voluntatis eorum quibus datur, quod maxime apparet in parvulis.* Si omnibus hominibus non datur necessaria prorsus ad credendum perseverandumque in fide gratia, non possunt vituperari æternisve suppliciis plecti qui non credunt aut non perseverant; quia nunquam fuit in eorum potestate gratiam illam consequi, quam, ex sententia Augustini, Deus pro arbitrio largitur.

V. *Scimus eis quibus datur, misericordia Dei gratuita dari.* Non negasset Pelagius, si de prima conversionis gratia loquatur, ut videtur, Augustinus.

VI. *Scimus eis quibus non datur justo judicio Dei non dari.* Assensisset huic sententiæ Pelagius.

VII. *Scimus quod omnes astabimus ante tribunal Christi, ut ferat unusquisque secundum ea quæ per corpus gessit, non secundum ea quæ, si diutius viveret, gesturus fuit, sive bonum, sive malum.* Nec huic aphorismo assensum negasset Pelagius, nisi forte senserit quod ad 9 regulam dicemus.

VIII. *Scimus etiam parvulos, secundum ea quæ per corpus gesserunt, recepturos vel bonum, vel malum.* Atqui nihil per corpus gesserunt, nam *gerere* quidquam sine rationis usu non possunt. Audi tamen Augustinum : *Gesserunt autem non per seipsos, sed per eos quibus pro illis respondentibus, et renuntiare diabolo dicuntur et credere in Deum.* In formula quidem baptismi dicebat susceptor *credo, abrenuntio*, sed ea formula, ut diximus ad epist. 98, in usum duntaxat adultorum prima concinnata fuerat, deinde infantibus incommode aptata; neque ex ea ullum consectarium deduci poterat, præsertim quod magnis esset difficultatibus obnoxium. *Unde*, inquit in sequentibus Augustinus, *et in numero fidelium computantur, pertinentes ad sententiam Domini dicentis :* Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit. At in hisce verbis loquitur Christus de adultis tantum, qui ei credere possunt, ut iis solis prædicatur Evangelium. Addit tamen *Aristoteles Pœnus*, ut eum quidam ejus adversariorum vocabat : *Propter quod et illis qui hoc sacramentum non accipiunt, contingit quod sequitur :* qui autem non crediderit condemnabitur. Atqui loquitur Christus de iis qui prædicato sibi Evangelio non crediderant, non de infantibus, quibus non prædicatur. Qui tales interpretationes Scripturæ concoquere potuit, quid in ea non potuit invenire?

IX. *Scimus felices esse mortuos qui in Domino moriuntur, nec ad eos pertinere quidquid acturi fuerant, si tempore diuturniore vixissent.* Commentum fuit Pelagianorum, qui, ut alii, putabant pueros non posse gloriam cœlestem consequi sine baptismo, ut redderent rationem cur alii quidem infantes morerentur sine baptismo, alii vero baptizarentur antequam interirent. Priores nempe præviderat Deus fore malos, si viverent; posteriores contra fore bonos, si diutur-

norem vitam haberent. Quod absurdum est commentum.

X. *Scimus eos qui corde proprio credunt in Dominum, sua id facere voluntate ac libero arbitrio.* Concedebat Pelagius, sed hoc negari ab Augustino contendebat; quia Augustini ineluctabilis afflatus evertit *libertatem;* quæ nulla est, nisi id possis omittere quod facis; hoc est, vocationi divinæ ita obsequaris, ut eam possis negligere.

XI. *Scimus pro eis, qui nolunt credere nos qui jam credimus recta fide agere cum Dominum oramus ut velint.* Nec hoc non orabat Pelagius, sed non petebat a Deo ut ineluctabiliter voluntates hominum flecteret, sed tantum ut faceret, quæ diximus ad § 2, a Deo fieri ut cor hominum molliatur; ostendebatque iis precibus amorem quo proximum prosequebatur, dum optabat eum divinæ voci morigerum se præbere.

XII. *Scimus pro eis, qui ex illis crediderunt, tanquam de beneficiis, recte atque veraciter et debere nos Deo agere gratias et solere.* Sic etiam faciebant Pelagiani omnes, aut facere certe debebant; nam nihil habebant credentes, ex eorum sententia, quod a Deo non accepissent; nec si Deus Evangelium ad homines non misisset, multaque Evangelio add disset credendi incitamenta, quisquam ei credidisset. Quis divitiarum amans non gratias ageret homini qui eum divitiis cumulasset, quamvis ut eas acciperet minime coegisset? Quis non grato animo sit erga eum qui recta in re magni momenti consilia præbuit, quamvis irrita fuissent, nisi fides eis habita esset? Quis fidem suam, aut alienam animo reputans, summaque Dei quæ eam consequuntur beneficia, Deo gratias ob ea et fidem, cujus potissimus auctor est Deus, non habeat? Sed hæc grati animi testificatio non debet esse ejusmodi, ut dum Deo pro fide credentium grates rependimus; ita de eo sentiamus, quasi non minus causa sit incredulitatis contumacium quam fidei credentium; aut ea dicamus, ex quibus necessario sequitur eos juste a Deo plecti non posse; quod faciunt qui dicunt peccato Adami factos peccatores, antequam essent in rerum natura, talesque nasci, aut necessarium quidpiam ad fidem incredulis defuisse. Sed hæc obiter, nam de hisce controversiis copiose scripserunt viri doctissimi, præsertim in Belgio Fœderato, ubi magno animorum æstu olim agitatæ sunt.

# IN TOMUM TERTIUM.

## DESIDERIUS ERASMUS AD LECTOREM.

In hunc tertium et quartum sequentem tomos digessimus τὰ διδακτικὰ, hoc est, quæ nec sunt epistolæ, nec ad populum dicta, nec adversus hæreticos pugnantia, sed lectori erudiendo scripta. Notha censuris additis indicavimus, ne quis erret insciens.

## ANIMADVERSIONES
### IN LIBROS DE DOCTRINA CHRISTIANA.

Prologo. § 1. *Hæc tradere institui volentibus et valentibus discere, si Deus ac Dominus noster ea quæ de hac re cogitanti solet suggerere etiam scribenti mihi non deneget.*] Quamvis bonas omnes cogitationes ad Deum, quasi ad bonorum omnium primam causam, referre debeamus, non ita tamen loquendum, quasi Deus nos afflaret, et quidquid bonum esse credimus veluti dictaret. Primum enim falli sæpe possumus, ut verum esse putemus quod non est, quod frequenter Augustino contigit; ac proinde cavendum ne nostros errores Deo tribuamus. Deinde quæcunque vere dicimus non sunt propterea a Deo suggesta, cum ea institutioni lectionique plerumque, Deo nequaquam interveniente, debeamus. Denique si alius, qui pari jure gaudet, sibi cogitationes suas a Deo suggeri dicat, et contraria proferat, quis in concordiam rediget afflatos? nosce homines? Se invicem infamabunt quasi pseudoprophetas, et internecino bello persequentur, dum homines minus religiosi ipsam religionem ridebunt, quam animadvertent cum somniis misceri. Sunt et alia incommoda quæ hinc nasci queant, quorum miror in mentem Augustino non venisse. Profecto hodie nemo est inter eruditos qui velit sub nomine suo edi, quæ suggestiones divinæ ab auctore putabantur.

Libro I. Cap. 30, § 31. *Sed utrum ad duo illa præcepta* (de amando Deo et proximo) *etiam dilectio pertineat angelorum non irrationabiliter quæri potest.*] Qui non oscitanter legerunt Scripturam, nomine *proximi* tantum aut ejusdem gentis, vel familiæ hominem, aut ejusdem naturæ humanæ participem significari norunt. Nec Deus nos jussit amare angelos, quibuscum non versamur, et quos etiam nemo odio habere potest.

Cap. 36, § 41. De interprete Scripturæ qui veram quidem sententiam quærit in Scriptura, sed alieno loco: *Corrigendus est tamen,* inquit, *et quam sit utilius viam non deserere demonstrandum est, ne consuetudine deviandi, etiam in transversum aut perversum ire cogatur,* etc. Hæc sunt conferenda cum iis quæ diximus ad Confessionum lib. XII, cap. 17, ubi Deus contraria Augustino, si de se creditur ipsi, suggerebat; nam quæ illic habet sibi a Deo suggesta ab initio libri innuit. Sed secunda suggestio priore multo melior.

Cap. 39, § 43. *Homo itaque fide, spe et caritate subnixus, eaque inconcusse retinens, non indiget Scripturis, nisi ad alios instruendos. Itaque multi per hæc tria in solitudine sine codicibus vivunt.*] Nemo tam est peritus Scripturæ quin indigeat codicibus, quos consulat et legat subinde. Quod si quis litteras nesciat, ibi potius debet vivere ubi leguntur quam in solitudine. Si quis sciat, protervia est et negligentia non ignoscenda, si codices sibi non comparet. Hæc merum enthusiasmum redolent.

Libro II, cap. 8, § 12. *In canonicis autem Scripturis Ecclesiarum catholicarum quam plurium auctoritatem sequuntur, inter quas sane illæ sunt, quæ apostolicas sedes habere et epistolas accipere meruerunt.*] Apostolicæ sedes sunt eæ in quibus ipsi apostoli episcopos constituerunt, quæ cum essent omnium antiquissimæ, debebant primæ omnium apostolica scripta esse nactæ. Mirum est Augustinum hic nihil habere de eorum sententia qui, ad Vetus Testamentum quod attinet, nullos alios agnoscebant libros canonicos præter eos qui Hebraice conscripti fuerant, quam ex Hieronymi scriptis cognoscere potuit.

Ibid., § 13. *Illi duo libri, unus qui Sapientia et alius qui Ecclesiasticus inscribitur, de quadam similitudine Salomonis esse dicuntur; num Jesus Sirach eos conscripsisse constantissime perhibetur, qui tamen quoniam in auctoritatem recipi meruerunt, inter prophetticos numerandi sunt.*] Retractationum lib. II, cap. 4, fatetur se postea didicisse *non ita constare*, ut putaverat, et *probabilius esse* Sirachidem libri Sapientiæ non esse auctorem. Mirum est episcopum tanti nominis rem tantillam ignorasse aliquandiu, quam a catechumenis disci oportuisset. Nunquam studiose eum legerat librum, cum hæc scriberet: nam auctor libri se non ait Jesum esse filium Sirach, sed regem Israelis, cap. IX, 7, 8. Quod cum ita sit, non capio qui inter prophetticos libros censeri posset opusculum cujus auctor præ se fert se regem fuisse, cum minime fuerit.

Cap. 11, § 16. *Latinæ quidem linguæ homines quos non instruendos suscepimus, duabus aliis ad Scripturarum divinarum cognitionem opus habent, Hebræa scilicet, et Græca, ut ad exemplaria præcedentia recurratur si quam dubitationem attulerit Latinorum interpretum infinita varietas.*] Non miror Augustinum linguæ Græcæ studium commendare, nam et alibi hoc facit; sed Hebræam addi Latinæ vehementer miror. Certe non tantum epist. 21, quæ censetur scripta circa annum 395, sed et epist. 71, scripta anno 403, Augustinus plane improbat studium vertendi Hebraica Latine, acquiescitque in accurata versione translationis LXX interpretum. Similiter et infra hujus libri cap. 14 loquitur, et opere de Civitate Dei lib. XVIII, cap. 43, divinitus afflatos fuisse putat eosdem interpretes, ideoque Hieronymo præferendos, quamvis Judæi Hieronymianam versionem Septuagintavirali præferrent. Sed et hoc mirum est ab Augustino hic commendari studium linguæ Hebraicæ, nec tamen ipsum aut quemquam alium, iis sæculis, quidquam aggressum esse facere, ut viam aperiret iis qui id studium ingredi voluissent. Attamen et postea lib. IV, cap. 7, aliquid iterum de Hieronymi labore habet. Sane, ut quod suspicer dicam, vereor ne quid hic sit interpolatum aliena manu, postquam Hieronymiana versio auctoritatem in Occidente consecuta fuerat. Sin minus, ad academicum ingenium Augustini, sibi non satis constans, hæc erunt referenda.

Ibid. *Qui Scripturas ex Hebræa lingua in Græcum verterunt numerari possunt, Latini autem interpretes nullo modo. Ut enim cuique, primis fidei temporibus, in manus venit codex Græcus, et aliquantulum facultatis sibi utriusque linguæ habere videbatur, ausus est interpretari.*] Fateor ex collatione variarum illarum interpretationum aliquid lucis oriri, ut postea ostendit Augustinus; sed ex lectione unius codicis Græci emendatioris multo major fructus capi potuit quam ex collatione viginti imperitorum interpretum. Itaque optandum fuisset Occidentales Ecclesias, pro tot sumptibus quos faciebant in indoctos et otiosos, aut vili labore occupatos monachos, publico sumptu et consilio adolescentes misisse in Græciam, aut Græcos magistros ex Oriente vocasse, ut plures Græcam linguam intelligerent, aliisque facem præferrent. Omnes vero Christianos par fuisset conducere Hebræos, a quibus lingua Hebræa doceretur, eaque omnia facere quæ avorum nostrorum memoria in Europa facta sunt, ad linguæ illius cognitionem in usum Christianorum revocandam. Nam quod serius factum est, id prius fieri potuit, et facilius etiam, nisi laborem fugissent homines illius ævi.

Cap. 16, § 25. Ut ostendat necessariam esse arithmeticam ad intelligendam Scripturam, memorat jejunium quadraginta dierum Mosis, Eliæ et Christi; tum addit: *Cujus actionis figuratus quidam nodus, nisi hujus numeri cognitione ei consideratione non solvitur. Habet enim denarium quater tanquam cognitionem rerum intextam temporibus*, etc. Quæ, cum bona Augustini venia, nugæ sunt Pythagoricæ ac Platonicæ, a quibus in re tam gravi abstinere multo satius fuit. Sed nescio quomodo eo tempore ostentandi in ejusmodi rebus ingenii ita invaluerat consuetudo, ut cum plausu talia audirentur quæ sunt risu digna. Quis ferat hodie sibi dici hydriarum quinque, quæ Canæ erant, Joan. II, mensura quæ fuit circiter trium metretarum, significatam S. Trinitatem, quemadmodum facit Augustinus, ad eum Joannis locum? O felices homines, qui tantam eruditionis famam tam facile sibi pepererunt! Sed et o stipites, qui talibus olim plaudebant, aut etiamnum serio favent!

Cap. 17, § 27, de novem Musas esse dicentibus: *Refellit eos Varro, quo nescio utrum apud eos quisquam talium rerum doctior aut curiosior esse possit. Dicit enim civitatem nescio quam, non enim nomen recolo, locasse apud tres artifices terna simulacra Musarum, quod in templo Apollinis donum poneret, ut quisquis artificum pulchriora formasset, ab illo potissimum electa emeret. Itaque contigisse ut opera sua quoque illi artifices æque pulchra explicarent, et placuisse civitati omnes novem, atque omnes esse emptas, ut in Apollinis templo dedicarentur, quibus postea dicit Hesiodum poetam imposuisse vocabula*, etc.] Si quod de numeris dixit Augustinus ad interpretationem Scripturæ, admitti ab ethnicis oportuit, non video quo jure ethnicis non licuerit dicere fictum hoc a Varrone vel ab alio, cum præsertim sermo sit de temporibus antiquissimis, quibus aut nullæ, aut raræ conscribebantur historiæ; tum etiam de numero novennario Musarum Pythagorice philosophari. Quidni

eis licuerit dicere tribus musis designari tres musicæ tonos, gravem, medium, et acutum; et ter ternas dictas, quod essent tres chori, pro tribus illis tonis? At hæc, inquies, pro arbitrio comminisceris. Non diffiteor, sed an non etiam theologicæ arithmeticæ mysteria pro arbitrio fingebant? Itaque non est committendum, ut veritatem illustrare videamur, eadem fingendi licentia qua et fabulas interpretari licuerit.

Cap. 20, § 31. *Illud eleganter dictum est Catonis, qui cum esset consultus a quodam qui sibi a soricibus erosas caligas diceret, respondit non esse illud monstrum, sed vere monstrum habendum fuisse, si sorices a caligis roderentur.*] Ingeniose. Simile est Menandri illud e Superstitioso, quod habet Grotius in Excerptis pag. 714 :

Α. Ἀγαθὸν γένοιτό μοι, ὦ πολυτίμητοι θεοί,
Ὑποδούμενος γὰρ, δεξιᾶς τῆς ἐμβάδος
Τὸν ἱμάντα διέρρηξ'. Β. Εἰκότως γ', ὦ Κλεινία,
Σπρὸς γὰρ ἦν, σὺ δὲ σμικρολόγος οὐ θέλων
Καινὸν πρίασθαι.

Hoc est, interprete viro summo :

*A.* Bene hoc mihi proveniat, o sancti Dei,
Quod inter calceandum dextri calcei
Vinclum diruptum est. *B.* Merito evenit, Clinia,
Namque erat id detritum et tu præparcus nimis,
Qui non novum emeres.

Cap. 22, § 36. *Omnes igitur artes hujusmodi vel nugatoriæ, vel noxiæ superstitionis ex quadam pestifera societate hominum et dæmonum, quasi pacta quædam infidelis et dolosæ amicitiæ constituta, penitus sunt repudianda et fugienda.*] Verissime, sed inutile tamen non est theoretice nosci quæ de artibus illis ab ethnicis dici et credi solebant, ut loca Scripturæ ad eas spectantia explicare possimus ; quod feliciter doctissimi viri, postremis hisce sæculis, aggressi sunt. Multa per se inania propter eas allusiones sunt obiter cognoscenda.

Libro III, cap. 2, § 3. *Illa hæretica distinctio :* In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum, et Deus erat ; *ut alius sensus sit :* Verbum hoc erat in principio apud Deum; *non vult Verbum Deum confiteri.*] Ex hoc loco et cæteris quæ de hac re habentur distinctiones nullas ascriptas fuisse liquet in codicibus tempore Augustini. Qua de re vide quæ scripsit Joan. Clericus in Arte Critica, part. 3, sect. 1, cap. 10.

Cap. 3, § 9. *In principio cavendum est ne figuratam locutionem ad litteram accipias; et ad hoc pertinet quod ait Apostolus :* Littera occidit, spiritus autem vivificat; *cum enim figurate dictum sic accipitur, tanquam proprie dictum sit, carnaliter sapitur.*] Hoc Pauli loco II Cor. III, 6, abutuntur omnes allegoristæ, quo nihil simile significatur. Hoc enim vult Apostolus : legem Mosaicam occidere, Evangelium vero vitam dare. Nam γράμμα sæpe vocat legem, πνεῦμα vero Evangelium ; quia, ut opinor, lex quidem mera est littera quæ non indicat per se animum legislatoris; Evangelium vero animum ipsum Dei, cum legem ferret, aperit. Vide notata hac de re a Joanne Clerico, in additamentis Henr. Hammondi ad Novum Testamentum.

Cap. 10, § 14. *Quidquid in sermone divino neque ad morum honestatem, neque ad fidei veritatem proprie referri potest, figuratum esse cognoscas.*] Nimis generalibus verbis concepta hæc est regula, ideoque Augustinus eam postea de præceptis partim interpretatur; sed ne sic quidem satis commoda est. Præceptum enim Dei Abrahamo datum de occidendo filio non erat figuratum, nec eo secius contra honestatem morum erat. Præceptum etiam Oseæ prophetæ datum de ducenda meretrice, figuratum non fuit, in se spectatum, et tamen indecorum fuit. Nollem regulas dari de sermone figurato; res enim ipsa et animus loquentis quid proprium sit, quid figuratum, satis ostendit. Deinde Augustinus *figuratam* actionem miscet cum *typica* narratione, quæ toto cœlo differunt.

Cap. 12, § 18. *Quæ autem quasi flagitiosa imperitis videntur, sive tantum dicta, sive etiam facta sunt, vel ex Dei persona, vel ex hominum quorum nobis sanctitas commendatur, tota figurata sunt.*] Ad Deum quod attinet, cujus perfecta ac immutabilis est sanctitas, certissima hæc est regula; sed quæcunque fecerunt sancti viri sub Vetere Testamento minus recta, non sunt propterea typica aut figurata. Exempli causa, polygamia, de qua § 20 et 27 nihil habuit typicum neque figuratum, neque fuit laudabilis, sed tolerata eo ævo, ut et postea inter Judæos, quemadmodum et divortium. Sed laudes ac vituperationes intelligendæ semper sunt, pro temporibus et hominibus. Quod habet Augustinus de temperante usu pluriun uxorum, paucis, ut opinor, persuasit.

Cap. 16, § 24. *Si præceptiva locutio est aut flagitium, aut facinus vetans, aut utilitatem, aut beneficentiam jubens, non est figurata. Si autem flagitium aut facinus videtur jubere, aut utilitatem, aut beneficentiam vetare, figurata est.* Nisi manducaveritis, *inquit*, carnem Filii hominis et sanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis. *Facinus vel flagitium videtur jubere, figura est ergo præcipiens passioni Dominicæ communicandum et suaviter atque utiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro ejus crucifixa et vulnerata sit.*] Non male verba Christi interpretatur, quæ alibi tamen de eucharistia sumenda perperam censet. At ipsa regula sat accurata non est, ut antea ostendimus. Accipiamus tamen quod rectum est, et hinc intelligamus qui Augustinus participes nos posse fieri crederet corporis Christi.

Cap. 21, § 31. Narrata similitudine qua Nathan ex ore Davidis expressit damnationem adulterii quod commiserat, ita loquitur : *Ex quo intelligitur quanta temperantia multas mulieres habuerit, quando de una in qua excessit modum, a seipso puniri coactus est.* Consectarium hoc male ductum esse nemo non videt, neque enim plectitur David quod cum una intemperantius concubuisset, sed quod esset alii nupta, et cum ea mœchatus esset. Quod in similitudine Nathanis mentio fit *unius ovis*, id dicitur κατ' ἀπίθανον

ad multas Davidis uxores; qui tamen multis illis non contentus infelici Uriæ unam quam habebat eripuerat, qua circumstantia augetur flagitii gravitas. Unde, contra quam fecit Augustinus, colligas Davidem libidinosum hominem fuisse, qui cum tot haberet uxores domi, tam facile alienæ amore exarserit.

Libro IV, cap. 7, § 15. *Videtur enim ubi ait* (Paulus, II Cor. XI, 6) : Etsi imperitus sermone, sed non scientia, *quasi concedendo obtrectatoribus sit locutus, non, tanquam id verum agnosceret, confitendo.*] Atqui res ipsa clamat verum esse. Vide additamenta Joan. Clerici ad Adnotationes Hammondi. Nec propterea minoris divinus Apostolus faciendus est; quem non veneramur quasi eloquentem virum, sed ut apostolum Christi munere suo summa fide ac fortitudine defunctum.

Ibid. Postquam dixit se Amosi loca prolaturum, subdit : *non autem secundum Septuaginta interpretes, qui* ETIAM IPSI *divino Spiritu interpretati, ad hoc aliter videntur nonnulla dixisse, ut ad spiritalem sensum scrutandum admoneretur lectoris intentio*, etc. *Sed sicut ex Hebræo in Latinum eloquium presbytero Hieronymo utriusque linguæ perito interpretante translata sunt.*] Suspecta mihi sunt verba, *etiam ipsi divino Spiritu interpretati;* quis enim alius interpres eo ævo divino Spiritu actus credebatur? De Hieronymo hoc postremis tantum hisce sæculis jactatum. Fortasse tamen τὸ *etiam* non tam respicit alium interpretem quam scriptores ipsos sacros; adeo ut voluerit Augustinus non tantum sacros scriptores, sed etiam interpretes ipsos Græcos a Spiritu sancto afflatos fuisse.

Cap. 24, § 53. De Cæsareensibus dicenti Augustino acclamantibus : *Non tamen egisse aliquid me putavi, cum eos audirem acclamantes, sed cum eos flentes viderem. Acclamationibus quippe se doceri et delectari, flecti autem lacrymis indicabant.*] Sæpe ejusmodi acclamationum in ecclesiasticis monumentis mentio fit; quæ quam afficerent sacros oratores nescio, sed indecoras fuisse scio, et aptas ad eos mirum in modum inflandos. Plebs frequentius nugis applaudit, si sint grata voce et decora actione pronuntiatæ, quam bonis ratiocinationibus; et cum plausum ferunt ineptiæ, meliori orationi negatum, hinc fit ut negligantur quæ plebi minus placent, colantur vero quæ sunt rectæ rationi contraria. Ex foro et theatro talia in Ecclesiam transferri non oportuit.

## ANIMADVERSIONES

### IN LIBRUM IMPERFECTUM DE GENESI AD LITTERAM.

Cap. 1, § 3. *Esse autem omnia quæ fecit Deus bona valde; mala verò non esse naturalia, sed omne quod dicitur malum, aut peccatum esse, aut pœnam peccati. Nec esse peccatum, nisi pravum liberæ voluntatis assensum, cum inclinamur ad ea quæ justitia vetat, et unde liberum est abstinere.*] Hæc verissima est et peccati et libertatis definitio, quæ ab omnibus probabatur, et semper probata fuisset, nisi incidissent Controversiæ Pelagianæ; quæ Augustinum a notionibus, quas κοινὰς ἐννοίας non male vocaris, cum sint totius humani generis, avocarunt. Cæterum hujus operis malum non erat consilium, nulla enim recta interpretatio est quæ non sit *ad litteram*, ex qua postea et moralia et theologica deducuntur consectaria. Sed eo ævo propemodum ignotæ erant litterales seu grammaticæ interpretationes; nec Augustinus eo tempore, nec postea, necessariis eam in rem instructus præsidiis fuit.

Cap. 4, § 17. *Potest autem et aliter intelligi, ut spiritum Dei vitalem creaturam, qua universus iste visibilis mundus atque omnia corporea continentur et moventur intelligamus; cui Deus omnipotens tribuit vim quamdam sibi serviendi, ad operandum in iis quæ gignuntur.*] Hæc fuit sententia Theophili Antiocheni, qui libro II ad Autolycum, sic loquitur : Πνεῦμα δὲ τὸ ἐπιφερόμενον ἐπὶ τοῦ ὕδατος ὃ ἔδωκεν ὁ Θεὸς ζωογόνησιν τῇ κτίσει καθάπερ ἀνθρώπῳ ψυχήν, τῷ λεπτῷ τὸ λεπτὸν συγκεράσας· τὸ γὰρ πνεῦμα λεπτὸν καὶ τὸ ὕδωρ λεπτόν, ὅπως τὸ μὲν πνεῦμα τρέφῃ τὸ ὕδωρ, τὸ δὲ ὕδωρ σὺν τῷ πνεύματι τρέφῃ τὴν κτίσιν διϊκνούμενον πανταχόσε : *At spiritum qui ferebatur super aquas largitus Deus creaturæ, ut ejus opera possit producere viventia, non secus ac homini animam attribuit, tenue tenui commiscens (nam spiritus sua natura tenuis est, itidem et aqua) ; ut spiritus nutriat aquam, et aqua addita spiritui nutriat creaturam universam, omnia permeans.*

Cap. 6, § 26. *Omne quippe vocabulum ad distinctionem valet. Unde etiam nomen, quod rem notet, appellatum est, quasi notamen.*] Imo a *nosco* fit *nomen*, quod ope nominis res noscantur. Vide hac de re Ger. Joannis Vossii Etymologicon.

## ANIMADVERSIONES

### IN LIBROS XII DE GENESI AD LITTERAM.

Libro I. Cap. 10, § 21. *In libro qui appellatur Ecclesiastes, ita scriptum est :* Et oritur sol et occidit sol, et in locum suum ducitur, *hoc est, in eum locum unde ortus est. Sequitur enim et dicit :* Ipse Oriens illud vadit ad Austrum et circuit ad Aquilonem. *Australis ergo pars cum habet solem, nobis dies est ; cum autem ad Aquilonis partem circumiens pervenit, nobis nox est.*] Versus quidem 5 cap. I Ecclesiastæ de sole agit, sed cap. VI videtur de vento tantum intelligendus, ut docebunt accuratiores interpretes. Verum hoc non agimus, neque enim commentarium scribimus in loca ab Augustino minus bene explicata. Ante omnia, animadvertendum hic mendum esse in voce *illud*, et legendum *illic*, sic enim hunc locum ex versione antiqua profert Hieronymus : *et oritur ipse ibi. Vadit ad Austrum*, etc. In editione Erasmi est *illuc*, quod ad veram lectionem propius accedit. Deinde quærendum esset a quo astronomo Augustinus didicisset, *cum Australis pars habet solem, nobis diem esse; cum autem ad Aquilonis partem circumiens pervenit, nobis noctem esse?* Crediderim eum audisse a quopiam cum australis pars, hoc est, australia signa, percurruntur a sole, nobis hiemem esse : dum vero aquilonaria signa peragrat, æstatem; sed eum astro-

nomiæ prorsus imperitus esset, diem et noctem æstati atque hiemi, vacillante memoria, substituisse. Multo melius Hieronymus, ad vers. 6, si modo in eo de sole sermo sit : *Hinc possumus*, inquit, *æstimare hiemis tempore solem ad meridianam plagam currere, et per æstatem septentrioni esse vicinum.*

Libro II, cap. 5, § 9. Postquam dixit Saturni stellam frigidam ab astrologis haberi, sic contra ratiocinatur : *Quæritur itaque ab eis unde illa stella sit frigida, quæ tanto ardentior esse deberet, quanto sublimiore cœlo rapitur. Nam procul dubio cum rotunda moles circulari motu agitur, interiora ejus tardius eunt, exteriora celerius, ut majora spatia cum brevioribus ad eosdem gyros pariter occurrant; quæ autem celerius, utique ferventius.*] Hic cernere liceat, quid sit ratiocinari de re quam parum compertam habeas. Astrologi, quos confutat Augustinus, ex absurdis opinionibus consectarium casu verum deduxerunt; Hipponensis vero episcopus recta ratiocinatione verum oppugnat. Nimirum, micabant utrique in tenebris; nec tamen minus confidenter sua commenta proferunt. Astrologi, quia Saturnus describitur a poetis, quasi senex et quidem exsectus, ideo ejus stellam frigidam esse absurde dictitabant. Vide Servium ad hunc Virgilii versum, qui est 336 I lib. Georgicon :

Frigida Saturni sese quo stella receptet.

Attamen ex veris astronomorum recentiorum dogmatibus frigidus dici potest planeta qui Saturnus vocatur, quia est a sole, unde omnis mundi hujus nostri calor, remotissimus. Contra Augustini ratiocinatio vera quidem est, sed male aptata, quia statuit Saturnum, cum cæteris omnibus sideribus, intra viginti quatuor horas rapi circa terram; quod falsum esse jam norunt omnes. *Proinde*, inquit ille, *memorata stella magis debuit calida esse quam frigida; quamvis enim suo motu, quoniam grande spatium est, triginta annis totum ambitum permeet, tamen cœli motu in contrarium rotata velocius, quod quotidie necesse est patiatur (quoniam, sicut dicunt, cœli singulæ conversiones dies singulos explicant), calorem majorem debuit cœlo concitatiore concipere.* Hæc habuit a vulgari illius ævi astronomia, sed ei astronomiæ alium errorem ex loco Geneseos perperam intellecto, poeticisque figmentis temere conjuncto addidit, in sequentibus : *Nimirum, ergo eam frigidam facit aquarum super cœlum constitutarum vicinitas; quam nolunt credere qui hæc quæ breviter dixi, de motu cœli et siderum disputant.* Merito nolebant, quia rationi erat contraria, cum qua pugnare non potest Scriptura, ut ipse Augustinus alibi docet.

Ibid. *His quidam nostri* CONJECTURIS *agunt adversus eos qui nolunt aquas super cœlum credere, et volunt eam stellam esse frigidam, quæ juxta summum cœlum circuit, ut ex hoc cogantur aquarum naturam, non jam illic vaporali tenuitate, sed glaciali soliditate pendere.* Vanæ illæ erant conjecturæ hominum indoctorum Scripturam cum poetica astronomia temere in concordiam redigere conantium, cum locus Geneseos de aquis supra cœlum intelligendus sit de nubibus inferiori aeri imminentibus, ut recte dudum conjecit *quidam* (neque enim aliter designatur) cujus meminit Augustinus supra cap. 4, et quem bene monentem sequi satius erat, quam aquas ubi nullæ sunt somniare. Sic enim tandem claudit hanc disputationem : *Quoquomodo autem et qualeslibet aquæ ibi sint, esse eas ibi minime dubitemus; major est quippe Scripturæ hujus auctoritas, quam omnis humani ingenii capacitas.* Vere dixit Scripturæ esse potius credendum quam conjecturis, sed ante omnia intelligenda probe est Scriptura, ne commentitium sensum, hoc est somnia nostra, pro vera ejus sententia credenda obtrudamus, ut fecit hic Hipponensis episcopus. Vide præter Geneseos interpretes Dionys. Petavium Dogmatum theologicorum tom. III, de Opificio sex dierum lib. I, cap. 11.

Cap. 6, § 10. *Personam Patris declaratam esse dicunt, in eo quod scriptum est :* Et dixit Deus, fiat firmamentum, etc., *ac deinde ut intelligatur Filius fecisse quod a Patre dictum est ut fieret, arbitrantur esse subnexum :* et fecit Deus firmamentum.] Hæc λεπτολογία, et alia ejusmodi quæ habet hic Augustinus, nituntur prava versione Latini interpretis. Nam in Hebraico textu cum sit יהי, *sit*, verterunt Græci γενηθήτω, quod non est *fiat*, sed *sit;* ita ut imperium hoc Dei non respiciat ad aliam causam quæ faciat quod jubet, sed significet Deum sola voluntate sua fecisse ut res sint.

Libro III, cap. 1, § 1. *Dicuntur autem cœli pluraliter, in una eademque re, quæ dicitur unum cœlum.*] Hebraice quidem semper שמים, *Schamajim*, est pluralis numeri, quamvis sæpe sensu singulari sumatur; sed Græci interpretes nunc οὐρανὸν, more Græco, nunc οὐρανούς Hebraico dixerunt, imitatoresque habuerunt Latinos, licet nescirent cur numeri in hac voce mutarentur.

Cap. 21, § 33. *Quomodo autem homo immortalis factus sit et acceperit escam cum aliis animalibus, herbam pabuli ferentem semen, et lignum fructiferum, et herbam viridem, difficile est dicere.*] At hinc, ut et ex sequentibus, facile est intellectu hominis corpus sua natura mortale creatum; sed nihil vetabat Deum, si homo nunquam peccasset, immortale id præstare, extraordinaria ope. Quia vero peccavit, Deus id suæ naturæ conficiendum reliquit, qua ratione mors facta est merces peccati. Hoc ipsum perspicue docet Augustinus infra lib. VI, cap. 25, § 36.

Libro IV, § 2. *Invenimus ergo senarium numerum primum esse perfectum, ea ratione quod suis partibus compleatur;* hoc est, his tribus constet.] Quicunque alius numerus a Deo lectus fuisset, in eo necessarias perfectiones omnes invenisset Augustinus. Talia erant Platonismi commenta, a quibus alienum non fuisse Augustinum miror, vel propter hoc quod nihil haberent fixum ac certum.

Cap. 35, § 56. *Dies ergo ille, quem Deus primitus fecit, si spiritalis rationalisque creatura est, id est, angelorum supercœlestium atque virtutum, præsentatus est omnibus operibus Dei, hoc ordine præsentiæ quo ordine scientiæ, qua et in Verbo Dei facienda præno-*

*scerct, et in creatura facta cognosceret, non per intervallorum temporalium moras, sed prius et posterius habens in connexione creaturarum, in efficacia vero Creatoris omnia simul. Sic enim facit quæ futura essent, ut non temporaliter faceret temporalia, sed ab eo facta currerent tempora.*] Hæc omnia, quibus summatim profert quod particulatim in hoc libro docuit, quis non miretur vocari interpretationes *ad litteram?* Quis non obstupescat cum cogitat serio esse dicta? Quibus hæc somnia febricitantis eximia videbantur, eos oportet fuisse aut valde hebetes, aut valde affectu obcæcatos. Quis interpres hodie talia scribere vellet?

Ibid. *Ac per hoc isti dies septem, quos lux corporis cœlestis circumèundo explicat atque replicat, secundum quamdam umbram significationis admonent nos quærere illos dies in quibus lux creata spiritalis omnibus operibus Dei, per senariam numeri perfectionem præsentari potuerit, atque inde septimam requiem Dei mane habere et vesperam non habere*, etc.] Placere hæc potuerunt iis qui Platonis aut Pythagoræ mysticam arithmeticam magni faciebant; sed qui eam irridebant, sine dubio hæc omnia etiam exsibilabant, et quidem merito; ut jam liquet vel ex interpretum recentiorum consensu, quibus alia omnia placuerunt. Ignoscere hisce commentis possumus, sed mirari eos qui tam sæpe indulgentia nostra indigent, non possumus.

Libro v, cap. 14, § 32. *Nec prætermittendum est, quod emendatiores codices habent* (Joan. i, 3 et 4): quod factum est in illo vita erat; *ut sic intelligatur* vita erat, *quomodo:* In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum. *Quod ergo factum est, jam* vita erat in illo, et *vita non qualiscunque*, etc.] Emendatiores illi codices sine dubio vitiosa interpunctione laborabant, ut editiones omnes hodiernæ et res ipsa ostendunt.

Libro vi, cap. 24 et seq., § 36. *Non ait Apostolus, corpus quidem mortale propter peccatum; sed corpus mortuum propter peccatum. Illud quippe ante peccatum et mortale secundum aliam, et immortale secundum aliam causam dici poterat; id est, mortale, quia poterat mori*, etc.] Nondum hac de re cogitasse videtur Augustinus, cum scriberet libri iii, cap. 21, ut indicavimus obiter ad eum locum.

Libro vii, cap. 2, § 3. *Sacrilega opinio est eam et Deum credere unius esse substantiæ.*] Loquitur de opinione Manichæorum qui volebant animum humanum esse ὁμοούσιον, sive consubstantialem Deo. Vide librum de Hæresibus cap. 46.

Cap. 22, § 32. *Quærendum est quomodo possit intelligi quod causalis ejus* (animæ) *ratio fuisse dicebatur in primis sex dierum operibus Dei, quomodo fecit Deus hominem ad imaginem suam, quod nisi secundum animam non recte intelligitur.*] Sequitur Augustinus stylum philosophorum, qui omnibus *seminalem rationem* σπερματικὸν λόγον fuisse docebant, quibus vocibus videntur intellexisse veluti principium quoddam, ex quo materiæ primæ mistiones omnes conflatæ sunt. Vide Justum Lipsium in Physiol. Stoicorum lib. ii, dissert. 8. Idem philosophi aliique dixisse etiam videntur αἰτιατικὸν λόγον, *causalem rationem*, qua locutione sæpe utitur in hisce libris Augustinus.

Ibid. *Verendum est autem, ne cum dicimus, non ipsas tunc naturas atque substantias quæ futuræ fuerant, Deum creasse, dum crearet omnia simul, putemur inania quædam dicere.*] Deum omnia simul creasse jam nemo credit, sed multi credunt Deum materiam corporum ante omnia creasse, ex Gen. i, 1, nec absurda ea potest haberi sententia. At *causalem rationem* aut corporis, aut mentis qui dicunt, illi *inania dicunt*, nec contrarium in sequentibus ostendit Augustinus. Miras ratiocinationes quas postea affert non confutabo, neque enim timendum est ne quis iis assensum præbeat. Augustinus, assuetus Platonicis argutiis plura sæpe scribit quam quæ intelligit, consequentiasque passim admittit quasi bonas; quæ si negentur, statim corruunt omnes enim ratiocinationes neque ullo modo probari possunt.

Ibid. *Et corporis quidem humani, etiamsi fuit aliqua occulta ratio qua futurum erat ut formaretur, erat et materies de qua formaretur, id est terra, in qua videri poterat illa ratio, veluti in semine latuisse.*] Docebant Stoici, ut habet Laertius lib. vii, § 136, principio Deum, cum esset apud se, substantiam omnem per aerem in aquam convertisse. Καὶ ὥσπερ ἐν τῇ γονῇ τὸ σπέρμα περιέχεται, οὕτω καὶ τοῦτον σπερματικὸν ὄντα λόγον τοῦ κόσμου τοιόνδε ὑπολιπέσθαι ἐν τῷ ὑγρῷ, καὶ τὰ ἑξῆς: *Et quemadmodum in fetu semen continetur, ita et hanc, cum seminalis ratio mundi sit, eamdem in humore reliquisse*, etc. Hanc Stoicorum locutionem imitatus manifesto est Augustinus.

Libro ix, cap. 10, § 16. *Quamvis honestius meliusque credatur ita fuisse tunc illorum hominum corpus animale constitutorum in paradiso, nondum mortis lege damnatum, ut non haberent appetitum carnalis voluptatis, qualem nunc habent ista corpora*, etc.] Appetitus ille, ut liquet vel ex brutis, tam naturalis est quam appetentia cibi, aut potus, voluptasque quam experimur cum comedimus esurientes, vel bibimus sitientes. Non puto sane quemquam dicturum sitim aut famem, voluptatemque quam iis explendis experimur, effectus esse peccati. Figmenta mera sunt quæ hic et alibi dicuntur. De his copiosius egit Augustinus de Civitate Dei lib. xiv, cap. 16 et seqq.

Libro x, cap. 6. *Illud ergo jam videamus, cuinam potius sententiæ divina testimonia suffragentur, eine qua dicitur animam unam Deum fecisse, et dedisse primo homini, unde cæteras faceret, sicut ex ejus corpore cætera hominum corpora; an ei qua dicitur singulas singulis facere, sicut illi unam, non ex illa cæteras.*] Has duas sententias quasi probabiles admittit Augustinus, cæteris rejectis, et in priorem quidem pronior est, quod ex ea facilius explicari posse putet et qui omnes *in Adamo* peccasse dicantur, et qui peccatum originis ab eo propagetur. At nescio quomodo hanc suam sententiam cum eo quod sentiebat de natura incorporea mentis stare posse intelligeret. Vide cap. 24. Itaque difficultatem difficultate solvebat, hoc est, ex impedito impediorem lectorem reddebat; sed

difficultatibus bonus vir non terrebatur, nec admodum curabat an intelligeret quod dicebat. Quis enim intelligat ejusmodi propagationem ex traduce, si ponas mentem esse prorsus incorpoream?

Cap. 19. Prolato loco Heb. VII, 4 et seqq., de Levi in Abrahamo decimato : *Si ergo*, inquit, *hoc etiam valet ad istam distantiam, quantum præemineat sacerdotio Levitico sacerdotium Christi, quod sacerdos Christus per illum præfiguratus est qui decimavit Abraham, in quo et ipse Levi decimatus est, profecto Christus ab eo non est decimatus.*] Non debet figurata locutio Apostoli, quam non sustinuit adhibere, nisi præmissa emolliendi formula, ὡς ἔπος εἰπεῖν, usque adeo urgeri, quasi ex ea sequatur omnem omnino posteritatem Abrahami, ad ultimos usque nepotes, in eo decimatam fuisse. Nam revera hinc sequeretur ipsum Christum decimas Melchisedecho solvisse; nemo enim dubitare queat quin Christus, secundum carnem, hoc est, humanitatem, ex Abrahamo sit oriundus. Voluit duntaxat ostendere scriptor ad Hebræos, non mirum esse si sacerdotium Christi Levitico præferret, quandoquidem sacerdos fuerat in Palæstina temporibus Abrahami, qui ab ipso Abrahamo Levis proavo decimas accepisset, et bene precatus ei esset, adeoque Abrahamo superior fuisset; qui sacerdos poterat haberi Christi adumbratio. Non est ulterius progrediendum, nec consectaria, quasi ex mathematicis quibusdam doctrinis hinc rigide deducenda. Satis habebant veteres suas interpretationes allegoricas aliquo sensu esse veras, non eas quasi axiomata geometrica proferebant.

Ibid. *At si propterea decimatus est Levi quia erat in lumbis Abrahæ, propterea non est decimatus Christus, quia non erat in lumbis Abrahæ. Porro autem si non secundum animam, sed tantum secundum carnem accipimus Levi fuisse in Abraham; ibi erat et Christus, quia Christus, secundum carnem, ex semine est Abrahæ, et ipse itaque decimatus est.*] Sed cum dicerent Hebræi nepotes *prodiisse ex lumbis* majorum suorum, aut *in iis fuisse*, non ita hoc intelligebant, quasi et corpora et animi nepotum in lumbis majorum proprie fuissent; non ita subtiliter philosophabantur Hebræi; sed volebant tantum propagationis ordine ab iis esse oriundos. Itaque hoc vult auctor ad Hebræos, Levin, ortum ab Abrahamo, posse censeri decimas Melchisedecho solvisse, cum Abrahamus ejus proavus eas solverit.

Ibid. *Quid est ergo quod affertur pro magna differentia sacerdotii Christi a sacerdotio Levi, quod Levi decimatus est a Melchisedech, cum esset in lumbis Abrahæ, ubi et Christus erat; unde pariter decimati sunt; nisi quia necesse est intelligamus secundum aliquem modum ibi Christum non fuisse? Quis autem neget eum secundum carnem ibi fuisse? Ergo secundum animam ibi non fuit. Non est igitur anima Christi de traduce prævaricationis Adæ. Alioquin etiam ipsa ibi fuisset.*] Sed quamvis concederentur animi esse ex traduce, quod non puto, non sequeretur animos nepotum fuisse in majoribus; quidni enim, ut corpora, possint mentes generari, ita ut ante generationem non fuerint? Deinde per exiguum duarum ætatum intervallum, quod intercessit inter Abrahamum et Levin, licet, ὡς ἔπος εἰπεῖν, dicere Levin in Abrahamo decimatum; at post quadraginta et aliquot ætates idem de Christo affirmare, nonnisi audaciori æquo figura, liceret. Denique si vellemus, ex philosophicis Augustini placitis, contra eum philosophari, negaremus ex ejus sententia, qua statuit mentem ex traduce propagari, Christum esse ortum ex Abrahamo; nisi solum corpus ejus, excluso animo, Christus dici possit, quod noluisset concedere; nec posset Christi exemplum nobis proponi, quia mens ejus non esset ejusdem generis ac nostra; nec esset, ut idem scriptor ad Hebræos docet, per omnia similis nobis, excepto peccato. Hæc et talia possent ejus sententiæ objici, quibus factum est ut a plerisque theologis postea rejecta sit. At, inquiet forte aliquis, ratiocinatione scriptoris ad Hebræos ut ita sentiret adductus est Augustinus. Imo illic quæsivit firmamentum sententiæ suæ, de mentis propagatione, quod tamen nullum est, ut antea ostendimus.

Libro XI, cap. 9, § 12. *Sic eos* (*malos*) *fecit* (*Deus*) *ut eis relinqueret unde et ipsi aliquid facerent, quo quidquid etiam culpabiliter egerent, illum de se laudabiliter operantem invenirent. A se quippe habent voluntatem malam, ab illo autem et naturam bonam et justam pœnam.*] Nemo non videt hæc potuisse recte dici a Pelagio, et quidem eo sensu quo sunt intelligenda ut quæstioni satisfiat, cur Deus crearit eos quos malos fore prævidit; nam ex ejus sententia mali *voluntatem malam* a se habent, a Deo *naturam bonam* qua possunt aliquid facere; quod sane quæstioni illi necessario respondendum. Verum, ex Augustini sententia, hæc non possunt, nisi valde improprie dici, eoque sensu qui quæstioni nequaquam satisfacit. Sed ita solet Aristoteles Pœnus, Pelagii more, objecta in Providentiam resolvere; dum nihil objicientes contraria omnia docet. Jam nonnulla talia superius animadvertimus, pluraque animadvertent quicunque quæ hisce de rebus habet accuratius expendent.

Cap. 16, § 22. De quæstione an beatus fuerit diabolus ante peccatum : *Quomodo enim*, inquit, *duxisse etiam vitam beatam inter beatos angelos credi potest, qui futuri sui peccati atque supplicii, id est, desertionis et ignis æterni præscius non fuit? si præscius non fuit, merito quæritur cur non fuerit?*] Delenda negatio in verbis, *ignis æterni præscius non fuit*, ut liquidum est ex sequentibus; nec sane beatus esse potest, qui præscit se miserum fore. In editione Erasmi, deterius mendum est, nam post *æterni* sequitur absurde *si præscius non fuit*, omissis tribus antecedentibus vocibus. Sic autem pergit Augustinus : *neque enim sancti angeli æternæ suæ vitæ ac beatitudinis incerti sunt. Nam quomodo beati, si incerti?* etc. Hanc argumentationem, ut alia multa, Ciceroni suo debuit, qui sic loquitur de Finibus lib. II, num. 86 : *Si amitti vita beata potest, beata esse non potest. Quis enim con-*

*fidit semper sibi illud stabile et firmum permansurum, quod fragile et caducum sit? Qui autem diffidet perpetuitati bonorum suorum, timeat necesse est ne aliquando amissis illis sit miser.*

## ANIMADVERSIONES
### IN LIBROS LOCUTIONUM.

Libro I. Sic titulus concipitur: *Locutiones Scripturarum, quæ videntur secundum proprietates, quæ idiomata Græce vocantur, linguæ Hebraicæ vel Græcæ.* Itaque Hebraismos atque Hellenismos hic notare aggressus est Augustinus, optimo sane consilio, quia Græca translatio sæpe verbo tenus Hebraica sequitur, Græcam vero similiter expresserat vetus Itala; unde necesse erat sæpe magnam obscuritatem nasci Latine tantum scientibus. Verum hoc ab Hieronymo, utriusque Linguæ Hebraicæ et Græcæ perito, melius præstitum fuisset quam ab Augustino, Hebraïcæ plane imperito, Græcæ vero tenuissima cognitione perfuso; qui ex conjectura idiomata vocat quæcunque Latine erant inusitata, et intacta multa relinquit. Interea utile est hoc opus, si non in eum finem quem sibi proposuerat Augustinus, at certe ad confirmandas et eruendas veras lectiones LXX interpretum restituendamque, quatenus licet, veterem Italam, ut liquet ex Flaminii Nobilii adnotationibus in versionem Latinam LXX interpretum. Pauca, exempli gratia, expendemus, nam non instituimus ipsi locutionum opus scribere.

Num. 1. *Et dividant inter medium diei et inter medium noctis.* Verba exstant Gen. I, 14, de quibus nihil addit Augustinus. Sermo est de luminaribus cœli quæ vult esse Deus, *ut dividant* בין היום ובין הלילה *inter diem et noctem*, nimirum tempus; vel ut omne tempus dividant in noctis et diei vices. Græci verterunt particulam בין *ben*, hic et alibi, ἀνὰ μέσον, quod vertit Latinus interpres *inter medium*, cum debuisset simpliciter *inter*, unde nata obscuritas.

Num. 2. *Volatilia volantia super terram, secundum (κατὰ) firmamentum cœli.*] Est versus 20 ejusdem capitis, ubi Hebraica habent על פני *hal ʔpne*, ad faciem; quod optime versum κατὰ, *secundum*, hoc est, juxta ejus extensionem. At Augustinus quærit *quomodo accipiendum sit* secundum firmamentum, additque: *sic etiam* faciamus hominem secundum imaginem et secundum similitudinem, *quod multi Latini codices habent* ad imaginem. Sed hæ locutiones nihil habent simile, nam prius κατὰ, *secundum*, situm significat, posterius similitudinem.

Num. 6. Observat Græcum habere Gen. II, 9, *et lignum ad sciendum cognoscibile boni et mali*, hoc est, τοῦ εἰδέναι γνωστὸν καλοῦ καὶ πονηροῦ, *quod nescio*, inquit Augustinus, *utrum locutionis sit et non magis certum sensum aliquem insinuet.* Est tantum prava versio, nam Hebraica simpliciter habent: *scientiæ boni et mali*, quod verti non debuit (si modo ita verterunt LXX interpretes) *scire quod potest cognosci de bono et malo.*

Libro II. Num. 2. *Fecerunt sibi domos, quoniam timuerunt Deum.*] Exod. I, 21, ubi sermo est de obstetricibus, quod suspicatur Augustinus intelligi de divitiis ex Gen. XXX, 31, quæ sane absona non est interpretatio; malim tamen de liberis intelligere; ita ut Moses velit, quia obstetrices pepercerunt vitæ infantium Israelitarum, iis prolem esse a Deo numerosam concessam. Si Hebraica, aut versionem Aquilæ legere potuisset Augustinus, aut si inspexisset Hieronymianam, observasset in Hebraico contextu esse *Deum ædificasse domos* obstetricibus.

Num. 5. *Quid sit* thibin (Exod. II, 3) *ideo difficile est nosse, quia nec Græcus interpres ex Hebræo, nec Latinus ex Græco vertit hoc nomen, sed sic transtulit, ut invenit.*] Est Hebraicum תיבה *thebah*, hoc est, *arca*, quam θίβιν vocarunt LXX interpretes, fortasse quod ea vox esset quoque in usu in Ægypto. Si Augustinus ad manum tunc habuisset versionem Hieronymi, vidisset *fiscellam* intelligi, hoc est cophinum.

Num. 31. *Si loquitur vobis Pharao dicens: Date nobis signum aut portentum, et dices Aaron fratri tuo, sume virgam.* Ita habet Moses Exod. VII, 9. Quærit Augustinus, *quid ibi additum sit* et (ante *dices*) *nisi aliqua proprietate locutionis Hebraicæ?* Verum est, nam in ea lingua passim abundat conjunctio *Vau*, quod intelligere potuisset ex Hieronymo. Vide et Lib. III, num. 23, 30.

Num. 32. *Non mihi videntur*, inquit, *satis commode interpretati Latini* σοφιστὰς *Pharaonis* (Exod. VII, 11), *ut dicerent* sapientes; σοφοὶ *enim sapientes dicuntur. Potuit enim Latinus interpres* sophistas *dicere, quoniam non est quemadmodum Latine dicatur, et ideo isto verbo jam utimur pro Latino*, etc.] Sed auribus Latinis *sophista* aliud sonabat quam quod Græce hic significat σοφιστὴς, quod usurpatur pro magiæ perito. Vide de hac voce quæ congessit vir eruditus Lud. Cresollius, in Theatro rhetorum quos in Græcia nominabant sophistas, ab initio.

Libro III. Num. 22. *Hæc usitatissima locutio est et creberrima in Scripturis*, locutus est dicens. *Sed ea quæ sequitur* (Levit. XII, 1) *varius reperitur et Latini sermonis coarctat inopiam; Græcus enim habet,* καὶ ἐρεῖς πρὸς αὐτοὺς λέγων, *quod Latine exprimi posset*, et dices ad eos dicens, *minus autem offendit si dicatur*, et inquies ad eos dicens; *et similius est Græco, quia et ille non dixit:* λέξεις πρὸς αὐτοὺς λέγων.] Verum (ne dicam futurum λέξω non ita usitatum fuisse) in sensu ipso nullum est vel minimum discrimen, mirumque est ita λεπτολογεῖν Augustinum, qui tot idiomata linguæ Hebraicæ passim omittit. Sed pluribus hasce minutias non persequemur.

## ANIMADVERSIONES
### IN QUÆSTIONES IN HEPTATEUCHUM.

Libro I. Quæst. 3. *Quæritur quemadmodum potuerint angeli cum filiabus hominum concumbere, unde gigantes nati esse perhibentur.*] Non male quæstionem de angelorum concubitu solvit; in quam, quasi in scopulum, impegerant multi Patres Græci; sed frustra dat operam ut ostendat fuisse *gigantas*. Ante omnia, quærendum fuisset an esset vox Hebraica quæ *gigantas* significaret, Gen. VI, 4. Voces certe

נפלים *nphilim* ac גבורים *gibborim*, fortes ac militares A viros sonant, et prior quidem *latrones* fortasse significat; sed gigantas, hoc est inusitatæ proceritatis homines, iis significari nemo ostenderit. Fateor LXX interpretes, quos et ipse secutus est Hieronymus, sic vertisse; sed neque nativa vis vocum, neque locorum circumstantiæ iis favent. In hanc vocem iterum impegit Augustinus Quæst. 18.

Quæst. 9. *Notandum*, inquit, *quod scriptum est* (Gen. VII, 15), in quo est spiritus vitæ, *non solum de hominibus, sed etiam de pecoribus dictum; propter illud quod quidam de Spiritu sancto volunt intelligere, ubi scriptum est* (Gen. II, 7), et insufflavit Deus in faciem ejus spiritum vitæ; *quod melius quidam codices habent* flatum vitæ.] Nimirum, voce *spiritus* vulgo utebantur Latine ad significandam rem incorpoream B et intelligentem, non vero voce *flatus*. Attamen Augustinus initio libri VII de Genesi ad litteram interpretatur locum Genes. II, 7, de mente immortali, non de anima, quæ possit nobis cum brutis esse communis. Eam vero cur *flatum* potius quam *spiritum* dici malit non intelligo. Gen. II, habent Græci πνοὴ ζωῆς; capite vero VIII, πνεῦμα. Sed ad significatum quod attinet, nullum est inter eas voces discrimen. Multa hic quæruntur quæ quæsita non fuissent, si Hebraice aut certe Græce doctus fuisset Augustinus; multaque aliter solvuntur quam soluta fuissent.

Quæst. 11. *Aquila dixit* obtinuit; *Symmachus* prævaluerunt (Gen. VII, 24), *id est aquæ.*] Ab alio hæc acceperat Augustinus, sed mirum est eum sibi eas C translationes non comparasse, et Latine vertendas non curasse; non poterat enim ignorare quam magni usus esse possent. Quis non obstupescat cum, usu ipso interpretandi, non intellexisse quibus subsidiis indigeret; aut, si intellexerit, sibi quatenus potuit non comparasse; aut denique, si non poterat ea nancisci, a tot quæstionibus proponendis, conscribendisque tot libris in Vetus Testamentum, et usque adeo verbosis, abstinere? Credo excitatum fuisse adulationibus, aut stulta admiratione Afrorum suorum; ut non desineret dictare, dum illa dictata sua tam avide excipi videbat. Sic homines putant se magnos ac eruditos, non quia sunt, sed quia ab aliis putantur, sumuntque inde audaciam quæ persæpe male eis cedit.

Quæst. 105. *Quid sibi vult quod Jacob ait fratri suo:* Propter hoc vidi faciem tuam, quemadmodum cum videt aliquis faciem Dei? *Utrum paventis et perturbati animi verba usque in hanc adulationem proruperunt? An secundum aliquem intellectum sine peccato dicta accipi possunt? Fortassis etiam quia dicti sunt et gentium Dei, quæ sunt dæmonia, non præjudicetur ex his verbis homini Dei. Non enim dicit: quemadmodum si viderem faciem Dei, sed*, cum videt aliquis.] Oportuisset hic consultam fuisse versionem Aquilæ, unde intelligere potuisset Augustinus se frustra argutari in vocibus *si quis*, quibus nullæ sunt quæ respondeant in Hebraicis. Postea putat posse intelligi *Deos gentium; maxime*, inquit, *quia sine articulo in Græco dictum est, quo articulo evidentissime solet veri Dei unius fieri significatio. Non enim dixit:* πρόσωπον τοῦ Θεοῦ, *sed dixit* πρόσωπον Θεοῦ. *Facile autem hoc intelligunt qua distantia dicatur, qui Græcorum eloquium audire atque intelligere solent.*] Verum est hanc esse consuetudinem Novi Testamenti, sed Jacobus neque more Novi Testamenti, neque Græce loquebatur, sed Hebraica lingua; in qua nullus est articulus, seu ה, ut loquuntur grammatici, emphaticus, sed simpliciter פני אלהים *phne elohim.*

Libro VI. Quæst. 4. *Et erunt vobis lapides isti memoriale filiis Israel, atque in æternum.* Verba sunt Jos. IV, 7, de quibus sic ratiocinatur Augustinus: *Quomodo* in æternum, *cum cœlum et terra transeant? An quoniam æternum aliquid significant hi lapides, cum ipsi æterni esse non possint?* Cur non memor erat observationis quam alibi ipse non semel protulit, præsertim in opere scripto eodem tempore ac hæ quæstiones? Locutione 93 de Exodo, ad hæc verba Exodi XXI, 6, *Serviet ei in æternum; quod Græcus*, inquit, *habet* εἰς τὸν αἰῶνα. *Ecce quemadmodum Scriptura multis locis dicit secundum hoc verbum Græcum*, sempiternum, *vel* æternum. *Ubi non intelligitur æternitas illa secundum quam nobis æterna* promittuntur... *neque enim servus iste, qui vivere in æternum non posset, posset servire in æternum, sed intelligitur* æternum *dictum, cujus temporis finis non est.* Notat etiam in locutionibus de Levitico XVII et XVIII, id aliquando *æternum* dici, quod utique non erit sine fine. Similia habet quæst. 31 in Genesin. Attamen pergit hisce verbis: *quamvis possit quod in Græco est,* ἕως τοῦ αἰῶνος, *dici Latine et usque in sæculum, quod non est consequens ut intelligatur æternum.* Sic cum palpando verum quærat, an id invenerit nescit, paratusque est deserere inventum non aliter ac errorem. Quod si Hebraicæ linguæ operam dedisset, scivisset עולם *holam* significare proprie tempus cujus occultus est finis, a radice עלם *halam*, occultatus fuit, latuit. Scivisset etiam Græcos, cum hanc vocem αἰῶνα interpretantur, eamdem potestatem subjicere voci αἰών, nec passus esset fluctuationibus academicis animum suum distrahi. Potuit sane, hac in re, ut et in aliis, *Carneades Pœnus* potius quam *Aristoteles* dici.

D Libro VII. Quæst. 1. *In fine libri Jesu Nave breviter narrator porrexit historiam quo usque filii Israel ad colendos Deos alienos desciverunt.*] Quamvis Augustini Latinitas usque adeo casta non sit, mallem tamen hic legere *pertexit*, aut *pertexuit*; vix enim barbari ipsi, ex media Africa, dicant *porrigere historiam.*

Quæst. 16. Et servierunt Baal et Astartibus. Jud. II, 13. *Solet* (inquit Augustinus) *dici Baal nomen esse apud gentes illarum partium Jovis, Astarte autem Junonis, quod et lingua Punica putatur ostendere. Nam* Baal *Punici videntur dicere Dominum; unde* Baalsamin, *quasi* Dominum cœli *intelliguntur dicere; samin quippe apud eos cœli appellantur. Juno autem*

*sine aubitatione ab illis* Astarte *vocatur.*] Egregie hæc omnia, atque utinam multa similia apud Augustinum occurrerent! omnibus allegoricis interpretationibus atque argutiis rhetoricis ea præferremus. Non semel significavit sibi perspectum fuisse linguas Punicam et Hebraicam fuisse affines. Sic supra locutione de Genesi XXIV: *Quod scriptum est*, et *extendit manum suam, accepit eam et* induxit, *eam*, etc., *locutio est*, inquit, *quam propterea Hebræam puto, quia et Punicæ linguæ familiarissima est, in qua multa inveniuntur Hebræis verbis consonantia; nam utique sufficeret*, et extendit manum, *etsi non adderet* suam. Alibi etiam talia habet, quæ usque adeo confirmavit vir summus Sam. Bochartus, in suo Chanaane, ut nemo amplius de iis dubitare queat. Quod cum ita sit, quis non miretur Christianorum Pœnorum socordiam, qui Hebraicæ linguæ e tenebris eruendæ operam non dederunt? Culpam maximam puto fuisse penes declamatores, qui præ declamationibus omnia spernebant, nec ulli labori, nisi loquendi, pares erant. De ipsa re quæ hic agitur, multis egit Joan. Seldenus, in opere de Diis Syris.

Ibid. *Hoc autem, id est, nomine plurali Junones in Græcis secundum Septuaginta novimus, in Latinis autem singulariter erat.*] Quamvis terminatio עשתרות *hastaroth*, sit pluralis feminini, nihil vetat tamen quin significatio sit singularis, חכמות *hhochmoth*, sapientia, בהמות *bhemoth*, hippopotamus, etc.

Ibid. *Quorum in illo qui non habebat Septuaginta interpretationem, sed ex Hebræo erat* Astaroth *legimus, nec Baal, sed* Baalim.] Intelligere videtur Aquilam, quamvis textus hodiernus Hebraicus habeat בעל, *bahal*, quemadmodum etiam legerunt Septuaginta interpretes.

Quæst. 25. *Et percussit alienigenas in sexcentos viros præter vitulos boum.* Jud. III, 31. Ad quæ verba, postquam frustra Augustinus quæsivit quid sibi velint hæc, *præter vitulos boum*, addit: *Non autem habet interpretatio ex Hebræo*, præter vitulos boum, *sicut ista quæ secundum Septuaginta est: sicut* (lege *sed*) *habet illa ex Hebræo*, vomere occisos sexcentos viros, *quod ista non habet.*] In codicibus nostris Hebraicis legimus בְּמֹלְמַד הַבָּקָר, *bmilmad habbakar*, hoc est, *stimulo boum*, pro quo legisse omnino videntur LXX interpretes מִלְבַד *milbad*, hoc est, ἐκτός, *exceptis bubus.* Quæ, ut liquet ex hoc Augustini loco, vera est lectio LXX interpretum, quæ postea interpolata est versione Aquilæ, qui verterat ἀροτρόποδι, *vomere.* Hinc in Alexandrino codice utramque lectionem videmus conjunctam: ἀροτρόποδι ἐκτὸς μόσχων, *vomere, exceptis vitulis;* quod cum minus commodum videretur, in codice Vaticano est tantum ἀροτρόποδι τῶν βοῶν. Non dicam rectius vocem Hebraicam intelligi ab iis qui *stimulum* interpretantur; neque enim hoc nunc agitur, sed ex hoc loco Augustini, liquere quam corrupta fuerit versio LXX interpretum, et quidem ut rectæ rationi convenienter vertisse viderentur. Aquila autem verterat ἀροτρόποδι, quod ea pars aratri videretur aptior ad occidendos homines, quam stimulus, aut βουπλήξ. Plura in hunc librum non addam, neque enim commentarium scribo, sed tantum animadversiones, in quibus potissimum usum et abusum operum Augustini notare voluimus. Nihil dicam etiam de Adnotationibus in Jobum, quas Augustinus instar abortivi fetus habuit, nec dignatus est emendare. Ac sane difficilior est Jobus quam ut ab Augustino explicari posset.

## CENSURA DESIDERII ERASMI
### IN SPECULUM.

Hoc opus vix eram ascripturus Augustino, nisi Possidonius sive (ut quidam malunt) Possidius in Vita nominatim illi tribuisset; et præfatio non abhorret ab ejus stylo. Versatus est in simili negotio Cyprianus, et apud Græcos nonnulli, sed majore ingenio curaque. Cæterum infimis etiam inservire gaudet Christiana caritas.

## ANIMADVERSIONES
### IN SPECULUM.

Gravis sane est causa dubitandi an hoc opus, quale ad manus nostras pervenit, sit Augustini; quia in eo laudatur passim non vetus Itala versio qua Ecclesiæ Occidentales eo ævo utebantur, sed Hieronymiana. Viri docti qui editioni Parisiensi præfuerunt, in admonitione quam huic libro præfixerunt, adnotant cum ad vulgi usum hoc opus compararet Hipponensis episcopus, versione usum, non ex Græco LXX interpretum, quam sequi solebat; sed ex Hebræo, quod hanc demum comperisset esse illa multis locis planiorem. Sed hæc ipsa causa deterrere potuit Augustinum ne a versione recepta recederet, quod in gratiam vulgi exscribebat loca Scripturæ dignissima, quæ memoriæ mandarentur et assidua meditatione concoquerentur. Vulgus enim imperitum non potuit non offendi, si Scriptura ei discenda proponeretur quæ dissentiebat ab ea quæ in ecclesiis legebatur; nec ei saltem proponenda fuit nova versio sine præmonitione, qualis nulla hic occurrit. Addunt viri eruditi ab Augustino aliquoties versionem Hieronymianam, quasi planiorem laudari, in postremis libris Quæstionum in Heptateuchum, ac præsertim IV de Doctrina Christiana libro, cap. 7. At nescio utrum laudet semper Hieronymum, an vero Aquilam, cum in libris Quæstionum citat interpretem qui vertit ex Hebræo; nec locus ille ex lib. IV de Doctrina Christiana ejusmodi est, ut omnem interpolationis suspicionem excludat. Sed esto, probarit sub vitæ finem Hieronymi consilium Augustinus, in libris in doctiorum gratiam scriptis; in libro quale est Speculum, in usum plebeculæ conscripto, novam translationem vir, præsertim sine admonitione, plebi propositurus fuisse videtur? Quid ergo? inquies, an Augustino igitur hoc opus abjudicas? Nequaquam, sed suspicor citationes Scripturæ olim esse mutatas a monacho quopiam ex versione Hieronymiana.

*De Psalmis*, in psal. II. *Adorate pure, ne forte irascatur.*] Quis credat Augustinum spirituales sensus, etiam ubi nulli sunt, avidissime sectantem, hunc tam insignem locum ex Hieronymi versione citasse, cum

præsertim Hieronymo ingentem invidiam crearit? Nec Ecclesiæ quidem posteriorum sæculorum, cum admisissent versionem Hieronymi; in Psalmis, quia vulgo memoriter tenebantur, voluerunt veteris Italæ usum abrogare.

*De libro Sapientiæ*, cui hæc præfiguntur : *Ista de libris posuimus, quos et Judæi canonicos habent*, etc. Hæc ex Hieronymi sententia, nescio an ex Augustini. Vide lib. II de Doct. Christiana, cap. 8.

## ANIMADVERSIONES

### IN LIBROS DE CONSENSU EVANGELISTARUM.

Libro I, cap. 2, § 4. *Quamvis singuli suum quemdam narrandi ordinem tenuisse videntur, non tamen unusquisque eorum velut alterius præcedentis ignarus voluisse scribere reperitur, vel ignorata prætermisisse quæ scripsisse alius invenitur; sed sicut unicuique inspiratum est, non superfluam cooperationem sui laboris adjunxit.*] Vix quidem dubitare possumus an Joannes tria alia Evangelia viderit; quia cum ad summam senectutem pervenerit, in suo etiam Evangelio operam dedit, ne repeteret quæ ab aliis occupata fuerant, præter pauca, eaque necessaria; quod ex Harmoniis Evangelicis, et præsertim quidem ex ea quæ a Joanne Clerico edita est, liquet. Sed non video qui pro comperto dici queat Marcus scivisse a Matthæo scriptum fuisse Evangelium, aut Lucas ab utroque. Si Marcus Matthæi laborem vidisset, multo credibilius est eum in labore apostoli Christi, hoc est, testis oculati, acquieturum fuisse; nec Lucas, qui, ut liquet ex initio ejus Evangelii, plures de dictis et factis Christi commentarios viderat, omisisset memorare apostolum qualis erat Matthæus. Quis credat eum novam Christi genealogiam allaturum fuisse, ne verbo quidem memorata genealogia a Matthæo antea edita, cum præsertim ad eos in concordiam redigendos non levis difficultas exoritura esset? Inspiratos quidem nemo diffiteatur; at non ita ut ratione sua uti desinerent inspirati fuerunt, et quasi inspiratione sua fidem historiæ apud incredulos, quibus probari non poterat ille afflatus, facturi essent. Multo rectius sentire videntur qui evangelistas tres priores scripsisse suas historias censent, cum neuter aliorum consilii conscius esset, unde etiam eorum testimonio majus accedit pondus. Cum enim consentiunt testes qui inter se capita contulerunt, suspecti potius habentur; sed testes qui idem testantur seorsim, nescii aliorum testimonii, merito verum dicere videntur.

Ibid. *Marcus eum subsecutus, quasi pedissequus et breviator ejus videtur.*] Miror ita loqui Augustinum de scriptore afflato, neque enim inspiratione opus est ut quispiam sit *pedissequus et breviator* operis alieni. Crediderim potius iis qui Marcum a Petro evangelicam historiam accepisse censent; nec dubito quin, cum multi, ut prodidit Lucas initio Evangelii, commentarios dictorum et factorum Christi scripsissent, Marcus et Lucas, qui testes eorum non fuerant, ex commentariorum illorum nonnullis quos videbant ab apostolis probari et veraces haberi, partim suas historias collegerint. Imo nihil vetat ipsum Matthæum aliquo usum esse commentario, quem veracem esse videbat. Facile autem contingere potuit Marcum incidere in commentarios similes maxima ex parte iis quibus usus fuerat Matthæus. Nec id obstat quominus eorum scriptioni præesset Spiritus sanctus, ne quid falsi scriberent.

Ibid. *Lucas autem circa sacerdotalem Domini stirpem atque personam magis occupatus apparet.*] Cur? Duabus de causis, si credimus Augustino. Prior est quia *ipse David, quanquam aperte rex fuit, figuravit tamen et sacerdotis personam, quando panes propositionis manducavit, quos non licebat manducare, nisi solis sacerdotibus;* Lucas autem *ad ipsum David non regium stemma secutus ascendit, sed per eos qui reges non fuerunt ex iis ad Nathan filium David, qui nec ipse rex fuit.* Nullus non videt commentitias has esse consequentias; quas si quis neget, nemo probare queat. Sed hisce rhetoribus satis erat quidpiam non esse impossibile, ut quasi probabile in medium proferretur. Non firmior est altera ratio, quæ sic habet : *Huc accedit quod solus etiam Lucas Mariam commemorat ab angelo manifestatam cognatam fuisse Elizabeth, quæ uxor erat Zachariæ sacerdotis; de quo idem scripsit, quod eam de filiabus Aaron, hoc est, de tribu sacerdotum habebat uxorem.* Ergone, quia Maria cognata erat mulieris ex sacerdotali prosapia, ideo ex sacerdotali stirpe et ipsa fuit? An igitur Aaronis posteri cum nulla alia tribu connubia miscuerunt? Nulla lege hoc iis impositum, nulla consuetudine observatum. Quæ ergo hinc colliguntur de diverso Matthæi et Lucæ consilio inania sunt. Non meliore nituntur fundamento quæ postea dicuntur de Joanne quidem circa virtutem contemplativam, cæteris vero evangelistis circa activam versantibus; tum etiam de animalibus singulis evangelistis attributis. Quæ tamen non observarem, nisi viderem somniis hujuscemodi applaudi a nonnullis, qui contra meliora vehementissime oppugnant : quasi mille anni pondus adderent somniis, res vero accuratissime demonstratas sola novitas posset elevare.

Cap. 15, § 23. *Quidam philosophi eorum, sicut in libris suis Porphyrius Siculus prodidit, consuluerunt deos suos quid de Christo responderent; illi autem oraculis suis Christum laudare compulsi sunt.*] Porphyrius non Siculus fuit, sed Tyrius, ut jam observavimus ad Retractationum lib. II, cap. 32. Porphyrii verba vide apud Eusebium Demonst. evangelicæ lib. III, cap. 6, et de Civit. Dei lib. XIX, cap. 23.

Cap. 22, § 30. *Alii dicunt Saturnus est, credo propter sabbati sanctificationem, quia isti eum diem Saturno tribuerunt.*] Alii Bacchum ab iis coli dicebant, propter nescio quas rituum similitudines, ut liquet ex Plutarcho Symposiacorum lib. IV, Quæst. 5. At hoc negat Tacitus Histor. lib. V, cap. 5; sed propter absurdam rationem : *quippe Liber*, inquit, *festos lætosque ritus posuit; Judæorum mos absurdus sordidusque.* Imo sapiens et sobrius mos Judæorum, ritus vero Bacchi

temulentorum ac furiosorum hominum. Sic absurde ethnici etiam viri graves et docti, de rebus divinis judicabant, et dum ex moribus suis de aliarum gentium diis loquuntur, alienas eis opiniones tribuebant. Vide quæ hac de re notavit Joan. Clericus Artis Criticæ part. 2, sect. 1, cap. 13.

Libro II, cap. 4, § 8. *Acute quippe animadversum est Matthæum, qui regiam in Christo instituerat insinuare personam, excepto ipso Christo, quadraginta homines in generationum serie nominasse.*] Voluit Matthæus nominare quadraginta duos homines, eosque nominarat, ut liquet ex vers. 17, ubi omnes dividit in tres tessaradecadas; quarum primæ decimus quartus est David, secundæ Jechonias Josiæ filius, tertiæ Josephus vir Mariæ. Sed duæ primæ generationes desunt in tertia tessaradecade, vitio librariorum; nihil enim potest absurdius fingi quam si dicas Matthæum ipsum, recensendo singulos, numerasse tantum quadraginta homines; subducendo vero summam, invenisse quadraginta duos. Perinde est ac si quis recensitis decem digitis, singulis nominibus suis, undecim postea sibi esse diceret. Absit ut tale quid evangelistæ tribuamus! Mysterium in mendo librariorum frustra quæsivit Augustinus, in sequentibus verbis.

Ibid. *Numerus autem iste illud tempus significat quo in hoc sæculo et in hac terra regi nos oportet a Christo, secundum disciplinam laboriosam qua flagellat Deus, ut scriptum est, omnem filium quem recipit*, etc.] Si ab Augustino petas cur ita numerum quadraginta interpretetur; *quia ergo*, inquit, *numerus iste laboriosi hujus temporis sacramentum est,..... etiam illud declarat quod quadraginta dierum jejunium, hoc est, humiliationem animæ consecravit; et lex et prophetæ, per Moysem et Eliam, qui quadragenis diebus jejunaverunt; et Evangelium per ipsius Domini jejunium, quibus diebus quadraginta etiam tentabatur a diabolo*, etc. Sed si quis dicat hoc esse somnium vigilantis, quidvis somniare parati de quovis alio numero? Profecto contrarium nunquam probabilius hac affirmatione videbitur. Quamobrem miror Augustinum, qui ut os ethnicis obturaret hoc opus magno studio elaboravit, talibus arithmeticis allegoriis sustinuisse uti. Quod de sequentibus etiam allegoriis dictum velim. Nihil hæc excusare potest præter bonum animum eorum qui allegoriis indulserunt, et qui non viderunt pro divinæ sapientiæ consiliis sic credulæ turbæ mera ingeniose delirantium commenta proponi miranda. Quod si serio cogitassent, hæc omnia prætermisissent; nec commisissent ut loquerentur, nisi habuissent silentio potiora.

De ordine et conciliatione locorum inter se nihil hic dicemus, quandoquidem tam multas habemus harmonias ex quibus peti queant. Vide vel Harmoniam evangelicam a Joanne Clerico editam. Is ubi tradit *Canones Harmonicos*, quibus tota ejus nititur Harmonia, sæpe utitur Augustini verbis, ex hoc libro petitis.

Cap. 66, § 128. *Manifestum est autem interpretationem illam quæ dicitur Septuaginta, in nonnullis se aliter habere quam inveniunt in Hebræo qui eam linguam noverunt, et qui interpretati sunt singuli eosdem libros Hebræos. Hujus item distantiæ causa si quæratur, cur tanta auctoritas interpretationis Septuaginta multis in locis distet ab ea veritate quæ in Hebræis codicibus invenitur, nihil occurrere probabilius existimo quam illos Septuaginta eo spiritu interpretatos quo et illa quæ interpretabantur dicta fuerunt; quod ex ipsa eorum mirabili, quæ prædicatur, consensione firmatum est.*] Atqui hæc consensio putida est fabula, quam doleo æque facile creditam ac quæ fidem sibi omnibus argumentis quibus verum a falso secernitur, faciunt; cum præsertim inde aliud falsum enatum sit corollarium, quo putabant aut bene vertisse LXX interpretes, aut Spiritu actos alia dixisse, quæ iis suggerebat Spiritus. Quod quam falsum sit norunt ii qui eam versionem cum Hebraico textu contulerunt, et qui eorum allucinationum causas aperuerunt. Verum iis qui nolebant Hebraicam linguam discere expediebat credi quod habet Augustinus, ne inscitiæ aut arrogantiæ insimularentur, quod per totam vitam ex vitiosa versione Scripturam Veteris Testamenti temere essent interpretati. Sic et multa credita sunt, aut credi visa, quod plebi vera videri interesset eorum qui eam regendam susceperant. Interea hinc confirmatur quod ad Speculum conjiciebamus a monacho quopiam recentiore versionem Hieronymianam esse veteri Italæ in eo libro substitutam.

Libro III. Cap. 7, § 29. Ad Matth. XXVII, 10. *Si quis autem*, inquit, *movetur quod hoc testimonium non invenitur in Scriptura Jeremiæ prophetæ, et ideo putat fidei evangelistæ aliquid derogandum; primo noverit non omnes codices Evangeliorum habere quod* per Jeremiam *dictum sit, sed tantummodo*, per prophetam. *Possemus ergo dicere his potius codicibus esse credendum qui* Jeremiæ *nomen non habent; dictum est enim hoc* per prophetam, *sed* Zachariam, *unde putatur codices esse mendosos qui habent nomen* Jeremiæ, *quia vel* Zachariæ *habere debuerunt, vel nullius, sicut quidam; sed tantum*, per prophetam dicentem, *qui utique intelligitur Zacharias.*] Revera qui propterea carpebant Matthæum, hoc potius credere debuerunt quam hominem Judæum, perpetuo audientem prophetas in synagogis lectitari, et privatim etiam legentem atque inter alios sui similes versantem, in tali re aberrasse; cum præsertim nihil ejus interesset Jeremiam potius dici quam Zachariam.

*Sed*, inquit Augustinus, *utatur ista defensione cui placet, mihi autem cur non placeat hæc causa est, quia et plures codices habent Jeremiæ nomen, et qui diligentius in Græcis exemplaribus Evangelium consideraverunt, in antiquioribus Græcis ita se perhibent invenisse; et nulla fuit causa cur adderetur hoc nomen ut mendositas fieret; cur autem de nonnullis codicibus tolleretur, fuit utique causa ut hoc audax imperitia faceret, cum turbaretur quæstione quod hoc testimonium apud Jeremiam non inveniretur.* Hic plane criticum agit Augustinus, nec sine specie rationis vulgatam lectionem defendit.

Sed quidquid dicat nihil vetat credere in antiquissimo quopiam codice id fuisse mendum, quod postea in alios transierit; cum non auderent librarii id emendare, aut nescirent etiam an esset mendum. Quam in sententiam descendimus, quia, omnibus accurate pensitatis, non videmus qui verba Zachariæ possint Jeremiæ tribui; nam ratio quam habet in sequentibus Augustinus versimilis non videtur. *Quid ergo intelligendum est*, inquit, *nisi hoc actum esse secretiore consilio providentiæ Dei, qua mentes evangelistarum sunt gubernatæ?* Postea conjicit insinuatum esse hac relatione *ita omnes sanctos prophetas uno spiritu locutos, mirabili inter se consensione constare, ut hoc multo amplius sit quam si omnium omnia prophetarum uno unius hominis ore dicerentur, et ideo indubitanter accipi debere quæcunque per eos Spiritus sanctus dixit, et singula esse omnium et omnia singulorum.* Sed hoc posito, Mosi posset tribui quod dixit Zacharias, et cuivis alii prophetæ quod alius quivis scripsisset; quod nunquam tamen factum, neque fiet. Si Deus per evangelistam tale quidpiam nos docere voluisset, curasset ut hoc perspicue ab eo diceretur, non ita ut vacillante conjectura et facile neganda deducendum ex ejus verbis esset. Idem dicendum de aliis multis quæ velut fidiculis ex Scriptura hauriuntur ab Augustino et aliis veteribus, coactas conjecturas pro divinæ sapientiæ consiliis venditantibus. Atqui ea demum pro divina revelatione habenda sunt quæ diserte in Scripturis revelata leguntur, aut necessaria eorum consectaria: quemadmodum leges in republica habentur, quibus diserte quidpiam præcipitur aut vetatur; aut quæ ex illis ita fluunt, ut, positis legibus, necessario sequantur. Uno verbo ea demum suscipienda sunt quasi divinitus revelata quæ ex cognitione linguæ qua concepta est revelatio, sensuque communi, toti humano generi, grammatica, ut ita loquar, ac dialectica necessitate colliguntur; ita ut sine pertinacia rejici nequeant. Quod semper fieri debet, cum ut nobis ipsi, tum etiam ut incredulis, alioqui licentiam conjectandi merito irrisuris, satisfaciamus; nisi forte interdum, cum nobis res est cum pertinacibus præconceptisque opinionibus mordicus adhærentibus, argumentatione *ad hominem* utamur; sicuti fecerunt apostoli cum illis res esset cum Judæis, placita doctorum potius quam rectam rationem audire assueis.

## EJUSDEM ANIMADVERSIONES

### IN LIBROS DE SERMONE DOMINI IN MONTE.

Libro I, cap. 2, § 9. Ad verba : *Beati pacifici. In pace*, inquit, *perfectio est, ubi nihil repugnat, et ideo filii Dei pacifici, quia nihil resistit Deo. Pacifici autem in semetipsis sunt qui, omnes animi sui motus componentes et subjicientes rationi, id est menti et spiritui, carnalesque concupiscentias habentes edomitas, fiunt regnum Dei*, etc.] Merito ab initio hujus libri observavit Augustinus, in hisce sermonibus Christi præcepta esse omnia quæ ad informandam vitam pertinent. Sed miror pleraque allegorice ab eo esse explicata, cum *ad litteram*, ut loquitur noster, intellecta pulcherrimam et sanctissimam sententiam complectantur. Exempli causa, quis non videt εἰρηνοποιοὺς dici, belli rixarumque et litium omnium osores? Quam in rem multa pulcherrima et saluberrima dici poterant; quæ dici nequeunt, si illata vi usui linguæ Græcæ, intelligas de pace affectuum. Sed noster perpetuo captat generales allegorias, quæ non docto, sed cuivis loquaci semper sunt in promptu, sine meditatione ulla; omissis ethicis peculiaribus præceptis, quæ explicari ordine non poterant sine studio et labore. Putabant vulgo, ignaris illis sæculis, majoris esse ingenii incertas allegorias ubivis, invitis grammatica ac dialectica, aucupari, quam grammatice et dialectice Scripturam interpretari; at, si verum amamus, multo minoris fuit ingenii futilibus conjecturis ἀεροβατεῖν, quam litteralem sensum aperire, atque ex eo ita ratiocinari, ut nihil nisi a pertinacibus negari queat; ne dicam judicii hoc esse multo majoris, cum alterum illud nihil sit nisi in re seria nugantis. Conferantur cum hisce Augustinianis quæ ad cap. Matth. v, vi et vii, habet Hugo Grotius in adnotationibus, aut Henricus Hammondus in Catechismo practico, et, liquebit tantum esse inter interpretationes allegoricas et veras discrimen, quantum est inter somniantium et vigilantium ratiocinationes.

Cap. 9, § 23. *Unum autem hic verbum obscurum positum est, quia nec Græcum nec Latinum est* racha, *cætera vero in sermone nostro usitata sunt.*] *Judicium* et *consilium*, quæ hoc loco Matth. v, 22, habentur, sunt quidem voces Latinæ, sed quas tamen bonus Augustinus non intellexit; qui ne suspicatus quidem est ad Judaicos mores respici, ut pulchre ostenderunt recentiores critici.

Ibid. *Nonnulli autem de Græco trahere voluerunt interpretationem hujus vocis, putantes* pannosum *dici* racha, *quoniam Græce* pannus ῥάκος *dicitur; a quibus tamen cum quæritur qui* (non *quid*) *dicatur Græce* pannosus, *non respondent racha.*] Scribendum est *raka*, et Græce ῥακα, per *kappa*, non per *chi*, nam est Syriace רקא *raka* per *koph*, cui respondet origine et sono τὸ *kappa*. Nec qui pravam hanc Græcam etymologiam proferebant, retulissent ad ῥάκος, *pannum*, sed ad ῥάχος, unde ῥαχίστης, *perditus nebulo*. Sed recte fecit Augustinus quod ad Hebraicam linguam confugerit.

*Probabilius est ergo*, inquit, *quod audivi a quodam Hebræo, cum id interrogassem; dixit enim esse vocem non significantem aliquid, sed indignantis animi motum exprimentem. Has interjectiones grammatici vocant particulas orationis significantes commoti animi affectum; velut cum dicitur a dolente, heu! vel ab irascente, hem! Quæ voces quarumque linguarum sunt propriæ, nec in aliam linguam facile transferuntur; quæ causa utique cogit tam Græcum interpretem* (quia Matthæus credebatur Hebraice scripsisse) *quam Latinum, vocem ipsam ponere, cum quomodo eam interpretaretur non inveniret.*] Vereor ut satis recte intellexerit Augustinus quid sibi vellet Judæus ille. Certe si Judæus Hebraice

ac Syriace scivit, non potuit dicere רקא *raka* esse in- A terjectionem indignantis, nulla enim est talis interjectio in iis linguis; sed ריקא *reka*, ut scribunt ac pronuntiant thalmudici, aut רקא *raka*, ut Syri, est convicium; quod non ita facile in aliam linguam transfundatur, sicuti nec aliarum linguarum convicia. Quod puto dictum fuisse a Judæo Augustino, qui non assecutus est quod volebat. Si scribamus ריקא *reka*, hac voce significabatur homo *vacuus* sapientia ac virtute, nam radix הריק *herik* est *evacuavit;* nec est contumeliosa vox Græca aut Latina qua hoc exprimatur. Si vero scribamus רקא *raka*, erit a Syriaca radice רקא *raka*, quæ est *sputare*, significabitque hominem dignum qui conspuatur. Quam originem probat Edmondus Castellus, in Lexico polyglotto, affertque obiter Theophylactus in hunc locum : τινὲς B δὲ τὸ Ῥάκα Συριστὶ κατάπτυστόν φασι σημαίνειν : *quidam vero* Raka *Syriace aiunt significare despuendum.* Sed non puto κατάπτυστον dictum eodem sensu ac *Raka;* nam Græca vox *abominandum*, fugiendum translatitio sensu sonat, Hebraica vero vox contemnendum. Priori allatarum ejus originum favet usus thalmudicorum, posteriori prolatio ipsa vocis. Sed quidquid id est, *Raka* non est interjectio. Adi ad Matthæum Joan. Drusium, et Hug. Grotium.

Cap. 11, § 31, ad Matth. v, 25. *Esto adversario tuo benevolus*, etc.] Augustinus hic perperam argutus judicem interpretatur *Christum* et adversarium *Deum*, quo nihil absurdius fingi potuit. Dignum sane hoc erat retractatu, ut et pleraque alia quæ hic habentur, et quæ fere sunt contorta et aliena. Satius fuis- C set Augustino diutius tacere quam cruda studia in publicam lucem protrudere. Erat enim tantum presbyter, cum hoc opus edidit, nec ita pridem theologiæ Christianæ et Scripturarum studio operam dederat.

Cap. 16, § 50. *Acyndinus tunc præfectus, qui etiam consul fuit*, etc.] Insignis est historia, et qua sarciri aliquatenus possit jactura temporis, quæ fit in legendis allegoricis interpretationibus hujus opusculi.

Libro II. Cap. 2, § 5. *Cum ad orationem stamus, ad Orientem convertimur, unde cœlum surgit*, etc.] Credo factum ut contrario ritu Judæis uterentur Christiani. Sanctuarium enim, in templo in Jerosolymitano, ad Occidentem spectavit; ac proinde ad eam D cœli plagam conversi orabant Judæi. Vide not. ad Exod. xxvi, 33, a Joanne Clerico.

Cap. 7, § 25, de pane quotidiano, in oratione Dominica. *Panis quotidianus aut pro omnibus iis dictus est quæ hujus vitæ necessitatem sustentant..... aut pro sacramento corporis Christi, quod quotidie accipimus.*] Attamen, ut ait § 26, *plurimi in Orientalibus partibus non quotidie Cœnæ dominicæ communicant.* In Africa jam a temporibus Cypriani ea obtinuerat consuetudo, ut liquet ex ejus libro in orationem dominicam : *Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus.* Ad quem locum vide Joan. Fellum episcopum Oxoniensem.

## ANIMADVERSIONES
### IN LIBROS QUÆSTIONUM EVANGELIORUM.

Libro I. Quæst. 2. *Quod discipuli Domini* cœperunt vellere spicas et manducare; *quod nisi confricantes eas facere non possent. Hinc est*, mortificate membra vestra super terram; *id est, quia quisque non transit in corpus Christi, nisi carnalibus exspoliatus fuerit indumentis.*] Tales sunt pleræque quæstiones, unde intelligere licet finem Augustini in hisce libris non fuisse inquisitionem veri sensus, sed commentitiarum allegoriarum, ad quas inviti evangelistæ torquerentur. O cerebri felices! qui in tam levibus argutiis acquiescebant.

Libro II. Quæst. 38, § 3. *Quanquam illa receptio* (in tabernacula æterna, Luc. xvi, 19.) *utrum statim post istam vitam fiat, an in fine sæculi, in resurrectione mortuorum, atque ultima retributione judicii, non minima quæstio est.*] Digna, hac de re, lectu est dissertatio viri doctissimi Ludovici Cappelli, quam inscripsit Mortuorum Vitam. Edita est in operibus ejus criticis quæ prodierunt Amstelodami anno 1689.

Quæst. 51. *Non omne quod fingimus mendacium est*, quando, nempe, pro vero id non dicimus. *Sed quando*, inquit, *id fingimus quod nihil significat, tunc est mendacium.* Imo quando verum esse dicimus quod fingimus. Si quis parabolam habendam esse diceret pro vera historia, mendacium diceret, quæcunque cæteroqui significatio foret parabolæ. Sed ut omnis simulatio non est vituperanda, qualis ea est de qua Luc. xxiv, 28 : sic forte nec omne damnandum mendacium. Sed hac de re integrum opus scripsit Augustinus.

## ANIMADVERSIONES
### IN TRACTATUS IN JOANNEM.

Tractatu 1, § 13, ad Joan. i, 3. *Sine ipso factum est nihil.* Interpretatur Augustinus *quæcunque naturaliter facta sunt, quæcunque sunt in creaturis, omnia omnino quæ fixa in cœlo sunt, quæ fulgent desuper, quæ volitant sub cœlo, et quæ moventur in universa rerum natura... ab angelo usque ad vermiculum.*] Nihil verius; qui enim divinam providentiam negabant, iidem nolebant insecta a Deo facta. Multis hac de re egit, in notis ad hunc locum, Joannes Clericus, eaque dixit quibus possint Augustiniana illustrari. Utinam Hipponensis episcopus, missis omnibus frigidis allegoriis, coactisque interpretationibus quibus scatet quidquid in Scripturam elucubravit, tales semper interpretationes protulisset! Pro querelis et castigationibus, laudes et gratiarum actiones hic legerentur. Verissime in § 14 observat, si concedamus muscas a Deo non esse factas, nos posse sensim deduci ad negandum elephantem atque hominem Dei opera esse. Ut enim gradatione ex ipso desumpta utar, si musca sit fortuitus caloris fetus, quidni et locusta? Si locusta, quidni et lacertus? Si lacertus, quidni avis? Si avis, quidni pecus? Si pecus, quidni bos? Si bos, quidni elephas? Si elephas, quidni homo? Attamen nescio quomodo Augustinus concedit *vermes* (unde

muscæ) *ex putredine nasci.* Non video quid possit respondere gradationi ex ipso allatæ. Verum hi Tractatus populares sunt orationes, quod nomen ipsum ostendit; quibus neque Joannis verba, neque res ipsas ad amussim interpretatur, sed dicit quod in mentem veniebat. Itaque frustra sit, qui hinc quidquam exquisiti exspectet.

Tractatu 26, num. 11. *Panem cœlestem spiritaliter manducate, innocentiam ad altare apportate. Peccata etsi sunt quotidiana, vel non sint mortifera.* ] Aut *vel* hic sumitur pro *saltem* aut est mendum, legendumque forte: *at non sint mortifera*, quod postea mutatum in *aut*, deinde in *vel*.

Tract. 28, § 11, in Joan. VIII, 25, ubi Christus, *principium quia et loquor vobis. Ecce*, inquit Augustinus, *quod est esse. Principium mutari non potest; principium in se manet, et innovat omnia; principium est cui dictum est: Tu autem idem ipse es et anni tui non deficient.* ] Hæ sunt argutiæ hominis Græce nescientis, ut optimi quique interpretes dudum ostenderunt. Accepit tamen Augustinus ἀρχήν esse in accusativo; quamobrem putat Christum ita loquti, quasi antecessisset *credite me*, nimirum, *principium*. Sed qui Græce sciunt norunt solemni ejus linguæ consuetudine, subaudiendum κατά, quod non opus est pluribus ostendi; non enim scribimus in Joannem sed obiter ostendimus sine cognitione linguarum, inane esse acumen Scripturam interpretantium.

Tractatu 43 § 17. *Non dixit*, antequam Abrahamus esset, ego eram; *sed:* antequam Abraham fieret, *qui nisi per me non fieret*, ego sum. ] Qui Græce sciunt norunt verbum γενέσθαι perinde esse ac εἶναι, ac proinde argutia hæc Latine tantum scientibus tolerabilis, a Græcis exsibilata fuisset: quemadmodum Fausti Socini interpretatio hujus loci ab omnibus rejicitur, qui voluit etiam verti *antequam Abraham fieret*, quanquam alio plane sensu.

Tractatu 47, § 4. *Ipse Dominus ibi fuit, ibi matrem elegit, ibi concipi, ibi nasci, ibi sanguinem fundere voluit, ibi sunt vestigia ejus, modo adorantur, ubi novissime stetit, unde adscendit in cœlum.* ] Editores Parisienses observant de vestigiis in Oliveti monte humo impressis mentionem fieri etiam in libro de locis Hebraicis, inter Hieronymi opera. Recte dicunt id opus esse *inter Hieronymi opera*, nam non est ipsius Hieronymi, qui in eo etiam laudatur. Exstat tom. III operum Hieronymi in editione Erasmi, subjicituruque libro de locis Hebraicis, et inscribitur, de Actis apostolorum. Ut dicam quod videtur, crediderim paulo ante hæc tempora, non in Judæa ipsa, nec in vicinis provinciis, sed procul, cœpisse fingi quod jactatum postea est, tanta verborum pompa, de inventione crucis Christi ab Helena Constantini matre, deque hisce vestigiis abeuntis Christi. Alioqui non modo Eusebius hæc in vita Constantini, in qua usque adeo eum Helenamque extollit, agitque de Ecclesiis in Palæstina ab hac ædificatis, non omisisset; sed nec etiam Hieronymus, non modicus locorum insignium Judææ prædicator. Hæc autem figmenta avide sunt arrepta ab iis qui putabant facile admittendum quidquid facere censebatur ad confirmationem Christianæ fidei, nec curiosius an verum esset expendendum; unde natæ sunt innumeræ fabulæ, et superstitiones quibus religionis Christianæ nativa pulchritudo non parum obscurata est. Multo satius fuisset, homines de veritate et divinitate doctrinæ Christianæ minime dubitantes, abhorrere ab omnibus argumentis non tantum falsis, sed etiam levibus ac incertis; veritati enim exploratæ nulla potest esse conjunctio aut cum mendacio, aut cum incertis rumoribus, quæ eam non obscuret, aut etiam dedecore afficiat. Quis non etiam indignetur incertam famam, aut etiam falsam, non aliter admissam ab hominibus religiosis ac ipsam Evangelii veritatem? Quis non suspicetur, quanquam minime suspicacis ingenii, multos Christianos fuisse, non quia doctrinæ Christianæ veritate introspecta essent perculsi, sed quia utile erat, postquam Christiani rerum potiti erant; cum turpibus fabulis illico assensum præberent, si modo prodessent? Dehonestarunt religionem Christianam, qui fidem ei soli habendam quibusvis figmentis lubentes accommodarunt. Si contraria omnia credidissent inesse revelationi, quam proferebant Christiani, non aliter ea essent amplexi.

Tractatu 120, ad Joannis cap. XX, 42, § 5. *Quando jam propter parasceven, quam cœnam puram Judæi Latine usitatius apud nos vocant, facere tale aliquid non licebat.* ] Multis de parasceve egit Jos. Scaliger de Emend. Temp. lib. VI, pag. 564, ed. Roverianæ. Prolato hoc Augustini loco subdit: « Vetus interpres Joan. Chrysostomi, sermone in natalem Joannis Baptistæ: *Qua enim die conceptus est Dominus, eadem die et passus est. Eadem ipsa dies* cœna pura *fuit, in qua et luna quarta decima occurrit.* Vides *parasceven* proprie dici tempus quod advesperationem inter et solem occasum interjectum est... Alioqui καταχρηστικῶς vel ἰδιωτικῶς, tota etiam dies Veneris dicitur παρασκευή, saltem ab hora sexta, ut est apud Joannem. Itaque ea dicitur παρασκευὴ antequam venerit, cum proprie iniverit ἀπὸ ἐνάτης ὥρας, quæ dicebatur מנחה, id est oblatio. Hinc deinceps a nona hora opus facere non licebat in προσορτίοις, ut diserte exstat in canonibus Hebræorum: *Quicunque facit opus in vesperis sabbatorum, et dierum festorum ab oblatione vespertina, et ultra, non videbit unquam bonum signum benedictionis.* Ex quibus potes percipere quare Augustinus dicebat acceleratum tempus sepulturæ; ne, scilicet, eos qui Christum de cruce deposuerant, opprimeret ἡ ἐνάτη, sive עת המנחה tempus oblationis vespertinæ, a quo tempore opus facere nefas erat. Hæc vir summus ex doctrina Judæorum, quæ falsissima est, ut liquet ex Matth. XXVII, 46, et Marc. XV, 34, unde liquet post nonam demum fuisse sepultum Christum. Merum etiam commentum est, quod dicit proprie dictam *præparationem* fuisse quatuor ultimas horas diei Veneris; cum non occurrat, nisi pro tota die Veneris. Cæterum Augustino quoque prius persuaserunt Judæi. Hi autem *cœnam puram* vocabant

*parasceven*, quod ethnici *cœnam puram* dicerent quæ apponebatur iis qui festi alicujus causa in casto erant, quod Græci dicebant ἁγνεύειν et προαγνεύειν, ut ad celebrationem festi se pararent; unde factum erat ut Judæi idem esse censerent *cœnam puram* et apparatum festi, eoque nomine diem Veneris vocitarent. In aliis nihil simile erat, ut recte animadvertit Is. Casaubonus, Exercitat. contra Baronium, XVI, num. 16, quem vide. Adi et Festum in voce *penem*, et Fulvium Ursinum in appendice libri Pet. Ciacconii de Triclinio.

## ANIMADVERSIONES

### IN TRACTATUS IN PRIMAM EPISTOLAM JOANNIS.

Tractatu 5, § 1. *Profiteri si esse sine peccato periculosum est; et non solum periculosum, sed etiam mendosum.* ] Hoc est mendacio plenum, ut satis liquet cum ex sequentibus, tum ex proprietate vocis; nam deducenda a *mendum*, quod interdum falsum significat. Vide notata a Joan. Clerico in epist. Barnabæ cap. 2. Multis in hoc loco agit Augustinus ut redigat in concordiam Joannem dicentem I Epist. cap. I, 8: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus et veritas in nobis non est*, et cap. III, 9, negantem *natum ex Deo peccare*, tandemque hæc postrema verba intelligenda censet de peccato contra caritatem proximi. Multo melius interpretati sunt Joannem qui natum ex Deo habitu peccandi delinquere negant, sed tantum subita tentatione, aut infirmitate. Sic in plerisque omnibus, si quid paulo difficilius occurrat, cespitat bonus Augustinus, si præsertim dicta ejus cum recentiorum lucubrationibus conferantur.

## ANIMADVERSIONES

### IN EXPOSITIONEM EPISTOLÆ AD ROMANOS.

Hoc opus conscripsit presbyter Augustinus circa annum 394, cum ex communibus notionibus Scripturam interpretaretur. Quare in eo multa habet quæ mere Pelagiana sunt, ut vel ex Retractationum loco præfixo intelligere est. Mirum est hominem qui nunquam a quoquam propterea damnatus fuerat quasi hæreticus, imo vero ab omnibus laudatus, postea in eadem dogmata invectum esse, quasi cum religione Christiana consistere non possent. Si nunquam tamen exortæ fuissent rixæ Pelagianæ, in iis sententiis mortuus esset. Imo vero fortasse nunquam ita invectus in eas fuisset, nisi Pelagius aliquid in ejus scriptis carpsisset. In libro de Dono perseverantiæ, cap. 20, num. 53, narrat his verbis primam indignandi in Pelagium occasionem: *Quid meorum opusculorum frequentius et delectabilius innotescere potuit, quam libri Confessionum mearum? Cum et ipsos ediderim antequam Pelagiana hæresis exstitisset; in eis certe dixi:* DA QUOD JUBES ET JUBE QUOD VIS. *Quæ mea verba Pelagius Romæ, cum a quodam fratre et coepiscopo meo fuissent eo præsente commemorata, ferre non potuit, et contradicens aliquanto commotius, pene cum eo qui illa commemoraverat litigavit.* Hinc prima origo mali, nam nihil magis irritabile est scriptoribus qui pro scriptis postea, tanquam pro aris et focis pugnant.

*Proposit.* 44. Ad Rom. VII, 19, 20. *Nunc enim homo describitur sub lege positus ante gratiam. Tunc enim peccatis vincitur, dum viribus suis juste vivere conatur, sine adjutorio liberantis gratiæ Dei. In libero autem arbitrio habet ut credat liberatori, et accipiat gratiam, ut, jam illo qui eam donat liberante et adjuvante, non peccet*, etc. ] Hæc sunt minimum Semipelagianismus, qui si tunc temporis non docebatur in Ecclesia, summopere temerarius erat Augustinus, qui loquebatur de re tam gravi, contra omnium sententiam; aut si docebatur, non capio qui damnari potuerint quasi novatores et exitiales hæretici qui id docebant, quod antea ubique docebatur et quod cum laude scripserat Augustinus. Cæterum hunc locum retractavit Augustinus, ut et alia quædam quæ Pelagio favebant. Sed ad hunc locum quod attinet, optimi quique interpretes hic esse vere μετασχηματισμὸν agnoscunt, quo Paulus veluti in suam personam transfert, quæ ad hominem non regeneratum pertinent; quod extra omne dubium posuerunt.

## ANIMADVERSIONES

### IN EXPOSITIONEM EPISTOLÆ AD GALATAS.

§ 24. Profertur sic vers. 19 cap. III. Epist. ad Galatas: *Quid ergo? Lex, transgressionis gratia, proposita est, donec veniret semen, cui promissum est, dispositum per angelos in manu mediatoris.*] Est mera depravatio, cum in interpunctione, tum in voce *dispositum*. Græca habent: Τί οὖν ὁ νόμος; τῶν παραβάσεων χάριν προσετέθη, ἄχρις οὗ ἔλθῃ τὸ σπέρμα ᾧ ἐπήγγελται, διαταγεὶς δι' ἀγγέλων ἐν χειρὶ μεσίτου. Vulgata hodierna: *Quid igitur lex? propter transgressiones posita est, donec veniret semen cui promiserat, ordinata per angelos in manu mediatoris.* Atque ita legi oportere res ipsa ostendit, agnovisseque Augustinus, si meliores codices contulisset. Sic enim legit Pelagius in Commentario ad hanc Epistolam, si modo illic mutata ejus verba non fuerint. Sic quoque *Ambrosiaster* ille cujus Commentarii in Epistolas Pauli Ambrosio sunt conjuncti. Sed perinde erat Augustino quomodocunque legeretur, ex quibusvis sensum quemvis elicere parato, nec orationis seriem evolvere curanti. Sæpe non felicius sensum expedivit, ubi rectam lectionem secutus est, quam ubi falsam. At laudari non potuit, quod cum esset tiro, nam expositionem hanc etiamnum presbyter conscripsit, et præterea Græcæ linguæ imperitus, difficillimos Novi Testamenti libros, Epistolas ad Romanos et ad Galatas, interpretari aggressus sit, ne emendatis quidem codicibus sibi comparatis. Hæc ejus zelo bonoque animo condonanda quispiam forte existimabit; nec intercedo, modo ne laudentur quæ venia indigent, aut ne vituperentur meliora, iis præsertim collata, quod a multis tamen, inscitiane dicam, an partium studio? fieri solet.

§ 40. *Unde et Joannes* ad *Parthos dicit:* Scribo vobis, patres, *etc.*] Verba exstant I Joan. II, 13. Sic recte editum a Benedictinis, non *ad Patres*. Vide in-

scriptionem tractatuum in hanc ipsam epistolam, et adi Hugonem Grotium, interpretum Scripturæ facile principem, ad I Epist. Joannis.

§ 64. *Ego enim stigmata Domini Jesu Christi in corpore meo porto.*] Verba sunt Apostoli Gal. VI, 17, quæ ita interpretatur Augustinus : *Id est, habeo alios conflictus et certamina cum carne mea, quæ in persecutionibus quas patior mecum dimicant.* His lectis, nemo non exspectet Augustinum loquturum de stigmatibus militum, de quibus hunc locum nonnulli interpretantur. Sed audi sequentia : *Stigmata enim dicuntur notæ quædam pœnarum servilium; ut si quis, verbi gratia, servus in compedibus fuerit propter noxam, id est, propter culpam, vel hujusmodi aliquid passus fuerit, stigmata habere dicatur; et ideo in jure manumissionis, inferioris est ordinis.* Quæ ut vera habeantur, nihil tamen ad interpretationem ejus faciunt. At hinc colligere potuit, Paulum hoc velle, servum se esse Christi, quod stigmata veluti a Christo ei impressa significabant. Præterea hic *stigmata* intellexerim, κατ' ἀντίθεσιν ad stigmata superstitiosa idololatrarum, de quibus H. Grotius et Henr. Hammondus ad Apoc. XIII, 15. Cæterum *stigmata* non proprie vibices dicebantur, sed inscripta puncta quibus interdum fugitivi servi notabantur; unde στιγματίαι dicti, ut docebunt Græci lexicographi.

# IN TOMUM QUARTUM.

## DESIDERIUS ERASMUS AD LECTOREM.

Enarrationes sacrorum voluminum apud populum habitas, quas Græci vocant homilias, divus Augustinus appellat *tractatus :* nos conciones possumus appellare. In his fere solebant notarii quod dicebatur excipere; nonnunquam qui dicturus erat, vel antequam diceret, digerebat in schedulam quod parabat dissere re, vel quod dixerat litteris mandabat. In hoc dictionis genere, multa dantur auribus imperitæ promiscuæque multitudinis. In primis aliquot psalmis astrictior est et accuratior. In posterioribus identidem exspatiatur in longas digressiones, mutata, ut apparet, voluntate. Lege diligenter, reperies arcanæ doctrinæ thesaurum inæstimabilem. Vale.

## ANIMADVERSIONES
### IN ENARRATIONES IN PSALMOS.

Futo ab Erasmo, nomine *arcanæ doctrinæ*, intelligi sensus psalmorum allegoricos; nam quid aliud hic arcanum dici possit non intelligo : neque enim ad litteralem sensum eruendum quidquam est in psalmorum Enarrationibus quod non cuivis et ubique occurrat. Ad theologiam vero atque ethicam Christianam quod attinet, nihil est hic reconditi et minime vulgaris. Sunt, nimirum, Enarrationes ad rudem plebeculam, suspensis auribus omnia bibere paratam, instituendam; non doctis ac verorum Scripturæ sensuum studiosis scriptæ. Duo mihi videntur a psalmorum interprete posse postulari. Prius est ut, ante omnia, ostendat quis sit sensus proprius ac grammaticus, qui *litteralis* vocari solet. Is autem sensus inveniri non potest, nisi diligenter Hebraica consulantur; utque facilius intelligantur, interpretes studiose inter se conferantur. Nam prorsus pendere ex vitiosa forte versione, aut, quod pejus est, ex ipsius versionis non meliore in aliam linguam translatione, et velle tamen Scripturam interpretari, hoc profecto est in tenebris micare. Itaque ad authentica et autographa Scripta confugiendum. Hæc autem plane neglecta sunt ab Augustino, et quod non posset Hebraïcum textum ac interpretes illos consulere, et quod nollet in sensu litterali hærere. Hinc autem factum est, non tantum ut sententiam ipsius psalmi assecutus passim non sit, sed etiam ut ne ipsos quidem LXX interpretes intellexerit, quorum sæpe barbara ac obscura translatio melius multo ex Hebraico textu intelligitur, quam si sola legatur. Præterea ubi litteralis sensus simplex atque apertus est, minime opus fuit illo deserto ad spirituales divagari; quod tamen perpetuo ferme facit Augustinus, et quidem ita ut sibi propterea mirum in modum plaudat. Sic ille quæ obscura sunt minime reddit labore suo clariora, et quæ sunt perspicua quam maxime obscurat. Exempli cau a litterali sensu psalmi CXIX ferme nihil est apertius; totus quippe de præstantia deque observatione divinæ legis agit; nec potuit quidquam tractari aptius a propheta, cum ut seipsum ad observandam legem confirmaret, tum etiam ut populares suos ad morum sanctitatem adduceret. Hisce tamen spretis, quasi spiritu prophetico parum dignis, quæsivit Augustinus sensus de quibus nemini unquam in mentem venisset qui litteralem sententiam probe perspexisset, pulcherrimaque ejus consectaria perspexisset. *Quanto,* inquit de illo psalmo, *videtur apertior, tanto mihi profundior videri solet, ita ut etiam quam sit profundus demonstrare non possim. Aliorum quippe, qui difficile intelliguntur, etiamsi in obscuritate sensus latet, ipsa tamen apparet obscuritas; hujus autem nec ipsa, quoniam talem præbet superficiem, ut lectorem atque auditorem, non expositorem necessarium habere credatur.* Quis non videt Hipponensem episcopum hic nodum in scirpo quæsivisse; quia, in simplici interpretatione, non potuisset suam illam, quam ei exprobrat Erasmus epist. 67, lib. XX, ἀπεραντολογίαν ostentare, ut fecit? Ingeniosi et docti viri putabant esse illa sæcula, multum loqui de re quæ eloquentiæ nullum argumentum præbere videbatur.

Alterum, quod ab interprete psalmorum postulari queat, situm est in sensu spirituali eruendo; qua in re sequenda est apostolorum cynosura, ut ita loquar. Nimirum, loca Psalmorum in Novo Testamento prolata ut prophetica, explicanda sunt ita,

ut liqueat non frustra fuisse ab apostolis laudata. Quam in rem adhibenda sunt omnia criticæ sacræ subsidia, quibus fere destitutus fuit Augustinus, qui propterea rem præstare non potuit. Sed quia apostoli loca nonnulla psalmorum spirituali sensu intellexerunt et interpretati sunt, propterea non sequitur a quovis, qualibet de causa, omnia pro arbitrio in spirituales sensus posse torqueri; quod tamen perpetuo, et quidem cum magna laude rudium sæculorum, eorumque qui illa imitati sunt, factitavit Augustinus. In illis citationibus apostoli sæpe, ut quidem videtur, ad traditiones opinionesque Judaicas respexerunt, ex quibus contra sui ævi Judæos merito ratiocinabantur; ita ut sint argumenta quæ a logicis vocantur *ad hominem*, quibus apud alios, quasi firmis, usi non fuissent. Sæpe etiam spiritus B propheticus quo afflati erant apostoli, non minus ac antiquiores vates, quædam iis aperuit quæ nos alioqui fugissent. Itaque nemo non illorum auctoritati assensum præbet, nemo dubitat quin recte citata sint ab apostolis illa loca; cum tamen æquo animo nemo patiatur nunc a quovis ita Veteris Testamenti Scripturam explicari. Ac sane cur sinamus ea nobis magna verborum pompa obtrudi, ab hominibus minime afflatis, imo etiam imperitis, quæ si negentur nullo modo probari possint? Cur quasi sacrosanctum habebitur quidquid declamatoribus in buccam veniet de quovis Scripturæ loco? Quis tandem erit modus somniorum, in re usque adeo seria, si statuamus talia admitti oportere?

Igitur exiguus quidem est usus harum Augustini C declamationum ad intelligendos Psalmos; sed non inutiles fuerunt olim ad docendam plebem, eamque ad virtutem excitandam, quia etiam ea quæ præter rem et alieno loco dicuntur, utilia esse possunt, si modo sint vera. Itaque legantur hæc quasi conciones ac miscellæ quædam meditationes theologicæ atque morales, non quasi interpretationes Scripturæ; excerpantur ex iis recte, acute, ingeniose dicta, eaque commodis occasionibus adhibeantur, laudato auctore; tribuetur Augustino quidquid honoris ei debetur, nec ejus opera suo fructu carebunt. Quisquis volumen aperiet, et aliquot in eo paginas leget, verissimum esse et æquissimum quod diximus comperiet. Attamen aliquot exemplis rem illustrabimus, neque enim in hoc ingens volumen notas conscribere D aggredimur; nec vero ullius id esset fructus, qui quidem laborem expendendum æquare posset.

Psalmo I. Versum 1 sic interpretatur : *De Domino nostro Jesu Christo, hoc est, homine Dominico accipiendum est.* Quid ita? Beatus profecto erat et re et spe quisquis divinam legem observabat; ideoque absurdum hæc Christo violenter aptare, quæ optime omnibus conveniunt. Huc respexit auctor Expositionis psalmorum, perperam Hieronymo tributæ, quæ edita est in calce tomi II operum Hieronymi, Lutetiæ anno 1699. *Quidam*, inquit scriptor illius Expositionis, *istius psalmi clavem super Christi Domini nostri personam esse referendam, ut beatus iste vir secundum hominem Christus sit. Bona quidem voluntas, sed imperitia est.* Vere, quamvis ipse sit exigui pretii interpres.

Ibidem, ad hæc verba : *In cathedra pestilentiæ non sedit*, hæc habet Augustinus : *Noluit regnum terrenum cum superbia; quæ ideo* cathedra pestilentiæ *recte intelligitur, quia non fere quisquam est qui careat amore dominandi, et humanam non appetat gloriam. Pestilentia est enim morbus late pervagatus, et omnes aut pene omnes involvens.* Sed quamvis sedeant reges in cathedra, aut in solio, ubicunque occurrit vox *cathedræ*, non agitur ideo de regno; nisi circumstantiæ loci eo lectorem deducant, quales hic nullæ sunt. Quamvis *pestilentium* potius quam *pestilentiæ* vertendum fuerit, ut mox dicam, attamen hac etiam posita lectione, facile potuit intelligere Augustinus hic sermonem esse de consessu hominum pestilentium, si paulo peritior fuisset artis criticæ. Docet hoc apertissime psalmus XXV, 4, 5 (sequor hic Græcam divisionem), ubi ita psaltes ex antiqua versione : *Non sedi cum concilio vanitatis, et cum iniqua gerentibus non introibo. Odivi ecclesiam malignantium, et cum impiis non sedebo;* ut et psalm. XLIX, 21; CXVIII, 23. Nimirum, homines otiosi solent una sedere in locis publicis, aut in quæ convenire solent, atque aliorum famæ maledicis sermonibus detrahere. Hinc Theophrastus Character. 29, qui est maledicentiæ, sic de maledico loquitur : Συγκαθήμενος δεινὸς περὶ τοῦ ἀναστάντος, εἰπεῖν, *sedens inter alios, paratus ad loquendum de eo qui surrexit.* Exemplum etiam καθεζομένων ἐν ἰατρείῳ ψογερῶν, *sedentium maledicorum in medici officina* habemus apud Ælianum Var. Hist. lib. III, cap. 7.

Atque hoc quidem facilius intellexisset Augustinus si oculos conjecisset in versionem Græcam, quæ habet λοιμῶν, quæ vox frequenter significat *homines pestiferos.* Quod si præterea contulisset cum hac versionem Aquilæ, intelligere potuisset esse vocem hic Hebraicam, quæ soleret a Judæis verti χλευασταί, *irrisores.* Unde etiam rescivisset hic esse nomen pluralis numeri, ex quo liquebat interpretem Latinum male vertisse *pestilentiæ;* et cum vix dici posset *cathedra pestilentiarum*, voce λοιμοί significari *pestiferos homines.* Vel ex enarratione Ambrosiana hujus psalmi hæc partim discere potuit, si eam consuluisset.

Ibid. ad vers. 2. *Sed in lege Domini fuit voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte;* sic ratiocinatur : *Justo non est lex posita, ut dicit Apostolus; sed aliud est esse in lege, aliud sub lege. Qui est in lege, secundum legem agit; qui est sub lege, secundum legem agitur. Ille ergo liber est, iste servus.*] Quia olim Numidis et aliis Afris, qui doctiores non erant, hæc pulchra visa sunt, eruntne etiam nobis eximia habenda? Quæ si a nobis prodirent, exsibilarentur, an plausibus excipientur? Non puto. Itaque dicemus, cum pace et Numidarum et aliorum omnium quibus talia olim placuerunt, 1° locum Pauli plane extra rem esse; 2° non dici hic quemquam

esse *in lege*, sed ejus *voluntatem esse in lege*, hoc est, ex constantissimo linguæ Hebraicæ usu, lege divina delectari, eique libenter parere; 3° distinctiunculam *sub lege* et *in lege* inanem esse, cum nemo dicat, *Voluntas ejus est sub lege*. Pergit tamen argutari bonus Augustinus his verbis : *Deinde aliud est lex quæ scribitur et imponitur servienti; aliud lex quæ mente conspicitur ab eo qui non indiget litteris.* At de nulla alia lege hic agitur quam de Mosaica, quæ scriptis consignata erat et omnibus Judæis imposita, nemine excepto. Loquitur enim hic David, homo Hebræus, et quidem de hominibus suæ gentis, qui legem scriptam habebant, eamque observabant.

Ibid. *Meditabitur die ac nocte, aut sine intermissione intelligendum est.* Optime, si deleas illud *aut*. Sed fluctibus academicis abreptus, etiam in re clara, addit : *aut* die, *in lætitia*, nocte *in tribulationibus*. Fateor aliquando *luce* res secundas, *tenebris* adversas significari; sed *facere quidpiam die et nocte* nunquam significavit in secundis et in adversis. Quia voce quapiam aliquid in certo situ significatur, ideo non sequitur, ubicunque occurrat, eodem modo posse eam intelligi. Sed exempla ejus audiamus, nam duo profert : *Dicitur enim* (Joan. VIII, 56) : *Abraham diem meum vidit et gavisus est. Et de tribulatione dicitur : Insuper et usque ad noctem emendaverunt me renes mei;* psal. XV, 7. Sed in verbis Christi, *dies* lætitiam non sonat, verum tempus quo futurus erat in terris; locus vero psaltæ *etium noctibus erudierunt me renes mei*, nimis obscurus est quam ut quidquam probare queat, et aliter commodius intelligi potest, ut quivis docebunt interpretes ex recentioribus.

Ibid., § 3. Hæc sunt verba vers. 3 : *Et erit tanquam lignum quod plantatum est secundum decursus aquarum.* Vel pueri intelligant hic esse similitudinem, quæ nonnisi integra explicari potest, et quidem ita ut ostendatur quam sit apta tota similitudo, non ut particulatim discerpatur. Attamen, prolatis his verbis, sic ea interpretari aggreditur Augustinus : *Id est, aut secundum ipsam sapientiam quæ dignata est hominem suscipere ad salutem nostram; ut ipse homo sit lignum plantatum secundum decursus aquarum : potest enim et hoc intellectu accipi quod in alio psalmo* (LXIV, 10) *dicitur : fluvius Dei repletus est aqua.* Sed primum quis nescit in similitudine rem unde similitudo ducitur, esse *ad litteram*, ut loquuntur, intelligendam? Ne ipse quidem Augustinus hoc ignoravit, sed argutandi immodica et intempestiva cupiditas et Africana ἀπεραντολογία obstitit ne judicio suo uteretur. Præterea nec locus psalmi LXIV, 10, similis est, nec id significat quod vult. *Fluvius* enim *Dei* illic est Jordanes, ut recte ex Theodoro, credo, Mopsuesteno, notavit Lud. Ferrandus. Pergit noster eodem acumine : *Aut secundum Spiritum sanctum, secundum quem dicitur : ipse vos baptizabit in Spiritu sancto*, etc. Nemo neget Spiritum sanctum conferri sæpe cum aqua; sed in hac similitudine non potest significari *decursibus aquarum*. Tertia post affertur interpretatio prioribus absurdior : *Aut secundum populorum peccata, quia et aquæ populi interpretantur in Apocalypsi, et decursus non absurde intelligitur lapsus, quod pertinet ad delictum.* O acumen! O Numidas patientibus auribus, aut oculis præditos! Talia hodie a nostratibus sine risu non audirentur. Sed audi cætera : *Lignum ergo illud, id est Dominus noster de aquis decurrentibus, id est populis peccatoribus, trahens eos in via in radices disciplinæ suæ.* Quam hæc contorta sint non opus est monere, dicam tantum oblitum esse Augustinum, virum illum *beatum* de quo vers. 1, conferri cum arbore plantata juxta aquam, quæ proinde non potest esse Christus, si idem ille *vir beatus* Christus sit, ut dixit. Neque enim in similitudine prior et posterior pars idem esse possunt. Fructum dabit, *hoc est, constituet Ecclesias; in* tempore suo, *hoc est, id est, postquam clarificatus est resurrectione et ascensione in cœlum*, etc. Qui felicissime versati sunt in interpretatione parabolarum Novi Testamenti, observant singulas partes similitudinum non esse nimium urgendas, sed duntaxat totam similitudinem esse aptandam toti rei de qua sermo est; quia nulla parabola nititur perfecta similitudine singularum partium, et quia non constat an minutas illas similitudines attenderit Christus. Hæc si animo reputasset Augustinus, hæc et alia multa in hisce Enarrationibus resecuisset.

Ibid., § 4 ad vers. 4. *Non sic impii, non sic; sed tanquam pulvis quem projicit ventus a facie terræ*, sic habet : *terra hic accipienda est stabilitas in Deo;* ad quod confirmandum profert loca Scripturæ, in quibus *terra* allegorice, ut putabat, id significat; sed cum omnia illa commenta allegorica sola negatione confutari queant, hic quoque locus respuit illam interpretationem; quia in hac similitudinis parte proprie sumenda est vox *terra*, ut ad superiorem similitudinem ostendimus.

Postea, *a cujus terræ*, inquit, *facie projicit ventus impium, id est superbia, quia inflat.* Feliciter vero inventum! Impius non dicitur hic *projici a facie terræ*, sed esse *tanquam pulvis quem projicit ventus a facie terræ;* hoc est, incertissimam esse et vilissimam apud Deum ejus conditionem : ut est, apud homines, pulveris vento agitati. Vide similem comparationem psal. XVII, 42, et psal. XXXIV, 5, et alibi.

Ibid., § 5, ad vers. 5. *Ideo non resurgunt impii in judicio.*] *Ideo, scilicet*, inquit, *quia tanquam pulvis projiciuntur a facie terræ. Et bene hoc eis dixit auferri quod superbi ambiunt, id est, ut judicent, ut hoc ipsum planius dictum intelligatur sequenti sententia :* neque peccatores in concilio justorum. Verum ubi *resurgere*, aut *surgere in judicio* significat judicem agere? si consuluisset aut Hebraicum textum, aut Judæum, accepisset verbum quo hic utitur David non tam significare *resurgere* quam *stare;* unde collegisset hoc velle psalten, in judicio non posse consistere impios hoc est, fore ut causa cadant. Vide Isaiæ VII, 12 Malach. III, 2, Rom. XIV, 4, et Hug. Grotium ad hunc locum.

Psalmo II, § 6, ad verba vers. 6. *Ego hodie genui te. Quanquam etiam*, inquit, *possit ille dies in prophetia dictus videri quo Jesus Christus secundum hominem natus est, tamen* hodie, *quia præsentiam significat, atque in æternitate nec præteritum quidquam est, quasi esse desierit; nec futurum, quasi nondum sit; sed præsens tantum, quia quidquid æternum est semper est; divinitus accipitur secundum id dictum*, Ego hodie genui te, *quo sempiternam generationem virtutis et sapientiæ Dei, qui est unigenitus Filius, fides sincerissima et catholica prædicat.*] Quamvis hæc interpretatio non sit Augustino peculiaris, observandum tamen ante omnia psalmum hunc explicandum fuisse de Davide, qui de se loquitur; deinde sublimiori sensu de Christo, quoniam ita hunc psalmum intellexerunt Apostoli. Ad Davidem quod attinet, *genitus* tunc a Deo dicitur, cum est rex constitutus, nam reges dicuntur *filii Altissimi*, psal. LXXXI, 6. Ac sane ad regnum ejus respici liquet manifesto ex antecedentibus et consequentibus. Ad spiritualem sensum quod spectat, si negavero *hodie* usquam in Scriptura sumi de æternitate, non erit cur timeam ne quis erroris me arguat; nec est Scriptura ex philosophis dogmatibusque Platonicis, sine ratione, explicanda, ut fecerunt hic et alibi multi Patres. Deinde quandoquidem apostoli nos docuerunt hic sermonem esse de Christo, quod alioquin ignorassemus, ab iisdem etiam apostolis petendus fuit genuinus hujus loci sensus; qui ab eis minime refertur ad æternam generationem, sed ad potestatem post resurrectionem in Christum collatam; nam de resurrectione ejus hunc locum explicat Paulus Act. XIII, 33. Scriptor vero ad Hebræos de ejus sacerdotio, quo in cœlo præsertim functus est, cap. V, 5. Malim cum illis sentire quam cum Platonicis. Quod visum etiam Hilario, qui ad psal. II, § 30, edit. Benedictin.: *Non ad virginis*, inquit, *partum*, *neque ad lavacri generationem*, *sed ad primogenitum ex mortuis pertinere apostolica auctoritas est.*

Ibid., § 10. *Apprehendere disciplinam* interpretatur Augustinus intelligere erudiri; nec sane aliter potuit. Sed si Hebraica consuluisset, hic singularem invenisset prophetiam de Christo; nam est נשקו בן *osculamini filium*, quod de osculo, honoris causa, quasi regi ferendo recte intelligunt recentiores. Vide Gen. XLI, 10; I Sam. X, 1.

Psalmo III, § 1. Quamvis hæc sit inscriptio psalmi: *Psalmus David, cum fugeret a facie Abessalon filii sui*, sic enarrationem suam orditur Augustinus: *Hunc psalmum ex passione Christi accipiendum persuadet quod dictum est:* Ego dormivi et somnum cepi, et exsurrexi quoniam Dominus suscipiet me. *Magis enim hoc ad passionem et resurrectionem Domini congruenter sonat, quam ad illam historiam in qua David scribitur fugisse a facie bellantis adversum se filii sui.* Nescio qua ratione præcaveri potuissent contortæ allegoristarum interpretationes, cum ne apertissima quidem inscriptio psalmi hujusce nostrum coercere potuerit ne allegoricis somniis indulgeret. Nam locus quidem quem profert nullo modo quadrat in historiam mortis et resurrectionis Christi, contra optime conditioni Davidis convenit. Cum multi de hoc actum esse putarent, quia longe maxima pars Israelitarum Absalomum sequebatur, ait propheta se ad Dei auxilium confugisse, atque ab eo exauditum fuisse, continenterque addit verba allata, *ego dormivi*, etc., quæ aptissime significant securitatem ac tranquillitatem animi Davidis, postquam in Deo fiduciam suam posuerat. Similiter describitur securitas psalm. IV, 9. Cur ergo alius erat quærendus sensus, cum hic pulcherrimus esset, et eximia documenta non desperandi, sed fiduciæ in Deo collocandæ, nobis præberet? Nempe, ut, neglectis quæ ante pedes erant, ea quæ rerentur quorum alioquin in mentem nemini venisset; quod ferri posset, nisi sententia quæ primum animo sese objicit optima esset verbisque convenientissima; ea vero, quæ procul accersita est, coacta esset et a verbis serieque orationis aliena.

Sed audiamus Augustinum ingenio suo mire abutentem. Quidam significari vult nomine *Absalom*, ut Christum *Davidis* persona. Tum addit: *A cujus facie fugisse quanquam historice possit accipi, quando, illo discedente, secessit cum cæteris in montem; tamen spiritaliter quando mentem Judæ Filius Dei, id est, virtus et sapientia Dei deseruit..... bene accipitur a facie ejus Christum fugisse.* Neque historicus, neque spiritualis sensus ferri potest; nisi ab iis qui in Scriptura vident quidquid volunt, ut pueri in nubibus.

At non parum hominem impedivit significatio nominis *Absalom*; sic enim loquitur: *Absalon autem, sicut quidam interpretantur, in Latina lingua dicitur* patris pax; *quod mirum videri potest, sive in historia Regnorum, cum bellum adversus patrem Abessalon gesserit; sive in historia Novi Testamenti, cum traditor Domini Judas fuerit, quemadmodum* patris pax *posset intelligi.* Si Absalomo nomen, post mortem demum, fuisset impositum, aliud sine dubio nactus fuisset; sed qui infanti imposuerant non præviderant eum olim bellum cum patre gesturum. Multo minus intelligere poterant fore olim rhetorem Numidam qui vellet Absalomi nomine significari Domini sui proditorem. Sed quis non miretur, post fictam a se allegoriam, Augustino mirum videri commento suo non bene convenire cum nomine Absalomi? Cur non potius commentum illud abjecit? Sed postea sese expedit, eo quod David in eo bello peccatus Absalomo fuerit, quia illi parci volebat, et quod Christus Judam æquo animo inter suos tulerit. Sic id genus conjectoribus nunquam deest posticum quo evadant, si alia via non possint. Si forte nomen filii Davidis bellicum quiddam significasset, quanto cum plausu hæc figmenta accepta fuissent; quæ ne plausu quidem caruerunt, quamvis pacificum quiddam sonet?

Ibid., § 3, ad hæc verba vers. 4. *Tu autem, Domine, susceptor meus es*, sic scribit: *Secundum hominem dicitur Deo, quia hominis susceptio est Verbum caro factum.* Tota vis hujus interpretationis petita est

ex voce *susceptor*, quia Verbum dicebatur *suscepisse* carnem humanam. Sed propheta non loquebatur Latine. Habet hic Hebraice : *es clypeus pro me*, cujus locutionis sensum, potius quam proprietatem vocabulorum, interpretati Græci habent, ἀντιλήπτωρ μου εἶ, hoc est, *adjutor meus es;* nam male versum *susceptor*. Sic ex mala versione ingens deduxit mysterium Augustinus. Si verum amamus, aut plura debuit sibi comparare subsidia, aut munere interpretis abstinere, dum omnibus esset destitutus, excepta Punica ἀπεραντολογία.

Ibid. *Exaltans caput meum. Mentem*, inquit, *ipsam humanam hic accipiendam puto, quod* caput animæ *non absurde appellatur.* Imo absurde fingitur locutio, cujus in nulla lingua exemplum unquam auditum est: præsertim cum in promptu sit commodissima interpretatio, quam vide apud Martinum Geierum et alios interpretes.

Ibid., § 4, ad verba vers. 5. *Voce mea ad Dominum clamavi; id est*, inquit, *non corporis voce, quæ cum strepitu verberati aeris promitur*, etc. Quidni? an indecorum fuit Davidi clara et magna voce Deum invocare, cum in tantis angustiis versaretur? Ego quidem non putarim. Attamen negat Augustinus voce ad Dominum clamavi *recte dici, nisi cum sola anima nihil carnis, nihilque carnalium intentionum in orationem attrahens loquitur Domino, ubi solus audit. Clamor autem etiam iste dicitur, propter vim ipsius intentionis.* Nolim equidem negare translatitio significatu posse dici *clamare ad Dominum* eos qui sine verbis atque intra animum eum orant; sed pernego vere et proprie non dici clamare eos qui revera clamant.

Ibid. *Et exaudivit me de monte sancto suo. Montem quidem*, inquit, *ipsum Dominum per prophetam dictum habemus, ut scriptum est*, Dan. II, 35. Verum ut concedamus apud Danielem Christum montis imagine describi, an propterea quotiescunque montis Domini mentio occurret, credemus agi posse de Christo, etiam ubi circumstantiæ adversantur, ut hic? Nemo Scripturæ peritus dixerit, et liquet hic de monte Sionis agi. Verum hanc interpretationem rejicit ipse Augustinus, nisi contorto quodam sensu : *Sed hoc*, inquit, *ab ipsius persona non potest accipi, nisi forte ita dicere voluit : de memetipso, tanquam de monte sancto suo, me exaudivit, cum habitaret in me, id est in ipso monte.* Quis unquam quidquam minus verisimile et ab omni usu Scripturæ sanctæ remotius audivit? Nec talia Augustino aliud agenti temere interdum effusa sunt; totum hoc opus, imo universa ejus opera scatent ejusmodi interpretamentis. Audi et sequens quod ipsi magis arridebat : *Planius autem et expeditius, si accipiamus exaudisse Deum de justitia sua, Justum enim ut innocentem occisum, et cui retributa sunt mala pro bonis, resuscitaret a mortuis et digna persequentibus tribueret.* Res ipsa verissima est, quis neget? Sed quomodo ex hoc psalmæ loco exsculpi queat, perpauci divinare possint. *Legimus enim*, inquit, *justitia tua sicut montes Dei*, psal. XXXV, 7. Ergone hinc sequitur *montem Dei significare justitiam Dei?* Quis unquam præterea audivit hanc locutionem antequam ea uteretur Augustinus, *exaudire de justitia?* Sunt inter recentiores heterodoxos qui insimulantur coactarum interpretationum; sed præ hac et similibus quæ in decem Augustini voluminibus quæ nobis supersunt, utramque paginam faciunt, omnia in illis sunt plana et facilia. Attamen heterodoxi conviciis ideo exagitantur, Augustinus ad cœlum laudibus tollitur.

Ibid. § 5. *Ego dormivi et somnum cepi. Non inconvenienter*, inquit, *animadverti potest quod positum est* Ego *ad significandum quod sua voluntate mortem sustinuit, secundum illud :* Propterea me Pater diligit quoniam ego depono animam meam, *etc.* Joan. x, 18. Quis unquam hanc esse emphasin in voce *Ego* cogitasset, nisi monitus ab Augustino? Sed si quis hoc negasset, quo exemplo potuisset probare? Nullo. Nam ad locum Joannis quod attinet, vocula *ego* non probaret Christum sponte esse mortuum, nisi alia addita essent quæ hoc perspicue significant.

Vidimus antea *somno* hic significari securitatem Davidis in mediis periculis, Dei auxilio freti. Itaque frustra Augustinus observavit *somnum pro morte positum innumerabiliter Scripturas continere.* Hoc enim ad ea loca pertinet in quibus aut constat agi de morte cujuspiam, aut certe nihil est quod eum sensum respuat. Nemo nescit hanc esse perpetuam interpretandi legem, ut ne quis ad metaphoricum sensum confugiat, dum proprio locus esse potest. Hic autem tota series orationis ostendit agi aut de vero somno, aut de securitate quæ est cum somno conjuncta.

*Nec quærendum est*, subdit Augustinus, *cur additum sit*, somnum cepi, *cum jam dictum esset*, dormivi. *Usitatas enim habent Scripturæ hujusmodi repetitiones, sicut in secundo psalmo multas ostendimus.* Quod habet de repetitionibus verum est, sed ab hoc loco alienum, in quo verba Hebraica sunt, שכבתי ואישנה, hoc est, *cubitum ivi et dormivi*, quæ sunt distincta. Igitur inania sunt quæ hac de re in superioribus verbis et in sequentibus habet Augustinus.

Ibid. *Hoc magis*, inquit, *animadvertendum est, quemadmodum in una sententia et præteriti temporis verbum posuit et futuri. Et* exsurrexi *enim dixit, quod est de præterito; et* suscipiet, *quod est de futuro, cum resurgere utique sine illa susceptione non posset.* Nihil est mirum Davidem hic uti verbo futuri temporis יסמכני *fulciet me*, aut *sustentabit me*, quia nondum erat liberatus a periculo sibi ab Absalomo creato cum hunc psalmum scripsit; composuit enim illum in ipsa fuga, ut inscriptio docet. Igitur præter rem sunt quæ adduntur de prophetia futura præteritis miscente.

Ibid., § 7. *Non est ita distinguendum* (vers. 8) *quasi una sententia sit :* Exsurge, Domine; salvum me fac, Deus meus, quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa. *Non enim propterea salvum facit, quia percussit inimicos ejus; sed potius, ipso salvo facto, illos percussit. Ergo ad id quod sequitur pertinet, ut iste sit sensus :* quoniam tu percussisti omnes ad-

versantes mihi sine causa, dentes peccatorum contrivisti; *id est, inde contrivisti dentes peccatorum, quoniam percussisti omnes adversantes mihi.* Imo vero David Deum orat ut ipsum tueatur ac servet, quoniam antea semper de omnibus ejus adversariis pœnas sumpserat. Petit ut priora beneficia novis cumulet.

De *dentibus* quæ argutatur Augustinus non excutiam, uti nec duplicem rationem qua hunc psalmum postea interpretatur de Ecclesia conjunctim cum Christo capite spectata, aut tropologiam quæ postea sequitur. Superiores animadversiones in manifesta luce locarunt judicium nostrum de hoc opere; ex quo præterea a lectore, tædii patiente et otio abundante, possint colligi nonnulla quæ pertinent cum ad mores et dogmata Ecclesiæ ejus ævi, tum ad Augustini ipsius peculiares sententias. Sed hæc sunt ex ingenti frigidarum allegoriarum et contortarum interpretationum cumulo eligenda.

Psalmo lxxvii, § 3. *Quamvis enim proprie dicatur Synagoga Judæorum, Ecclesia vero Christianorum, quia congregatio magis pecorum, convocatio vero magis hominum intelligi solet, tamen et illam dictam invenimus Ecclesiam.*] Recte observavit Isaacus Casaubonus, Exercit. 16 contra Baronium, num. 42, huic argutiæ occasionem esse quod *congregare* deducatur a *grex*, sed in Græca voce συναγωγὴ nihil simile quæri potest. Sed et Jac. II, 3, Ecclesia vocatur *Synagoga*. Casaubonum ipsum adi. Sed quis ferat hæc observari ex occasione vocis *Asaph*, ascripta titulo psalmi, et quæ *congregationem* significat? *Asaphus*, ut notum, auctor est duodecim psalmorum, fuitque Levita ex familia Gersonitarum, sacræ musicæ a Davide præfectus. Vide I Paral. VI, 31, 39.

Psalmo cviii, § 1. *Quædam dicuntur quæ ad apostolum Petrum proprie pertinere videantur, nec tamen habent illustrem intellectum, nisi cum referuntur ad Ecclesiam, cujus ille agnoscitur in figura gestasse personam, propter* Primatum *quem in Discipulis habuit*, etc.] De primatu Petri ex Augustino aliisque Patribus copiosissime egit Isaac. Casaubonus in exercitatione 15 ad Annales Cæs. Baronii.

# IN TOMUM QUINTUM.

## DESIDERIUS ERASMUS LECTORI (*a*).

Quæ sine controversia sunt Augustini, primo posuimus loco. Impudentissimum figmentum Sermonum ad fratres in eremo agentes, in suum angulum rejecimus: de quo suo loco nonnihil dicemus. Insunt et cæteris multa parum referentia phrasim et eruditionem Augustini, quorum aliquot notavimus.

## JOANNIS ULIMMERII

CANONICI REGULARIS MONASTERII S. MARTINI LOVANIENSIS PRÆFATIO DEDICATORIA AD SERMONES S. AUGUSTINI, ALIAQUE OPUSCULA A SE EDITA LOVANII, APUD HIERONYMUM WELLÆUM ANNO DOMINI MDLXIV.

Reverendissimo in Christo patri ac domino D. Martino Rithovio, Ecclesiæ Yprensis primo episcopo dignissimo, Joannes Ulimmerius perpetuam felicitatem.

Cum nihil in omni rerum natura tam firmum, stabile ac perpetuum sit, amplissime præsul, quod non vetustatis (quæ, ut scribit Varro, pauca non depravat, multa tollit) insignem aliquam injuriam sentiat: præclaram mihi reipub. litterariæ operam navare videntur qui eo omne studium, omnem industriam, omne denique tempus conferunt, ut veteres auctores quorum opera aut plane corrupta sunt, aut prorsus desiderantur, quam emendatissimos, quoad licet, in lucem emittant. Quod si quisquam alius, in B. Augustino summo catholicæ Ecclesiæ columine summa industria præstitit, certe doctissimus et diligentissimus vir D. Martinus Lypsius imprimis præstitisse videtur. Neque enim illi, qui se totum ei operi illigasse visus est, satis fuit ab innumeris mendis quibus undique contaminatus erat, Augustinum vindicare: nisi etiam variis bibliothecis quæ ob antiquorum voluminum copiam celebriores habebantur, pari labore atque diligentia pervestigatis, si quid usquam hactenus non excusum reperiret quod Augustinianum pectus, majestatem ac phrasim referre videretur, id reliquis ejus scriptis adjiciendum curaret. Neque sane pium hominis conatum successus usquequaque destituit. Nam præter tertium contra Gaudentium librum, quem Parcensium canonicorum bibliotheca nobis suppeditavit, præter epistolas, quæ duæ sunt supra viginti, horum quoque qui jam hic primum emittuntur, sermones aliquot, quibus veteres *De diversis* titulum indiderunt, variis in locis inventos collegit. Atque adeo cum cæteris ejusdem sermonibus excudendos dare constituerat, nisi bellico illo tumultu qui per Martinum Rossemum ea tempestate, in hac nostra Belgica, excitatus erat circumcirca omnia turbata fuissent. Quæ res certe multum nobis et calamitatis et detrimenti advexit. Nam ut taceam depopulatos agros, incendia domorum, abacta pecora, omnisque ætatis hominum captivitatem, et incredibilem jacturam, quam multi ex tam nefario ausu fecerunt; id etiam Augustini studiosis incommodi accessit, quod tam præclaro thesauro tanquam e subterraneis ac divitibus metallorum venis effosso hactenus carere debuerint. Ita sane ut quemadmodum

(*a*) Erat hæc præfatiuncula præfixa tomo X, in quem omnes Augustini sermones conjecerat Erasmus; in editione vero Parisina ordo et voluminum et sermonum plane mutatus est. Verum ne hanc quidem admonitiunculam omittere voluimus. Sermones ad Fratres in eremo de quibus hic vir summus, sunt in tomum VI rejecti, ubi breves Erasmi censuræ proferentur. Pherlponus.

Ausonius eleganter scribit catenatos esse labores, negotiumque ex negotio seri : sic vinculorum quadam periodo colligatas sibi esse calamitates malumque ex malo nasci, dicere liceat. Cum enim, ut dixi, bellorum strepitu, omnia circumquaque perstreperent, neque itinera satis tuta a militum impetu esse viderentur, et decimus Augustinianorum operum tomus sub prelo sudaret, lucemque jamjam cogitaret, frustra exspectavimus qui hanc sarcinulam in Germaniam deportaret. Unde non prius eo delata fuit quam is ad umbilicum usque, ut aiunt, pervenisset. Cum vero secunda editio in officina Frobeniana adornari diceretur, nos ne quid ulla ex parte nostro Augustino deesse posset, tum ne Lypsii opera quoquo modo periisse videretur, eam temporis iniquitatem nostro qualicunque labore resarcire conati, pleraque Augustini opera multo quam prius castigatiora, Basileam misimus. Inter quæ et decimus tomus, qui hactenus cæteris contaminatior fuerat, ad viginti et eo amplius vetusta exemplaria a nobis collatus, et ii quos jam emittimus sermones maxima ex parte fuerunt. Librarius vero ille omnibus retentis, et quinque duntaxat sermonibus delectis, reliquos, nescio qua ratione motus, suppressit, nec quidquam præterea ad nos remisit. Atque ea ratione quidquid antea laboris noster Lypsius devorarat, id summa cum nausea et tædio rursus nobis exantlandum fuit, tam in perquirendis iis quæ transmiseram, quam in describendis. Quod quanta me affecerit molestia (ut ne quid interim de sumptibus addam) haud facile dixerim : sed hoc unum boni accidit, quod, de quo antea nos post Lypsium et Costerium desperabamus, id aliud nobis agentibus, ac forte fortuna ejusdem B. Augustini vitam his adjunctam legentibus, repertum fuerit. Indiculum dico a Possidio episcopo prius in Vita promissum, posterius vero compositum, quem quidem quia eximius theologus D. Jacobus Pamelius, Brugis canonicus, mihi ad hos labores perferendos, non obtusum calcar sæpenumero addidit, ei dedicatum ac consecratum volui. Is enim tanto fervore tantisque impendiis veterum scriptorum ac præsertim theologorum opera conquirit, ut confidam eum aliquando quidquid ubivis terrarum Augustini delitescit, id totum in studiosorum utilitatem a tenebris asserturum ac quod nostris adnotationibus marginalibus deest, suppleturum esse. Cæterum nec hoc unum dolorem nostrum, quem ex suppressis D. Augustini sermonibus gravem conceperamus, mitigavit. Sed et alios plurimos sermones antea nunquam typis excusos invenimus, quos Lypsianis adjunctos, et immensis laboribus castigatos T. C. dedicare visum fuit. Multæ vero causæ sunt quæ me moverunt ut D. T. potissimum hæc offerenda existimarem : quas latius recenserem, nisi singularem tuam modestiam id ægre laturam arbitrarer, et vererer ne plerisque adulari magis quam ex animo loqui censeri possem. Hoc unum tamen silentio præterire nequeo, nihil mihi accommodatius visum esse quam ut episcopi monimenta episcopo dedicarentur ; eoque magis quod tui mores, eruditio, pietas, et omnis denique vitæ ratio cum Augustini virtutibus congruere videantur. Quanta illi suarum ovium cura fuit! quo ardore subditos suos ad perfectam et beatam vivendi rationem instituit! quam suaviter ac tempori convenienter variis concionibus ad pietatem vitæque sanctimoniam populum excitavit! At quis est qui non hæc in T. C. ut maxima suspiciat? Omitto quod solus fere episcoporum tecum monasterium clericorum habeas, quod et noster sanctissimus Augustinus de se profitetur in præclarissimis illis duobus sermonibus quos de communi vita suorum clericorum ad populum Hipponensem habuit. Quos ab Erasmo denique, nescio studione an oblivione aliqua omissos, postea vero suppositiis ac sermonibus eremiticis commixtos, ab iisdem resecui, et vitæ, quia plenissimam ejusdem divi mentionem faciunt, adnexui. Accipias itaque episcopus episcopum, Augustinum Augustinianæ vitæ ipse non minus admirator quam imitator, et hos sermones tuis commendare ne graveris, ut posthac a frigidioribus lectuque indignioribus rebus abstinentes, malint in studiis sanctioribus utilioribusque oleum operamque collocare. Porro operæ pretium non putavi, multa in medium adducere, quibus hæc vera ac germana Augustini esse, si qui forte sint temerarii censores, demonstrarem : tum quod tibi id persuadere difficile non sit, qui adeo ejus attentus lector semper exstitisti, ut ubique Augustinum quantumvis aliis immersum sese augusta quadam pietate prodentem agnoscas, tum quod Possidius, hæc in numero operum ejus recenseat, et (si quid veterum codicum consensio valet) in vetustissimis quibusque libris Augustini nomine legantur. At ne quis objiciat phraseos jugem ac perpetuam rationem habendam esse, sciat is iis id convenire qui libros tantum aut scripserunt aut dictarunt : concionanti autem apud vulgus promiscuum, qui possit, non video : cum sermo vulgi moribus attemperandus atque accommodandus veniat. Nam et D. Augustinus, quo diutius plebeis auribus concionando servivit, hoc magis remisit sermonis elegantiam, hoc etiam rusticiore, ne dicam contemptiore usus est orationis genere. Nam et mystica suum dictionis genus habent, nec iis quæ ad docendum parata sunt, Ciceroniana myrothecia conveniunt, huc accedit quod non semper in cathedralibus ecclesiis, ubi plerosque doctiores fuisse extra controversiam est, verum etiam in reliquis suæ diœcesios civitatibus et oppidulis, concionatus sit. Jam vero canescente potissimum Augustino, Africam ob Gothorum Vandalorumque incursiones assiduas, magna ex parte, infectam barbarie fuisse quis ignorat? Aut quis ex sancto Victore episcopo Vitensi discere non potuit? qui elegantissimum de hoc nostro antistite elogium describens : Qua, inquit, tempestate Hippone Regium obsessa fuit civitas, quam omni laude dignus beatus Augustinus, librorum multorum confector pontifex gubernabat. Tum illud eloquentiæ quod ubertim per omnes campos Ecclesiæ decurrebat, ipso metu siccatum est flumen, atque dulcedo suavitatis dulcius propinata,

in amaritudinem absinthii versa est : ut Davidicum præconium conveniret, dum consisteret peccator adversum me, obmutui et humiliatus sum et silui a bonis. Usque ad illud tempus ducentos jam triginta et duos confecerat libros, exceptis innumerabilibus epistolis, vel expositione totius Psalterii et Evangeliorum atque tractatibus popularibus, quos Græci homilias vocant, quorum numerum comprehendere satis impossibile est. Hactenus ille. Hæc et his similia, D. Paulini, Prosperi, Leonis, Fulgentii, Eugippii, Gregorii, aliorumque, quantæ apud omnes auctoritatis et æstimationis beatiss. Augustinus fuerit, testimonia allegare possem : nisi te divinas Augustini virtutes assidue meditantem, et tuos ipsius mores ad illarum normam exigentem, diutius interpellare mihi religio esset : quas si usquam, certe in his ad populum sermonibus amplissimas reperire licet. In quibus emaculandis et repurgandis, si non quod volui præstiti, certe quod potui. Nihil enim adeo unius alicujus opera absolutum reddi queat, ut non sit quod in eo desiderare liceat, quod egregie expertus est noster Lypsius, cujus incredibiles sudores, neque unquam æstimandæ vigiliæ, quas in Augustino emendando pertulit, abunde mihi exploratæ sunt; ut perpaucos futuros existimem, quos hac de re plura dicere gestienti, fidem habituros credam, nisi suis ipsi oculis mecum una, quid is præstiterit, periculum fecissent. Id autem jam mihi in mentem venit, quod nonnullos esse sciam, qui ipsius labores tanquam infrugiferos et parum utiles elevare ac passim arrodere cœperunt. Quos hoc unum oratos velim, ut candoris et humanæ imbecillitatis rationem habeant, neque omnia, si alicubi forte vel dormitatum vel cessatum sit, statim damnanda judicent. Dura enim imprimis est castigandorum librorum provincia, parum amœnitatis, plurimum vero molestiarum secum trahens : potissimum ubi sæpe codicum subsidiis destitutus, solam habeas divinationem : qua utcunque e labyrinthis ac tenebris eluctari queas, difficile id fuerit persuadere iis qui in hanc arenam nunquam descenderunt : quorum sane hoc est ad carpendum voluntas proclivior, quo magis id nesciunt quod calumniantur. His adde quod quamvis accuratissimus quisque eo totis nervis incumbat, ut auctor aliquis quam castigatissimus in lucem exeat, adeo id illi incuria operarum et negligentia præstare integrum non sit, ut etiam plures aliquando maculæ, ipsis aut nescientibus aut temere quidvis immutantibus, irrepsisse, quam radicitus exstirpatæ esse comperiantur. Atque hinc fieri arbitror, ut nonnunquam prior editio posteriori etiam laboriosissimæ a morosulis plerisque præferri soleat : quod et Lypsio obtigisse quidam magna voce stomachabundi quiritantur : ac ne mihi eveniat summopere metuendum existimo, dum aliis frequenter distracto adesse prælo non licuit. Nostrum itaque conatum ac qualemcunque laborem boni consule, præsul ornatissime, cui studiorum meorum rationem, quod ad ea amplectenda semper mihi auctor fueris; reddendam putavi : præsertim ne T. C. et ad tantum honoris apicem evectæ, et ex sacrosancto œcumenico concilio reduci, cum tam multi sint qui voce gratulabunda applaudant, unus ego tacere videar, quem singulari semper favore prosecutus videris. Oro autem Deum Opt. Max. ut T. R. C. et nobis et Ecclesiæ suæ quam diutissime servet incolumem, cui me etiam atque etiam commendo. Lovanii e nostro monasterio Martiniano, anno salutis 1564, mense Martio.

## JAC. SIRMONDI S. J. PRESBYTERI PRÆFATIO

AD S. AURELII AUGUSTINI SERMONES NOVOS NUMERO XL, EX DIVERSIS ANTIQUIS EXEMPLARIBUS COLLECTOS, EJUSDEM SIRMONDI STUDIO ET OPERA, EDITOSQUE PARISIIS APUD SEBAST. CRAMOISY, VIA JAC., SUB CICONIIS, 1631.

*Lectori.*

Sancti Augustini sermones qui hactenus latuerint, reperiri novos posse non mirabitur, qui ab Augustino ipso, a Possidio, a Victore Vitensi, et aliis, infinitam ejus tractatuum homiliarumque multitudinem prædicari meminerit. In his vero, quos damus in lucem, ut Augustini, quod proximum erat, non falsum fuisse titulum censeremus, confirmavit, partim vetustissimi et probatissimi exemplaris in cortice scripti auctoritas, partim Possidii ejusdem episcopi, et Bedæ presbyteri, plerosque ex iis laudantium præjudicium, cujus in censendis approbandisque Augustini operibus vim esse maximam, non erat ambiguum. Accessit et Roberti de Bardis, cancellarii olim Parisiensis, non antiquissimum quidem, sed minime contemnendum suffragium ; qui annis ab hinc trecentis *Collectorium sermonum sancti Augustini*, sic enim appellavit, singulari studio et industria condidit, universosque pro diversa ratione argumenti, quinque in partes tanquam in classes distribuit. Cujus operis cum partes duas priores in Bibliotheca Regia, singularum deinde omnium indicem amici opera nactus essem, ex cancellaria Parisiensi, gratulatus sum ab auctore, perpaucis exceptis, qui in ejus fortasse manus non pervenerant, nostros omnes in Augustinianis sine controversia numerari. Tute vero, lector, ut alii judices non sint, Augustini genium et facundiam hic statim agnosces. Cumque suavissimi sanctissimique Ecclesiæ magistri omnia plurimi facere merito soleas, erit tamen, ni fallor, quod in his sermonibus præcipue delectet, cum ad cæteras utilitates animadverteris non pauca continere quæ ad illustrandam illorum temporum memoriam historiamque conducant. Quæ nos itidem causa permovit ut in hunc libellum, quo frui omnibus possis, sermones etiam illos conferremus, qui postrema editione Parisiensi a nobis expressi, sed præter votum nostrum excusi fuerant, una cum fragmentis Nicolai Fabri : quæ et ipsa, hucusque manca et lacera, nunc tandem aliorum ope codicum pristinam ad speciem et nitorem explevimus. Fruere igitur feliciter, et vale.

## ANIMADVERSIONES

IN SERMONES.

Sermone 1. Class. 1, § 2. *Quid enim dicturi sunt, cum ipsum principium* (Genes. 1, 1.) *Filium Dei esse*

*respondero, in quo Deum fecisse cœlum et terram Genesis loquitur?* etc.] Utitur postea ad hoc probandum Joan. VIII, 25, quod confutavimus in Animadversionibus ad tom. III, de explicationibus Scripturæ, quæ sunt in hisce sermonibus, idem sentiendum ac de Psalmorum interpretationibus. Cæteroqui sunt hic quoque varia dogmatica, moralia et historica; quæ non sine fructu excerpi possunt ab hominibus otio abundantibus, atque in usum suum converti.

Sermone 2. De tentatione Abrahami, § 5. *Ergo impleta Abrahami devotionis obedientia, audit a Deo:* Nunc cognovi quoniam tu times Deum. *Quod ita intelligitur, quod Abraham fecerit Deus ut sibi innotesceret.*] Itaque hoc, ex sententia Augustini, vellet Deus: nunc feci ut ipse cognosceres te timere Deum. Sed contorta plane hæc est interpretatio, et qua admissa, non intelligo quæ alia, quod dura sit et coacta, poterit rejici. Audiamus tamen Augustinum exemplum, ut ipsi quidem videtur, simile ex Scriptura proferentem. *Sicut,* inquit, *quando loquitur propheta, quid dicimus?* dixit Deus, *plane dicimus. Dicimus etiam,* dixit propheta, *et utrumque recte dicimus,* etc. Verum quando dicimus: *dixit Deus,* intelligimus per prophetam, si quid ex prophetarum libris a nobis profertur: ut etiam cum de iisdem verbis dicimus, *dixit propheta,* intelligimus jussu aut nomine Dei, per eum loquentis. Nimirum, unus idemque effectus causæ *principali* et causæ *instrumentali,* ut metaphysici loquuntur, tribui æque vere potest, quamvis non eodem prorsus sensu; eaque est omnium linguarum consuetudo. At hic non possumus dicere perinde esse an dicas, *cognovit Abrahamus se timere Deum; aut, cognovit Deus se ab Abrahamo timeri.* Abrahamus enim hic non est instrumentum quo utatur Deus ad aliquid cognoscendum. Igitur multo satius erat agnoscere hic ἀνθρωποπάθειαν Dei, aut angeli sese moribus ac locutionibus humanis attemperantis, quam prorsus dissimilia inter se, quasi similia, perperam conferre.

Sermone 5. *De luctatione Jacob.*] In codice S. Victoris titulus est: *De lucta Jacob;* apud Possidium: *De luctatione Jacob cum angelis.* Secutus sum inscriptionem veteris exemplaris nostri, quam exhibet etiam codex bibliothecæ Regiæ, is qui Collectorium cancellarii Parisiensis, de quo præfatus sum, pro parte continet, præfixumque habet numerum CLXXXII. SIRMONDUS.

§ 5. *Jussit imperator Romanus jam Christianus, ut ad ipsam Jerusalem non accederent Judæi.*] Constantinus Magnus. Is enim ut docet Chrysostomus adversus Judæos homil. 3, Judæos, quod urbem suam contra interdictum instaurare aggressi essent, amputatis auriculis, male mulctatos in diversas regiones sparsit, ut terrori cæteris essent, ne idem in posterum conarentur. SIRMONDUS. — Recte, quidquid censeat Benedictinus, qui notulam hic addidit; nam nullius imperator Christianus ante Constantinum. Quod de Philippis jactatum ab Orosio, et aliis, hoc jam ab omnibus explosum.

Ibid. *Et sparsi per orbem terrarum facti sunt quasi custodes librorum nostrorum.*] Capsarios alibi Judæos vocat et librarios Christianorum. Tractatu in psalm. XL: *Major serviet minori modo impletum est; modo, fratres, serviunt Judæi. Tanquam capsarii nostri sunt. Studentibus nobis, codices portant.* Et in psalm. LVI: *Codicem portat Judæus, unde credat Christianus. Librarii nostri facti sunt. Quomodo solent servi post dominos codices ferre, ut illi portando deficiant, illi legendo proficiant.* SIRMONDUS.

§ 7. *Tractavi inde aliquando.*] Sermonem innuit ex his nostris 17 (editionis Parisinæ 244), qui est de verbis Evangelii: *Noli me tangere.* IDEM.

Sermone 6, § 2. Ostendit Deum per angelos apparuisse, quo in re multo melius ratiocinatur quam in superiori explicatione. Itaque eum paucis audiamus: *Quomodo ergo Verbum Dei, id est, Filius Dei, ut appareret oculis carnem assumpsit: sic semper Deus, ut appareret oculis hominum in aliqua creatura visibili apparere dignatus est. Nam apertissime habes in Actibus apostolorum* (Cap. VII, 30) *quia angelus apparuit Moysi in rubo. Nunquid ista Scriptura vera, et illa* (Exod. III, 2 et seqq.) *falsa est; aut illa vera et ista falsa est? Sed quid? si Christiani sumus, si bene credimus, ambæ sunt veræ. Si ergo ambæ sunt veræ, quomodo hic Deus apparuit; quomodo ibi angelus dicitur apparuisse, nisi quia ille spiritus qui in Actibus apostolorum dixit apparuisse angelum, exposuit hanc lectionem, quomodo apparuit Deus. Illa declaratio expositio est obscuritatis hujus; ne intelligeres Deum per seipsum apparuisse, illic tibi expositum est quemadmodum apparuerit Deus per creaturam, angelum. Sic quid miraris, quia dicitur, cum apparet angelus,* Dixit Deus, et vocabit Deus, *etc.? Quia non attenditur templum angelus, sed inhabitator angeli. Ipse enim angelus templum Dei erat.* Nihil verius. Hanc sententiam aliis in locis copiosius exposuit Augustinus, ut observavit Joannes Clericus ad Genes. XVIII, 1. Vide eumdem ea de re copiose agentem ad Gen. XVI, 13, et in indice ad Pentateuchum ad vocem *Angeli.*

Sermone 19. Ad titulum: *In basilica restituta.*] Quæ basilica major Carthagine, in qua sedes episcopi, ut tradit Victor Vitensis lib. I. Eadem in concilio Carthaginensi II duplici nomine appellatur *basilica Perpetua Restituta,* in cæteris deinceps conciliis quæ ibidem celebrata leguntur, *Restituta* simpliciter, ut hoc in loco. SIRMONDUS.

Ibid. *Die munerum.*] Vetus exemplar in fine sermonis: *Explicit sermo die munerum spectaculorum.* De gladiatorum itaque spectaculo accipiendum, quod proprie *munus* appellabatur, unde *gladiatorium munus* cod. Theod. de Gladiatoribus lege 2, et in calendario Romano Constantinianorum temporum, mense Decembri, quando committi gladiatores solebant, crebra muneris est mentio ex A. D. IV nonas, quo die initium muneris adnotatur usque in A. D. IX calendas Januarias, quo cruenta καὶ σκυθρωπὰ hæc spectacula desinebant, ut Julianus quoque Cæsar docet, extrema oratione sua in Solem. IDEM.

Voce *munus* significatos illo ævo frequenter non tantum gladiatorios ludos, sed et ferarum venationes

ostenderunt Franciscus Juretus ad Symmachi lib. VII, epist. 4, et Jacobus Gothofredus ad cod. Theodos. lib. VI, tit. 4, lege 4.

§ 1. *Quoniam iniquitatem meam*, etc.] Codex collegii Navarrici versum habet: *averte faciem tuam a peccatis meis.*

§ 4. *De regione felicitatis Christus venit, et hic eam nec ipse invenit. Irrisus est, exprobratus est, apprehensus est, flagellatus est, vinctus est, palmis cæsus est, affectus contumelia sputorum, spinis coronatus est, ligno suspensus; ad extremum Domini exitus mortis.*] Tria postrema verba sunt e psalmo LXXVII, 21; sed in alienum sensum plane detorta. Illic enim psaltes ait *exitus mortis Dei esse*, hoc est, mortem esse in Domini potestate; hic vero Augustinus ita hoc sumit, quasi significaret Dominum mortuum fuisse. Attamen hoc in loco, quasi per parenthesin, adnotarunt librarii: *hic acclamaverunt qui cognoverunt.* Cum sibilo dignis acclamaretur, quid supererat, nisi ut optima quæque fastidiose rejicerentur, aut oscitanter audirentur ab Afris? De acclamationibus hisce, vide notata ad opus de Doctrina Christiana lib. IV, cap. 24, in tom. III.

§ 6. *Terræ motus magni de Orientalibus nuntiantur, nonnullæ magnæ repentinis* (adde *casibus*, aut *ruinis*) *collapsæ sunt civitates.*] De his Marcellinus comes, in Chronico, Monaxio et Plinta coss., ad annum Christi 419: *Multæ Palæstinæ civitates villæque terræmotu collapsæ. Multæ tunc utriusque sexus vicinarum gentium nationes, tam visu quam auditu perterritæ, atque credulæ, sacro Christi fonte ablutæ sunt; omniumque baptizatorum in tunicis crux Christi Salvatoris, Divinitatis nutu, extemplo impressa refulsit.* Idatius quoque noster in Chronico: *Durante episcopo quo supra* (id est Joanne), *gravissimo terræmotu sancta in Hierusalem loca quassantur*; et in Fastis Monaxio et Plinta coss.: *His consulibus S. Joannes epistolam dirigit per Ecclesias orbis terrarum, quæ habetur, de signis terroribusque divinitus perpetratis.* SIRMONDUS.

Ibid. Præter ea quæ habet Marcellinus et Idatius, circumstantiam singularem addit Augustinus, in sequentibus verbis. Judæos enim docet fuisse eos in quorum tunicis cruces, postquam baptizati fuerunt conspectæ. *Territi*, inquit, *apud Jerosolymam, qui inerant Judæi, pagani, catechumeni, omnes sunt baptizati. Dicuntur fortasse baptizati septem millia hominum. Signum Christi in vestibus Judæorum baptizatorum apparuit. Relatu fratrum fidelium constantissimo ista nuntiantur.* Multo credibilius foret, si infidelium relatu confirmatum fuisset; fideles enim facile credebant sacerdotibus, quibus fides detrahi non semper tuto potuit et qui, jam iis sæculis, Christianæ religioni, fraudibus piis, famam recte parari putabant. Cum vero spargi ab episcopo quidpiam cœperat, alii totius ordinis, imo Christianæ religionis interesse putabant verum id videri. Indidem nata alia circumstantia, quam habet Marcellinus, loco a Sirmondo allato, et quæ cur omissa a doctissimo jesuita sit nescio; nisi forte fabellam exscribere eum piguit. Sic enim habent verba Marcellini, postquam dixit civitates villasque terræmotu collapsas: *Dominus noster Jesus Christus semper ubique præsens et super montem Oliveti Hierosolymæ vicinum sese de nube manifestavit. Multæ tunc utriusque sexus*, etc. Talium ineptiarum per sacerdotes dicta fama facillime inter imperitos spargebatur, altasque in animis radices agebat.

Ibid. *Sitifensis etiam civitas gravissimo terræmotu concussa est.*] Sitifis, quæ provinciæ in Africa nomen dedit, id est Mauritaniæ Sitifensi. De hoc ejus civitatis terræmotu an meminerint alii non habeo compertum. Episcopum sane Sitifi tum fuisse constat Novatum, qui et hoc ipso anno interfuit subscripsitque concilio Carthaginensi, post consulatum Honorii XII, et paucis ante annis collationi quoque Donatistarum adfuerat. SIRMONDUS.

§ 6. *Pauci quidem convenistis, sed si bene audistis, abundatis.*] Ideo pauci ad ecclesiam, quia plurimi ad spectaculum confluxerant. Chrysostomus de spectaculo circensi, in exordio sermonis *de Consubstantiali*: Πάλιν ἱπποδρομίαι, καὶ πάλιν ὁ σύλλογος ἡμῖν ἐλάττων γέγονεν: *Iterum circensia, et iterum ad nos pauciores convenerunt.* Asterius episcopus de festo calendarum: Πολλοὶ προτιμῶντες τὴν ἐκ τῆς ματαιότητος τρυφὴν καὶ ἀσχολίαν, ἀπελείφθησαν τοῦ κατὰ τὴν ἐκκλησίαν συλλόγου: *Complures, dum vanitatis inhiant voluptatibus, et in illis occupantur, ab ecclesiæ conventu abfuerunt.* SIRMONDUS.

Sermone 20, § 1. *Voce consona, voce concordi, pro ipso corde nostro, Dominum deprecantes diximus*, etc.] In Collectorio Sermonum pag. 3, et in codice S. Victoris CC 16, subjicitur sermoni *De humilitate agendæ pœnitentiæ et de psalmo* L, *Miserere mei Deus*, quæ est homilia 28 de quinquaginta. Quare illius in utroque inscriptio est: *De versu ejusdem psalmi, Cor mundum crea in me, Deus.* Cæterum quæ desiderabantur in exemplari scripto in cortice, quod mutilum et acephalum erat, omnia supplevimus ex Victorino. Collectorii enim 3 partis et sequentium solum indicem nacti sumus. SIRMONDUS.

*Post sermonem.*] Similis huic allocutio plebis post sermonem legitur, in fine 32 de verbis Domini: et post sermonem, *Quod novit caritas vestra suggerimus*, etc. IDEM.

§ 5. *Exhortamur caritatem vestram ut impigrè et vigilanter verba Dei, ministrantibus presbyteris vos audire non pigeat.*] Verbum Dei soli olim in ecclesia prædicabant episcopi, quorum id proprie munus erat. Post etiam presbyteris, sed non uno apud omnes tempore, permissum. Primi Orientales cœperunt, quod et Pierii presbyteri apud Alexandrinos, et Chrysostomi adhuc item presbyteri apud Antiochenos, aliorumque apud alios exempla declarant. In Africa inusitatum fuit ante Augustinum, cui primum omnium, apud Hipponem, ea potestas facta est a Valerio episcopo. Possidius in ejus vita cap. 5: Eidem *presbytero potestatem dedit coram se, in ecclesia, Evangelium prædicandi ac frequentissime tractandi, contra usum quidem et consuetudinem Africanarum Ecclesia-*

*rum.* Valerii exemplum postea secuti sunt alii, et Aurelius episcopus Carthagine, cui hoc nomine gratulatus est Augustinus epistola 77, quod usurpare cœpisset ut presbyteri, præsente ipso, sermonem populo funderent. Itaque, tanquam usu jam in Africa recepto, presbyteros in hoc genere, cum episcopis conjungit, sermone 49 de verbis Domini: *Nunquid non ascendit aliquando aut presbyter, aut episcopus, et non dicit aliud de superiore loco, nisi ne rapiantur res alienæ.* Apud Gallos serius usurpatum videtur; nam synodus Vasensis II, quæ centum annis posterior fuit Augustino, verbum faciendi presbyteris dat potestatem. Antea ergo non habuisse conjectura est, quam Cyprianus quoque diaconus in Cæsarii Arelatensis episcopi vita confirmat. SIRMONDUS.

Ibid. In Oriente, non presbyteri tantum præsentibus episcopis, sed etiam laici diu ante Pierii tempora, interdum concionabantur. Liquet hoc ex insigni loco Eusebii Hist. Eccles. lib. VI, cap. 19, ubi ita de Origene: Ἐλθὼν ἐπὶ Παλαιστίνης, ἐν Καισαρείᾳ τὰς διατριβας ἐποιεῖτο, ἔνθα καὶ διαλέγεσθαι, τάς τε θείας ἑρμηνεύειν γραφὰς ἐπὶ τοῦ κοινοῦ τῆς Ἐκκλησίας οἱ τῇδε ἐπίσκοποι, καί τοι τῆς τοῦ πρεσβυτερίου χειροτονίας οὐδέπω τετυχηκότα, αὐτὸν ἠξίουν. Ὃ καὶ αὐτὸ γένοιτ' ἂν ἔκδηλον, ἀφ' ὧν περὶ τούτου Δημητρίῳ γράφοντες Ἀλέξανδρος ὁ Ἱεροσολύμων ἐπίσκοπος καὶ Θεόκτιστος ὁ Καισαρείας, ὧδέ πως ἀπολογοῦνται· Προσέθηκε δὲ τοῖς γράμμασιν ὅτι τοῦτο οὐδέποτε ἠκούσθη, οὐδὲ νῦν γεγένηται, τὸ, παρόντων ἐπισκόπων, λαϊκοὺς ὁμιλεῖν, οὐκ οἶδ' ὅπως προφανῶς οὐκ ἀληθῆ λέγων· ὅπου γοῦν εὑρίσκονται οἱ ἐπιτήδειοι πρὸς τὸ ὠφελεῖν τοὺς ἀδελφούς, καὶ παρακαλοῦνται τῷ λαῷ προσομιλεῖν ὑπὸ τῶν ἁγίων ἐπισκόπων, ὥσπερ ἐν Λαράνδοις Εὔελπις ὑπὸ Νέωνος, καὶ ἐν Ἰκονίῳ Παυλῖνος ὑπὸ Κέλσου καὶ ἐν Συννάδοις Θεόδωρος ὑπὸ Ἀττικοῦ τῶν μακαρίων ἀδελφῶν. Id est, interprete Henrico Valesio: *Palæstinam petiit et Cæsareæ domicilium fixit; ubi etiam ab illius regionis episcopis rogatus est ut publice in ecclesia dissereret, et divinas Scripturas, tametsi nondum presbyter ordinatus, exponeret. Atque id manifestum fuerit vel ex iis quæ Alexander Hierosolymorum et Theoctistus Cæsariensis episcopus ad Demetrium, pro hujus facti defensione, scribunt in hunc modum: Quod vero in litteris tuis adjecisti, nunquam antea visum, nec adhuc factum fuisse, ut, præsentibus episcopis, laici concionarentur, in eo nescio quomodo a veritate longissime aberrasti. Nam sicubi reperiantur qui fratribus prodesse possint, eos sancti episcopi ultro adhortantur ut ad populum conciones habeant. Sic Euelpis Larandis rogatus est a Neone, Paulinus Iconii a Celso, Theodorus apud Synnada ab Attico, fratribus nostris beatissimis.*

Sermone 21, § 1. *Jocundabitur justus in Domino.*] Hujus sermonis reliqua tantum erant fragmenta in codice corticeo. Integrum postea exemplar offendimus in codice S. Victoris CC 16. Fuit et in collectione cancellarii Parisiensis parte 3, ut ex indice d dicimus. SIRMONDUS.

§ 6. *Servum tuum manumittendum manu ducis in ecclesiam. Fit silentium, libellus tuus recitatur, aut fit desiderii tui prosecutio.*] Manumissiones ut in ecclesia coram episcopo facere liceret, Constantini Magni beneficio indultum est, ut alias observavimus ad *Ennodium;* apud quem, inter opuscula, exstat libellus, seu petitorium Agapeti nomine compositum, in quo Gerontium ille servum suum libertate donari postulans ab episcopo desiderii sui causas persequitur, quæ cum Augustini verbis mirifice consentiunt. IDEM. — Exstat columna 1719 tomi I editionis Parisinæ operum omnium Jac. Sirmondi.

Ibid. *Ut manumittas servum tuum frangis tabulas ejus.*] Frangebantur in manumissione servorum tabulæ quibus emptio illorum et servitus continebatur. Augustinus epist. 51 de Donatistis: *Pessimorum servorum, ut liberi abscederent, tabulæ frangebantur.* IDEM.

Ibid. De hac manumissione qui plura voluerit adeat doctissimum jurisconsultum Jacobum Gothofredum ad lib. IV codicis Theodosiani, tit. 7, lege 1.

Sermone 24, § 1. *Gratias Domino Deo nostro,* etc.] Egregii sermonis unicum exemplar vidimus, in codice S. Victoris CC 16. Recensetur tamen a Possidio cap. 9 indiculi, et in Collectorio cancellarii, parte 3. SIRMONDUS.

§ 2. *Lapides mortui utinam in se sentiant misericordiam lapidum vivorum.*] *Lapides* mortuos vocat ethnicos, propter stuporem, et quibus *dii similes sunt.* Interdum ipsi ethnici simili comparatione usi sunt. Juvenalis sat. 8, 52:

> ..... At tu
> Nil, nisi Cecropides, truncoque simillimus Hermæ.
> Nullo quippe alio vincis discrimine, quam quod
> Illi marmoreum caput est, tua vivit imago.

§ 6. *Quomodo Roma, sic et Carthago. Si in capite gentium res præcessit, membra non sunt secutura?*] Hinc apparet Carthagine habitum etiam hunc sermonem, et episcopum paulo ante intelligi Carthaginensem; et judicem infra proconsulem, cui suggestum a Christianis fuerat ut Herculi illudere liceret. Herculis cultum ceperant Carthaginenses a Tyriis, quorum erant coloni; Tyrus enim Herculi sacra. Neque vero Carthagine duntaxat, sed aliis Africæ locis, constat in cultu Herculem fuisse; ut apud Suffectanos, in provincia Byzacena, ubi cum Herculis statuam comminuissent Christiani, repentino in eos impetu populi, cæsi sunt sexaginta. Quam furoris immanitatem exagitans Augustinus epistola 267, simul Herculem deum, ut hoc loco, scite deridet: *Si Herculem,* inquit, *vestrum dixeritis, porro reddemus. Adsunt metalla, saxa non desunt,* etc. SIRMONDUS.

Sermone 35. In titulo: *Si sapiens fueris,* etc.] Consentit inscriptio codicis Victorini DD 12 cum ea quæ apud Possidium legitur, et cum indice partis 3. Collectorii. Proverbiorum locus expressus est, juxta editionem LXX interpretum, quæ aliquanto uberior est in his verbis et explicatior quam Vulgata. Apud Chrysostomum autem homilia in psal. c et alibi, quando hæc verba recitat, priore loco non, *si sapiens,* ἐὰν σοφὸς, sed *si bonus fueris* legitur in hunc modum: Τέκνον, ἐὰν ἀγαθὸς ἦς, σεαυτῷ σοφὸς ἔσῃ, καὶ τοῖς

πλησίον σου. *Fili, si bonus fueris, tibi ipsi sapiens eris et proximis tuis;* reliqua vero non discrepant. Sirmondus. — Melior est lectio Augustini quam Chrysostomi, ut liquet ex Hebræo textu, si modo hæc posterior lectio dici queat, non minus accurata citatio, quales quæ ex memoria fieri solent.

Sermone 41, in titulo : *Fidem posside cum proximo, in paupertate ipsius.*] Huic ut cætera deessent fidem astruit vetustas exemplaris, quod maximam ejus partem continebat. Reliqua suffecta sunt ex eodem codice S. Victoris DD 12, non priscæ quidem illo ætatis, sed qui omnium generum sermones S. Augustini plurimos collegerat. Fuit etiam in parte 3 Collectorii, ut index declarat. Sirmondus.

§ 3. *Prior quidem pars sententiæ hujus secundum istum intellectum popularem, placet mihi; posterior tamen, fateor, offendit me* (ut et bonis ejus perfruaris Ecclesiastici XXIII, 18). *Si enim propterea manes cum amico in paupertate ejus, ut quando dives fuerit perfruaris divitiis ejus; adhuc non amicum, sed aliquid aliud amas in amico.*] Sed sapiens Hebræus non ita loquitur, quasi velit ea sola de causa in paupertate amico servandam fidem, ut, si forte divitias recuperet, utilitatem ex eo capiamus; verum si velimus amico secundis utenti frui, oportere nos ei fidem in adversis servare.

Sermone 45. *De eo quod est in Isaia cap.* LVII, etc.] Apud Possidium, cap. 8, non auctoris culpa, sed librarii, titulus hic temere in duos divisus est quasi unus sermo de verbis Isaiæ, alter de verbis Apostoli. Sirmondus.

§ 7. *Si dixisset, crevit ille mons et implevit Africam, nunquid dicerent illi, nisi quia pars Donati est.*] Tractatu in psalm. XLIX : *Locutus est et vocavit terram. Quam terram? An forte Africam, propter eos qui dicunt, Ecclesia Christi pars Donati est.* Donatistæ, nimirum Ecclesiam in omnibus mundi partibus communione traditorum exstinctam, apud se in Africa sola remansisse delirabant. Augustinus idem epistola 165 ad Generosam : *Vos dicitis propter traditores, quos non ostenditis, remansisse Ecclesiam Christi, in sola Africa partis Donati. Quod non de lege, non de prophetis, non de Psalmo, non de Apostolo, non de Evangelio; sed de corde vestro et de parentum vestrorum calumniis recitatis.* Eodem rursus alludens in psalm. XXI : *In omni loco Paulus dicit bonum odorem esse omnes fideles; et contradicitur et dicitur : Africa sola bene olet, totus mundus putet.* Sirmondus.

Ibid. Sic Augustinus eos alloquitur § 8, qui vellent quidem peccare si tuto fieri posset, sed propter pœnam et infamiam non audent : *Libido ardet, timor revocat. Quid times? inveniri et damnari, inveniri et erpompari.*] Hoc est, infamari, conviciis exagitari, ut verbum Græcum πομπεύεσθαι, de quo vide Henricum Stephanum in Thesauro linguæ Græcæ. Adde et Harpocrationem in vocibus πομπείας καὶ πομπεύειν.

Sermone 81. *De verbis Evangelii Matth.* XVIII.] Habitus anno Christi 610, post urbem captam a Gothis, cum allato in Africam ejus cladis nuntio, Roma funditus eversa periisse diceretur. Titulum ex vetustissimo codice ascripsimus, qui apud Bedam in vulgatis exemplaribus desideratur, quo loco sermonis hujus, non expresso ejus nomine, verba proferuntur. Sirmondus.

§ 9. *Roma ruit quam condidit Romulus.*] Sermone 29 de Verbis Domini : *Transient quæ fecit ipse Deus, quanto citius quod condidit Romulus?* Ubi de Roma capta, totoque hoc argumento non dissimilia tractat; atque iterum et in sermone 106 de Diversis, et in lib. III de Civitate Dei capp. 17 et 18. Sirmondus.

Sermone 90. *De nuptiis filii Regis.*] Ex eodem volumine Corbeiensi ex quo Valeriani olim homilias descripsimus. Sed mutilus erat, fine avulso. Quod ergo deerat supplementum, ad nos postea missum est ex alio codice ejusdem monasterii. Idem.

*Carthagine in Restituta.*] De basillca Restituta dictum est ad sermonem 19. In eadem habitum etiam fuisse sermonem 102 de Diversis, indicat inscriptio. Tertius præterea de Diversis, qui est de verbis psalmi : *Confitemini Domino quoniam bonus*, et tractatus in psalmum LV. Ille in codice S. Germani, hic in nostro, Carthagine habiti dicuntur, in basilica Restituta. Neque in hac solum, quæ primaria erat, sed in aliis etiam Carthaginensibus basilicis habiti ab eo sermones memorantur, ut in basilica Fausti 12 et 122 de Diversis, in basilica Leontiana 11 de Diversis, in basilica Celerinæ 195 de Tempore, in basilica Novarum 110 de Tempore, in basilica Petri regionis tertiæ 251 de Tempore, in basilica Pauli regionis sextæ 24 de Tempore. Idem.

Sermone 113, § 2. *Primum quid est mammona? Verbum est enim quod Latinum non est. Hebræum verbum est cognatum linguæ Punicæ. Istæ enim linguæ sibi significationis quadam vicinitate sociantur. Quod Punici dicunt* mammon *Latine* lucrum *vocatur. Quod Hebræi dicunt* mammona *Latine* divitiæ *vocantur.* Vide not. in lib. VII Quæstionum in Heptateuchum, quæst. 16, ubi similia habet Augustinus de lingua Punica; quæ quo frequentius legimus, eo magis movent iram nostram in Pœnorum socordiam, qui eam linguam sine usu interire passi sunt, dum tot frigidas et nullius pretii homilias Latinas exscriberent.

Sermone 118. *De eisdem verbis evangelistæ Joan.* I, etc.] Hujus etiam unicum vidimus exemplar in codice S. Victoris DD 12. Sed designari videtur a Possidio indiculi cap. 5, cum inter ea quæ Augustinus scripsit adversus Arianos tractatum numerat *In Principio erat Verbum.* Est præterea de Diversis sermo 14 de iisdem verbis Genesis et Joannis, adversus Manichæos, cujus item meminit Possidius cap. 2. Sirmondus.

§ 1. *Si non potes intelligere, crede ut intelligas. Præcedit fides, sequitur intellectus, quoniam propheta dicit :* Nisi credideritis, non intelligetis.] Hoc eodem loco sermonem claudit, de quo vide notata ad opus de Libero Arbitrio lib. I, cap. 2.

Sermone 125. *De quinque porticibus.*] Hunc nobis suppeditavit codex S. Vincentii Metensis. Quod vero

in sermonis exordio ait Augustinus, de eodem capitulo Evangelii se jam locutum, sermonem, opinor, innuit 42 de Verbis Domini, qui inscribitur, *De infirmo jacente ad piscinam.* Sed nostri diserte meminit Possidius. SIRMONDUS.

§ 7. *In quadragenario numero completio justitiæ figuratur.*] Pluribus rem enarrat § 9. Dixit hac de re et libro II de Doctrina Christiana, § 25, ubi tamen non tam justitiæ completionem, quam vitam hanc ærumnosam interpretatur. Vide quæ ibi diximus.

Sermone 140. *Contra quoddam dictum Maximini Arianorum episcopi, qui cum Segisvulto comite constitutus in Africa blasphemabat.*] Segisvultum comitem Prosper in Chronico narrat in Africam missum fuisse contra Bonifacium, Hierio et Ardabure consulibus, hoc est anno Christi 427. Cum eo venisse Maximinum episcopum Maximinus ipse profitetur, initio collationis quam Hippone habuit cum S. Augustino. *Ego*, inquit, *in hanc civitatem missus a comite Segisvulto* (sic enim legendum est), *contemplatione pacis adveni.* Præter collationem autem et libros duos post collationem contra Maximinum scriptos, qui collationi vulgo adhærent, cum sejungi ab iis debeant, scripserat etiam Augustinus epistolam dogmaticam ad Maximinum, cujus sola mentio superest apud Possidium, nunc enim non exstat. SIRMONDUS.

Sermone 167, § 4. *Proverbium notum est Punicum, quod quidem Latine vobis dicam, quia Punice non omnes nostis. Punicum enim proverbium est antiquum:* NUMMUM QUÆRIT PESTILENTIA, DUOS ILLI DA, ET DUCAT SE. ] Sapiens sane proverbium, et quod possit in nobis Punicorum librorum vehemens desiderium excitare; quos utinam hisce tractatibus possemus redimere! Hebraice dixeris : שאל דבר כסף אחד תן לו שנים וילך.

Sermone 118. *De Versu psalmi* CV.] Hanc tituli partem ipsi adjecimus, cum in antiquo exemplari nuda et sine auctoris nomine esset inscriptio : *Die calendarum Januarii.* Congruit autem pars utraque; nam et totus est auctor in arguendis ejus diei paganis ritibus, et Davidis verba in eam rem eleganter accommodat. De iisdem calendis Januarii, quæ varia gentium superstitione polluebantur, exstat Asterii Amaseæ episcopi, quem supra laudavi, λόγος κατηγορικὸς τῆς ἑορτῆς τῶν καλανδῶν. Petri etiam Chrysologi sermo 155, et Maximi Taurinatis 10. Sed et Augustinus noster de Diversis sermone 59 : *Calendæ*, inquit, *Januarii venturæ sunt. Christiani estis omnes; Deo propitio, Christiana est civitas. Non fiant ista quæ odit Deus. Per lusum iniquitas, per jocum improbitas. Non sibi faciant homines judices, ne veniant in manus veri Judicis.* Judices, videlicet, magistratusque, inter alia ejus diei ludicra, effingebant. Quin et deos etiam suos, ut Chrysologus docet, repræsentabant et ludibriis infamabant. SIRMONDUS.

§ 3. *Dæmonia delectantur canticis vanitatis, delectantur nugatorio spectaculo, et turpitudinibus variis theatrorum*, etc.] Copiosissime hac de re egit Augustinus de Civitate Dei lib. II, cap. 8 et seqq.

Sermone 244. *In diebus paschalibus* 15.] Habetur in codice Regio parte 2 Collectorii et in Victorino DD 12.

§ 4. *Procedat Arianus; prius procedat Photinianus. Respondemus Photiniano*, etc.] Apud Bedam, cum hæc verba citat, in Epistolam ad Philippenses cap. II, alia quædam intexta leguntur, hoc modo : « *Procedat Arianus, prius procedat Photinianus.* Hæretici qui Dominum, nisi hominem, omnino non noverunt, Homuncionistæ dicuntur isti hæretici; homuncionistæ, quia non noverunt Christum, nisi hominem. *Respondebimus Photiniano*, etc. » Quæ verba, cum absint a manuscriptis, omittenda visa sunt. SIRMONDUS.

§ 2. De verbis Christi Joan. XX. 17 : *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum*, postquam quæstiones proposuit quas ferme sibi insolubiles fatetur, ita pergit : *Adjuvet me Dominus ut solvatur; qui dignatus est eam proponere, dignetur exponere. Orate mecum effectum; ad me aures, ad illum cor. Quod mihi suggerere dignatur communicabo vobis*, etc.] Si nihil parati domo attulerat hanc in rem Augustinus, temere sane Deum oravit in ipso suggestu ut sibi ex tempore verborum Christi sententiam suggereret. Iis pulsantibus non aperit Deus, qui, exceptis iis qui prophetico spiritu ab eo donantur, cæteros nihil docet; nisi laborem et intentionem animi, qualem par est adhiberi, in re gravi ac seria, cum precibus conjunxerint. Si vero jam meditatus erat quod postea dicit, histrioniam, si ita loqui fas est, apud plebem Hipponensem fecit, cum ita loquatur quasi subita suggestione Dei accepisset difficilis loci interpretationem. Sed utrum malis, perinde est; nam a Deo non est profecto exauditus Augustinus, qui *tangere* hic interpretatur credere, et ita sensum loci evolvit § 3 : *Quid ergo sibi vult :* Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum? *Quod me vides hoc me putas :* nondum ascendi ad Patrem; *hominem me vides, hominem putas; sum quidem homo, sed non hic stet fides tua. Noli me sic tangere ut hominem tantummodo credas.* Nondum enim ascendi ad Patrem meum. *Ascendo ad Patrem meum et tange me;* id est, *profice, intellige me æqualem Patri, et tunc tange et salva eris.* Interpretationem homine paulo peritiore prorsus indignam a Deo suggestam non fuisse facile omnes intelligunt; et antequam eam proferret, fassus est Augustinus hisce verbis quæ § 2 proxime sequuntur, ea quæ initio attulimus : *Qui melius intelligit, doceat me; sic doctor sum, ut indocilis non sim.* Hæc, inquies, hominis sunt modesti. Fateor. Sed modesti non est dicere a Deo tibi ea esse suggesta, quibus meliora discere paratus sis. Jam alibi ἐνθουσιασμὸν, nec secum satis consentientem, redolentia notavimus.

Sermone 256, § 2. *Conversi ad Dominum.*] Solemnis precatio qua sermones suos claudere solebat Augustinus. Ejus in veteri codice prima tantum verba de more legebantur. Cætera descripta sunt ex sermone 30 de Verbis Domini. Sed incertum itamne, in hoc sermone nostro usurparit, an alteram breviorem,

qualis est in sermone 121 de Diversis, in hunc modum : *Conversi ad Dominum ipsum deprecemur pro nobis, et pro omni plebe sua, astante nobiscum in atrio domus suæ; quam custodire protegereque dignetur, per Jesum Filium ejus, Dominum nostrum, qui cum eo vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.* SIRMONDUS.

Sermone 159, § 2. *Regnabit enim Dominus in terra cum sanctis suis, sicut dicunt Scripturæ, et habebit hic Ecclesiam, quo nullus malus intrabit, separatam atque purgatam ab omni contagione nequitiæ; quam significant centum quinquaginta tres illi pisces de quibus jam, quantum memini, aliquando tractavimus.*] Sermone 4 et 5 de Diversis, et sermone 22 (in hac editione 270) de nostris. Sed aliis præterea locis Augustinus, cum in tractatibus, tum in aliis libris suis, in hoc sæpe lusit argumento, ut ostenderet numero piscium 153 qui post resurrectionem capti sunt ad mare Tiberiadis, numerum sanctorum in æterna vita significari. Luserunt et Græci Patres interdum, ut Gregorius Tauromenitanus episcopus, qui, sermone 10 eorum quos ἑωθινὰ inscripsit, Rebeccam propterea docet Ecclesiæ typum repræsentasse, quod litteræ nominis Rebeccæ, si ad calculos revocentur, numerum reddant piscibus 153 parem. Ἡ γοῦν Ῥεβέκκα τὴν Ἐκκλησίαν εἰκόνιζε συναφθεῖσαν Χριστῷ διὰ βαπτίσματος. Τῶν γὰρ στοιχείων τῆς Ῥεβέκκας ὀνόματος εἰς ψήφους μεταλαμβανομένων, τρεῖς καὶ πεντήκοντα καὶ ἑκατὸν μονάδες συναχθήσονται, ὅσους καὶ τοὺς ἀγρευθέντας ἰχθῦς εὑρίσκομεν : *Rebecca igitur imago erat Ecclesiæ conjunctæ Christo per baptisma; litteris enim nominis Rebeccæ in numeros mutatis, centum quinquaginta tres unitates colliguntur, quot captos pisces comperimus.* Etenim P, quæ prima est nominis littera, centum valet; E quinque, B duo, K viginti, K rursus viginti, A unum; quæ in summum redacta centum et quinquaginta tres conficiunt. IDEM.

Ibid. Ludi quidem hi erant, et quidem ingenio abutentium, cum pro somniantium arbitratu conficti sint; sed parciores in ejusmodi ludis fuisse oporteret, nec talia commenta, quasi eximias quasdam Scripturæ interpretationes proferre.

§. *Peracti sunt dies feriati, succedent jam illi conventionum, exactionum, litigiorum.*] Quindecim, ut mox dicet; hoc est septeni ante Pascha, totidem post Pascha, quibus diebus, lites omnes et contentiones cessabant ex lege Theodosii lib. II cod. Theodos. de feriis : *Sacros quoque Paschæ dies, qui septeno vel præcedunt numero, vel sequuntur, in eadem feriarum observatione numeramus.* SIRMONDUS.

Sermone 268. *In die Pentecostes.*] Vidimus, non solum in Regio et in Victorino DD 12, sed in aliis etiam manuscriptis. Quod vero inter sermones de Pentecoste primo hunc loco statuimus, Bedam secuti sumus, qui appellat sermonem 1, de Pentecoste. IDEM.

Sermone 270. *De die Pentecostes.*] Citatur hic etiam a Beda, ut admonui, II ad Corinthios, III. At in vulgatis exemplaribus Bedæ, *ex sermone de Pascha* scriptum est pro *ex sermone de Pentecoste.* Exstat autem cum in Regio codice, tum in Victorino DD 12. IDEM.

§ 3. *Quadraginta dies quater habent aecem. Commendatur hoc numero, quantum mihi videtur, sacramentum. Homines enim hominibus loquimur et recte Scripturarum tractatores dicimur, non nostrarum opinionum affirmatores.*] Ille demum jure est *Scripturarum tractator*, qui agit de re quæ sine dubio habetur in Scriptura; non qui levissimas et futilissimas quasque conjecturas pro divinis mysteriis venditat, qualia sunt hæc arcana arithmetica, quæ qui affirmat ille suas profecto opiniones affirmat. Sensit hoc ipse Augustinus, ut liquet ex hisce Platonicis verbis, *homines enim hominibus loquimur*, hoc est, nos qui verisimilibus ducimur dicimus apud eos quibus verisimilitudo satisfacit, quando ipsa veritas inveniri non potest. Sic enim Timæus apud Platonem : Ἐὰν ἄρα μηδενὸς ἧττον παρεχώμεθα εἰκότας, ἀγαπᾶν χρή, μέμνημένον ὡς ὁ λέγων, ὑμεῖς τε οἱ κριταὶ φύσιν ἀνθρώπινον ἔχομεν· ὥστε περὶ τούτων τὸν εἰκότα μῦθον ἀποδεχομένους, πρέπει μηδὲν ἔτι πέρα ζητεῖν : *Si certe non minus verisimiles quam quisquam alius* (rationes) *præbeamus, contentum te esse oportet, memorem et me qui dico, et vos qui estis judices, humanam habere naturam. Itaque si de hisce verisimilem fabulam acceperitis, decet vos nihil amplius quærere.*

§ 7. *Iste numerus* (153) *tanquam arbor a quodam semine videtur succrescere, semen autem hujus magni numeri quidam minor numerus est, qui est decem et septem.*] Fundamentum appellat sermone 4 de Diversis, ubi planius explicat quo pacto ex 17 exsurgant 153. *Jam ergo*, inquit, *de numero 153 piscium, quid opus est eadem retexere? Nostis illa. A decem et septem nascitur numerus crescens. Incipe ab uno, perveni ad decem et septem, ut omnes addas : id est unum addas ad duos, et fiant tres; addas tres, et fiant sex : addas quatuor, et fiant decem. Sic omnes adde usque ad decem et septem, et pervenies ad centum quinquaginta tres.* Quæ ipsa uberius itidem et explicatius persequitur tractatu in psalm. 49. SIRMONDUS.

Sermone 279. *De S. Paulo apostolo.*] In codice Regio et Victorino, titulus est : *In conversione S. Pauli.* Sed Bedam sequi placuit, qui perpetuo citat, *Ex sermone de Paulo apostolo.* Quanquam et alterum quoque laudat de conversione Apostoli, qui est 34 de Diversis. Cæterum ex hoc uno nostro, membratim dissecto, conflati sunt duo in vulgatis, sermo 14 de Sanctis et 36 de Diversis. IDEM.

§ 4. *Quidquid est quod sævit, pro nomine Christi; si potest vivi, tolerabile est; si non potest vivi, migrare hinc facit.*] Hoc est, quamvis sævus tibi videatur dolor quem pateris pro nomine Christi, constanter patere; nam si vitam tibi non eripiat, poterit ferri : si eripiat, tibi felicitatis initium erit. Igitur nihil hic mutandum. Hanc autem sententiam debet Augustinus Epicuro, cujus apud suum Ciceronem legerat hanc κυρίαν δόξαν, *magnum dolorem brevem, longinquum levem esse*, quam pulcherime illustratam invenies in notis Petri Gassendi, ad X Diogenis Laertii librum.

Sermone 288. *In natali S. Joannis Baptistæ.*] Ex codice Regio et altero S. Victoris DD 12 suffecta sunt

quæ in vetustissimi libri fragmentis desiderabantur. In utroque autem codice, post hunc sermonem sequebatur alter de eodem natali S. Joannis, quem citat itidem Beda ad Philippenses II. Est autem sermo 23 de Sanctis. SIRMONDUS.

Sermone 294. *In natali martyris Guddentis.*] Quamvis Benedictini existiment restituendum hic Gaudentii, Theodoricus tamen Ruinartus ejusdem societatis monachus, vir eruditus, in Actis sinceris et selectis martyrum, admonit. in Vitam et Acta S. Cypriani, putat legendum *Gudennis*, *Gudenis*, aut *Gundennis*, quæ virgo passa est Carthagine, sub Severo imperatore, consulibus Geta et Plantiano, et cujus festum vulgata martyrologia die 18. Julii commemorant.

§ 3. Recitato loco Matthæi XXV, 33. *Hac*, inquit, *regnum nominat, hac cum diabolo damnationem. Nullus relictus est medius locus ubi ponere queas infantes. De vivis et mortuis judicabitur, alii erunt ad dextram, alii ad sinistram, non novi aliud. Qui inducis medium, recede de medio; non te offendat qui dextram quærit. Et te ipsum admoneo, recede de medio, sed noli in sinistrum*, etc.] Hæc quomodo consentiant cum iis quæ de limbo a scholasticis postea scripta sunt non intelligo. Sed nec capio qua ratione redigi in concordiam queant cum iis quæ alibi docet de purgatoriis pœnis, ut Civit. Dei lib. XXI, cap. 13.

§ 6. *Vos* (Pelagiani) *dicitis : Vitam quidem habebit iste non baptizatus æternam, sed non habebit regnum cœlorum. Ille contra : Imo et vitam et regnum cœlorum. Quare enim patrimonium regni cœlorum abripis innocenti?* etc.] Recte argumentatur Augustinus, nec erat ulla ratio distinguendi regni cœlestis a vita æterna. Sed eo devenire coacti sunt Pelagiani loco Joan III, 5, quem de pædobaptismo intelligebant, ut alii : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum Dei;* cum satis liqueat in eo loco de adultis tantum Christum agere, ut et in cæteris omnibus in quibus cœlum pollicetur iis conditionibus quæ non nisi ab adultis impleri possunt.

§ 12. *Quid ei dicis ut credat? Hoc enim respondetur a portante parvulum. Ad verba aliena salvatur, qui ad factum alienum vulneratur. Credit in Jesum Christum? Fit interrogatio, respondetur, credit.*] Imo vero *credo*, in prima persona, quia formula baptismi adultorum ad infantes sine mutatione fuerat translata. Vide dicta ad tom. II, epist. 98, § 9.

§ 17. *Dic mihi, obsecro te, parvulis baptizatis Christus aliquid, an nihil prodest? Necesse est ut dicat prodesse, premitur mole matris Ecclesiæ. Forte quidem vellent hoc dicere, nam ratiocinationes eorum ad hoc videntur compellere, sed auctoritate reprimuntur Ecclesiæ, ne non dicam sputis hominum obruantur, sed ipsorum infantium lacrymis, tanquam fluvio pertrahantur.*] Rhetoricum hoc posterius est argumentum, prius a terrore petitum, non a veritate. Ubi enim promisit Deus fore ut nulla in re maxima Christianorum pars erraret? Nusquam. Ubi revelavit necessario baptizandos infantes, aut morientibus in infantili ætate prodesse baptismum? Nusquam etiam. Itaque Augustinus frustra auctoritatem Ecclesiæ oggerit miseris Pelagianis; nec ea magni facta fuisset, nisi rationibus destitutæ edicta imperatorum suppetias tulissent; quod odiosius factum in causa Pelagianorum quam in Donatistarum

§ 19. *Si etiam gravissimis delictoribus et in Dominum multum ante peccantibus, cum postea crediderint remissa peccatorum datur et a baptismo atque gratia nemo prohibetur; quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquæ, prima nativitate contraxit? qui ad remissam peccatorum accipiendam hoc ipso facilius accedit, quod illi dimittuntur non propria, sed aliena peccata.*] Sunt verba Cypriani, quæ proferuntur ab Augustino, ex epist. 64 ad Fadum, ut probet ejus auctoritate peccatum originale. At quidni licuit Pelagianis rejicere ejus auctoritatem, in hoc negotio, ut Augustino licuit quod attinet ad baptismum hæreticorum? Profecto multo clarius, plenius ac constantius baptizandos esse ab hæreticis ad Ecclesiam catholicam venientes affirmavit, quam quod vult hic Hipponensis episcopus. Deinde non dicit in infantes transire ullam labem internam, qua eorum facultates sint vitiatæ; sed tantum trahere eos *contagionem mortis* ab Adamo, quia ex patre mortali non nisi mortales nascuntur; quod multum abest a sententia Augustini. Denique rhetorice potius fortasse dixit remitti aliena peccata, quam didactice; ac sane nec imputari, nec remitti aliena peccata, si proprie loquamur, a justo judice possunt. Satis est multa oratorum ecclesiasticorum dicta esse vel diluto sensu vera, cum satis constet eos minime accurate loqui solitos.

§ 20. *Impetremus ergo, si possumus, a fratribus nostris, ne nos insuper appellent hæreticos, quod eos talia disputantes nos appellare possimus forsitan, si velimus, nec tamen appellamus.*] Hæc scribebat Augustinus anno 413, initio ferme controversiarum, cum nondum scriptionibus contrariis et odiis incensi essent animi. Postea pleno ore hæreticos vocavit, et conviciis omnibus proscidit, ut solet fieri.

*Sustineat*, inquit, *eos mater piis visceribus sanandos, portet docendos, ne plangat mortuos. Nimium est quo progrediuntur, multum est, vix ferendum est, magnæ patientiæ adhuc ferri*, etc.] Mellita hæc sunt, sed dehonestata fuerunt sequentium temporum incredibili acerbitate; ut propemodum suspicari quis possit mansuetudinem hanc data opera simulatam, ut major invidia miseris hominibus conflaretur, nisi cederent, utque homines imperiti magis in illos postea exardescerent. Has artes a sacrorum præsidibus sæpe adhibitas nemo nescit, ejusque rei insigne exemplum videmus in damnatione Donatistarum. Profecto cum ejusmodi initiis minime consentiunt viginti minimum synodorum intra paucos annos festinatæ Pelagianorum dogmatum damnationes, ut episcopis sæpius ad damnandos Pelagianos adductis, nulla iniri posset amplius ratio audiendarum partium tam sæpe damnatarum; cum enim synodi quempiam damnarunt, honoris esse

sui putant hominem videri jure damnatum, nec patiuntur decreta sua iterum expendi. Sed legantur edicta Honorii et Constantii, contra Pelagianos, quæ sunt ad calcem tomi X, et sæpe alibi edita, et liquebit multo vehementius illis quam rationibus esse pugnatum.

Sermone 305, in titulo : *Habitus ad mensam S. Cypriani.*] Ad altare S. Cypriani. Mensam enim altare dicebant, ut Græci ἱερὰν τράπεζαν. De hac autem apud Carthaginem mensa S. Cypriani agens sermone 113 de Diversis : *Sicut nostis*, inquit, *quicunque Carthaginem nostis, in eodem loco in quo propter nomen Christi sanguis fusus est Cypriani, mensa Deo constructa est. Tamen mensa dicitur Cypriani, non quia ibi est unquam Cyprianus epulatus, sed quia ibi est immolatus, et quia ipsa immolatione sua paravit hanc mensam, non in qua pascat sive pascatur, sed in qua sacrificium Deo, cui et ipse oblatus est, offeratur.* Ad eamdem porro mensam S. Cypriani Carthagine habiti etiam sermones 94 et 137 de Tempore, et tractatus in psalmum XXXVIII. SIRMONDUS.

Sermone 318, in titulo : *De martyre Stephano.*] Ejusdem argumenti est apud nos sermo nondum editus Fausti episcopi, fortasse Reiensis, cujus exordium sic se habet : *Præsente lectione percepimus visionem omnibus Ecclesiis celebratam. Audivimus non somnia sensuum errore delusa, sed oracula rerum effectibus approbata. Merito revelationi credimus in sermone, qui fructum tenemus in munere. Ubi sunt qui dicunt pios martyribus honores non esse deferendos? Ecce iste, qui jam dudum beato paradisi splendore perfruitur, nunc mundo ad hoc ostenditur ut colatur. Unde dispensator utilitatum nostrarum Deus evidenter eum præcepit honorari, quem præstitit inveniri. Ait ergo sermo revelationis*, etc. De revelato in Palæstina sub finem anni 415 corpore S. Stephani, ejusque reliquiis inde allatis in Africam, et de memoriis in earum gratiam Uzali ab Evodio episcopo, Calamæ a Possidio, Hippone ab Augustino excitatis, Augustinus ipse omnium instar narrat lib. XXII de Civitate Dei, cap. 8. IDEM.

Ibid. Inventionem reliquiarum S. Stephani vide in narratione Luciani presbyteri Caphargamalensis, apud Photium cod. CLXXI. Miror hisce sæculis quibus, ut ait ille,

Vel pueri nasum rhinocerotis habent.

ejusmodi figmentis fidem haberi, quæ omnia indicia piarum scilicet fraudum præ se ferunt. Plerisque ecclesiarum rectoribus, ut ex rebus ipsis liquet, tum persuasum fuit quæcunque per se mala non erant, poterantque aut ethnicos ad fidem Christianam adducere, aut hæreticos sanare, aut certe plebem catholicam in fide confirmare, ea omnia esse licita ; neque nimis rigide inquirendum verane essent, necne. Adde quod quicunque poterant semel vulgo persuadere miracula frequentiora apud se, per reliquias sanctorum fieri, ii ingentem plebis multitudinem ad ecclesiam suam alliciebant, ejusque donis ditabantur. Hinc factum ut tot fictæ eo tempore fuerint reliquiæ, totque narrata miracula, quot antea nunquam audita fuerant. Sed quid, inquies, an nemo tunc fuit cui veritas antiquior esset quam utilitates sacerdotum, et qui fraudes illas candide retegeret? Non dubito quin a multis eo tempore fuerint agnitæ et irrisæ; sed tanta erat potentia eorum qui illis artibus utebantur, tanta apud plebeculam gratia, tantus denique furor superstitiosæ plebis semel deceptæ, ut tutum non esset contra eas artes palam quidquam tentare aut scribere. Quod satis liquet exemplis Vigilantii et Joviniani ab Hieronymo et aliis tam male habitorum, quod negatis hujusmodi historiolis sacri ordinis utilitatibus adversari viderentur.

§ 1. *Ante aliquot annos, nobis videntibus apud Mediolanum constitutis, apparuerunt corpora sanctorum martyrum Gervasii et Protasii.*] In Victorino, *nobis juvenibus.* De inventis Mediolani a S. Ambrosio reliquiis SS. Gervasii et Protasii, cum in ea urbe versaretur S. Augustinus, anno Christi 387, ipse itidem scribit lib. IX Confessionum cap. 7, et loco citato de Civitate Dei : *Tantæ*, inquit, *gloriæ martyrum etiam ego testis fui, ubi Mediolani eram facta miracula novi*, etc. SIRMONDUS.

Ibid. Attamen vox *constitutis*, quæ sequitur, ostendit legi non posse *videntibus*, quod addiderunt homines male sani, ut majorem Ambrosianæ scenæ fidem facerent. Igitur rectius plures mss., ut Benedictini testantur, habent *juvenibus*

Sermone 322, legi potest et sane debet fabula ex qua de tota illius ævi histrionia certum judicium ferri queat. Primo die Paschæ producitur Paulus nescio quis e Cappadocia, hominum nequam feracissima, si veteri famæ et Isidoro Pelusiotæ credimus, curatus a S. Stephano; sed *libellus ejus*, hoc est, historia morbi et curationis differtur, ut magis plebs cognoscendi cupidine inflammetur. Is est primus actus, qui est sermone 320. *Qui nostis*, inquit Augustinus, *quid in illo videre solealis* (lege *solebatis*, sermo enim est de re præterita), *in præsenti gaudentes legite quod videtis.* Actus secundus habetur sermone 321, ubi promittitur plebi libellus ille mirificus Pauli, quia nonnulla Augustino indicarat quæ nosse debebat plebs *ad majorem admirationem et Domini nostri gloriam.* Tertius est sermone 322, in quo Augustinus præfatur, deinde historiam Pauli, die Paschæ curati, jubet recitari. Quartus actus continetur sermone 323, ubi Augustino ad populum dicente, subito curatur Pauli soror, sequiturque acclamatio plebis. Quintum denique actum complectitur sermo 324, ubi pius antistes sapienter omnia in rem suam convertit, populumque prudenter monet cum Deus alibi potuisset hæc miracula tam insignia facere, ubi etiam erant reliquiæ S. Stephani, tamen Paulum et sororem ad se fuisse directos : quo, nisi fallor, spectabat tota fabula. Quia vero fortasse hoc volumen incidet in eorum manus qui non habebunt omnia Opera Augustini, aut etiam sunt quos pigeret volumen ejus V in manus sumere, dum hæc evolvunt, totam comœdiam hic subjicere visum est. Sed non possum dolorem dissimulare qui animum meum subit cum reputo dum imprudentes homines

majorem auctoritatem conciliare conantur religioni Christianæ ejusmodi dolis, eos quidem lucrum fecisse sibi fortasse non spernandum, sed valde nocuisse religioni apud homines suspicaces et iniquos; qui ob ficta utilitatis causa recentiorum miracula, apostolicis fidem immerito detrahunt, quamvis hæc tot habeant veri indicia quot sunt in recentioribus non credendi rationes. At faxit Deus ut aliquando ad defendendam veritatem sola veritas adhibeatur, luceque sua sola omnium animos ad sanctissimam Evangelii doctrinam credendam ac moribus exprimendam adducat.

Sermo 320. *Ubi Augustinus se excusat quod sermonem facere non potuit, habitus ipso die Paschæ.*] De miraculis Dei per orationes beatissimi martyris Stephani, libellos solemus audire : libellus hujus aspectus est, pro scriptura notitia, pro charta facies demonstratur. Qui nostis quid in illo dolentes videre solebatis, in præsenti gaudentes legite quod videtis : ut Dominus Deus noster abundantius honoretur, et quod in libello conscriptum est, in vestram memoriam conscribatur. Date veniam, quia diuturnum non reddo sermonem; nostis etenim fatigationem meam. Ut heri jejunus tanta agere possem, et non deficere, ut et hodie vobiscum loquar, orationes sancti Stephani præstiterunt. Conversi ad Dominum, etc.

Sermo 321. *Ubi alio die sermonem fecit, et libellum sanati hominis promisit feria secunda Paschæ.*] Diximus quidem, hesterno die, sicut meminit caritas vestra, hujus libellus aspectus est. Tamen quia nonnulla nobis indicavit quæ nosse debetis, ad majorem admirationem et Domini nostri gloriam, de suorum sanctorum memoriis, de quibus dictum est, *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus*, etiam libellum dare decet, qui habet omnia quæ ex ejus ore cognovimus. Sed si Dominus voluerit, hodie parabitur, et vobis die crastino recitabitur

Sermo 322. *Ubi libellum promissum sanati hominis præsentavit, feria tertia Paschæ.*] Hesterno die libellum promisimus caritati vestræ, ubi de illo sanato audire etiam possitis quæ videre non potuistis. Si ergo placet caritati vestræ, imo quia placere debet quod et mihi placet, ambo fratres stent in conspectu vestro : ut qui illum non viderant, in isto videant quid ille pati batur. Stent ergo ambo, unus cui donata est gratia, et alter cui petenda est misericordia.

Exemplar libelli dati a Paulo, sancto Augustino episcopo.

*Rogo, domine beatissime papa Augustine, ut hunc libellum meum, quem ex præcepto tuo obtuli, sanctæ plebi jubeas recitari.*

« *Cum adhuc in patria Cæsarea Cappadociæ moraremur, frater noster natu major gravibus atque intolerandis communem matrem affecit in tantum injuriis, ut ei etiam manus non dubitaret inferre. Quod nos omnes filii pariter congregati patienter tulimus, ut ne verbum quidem fratri nostro, pro matre nostra, cur hoc faceret, diximus. Illa autem feminei doloris stimulis agitata injuriosum filium maledicendo punire constituit. Cumque ad sacri baptismatis fontem, post gallorum cantus, memorato filio suo iram Dei imprecatura properaret, tunc ei nescio quis in patrui nostri similitudine, ut intelligitur, dæmon occurrit, et ab ea prior quo pergeret requisivit. Cui illa, ad maledicendum filio suo, ob intolerabilem contumeliam, se ire respondit. Tunc autem ille inimicus, quoniam in mulieris corde insaniente locum facile invenire potuit, ut omnibus malediceret persuasit. Illa autem vipereis inflammata consiliis, sacrum fontem provoluta corripuit, et sparsis crinibus, nudatisque uberibus hoc a Deo potissimum postulavit, ut extorres patria et circumeuntes alienas terras, omne hominum genus nostro terreremus exemplo. Mox maternas preces efficax vindicta prosequitur : eumdemque continuo fratrem nostrum ætate culpaque majorem tremor membrorum tantus invasit, quantum in me usque ante hoc triduum vestra sanctitas vidit. Servato autem ordine quo nati eramus, intra unum annum eadem nos pœna omnes corripuit. Videns autem mater maledictiones suas ad tantam efficaciam pervenisse, impietatis suæ conscientiam et opprobrium hominum diutius ferre non potuit; sed laqueo guttur astringens, luctuosam vitam termino funestiore conclusit. Egressi ergo nos omnes, opprobrium nostrum non ferentes, et communem patriam relinquentes, passim sumus per diversa dispersi. Ex nobis autem omnibus decem fratribus, qui nascendi quoque ordine primum sequitur ad gloriosi martyris Laurentii memoriam, quæ apud Ravennam nuper collocata est, sicut audivimus, meruit sanitatem. Ego autem qui nascendi ordine sum sextus illorum, cum hac sorore mea, quæ me ætate subsequitur, ubicunque gentium, ubicunque terrarum loca esse sacra in quibus operaretur Deus miracula, comperissem, magno desideratæ sanitatis amore carpebam iter. Sed ut de cæteris celeberrimis sanctorum locis taceam, etiam ad Anconam, Italiæ civitatem, ubi per gloriosissimum martyrem Stephanum multa miracula Dominus operatur, eadem circuitione perveni. Sed ideo alibi curari non potui, quia huic loco divina prædestinatione servabar. Nec Usalim civitatem Africæ prætermisi, ubi beatus martyr Stephanus magna prædicatur frequenter operari. Verumtamen ante hos tres menses, id est, calendarum Januariarum die, tam ego quam soror mea, quæ hic mecum est, eadem adhuc passione detenta, evidenti sumus visione commoniti. Ait enim mihi quidam aspectu clarus, et candido crine venerabilis, quod intra tertium mensem desiderata esset mihi sanitas adfutura. Sorori autem meæ in visione sanctitas tua in ea effigie in qua te præsentes videmus apparuit : per quod nobis significatum est ad istum locum nos venire debuisse. Nam et ego beatitudinem tuam sæpius postea videbam per alias civitates; in itinere quo veniebamus, talem prorsus qualem modo conspicio. Admoniti ergo evidenti auctoritate divina, ad hanc venimus civitatem ante dies ferme quindecim. Passionis meæ vel oculi vestri testes sunt, vel miserabilis soror mea, quæ ad eruditionem omnium communis mali præbet exemplum; ut qui in illa quales ego fuerim videat, in me quantum per Spiritum sanctum*

*suum Dominus sit operatus, agnoscant. Orabam ego quotidie cum magnis lacrymis in loco ubi est memoria gloriosissimi martyris Stephani. Die autem Dominico Paschæ, sicut alii qui præsentes erant viderant, dum orans cum magno fletu cancellos teneo, subito cecidi. Alienatus autem a sensu, ubi fuerim nescio. Post paululum assurrexi, et illum tremorem in corpore meo non inveni. Huic itaque tanto Dei beneficio non ingratus, hunc libellum obtuli : in quo etiam quæ de nostris calamitatibus ignorabatis, et quod de mea incolumitate et salute cognovistis exhibui, ut et pro mea sorore orare dignemini, et pro me agere Deo gratias.* »

Sermo 323. *Sermo Augustini habitus post libellum de sancto Stephano.*] Misericordia quidem Dei, fratres, sicut credendum est, omnes isti fratres quos una Dei ira materna plaga percussit, ad hujus de quo gaudemus, quandoque perventuri sunt sanitatem. Verumtamen discant filii obsequi, timeant parentes irasci. Scriptum est, *Benedictio patris firmat domum filiorum; maledictio matris eradicat fundamenta.* Modo isti per terras in fundamentis patriæ suæ non sunt; præbent utique spectaculum, proponunt suum supplicium; præbent oculis miseriam suam, terrent superbiam alienam. Discite, filii, quod dicit Scriptura reddere honorem parentibus debitum. Sed et vos parentes quando offendimini, parentes vos esse recordamini. Oravit mater contra filios, exaudita est; quia Deus vere justus est, quia vere injuriam passa fuerat. Unus ipsorum et verba contumeliosa et manus injecerat, et cæteri matris injuriam patienter tulerunt, nec unum pro ea verbum contra fratrem responderunt. Justus Deus, qui audivit precantem, audit dolentem. Sed quid illa misera? Nonne unde citius exaudita, inde plus punita? Discite hoc petere a Deo, ubi non timeatis exaudiri. Nos autem, fratres, satagamus Domino Deo nostro gratias referre pro illo qui sanatus est, et pro illa quæ adhuc tenetur preces fundamus. Benedicamus Deum, quia dignos nos habuit ut hoc videremus. Quid enim sumus, quia ego apparui istis nesciens? Illi enim me videbant, et ego nesciebam; et admonebantur ut ad istam civitatem venirent. Quis sum ego? Homo sum unus de multis, non de magnis. Et vere, ut audiat caritas vestra, multum miror, et gaudeo nobis esse concessum, quoniam iste homo nec Anconæ curari potuit : imo potuit, sed propter nos factum non est, quia facillime fieri potuit. Sciunt enim multi quanta miracula per beatissimum martyrem Stephanum in ista civitate fiant. Et audite quod miremini : Memoria ejus antiqua ibi erat, et ipsa est ibi. Sed fortasse dicis : Corpus ejus nondum apparuerat, memoria ibi unde erat? Latet quidem causa, sed quid ad nos fama pertulerit non tacebo caritati vestræ. Quando lapidabatur sanctus Stephanus, aliqui etiam innocentes, et maxime de iis qui jam in Christo crediderant, circumstabant; dicitur lapis venisse in cubito, et excussus inde venisse ante quemdam religiosum. Tulit illum et servavit. Homo erat de navigantibus, sors navigationis attulit illum ad littus Anconæ, et revelatum est illi ibi debere reponi lapidem illum. Ille obedivit revelationi, et fecit quod jussum est : ex illo cœpit esse ibi memoria sancti Stephani, et rumor erat quia brachium sancti Stephani ibi est, nescientibus hominibus quid contigisset. Verum autem intelligitur propterea ibi fuisse revelatum, ut ibi poneret lapidem qui de cubito martyris excussus est, quia Græce cubitum *aucon* dicitur. Sed qui sciunt quæ ibi miracula fiant, ipsi nos doceant. Non ibi cœperunt fieri ista miracula, nisi posteaquam corpus sancti Stephani apparuit. Ecce ibi non est curatus iste juvenis, ut nostris oculis servaretur. Apud Usalim, ubi est episcopus frater meus Evodius, quanta miracula ibi fiant quærite, et invenietis. Prætermissis autem aliis, indico vobis unum quod ibi factum est, ut videatis quanta sit ibi præsentia majestatis. Mulier quædam subito ægrotum filium, cui succurrere festinando non potuit, in gremio suo catechumenum amisit : quæ clamans, Mortuus est, inquit, filius meus catechumenus.

*Et cum hæc diceret Augustinus, populus de memoria sancti Stephani clamare cœpit : Deo gratias, Christo laudes. In quo continuo clamore, puella quæ curata est, ad absidam perducta est. Qua visa, populus cum gaudio et fletu nullis interpositis sermonibus, sed solo strepitu interposito aliquandiu clamorem protraxit, et silentio facto, Augustinus episcopus dixit :* Scriptum est in psalmo : *Dixi, Proloquar adversum me delictum meum Domino Deo meo, et tu dimisisti impietatem cordis mei.* Dixi, *Proloquar*, nondum prolocutus sum : dixi *Proloquar*, et tu dimisisti. Commendavi istam miseram, imo ex misera commendavi eam vestris orationibus. Disposuimus orare, et exauditi sumus. Sit gaudium nostrum actio gratiarum. Citius exaudita est mater Ecclesia, quam in perniciem maledicta mater illa. Conversi ad Dominum, etc.

Sermo 324. *Sermo Augustini, quo complet partem sermonis mox præcedentis miraculo interrupti.*] Debet a nobis hesternus sermo compleri, qui majori interruptus est gaudio. Statueram enim et cœperam loqui caritati vestræ, quare mihi videntur isti fratres divina auctoritate ad hanc civitatem esse directi, ut hic in eis diu optata et exspectata sanitas impleretur. Et hoc volens dicere, prius commendare cœperam caritati vestræ loca sancta, in quibus non sunt sanati, et ad nos inde sunt directi. Et dixi de Ancona civitate Italiæ : cœperam de Usali civitate dicere, quæ est in Africa (episcopum habet fratrem meum, quem nostis, Evodium), quia et ad illam civitatem eos venire fama ejusdem martyris et operum ejus compulisset. Non est illic datum quod dari potuit, ut hic daretur ubi dari debuit. Cum autem opera divina per sanctum martyrem commemorare breviter vellem, omissis cæteris unum institueram dicere : quod cum dico, restituta illi puellæ sanitate, subito lætitiæ tumultus exortus est, et nos aliter compulit finire sermonem. Ergo tale ibi miraculum scimus factum inter multa alia, quæ commemorari utique cuncta non possunt. Mulier quædam amisit in gremio ægrotantem filium catechumenum infantem lactentem. Quæ cum vidisse,

amissum et irreparabiliter perditum, cœpit eum magis flere fideliter quam mater. Non enim filii sui desiderabat vitam nisi in futuro sæculo, et hanc sibi ablatam et perisse plangebat. Impleta affectu fiduciæ tulit illum mortuum, et cucurrit ad memoriam beati martyris Stephani, et cœpit ab illo exigere filium, et dicere: *Sancte martyr, vides nullum mihi remansisse solatium. Non enim possum dicere filium præcessisse, quem nosti perisse: tu enim vides quare plangam. Redde filium meum, ut habeam eum ante conspectum Coronatoris tui.* Hæc et talia cum precaretur lacrymis quodammodo non petentibus, sed, ut dixi, exigentibus, revixit filius ejus. Et quia dixerat, Nosti quare illum quæram, ostendere voluit etiam Deus verum animum ipsius. Continuo tulit illum ad presbyteros, baptizatus est, sanctificatus est, unctus est, imposita est ei manus; completis omnibus sacramentis, assumptus est. Illa autem tali eum cum vultu deduxit, tanquam non deduceret ad requiem sepulcri, sed ad sinum martyris Stephani. Probatum est cor fidele mulieris. Ubi ergo tale miraculum fecit Deus per martyrem suum, non potuit ibi istos curare? Et tamen huc nobis directi sunt. Conversi ad Dominum, etc.

Hæc hactenus, quibus nihil addemus, nisi omissam hic esse solemnem clausulam, quæ hoc, aut simili modo concipi potuit : *Quæ res bene vertat mihi et vobis, spectatores, plaudite.*

Sermone 330.] Pars prior eadem est cum priori parte sermonis 118 de Diversis. Sed quæ in illo sermone subjiciuntur cum præcedentibus non cohærent. Hic vero apta et connexa usque ad finem sunt omnia. SIRMONDUS.

Tit. *De viginti martyribus.*] Ad martyres 20 habitus etiam sermo 110 de Diversis. Horum vero memoriam Hippone Regio celeberrimam fuisse docet Augustinus, illus re quod in ea contigerat miraculum commemorans lib. XXII de Civitate Dei, cap. 8 : *Erat quidam senex*, etc. Horum nomina, cum ignota fuerint hactenus, tres hoc loco memorantur, Fidentius episcopus, Valeriana et Victoria sanctæ feminæ. Quo uno ex capite non leve est quod huic sermoni debemus; sive martyres hi, ut Baronio cardinali visum est, iidem habendi sunt cum martyribus viginti qui apud Tarsum Ciliciæ passi sub Diocletiano leguntur VIII idus Junias; sive, quod certius reor, a Tarsensibus diversi fuerint Hipponenses de quibus hic agitur. SIRMONDUS

Sermone 330. *In natali plurimorum martyrum.*] Ita Regius codex, cum Victorino; at Beda citat : *ex sermone de verbis Evangelii.* IDEM.

Sermone 332. Habetur hic etiam cum in codice regio, tum in Victorino. DD 12. IDEM.

§ 4. *Cum Scriptura commemorasset eos qui non intrabant, ibi etiam nominavit homicidas, non expavistis. Nominavit fornicatores, audivi quia pectora tutudistis.*] Hinc videre est pectora tundere solitos, cum aliquid audiebant quod conscientiæ peccatorum vel confessionis admoneret. Quod quidem usque adeo frequentabant, ut intempestive nonnunquam usurparent. Unde in sermone 8 de Verbis Domini, cum ad illa verba, *confiteor tibi, Pater*, pectora populus de more tutudisset, scite arguens illos Augustinus, *in hoc ipso*, inquit, *quod sonuit* confiteor, *pectora tutudistis. Tundere autem pectus quid est, nisi arguere quod latet in pectore et evidenti pulsu occultum castigare peccatum? Quare hoc fecistis, nisi quia audistis :* confiteor tibi, Pater. *Confiteor audistis, qui confitetur non attendistis. Nunc autem advertite. Si confiteor Christus dixit, a quo est longe omne peccatum, non solius est peccatoris, sed etiam laudatoris. Confitemur ergo sive laudantes Deum, sive accusantes nos ipsos.* IDEM

Sermone 340. In titulo : *In die ordinationis suæ.*] In anniversario suscepti episcopatus. Celebrarunt interdum episcopi natale cathedræ, seu episcopatus sui, sicut principes imperii; quod natale episcopi dicebatur. Ejus moris apud Romanos indices sunt sermones tres S. Leonis papæ, in die assumptionis suæ. Apud Afros, præter homilias 24 et 25 de anniversario episcopalis ordinationis Augustini, quibus tertius hic sermo additur, in antiquis codicibus, fidem etiam facit anniversarius Aurelii episcopi, de quo est Augustini ad plebem allocutio quam protulimus. Quo autem die ordinatus fuerit Augustinus non liquet; ordinatum paulo ante Natale Domini ex homilia 25 docemur. IDEM.

Sermone 341. In titulo : *De sacrificio vespertino.*] Ita inscribitur in codice S. Victoris CC 16, nec aliter citat Beda, quam, *ex sermone De sacrificio vespertino.* At in Collectorio sermonum parte 3 dicitur, *Sermo de versu psalmi* CXL : *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* IDEM.

Sermone 344. *De amore Dei et amore sæculi.*] Unicum nobis fuit exemplar ex codice S. Victoris DD 12. Fuit tamen et in Collectorio sermonum parte 5, ut index docet. Utrobique titulum præfert : *De amore Dei et proximi.* Sed aptior et Augustini verbis congruentior visa inscriptio quæ apud Bedam legebatur : *De amore Dei et amore sæculi.* IDEM.

Sermone 345. *De contemptu mundi.*] Vetus codex auctoris nomen non habet. Augustini tamen esse non dubitavimus, cum quod aliis ejus sermonibus intextus erat, tum maxime quod stylum et genium refert Augustini.

§ 5. *Nam quantumvis habeas, cum venerit hora quinta, antequam ad mensam accedas esuris, et deficis quia miser es.*] Quæ sextam, id est, meridiem antecedit, et legitima est hora prandii. Sidonius noster lib. II, epist. 9, De nuntio qui ad prandium vocabat, *quem probabat competenter ingressum quinta digrediens.* Quem ad locum, nonnulla de prisco genere horarum in eamdem sententiam adnotavimus. IDEM.

§ 6. *Feminarum martyrum Tuburbitanorum solemnitatem celebramus.*] Perpetuæ et Felicitatis, quarum corpora in basilica majore condita Carthagine. De harum natali tres exstant sermones S. Augustini. Anniversarius autem dies agitur nonis Martii. Fuerunt et aliæ, sed virgines, Maxima, Donatilla et Secunda, quæ apud Tuburbum etiam passæ dicuntur II. calen-

das Augusti. Duplex enim fuit ejus nominis civitas, Tuburbum Majus et Tuburbum Minus ; unde Tuburbitani Majores et Minores, in collatione Donatistarum. SIRMONDUS.

Sermone 357. *De laude pacis.*] Ex codice S. Victoris DD 12. Fuisse autem et in Collectorio parte 5 index demonstrat. Pertinet cum duobus sequentibus ad tempora collationis Donatistarum, quam ex Actorum exordio celebratam liquet P. C. Varanis, anno Christi 412, inchoatamque calendis Juniis. Quod anni tempus congruit verbis Augustini, qui sub finem sermonis paulo ante peractum fuisse ait jejunium Pentecostes, quod illo anno desiit IV calendas Junias. IDEM.

§ 4. *Unde sum frater tuus.*] Nolebant, videlicet, se fratres dici Donatistæ, et tamen fratres a nostris dicebantur. *Optatus*, lib. I adversus Parmenianum : *Nolunt*, inquit, *se dici fratres nostros. Sunt sine dubio fratres, quamvis non boni. Quare nemo miretur eos me appellare fratres, qui non possunt non esse fratres.* Et lib. IV : *Non enim potestis non esse fratres, quos iisdem sacramentorum visceribus una mater Ecclesia genuit, quos eodem modo adoptivos filios Deus Pater excepit.* Quo in genere plurima etiam Augustinus in psalmum XXXII, lib. III contra Gaudentium, ac libro item III contra Parmenianum, cap. 2. IDEM.

Ibid. *Spiritus sanctus loquitur per Isaiam prophetam :* Audite, qui pavetis verbum Domini; dicite, fratres nostri estis, eis qui vos oderunt, *etc.*] Eximia sane verba, quamvis sint tantum apud LXX interpretes. Isai. LXVI, 5. At, proh dolor! sequentia facta minime responderunt hisce blanditiis ; nam hosce fratres suos gravissime vexari fas esse postea contendit mitis ille ac misericors Augustinus, cui profecto minime fraternus est animus. Vide epist. 93, et quæ ad eam notavimus.

Sermone 358. *De pace*, etc.] In codice S. Victoris et in indice Collectorii præponitur præcedenti. Ut postponeremus persuasit, quod sub hujus finem, ubi de jejuniis et eleemosynis cum oratione jungendis se præmonuisse ait, ad præcedentem alludere videatur. SIRMONDUS.

§ 6. *Ad collationis locum nullus vestrum irruat, fratres mei.*] Ad Thermas Gargilianas. In harum enim secretario Carthagine habita est collatio. Exstat lib. II Veterum Epigrammatum quæ Pithæus collegit, epigramma de Thermis Gargilianis a Thrasamundo rege renovatis ; quod versuum primæ postremæque litteræ indicant his verbis : *Thrasamundus vota serenans.* IDEM.

Ibid. *Edictum viri illustris publice propositum legistis.*] Marcellini tribuni et notarii, qui judex, Honorii Augusti nomine, præfuit collationi. Ejus edicto, quod in gestis primæ cognitionis continetur, de admonenda per episcopos plebe, inter cætera cavebatur : *Nullus ergo*, inquit, *vel laicus, vel episcopus, ultra, numerum præstitutum, in illum tranquillissimum concilii locum contra prohibitum moliatur accedere. Quin potius etiam plebes suas, pia quiete ac modestiæ commonitione conveniant, hoc per singulas Ecclesias ante tractantes, quatenus a die disputationis ac loco omnis se multitudo contineat, ut religioso patientiæ magisterio delinitum Christianæ paci populum parent.* Quod edictum episcopi catholici se observaturos professi sunt notoria sua, quæ ibidem recitata est, cap. 16. IDEM.

Ibid. *Orationes etiam vestras, sicut jam ante præmonuimus, jejuniis et eleemosynis adjuvate. Addite pennas illis, quibus volant ad Deum.*] Nempe eleemosynæ et jejunia dicuntur duæ alæ quibus ad cœlum evehuntur preces. Vide Act. X, 4, et ad eum locum interpretes.

Sermone 359, *habito post collationem.*] Prior pars edita est sermone 91, de Diversis; posterior, quæ de Donatistarum causa tractat, ab iis omissa, qui ea carere se posse judicabant. Nos integrum repræsentavimus, qualem exhibuit codex in cortice exaratus, et quidem a Beda agnitum fuisse non ignorabamus. SIRMONDUS.

§ 5. *Diximus posse in una Ecclesia, pacis causa, esse fratres concordes ; speciosa enim res est concordia fratrum.*] Ex eadem epistola notoria quam episcopi catholici Marcellino judici obtulerunt, constat eos cum Donatistis, veritatis fiducia, ita convixisse ut si Donatistæ causam obtinerent, honorem apud eos nullum requirerent ; sin ipsi victores forent, illos tamen in societatem episcopatus admitterent. Ad hanc ergo societatem pertinent quæ hoc loco dicuntur et quæ in eadem notoria fusius explicantur, his verbis : *Poterit quippe unusquisque nostrum, honoris sibi socio copulato, vicissim sedere eminentius, sicut peregrino episcopo, juxta considente collega. Hoc cum alternis basilicis utrisque conceditur, uterque ab alterutro honore mutuo prævenitur ; quia ubi præceptio caritatis dilataverit corda, possessio pacis non fit angusta ; ut uno eorum defuncto, deinceps jam singuli pristino more succedant.* Sed jam olim respuere hanc societatem solitos Donatistas docet Optatus lib I. *Et quia collegium episcopale nolunt nobiscum habere commune, non sint collegæ, si nolunt ; tamen, ut supra diximus, fratres sunt.* IDEM.

Ibid. Si postea humanos se præbuissent catholici erga Donatistas, nemo esset qui hæc non laudaret, et a Christiano animo profecta non censeret. Nunc vero, postquam Donatistas, pertinaces quidem illos et factiosos, quis negat ? sed tamen Christianos, usque adeo male habuerunt ; sunt qui suspicentur catholicos probe iniisse calculos, atque ex numero episcoporum Donatistarum, plebisque eis addictæ, collato cum numero catholicorum, collegisse non sine lucro, aut certe sine jactura ulla illam conjunctionem Ecclesiarum fore. Fortasse et aliud latuit quod nescimus. Profecto ita avidi erant homines aureorum illorum, si multis credimus, temporum honoris et redituum episcopalium, ut eos nacti non facile dimitterent, atque in eos irrumpere quavis data occasione niterentur. Itaque periculosum erat ne, præter pacta, qui superior auctoritate futurus erat successo-

rem, pro more Afrorum, vivus ipse sibi designaret. Notum est omnibus diuturnum schisma Antiochenæ Ecclesiæ, ex simili origine ortum. Ad *fiduciam veritatis* quæ hic jactatur quod attinet, vereor ne sit mutanda in fiduciam victoriæ, non minus ex perspecto favore judicis Marcellini, quam ex bonitate causæ conceptam. Alioqui periculosum fuit, ut ita loquar, compromissum, causam tot episcoporum et Ecclesiarum velle ex judicio unius hominis, et qui alteri parti addictus erat, pendere.

§ 6. *Suscepimus eam* (causam Cæciliani) *discutiendam, sed tanquam fratris, non tanquam patris aut matris. Pater nobis Deus est, mater nobis Ecclesia est; Cæcilianus frater fuit*, etc.] In collatione diei 3, cap. 235. *Augustinus episcopus Ecclesiæ catholicæ dixit: Ecce dico, quoties voluerint dico: Cæcilianus non est pater meus, quoniam audio Dominum meum dicentem:* Ne vobis patrem dicatis in terra, unus est pater vester Deus. *Dico Cæcilianum fratrem, bonum fratrem, si bonus; malum fratrem, si malus est; quoniam, propter communia sacra, frater meus est.* Sirmondus.

Ibid. *Semel absens damnatus, præsens ter absolutus.*] Damnatus fuerat a Donatistis in synodo. Absolutus est primum Romæ in concilio sub Melchiade; iterum Arelate, a concilio generali; postremo Mediolani, a Constantino imp., ad quem pars adversa provocarat. Tota autem in eum criminatio quod ordinatus fuisset a Felice Aptungensi episcopo, qui sacros codices sub Diocletiano tradidisse ferebatur. Quod etsi verum foret, ad schismatis causam satis non erat; quia alia est causa Ecclesiæ, alia hominum. Cæterum ex actis publicis comprobatum est Felicem episcopum traditorem non fuisse. Idem.

§ 8. *Nova enim nobis nuntiata sunt; quidam presbytero nostro linguam exsecuerunt.*] De altero episcopo cui linguam et manum præciderant Donatistæ, Augustinus epist. 50 ad Bonifacium: *Episcopi*, inquit, *et clerici horrenda et dura perpessi sunt, quæ commemorare longum est; quando quorumdam et oculi exstincti sunt, et cujusdam episcopi manus et lingua præcisa est.* Calcem etiam et acetum in oculos clericorum Hipponensium misisse narrat epistola 122, et aliis locis alia eumdem illorum furorem testantia. Quo etiam spectat Honorii Augusti constitutio 14 proxime nuper edita in appendice codicis Theodosiani. Idem.

Ibid. Propter nefaria hæc scelera graves pœnas dare debebant quicunque eorum convinci poterant; sed non quivis Donatistæ etiam integris moribus, propter opiniones vexari, ut jam ad tom. II diximus.

§ 9. *Honorastis episcopum vestrum, ut hanc basilicam Florentiam vocare velletis, sed Florentia ejus vos estis.*] Quemadmodum basilica Fausti et basilica Leontina dictæ sunt a Fausto et Leontio conditoribus, sic Florentia, hoc loco, basilica de nomine Florentii episcopi. Cujus vero sedis episcopus fuerit incertum est; nisi Florentium intelligi placeat Hipponensium Diarrhytorum in Proconsulari provincia episcopum, qui et collationi Donatistarum cum cæteris hoc anno interfuit, ut cognitionis primæ gesta declarant, et aliquot post annos Leporii monachi epistolæ ad Gallos subscripsit cum Augustino et aliis. Quod si verum est, non Carthagine, neque Hippone Regio, sed Hippone Diarrhyto habitum dici sermonem consentaneum fuerit. Sirmondus.

Ibid. *Hæc erit Florentia, vere Florentia.*] Sic loquitur de cœlesti beatitudine. Itaque *Florentiam*, hic et in superioribus, interpreter de statu æternum florente, et quo gloriari vere liceat. Hæc et alia multa finxit Numidica ejus ævi Latinitas.

Sermone 360. *Donatista reversus ad Ecclesiam.*] De tempore hujus sermonis cum affirmare nihil liceret, ut proximis subderemus adducti eo sumus, quod ex Donatistarum schismate, post collationem, plurimos ad Ecclesiam rediisse auctor sit Augustinus, non solum in sermone præcedenti, sed multo apertius lib. I contra Gaudentium cap. 29. *Quantum existimas*, inquit, *nos habere consolationis, quod a tanta dementia partis Donati, ubi non solum nefariæ divisionis error, verum etiam furoris lex facta est, longe atque incomparabiliter plura millia liberantur?* Sirmondus.

Ibid. *O vinea dilecta Domino meo, non solum labor meus nihil tibi proderat, verum etiam contra te inimico tuo serviebam*, etc.] Hunc sermonem lectum a Donatista episcopo, dictatum ab Augustino censent editores Parisienses; nec dissentio. Sed non puto prætermittendum hic esse videri veluti formulam quamdam, ut ita dicam, palinodiæ, qualem cani oportebat a Donatistis. Nec dubium hanc non fuisse exiguam partem triumphi adversariorum. Sed qui præ ignorantia in illis partibus fuerant, non poterant sine gravi dolore, cum tanta contumelia, in unitatem Ecclesiæ recipi. Hæc Pœnorum fuit humanitas.

Sermone 363 in titulo: *De Cantico Exodi.*] Codex Regius sermonem vocat, *De Cantico Exodi, post transitum maris Rubri.* At in codice S. Victoris *tractatus* dicitur, itemque a Possidio, qui inter diversos Augustini *tractatus*, duos commemorat, *De Cantico Esaiæ*, et, *de Cantico Exodi.* Sirmondus. — An vir longe doctissimus oblitus erat *tractatus* passim dici sermones, quales in tomo IV *Tractatus in Joannem?* Nescio. Sed nihil frequentius, ita ut *tractare* et concionari in stylo Augustiniano ferme idem sint.

§ 1. *Sensum nostrum in Scripturis sanctis considerandis atque tractandis regere debet earumdem Scripturarum manifestissima auctoritas; ut ex eis quæ aperte dicta sunt, ad nutriendos nos; ea quæ obscurius dicta sunt, ad exercendos nos fideliter disserantur.*] Optima profecto regula, et qua certior in Scripturarum interpretatione nulla est. Igitur postquam Scriptura sacra nonnulla de Deo nos docuit, ita ut de eorum sensu nemo dubitare possit, nisi insaniat; nunquam quidquam ex obscuris locis eliciendum, quod iis sit contrarium. Exempli causa, nihil clarius in Scriptura sacra docetur quam Deum esse bonum, misericordem, ac justitiæ observantem; hoc est, qui reo possit quidem ignoscere, et revera ignoscat, certis legibus, sed qui innocentem plectere nequeat. Qui in Scri-

pura hæc non inveniet, nihil profecto in ea intelliget; nullum enim dogma majori perspicuitate habetur. Hoc autem posito, ex obscuris nonnullis locis non sunt colligendæ doctrinæ quæ omnem bonitatis, misericordiæ ac justitiæ laudem Deo manifesto detrahunt; qualia sunt dogmata illa quorum confirmandorum causa, hisce temporibus, cœlum terræ miscuerunt Africanæ synodi. Neque hic dixeris in rebus divinis profunda esse quædam quæ ingenii humani acumen fugiunt; nam non debent ex obscuris locis profunda illa fingi quæ repugnent claris Scripturæ dogmatibus; ut si Deum facias crudelem aut injustum, ut locum obscurum explices. Multo sapientius illi faciunt qui si commodam ac convenientem cæteræ Scripturæ sententiam invenire nequeant, fatentur ea loca a se non intelligi; quam qui ita ea explicant, ut manifesta atque acris pugna locorum Scripturæ et dogmatum theologicorum in doctrinam Christianam intromittatur. Nullæ exclamationes rhetoricæ, nulla episcoporum anathemata, nulla regum edicta rectum ut posterius bonis ac prudentibus viris videatur efficient. Facile fieri potest ut non intelligamus locum Scripturæ, sed fieri nequit ut secum ipsa pugnet, detrahatque Deo quod illi clarissimis verbis, astipulante etiam recta ratione, tribuit.

Sermone 366. *De psalmo* XXII.] In codice S. Germani, unde primum ad nos pervenit et in duobus S. Victoris CC 6 et DD II, titulus est: *Expositio S. Augustini de psalmo* XXII. Atque in his omnibus libris insertus est, tanquam eodem spectans, diversis S. Augustini lucubrationibus contra Pelagianos. In Collectorii parte 3, *Sermo, seu expositio super psalmum* XXII. Habitus est ad baptizandos. SIRMONDUS.

Sermone 389.] Posterior pars eadem est cum posteriore sermonis 50 De tempore, nisi quod ibi omissa est tota narratio de homine, qui de pretio solidi pauperibus erogarat. Ac vetus sane ista confusio. Nam et sermo ille 50 in manuscriptis nihil discrepat a vulgatis, et hunc nostrum fideliter expressimus ex codice Regio et altero S. Victoris DD 12. IDEM.

§ 3. *Cum solidum, ut assolet, vendidisset.*] Quanti solidum aureum vendiderit non declarat; intelligi autem potest ex novella Valentiniani 25 inter Theodosianas, qua cautum est, *ne unquam intra septem millia nummorum solidus distrahatur*. Cassiodorus sex olim millibus venditum docet lib. I Variarum, epist. 10, *Sex*, inquit, *millia denariorum solidum esse voluerunt*. IDEM.

Ibid. *Centum folles ex pretio solidi pauperibus jussit erogari.*] Folles æreos dicit, non argenteos. Argentei enim folles centum pars solidi exigua non essent. Ut denarios ergo appellabant tum argenteos, tum æreos: sic folles argentei alii fuerunt, alii ærei. Follium æreorum valor aut idem fuit ac nummorum seu denariorum, quorum sex septemve millia in solido censebantur, aut utriusque generis non magnum discrimen. Folles autem argentei, Augustini ævo, quid valerent æstimari potest ex lege 3 cod. Theod. de suariis, quæ porcinæ pretium in singulas libras senis follibus definit, et ex iis quæ de Florentio sartore Hipponensi habentur de Civitate Dei lib. XXII, cap. 8, § 9. Utrobique enim congruere omnia possunt, si pro follibus asses sive solidi sumantur monetæ nostræ Gallicanæ. Nam et porcinæ in singulas libras solidorum sex justum fuerit pretium, et grandem piscem trecentis assibus nostris vendi nihil est absurdi. Quo fit ut follium et solidorum nostratium valorem eumdem conjicere liceat, vel affinem. Verum hæc de folle accipienda, quatenus certum nummi genus significat. Follis enim aliæ sunt, in re pecuniaria, notiones, quæ ad rem hoc loco non faciunt. IDEM.

# IN TOMUM SEXTUM.

## DESIDERIUS ERASMUS AD LECTOREM,

### DE QUÆSTIONIBUS LXXXIII.

Agnoscit quidem hoc opus Augustinus, mihi tamen videtur a studioso quopiam ex omnibus illius libris collectum, in quod congestum est si quid haberetur argutius dissertum. Huic studio favens Augustinus recognovit, et quædam elimavit. Hanc conjecturam non omnino somnium esse declarat illud, quod quæst. 12 habet fragmentum ex Fontei libris decerptum. Et cap. 31 habet locum ex secundo M. Tullii de Inventione libro descriptum. Sunt autem et alia quæ mihi non videntur per omnia sapere phrasin Augustini. Ad hæc erant quædam confusa, vel huc translata ex quæstionibus Evangeliorum, vel hinc illo transmissa. Postremo multa sunt quæ non habent ullam speciem quæstionis, nisi quod quidquid doceri potest, idem et quæri potest. Ita tot nascentur quæstiones quot sunt sententiæ, sive proloquia. Ipsum tamen opus eruditum est et lectu dignum.

## ANIMADVERSIONES

### IN EASDEM QUÆSTIONES LXXXIII.

Quæst. 9. *Quod non manet percipi non potest, illud enim percipitur quod scientia comprehenditur. Comprehendi autem non potest quod sine intermissione mutatur. Non est igitur exspectanda sinceritas veritatis a sensibus corporis.*] Sic solvit Augustinus quæstionem, utrum sensibus corporeis percipi veritas possit. Est Platonica ratiocinatio, cujus quis sit usus non intelligo; nisi si quis velit in dubium revocare testimonium sensuum in rebus corporeis, quo tamen ipsa Christiana fides nititur. Scio philosophico quodam sensu posse dici sensus a Deo nobis datos non fuisse ut intimam rerum naturam, et veritates occultas eorum ope cognoscamus; sed hæc ad theologicas quæstiones non pertinent. Multa hic sunt quæ Platonismum redolent.

Quæst. 16. *Deus omnium quæ sunt causa est. Quod autem omnium rerum causa est, etiam sapientiæ suæ*

*causa est.*] Quare non dicit *sui ipsius causa est?* Nimirum, quia certissimis metaphysicorum axiomatibus hoc repugnat. Attamen idem aliis verbis dicit, nam sapientia Dei est ipse Deus. Non est dissimulandum ita loqui solitos Platonicos. Aristides tom. I, Or. 1, p. 5, de Deo : Ἐποίησε πρῶτος αὐτὸς ἑαυτόν : *Primus ipse se fecit.* Paulo post : Ὅδε δ᾽ ἐστὶ, πρῶτός τε καὶ πρεσβύτατος καὶ ἀρχηγέτης τῶν πάντων, αὐτὸς ἐξ αὐτοῦ γενόμενος..... αὐτοπάτωρ τε καὶ μείζων ἢ ἐξ ἄλλου γεγονέναι· καὶ ὥσπερ τὴν Ἀθηνᾶν ἄρα ἐκ τῆς κεφαλῆς ἔφυσε, καὶ γάμου οὐδὲν προσεδεήθη εἰς αὐτήν, οὕτως ἔτι πρότερον αὐτὸς ἑαυτὸν ἐξ ἑαυτοῦ ἐποίησε. *Hic est primus et antiquissimus, et omnium princeps, ipse ex se factus.... pater sui ipsius, et major quam ut ex alio esset, et quemadmodum sane Minervam ex capite genuit, nec nuptiis ejus causa indiguit, sic adhuc prius ipse se ex se fecit.* Sic vero colligit Augustinus æternitatem Filii, ex allatis verbis : *Igitur sempiternæ sapientiæ suæ causa est sempiterna, nec tempore prior est, quam sua sapientia.* Idem collegeris, si recta sit hæc ratiocinatio, de reliquis omnibus Dei attributis. Deus enim erit causa suæ bonitatis, suæ potentiæ, suæ justitiæ, etc., ac proinde totidem erunt Filii Dei quot sunt ejus attributa, quo nihil absurdius fingi potest. Præstitisset ergo abstinere ejusmodi ratiocinationibus, quibus nihil probari potest; præsertim in re tam seria, et tot acerrimis controversiis usque adeo vexata.

Quæst. 18. Sic probat Trinitatem : *Omne quod est, aliud est quo constat, aliud quo discernitur, aliud quo congruit. Universa igitur creatura si et est quoquo modo, et ab eo quod omnino nihil est plurimum distat, et suis partibus sibimet congruit, causam quoque ejus trinam esse oportet : qua sit, qua hoc sit, qua sibi amica sit.*] Præterquam quod hæc abstractione duntaxat animi distinguuntur, ac proinde non opus habent diversis causis, an non variarum rerum potest esse una eademque simplicissima causa? Nisi hoc admittatur, quot distingui poterunt in creaturis proprietates, totidem erunt personæ divinæ. Hæreticos illius ævi oportet valde stipites fuisse, si ad talia argumenta obmutescerent, aut adversarios non irriderent. Sed et orthodoxorum aures atque oculi patientes fuerunt quorumvis sermonum et librorum, si ejusmodi ratiocinationibus delectati sunt. Me profecto, ne quid dissimulem, offendunt, cum reputo tam graves quæstiones usque adeo levibus ratiunculis solvi, et theologiam Christianam iis contaminari, ac ludibrio interdum exponi. De iis quæ nonnisi revelatione divina innotuerunt, nec ratione possunt probari, satius fuit et sola Scripturæ auctoritate, et solis ejus verbis uti. Sed audiamus et sequentia : *Creaturæ autem causam, id est Deum auctorem dicimus.* Vere sane, sed quid inde? *Oportet ergo esse Trinitatem, qua nihil præstantius, intelligentius et beatius invenire perfecta ratio potest.* Esse Trinitatem, hoc est, Patrem, Filium, et Spiritum sanctum, docent nos sacræ paginæ ; quibus credere nos par est, non minus quam ratiocinationibus nostris. At colligi ex antecedentibus, ut jam diximus, hæc non potuit. Alioquin eodem jure, ex philosophia illius ævi, quinque collegeris esse divinas personas, quod sint quatuor elementa, et quinta essentia, qua cœli et hominum mentes constant. Qualia innumera possent fingi. Sed et audi rhetoricum argumentum, ne suæ artis oblivisceretur bonus antistes. *Ideoque etiam cum veritas quæritur, plus quam tria genera quæstionum esse non possunt utrum omnino sit, utrum hoc an aliud sit, utrum approbandum improbandumve sit.* Quidni alius similiter quatuor esse personas dicat, quod sint quatuor rhetoricæ partes, inventio, dispositio, elocutio ac pronuntiatio, aut quod sint quatuor figuræ syllogismorum? At, inquies, Augustinus hæc quasi argumenta firma non protulit, sed potius quasi illustrationes quasdam philosophicas ac rhetoricas veritatis aliunde exploratæ profudit; et quidem tiro, cum primum in Africam ex Italia rediisset. Sed primum hæ non sunt, si veritatem amanus, illustrationes, verum obscurationes veritatis, quæ futilibus hujusmodi argutiis minime indiget, et dehonestatur. Præterea, ut ipse testatur, hunc librum jam episcopus ex antiquis schedis colligi jussit, cujus maxima parte, sine ulla vel minima jactura, Numidæ potuerunt carere; et in libris ipsis de Trinitate, ab episcopo magno studio elaboratis, talia multa sunt.

Quæst. 24. *Meritum autem pœnæ peccatum, et meritum præmii recte factum est.*] Hoc est meritum est, quo pœna contrahitur et quo præmium accipitur. Subdit : *Nec peccatum autem, nec recte factum imputari cuiquam juste potest, qui nihil fecerit propria voluntate. Est igitur et peccatum et recte factum in libero voluntatis arbitrio.* In Retractationibus vero ad hanc quæstionem : *Quod ita esse*, inquit, *omnino verissimum est, sed ut ad recte faciendum liberum sit, Dei gratia liberetur.* Verum hoc est quoque. Sed ut stet illa prior Augustini responsio, ita ut actiones hominum malæ et bonæ tribui queant eorum libero arbitrio, non tantum ii homines qui servantur debent liberari Dei gratia, sed et ii qui damnantur, ita servi peccati facti esse debuerunt, ut non necessario peccarent, atque in illa servitute remanerent. Deinde quomodo infantes qui moriuntur non baptizati, et quibus, ex Augustini sententia, pœnæ infliguntur, propria voluntate peccarunt? Ita opiniones suas retractat Augustinus, ut quam minimum in iis mutatum videri velit; unde fit ut excuset sæpe nonnulla, omissis aliis quæ non minori retractatione indigebant. Verum, hac in re, δεύτερος πλοῦς non fuit felicior.

## ANIMADVERSIONES

### AD DIVERSAS QUÆSTIONES AD SIMPLICIANUM.

Libro I. Quæst 1. Ad Rom. VII, 7 et seqq. *Videtur mihi Apostolus transfigurarse in se hominem sub lege positum, cujus verbis ex persona sua loquitur.*] Fuit hæc vulgo tum temporis recepta sententia, eaque verissima, et quam nunquam revocasset Augustinus, nisi postea exortus esset Pelagius. Vide ad tom. III. Animadvers. in epist. ad Romanos.

Quæst. 2, § 2. *Intentionem Pauli, quæ per totam Epistolam vigit, tenebo quam consulam. Hæc est autem*

*ut de operum meritis nemo glorietur; de quibus audebant Israelitæ gloriari, quod datæ sibi legi servissent et ex hac evangelicam gratiam tanquam debitam meritis suis percepissent, quia legi serviebant. Unde nolebant eamdem gratiam dari gentibus, tanquam indignis, nisi Judaica sacramenta susciperent.*] Si paulo attentius legantur priora undecim capita Epistolæ ad Romanos, duas quæstiones potissimas in illis a Paulo tractari nemo non intelliget. Prior pertinet ad justificationem hominis apud Deum. Contendebant Judæi neminem posse justum, hoc est, bonum haberi a Deo, nisi legis Mosaicæ, cum ad cærimonialia, tum ad moralia præcepta quod attinet, observantem. Negat hoc Paulus et multis ostendit, sine legis Mosaicæ observatione homines justificari, seu justos a Deo haberi; adeoque justificationem obtineri non operibus, sed gratia, hoc est misericordia Dei; qua bonus habetur is qui legem nunquam observavit, si modo Evangelio credat eique in posterum obsequatur. Posterior quæstio est utrum a Deo gentes idololatricæ possent ad Evangelii cognitionem vocari, et populus ejus haberi, etiam neglectis Judæis. Negabant hoc Judæi, affirmabat Paulus, qui ostendit Deum, in vocandis populis ad sui cognitionem, nullam rationem habere operum seu meritorum, sed beneficia sua in quosvis conferre, quamvis indignos, iis omissis qui beneficiis divinis indigniores cæteris non erant. Hæc sunt duo summa capita, ad quæ tota disputatio Pauli referenda est, non quod hic habet Augustinus. Itaque nihil ad rem facit quod sequitur apud eumdem : *Multis locis hoc sæpe testatur, fidei gratiam præponens operibus, non ut opera exstinguat, sed ut ostendat non esse opera præcedentia gratiam, sed consequentia; ut, scilicet, non se quisque arbitretur ideo percepisse gratiam, quia bene operatus est; sed bene operari non posse, nisi per fidem perceperit gratiam. Incipit autem homo percipere gratiam, ex quo incipit Deo credere; vel interna vel externa admonitione motus ad fidem.* Nolo hæc excutere, sed pernego Paulum quidquam ejusmodi cogitasse, cum disputaret contra Judæos. Nec hi contendebant gratiam fidei sibi aut ulli alii deberi, nec Apostolus contrarium probat. Adeat lector optimos quosque Pauli interpretes, sed præsertim ipse Paulum legat, intelligetque ab Augustino Apostoli scopum nullo modo animadversum fuisse. Ac sane obscurior est Epistola ad Romanos quam ut a semiplatonico rhetore, criticæ plane imperito, intelligeretur.

Ibid., § 4. Allatis verbis Pauli Rom. IX, 11, 12. *Unde*, inquit, *occurrit animo quærere cur dixerit :* ut secundum electionem propositum Dei maneret? *Quomodo est enim justa, aut qualiscunque omnino electio, ubi nulla distantia est? Si enim nullo merito electus est Jacob, nondum natus et nihil operatus, nec omnino eligi potuit nulla exsistente differentia, qua eligeretur. Item si nullo merito improbatus est Esau, quia et ipse nondum natus et nihil operatus erat, cum diceretur* et major serviet minori, *quomodo ejus improbatio justa dici potest?* etc.] Si hunc ipsum locum paulo attentius et, ut ita dicam, κριτικωτέρως considerasset Augustinus, prorsam disputationem quæ sequitur, de electione singulorum hominum compendii fecisset, quippe quæ plane extra rem est. Liquidum enim est *Jacobum* et *Esauum* non spectari hic quasi singulos quosdam homines, de quorum conversione deliberet Deus; sed quasi conditores duarum gentium, quarum hanc, non illam ad sui cognitionem vocaturus sit et pro populo suo habiturus. Tota series orationis occasioque disputationis hoc clamant; sed et ipsa illa verba, *major serviet minori*, Gen. XXV, 23, manifesto ostendunt; nam hæc verba dicuntur non de hominibus, sed de populis. *Duæ gentes sunt*, inquit Deus suscitanti Rebeccæ, *in utero tuo, et duo populi ex ventre tuo dividentur, populusque populum superabit, et major serviet minori.* Ac sane Idumæi, quorum opes citius convaluerant quam Israelitarum, postea tamen iis servierunt; sed ipse Esauus nunquam Jacobo obnoxius fuit, cui terrori potius erat; ut ad eum Geneseos locum ostendit *Joannes Clericus.* Igitur ἀπροσδιόνυσα sunt quæ quærit postea Augustinus, an electio Jacobi sit ex præscientia fidei, ac reprobatio Esaui ex præscientia contumaciæ, an fides inter dona gratiæ numeretur, etc. Attamen dum extra oleas ita vagatur oraculum Numidiæ, invenit, non ex institutione ecclesiastica, neque ex Paulo, qui ea de re hic quidem nihil habet, *fidem esse donum Dei;* hoc est, ex ejus sententia, nasci eam ex interno afflatu cui reluctari non licet, et qui pauculis tantum electis conceditur, quamvis sine eo nemo possit fidem ad finem usque vitæ Evangelio habere. Presbyter hoc tam grande arcanum nesciverat, uti nec cum episcopus primum factus est, sed dum meditatur hæc responsa ad Simplicianum, invenit; atque ad hoc suum dogma postea Scripturam, reluctantem licet, traxit; nulla habita ratione nexus orationis, significatus recepti verborum, quæstionumque ac controversiarum quæ inter apostolos et Judæos agitabantur. Ita legebat Scripturam, quasi singulæ periodi aut sententiæ essent axiomata quædam mathematica, cum superioribus ac sequentibus minime connexa, sed quæ seorsim et per se possent explicari; et si quid occurreret quod speciosæ declamatiunculæ occasionem præberet aut præbere videretur, id vero avide arripiebat, et Punicæ eloquentiæ vela pandebat. Nullo in opere specimen dedit illustrius mirificæ illius consuetudinis, quam in hoc; ex quo tamen postea tot fluxere allucinationes, quæ tolli potuissent, nisi vis et auctoritas remediis fuissent objectæ. Humilium enim scilicet oratorum illius ævi hæc fuit indoles, ut ad loquendum de iis quæ non intelligebant, nullo quamvis præsidio cincti facillime accederent; sed difficillime a præconceptis semel opinionibus possent revocari, quas anathematibus et edictis acerrime tuebantur, si quis eas oppugnare auderet.

Libro II. Quæst. 4, § 2. Ad quæstionem quomodo Samuel per pythonissam evocari potuerit, postquam dixit Samuelis ipsius animum potuisse forte evocari, subjicit : *Quanquam in hoc facto potest esse alius facilior exitus et expeditior intellectus, ut non vere spiri-*

*tum Samuelis excitatum a requie sua credamus, sed aliquod phantasma et imaginariam illusionem diaboli machinationibus factam, quam propterea Scriptura nomine Samuelis appellat, quia solent imagines rerum earum nominibus appellari, quarum imagines sunt.*] Cur non potius dixit loqui Scripturam illic ex sententia Saulis, qui revera Samuelem evocatum credidit? Cur etiam nihil de fraude pythonissæ viro acuto subduit, quæ tamen plane videtur os credulo et pe territo Sauli sublevisse? Sane ne ipse quidem Saul vidisse narratur spectrum hoc, cujus nomine loqui facile potuit subornatus qui iam nebulo a pythonissa. Sed vide hac de re acutum atque eruditum virum Antonium Van Dale, in dissertatione de Divinationibus idololatricis sub V. T., cap. 9.

## ANIMADVERSIONES

### IN LIBRUM DE OCTO DULCITII QUÆSTIONIBUS.

Quæst. 1, § 6. Ad locum I Cor. III, 11 et seq., statuit *fundamentum* esse fidem in Christum, *aurum* vero, *argentum* et *lapides pretiosos* esse eximia quædam bona opera; *ligna* vero, *fenum* et *stipulam* ea esse quibus carnale aliquid admissum est. Miror ei in mentem non venisse hic agi de doctrina, et tot propositas quæstiones homini qui in re plana usque adeo cespitabat, aut cum tam leviter in Scriptura versatum tot quæsitis respondere sustinuisse. O vacuam studiosis Scripturæ Africam! O stupidos quibus hæc admirationi erant et qui tam verbosas disputationes, ut nihil discerent, legere sustinebant!

§ 13. *Tale aliquid post hanc vitam fieri incredibile non est, et utrum ita sit quæri potest; et aut invenire aut latere, nonnullos fideles per ignem quemdam purgatorium, quanto magis, minusve bona pereuntia dilexerunt, tanto tardius citiusve* (sic lego, non *citiusque*) *salvari; non tamen tales de quibus dictum est:* regnum Dei non possidebunt.] Majore cum fiducia hac de re loquitur in opere de Civitate Dei lib. XXI, cap. 13. Vide et quæ collegerunt Benedictini in præfatione ad Hilarium cap. 8. Sane ad affirmandum esse ignem purgatorium recta deducebat consuetudo jam recepta eo tempore orandi pro mortuis, de qua Augustinus ad quæstionem sequentem. Quamobrem tandem opinio de pœnis purgatoriis, apud plerosque Christianos, decretis synodorum consecrata est; ne Ecclesiæ preces viderentur mortuis inutiles, quippe quæ nullis pœnis eos liberarent. De iis precibus suo loco aliquid dicemus.

Quæst. 6, § 2. *Item quæris, inquam, utrum spiritus immundus, qui erat in pythonissa, potuerit agere ut Samuel a Saule videretur*, etc.] Vide notata ad lib. II diversarum Quæstionum ad Simplicianum quæst. 4.

## DESIDERII ERASMI CENSURA

### LIBRI DE FIDE.

Libellus hic ex diversis Augustini epistolis consarcinatus est, maxime quod ad sententias attinet. Probabile est hunc esse Hugonis Victorini.

At hanc Erasmi censuram recte confutarunt Benedictini. Quod si quid decerptum hic est ex epistolis Augustini, nihil vetat id ab ipso Augustino factum; qui se ipse non semel exscribit, in superiore libello, quo Dulcitii quæstionibus respondet.

Cap. 1, § 3. *Certe enim si rebus non visis credere non debemus, quandoquidem et nondum certius probatis amicorum cordibus credimus, et cum ea malis nostris bona probaverimus, etiam tunc eorum erga nos benevolentiam credimus potius quam videmus.*] Ascribunt editores Parisienses margini *locum hunc perplexum esse et vitiatum;* sed omnis difficultas, nisi fallor, tolletur si pro *quando*, legamus *quomodo*, et notam interrogationis fini periodi addamus: *nisi quia tanta fides est* (sequuntur hæc proxime allata verba) *ut non incongruenter quibusdam oculis ejus nos judicemus videre quod credimus; cum propterea credere debeamus, quia videre non possumus?* Sic omnia sunt plana, ut intelliget quisquis periodum integram legere non gravabitur.

Cap. 2, § 4. *Omitto dicere quam multa isti, qui nos reprehendunt, quia credimus quæ non videmus, credant famæ et historiæ, vel de locis ubi ipsi non fuerunt; nec dicant: non credimus, quia non videmus.*] Ad hoc fuit palmarium argumentum, quo adversarios ad silentium adigere facile potuit, idque ab omnibus non ægre intelligendum, et rei quæ hic agitur accommodatissimum; quandoquidem, si rem probe pensitemus, fides nostra nititur potissimum evangelicæ historiæ veritate. Sed nescio quomodo veteres quæ firmissima erant rei Christianæ fundamenta sæpe ferme negligunt, aut obiter certe attingunt; dum operose exponunt quæ apud incredulos vim nullam habere potuerunt. Sic Augustinus copiosissime de prophetiis agit in sequentibus, habetque quæ apud Christianos cum fructu dici poterant, sed apud incredulos pondus nullum habebant, cum vix unquam ex vi vocum et nexu orationis, si cum homine veritatem Judaicæ et Christianæ religionis negante sit nobis negotium, probare possimus ea vaticinia ad Christum pertinere. Itaque apud incredulos his potius argumentis abstinendum fuit, historiisque utendum, quibus nihil sanum reponi ab iis poterat.

## ANIMADVERSIONES

### IN LIBRUM DE FIDE ET SYMBOLO.

Cap. 3, § 3. *Verbum autem Patris ideo dictum est, quia per ipsum innotescit Pater. Sicut enim verbis nostris id agimus, cum verum loquimur, ut noster animus innotescat audienti, et quidquid secretum in corde gerimus, per signa hujusmodi ad cognitionem alterius proferatur: sic illa Sapientia quam Deus Pater genuit, quoniam per ipsam innotescit dignis animis secretissimus Pater, Verbum ejus convenientissime nominatur.*] Miror catechumenis propositas res usque adeo dubias, quasi fidei capita. Nam si quis negasset Augustino vocem λόγος apud Joannem vertendam *verbum*, contendissetque esse *rationem*, quomodo contrarium probare potuit? Quinimo Platonicorum, quos magni faciebat, similiaque Christianis hac in re sentire putabat, auctoritate premi potuit. Præterea si quis negasset munus esse Filii, ut animos per se illustraret, eo modo quem dicit Augustinus; qui probare potuis-

set quod hic contendit, nisi forte ex suis Platonicis, qui homines rationales esse putabant, participatione τοῦ Λόγου, quos tamen audire noluisset de propria hujus vocis significatione? Multa alia dici potuerunt, quæ omitto et quæ legi potuerunt apud Joannis interpretes ad cap. I, 1. At eo tempore, si verum dicere velimus, non quærebatur tam quid esset verum, possetque contra quosvis adversarios firmis rationibus defendi, quam quod vel levi probabilitate tinctum erat, et apud aures omnia admittere paratas speciose dici potuit. Legantur sequentia, expendanturque ab animo veritatis amante, et ni verum tulisse judicium dicar, abjiciantur hæ chartæ, tineisque et blattis devorandæ permittantur.

Cap. 5, § 8. *Dono enim Dei, hoc est, sancto Spiritu, concessa nobis est tanta humilitas tanti Dei, ut totum hominem suscipere dignaretur.*] Scio et alios sic locutos, sed profecto et Scripturæ sacræ et recte rationi plane contrarium est *humilitatem* divinæ naturæ tribuere. Virtus est hominis quæ a Latinis *modestia* dicitur, sed quæ Deo tribui non potest sine blasphemiæ quadam specie, cujus tamen incusare Augustinum nolim. Locum ad Philippenses II, 6, qui objici forte posset, intelligendum de natura humana Christi ostenderunt Hugo Grotius et Joannes Clericus in additamentis ad H. Hammondi Adnotationes ad Novum Testamentum. Quod factum ab æterna ratione, quando *caro facta est*, id non humilitatis, absit! sed summæ bonitatis et munificentiæ specimen fuit.

Cap. 5, § 11. *Credimus itaque in eum qui sub Pontio Pilato crucifixus est et sepultus. Addendum enim erat judicis nomen, propter temporum cognitionem*, etc.] Tum nulla mentione facta *descensus ad inferos*, proxime subjicitur : *credimus etiam illum* tertio die resurrexisse a mortuis, *primogenitum consecuturis fratribus*, etc. Unde liquet eo tempore in Symbolo Ecclesiæ Africanæ, ut et in Romano aliisque, abfuisse caput de *descensu ad inferos;* quod tamen postea temere conjunctum est. Vide quæ doctissimus omnium interpretum Symboli Joannes Pearsonus, hac de re in Anglica interpretatione Symboli scripsit.

## ANIMADVERSIONES
### IN LIBRUM DE FIDE ET OPERIBUS.

Cap. 7, § 11. *Quidquid enim homo veluti recte fecerit, nisi ad pietatem quæ ad Deum est referatur, rectum dici non oportet.*] Quomodo hæc intellexerit Augustinus, et quibus rationibus fretus ita locutus sit, quisquis scire avebit, adeat tomo X librum IV contra Julianum cap. 3, ubi multis hac de re agit. Consulendus et eminentiss. cardinalis Henr. Norisius in Vindiciis Augustinianis paragr. 4. Attamen, si verum amamus, nemini hanc suam sententiam persuadebit Augustinus, qui quidem in nuda ejus auctoritate non acquiescat, sed rationes expendat. Nam certum est quæcunque fiunt secundum naturæ et rationis rectæ impulsum, ea esse bona, quamvis revelatio non accesserit. Exempli causa, colere parentes, eosque omni ope adjuvare, miserorum malis tangi et opitulari, castitatem colere, pudice familiam educare et sexcenta talia quæ suadet recta ratio, postulatque humanæ societatis felicitas, recta sunt et Deo placent, qui rectæ rationis et humanæ societatis non minus auctor est quam revelationis. Qui sine revelatione possunt damnari ob delicta in rectam rationem admissa, eosdem necesse est et posse absolvi, si recte rationi obsequantur; quod docet etiam Paulus Rom. II, 14, 15. Nemo qui rem expenderit sibi persuadebit legem naturæ a Deo per rectam rationem latam, et per ipsam humanæ naturæ constitutionem confirmatam, perfractam aut observatam pariter damnare; nec pium erga parentes esse Deo gratiorem quam parricidam. Monstra sunt illa ex contendendi et paradoxa defendendi libidine nata.

Cap. 15, § 24. *Quapropter diligenter oportet attendere quomodo accipienda sit apostoli Pauli illa sententia plane ad intelligendum difficilis, ubi ait:* Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, *etc.* I Cor. III, 11 et seqq.] Jam de hoc loco egit in libello de Quæstionibus Dulcitii, nec tamen hic potuit sese expedire difficultate, quæ magna esse non potest, nisi oscitanti. Liquet enim Paulum agere illic non de moribus, sed de dogmatibus, cum sermo sit de doctoribus; qualis ipse atque Apollo, quorum se discipulos dicebant Corinthii, propterea quæ in partes ibant.

## ANIMADVERSIONES
### IN ENCHIRIDION AD LAURENTIUM.

Cap. 11, § 4. *Quid est aliud quod malum dicitur, nisi privatio boni?*] Eodem jure dicas Pœno philosopho : quid est aliud quod virtus dicitur, nisi privatio vitii? Nam sane virtus, exempli causa, fides, spes, caritas, etc., non est magis habitus animi nostri, repetitis actibus comparatus, quam incredulitas, desperatio et odium proximi; nec effectus vitiorum sunt minus magni quam virtutum. Quod si dicas, detracto vitio, poni virtutem; similiter dixero, detracta virtute, poni vitium. Contraria hæc quidem sunt, sed non opposita, ut privatio et habitus, ignorantia et scientia. Verum Augustinus comparatione hanc in rem utitur, qua forte quispiam negotium confectum putet. Non dicam comparatione rem veram et probatam illustrari tantum, aut altius memoriæ infigi; non vero, si dubia est, probari; sed ipsam comparationem expendam. *Nam sicut*, inquit, *corporibus animalium nihil est aliud morbis et vulneribus affici quam sanitate privari : ita et animorum quæcunque sint vitia, naturalium sunt privationes bonorum, quæ cum sanantur non aliquo transferuntur; sed ea quæ ibi erant nusquam erunt, quando in illa sanitate non erunt.* At morbi aut vulnera non sunt tantum privationes sanitatis; nisi quis dicat febrim, exempli causa, cujus sunt tot genera, et symptomata, quamque omnes norunt sitam esse ut plurimum in motu extraordinario sanguinis, meram esse privationem; quemadmodum motus, quamvis violentus, mera est privatio quietis. Quis ferret eo modo ratiocinantem? Quis dicat sectionem musculi aut nervi, effusionem sanguinis, luxationem aut fractionem ossis meras esse privationes eorum quæ antea erant? Caprimulgis et

fossoribus hæc philosophia tradatur, non hominibus litterarum studiis expolitis. Quod addit vitia, cum sanantur, non alio transferri, sed nusquam esse, tam valet ad probandum virtutem esse nihil, quam ad ostendendum vitium meram esse privationem; nam virtus, quam quispiam contrario vitio mutat, non aliquo transfertur, sed nusquam est. Quis in metaphysicis nonnihil exercitatus nescit accidentia non transferri, cum mutantur aut intereunt, nec tamen esse merum nihil? Quam hoc sit manifestum nemo non videt, nec eo secius in tam mirifica argutia sibi placet Augustinus, qui inter duo membra allatæ comparationis hanc parenthesin infarcit: *Neque enim id agitur, cum adhibetur curatio, ut mala ista quæ inerant, id est morbi ac vulnera, recedant hinc, et alibi sint, sed utique, ut non sint. Non enim ulla substantia, sed carnalis substantiæ vitium est vulnus aut morbus; cum caro sit ipsa substantia, profecto aliquod bonum, cui accidunt ista mala, id est privationes ejus boni, quod dicitur sanitas.* Pariter ratiocinari queam ut probem, contra Augustinum, sanitatem esse tantum privationem morbi; nam quando propinatur, exempli causa, venenatum poculum, ut sanitas labefactetur, hoc non sit ut alibi sit sanitas, sed ne omnino sit. Quis præterea non miretur nostrum hunc philosophum, quem usque adeo acutum multi putant, ita loqui quasi inter substantiam et nihil ens nullum, ut philosophice loquar, interesset, accidentiaque omnia pro nihilo essent habenda? Si verum hoc esset, *sanitas* et *virtus* habenda etiam essent nomina meri nihili, sunt enim accidentium vocabula. Nescio quid hisce reponerent Manichæi; sed si ita se confutari taciti patiebantur, valde stolidos fuisse oportet. Hisce tamen usque adeo non immorarer, nisi viderem et scholasticos et alios acutiores philosophos, in accepto hoc a veteribus commento, veluti de manu in manum, acquievisse. Propterea argutias philosophicas quæ sequuntur non moror, quamvis parum idonco loco sint collocatæ: in Enchiridio quippe, quo Laurentius volebat non metaphysicas contemplationes, sed religionem Christianam in summa capita contractam, breviterque explicatam habere. Sed hoc est hominum loquacium ingenium, ut quidvis quod sese animo objicit, quovis tempore et loco effundant.

Cap. 21, § 7. *In quibus autem rebus nihil interest ad capessendum Dei regnum, utrum credantur an non; vel utrum vera sive sint, sive putentur, an falsa; in his errare, id est aliud pro alio putare, non arbitrandum est esse peccatum; aut si est, minimum esse ac levissimum.*] Si *peccatum* dici queat error quo minus Dei timentes, ac præceptorum ejus minus observantes non fimus; est *peccatum*, ut ita loquar, *philosophicum*, hoc est delictum in leges logicas, quæ, si semper a nobis observarentur, nos ab errore immunes conservarent. Sed talia peccata, quibus non fit ut de Deo minus magnifice sentiamus, vel ut evangelicis legibus minus teneri nos putemus, non sunt ea quibus evangelica doctrina pœnas minatur. Itaque recte in sequentibus Augustinus, memoratis nonnullis innocuis erroribus: *In his atque hujusmodi falsitatibus salva fide quæ in Deum nobis est, fallimur, et via non relicta quæ ad illum ducit, erramus; qui errores, etiamsi peccata non sunt, tamen in malis hujus vitæ deputandi sunt; quæ ita subjecta est vanitati, ut approbentur hic falsa pro veris, respuantur vera pro falsis, teneantur incerta pro certis.* Hæc reputare secum deberent theologi nonnulli, qui cum magni Augustinum facere videri velint, attamen contendunt omnes errores esse peccata, omniaque peccata, ut scholæ theologi loquuntur, esse *mortalia;* unde, ut putant, sequitur nullos errores ferri oportere, quandoquidem nulla lethifera peccata ferenda sunt.

Ibidem, postquam probavit omne mendacium esse peccatum, *plurimum quidem*, inquit, *ad bonum profecisse homines, qui non nisi pro salute hominis mentiuntur, non est negandum; sed in eorum tali profectu, merito laudatur, vel etiam temporaliter remuneratur benevolentia, non fallacia, quæ ut ignoscatur sat est, non ut etiam prædicetur*, etc.] Videtur Augustinus loqui de *salute* æterna, ad quam nonnullis conciliandam multi tunc temporis mentiebantur, innumeris miraculis confictis; eum, ut dicebant, duntaxat in finem, ut infideles ad fidem adducerentur. Eos non laudat Augustinus, sed facile iis ignoscit; quod frequens, ut quidem videtur, malum esset inter ecclesiasticos homines illius ævi. Sed dignum est observatu, primum eos qui servandi proximi causa mentiebantur, sæpissime ex illo mendacio non contemnendum lucrum fecisse. Exempli causa, qui fingebant tot miracula in suis ecclesiis fieri ope reliquiarum S. Stephani, ii ita se gerebant ut infideles aut dubitantes de fide lucrifacerent; sed eadem opera oblationes ab iis accipiebant minime spernendas; quis enim, si modo posset, non aliquid contulisset in usum ecclesiæ, quam tot ac tantis miraculis dignabatur beatus Stephanus? Itaque sine nimia malignitate, mentitos eos dixeris, non minus spe lucri quam cupiditate servandi proximi. Certe qui ita mentiuntur digni non sunt qui meliores a nobis putentur. Secundo loco gravissimum est peccatum in Deum inque humanum genus, cum certissimas rationes habeas quibus infideles, si fieri id possit, ad credendum adducas, confugere ad mendacia; dehonestas enim plane veritatem quam mendacio tueris; deinde eam in grave periculum conjicis, quia si forte mendacium tuum retegatur, veritas ipsa in dubium revocabitur. Sed mendacii tam inimicus non erat Augustinus quam volebat videri.

Cap. 30. *Hæc pars humani generis, cui liberationem Deus, regnumque promisit æternum, nunquid meritis operum suorum reparari potest? Absit.*] Quis Augustino non astipuletur? Nulla enim possunt esse merita malorum, dum mali sunt, quæ Deo grata esse queant, ita ut propterea de iis ad se convertendis consilium capiat. Pergit: *Quid enim boni operatur perditus, nisi quantum fuerit a perditione liberatus? Nunquid libero voluntatis arbitrio? Et hoc absit.* Hæc omnia vera sunt, nemo enim malus recte quidquam facit quatenus malus est. Nemo etiam qui non plane

malus est liberi arbitrii sui *meritis reparari* potest, nulla enim illic sunt merita, si rigide loquamur, ubi venia opus est, nec ulli homini Deus salutem debet. Speciosa hæc sunt dogmata, eademque verissima, sed videndum an sequentia eis respondeant : *nam libero*, inquit, *arbitrio male utens homo et se perdidit et ipsum.* Adamus quidem, qui primus male usus est libero arbitrio (imo vero solus, si Augustinum audiamus), se malo illo usu in æternum perdidisset, nisi divina misericordia delictum illud ei ignovisset; sed nec perdidit liberum arbitrium, neque enim ea sola actione sic necessario peccator factus est, ut nihil boni amplius, nisi ineluctabili Dei gratia adjutus, facere posset. Nullo hoc Scripturæ loco constat, nec ratione ulla nititur. Posteri ejus etiam non ita amiserunt, consuetudine peccandi, libertatem, ut sensim jugum peccati, meliore contracta consuetudine, excutere non possint, nisi afflatu interno cui resistere nequeant adjuventur. Frustra enim alioqui Deus eis leges ferret sancitas præmiis et pœnis, quas ab iis minime posse observari probe nosset, nisi eos constanter afflaret, quod tamen erga omnes facere minime constituit. Verum hic non est locus confutandæ ejus sententiæ; hoc tantum diligenter memoriæ mandandum, quotiescunque Augustinus *liberum* hominem agnoscit in libris post controversias Pelagianas conscriptis, id ex ejus sententia valde improprie intelligendum, cum hic disertissime doceat hominem et se et liberum arbitrium perdidisse. Audiamus et sequentem comparationem : *Sicut enim*, inquit, *qui se occidit, utique vivendo se occidit, sed se occidendo non vivit, nec seipsum poterit resuscitare cum occiderit; ita cum libero peccaretur arbitrio, victore peccato, amissum est liberum arbitrium.* A quo enim quis devictus est, huic et servus addictus est (*II Petr.* II, 19). Ut comparationem alia comparatione eludam, dicam ut nemo fit in bello servus, nisi invitus, et quamprimum libertatem recuperare potest, occasionem avide arripit; sic quoque hominem, qui se a peccato victum animadvertit, ejusque servitutis incommoda sentit, si quis eum melius doceat, peccato libenter valedicere. Sed ut Adamus uno peccato non potuit amittere omnem libertatem, ita nec una proba actione peccandi consuetudinem quisquam delere potest. Vicit quidem peccatum, ejusque servi facti sunt homines, quia ei parere voluerunt; sed nihil vetat ut nolint ei obsequi, præter consuetudinem, quæ paulatim vinci potest; ut liquet ex eo quod Deus omnes homines ad pœnitentiam vocet. Ex locutione translatitia, qualis est *servire peccato*, non ita ratiocinandum quasi ut captivus amisit libertatem corporis, quam recuperare nequit dum vinctus est : sic qui *servus* est *peccati* nunquam ejus dominationem excutere posset. Neque enim hominem captivum, catenisque vinctum, et carcere clausum hortatur quisquam ut excussis catenis carcere exeat, et nisi faciat indignatur, quia omnes norunt non esse hoc in ejus potestate; at homini nequam omnes indignantur, cum nullam rationem habet adhortationum eorum a quibus ad meliorem frugem revocatur; quia nemo putat cum ulla necessitate teneri quominus malis moribus valedicat.

Pergit Augustinus : *Petri certe apostoli est ista sententia, quæ cum vera sit, qualis quæso potest servi addicti esse libertas, nisi quando eum peccare delectat? Liberaliter enim servit, qui sui Domini voluntatem libenter facit; ac per hoc ad peccandum liber est qui peccati servus est.* At quo libentius peccato serviunt homines, eo magis ei sunt addicti et mancipati; sed eam servitutem sensim excutere possunt. Aliud est *liberaliter hero servire*, aliud *libere servire.* Prius esse potest, si servus herum amet, ejusque caritate libenter ad parendum adducatur; at posterius esse nequit, quia repugnat liberum esse qui servit ita ut servitutis jugum excutere non possit. Itaque ex sententia Augustini negandum est servum peccati ullo modo liberum esse, si proprie loqui velimus. Verum ille sæpe improprie loquebatur, quia paucorum aures aliter loquentem ferre poterant.

*Unde*, inquit, *ad juste faciendum liber non erit, nisi a peccato liberatus esse justitiæ cœperit servus. Ipsa est vera libertas, propter recte facti libentiam* (assentior enim Benedictinis ita legentibus, pro *lætitiam* aut *licentiam*, ut habent aliæ editiones et libri), *simul et pia servitus, propter præcepti obedientiam.* Hinc videmus regeneratorum, qui, ex Augustini sententia, ineluctabili afflatu aguntur, nullam etiam esse proprie dictam libertatem, si illi credimus, sed tantum parendi *libentiam*, quæ rhetorice, non vere, libertas dici potest. Vox *libentia* occurrit apud A. Gellium lib. XV, cap. 2 : *Cui libentiæ gratiæque omnes conviviorum incognitæ sint, quique illorum omnino expers sit; si eum forte ad participandas ejusmodi voluptates aut voluntas tulerit, aut casus induxerit, aut necessitas compulerit, deliniri plerumque et capi;* nimirum, dicit Plato similiter in Veteri Onomastico : *lubentia*, εὐπάθεια. Quæ quidem significatio nonnihil distat ab Augustiniana, nam *libentiam* vocat eam affectionem animi qua libenter quidpiam facit; Gellius vero et Onomasticon, voluptatem; sed tamen, non analogice tantum formatam vocem *libentia*, sed et usitatam ostendunt. *Sed ad benè faciendum ista libertas* (imo libentia) *unde erit homini addicto et vendito, nisi redimat cujus illa vox est* (*Joan.* VIII, 36) : Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis? *Quod antequam fieri in homine incipiat, quomodo quisquam de libero arbitrio in bono gloriatur opere, qui nondum est liber ad operandum bene, nisi se vana superbia inflatus extollat?* Quam cohibet Apostolus dicens : *Gratia salvi facti estis per fidem* (*Ephes.* II, 8). Revera libentia illa recte faciendi non nascitur in homine malo, nisi liberatione Filii; qui præmiis et pœnis in Evangelio, cœlestis veritatis luce fulgente, homines servituti peccati eripit, sed nulla tamen necessitate, ut nec ulla necessitate eos in officio continet; quo modo non *libenter* tantum bonis factis adhærent, sed et *libere.* Nec quisquam potest jactare liberum arbitrium, antequam eo recte utatur; nec postquam recte usus est, gloriari tamen potest, ut ostendimus ad tom. II,

epist. 175, § 2. Fides sane *Dei donum* est, sed invitis tamen non donatur; invitis enim rapere possis, invitis dare nihil possis. Ac sane Deus fidem dat, quod sit auctor doctrinæ quæ credenda proponitur, quod homines eam nuntiaturos ad nos miserit, et omnia fecerit quæ ad persuadendam veritatem liberis creaturis a Deo fieri debuerunt. Verum hæc satis superque de libertate, cætera quæ habet Augustinus non attingemus. Sed intelligere facile licet bono viro multo plus cordi fuisse Laurentium controversa illa sua dogmata, quam Christianam religionem, docere.

Cap. 94, § 24. *Apertissime namque Dominus dicit :* Væ tibi, Corozaim! væ tibi, Bethsaida! quia si in Tyro et Sidone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent. *Nec utique Deus injuste noluit salvos fieri, cum possent salvi esse*, SI VELLENT.] Benedictini testantur viginti quinque codices antiquos habere hic SI VELLET, quemadmodum legit Petrus Lombardus, legendumque censuerunt Lovanienses et alii. Ac sane sententia ipsa Augustini et sequentia ita legendum suadent. Sensus est : cum possent servari si Deus voluisset, juste noluit esse salvos; quamvis rationem ejus rei nesciamus, si cum aliis damnati non melioribus conferantur. Attamen editiones et undecim mss. habent SI VELLENT, quod nimirum exscriptores aut critici magis attenderent rem ipsam, et receptam suo tempore sententiam, quam Augustini mentem. Ac sane sequentibus sæculis, cum totus ferme Occidens in Pelagianismum aut Semipelagianismum (cur enim hoc dissimularetur?) esset delapsus, nec tamen exuisset cæcam illam reverentiam qua superiores ætates erant Augustinum prosecutæ; in eo sententiam suam invenire voluerunt, ne eum damnare cogerentur, quem magni faciendum acceperant. In hoc præsertim loco, minus acutis facile persuaderi potuit esse legendum *vellent*, quod *justitiæ* meminisset Augustinus; quæ nulla profecto est, si longe maxima pars hominum, culpa Adami, cui Deus necessarium prorsus remedium afferre noluit, non potuerit velle servari. Vult tamen Augustinus inesse ei rei justitiam, sed quam in altera demum vita intelligemus.

Eo facilius in errorem delapsi sunt, quod Augustinus, ne Scripturæ contraria affirmare aperte videatur, interdum dicat homines ideo non esse servatos quod noluerunt. Audi quæ habet cap. 97 : *Quam brem videndum est quemadmodum sit de Deo dictum* (*I Tim.* II, 4), qui omnes homines vult salvos fieri. *Cum enim non omnes, sed multo plures non fiant salvi, videtur utique non fieri quod Deus vult fieri, humana scilicet voluntate impediente voluntatem Dei. Quando enim quæritur causa cur non omnes salvi fiant, responderi solet, quia hoc ipsi nolunt.* Hæc erat, nempe, sententia omnium Christianorum, qui solebant ita loqui, eaque nixa iis quæ de bonitate et justitia Dei et recta ratio et Scriptura docent. Nec ulla est in ea re difficultas, cum enim Paulus dicit Deum *velle omnes homines salvos fieri*, hoc ita intelligendum non est, quasi Deus A vellet ipse homines, nulla ratione habita eorum voluntatis, volentes nolentes æterna beatitate donare. Deus vult omnes homines salvos fieri, quia omnibus communem pœnitentiæ legem tulit, qua observata salvi fieri possint et quam revera observare possunt, si velint; et quia neminis animus usque adeo depravatus est, ut beneficiis quæ Deus in omnes homines spargit, paulatim certe emendari nequeat. Si lex quam fert Deus hominibus et ex qua pendet salus, observari ab iis non posset, quamvis homines vellent; aut si essent ita affecti ut voluntas illa parendi Deo nasci in iis non posset, nisi Deus eos afflatu ineluctabili movere dignaretur, quo nollet omnes dignari: tum vero negandus esset Deus homines omnes velle salvos fieri.

B Subjicit Augustinus : *quod quidem dici de parvulis non potest, quorum nondum est velle seu nolle.* Sed quis eum docuit parvulos damnari, cum Christus aperte dicat ad tales pertinere regnum cœlorum? *Sed apertius*, inquit, *Dominus in Evangelio compellans impiam civitatem :* Quoties, *inquit*, volui colligere filios tuos, sicut gallina pullos suos, et noluisti? *tanquam Dei voluntas superata sit hominum voluntate et infirmissimis nolendo impedientibus, non potuerit facere potentissimus quod volebat.* Sed aliud est velle præmio afficere obsequium naturarum liberarum, nisi ipsæ obsequi nolint; aliud facere ipsum ut creaturæ fiant felices. Posterius semper Deus facit, quando vult; prius non facit, quia non vult effectum dare, nisi volente creatura, cui ullam vim afferre noluit. Itaque C inanis est exclamatiuncula quæ sequitur : *Et ubi est illa omnipotentia qua in cœlo et in terra omnia quæcunque voluit fecit, si colligere filios Jerusalem voluit et non fecit?* At quis nescit Deum, propositis legibus, non uti omnipotentia sua ut observentur, quia vult iis libere pareri? Quis ignorat, si Deus libertatis creaturarum nullam rationem habere vellet, posse eum quidvis ab iis extorquere? Itaque non minus omnia Deus quæ vult facit, cum vi creaturas, quibus libertatem concessit, non expugnat; quia hoc non vult facere. *An potius illa quidem filios suos ab ipso colligi noluit, sed ea quoque nolente, filios ejus collegit ipse quos voluit? Quia in cœlo et in terra non quædam voluit et fecit, quædam vero voluit et fecit, sed omnia quæcunque voluit fecit.* Sed quis non videt Christum D conqueri quod pertinaciam Jerosolymitarum nullis adhortationibus, nullis miraculis flexisset? Alioqui si paucos quosdam afflatu ineluctabili allicere tantum statuerat, idque effecerat, nihil erat quod quereretur. Deus omnia facit, quæ vult ipse facere : quis negat? Sed non facit quæ vult a creaturis libere fieri, quia earum libertati vim non infert. Aut hoc est agnoscendum, aut negandum cum nonnullis a Deo ullas leges ferri proprie dictas, sed tantum proponi electis, quod ipse in iis facere vult; ad reprobatos vero quod attinet, Deum nolle eos legibus parere, quia probe novit eos non parituros, nec posse parere, ac eos damnatos cupit. Quæ omnia cum rationibus atque institutis Christi et apostolorum pugnant.

## ANIMADVERSIONES

### IN LIBRUM DE AGONE CHRISTIANO.

Cap. 15, § 17. *Nec eos audiamus qui indignantur et stomachantur quia non tres Deos colendos dicimus. Nesciunt enim quid sit una eademque substantia, et phantasmatis suis illuduntur, quia solent videre corporaliter vel animalia tria, vel quæcunque corpora tria locis suis esse separata. Sic putant intelligendam substantiam Dei, et multum errant*, etc.] Videtur eos intelligere qui objiciebant synodo Nicænæ *tritheismum*, quos etiam memorat Gregorius Nazianzenus oratione 37, pag. 600, ubi eorum objectioni respondere conatur. Vide hac de re ipsum quoque Augustinum de Trinitate lib. VII, cap. 4, et si ita videatur, doctissimum virum Dionys. Petavium Dogm. theologicorum tom. II, lib. IV, cap. 2, ex editione Amstelodamensi, unde quid senserit Augustinus ex notulis magis liquebit.

Cap. 20, § 22. *Verbum in principio per quod facta sunt omnia, non sic assumpsit hominem illum ut cæteros sanctos, sed multo excellentius multoque sublimius; quomodo ipsum solum assumi oportuit, in quo Sapientia hominibus appareret, sicut eam visibiliter decebat ostendi.*] Sapienter sane et ut theologum decet loquitur hic Augustinus, de ineffabili conjunctione divinæ rationis cum homine; sed postea exortis Nestorianis controversiis, cum omnia odiis ac contentionibus arderent, dum volunt audaciores theologi explicare quod nesciunt, omniaque novis nominibus insignire, in tot difficultatum mæandros inciderunt, ut sese expedire nequeant, et risum male sentientibus moveant. Ante natas rixas, quidquid vulgo dici aliter hac de re soleat, melius et candidius homines loquuntur de rebus quæ postea in controversiam veniunt, quia minus affectibus præpediuntur, nec victoriam quærunt, sed veritatem.

## ANIMADVERSIONES

### IN LIBRUM DE CATECHIZANDIS RUDIBUS.

Cap. 5, § 9. *Si enim aliquod commodum exspectando ab hominibus, quibus se aliter placiturum non putat, aut aliquod ab hominibus incommodum devitando, quorum offensionem aut inimicitiam reformidat, vult fieri Christianus; non fieri vult potius quam fingere. Fides enim non res est salutantis corporis, sed credentis animi.*] Editores Parisienses ita habere testantur melioris notæ mss. codices, non *salvandi corporis;* interpretanturque, *salutem, seu assensum gestu significantis.* At malim interpretari *salutantis* hic, eodem sensu ac dicebant Latini *salutare imperatorem*, hoc est vocare. Sensus est fidem non esse corporis salutantis alium nomine *fratris* aut *Christiani*, sed credentis animi. In veteribus glossis *salutatio* non tantum ἀσπασμὸς, sed et προσηγορία vertitur. Cæterum eo tempore, facile poterant ethnici spe aut metu adduci ut fierent Christiani; nam Christianis propositi erant honores in aula, quos facilius assequebantur quam ethnicismo pertinacius adhærentes; propositæ erant et dignitates ecclesiasticæ minime contemnendæ. Contra ethnicis multa erant timenda, præsertim si avitæ religionis studio flagrantes a sacris faciendis abstinere nollent, quæ erant constitutionibus imperatorum Christianorum vetita.

Cap. 9, § 13. *Noverint* (grammatici aut oratores qui catechizantur, cum Christiani fieri volunt) *etiam non esse vocem ad aures Dei, nisi animi affectum; ita enim non irridebunt, si aliquos antistites et ministros Ecclesiæ forte animadverterint, vel cum barbarismis et solœcismis Deum invocare; vel eadem verba quæ pronuntiant, non intelligere, perturbateque distinguere.*] Pigri sane fuerunt et indigni qui publice conciones ad populum haberent, aut preces coram eo funderent; qui cum uni linguæ Latinæ, nec eæ Ciceronianæ, sed qualem ætas illa ferebat, operam dare deberent, ne eam quidem ita discebant, ut sine crassioribus peccatis dicere aut legere possent. Magnam vero et memorandam difficultatem discere bene loqui lingua vernacula, cum nullis aliis studiis destineris! Sed quid facias illis sæculis quibus erant episcopi qui ne scribere quidem norant, ut liquet ex subscriptionibus conciliorum?

Capite V et seqq. multis persequitur causas tædii, quo catechistæ afficiebantur, cum rudiores erant instituendi, cum catecheseos duas formulas proponit, alteram longiorem, breviorem alteram, ad quarum exemplum possent sacerdotes se componere. Non dicam eas parum accuratas esse descriptiones religionis Christianæ, et declamatiunculas potius extemporaneas videri quam elaboratas Christianismi enarrationes; sed mirum esse Augustinum auctorem non fuisse erudito presbytero conscribendi libelli, quem legendum præberet catechumenis, et de quo postea quæstiones eis proponeret; aut ipse prælegeret, et explicaret, ut hodie fit. Commodius multo hoc fuisset et catechumenis et catechistis, quam quod hic habet.

## DESIDERII ERASMI CENSURA

### IN LIBRUM DE CONTINENTIA.

Libellus pius, nec indoctus; Augustini non esse phrasis arguit. Mihi videtur Hugonis Victorini. (*Sed vide editores Parisienses in admonitione huic libello præfixa, ubi Erasmum confutant.* PHEREP.)

## ANIMADVERSIONES

### IN EUMDEM LIBRUM.

Cap. 3, § 6. *Sed aliud est bene pugnare, quando mortis contentioni resistitur; aliud adversarium non habere, quod tunc erit quando mors novissima inimica destruetur.*] Recte notarunt monachi Benedictini respexisse Augustinum ad I Cor. XV, 55, *Ubi est, mors, contentio tua?* Sic enim citat Augustinus hunc locum, quasi esset scriptum, Ποῦ σου, ᾅδη, τὸ νεῖκος, non vero νῖκος, victoria, ut est in nostris codicibus. Non tantum affinitas scripturæ, sed et pronuntiationis similitudo fallere interpretem potuit. Attamen Ambrosius epist. 44 ad Horontianum, sic profert hunc locum : *Ubi est, mors, victoria tua? ubi est mors, aculeus tuus?*

Cap. 6, § 16. *Non autem postestas Deo defuit talem facere hominem qui peccare non posset; sed maluit*

*cum talem facere cui adjaceret peccare si vellet, non peccare si nollet : hoc prohibens, illud præcipiens ; ut prius essent bonum meritum non peccare, et postea justum præmium non posse peccare.*] Hæc sunt intelligenda non de solo Adamo, sed et de quibusvis hominibus; alioqui non solveretur objectio eorum qui excusabant peccata sua, quod Deo non displicerent, qui alioquin ea non pateretur. Non enim sermo est de eo quod habuit Adamus, sed de eo quod habent singuli homines, in ea conditione in qua nunc sunt.

## ANIMADVERSIONES

### IN LIBRUM DE BONO CONJUGALI.

Cap. 2, § 2. *Sive ergo, sine coeundi complexu, alio aliquo modo, si non peccassent, habituri essent filios,* etc.] Ea de re vide quæ ipse comminiscebatur Augustinus in opere de Civitate Dei lib. XIV, capp. 23 et 24.

Cap. 13, § 15. *Illis vero temporibus* (patriarcharum), *cum adhuc propheticis sacramentis salutis nostræ mysterium velabatur, etiam qui ante nuptias tales* (continentes) *erant, officio propagandi nuptias copulabant, non victi libidine, sed ducti pietate ; quibus si optio talis daretur qualis revelato Novo Testamento data est, dicente Domino : Qui potest capere capiat ; non eos dubitat* (Lege *dubitet*) *etiam cum gaudio suscepturos fuisse, qui diligenter intentus legit quomodo conjugibus utebantur, cum et plures habere uni viro licebat, quas castius habebat, quam nunc unam quilibet istorum quibus videmus quid secundum veniam concedat Apostolus.*] Multum in hoc commento sibi placuit Augustinus, cum id sæpe repetat et confidenter proferat; quia inserviebat ad compescendos Manichæos, homines imperitos ac fatuos, qui solebant detrahere antiquis patriarchis, propter polygamiam. Plura etiam ea de re habet in sequentibus. At qui legent Vetus Testamentum paulo studiosius, animadvertent facile priscorum patriarcharum ætatem fuisse veluti veræ religionis infantiam, in qua multa Deus tolerabat quæ nunc adulta religione amplius non ferret; et in qua fidem cæterasque virtutes probabat, pro modo revelationis et captu illius ævi. Illi ergo fuere instar cæterorum virorum, qui non tantum prolem quærebant, sed et cætera quæ in conjugio quæri solent, nec cogitabant de iis quæ nobis narrat Augustinus, et quorum in Vetere Testamento nec vola, nec vestigium. Dolendum est eum passim non quod verum esse accurato examine adhibito compererat, sed quod exped ebat dici, et ῥητορικωτέρως apud imperitum vulgus poterat tractari protulisse.

Sed non potest non laudari quod habet cap. 23, § 29. *Majus est bonum obedientiæ quam continentiæ. Nam connubium nusquam nostrarum Scripturarum auctoritate damnatur, inobedientia vero nusquam absolvitur.* Unde merito colligit si conjugata præceptis Evangelii fidelius pareat quam virgo, meliorem esse. Sed censet, cæteris omnibus paribus, præstantiorem esse virginem quam nuptam; quod non ita videtur, nam usu conjugii homines ingratiores Deo non fiunt, si cæteroqui reliquorum Evangelii præceptorum observantes sint, quam usu ciborum bene conditorum, aut sponte naturæ gratorum quibus natura nostra carere nequit.

## ANIMADVERSIONES

### IN LIBRUM DE SANCTA VIRGINITATE.

Cap. 4. De Maria Virgine : *Ipsa quoque virginitas ejus ideo gratior et acceptior, quia non eam conceptus Christus viro violaturo, quam conservaret ipse, præripuit, sed priusquam conciperetur, jam Deo dicatam, de qua nasceretur elegit. Hoc indicant verba quæ sibi fetum annuntianti angelo Maria reddidit :* Quomodo, *inquit,* fiet illud, quoniam virum non cognosco? *Quod profecto non diceret, nisi Deo virginem se ante vovisset.*] Atqui ex hisce verbis Mariæ liquet potius in angeli annuntiatione, vers. 31, hoc comprehensum fuisse, eam e vestigio concepturam, antequam cum viro cui desponsata erat concumberet. Vide Luc. I, 27. Itaque inania sunt quæ sequuntur : *Sed quia hoc Israelitarum mores adhuc recusabant, desponsata est viro justo, non violenter ablaturo, sed potius contra violentos custodituro quod illa jam voverat.*

Cap. 12, § 12. *Habeant conjugia bonum suum, non quia filios procreant, sed quia honeste, quia licite, quia pudice, quia socialiter procreant, et procreatos pariter salubriter, instanter educant, quia thori fidem invicem servant, quia sacramentum connubii non violant.*] Hæc omnia maximi esse momenti nemo negarit, cum ipsa societatis humanæ fundamenta contineant, nec fieri recte possint omnia sine summa virtute. Pericula enim multa imminent conjugatis, multæ tentationes incumbunt, ex quibus sese, ut Christianos decet, expedire semper non est facile. Ferenda sæpe morosa ingenia, resistendum pravis conjugis cupiditatibus, occultanda ac molliter emendanda delicta aut conjugum aut liberorum; quod non est exiguæ moderationis, constantiæ et prudentiæ. Labore quærendi sunt plerisque patribusfamilias sumptus, quos suppeditent uxori et liberis; gerenda est eorum cura, ne in nimia paupertate relicti tentationibus succumbant; quæ sine cujusquam injuria facere, et æquo animo omnibus honestis laboribus defungi, est sane boni ac prudentis viri. Inter hæc omnia, divini cultus memorem esse, et ad Deum omnia referre, suisque exemplum religionis esse, est hominis vere sancti ac religiosi. At qui cælibem vitam agunt nullius curam gerunt nisi sui, nec indigent tanta virtute ad se solos sustentandos, et viam virtutis calcandam, quæ multo minoribus periculis cincta est. Atqui, inquies, cælibes spernunt voluptatem conjugii, qua in re magno animo opus est. Verum si ea sint temperatione corporis ut conjugium non possint non appetere, male faciunt qui ab eo abstinent; nam *melius est nubere quam uri.* Quod si natura frigidiores nullo ejusmodi appetitu tententur, exigua sane virtus est ab eo abstinere quod minime cupias. Scio objici verba Pauli I Cor. VII, 32 et seqq., ubi docet conjugatos anxios esse quomodo sibi invicem placeant, deque rebus hujus mundi; cælibes vero cogitare quæ Domini sunt. Sed hæc non obstant quominus facilius sit ac proinde minoris virtutis in cælibe vita quæ sunt Domini cogitare, quam in conjugata in qua multis necessariis

curis homines distrahuntur; ad quas curas ita animum appellere, ut semper de præceptis Evangelii cogites, nec habitum ea perfringendi ullum contrahas, non est vulgaris sanctitatis. Paulus habet quid vulgo fiat a conjugatis, non quid fieri debeat; et vice versa quid fieri debeat a cælibibus, et facile etiam fieri possit, non quid revera fiat. Cælibatus alioqui non est res quæ per se magis placeat Deo quam matrimonium; sed is demum ei gratior, in alterutro sit statu, qui præceptorum ejus est observantior. Ea autem interdum incidunt tempora quibus præstat vitare connubium quam eo illaqueari: qualia sunt tempora gravium persecutionum, ut ætas apostolica. Atque eo etiam respicit Paulus vers. 26 ejusdem capitis, ubi profitetur se ita loqui propter *instantem necessitatem*. Qui hæc probe expenderit non multum movebitur rhetoricis argumentis quæ in hoc libro deinceps sequuntur.

## DESIDERII ERASMI CENSURA

### IN LIBRUM DE BONO VIDUITATIS.

Mira dictionis facilitas, et candor clamitat non esse Augustini. Probabile est esse Juliani, cujus exstat epistola ad Demetriadem de Virginitate. Nam et orationis filum congruit, et hic bis citat eum libellum. Sunt tamen quædam de libero arbitrio quæ videntur ab alio correcta. Adde quod titulus alienissimus sit ab Augustini consuetudine. Hunc affinxit aliquis, ut opusculum alioquin pium gratioso nomini vindicaret. *Sed de hac censura vide admonitionem editorum Parisiensium huic libro præfixam.* (PHEREP.)

## ANIMADVERSIONES

### IN EUMDEM LIBRUM.

Cap. 9, § 12. *In conjugali quippe vinculo, si pudicitia conservetur, damnatio non timetur; sed in viduali et virginali continentia, excellentia muneris amplioris expetitur; qua expetita et electa, et voti debito oblata, jam non solum capessere nuptias, sed etiamsi non mubatur, nubere velle damnabile est.*] Ante omnia ostendendum fuisset Deum alicubi in Novo Testamento significasse sibi accepta esse talia vota; quod profecto mihi non constat; imo vero nihil tale usquam haberi satis mihi constat. Deinde fac talia vota Deo accepta esse, ea demum accepta erunt quæ fient a mulieribus quæ suæ temperationis sibi probe consciæ id pollicentur quod præstare possunt, non quod nequeunt præstare. Nam si juvencula quæpiam vidua, desiderio nuper amissi viri confecta, et præ mœstitia non satis sui compos voveat perpetuam viduitatem, quam, sedato luctu, intelligat se amplius servare non posse; an ejusmodi temerarium votum gratum Deo erit? Non puto. Itaque superest ut veniam a Deo petat temerarii voti, et castum ineat connubium, potius quam coacta votum temerarium servare, in perpetuo versetur periculo, et uratur interea dum virum nacta sit.

Sed Augustinus auctoritate Apostoli hanc in rem utitur: *Nam, ut hoc demonstret Apostolus, non ait:* Cum in deliciis egerint, in Christo *nubunt, sed:* Nubere volunt; habentes, *inquit*, damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt; *et si non nubendo, tantum volendo, quia ipsæ nuptiæ vel talium damnandæ judicantur, sed damnatur propositi fraus, damnatur fracta voti fides*, etc. Sed ante omnia observandum Paulum agere non de quibusvis viduis, sed de iis demum quas Græci diaconissas vocabant; quæ variis usibus ecclesiasticis adhibebantur, oblationibusque Ecclesiæ alebantur. Optandum erat has postea non nubere, multis de causis, et præsertim quidem quia non erat commodum Ecclesiæ subinde aliarum atque aliarum ministerio uti; timendumque erat ne si nuberent ethnicis, qualia sine dubio multa fiebant tunc temporis matrimonia, noceret hoc Christianis. Atque hoc omnino significare videtur Apostolus hisce verbis I Tim. v, 11, ὅταν γὰρ καταστρηνιάσωσι τοῦ Χριστοῦ, γαμεῖν θέλουσι, hoc est, *cum enim immodestius se contra Christum gesserunt, nubere volunt.* Sententia est, si quid commiserint quod Christianas viduas dedeceat, propterea que castigentur, volunt nubere, Ecclesiæque valedicunt. Quod addit Apostolus eodem pertinet: *habentes damnationem quia primam fidem irritam fecerunt.* Intelliguntur vulgo hæc verba de fide data Ecclesiæ, cui promiserant se posthac ea curaturas quæ iis committebantur; sed nescio an non de ipsa fide Christiana sint intelligenda, quam irritam facerent nubendo ethnicis, quorum religionem sequebantur. Certe hoc non significari nulla sat firma ratione ostendi potest. Scio ab Augustino aliter interpungi hunc locum, hoc modo: *cum enim in deliciis egerint, in Christo nubere volunt;* sed jam nemo paulo doctior dubitet an interpungendum sit ut antea fecimus; nam ita necessario Græcæ phraseos ratio postulat.

## ANIMADVERSIONES

### IN LIBROS DE CONJUGIIS ADULTERINIS.

Cap. 1. LIBRO I, § 1. *Prima quæstio est.....quod ait Apostolus* (I Cor. VII, 10 et 11): Iis autem qui sunt in conjugio præcipio, non ego, sed Dominus, mulierem a viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari; et vir uxorem non dimittat; *utrum ita sit accipiendum, ut eam prohibuisse nubere intelligatur, quæ sine causa fornicationis discessit a viro; id enim sentis: an, sicut ego sensi..... illas innuptas manere præceperit quæ a viris suis ea causa recesserint, quæ sola permissa est, id est fornicationis.*] Quamvis Paulus respiciat ad verba Christi quibus vetat conjuges, excepto casu adulterii, separari, iisque utatur ad impediendas dissolutiones matrimonii, quæ quavis de causa fiebant apud Græcos suis legibus utentes; non sequitur quod vult Augustinus, non licere adulterii causa publico judicio separatis novas nuptias contrahere. Nam quamvis ex legibus Christi non liceret, ulla de causa præter adulterium, dimittere conjugem; non sequitur Græcos, recens ad Christianam religionem adductos, pristinis moribus non esse interdum abusos. Hoc satis indicat Paulus cum dicit, *quod si discesserit, manere innuptam;* nam hinc liquet ejusmodi discessum non probari Apostolo. Sed consulendi recentiores interpretes ad locum Pauli, et alios Novi Testamenti, quos hanc in rem profert Augustinus, longum enim esset omnes ejus παρερμηνείας excutere.

Libro II. Cap. 6, § 5. *Nonnulli modicæ fidei, vel potius inimici veræ fidei credo metuentes peccandi impunitatem dari mulieribus suis, illud quod de adulteræ indulgentia Dominus fecit auferrent de codicibus suis, quasi permissionem peccandi tribuerit qui dixit :* jam deinceps noli peccare, *aut ideo non debuerit a medico Deo illius peccati remissione sanari, ne offenderentur insani.*] Videtur indicare Augustinus abrasam a codicibus eam solam particulam quam memorat. Mirum est Augustino non innotuisse integram historiam defuisse in plerisque exemplaribus Græcis. Ac sane Theod. Beza et H. Grotius ostenderunt graves esse rationes dubitandi de tota hacce historia. Vide et quæ adnotata sunt a Joanne Clerico in additamentis H. Hammondi.

## ANIMADVERSIONES
### IN LIBRUM DE MENDACIO.

Cap. 5, § 7. De exemplis eorum qui in Vetere Testamento mentiti dicuntur: *Credendum est*, inquit, *illos homines, qui propheticis temporibus digni auctoritate fuisse commemorantur omnia quæ scripta sunt de illis prophetice gessisse atque dixisse ; nec minus prophetice iis accidisse quæcunque sic acciderunt, ut eodem prophetico spiritu memoriæ litterisque mandanda judicarentur.*] Nescio cui *credendum* hoc velit Augustinus, nam sane nusquam Scriptores sacri hoc sibi credi voluerunt. Historia optimorum quorumque qui temporibus propheticis vixerunt, historia est, non prophetia ; nec dissimulat vitia et delicta patriarcharum et prophetarum ipsorum, ut Davidis; non quia ea vitia delictave habent aliquid propheticum, sed quia hoc postulat veritas historiæ, et lectorum etiam utilitas. Hinc enim intelligimus quanta diligentia cavendum sit a peccato, in quod inciderunt etiam viri alioqui laudati; et si forte, per imprudentiam infirmitatemque in id delapsi fuerimus, non esse desperandum de misericordia divina. Præterea si leges Veteris Testamenti et leges Novi comparemus, intelligemus facile antiquis temporibus fuisse veluti religionis infantiam, in qua multa ferebantur quæ nunc minime ferrentur; eritque cur Deo gratias agamus quod nos ampliori luce donaverit, majoribusque aut certe clarioribus promissis nos a peccando revocaverit. Hæc aliaque, quæ per se patent, et ex rebus ipsis necessario nascuntur dicenda sunt potius quam fingamus quidlibet, ut allegorice simplicissimas historias interpretemur.

Subdit Augustinus : *De obstetricibus autem* ( de quibus Exod. I, 19) *quia eas non possunt dicere prophetico spiritu significandi futuri veri gratia, aliud pro alio renuntiasse Pharaoni; etiamsi aliquid, ipsis nescientibus, quod per eas actum est significavit, pro gradu suo dicunt approbatas et remuneratas a Deo. Qui enim nocendi causa mentiri solet; si jam consulendi causa mentiatur, multum profecit.* Verum quod facto obstetricum aliquid significatum ait Augustinus, eorum nomine quorum sententiam refert, id quid est, præter omnium. Si talibus, quæ omni verisimilitudine destituta sunt, pondus tribuatur, quid tandem habebitur leve? Sed sunt multa quæ et dicuntur et repetuntur, duntaxat quia aliquando a celebri scriptore prolata sunt, a quo auctoritatem trahunt; quamvis negata ab aliquo, qui sine argumentis persuaderi mera auctoritate fallacium hominum sibi nihil patitur, abeunt in auras. Deinde quis non videt mendacium obstetricum, quod prolatum erat non eo fallendi animo ut fallacia noceret et quod nocere revera nemini poterat, cum præsertim nulla alia ratio esset vitæ infantium consulendi, maximum fuisse officium humanitatis? Nemo certe non eo modo delinqueret : et delinquere se debere censeret, si se ejusmodi occasio daret. Ponenda sunt tantum tria quæ diximus, primum est nullum esse oportere animum nocendi mendacio; alterum ejusmodi debere esse mendacium, quod nocere revera non possit; tertium denique non esse aliam viam qua imminens malum vitetur. In hisce sane circumstantiis licitum esse debet mentiri, si non illicitum sit joco mentiri, quod per Augustinum licet. Vide cap. 11. Nec putes qui usque adeo ab utili et necessario mendacio abhorrere se dictitabant, tam rigidos fuisse veri satellites, ut nunquam emolumenti causa mentirentur. Contrarium persuadent tot ficta miracula, ad venerationem plebis quibusdam ecclesiis ac basilicis conciliandam, totque rhetoricæ fictiones in disceptationibus cum hæreticis, quæ in multis scriptoribus utramque paginam faciunt. Sed, si liceat id quod suspicamur pro loqui, non alia de causa multi in licita mendacia, qualia descripsimus, tam acriter invehebantur, quam ut postea in rem suam fructuosius mentirentur. Simpliciores enim homines non suspicabantur ab iis sibi fucum fieri, qui tam infensos profitebantur se mendacio. At a tot sæculis videmus, mutatis duntaxat personis, eam fabulam agi, hominesque omnium sæculorum tam multis in rebus sibi similes esse, ut jam tandem prudentiores esse debeamus, aut digni simus qui ludibrio habeamur, et vel a Cappadecibus fallamur.

## ANIMADVERSIONES
### IN LIBRUM CONTRA MENDACIUM AD CONSENTIUM.

Cap. 7, § 17. *Si propterea justa sunt, non qualiacunque, sed blasphema mendacia, quia hoc animo fiunt ut occulti hæretici detegantur; poterunt isto modo, si eodem animo fiant, casta esse adulteria.* ] Merito sane invehitur Augustinus in eos qui improbe simulabant se esse Priscillianistas, ut eos quos putabant occultare apud animum suum hæresin Priscilliani, retegerent. Etenim animo nocendi miseris Priscillianistis hoc fiebat, ut cum iis legibus contra hæreticos latis ageretur. Hæretici autem habendi erant, ex lege Arcadii anno 395 lata, *qui vel levi argumento a judicio catholicæ religionis et tramite detecti fuerint deviare.* Est vigesima octava tituli 5 lib. XVI codicis Theodosiani. Deinde impium fuit simulare se esse Priscillianistam iis qui opiniones Priscilliani pravas esse putabant ; quales revera erant, si eæ fuerunt quæ a scriptoribus ecclesiasticis scribuntur. Noxium autem fuit veritati et contrarium divinis præceptis veritatem in re gravi non profiteri; ac proinde ne ea

quidem de ratione talia mendacia innoxia haberi potuerunt.

Cap. 18, § 37. Postquam quæsivit an patri ægrotanti sit dicendum filium esse mortuum, ne pater tristitia moriatur, subdit : *Huc accedit, ubi miserabilius ejulandum est, quod si concesserimus pro salute illius ægri de vita filii ejus fuisse mentiendum, ita paulatim minutatimque succrescit hoc malum, et brevibus accessibus ad tantum acervum mendaciorum sceleratorum sensim subintrando perducitur, ut nunquam possit penitus inveniri, ubi tantæ pesti per minima additamenta in immensum convalescenti possit obsisti.* ] Sed huic mendaciorum decursui modus facile imponitur iis quæ ad superiorem librum notavimus; si, nempe, nunquam mentiamur, nisi ubi mendacium ita prodest alicui, ut nunquam nocere ulla in re possit, et quidem ita ut necessitate eo adducamur. Ac sane pii, qui mendacio utili et necessario aliquando usi sunt, noluissent tamen pejerare, blasphemare aut quidquam aliud facere quod divina lege prohibitum sit; multosque etiamnum hodie sic affectos esse puto. Hoc posito, corruunt quæ paratragœdiatur orator Numida, si semel concedatur aliquando licere mendacio uti, fore ut ad perjuria et blasphemias, imo et ad stupra deveniatur : cum hæc proderunt iis in quorum gratiam admittentur. Talia contendimus semper esse mala, nec unquam posse prodesse, quicunque fingatur casus; nec est ejusdem naturæ mendacium in indifferentibus situm rebus, quæ ad virtutem aut veritatem in genere spectatam nihil faciunt. At damnat, inquies, Scriptura uti stuprum, ita et mendacium. Nimirum, noxium, et quod fit animo nocendi; nam hoc semper est contrarium humanæ societatis legibus, quemadmodum et stuprum. Exempli causa, verba psaltæ psal. v, 6, 7. *Odisti omnes qui operantur iniquitatem; perdes omnes qui loquuntur mendacium; virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus;* quis dubitet spectare fraudulentum mendacium, in detrimentum perniciemque aliorum excogitatum? Verum hæc satis superque.

## ANIMADVERSIONES

### IN LIBRUM DE OPERE MONACHORUM.

Notum est per Orientem perque Africam, ubi primum ingentia monachorum examina esse cœperunt, ibitio eos in solitudinibus suis manibus laborasse, ut tenuem saltem victum sibi compararent. Sed cum in urbes irrumpere cœperunt, maluerunt, labore illo sellulario omisso, ex oblationibus religiosorum hominum vivere; ex quibus tandem, ut videmus, maximas opes sibi conflarunt, præsertim antiquiores ordines. Contra hosce homines hoc opusculum, rogatu Aurelii Carthaginiensis episcopi, scripsit Augustinus; cujus argumentum optime expresserunt monachi Benedictini. *Primum,* inquiunt, *demonstrat Apostolum dedisse servis Dei præceptum et exemplum faciendi operis corporalis, quo victum et vestitum sibi procurarent. Deinde ostendit evangelica illa præcepta, unde suam monachi illi non solum desidiam, sed etiam arrogantiam fovebant, apostolico præcepto non esse contraria.* Candide sane, nec possunt non laudari, qui Augustini præceptorum memores honestiori multo et animi et corporis labori operam dederunt; intelligo editiones Patrum, quas magno studio curarunt. Nam tametsi eo labore victum sibi non compararunt, quod ex prædiis et latifundiis sat amplos fructus percipiant quibus sese sustentent, attamen omnibus digni visi sunt qui iis fruerentur, quicunque litterariam reipublicam ita juvarunt; et præsertim quidem ii qui monasticæ modestiæ memores probum neminem momorderunt, dum de omnibus bene mereri videri volunt. Sed quid fiat tot fucis et mendicis, de quibus Erasmus in dedicatione ad cardinalem Fonsecam? Ii sane legant et relegant hoc opus Augustini, ut si erudito labore sibi de necessariis prospicere nequeant, aut digni esse quibus ab aliis prospiciatur, manuum suarum opera hanc in rem utuntur.

## ANIMADVERSIONES

### IN LIBRUM DE CURA PRO MORTUIS.

Cap. 1, § 2. Prolato loco II Cor. v, 10, ubi ita Apostolus : *Omnes enim astabimus ante tribunal Christi, ut ferat unusquisque secundum ea quæ per corpus gessit, sive bonum, sive malum;* ex quo singulorum post mortem sortem prorsus pendere ex anteactæ vitæ ratione liquet, unde sequebatur preces pro mortuis inanes esse, sic respondet Augustinus : *Hæc ita solvitur quæstio, quoniam quodam vitæ genere acquiritur, dum in hoc corpore vivitur, ut aliquid adjuvent ista defunctos; ac per hoc, secundum ea quæ per corpus gesserunt, eis quæ post corpus religiose pro illis facta fuerint adjuvantur.* Sed locum aliquem Scripturæ, aut revelationem certam hanc in rem proferri oportuit; qui enim norat Augustinus hoc velle Deum, ut preces Ecclesiæ prosint post mortem nonnullis; cum altum sit ea de re silentium, et ubique ad mores præteritos defuncti sors ejus post mortem referatur? Non enim satis est ut possit hoc fieri; quam multa enim Deus non vult, quæ potuisset velle? *Sunt enim,* inquit, *quos nihil omnino adjuvant ista* (Ecclesiæ pro iis defunctis deprecationes), *sive pro iis fiant quorum tam mala sunt merita, ut neque talibus digni sint adjuvari; sive pro eis quorum tam bona, ut talibus non indigeant adjumentis.* Nihil verius, nam quos aperte damnant leges Evangelicæ, ii propter preces superstitum servari nequeunt; et quos aperte servatos volunt, ii non minus servabuntur, si taceant superstites quam si orent. Sed judice Augustino, sunt medii quidam generis quibus prosunt preces Ecclesiæ; at hoc probandum ei fuit, nam Deum orare ut iis ignoscat de quibus nihil promisit, est verba perdere, et fortasse etiam eum offendere, qui coli vult non ut hominibus videtur, sed ut ipse jussit. Affert tamen postea Hipponensis episcopus locum Mach. XII, 43, et *in Machabæorum,* inquit, *libris legimus oblatum pro mortuis sacrificium.* Sed ubi lex talia sacrificia jussit, aut ubi Deus se adinventis ab hominibus sacris propitium fore promisit? Nusquam. *Sed,* inquit, *et si nusquam in Scripturis veteribus* (*adde* et novis)

*omnino legeretur, non parva est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, auctoritas, ubi in precibus sacerdotis quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum.* At quis docuerat Augustinum a temporibus Apostolorum nullas pravas opiniones ac consuetudines sensim irrepere potuisse? Nullum Dei legitur hanc in rem promissum; eademque est ratio hominum in rempublicam ecclesiasticam, ac in civilem coeuntium, nec in hanc, magis quam in alteram, malæ consuetudines sensim irrepere possunt. Quod eo facilius contigit, quod cum quibusdam consuetudinibus magnum et certum lucrum ecclesiasticorum esset conjunctum; qualis est deprecatio pro mortuis, quæ nunc magno ære, per totum Occidentem, redimitur. De origine precum pro mortuis vide Joan. Fellum ad epist. 1 Cypriani.

### DESIDERII ERASMI CENSURA
#### IN LIBRUM DE PATIENTIA.

Augustini non esse phrasis arguit, congruens cum ea quam habent libelli superiores. *Sed vide de hac Censura Admonitionem huic libro ab editoribus Parisiensibus præfixam.* (PHEREP.)

### ANIMADVERSIONES
#### IN EUMDEM LIBRUM.

Cap. 15, § 12. *Sed vera patientia, quæ hujus est nomine digna virtutis, quærendum est unde sumatur.* [*Sunt enim qui eam tribuant viribus voluntatis humanæ, non quas habet ex divino adjutorio, sed quas ex libero arbitrio.*] Ex quo Augustinus cœperat cum Donatistis et Pelagianis digladiari, eos εὐκαίρως, ἀκαίρως, ubique aggreditur et insectatur, etiam ubi simile nihil exspectares: quemadmodum Cicero Catilinariæ factionis reliquias. Ac sane facile erat; nam semper eadem repetebantur, eademque invidia miseris conflabatur. Sic hic ita distinguit *adjutorium* Dei, a *libero arbitrio*, quasi hoc quoque non esset donum Dei, minime patientis hominem in immedicabilia prorsus vitia incidere, quia beneficio facultatum a Deo acceptarum semper potest homo ea, si non subito, at sensim vincere. Ita infamat Pelagianos, quasi negarent implorandum auxilium divinum, cum se id implorare profiterentur, atque ex doctrina sua omnino deberent. Sed hæc alibi jam attigimus, et fortasse copiosius commodiore loco persequemur. Nunc satis sit morem Augustini indicasse, ne quis dubitet an ejus sit hic libellus.

### DESIDERII ERASMI CENSURA
#### IN SERMONES AD FRATRES IN EREMO

Oratio consarcinata ex Augustini regula, nihil adioqui habens Augustini. Artifex qui finxit, hoc agit ut ordinem qui Augustinensium dicitur orbi commendaret. Itaque quotquot sunt hujus generis, 0 præfixo notavimus (*a*).

(*a*) Quoniam Benedictini omnes, hosce sermones, quorum plerisque 0 præfixerat Erasmus, exceptis duobus, obelo critico jugularunt, nihil opus indicari eos quos vir summus damnarat. PHEREPON

---

# IN TOMUM SEPTIMUM

### JOANNES LODOVICUS VIVES
#### INCLYTO PRINCIPI HENRICO VIII ANGLIÆ REGI, HIBERNIÆ DOMINO, etc.

Ita comparatum est natura humanorum ingeniorum, clarissime rex, ut illos demum vere et ex animo admiremur quos in ea præstare videmus arte quæ maxime nobis inter omnes placet ac probatur. Alii aliis dediti sunt studiis ac exercitamentis. Sic fert natura rerum, ut hac varietate speciosus ac mirabilis consistat mundus: et tamen, ut inquit ille, *Suum cuique pulchrum.* Jam olim opibus et imperio tam late patenti, non armis et sanguine quæsito, sed a parentibus per manus tradito, et robore animi corporisque, et virtute bellica, tum carus eras omnibus, tum etiam suspiciendus. Nunc vero postquam etiam, quantum ingenii viribus studiisque sapientiæ valeres documenta dedisti, major litteratis omnibus cœpisti esse ac admirabilior: non quin te antea permagni æstimarent; præsertim cum regno, cujus potestas majestasque est in terris secundum Deum maxima, animi clementiam probitatemque adjunxeris, quo verior fieres expressiorque naturæ Principis imago: qui ut maximus, ita est et optimus; ac prius quidem optimus quam maximus. Sed qui studiis dediti non perinde vel divitias suspiciunt, vel potentiam, quod esses quidem bonus, id in te complectebantur, et amore prosequebantur ingenti; quod rex esses, non ita admirandum ducebant, cum et scelesti homines sæpe reges fuerint, corporis etiam dotibus insignes. Ubi vero tua sacramentorum assertio prodiit, qua nihil vel elegantius fieri potest, vel purius, vel sanctius, et uno uti verbo dicam, Christianius, opinio probitatis animi tui confirmatior reddita est, si modo id fieri poterat: nam certissima firmissimaque in omnium animis erat multis exemplis velut clavis infixa, et admiratio jam apud omnes suborta. Nempe et apud illos qui amplius augustiusque nihil putant potestate regia, et eos qui divitias supra res universas constituunt; et qui corporis muneribus, formæ, lacertis, agilitati plurimum tribuunt; et qui belli artium sunt studiosi, velut omnipotentis ac rerum domini: quo fit ut certatim principes omnes amicitiam tecum, quibuscunque possint rationibus viisque, ambiant: omnes tibi sive fœdere, sive, quod optatius est, sanguine jungi affectantes. Nec privatorum tibi studia desunt, quæ ipse fulgore tuarum virtutum facis: alios liberalitate seu magnificentia potius alliciens, alios humanitate ac suavitate morum, cunctos prudentia atque justitia, duabus vero

regiis virtutibus. Qui cum talis sis, profecto impuden- A tiam meam fateor, sæpe numero tibi innotescere affectavi : quoniam, hæc est mea sententia, laus non mediocris tibi vel notum esse. Et cum alias semper defuerit occasio, nunc seipsa sponte obtulit, paratis a me in Augustini libros de Civitate Dei commentariis, quos cum dispicerem cui dicare sic possem, ut tum aliquam ipse laboris mei gratiam inirem non omnino contemnendam : tum cui dicarentur, non perinde litteras dari existimaret, ac stipulas, et libros, ac sarcinas capsarum molestas; tum etiam ceu ad censorem gravissimum mitterem; qui unus si approbasset, suffragiis omnium probati commendatique viderentur, ipse multis nominibus rationibusque occurristi. Primum, quod ea es virtute ac doctrina, ut tibi etiam dicassem si privatus esses. Deinde qu d B viam han expeditissimam cernebam, qua voti facile compos fierem jam pridem concepti et nuncupati. Accedit huc, quod, quemadmodum experti narrant, obvius es ac expositus hujusmodi muneribus : quibus gratiora vix tibi ulla possunt contingere. Nam aurum, argentum, gemmas, vestes, equos, armà tibi qui offerat plane mari, quod aiunt, aquam, aut saltibus ligna. Et profecto ut aliis in rebus omnibus, ita in hoc quoque prudentissime agis, qui dignam virtute ac meritis tuis apud posteros gloriam libris doctorum hominum parari cogites : si non meis aut mei similium, certe facilem te et perhumanum litteratis exhibendo, in aliquem incides cujus stylo ceu penicillo quodam eruditissimo, effigies istius præstantissimi atque optimi animi depicta et formata immortalitati commen- C detur : nec ullo oblivionis operiatur situ, aut vetustatis injuria corrumpatur, et memoratu digna non taceat posteritas virtutum testis incorrupta, simul in gloriam tui jam olim cœlo redditi, quamvis leve hoc et negligendum, simul quod magnum imprimis est, et optandum in exemplum eorum qui tunc vivent. Præter hæc omnia congruit sive ingenio sive studiis tuis hoc opus, in quod Augustinus optimam eorum partem, quæ apud veteres legerat auctores, tanquam in thesauros conjecit : nempe, cum omnibus acutissimis, summa præditis et eloquentia et doctrina disputaturus. Quo factum est ut aliud agens magis optimarum rerum servarit reliquias, domiciliis earum et quasi sedibus unde prius peti solebant eversis. Itaque pro Varrone, pro Sallustio, pro Livio, pro Ci- D cerone in libris de republ. magni posterioris ætatis viri hisce Augustini scriptis sunt adjuti : ut Hermolaus, Politianus, Blondus, Beroaldus, quæ tu omnia non ita leges, ut nova tibi et inaudita, sed ut vetera recognosces. Adde quod Augustini tuumque scribendi institutum eodem propemodum videntur pertinuisse. Nam ut tu contra Babyloniam pro meliore illa scripsisti Roma, ita et Augustinus contra Babyloniam illam veterem Romam Christianam et sanctiorem defendit. Congruit et magnitudini tuæ non opus meum, sed Augustini, sub quo ipse delitesco, sive auctor spectetur, sive materia operis. Auctor est Augustinus, vir, Deum immortalem, quam sanctus, quam doctus, quale specimen columenque reipublicæ Christianæ! quo uno multis ritibus, multis statutis, moribus, cærimoniis piis ac venerandis est illa innixa : nec injuria. Fuit enim in viro illo studium uberrimum, cognitio sacrarum Scripturarum exactissima, judicium acre et extersum, ingenium ad miraculum acutum. Fuit ipse sincerioris pietatis diligentissimus propugnator, moribus mansuetissimis, et ad caritatem evangelicam effictis atque expressis, vitæque integritate sanctitateque insignis et adorandus : quæ omnia persequi ne volumine quidem justo possis, nedum epistola. Bene quod de scriptore agimus omnibus noto, tibi etiam familiari. Jam opus non est de filiis Niobe, quod aiunt, aut de portis Thebarum; non de sarciendis vestibus, aut parandis voluptatibus, non de agro colendo : quæ alioqui argumenta magis sunt quoque regibus dedicata; sed de utraque civitate mundi et Dei, quibus angeli, dæmones, hominesque universi continemur : ut natæ, ut educatæ sint; ut adoleverint, quo tendant, et quid, ubi ad metam percurrerint, facturæ. Quæ ut explicet, nihil neque profanæ prætermisit eruditionis, neque sacræ, quod non attingat et exponat. Romanorum res gestas, deos, sacra, et cærimonias, philosophorum placita, cœlorum terræque, tum angelorum, dæmonum, hominum originem. Hinc quibus initiis populus Dei creverit, et quomodo usque ad Christum Dominum deductus est; tum duæ civitates comparantur, Dei et mundi, regnaque adducuntur Assyrium, Sicyonum, Argivum, Atticum, Latinum, Persicum. Post hæc quid de Christo vates et ethnici, et Judæi prædixerint. Jam dicturus de vera felicitate, opiniones veterum philosophorum de illa confutat et refellit. Deinceps ut venturus sit Christus de bonis malisque pronuntiaturus judex vivorum et mortuorum. Ad hæc de sceleratorum supplicis. Postremo de gaudiis piorum et æterna felicitate. Atque hæc omnia miro ingenio, maximo acumine, eruditione excultissima, stylo mundo et extorso, qualis auctorem per omne disciplinarum scriptorumque genus versatum exercitumque, et res illas magnas et præstantissimas, et eos quibuscum disputabatur, decebat. Leges itaque, clarissime et optime rex, iis horis, quas tu immensis regni negotiis atque occupationibus suffuraris, ut litteris et ingenii cultui impendas, simul nostros Commentarios degustabis : de quibus licet mihi dicere, quod Ovidius de suis Fastorum libris dixit cum eos Germanico Cæsari mitteret :

Pagina judicium docti subitura movetur
Principis, ut Clario missa legenda deo

Quos si tibi non displicuisse sensero, nihil verebor ne parum aliis probentur. Quis enim adeo impudens sit, ut a tam exacto judicio dissentire non erubescat? Quod si quis audeat, tua tamen vel tacita mihi patrocinabitur auctoritas. Vale, optime rex, et Vivem tibi addictissimum quovis loco numera, modo inter tuos, Lovanii, nonis Julii, 1522.

## JO. LODOV. VIVIS VALENTINI,

### IN SUOS COMMENTARIOS AD LIBROS DE CIVITATE DEI.

Quando de Augustino deque ejus opere, quantum quidem videbatur, sumus locuti, nunc cum lectore ipso aliquanto familiarius de hisce meis Commentariis libet paulisper commentari. Erasmus Roterodamus, vir adeo laudatus a plurimis, ut ad eum gloriæ cumulum nihil sit mea de illo prædicatio, aut perparum additura, cum post Hieronymum et Cyprianum recognitos, Augustinum quoque eumdem in modum perpurgare decrevisset, nec uni ipsi vacaret tantum operum librorum obire, aliis quoque magnis et præstantibus rebus occupato, alios sibi adjunxit sive operis socios, sive ministros : inter quos me etiam ascivit; cumque aliis, quod eorum esset et amplior eruditio, et ingenium felicius, et diligentia dexterior, graviora mandasset atque majora, mihi libros attribuit de Civitate Dei duos et viginti. Quod opus bona ex parte tum rerum gestarum fabularumque narrationibus, tum disputationibus philosophicis consumeretur; quibus rebus bonam ætatis partem videbamur impendisse, magno quidem conatu ac voto, utinam pari successu. Theologica tametsi multa inerant, tamen non ita forsan, ut aliis libris crebra, quanquam ab hac etiam sacrosancta disciplina nunquam alieni fuimus, quantum per ætatem nostram, et aliarum artium quæ nos mirifice ceperunt studia, licuit. Neque vero sic sum ad hoc ipse munus electus, tanquam optime rem exsecuturus; sed ne prorsus nullus esset qui hoc ageret, reliquis Erasmi amicis aliis in alias res intentis. Ac, ut verum fatear arripui opus ab Erasmo oblatum avidissime, pollicitus me postremam Commentariis impositurum manum ante secundum mensem aut tertium. Nam memineram me olim aliquot ejus operis volumina legisse, quæ mihi nec admodum erant visa mendosa, et satis facilia; ac ejusmodi, in quæ non parum ejus notitiæ antiquitatis, quam jugi paraveram lectione, possem effundere, ut eodem labore simul exercerem stylum atque ingenium meum, simul aliis mea studia nonnihil afferrent fructus, simul aliquam ingenii atque eruditionis gratiam pararem. Et fuit illa profecto juvenilis quædam cogitatio, quæ longe aliter experiendo processit, quam ipse mecum eram raciocinatus : nam opus, præterquam quod est longissimum, habet in se miram rerum omnium varietatem, Historias, fabulas, naturalia, rhetorica mathematica, geographica, moralia, theologica; et horum nihil prope, vel tenuiter vel mediocriter. Jam libri erant supra quam dici possit mendosi, qui totam Augustini sententiam prava scriptura alio avertebant. Hic jam non exiguus in castigando ex veteribus libris, tum etiam in divinando labor : nam et divinandum sæpenumero fuit et conjecturis vera restituenda lectio. Orsus nihilominus sum scribere circiter calendas Januarias, anni superioris id est 1521, et confecto ad finem mensis primo libro, affertur de Guilielmi Croji cardinalis patroni mei morte, qui Vormaciæ naturæ concesserat. Facile intelligere quisque potest, ut ea res studiorum meorum quietem concusserit, sublato eo qui mihi unus otia faciebat quanta cupiebam. Hinc, ut nulla unquam calamitas venit sola, in morbum incidi non simplicem : ita ad curam valetudinis coactus sum me Brugas conferre ad meos Hispanos, inter quos æger more ac modo meo commodius tractarer. Convalui mense Junio. Et quoniam dicebantur eodem Carolus Cæsar, et Britannus cardinalis venturi, ea me res ibi aliquot mensibus tenuit, ut Erasmum et Morum convenirem, videremque Tonstallum, et Montjojum, et doctos alios, tum amicos plerosque meos, qui eodem venturi dicebantur. Eo loco scribere non licebat, quod bibliothecam qualem optabam non haberem, unde quæ scribenda forent suppeditarentur. Tantum libros aliquot ad vetusta exemplaria contuli, quorum unum dederat mihi Marcus Lautinus, decanus Sancti Donatiani Brugensis; alterum carmelitæ Brugenses; tertium Erasmus missum ad se Colonia Agrippina, scriptum, ut ferunt, manu divi Lutgeri episcopi. Mira dictu res quanta in codicibus varietas : ut unusquisque describentium putaret sibi licere verba arbitratu suo ponere, modo constaret sensus, quasi interpretatio esset, non exscriptio. Ita in hoc libro legas arbitror, in illo puto; in hoc significatum, in illo figuratum; hic præsens, alibi iste; hic habet ergo, illo igitur; hic æternus, ille immortalis; hic flexisse, illo deflexisse, alius inflexisse. Sed hæc fortassis tolerabilia. Quid illa detracta, quid addita, inversa? Jam quoties erratum, cum versionem LXX interpretum, quam ubique Augustinus adducit, voluerunt ad hanc nostram detorquere, et ex duabus male cohærentibus unam facere : nec aliud æque fuit molestum mihi, ut variam lectionem expendere, examinare, excutere in uno quoque capite non semel. Quæ erant difficiliora, in Commentariis adnotavi; quæ vero apertiora et promptiora, in margine. Id accuratius feci in locis sanctarum litterarum, propter earum mysterium. In plerisque veriorem indicavi lectionem, et quid sentirem aperui. In cæteris adjecisse quid legerint alii contentus, nihil lectori præjudicans, liberam illi atque integram censuram reliqui. Fruetur per me suo quisque sive ingenio, sive judicio. Post Cæsaris et cardinalis digressum redii Lovanium sub finem Septembris; hic, compositis rebus, et digesta bibliotheca, cœpi totus in scriptionem incumbere : ita mihi ea hyeme usque ad quintum decimum librum est progressum. Extremo vere, quod salutandi erant amici parantes in Hispaniam proficisci cum Cæsare, intermisi opus. Erasmo subinde stimulante et instante ut perficerem, ut mitterem, redii Lovanium, et quanta maxime potui diligentia mense uno quatuor postremos libros absolvi, cum bona parte decimi octavi; veniique ad has præfationes scribendas adeo fessus, et labore tanto tamque vario fractus, ut litteras omnes librosque nescio quemadmodum animus aversaretur, velut crudus stomachus ac redundans cibos omnes; liberari tandem ea molestia misere cupiens, et universis atque unicis votis exoptans : ita ut cum ad calcem perveni, nec pecuniam, nec gratiam stu-

diosorum ullam, nec aliud quidquam existimarim æque esse pretium operæ, ac solutum tandem liberatumque esse me labore tam sinuoso, et plerumque inamœno. Narrandæ fuerunt fabulæ et historiæ; describendæ regiones et urbes; tum consulendi Platonici pene omnes, et reliquæ philosophorum nationes, et theologica tractanda : in quibus parcior quam in profanis, aliquot de causis, fui. Primum, quod non decebat profanum hominem, nec natu grandem temere de sanctissimis rebus vel definire, vel disputare. Deinde, quod historia sacrarum litterarum notior solet esse lecturis Augustinum et hujusmodi auctores, quam ut opus sit eam per me repeti, quæ indicatis locis ex sacris libris fusius et apertius cognosci potest, quam ut a me hic pluribus videretur explicanda. Jam dicta ex arcanis nostræ religionis litteris, ab Augustino adducta, nonnulla enarravimus; alia prætervimus, quod viderem non hunc esse illorum explicandorum locum. Auctores profanos crebros ad confirmanda Augustini dicta, velut testes, induximus : quod fides dictorum penes illos esset, præsertim in profanis rebus, quas ab illis est Augustinus mutuatus. Nam in rebus nostræ pietatis neque ethnicis quidquam est negotii; et scriptoribus nostris non perinde multis sum usus, ne parum firma Augustini auctoritas existimaretur, nisi illis velut tibicinibus suffulta. Satis enim videbatur esse dixisse Augustinum. Hieronymum frequentius advocavi, præcipue ubi de linguarum significationibus aut interpretationibus agebatur : quoniam is, ut Græci aut Hebræi sermonis peritia, ita et cognitione sanctarum Scripturarum omnes nostræ religionis scriptores longe antecellit. Nec putavi fore interpretis controversias illas movere quas nostri theologi in scholis magnis animis agitant; quanquam iis prima ætate fuimus imbuti, quæ ab instituto, a mente rationeque Augustini plurimum dissident; aspernatusque fuisset illas, atque indignatus operi suo admistas, velut tritico lolium, quacunque cœli parte purus ille ac sanctissimus animus res hominum despectat. Itaque nec disputandum mihi censui vel cum hoc hominum genere, vel cum antiquioribus, quicunque alieni a sententia Augustini essent; nam hoc jam non esset interpretis, sed defensoris ac patroni, cum non modo mea, sed nec ullius defensione aut patrocinio ille indigeat. Feci igitur quod Hieronymus in Commentariis Epistolæ ad Galatas præfatur se fecisse, ut magna ex parte aliorum sententias tantum referret : sic et nos quid alii dixissent sensissentque contenti lecturis explicuisse sententiam nostram continuimus, veterem Academiæ morem imitati; tum quod id magis ad enarratorem alieni operis existimavi pertinere, tum etiam quod cunctari, et sententiam suam non prodere, et consectari magis aliena quam sua proferre atque ostentare ante canos decere potius arbitrabar, qui censuris ac judiciis non parum auctoritatis addunt : nec immerito. Multa nunc mihi vera, certa, explorata videntur : quæ, si diutius contingat vivere, non modo ambigua per ætatem videbuntur, sed forsan etiam falsissima. Idcirco plerisque in locis delectare magis lectorem placuit quam docere. Et si quid docerem, non tam severe imperando volui persuadere, quam blande rogando monendoque. Adducti sumus nonnunquam ea causa, quoniam Augustinus fusus est plerumque, ac ipse interpres sui : ideo labore docendi adempto ludere libuit, et lectorem in digressus aliquos interim non prorsus inamœnos ducere; simul ut mei laboris quandoque partem levarem, etsi non onere deposito, certe frigida suffusa, et per viam aliquanto munitiorem, et inter sata cultaque spectatu jucunda commodiorem. Nam hæc omnia quæ dixi, etsi habent suas animi ceu reparationes refectionesque, habent nihilominus suas salebras, suos acclives colliculos, per quos non sine sudore agas onus : suos quoque descensus, per quos non sine lapsus periculo facias iter, ne fasce pressus in pronum ferare. Illic vero non stratam ullam viam invenias, nec quod recreet oculos, nec quo vel momentum divertas, ac ne ubi sedeas quidem fessus, cum conferenda sunt tempora, cum diversitas inter auctores atque adeo adversitas ostendenda cum sæpenumero tollenda, cum quærendum et evolvendum, et divinandum ubi sit locus quem Augustinus affert ex scriptore aliquo : quem locum invenire multum ac diu quæsitum, casus est sæpius quam eruditionis. Nam in eum incidat frequenter imperitissimus, quem doctus investigare non potuit diu vestigatum. Et hoc mihi tanto fuit difficilius ac plus temporis extraxit, quod et imparatus ad hoc opus accessi, cum antea quatuor aut quinque tantum in eo volumina legissem, nec indices ullos mihi ex lectione confeci, vel in hunc, vel in similem aliquem usum : quos qui habent, næ hi felices in litteris sunt, quibus haud exigua laboris demitur pars. His angustiis et difficultatibus inopia Græcorum voluminum accessit, quæ est in hac regione mira. Nam cum passim doctis fias obvius, si Aristotelem Græcum, aut Demosthenem, aut Vetus Testamentum; aut Pausaniam, aut Isocratem, aut Julium Pollucem, aut Eustathium utendum petas, negant se habere; nec apud bibliopolas venales invenias. Cum hic adesset Erasmus, ejus bibliotheca adjuvabar; et illinc aliud agens, aliquot mihi decerpseram loca, quæ ceu præsagiebat animus usui mihi aliquando futura. Nam ea in hæc Commentaria intuli. Græcum Platonem habui in octavum, nonum et decimum librum scribens; Strabonem plerumque, Pausaniam nonnunquam; sed præcipue cum in decimum octavum commentarer, et aliquot alios, quibus non perinde atque istis indigebam. Non quidem quod Augustinus ad se enarrandum magnam Græcorum auctorum copiam desideret, qui Latinos tantum est secutus, quos solos pene legerat, aut versos e Græcis; sed certe si adjutus majore Græcorum suppellectili fuissem, potuisset opus paulo exire ornatius ac locupletius. Itaque nonnulla sunt a nobis prætermissa, quæ partim ex nullo potuerunt auctore peti, eorum duntaxat qui exstant : partim ex reconditis Græcorum litteris fuerunt eruenda, alias bibliothecam

nacti Græcorum codicum ampliorem, per occasionem ea lectori sarciemus. Quanquam sedulo illud ante alia est a nobis advigilatum curatumque, ne multa sint quæ in hoc opere studiosi homines cordatique possent desiderare. Quæ omnia præstare aliis vel cognitione rerum ampliore, vel ingenio majore, vel feliciori memoria leve et facile fuisset. Nobis certe haud sane credat quisquam, quam tædiosum fuerit ac fastidiorum plenum : quo fit ut prima illa quæ me in opus stimulabat, perficiendi facilitas plane perierit. At utilitas quanta sit futura, pronuntiare non est meum, quod nec in opere suo quisquam vel incorruptus est judex, vel non suspectus; et eventum rei situm in fortunæ manu potestateque prædicare nemo potest, nec ego promittere. Vivet, et legetur, et placebit, et proderit opus, si faverit genius; sin adversetur, concidet ac interibit. Multa grata sunt et utilia tantum ea causa, quod sic libuit fortunæ. Illud modo precari possum, si quid optando proficitur, tam utile ut sentiant opus legentes, quam mihi grave et molestum fuit scribenti. Jamque primum illud amisimus, secundum incertum est, tertium non profecto certius de gratia, unde nomen gloriaque ad scriptorem redit. Primum non ignoro quantum famæ admirationisque operi etiam optimo detrahatur, cum in alium scribitur : id est, ædificatur in aliena superficie, et velut scribendi argumentum ab alio est suppeditatum; nisi forsan in sacras litteras aliquid commenteris propter sanctam majestatem earum, aut in Aristotelem propter receptam scholis omnibus auctoritatem. Accedit huc, quod multi quibus omnia quæ negligunt, aut non capiunt, in grammaticam vertuntur, quamlibet in hoc libro sacra et philosophica et recondita tractaverimus, grammaticam dicent, ideo præcipue, quod historias narravimus, et fabulas; idem de ipso Augustini opere dicturi, nisi pudor impediret, et reverentia nominis tam omnibus sacri et admirandi. Alii hoc totum nec visum, nec judicatum, qualicunque censeatur nomine, rejicient et damnabunt : ut prozime quidam theologiæ licentiatus, cum audisset me in libros de Civitate Dei scribere, magno fastidio operam meam tanquam inutilem prorsus vanamque aspernatus est. Et quid, inquit, opus est libris illis illustratore plus satis ex se perspicuis et claris? O te felicem quisquis es, cui tam aperti facilesque sunt hi de Civitate Dei libri! Cæterum mirari qui audiebant vel ingenium hominis, vel eruditionem, vel certe impudentiam. Nam imperitissime loquebatur, et rerum omnium veterum erat omnino expers et rudis; rogavitque ex his qui audierant unus cur sic censeret, cum essent tot historiæ, tot fabulæ, tot philosophica, tot geographica, tot mathematica. Quid, inquit, illa ad theologum? Deinde sint *a* vel *b*, non sum sollicitus. Hoc illud est, istis nec Cicero, nec Virgilius, nec Plinius, nec alii similes interprete indigent : cum eorum nihil intersit, quis fuerit Scipio, quis Cæsar, quis Pompeius, quis Cato,; quæ aut ubi Carthago, Babylonia; herbane an saxum, malva aut beata; lapis an lignum magnes vel adamas; animal an metallum, tigris vel milvus : sitne qui ardeat mons Ætna an Alpes; ardeatne sulphure accenso an arena. Quid dixerit, quid senserit Plato, quid atomi Democriti conficiant; quid similares partes sint Anaxagoræ, aut dissimilares; quid Pythagoræ transanimatio. Isti ad hæc omnia linea sunt alba, sicut dici solet, in lapide albo. Tantum illa curanda et expendenda ducunt, an Deus possit suppositare hanc pennam qua scribo, an jubere possit odium sui; possitne dispensare pontifex super voto profectionis Romanæ, aut Hierosolymitanæ; an pecunia sacerdotii pensionem redimere, sit simonia. Verum enimvero isti censeant quomodo voluerint cumque de opere. Nec eis scribo, nec eos curo mea legere; nec eorum judicium censuramque naucifacio, nec eis placere studeo : et doctius putabo me scripsisse, si displicuero. At illud magnopere dolendum est, insistere sæpenumero ingeniis doctorum quidem, sed non perinde bonorum hominum perniciosum invidentiæ virus, qua bona opera incessant, lacerent, proscindant, aut perdere conentur profutura, aut allatura lucem obscurare. Hinc odium, et ex odio rabiosa maledicentia, et impotentis animi verba, et rixæ, et jurgia, et calumniæ. Hinc sæpe desperatio et desponsatio meliorum ingeniorum, cum pertæsa rem sic amaram et inamabilem ab omni scribendi et juvandæ posteritatis ratione avertuntur, plerumque et ab studiis etiam : quod tantum abest ut invida ingenia fieri doleant, ut se ex hoc fructum capere singularem existiment, ac laboris sui præmium; finem vero quem destinarant si consequantur, ut cessent omnes, nemo bene faciat. Quod Terentius, ut alios vitæ humanæ mores, sic et istum prudenter expressit, cum malevolum et invidentem poetam omnibus contendisse viribus ait, ab scribendo uti deterreret, et in otium traderet. Neque vero id ego dixerim, quod ægre feram me vel admoneri, vel etiam reprehendi, dii meliorem mentem! Imo debere me multum profitebor potiora suggerenti et reprehendenti docte. Nam et meipsum non pigebit mutare sententiam, si vel studium, vel ætas alia docuerit meliora. Cæterum permolestum est atque intolerandum pronuntiari semel de toto opere, damnarique ceu imperitum aut futile, cum nec legeris, nec forsan si legeris, inveneris usque adeo multa quæ convellas; vel ipse si tantumdem præstare tentes, vel non valeas, vel sudes satis. Aut si unum, aut ad summum alterum deprehendas erratum, propter illa opus tantum tamque varium rejicias universum, et contemnas : velut si egregio inspersos reprehendas corpore nævos, ut Horatius inquit. In summa, quandoquidem hominum linguas nec habeo in manu mea, et liberas decet in liberis studiis, non deprecor quo minus sentiat loquaturque de opere quisque pro libito. Si enim malum est opus, irasci ob veritatem non debeo; sin bonum, eos qui maledixerint, sua invidentia exedet tanquam venenum : in quo uno justissima est invidia ipsa, cæteris in rebus iniquissima. Hoc solum etiam atque etiam rogo, et obsecro, ut si quis a me dissen-

serit, volueritque id scriptis testari, meminerit modestæ, et sine conviciis asperisque morsibus me quod ignoraverim doceat. Nam ut convicia et gravem fortassis objurgationem mereatur liber, non meretur institutum et conatus animi mei : ita eadem opera fiet, ut ego cum aliis fructum eruditionis illius percipiam, agnoscamque permagnum beneficium, atque habeam gratiam immortalem : et ipse melior magister tum se profuisse intelligat, tum doctrinæ suæ nulla immodestia, quæ pejor est quam inscitia, corruptæ et inquinatæ laudem amplissimam auferat. Neque absit ab studiis humanitatis humanitas, serveturque illa tranquillitas animorum qua super res omnes alias Musæ gaudent. Et incipiamus morem hunc tollere quem infidæ omnibus furiæ in præstantia studia immiserunt, impetendi et lacerandi eum quem conjunctissimum nobis carissimumque debebat reddidisse communio studiorum ac earumdem Musarum cultura, ut præteream baptismum et caritatem Christi : quandoquidem hæc jam olim surdis auribus inania sunt nomina, et ægris oculis vanæ sine corporibus umbræ; colamusque litteras ut nos delectent, ut juvent; non ut in certamen acerbum committant, et tela vel eruditionis, vel styli subministrent, quibus pravos affectus nostros explentes feriamus sauciemusque inimicum. Sed de his rebus erit tempus, cum locum inveniam dicendi aptiorem. Nunc mihi, ut ad quod cœperam revertar, tota spes in iis est qui candido, qui integro pectore ad lectionem horum librorum accedent, sive docti sint, sive indocti. Denique ita me consolor, si ab hominibus nulla redeat ad nos gratia, non deerunt quibus adductus impulsusque hanc me operam navasse nunquam pœniteat. Nam et obsecutum esse Erasmo meo, tam me juvat, quam nefas fuisset quod imponeret onus recusare, qui in me et hominis arcta mecum amicitia conjunctissimi, et præceptoris optime meriti, jus ac potestatem habet. Tum interea dum hæc sum meditatus honestissimo me exercitamento occupasse, et animum mentemque crebris cogitatis honestate ac sanctitate refertissimis imbuisse, quæ promptiorem me atque expeditiorem ad bene et Christiane vivendum reddant. Hæc una, si cætera desint universa, abunde ampla et magnifica merces est. Postremo, ut aliud nihil reputem, nisi me voluisse Augustino, et proinde Christo aliquid studiorum meorum sacrare, præclare mecum actum existimare debeo. Quippe qui etiam frigidæ poculum propter se suumque nomen præbitum irremuneratum se non præteriturum pollicitus est : huic quoque meæ voluntati, quam unam ille curat, gratiam referet : præsertim cum ipse labores omnes meos ita demum ratos mihi esse velim, si Christo ejusque castissimæ et integerrimæ sponsæ Ecclesiæ approbentur.

## DE VETERIBUS INTERPRETIBUS HUJUS OPERIS.

Narravit hodie mihi amicus quidam meus inter colloquendum cum nonnullis fratribus Dominicani ordinis atque instituti, incidisse se in sermonem de his meis commentariis : illos respondisse inanem me operam atque industriam ludere, ac potuisse hujus temporis compendium facere, cum in libros Augustini de Civitate Dei scripserunt Prædicatorii quidam fratres ad miraculum erudite, dextre, exacte, feliciter, nihil supra. Quæ si sic habent, nimis profecto confidens fui, qui me hac ingenii et eruditionis tenuitate scripta usque adeo miranda superare posse sperarim; et demens, qui tantam lucem mea facula obscurari posse crediderim; et stultus, ut non illis sim usus potius, sicut Valerii Probi, Servii, aut Donati commentariis; et male feriatus, ut ultro tanti temporis fecerim jacturam actum agendo, quod aiunt; et Erasmus ipse imprudens, qui novos commentarios mandarit scribendos, ubi tales essent veteres; et doctissimus quisque ineptissimus huic nostræ operæ votis favendo, scilicet, ut illi fratres putant, supervacaneæ. Quos ego fratres dejerare ausim, ne litteram quidem in illis Commentariis legisse, titulos vidisse solummodo; aut si legerunt, et probant, plane similes sunt ipsi commentatorum. Ut nunquam fuit animus refellere tam apertam inscitiam, tam insipidas expositorum ineptias, non collegi locos aliquot in primis ridiculos et imperitos; ex quibus de opere toto qui non legissent, possent judicium facere. Nec profecto fuit necesse. Nam in sæculo jam tot litteris disciplinisque excultissimo rarissimi sunt qui quemcunque in illis Commentariis legerint locum, non statim qualis sit tota massa ex quamlibet parvo exemplo possint judicare. Itaque ad doctos homines magna sane ac injucunda sum molestia liberatus stultitiis illis patefaciendis. Nihil enim est neque gravius, neque insuavius, quam stulta refutare prudenter. Quæ si tantum indices, pro stultis rejicientur; sin operam in eorum natura declaranda insumas, non tam contemnenda reddas, quam minus apud quosdam facias stulta. Nec desunt ex hominibus ejusdem ordinis qui censere possint; et haud dubie censent quam vilia et despicienda sint scripta illa non modo Augustino, sed ne Theodolo, vel Faceto, vel Floreto digna. Tamen quia id non illi solum qui totam meam operam seu inanem damnarunt, sed alii permulti non credunt, tantum quia illi Fratres Prædicatores nuncupantur, volo istis rationem approbare laboris mei : si modo approbari sinant, aut approbationem intelligant : quorum ego aliquos credo tales esse, ut illis nihil inter dictionem Ciceronis et Catholicontis intersit; aut inter historiam Livii et Vincentii, vel inter cognitionem rerum Plinii et Bartholomæi Anglici, aut Hieronymi et Hugonis Carrensis. Qui poterit, cum nec Latine sciant, nec ullos bonos unquam attigerint scriptores, innutriti semper et ad ambas aures immersi sermonariis Parati, Discipuli, aut Dormisecure? Ego vero si apud illos non mea, sed eorum culpa non profecero, proficiam apud alios et ingenio saniore, et eruditione meliore : quales habent in ordine suo quosdam etiam mihi amicissimos, qui beneficio meliorum litterarum communem popularium suorum et agnoscunt errorem, et dolent,

et, quatenus licet, vitant. Faciam igitur invitus, quod a principio non statueram, ut homines vita functos, et extra invidiam omnem jam positos, in judicium censuramque revocem : præsertim cum illi homines, quantum mea fert opinio, probi, quod potuere præstiterint : tametsi hoc imperitum atque ineptum, ut fere illo erant sæculo. Profitentur ergo se in hoc opus scribere Thomas Valois, et Nicolaus Trivet, et Jacobus de Passavant. Et veritates colligit Franciscus de Maronis Minorita, ne solum regnum Prædicatores teneant. Primum Thomas Valois arbitratus credo ingens esse opus, et unius viribus majus, non omnia solus est obire ausus, sed socium sibi sumpsit, ac velut succedaneum sodalem suum Nicolaum Trivet, tam similem sibi quam ovum ovo; cui ipse lampada, quod aiunt, traderet fessus, nescio quo volumine: nam etsi legi, non tamen adnotavi. Neque vero aliud susceperunt explicandum quam fabulas aut historias: sacrilegum credo rati sacra contrectare; in quo certe modestiam hominum non mediocriter laudo, quibus satis visum est profana contaminare, a sacris abstinuerunt. Ita ab undecimo ad decimum octavum, et a decimo nono ad vigesimum secundum nihil fere scripserunt. Quod promptum est unicuique videre, nam libri sunt in manibus. Octavo vero, et nono, et decimo libris, quibus Augustinus adversus Platonicos disputat, quid dixissent miselli, qui non modo Platonem, aut Platonicum ullum, sed ne umbram quidem philosophi viderant? Itaque ne quod agant desit, toti sunt in contextu partiendo et distribuendo. Hic Augustinus tractat de hoc, aut illo, et facit duo. Primum est, quod reprobat Platonem, ibi; secundum, quod dicit hoc aut illud, ibi et dicit. Tum quæ Augustinus pure ac Latine dixerat, ipsi ut chartas impleant, ad suum cœnum suamque obscenitatem trahunt, ceu non aliter posteris intellecturis. Jam in quinque libris, et parte decimi octavi fabulæ et historiæ tractantur. Hic putant se esse in sua arena, et vagantur jactantque se ut equus, quod dicitur, in campo. In quibus omitto sermonis sordes ac spurcitiam, fatuasque et insulsas narrationes : quas tamen ipsi interdum ex facundissimis desumebant scriptoribus; quas nullus sit tam impatiens stomachus, qui unam ex eis aut alteram possit devorare, nisi quibus forte salubria sunt noxia. Sed ad res ipsas veniam. Sunt certe commentarii utiles iis qui nihil vere recteque scire volunt : qualia sunt ingenia quædam quæ ne historiam quidem audire possint, vere et uti gesta res est, narratam; nefas credo existimantes aliquid remanere sinceri ac incorrupti. Falluntur igitur infinitis locis, et fallunt, si quis sequatur; tum propter confusam incertamque eorum quæ scribebant notitiam, tum etiam quod ignoratione Latini sermonis in ipsis rebus passim labebantur. Ad hæc afferunt commentitia pleraque, et nunquam ab auctoribus vel somniata : partim ex gestis Romanorum moralizatis, partim quæ fando narrari audierant inter compotandum in hospitali cœnaculo sodalitatis. Colligam quæ prima erunt ad manum paucula quædam, velut exempla. Primo libro, capite quinto, cum Cæsar apud Sallustium referat quæ soleant in bellis fieri, rapi virgines, pueros divelli a complexu parentum; etiam commentator hæc jam esse a Catilina facta, Cæsarem significare dicit : verus scilicet commentator quasi commenter. Tum capite vigesimo quarto, Portium Latronem declamatorem Catonem fuisse dicit : ibi egregie disputat an iste sit qui Catunculum puerorum composuerit. Et libro secundo capite quarto, Attin dicit oblatum matri deum in ejus templo, ut voveret castitatem. Quod credo eum didicisse ab aliquo ex Gallis matris deum. Et post paulum : Symphoniaci, inquit, sunt canentes tubis, vel alio modo sonitum magnum facientes. Ex dulci consentu magnos facit sonos atque tubas. Et paucis verbis post : Vocat, inquit, hic Augustinus symphoniacos qui in honorem deæ Pudicitiæ quædam turpia faciebant : non melius dixisset si illa ætate vixisset; et paucis interjectis verbis, Palladem dicit lavari cum matre deum in Almone amne. Credas Varronem hoc dicere : tantum quoniam Augustinus virginis cœlestis illic meminit, ceu non esset alia dea virgo quam Pallas. Et mox : Fuit, inquit, scena proprie domuncula in medio theatri, quales sunt domunculæ tabernariorum vel mercatorum in nundinis, secundum Huguitionem. O miseræ Scauri et Curionis, et Pompeii scenæ latissimæ, et auro argentoque ornatæ, quomodo ad domunculas mercatorum in nundinis recidistis? Sed hoc tolerabilius. Et addit : In scena pulpitus erat, quem ascendebant illi qui fabulas recitabant; et quot erant carmina, tot reputabant apposuisse fercula. Hæc est argutissima interpretatio ferculi. Pergit vero : Infra etiam latebant larvati histriones, et mimi, qui subito exeuntes coram populo motibus corporis expresserunt historias, seu fabulas recitatas; et isti proprie fuerunt appellati scenici. Scena etiam quandoque ponitur pro ipso toto theatro, quandoque pro fabula, quandoque pro recitatione fabulæ. Hæc omnia quis neget esse admirabilia, cum antea nullus unquam audierit? Quis unquam vel theatrum dixit scenam, vel fabulam, vel fabulæ recitationem? Tum addit Valerium Maximum dicere, antequam imago matris deum translata esset ex Pessinunte, imperatores Romanos sæpe ad Pessinuntem ivisse, ut vota solverent. Ubi hoc unquam somniavit Valerius? Ita non satis est te fingere, nisi et aliis mendacia assignes. Narrat quidem ivisse illuc Romanos imperatores libro primo, sed non ante matrem deum translatam, quo tempore nullus unquam Romanus eo est profectus. Adjicit Pantheon templum a Domitiano magnæ matri deum exstructum fuisse, cum Pantheon exstruxerit ante Domitianum Agrippa Jovi Victori, deinde cæteris diis. Et hæc omnia in eodem vere aureo et copioso capitulo 4 libri II, quod licet cornu copiæ appelles. In sexto vero capite versiculi sunt Persii, quos ipse festivissime explicat :

> Discite, o miseri, et causas cognoscite rerum,
> Quid sumus, et quidnam victuri gignimur, ordo
> Quis datus?

Sic, inquit, ordinata est humana natura, quod est super bruta animalia. Putabam esse infra. Aut metæ quam mollis flexus? Metæ, inquit, id est, mortis. Atqui ex hac nullus est flexus. Quid asper utile nummus habet. Hic cum ignoraret cur asper nummus diceretur, non defuit moralizatio. Asper, inquit, id est, quantum habeat asperitatis : propter curas magnas quas ingerit; propter quod et spinis comparantur divitiæ. Non sic Persius sua tam acute intellexit, nec tam sancte. Et capite octavo, de poetis adnotatio digna quæ ad verbum ediscatur. Poetarum, inquit, duo sunt genera, veteres et novi. Veteres omnia quæ canebant convertebant ad risum : unde de meretriciis et stupris, et his quæ poterant provocare risum, tractabant ; sicut Plautus et Terentius. Novi vero reprehendebant vitia hominum nominatim ; undeque homines lacessebant, eorum vitia carpentes vera et ficta; et pingebantur nudi, quia vitia denudabant. Tales poetæ comici satyrici appellantur : sicut Horatius, Persius, Juvenalis, et hujusmodi. Et paulo post : Possunt autem poetæ tragici, sicut et comici, dividi in duas partes. Primi puri tragici; secundi vero elegi, tractantes de elegia, id est de miseria. Sic ille, ex Aristotele credo, aut si quis hoc quoque doctius de poetis scripsit, et tamen qui nihil unquam de iis poetarum generibus audivit, non intelliget quam frivola hæc et imperita sint, nedum stulta atque ridicula. Si audivit, huic perinde ista erunt, cum de novis et veteribus loquitur poetis, ac si quis dicat architectorum officium est calceos suere, cerdonum vero ædificare : et cum novos comicos vocat satyricos, ceu quis dicat fartores esse textores : cum comicos dixit elegiacos, velut aliquis agasones dicat nautas, aut tonsores carbonarios. Jam cum explicat elegia, id est miseria, non secus quam si interpreteris : scrinium, id est liber. Et cap. 109, cum de Plauto ageret, iste scripsit, inquit, comœdiam quæ appellatur Aulularia, quasi non aliam. At philosophari quoque voluit lib. VII. Nam cum dixisset Augustin. Menam deam, quæ menstruis præest, conferre fluores menstruos ad ejus quod conceptum est incrementum, ignarus fluorem menstruum dici etiam muliebrem sanguinem, qui fluxurus erat in mense, nisi vel fetu vel alia causa detineretur, incipit distinguere sanguinem menstruum, uno modo pro eo quod est purgamentum naturæ, et singulis mensibus ejicitur. Alio modo accipitur pro sanguine qui per ejectionem purgatur, et post fluor menstruus non confert ad incrementum fetus, nisi per accidens, scilicet per suam absentiam. Confert enim pro tanto : quia cum ipse expellitur, sanguis ille unde fetus augetur, efficitur mundior, et ad augendum melior. Sed beatus Augustinus extensive loquens, vocat illum sanguinem qui depuratur fluorem menstruum. Hæc ille. Primum quis unquam sanguinem illum qui purior remanet in corpore mulieris post ejectum menstruum, vocavit fluorem menstruum? Deinde quomodo isti augentur fetus in locis? qui si menstruus ille defluat, fiant imbecilliores; et si largius, et ut alio solet tempore effluat, abit cum eo fetus, nec augeri nec ali potest. Sed libet explicationes audire vocabulorum ? Exclamat August. lib. II : O animos germane Romanos. Germane, inquit, id est alte, vel immaniter, nam Germani habent immania et alta corpora. Et in eodem loquens Augustinus de lino aut lanula flaminum, quo vinciebant caput, quem apicem nominabant, quasi summitatem : Apex, inquit, nomen est cujusdam historiographi, ut jam mirandum non sit fecisse Deum homines ex limo, cum iste faciat ex lino. Et cum libro quarto posuisse Augustinus inter prodigia feminas et gallinas et homines versas in masculum sexum : Credo, inquit, litteram esse falsam, quam tamen multi libri habent. Deberet autem littera sic esse, in homines et masculum sexum. Vult enim sic dicere, quod feminæ conversæ sunt in homines : id est in viros, et gallinæ in masculum sexum. O tenebras illius ætatis miserandas, et tamen illis oculi assuefacti illatam jam lucem spectare non sustinent! Claudite istas fenestras omnes et rimulas, ne qua lux penetrare queat, et fruantur libere sua nocte ; tenuem quoque et languidulam in tenebroso cubiculo meridie ipso accendite lucernam. Illud in eodem miror interprete, quod cum gravissimos haberet auctores, ex quibus nonnulla solitus est desumere, possetque ex eisdem alia quædam afferre, maluit ab Isidoro petere, aut hoc pejoribus, Huguitione et Vincentio historiali : quod suspicari me cogit ipsum vel aliena esse usum in citandis auctoribus opera, vel citatos aut invenisse in aliquo vade mecum, aut rapiamus totum, aut de aliquo audivisse. Nam definitionem Dei, quam ex Ciceronis primo Tusc. quæst. citat Augustinus, colligi dicit ex his quæ in III De Nat. deor. sparsim tractat; et consolationem de morte filiæ, nescire se dicit an sit lib. XII Orationum, cum Cicero ipse in Academ. et Tusc. quæst., et Lactantius et Plinius ejus libr meminerint. Valerii Sorani nihil recordatur se legisse, cum ejus sit mentio apud Plinium, Solinum, Lactantium, Plutarchum, Servium, Macrobium. Jam ex multis Diogenibus unum, et ex multis Æschinibus unum, et ex Socrate et Isocrate eumdem conglutinare et conferruminare invitos et male cohærentes, non rarum, ut nec alia omnia : quæ si persequi singillatim tentem, rem in infinitum extendero. Hæc quæ adduxi, tantum velut specimina posui, quæ prima profecto volventi librum occurrerunt. Sunt enim usque adeo frequentia et densa, ut periculum non sit ne lateant, si non indicentur : exstant, nimirum, et offerunt se atque adeo ingerunt oculis omnium volentium intueri, quæ nec in opere ipso sum consectatus. Tum ne fastidio lectori essem tanta prolixitate, tum quod ineptiora sunt, quam ut in eis refellendis aliquid collocari operæ debuerit. Quisquis mihi fidem non habet, legat ipse ; et vel judicet, si est doctus, vel a doctioribus sententiam exquirat, illisque assentiatur. Quod si quis est qui hæc unice forsan ac tenere complectitur et amat, habet non solum hos commentarios, sed etiam Huguitionem, Pa-

piam, Græcistam, Joannem de Garlandia, Catholicon; illis se omnibus oblectet, quod sit ei bonum prosperumque, et in eorum complexu hæreat. At Thomæ Valois et Nicolao Trivet prodiit velut succenturiatus Jacobus Passavantius, quem nomen ipsum indicat fuisse scurram aliquem festivum, qui sodalitium totum oblectabat : cui, ut credo, per jocum lusumque nomen Passavant est a reliquis fratribus inditum. Loquendum est de Tertulliano, nihil mihi occurrit, reservetur cum aliis; de Valerio Sorano, nihil mihi modo occurrit, reservetur cum aliis; de Xenophane et Anaxagora, de Lactantio, reservetur cum aliis. Quid malum sunt ista alia ? ubi reservas? in quem usum? quid quod nec legerat expositores ipsos, quibus dicit se sua addere, ut lib. III, cap. 12, sic scribit : In hoc cap. 12 facit Aug. mentionem de dea Febre, de qua dicit expositor quod fuit mater Æsculapii, quod est dea inferni, et quod Numa rex sacravit deæ Febri mensem Februarium. Atqui nunquam id expositor scripsit, nisi forsan res tam stulta ex codicibus sit ab aliis fratribus, qui eam deprehenderant erasa : sed videlicet super cœnam frater aliquis Passavantio narraverat id expositorem dicere. Cæterum quo reprobet modo, audiamus. Quod non videtur bene dictum, inquit, salva sui gratia. Nam sicut infra dicetur, Æsculapius fingitur fuisse filius Phœbi et Coronidis : sicut vult Ovidius secundo Met. Nec unquam legitur quod Phœbus cum Febre convenerit, vel quod ex ea filium genuerit. Tum incipit philosophari et conjecturas quærere. Nec convenienter, inquit, fingitur Æsculapius filius Febris, cum ipse postmodum sit habitus deus medicinæ, quæ habet febrem expellere. Jam ne omnino desit quod alii possint pro se respondere, addit : Nisi dicatur ita crudelis filius, quod matrem persequatur ubique, et omni sede expellat. Joculares sunt additiones istæ, ad risum fratribus movendum paratæ. Istis omnibus accedit Franciscus de Maronis, non quivis doctor, sed illuminatus; et veritates colligit, quasi cætera essent falsa. Sed hic non magis ad hoc opus spectat quam ad cætera Augustini : ex quis omnibus ita videtur veritates selegisse ac seposuisse, ut Virgilius gemmas e stercoribus Ennii. Quod si alieni a nostra religione Augustini opera sumant in manibus, illius scilicet illuminatis veritatibus illuminata, quid eis veniet in mentem de hujusmodi veritatibus? quid suspicabuntur, quid credent? Nimirum, esse cætera vel parum vera, vel Ecclesiæ suspecta; illa tantummodo teneri et asseri a nobis ceu firma et indubitata, ut quæ illuminatus doctor indicarit : in quibus tamen rixosa multa, alia ambigua, etiam falsa complura inveniat. Nam si omnia Augustini sunt æque vera, quid mihi cum tuis veritatibus, in quarum plerisque nihil Augustini dictis addis; cum vero addis, sophisticaris : et non tu Augustini veritatem sequeris, sed illum cum veritate obtorto collo, quo ipse vis torques, nempe ad factionem Scoticam, ut contra Thomam locutus videatur; et conaris ipsum putari dicere quæ ne cogitavit quidem ullus ætatis illius? Jam non minus ex historia et fabulis veritates, quam ex rebus theologicis colligis. Quæ glacies est, cum Augustinus narrat Ninum Assyriis imperasse primum, te illico ceu veritatum plastem cum formulis tuis ad fingendam ex hoc veritatem accurrere, ceu non aliter futura veritate? Veritas, inquis. Ninus fuit rex Assyriorum primus. Cur quod paulo ante legitur non est etiam veritas? cur non paulo post? Et unum exemplum adduxi pro multis millibus. Jam quale est te figulum veritatum, modo aliis incerta, et imprimis controversa admiscere : ut cum contra Aquinatæos disputas, quo nihil facis nec libentius nec proinde crebrius; modo etiam tibi incerta, ut verbi gratia, cum Holofernem illum ex libro Judith dicis fuisse Cyrum Assueri et Esther filium, de quo veritatibus aliquot post eam ambigis; modo etiam vel pueris falsa, ut de hoc ipso quod Darius sit filius Assueri et Esther, tum quod tertii libri Esdræ Augustinus non meminerit, cum citet ex eo quæstionem illam de re quæ fortitudine cæteris antestaret : etiam eodem capite, quo tu id dicis libro decimo octavo, ita veritates tuas non ex una simplici veritate videris effingere, sed partim ex veris, partim ex incertis, partim litigiosis, partim falsis : ut statua illa quam per quietem Nabuchodonosorus vidit, ex auro, argento, chalybe, ferro, et argilla erat conflata. Sed sint sane veritates istæ, quantum aliis libuerit, nihil impedio; et legantur ab his qui ejusmodi amant. Ego vero, quæ ipse ad verbum ex Augustino refert, Augustini esse puto; cætera quæ de suo addit, non peculiarius ad Augustinum pertinere, quam quæ a summulariis aut sententiariis auctoribus de similibus conscribuntur prope infinita. Hæc paucula de interpretibus hujus operis dixisse me lassum et festinantem ad alia sit satis, tantum ad bona ingenia commonefacienda non me omnino in his libris actum egisse.

## QUINAM HOMINUM FUERINT GOTHI,

### ET QUOMODO ROMAM CEPERINT.

Cum Augustinus ex Romana captivitate occasionem sumpserit scribendi de Civitate Dei, ut iis responderet qui eam cladem Christianæ religioni imputabant, operæ pretium erit altius narratione repetita explicare, quinam hominum fuerint Gothi, quomodo in Italiam venerint, Urbemque ceperint. Primum omnium fere video constare, quos posterior ætas Gothos, priorem Getas nuncupasse : ut illa pauca ex priscis vocabulis non corrupit. Sic Rutilius et Claudianus poetæ, cum de Gothis loquuntur, Getas eos semper nominant. Orosius itidem in Historia : Getæ, inquit, qui nunc Gothi, quos Alexander evitandos pronuntiavit, Pyrrhus exhorruit, Cæsar autem declinavit, relictis vacueque factis sedibus, ac totis viribus tuti Romanas ingressi provincias. Hieronymus in Genesim, Gothos ab eruditis antiquis Getas nominatos esse testatur. Getæ vero sunt qui circa Istrum fluvium habitant, ut auctores sunt Strabo, Mela, Plinius, et alii; lateque regionem possident incultam magna parte, et rigoribus immitem:

tenentque ulteriora Istri ad Scythiam, et citeriora ad Thraciam, ubi Tomus, Ovidii vatis exsilio clara, qui se apud Getas agere non semel in Tristibus et Ponto scribit, tum et mediterranea occupant Germaniam versus et Istri fontem, quos Strabo libro septimo Dacos et olim Davos nominatos esse ait, cum viciniores Ponto dicerentur a Græcis Getæ, eumdemque utrisque populis sermonem esse. Quanquam Plinius non aliud inter hos populos videtur significare discrimen esse, quam quod Getæ Græcis sunt, qui Romanis Daci. Sed nos Strabonem hoc sequemur loco. Getæ barbara et fera gens est, viribus atque animo immani mortis contemptore, quod persuasum habeant redire animas, sicut Mela scribit: aut si non redeant, non tamen exstingui, et in meliores sedes immigrare: quod si neutrum contingat, præstare certe vitæ mortem. Fama est, posterioribus deinde temporibus Getas Ostrogothos esse dictos: Dacos vero Visigothos patriis nominibus: quod hi ad Occidentem, ad Orientem illi magis spectarent. Confunduntur tamen plerumque hæ cognominationes rerum a scriptoribus, non modo recentioribus, sed etiam antiquis. Hanc gentem tradunt, jam olim florente cum plurimum Romana re, impetum in provinciam populi Romani Mithridatico fecisse bello: quos Lucullus, qui in Asia magno cum exercitu imperator res gerebat, e Mysia cum clade exegit. Post vero Bœrebista duce, cum ab eo ad labores militaremque disciplinam essent assuefacti, egressos regionem suam multas sibi gentes subegisse, Istroque cum maxima trajecto manu, Thraciam, Macedoniam, et Illyrium late depopulatos, ingentem fecisse Romanis terrorem. Interimque, dum in eos Romanorum arma expediuntur, Bœrebista fato concessit. Augustus legiones fere decem in illos misit eorumque opes usque adeo attrivit, ut ex ducentis millibus militum ad quadraginta millia copias eorum redegerit, ac parum abfuerit quin gentem totam imperio subderet Romano. Aliquot annos post fines Romanos ingressi, Oppium Sabinum consularem virum cum exercitu ceciderunt, qui a Cornelio Fusco, Domitiano principe, post varia prælia tandem compressi sunt. Trajanus imperator multum cum eis magnaque cum gloria belligeravit. Antoninus Caracalla per occasionem nihil tale suspicantes vehementer afflixit. Gordiani vero temporibus in Romanos fines frequentissime se effundebant, quos minor Gordianus facili opera excedere provincia coegit. Ferox et inquieta gens, suisque sedibus male contenta, subinde causas alienas invadendi quærebat. Itaque Philippo Bostrensi imperatore, qui primus ex Romanis principibus Christianam pietatem est professus, multis cædibus populationibu que editis amplius trecenta fere virorum millia in proximas sibi Thraciam Mysiamque irruerunt. Ad quos expellendos missus Decius rem parum plerumque prospere tentatam et ipse infectam reliquit, quam succedens Philippo in principatu dissimulavit. Gallus deinde pater, et Volusianus filius, certis conditionibus sibi iniquis pacem cum illis fecerunt: quam Gothi non admodum diuturnam servarunt, ignavia et socordia Gallieni principis freti. Non jam Thraciam Mysiamque, sed Asiam ipsam Minorem sunt tentare adorti. Bithyniam vexatam spoliaverunt, reversique in Europam, Thraciam Macedoniamque pervastarunt. Quibus in Achaiam venientibus Macrinus se objecit, eosque vicit ac fugavit persecutus, quousque illos intra fines suos compulit. Quibus tamen se non diu continuere; quanquam egressi in strenuissimum principem inciderunt, virum nec minoris felicitatis quam virtutis, si vita modo contigisset in principatu diuturnior. Claudius fuit is qui trecenta millia eorum partim delevit, partim cepit. Infinitam fuisse gentis hujus multitudinem oportuit. Non enim multos post annos, Aureliano imperium tenente, ad arma redierunt, primoque prælio sunt ad Danubium superati. Fl. Constantinus tanta illos cæde affecit, ut cogeret tandem multos per annos quietos esse. Ita enim isti pugnabant, ut magno hostium malo vincerent, non minore suo vincerentur. Atque hæc quidem gesserunt Gothi, quam diu certas ipsi habuerunt sedes. Valente principe, Hunni, qui et ipsi sunt Scythæ, sed immitiores rudioresque humani commercii, in Ryphæos montes inclinatiores, inter Tanaim Massagetasque conclusi, Gothos regione quam incolerent, per vim ejecere. Quæ tametsi rigoris intemperie parum humanis erat usibus commoda, tamen Hunni saluberrimam suavissimamque omnium existimabant, homines extra solis vias cursusque nati et educati. Illic jam Gothi sedibus, domibus, laribus penatibusque exuti, qui ultra alienos erant soliti fines invadere, coacti sunt vel mortem fortiter oppetere, vel in alieni soli possessionem, cum ipsi nullum jam haberent, hærere. Sunt qui non Getas illos quos Ostrogothos diximus, venisse in agrum populi Romani perhibeant, sed Visogothos fortuna sociorum conterritos deliberasse de mutandis sedibus, veritos ne eadem essent passuri quæ Ostrogothi, extendentibus se velut marino æstu Hunnicis armis, vicinasque regiones delentibus. Hæc res Visogothos in eam sententiam impulit ut legatos ad Valentem Romanum imperatorem mitterent, qui gentis nomine Mysiam citra Danubium flumen sibi incolendam peterent, spondentes communi nomine se omnes Christianam pietatem accepturos, futurosque bonos fidelesque Romanorum stipendiarios, armis suis opibusque fines illos populi Romani ab incursibus reliquorum Scytharum sedulo defensuros. Quibus conditionibus adductus Valens Lupicinum et Maximum velut duumviros agris dividendis ad eos misit, qui sedes Visogothis distribuerent. Ili cum avare crudeliterque haberent gentem, primum ferre Gothi, et dissimulare injuriam, ne primo statim alienæ regionis ingressu res novarent, existimantes, cum exsatiati suis opibus duces essent, facturos sæviendi et rapiendi finem. Sed illi dum maligne commeatus partiuntur et curant, famem intolerabilem effecerunt, quæ et ipsis ducibus et Romano principi exitio fuit. Gothi enim cum fame jam se velut belluas viderent

peti, correptis tumultuosissime armis Romanos duces cum præsidiis atrociter cædunt, et ita armati totam Mysiam pervagantur, inque proximam transcendunt Thraciam, quam sibi vectigalem reddiderunt. Hic illis occurrit Valens; pugnatumque est acriter, fusis fugatisque Romanis, magna in eis facta strage. Saucius imperator in hostium potestatem vivus venit : quem illi efferatiores post tantum exhaustum sanguinem vivum cremaverunt, rectaque Byzantium petunt : et nullis obviam factis armis, urbem corona cingunt, quæ aliquandiu opera et consilio Dominicæ Valentis conjugis obsidionem suis opibus tulit, confirmatis in fidem principis civium animis magna Dominicæ largitione. Post Valentiniani Valentis fratris virtute soluta obsidione, retro abierunt. Valentinianus Theodosium Hispanum virum accitum ex Hispania adoptavit, participemque fecit imperii. Hic Gothos multis prœliis fregit contuditque, et supplices pacem coegit petere; quam cum dedisset, rexque eorum Athalaricus Byzantium ad Theodosium ægrum visendum venisset, rex in morbum lapsus, aliquot postea mensibus moritur. Gothi toto imperii Theodosii tempore sub Romano imperatore militarunt, nec regem habuerunt alium, nec ducem, nisi quem Romanus dedisset imperator. Inter hæc Theodosius, Mediolani, princeps sine controversia et bello et pace optimus, moritur, Basso et Philippo coss. relictis Arcadio et Honorio filiis, et Placidia filia. Arcadium Byzantio et illi Orientali præfecit imperio, Honorium Occidentali Romanæque urbi. Et quia juvenes admodum erant, tutores educatoresque testamento assignavit : illi Rufinum, huic Stiliconem, vafrum utrumque et sceleratum hominem, cujusmodi ingenia facillime in intimas se solent aulas insinuare. Hi principum ætate injuriæ obnoxia ad suas ambo augendas opes, magnamque sibi et immodicam parandam potentiam abutentes, non jam de privata aliqua magnitudine cogitare, sed ad principale ipsum fastigium animos nefariis cogitationibus adjecerant. Ruffinus sibi, Stilico filio imperium affectabat. Cum hæc uterque consilia agitaret, bello opus erat ad eas res perficiendas, ut tempestate turbatis rebus cum minus eorum desideria deprehenderentur, tum vero perficerentur facilius perculsis principum animis bellorum terroribus, nihil non concedentibus proximis sibi viris, et qui rerum omnium administrationibus præessent. Nam in pace velut sereno et tranquillo cœlo, et cognosci tenebras suorum animorum, et puniri consulentibus perotium principibus posse non ignorabant. Quocirca Gothos, gentem ad res novas tumultusque bellicos exciendos aptissimam, spe ingentis prædæ uterque sollicitat ut suo principi bellum faciat. Gothi occasionem adesse rati, vel rei alicujus bene gerendæ, vel certe intentato bello domum cum haud parva redeundi præda, arma induunt, regeque de suo corpore ex Balthorum illustri familia Alarico creato, fines suos magno vicinorum terrore egrediuntur. Huic se paulo post Rhadagasus cum ducentorum Gothorum millibus conjungit : cumque nulla satis tecta multitudini alendæ esset, castra duces dividunt, diversisque profecti viis per Pannoniam, Illyricum Noricumque, incensis vastatisque obviis rebus omnibus, in Italiam veniunt. Ruffinus cum imprudentius cogitata exsequeretur, ad Thessalonicam a militibus occisus est. Stilico astutius consilia celabat; et Rhadagasus quidem per Etruriam ad Urbem cum agmine veniebat, longe lateque quacunque iret fugam terroremque ostendens. Trepida Romana civitas mercenarios duces venienti opponit. Rhadagasus inconsultius exercitu castris que dispositis, in loca se iniqua præcipitavit. Commeatibus ademptis multitudinem suam fame confecit. Ipse comploratis rebus, dum fugam per occulta cum paucis tentat, a Romanis militibus interceptus necatusque est, Gothorum multitudine vilissimis pretiis divendita. Secundum hanc Gothorum cladem, Alaricus in Italiam venit, majoribus adhuc miscens omnia terroribus quam fecerat Rhadagasus. At cujus rei nuntium, Stilico, qui Byzantii erat, præmissa copiarum parte, quæ extremum Gothorum agmen carpendo ab strage aliqua magna agrorumque vastatione hostem deterreret; ipse per oram Superi maris cum viribus peditatus equitatusque ad hostes pervenit; uterque exercitus castra prope Ravennam contulit : Gothi Pollentiam viam obtinebant, numero quidem potiores, sed arte et disciplina militari nequaquam cum exercitu Romano comparandi. Stilico bellico astu plerumque Gothos superavit, compulitque in arctum quemdam locum, ubi sedens conficere poterat bellum, si voluisset; verum cum exercitu esse decreverat, quousque populares sui Vandali in Galliam venissent. Pro indubio enim habebat eam fore certam occasionem imperii Eucherio filio parandi. Ita levibus aliquot certaminibus hostem lacessendo tempus trahebat : quod Alaricus cum per occultos meatus olfecisset, ad Honorium detulit. Eoque velut munere cum placatiore sibi Honorio se usurum existimaret, per eosdem legatos quos ad detegendum Honorio scelus Stiliconis miserat, Galliæ partem suæ multitudini petiit : victuros se legibus Romanis, nec parvo futuros usui imperio bellisque Romanis, nullisque provincialibus vel fide vel obsequio erga Romanos cessuros. Imperator ancipiti malo concussus, in partem ditionis Gothos recipere, quam Stiliconis perfidia sibi suisque exitium parare maluit. Neque enim primus detulerat ad Honorium Alaricus, quod Stilico coqueret scelus. Nec tamen tutum putabat quovis tempore virum tollere ex duabus uxoribus sibi socerum, et opibus supra privatum fastigium pollentem potentemque. Simul igitur cum legatis Gothorum litteras ad Stiliconem mittit, ut primo quoque tempore Gothos in Galliam venire permittat. Nuntius hic fuit Stiliconi asper et importunus : quippe et se fraudari tanta spe videbat, et sua consulta palam fieri suspicabatur. Hæsit aliquandiu acer et ferox animus, tandem quod tutius erat secutus, pariturum se jussis principis sui respondit. Sed ne res in totum e manibus laberetur, Saulum quemdam cum Judaicis copiis subornat, qui Gothorum vestigiis proxime insistens, cæsis per oc-

casionem aliquot millibus, irritabilem populum ad fœdus rumpendum impellat. Saulus dominico die, quo ex vetere nostræ religionis instituto feriamur, cum toti rebus sacris intenti Gothi essent, impetum in eos facit, primoque tumultu aliquot ex eis sternit. Territi Gothi subito, quantum in trepidatione rerum fieri poterat, num ad arma concurrendum esset consultant. Venerat enim in religionem festo Servatoris die arma tractare, humanum sanguinem fundere, cædes hominum facere. Sed cum Judæi modum occidendi trucidandique non ponerent, sibi quisque consilium cepit, non exspectato communi, ut arma sui tuendi gratia indueret. Cumque jam frequentes armati convenissent, Alaricus pro tempore instructa acie imbelle genus hominum facile sistit. Hinc connixi aliquantum Gothi Judæos fundunt fugantque. Et questi coactos se a violatoribus humani juris divinum jus polluere ac contaminare, Christum ipsum invocantes, per cujus juratum numen fœdus esset utrinque sancitum, cujusque ferias contra suam voluntatem cruore, cædibus, strage fœdassent, ira incensi, per mediam Italiam ad Urbem ferre signa perguni. Dimiserat Stilico nonnullos milites tanquam sine bello inutiles, quos ad præsentem terrorem coactus est ab imperatore repetere, simul cum supplemento copiarum, ut maximis viribus Gothorum conatibus obviam iretur. Honorius, patefactis Stiliconis consiliis, magnam militum manum ad eum mittit, dato ducibus occulte negotio, ut opportuno rei agendæ tempore captato, Stiliconem cum filio obtruncent. Illi communicato inter se consilio, dieque destinato quo imperata principis strenue peragerent, diversi Stiliconem ac filium adorti, et eos ipsos, et ex necessariis aliquot qui vim parabant, Romæ in foro Pacis interficiunt. Imprudens tamen et ignavus princeps, duce sublato, in ejus locum neminem subrogavit : credo ne ullus parem nactus potentiam, similia moliretur. Ita exercitus sine præcipuo aliquo duce misere a Gothis fusus, per multas clades terrorem Gothici nominis ingentem imbibit. Gothi superiores facti, ad urbem Romam signa infesta ducunt, eamque obsidione diu pressam capiunt, diripiunt majori tumultu atque expilatione rerum, quam cædibus aut stupris, aliisque tetris ac fœdis facinoribus quæ urbibus expugnatis committi per insolentiam militum solent. Alaricus enim urbem ingressurus, duo in castris edicta proposuerat : alterum, a cæde et violatione hominum abstinerent, sibi ejusmodi res displicituras; alterum, ut capitale esset, si quis eum qui ad templa principum apostolorum confugisset læderet, aut ipsa templa violaret. Capta est a Gothis Roma anno post eamdem conditam 1164, cal. April., Flavio et Varrone coss. Quo pacto sit capta parum explicant rerum scriptores. Baptista Egnatius se modum ejus rei dicit ex Procopio Græco afferre, mirarique interpretem vel eum locum scientem prudentemque transiliisse; vel si in mutilum incidit codicem, parum animadvertisse quid deesset. Procopium Græcum nondum vidi; fides erit penes Egnatium, hominem diligentem, ac bene doctum, quantum ex scriptis judicare possum. Scribit ergo : Obsederat Romam Alaricus jam biennium, nec Honorius, qui Ravennæ desidebat, aut ferre suppetias poterat aut audebat. Nam cum nihil minus quam de Urbis salute sollicitus esset, Stilicone interfecto, ducem exercitui minime præfecerat qui rem adversus Gothos administraret. Unde Gothis obsidendæ Urbis cogitatio, Romano milite aut dilapso, aut segniter rem agente. Verum eam frustra obsessam cum expugnare vi non possent, ad dolum hostis barbarus vertitur. Profectionem in patriam simulat, trecentosque juvenes corporis et animi vi præstantes deligit, quos Romanis principibus dono det, instructos prius ut omni obsequio dominos suos promereri studeant, et ad certam diem circa meridiem, cum Romani principes somno vel otio vacarent, ad Asinariam portam advolent; interfectisque improviso insultu custodibus, portam sibi præsto futuris aperiant. Interea Gothi cum reditum alia atque alia deesse sibi simulantes differrent, trecenti illi juvenes occasione egregie usi, portam strato die suis aperiunt, et intromissus Gothus majore ignominia quam damno urbem omnem populatur. Sunt qui Probæ illustris feminæ et opulentissimæ opera patefactam Gothis portam existiment, cum plebem Romanam passim fame et morbis pecudum more cadentem miseraretur. Duo sunt cognitu non indigna : unum, edictum ab Alarico fuisse, ut quicunque in templa divorum confugerent, præcipue Petri et Pauli, his nulla vis inferretur : quod et summa fide servatum. Alterum, quod cum nuntiatum Honorio esset Ravennæ, Romam perditam, credidit ille de pugnaci Gallo cui nomen erat Romæ, significatum esse, admiratumque vehementer tam subito periisse eum qui cum paulo ante festivissime luserat. Hæc Egnatius. Has omnes clades maledicentissima et impia gens religioni Christianæ imputabat, negans futurum ut capta unquam esset Roma, si deorum religiones a majoribus cultas traditasque posteris tenuissent : quasi vero non eamdem ob causam, quia violatum est jus humanum, Galli olim vigentibus, ut aiunt, maxime impiis illis insaniis, Urbem ceperint et diruerint; ceu non multi imperatores Christiani optime rem gesserint, et tanquam non hæc inclinatio imperii et manifestus ad ruinam casus cœperit sub imperatoribus gentilibus, et non per eamdem socordiam ignaviamque Honorius amiserit Romam, per quam Galienus Ægyptum, Asiam, Galliam, ad quarum perditarum rumores dictis luserit facetis. Adversus hos igitur homines sanctæ religionis, etiamsi nulla contigisset calamitas, inimicos et infensos, libros conscripsit Augustinus duos et viginti, Civitatem Dei, hoc est Christianam religionem adversus rabiosas atque impias eorum querelas defendens

## ANIMADVERSIONES
### IN LIBROS DE CIVITATE DEI.

Libro I. Cap. 1. *An non etiam illi Romani Christi nomini infesti sunt, quibus propter Christum barbari pepercerunt. Testantur hoc martyrum loca et basilicæ*

*Apostolorum, quæ in illa vastatione Urbis ad se confugientes suos alienosque receperunt.*] Sed non erat dissimulandum hosce barbaros fuisse Christianos, quamvis Arii sectam sequerentur. Vide Paulum Orosium lib. VII, cap. 6, in fine. Sed laudandi fuissent hæreretici, et rei admirabilitas minuenda; quod simplicior quidem scriptor facere potuisset, sed non callidus rhetor.

Cap. 3. *Ecce qualibus diis urbem Romani servandam commendasse gaudebant. O nimium miserabilem errorem!* etc.] Irridet nempe deos qui nec templa sua, nec statuas servare potuerant. Idem facit Lactantius Instit. Divin. lib. II, cap. 4 et alibi. Idem quoque alii veteres Christiani; sed, nisi fallor, imprudenter, cum similia aliquatenus Judæis objici possent, qui tamen verum colebant Deum. Sic et alias fecerunt minus prudentes Christiani, ethnicis objicientes quæ ipsis ab ethnicis objecta fuerant, ut viri docti animadverterunt. At si prudentiores fuissent, iis armis pro religione Christiana utendum fuit quæ usui nunquam ethnicis fuissent aut esse possent, cum veritati nihil commune sit cum mendacio. Verum rhetores, verisimilium æquo avidiores captatores, talia monita nequaquam attendebant.

Cap. 5. *Quem morem etiam Cæsar (sicut scribit Sallustius, nobilitate veritatis historicus) sententia sua, quam de conjuratis in senatu habuit, commemorare non prætermittit.*] Credebam illico, cum hæc primum legerem, hic legendum *nobilitatus*, sed inspecta Erasmi editione, vidi mendum hoc esse typographicum, legendumque *nobilitatæ*, hoc est, celebratæ veritatis. Observant autem hic Benedictini, in omnibus mss. legi non *Cæsar*, sed *Cato*, verum quia verba quæ profert postea Augustinus sunt in oratione *Cæsaris* non *Catonis*, a criticis mutatum esse nomen. Suspicantur ipsi potuisse fieri ut Augustinus memoria lapsus sit. Iis eo libentius assentimur, quod aliud agens Augustinus, ut fit, vidensque hæc verba magis fecisse ad scopum orationis *Catonis* quam *Cæsaris*, ea potuerit propterea *Catoni* tribuere. Sæpe animo in rem quampiam serio intento, memoria minus fida est.

Cap. 9. *Suæ famæ ac saluti consulentes, dum insidias atque impetus malorum timent.*] Dudum observaverat Joan. Frid. Gronovius, Observat. in script. ecclesiasticos, cap. 17, in mss. deesse vocem *consulentes*, adeoque delendam. Sic enim sæpe loquitur Augustinus, ut infra cap. 30: *Istam vobis metuens calamitatem;* et cap. 32: *Hanc probitatis et honestatis eversionem vobis Scipio ille metuebat.* Hanc animadversionem judicio suo confirmarunt editores Parisienses.

Cap. 17. *Ac per hoc et quæ se occiderunt* (sanctimoniales ne vitiarentur a militibus) *ne quidquam hujusmodi paterentur, quis humanus affectus ei nolit ignosci?*] Hac de re multis agit in sequentibus, ubi merito et firmis rationibus αὐτοχειρίαν oppugnat. Sed aliud est velle ignosci iis qui in extremo casu et animo periculi atrocitate perturbato, simile quid fecerunt; aliud factum probare. Vellem tamen ut Lucretiæ et Catoni æquior noster fuisset, cum declamatores ethnici similia in Christianas virgines et fervidiores martyres jacere possent. Sed iniquior fuit ethnicis omnibus, post controversias Pelagianas; quia nihil sine *gratia*, hoc est afflatu divino inusitato, bonum esse dicebat, nolebatque eam *gratiam* ethnicis tribui.

Cap. 26. *Quædam sanctæ feminæ, tempore persecutionis, ut insectatores suæ pudicitiæ devitarent in rapturum atque necaturum se fluvium projecerunt, eoque modo defunctæ sunt, earumque martyria in catholica Ecclesia veneratione celeberrima frequentantur.*] Tales Domninæ filiæ Bernice et Prosdoce, quarum natalem celebrant Græci die 4 Octobris et de quibus exstat elegans homilia Joannis Chrysostomi tomi primi 51. Eam Latine inseruit Actis sinceris et selectis martyrum Theod. Ruinartus, ubi etiam quædam habet, hanc in rem, in præfixa admonitione, lectu non indigna.

Ibid. *De his nihil temere audeo judicare. Utrum enim Ecclesiæ aliquibus fide dignis testificationibus, ut earum memoriam sic honoret, divina persuaserit auctoritas nescio.*] Multo credibilius est a vicinis Ecclesiis primum eas virgines in ordinem martyrum relatas; quod hoc, quidquid fuit peccati, satis elutum esse censerent, animo quo in id inciderant, hoc est intemeratæ castitatis et religionis Christianæ amore. Sane multa laudantur, in quibus tantus animus non emicuit, quantus in iis quæ excusatione indigent. Quamobrem id earum factum laudare non dubitavit Chrysostomus novumque et inusitatum baptisma vocare. Quæ in Ecclesia constituuntur sæpe sensim et sine matura ulla deliberatione in eam irrepunt; quinimo et in ipsis conciliis, ubi suffragiis omnia decernebantur, non doctiores, qui pauci erant, sed plures, hoc est indoctiores aut certe auctoritate ac dicendi facultate superiores audiebantur, ut omnes norunt, nec ignorabat ipse Augustinus.

Libro II. Cap. 3. *Memento autem me ista commemorantem adhuc contra imperitos agere, ex quorum imperitia illud quoque ortum est vulgare proverbium:* Pluvia defit, causa Christiani. *Sunt namque qui eorum studiis liberalibus instituti amant historiam, qua facillime ista noverunt; sed ut nobis ineruditorum turbas infestissimas reddant, se nosse dissimulant;* etc.] Norant, nempe, quod antea dixit Augustinus, non minus ante Christiana tempora, quam deinceps siccitates aliasque id genus calamitates contigisse. Nemo copiosius objectionem hancce diduxit, et pluribus confutavit quam Arnobius lib. I contra Gentes. Inter eruditos illos quos memorat Augustinus, accensendus fuit Symmachus ille Urbi præfectus, qui talia habet in relatione oblata Valentiniano, anno 384, quam confutavit Ambrosius. Vide num. 14 in editione Ambrosiana. Ad eam calumniam confutandam, rogatu Augustini, historiam scribere aggressus est Paulus Orosius, ut in præfatione ipsa ad Augustinum testatur.

Cap. 7. Postquam exprobravit deos ethnicorum nulla virtutis præcepta cultoribus suis suppeditasse,

ita pergit : *An nobis forte philosophorum scholas disputationesque memorabunt?..... Non deorum præcepta sunt, sed hominum inventa, qui utcunque conati sunt, ingeniis acutissimis prædili, ratiocinando vestigare quid in rerum natura latitaret, quid in moribus appetendum esset, quid fugiendum*, etc.] Nimirum, id quod religionem vocabant ethnici erat disciplina quædam superstitiosa de ritibus sacrorum, quibus deos placari putabant, eaque à sacerdotibus et pontificibus discenda, non a philosophis. At quisquis scire cupiebat quid de Numine sentiendum, et quomodo mores instituendi, eum ad philosophos conferre se oportebat. Audiamus hac de re Latinorum Patrum disertissimum Lactantium, lib. IV, cap. 3 Institutionum divinarum, quo in libro agit de vera sapientia : *Deorum cultus*, inquit, *non habet sapientiam; non modo quia divinum animal hominem terrenis fragilibusque substernit; sed quia nihil ibi disseritur quod proficiat ad mores excolendos vitamque formandam, nec habet inquisitionem aliquam veritatis, sed tantummodo ritum colendi, qui non officio mentis sed ministerio corporis constat. Et ideo non est illa religio vera judicanda, quia nullis justitiæ virtutisque præceptis erudit, efficitque meliores. Itaque philosophia, quia veram religionem, id est summam pietatem non habet, non est vera sapientia*, etc. *Quoniam igitur, ut dixi, philosophia et religio deorum disjuncta sunt longeque secreta, si quidem alii sunt professores sapientiæ per quos utique ad deos non aditur, alii religionis antistites per quos sapere non discitur; apparet nec illam esse veram sapientiam, nec hanc religionem*, etc. Quæ objectio censenda est, meo quidem judicio, inter maximas et firmissimas quibus ethnica superstitio labefactari ac destrui penitus, et contra religio Christiana illustrari et confirmari potuit, si quando Christianis res fuit cum paulo doctioribus ethnicis.

Cap. 17. *An forte populo Romano propterea leges non sunt a numinibus constitutæ, quia, sicut Sallustius ait*, jus bonumque apud eos non legibus magis quam natura valebat? *Ex hoc jure ac bono credo raptas esse Sabinas. Quid enim justius et melius quam filias alienas fraude spectaculi inductas, non a parentibus accipi, sed vi, ut quisque poterat, auferri?*] Merito Augustinus hic et in sequentibus irridet quod Romani jactabant de virtute conditorum reipublicæ suæ, et proxime secutarum ejus ætatum. Nam sane, ut ostendit ex Sallustio, quemadmodum etiam ex Livio Dionysioque Halicarnasseo, constat veteres illos Romanos perpetuis seditionibus, ex intolerabili nobilium injustitia natis, domi agitatos fuisse; foris vero bellis vicinos omnes vexasse, quæ sine summa injustitia, inhumanitate et crudelitate gesta non sunt, quamvis ab historicis speciosis nominibus amoris imperii, patriæ et fortitudinis velentur. Si conscriberetur historia Romana sine fuco, et adhibitis, non rhetorum coloribus, quibus vitium pro virtute venditatur, præconceptisque temere opinionibus, sed rectæ rationis et veræ virtutis luminibus, liqueret laudatissimos illos veteres Romanos fuisse meros latrones, sibi invicem domi inimicos, nec unquam consentientes, nisi ad infestandos latrociniis vicinos. Quod si nondum deliciis fracti essent, quia pauperes etiamnum erant, propterea meliores habendi non fuerunt quam ubi sumptuosius et delicatius peccare cœperunt. Quis enim pluris faciat barbaram duritiem Scytharum, quos hodie Moschos aut Tartaros vocamus, quam meridianarum gentium molliorem nequitiam? Fateor pauperem illam barbariem bello et propulsandis hostibus meliorem esse; sed an est melior, ad mores quod attinet, hoc est, justior, temperantior, prudentior? Non puto. Utrobique est barbaries et immanitas, sive sit cum deliciis, sive cum pauperiore cultu ac victu conjuncta. Sed solent homines, vitiorum suæ ætatis pertæsi atque impatientes, præsentibus semper præferre tempora præterita : quibus si vixissent, similes querelas profudissent, et in antiquioribus sæculis majorem virtutem ac felicitatem quæsivissent. Hæc si ad animum serio revocassent recentiores Romani, nemo dixisset cum Juvenali sat. 3 :

> Felices proavorum atavos, felicia que illa
> Sæcula, quæ quondam sub regibus atque tribunis
> Viderunt uno contentam carcere Romam!

Cap. 25. *Jam multos moverat quod miles quidam, dum occiso spolia detraheret, fratrem, nudato cadavere, agnovit, ac detestatus bella civilia, seipsum ibi perimens fraterno corpori adjunxit.*] Exstant in Veterum Poetarum a Josepho Scaligero editis Catalectis, elegantissima duo epigrammata *in Mævium qui fratrem ignarus interfecit;* sed refertur miserandum hoc facinus ad bellum Actiacum, quod Augustus cum Antonio gessit; quod vero hic narratur pertinet ad initium belli Syllani, contigitque in prælio quod conmisit Cn. Pompeius cum L. Cornelio Cinna, de quo Livius lib. LXXIX. Bis idem potuit contingere, aut etiam poeta ad aliud bellum quod in alio contigerat retulit.

> Exit in immensum fecunda licentia vatum,
> Obligat historica nec sua verba fide.

Cap. 27. *Vir gravis et philosophaster Tullius ædilis futurus clamabat*, etc.] Quamvis ethnicam philosophiam sapientiæ Christianæ collatam merito sperneret Augustinus, tamen semper maximi fecit Ciceronem, honorificeque ubique de eo locutus est, et forte pleraque quæ de philosophia norat ei debebat : nam ad Græcorum fontes nunquam, ut notum est, adiit. Itaque mihi persuadere non possum Ciceronem ab eo ita contemptim habitum, ut *philosophastrum* vocaret. Plerique mss. habent *philosophus tertullius*, alii *tertullius*, unus Corbeiensis *philosophaster Tullius*, quemadmodum legendum conjecerat Lud. Vives. Crediderim in antiquissimis codicibus scriptum fuisse PHILOSOPHUS M. TULLIUS, deinde pro M a festinante librario lectum aut scriptum III, quod postea expressum *ter;* unde nobis natus *philosophus Tertullius*, aut *ter Tullius*, aut denique *philosophaster Tullius*, invito, nisi fallor, Augustino, qui existimabat ab eo *in Latina lingua philosophiam inchoatam et perfectam*, contra Academ. lib. I, n. 8. Ac sane, hoc

ipso in loco, vox *gravis* ostendit Augustinum voluisse de eo honorifice loqui, nec consentiunt voces *gravis* et *philosophaster*.

Libro III. Cap. 4. *Vir doctissimus eorum Varro falsa hæc esse, quamvis non audacter, neque fidenter, pene tamen fatetur. Sed utile esse civitatibus dicit, ut se viri fortes, etiamsi falsum sit, diis genitos esse credant; ut eo modo animus humanus, velut divinæ stirpis fiduciam gerens, res magnas aggrediendas præsumat audacius*, etc.] Nemo philosophiæ paulo peritior credidit æternum numen mulierum amore posse capi. Itaque quærendæ cordatioribus fuere causæ cur antiquissima fama tot filios deorum prædicaret; quarum rationum unam hanc Varro prodiderat, in quopiam libro ex iis quos tanto numero scripserat et qui perierunt. Verumtamen fraudibus sacerdotum et mulierciularum aut deceptarum, aut sponte impudicarum, filios illos deorum debitos, maxima ex parte, existimarim. Cum libidinosi sacerdotes virginem in templo aut luco numinis cujuspiam vitiarant, nec eorum intererat ducere eam uxorem, ut ejus honori consulerent, ex ipso numine natum puerum dicebant; nec puellæ eorumque propinqui rem negabant, cum honori vitiatarum ea fraude consuleretur. Antiquissimis temporibus rudes homines, nec ullis studiis expoliti talia sibi persuaderi stulte passi sunt. Pluribus hac de re egit Joan. Clericus in notis ad Theogoniam Hesiodi.

Cap. 10. *An respondent quod nisi assiduis sibique continuo succedentibus bellis Romanum imperium tam longe lateque non posset augeri, et tam grandi gloria diffamari?*] Recte observavit J. Frid. Gronovius hic *diffamari* perinde esse ac celebrari, eamque vocem in utramque partem sumi, quod ex Nonio Marcello probat. Addit membranas mss. ignorare τὸ *succedentibus*, legendumque putat *assiduis sibique continuis bellis*. Observat. lib. III, cap. 16. Miror Benedictinos hujus variæ lectionis non meminisse. Quod attinet ad vocem *diffamare*, in bonam partem non raro ab Augustino sumitur, ut hujus libri cap. 31. *Multo autem minus eorum voces tolerarentur, quantum attinet ad Romanos, si Christianæ religionis receptionem et diffamationem, vel irruptio illa Gallorum, vel Tiberini fluminis igniumque illa depopulatio, vel quod cuncta mala præcedit, bella civilia sequerentur.*

Cap. 18. *Sacra illa fatalia, quæ jam tres, in quibus fuerant, presserant civitates ..... Metellus pontifex suæ quodam modo salutis oblitus, irruens semiustulatus abripuit.*] Trojam, Lanuvium et Albam recte intelligi ostendit Justus Lipsius, Syntagmatis de Vesta et vestalibus cap. 2, ubi multis hunc Augustini locum illustrat.

Cap. 31. *Cum pluit terra, cum pluit creta, cum pluit lapidibus, non ut grando appellari solet hoc nomine, sed omnino lapidibus; hæc profecto etiam graviter lædere potuerunt.*] Cum lapidibus pluisse dicebant, omnino majorem grandinem intellectam fuisse existimo, cum præsertim Augustinus *grandinem* ita dictam observet, si quæ, nimirum, solito major esset. Scriptor de Bello Africano cap. 47 : *Vigilia secunda noctis, nimbus cum* SAXEA GRANDINE *est exortus ingens.*

Ibid. *Locustarum enim in Africa multitudinem prodigii similem fuisse, cum jam esset populi Romani provincia, litteris mandaverunt.*] Qui hæc multitudine exemplorum illustrata videre avebit, adeat oportet Samuelem Bochartum, Hierozoici part. 2, lib. IV, sex primis capitibus; et Joannis Clerici dissertationem de statua salina Genesi ab eo illustratæ subjectam.

Ibid. *Tunc Uticæ ex triginta millibus juniorum, quæ ibi erant decem remansisse confirmant.*] Recte animadverterunt Benedictini *juniores* dictos præsidiarios milites. Quod pluribus exemplis confirmatum invenies apud Justum Lipsium Epistol. quæstionum lib. I, epist. 1.

Libro IV. Cap. 4. *Remota justitia quid sunt regna, nisi magna latrocinia; quia et ipsa latrocinia quid sunt nisi parva regna?*] Mollius flueret oratio si pro *quia* legeremus *quin*, præposita interrogationis nota. De re ipsa permulta habet elegantia et vera Lactantius lib. V Institutionum divinarum.

Cap. 8. *Neque enim in hoc tam præclaro opere* (prolatorum imperii Romani finium) *et tantæ plenissimo dignitatis audent aliquas partes deæ Cloacinæ tribuere, aut Volupiæ; aut Vaticano, qui infantum vagitibus præsidet; aut Cuninæ, quæ cunas eorum administrat.*] Testantur Parisini editores non tantum in editionibus aliquot, sed et in mss. esse non *Vaticano*, sed *Vagitano:* quod cur in textum non receperint non intelligo, cum cætera deorum nomina ostendant hujus etiam vocabulum a *vagitu* duci oportuisse. Vide et cap. 21. Scio locum Varronis proferri ab Aulo Gellio lib. XVI, cap. 17, qui videtur lectioni *Vaticani* favere, sed cum sit absurda etymologia, vulgo potius *Vagitanum* dictum fuisse existimo

Cap. 9. *Hunc* (Jovem) *Varro credit etiam ab his coli qui unum Deum solum absque simulacro colunt, sed alio nomine nuncupari.*] De hac opinione Varronis vide quæ observavit Joannes Clericus Artis Criticæ parte 2, sect. 1, cap. 13.

Cap. 10. *Quis enim ferat quod cum tantum honoris et quasi castitatis igni tribuerint, aliquando Vestam non erubescant etiam Venerem dicere?*] Recte observavit Justus Lipsius in Syntagmate de Vesta et vestalibus cap. 2, vix exempla inveniri Vestæ nomine Veneris appellatæ, nec ejus rei satis liquidam esse rationem nisi forte amoris æstus cum igne conferatur. Eum vide, si vacat.

Cap. 13. *Si autem sola animalia rationalia, sicut sunt homines, partes Dei esse contendunt; non video quidem si totus mundus est Deus, quomodo bestias ab ejus partibus separent.*] Intelligit Stoicos, qui mundum Deum esse dicebant. Vide Justum Lipsium Physiol. Stoicorum lib. I, diss. 8.

Cap. 16. *Vocaverunt..... deam Murciam, quæ præter modum moveret ac faceret hominem, ut ait Pomponius, murcidum, id est nimis desidiosum et inactuo-*

*sum.*] Tertullianus de Spectaculis cap. 8 : *Murciam deam marcoris volunt, cui in illa parte ædem vovere.* Sic enim legendum, non *marmoris*, aut *amoris*, ut emendant nonnulli. Nusquam veteres *Murciam* illam amoris deam esse prodiderunt, sed marcoris et ignaviæ; nam *murcus* veteribus idem quod ignavus. Hinc extremis Latinitatis temporibus, *murcos* appellabant joculariter qui sibi pollices præciderant, ne militiæ nomen darent. Ammianus Marcellinus : *Nec eorum aliquando quisque, ut in Italia, munus Martium pertimescens pollicem sibi præscidit, quos jocaliter murcos appellant.* Desides et ignavos et imbelles ita vocarunt. *Murcus, murcidus*, ut *flaccus, flaccidus.* Festus : *murcidum, ignavum, stultum ;* Plautus : *murcide homo, ignave, iners.* Male in editis *murricide*, quod Scaliger exponebat μυοκτόνον, hoc est muricidam. Arnobius : *Murcia, segnium dea.* Hæc aliaque habet Claud. Salmasius in Solinum pag. 636 ed. Ultrajectinæ.

Cap. 19. *Tantum sane huic, velut numini, tribuunt, quam Fortunam vocant, ut simulacrum ejus, quod a matronis dedicatum est, etiam locutum esse memoriæ commendaverint, atque dixisse non semel, sed iterum, quod eam rite matronæ dedicaverint.*] Valerius Maximus lib. I, cap. 8 Exempl. Rom. 4, ex emendatione Justi Lipsii : *Non semel sed bis locutum* (*simulacrum*) *constitit, his prius verbis :* RITE ME, MATRONÆ, VIDISTIS; *deinde :* RITE DICASTIS. Quæ vera est lectio, et præ oculis Augustino fuisse videtur.

Cap. 21. *Divæ Fructeseæ.*] Scripti codices Augustini (verba sunt Claud. Salmasii ad Solinum pag. 50 ed. Ultraject.) quos in Germania olim vidimus, habebant, *atque ipsi maxime divæ Frutes Seæ*, in aliis erat, *Frutisseæ.* Scripsisse Augustinum opinor : *Divæ frugis, Seiæ. Seiam* vel *Seam* vocat deam frugis, cui maxime agricolæ supplicabant ut ubertatem fructuum secundaret. Hanc idem Augustinus lib. IV, cap. 8, ex Varrone dicit segetibus præpositam fuisse, quandiu sub terra essent. Plinius a serendo *Seiam* dictam autumat lib. XVIII, cap. 2.

Cap. 31. *Dicit idem auctor acutissimus* (Varro) *atque doctissimus quod hi soli ei videantur animadvertisse quid esset Deus, qui crediderunt eum esse animum motu ac ratione mundum gubernantem.*] Vox *motu*, inquit Justus Lipsius Physiologiæ Stoicorum lib. II, dissert. 10, non omnino disconvenit, fateor, et verius tamen credam *mente.* Cicero, I Acad. de Stoicis : *Mundum natura sentiente teneri, in qua ratio perfecta insit, quæ sit eadem sempiterna. Quam vim animum esse dicunt mundi, eamdemque esse mentem sapientiamque perfectam, quam Deum dicunt.* Nihil tamen in vulgata lectione mutandum ego quidem censeo, sic enim ferme locutus est Manilius, non procul ab initio libri II, ubi dicit sibi constitutum esse canere Deum omnia moderantem

> Totumque alterno consensu vivere mundum
> Et RATIONIS agi MOTU, cum spiritus unus
> Per vinctas habitet partes, etc.

LIBRO V. Cap. 1. *Prorsus divina providentia regna constituuntur humana. Quæ si propterea quisquam fato tribuit, quia ipsam Dei voluntatem vel potestatem fati nomine appellat, sententiam teneat, linguam corrigat. Cur enim non hoc primum dicit, quod postea dicturus est, cum ab illo quisquam quæsierit quid dixerit fatum?* ] Pulcherrima profecto sententia et digna quæ aureis litteris inscribatur auditoriis philosophorum et theologorum, ut discant illico perspicue loqui; quo compendium temporis fiat, expulsione tot inanium verborum, quæ explicationibus prolixis indigent; et quibus auditis, nihil quidem novi, ad res ipsas quod attinet, discimus, sed intelligimus duntaxat scholastici sermonis usum. Hanc autem admonitionem de *fato* necessariam fuisse intelliget quisquis leget dissertationem 12 et sequentes lib. I Physiologiæ Stoicorum a Justo Lipsio conscriptæ, ubi fatum ille contendit effectum esse providentiæ divinæ, quod et veteres multos credidisse ostendit.

Cap. 10. Postquam cap. 9 proposuit argumentationem Ciceronis, qua probare conabatur, si quid esset in nostra potestate, id a Deo certo non prævideri, quia poterat non contingere; aut si omnia a Deo certo præviderentur, nihil esse in nostra potestate, quia necessario omnia fierent. Capite 10 respondet Augustinus, sed ita ut vim objectionis non sensisse, aut dissimulasse, si sensit, videatur. *Non ergo*, inquit, *propterea nihil est in nostra voluntate, quia Deus præscivit quid futurum esset in nostra voluntate.* At Cicero dixerat in *nostra potestate*, hoc est, quod poteramus nolle aut velle; ita ut ad alter utrum non esset necessario inflexa voluntas; quemadmodum est natura sua ita affecta, ut veritati manifestæ assentiatur, utque beatitudinem optet. Augustinus hic, ut et alibi, *voluntarium* et *liberum* confundit, quæ in omnium hominum sermone distincta sunt; nam voluntate quidem assentimur evidenti enuntiationi, sed non libere; et voluntate similiter cupimus felicitatem, sed non libere; neque enim possumus nolle evidentibus assentiri aut nolle esse felices, aut de hisce deliberare. Subdit : *Non enim qui hoc præscivit, nihil præscivit.* Verum non negavit Cicero Deum aliquid præscire, sed duntaxat quæ sunt libera. *Porro*, ait Augustinus, *si ille quid præscivit quid futurum esset in nostra voluntate, non utique nihil, sed aliquid præscivit profecto et illo præsciente, est aliquid in nostra voluntate.* Verum est, sed Cicero negasset illud quod in nostra voluntate futurum præscit Deus, esse in *nostra potestate;* qualia sunt optare felicitatem, perspicuisque assentiri; quæ sunt quidem in voluntate nostra, volentes enim assentimur et cupimus, sed non *in nostra potestate*, cum in contraria ire non possimus.

*Quocirca nullo modo cogimur*, inquit philosophus Pœnus, *aut retenta præscientia Dei tollere voluntatis arbitrium* (cur non addit *liberum?*), *aut retento voluntatis arbitrio* (addendum erat *libero*, hoc est in utramque partem flexili), *Deum, quod nefas est, negare præscium futurorum. Sed utrumque amplectimur,*

*utrumque fideliter et veraciter confitemur; illud ut bene credamus; hoc ut bene vivamus. Male autem vivitur, si de Deo non bene creditur.* Postrema hæc libenter amplectimur, sed si Cicero excitatus ex orco fuisset, aut si Ciceronianus aliquis philosophus reposuisset Augustino, negasset ab Augustino retineri liberum arbitrium; quod nec ille diffitetur, cum extra controversiæ æstum loquitur. Vide Enchiridion ad Laurentium cap. 30, in tomo VI.

Pergit : *Proinde non frustra sunt leges, objurgationes, exhortationes, laudes et vituperationes; quia et ipsas futuras esse præscivit et valent plurimum, quantum eas valituras esse præscivit; et preces valent ad ea impetranda; quæ se precantibus concessurum esse præscivit; et juste præmia bonis factis, et peccatis supplicia constituta sunt.* Utraque essent injusta, si a bonis factis et peccatis abstinere non magis possemus quam ab assensu præbendo evidenti enuntiationi, aut a concupiscenda beatitudine. Reliqua etiam ideo non frustra sunt, quod homines sint liberi, hoc est, non tantum *volentes* peccent, mens enim humana non aliter quam volendo agit, sed etiam libere, ita ut nolle potuerint quod voluerunt, et velle quod noluerunt. Legum quas Deus fert creaturis liberis non est ratio præscientia, sed sanctitatis Dei et creaturarum libertas.

*Neque enim ideo peccat homo, quia Deus illum peccaturum esse præscivit.* Melioris notæ codices, ut testantur Benedictini, habent hic : *Neque enim ideo non peccat.* Sed duplex hæc negatio plus non videtur valere quam una; qua de re vide Gerard. Joan. Vossium, de Arte grammatica lib. VII, cap. 61. Aut est altera negatio ponenda in sequentibus, *quia Deus illum non peccaturum esse præscivit.* Verissimum hoc est, sed reposuisset Ciceronianus ideo, ex Augustini sententia hominem peccare, quod non potuerit non peccare, eademque de causa hoc præscire Deum; quod alioqui non præsciret, si liberum esset. Nec evaderet vim argumenti Ciceroniani, sequentibus verbis : *Imo ideo non dubitatur ipsum peccare, cum peccat, quia ille cujus præscientia falli non potest, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, sed ipsum peccaturum esse præscivit.* Nam verum non est, ideo nos credere peccare homines, quia Deus hoc præscivit; ideo credimus quia videmus ab iis leges divinas perfringi, et conscii nobis sumus, ab iis potuisse non perfringi, quippe qui ejusdem libertatis participes sunt ac nos. *Qui si nolit*, inquit tandem Carneades noster, *utique non peccat; sed si peccare noluerit, etiam hoc ille præscivit.* Certe *si nolit* homo, non peccat; sed oportet ut possit velle ac nolle, ut sit peccati capax; ostendendumque fuerat, contra Ciceronem, Deum posse præscire id futurum quod poterit nolle is qui facturus est. Hinc liquere potest quantum sit discrimen inter rhetoricas argutias et philosophicas ratiocinationes.

Cap. 15. De Romanis. *Quibus ergo non erat Deus daturus vitam æternam; .....si neque hanc eis terrenam gloriam excellentissimi imperii concederet, non redderetur merces bonis artibus eorum, id est virtutibus quibus ad tantam gloriam pervenire nitebantur.*] Antea tamen ostendit eas virtutes fuisse mera vitia; nam, ut ait cap. 13, *causa honoris, laudis et gloriæ, consuluerunt patriæ, in qua ipsam gloriam requirebant, salutemque ejus saluti patriæ præponere non dubitaverunt; pro isto uno vitio, id est amore laudis, pecuniæ cupiditatem et multa alia vitia comprimentes.* Sed propterea Deus iis *mercedem* non debuit, præstaretque dicere Deum passum esse, aut etiam certis de rationibus, sed nobis ignotis, voluisse ut rerum potirentur, potius quam alius populus. Duo præterea ad hæc accedunt, quorum prius est antiquos Romanos tales non fuisse quales aliquando a nepotibus describuntur, quod demonstravit ipse Augustinus lib. II, ad quem etiam aliquid ea de re diximus. Alterum est vicinas gentes Italiæ, aut etiam Græciæ, aliasque, quas memorare nihil attinet, nequaquam deteriores fuisse quam veteres Romanos, ad mores quod attinet, ac proinde Deo ingratiores non fuisse.

Cap. 17. *Nunquid non multi senatores sunt, in aliis terris, qui Romam ne facie quidem norunt?*] Non novum hoc fuit tempore Augustini, jam tempore Claudii, cum Galliæ Comatæ incolæ honores sibi concedi Romæ postularent, vulgo Itali quærebant, *An parum quod Veneti et Insubres Curiam irruperint, nisi cœtus alienigenarum veluti captivitas inferretur?* Tacitus Annal. lib. XI, cap. 23.

Libro VI. Cap. 1, § 2. *An vero illi peritissimi et acutissimi viri, qui se pro magno beneficio conscripta docuisse gloriantur* (Varro, de quo egit lib. IV, cap. 22), *ut sciretur quare cuique deo supplicandum esset, quid a quoque esset petendum, ne absurditate turpissima, qualis joculariter in mimo fieri solet, peteretur a Libero aqua, a Lymphis vinum; auctores erunt cuipiam hominum diis immortalibus supplicanti, ut cum a Lymphis petierit vinum, eique responderint : Nos aquam habemus, hoc a Libero pete; possit recte dicere : Si vinum non habetis, saltem date mihi vitam æternam?*] Editi libri habebant *Nymphis*, sed mss. constanter *Lymphis*, ut observant Benedictini. Eas voces sæpe misceri in antiquis libris monuerunt viri doctissimi Nicolaus Heinsius, ad epist. Œnonæ ad Paridem vers. 31, et Janus Brœkhusius ad Propertium lib. III, eleg. 14, 4. Hic tamen puto revera Augustinum scripsisse *Lymphas*, quia cum Nymphæ dicantur etiam Oreades, et Hamadryades, non videntur dictæ *Lymphæ*, nisi eæ quæ aquis præerant, quamvis ea vox sit a *Nymphis*, mutatione N in L deducta. Festus : *Lymphæ dictæ sunt a Nymphis. Vulgo autem memoriæ proditum est, quicunque speciem quamdam e fonte, id est effigiem Nymphæ viderint, furendi non fecisse finem, quos Græci* νυμφολήπτους *vocant, Latini lymphatos appellant.* Vide Æneid. lib. VII, 377.

Cap. 9, § 1. *Liberum a liberamento appellatum volunt, quod mares in coeundo, per ejus beneficium, emissis seminibus liberentur.*] Eo respicit Seneca lib. IV de Beneficiis, cap. 8 : *Hunc Liberum patrem et Herculem ac Mercurium nostri putant. Liberum patrem,*

*quia omnium parens sit, quod ab eo primum inventa seminum vis est, consultura per voluptatem.* Qua et re et etymologia, quid absurdius fingi potuerit nescio; sed Varronianæ etymologiæ meliores sunt ejus theologia.

Cap. 10, § 2. *Sunt quæ Junoni et Minervæ capillos disponant, longe a templo, non tantum a simulacro stantes digitos movent, ornantium modo.*] Talia habet Seneca etiam epist. 95. Hoc autem munus dictum *curationem facere* docet Tertullianus libro de Jejunio cap. 16. *Qui in idolis comendis et in aris ornandis, et ad singulas horas salutandis, curationem facere dicuntur.*

Ibid. *Sedent quædam in Capitolio quæ se a Jove amari putant; nec Junonis quidem, si credere poetis velis, iracundissimæ respectu terrentur.*] Ita Seneca loquebatur in pulcherrimo libro de Superstitione, quem ego, potius quam tot frigidas homilias, a monachis exscriptum vellem et ad nos diligenter transmissum. Impudicæ mulierculæ æditui forte amore captæ, in Capitolio sedebant, ut si forte gravidæ fierent, se ex Jove peperisse fatuis persuaderent. Nota est historia Mundi et Paulinæ, apud Josephum. Sed et vide quæ de deorum filiis notavit Joannes Clericus ad Theogoniam Hesiodi.

Cap. 11. *Usque eo sceleratissimæ gentis consuetudo convaluit, ut per omnes jam terras recepta sit; victi victoribus leges dederunt.*] Sunt verba inconsulta sane Senecæ de Judæis, ad quæ respexisse videtur Rutilius Numatianus in Itinerario vers. 395.

Atque utinam nunquam Judæa subacta fuisset,
Pompeii bellis imperioque Titi!
Latius excisæ pestis contagia serpunt,
Victoresque suos natio victa premit.

Libro VII. Cap. 1. *Qua in re non dico, quod facetius ait Tertullianus fortasse quam verius: Si dii seliguntur ut bulbi, utique cæteri reprobi judicantur.*] Adnotarunt in margine Benedictini simile quidpiam esse in Apologetico cap. 13. At ipsa verba exstant in opere contra Nationes lib. II, cap. 9, ubi Nic. Rigaltius, vir doctissimus, observat ab Augustino dictum hoc Tertulliani male carpi. Ac sane in eo, quod vocatur Deus, nulla potest esse selectio, quemadmodum in hominibus a quibus exempla perperam petit Augustinus; nam omnes dii omnia posse debent, ut idem observat.

Cap. 2. *Ibi Liber, qui marem effuso semine liberat. Ibi Libera, quam et Venerem volunt, quæ hoc idem beneficium conferat feminæ, ut etiam ipsa, emisso semine, liberetur.*] Hæc habuit cap. 9 libri superioris. Miror autem episcopum, et quidem gravem ac senem, quanquam olim adolescens sat libidinosam vitam duxerat, tam sæpe περὶ τοῦ σπέρματος verba facere, in opere hoc etiam a mulieribus et adolescentibus legendo. Scio ethnicorum has fuisse spurcitias, sed præstabat generalioribus verbis eas attingere, quam ad castarum aurium fastidium repetere. Vide et quæ habet eodem capite de Subigo, de Prema, et Pertunda. Sed alia alibi non honestiora observabimus in re graviore.

Cap. 14. *Si Mercurius ipse sermo est, etiam ipsis confitentibus, Deus non est.*] Miror non timuisse Augustinum ne sibi objiceretur quod passim habet de *Verbo*; nam similis objectio potuit fieri, responsioque Augustini pariter eluit.

Cap. 21. *In Italiæ campis quædam dicit sacra Liberi celebrata, cum tanta licentia turpitudinis, ut in ejus honorem pudenda virilia colerentur*, etc.] Similia fiebant in sacris Osiridis, ut docet Diodorus Siculus Bibliothecæ lib. I, qui ea ab Ægyptiis ad Græcos traducta esse putat.

Cap. 26. *De mollibus eidem Matri Magnæ, contra omnem virorum mulierumque verecundiam, consecratis, qui usque in hesternum diem madidis capillis facie dealbata, fluentibus membris, incessu femineo, per plateas vicosque Carthaginis, etiam a populis, unde turpiter viverent exigebant, nihil Varro dicere voluit, nec uspiam me legisse commemini.*] Miror cum innumeri scriptores de iis sint locuti, quorum loca plura indicabit Gérard. Joannes Vossius operis de Origine et Progressu idololatriæ lib. III, cap. 53. Adi et Catulli poema quod *Attis* inscribitur, et ad id interpretes, qui affatim suppeditabunt quod hic Augustino deest. Μητραγύρται vocabantur sacerdotes illi, qua inscriptione comœdiam scripserat Menander, quæ utinam exstaret!

Cap. 27. *Totam de hoc Euhemerus pandit Historiam quam Ennius in Latinum vertit eloquium; unde quia plurima posuerunt, qui contra hujusmodi errores ante nos vel Græco sermone vel Latino scripserunt, non in eo mihi placuit immorari.*] Lactantium videtur potissimum intelligere, qui lib. I Institutionum divinarum sat prolixa nobis servavit Euhemeri fragmenta; de quo scriptores nonnulli ethnici ideo male judicant, quod religionem eorum plane infamasset; quamvis cæteroqui nollem omnia præstare quæ habebat. Miror a Christianis Græce aut Latine non esse servatum.

Cap. 34. *Terentius quidam cum haberet ad Janiculum fundum et bubulcus ejus juxta sepulcrum Numæ Pompilii trajiciens aratrum eruisset ex terra libros ejus, ubi sacrorum institutorum scriptæ erant causæ, in urbem pertulit ad prætorem. At ille cum inspexisset principia, rem tantum detulit ad senatum. Ubi cum primores quasdam causas legissent, cur quidque in sacris fuerit institutum, Numæ mortuo senatus assensus est eosque libros, tanquam religiosi, patres conscripti, prætor ut combureret censuerunt.*] Plinius lib. XIII, cap. 13, dominum agri in quo libri effossi, vocat etiam Cn. Terentium, ut et Festus in voce *Numam*. At Livius lib. XL, cap. 29, et Valerius Maximus lib. I, cap. 1, vocant L. Petillium. Unde stet verum quis dicat? nec sane multum interest. Sed credibile est Numæ commentarios contemptim egisse de superstitione plebis Romanæ atque Italæ, cujus palato religionem aptare coactus fuerat. Nihil enim vetat quin cum philosophis de Deo senserit, quemadmodum Mutius Scævola et M. Terentius Varro, de quibus vide lib. IV, cap. 27, et VI, cap. 5, et una cum illis sese inconsultæ multitudini attemperarit. Augustinus autem ex Varrone dicit senatum *mortuo Numæ esse assensum*, quod, ut Numa curaverat eos libros secum sepeliri, ne populo

innotescerent; sic censuerat eos comburendos, eadem de causa.

Libro VIII. Cap. 9. *Aliarum quoque gentium, qui sapientes vel philosophi habiti sunt, Atlantici, Libyci, Ægyptii, Indi, Persæ, Chaldæi, Scythæ, Galli, Hispani, aliique reperiuntur*, etc.] Justus Lipsius Manuductionis ad Stoicam philosophiam lib. I, dissert. 5, multis hunc locum illustrat, et Atlanticos Mauritaniæ sapientes intelligit, duce Atlante eo delatos. Libycos aut Libyas intellexerim alios aut interioris Libyæ, aut ejus quæ Ægypto vicina.

Cap. 19. *Postremo ipse Apuleius nunquid apud judices Christianos de magicis artibus accusatus est?*] Unde liquebat non posse reprehendi Christianos quod Platonicos magiæ insimularent, cum apud Maximum Claudium, judicem ethnicum, accusatus fuisset Apuleius, celebris Platonicus.

Cap. 22. *Restat ut nullo modo credendum sit quod Apuleius persuadere nititur, et quicunque alii philosophi sunt ejusdem sententiæ, ita esse medios dæmones inter deos et homines, tanquam internuntios et interpretes, qui hinc ferant petitiones nostras, inde referant deorum suppetias.*] Si hoc de cacodæmonibus intelligas, verum est eos non esse nec esse posse internuntios inter Deum et homines; sed non video Augustinum de bonis dæmonibus contrarium probasse, quamvis tædiosissime hac de re agat. Quinimo hodie pars non exigua Christianorum tale quidpiam sentit de angelis. Interdum vitilitigat Hipponensis episcopus cum Platonicis, quemadmodum et cum aliis adversariis.

Cap. 23. *Diversa de illis ille Hermes Ægyptius quem Trismegistum vocant, sensit et scripsit.*] Multis ostendit Isaacus Casaubonus exercitat. 1 in Apparatum Annalium cardinalis Baronii, fictum hunc esse Hermetem a Christiano quodam, qui religionis Christianæ dogmata ejus auctoritate, dolo malo et indigno homine veritatis amante, confirmare voluit; quod adeo manifestum est, ut mirum sit Patres ejusmodi nugis ausos esse uti. Fortasse non intelligebant ipsi fraudem, quamvis sit satis aperta; sed mirum eos a nasutioribus ethnicis non fuisse exsibilatos. Certe digni erant qui albis dentibus irriderentur, qui tam avide usque adeo male consutos dolos arripiebant, si credebant suppositos illos libros eorum esse quorum nomina præferebant. Quod si fraudem quidem intelligebant, quod negare nollem, magnam injuriam veritati faciebant, quam turpibus mendaciis adjutum ibant, impedebantque ne ethnicorum reliquiæ fidem Evangelio haberent. Denique non possumus nunc de iis aliter judicare quam fuisse aut pessimos criticos, aut non satis vim veritatis intellexisse, quæ profecto ejusmodi fraudibus non indiget; nec usque adeo mendacii inimicos fuisse quam libris editis simulabant.

Cap. 27. *Nec tamen nos eisdem martyribus templa, sacerdotia, sacra et sacrificia constituimus; quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus. Honoramus sane memorias eorum, tanquam sanctorum hominum Dei, qui usque ad mortem corporum suorum pro veritate certarunt*, etc. *Quis autem audivit aliquando fidelium stantem sacerdotem ad altare, etiam super sanctum corpus martyris, ad Dei honorem cultumque constructum dicere in precibus: Offerro tibi sacrificium, Petre, vel Paule, vel Cypriane*, etc.?] At pompa qua ferebantur reliquiæ, honor qui iis genuum flexione deferebatur, invocationes sanctorum quasi preces audirent, cujus rei exemplum habuimus antea ad tom. V, p. 152, col. 2, persuadebant ethnicis martyres coli quasi quoddam genus inferiorum deorum; nec, si nunc tandem sine dissimulatione loqui licet, multum a vero aberrabant, nam et Christianos nonnullos offendebat quoque hujusmodi cultus. Liquet hoc ex libello Hieronymi, quo homo vehemens conviciis exagitat Vigilantium, quem talia gravissime offenderant. Itaque hic noster rhetorum more respondet, dissimulatis iis quæ ab ethnicis objiciebantur, et prætermisso cultu qui revera reliquiis martyrum exhibebatur, et merito offendebat ethnicos.

Libro IX. Cap. 15. *Nec tamen ob hoc Mediator est, quia Verbum; maxime quippe immortale, et maxime beatum Verbum longe a mortalibus miseriis* (non miseris) *sed mediator per quod homo.*] Vere, nam ad Deum quod attinet, non indiget ipse Mediatore, cujus opera nobiscum agat; sed nos ad tantam majestatem, sine mediatore et quidem nostri generis, vix assurgere possumus

Cap. 22. De angelis. *Ideo certius etiam temporalia et mutabilia ista noverunt; quia eorum principales causas in Verbo Dei conspiciunt, per quod factus est mundus; quibus causis quædam probantur, quædam reprobantur.*] Ante omnia vellem scire an qui talia de angelis et Verbo affirmant satis intelligant quid velint; nam ad me quidem quod attinet, non intelligere me fateor quomodo angeli possint æternæ Rationis notiones et cogitationes videre, ita ut ex ejus naturæ contemplatione sciant quid fieri velit, quid nolit; et, ut verum profitear, a nemine puto intelligi, qui creaturæ mentem Creatoris, quam non revelavit, assequantur sola ejus contemplatione. Deinde vellem scire unde hoc habeant theologi, ex philosophicisne ratiocinationibus, an ex Scriptura; nam ad Scripturam quidem quod attinet, ausim affirmare nullum esse locum, qui quidem sit perspicuus, ex quo hoc verisimiliter deduci possit; philosophicis vero ratiocinationibus quomodo talia possint colligi multo minus assequor. Attamen hoc Augustinus non semel affirmat, quasi theologiæ Christianæ dogma, et ita secure profert quasi res esset explorata, ac theologi scholastici magno consensu arripuerunt. Vide quæ hac de re collegit Dionysius Petavius theologicorum Dogmatum tom. I, lib. IV, cap. 2; et tom. III, de Angelis lib. I, cap. 4.

Cap. 23, § 1. *Illud vero ubi dicitur* Deus deorum, *non potest intelligi Deus dæmoniorum;* et rex magnus super omnes deos, *absit ut dicatur Rex super omnia dæmonia.*] Apud Hebræos, ut viri docti dudum ostenderunt, vox אלהים *elohim* significat quidquid colitur, σέβασμα seu in cœlo illud sit, sive in terris,

Itaque quando Deus verus dicitur *Deus deorum*, perinde est ac si diceretur omnium eorum quos colimus eminentissimus: ut *Canticum Canticorum* dicitur quod in suo genere est eximium. *Etsi sunt qui dicantur dii*, ait Paulus I Cor. VIII, 5, *sive in cœlo, sive in terra (siquidem sunt dii multi et domini multi), nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia*, etc. Sic et psal. XCIV, 3: *Deus magnus Dominus, et Rex magnus super omnes deos;* perinde est ac Rex regum, aut Dominus dominorum.

Ibid. *Sed homines quoque in populo Dei eadem Scriptura deos appellat.* Ego, *inquit*, dixi: Dii estis et filii Excelsi omnes. *Potest itaque intelligi horum deorum Deus, qui dictus est* Deus deorum, *et* super *hos* deos Rex magnus.] Nihil verius hac posteriore Augustini animadversione; sed quod dicit *homines in populo Dei* dici deos, non est sat accurate ab eo dictum; nam non quivis homines e populo Dei dicuntur *dii* psal. LXXXI, 6; sed tantum reges et judices, seu magistratus. Quamobrem male etiam concepta est capitis hujus inscriptio, quæ sic habet: *Nomen deorum falso ascribi diis gentium, quod tamen et angelis sanctis et hominibus justis, ex divinarum Scripturarum auctoritate commune est.* Nam in Scriptura nusquam hoc est nomen hominum justorum, sed tantum ad honores reipublicæ evectorum, quicunque sint alioquin eorum mores; non enim virtus in iis spectatur, sed dignitas.

Ibid., § 2. *Veruntamen, cum a nobis quæritur si homines dicti sunt dii, quod in populo Dei sunt, quem per angelos vel per homines alloquitur Deus; quanto magis immortales eo nomine digni sunt qui ea fruuntur beatitudine ad quam Deum colendo cupiunt homines pervenire? Quid respondebimus, nisi non frustra in Scripturis sanctis, expressius homines nuncupatos deos, quam illos immortales et beatos, quibus nos æquales futuros in resurrectione promittitur; ne, scilicet, propter illorum excellentiam, aliquem eorum nobis constituere deum infidelis auderet infirmitas? Quod in homine facile est evitare.*] Nos vero, qui non ex turbidis rivis, sed ex ipso fonte hasce aquas hausimus, aliud respondebimus; nimirum, angelos dissertissime *deos* seu אלהים dici psal. VIII, 6, ubi Hebraica habent de homine: ותחסרהו מעט מאלהים, *et fecisti eum paulo minorem diis;* ubi LXX interpretes, Ἠλαττώσας αὐτὸν βραχύ τι παρ' ἀγγέλους. Sic et Chaldæus pro מאלהים habet ממלאכיא, *mimmalachajo*, quam angeli. Sic et scriptor ad Hebræos cap. XI, 7. Pariter Psal. XCVI, 7, ex divisione Græca, est apud LXX interpretes, προσκυνήσατε αὐτῷ πάντες ἄγγελοι αὐτοῦ, et scriptorem ad Hebræos cap. I, 6, ubi Hebraica verba habent: *adorate eum, omnes dii,* אלהים. Non addemus alia loca, sed observabimus periculosum esse comminisci rationes usus sermonis sacri, antequam plane sit exploratus; nam facile est commentis falli et indulgere, quemadmodum hic facit Augustinus, nisi Græca et Hebraica diligenter legerimus. Possemus hanc potestatem vocis *Deus* pluribus confirmare, sed adi Joan. Clerici Artem criticam part. 1 sect. 2, cap. 5.

Libro X. Cap. 1, § 2. *Hic est enim Divinitati vel, si expressius dicendum est, Deitati debitus cultus, propter quem uno verbo significandum, quoniam mihi satis idoneum non occurrit Latinum, Græco, ubi necesse est, insinuo quid velim dicere.* Λατρείαν *quippe nostri, ubicunque sanctarum Scripturarum positum est, interpretati sunt servitutem. Sed ea servitus quæ debetur hominibus, secundum quam præcipit Apostolus, servos dominis suis subditos esse debere, alio nomine Græce nuncupari solet.*] Intelligit vocem δουλεία. Quamvis λατρεία ex vocis proprio significatu non magis significet apud Græcos Dei quam hominum cultum, ut recte ad hunc locum animadvertit Joan. Lud. Vives; attamen ex usu LXX interpretum et Novi Testamenti, ut in sequentibus habet Augustinus, λατρεία divinum cultum sonat; at vox δουλεία promiscue pro utroque sumitur, ut docebunt Concordiæ. Igitur etsi λατρεία in sacris Libris significat cultum excellentiorem; continuo non sequitur voce δουλεία minus excellentem significari, quod probe observandum.

Cap. 11, § 1. *Ibi quidem omnes homines reprobat, quos dicit ob imprudentiam trahere humidum vaporem, et ideo non in æthere, sed in aere esse sub luna, atque in ipso lunæ globo.*] Ex hac philosophia Lucanus lib. IX ab initio, de animo Cn. Pompeii Magni sic loquitur:

> At non in Pharia Manes jacuere favilla,
> Nec cinis exiguus tantam compescuit umbram;
> Prosiluit busto, semustaque membra relinquens,
> Degeneremque rogum, sequitur convexa Tonantis:
> Qua niger astriferis connectitur axibus aer,
> Quaque patet terras inter lunæque meatus,
> Semidei Manes habitant, quos ignea virtus
> Innocuos vitæ patientes ætheris imi
> Fecit et æternos animum collegit in ordes.

Sed de hac re copiose egit Apuleius Platonicus, in libello de Deo Socratis.

Cap. 16, § 1. *Respondeant theurgi, vel potius* PERIURGI, *hoc enim sunt illæ artes vocabulo digniores.*] Audiverat, ut quidem videtur, Augustinus ab aliquo Græce sciente magicas illas artes περιέργας dici, hoc est, *perperam curiosas;* cumque videret *theurgos* vocari, vacillante memoria, eos *periurgos* vocari oportere dixit, quæ vox tamen non est usitata; nam quamvis dicatur θεουργός, a vocibus θεὸς et ἔργον, ut κακουργός, πανουργός, χειρουργός, et similia, propterea non sequitur ex περὶ et ἔργον fieri περιουργόν, ut norunt usus et analogiæ periti. De voce περιεργὸν, in malam partem sumpta, vide Hug. Grotium ad Act. XIX, 19. Veteres Glossæ: περίεργος, *curiosus, vesanus.* Hesychius: Περίεργον (sic enim legendum ostendit series litterarum non περιερὸν) περιττὸν, ἢ στρεβλόν. Περιεργία (non περιερεία) καθαρσία, aut potius κάθαρσις, vel τὰ καθάρσια, hoc est superstitiosa lustratio, qualibus plena erant theurgorum sacra, de quibus potissimum egit Jamblichus, in libro de Mysteriis Ægyptiorum. Vide et Augustinum infra in hoc libro cap. 22 et 27. Igitur perperam quærit vir sane eruditus Joan. Lud. Vives an *periurgi* dicantur a *perurgendo*, an *perurgi* a *perurendo*. Nec tamen audiverim Leonardum Coquæum, qui conjiciebat legendum *periergi;* nam hoc corrumpit allusionis elegan-

tiam, nec necesse est Augustinum vocem Græcam accurate tenuisse.

Cap. 23. De Porphyrio : *Dicit enim Deum Patrem et Deum Filium, quem Græce appellat* paternum intellectum, *vel* paternam mentem (πατρικὸν νοῦν ex oraculis Chaldaicis), *de Spiritu autem sancto, aut nihil, aut non aperte aliquid dicit. Quamvis quem alium dicat horum medium non intelligo. Si enim tertiam, sicut Plotinus, ubi de tribus principalibus substantiis disputat, animæ naturam etiam iste vellet intelligi, non utique diceret horum medium, id est, Patris et Filii medium.*] Non omnia Porphyrii opera Latine versa habebat Augustinus, nam cæteroqui de tribus principiis disertissime locutus fuerat philosophus Tyrius, in philosophica Historia, ex qua hæc habet Cyrillus Alexandrinus, contra Julianum lib. VIII : Γράφει τοίνυν Πορφύριος ἐν βιβλίῳ τετάρτῳ Φιλοσόφου Ἱστορίας· ΑΧΡΙ γὰρ τριῶν ὑποστάσεων ἔφη Πλάτων τὴν τοῦ θεοῦ προελθεῖν οὐσίαν· εἶναι δὲ τὸν μὲν ἀνώτατον Θεὸν τ' Ἀγαθὸν, μετ' αὐτὸν δὲ καὶ δεύτερον τὸν Δημιουργὸν, τρίτην δὲ τοῦ κόσμου Ψυχήν· ἄχρι γὰρ ψυχῆς τὴν θεότητα προελθεῖν, λοιπὸν δὲ τὸ ἄθεον ἀπὸ τῆς σωματικῆς ἐνῆρχθαι διαφορᾶς : *Scribit ergo Porphyrius, in libro* IV *Philosophicæ Historiæ. Usque enim ad tres hypostases Plato dixit divinam essentiam progredi; esse vero supremum Deum Bonum, post eum secundum Creatorem, tertium Animam mundi; nam usque ad Animam progredi Deitatem, cætera divinitatis expertia incipere a differentia corporea.* Hic plane est quod volebat Augustinus. Platonis et Plotini loca, eam in rem, eodem loco habet Cyrillus.

Ibid. *Et, nimirum, hoc dixit, ut potuit, sive ut voluit, quod nos Spiritum sanctum nec Patris tantum, nec Filii tantum, sed utriusque Spiritum dicimus. Liberis enim verbis loquuntur philosophi, nec in rebus ad intelligendum difficillimis offensionem religiosarum aurium pertimescunt. Nobis autem ad certam regulam loqui fas est, ne verborum licentia etiam de rebus quæ his significantur, impiam gignat opinionem.*] Dignum erat notatu, ne imperiti similitudine fallerentur, philosophos illos verbis quidem videri assentiri Scripturæ sacræ, sed reipsa diversissimos abire. Contendebant enim Platonici tres esse substantias, easque inæquales, quod facile intelliget quisquis attente legerit Plotini lib. III, Enneadis IX, et recte animadversum est a Cyrillo, loco antea memorato libri VIII contra Julianum. Pluribus etiam egit ac de re Joannes Clericus Art. Criticæ tom. III, epist. 7. Attamen non sine causa liberioribus verbis philosophos uti dixit Augustinus, nam illi tres deos aperte esse dicebant tres illas *principales substantias;* quod alii, qui eas prorsus pares esse putabant, solebant negare; non tam quod hoc falsum esset, ex ipsorum sententia, si proprie quis loqui vellet, quam quod pertimescerent offensionem aurium religiosarum, quæ passæ non essent dici plures esse deos, contra perpetuum totius Scripturæ sermonem.

Cap. 27. *Tu autem didicisti hoc non a Platone, sed a Chaldæis magistris, ut in æthereas vel empyreas mundi sublimitates et firmamenta cœlestia, vitia extolleres humana, ut possent Dii vestri theurgis pronuntiare divina.*] Nimirum, Chaldæi putabant deos minis et terroribus adhibitis cogi dicere quæ cuperent scire theurgi. Vide supra capp. 9 et 11. Attamen ne quid dissimulem, Jamblichus in libro de Mysteriis sect. 6, c. 7, negat Chaldæos uti talibus minis : Παρὰ Χαλδαίοις, παρ' οἷς διακέκριται καθαρὸς ὁ πρὸς μόνους τοὺς θεοὺς λόγος, οὐδαμοῦ ἀπειλὴ λέγεται. Αἰγύπτιοι δὲ συμμιγνύντες ἅμα μετὰ τῶν θείων συνθημάτων καὶ τοὺς δαιμονίους λόγους, χρῶνταιἔστιν ὅτε καὶ ταῖς ἀπειλαῖς : *Apud Chaldæos, apud quos distincta est pura ad solos deos oratio, nusquam mentio fit minarum; Ægyptii vero, qui cum symbolis deorum permiscent ea etiam quæ ad dæmonas pertinent, minis etiam aliquando utuntur.* Sed quis illam hominum superstitiosorum et mendacium nsanientem sapientiam in concordiam redigere curet?

Libro XI. Cap. 5. *Si infinita spatia temporis ante mundum cogitant, in quibus eis non videtur Deus ab opere cessare potuisse, similiter cogitent extra mundum infinita spatia locorum; in quibus si quisquam dicat non potuisse vacare Omnipotentem, nonne consequens erit ut innumerabiles mundos cum Epicuro somniare cogantur?* etc.] Sed si quis concederet per infinitam mundi extensionem esse ubique varias variarum atque innumerabilium creaturarum habitationes, qualis est hæc nostra terra, et quales majores illi planetæ qui nobiscum volvuntur circa solem nostrum; non esset cur valde sibi a philosophorum argumentis timeret; et ad theologos quidem quod attinet, tacente revelatione, nihil est quod hac de re asseveranter dicant. Contenderet ille eos de Deo nimis exiliter sentire, qui incolas in hac tantum exigua terræ glebula, eosque sat miseros collocasset, nec quidquam aliud, per immensa mundi spatia, rationis particeps, exceptis angelis, creasset; contra vero eos digne de Deo loqui, qui infiniti opificis infinita numero opera esse dicerent. Huc accederent quæ doctissimus ac ingeniosissimus mathematicus ac physicus Christianus Huygenius, in suo Cosmotheoro, dicit de planetarum vicinorum incolis. Ad durationem vero quod spectat diceret, non esse hanc terram primum habitaculum intelligentium naturarum a Deo creatum, nec quidquam obstare quominus, ut si rerum universitatem lustrare aggrederemur, nunquam perveniremus ad ultimum operum divinorum : sic quoque si præteritam durationem, quæ initio caruit, contemplari animo possemus, et scire quæ in ea gesta sint a Deo, nulla unquam creatura nobis regredientibus in præterlapsa sæcula occurret quæ prima omnium dici posset. Nec mirum est, si hic sunt difficultates, cum sermo sit de infinito; sed præstat cogitare de officiis quæ nobis imposita a Deo sunt, quam de iis quæ, ex judicio nostro vacillante, Deus, si ita loqui fas est, facere debuit

Cap. 8. *Convenientissime itaque, cum Deum requievisse prophetica narrat auctoritas, significatur requies eorum qui in illo requiescunt, et quos facit ipse requiescere.*] Nihil potuit magis coactum fingi, ad expli-

candam quietem septimi diei, quæ non potest aliter intelligi quam de cessatione creationis, ita ut nulla deinceps nova rerum genera creaverit Deus; ut constat ex re ipsa et optimorum quorumque interpretum consensu. Eo devenit Augustinus ut responderet objectioni ethnicorum philosophorum, qui dictitabant indecorum esse Deo quiescere, quasi fessum. Rutilius Numatianus Itinerarii vers. 391.

Septima quæque dies turpi damnata veterno,
Tanquam lassati mollis imago Dei.

At desinere opus quoddam facere cum est absolutum, indicium est sapientiæ, non defatigationis; neque enim idem debet semper fieri.

Cap. 11. *Quamvis non quidquid æternum continuo beatum sit (dicitur enim etiam pœnalis ignis æternus), tamen si vere perfecteque beata vita nonnisi æterna est, non erat talis istorum quandoque desitura, et propterea non æterna, sive id scirent, sive nescientes aliud putarent.*] Nescio cur inanem hanc quæstionem agitet hic Augustinus. Sed libenter, ut animadvertent quicunque ejus opera legent, sua ipsius repetit. Vide in tom. III opus de Genesi ad litteram, lib. XI, cap. 16, et quæ illic adnotavimus.

Cap. 15. *Quod ab initio diabolus peccat, non ab initio ex quo creatus est peccare putandus est; sed ab initio peccati, quod ab ipsius superbia cœperit esse peccatum.*] Quidni ab initio mundi, ut innuere videtur Christus Joannis VIII, 44, quo etiam respici ab eodem apostolo Joanne I Epist. III, 8, non inepte crediderit? Sic sumitur *initium* non semel, apud Joannem. Vide Evang. cap. I, 1.

Cap. 19. *Non mihi videtur ab operibus Dei absurda* (forte *absona*) *sententia, si cum lux illa prima facta est, angeli creati intelliguntur, et inter sanctos angelos et immundos fuisse discretum, ubi dictum est*: Et divisit Deus inter lucem et tenebras; et vocavit Deus lucem diem, et tenebras vocavit noctem.] Nihil mihi alienius esse videtur hoc interpretamento a mente et verbis Mosis; nec sane, si negetur, ulla ratione probari poterit. Sensus Mosis litteralis optimus et pulcherrimus est, Deum divisisse omne tempus in lucem et tenebras, qua de re egit Joannes Clericus in Comment. Philologico ad Genes. I, 4. Tali sensu invento, qui se sponte sua animo legentium ingerit alium quærere esset delirare.

Cap. 24. *Utrum autem boni Patris et boni Filii Spiritus sanctus, quia communis ambobus est, recte bonitas dici possit amborum non audeo temerariam præcipitare sententiam, verumtamen amborum eum dicere sanctitatem facilius ausus fuero, non amborum quasi qualitatem, sed ipsum quoque substantiam, et tertiam in Trinitate personam.*] Has incommodas locutiones, quas invenit Augustinus, cur in theologiam intromissas cuperet non intelligo; cum ipse fateatur esse ambiguas, et Scripturæ ignotas. Est autem plane abuti sermone, cum sine necessitate, in re per se difficillima, ambiguæ locutiones adhibentur. Fateor fabricatas has fuisse ad exemplar ejus qua Dei Filius censetur dici Proverb. VIII ejus *sapientia*; sed doctiores interpretes ostenderunt agi revera illic non de persona ulla vera, sed κατὰ προσωποποιίαν de sapientia, quæ divinæ essentiæ est attributum. Attamen illa ambiguitate multi Patres sunt abusi. Vide Dionys. Petavium Dogm. theologic. tom. II, lib. VI, cap. 9. Sed non tandum Augustinum dicere Spiritum sanctum *ipsum quoque substantiam* esse, unde liquet singulos alios ab eo creditos esse *substantias* distinctas, quamvis pares et conjunctissimas.

Cap. 29. *Illi quippe angeli sancti non per verba sonantia Deum discunt.*] Facile hoc concesserim; sed rationem qua Dei imperia accipiant ignoro. At norat Augustinus, qui sic pergit: *sed per ipsam præsentiam immutabilis veritatis, hoc est, verbum ejus unigenitum.* Sunt quidem hæc verba et voces, sed quibus quam potestatem subjiceret scriptor ipse vix, ut opinor, dixisset. Vide notata ad lib. IX, cap. 22.

Ibid. *Eamque esse inseparabilem Trinitatem, singulasque in ea personas esse unam substantiam, et tamen omnes non tres deos, sed unum, ita noverunt, ut eis magis ista quam nos ipsi cogniti sumus.*] Si unaquæque persona est *una substantia*, totidem sunt substantiæ quot personæ: nec diffitebatur Augustinus. Vide ad cap. 24 et Dionys. Petavium Dogm. Theologicorum tom. II, lib. IV, cap. 4. Attamen sæpe affirmat *unam esse substantiam*, cum sermo est de unitate specifica, ut loquuntur scholastici, non de unitate numerica. Planius hac de re ipse Augustinus in libris de Trinitate.

Libro XII. Cap. 7. *Nemo igitur quærat efficientem causam male voluntatis; non enim efficiens, sed deficiens; quia nec effectio est, sed defectio.*] Malæ *voluntionis*, nam ita cum scholasticis, vitandæ ambiguitatis gratia, loquar, causa efficiens est voluntas, aut mens libera; quæ ignorantia, imprudentia, aut affectu peccare potest. Peccata enim non sunt nihil, sed veræ actiones mentis; quas unaquæque mens, facultate a Deo accepta, edere potest. Inanes sunt subtiliorum æquo philosophorum ratiocinationes, quibus nobis persuadere vellent id non esse quod in nobis ipsi sentimus. Vide notas ad tom. VI in Enchiridium ad Laurentium cap. 11.

Cap. 10, § 2. *Fallunt eos quædam mendacissimæ litteræ, quas perhibent, in historia temporum, multa annorum millia continere; cum ex Litteris sacris ab institutione hominis nondum completa annorum sex millia computemus.*] Respicit, ut videtur, Augustinus potissimum litteras Ægyptiacas, quas antiquissimis temporibus non chronologicum calculum, sed astronomicam periodum continere acute atque ingeniose ostendit Joannes Marshamus, in προκατασκευῇ Chronici Canonis. Sed antea perperam tempora vere præterlapsa ea periodo contineri persuasum erat.

Cap. 12. Contra eos qui nimis recentem mundum esse querebantur: *Si brevitas eos offendit temporis, quod tam pauci eis videntur anni, ex quo institutus homo nostris auctoritatibus legitur; considerent nihil esse diuturnum, in quo est aliquid extremum, et omnia sæculorum spatia definita, si æternitati interminatæ com*

*parentur, non exigua intelligenda esse, sed nulla.*] Acute sane et erudite; nam hominem laudamus æque libenter, ac a minus recte sentiente discedimus. Itaque tempus longum et breve dicitur respectu humanæ vitæ, non æternitatis, præ qua omnia tempora nulla sunt. Sed audiamus et sequentia : *Ac per hoc, si non quinque, vel sex, verum etiam sexaginta millia, sive sexcenta aut sexagies, aut sexcenties millies dicerentur annorum; aut itidem per toties totidem multiplicaretur hæc summa, ubi jam nullum numeri nomen haberemus, ex quo Deus hominem fecit; similiter quæri posset cur ante non fecerit.* Omnia egregie, ita ut nihil melius dici hanc in rem potuerit. Aliquando mirari subiit scriptorem eruditum, singularique alioqui judicio præditum qui quæstioni quam sibi hic proponit Augustinus reponebat mundum fortasse esse antiquiorem quam vulgo hodie creditur, quod calculus LXX interpretum major sit calculo Hebraici codicis. Quod nunquam dixisset, si de hoc Augustini responso cogitasset. Sed quamvis sit verissimum, nequaquam minuit difficultatem propositam, ex qua semper sequetur Dei bonitatem infinitam nulla sui indicia dedisse per æternitatem præteriti temporis. Philosophos philosophicis rationibus coerceri oportere cum certum sit, dicamus iis, si ita videtur, non nostram duntaxat tellurem et vicina aliquot corpora a Deo esse creata; sed innumerabilia alia, longe antequam esset noster hic terræ planeta; ita ut si internoscerent operum illorum divinorum quænam priora, quænam posteriora creata sint, possent ab hac nostra terra numerare retrogradiendo in præterita temporum spatia, in sæcula sæculorum, nec unquam pervenire ad antiquissimum operum divinorum. Quomodo contrarium probarent non video, nec quidquam hic dicerent quod contra infinitatem spatii et numeri partium cujuslibet corporis dici non possit; quæ tamen infinitas demonstrationibus mathematicis nititur. Itaque superba philosophorum ingenia eo modo retundi et ad modestiores cogitationes adduci possent. Aliquid jam antea hac de re diximus, quod expendi a philosophiæ peritis cupimus.

Cap. 16. *Dicit etiam Apostolus tempora æterna, nec ea futura, sed quod magis est mirum, præterita. Sic enim ait* (Tit. I, 2, 3) : In spem vitæ æternæ quam promisit non mendax Deus ante tempora æterna; manifestavit autem temporibus suis Verbum suum. *Ecce dixit retro quod fuerint, quæ tamen non fuerint coæterna.*] Antequam ulterius progrediar, verbo indicabo veram loci sententiam. Χρόνοι, nempe, αἰώνιοι, ut docebit Hugo Grotius, sunt antiqua tempora, Hebraice ימי עלם aut ימי קדם, quibus verbis longum tempus significatur non æternum. Vide paraphrasin Chaldaicam Jonathanis Mich. v, 2. Igitur hoc vult Apostolus ante longum tempus promissam vitam æternam olim per Messiam revelandam. Vide Rom. XVI, 25; II Tim. I, 9. Res Hebraice scienti et illa loca aliave similia legenti obscura esse nequit. Sed Hebraice nescienti, scriptoremque non ex perspecto linguæ sanctæ stylo interpretanti, sed ex philosophicis nescio quibus placitis, omnia sunt obscura. Hinc somniat hic noster *tempora æterna*, sed quæ tamen *non fuerint Deo coæterna;* quasi aliquid magis æternum quam aliud æternum esse possit! *Siquidem ille*, inquit, *ante tempora æterna non solum erat, verum etiam vitam promisit æternam, quam manifestavit temporibus suis, id est congruis, quid aliud quam Verbum suum? Hoc enim est vita æterna.* Non dicam *ante æternitatem* esse nihil posse; sed Augustinum rationem præbuisse Arianis eludendi multa loca antiquiorum synodo Nicæna Patrum, de æternitate Filii; quem eodem sensu ac hic loquitur Augustinus, æternum describi dicere potuerunt, dum Patri coæternum negabant. Sed quod Deus *promisisse* vitam æternam dicitur ante illa tempora quæ *æterna* vocabantur, id profecto Augustinum admonere debuit significari duntaxat antiquiora Veteris Testamenti tempora. Attamen ne hoc quidem animadvertit. *Quomodo autem promisit*, inquit, *quod hominibus utique promiserit qui nondum erant ante tempora æterna, nisi quia in ipsius æternitate atque in ipso ejus Verbo eidem coæterno jam prædestinatione fixum erat quod suo tempore futurum erat?* Posset hoc aliquo modo ferri, si dictum fuisset *ab æterno*, sed *ante tempora æterna promittere*, pro apud se ab æterno statuisse dare, sine exemplo est. Quod mireris, hic ipse Augustinus circa idem tempus quo hæc scripsit, partim verum sensum locutionis hujusce sensit. Sic contra Priscillianistas, cap. 6 : *Et dixit Apostolus æterna tempora priora et antiqua, quod in Græco legitur* πρὸ χρόνων αἰωνίων. *Ad Titum enim scribens*, etc. Hactenus optime, sed audi locutionis ejus miram rationem : *Cum autem retrorsum tempora a constitutione mundi habere videantur initium, quomodo sunt æterna, nisi quia æterna dixit quæ ante se non habent ullum tempus?* Sic ergo mundus posset dici *æternus*, quia, ex doctrina Augustini, ante se non habuit tempus, cum creationem ejus sola antecesserit æternitas. Quis tamen ferret inter Christianos dicentem mundum esse æternum? Quæ cum ita sint miror Parisienses editores, cum possent Hug. Grotium consulere, ut alios prætermittam, in hac interpretatione acquiescere potuisse. Sed hic idem locus Hieronymum, multo Augustino doctiorem, torserat, ut liquet ex hac ejus adnotatione in cap. I Epist. ad Titum, ubi memorata creatione mundi et temporis, sic pergit : *Ante hæc igitur mundi tempora, æternitatem quamdam sæculorum fuisse credendum est, quibus semper cum Filio et Spiritu sancto fuerit Pater; et, ut dicam, unum tempus Dei est omnibus æternitas imo innumerabilia tempora sunt, cum infinitus sit ipse qui ante tempora omne tempus excedit. Sex millia necdum nostri orbis implentur anni, et quantas prius æternitates, quanta tempora, quantas sæculorum origines fuisse arbitrandum est, in quibus angeli, throni, dominationes, cæteræque virtutes servierunt Deo, et absque temporum vicibus atque mensuris, Deo jubente, substiterunt?* Igitur *ante tempora æterna* esset, ante ingentia temporum spatia, quæ priusquam mundus condere-tur effluxerant. Sed et hoc sine exemplo est, et sup-

peditat quoque Arianis novæ æternitatis notionem, quam tribuere possent Filio, integra sua de creatione ejus sententia. Plura hac de re non dicam, nisi Hieronymum hic non usum peritia linguæ Hebraicæ, quam sibi comparaverat, quæ tamen tanta non fuit quanta vulgo a multis creditur, ut copiose ostendit Joannes Clericus in Quæstionibus Hieronymianis.

Cap. 19. De locutione *sæcula sæculorum*, postquam duas opiniones proposuit a vera ejus potestate plane alienas, subjicit : *Quid ergo istorum duorum sit, an præter hæc duo aliquid aliud de* sæculis sæculorum *possit intelligi, profundissima quæstio est.* Quis vero nunc ignorat hoc esse idioma linguæ Hebraicæ ac Chaldaicæ, quo significatur tempus aut sine fine, aut certe longum? Ut enim in Veteri Testamento legimus לדור דורים *dor dorim*, *in ætatem ætatum*, ea quam diximus sententia, ut psal. cii, 25; Isai. li, 8; sic in sermone Judæorum; temporibus apostolicis, לעלם עלמין *lhalam halmin*, Syriaca lingua dicebant, pro eo quod est in omnem æternitatem. Inde videtur orta hæc locutio, quod de tali re sæcula singula, vel singulæ ætates dicere omnes possint futuram in sæcula sequentia. Sed undecunque orta sit, significatio ejus perpetuo Novi Testamenti usu notissima est, ex quo constat εἰς αἰῶνα et εἰς αἰῶνας τῶν αἰώνων perinde esse. Attamen hac quoque in re æstuavit similiter Hieronymus, in Epist. ad Galatas cap. v.

Libro xiii. Cap. 12. Postquam exposuit quæ sit prima et secunda mors, hæc habet : *Quando ergo dixit Deus primo illi homini, quem in paradiso constituerat, de cibo vetito :* Quacunque die ederitis ex eo, morte moriemini ; *non tantum primæ mortis partem priorem, ubi anima privatur Deo, nec tantum posteriorem, ubi corpus privatur anima ; nec solam ipsam totam primam, ubi anima et a Deo et a corpore separata punitur, sed quidquid mortis est, usque ad novissimam, quæ secunda dicitur, qua nulla est posterior, comminatio illa complexa est.* Duo hic animadvertenda ; alterum, hæc pro imperio ab Augustino dici, non probari ; nullus enim, in ulla lege, exstat usquam locus ubi *morte mori* aliud significet quam simpliciter *mori ;* nec *mortium* præter eam qua corpus dissolvitur, si ita loqui licet, quarum meminit ulla in toto Vetere Testamento mentio. Itaque si negetur quidquam hic significari præter simplicem mortem seu dissolutionem corporis, non erit timendum ne contrarium vel probabile fieri possit. Alterum est falsum plane, necessitatem peccandi cuiquam a Deo, quasi pœnam peccati, impositam esse ; Deus enim auctor pœnæ, sine dubio, esset eadem opera auctor et ultor peccati, quod cogitatu et dictu horrendum est.

Cap. 15. De primis parentibus, quos nuditatis suæ post peccatum pudere cœpit : *Senserunt ergo novum motum inobedientiæ carnis suæ, tanquam reciprocam pœnam inobedientiæ suæ.* Hoc in sequentibus pluribus exsequitur et sæpe repetit, præsertim lib. xiv, unde intelligere est id commentum non parum auctori placuisse. Attamen ne quid aliud hic dicam, non debuit dicere *senserunt*, sed *sensit Adamus*, nam motus aut nullus fuit in Eva, aut certe minime conspicuus, et qui eam in roborem dare posset. De nuditate primorum parentum vide cum alios interpretes, tum præsertim Joannem Clericum ad Genesin.

Cap. 19. *Licet enim justorum ac piorum animæ defunctorum, quod in requie vivunt dubitare fas non sit, usque adeo tamen eis melius esset cum suis corporibus bene valentibus vivere, ut etiam illi, qui omni modo esse sine corpore beatissimum existimant, hanc opinionem suam sententia repugnante convincant.*] Hic ad Platonicos respicit, qui tamen se facile contra eum possent tueri. Sed hoc hic non agitur. Observabimus tantum melius quidem esse animis defunctorum iterum cum corporibus excitatis e sepulcro conjungi, ut plena cum iis felicitate fruantur, quoniam ad corporum resurrectionem eam differt Scriptura ; sed sine dubio deterius eis esset, si hic in terris nobiscum, *cum corporibus suis bene valentibus*, viverent. Sunt enim exempti omnibus vitæ miseriis, et quod caput est rei, periculo excidendi e gratia divina. Sed satis intricate hic disputat Augustinus contra Platonicos, quos defendere non esset usque adeo difficile

Libro xiv. Cap. 5. *Siquidem, secundum ipsos, illa, ut locutor nobilis ait,* dira cupido *usque adeo non est ex corpore, ut ab omni corporea peste purgatam et extra omne corpus animam constitutam ipsam compellat esse in corpore.*] Respicit ad Virgilium antea laudatum, et quidem vers. 321, lib. vi Æneidos

..... Quæ lucis miseris tam dira cupido?

Sed vix mihi persuadere possum Virgilium vocari *locutorem*. Ludovicus Vives alibi Ciceronem sic ab eo nominatum notat, quod non memini. Ubique mallem *auctorem* quam *locutorem* legi

Cap. 17. *Quod itaque adversus damnatam culpa inobedientiæ voluntatem libido inobedienter movebat, verecundia puaenter tegebat.*] Jam hoc dixit lib. xiii, cap. 13, ubi monuimus de Adamo hoc potuisse dici, de Eva non item. Nimirum, putat Augustinus cum plerisque primos parentes sibi fecisse *cingula* tantum, non vestes. Sed sunt ab interpretibus nuperis dicta in eam rem quæ sunt examine digna.

Ibid. *Et hoc omnes gentes, quoniam ab illa stirpe procreatæ sunt, usque adeo tenent insitum pudenda velare, ut quidam barbari illas corporis partes nec in balneis nudas habeant, sed cum earum tegumentis lavent. Per opacas quoque Indiæ solitudines, cum quidam nudi philosophentur, unde Gymnosophistæ nominantur, adhibent tamen genitalibus tegmina, quibus per cætera membrorum carent.*] At navigationes nuperæ et per nostrum hemisphærium et per antipodum nostrorum, nos docuerunt esse gentes in Africa et in America plane nudas ; et ad Brachmanes quidem quod attinet, plane nudos eos esse oculati testes docent, inter quos Franciscus Bernerius, vir candidi ingenii et philosophicis studiis exculti, qui diu in India vixit. Nec puto olim magis vestitos fuisse, quidquid dicat mendacissimus ille ac putidissimus scriptor in suo Apollonio, Philostratus. Cæterum pudor

nuditatis inde partim ortus videtur unde dicit Augustinus, sed multa alia accesserunt. Cum Adamus et Eva habuerunt liberos, tecti esse debuerunt, ne liberi partes non tectas contrectarent, suisque abuti citius æquo discerent. Mulieres etiam a pubertate tectas esse oportet, ne singulis mensibus fœdum quidpiam oculos offendat. Conjugati quoque tecti esse debent, ne libidine per oculos concitata conjugiorum, optimæ ac utilissimæ leges violentur, et adulteria passim committantur; quod sine humanæ societatis pernicie, fieri non posset. Hinc paulatim natus nuditatis pudor et diligenter a parentibus, nec sine gravissimis rationibus, liberorum animis insinuatus. Sed de hisce pluribus non agemus, ne in pudorem et ipsi peccemus.

Cap. 18. *Quis enim nescit, ut filii procreentur, quid inter se conjuges agant? Quandoquidem ut id agatur tanta celebritate ducuntur uxores; et tamen cum id agitur unde filii nascuntur, nec ipsi filii, si qui inde jam nati sunt, testes fieri permittuntur.*] Hoc non fit quod ipsa res in se spectata pudenda sit; sed quod periculosum esset, ne imitatione intempestiva liberi imitarentur parentes, in iis circumstantiis in quibus res illicita esset, et humanæ societati vehementer noceret. Ideo interest a puericia liberos pudore illo imbui, ne audeant facere quod noxium esset. Sed tamen pro varietate temporum ac gentium augetur aut minuitur ille pudor; quod liquet ex libidine effreni non tantum veterum Europæ et Asiæ ethnicorum, sed etiam hodiernorum Africæ et Americæ barbarorum.

Cap. 20. *Unde et illum* (Diogenem, qui publice concumbere cum meretrice voluit) *vel illos qui hoc fecisse referuntur, potius arbitror concumbentium motus dedisse oculis hominum nescientium quid sub pallio gereretur, quam humano premente conspectu, potuisse illam peragi voluptatem.*] Maluissem illa non attigisse quam tam perite philosophatum de re tam turpi fuisse, illa præsertim ætate qua erat Augustinus; sed non illibenter de ejusmodi rebus loqui videtur, ut jam vidimus et postea etiam videbimus. Utile enim est talia diligenter notari, ne homines nonnulli impune pergant viri auctoritate usque adeo abuti, ita ut errores ejus, non minus ac vere dicta, consecrent.

Cap. 23, § 3. De ratione qua propagatum fuisset genus humanum sine peccato Adami: *Voluntati*, inquit, *membra illa, ut cætera omnia servirent. Ita genitale arvum vas in hoc opus creatum seminaret, ut nunc terram manus;* hoc est, sine ullo voluptatis appetitu, nam eam libidinem vult Augustinus esse peccatum. Eadem opera dicere debuisset appetitum cibi grati peccatum esse; nec primos parentes cum fructus licitos et jucundos comederant, ulla voluptate titillatos fuisse, aut adductos ut hos potius quam illos comederent, sed comedisse tantum ut corpus sustentarent. Addere etiam eum oportuisset bruta, quorum organa nostris non absimilia sunt, nullam quærere in naturalibus actionibus voluptatem, nam sane non peccarunt; sed iis defungi sponte naturæ, sine ulla plane cupiditate. Nam hæc sunt æque rationi consentanea ac Augustinianæ conjecturæ. Postquam Deum plane alium descripsit ac est, quamque a Scriptura nobis præpingitur; toti etiam naturæ vim infert, ut possit pravas interpretationes obscurorum aliquot Scripturæ locorum tueri. At multo satius fuit agnoscere interpretationes illas falsas esse, eo quod naturæ rerum essent contrariæ, cum qua Scriptura pugnare nequit.

Cap. 24, § 1. *Seminaret igitur prolem vir, susciperet femina genitalibus membris, et quantum opus esset voluntate motis, non libidine concitatis. Neque enim ea sola membra movemus ad nutum, quæ compactis articulata sunt ossibus, sicut pedes, manus et digitos; verum etiam illa quæ mollibus remissa sunt nervis, cum volumus, movemus agitando et porrigendo producimus, et torquendo flectimus et constringendo duramus; sicut ea sunt quæ in ore ac facie, quantum potest, voluntas movet.*] Frustra honorem auribus præfatus est Augustinus, hæc vix tolerari possunt in ore senis, et episcopi omnes promiscue alloquentis, tam obscœna ad illustrandam, ut mitissime loquar, inanem conjecturam, tam operose congesta ac studiose repetita. Quosnam enim tandem hæc tam putida docebat? Puellas, credo; nam pueri Afri, sub ardente cœlo nati et educati, sat cito talia norant. Paulo antea dixit quidem *sibi facillime pudicum ac religiosum lectorem ignoscere, donec infidelitatem refellat, non de fide rerum inexpertarum, sed de sensu expertarum argumentantem.* Sed erunt et pudici et religiosi, quos pudebit commenti, quod nonnisi tam obscenis conjecturis defendi potuit; nec patientur *infideles* dici, qui talibus somniis fidem derogant, sed eos contendent esse valde audaces, ne quid durius dicam, qui pro verbo divino opiniones has suas populis obtrudunt. Sed utitur noster orator exemplo Apostoli, quo se tueatur: *Legit enim hæc,* inquit, *sine offensione, qui non exhorret Apostolum horrenda feminarum flagitia reprehendentem,* quæ immutaverunt naturalem usum in eum usum qui est contra naturam. Verum Apostolus hæc non sine summa et justissima indignatione detonat in reas ejusmodi flagitiorum; at Augustinus turpia commenta hic nobis propinat, duntaxat ut rationem reddat rei quæ non fuit neque erit; nimirum, generationis liberorum in statu innocentiæ, si in eo primi parentes perseverassent; et quidem quia statuit peccatum id esse quod inest naturæ omnium animalium, nec usquam damnatur, si modo intra leges contineatur; nimirum, cupiditatem conjugii postquam pubertatis annos attigerunt. Sunm ergo turpiloquium male confert cum justa Pauli indignatione; ne jam dicam Paulum semel et paucis flagitia ethnicorum attingere, cum ille sæpius huc redeat et rhetorico fuco omnia exornet, ut ex allatis verbis satis liquet.

Libro xv. Cap. 9. Ut probet fuisse gigantes ex occasione loci Genes. vi, 4. *Gigantes autem erant super terram in diebus illis,* sic ratiocinatur: *nobilissimus eorum poeta Virgilius, de ingenti lapide, quem in agrorum limite infixum vir fortis illorum temporum* (nempe heroicorum) *pugnans et rapuit, et cucurrit et intorsit et misit,*

> Vix illum, lecti bis sex cervice subirent,
> Qualia nunc hominum producit corpora tellus

*Significans majora tunc corpora producere solere tellurem. Quanto magis igitur temporibus recentioribus mundi, ante illud nobile diffamatumque diluvium?* etc.] Rem ipsam copiosissime et eruditissime pertractavit vir eruditus Theodorus Ryckius in oratione quam subjecit notis Lucæ Holstenii in Stephanum Byzantium; ostenditque fuisse quidem hic illic gigantes, seu grandioris staturæ homines, sed antiquioribus temporibus homines vulgo hodiernis proceriores non fuisse. Adeant eum lectores, si qui hanc quæstionem expendere cupiant. Duo tantum hic observabimus. Prius erit, Augustinum, antequam quæreret an fuerint gigantes, debuisse consulere Græcos interpretes Veteris Testamenti, Symmachum atque Aquilam; ex quibus intellexisset nullam esse hic Hebraicam vocem quæ gigantes significet, ac proinde quæstioni an fuerint gigantes, nullum hic locum esse. Posterius vero, auctoritatem Virgilii, post Homerum mentientis, nimis levem fuisse apud homines serios, quam ut usui esse posset ad defendendam contra ethnicos Historiam sacram. Parata enim erat responsio, Virgilium poetam fuisse, cui fingere licuisset, et in hac quidem re eum imitatorem fuisse Homeri, cui nemo necesse haberet credere

Ibid. *Plinius secundus, doctissimus homo, quanto magis magisque præterit sæculi excursus minora corpora naturam ferre testatur.*] Hoc quidem habet Plinius lib. VII Hist. nat., cap. 16. Sed falsum esse nemo nescit, et multis ostendit is quem dixi, Theodorus Ryckius.

Cap. 13. Post longam et anxiam disputationem, de discrimine chronologiæ Hebraicæ et Græcæ, in annis antediluvianorum patriarcharum, tandem sic ratiocinationes suas claudit Augustinus: *Sed quomodo libet illud accipiatur; sive credatur ita esse factum, sive non credatur; sive postremo ita, sive non ita sit; recte fieri nullo modo dubitaverim, ut cum diversum aliquid in utrisque codicibus invenitur, quandoquidem ad fidem rerum gestarum utrumque esse non potest verum, ei linguæ potius credatur, unde est in aliam per interpretes facta translatio.* Nihil verius, sed hoc videtur extorsisse Augustino quod habetur in versione LXX interpretum de annis Mathusalæ, quem, ex eorum calculo, diluvio superstitem fuisse oporteret, quod Scripturæ prorsus contrarium est. Interea amplectamur quod nobis dat, gratiasque ei habeamus ob prolatam veritatem; quamvis huic confessioni convenienter se minime gesserit, qui ut Hebraicam linguam disceret operam non dedit. Subjicit: *Nam in quibusdam etiam codicibus Græcis tribus et uno Latino, et uno etiam Syro, inter se consentientibus, inventus est Mathusalem sex annis ante Diluvium fuisse consumptus.* Crediderim Syriacam interpretationem ex Hebræo codice, Hieronymi versionem Latinam, translationesque Aquilæ, Symmachi et Theodotionis intelligi, quas non mirum cum Hebraico fonte consensisse, quandoquidem ex eo erant derivatæ.

Cap. 17. *Porro ille Seth resurrectio interpretatur, et Enos filius ejus interpretatur homo.*] Vera est posterior interpretatio, nam revera Hebraice אנוש *enosch* est homo; sed שת *cheth* resurrectionem non sonat, sed potius *positum*, aut *repositum*, *a* שות *posuit*, quod liquet Gen. IV, 25, ubi etymologia nominis sic traditur: ותקרא את שמו שת כי שת לי זרע אחר תחת הבל *et vocavit nomen ejus Scheth, quia posuit* (Schath) *mihi Deus prolem alteram loco Hebel.* Quod sic expresserunt LXX interpretes: Καὶ ἐπωνόμασε τὸ ὄνομα αὐτοῦ Σήθ, λέγουσα, ἐξανέστησε γὰρ μοι ὁ Θεὸς σπέρμα ἕτερον ἀντὶ Ἄβελ. Unde temere collegit auctor Libelli Nominum Hebraicorum voce *Seth* significari ἀνάστασιν, cum LXX interpretes sensum potius quam vim propriam Hebraicæ vocis expresserint. Periculosum est aliis credere, in re quam nullo modo intelligas, cum nescis an ejus periti sint.

Ibid. *Enos filius ejus interpretatur homo; non sicut Adam (et ipsum enim nomen interpretatur homo), sed commune perhibetur esse in illa lingua, id est Hebræa, masculo et feminæ. Nam sic de illo scriptum est:* Masculum et feminam fecit illos, et benedixit illos, et cognominavit nomen eorum Adam. *Unde non ambigitur sic appellatam fuisse feminam Evam, proprio nomine, ut tamen Adam, quod interpretatur homo, nomen esset amborum.*] Recte de nomine *Adam*, sed perperam de nomine *Enos*, quod pluribus interpretatur in sequentibus: *Enos autem*, inquit, *sic interpretatur homo, ut hoc non posse feminam nuncupari periti linguæ illius asseverent; tanquam filius resurrectionis, ubi non nubent, neque uxores ducent. Non enim erit ibi generatio, cum illuc perduxerit regeneratio.* Si hæc pro concione dixisset Augustinus, quis dubitet quin mirabilem plausum ab ignara Numidarum plebe tulisset? Nec dubium mihi est quin obtusa Pœnorum pectora, aliique non doctiores acumen oratoris Hipponensis sint admirati. Atqui, ut falsum est voce *Seth*, ut jam vidimus, *resurrectionem* significari, sic voce אנוש significari tantum *virum* falsum quoque est, præsertim in singulari numero, ubi est idem ac אדם *Adam* Hebræis, et Græcis ἄνθρωπος, et constanter utrumque sexum complectitur. In plurali אנשים *viros*, seu ἄνδρας, sæpe significat, sed neque id perpetuo, ut Concordantiæ Hebraicæ vulgariaque Lexica docebunt. Itaque pro plausu, dignus hic erat bonus vir acerrimis pastoritiæ fistulæ sibilis; qui ex aliena fide de re ejusmodi loqui non debuit. Sed audi et sequentia: *Quare et hoc non incassum notandum arbitror, quod in eis generationibus quæ propagantur ex illo qui est appellatus Seth, cum genuisse filios filiasque dicantur; nulla ibi genita nominatim femina expressa est; in his autem quæ propagantur ex Cain, in ipso fine, quousque protenduntur, novissima femina genita nominatur.* Cum hæc argutia nitatur fundamento antea diruto, de significatu vocis Enos, tota corruat necesse est, et mysterium hoc somnium Africanum habeatur.

Cap. 23, § 3. De loco Genes. VI, 2, *videntes angeli Dei filias hominum*, etc. Recte observat illos *angelos* Dei fuisse homines, deinde subdit: *Septuaginta quidem interpretes et* angelos Dei *dixerunt istos et* filios

Dei, *quod quidem non omnes codices habent; nam quidam nisi* filios Dei *non habent. Aquila autem, quem interpretem Judæi cæteris anteponunt, non* angelos Dei, *nec* filios Dei, *sed* filios deorum *interpretatus est.*] Erant ergo codices qui habebant, ἄγγελοι Θεοῦ καὶ υἱοὶ Θεοῦ, et qui sine dubio vitiosi erant, nam cum sit tantum semel, in Hebræo codice, בני אלהים *bne elohim*, alterutra tantum locutione verti potuit. Sine dubio aliquis e regione vocum ἄγγελοι τοῦ Θεοῦ scripserat υἱοὶ τοῦ Θεοῦ, ut significaret, aut ita legendum esse, aut melius ita versuros fuisse LXX interpretes; quod postea temere instrusum in orationis contextum, qualia multa sunt in ea versione. Quod ait noster quosdam codices non habuisse nisi *filios Dei*, verum videmus esse ex antiquissimo codice Vaticano, in quo hæc tantum lectio habetur. Verum, in paris antiquitatis codice Alexandrino, legitur tantum ἄγγελοι Θεοῦ : quemadmodum videntur legisse multi antiquissimi Patres Græci et Latini, qui hinc magno consensu collegerunt angelos amore mulierum mortalium captos fuisse. Vide Dionysii Petavii Dogm. Theol. tom. III, et operis de Angelis lib. III, cap. 2. Ad Aquilam denique quod attinet, non mirum est eum vertisse *filios Deorum*, quia אלהים pluralis est numeri in Hebræa lingua; notum est autem eum κατὰ πόδας vertisse, præsertim in ea versione, quæ erat κατ' ἀκριβείαν. *Utrumque*, subdit Augustinus, *verum est; nam et* filii Dei *erant sub quo patre suorum patrum etiam fratres erant, cum quibus et ipsi dei erant, juxta illud psalmi :* Ego dixi, Dei estis, *etc.* Sed hic locus psalmi ad omnes non pertinet, et locus Geneseos intelligendus de tota prosapia Sethi, ut eruditissimi interpretes ad eum locum ostenderunt. Tandem claudit hanc suam ratiocinationem Augustinus hisce verbis : *Merito enim creduntur LXX interpretes accepisse propheticum spiritum, ut si quid ejus auctoritate mutarent, atque aliter quam erat quod interpretabantur dicerent, neque hoc divinitus esse dictum dubitaretur.* Hæc opinio tribus potissimum fulcris sustentabatur. Primum fuit absurda fabula commentitii Aristeæ, de ratione qua hi interpretes Vetus Testamentum, quamvis cellulis sejuncti, eodem plane modo verterant; quam fabulam irrisit olim Hieronymus, et nunc omnes cordatiores similiter rident. Nam qui aliter sentiunt aut Hebraice nesciunt, aut stulta pertinacia ita sentiunt, vel sentire videri volunt. Alterum fuit ignorantia linguæ Hebraicæ Judæorum nonnullorum et Christianorum, qui nunquam eam versionem cum Hebraico codice contulerant; nam ex eorum collatione deprehendissent manifesta peccata, innumeris in locis, admissa ab iis interpretibus fuisse; quæ ex minus accurata linguæ Hebraicæ cognitione orta erant. Tertium denique, gravissima ratio, si prudentiam carnalem spectes, sed nullius ponderis, si solius veritatis rationem habeas, nimirum, quod, admissa Hieronymi opinione, de vitiis versionis LXX interpretum et necessitate confugiendi ad Hebraicum codicem, actum erat de libris, deque existimatione innumerabilium concionatorum et interpretum Scripturæ Græcorum et Latinorum, quibus delenda fuisset maxima pars operum suorum, servandumque turpe silentium de rebus de quibus tanta cum fiducia et dictionis pompa verba e superiore loco facere solebant. I nunc, morose lector, et admirare cur *merito credi* id dicerent hujusmodi homines, quod verum videri eorum tantopere intererat. Attamen Augustinus, qui vult, si quid mutarunt LXX interpretes, propheticum spiritu esse mutatum, non ausus est id affirmare de annis antediluvianorum patriarcharum, cap. 10 et seqq. hujus libri.

Cap. 27. *Qui mihi videntur non computare, nisi trecenta cubita longitudinis et latitudinis quinquaginta, nec cogitare aliud tantum esse in superioribus, itemque aliud tantum in superioribus superiorum, ac per hoc ter ducta illa cubita fieri nongenta, centum quinquaginta.*] In editis exemplaribus adduntur post latitudinis cubita, *triginta altitudinis;* et in sequentibus, ut consentiant posteriora prioribus, sic legimus : *cubita fieri nongenta per longum, centum quinquaginta per latum, nonaginta per altum.* At Benedictini hæc emendarunt ex codd. mss., *in quibus,* inquiunt, *cubita altitudinis merito nulla memorantur, nam hæc ad propositam difficultatem solvendam, non eo modo licet quo longitudinis et latitudinis cubita, salva Scripturæ fide, multiplicare.* Quæ verba quid sibi velint fateor me non satis intelligere; nam nulla cubita licet multiplicare, ex Scripturæ fide; quæ nos docet longitudinem quidem arcæ fuisse duntaxat trecentorum, latitudinem vero quinquagenorum cubitorum, quæ ter multiplicare non licet, ut hinc fiat arca longa nongenta cubita, et lata centum quinquaginta, nam hoc esset plane contrarium Scripturæ. Quin et ipsi Augustino prorsus adversatur qui ita Scripturæ verba intellexit, quasi Gen. cap. VI, 15, tradatur mensura non solius arcæ, sed singularum contabulationum quibus constabat, ita ut singulæ essent latæ quinquaginta cubita, longæ vero trecenta; adeo ut arca esset triplo major quam vulgo credebatur. Perspicuum hoc est ex Augustini verbis. Verum, ut recte calculos ineat, definienda quoque fuit altitudo singularum contabulationum, qualem eam arcæ tribuit Scriptura, hoc est, triginta cubitorum; aut si longitudinem et latitudinem tantum auctas velis, negandum erit tres in arca fuisse contabulationes, contra diserta Scripturæ verba, Genes. cap. VI, 16, תחתים שנים ושלישים : תעשה, κατάγαια, διόροφα καὶ τριόροφα ποιήσεις αὐτήν, *deorsum, cœnacula et tristega facies in ea.* Sic habent Hebræus codex, authenticique Orientis et Occidentis interpretes. Igitur, si sequamur lectionem Benedictinorum, existimemusque ab Augustino arcam altiorem non describi quam vulgo creditur, hoc est, triginta cubitorum, sed tantum latiorem et longiorem; adversabitur verbis manifestis Scripturæ. Si vero sequamur priores editiones, in eo tantum peccaverit quod de tota arca dictum de singulis ejus contabulationibus intellexerit. Alterutrum eligatur, fatendum erit allucinatum Augustinum; sed potius sequendi codices mss. Voluissem diligentius inspe-

ctos, in sequentibus ubi occurrit vox *epiros*, quam refingendam in ἐπιούρους, aut *epiuros*, suspicatus erat Coquæus post Meursium. Vide Benedictinos in calce voluminis.

Libro XVI. Cap. 3. *Quod vero dictum est de terra illa, id est, de terra Sennaar, quæ pertinebat ad regnum Nembroth, exisse Assur et ædificasse Niniven et alias, quas contexuit, civitates longe postea factum est, quod ex hac occasione perstrinxit, propter nobilitatem regni Assyriorum*, etc.] Vide quæ hac de re adnotavit Joannes Clericus in Philologico Commentar. ad Genes. x, 11, sine quibus vix intelligi queat quod hic habet Augustinus.

Ibid., § 2. *Sic enim legitur :* Et Sem natus est etiam ipsi patri omnium filiorum Heber, fratri Japhet majori. *Ordo verborum est : Et Sem natus est Heber etiam ipsi, id est, ipsi Sem natus est Heber, qui Sem pater est omnium filiorum suorum.*] Nomina hæc propria minime declinata, more Græco aut Latino, impediverunt bonum Augustinum. Itaque plane aberravit a sensu loci, qui vertendus est : *Semo etiam nata est proles, imo omnium qui trans fluvium degunt, cum fratre Japheto natu majore, pater fuit.* Vide memoratum antea interpretem ad Genes. x, 21.

Cap. 5. *Si enim jam descenderat* (Deus, Gen. xi, 7), *quid sibi vult :* Venite et descendentes confundamus ibi linguam eorum ; *quod intelligitur angelis dictum, nisi quia per angelos descendebat, qui angelis descendentibus erat ?*] Hanc interpretationem secutus est et illustravit idem interpres ad Genes. xi, 7.

Ibid., § 2. *Illud sane quod dictum est :* et non deficient ex illis omnia quæ conati fuerint facere (Gen. xi, 6), *non dictum est confirmando, sed tanquam interrogando, sicut solet a comminantibus dici.*] Est locutio elliptica, qua significat Deus futurum id, nisi ipse intercederet. Vide interpretes ad eum locum.

Cap. 8, § 1. *Quæritur etiam, utrum ex filiis Noe, vel potius ex illo uno homine, unde etiam ipsi exstiterunt, propagata esse credendum sit quædam monstrosa hominum genera quæ gentium narrat historia ; sicut perhibentur quidam unum habere oculum in fronte media*, etc.] Hæc omnia legere licet apud Plinium Hist. Nat. lib. II, cap. 8, quo respexisse videtur Augustinus. Jungi cum Plinio potest Pomponius Mela lib. I, cap. 4 et seqq., ubi similia mendacia, sed pudentius narrantur. Sic vero disputationem suam de hisce mendaciis claudit : *Quapropter ut istam quæstionem pedetentim cauteque concludam ; aut illa, quæ talia, de quibusdam gentibus omnino nulla sunt ; aut si sunt, homines non sunt ; aut ex Adam sunt, si homines sunt.* Verum antequam quæstionem ipsam ingrederetur, trium horum primum dicendum fuit ; nimirum, necesse non esse earum rerum rationem quærere quæ forte nusquam sunt ; eam sat cito quæsitum iri, cum de rebus constaret. Sic et multæ Symposiacæ quæstiones Plutarchi eludi potuissent ; quia antequam rei rationem quæreremus, de re ipsa constare oportet.

Ibid., § 2. *Ante annos aliquot, nostra certe memoria, in Oriente duplex homo natus est superioribus membris, inferioribus simplex. Nam duo erant capita, duo pectora, venter autem unus et pedes duo, sicut uni homini ; et tam diu vixit, ut multos ad eum videndum fama contraheret.*] Hanc historiam debebat Augustinus Hieronymo, qui in epistola ad Vitalem presbyterum, sic loquitur : *Num quia nostra ætate duplex Lyddæ natus est homo, duorum capitum, quatuor manuum, uno ventre et duobus pedibus, omnes homines ita nasci necesse est ?*

Cap. 9. De antipodibus : *Neque hoc ulla historica cognitione didicisse se affirmant, sed quasi ratiocinando conjectant, eo quod intra convexa cœli terra suspensa sit, eumdemque locum mundus habeat et infimum et medium ; et ex hoc opinantur alteram terræ partem, quæ infra est, habitatione hominum carere non posse.*] Recte animadvertit Joan. Lud. Vives, non fuisse meris conjecturis notum australe hemisphærium, sed navigationibus profectorum per fretum Herculeum et reversorum per mare Arabicum, quod jam a temporibus Herodoti notum erat, ut liquet ex lib. IV, cap. 42. Vide et Plinium Hist. Nat. lib. II, et ad eum interpretes. Præterea ipse Augustinus ideo tantum negabat esse antipodes, quod per zonam torridam dari transitum nostri hemisphærii, hoc est septentrionalis, hominibus non putaret in australem ; quod tamen falsum jam deprehensum fuerat a superiorum sæculorum geographis, qui gentium trans tropicum Cancri et ipsum æquatorem sitarum mentionem fecerant. Quo admisso, nulla ratio erat negandi ad meridiem ulterius progredi homines non potuisse ; cum quidem esset notissimum astronomiæ non prorsus imperitis, ad Austrum pergentibus alteram temperatam zonam occurrere oportere. Mirum profecto est homines, minime alioquin hebetes, hoc non vidisse. Sed Augustinus nobis hic auctoritatem Scripturæ objicit : *Quoniam*, inquit, *nullo modo Scriptura ista mentitur, quæ narratis præteritis facit fidem, eo quod ejus prædicta complentur ; nimisque absurdum est ut dicatur aliquos homines ex hac in illam partem, Oceani immensitate trajecta, navigare ac pervenire potuisse, ut etiam illic, ex uno illo primo homine genus institueretur humanum.* Sed nimis absurdum est hic immensitatem Oceani commemorare ; primum, quia de ea minime constabat, poteratque fieri ut Punicæ naves secundis ventis eo delatæ essent quo ire nollent. Ac sane jam nobis constat, si quæ navis trigesimum gradum septentrionalis latitudinis superaverit ad Austrum vela faciens, vix eam abstinere posse quin in australem Americam recto cursu feratur, quæ sic facile retecta fuit. Hæc cum esse possent, nec iis contraria ulla experimenta objicerentur, non debuerunt quasi absurda rejici. Deinde minime opus fuit trajicere Oceanum, ut in *antichthonum* hemisphærium iretur, nam pedibus eo pervenire potuerunt Afri, et revera pervenerunt. Quin et legendo Africæ oram eo navibus ire licuit. Hanno Pœnus narraverat se non potuisse navigare ultra Hesperium promontorium, quod est idem illud, quod *Viride* nunc vocatur, non navigandi difficultate, sed tantum annonæ penuria : Οὐ γὰρ ἔτι, inquit, ἐπλεύσαμεν πρόσωτέρω, τῶν σίτων ἡμᾶς ἐπιλιπόντων : *Neque*

*enim navigavimus ulterius, quod nos cibaria defecissent.* Itaque auctoritas Scripturæ huc nihil faciebat, quæ non docet solum boreale hemisphærium incoli, sed tantum in eo primos homines creatos ; unde non sequitur non potuisse eos in oppositum hemisphærium se conferre. I nunc et crede homini de Dei voluntate, deque mundo futuro tam multa ex obscuris Scripturæ locis colligenti, qui ne de terra quidem, quam pedibus calcabat, recte ratiocinari, aut recte sentientibus assentiri potuit. Atqui multo mirabiliora erunt quæ illic videbimus, quam quæ in altero hoc orbe a proavis nostris inventa sunt. De hoc merito dixeris, quod de Thalete nonnemo dixit : *Quod ante pedes non videt, cœli scrutatur plagas!*

Cap. 11. *Sicut lingua una cum esset omnium, non ideo filii pestilentiæ defuerunt ; nam et ante diluvium una erat lingua, et tamen omnes, præter unam Noe justi domum, deleri diluvio meruerunt : ita quando, merito elatioris impietatis, gentes diversitate linguarum punitæ atque divisæ sunt, et civitas impiorum confusionis nomen accepit, hoc est, appellata est Babylon, non defuit domus Heber, ubi ea quæ antea fuit omnium lingua remaneret.* ] Merum hoc esse commentum, ipsique Scripturæ contrarium ostendit multis Joan. Clericus in dissert. de lingua Hebraica. Nec sane hac de re poterat judicare Augustinus, qui eam ignorabat; sed nescio quo fato de iis quæ ignota ei erant, passim judicare aggressus est, nec dubitavit pro compertis passim assumere quæ nunquam probare potuisset. Attamen scholastici, sed linguarum non peritiores, aliique e scholasticorum illorum prosapia, cæcum ducem cæci, aut, quod mirum est, oculati, sed sponte clausis oculis, secuti sunt.

Cap. 17. *Assyriorum* (regnum) *multo erat potentius atque sublimius. Nam rex ille Ninus Beli filius, excepta India, universæ Asiæ populos subjugaverat.* ] Hæc quoque adversari Scripturæ sacræ ostendit idem Mosis nuperus interpres ad Gen. x, 10.

Cap. 29. *Item Deus apparuit Abrahæ ad quercum Mambræ, in tribus viris quos dubitandum non est angelos fuisse.* ] Optime, ut ostendit etiam memoratus interpres, qui æque libenter Augustinum sequitur, cum recta via præeuntem putat, ac ab eo abit cum aberrare eum existimat. Atque utinam semper aut ille, aut alius Scripturæ interpres, certum ubique ducem se præberet ! Nos sane magno labore liberaret, quibus omnia sunt expendenda, quia ab omnibus ferme aliquando deceptis nemini eorum ἀβασανίστως credere licet.

Libro xvii. Cap. 4. In explicatione cantici Annæ, postquam priora verba de Christo explicuit, tandem deveniens ad hæc : *Exaltabit cornu Christi sui*, I Sam. II, 10 : *Quomodo*, inquit, *Christus exaltabit cornu Christi sui? De quo enim supra dictum est :* Dominus ascendit in cœlos. *Et intellectus est Dominus Christus ; ipse, sicut hic dicitur*, exaltabit cornu Christi sui. *Quis est ergo Christus Christi sui? An cornu exaltabit uniuscujusque fidelis sui, sicut ita ipsa, in principio hujus hymni, ait :* Exaltatum est cornu meum in Deo meo. *Omnes quippe unctos ejus chrismate recte christos possumus dicere ; quod tamen totum, cum suo capite, corpus unus est Christus.* ] Sed ubi Ecclesia dicitur *Christus Christi?* Ubi *christus* vocatur ullus, præter regem aut sacerdotem? Scripturam nos interpretari oportet, non ex stylo quodam *possibili*, ut ita loquar, quem ipsi comminiscamur, sed ex stylo ipso usu consecrato. Itaque cum nusquam inveniret *christum* dictum Christianum ullum in singulari, et præterea videret hic agi de rege, debuit inde potius colligere superiora de Christo male esse intellecta. Ac sane si consuluisset Aquilam, aut Theodotionem, aut Symmachum, intellexisset male versa esse superiora verba : *Dominus ascendit in cœlos et tonuit*, vertendumque, ut habet versio Hieronymiana : *super ipsos* ( vel *contra illos* ) *in cœlis tonabit ;* nec ex illis verbis collegisset de Christo agi, quia solus Christus ascendit in cœlum.

Cap. 7, § 4. Narratur historia quæ habetur I Reg. vii, 12. *Assumpsit lapidem unum, et statuit illum inter Massephat novam et veterem, et vocavit nomen ejus Abenneser, quod est Latine lapis adjutoris ; et dixit :* Usque huc adjuvit nos Dominus. *Massephat interpretatur intentio. Lapis ille adjutoris medietas est Salvatoris, per quem transeundum est a Massephat vetere ad novam, id est ab intentione qua exspectabatur in carnali regno beatitudo falsa carnalis, ad intentionem qua per Novum Testamentum exspectatur in regno cœlorum beatitudo verissima spiritualis.* ] Non habebant LXX interpretes *inter Massephat novam et veterem*, sed ἀναμέσον Μασσηφὰθ καὶ ἀναμέσον τῆς παλαιᾶς, quæ verba respondent Hebraicis : בין המצפה ובין השן inter *Mitspha et Schen.* Posteriorem vocem, quæ nomen est proprium, male verterunt appellativa voce παλαιὰ, *veterem*, dum legunt ישן *jaschan* pro השן *hasschen ;* unde factum ut priscus interpres Latinus crediderit omissum esse *novam*, verteritque *inter Masphat novam et veterem.* Hac autem falsa interpretatione nititur tota Augustini ratiocinatio; ac sane mirum est virum satis acutum apud se non reputasse subinde, se noctu et interdiu de Scriptura sacra sat tuto loqui non posse, nisi certo sciret quid sibi vellet, quod non poterat ubique ex infida versione intelligere. Similiter quod deducit ex significatione vocis *Massaphat* est absurdum, quia non intellexit quid sibi vellet vox *intentio* hoc in loco ; est enim intentio oculorum, nam מצפה *mitsphah*, potest deduci a צפה *tsaphah*, contemplatus, speculatus est, ac proinde oculos intendit. Ac sane in lexico Nominum Græco vertitur ἀποσκόπευσις, et in libro de Nominibus Hebraicis emendato ab Hieronymo, *speculatio*, sive *contemplatio.* Sed quidquid significet, allegoricis interpretationibus ex nominum significatu deductis nihil esse inanius ostendit Joan. Clericus in Quæstionibus Hieronymianis.

Cap. 11. Memento quæ est mea substantia. *Nihil hic melius quam ipse Jesus intelligitur, substantia populi ejus, ex quo natura est carnis ejus.* Non enim vane, *inquit*, constituisti omnes filios hominum. *Nisi enim esset unus filius hominis substantia Israel, per*

*quem filium hominis liberarentur multi filii hominum, vane utique constituti essent omnes filii hominum.* ] A capite 9 aggressus est interpretari Augustinus psal. LXXXVIII ex divisione Græca ; cujus interpretationis hanc tantum particulam, quæ est vers. 47, expendemus. Hebraicus codex habet : זכר אני מה חלד, *recordare ego quanti sim ævi*, hoc est quam brevis sit vita mea. LXX interpretes verterunt : *μνήσθητι τίς μου ἡ ὑπόστασις*, hoc est, *recordare quæ mea sit*, ut barbare loquar, *subsistentia*, seu quandiu hic subsistam. At Latinus interpres perperam vertit *substantiam*, quod non posset conferre versionem Græcam cum Hebraico textu, cum quo nisi conferatur sæpe non potest intelligi ; unde Augustinus contortam illam arripuit interpretationem, quam protulimus. Vide et interpretationem ejus in hunc psalmum. Vir ille ex quovis loco quamvis sententiam exsculpere potuit ; sed miror ipsum non animadvertisse eam rationem interpretandi totam esse commentitiam, et figmenta pro arbitrio excogitata, tam secure et tam confidenter proferre sustinuisse.

Cap. 14. *Mihi autem credibilius videntur existimare, qui omnes illos centum et quinquaginta psalmos ejus operi tribuunt, eumque aliquos prænotasse nominibus aliorum*, etc. ] Mira profecto est hæc sententia, nam si David prænotare potuit psalmos quosdam nominibus aliorum, quis docuit Augustinum eos qui prænotati sunt nomine Davidis ab alio quopiam prænotatos non fuisse? Nam quod ait prænotasse eum nominibus *aliquid, quod ad rem pertineat, figurantibus*, merum esse commentum quis non videt? Deinde nemo possit tribuere Davidi psalmos in quibus mentio fit Babylonicæ captivitatis, quasi rei præteritæ, ut psal. CXXXVI.

LIBRO XVIII. Cap. 3. De tempore natalium Isaaci : *Tunc*, inquit, *et Assyriis quintus erat rex Aralius ;* hoc est, post Belum, cujus filius Ninus fuisse dicitur. Si sequitur hic Eusebium, ut videtur, debuit dicere : *quartus erat rex Arius*, ut ex Scaligerana editione liquet. Ac sane testantur Benedictini legi in pluribus mss. *Arrium*, et deberet præterea legi quartus. Cæterum seriem hanc Assyriorum regum conflictam multi putant. Vide Joan. Clericum ad Gen. x, 10. Temporibus sane Abrahami non rex Babyloniorum, qui hic Assyriorum dicitur, sed Elymæorum potentissimus erat regum Transeuphratensium. Vide Genes. XIV, 4.

Ibid. *Io filia Inachi fuisse perhibetur quæ postea Isis appellata, ut magna dea culta est in Ægypto ; quamvis alii scribant eam ex Æthiopia in Ægyptum venisse reginam, et quod late justeque imperaverit, eisque multa commoda et litteras instituerit, hunc honorem illi habitum esse divinum, posteaquam ibi mortua est, et tantum honorem, ut capitali crimine reus fieret si quis eam hominem fuisse diceret.* ] Ionem suam temere cum antiquissima regina Ægyptiorum confuderunt Græci, ut viderentur iis esse antiquiores, nixi duntaxat tenui similitudine nominis, et quod Isis sub imagine vaccæ, in quam mutata ferebatur Io Argiva, colebatur. Quæ satis firma non sunt *ταυτότητος* indicia : nec quisquam facile credet antiquissimis illis temporibus Ægyptios a Græcis accepisse reginam et deam. Herodotus lib. I, cap. 1, docet quidem Orientales dixisse Ionem ivisse in Ægyptum, sed raptam a Phœnicibus, et illic, ut videtur, venditam. Dicamus ergo Isidem Ægyptiam fuisse cum Diodoro Siculo lib. I Bibliothecæ, et quidem antiquissimam Ægypti reginam, quod vel nomen ejus significat : cum idem scriptor testetur *Ἶσιν μεθερμηνευομένην εἶναι παλαιὰν*, *Isin verti antiquam*, linguaque Hebraica, quæ affinis erat Ægyptiæ, ישיש *jaschisch*, vetus dicatur. Attamen Augustinus recte contra Græcos sic, ut facit, ratiocinari potuit ; tametsi Ægyptios eo modo ad fidem adducere non potuit, cum se Græcis multo antiquiores, nec sine ratione, esse putarent.

Cap. 5. *His temporibus* ( nempe Jacobi ) *rex Argivorum Apis navibus transvectus in Ægyptum, cum ibi mortuus fuisset, factus est Serapis omnium maximus Ægyptiorum deus. Nominis autem hujus cur non Apis, etiam post mortem, sed Serapis appellatus sit, facillimam rationem Varro reddidit. Quia enim arca in qua mortuus ponitur, quod omnes jam σαρκοφάγον vocant, σορὸς dicitur Græce, et ibi eum venerari sepultum cœperant, priusquam templum ejus esset exstructum, velut soros et Apis.* ] Quasi vero defuerint in Ægypto homines quos in deorum numerum referrent, ut advenientes ex Peloponneso continuo deorum loco haberent ; aut quasi Græce locuti fuerint ! Itaque viri docti merito originationem Varronis rejecerunt, Serapimque antiquissimum esse Ægyptiorum numen existimarunt, et quidem aliquot sæculis Argivo Api. Vide Jos. Scaligerum in Animadversionibus Eusebianis ad ann. 1730, et Gerh. Joan. Vossium de Idololatria gentilium lib. I, cap. 29, quamvis non probemus posterioris sententiam, qui *Josephum* patriarcham *Serapin* dictum vult.

Cap. 8. *Minerva vero longe his* ( Hercule et Mercurio ) *antiquior. Nam temporibus Ogygii ad lacum qui Tritonis dicitur, virginali apparuisse fertur ætate, unde et Tritonia nuncupata est*, etc. ] Etymologiam nominis Tritoniæ, et rationem cur e capite Jovis nata diceretur, attulit verisimiliores Joan. Clericus ad Theogoniam Hesiodi vers. 895.

Cap. 12. *Hisce temporibus Hercules in Syria* ( sic habent mss., non in *Tyria* ut est in editionibus ) *clarus habebatur ; sed nimirum alius, non ille de quo supra locuti sumus. Secretiore quippe historia plures fuisse dicuntur et Liberi Patres et Hercules.* ] Certum est Herculem numen esse Phœnicium, cui urbs Tyrus consecrata fuit. Quin et plures Tyrios fuisse volunt, ut animadvertit Gerh. Joh. Vossius de Idololatria gentilium lib. I cap. 22 et 34. Crediderim ipsum aut Thebanum, aut Argivum Herculem indidem originem ducere, sive unus sint, sive plures. Vide quæ obiter hac de re habet Joan. Clericus in notis ad sect. 3 dissert. Joannis Seldeni de Decimis. Nam rem pluribus hic diducere non vacat, nec necesse est. Sed hinc apparet non perperam hic legi *in Syria*, nec emen-

dandum esse in *Tirynthia*, ut putabat Joan. Lud. Vives.

Cap. 14. *Per idem temporis intervallum exstiterunt poetæ* (Orpheus, Musæus, Linus, temporibus judicum Israelis) *qui etiam theologi dicerentur, quoniam de diis carmina faciebant, sed talibus diis, qui licet magni homines, tamen homines fuerunt; aut mundi hujus, quem Deus verus fecit, elementa sunt; aut in principatibus et potestatibus, pro voluntate Creatoris et suis meritis ordinati.* ] Liquet hoc ex Theogonia Hesiodi, qui antiquissima numina facit Chaos, Cœlum et Terram; tum spiritus nescio quos, quos variis naturæ partibus præficit; ac tandem animos hominum fato functorum. Non dubito quin superiores poetas theologos sit ea in re imitatus, quamvis nonnulli veterum primum auctorem Theogoniæ eum faciant. Vide Joannem Clericum ad titulum Theogoniæ Hesiodeæ, et proœmium Diogenis Laertii, ubi de Theogonia Lini.

Cap. 18. *Si enim dixerimus ea non esse credenda, non desunt etiam nunc qui ejusmodi quædam vel certissima audivisse, vel etiam expertos se esse asseverent. Nam et nos cum essemus in Italia, audiebamus talia de quadam regione illarum partium, ubi stabularias mulieres imbutas his malis artibus, in caseo dare solere dicebant quibus vellent seu possent viatoribus, unde in jumenta illico verterentur et necessaria quæque portarent, postque perfuncta opera iterum ad se redirent,* etc.] Miror Augustinum hæc ita proponere quasi possent esse vera, vixque ea negare liceret, cum postea dicat *hæc vel falsa esse, vel tam inusitata, ut merito non credantur*, putetque potius a dæmonibus turbatam fuisse phantasiam hominum, qui præ furore crederent se esse jumenta. Postea etiam narrat cujusdam Præstantii patri, post casei ejusmodi comestionem, tale quid in somnis contigisse. Sed si hoc fieret ope dæmonum, quid illis opus fuit medicato cibo? Aut si talis cibus id efficeret, quid opus fuit dæmonibus? Præterea si ex arbitrio dæmonum ita pependisset hominum phantasia, ut nec, cibo sumpto, eorum vi resistere homines possent, nec turbatæ phantasiæ imagines vincere, non exiguum hoc fuisset prodigium. Itaque satius fuit muliercularum figmenta aperte negare, quam rerum ejusmodi rationes quærere.

Cap. 22. *Siquidem post illud maximum atque universale diluvium, cum in arca Noe octo soli homines evaserunt, anni non multo amplius quam mille transierant quando Ninus Asiam totam, excepta India, subjugavit.* ] Revera ex calculo LXX interpretum, ad natalem Abrahami annum non effluxerunt plures anni quam 1132, ut ostendit Isaacus Vossius in lib. de Ætate mundi, cap. 6. Sed cum a temporibus Phalegi, quibus genus humanum in varias abiit colonias, ad tempora Nini, ex eodem calculo quo statuitur ab Eusebio Ninus paulo ante natum Abrahamum subegisse Asiam, non effluxerint multo plures 500 annis, Asia nihil ferme habebat præter deserta, nam intra id tempus non potuerunt ita augeri homines, ut tantos terrarum tractus implerent. Itaque rectius faciunt qui Ninum serius regnasse volunt. Vide c. 2 hujus libri.

Cap. 23. *Eodem tempore nonnulli sibyllam Erythræam vaticinatam ferunt. Sibyllas autem Varro prodidit plures fuisse, non unam. Hæc sane Erythræa sibylla quædam de Christo manifesta conscripsit, quod etiam nos prius in Latina lingua, versibus male Latinis et non stantibus legimus, per nescio cujus interpretis imperitiam, sicut post cognovimus,* etc. ] Postea dicit exemplar Græcum sibi ostensum a Flacciano, profertque *Achrostichin* versibus, ut loquitur, *stantibus* versam, cujus initiales litteræ sunt Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ υἱὸς σωτήρ. Quod de Græcis versibus est intelligendum, nam in Latinis non potuerunt eæ litteræ comparere. Quare miror imperitiam interpretis accusari, qui sane non potuit Latinis versibus hoc exprimere. Sed multo magis miror Augustinum, qui γνησιότητα librorum sacrorum contra Manichæos non male defendit, non animadvertisse hic manifestam suppositionem. Scio alios multos Christianos scriptores hac in re eum esse secutum, nec repetam quæ contra eos animadversa sunt, cum ab aliis, tum a Davide Blondello in opere Gallico de Sibyllis. Sed profecto est quod suspicemur multos eorum facile quidem olfecisse suppositionem hujusce fetus, sed quia rudis plebecula tam levibus capiebatur rationibus quam gravibus, eos arripuisse hoc argumentum, ut alia multa, quia conducebat causæ, non quia verum iis videbatur. Alioqui si ita obbrutuisset iis palatum, ut nihil hic supposititi animadverterent, nullos suppositos fetus a genuinis secernere potuissent. Non patitur quidem historiæ fides nos dubitare quin fuerint fatidicæ quædam mulieres quæ varia prædixissent, de imperio præsertim Romano, sed illa nihil ad Christianam religionem. Crediderim, ut meam quoque conjecturam aperiam, fanaticas illas mulieres nomen ab Oriente, una cum arte decipiendi, attulisse, et dictas *sibyllas* a Græcis, quod Phœnices vocarent hujusmodi mulierem שבילה *schebola*, hoc est *quæ consuescit*: nam vetulæ erant hæ vates, nec earum senectus minus decantata fuit quam vaticinia. Ovidius Metam. lib. XIV, 132, sic inducit loquentem sibyllam:

Lux æterna mihi carituraque fine dabatur,
Si mea virginitas Phœbo patuisset amanti.
Dum tamen hanc sperat, dum præcorrumpere donis
Me cupit, Elige, ait, virgo Cumæa, quid optes,
Optatis potiere tuis. Ego pulveris hausti
Ostendens cumulum, quot haberet corpora pulvis,
Tot mihi natales contingere vana rogavi:
Excidit optarem juvenes quoque protinus annos,
Hos tamen ille mihi dabat, æternamque juventam,
Si Venerem paterer. Contempto munere Phœbi
Innuba permaneo, sed jam felicior ætas
Terga dedit, tremuloque gradu venit ægra senectus,
Quæ patienda diu est, nam jam mihi sæcula septem
Acta vides, superest numeros ut pulveris æquem,
Tercentum messes, tercentum musta videre.

Quæ sunt poetica figmenta inde nata, quod diceretur sibylla grandæva fuisse.

Ibid. § 11. *Inserit etiam Lactantius operi suo quædam de Christo vaticinia sibyllæ, quamvis non exprima cujus.*] Respexit ad locum Lactantii ex lib. Inst. divin. I, cap. 6, ubi, memoratis variis sibyllis, sic loquitur: *Harum omnium sibyllarum carmina et ferun-*

*tur et habentur, præterquam Cumææ, cujus libri a Romanis occuluntur; nec eos ab ullo, nisi a quindecim viris, inspici fas est. Et sunt singularum singuli libri, qui quia sibyllæ nomine inscribuntur, unius esse creduntur, suntque confusi.* Hactenus nihil habet quod non consentaneum sit loco Augustini; sed sequentia ei adversantur, sic enim pergit scriptor elegantissimus: *Nec discerni, ac suum cuique assignari potest, nisi Erythrææ, quæ et nomen suum verum carmini inseruit, et Erythræam se nominatum iri prælocuta est, cum esset orta Babylone. Sed et nos confuse sibyllam dicemus, sicubi testimoniis earum fuerit abutendum.* Sed et postea Erythrææ versus nominatim profert lib. IV, cap. 15, et lib. de Ira cap. 22. Quæ omnia ficta esse a Christianis eo nomine indignis, res ipsa clamat.

Cap. 37. *Tempore igitur prophetarum nostrorum, quorum jam scripta ad notitiam fere omnium gentium pervenerunt, philosophi gentium nondum erant qui hoc etiam nomine vocarentur, quod cœpit a Samio Pythagora, qui eo tempore quo Judeorum est soluta captivitas cœpit excellere atque cognosci.*] Nihil verius, optimumque id est argumentum, quo quam sit recens Græcorum philosophia ostendatur. Illustrarunt etiam hanc chronologiam editores Parisienses; sed nonnulla sunt in eorum adnotatione errata aut typothetarum, aut festinantis calami, quæ hic emendabo, ut ex aliis editionibus, si quæ posthac fiant, demantur. Primum aiunt ab Eusebio in Chronico Pythagoram ad 63 olympiadem referri. Atqui est 65 ad quam in Eusebiano Chronico legere est: *Pythagoras physicus philosophus clarus habetur.* Addunt Benedictini eumdem Eusebium lib. x de Præparatione evangelica, cap. 3, scribere claruisse Pythagoram olympiade 62. In illo tamen capite nihil habet Eusebius de ætate Pythagoræ, sed tantum in sequente, ubi etiam hoc unum dicit, vixisse eum diu post septem Sapientes. Præterea subjiciunt de eo tempore: *Regnabat autem apud Romanos Servius Sulpitius.* Voluerunt dicere viri docti *Servium Tullium*, nam *Servius Sulpitius* jurisconsultus fuit, Ciceronis æqualis. Tandem ita de emortuali anno Pythagoræ loquuntur: *Pythagoras mortem obiit olympiade 70, anno ejus, juxta Eusebii Chronicon, quarto vel quinto.* Debuit scribi *tertio vel quarto*, et sic scriptum puto a viris eruditis nam vel pueri sciunt in singulis olympiadibus esse tantum quatuor annos. Quod observo, non insectandi gratia, absit! qui laborem eorum minime omnium sperno; sed ut discant alii homines maligni ex talibus exemplis, non esse bonis et eruditis viris propterea insultandum, præsertim si se aliis faciles in talibus præbeant.

Ibid. *Isis porro Inachi filia fuisse proditur, qui primus regnare cœpit Argivis.*] Si, nimirum, credamus Ionem, quod antea parum verisimile esse ostendimus ad lib. XVIII cap. 3.

Cap. 39. *Moyses in populo constituit qui docendis litteris præessent, priusquam divinæ legis ullas litteras nossent. Hos appellat Scriptura* γραμματοεισαγωγεῖς, *qui Latine dici possunt litterarum inductores, vel introductores, eo quod eas inducant, id est introducant quodammodo in corda discentium, vel in eos potius ipsos quos docent.*] Qui ita interpretatus est vocem Græcam Augustino, hominem fefellit, nam Septuaginta interpretes vocem adhibent ad vertendam Hebraicam שׁטר *schoter*, quæ grammatistam minime significat, sed apparitorem magistratuum. Vide quæ notavit de ea voce Joannes Clericus ad Exod. v, 6.

Cap. 43. Memoratis versionibus Aquilæ, Symmachi, Theodotionis et quinta: *Hanc tamen*, inquit, *quæ Septuaginta est, tanquam sola esset sic recipit Ecclesia, eaque utuntur Græci populi Christiani, quorum plerique aliqua sit alia ignorant.*) Nempe mulieres et artifices, cæteraque plebecula, vagis Numidis similis; nam alii, qui vel leviter litteris sacris tincti erant, aliquid legerant aut inaudiverant de Tetraplis, aut Hexaplis Origenis. Pergit: *Ex hac Septuaginta interpretatione etiam in Latinam linguam interpretatum est, quod Latinæ Ecclesiæ tenent.* Itaque legebant homines docti et prudentes versionem versionis, quarum plerique ecclesiastici neutram poterant expendere; nam Græcam cum Hebræo codice conferre vel duo potuerunt, ut loquitur ille, vel nemo; Latinam cum Græca plures quidem, sed pauci, præ iis qui Græce nesciebant, inter quos Augustinus. I nunc et in ejusmodi hominibus lauda aut acumen in interpretatione Scripturæ, aut diligentiam in sacris studiis, aut prudentiam in acquiescendo in versionibus quæ bonæne essent an malæ nesciebant.

*Quamvis*, inquit, *non defuerit temporibus nostris presbyter Hieronymus, homo doctissimus et omnium trium linguarum peritus; qui non ex Græco, sed ex Hebræo in Latinum eloquium easdem Scripturas converterit.* Quatenus porrigeretur eruditio Hieronymiana in utraque lingua, Græca et Hebraica, satis luculente ostendit Joannes Clericus in Quæstionibus Hieronymianis; sed collatus aliis presbyter Stridonensis sane erat doctissimus. *Sed ejus*, subjicit Augustinus, *tam litteratum laborem, quamvis Judæi fateantur esse veracem, Septuaginta vero interpretes, in multis errasse contendant; tamen Ecclesiæ Christi tot hominum auctorituti, ab Eleazaro tunc pontifice, ad hoc tantum opus electorum neminem judicant præferendum: quia etsi non in eis unus apparuisset spiritus, sine dubitatione divinus, sed inter se verba interpretationis suæ Septuaginta docti more hominum contulissent, ut quod placuisset omnibus hoc maneret, nullus eis unus interpres debuit anteponi.* Quamvis nihil esset quod reponeretur huic ratiocinationi, non posset tamen contra rem ipsam valere, ita ut manifesta peccata quæ inveniuntur in versione LXX interpretum, vir Hebraice doctus incipiat credere non esse peccata; nam ratiocinationes, ex eo quod convenire videtur deductæ, ipsis factis ac rebus opponi non possunt: quia sæpe quod non conveniebat fieri factum est, nec factum est quod conveniebat. Deinde omnis illa historia LXX interpretum mera est fabula, ficta a Judæo Hellenista, forte ut pigritiæ Hellenistarum consuleretur ne necesse haberent discere linguam Hebraicam, cum θεόπνευστον

versionem habere viderentur. Doleo, fateor, tot ac tanta apud veteres inveniri specimina non fidei circumspectæ et firmis rationibus nixæ, sed credulitatis inconsultæ et omnia temere arripientis; nisi quis *politicam* calliditatem, ut nunc loquimur, malit hæc haberi. Utrumvis verum statuatur, inde colligendum erit nobis, præter Christum et apostolos, qui fideliter doctrinæ ejus adhæserunt, non esse quærendos magistros in quorum auctoritate acquiescamus: qua de re etiam nos ipse Christus diserte præmonuit Matth. XXIII, 8. Præterea facile fieri potest ut non Septuaginta, sed aliquot centeni homines minus periti uno viro fuerint; ac sane integri consessus quam sæpe errarunt? Quidve est notius quam veri amantibus suffragia non esse ex numero, sed ex pondere æstimanda? Nulla propemodum veritas, ne ipsa quidem religione Christiana excepta, defendi potest, si numerus nota ac argumentum veritatis habeatur. Denique, ut jam dixi, illa de LXX interpretibus Aristeæ historia putida est fabella. Vide quæ hac de re jam notavimus ad tom. II, epist. 28. Itaque dignum est risu, quod tam gravibus verbis exprimitur in sequentibus: *Cum vero tantum in eis signum Divinitatis apparuit, profecto quisquis alius illarum Scripturarum ex Hebræa in quamlibet aliam linguam interpres est verax, aut congruit illis* LXX *interpretibus, aut, si congruere non videtur, altitudo ibi prophetica esse censenda est.* Aut hic aliquid excidit, aut supplendum animo post *congruere non videtur*, hanc sententiam: et cum Hebraico codice tamen consentit; nam ex sequentibus hoc velle Augustinum liquet. Hæc sane mira sunt et inaudita, nec temere ac sine gravibus rationibus affirmanda. Quis enim possit sibi persuadere Spiritum propheticum certam sententiam dictasse Hebræis olim vatibus, a quibus primum oracula divina litteris mandata sunt; deinde eumdem Spiritum eorum vatum Græcis interpretibus aliam, aut contrariam afflasse sententiam? Nemo talia facile sibi persuadeat. Hic vero nulla credendi ratio occurrit, præter anilem illam Aristeæ fabulam, cui insunt omnia mendacii male conficti indicia, et cui res ipsa contradicit. Nam liquet, conferenti versionem cum contextu Hebraico, permulta delicta esse a LXX interpretibus aut ab eo, quicunque sit, qui eam versionem concinnavit, admissa; quod male in exemplari suo legerent voces Hebraicas, quod affines litteras miscerent, quod vocum rariorum significatus nescirent, quod loca obscura non assequerentur, et quod ne clara quidem interdum satis intelligerent; quæ humani et allucinantis spiritus sunt, non divini. Sed hæc per se scire Augustinus non potuit; verum de re ipsi plane incomperta tacere eum potius decuit, quam tam multa inania effundere. Si verum amamus, fatendum tam absurdas opiniones non displicuisse viris nequaquam hebetibus, quod eorum pigritiæ ac existimationi consulerent, ut jam alibi significavimus.

Cap. 44. *Sed, ait aliquis, quomodo sciam quid Jonas propheta dixerit Ninivitis, utrum:* Triduum, et Ninive evertetur; *an:* Quadraginta dies? *Quis enim non videat non potuisse utrumque tunc dici a propheta, qui missus fuerat terrere comminatione imminentis exitii civitatem?... Si ergo a me quæritur quid horum Jonas dixerit, hoc puto potius quod legitur in Hebræo:* Quadraginta dies, et Ninive evertetur.] Optime, unde colligendum erat aut graviter errasse LXX interpretes, aut mendosos esse eorum codices. Prius fateri noluit Augustinus; itaque ad posterius deveniendum fuisset, nisi hinc incommoda quædam exortura prævidisset; nempe, plebem dicturam valde pigros, aut inconsultos, aut indoctos fuisse præsules suos, qui versionem Latinam, haustam ex vitiosis codicibus Græcis, sibi prælegi adhuc curassent; nam magnæ hoc fuit ignorantiæ, si nescientes peccarant; nec minoris pigritiæ aut imprudentiæ, si in veritatem inquirere, vitiaque versionis emendare noluerant. Multo hoc deterius erat, consectariisque periculosioribus obnoxium, quam nova interpretatio Hieronymi vocis Hebraicæ קִיקָיוֹן *Kikajon*, in eodem propheta, qua de re tantas querelas profuderat ventis ferendas Augustinus, cujus vide epistolam 71 et quæ ad eam notavimus. Igitur sese ad aliud σοφὸν φάρμακον, convertit Pœnus orator. *Septuaginta quippe*, inquit, *longe posterius interpretati aliud dicere potuerunt, quod tamen ad rem pertineret, et in unum eumdemque sensum, quamvis sub altera significatione concurreret; admoneretque lectorem utraque auctoritate non spreta, ab historia sese attollere ad ea requirenda, propter quæ significanda historia ipsa conscripta est.* Hæc demum inter ea quidem recenseri possunt quæ non sunt natura sua repugnantia, ac proinde fieri non possunt; cæteroqui ne levissima quidem verisimilitudine tincta. Septuaginta interpretes, eo ipso quod se interpretes profitentur, pollicentur se dicturos Græce quæ Hebraice scripta sunt; quod nisi præstent, non possunt crimen aut imperitiæ, aut negligentiæ, aut malæ fidei effugere. Hoc cum semper verum sit in historiarum interpretatione, si ita loqui licet, est vero verius, quisquis enim inducit aliquem in versione dicendum quod non est in archetypo quod vertit, mentitur. At licet, inquies, verba nonnihil immutare, si sit eadem sententia. Non nego, sed hoc tum demum fieri potest, cum id postulat ingenium linguæ qua utitur interpres, non ubi nihil necesse est. Præterea falsum est esse idem, ad sententiam quod attinet, *adhuc quadraginta dies*, et *adhuc tres dies*. Sed audiamus Augustinum allegoricas machinas violenter adhibentem, ut defendat Græcos interpretes: *Si per illam civitatem recte accipitur Ecclesia gentium, prophetice figurata; eversa, scilicet per pœnitentiam ut qualis fuerat jam non esset; hoc quoniam per Christum factum est in Ecclesia gentium, cujus illa Ninive figuram gerebat; sive per quadraginta dies, sive triduum, idem ipse significatus est Christus; per quadraginta, scilicet, quia tot dies peregit cum discipulis suis post resurrectionem, et ascendit in cœlum; per triduum vero, quia die tertio resurrexit.* Quæ omnia sunt commentitia, nam primo si negavero Niniven, apud Jonam, esse figuram Ecclesiæ gentium, nemo ex Scriptura contrarium probabit.

Deinde dicam absurdum esse dicere eversionem intentam Ninive propter peccata, nisi pœnitentiam ageret, esse figuram mutationis morum quæ fit per pœnitentiam. Profecto si peccata et exitium propter peccata sint figura pœnitentiæ et mutationis veterum institutorum per pœnitentiam, jam omnium omnia poterunt esse figuræ, nec ulla amplius similitudo inter figuras et res figuratas erit quærenda. Poterunt rotunda haberi archetypa quadratorum, et quadrata antitypa rotundorum. Tenebræ erunt imago lucis, lux tenebrarum. Denique quadraginta aut tres dies concessi pœnitentiæ non possunt esse figuræ dierum jejunii et mortis Christi, qui simile nihil habent, præter numeri similitudinem. Imo vero quamvis tot violentæ interpretationes admitterentur, propterea tamen non licuit LXX interpretibus mutare numerum prophetæ; et quod de eorum prophetico spiritu hic habet Augustinus, plane est inane et aptum ad offendiculum lectoribus objiciendum. Quis enim non illico dixerit, si LXX interpretes prophetico spiritu donati fuissent, ejus ope potius novas prophetias effusuros, quam veteres inscitia corrupturos fuisse? Itaque merito habet Hieronymus in Comment. Jonæ : *Trinus numerus, qui ponitur a Septuaginta, non convenit pœnitentiæ, et satis miror cur ita translatum sit, cum in Hebræo nec litterarum, nec syllabarum, nec accentuum, nec verbi ulla sit communitas; tres enim dicuntur* SALOS, *et quadraginta* ARBAIM. *Alioquin et de Judæa tanto itinere missus propheta in Assyrios, dignam suæ prædicationis pœnitentiam flagitabat, ut antiqua et putrida vulnera diu apposito curarentur emplastro. Porro quadragenarius numerus convenit peccatoribus et jejunio et orationi, et sacco et lacrymis et perseverantiæ deprecandi, ob quod et Moyses quadraginta diebus jejunavit in monte Sinai*, etc. Itaque viri docti conjecerunt mendum esse apud LXX interpretes, sive vitioso codice usi essent, ubi pro מ, quod est *quadraginta*, esset ג hoc est *tria:* nam frequentia menda quæ sunt in numeris apud veteres Scriptores, eo adduxerunt eximios criticos ut crederent olim non integris vocibus, sed litteris signatos numeros fuisse. Posset etiam fieri ut in Græcum codicem mendum irrepsisset et Γ scriptum fuisset pro Μ. Vide ad Jonam Joannem Drusium, et Hugonem Grotium. Sed nihil vetat nos hic quoque Isaacum Vossium, qui hoc sibi negotii datum esse credidit, ut defenderet Septuaginta interpretes. « Hoc sæculo, *inquit*, Græca versio unanimiter hoc in loco rejicitur, nec immerito. Augustinus lib. XVIII, cap. 44, de Civitate Dei, conatur componere hanc discrepantiam, sed nihil meo judicio proficit. Melius Theodoretus, qui errorem Græcorum exemplarium non interpretibus, sed librariis imputat. Miratur Hieronymus hanc diversitatem, cum nulla aut verborum, aut numerorum sit affinitas, inter tres et quadraginta. Sed vero quæstionem hanc solvit Justinus martyr, qui, in dialogo cum Tryphone, ipsa interpretum verba producens, dies numerat quadraginta tres. Bis vero eumdem repetit numerum, ne quis vitium subesse existimet. Si itaque hanc LXX interpretum seguamur lectionem, jam manifestam hujus discrepantiæ rationem habebimus. Nempe, minor numerus excidit e codicibus Hebræis, major vero abest ab hodiernis exemplaribus Græcis; in quibus olim fuisse, non ut vulgo ἔτι τρεῖς ἡμέραι, sed vero ἔτι τρεῖς καὶ μ' ἡμέραι clare ex Justino colligitur. Porro hic numerus valde est rationi consentaneus. Triduum enim omnino requirebatur ad prædicandum et peragrandam urbem. Confecto unius diei itinere, prædixit urbem perituram, post dies quadraginta tres. Secundo die, longius progressus, quadraginta duos dies significavit. Tertio itaque die elapso, et peragrata jam urbe, nonnisi quadraginta supererant dies. » Hæc Vossius lib. de Translatione LXX interpretum cap. 23, quæ ingeniosa sunt; sed multo, ut mihi quidem videtur, verisimilius, cum cæteri Patres et codices in vulgari lectione consentiant, Justino fuisse codicem in cujus contextu scriptum erat τρεῖς, sed cujus margini aliquis ex Hebraico codice ascripserat τεσσαράκοντα, quod ille prætermissum putans, dixit τεσσαράκοντα τρεῖς.

Cap. 52. Memoratis decem persecutionibus : *Plagas enim*, inquit, *Ægyptiorum, quoniam decem fuerunt, antequam inde exire inciperet populus Dei, putant ad hunc intellectum esse referendas ... Sed ego illa re gesta in Ægypto, istas persecutiones prophetice significatas esse non arbitror; quamvis ab eis qui hoc putant exquisite et ingeniose illa singula his singulis comparata videantur; non prophetico spiritu, sed conjectura mentis humanæ, quæ aliquando ad verum pervenit, aliquando fallitur.*] Quis non exclamet hic : καλῶς! σοφῶς! nihil melius? Sed et nos quoque idem judicium ferimus de tot mysticis interpretationibus Augustini, quibus ferme totum Vetus Testamentum in alienos sensus contorsit. Cæterum de decem persecutionibus vide Sulpitium Severum lib. II Sacræ Historiæ.

LIBRO XIX. Cap. 1, § 3. *Denique fuerunt qui cum diversa sequerentur bona finalia, alii virtutem, alii voluptatem, eumdem tamen habitum et consuetudinem tenebant, ex qua Cynici appellabantur.*] Ideo Apollinaris Sidonius carm. 2, vers. 167 :

> Quidquid Erichtheis Cynicorum turba volutat
> Gymnasiis, imitata tuos, Epicure, sodales.

Ad quem locum illustrandum hunc laudat Jac. Sirmondus.

Cap. 7. *Opera data est ut imperiosa civitas non solum jugum, verum etiam linguam suam domitis gentibus per pacem societatis imponeret; per quam non deesset imo et abundaret etiam interpretum copia.*] Multis hac de re egit vir doctissimus Just. Lipsius libro de Recta Latini sermonis Pronuntiatione, cap. 4, ubi recte etiam monet hic legendum, non *pacem societatis*, sed *speciem societatis*, aut *per pacem sociatis*. Vellem hic a Benedictinis prolatam lectionem mss. codicum.

Cap. 24. Postquam ostendit sine amore Dei et proximi non esse populum, ita hoc caput inchoat : *Si autem populus non isto sed alio definiatur modo, velut si dicatur : populus est cœtus multitudinis ratio-*

*nalis, rerum quas diligit concordi communione sociatus; profecto ut videatur qualis quisque populus sit, illa sunt intuenda quæ diligit. Quæcunque tamen diligat, si cœtus est multitudinis, non pecorum sed rationalium creaturarum, et eorum quæ diligit communione concordi sociatus est, non absurde populus nuncupatur, tanto utique melior quanto in melioribus: tantoque deterior quanto est in deterioribus concors.* Tum subjicit: *Secundum istam definitionem nostram Romanus populus populus est*, etc.] Miror in mentem Augustino non venisse loci Deuter. xxxii, 21 : *Ipsi me provocaverunt in eo qui non erat Deus, et irritaverunt in vanitatibus suis, et ego provocabo eos in eo* QUI NON EST POPULUS, *et in gente stulta irritabo illos.* Ubi Deus ad gentium vocationem respicit, ut docet Paulus Rom. x, 19. Sane vix digni erant nomine populi, qui sic descripti sunt a Lucilio:

Nunc vero a mane ad noctem, festo atque profesto
Toto itidem pariterque die, populusque, patresque
Jactare indo foro se omnes, decedere nusquam,
Uni sc atque eidem studio omnes dedere et arti,
Verba dare ut caute possint, pugnare dolose,
Blanditia certare, bonum simulare virum se,
Insidias facere, ut si hostes sint omnibus omnes.

Quos elegantissimos versus nobis servavit Lactantius Inst. divin. lib. v, cap. 9.

LIBRO XX. Cap. 7. De Apoc. xx, 1 et seqq. *Mille autem anni duobus modis possunt, quantum mihi occurrit, intelligi: aut quia in ultimis annis mille ista res agitur, id est, sexto annorum milliario, tanquam sexto die, cujus nunc spatia posteriora volvuntur; secuturo deinde sabbato, quod non habet vesperam, requie scilicet sanctorum, quæ non habet finem*, etc.] Hi sunt fructus allegoricæ arithmeticæ, ex qua collegerunt veteres multi mundi hujusce durationem fore sex millium annorum, septimo vero millenario ei finem impositum iri, et tum fore æternum piorum sabbatismum. Sic S. Barnabas epist. cap. 15, ad quem vide notas doctissimi viri Joan. Bapt. Cotelerii, qui aliorum ei assentientium et nomina et loca suppeditabit.

Cap. 15. De hoc Apocalypseos loco cap. xx, 13 : *Et exhibuit mare mortuos qui in eo erant, et mors et infernus reddiderunt mortuos quos in se habebant;* sic ratiocinatur : *Sed qui sunt mortui quos exhibuit mare, qui in eo erant? Neque enim qui in mari moriuntur non sunt in inferno, aut corpora eorum servantur in mari; aut, quod est absurdius, mare habebat bonos mortuos et infernus malos. Quis hoc putaverit? Sed profecto convenienter quidam hoc loco mare pro isto sæculo positum accipiunt.*] Non semel fefellit Augustinum vox Latina *infernus*, quod nesciverit ᾅδην, Hebraice שאול, significare *sepulcrum*. Vide quæ notavimus ad tom. II, epist. 64. *Mortui* quos reddet mare sunt cadavera eorum qui in eo perierunt; *mors* vero et *sepulcrum* sunt reliqui mortui, qui in terra ceciderunt, sive insepulti, sive sepulti. Nam *mors* et ᾅδης sæpe ponuntur ἐκ παραλλήλου, ut I Cor. xv, 54; Apoc. xx, 14 : ad quæ loca vide interpretes.

Cap. 19. De II Thess. II, 1 et seq. § 3. *Quidam putant hoc de imperio dictum fuisse Romano, et propterea Paulum apostolum non id aperte scribere voluisse; ne calumniam videlicet incurreret, quod Romano imperio male optaverit, cum speraretur æternum, ut hoc quod dixit :* jam enim mysterium iniquitatis operatur, *Neronem voluerit intelligi, cujus jam facta velut Antichristi videbantur.*[ Mihi multo verisimilius fit Paulum hic egisse de rebellione Judæorum in Romanos, de qua obscurius locutus est, ne noceret popularibus suis. Vide hac de re interpretem Henr. Hammondi, in additamentis quæ adnotationibus ejus scriptoris admiscuit. Sed hanc observationem Augustini optimam existimarim, ad rationem reddendam obscuritatis Apocalypseos, in qua exitium Romæ ethnicæ prædicebatur nomine Babylonis.

Cap. 29. *Per hunc Eliam magnum mirabilemque prophetam, exposita sibi lege, ultimo tempore, ante judicium, Judæos in Christum verum, id est in Christum nostrum esse credituros, celeberrimum est in sermone cordibusque fidelium.*] Mirum est illis temporibus eam opinionem tam altas radices in animos hominum egisse, tantoque consensu esse receptam, cum Christus disertissime docuerit Matth. xvii, 12, et apud alios evangelistas, nomine *Eliæ* intelligendum fuisse Joannem Baptistam. Facile erat intellectu *diem Domini magnum et terribilem*, esse eum diem vel tempus quo Deus Jerosolymam et Judæam passus est a Romanis diripi, ferroque et igne vastari. Sed nullus interpres hoc in majore luce collocavit Henrico Hammondo, ad Matth. xxiv et alibi. Non raro contigit multos homines non hebetes consensisse in errore, quia maluerunt superiores sequi quam eorum placita expendere. Vide Tertullianum de Anima cap. 35.

LIBRO XXI. Cap. 3, § 1. Contra supplicia malorum æterna hanc sibi proponit objectionem : *Nullum est, inquiunt, corpus quod possit dolere, nec possit mori.*] Eam objectionem confutat operosissime, variisque adductis incredibilibus et falsis historiis ex Plinio, nec tamen satisfacit. Quid facilius erat dictu quam alias leges fore et corporum et spirituum eo tempore, quam nunc; Deumque effecturum ut certo corporis motu, eoque non ita magno ut noceat corpori, excitetur ingens dolor in animis improborum? Vide Dionysii Petavii Dogmat. theolog. tom. III. Opus de Angelis lib. III, cap. 5.

Cap. 24. *Ut Deus sententiam suam mitiget et reflectat in melius.*] Joan. Freder. Gronovius recte legit *in mollius*, Observat. in script. ecclesiast. cap. 6. Sic Hegesippus de Excidio Hierosol. lib. I, cap. 12 : *Ab Aristobulo impetravere ut matrem ab executione præcepti severioris ad molliora inflecteret.* Sic mss., ubi editi libri habent *meliora*. Quod ex melioris ævi scriptoribus haustum. Tacitus Ann. I, *satis superque missione et pecunia, et mollibus consultis peccatum.* Hegesippus iterum cap. 16 : *Verbisque in mollius suppliciter inflexis, mitigaverat indignationem consulis.*

Cap. 26. Locum Pauli I Cor. III, 11, de fundamento cui alii quidem superædificant aurum, argentum aliaque pretiosa; alii vero lignum, fenum, stipu-

lam; sibi objicientes inducit quosdam qui credebant baptismum et Ecclesiæ catholicæ communionem satis esse ad vitandam damnationem æternam. Tum circa eum locum multum hæsitat, quasi in eo sermo esset de moribus, cum Paulus loquatur de doctrina. Sic et alibi in eo interpretando æstuavit. Vide adnotata ad tom. VI, in lib. de Fide et Operibus cap. 15. Hinc nata alia æstuatio, quæ in hisce verbis se prodit: *Post istius sane corporis mortem, donec ad illum veniatur qui post resurrectionem corporum futurus est, damnationis et remunerationis ultimus dies, si hoc temporis intervallo spiritus defunctorum ejusmodi ignem dicuntur perpeti quem non sentiant illi qui non habuerunt tales mores et amores, in hujus corporis vita, ut eorum ligna, fenum, stipula consumatur; alii vero sentiant, qui hujusmodi secum ædificia portaverunt; sive ibi tantum, sive et hic et ibi; sive ideo hic, ut non ibi, sæcularia quamvis a damnatione venialia concremantem ignem transitoriæ tribulationis inveniant, non redarguo, quia forsitan verum est.* Sic hic Pauli locus fuit veluti scopulus, in quem non semel impegit Augustinus; quem tamen virum, quasi magnum Scripturæ interpretem, multi nobis venditant; sed quibus ii demum credent quibus nullum est sacrorum librorum studium, aut qui Augustini opera nunquam attente legerunt.

Libro xxii, cap. 7. *Cum sexcentis ferme annis ante Ciceronem Romulus fuerit*, etc.] J. Lud. Vives edidit *ante Scipionem*; nempe Æmilianum, qui in libris de Republica loquens a Cicerone inducebatur; quia Cicero anno demum post Urbem conditam 648 natus est. Sed recte Benedictini lectionem allatam, quæ est omnium mss. codicum, retinuerunt, quia minime necesse est Augustinum ex memoria loquentem, accuratius calculos posuisse; nec est peccatum tantum ut in id incidere non potuerit.

Libro xxii, cap. 8, § 1. *Cur, inquiunt, nunc illa miracula quæ prædicatis facta esse, non fiunt?*] Est objectio ethnicorum, ad quam commodius solvendam ficta sunt, quarto præsertim sæculo, innumerabilia miracula reliquiarum, quæ antea inaudita fuerant. Cum incautius ac proinde verius loquebantur Christiani hujus ævi, fatebantur miracula non amplius fieri, quod contigit Augustino in lib. de Vera Religione cap. 25, ubi negat *miracula illa* (qualia apostolorum) *in nostra tempora durare permissa*. Sed postea hæc verba retractavit, propter nova miracula, cujus utilitatem animadvertere serius cœpit. Hic quoque multa narrat quæ omnia claudit egregia illa narratione de qua ad tom. V egimus. Sed de hisce omnibus, et præsertim de quarti sæculi fictis miraculis, vide Henr. Dodwellum in dissert. Irenaica 2.

Cap. 24, § 3. *Quæ in theatris mirabilia spectantibus, audientibus incredibilia et exhibenda molita sit;* industria nempe humana.] Intelligit, ut Justo Lipsio videtur, pegmata, seu machinas theatrorum; quorum pegmatum figuræ et motus mirabilia spectacula præbebant, ut multis ostendit vir doctissimus in libro de Amphitheatro cap. 22, quod legisse non pœnitebit.

---

# IN TOMUM OCTAVUM.

## DESIDERIUS ERASMUS LECTORI.

Quemadmodum in præliis solet potissimum emicare virtus et ardor militum ducumque, ita divus Augustinus, cum nusquam non sit multis suspiciendus nominibus, haud alibi tamen eluxit, quantum valuerit acumine ingenii, subtilitate judicii, vehementia, copiaque disserendi, quam in his libris; in quibus pro tranquillitate domus Dei, quam unice diligebat, pugnat adversus hæreses: quas cum hoc odio majore prosequeretur, quo impensius amabat Christi sponsam Ecclesiam, tamen ubique singulari caritate laborat, ut homines sanet potius quam perdat. Lege feliciter, ac vale.

## ANIMADVERSIONES

### IN LIBRUM DE HÆRESIBUS.

Præfat. *Noster vero* Epiphanius *Cyprius episcopus abhinc non longe rebus humanis exemptus, de octoginta hæresibus loquens, sex libros etiam conscripsit, historica narratione commemorans omnia, nulla disputatione adversus falsitatem pro veritate decertans.*] Adnotant Benedictini ad hæc verba, Augustinum vidisse duntaxat *Anacephalæosin Epiphanii;* sed ne hoc quidem opus integrum vidit, cujus initio, et pluribus locis indicat scriptor se majoris operis epitomen scribere. Credibile est Augustinum excerpta tantum ex eo, ab aliquo Græce sciente facta, habuisse.

Hæres. 1. Quæ est Simonianorum: *Jovem se credi volebat, Minervam vero meretricem quandam Helenen, quam sibi sociam scelerum fecerat; imaginesque et suam et ejusdem meretricis discipulis suis præbebat adorandas; quas et Romæ, tanquam deorum simulacra, auctoritate publica constituerat.*] Sic paulatim augentur fabulæ, prout a pluribus narrantur: instar rivuli, qui, aliis atque aliis accedentibus aquis, tandem fit amnis. Clementinarum Recognitionum auctor lib. II, § 9, et Justinus Martyr apol. 1, meminerunt quidem statuæ Simonis, Romæ collocatæ; sed de statua *Selenæ* vel *Helenæ*, ejus concubinæ, nihil habent. Itaque hoc erit additamentum Augustini, ex memoria hæc scribentis. Mirum est fabulam de posita a Romanis statua tam turpem et tam manifestam, quæ proinde merito ab ethnicis ridebatur, usque adeo veteribus placuisse, ut uno ore illam affirmaverint. Vide Joan. Bapt. Cotelerium ad Constitutiones apostolicas lib. VI, cap. 9, itemque ad Recognitionum lib. II, cap. 9. Sed fallitur vir doctissimus cum innuit ab Augustino negari quod narrabatur de interitu Simonis, epist. 56 ad Casulanum, cum dicat tantum Romanos negasse

Petrum die sabbati jejunasse, cum esset die dominico sequente cum Simone Mago certaturus. Jam eruditi ferme consentiunt Justinum aut alium auctorem hujus fabulæ deceptum fuisse statua Herculi posita in insula Tiberina, cujus etiamnum hodie basis superest, cum hac inscriptione SEMONI SANCO DEO. Vide Des. Heraldum ad Tertullian. Apolog. cap. 13; Henr. Valesium ad Eusebii Hist. eccles. lib. II, cap. 13, aliosque passim. Hinc autem liquet quanti faciendus sit consensus multorum, sine examine, aliorum post alios idem temere affirmantium. Simile exemplum animadvertere est Civit. Dei lib. XX, cap. 29, de adventu Eliæ ante ultimum judicium. Si errorem vitare velimus in ejusmodi rebus, quæ plurium testimonio probari solent, ante omnia expendamus oportet quibus eorum qui consentiunt, res perspecta esse potuerit, eosque ab aliis sejungamus; nam qui repetunt tantum ab aliis accepta, ea in quæ minime inquisiverunt, indigni sunt qui testium numero habeantur. Quod si etiam primi rei assertores id protulerint quod probe non norant, nubes illa speciosa testium facillime dissipatur. Quæ in historia de Simonis Magi statua observare est, nec scio an non de tota Simonianorum secta dici queant; nam quamvis constet ex Actis apostolicis Simonem fuisse hominem nequam, multa de eo ficta sunt, ut liquet ex Clementis Recognitionibus.

Hæres. 50. *Vadianos, quos appellat Epiphanius, et schismaticos, non hæreticos vult videri, alii vocant Anthropomorphitas.*] Cum hic Epiphanium auctorem laudet Augustinus, omnino existimarim legendum Audianos, sic enim eos hæreticos ab Audio conditore vocat Constantiensis episcopus. Non morarer hic mendas librariorum, uti nec Sirmondus fecit in Opere Prædestinati, quamvis in codice ms. legeretur Valdiani. Nomina minus nota semper facillime a librariis depravata sunt. Hinc apud Facundum Hermianensem lib. VIII ed. Sirmondi anni CIↃ IↃ CXCVI, col. 671. Idem hæretici vocantur *Basiani*, quæ vox facta a *Vadiani*.

Hæresi 88, quæ est Pelagianorum: *Hi Dei gratiæ, qua prædestinati sumus in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, et qua eruimur de potestate tenebrarum*, etc., *in tantum inimici sunt, ut sine hac posse hominem credunt facere omnia divina mandata*, etc.] Anathema vero omnibus qui divinæ gratiæ sunt inimici! Nec puto Pelagium, si revivisceret, deliberaturum an posset respondere *Amen;* magna voce illico ita responderet. Verum accusatorie dicit Augustinus inimicos gratiæ Dei eos qui internum afflatum ad singulos necessarium actus, eumque ineluctabilem et ad finem usque vitæ solis electis dandum; hoc est, *gratiam* Augustini, non Dei, repudiabant; nam *gratiam* hunc afflatum, aut *gratiam Dei* vocari in Scriptura nunquam demonstravit. Cæterum cum Deus mandata cuipiam dat, sine dubio ea ille potest observare; nam Deus, qui justus est, impossibilia non imperat sumitve pœnas de iis qui non fecerunt impossibilia. Quod si præter nudum imperium, auxilium aliud divinum necessarium sit, quod non negabat Pelagius, nemini eorum quibus aliquid imperat, id subtrahit Deus. Sed omnia hic sunt, ut alibi apud Augustinum, ad invidiam faciendam composita. Consulendus hac de re liber Dionysii Petavii de Hæresi Pelagiana et Semipelagiana, qui est in tomo III Dogmat. ejus theologicorum. Cætera non attingemus, de quibus ad epistolas Augustini sat multis diximus; sed hinc observabimus, ubi agitur de adversariorum sententia, non esse facile eorum adversariis credendum.

## ANIMADVERSIONES

### IN TRACTATUM ADVERSUS JUDÆOS.

Cap. 3, § 4. *Quid sibi autem velit quod sic prænotantur quidam psalmi, quos et ipsi legunt et habent, in litterarum auctoritate sanctarum, ut in eorum titulis scriptum sit:* Pro iis quæ immutabuntur; *textus vero eorumdem psalmorum prædicat Christum, nisi quia eorum mutatio per illum futura prædicta est per quem apparet impleta?*] Respicit Augustinus ad titulos psalmorum, ex divisione Græca XLIV, LXVIII et LXXIX. Fatendum, nisi verum dissimulare velimus, aptissimum fuisse Augustinum ad retundendam pertinaciam Donatistarum aut stultam impietatem Manichæorum; sed contra Judæos in arenam descendere non debuit, quippe destitutus armis in illa pugna plane necessariis, hoc est, cognitione linguæ Hebraicæ et litterali Veteris Testamenti intelligentia. Res ex toto libello liquet, sed præsertim ex hoc argumento, quod tamen pluribus persequitur. Regerere potuerunt et quidem merito, Judæi LXX interpretes male vertisse verba Hebraica quæ hic sunt: על שושנים *hal schoschannim*, ὑπὲρ τῶν ἀλλοιωθησομένων, quasi legendum esset hic, ששונים *scheschonim*, hoc est, *qui mutant*, vel *diversi sunt;* esse vertendum cum Aquila, *super liliis;* nam שושן esse *lilium*, qua voce significatur hic aut instrumentum musicum, aut initium cantici. Quomodo contrarium probasset Augustinus? Deinde si concessissent sic esse vertendum ut transtulerunt LXX interpretes, negassent inde sequi a Messia legem mutari debuisse, sed tantum, quandoque venerit, miseram suæ gentis sortem in beatiorem mutatum iri; frustra sudasset Augustinus ut iis hisce aut similibus argumentis utentibus os occluderet. Ac sane duobus tantum modis, cum aliquo fructu, disceptare cum Judæis possumus. [Alter est si non tantum Scripturis Vet. Testamenti, quas eludere norunt, sed illorum opinionibus et scriptoribus contra ipsos utamur; quod facere non potuit Augustinus, cui ignota illa erant armamentaria. Alter vero si historiam et miracula Jesu Nazareni vere contigisse ostendamus; quod facere potuisset Augustinus, si omissis allegoriis, frigidisque argutiis, ad accuratas ratiocinationes se convertisset, quales sunt in libris II et III operis de Veritate religionis Christianæ ab Hug. Grotio conscripti, quæ et in aliis recentiorum monumentis copiosius expositæ leguntur. Verum iis sæculis, quantumvis ab imperitis aut factiosis

jactentur, parum nota erat ratiocinandi et probandi accurata methodus.

## ANIMADVERSIONES
### IN LIBRUM DE UTILITATE CREDENDI.

Cap. 3, § 5. *Omnis Scriptura quæ Testamentum Vetus vocatur, diligenter eam nosse cupientibus quadrifaria traditur; secundum historiam, secundum ætiologiam, secundum analogiam, secundum allegoriam.*] Hæc omnia ad unum referenda, quid, nimirum, significetur verbis Scripturæ, quæ ex omnibus grammaticorum et criticorum legibus sunt explicanda. Ætiologia, analogia et allegoria, quæ non nituntur litteralis interpretationis fundamento, meræ sunt ad populum phaleræ, ut dudum viri docti ostenderunt. Sed videamus quomodo hæc intelligat Augustinus: *Secundum historiam*, inquit, *traditur, cum docetur quid scriptum aut quid gestum sit; quid non gestum sed tantummodo scriptum quasi gestum sit.* Sic omnia essent historica, quia aut scripta, aut gesta sunt; nec quidquam etiam est scriptum quasi gestum, cum gestum non sit, præter parabolas. Augustinus exemplum tamen profert veræ historiæ a Christo laudatæ Matth. XII, 3, 4. *Secundum ætiologiam*, inquit, *quid qua de causa vel factum, vel dictum sit.* Cujus rei exemplum est dictum Christi, de causa permissi a Mose divortii Matth. XIX, 8. At in inquirendis ejusmodi causis, oportet aut præviam habere auctoritatem Christi et apostolorum, aut certissimam historiam rationesque non dubias. Alioqui quælibet rationes quorumlibet reddentur, quæ utramque faciunt paginam apud veteres. Tertio *secundum analogiam*, inquit, *cum demonstratur non sibi adversari duo Testamenta, Vetus et Novum.* Quod verissimum, si animus Dei et œconomiæ diversitas probe observentur, lex enim complectebatur στοιχεῖα, ut loquitur Paulus, seu *elementa* religionis, quibus ad instar pædagogi, paulatim Judæi ad perfectionem Christianam deducerentur. Itaque multa ferebantur sub lege, quæ non amplius feruntur sub Evangelio; quamvis utrobique fuerit idem Dei animus, sed qui non una œconomia, pro captu populorum et temporum, usus est. Quod si hæc misceantur et violentis allegoriis torqueatur Vetus Testamentum, ut per omnia idem videatur tradere ac Evangelium, tum vero analogia nulla servabitur. Denique, *secundum allegoriam, cum docetur non ad litteram esse accipienda quædam quæ scripta sunt, sed figurate intelligenda.* Scio quid allegoriarum patroni soleant dicere, sed ea demum allegorice sunt intelligenda quæ manifestæ allegoriæ speciem præ se ferunt, ut Eccle. XII, 4 et seqq. Cætera omnia proprie intelligenda. Sed hac de re alias.

Cap. 9. *Vera religio, nisi credantur ea quæ quisque postea, si se bene gesserit, dignusque fuerit assequatur atque percipiat, et omnino sine quodam gravi auctoritatis imperio, iniri rite nullo pacto potest.*] Hæc contra Manichæos, qui catholicam Ecclesiam maxime criminabantur, quod illis qui ad eam veniebant præciperet ut crederent, cum ipsi omnia ratione demonstraturos se pollicerentur. Qua in re, intolerandi profecto erant, cum nihil nisi monstra proferrent, et quæ nulla verisimilitudine erant tincta; nedum ut ratione niterentur, ut multis in locis recte ostendit Augustinus. Verum hic aliter respondet illis quam vellem et quam res postulabat. Quo enim argumento probare poterat prius esse quædam sine ratione (nam hoc debet intelligi) credenda, quæ postea perciperentur? Quis mendaciorum et fabularum propola non potuit similia exigere, et postea dicere, si quis commenta ejus rejecisset, eum fuisse indignum qui ea assequeretur? An non Judæi et ethnici Christianis contra se ratiocinantibus talia reponere poterant, esse credendum, non ratiocinandum? Igitur Christiani, ut pari jure agerent, pati debuerunt id contra se adhiberi quo usi fuerant contra ethnicos et Judæos; nec erat cur propterea sibi timerent, ratione enim longe superior futura erat religio Christiana, ut satis ostenderunt Hugo Grotius, aliique qui eam ratione defendere laudatissimo instituto et felicissimo successu cœperunt. Sed tria erant quæ tempore Augustini effecerunt ut fides sine ratione exigeretur. Primum, est quod non satis erant in philosophia, criticaque exercitati, ut Scripturam contra objectiones Manichæorum, aliorumque defendere commode possent; ut liquet vel ex historia creationis, quæ tantopere torsit Augustinum, ut neque in Confessionibus, neque in libris de Genesi ad litteram, sibi aut ulli satisfecerit. Creatio septem diebus distincta, quiesque Dei septimo die scopuli fuerunt, ad quos impegit quotiescunque hac in parte sacri Oceani navigare ausus est. Sensum litteralem quasi adversum rationi rejicit, allegoricum vero a vocibus plane abhorrentem amplectitur. Alterum, quod revera sibi conscii essent non pauca a se dici plane contraria rectæ rationi; qualia erant tam multa quæ de gratia et prædestinatione, aliisque dogmatibus iis adnexis, quasi capita fidei credenda ab Augustino proponebantur. Denique is sermo fuit partium jam vires suas sentientium, et multitudine sua fretarum; quam sæpe jactat hic Augustinus, contempta paucitate aliter sentientium. Ejusmodi partes, ac ingenia pati non possunt sibi obloqui pauciores, sed volunt fidem loquentibus continuo haberi.

Cap. 10. Postquam multis probare conatus est sacerdotem ei qui religionem Christianam sibi probari cupit, credere oportere, eum animo veritatis cupido ita se gerere; hinc colligit talem hominem vicissim sacerdoti de religione aliquid affirmanti credere oportere. *In religione vero*, inquit, *quid iniquius fieri potest quam ut Dei antistites nobis non fictum animum pollicentibus credant, nos eis præcipientibus nolimus credere?* Miror tam levem rationem tam multis persequi sustinuisse rhetorem nostrum. Nam primum similia Judæus ac ethnicus sacerdos dicere potuerunt Christianis, cum potestate ac numero superiores erant Judæi ac ethnici in Romano imperio. Quare Christianum a tali responsione satius fuit abstinere. Secundo, quis docuit Augustinum, nonnisi

is qui studiosi veri esse creduntur, explicandam fuisse religionem Christianam? An non indignis omnia pandunt sacri Scriptores, qui libris, in quorumvis manus deventuris, religionem Christianam æque ac Judaicam, complexi sunt? Fateor interdum, vitandi periculi causa, fugiendæve inutilis concertationis, satius esse tacere quam apud improbos id proloqui quod spernant, aut cum indignatione excipiant. Sed exceptis ejusmodi circumstantiis, debet religio apud omnes accuratissime probari, et præsertim quidem libris. Quinimo sic se gessit ipse Augustinus, sic omnes Christiani doctores. Tertio, nemo nescit omnes bonos esse habendos, dum malos esse non constat. Quis autem animum novit ejus qui petit sibi explicari religionem, nisi hominis mores eum antea aperuerint? Sed plane alia est ratio doctrinæ, cui assentiri nemo debet antequam eam veram esse constet. Damnare eam non debet, rationibus nondum auditis, sed amplecti nulla lege jubetur. Quarto denique, jubenti me pro imperio credere quidpiam quod ei natura sua notius non est quam mihi, nulla ratione edita, nonnisi stulte credere possum; at animus uniuscujusque est ipsi notissimus. Sed quid opus est verbis? Si Augustinus vixisset apud ethnicos, quales erant etiamnum Persæ aliique Orientales populi ejus tempore, adiissetque sacerdotem aut magum et ab illo quæsiisset rationes ob quas ignem Persæ colebant, iis demum crediturus postquam firmas deprehendisset; sacerdos vero ille similia dixisset de utilitate credendi quæ hic narrat Manichæo; Augustinus sine dubio intolerandam esse tyrannidem sensisset, et dixisset si ausus esset. Ne ergo bona ratiocinatio habeatur in Africa Christiana, quæ paralogismus fuisset ad ortum Euphratis.

Cap. 12. *Quæro igitur, si quod nescitur credendum non est, quomodo serviant parentibus liberi, eosque mutua pietate diligant, quos parentes suos esse non credant. Non enim ratione ullo pacto sciri potest, sed interposita matris auctoritate de patre creditur, de ipsa vero matre plerumque nec matri, sed obstetricibus, nutricibus, famulis,* etc.] Verum hæc sunt plane dissimilia, nam parentes et alii scire possunt, et revera sciunt quinam sint sui et certorum hominum liberi; nec ulla utilitate ducuntur, saltem plerumque, ad supponendos sibi alienos liberos. Sed sacerdotes qui volunt sibi credi de religione, ejus veritatis non sunt magis conscii quam alii homines, si rationibus sint destituti; et plerumque, non sine magna utilitate sua, suum gregem augebant.

Cap. 14. *Si nihil me credere jubet* (hæreticus), *hanc ipsam veram religionem ullam in rebus humanis esse non credo; quam cum esse non credo, non quæro. At ille, ut opinor, quærenti monstraturus est..... Ad eum igitur qui me vetat credere non venirem, nisi aliquid crederem. Estne ulla major dementia, quam ut ei sola, quæ nulla scientia subnixa est, fide displiceam, quæ ad ipsum me sola perduxit?*] Sed qui credit veram aliquam esse religionem, seu Deum coli velle ab hominibus, sine ulla omnino ratione; aut insanit, aut ita hebes est, ut ab insanis non multum distet. Qui fidem habuit tibi sine ratione, idem etiam sine ratione cum videbitur, tibi fidem detrahet; assentieturque æque facile Arianis, si rerum potiantur, aut etiam, quod deterius est, Muhammedanis; quod revera fecerunt Afri, post Augustini tempora. Quisquis credit esse aliquam religionem veram, quæritque ubi eam invenire possit, non est tam fatuus, ut nullam rationem sibi dari postu'et.

Ibid. § 21. *Quid quod omnes hæretici Christo nos credere hortantur?* etc.] Verum est, sed fuitne hæreticus tam impudens aut tam bardus, qui nullas firmas rationes esse Christo credendi diceret? Non opinor. Fuitne etiam sacerdos tam ignarus aut tam hebes, qui aliquas earum rationum proferre non potuerit? Profecto si fuit, indignus fuit sacerdotali ordine, et perperam in eum erat cooptatus. Nemo est qui nolit credere id quod non vidit, si modo ei constet eos qui quod non vidit docent potuisse rem rescire, nec fallere voluisse, aut ipsos deceptos fuisse; quod liquidum nobis fit de Christo et apostolis, et natura ipsa rerum quas docuerunt, et miraculis præsertim. Sed qui scis, inquies, facta fuisse talia miracula, eaque contigisse quæ narrantur in apostolorum scriptis? Hoc scio, prout novi reliquos omnes Historiæ antiquæ eventus indubitatos, imo et firmioribus rationibus nixus; non quia credo auctoritati cujuspiam, a quo an fallar necne nescio.

Ibid. § 32. *At ipsum* (Christum) *videmus, quantum illa, cui et ipsi* (Hæretici) *credunt, docet historia, nihil prius, neque fortius, quam credi sibi voluisse; cum illi nondum essent idonei, cum quibus ei res esset, ad divina percipienda secreta.*] Christus apud Judæos Evangelium nuntiavit, nemo autem Judæorum erat qui non facile animadverteret ab eo minime idololatriam suaderi et egregia ad mores præcepta dari; quamvis non intelligerent quæcunque dicebat. Nemo etiam illorum fuit qui non facile videret miracula ab eo fieri, quot et qualia ab antiquis prophetis facta non fuerant. Duæ hæ satis graves fuerunt credendi rationes, nec potest Christus, cum bona Augustini venia, cum iis conferri qui sine ratione sibi credi volunt. Apud Joannem passim inculcat doctrinam suam esse a Patre suo acceptam; sed sibi non vult credi, nisi miraculis dictis suis fidem faciat. Imo vero sic apud discipulos loquitur cap. xv, 24: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Igitur Christus minime postulavit sibi sine ratione credi; nec ab iis quos curavit, ut sanarentur ad se delatos, fidem exegit, nisi postquam jam multa ediderat miracula. Verum, ne quid dissimulem, hoc sensit Augustinus, ut ostendunt sequentia verba: *Quid enim aliud agunt,* inquit, *tanta et tam multa miracula, ipso etiam dicente ea non fieri ob aliud, nisi ut sibi crederent?* Nihil verius, sed erant ipsa miracula gravissima ratio, cur tuto ei crederent, et credere se posse intelligerent. *Sciebant* enim *quia peccatores Deus non audit* (ad edenda miracula quibus fraudibus suis fidem faciant); *sed si quis Dei cultor est, et vo-*

*luntatem ejus facit, hunc exaudit.* Joan. IX, 31. Itaque non potuit Augustinus exemplo Christi uti, ut probaret Ecclesiam catholicam jure sibi sine ratione credi postulare. *Ergo ille afferens medicinam, quæ corruptissimos mores sanatura esset, miraculis conciliavit* (sibi) *auctoritatem, auctoritate meruit fidem.* Quæ verba sunt Augustini, quibus plane assentimur; at non sequentibus: *fide contraxit multitudinem, multitudine obtinuit vetustatem, vetustate roboravit religionem.* Quamvis enim fide sibi facta apud multitudinem, Ecclesiam suam condiderit, atque conditam auxerit; attamen eo non spectavit ut aliquando religionem vetustate roboraret, quasi vetustas argumentum quandoque futurum esset veritatis. Non assentimur iis qui Christi dogmata sequuntur, quia antiqua est illorum fides; sed quia consentanea est veritati cœlesti, cui fidem Christus miraculis suis fecit. Sed Augustino commodum erat talibus argumentis uti in hæreticos ac schismaticos, quibus passim novitatem et paucitatem exprobrat; quas olim Christianis exprobraverant ethnici.

Cap. 18. *Cum igitur tantum auxilium Dei, tantum profectum, fructumque videamus, dubitabimus nos ejus Ecclesiæ condere gremio, quæ usque ad confessionem generis humani, ab apostolica sede, per successores episcoporum, frustra hæreticis circum latrantibus et partim plebis ipsius judicio, partim conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum majestate, damnatis, culmen auctoritatis obtinuit?*] Nescio an hæc verba *usque ad confessionem humani generis* satis sana sint; si sunt, sensus erit, confitente humano genere. Sed multo mihi suspectiora sunt verba *ab apostolica sede*, nam sic solebat in Occidente sedes Romana vocari; cujus auctoritatem omnibus artibus amplificare conati sunt exscriptores librorum ecclesiasticorum monachi. Si enim Augustinus de Ecclesia per omnes terras sparsa hæc intellexit, falsum est eam *ab apostolica sede culmen auctoritatis obtinuisse;* omnes enim norunt Orientales Ecclesias priores tempore fuisse, nec ullam auctoritatem ab ulla Occidentali trahere voluisse. Si quid apostolica sedes habuit auctoritatis, id promanavit ex communione quæ ei fuit cum cæteris Ecclesiis Christianis, quæ omnes simul omnem suam potestatem Christo capiti debent. Ne Africanæ quidem Ecclesiæ, tempore Cypriani et ipsius Augustini, ut satliquet ex contentione cum Stephano, et alia de transmarinis appellationibus, auctoritatem suam Romanæ debere voluerunt, quamvis eam forte matrem agnoscerent. Igitur ut quod suspicor aperiam, crediderim legendum *ab apostolica fide.* Primam enim Ecclesiæ Christianæ auctoritatem trahebant *ab apostolica fide;* quod cum apostolis, nempe, sentirent. Sic Tertullianus ratiocinatur in lib. de Præscript. hæreticorum cap. 20 et 21, pluresque apostolicas memorat sedes, non unam. *Ecclesias,* inquit, *apud unamquamque civitatem condiderunt* (apostoli) *a quibus traducem fidei et semina doctrinæ cæteræ exinde Ecclesiæ mutuatæ sunt, et quotidie mutuantur, ut Ecclesiæ fiant. At per hoc et ipsæ apostolicæ deputantur, ut soboles apostolicarum Ecclesiarum.* Paulo post: *Hinc igitur dirigimus præscriptionem; si Dominus Jesus Christus apostolos misit ad prædicandum, alios non esse recipiendos prædicatores, quam Christus instituit; quia nec alius Patrem novit, nisi Filius et cui Filius revelavit, nec aliis videtur revelasse Filius quam apostolis quos misit ad prædicandum ubique quod illis revelavit. Quid autem revelaverint, id est, quid illis Christus revelaverit, et hic præscribam non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando, tam viva, quod aiunt, voce, quam per epistolas postea. Si hæc ita sunt, constat proinde omnem doctrinam quæ cum illis Ecclesiis apostolicis matricibus et originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, sine dubio tenentem quod Ecclesiæ ab apostolis, apostolia Christo, Christus a Deo accepit.* Hæc ostendunt optimo sensu posse apud Augustinum legi *apostolica fide*, a qua sedes apostolicæ ipsæ omnem auctoritatem trahebant; ideo enim iis creditum est, quod cum apostolicis scriptis sentire se profiterentur, quæ scripta a plerisque antiquissimorum hæreticorum rejiciebantur.

Quod si Augustinus omnino scripserit *apostolicam sedem*, voluit Manichæos Afros adducere ad Ecclesiam catholicam Africanam, quæ consentiebat cum sede Romana. Sed id argumentum levius, nam quis promiserat Ecclesiis apostolicis nunquam eas a Christi doctrina aberraturas? Nemo. Talia sunt quæ ducit ex consensu plebis et conciliorum, quæ tam falsis favere possunt quam veris; aut ex hæreticis *miraculorum majestate damnatis*, quæ illo ævo stratagemata erant ecclesiastica quibus plebeculæ fucus fiebat. Vide lib. contra epistolam Fundamenti cap. 4.

Cap. 18. *Non fama de fumo est, et nescio qua fabella Persica, cui satis est aurem accommodare et animum non subtilem, sed plane puerilem.*] Fabellam Persicam vocat dogmata absurda Manichæi, qui Persa erat seu Babylonius. Vide et Epiphanium hæres. 46, et postea librum contra Epist. Manichæi.

## ANIMADVERSIONES
### IN LIBRUM CONTRA EPISTOLAM MANICHÆI.

Cap. 1. *Nostrum igitur fuit eligere et optare meliora, ut ad vestram correctionem aditum haberemus; non in contentione et æmulatione et persecutionibus, sed mansuete consolando, benevole cohortando, leniter disputando; sicut scriptum est:* Servum Domini non oportet litigare, sed mitem esse ad omnes, docibilem, patientem, in modestia corripientem diversa sentientes. *Nostrum ergo fuit velle has partes expetere; Dei est volentibus et petentibus donare quod bonum est.*] Quis non laudet mansuetudinem, hac in re, Augustini? quis non plaudat episcopo Pauli monitorum tam opportune memori? Certe ego hæc verba satis exosculari non possum. Sed et sequentia, cedro digna, libenter exscribam: *Illi in vos sæviant qui nesciunt cum quo labore verum inveniatur, et quam difficile caveantur errores. Illi in vos sæviant qui nesciunt quam rarum et arduum sit carnalia phantasmata piæ mentis serenitate superare. Illi in vos sæviant qui nesciunt cum quanta difficultate sanetur oculus interioris hominis, ut possit*

*intueri solem suum*, etc. *Illi in vos sæviant qui nesciunt quibus suspiriis et gemitibus fiat, ut ex quantulacunque parte possit intelligi Deus.* Nihil verius est quam eos demum sævire in alios, ut eos ad rectam fidem, uti putant, adducant, qui nesciunt quam facile sit errare, et quam difficulter præconcepta semel judicia sanentur. Dolco Augustinum, ad mortem usque, in tam pia sententia non perstitisse; nam hunc librum scripsit circa annum 397 ; sed anno 412, plane mutaverat mentem, ut liquet ex epistola ad Vincentium. Tum demum intellexit facillimum esse et æquissimum multis, terrore et vi militari homines ad catholicam Ecclesiam adducere; et, quod mireris, eodem tempore quo gratiæ ineluctabilis inspirationi omnes bonas hominum actiones tribuere cœpit. Doleo etiam, in tam piis Augustini verbis, legi damnationem imperatorum qui contra Manichæos tot cruentas leges tulerunt, et quæ etiamnum leguntur in codice Theodosiano. Scio eorum *electos* accusatos fuisse nefandorum stuprorum, quod nos docet Augustinus in libro de Hæresibus ; sed idem docet auditores impiorum illorum mysteriorum ignaros fuisse. Si ergo plectendi erant *Manichæi*, non sine distinctione de iis pœnæ sumendæ fuere, quod tamen non fit. Lege 7, tit. 5, lib. XVI codicis Theodosiani jus condendi testamenti, aut testamento in facultates patris vel cujusvis alius succedendi , eripitur Manichæis quibusvis ; nec eam constitutionem tantum in futurum valere vult Theodosius, sed, præter omnem consuetudinem, in præteritum. Vide et in eodem titulo leg. 19, et Jac. Gothofredi commentarium.

## ANIMADVERSIONES

### IN LIBROS CONTRA FAUSTUM MANICHÆUM.

Libro XIV contra Mosem sic argumentatus erat Faustus : *Ait* (Deut. XXI, 23) *maledictum esse omnem qui pendet in ligno. Hunc ergo tu vis ut accipiam, huic ut credam; cum, si divinus fuit, constet eum scientem volentemque maledixisse Christo; si vero nolens nesciensque maledixerit, constet eum non fuisse divinum.* Tam facilem objectionem diluere non potuisse Augustinum mirum est; mortem enim et maledictionem unum idemque esse vult, nec ullo modo sese expedit. Deinde quod additur *Maledictus Deo*, sic interpretatur : *Nisi enim Deus odisset peccatum et mortem nostram, non ad eam suscipiendam atque delendam Filium suum mitteret. Quid ergo mirum si maledictum Deo quod odit Deus?* Sed apud Mosem nulla peccati mentio, neque cujusvis mortis, sed tantum cadaveris e ligno pendentis; quod esse rem summopere pollutam docet Moses. Vide ad eum locum Joannem Clericum.

Libro XVI. Cap. 22. *Hinc est et illud cujus ambigœitate Faustus fallitur :* Videbis vitam tuam pendentem, et non credes vitæ tuæ. *Quæ verba et aliter posse intelligi potest aliquis dicere, de Christo autem non posse intelligi, nec Faustus ausus est dicere, nec quisquam prorsus audebit, nisi qui negaverit aut Christum esse vitam, aut a Judæis visum esse pendentem, aut eos illi non credidisse. Cum vero et ipse dicat* : Ego sum vita, *et cum pependisse constet ante oculos ei non credentium Judæorum, non video cur dubitare debeamus id etiam de Christo scripsisse illum de quo Christus ait :* Ille enim de me scripsit.] Nos quidem non secus ac Augustinus agnoscimus Christum esse hominum *vitam*, eumque *pependisse* coram incredulis Judæis, et a dogmatibus Manichæorum fortasse alieniores sumus quam ipse fuit; sed tamen pernegamus in loco Deuteronomii agi de Christo. Est is Deut. XXVIII,66, ubi Moses sic describit anxietatem Judæorum in captivitatem abductorum : *In gentibus quoque illis*, inquit, *non quiesces, neque erit requies vestigio pedis tui. Dabit enim tibi Dominus ibi cor pavidum, et deficientes oculos et animam consumptam mœrore, et erit vita tua quasi pendens ante te. Timebis nocte et die, et non credes vitæ tuæ. Mane dices : Quis mihi det vesperum? et vespere : quis mihi det mane? propter cordis tui formidinem*, etc. Nemo non videt agi de vita dubia ac incerta quæ, nota etiam Latinis metaphora, dicitur *pendere*. Antecedentia et consequentia hanc esse sententiam liquido ostendunt. *Non credere vitæ suæ*, est procul omni dubio securum non esse de vita sua. Quod si licet conculcata propria significatione vocum et loquendi generum, ex qua egregius oritur, circumstantiisque loci convenientissimus sensus, ad translatitiam confugere, nec rationem ullam habere consequentium ac antecedentium; primum omnia ex omnibus Scripturæ locis deducere licebit, deinde nihil in Scripturæ interpretatione certum erit, et quævis commenta ex ea probari poterunt. Scio Athanasium et alios Patres Græcos ac Latinos similiter hunc locum explicuisse; sed si multo plures proferrentur, non efficeret eorum auctoritas ut omnes rectæ interpretationis leges abrogarentur; cum constet (quid enim nos hic mentiri aut dissimulare cogat?), propemodum omnes imperitos criticæ sacræ et infelices Scripturæ interpretes fuisse, quidquid dictitent qui nec eos, nec Scripturam sat studiose legerunt.

Libro XVII. Cap. 1. Faustus in hæc verba Matth. v, 12 : *Non veni solvere legem, sed adimplere*, sic stulte ratiocinatur : *Quis hoc testatur dixisse Jesum? Matthæus. Ubi dixisse ? In monte. Quibus præsentibus ? Petro, Andreæ, Jacobo et Joanne; quatuor his tantum, cæteros enim necdum elegerat, nec ipsum Matthæum*, etc.] Sic ratiocinabatur Faustus, quia credebat Matthæum ordinem temporis in sua narratione observasse, quod ab eo non factum esse ostendit in sua Evangelica Harmonia Joannes Clericus : ex qua liquet, non Matthæum tantum, sed et reliquos omnes apostolos eo tempore jam fuisse electos, atque sermonem e monte habitum audivisse. Eam adito, si tanti est. Miror Augustinum hoc non reposuisse, cum cæteroqui futiles Fausti argutias non male confutet. Non solum tamen Faustum, sed et alios multos fugit hæc observatio, et in nonnullos errores conjecit.

Libro XXII. Cap. 55. *Cum igitur Abraham eo tempore viveret, in rebus humanis, quo quidem jam fratres ex utroque, aut ex altero, vel altera parente natos necti conjugio non licebat ; filios vero fratrum aliosque longin-*

*quiore gradu generis consanguineos, nulla lege, nulla potestate prohibita consuetudo jungebat, quid mirum si sororem suam, id est, ex patris sanguine procreatam habebat uxorem? Nam hoc ipse reddenti sibi eam regi dixit de patre esse sororem, non de matre.*] Sed non tantum *sororem* vocat, quod ambiguum esse potuit, sed *filiam patris, non vero matris*, Gen. xx, 12 ex quo liquet proprie hoc esse intelligendum. Ac sane nulla est historia quæ nos doceat eo tempore, apud Chaldæos, illicita fuisse fratrum et sororum conjugia; quamvis hoc affirmet Augustinus. Eadem tamen quoque fuit sententia Epiphanii, quod testatur Hæresi 39, num. 7, et Hieronymi in libro contra Helvidium. At neuter ulla certa profert ejus rei argumenta, quæ notior eis esse quam nobis non potuit. Hieronymum videtur temere secutusesse Augustinus.

Libro xxxiii. Cap. 6. *Sed quid vobis faciam* (alloquitur Manichæos, qui Veteris Testamenti Scripturas prorsus rejiciebant, Novi falsatas esse contendebant), *quos contra testimonia Scripturarum ita obsurdefecit iniquitas, ut quidquid adversum vos inde prolatum fuerit non esse dictum ab Apostolo, sed a nescio quo falsario, sub ejus nomine scriptum esse dicere audeatis?*] Nihil iniquius ac absurdius fingi poterat quam quod faciebant Manichæi; qui, nullo critico argumento nixi, sed tantum præjudiciis iisque perabsurdis obcæcati, falsata esse dicebant quæcunque erant in Apostolorum scriptis ipsorum placitis contraria. Merito Augustinus hanc illis objicit ratiocinationem lib. xxiv: *In apostolorum litteris quod volumus verum est, quod nolumus falsum est*; qua impudentius ac stultius nihil excogitari potuit. Suspicor sane homines, si ausi fuissent, rejecturos fuisse omnem Scripturam, tam Novi quam Veteris Testamenti; sed quia numero Christianorum censeri volebant, in absurdas conjecturas esse delapsos.

Ibid. *De quo libro certum erit cujus sit, si litteræ quas apostolorum dicit et tenet Ecclesia ab ipsis apostolis propagata, et per omnes gentes tanta eminentia declarata, utrum apostolorum sint incertum est; et hoc erit certum scripsisse apostolos, quod huic Ecclesiæ contrarii hæretici proferunt auctorum suorum nominibus appellati, longe post apostolos existentium?*] Optime sane. Cum enim videamus plerosque omnes Christianos, ab iis usque qui proxime apostolicæ ætati successerunt, una voce affirmare hæc, paucis exceptis, apostolica esse scripta; non est cur quisquam de illorum testimonio dubitet, si modo in iis libris nihil sit quod recta ratio indignum esse spiritu divino demonstret. Jam autem nemo eos, qui non fatuus sit aut pravo ingenio, libros leget, quin dignissimos esse eos auctoribus quibus tribuuntur, virisque a Deo missis, non judicet. In iis etiam divina quædam simplicitas ac sinceritas nitet, quæ cum sequentium sæculorum figmentis ac pigmentis minime consentit; ut facile intelligas ea esse antiquiora et profecta ab eorum manibus quibus similes nullos postea fuisse videmus. Igitur cum nullum sit, in re ipsa, vel minimum suppositionis indicium; testimonium Christianorum suspectius esse non potest quam scriptorum ethnicorum, qui summo consensu testantur Æneidem esse fetum poetæ Augusto æqualis, et quorum testimonio stylus et præstantia poematis maximum pondus addunt. Igitur audiendi non sunt qui, sine ullis argumentis criticis, diu post apostolorum tempora, libros eorum in dubium revocare aggressi sunt, ut commentis suis contrarios.

Ibid. *Quasi vero et in litteris sæcularibus non fuerint* (sic legendum potius quam fuerunt) *certissimi auctores, sub quorum nominibus multa postea prolata sunt et ideo repudiata; quia vel his quæ ipsorum esse constaret, minime congruerunt, vel eo tempore quo illi scripserint, nequaquam innotescere et per ipsos vel familiarissimos eorum in posteros prodi commendarique meruerunt.*] Hisce nihil potest esse κριτικώτερον. Exemplum habemus ipsum Augustinum, cujus genuinis operibus admista erant sæculis barbaris multa supposititia; quæ Erasmi diligentia quidem partim, sed Lovanienses præsertim ac Benedictini tribu merito moverunt, adjuti indiculo operum Hipponensis episcopi a Possidio Calamensi, amico ejus ac discipulo conscripto, et quem Joannes Vlimmerius primus edidit. Hinc multa quasi Augustini laudata, superioribus sæculis, merito postea rejecta sunt, et auctoribus Benedictinis jure posthac rejicientur. Quod cum ita sit, obelus criticus erit apponendus multis locis ex iis opusculis prolatis, ab iis qui de controversiis theologicis superioribus sæculis scripserunt. Quamobrem veri amantes gratias Benedictinis habere debent, quas nos hic iis libenter agimus.

Ibid. *Nonne, ut alios omittam, sub Hippocratis medici nobilissimi nomine, quidam libri prolati in auctoritatem a medicis non recepti sunt? Nec eos adjuvit nonnulla similitudo rerum atque verborum, quando comparati eis quos vere Hippocratis esse constaret, impares judicati sunt; et quod ab eo tempore quo et cætera scripta ejus non innotuerunt quod vere ejus essent.*] De criticis operum Hippocratis variisque eorum judiciis, adeundus medicus eruditus Daniel Clericus, in Historia Medicinæ, Gallico sermone conscripta, et edita Amstelodami anno clɔlɔcci, parte 1, lib. 3, cap. 30. Dissimilitudo scriptorum effecit ut ex ipsius Augustini operibus innumeri libelli ejicerentur, qui nunc ad calcem singulorum voluminum conspiciuntur. Idem et in aliis Patribus Græcis et Latinis fieri cœptum est.

Ibid. *Hos autem libros quibus illi qui de transverso proferuntur, comparati respuuntur, unde constat esse Hippocratis; unde, si quis hoc neget, nec saltem refellitur, sed ridetur, nisi quia sic eos, ab ipso Hippocratis tempore, usque ad hoc tempus et deinceps successionis series commendavit, ut hinc dubitare dementis sit?*] Hæc et cætera quæ de veris auctoribus dignoscendis, multis illustravit exemplis et testimoniis veterum Joannes Clericus Artis criticæ parte 3, sect. 2, ubi agit de indiciis suppositionis, nec sane criticorum præstantissimus meliora posset hanc in rem proferre.

Ibid. *Platonis, Aristotelis, Ciceronis, Varronis, aliorumque ejus nodi auctorum libros, unde noverunt homines quod ipsorum sint, nisi eadem temporum sibimet succedentium contestatione continua?*] Adde et nullam fuisse iis qui talia dixerunt mentiendi propositam mercedem aut utilitatem. Quæ omnia verissime dici possunt de iis libris sacris, qui semper habiti sunt eorum hominum quorum nomina præferunt. In re ipsa nihil est quod non sit dignissimum hominibus divinitus afflatis; semper ab omnibus qui se eorum discipulos professi sunt, eorum genuini fetus habiti sunt; nec ratio hisce ulla fuit mentiendi. Nam iis libris, quasi divinis admissis tantum abest ut quidquam, ad hanc vitam quod attinet, lucrarentur Christiani, ut contra, jam ferme ab initio, mores eorum et consuetudines, imo etiam opiniones multæ, præsertim sequentibus ætatibus, ex iis redargui possent. Profecto si conficti essent, ita essent scripti ut ad emolumentum eorum famamque qui iis uterentur spectarent; non eos tam aperte, uti faciunt, damnarent, et ut degeneres Christianos infamarent, et novorum dogmatum ac rituum conditores fuisse ostenderent.

Ibid. *Multi multa de litteris ecclesiasticis conscripserunt, non quidem auctoritate canonica, sed aliquo adjuvandi studio, sive discendi. Unde constat quid cujus sit, nisi quia iis temporibus quibus ea quisque scripsit, quibus potuit insinuavit atque edidit, et inde in alios atque alios, continuata notitia, latiusque firmata ad posteriores etiam usque ad nostra tempora pervenerunt, ita ut interrogati cujus quisque liber sit, non hæsitemus quid respond re debeamus.*] Verissimum hoc est de libris insignioribus, et qui in omnium manibus versati fuerant, ab ipsa scriptorum quibus tribuuntur ætate. Alioqui jam illo ævo multa fuerant supposita, ut in Artis criticæ parte memorata multis ostensum est. Hinc quoque Augustinus potuisset intelligere et sibyllarum et Hermetis Trismegisti suppositos fuisse libros, qui ante pauca sæcula prorsus ignoti fuerant. Sed ex eo quod multi sunt libri suppositi, non sequitur omnes posse in suppositionis suspicionem trahi; aut quia sunt multi veri, omnes posse pro legitimis fetibus eorum quibus tribuuntur haberi. Quod animadvertendum in eos qui ex imperitia criticæ, aut nimio affectu, in alterutro horum extremorum peccarunt.

Ibid. *Sed quid pergam in longe præterita? Ecce istas litteras quas habemus in manibus, si post aliquantum tempus vitæ hujus nostræ, vel illas quisquam Fausti esse, vel has neget esse meas, unde convincitur, nisi quia illi qui nunc ista noverunt, notitiam suam ad longe etiam post futuros continuatis posterorum successionibus trajiciunt?*] Talia quotidie experiri licet in iis quæ majorum nostrorum ætate scripta sunt; quorum permulta ita celebria fuerunt, ut in omnium manibus ab initio fuerint, sintque postea futura. Exempli causa, habemus Desid. Erasmi opera et seorsim et conjunctim ejus ætate edita, quæ ad nos transmissa, nos quoque ad posteros transmittemus, nec quisquam nisi insanus de iis dubitare poterit; nisi si forte epistola aliqua alicubi delitescens quasi Erasmiana postea proferatur, et in dubium ab aliis revocetur. Attamen, ne quid dissimulemus, ars typographica rem multo certiorem ac faciliorem reddidit; poterant enim ex codicibus mss. supposititia multa proferri, quæ revinci facile, propter raritatem exemplarium, non poterant. Ac sane opus fuit splendidissima criticæ luce ut secernerentur ipsius Augustini opera genuina a supposititiis.

Tandem sic egregiam hancce disputationem claudit : *Quæ cum ita sint, quis tandem tanto furore cæcatur, nisi dæmoniorum menduciloquorum malitiæ atque fallaciæ consentiendo subversus sit, qui dicat hoc mereri* (hoc est consequi, ut passim) *non potuisse apostolorum Ecclesiam, tam fidam, tam numerosam fratrum concordiam, ut eorum scripta fideliter trajicerent; cum eorum cathedras usque ad præsentes episcopos certissima successione servaverint; cum hoc qualiumcunque hominum scriptis, sive extra Ecclesiam, sive in ipsa Ecclesia, tanta facilitate proveniat?*] Hæc probe sunt pensitanda iis qui scripta apostolica, ab ipsorum ætate omnibus nota fuisse, perque Ecclesias sparsa, ac publice lecta negant; sed a secundi demum sæculi hominibus in lucem protracta volunt. Videtur Augustinus in animo habuisse locum Tertulliani de Præscriptione contra hæreticos, cap. 36 : *Age jam, qui voles curiositatem melius exercere, in negotio salutis tuæ, percurre Ecclesias apostolicas, apud quas ipsæ adhuc cathedræ apostolorum suis locis præsident; apud quas ipsæ authenticæ litteræ eorum recitantur, sonantes vocem et repræsentantes faciem uniuscujusque. Proxima tibi est Achaia? habes Corinthum. Si non longe es a Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum. Si autem Italiæ adjaces, Romam, unde nobis quoque auctoritas præsto est.*

Igitur cum a temporibus apostolicis in Ecclesiis quas condiderant recitatæ fuissent *authenticæ eorum litteræ*, non sine summa impudentia ab hæreticis, sequentibus ætatibus exortis, rejiciebantur.

## ANIMADVERSIONES

### IN LIBROS DE TRINITATE.

Libro I. Cap. 1, § 1. *Est item aliud hominum genus, eorum qui universam quidem creaturam, quæ profecto mutabilis est, nituntur transcendere, ut ad incommutabilem substantiam, quæ Deus est, erigant intentionem*, etc.] Platonicos intelligit, aut Platonicorum lectioni deditos; hi enim, præter omnes alios, incorporeum summum Numen esse contendebant. Eosdem respicit hisce verbis, quibus paragraphus clauditur : *Qui autem putat ejus esse potentiæ Deum, ut seipsum ipse genuerit, eo plus errat, quod non solum Deus ita non est, sed nec spiritualis nec corporalis creatura; nulla enim omnino res est quæ seipsam gignat ut sit.* Sic enim loquebantur vulgo Platonici, ut Deum sui ipsius genitorem dicerent; quod insigni exemplo ostendimus ad tom. VI, lib. de Quæstionibus LXXXIII, quæst. 16.

Cap. 4, § 7. Docet catholicos scriptores docere *quod Pater et Filius et Spiritus sanctus, unius ejusdemque substantiæ inseparabili æqualitate divinam insinuent unitatem; ideoque non sint tres Dii, sed unus Deus*, etc.] Hæc et similia ut recte intelligantur, probe expendenda est vox *æqualitas*; ex qua liquet veteres, quamvis *unam eamdemque substantiam* dicant, intelligere non, ut nos hodie, *unam* numero *substantiam*, quæ sibi æqualis dici non solet; sed unam specie, cujus tria individua recte dicuntur sibi invicem æqualia. Vide Dionys. Petavii Dogmat. theolog. tom. II; de Trinit. lib. IV capp. 9 et 11, et notas in editione Amstelodamensi adjectas. Multa hodie a nobis hac de re dicuntur incommodis locutionibus, iisque a veteribus desumptis; quia ab aliter sentientibus, cum quibus nos sentire perperam putamus, inventæ fuerant, et cum sat aptæ eorum sententiæ exprimendæ essent, nostram jam exprimere commode nequeunt. Nisi hujusce rei memor sit horum librorum lector, in iis passim tenebras offendet atque subinde cespitabit.

Cap. 6, § 13. *Non est utique creatura Spiritus sanctus, cui ab omnibus sanctis talis servitus* (non δουλεία sed λατρεία) *exhibetur, dicente Apostolo:* Nos enim sumus circumcisio, Spiritui Dei servientes (Philip. III, 3), *quod est in Græco* λατρεύοντες. *Plures enim codices, etiam Latini, sic habent*, qui Spiritui Dei servimus; *Græci autem omnes, aut pene omnes. In nonnullis autem exemplaribus Latinis invenimus, non*, Spiritui Dei servimus, *sed* spiritu Deo servimus.] At tom. V, sermone 169: *Scio*, inquit, *plerosque codices* (Latinos, nam de Græcis postea) *habere*, qui Spiritu Deo servimus; *quantum autem inspicere potuimus, plures Græci hoc habent:* qui Spiritui Dei servimus. Vide quæ de hoc loco habet Joannes Clericus Artis criticæ part. 3, sect. 1, cap. 14, § 15. Quamvis credamus eos errasse qui Spiritum sanctum creaturam esse voluerunt; attamen hoc loco contra eos uti nollemus, ubi *plerique libri Latini*, assentientibus et multis Græcis, recte legebant: *spiritu Deo servientes*, ut jam plerique censent. Notanda varietas Augustini, qui hic ait *plures codices Latinos* habere *Dei*, sermone vero in hæc verba *plerosque* habere *Deo*. Rursus tom. X, lib. III ad Bonifacium, cap. 7, codices habere ait alios *Spiritu Deo*, alios *Spiritui Deo*, alios *Spiritui Dei*. Duæ priores lectiones sunt potius variæ interpretationes vocum πνεύματι Θεῷ.

Cap. 12, § 23. Marc. XIII, 32. *De die et hora nemo scit, neque angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater.* Ad hæc ita Hipponensis episcopus: *Hoc enim nescit, quod nescientes facit, id est, quod non ita sciebat ut tunc discipulis indicaret: sicut dictum est Abraham:* nunc cognovi quod timeas Deum; *id est, nunc feci ut cognosceres, quia et ipse sibi in illa tentatione probatus innotuit.*] Hanc interpretationem Genes. XXII, 12, violentam esse, si quæ unquam fuit, ostendimus ad tom. V, serm. 2. Non commodior est loci Marci, nec capio qui se Arianis silentium imponere posse ejusmodi responsione sperarent. Vide tamen quæ hanc in rem collegit Dionys. Petavius Dogmat. theolog. tom. V, lib. XI, cap. 1. Satius multo erat dicere Christum hominem hic loqui, nec in mentem humanam cadere omniscientiam; quam violenter verba Christi torquere, ut consentiant cum hypothesi pro arbitrio arrepta. Pertinaciores hinc fiebant Ariani, cum dubitare non possent quin adversariorum interpretatio contorta esset; quamvis ipsi graviter errarent, dum eam ignorantiam Deitati Christi tribuebant.

Libro II. Cap. 11, § 20. De angelis qui Abrahamo apparuerunt, Genes. XVIII, 2. *Cum vero tres viri visi sunt, nec quisquam in eis vel forma, vel ætate, vel potestate major cæteris dictus est; cur non hic accipiamus visibiliter insinuatam, per creaturam visibilem, Trinitatis æqualitatem?* etc.] Clarius hanc apparitionem senior interpretatus est Augustinus de Civit. Dei lib. XVI, cap. 29. Vide tamen infra lib. III, cap. 11, ubi angelos fuisse etiam demonstrat.

Libro III. Cap. XI, § 23. Postquam dixit angelorum ministerio factas apparitiones divinas: *Sed ait aliquis*, inquit, *cur ergo scriptum est:* Dixit Dominus ad Moysen, *et non potius: dixit angelus ad Moysen? Quia cum verba judicis præco pronuntiat, non scribitur in gestis, ille præco dixit, sed ille judex.*] Vide superiorem adnotationem et interpretes ad Exod. III et XX.

Libro IV. Postquam dixit *duplæ morti nostræ* (animi et corporis) *salvatorem nostrum impendisse simplam suam*, sic enim loquitur, delabitur cap. 4 ad allegoricam arithmeticam: *Hæc autem ratio*, inquit, *simpli ad duplum originem quidem a ternario numero, unum quippe ad duo tria sunt; sed hoc totum, quod dixi, ad senarium pervenit; unum enim et duo et tria sex fiunt. Qui numerus propterea perfectus dicitur, quia partibus suis completur. Habet enim illas tres, sextam, tertiam, dimidiam; nec ulla pars alia, quæ dici possit quota sit, invenitur in eo.*] Hæ sunt Platonicæ et Pythagoricæ nugæ, quales exstant apud Philonem cum alibi, tum in libro de Mundi Creatione. Nemo jam est qui talia non rideat, non tantum *petulanti splene cachinno*, sed et qui negantur alioqui ridere. Nemo est qui talibus commentis nomen suum ascribi velit. Hæc eo minus ferenda, quod in re seria, si quæ alia est, versetur hic Augustinus et ab inscriptione operis sui nescio quo digrediatur. Sed pauci sunt Augustini libri in quibus non sint digressiones ejusmodi quæ hiantem lectorem frustrentur.

Libro V. Cap. 5, § 6. *Quamvis diversum sit Patrem esse et Filium esse, non est tamen diversa substantia; quia hæc non secundum substantiam dicuntur, sed secundum relativum; quod tamen relativum non est accidens, quia non est mutabile.*] Notanda vox *diversa*, qua frequenter hoc in negotio utitur Augustinus; significat enim non distinctam, sed alius generis. Vult ergo *paternitate*, ut cum scholasticis loquar, et *filietate* non fieri duorum generum substantias, sed eas ejusdem generis esse, ac sola relatione Patris ad Filium, Filii ad Patrem distinctas. Multa hac de re, sed satis intricata habet Dionys. Petavius Dogm. Theolog. tom. II, lib. de Trinit. IV, cap. 11

Cap. 8, § 9 et 10. *Essentiam dico quæ οὐσία Græce dicitur, quam usitatius* substantiam *vocamus. Dicunt quidem et illi* hypostasin; *sed nescio quid volunt interesse inter* usiam *et* hypostasin; *ita ut plerique nostri, qui hæc Græco tractant eloquio, dicere consueverint μίαν οὐσίαν, τρεῖς ὑποστάσεις, quod est Latine, unam essentiam, tres substantias.*] Hoc est, unius quidem generis essentiam, sed tres distinctas substantias, at non diversas; vel unam essentiam in tribus substantiis, quæ varia duntaxat subsistendi ratione, hoc est relationibus differunt.

Cap. 9. *Sed quia nostra loquendi consuetudo jam obtinuit ut hoc intelligatur, cum dicimus* essentiam, *quod intelligitur cum dicimus* substantiam; *non audemus dicere* unam essentiam, tres substantias; *sed* unam essentiam, *vel* substantiam, tres autem personas; *quemadmodum multi Latini ista tractantes et digni auctoritate dixerunt, cum alium modum aptiorem non invenirent quo enuntiarent verbis quod sine verbis intelligebant.*] Similia habemus lib. VII, cap. 4, § 7. Miror *essentiam* et *substantiam* mista fuisse, cum sint diversæ significationis voces; ideoque cum voce *substantia* non careret lingua Latina, inventa esset vox *essentia*, nec ab eruditis repudiata quasi inutilis. Quintilianus Instit. Orator. lib. III, cap. 8: *Multa ex Græco formata nova ac plurima a Sergio Flavio, quorum dura quædam admodum videntur, ut* ens *et* essentia; *quæ cur tantopere aspernemur nihil video, nisi quod iniqui judices adversus nos sumus, ideoque paupertate sermonis laboramus.* Sane nec superiorum sæculorum metaphysici, nec nostri temporis philosophi ac theologi ea voce carere potuissent; uti nec, sine magna ambiguitate, eam confundere cum *substantia*. Veteres autem cum *unam essentiam* aut *substantiam* in divinis dicebant, intelligebant unitatem specificam; cum *tres personas*, tres substantias non diversas, sed distinctas. De unitate vide quæ infra lib. VI, cap. 3, § 4. *Revera enim*, subjicit Augustinus, *cum Pater non sit Filius, et Filius non sit Pater, et Spiritus sanctus ille, qui etiam donum Dei vocatur, nec Pater sit, nec Filius, tres utique sunt. Ideoque pluraliter dictum est:* Ego et Pater unum sumus; *non enim dixit, unum est, quod Sabelliani dicunt, sed*, unum sumus. Observandum Augustinum cæterosque omnes veteres non dicere, paternitatem, filietatem, et spiritualitatem, ut scholastice loquar, tria esse, aut tres relationes in unica numero substantia, ut nunc loquimur; sed Patrem, Filium ac Spiritum sanctum tres esse personas, hoc est, *rationalis naturæ*, ex Boetii definitione, *individuas substantias*. Igitur persona est aliquid absolutum, quamvis *personalitas* sit relativum quiddam; quod cum non satis animadverteret Dionys. Petavius, Augustinum non intellexit, ut liquet ex cap. 11, lib. IV, de Trinitate, tom. II Dogm. theol. Aut si intellexit, rem clarius in lucem proferre ausus non est.

Nolebant tamen multi fateri tres esse *substantias*, ne secum pugnare viderentur, ac ne quis tres diversas naturas somniaret, more Arianorum. Hinc Augustinus: *Tamen cum quæritur quia tres? magna prorsus inopia humanum laborat eloquium. Dictum est tamen* tres personæ, *non ut illud diceretur, sed ne taceretur.* Hoc est, non ut diceretur tres esse personas, quales sunt tres homines, qui quamvis sint ejusdem speciei, tamen differunt multum inter se, separatique sunt, et seorsim agunt, qualia in divinis personis esse posse merito negabant veteres. Vide lib. VII, cap. 4, § 7, 8 et 9.

Lib. VI. Cap. 1, § 1. *Inter disputationes quas habebant nostri adversus eos* (Arianos) *qui dicebant*, Erat tempus quando non erat Filius; *hanc etiam nonnulli ratiocinationem inserebant: Si Dei Filius virtus et sapientia Dei est, nec unquam Deus sine sapientia ac virtute fuit, coæternus est Deo Patri Filius. Dicit autem Apostolus* Christum Dei virtutem et Dei sapientiam, *et Deum aliquando non habuisse virtutem aut sapientiam, dementis est dicere; non igitur erat tempus quando non erat Filius.*] Nemo non videt paralogismum hunc esse, et merito rejici ab Augustino sequente libro, ut et ultimo. Nam sapientia Patris ejus est proprietas, qualis non est Filius; qui a Paulo I Cor. I, 24, dicitur *virtus et sapientia Patris*, duntunxat quod in eo maxime emicuerint potentia et sapientia Dei. Attamen sic multi veterum ratiocinati sunt, ut ostendit Dionys. Petavius de Trinit. lib. VI, cap. 9. Sed et ante Ariana tempora, ejusmodi ratiocinationes occurrunt, cum Deum *rationalem* dixerint, quod habuerit apud se *rationem*. Vide Athenagoræ Apologiam pro Christianis, et Tertullianum contra Praxeam cap. 5. Nimirum, bonis illis viris placebant non tantum ratiocinationes ad logicas leges severe exactæ, sed et quæ sola specie firmæ erant. Miror tot verba hanc in rem profudisse Augustinum, cum paucis expediri posset. Sed multa scribere videri voluit, potius quam ad rem facientia.

Libro VII. Cap. 1, § 2. Contra eos qui de Filio loquebantur, quasi essentiæ Patris fuisset proprietas: *Quomodo ergo ejusdem essentiæ Filius, cujus Pater, quandoquidem ad seipsum nec essentia est, nec omnino est ad seipsum, sed etiam esse ad Filium illi est? At enim multo magis unius ejusdemque essentiæ, quia una eademque essentia Pater et Filius; quandoquidem Patri non ad seipsum est ipsum esse, sed ad Filium, quam essentiam genuit, et qua essentia est quidquid est*, nimirum, *Filius.*] Vide hac de re Petavium libri laudati cap. 10, quamvis omnia obscurare conetur. Non potest sane in veteribus laudari, in re difficili per se, quæsita vocum ambiguitas; nec a recentioribus eam augeri par fuit, dum veteribus tribuunt id quod non senserunt; quia iisdem vocibus, sed perincommode, expressum est. Paucioribus multo verbis totum hoc negotium pertractari potuit, et dilucidius.

Cap. 4, § 7. *Itaque loquendi causa de ineffabilibus, ut fari aliquo modo possemus, quod effari nullo modo possumus, dictum est a nostris Græcis:* una essentia, tres substantiæ; *a Latinis autem* una substantia *vel* essentia, tres personæ.] Jam hæc explicuimus ad lib. V, cap. 8 et 9. Hic tantum monebimus legenda at-

tente quæ supersunt in hoc libro, ad finem usque, ab iis qui cupiunt scire quid veteres de unitate Dei et pluralitate personarum senserint. Nimirum intelligebant tres esse substantias distinctas, sed æque per omnia perfectas, ac similes, non sejunctas aut separatas, ut tria corpora, sed conjunctissimas, ita tamen ut relationibus inter se distinguerentur. Fatetur Augustinus potuisse dici *tres Deos*, nisi Scriptura contradixisset, § 8, et *tres essentias*, nisi obstaret arctissima earum conjunctio, et summa per omnia paritas. Ex tota denique ejus disputatione liquet valde ambigue esse, hisce de rebus, locutos veteres. *Quid igitur*, inquit § 9, *restat, nisi ut fateamur loquendi necessitate parta hæc vocabula, cum opus esset copiosa disputatione adversum insidias vel errores hæreticorum?* At profecto ambigua esse non debuerunt, ne plebs interea falleretur, neu contraria dixisse iis quæ sentiebant posteris viderentur, ut contigit; cum præsertim proram et puppim religionis Christianæ, a Nicænis temporibus, in illa sua Trinitatis explicatione, sitam esse putarent. *Cum enim conaretur humana inopia loquendo proferre ad hominum sensus quod in secretario mentis pro captu tenet de Domino Deo, creatore suo, sive per piam fidem, sive per qualemcunque intelligentiam, timuit dicere* tres essentias; *ne intelligeretur in illa summa æqualitate ulla diversitas. Rursus non esse tria quædam non poterat dicere, quod Sabellius quia dixit, in hæresin lapsus est.* Quid vero ex hisce colligemus? Credere nos quoque oportere esse *tres essentias*, numero duntaxat distinctas; cæteroqui conjunctissimas, ita ut *unus Deus* dici possit? Absit sane! Posteriorum sæculorum Ecclesiæ, dum vere statuunt in hoc capite nulli licuisse a Scriptura sacra abire, ac proinde a superioribus ætatibus, quas non suspicabantur ab ea norma recessisse, traditam esse Scripturæ doctrinam; earum sententiam ex Scriptura interpretatæ sunt, tribueruntque antiquioribus non id quod senserant, sed quod sentire debuerant. Nos ergo de unitate Dei, deque Patre, Filio et Spiritu sancto ex Scriptura quoque loquamur atque sentiamus; nec putemus id posse a nobis perspicue explicari, quod perspicue revelatum non est; aut melius exprimi verbis nostris quod non assequimur, quam verbis Christi et apostolorum; cum præsertim tot et tantæ lites ex novis vocibus natæ sint. Si veteribus ignoscimus quod de unitate specifica divinæ naturæ in Patre, Filio et Spiritu sancto docuerunt; ne immisericordes simus in eos qui hac de re aliter quam nos nunc forte sentiunt, si modo Scripturam sacram normam fidei suæ habeant, præceptorum Evangelii sint observantes, reditumque e cœlo Domini nostri Jesu Christi vivos et mortuos judicaturi nobiscum præstolentur. Hanc æquitatem a nobis et rei difficultas, et humani ingenii imbecillitas necessario postulant; nisi mira iniquitate velimus recentiorum deteriorem esse conditionem quam veterum, quibus errantibus non veniam modo, sed et laudes maximas tribuere solemus.

# IN NONUM TOMUM.

## ANIMADVERSIONES

### IN LIBROS CONTRA EPISTOLAM PARMENIANI.

Libro I. Cap. 8, § 13. *Quin etiam conqueri audet Parmenianus quod eos Constantinus ad campum, id est ad supplicium duci jussit, qui victi apud ecclesiasticos judices, nec apud ipsum quæ dicebant probare potuerunt, et adhuc in sanctæ Ecclesiæ præcisione sacrilego furore ferebantur.*] At propterea occidi non debuerunt quod de Cæciliano Carthaginiensi probare non potuerant traditorem fuisse, aut a traditoribus ordinatum; vel quod secessionem fecissent, quamvis immerito, a reliquis Ecclesiis Christianis; si modo legibus civilibus cæteroqui parerent. Hæc delicta et vulnera mitioribus remediis curanda fuerunt.

Cap. 9, § 15. *In quos* (hæreticos) *ex occulto imperio Dei, per manifestum hominum imperium, multa quibus coercerentur severissime constituta sunt; nec solum hæreticis, quoquomodo saltem Christiano nomine dealbatis, sed etiam ipsis paganis. Nam utique et ipsi falsa religione sunt impii, quorum simulacra everti atque confringi jussa sunt recentibus legibus, inhiberi etiam sacrificia sub terrore capitali.*] Rectius dixit *Augustinus* quam putabat *occultum* esse *imperium Dei* de vexandis hæreticis; nam profecto adeo in apostolorum scriptis latet, ut nec ipse, nec alius quisquam id proferre adhuc potuerit. Sed eo latente, non possunt excusari Christiani imperatores qui, ethnicos imitati, meras opiniones pro delictis habuerunt, et gravibus pœnis affecerunt. Res enim tanti momenti, et cujus sunt tam horrendæ sequelæ, nunquam debuit a Christianis tentari; Deo non tantum tacente, sed etiam tot et tantis de amore in universum humanum genus iteratis præceptis disertissimis satis aperte rem vetante. Legatur codicis Theodosiani liber XVI, conferaturque cum legibus ethnicorum principum in Christianos; atque illico licebit intelligere simili quidem temporis intervallo, non tot leges ab ethnicis in Christianos latas quot sunt a Christianis in hæreticos: quæ certe macula est nominis Christiani, quam nunquam, nisi contrariis institutis, principes ac magistratus delebunt. Sat multis hac de re diximus in epistolam ad Vincentium, not. ad tom. II.

Ad ethnicos quod attinet, capitali supplicio si sacra diis suis fecissent mulctandos, videtur respicere Augustinus ad legg. 15, 16 et 18, tit. 10, lib. XVI, codicis Theodosiani, quæ leges anno 399 latæ sunt. Cæterum non tum demum supplicium capitale iis est intentum qui sacra idolis facerent, ejusdem enim tituli lex 4 a Constantio anno 353 lata sic habet: *Placuit omnibus locis atque urbibus universis claudi protinus templa, et accessu vetitis omnibus licentiam delinquendi perditis abnegari. Volumus enim cunctos*

*sacrificiis abstinere. Quod si quis aliquid forte hujusmodi perpetraverit, gladio ultore sternatur. Facultates etiam perempti fisco decernimus vindicari, et similiter affligi rectores provinciarum, si facinora vindicare neglexerint.* Crudelis sane lex et Christiana mansuetudine prorsus indigna; quam legem si quis neget executioni illo tempore ubique mandatam, propterea tamen Constantii honori minime consuluerit; nam per eum non stetit quominus exsecutioni mandaretur, et sequentibus principibus auctor fuit ita sese gerendi. Augustinus tamen non hic tantum, sed et in epistola 93, § 10, eam sævitiam laudat : *Quis enim nostrum*, inquit, *quis vestrum non laudat leges ab imperatoribus datas adversus sacrificia paganorum? Et certe longe ibi pœna severior constituta est; illius quippe impietatis capitale supplicium est.* Hæc si possent laudari, omnia a Christianis per tria prima sæcula dicta contra persecutionem religionis causa, quasi stulta aut mala fide dicta essent habenda. Stultum enim fuisset id oppugnare quod æquissimum esse putares; nam non persecutio ipsa, quasi per se mala, potuisset ab iis oppugnari, sed tantum quæ fieret contra recte sentientes. Cupiebant autem Christiani ab ethnicis, dum ethnici erant, omnem persequendi animum abjici; hoc est, se ab iis non vexari, quamvis ethnici crederent eos in errore versari, quod multis locis probari posset. Quod si persecutionem non improbabant, si modo a recte sentientibus in errantes exerceretur, oportuisset eos, si animum nudare voluissent, sic ethnicos alloqui : Nunc quidem, dum infirmiores sumus, o ethnici, a vobis dissentientes clementer ferri cupimus; sed si quando rerum potiemur, ne fallamini, non eamdem clementiam vobis præstare statuimus. Aras, templa ac simulacra omnia evertemus, sacrificiaque vestra ita vetabimus, ut sacra diis vestris facere vobis capitale futurum sit. Interea vos oramus ut erga nos clementer vos geratis, dum superiores estis, quamvis, si unquam imperatores Christianos habere possimus, vos quasi impios simus interfecturi, si religionis vestræ cultum tueri velitis. Sic Christianos loqui oportuisset, si verum fateri voluissent; aut certe nihil obstabat quominus eorum dicta sic interpretarentur ethnici, si id credebant quod hisce temporibus credebat Augustinus. Judicent nunc quicunque omnem animi candorem ac probitatem non exuerunt, an boni essent habendi quorum animus ita affectus fuisset. Hæc tamen sunt necessaria sententiæ Augustinianæ consectaria.

Verum hic præterea diligenter observandum est, quod ad epistolam 44 observare omisimus. Exprobrabat Fortunatus Donatista, anno 398, Augustino ita esse animatos episcopos catholicos, ut data sibi potestate acriter essent Donatistas persecuturi, quamvis dissimularent. Vide epist. 44, 11. Id vero negabat Augustinus iis verbis quæ ex epistola excerpsimus ad tom. II, Deumque cordium testem vocabat. Sed duobus annis postea, hoc est 400, quo hic liber est scriptus, contra sentiebat ac loquebatur.

Cap. 10, § 16. *An forte dicent etiamsi convincuntur in sacrilega dissensione..... non tamen ad imperatorum potestatem hæc coercenda vel punienda pertinere debere? Qua in re quæro quid dicant; an quia de religione vitiosa vel falsa nihil curandum est talibus potestatibus? Sed multa etiam de paganis diximus, et de ipsis dæmonibus, quod persecutiones ab imperatoribus patiantur. An et hoc displicet?* ] Hæc erant valde invidiosa et cum magno periculo conjuncta; si enim Donatistæ aperte dixissent eam curam ad imperatores non pertinere, pro seditiosis habiti fuissent; nec fateri poterant, eo sensu quo intelligebat Augustinus, sine periculo; si enim res erat arbitrii imperatorum, eis parendum erat. Sed discutienda fuit ambiguitas totius rei. Igitur constat inter omnes gentes summis potestatibus demandatam fuisse a populis, aut scriptis legibus, aut tacito certe consensu, legum civilium et tranquillitatis publicæ tutelam. Has ut sartas tectas conservent, unius justitiæ rationem potestates habeant necesse est; seu par est eas ex legibus et æquitate de omnibus judicare. Verum nulla societas est quæ iisdem potestatibus demandarit curam opinionum, præsertim theoreticarum; ita ut eas sanciant quæ ipsis placebunt, proscriptis omnibus aliis, atque auctoritate sua, et armis, si necesse sit, e republica eliminatis. Nemo tam insanus est qui putet sibi necesse esse sequi opiniones summæ potestatis; cui ad res ipsas, ad vitam communem ac civilem pertinentes, libenter alioqui paret. Alioquin oportuisset Judæos primum, deinde et Christianos ethnicis magistratibus de religione fidem habere, et idololatriam amplecti; neque enim deteriore jure imperabant pagani quam postea Christiani imperatores. Oporteret similiter, quicunque in Muhammedanis regnis, aut idololatriæ deditis etiamnum vivunt, eos nuntium remittere religioni Christianæ. Quod si dixeris non licere errantibus potestatibus facere, quod licet recte sentientibus, in labyrinthum inextricabilem te conjicies; nam quis demum judicabit hic de errore? Credunt ethnici, credunt Muhammedani, credunt hæretici principes te errare, qui te putas recte sentire; ac proinde te vexare debebunt; nisi forte velis tibi soli ab omnibus credi, a te vero nemini, quod furiosum esset. Constat enim unumquemque id oportere sequi et facere, quod verissimum et optimum ex animi sui sententia ei videtur; non quod falsum et noxium credit, quidquid de eo alii sentiant. An oportebit ethnicum, Muhammedanum, hæreticum principem favere ei religioni, sive sectæ, quam falsam esse credit; vexare vero eos qui recte ei sentire videntur? Sunt ergo omnes potestates, quidquid sentiant, communi legi subjiciendæ; ne, dum veritatis amantibus favere in regno quopiam aut republica volumus, mendacii cultoribus imprudenter arma tradamus, quæ nulla ratione eripere possimus.

Sed nullamne, inquies, curam religionis gerere debent principes? Maximam, et quæ in hoc potissimum sita est, ut ne quis religionis causa alium vexet aut male habeat, qui cæteroqui legibus civilibus pareat;

ne quis item seditionem creet, aut arma capiat, ut aliter sentientes cives occidat, aut e civitate exterminet. Nulla alia tutela indiget veritas, nisi ut ei liceat luce propria fulgenti oculos hominum ad se convertere, et firmis rationibus animos eorum allicere. Nulla erroris oppugnatio certior est quam ut perspicue confutetur, et libere retegantur allucinationes. Sic ergo faveant magistratus veritati, sic errori adversentur. Ubicunque utrumque licebit facere, brevi de errore veritas triumphabit. Quod si hominum ignorantia, stupiditas aut affectus nonnihil triumphum veritatis morentur, non erit longa mora, et humanæ imbecillitatis habenda profecto est aliqua ratio. Remedia certissima et efficacissima quibus corporis morbi curantur, indigent quoque aliquo tempore, quo vim atque efficaciam suam exserant. Mirumne ergo aut iniquum videri potest concedi animorum morbis moram aliquam ut curentur? Nemini sane, nisi semet ipsum ignoranti. At sæpe contigit, inquies, diutissime errores fulgenti veritati restitisse; quod liquet ethnicismi exemplo, qui in imperio Romano centum minimum annis post Constantini tempora superstes fuit, nec forte unquam intermortuus esset, nisi vi legum fuisset expugnatus. At ego illas ipsas leges diuturnitatis erroris causas partim fuisse existimo; quod homines soleant eas opiniones pertinacius fovere quæ vi oppugnantur. Deinde non mera lux Evangelii tenebris ethnicismi opponebatur, neque mera recta ratio errorem oppugnabat. Multa jam erant eo tempore in dogmatibus ritibusque et moribus Christianorum quæ merito (quid enim nunc præsertim nos vetat verum fateri?) offendebant ethnicos. Sæpe etiam Christiani doctores, qui sat bene ethnicos errores evertebant, male atque imperite religionem Christianam tuebantur. Itaque caligantes ethnicorum oculi, dum hinc veritatis luce præstringebantur, illinc pravarum atque falsarum ratiocinationum nebulis præpediebantur, unaque cum paralogismis firmissimas ratiocinationes miscebant. Videbant etiam hominum quoddam genus, a quo maxime oppugnabantur, cupere ut religionem Christianam amplecterentur, non tantum animo ipsis benevolo; sed etiam quia, aucto Christianorum numero, fines regni cujusdam novi generis quod illi homines possidebant proferebantur; opesque et auctoritas eorum augebantur. Hæ aliæque similes fuere remoræ, quæ objectæ sunt ethnicis, ne quamprimum Christianam religionem amplecterentur, non quod edicta non satis acerba ac crudelia contra eos promulgata fuerint; aut quod divinæ veritatis, cum sola fulget, exiguæ sint vires, quando nulla vis vetat quominus fulgeat. Sed hæc satis superque hac de re.

Ibid. *Illud quæro, cum manifeste enumeret Apostolus opera carnis*, Quæ sunt, *inquit*, fornicationes, immunditiæ, contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, hæreses, invidiæ, ebrietates, comestiones *et his similia; quid istis videatur, ut crimen idololatriæ putent juxta ab imperatoribus vindicari; aut si nec hoc volunt, cur in veneficos vigorem legum exerceri juste fateantur; in hæreticos autem atque impias dissensiones nolint fateri, cum in iisdem iniquitatis fructibus, auctoritate apostolica, numerentur?*] Si aqua hærebat hic Donatistis, profecto Augustini contemptu digni erant. Quis enim ignorat quæcunque evangelicis legibus damnantur, et quæ præsertim Paulus loco ab Augustino allato perstringit, civilibus legibus nec solere plecti, nec posse? Exempli causa, æmulationes, animositates, dissensiones, invidia, avaritia, superbia, ambitio, amor rerum hujus vitæ, modo ne eorum causa leges reipublicæ perfringantur, nunquam puniuntur ab hominibus; nec tamen propterea minus Deo invisa sunt, minusve regno cœlesti excludunt. Facile ostendere possemus cur talia nequeant ab hominibus plecti, si hoc ageretur; satis erit dixisse leges civiles esse hominum conditioni attemperatas, nec ab iis eximiam quamdam sanctitatem postulare, sed tantum eam virtutem sine qua civium societas incolumis esse non potest. Similiter nec opiniones subjacent legum civilium pœnis, quia æquiores omnes legislatores ea tantum plectunt quæ experientia quotidiana constat esse mala, taliaque ab omnibus habentur, qui quidem sunt sui compotes: qualia sunt, cædes, furtum, adulterium et similia; quæ si negligerentur, stare societas humana non posset. Ideoque nullum est ratiocinationi Augustinianæ pondus. Si Donatistæ probabant supplicia ethnicorum, digni sane erant qui et ipsi vexarentur; nam quod sibi non fieri cupiebant, id aliis fieri cupere non nisi inique poterant. Inter veneficos et hæreticos nulla est similitudo; nam venefici convicti fatentur se contra jus et fas venena propinasse, nec res ulla obscuritate laborat: sed ubi serio est de opinionibus, quas qui sequuntur credunt esse veras, et propter quas in nullam civilem legem delinquunt, iniquissimæ sunt pœnæ, ob rationes antea allatas. *An forte*, subjicit Augustinus, *nec talia potestates istæ humanæ constitutionis permittuntur curare? Propter quid ergo gladium portat qui dictus est minister Dei vindex in iram eis qui male agunt?* Si talia potestates humanæ vi et armis curant, sine dubio præter jus et fas potentia sua abutuntur; neque enim talia vi et armis curantur. *Defendenda religio est*, inquiebat Lactantius lib. v, cap. 19, *non occidendo, sed moriendo; non sævitia, sed patientia; non scelere, sed fide. Illa enim malorum sunt, hæc bonorum*, etc. *Nihil est tam voluntarium quam religio; in qua si animus sacrificantis aversus est, jam sublata, jam nulla est.* Gladius non est datus principibus nisi in eos in quos ex legibus civilibus gladio animadvertere, propter facinora quibus civilis societas violatur, jubentur; non in eos qui, cætera innoxii, a rectis sententiis aberrant, suntque persuasione et mansuetudine ad rectam viam revocandi. Fac contrarium esse verum, quid dices ethnicis magistratibus, qui rationes tuas audire nolent? Quid reposuisset Augustinus Constantio Ariano male habenti synodi Nicænæ sectatores? Quid Vandalis, qui, non ita multo post ejus ætatem, ex Africa exegerunt episcopos decretorum Nicænorum tenaciores,

plebemque cum iis sentientem male habuerunt? Nimirum, ad suas artes converti cum oportuisset, et palinodiam canere crudelis sententiæ de persecutione licita, ut ad priorem mansuetudinem reverteretur. Nos vero ita sentiamus de jure divino et humano, ut nunquam nos ita sensisse pudeat pœniteatque.

Libro II. Cap. 13, § 29. *Etsi laicus aliquis pereunti dederit necessitate compulsus* ( baptisma et eucharistiam, nam illa juncta erant. Vide not. ad tom. II, epist. 172, § 5 ), *quod cum ipse acciperet quomodo dandum esset addidicit, nescio an pie quisquam dixerit esse repetendum. Nulla enim cogente necessitate si fiat, alieni muneris usurpatio est; si autem necessitas urgeat, aut nullum, aut veniale delictum est.* ] Si ponas ea sacramenta esse necessaria ad salutem, quomodo vulgo tempore Augustini sentiebant, satius profecto est ea a laicis administrari, et rata censeri, quam, ut quidam qui similia sentiunt, velle homines potius perire. Sed neutri ostendere queant ea esse ad salutem necessaria. Vide dissertationem Hug. Grotii de Cœnæ administratione ubi pastores non sunt, atque ad eam animadversiones Dionysii Petavii et Henrici Dodwelli.

Ibid. *Neque ullo modo per devotum militem, quod a privatis usurpatum est, signum regale violabitur.* ] Hæc verba illustravit Dionysius Petavius Animadversionum in Epiphanium pag. 78, ad hæres. 42, unde quæ huc faciunt depromemus. Est καθοσιῶσαι idem ac *consecrare, dicare.* Hinc καθοσίωσις *devotio*, et καθωσιωμένος *devotus*, *consecraneus.* Quare qui se principi devovebant ac religione aliqua consecrabant, καθωσιωμένοι dicebantur, ut milites. Capitolinus in Maximino : *commilitones sacrati, imo vero consecranei.* Ejusmodi fuere Gallorum veterum *devoti, quos illi soldurios appellabant*, ait Cæsar lib. I Commentariorum, hoc est καθωσιωμένοι, quod aptius mihi videtur quam quod Græcus interpres reddidit, συνωμόται; tametsi idem fere est quia ad jusjurandum adigi solebant. Egregium τῆς καθωσιώσεως exemplum refert Dio lib. LIII, ad annum Urbis 725, ubi Sextum quemdam Pacuvium vel Apadium tribunum plebis narrat semetipsum Augusto in senatu devovisse, idemque ut alii senatores facerent auctorem fuisse ; ἐν τῷ γὰρ συνεδρίῳ τε ἑαυτόν οἱ τὸν τῶν Ἰβήρων τρόπον καθωσίωσε, καὶ τοῖς ἄλλοις συνεβούλευε τοῦτο ποιῆσαι. Sed Augusto reclamante, tribunus plebis prosiliens ad populum obvios quosque ac cæteros deinde cives coegit καθιερῶσαι ἀφῶς [F. ἄφνως] τῷ Αὐγούστῳ. ἀφ' οὗπερ καὶ νῦν, προτρεπόμενοι τὸν κρατοῦντα, λέγειν εἰώθαμεν ὅτι τοι καθωσιώμεθα. Hinc καθωσιωμένων appellatio ἐπιθετικῶς ex formula plerisque imperialibus officiis ac ministris attributa ; maxime, uti dictum est, militaribus. Quam in rem profert hunc Augustini locum, aliaque addit, quæ non exscribam. Monebo tantum locum quem citat ex Capitolino, non exstare in vita Maximini, sed in trium Gordianorum, ubi exstat oratio Maximini. Adi et Glossarium nomicum Jac. Gothofredi, ad cod. Theodosianum.

Ibid. *Si quisquam, sive desertor sive qui nunquam omnino militavit, nota militari privatum aliquem signet; nonne ubi fuerit deprehensus, ille signatus pro desertore punitur, et eo gravius quo probari potuerit nunquam omnino militasse, simul secum punito, si eum prodiderit, audacissimo signatore*, etc.] Alludit ad stigmata militaria, de quibus vide Hug. Grotium ad Gal. VI, 7. Lex 4, lib. X, tit. 21, in codice Theodosiano : *Stigmata, hoc est, nota publica fabricensium brachiis, ad imitationem tironum infligatur*, etc. Ad quem locum lege commentarium Jacobi Gothofredi.

## ANIMADVERSIONES
### IN LIBROS DE BAPTISMO CONTRA DONATISTAS.

Libro II. Cap. 3, § 4. *Quis autem nesciat sanctam Scripturam canonicam tam Veteris quam Novi Testamenti, certis suis terminis contineri, eamque omnibus posterioribus episcoporum litteris ita præponi, ut de illa omnino dubitari et disceptari non possit, utrum verum, vel utrum rectum sit, quidquid in ea scriptum esse constiterit?*] Nihil verius, nec ab ullo Christiano in controversiam revocari potuit. Sed et sequentia sunt aurea, et digna quæ perpetuo iis occinantur qui usque adeo Augustini auctoritate abutuntur ut velint nos ei potius credere quam rectæ rationi : *episcoporum autem litteras*, inquit, *quæ post confirmatum canonem vel scriptæ sunt, vel scribuntur, et per sermonem forte sapientiorem cujuslibet in ea re peritioris, et per aliorum episcoporum graviorum auctoritatem doctioremque prudentiam, et per concilia licere reprehendi si quid in iis forte a veritate deviatum est?* Optime, nam episcopis aut aliis ecclesiasticis scriptoribus, post apostolorum tempora, minime datus est Spiritus *qui eos duceret in omnem veritatem;* nec sane æternis rectæ rationis legibus, et canonibus logicis ac grammaticis, quibus omnes alii subjacent Scripturæ interpretes, fuere subtracti a Deo. Igitur si in hæc peccant, ignoscere quidem eis debemus, at non assentiri; nisi hominum auctoritatem præferamus veritati ; quo stultius ac nequius nihil fieri potest. Addit Augustinus in sequentibus ejusdem periodi verbis ; *et ipsa concilia quæ per singulas regiones vel provincias fiunt, plenariorum conciliorum auctoritati, quæ fiunt ex universo orbe Christiano, sine ullis ambagibus cedere ; ipsaque plenaria sæpe priora posterioribus emendari ; cum aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat, et cognoscitur quod latebat : sine ullo typho sacrilegæ superbiæ, sine ulla inflata cervice arrogantiæ, sine ulla contentione lividæ invidiæ, cum sancta humilitate, cum pace catholica, cum caritate Christiana?* Hic desinit præter modum producta periodus. Ex postremis verbis liquet neque provincialia, neque plenaria concilia habita fuisse ab Augustino erroris periculo exempta quandoquidem priora a posterioribus emendari posse censebat. Sed præterea duo hic sunt observanda. Alterum est ad investigationem veri, in re præsertim obscura, undecunque ea obscuritas oriatur, multitudinem nihil facere, sed tantum peritiam eorum qui congregantur et candorem. Si mihi exempli causa omnes omnino

Africæ episcopos congregasses ad judicium ferendum de sensu loci Veteris aut Novi Testamenti, quorum nullus Hebraice sciebat, et perpauci Græce norant, ingens illa imperitorum multitudo ineptior erat ad recte judicandum quam vir unus peritus utriusque linguæ, exempli causa, quam solus Hieronymus Stridonensis, quamvis tanta non fuerit ejus peritia, quam vulgo putatur. Quis dubitet etiam superiore sæculo XVII unum Hug. Grotium, aut unum Joan. Drusium, rectius potuisse Scripturam Veteris et Novi Testamenti interpretari quam omnes Italiæ ac Hispaniæ episcopos simul capita conferentes? Igitur sint plenaria concilia, aut minus plena, mihi perinde erit, ad spem inveniendæ veritatis quod attinet; nec imperitæ multitudini, pro imperio aliquid definienti, et anathemata minitanti, nec rationes ullas, aut eas pravas, suæ definitionis afferenti, magis credam, quam pauculis, aut uni. Imo vero uni viro docto argumenta firma proferenti continuo assentiar, cum ea intellexero, nec adversarios ejus unquam numerabo. Numerus enim nihil ad veritatem facit, et sæpe etiam quo plures congregantur ad eam definiendam, eo plures imperiti, eo plures factiosi colliguntur; qui neque sciunt quid sit verum, neque quærunt, sed tantum quid sibi expediat, aut expedire videatur. Conventus illi ecclesiastici sunt ad civilium normam formati, et quia quo plures in hosce conveniunt, eo major est eorum auctoritas: simile de ecclesiasticis cœtibus judicium fertur. At in civilibus cœtibus aguntur res ad hancce vitam duntaxat pertinentes, eæque hominibus notissimæ, et multis mutationibus obnoxiæ; quarum etiam rerum homines domini sunt, et in quas proinde multitudini majus sine dubio jus est quam paucis. Quamobrem recte convocantur primores civium iique magno numero, ad eas regendas et componendas, pluribusque suffragiis cedunt pauciora. Verum ubi cœlestis veritas agitur, quam nemo nisi studio et attentione adhibitis novit, quæ nulli mutationi obnoxia est, cujus nemo est dominus, et cujus definiendæ majorem a Deo potestatem plures non acceperunt, quam pauciores; non sunt numeranda suffragia, sed singulis expendendæ suffragiorum rationes. Res est clara, sed de ea, pro ejus utilitate ac præstantia, agere hic non possumus. Quare nec quæ objici possent iis quæ a nobis dicta sunt diluemus.

Alterum, quod hic observari volebamus, hoc erat nimirum, cum concilia sint errori obnoxia, non esse ἀβασανίστως eorum decretis credendum, ac proinde, ne alias repetam rationes quas in hisce Animadversionibus sæpius attigi, minime esse vexandos eos qui verum non esse putant quod a conciliis est definitum, si modo, in rebus civilibus, omnibus bonorum civium officiis defungantur. Inique ergo ac crudeliter vexati sunt Pelagius, Cœlestius et eorum discipuli, cum in eos propositum est edictum quo in exsilium acti sunt et bonis omnibus spoliati; et quidem *a quocunque traherentur ad iudicem, sine accusatricis discretione personæ, facultatum publicatione nudarentur, et irrevocabile paterentur exsilium.* Fuit difficilior controversia hæc quam intelligeretur ab Honorio, homine stupido et ex alienis consiliis semper pendente, ejusque aulicis quidvis aliud curantibus quam rerum ejusmodi cognitionem adipisci; nec potuerunt se lictores præbere Afrorum conciliorum sine maxima imprudentia. Ac sane et illo tempore et postea, per totum Orientem et Occidentem, plures locuti sunt et senserunt cum Pelagio quam cum Augustino, quem, famæ causa, reverebantur, quamvis ab eo dissentirent.

Cap. 4, § 5. *Hoc facit sanitas pacis, ut cum diutius aliqua obscuriora quæruntur, et propter invidiosi difficultatem diversas pariunt in fraterna disceptatione sententias, donec ad verum liquidum perveniatur, vinculum permaneat unitatis, ne in parte præcisa remaneat insanabile vulnus erroris.*] Egregium sane monitum atque officium quod merito exigebat a Donatistis; sed cui se ipse subtrahere non debuit in negotio Pelagianismi; in quo nihil tam quæsitum est quam ut præcipitibus multarum synodorum sententiis irrevocabilia anathemata, nunquam, ut par erat, auditis fratribus, dicerentur. Docebit hæc Joan. Garnerius in enumeratione conciliorum quæ contra Pelagianos congregata sunt. Attamen fatendum fuit rem esse, quæ non mediocribus tantum ingeniis, sed et præstantissimis quibusque negotium facesseret.

Cap. 7, § 12: *Hanc ergo saluberrimam consuetudinem per Agrippinum prædecessorem suum dicit sanctus Cyprianus, quasi cœpisse corrigi.*] Ipse Cyprianus epistola ad Jubaianum 73 docet Agrippinum proximum prædecessorem suum non fuisse. *Apud nos autem*, inquit, *non nova aut repentina res est, ut baptizandos sentiamus eos qui ab hæreticis ad ecclesiam veniunt, quando multi jam anni sunt et longa ætas ex quo sub Agrippino, bonæ memoriæ viro, convenientes in unum episcopi plurimi hoc statuerint, atque exinde in hodiernum tot millia hæreticorum in provinciis nostris ad ecclesiam conversi, non aspernati sint*, etc

## ANIMADVERSIONES
### IN LIBROS CONTRA LITTERAS PETILIANI.

Libro I, Cap. 9, § 19. *Cum audierit:* Qui baptizatur a mortuo non ei prodest lavatio ejus (*Eccli.* XXXIV, 30), *respondebit: Vivit Christus, jam non moritur, et mors ei ultra non dominabitur*, etc.] Loco illo Ecclesiastici abutebantur Donatistæ, ut ostenderent baptismum collatum a malo sacerdote, seu qui *mortuus* esset in peccatis, non prodesse. Nescio quot modis se torquet Augustinus ut ostendat ex loco nihil posse elici; cum deberet irridere Donatistas, quod hic *baptismum* Christianum quærerent, cum alia plane mens esset auctoris Ecclesiastici. Hæc ejus est sententia integra: Βαπτιζόμενος ἀπὸ νεκροῦ, καὶ πάλιν ἁπτόμενος αὐτοῦ, τί ὠφέλησιν ἐν τῷ λουτρῷ αὐτοῦ, hoc est, *Is qui abluitur postquam tetigit cadaver, et iterum id tangit, quid capit utilitatis ex sua ablutione?*

Liquidum est respici ad ablutiones legales, quæ debebant fieri post tactum cadaver, ex mandato legis, Num. XIX, 11, et quæ nihil prorsus faciunt ad baptismum Christianum. Sed si legas sequentia, videbis hanc esse priorem partem similitudinis; hæc enim verba sequuntur, quæ alteram continent: Οὕτως ἄνθρωπος νηστεύων ἐπὶ τῶν ἁμαρτιῶν αὐτοῦ, καὶ πάλιν πορευόμενος καὶ τὰ αὐτὰ ποιῶν, τῆς προσευχῆς αὐτοῦ τίς εἰσακούσεται; καὶ τί ὠφέλησεν ἐν τῷ ταπεινωθῆναι αὐτόν; *sic hominis qui jejunat ob peccata sua, et iterum in ea delapsus eadem facit, quis orationem exaudiverit? quidve utilitatis capiet ex sua humilitate?* Nihil hæc ad baptismum, quamvis Cyprianus quoque eo locum hunc trahat, quem citat etiam dimidiatum, epist. 71. Sed ille, ut recte observavit ad eum locum Nicolaus Rigaltius, sæpenumero, ut et alii Patres arripit de Scripturis quidquid vel solo verborum sono facere ad propositum videtur, etsi longe alio sit intelligendum sensu. Tam frequens est hoc in Cypriano, Augustino et aliis, ut minime opus sit quærere, cum viro doctissimo, quod eos in citatione hujus loci excuset, cum excusari nequeant multa alia similia. Vix quisquam dicere possit quam veræ intelligentiæ Scripturæ et paci Ecclesiæ nocuerint oratores populares criticæ omnis ac dialecticæ imperiti. Dum enim nullam regularum utriusque illius artis rationem habent, ubique quosvis sensus quæsiverunt, et ex soni similitudine omnia probare se posse crediderunt, unde innumeræ rixæ natæ sunt. At olim ejusmodi homines, propter dicendi facultatem, aut ad primarias sunt sedes evecti, aut in synodis regnum quoddam obtinuerunt. Plura non dicam, nota enim hæc sunt ecclesiasticæ historiæ peritis, et qui judicium in ea legenda adhibuerunt. Non moror cæteros dissimulare, mentiri, et carpere veri amantes semper paratos.

A

Libro III. Cap. 25, § 30. *Cum ego Mediolanum ante Bautonem consulem venerim, eique consuli calendis Januariis laudem, pro mea tunc rhetorica professione, recitaverim.*] Hujus moris publice laudandorum consulum calendis Januarii, quibus magistratum ineebant, testes sunt Panegyrici consulares, utraque lingua, tum versu, tum soluta oratione dicti a Mamertino, Libanio, Themistio, Claudiano, Sidonio. Hæc adnotavit Jac. Sirmondus, adducto postea loco hoc Augustiniano, ad Epist. Sidonii lib. VIII, epist. 6, ubi Sidonius moris hujus meminit.

B

---

# IN TOMUM DECIMUM.

## JOANNES PHEREPONUS LECTORI.

Multa in hunc ultimum Augustini tomum adnotare facile potuissemus, sed duo aut tria obstiterunt ne id præstaremus, quæ te, lector, rescire nostra nonnihil interest. Primum est festinatio typographorum, quibus, dudum edito integro Augustino una cum indice, longum videbatur exspectare diutius animadversiones nostras, quas tam cito adornari aliæ occupationes non patiebantur. Alterum, quod neque necesse erat quidquam hic a nobis dici, aut pluribus diduci; quia in hisce ratiocinationibus Hipponensis episcopi contra Pelagianos, innumeræ sunt repetitiones, nec, ad summam rerum quod attinet, quidquam novi occurrit præter ea quæ dicta erant hac de re in Epistolis, ad quas quæ visum fuit jam adnotavimus. Nam tota controversia, si probe introspiciatur, vertitur in explicatione quorumdam Scripturæ locorum, de quibus jam dixeramus. Huc accedebat quod nos quoque harum rixarum tantum tandem cepisset tædium, ut eas vix ac ne vix quidem ferre possemus; nec sane quisquam melioribus occupatus millies idem aut legere, aut dicere sustineat; præsertim si quæ tribus verbis absolvi poterant millenis aliquot dicantur, multaque aliena infarciantur, quemadmodum hac in re factum est. Cui vero etiam nauseam non moveant tot et tam longæ, ut voce sequioris ævi utar, *rhetoricationes*, aut ad declinandum adversarii ictum, aut ad eum insectandum, aut denique ad invidiam vel movendam, vel fugiendam? Mihi certe tantum crearunt, inter legendum, fastidium, ut plane recreatione gratiorum et utiliorum studiorum indigeam. Boni igitur consule, lector, quæ sequuntur; aut ipse calamum arripe, ut labori meo suppleas quod deest; sed memento ante omnia solius veritatis, cui uni litare conatus sum, rationem habere. Vale.

C

## PRÆFATIO

AD LIBRUM DE GESTIS PELAGII, ANNO MDCXI PRIMUM EDITUM AUGUSTÆ VINDELICORUM.

S. Augustinus, Retractationum lib. II, cap. 47: *Per idem tempus in Oriente, hoc est in Syria*, etc., usque ad hæc: *Hic liber incipit: Posteaquam in manus nostras.*

His verbis, S. Augustinus scriptionis causam et libri argumentum explicat; qui antehac omnes Augustinianorum operum conquisitores, viros doctrina et diligentia præstantes, fugit, nunc demum Fesulis, in bibliotheca abbatiæ Sancti Bartholomæi canonicorum regularium Lateranensium, repertus. Ejus antigraphum cum Scipio Cobellutius, ab epistolis et secretis summi pontificis, Roma ad Marcum Velserum illust. virum Augustam Vindelicorum misisset; visum pulcherrimæ gemmæ publicam lucem non esse invidendam. *Sapientia enim abscondita, et thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque?* Romæ quidem et Florentiæ accuratissimas editiones, commentariis illustratas, apparari ferebantur, et falcem in alienam messem non mittendam esse memineramus: sed quoniam longum id futurum negotium res loquebatur, neque enim sane tanti momenti causa præcipitari debet, si interim nuda Augustini verba utenda fruenda proponeremus, gratiam nos apud viros pios et eruditos, antiquæ doctrinæ amantes, Romanis

D

Florentinisque editoribus ipsis non invitis, quippe quorum industriæ nullum hinc sufflamen, cum ne dedicationis quidem florem præcerpserimus, inituros speravimus. Exemplum Roma missum cum fide expressimus, et lectiones variantes ad oram ascriptæ, inde sunt: sed quæ in ima pagina plerasque Antonius Velserus canonicus Frisingensis, inter legendum subitaria conjectura adnotavit, paucas aliquas, audaciores paulo non agnoscit. Nullas in contextum, quantavis probabilitatis specie blandientes, recepimus.

Meminit præterea hujus libri Augustinus libro II de Pecc. Origin., cap. 14 : *Quod autem scitis*, etc..... *Aurelium scripsi.*

Possidius in indiculo, cap. 4, *contra gesta Pelagii liber unus.*

Et Photius in Biblioth. Andrea Schotto interprete, num. 54 : *Pelagius in ea synodo*, etc..... *Sic Augustinus in iis quæ ad Aurelium Carthag. episc. scripsit, refert.*

Cætera de synodo et tota hac causa, a card. Baronio, qui Augustini librum periisse credidit, ex ipso S. Augustino, S. Hieronymo et S. Prospero ad annum Christi 615 et seq., atque a Severino Binio in primo Concilior. tomo diligenter et copiose collecta, non exscribimus, ne actum agamus. Obiter monemus ea quæ Augustinus sub finem libri scribit a Pelagianis incredibili audacia perpetrata, *Ut Dei servi et ancillæ ad curam S. Hieronymi presbyteri pertinentes, sceleratissima cæde afficerentur*, etc., haud dubie ea ipsa esse quorum Innocentius pont. epist. 24, sive 32, ad Joannem Hierosolymit. episcopum meminit : *Direptiones, cædes, incendia, omne facinus extremæ dementiæ, generosissimæ sanctæ virgines, Eustochium et Paula, deploraverunt, in locis Ecclesiæ tuæ perpetrasse diabolum.*

Et epist. 25, sive 33, ad Hieronymum : *Dolor gemitusque tuus ita quatit viscera nostra, ut ratio non tractandi consulendique sit.*

## ADVENTORIA

AMICISSIMO AC DOCTISSIMO VIRO P. FRANCISCO MACEDO, IN PATAVINA ACADEMIA ETHICES INTERPRETI ; IN QUA DE INSCRIPTIONE LIBRI S. AUGUSTINI DE GRATIA CHRISTI, ALBINE, PINIANE ET MELANIA DISSERITUR AB HENRICO NORIS VERONENSI AUGUSTINIANO, IN ACADEMIA PISANA ECCLESIASTICÆ HISTORIÆ PROFESSORE.

Reverendissime ac doctissime pater,

Acceperam ab amico litteras quibus significabat te Venetiis Bononiam versus solvisse ; nescire autem se quam in urbem improvisam hanc tuam peregrinationem destinasses. Idem etiam libellum quem nuper Veronæ adversus meam de quorumdam veterum Lerinensium doctrina sententiam edidisti, transmisit. At ipse volumen illud avide legere, diligenter expendere, accurate notare. Etenim sperabam fore ut, superatis Apennini jugis, de proximo Florentiam venires, eaque occasione et sincere et amice aperirem quid in libello tuo albis calculis, quid nigro theta signandum censerem. Verum cum Florentiam accessisses, adventum tuum tam studiose mihi celatum voluisti, ut pene verear ne antiquæ nostræ amicitiæ hoc tuo silentio nuntium remiseris ; præsertim cum nec unius libelli tui exemplar ad me deferendum curaveris. Cæterum ne officiis quæ pro jure veteris consuetudinis a te exspectabam, ipse etiam deesse videar, quod sperabam coram præstare, litteris exsequor. Et quidem, mi Macedo, non sum tam bardus aut stupidus quin optime intelligam neminem mortalium quantalibet amicitia carissimum esse in amore Divis præferendum. Novi vetus adagium : *Amicus usque ad aras.* Itaque ineptus judicer, si tantum mihi ab amico tribui velim, ut me plus quam Superos amet. Utinam susceptam pro doctrina sanctorum Hilarii Arelatensis et Vincentii Lerinensis defensionem pro merito præstitisses, et ex vetustis tabulis atque antiquioris Ecclesiæ testibus rem feliciter confecisses ! Profecto multas tibi gratias agerem, plures etiam deberem, quippe qui duos celeberrimos Patres Augustini coætaneos, eidem S. doctori in nullo dogmate adversatos, sed per omnia consentientes ostendisses ; nihil enim magis in votis habeo quam Augustinianam doctrinam communibus Patrum suffragiis comprobatam monstrari. At cum videam te passim rhetoricari, omissis veterum monimentis, tuis imaginationibus indulgere, ac pro historia entia rationis, et secundas intentiones, ut dicitis, seu vana quædam tuæ mentis idola obtrudere ; non possum non tuas vices dolere, qui bonæ causæ non æque bonam advocationem commodasti. Intra sex vel octo dies, nuperrimæ tuæ apologiæ confutationem ad umbilicum deducam, et palam faciam te Dallæi, Blondelli; aliorumque protestantium sententiam sequi, munire, exaggerare ; Baronii defensionem verbo tenus abs te jactari, cum eidem, etiam cum patrocinium magno hiatu promittis, adversere, et neglectis veterum scriptorum voluminibus, novas passim historias, hoc est puras putas fabulas venditari. Ne tamen ad populum phaleras loqui videar, universi tui operis specimen in una et altera pagina capitis septimi in hac epistola exhibeo, cum ne forte iis qui ne leviter quidem in ecclesiastica historia versati sunt, fucum facias, tum etiam ut adventoriæ loco te in Urbe conveniat ; ne qui in amore erga te nemini cedo, amicorum tuorum, quorum centurias Romæ numeras, officiis superer. Etenim nulla inter amicos officia laudabiliora versantur, quam cum suas apud amicos querelas sine sequestro deponunt, animi arcana produnt, nihilque quod illorum rem attinet, celatum volunt ; et si quandoque a benevolentia, humanitate, ac veritate deflectant, eosdem intra orbitas ponunt, et ad officium revocant. Hæc integro volumine præstabo, quod brevi extra Italiam (Florentini enim typographi variis libris libellisque imprimendis occupantur) nitidissimis characteribus excusum, ad te transmittam, quamvis tu Florentia transiens nullam mihi libelli tui legendi copiam facere volueris ; cum tamen plurimi mea interesset noscere per te errores, quos fugerem, cernere veritatem, quam consectarer.

In capite septimo prioris commentationis pro do-

ctrina Lerinensium a te ingeniosissime concinnatæ, pagina 51, veritus ne brevioris opusculi lectio fastidio proximior fieret, lepidam mihi de Albino quæstionem facturus, ex arce causæ ad exilia et ludiera quædam descendis, ut me universis deridendum exhibeas. *Sed ecce*, inquis, *ut molestum hoc opus lepore aliquo et sapore condiam, incido in locum Noris, in quo desidero grammaticam.* Quod autem hoc ipsum esset ex præcipuis quæ in tuo opere lectoribus observanda duceres, in indice scripsisti : *Noris imperitiæ grammaticæ arguitur.* Nec postquam ibidem in proxima pagina, ex sacris theologorum academiis, me ad chronologos amandasti, statim ad grammaticorum subsellia *ab Orbilio*, ut inquis, *castigandum* detrudis. Equidem lectores tanto abs te *lepore et sapore condita* scripta evolventes, cum Terentio repetent :

Facete, lepide, laute, nihil supra. O capitulum lepidissimum.
In Eun. III, 1, 3.

Ipse autem doctissimi æque ac sanctissimi Nolani antistitis ad Ausonium V. C. carmina tibi ingero :

Multa jocis pateant ; liceat quoque ludere fictis.
Sed lingua mulcente gravem interlidere dentem,
Ludere blanditiis urentibus, et male dulces
Fermentare jocos satyræ mordacis aceto,
Sæpe poetarum, nunquam decet esse parentum.

Non tua scripta lepore condis, mi pater, sed meam mihi cutem, non secus ac elephantinam, tam multo sale perfundis, ut cum me *amicissimum* ibidem voces, procul dubio habearis

Magni delator amici.
Juven., *sat.* 1, 33

æniquiori autem loco me tecum congredi jubes, dum ad grammaticam provocas, quæ tuum regnum est, in quo tibi plaudis ac triumphas. Etenim cum ego nondum mammam atque tatam loquerer, tu eloquentiæ magister publice Madriti rhetoricam profitebaris, cui a teneris unguiculis strenuam, atque indefessam operam navaveras, non secus ac ille,

Quem pater ardentis massæ fuligine lippus
A carbone, et forcipibus, gladiosque parante
Incude, et luteo Vulcano ad rhetora misit.
Juven. *sat.* 10, 30.

Profecto nunquam ab *amicissimo* viro, qualem te contestaris, tantum meo tergo periculi timuissem, ut ab eodem contra me stringerentur Orbilii scuticæ,

Ferulæque tristes, sceptra pædagogorum.
Mart., *lib.* X, 62

Itane a meo Macedone, quem in editis voluminibus toties summis laudum præconiis extuli,

Discipulorum inter jubeor plorare cathedras ?
Horat., *sat.* 10.

Libeat Augustini sententiam solidæ apologiæ loco tibi reponere lib. II contra Cresconium, cap. 1 : *Si enim*, inquit, *Demosthenes clarissimus oratorum, cui verborum tanta fuit cura quanta rerum auctoribus nostris, cum tamen ei nonnullam orationis insolentiam objecisset Æschines, negavit ille in eo positas esse fortunas Græciæ, illone, an illo verbo usus fuerit, et an huc, an illuc manum vorrexerit : quanto minus nos laborare debemus de regulis derivandorum nominum, quando sive hoc, sive illud dicamus, intelligitur sine ambiguitate quod dicimus, quorum non in expolitione sermonis, sed in demonstratione veritatis est major intentio.* Interim ne me timeas, *cui vides necessariam esse grammaticam.* Sed ne me tergiversari putes, grammaticorum scholam *ab Orbilio castigandus*, ut minitaris, ingredior.

Cum lib. I Hist. Pelagianæ, cap. 15, expenderem inscriptionem librorum S. Augustini de Gratia Christi, et de Peccato originali, nempe : *Sincerissimi fratres, dilecti a Deo, Albine, Piniane, et Melania*, non admisi correctionem Baronii, qui an. 409 pro *Albine* putavit *Albina* reponendum, *nisi*, addit ibidem, *præter Albinam matrem fuerit illic Albinus filius.* Etenim ea ætate feminarum nomina non semper feminina terminatione efferebantur. Paulæ filia neutræ terminationis cognomen habuit, nempe Eustochium. Imo mulierum nomina a sanctis Patribus cum terminatione masculina id temporis exprimi solita affirmavi. Ita *Albinam* junioris Melaniæ matrem passim *Albinus* in recto casu vocatam indicavi. Augustinus præter inscriptionem libri de Gratia Christi hunc titulum epistolæ 227 dedit : *Albino, Piniano et Meliano.* Ubi certum est legendum esse *Melaniæ.* Hieronymus epist. 79 ait : *Albinus, Pinianus, Melania salutant vos.* Possidius Calamensis in indice librorum S. doctoris Hipponensis scribit libros de Gratia Christi et Peccato originali missos *ad Pinianum, Albinum et Melaniam.* S. Paulinus epist. 44, quæ inter Augustinianas est 219, *Melanio* pro Melania posuit. Ita Patres, qui anno 400 florebant, Albinæ nobilissimæ feminæ nomen scripsere.

*Mira*, inquis (*pag.* 52), *certe ratio exponendi, nova et incognita antiquis Priscianis, et Donatis, et nuperis Despauteriis, et Nebrissis, quam nulla tempora tulerunt, ut libera esset nominum inflexio, et promiscue masculina et feminina declinarentur : atque adeo Albina pro Albino, et Melanius pro Melania poneretur.*

Rectius dixisses, *Albinus pro Albina, et Melanius pro Melania poneretur.* Sed hoc omisso, ad Donati, ad quod provocasti tribunal vador. Scribit lib. V de generibus : *Sunt præterea alia sono masculina, intellectu feminina, ut Eunuchus comœdia, Orestes tragœdia, Centaurus navis. Alia sono neutra, intellectu feminina, ut Phronesium, Glycerium, Sophronium, quæ mulieres sunt.* Itaque Donato judice, nomen desinens in *us*, alias masculinæ terminationis, si rei femininæ imponatur, retenta terminatione masculina, significationem femininam induit. Ita *Eunuchus* nomen est viri exsecti masculinæ terminationis et significationis ; at si imponatur uni ex comœdiis Terentii, non mutata terminatione, variata tamen significatione, fit generis feminini, et dicimus *lepidam Eunuchum* Terentii. Ægyptus femininæ significationis nomen est ; at si viro cuipiam id nominis imponatur, masculini generis evadit. Horum ratio est, quia terminatio in *us* est tantum materia et substratum nominis ; sola autem significatio, Donato magistro, sortitur rationem for-

mæ. Appello testem omni exceptione majorem Vossium, qui lib. III Grammat., lib. I de analogia, cap. 24, laudato prius Quintiliani testimonio, ait : *Voluit igitur Fabius parem esse rationem in Muræna et Glycerium, eoque ut virile est Muræna* PROPTER SIGNIFICATIONEM, *etsi terminatio aliud requirere videatur : ita Glycerium esse muliebre, licet sit neutralis terminatio.* Quare licet hoc cognomen *Albinus* sit terminationis masculinæ, eo ipso quod feminæ imponatur, quomodo reapse a tot Patribus impositum fuit, significationem femininam subit, quæ optime cum terminatione masculina cohæret. Equidem, mi dulcissime Macedo, Heribertus Rosweydus hisce tuis scrupulis non tangebatur, cum in præfatione ad lib. VIII de Vitis Patrum, num. 6, hæc notavit : *Proba Baronii divinatio ; sed non necesse Albinam pro Albino restituere.* CONSTAT *enim illo sæculo feminarum nomina etiam masculinis terminationibus quandoque elata. Sic de femina nunc* Melanius, *nunc* Melanium *apud veteres occurrit.* Hoc ipsum postea etiam confirmavit in notis ad epistolam 44 S. Paulini, ubi ait : MELANIO : *intelligit ipsam Melaniam*, quæ nunc Melania, *nunc* Melanius, *nunc* Melanium *dicta. Ita videtur capiendus Augustinus epistola* 227 : Carissimis fratribus Albino, Piniano et Melanio : *Ita lego pro Meliano. Intelligit Albinam et Melaniam, cum apud Alypium episcopum Tagastæ in Africa versarentur.* Viden' ut totus meus est Rosweydus ? quem sane ante oculos habui, cum illa scriberem, et Baronii correctionem non admitterem. Tu vero inquis (pag. 35) : *A Grammaticis Noris dissentit ab Orbilio castigandus, nec Baronio timendus, quem obiter pungere voluit, et ego vindicare.* Quid, amice, cum Rosweydo ages? Memento hunc illum esse quem pag. 150 *auctorem eruditissimum et elegantissimum* nuncupasti ; in indice scribis : *Rosweydus auctor elegantissimus.* An forte, ne mihi plagas condones, una mecum Rosweydum ab Orbilio castigandum dices? Cave tibi a tot ferulis quas docti Rosweydi sodales in scholis stringunt. Vel *elegantissimi* titulum expunge, si in homine quoque quemadmodum in me, grammaticam desideras. Vel si temeritati id proximum judicas, me quoque, qui Rosweydi verbis locutus sum, Orbilii ferulis exime. Hoc interim scias mihi decretum esse, malle cum Rosweydo vapulare, quam grammaticas Macedonis regulas discere. Falleris tamen, si unum a me tibi Heribertum opponi putas. Habeo plures tum veteres, tum recentes, tum Græcos, tum Latinos scriptores, quibus pro me loquentibus, tu ne hiscere quidem audeas ; sed mirere tantum, et forsitan doleas ; neque enim

> Hæc rixa est, ubi tu pulsas, ego vapulo tantum.
> JUVEN. *sat.* 3, 228.

*Exemplum*, inquis (*pag.* 53), *Eustochii ab re est, cum Eustochium fuerit nomen proprium virginis Paulæ filiæ, quæ Eustochia dici non potuit, cum Eustochium deberet, quemadmodum nec Glycerium apud Terentium in Andria Glyceria vocari potuit : erant quippe certa nomina terminata in um, quæ tum virorum, tum feminarum propria erant : puta Dynacium, Pegnium virorum ; Eustochium, Glycerium feminarum. Non erat igitur libera nec promiscua illa declinatio, sed necessaria grammatices constructio.*

Memento te in grammaticorum schola versari a quibus vapularent discipuli qui Eustochium *nomen* proprium virginis dicerent, erat enim cognomen filiæ Toxotii et Paulæ ; illius autem nomen Julia erat. Scribit Hieronymus de D. Paula epist. 27 : *Juncta est Toxotio, qui Æneæ et Juliorum altissimum sanguinem trahit, unde etiam filia ejus virgo Eustochium Julia nuncupatur.* Ex quibus corrigo *Glandorpium*, qui Toxotios Juniis accensuit in Onomastico. Quod etiam ex Capitolino in juniori Maximino patet. *Desponsata*, inquit, *illi erat Julia Fadilla proneptis Antonini, quam postea accepit Toxotius ejusdem familiæ senator.* Errat autem Gruterus, qui *Juniam Fadillam* legit. Sed de his alias ; neque enim te, qui nomen virginis pro cognomine posuisti, Orbilii ferulæ subjiciam ; non sum erga amicum tam rigidus in grammatica censor qualem te erga me profiteris. Notat Chiffletius pag. 45 notarum in epistolas Paulini Nolani in editis voluminibus in calce epistolæ ad Pammachium *Eustochium* legi, *cum alioquin*, inquit, *Eustochia scribatur in mss. Puteano et Viennensi.* Codicem vero Puteanum vocat pag. 8, *perquam antiquum et optimæ notæ.* Transeo ad Glycerium Terentii ; video enim te parum veterum monimenta callere, et præsertim Prisciani, quem alterum contra me judicem, seu testem appellas. Notat Priscianus nomina feminarum desinentia in *um* figurate, non vero proprie sic elata. Do ejusdem verba ex lib. VI : *Inveniuntur tamen*, inquit, *apud comicos multa hujuscemodi Græcorum nomina quibus articulos feminini generis necessario significationis gratia præponere solent, ἡ Δόρκιον hæc Dorcium, ἡ Γλυκέριον hæc Glycerium ; hoc autem solet fieri adulationis causa, sive diminutionis ætatis.* Idem lib. V scribit nomina feminarum desinere in UM *figurate, ut Glycerium mea, Dorcium et Philotium.* Quare si Glyceria per imitationem tantum Græcorum a Latinis Glycerium dici potuit proprie et recte, hoc est Latine loquendo, Glyceria, non Glycerium dici debuit. Quid ergo ais : *Nec Glycerium Glyceria vocari potuit ?* Imo passim apud Latinos illius nominis feminam *Glyceram* appellatam video. Martialis lib. II, epigr. 41, ait :

> Respondit Glyceræ dolere dentes.

Horatius lib. I, ode 19 :

> Crit me Glyceræ nitor,
> Splendentis Pario marmore purior.

Ode 30 :

> O Venus, regina Gnidi, Paphique,
> Sperne dilectam Cypron, et vocantis
> Thure te multo Glyceræ decoram
> Transfer in ædem.

Idipsum ex pluribus inscriptionibus apparet. Unam et alteram subiiciam. Romæ ad D. Clementis :

FLAVIA. DOMITILLA. FILIA. FLAVIÆ. DOMITILLÆ IMP. CÆSARIS.... ANI. NEPTIS. FECIT. GLYCERÆ. I. ET. LIBERTIS. LIBERTABVSQ. POSTERISQ. EORVM

Altera apud Gruterum pag. MVIII. 6.

D. M.
FLAVIO. SEVERO
FILIO. KARISSIMO
QUI. VIXIT. ANN. VI. M. V.
FLAVIUS. VITALIS. EVOK. ET
GLYCERA. PARENTES
INFELICISSIMI.

Ex his intelligis nomen *Glyceræ* familiare Latinis fuisse. Unde et in fastis Romanæ Ecclesiæ ad diem 13 Maii leges : *Heracleæ S. Glyceriæ martyris.* Imo non modo apud Latinos, verum etiam apud Græcos Glyceriam, seu Glyceram legimus. Laudatur a Simocatta lib. I et VIII de rebus Mauricii imperatoris cultus Γλυκερίας τῆς μάρτυρος, *Glyceriæ martyris.* Athenæus lib. XIII inter famosas mulieres recenset B τὴν Γλυκέραν, *Glyceram*, quam ab Harpalo Athenas accitam scribit. Lucianus de Rhetorum præcept. cum Thaide, et Malthace Γλυκέραν, *Glyceram*, nominat. Notabat autem laudatus Priscianus lib. VI Glyceram feminam per quamdam adulationem (ipse dicerem festivitatem) neutrali nominis terminatione expressam. Ita Athenæus ibidem ex Machone poeta hæc carmina recitat :

Glycerium, quam ab amatore acceperat
Corinthio, æstivam vestem statim
Fulloni tradidit.

Lucianus etiam in dialogis meretricum Γλυκέριον *Glycerium* nominat. Et quidem meretrices a Plauto in Græca terminatione efferuntur. Ita appellantur *Silenium* et *Gymnasium* in Cistellaria; *Philocomasium* C et *Acroteleutium* in Milite; *Phœnicium* in Pseudolo, etc. Ita etiam scortorum nomina exhibet Aristænetus lib. I, epist. 14 et 24; lib. II, epist. 13. Vide, mi Macedo, quales libros tua illa censura historiæ ecclesiasticæ professorem appellare cogat!

Sed, uti es acuto et subtili ingenio, repones mulierem quæ apud Terentium *Glycerium* dicitur, nunquam Glyceram potuisse nuncupari, sicuti nec quæ Glycera nominabatur, Glycerium in recto casu dici potuisse. Sed parum hocce te effugium juvat. Relege memoratos dialogos Luciani : videbis uni illorum ab auctore titulum dari ΓΛΥΚΕΡΑ ΚΑΙ ΘΑΙΣ, *Glycera et Thais;* at in dialogo scribitur Γλυκέριον, *Glycerium.* Ita legitur in editis codicibus, et in duobus mss. serenissimi Magni Ducis in pluteo 57. Atque ita om- D nino interpretantur viri doctissimi Jacobus Micyllus, et Joannes Benedictus, in titulo : *Glycera et Thais*, in textu *Glycerium* vertentes. Magnus Baronius in notis ad diem 13 Maii, lit. C ait *Glyceriæ*, *sive Glycerii.* Idem in Annalibus, an. 175, *Glyceriam* martyrem laudat, quæ in ejusdem tomi indice *Glycerium* dicitur. Redeo ad Glycerium Terentii. Scis Andriam Terentii esse Ménandri comœdiam, quam ille Latio se donasse testatur in prologo.

Menander fecit Andriam et Perinthiam.

At Glyceram meretricem dilectam a *Menandro* Athenæus lib. XIII testatur : *Glyceram amatam Menandro norunt omnes.* Græce Γλυκέραν leges. Quare A Menander amasium fabulæ inseruit, quemadmodum noster Maro suum Alexin in secunda ecloga cantavit. Et quamvis malo Græcæ poesis fato Menandri comœdiæ interierint, palam fit ex interpretatione Terentii, *Glycerium* in Græca fabula appellatam, quam Athenæus *Glyceram* nominavit. Quid ergo scribis : *Nec Glycerium apud Terentium in Andria Glyceria vocari potuit?* Claudat agmen vir utriusque idiomatis peritissimus Gentianus Hervetus, cujus eruditas interpretationes poteris per otium legere apud Possevinum. Hic primus Lausiacam historiam Palladii episcopi Helenopolitani Latinis auribus donavit. Porro scribit cap. 86 : *Illic* Evagrius *excipitur a beata Melania.* Postea : *Dicit ei beata Melanium.* Idem cap. 97 : *Huic aliquando Melanium junior magnæ Melaniæ neptis, de qua dicam postea, misit quingentos nummos.* Denique cap. 118 : *Cum autem, inquit, suam quoque neptem Melanium*, etc. Quod tu *non licere usurpari* dicis, Hervetus non tantum semel, sed iterum, ac tertio usurpavit, eamdem feminam Melanium, et Melaniam promiscue nuncupans, cum tamen in textu Græco Palladii nunquam Melanium inveniatur, sed feminina terminatione idem mulieris nomen semper efferatur. At tu Herveto eruditior scribis : *Non erat libera, nec promiscua illa declinatio, sed necessaria grammatices constructio.* Audebisne tantis scriptoribus oppedere? Itane Martialem, Horatium, Lucianum, Athenæum, et interpretes Micyllum, et Benedictum, Hervetum, Rosweydum, et si superis placet, magnum Baronium *ab Orbilio castigandos* pronuntiabis, et *imperitiæ grammaticæ* accusabis? Expunge potius præcipitem tuam illam censuram, a qua, si melius veterum scripta lustrasses, non dubito quin abstinuisses, ne insulsus alienæ grammaticæ castigator haberere. Si tamen roges cur Patres quos initio laudavi, pro *Albina* et *Melania* posuerint *Albinum* et *Melanium?* docebit te Rosweydus in notis ad epistolam 44 S. Paulini, cujus verba non laudo, quod velim bibas ex fonte. Jam vides, jam sentis, amice, tuam illam censuram, quam veluti insigne tui operis documentum in indice sic exarasti : *Noris imperitiæ grammaticæ arguitur*, tot testimoniorum pondere elisam jacere. Ne tamen inhumanus censear, sepulcrale eidem saxum impono, addito epitaphio quo justa illius oppressio uncialibus characteribus exprimatur. Ex Gruterianis acervis illud exporto :

SATVRNINVS
SEVERI. V. F. SIBI
ET RAMO. VRSVLAE
CON. KARISSIMAE
ACCEPTO F. ANN. VIII.
MASCVLO F. ANN. XIII.

Legent posteri post Josephum Scaligerum cap. 19 indicis Gruteriani, RAMVS VRSVLA. Verum si tu saxo durior in semel concepta crisi perduras, abjecto calamo, excisorium scalprum et malleolum stringe, ac pro RAMO incidas RAMAE, ut vel silentes mortuorum manes e sepulcrali lapide tuam in grammatica

excellentiam loquantur, et ne usquam gentium mulieris nomen masculina terminatione elatum fuisse videatur.

Sentio tamen iterum me in arenam abs te provocari. *Sed mittamus*, inquis (*pag.* 5), *hæc exilia quanquam non contemnenda, ne videamur in titivilitio immorari.* Utinam quæ præ exilitate mittis omisisses, profecto securius encyclopædiæ tuæ, cujus te non semel specimen edidisse in præfatione subindicas, consuluisses. Exilia vocas quæ *nihil* rectius dixisses. Certe mihi gaudeo, utinam et tibi gratulari possem finem logomachiæ tandem impositum. Pergis : *Examinemus personas quibus opus illud suum Augustinus dedicavit, et uter nostrum melius sentiat experiamur. Inscriptio est : Albine, Piniane et Melania.* Itaque a grammatica ad historiam provocas. Cave tamen ne, ubi in grammatica non bonus corrector fuisti, malus in historia scriptor habearis. Equidem libentius in historiarum campo quam intra grammatices cancellos tecum certabo; nam ubi tu phaleratam orationis copiam, et Tulliano ore crepantes periodos consectaris, ut tympano potius quam gladio pugnes; ego rebus addictus, servio factis, rerum gestarum notitiam in antiquioris ætatis ruderibus sepultam indago, ut si non sermonis, veritatis tamen curam quam maximam geram. Agedum, quid sentias de personis quibus librum de Gratia Christi S. doctor nuncupavit, expone.

*Equidem*, inquis (*pag.* 52), *initio haud probabam nomine* Albine *significari filium Piniani, ne præponeretur filius parentibus.*

Si Palladii historiam legisses, nunquam de filio Piniani cogitasses; nam idem cap. 119 hæc scribit : *Cum Melania suscepisset filios duos, et utrique defuncti essent, venit ad tantum pro Christi nomine odium nuptiarum, ut hoc Piniano marito suo Severi expræfecti filio diceret*, etc. Itaque Pinianus filios amiserat antequam ex Italia discederet, et castitatis propositum una cum uxore Melania indueret. Scriptor vitæ S. Melaniæ apud Surium die 31 Decembris, narrat Melaniam prius feminam peperisse, postea filium. *Atque*, ait, *quod natum quidem fuerat, erat masculinum, simul atque autem natum, et sancto baptismo fuit regeneratum, ab hoc mundo discedens, ad eum qui illic est transmittitur.* Progrederis (*Ibid.*) :

*Placebat aut mutari nomen* Albine *in* Albina, *uti vult Baronius, ut sit Albina socrus, aut retineri* Albinum *pro socero aut avo unius duorum Piniani et Melaniæ : et hoc arridebat magis.*

Id postremum, quod ridiculum esset, arridebat magis. Hoc ut clarius intelligas, et tuas hasce phantasias me magistro exuas, scito Melaniæ senioris filium Albinam nobilissimam feminam desponsasse, ex qua Melaniam juniorem Piniani postea conjugem suscepit. Hæc tradit Palladius Melaniæ senioris amicus ex cap. 10 Lausiacæ, et Melaniæ, ac Piniani in Italia hospes, cum in causa S. Joannis Chrysostomi legatus Romam venit, ut idem testatur cap. 121. Hæc loquitur laudatus scriptor cap. 118 : *Cum autem* Melania senior *suam quoque neptem Melaniam* (ita Hervetus interpretatur, noli de nomine profligatam litem restaurare) *una cum ejus marito Piniano, et catechesi instituisset Albinam nurum suam, uxorem autem filii sui, et persuasisset his omnibus vendere quæ habebant, Roma eos eduxit.* Itaque avus junioris Melaniæ erat maritus Melaniæ senioris. At certum est conjugem Melaniæ senioris non fuisse in vivis anno 373. Audi Hieronymum epist. 24 : *Sancta Melania calenti adhuc mariti corpusculo et nedum humato, duos simul perdidit filios.* Postea : *Quinimo qua illos mente contempserit, in unico postea filio probat, cui omni quam habebat possessione concessa, ingruente jam hieme, Jerosolymam navigavit.* Idem vero Hieronymus in Chronico ad annum decimum Valentis imperatoris scribit : *Melania nobilissima mulierum Romanarum et Marcellini quondam consulis filia, unico prætori tunc urbano filio derelicto, Jerosolymam navigavit.* Anno epochæ Christianæ 373 a 28 Martii ex Ammiano Marcellino lib. xxvi, pag. 315, edit. Valesii V. C., decimus Valentis annus labebatur. Tu vero, mi Macedo, maritum Melaniæ senioris, et alterius avum superstitem facis anno 418, quo S. Augustinus scripsit librum de Gratia Christi; nam Albinum avum Melaniæ junioris imaginaris, cui S. doctor laudatum volumen nuncupavit. Palladius cap. 117 hæc ait : *Inter quas erat etiam beatissima Melania Romana, quæ fuit quidem filia Marcelli consularis, uxor cujusdam viri qui erat in magna auctoritate, cujus nominis non recte memini.* Profecto prodigio propius est Palladium utriusque Melaniæ amicissimum, ac nobilissimæ familiæ clientem oblitum fuisse nominis mariti Melaniæ, illud vero a te post duodecim et amplius sæcula prodi; quod, nempe, Albinus diceretur. Sed nec recte asseri potest Albinus avus Piniani; nam circa annum 400, ut ostendam, Pinianus et Melania castitatis propositum susceperunt, magnam paternorum bonorum partem in pauperes erogantes. Quod cum Severus Piniani frater intellexisset, ac locupletissimo patrimonio familiam Piniani pietate privatam doleret, *insano dæmonis instinctu*, inquit auctor vitæ S. Melaniæ, *inspiratus, aggressus est fratrem molestia afficere, agros avellens, fructus abripiens, omnibus modis insultans, et vim afferens.* Idem nequissimis Piniani *servis persuasit, ut non solum seipsos, sed eos quoque agros in quibus habitabant, Severi esse dicerent, et eos ejus nominarent.* Ex quibus patet non modo avum, verum etiam patrem Piniani id temporis non vixisse, cum Severus Piniani fratris bona per vim occupare tentaret, et Pinianus agros et servos distraheret, antequam in Africam navigaret. An bona quædam castrensia uni tibi nota obtrudes?

Quod autem existimas Albinum fuisse saltem *socerum unius duorum*, eadem facilitate refellitur. Etenim socer Melaniæ vocabatur Severus. Id diserte legisses in libro memorato Palladii Helenopolitani episcopi cap. 119, ubi ait : *Cum Melania suscepisset filios duos, et utrique defuncti essent, venit ad tantum pro Christi nomine odium nuptiarum, ut hoc Piniano marito suo Severi expræfecti filio diceret.* Audin' ut

Severus fuerit socer Melaniæ, non vero tuus ille Albinus? Sed nec dici potest socer Piniani, nam pater Melaniæ junioris Publicola dicebatur, quod discere poteras ex notis viri eruditissimi Petri Fr. Chiffletii in Paulini epistolas part. 1, cap. 24, et rursus part. 2, cap. 26 et 34. Mirari lubet undenam *tantam*, ut Hieronymi verbis utar, *habeas mutandorum nominum potestatem*, ut Severo et Publicolæ Albini nomen imponas? *Hoc*, inquis, *arridebat magis.* Querebar de te quod cap. 2, pag. 64, tuæ apologiæ me *Pyrgopolynicen* dixisses; sed in posterum querelas compescam, cum te videam tam eruditum nomenclatorem. Nondum tamen illud agnomen demerui, scis enim ex Plauto Pyrgopolynici dictum : *sexaginta Macedones una die occidisti.* Cum integrum tuum volumen confutavero, ac te unum Macedonem dejecero, tunc, ut libet, ut lubet, me Pyrgopolynicem nuncupato. Addis (*pag.* 53) :

*Baronius mutat* Albine *in* Albina, *et mendum putat; non tamen improbat* Albine *pro filio Albinæ, ut sit sensus* Albine *vir. Noris ait* Albine *retinendum, eoque nomine significari feminam pro illius ætatis licentia ob rationem proxime adductam. Ego contra sentio omnino legendum* Albine *masculini generis.* Ubi, ubi, amice, Baronii defensio, quam in titulo capitis promiseras (*pag.* 47) ? *Vindicatur ab ejus nota Baronius.* Peream, si semel promissam toties in hoc tuo opere Baronio defensionem commodasti. Toto, ut aiunt, ostio ab eo aberras, cum te ejusdem sectatorem publicas. Hæc ad oculum demonstro in apologia quam procudo. Baronius scribit mendum in vocem *Albine* irrepsisse, cum Albina Melaniæ mater dicenda sit. Ego quod personam attinet Baronio consentio, nego tamen mendum irrepsisse, cum utramque nominis terminationem Albina subire potuerit. At tu contendis *Albine* legendum, et hunc virum putas, qui fuerit aut avunculus, aut pater, aut socer, aut patruus Piniani. Iloccine est *Baronium* a *Noris* nota vindicare? De unica tantum littera cum Baronio quæstionem habeo, nempe quod Albina mater Melaniæ in casu vocativo *Albine* ob illius ætatis licentiam appellata fuerit. Tu sexum omnino mutas, et quam Baronius feminam recte dixit, tu masculum facis; imo ubi ille de filio Albinæ suspicatur, tu Albinum non cognatum Piniani cum Baronio, sed avum, aut patrem, aut avunculum ejusdem imaginaris. I nunc, et temet Baronii advocatum vendita, cum eidem quam maxime adversere. Quid in mente habebas cum hanc egregiam tuam Baronii defensionem litteris mandabas? Procedis (*pag.* 54) :

*Id elicio ex verbis Augustini; quippe ait :* Sincerissimi fratres, dilecti a Deo Albine, Piniane, et Melania, *quod nomen* fratres *significat majorem partem masculos esse, et epitheta confirmant,* sincerissimi, dilecti.

Vereor ne Therasiam quoque S. Paulini uxorem in virum mutes; nam in titulo epistolæ 34 S. Augustini hæc leguntur : *Dominis dilectissimis et sincerissimis, vere beatissimis atque abundantissima Dei gratia fratribus Paulino et Therasiæ.* Et in medio epistolæ : *Sancti fratres, et dilecti Deo.* In calce vero : *Domini dilectissimi, sincerissimi, vere benigni et abundantissima Domini gratia præstantissimi fratres.* Ubi vides titulum utrumque conjugem appellare, licet genus nominum a digniori desumatur. Ita unus Pinianus, quod genus attinet, illa epitheta regit, licet una simul socrus, et uxor designentur. Addis (*Ibid.*) :

*Quis autem esset ille Albinus, latet.* Hic Rhodus, hic saltus; hoc opus, hic labor est, o Macedo. Dixeras in titulo hujusce tui capitis septimi : *Qui fuerit Albinus, Pinianus, et Melania, exponitur.* De Piniano et Melania hoc tantum dicis, fuisse conjuges, ac præterea nihil. Albini nomen utramque paginam implet. Adesdum : expone quis fuerit. Respondes : *latet.* Ad jus tituli te, velis nolis, voco. Obligatam fidem imple, ne magni hiatus, ut ait Horatius, promissor dicare. Memento te dixisse : *Qui fuerit Albinus exponitur.* Si latet, te judice, non exponitur. Nihilne tibi suggerit, quam in præfatione jactas, Encyclopædia? Liceat ex Trinummo Plauti reponere :

Vide homo ut hominem noveris!

*Ego tamen*, inquis, *existimo fuisse aut patrem, aut socerum, aut patruum, aut avunculum Piniani, ut sit major natu, et propter ætatem primas vindicet.* Ita putasti repetito quater *aut, aut*, compendio Albinum tuum illum virum exposuisse; illa enim disjunctione tanquam Ariadneo filo usus ex intricato Albinianæ genealogiæ labyrintho evasisti. Heu quantis, amice, erroribus implicaris! Non fuit Albinus Piniani pater, nam ex Lausiaca historia, cujus verba superius dedi ex cap. 119, pater Piniani dicebatur *Severus exprætectus.* Exstant rescripta trium Augustorum ad Severum præfectum Urbi in cod. Theod. lege un. *de mendicantibus*, et lege 2 *de lucris officiorum*, data Antonio et Syagrio cons., nempe anno 382. Pinianus autem Severi filius anno 397, quo Melania avia uxoris Piniani Siricio pontifice, ex Hieronymo in apologia 2 contra Rufinum, cum hoc ipso ex Palæstina Romam venit, junctus erat Melaniæ juniori, teste Palladio cap. 118.

Sed nec *socerum* Piniani fuisse evidenter demonstro. S. Augustinus lib. II Retract., cap. 50, hæc scribit : *Posteaquam Pelagiana hæresis cum suis auctoribus ab episcopis Ecclesiæ Romanæ prius Innocentio, deinde Zosimo, cooperantibus conciliorum Africanorum litteris, convicta atque damnata est, scripsi duos libros adversus eos, unum de Gratia Christi, alterum de Peccato Originali.* Porro Augustinus hosce libros nuncupavit Albino, Piniano et Melaniæ, ut capite primo statim apparet. Innocentius hæresin Pelagii damnavit anno 416, ut patet ex ejusdem litteris datis ad Patres synodi Milevitanæ VI kal. Februarias, Honorio Aug. et Constantio V. C. conss. Zosimus anno 418 eosdem hæreticos repetita sententia proscripsit. Quare duo illi libri quos Albino, Piniano ac Melaniæ S. doctor inscripsit, anno eodem 418 editi sunt. At filius Melaniæ senioris socer Piniani abhinc annos viginti e vita disces erat. Scio Baronium ad annum 409 Chif-

fletium vero part. 2, not. in epist. Paulini cap. 34 et 35, anno 416 ejusdem obitum recitare. Verum evidenter utriusque metachronismos refello. Scriptor vitæ S. Melaniæ narrat eamdem anno ætatis decimo quarto junctam fuisse Piniano, et cum duos filios peperisset, simulque amisisset, de vita cælibe serio cogitasse; verum a patre prohibitam ne pium illud propositum exsequeretur. Postea ait : *Eis quidem e vivis excedit Melaniæ pater.* Quo quidem defuncto, Melania una cum Piniano, thori societate dimissa, conceptum dudum castæ vitæ propositum exsecuta est. Audiatur laudatus auctor. *Illi autem cum amotus esset is qui prohibebat, quando Deo visum est, et tempus vocabat, statim quidem exeunt e magna civitate, urbanam multitudinem et tumultus valere jubentes. Erat id temporis Piniano ætas viginti quatuor annorum, Melaniæ autem viginti.* Palladius etiam capite 119 de eadem scribit : *Vicesimo ergo suæ ætatis anno mundo renuntiat.* Quare Pinianus superstite socero sex tantum annis cum uxore Melania vixit. Idem vero Palladius de Melania seniori scribens cap. 118, ait : *Multis itaque post annis, cum de neptis statu audisset, et eam nupsisse, et velle sæculo renuntiare : verita ne forte in aliquam abriperentur doctrinam, vel hæresim, vel malam vitam, anus 60 annos nata navem ascendit, et Cæsarea navigans viginti dierum spatio Romam venit.* Ejusdem in Italiam una cum Rufino adventum, ejusque Romam iter fusius describit in epistola 10 ad Severum S. Paulinus, apud quem illa in Campania hospitata est. Cum vero vivente Siricio Melania et Rufinus Romam advenerint, ut testatur Hieronymus cum in apologia secunda, tum in epistola 16, quæ epitaphium Marcellæ inscribitur, palam fit anno 397, qui postremus Siricio fuit, Pinianum junctum fuisse Melaniæ juniori, neque posse patris ejusdem et soceri Piniani obitum protrahi vel cum Baronio ad annum 409, vel cum Chifflctio in annum 416, cum superstite socero sex tantum annos cum uxore Pinianus vixerit. Exstat de obitu soceri ejusdem insignis epistola 44 S. Paulini, quæ inter Augustinianas est 249 ad S. Augustinum, cui S. doctor in sequentem epistolam 250 reposuit, ex qua annus obitus filii Melaniæ senioris, qui Piniani socer fuit, clare mihi deducitur. Hæc ibi leguntur : *Proinde ad istam lætitiam, qua vobiscum est frater Possidius, cum ex ipso audieritis, quam tristis eum causa compulerit, hoc me verissime cognoscetis*, etc. Tristis vero causa quæ Possidium episcopum ad navigandum in Italiam compulit, traditur ab eodem Augustino epist. 202 ad Nectarium. Etenim gentiles Calamæ in Numidia, cujus sacris Possidius præerat, facto tumultu, lapidibus dein facibus ecclesiam Christianorum evertere conati, ipsum Possidium episcopum ad necem quæsiverant. Quod facinus scribit Augustinus perpetratum adversus *recentissimas leges* contra paganos ab imperatoribus Arcadio et Honorio latas in Africa XIV cal. Aprilis, Manlio Theodoro cos., nempe anno 399, ut idem testatur lib. XVIII de Civit. Dei, cap. 54. In eadem vero epistola ait tumultuatum a gentilibus *calendis Juniis*, dum illi Floralia festa peragerent. Tempus vero navigationis Possidii ex altera Augustini ad Nectarium epistola 254 colligitur, ubi ait : *Nam ego rescripseram, cum adhuc nobiscum esset, neque navigasset sanctus frater et coepiscopus meus Possidius. Has autem quas mei causa illi dignatus es reddere, accepi* VI *cal. Aprilis post menses ferme octo quam scripseram.* Itaque Possidius anno 399 ineunte Augusto nondum in Italiam transmiserat, qui tamen anno 400 ante VI cal. Aprilis in Africam redierat, cum ante illud tempus Nectarius Calamensis eidem S. Augustini litteras tradiderit. Imo si exactius rem velis investigare, notes, precor, Paulinum in laudata epistola 44, in qua de obitu soceri Piniani ac constantia matris Melaniæ cum laude loquitur, scribere se circa diem festum apostolorum Petri et Pauli litteras Augustini accepisse a Victore diacono, qui aliquandiu Romæ antea moratus, non curaverat citius easdem ad se in Campaniam transmittere. Quid vero in illa epistola Augustinus scripserit, attende. *Docuisti me*, inquit, *in spiritu veritatis salutare moderandi in occiduis mortalibus animi temperamentum, quo et illam beatam matrem, et aviam Melaniam flevisse carnalem obitum unici filii, taciturno quidem fletu, non tamen sicco a maternis lacrymis dolore vidisti.* Ex his colligas socerum Piniani, filium Melaniæ senioris, et junioris patrem, obiisse ante Maium an. 399, cum Paulinus constantiam matris in morte filii ex litteris Augustini intellexerat circa festum Apostolorum, ut testatur in epistola 44, cui alteram, quæ est 250, reposuit Augustinus, degente in Italia Possidio, qui post Julium ejusdem anni, ex epist. 254, ex Africa ad comitatum navigaverat. Hæc fusius dixi, non quod tanti fuerit tuas de Albino socero Piniani imaginationes refellere, sed ut epistolarum sanctorum Paulini et Augustini tempus innotesceret, cum Baronius et Chifflctius alieno prorsus tempore easdem recitent. Vide quanti faciam tuam illam plane frigidam admonitionem pag. 287, in fine operis contra Lupum : *Norit Noris, cum a principe ecclesiasticæ historiæ recedit, a vero recedere.* Baronium et veneror, et nocturna diurnaque manu illius dignissimos cedro Annales evolvo; haud tamen ita viro deditus sum, ut eumdem veritati præferendum ducam. Sed de his plura habebis in apologia. Utinam tu, qui antiquos fontes, unde plurimarum rerum ad Albinum, Pinianum ac Melaniam spectantium, notitiam haurire poteras, inquirere neglexisti, deductos saltem inde Baronii rivos adiisses! Sane didicisses socerum Piniani anno 409 obiisse, vel eo ipso anno illius obitum a magno annalista recitari, neque eumdem anno 418 superstitem cogitasses. Itaque errati duplicis convictus es, qui Albinum putasti Piniani patrem, aut socerum. Addis *aut patruum.* Hic me veterum monimenta deficiunt. Interim ex Trinummo Plauti responsum accipe.

Neque novi; neque natus necne is fuerit, id solide scio.

Denique concludis : *aut avunculum.* Superius scripseras pag. 52, posse *retineri Albinum pro socero vel avo unius duorum Piniani et Melaniæ : et hoc arridebat magis.* Risum, amice, teneas, qui modo Albinum non

avum, sed *avunculum* Piniani existimas. Videris velle universam Piniani cognationem et affinitatem comprehendere, dum scribis Albinum fuisse ejusdem *aut patrem, aut socerum, aut patruum, aut avunculum.* Quæso te, cur avum omisisti, de quo tamen modo cogitaveras? Cur tam cito avus in avunculum transmigravit? Pudet me bonas horas tuis hisce phantasiis refellendis insumere.

Horum autem omnium rationem reddis. *Ut sit major natu, et propter ætatem primas vindicet.* Rem non intelligis. Ideo Augustinus in laudata inscriptione Albinum priori loco nominavit, non quod vir ille esset major natu aliis duobus, sed quia cum illi tres litteras communes pro Pelagio, quocum erant in Palæstina, ad Augustinum in Africam exarassent, Pinianus socrui Albinæ ob ætatis prærogativam, et quod filii loco ab eadem amabatur, unde S. doctor epist. 225 eumdem Albinæ *filium* dicit, priorem in subscriptione litterarum locum honoris et reverentiæ gratia detulit. Hinc illis respondens S. Augustinus, eumdem in inscriptione ordinem servatum voluit quem in inscriptione eorumdem notaverat. Ita, teste S. Possidio, in indiculo epistolarum S. Patris, hanc inter cæteras inscriptionem ponit: *Albinæ, Piniano et Melaniæ;* ubi socrus ante generum nominatur. Hinc observes Augustinum ejusque coætaneos Patres, Possidium ac Prosperum, quoties memoratos libros appellare opus fuit, vel nomina feminarum Albinæ et Melaniæ omisisse, vel Pinianum feminis præposuisse. Audi nostrum S. doctorem, *in quo* gloriaris pag. 287 *habitare*, lib. IV contra Jul. cap. 8: *In novissimis enim partibus primi libri mei ad S. Pinianum, cujus est titulus de Gratia Dei contra Pelagium.* S. Possidius episcopus Calamensis, in catalogo librorum Augustinensium ait: *Contra Pelagium et Cœlestium de Gratia Christi et Peccato originali libri duo ad Pinianum, Albinum et Melaniam.* Videsne hic Pinianum feminæ Albinæ anteponi, non ob ætatis privilegium, sed ob dignitatem sexus? Vocat illam *Albinum*, non *Albinam*, ut jam satis superque intelligas nullo jure tantum grammaticorum pulverem abs te in virum amicissimum excitatum. S. Prosper in fine operis contra Collatorem recensens plerosque libros Augustini, inter eosdem nominat *ad S. Pinianum duos.* Fatere in illa inscriptione non virum Albinum, quem fingis, sed Albinam socrum ob ætatis privilegium priores partes tulisse, cum alias ob sexus dignitatem vel unus, vel priori saltem loco Pinianus gener collocaretur.

*Addo*, inquis (*pag.* 54), *Augustinum epistola* 227 *scribere Albino, Piniano, Meliano, qui videntur esse iidem quos nominavimus, nisi in* Melanio *mendum sit, ac legendum sit* Melaniæ. *Itaque mihi pene persuasum est Albinum esse retinendum, ut virum significet.* Si Possidii indiculum legisses, hanc tuam de masculo Albino opinionem deposuisses. Ita illius epistolæ titulum ibidem recitat: *Albinæ, Piniano et Melaniæ.* Eamdem mulierem Albinum vocat Augustinus, Albinam ejusdem collega Possidius nuncupat. Si audivisses Scriptorem vitæ S. Melaniæ, nunquam eidem Albinum virum socrum apud Africam posuisses. *Cumque*, inquit, *Melaniæ ita visum esset, mare eam suscepit, cum simul adesset mater*, nempe Albina, *et Pinianus.* Anno 410, Albina socrus cum filia et genero erant in Sicilia, quo tempore Alaricus Calabros vastabat. Rufinus in præfatione ad Homilias Origenis super Numeros, quem suo auctori restituit vir omni præconio major Emericus Bigotius, ac Henrico Valesio V. C. communicavit, hæc ait: *Quamvis amantissimus filius noster Pinianus, cujus religiosum cœtum pro amore pudicitiæ profugum comitamur, injungat et alia.* Ibidem vero injectas Rhegio oppido faces *angustissimo freto* e Siciliæ littore se prospectasse testatur. At mortuo paulo post Rufino, Albina, Pinianus, et Melania, se ad Alypium Tagastam contulere; quorum adventu intellecto, scripsit ad eosdem Augustinus non posse se Hippone discedere, hiemis rigorem causatus. Cum vero septem in Africa annos degissent, in Palæstinam transmiserunt, ut constat ex actis S. Melaniæ; inde litteras pro Pelagio anno 418 ad Augustinum scripserunt, quibus duos doctissimos libros sanctissimus Pater reposuit.

Laudaveram S. Paulini epistolam inter Augustinianas 249, in qua *Melanio* pro *Melania* scribitur. Ejus verba sunt: *Sed cesso plura de memoria tam dilecti mihi quam devoti Christo hominis enarrare, cum et pristinis litteris non pauca super eo narrasse me repetam, et nihil possim de beata hujus filii matre, et sanctorum patre radice ramorum Melanio melius aut sanctius prædicare, quam sanctitas tua in eam profari et disputare dignata est.* Hæc verba minus mihi intellecta scribis. *Fefellit*, inquis, *illum quod putavit illud* Melanio *Melaniæ esse attribuendum, et unam hic tantum personam significari.* Postea: *Verum duæ hic personæ nominantur, mater et filius: Melania et Melanius.* De beata, *inquit*, matre: *ecce una;* et sanctorum patre radice ramorum: *ecce altera, id est Melanius.* Si Rosweydi *eruditissimi et elegantissimi* notas in laudatam epistolam legisses, textus mendum, quod te fefellit, adnotasses. Scribit vir insignis pag. 887: *Antecedentia et consequentia docent legendum, sanctorum* PARITER *radice ramorum Melania; nusquam enim alibi mentio Melanii patris. At de Melania, et ante locutus erat, et continuo subjicit. Videndum an forte dictum sit Melanium, ut Glycerium.* Et recte. Nam si matrem Melaniam, et patrem Melanium immediate posuisset, dixisset non *in eam*, sed *in eos profari dignata est.* Adde filium Melaniæ appellatum non Melanium, sed Publicolam, ut in notis ad easdem epistolas Paulini non uno loco tibi indicare potest Chiffletius. Verum duobus hisce celeberrimis e societate Jesu scriptoribus aures denegasti; cur te ipsum saltem non audisti? Nonne dixeras socerum Piniani Albinum nominatum? quo jure alterum eidem fratrem Melanium addis? An forte dicturus es duos fuisse Melaniæ filios, quorum unus Melanius, cujus morti Paulinus indoluit; alter vero Albinus Melaniæ junioris pater et socer Piniani? O te! Ab anno 373 unici filii mater remanserat vidua Melania. Scribit Palladius cap. 118: *Non est abstracta a cupiditate filii,*

*non eam divisit a caritate Christi unigeniti filii desiderium.* Scribit Hieronymus epist. 24 : *Quinimo qua illos mente contempserit* (nempe mortuum maritum ac binos filios) *in unico postea filio probat.* Scribit Paulinus epist. 44, *Melaniam flevisse carnalem obitum unici filii sui.* Tu vero contra oculatorum testium dicta duos Melaniæ filios obtrudis, Albinum et Melanium, cum unicus illi filius Publicola fuerit. Si vidisses hæc Hieronymi verba in epist. 41 ad Rufinum : *Erat nobiscum et Hilas sancti Melanii famulus,* profecto tibimet pro Melanio viro triumphum cecinisses. Sed textus mendum corrigendum est ex optimo ms. bibliothecæ serenissimi Magni Ducis in pluteo 19, ubi *sanctæ Melaniæ* legitur. Forte *sanctæ Melanii* scriptum fuit ab Hieronymo, quæ exscriptores haud percipientes, vel textum corruperunt, *sancti* reddentes, vel sine necessitate emendarunt, *Melaniæ* exprimentes. Corrigendus insuper est scholiastes Baronii, qui ad an. 409, ubi eruditissimus cardinalis recitat epistolam Paulini ad Augustinum, ponit in margine : *Melanius pater Melaniæ;* etenim de Melania scribit Palladius cap. 117, *Fuit quidem filia Marcelli consularis.* Scio in Chronico D. Hieronymi ad annum decimum Valentis dici Melaniam *Marcellini consulis filiam.* Sed Rufinus lib. II Invect. in Hieronymum referens verba Chronici Hieronymiani scribit : *Marcellini consulis neptem.* Gessit autem Flavius Marcellinus consulatum cum Probino collega anno 341.

Putabas, amice, Albini tui genealogiam repetitis illis *aut, aut,* tanquam facibus illustrare, sed non modo illam densissimis tenebris involvisti, verum etiam palam fecisti quantam lucis in ecclesiastica historia jacturam patiaris. Quæso te, ne moleste et acerbe feras Augustini verbis ab amico admoneri : *Si ergo penitus instructus non es, cur non penitus taces, aut ita loqueris, ut institui te desideres?* Lib. I contra Cresconium, cap. 3. Cum tuam provocationem in hæc plane verba concepisses : *Examinemus personas quibus opus illud suum Augustinus dedicavit, et uter nostrum melius sentiat experiamur,* consulere debueras veterum scriptorum volumina, ut inde personarum de quibus mihi litem intendebas notitiam haurires. Laudantur tres illæ personæ earumque agnati ab Augustino, Hieronymo, Paulino, Palladio, Rufino, Possidio, qui non modo eisdem convixere, sed etiam easdem de facie noverunt, illarumque fuere hospites, et clientes, vel encomiastæ. Dicis cap. 3, pag 25 : *Novit Noris meus familiaris eum me esse qui summa cura et intentione auctores lego, ac iis me inferre, ac penitus introdare, ac eorum sensum diligenter investigare.* Sane si ad tribunal vocer, non ausim tale pro te testimonium dicere ; siquidem suspicor, cum illa scribebas, te ne semel quidem memoratos auctores vidisse, nedum totum *te iisdem intulisse, ac penitus introdesse.* In præfatione tui operis adversus ecclesiasticæ historiæ professores, laxatis eloquentiæ tuæ habenis, grandi verborum strepitu declamans, *Bajulos,* inquis, *agunt, non auctores; in dorso studium, non in cerebro.* Et rursus : *Et quidem ii nihil afferunt ab ingenio, a dorso multum, cum alio comportant quæ invenerunt.* Ita est, mi Macedo, dossuarius homo sum, et bajulum ago, et plerumque sub librorum onere deficio. Tu vero, qui dedignaris hisce bajulis, ac si essent ultima de fæce saburræ, accenseri, omnia *ab ingenio* affers, *a dorso* nihil, *auctorem,* non *bajulum* agis. Vah! quam feliciter! Etenim *ab ingenio* tuo est filius Piniani et Melaniæ anno 418 superstes. Hunc dossuarii ex lectione libri de Vita S. Melaniæ id temporis vixisse ne cogitarunt quidem. *Ab ingenio* tuo est avus Melaniæ junioris, anno eodem in Palæstina degens. Dossuarii ex Chronico D. Hieronymi eumdem anno 373 defunctum putant. *Ab ingenio* tuo est Piniani pater Albinus. Hunc dossuarii ex Palladii Piniani ejusdem hospitis Lausiaca Severum vocant. *Ab ingenio* tuo est Piniani socer Albinus anno 418 inter homines ambulans. Hunc dossuarii ex Augustini et Paulini litteris ante annum 400 diem obiisse testantur. *Ab ingenio* tuo sunt patruus et avunculus Piniani. Ilos miseri dossuarii in nullis veterum monumentis inveniunt. *Ab ingenio* tuo, in laudata inscriptione libri de Gratia Christi, primas sibi vindicat Albinus. Dossuarii ex Augustino, et Possidio, et Prospero priorem Piniano tanquam viro locum concedunt. *Ab ingenio* tuo Albinus vir Piniani et Melaniæ socius in Africa publicatur. Dossuarii ex libro de Vita Melaniæ horum sociam Albinam feminam faciunt. *Ab ingenio* tuo sunt duo senioris Melaniæ filii, Albinus et Melanius. Dossuarii ex Hieronymo, Paulino et Palladio unicum eidem filium fuisse pronuntiant. *Ab ingenio* denique tuo est quidquid cogitas, dicis, scribis. *A dorso* meo est, quidquid ad te confutandum inveni. Poetarum est, mi Macedo, omnia afferre ab ingenio. Poemata, elegiæ, et argutissima illa epigrammata, quibus ethicas lectiones in Patavina cathedra tam lepide me toties audiente concludere consuesti, *ab ingenio* tuo eleganti, acuto, erudito derivare, ne Zoïlus quidem inficias ibit. At cum historias quoque præter omnium veterum scriptorum fidem, *ingenio* tuo obstetricante, in litteras mittis, nonne illud Martialis (*Lib.* II, 7) repetere possumus,

Historias bellas, carmina bella facis?

Perge, amice, *ingenio* fidere, et *bajulis dorsi* laborem, ac graves crebrosque sub vasto voluminum pondere anhelitus exprobra, ut historiæ, quas tam belle compingis, ab ingenio, non modo verborum elegantiam, verum etiam eventuum fidem accipiant. Scribis pag. 55 : *Non eo hæc dico quod velim convicium facere doctissimo viro mihique amicissimo, sed ut aliquid dem lepori et salibus, quibus interdum scripta molesta et insipida sunt condienda.* Quæ verba in calce capitis septimi loqueris, in quo de Albino grammaticam et historicam mihi quæstionem intulisti. Non recuso, ut cum satyrico loquar, *Euge tuum, et belle* (*Persius, sat.* 1, 49). Profecto quis te, o Macedo, non lepidissimi judicii hominem fateatur, qui me *doctissimum* vocas, simulque *ab Orbilio castigandum* dicis? Quem appellas *amicissimum* toto tuo sale perfricas, quod hostili rabie super dirutarum urbium solum

serius sparsum accepimus. Credas non dicam doctissimo, *quia*, ut Petronii verbis utar, *non sum de gloriosis*, saltem *amicissimo*, te multum olei et operæ, plurimum vero etiam salis perdidisse, dum eodem tua scripta condienda existimasti, veritus ne illa *molesta et insipida* lectoribus viderentur. Etenim si sali pepercisses, tot lepidis de Glyceria, et Glycerio, de Melania, et Melanio scholiis conspersa sunt, tam bellis historiolis de Albino, *aut patre*, *aut avo*, *aut avunculo*, *aut socero*, *aut patruo* condita, ut minime dubitem quin eruditi non modo hilari animo, verum etiam ore ridenti eadem lecturi sint. Certe egomet, qui tamen illis impetor, non potui, cum illa legerem, a risu temperare.

Quoniam tuæ elegantissimæ simulque vehementissimæ præfationis mentio incidit, juvat unam et alteram illius periodum hic recitare. Hæc fulmina contra ecclesiasticæ historiæ cultores, seu ut vocas, *bajulos valentissimos*, ore tonas : *In rutis cæsisque versantur : dummodo antiquarios se ostendant, sibi satisfaciunt ; litterarios et ruderarios præstant. Latomorum instar cædunt lapicidinas priscorum monumentorum, et efferunt lapides, et acervos struunt.* Scias velim bajulos illos valentissimos strenuos etiam lapidarios quandoque agere. Saxa eadem qua volumina manu volvunt ac revolvunt ; siquidem inscripti lapides certissimi illis sunt testes antiquitatis. Attende quid a lapidariis afferri possit, ut Albinæ, de qua tantum pulverem ab ingenio tuo excitatum video, et pater, et frater, et familia etiam intelligantur. In libello de Vita S. Melaniæ apud Surium die 31 Decembris, Lippomanum vero die 31 Januarii, hæc de eadem recitantur, cum Byzantium appulisset : *Invenit autem suum quoque patruum Volusianum gravi morbo oppressum.* Exstat in bibliotheca serenissimi Magni Ducis idem libellus Græce scriptus, inter opuscula S. Gregorii Nazianzeni in pluteo 7, num. 6, ubi laudata verba ita leguntur : εὑρίσκει δὲ καὶ τὸν θεῖον αὐτῆς Βολουσιανὸν χαλεπῇ νόσῳ κεκρατημένον. At falsum est Volusianum fuisse patruum S. Melaniæ ; etenim pater Melaniæ nullum fratrem habuit, cum *unicus filius* Melaniæ seniori fuerit, quemadmodum Hieronymus, Paulinus ac Palladius, quorum verba superius laudavi, disertissime contestantur. Quare cum Volusianus non fuerit frater patris Melaniæ junioris, nec istius patruus scribi potest. Ex interpretum vitio error vulgaris derivavit. Photius codice LII Volusiani mentionem facit, idemque ibidem nuncupatur θεῖος τῆς ἁγίας Μελίανιας. At nomen illud θεῖος apud Græcos promiscue significat fratrem patris et matris, nempe patruum vel avunculum ; quemadmodum apud Italos vox *zio*, et apud Hispanos *tio*, quæ verba a Græcis mutuata esse mihi certum est, idque forte etiam ostendet Octavius Ferrarius V. C. et magnum bonarum artium in Italia columen et præsidium, in opere de Origine linguæ Italicæ, quod proxime typis daturus est. Interpretes, quos inter Schottus, genealogiæ Melaniæ ignari, vocem θεῖον *patruum* Latine reddiderunt, cum *avunculum* scribere debuissent, et quidem Baronius ad an. 420 recte Volusianum S. Melaniæ *avunculum* dixit. Itaque Volusianus fuit frater Albinæ et *avunculus sanctæ Melaniæ*. Ex his pater, frater ac familia Albinæ nullis huc usque scriptoribus indagata, intelligitur. Etenim illa fuit filia Rufii Ceionii Albini ac soror Rufii Ceionii Volusiani, ut postea ostendam. Albinos e Ceionia gente fuisse patet ex epistola Ceionii ad Ælium Bassianum, apud Capitolinum in Albino, cap. 4. Ibi vero Clodius Albinus Ceionii filius, qui una cum Septimio Severo Cæsar fuit, laudatur a Capitolino uti *originem a Romanis familiis* trahens, *Posthumiorum scilicet, et Albinorum Ceioniorum. Quæ familia*, inquit, *hodie quoque, Constantine maxime, nobilissima est, et per te aucta et augenda, quæ per Gordianos et Gallienum plurimum crevit.* Qui vero ex hac familia, Constantino imperante, summos honores consecutus fuerit, ex hac inscriptione mutila colligitur apud Gruterum pag. CCCLXXVII, 5 :

RELIGIOSISSIMOQUE.
C. CEIONIO. RVFO. VOLVSIANO. V. C.
CORR. ITALIAE. PER ANNOS OCTO.
PROCONSVLI AFRICAE.
COMITI. DOMINI. NOSTRI.
CONSTANTINI. INVICTI.
ET PERPETVI. SEMPER AVGVSTIS.
PRAEFECTO. VERBI. IVDICI. SACRARVM.
COGNITIONVM. CONSVLI.

At Ceionia familia ante Albinum Severi collegam Romanum orbem moderata est ; etenim L. Ceionius in Ælium et Antoniam familiam transcriptus, cum Antonio philosopho Augustus fuit, ac appellatus *L. Ceionius Ælius Commodus verus Antonius* ex Capitolino in vita ejusdem initio. Illius vero pater Ceionius Commodus ab Hadriano Cæsar designatus, paulo post improvisa morte decesserat. Porro Ceionios Albinos cognomen Volusiani habuisse constat ex hac inscriptione apud meum Panvinium anno V. C. MXXCVII :

S. P. Q.
CEIONIVM. RVFVM. ALBINVM. V. C. PHILOSOPHVM. RVFI.
VOLVSIANI. IVD. ORD. CONS. FILIVM. SENAT. CONSVLTO
SVOQ...EIVS. LIBERIS. POST. CAESARIANA. TEMPORA. I.
POST. ANNOS. CCCLXXX. ET. I. AVCTORITATE. DECREVIT.
FL. MAGNVS. IANVARIVS. V. C. VII. STATVARVM.

Cum inter majores suos referrent Volusum ducem Rutulorum, inde Albinos Volusiani cognomen assumpsisse scribit Rutilius Numatianus lib. I Itinerarii vers. 167 :

Jamque aliis Romam redeuntibus, hæret eunti
Rufius, Albini gloria viva patris ;
Qui Volusi antiquo derivat stemmate nomen,
Et reges Rutulos, teste Marone, refert.

Hunc Rufium Volusianum Ceionii Albini filium, fratrem nostræ Albinæ et S. Melaniæ avunculum illum fuisse qui postea contra Pelagianos, cum iterum Urbi præfectus esset, edictum publicavit, scribunt eruditiss. viri cardin. Baronius ad annum 412, et Jacobus Sirmondus in notis ad epistolam 16, lib. IX, Sidonii, quibus subscribit Rutilii scholiastes Casparus Barthius num. 169. Itaque Ceionia Albina mater

fuit Melaniæ, et socrus Piniani, soror vero Ceionii Venerii Rufi Albini Volusiani, qui pluries Urbis præfecturam gessit, et una cum matre in Africa degens ad Augustinum ethnicus scripsit, ut patet ex epistola 2 tom. II operum S. Augustini. Huic Volusiano Rutilius ejusdem in præfectura urbana decessor suum Itinerarium nuncupavit, unde illius nomina concinnantur.

Quod vero hæc scribo in Etruria, quo me serenissimus Magnus Dux Cosmus III, eximius bonarum artium cultor ac protector munificentissimus, vocavit, liceat observare Albinos Volusianos ex Etruria originem duxisse, indeque Romam se contulisse. Id testatur Capitolinus in Vero Augusto cap. 2. Albinum autem Volusianum Albinæ nostræ fratrem in agro Volaterrano villam habuisse idem Rutilius affirmat; etenim scribit se, cum Volaterrana vada navigio prætreveheretur, improvisa tempestate adortum, in terram exscendisse, ac Albini Volusiani villam petiisse. Hæc ille ait, vers. 463 :

Ille me rapidus consistere Corus adegit,
Qualis silvarum frangere lustra solet.
Vix tuti domibus sævos toleravimus imbres,
Albini patuit proxima villa mei.
Namque meus, quem Roma meo subjunxit honori,
Per quem jura meæ continuata togæ.

Hunc vero honorem fuisse præfecturam Urbis paulo superius, nempe versu 415 affirmat. Id autem in itinere intellexit, antequam Pisanum littus attingeret.

Hic præfecturam sacræ cognoscimus urbis
Delatam meritis, dulcis amice, tuis.
Optarem verum complecti carmine nomen,
Sed quosdam refugit regula dura pedes.
Cognomen versu Veneris, carissime Rufi,
Illo te dudum pagina nostra canit.
Festa dies, pridemque meos dignata penates,
Poste coronato vota secunda colat.

Gessit autem Rufius Volusianus Urbis præfecturam anno epochæ Christianæ 417; etenim scribit Rutilius Romam alloquens vers. 135 :

Quamvis sedecies denis et mille peractis,
Annus præterea jam tibi nonus eat.

Annus autem Urbis 1169 a Palilibus nempe 21 Aprilis coincidit cum anno Dionysiano 417, quo anno Rutilius Roma profectus, Volusianum præfectum Urbis designatum accepit. Diutius autem, post Constantini imperium, Ceionii ethnicorum superstitionem secuti sunt. Constat ex hac inscriptione apud Gruterum pag. XXVIII, 5 :

CEIONIVS. RVFIVS. VOLVSI
ANVS. V. C. ET INLVSTRIS.
EX. VICARIO. ASIAE. ET CEIO
NI. RVFI. VOLVSIANI. V. C.
ET. INLVSTRIS. EX. PREFECTO. PRE
TORIO. ET. EX. PREFECTO. URBIS.
ET. CECINE. LOLLIANE. CLARISSI
ME. ET. INLVSTRIS. FEMINE.
DEE. ISIDIS. SACERDOTIS. FILIVS.
ITERATO. EX. VIGINTI. ANNIS. EX. PERCEP
TIS. TAVROBOLIIS. VI. ARAM CONSTITVIT.
ET. CONSECRAVIT. VI. KAL. IVN. D. N. VALEN
TINIANO. AVG. ET. NEOTERICO CONSS.

Ita illi anno 390 a Christiana religione aversi erant. Volusianum in eadem superstitione occupatum patet ex epistola ejusdem, itemque Augustini et Marcellini, initio statim tomi secundi operum S. doctoris. Melania avunculum ad rectum dogma paulo ante ejusdem obitum Byzantii adduxit. Albinam etiam sororem in eodem errore fuisse posset quis colligere ex Palladio in Lausiaca cap. 118, ubi tum Apronianum gentilem, tum Albinam a Melania seniori *catechesi* instructos affirmat. Plura de Albina leges in actis ejusdem filiæ Melaniæ.

Interim vide quam benevolo erga te animo sim. Etenim ubi confidenter me in certamen provocans exclamasti : *Examinemus personas quibus opus suum Augustinus dedicavit, et uter nostrum melius sentiat experiamur:* ego temet ex adversario judicem constituo ac deposco. Tu de Albino pronuntiasti : *Quis autem esset ille Albinus latet.* Ego non virum, sed feminam fuisse ostendi, ejusque patrem Albinum, fratrem Rufium, Volusianum, familiam Ceioniam, socrum Melaniam, maritum Publicolam, filiam Melaniam juniorem, avorum patriam Etruriam, villas ad Vada Volaterrana, quod oppido nomen etiamnum manet Populonium inter ac Liburnum, amicos denique et encomiastas Augustinum, Hieronymum, Palladium, Rufinum ; hæc, inquam, omnia de Albina monstravi, ut jam satis superque *uter nostrum melius sentiat* experiaris. Voca me *bajulum*, *antiquarium*, *ruderarium*, *latomum*, ut lubet, ut lubet, modo fateare me de personis quibus Augustinus laudatos libros inscripsit, ex ipsis oculatorum testium scriptis, ex vetustissimis sanctorum Patrum monumentis, ex antiquorum lapidum inscriptionibus longe certiora protulisse quam tu *ab ingenio*, sine ullo prorsus librorum, quod me dicere pudet, præsidio de eisdem adduxeris. Quod si pronunties te *ab ingenio auctorem* esse ingeniosissimum, me vero *a dorso valentissimum bajulum*, stabo tuæ sententiæ, nec alium judicem appellabo.

Hæc justæ apologiæ, quam modo adversus recentissimum tuum librum adorno, specimen sint. Cum vero intelligam me isthic a quibusdam reprehendi quod dixerim sanctos Hilarium Arelatensem episcopum et Vincentium Lerinensem monachum Cassiani partibus adversus doctrinam S. Augustini de prædestinatione adhæsisse, quasi aut solus, aut primus id asseruerim, et tu quoque hæc in cap. 16, pag. 119, scribas : *Cedo mihi, quæso, Pater Noris, scriptorem aliquem bonum, malum, qui Hilarium Arelatensem Semipelagianismi appellet : ego nullum hactenus potui invenire;* decrevi quosdam nobiles scriptores appellare. Agmen ducat S. Prosper in epistola ad Augustinum, in qua, cum Cassiani sectatorum (quos scholastici recentiores dixere Semipelagianos) opiniones et objecta S. doctori narrasset, hæc scribit : *Credimus et speramus non solum tenuitatem nostram disputationum tuarum præsidio roborandam, sed etiam ipsos quos meritis atque honoribus claros caligo istius opinionis obscurat, defæcatissimum lumen gratiæ recepturos. Nam* UNUM EORUM *præcipuæ auctoritatis et spiritalium studiorum*

*virum, sanctum Hilarium Arelatensem episcopum, sciat beatitudo tua admiratorem sectatoremque in aliis omnibus tuæ esse doctrinæ, et de* HOC *quod* IN QUERELAM TRAHIT, *jam pridem apud sanctitatem tuam sensum suum per litteras velle conferre.* Hinc Augustinus in lib. de Dono persever., cap. 21, non dubitat suppresso nomine Hilarium iis accensere qui negabant *initium fidei esse donum Dei.* Quam vero violenter verba illa detorqueas, brevi intelliges. Petis *scriptorem aliquem bonum, malum?* Audi Usserium in lib. de Antiquitate Eccles. Britan. cap. 11, pag. 346, *Denique*, inquit, *Hilarium Arelatensem illum suum inter eos qui in doctrina de prædestinatione ab Augustino dissentiunt, annumerat Prosper.* Forte repones Usserium esse calvinistam. At ipsemet scriptorem aliquem malum poscebas. Vocatur tamen Usserius a P. Ricciolio lib. 1 Chronol. reformatæ, cap. 20, *vir ecclesiasticæ antiquitatis scientissimus.* Hoc parum causam juvat adversus te, qui *bonum, malum*, flagitasti. Attende scriptores bonos, meliores, optimos, quibus vix audeas adversari. P. Theophilus Raynaudus in Apologia pro Valeriano Cemeliensi, cap. 4, ita scribit: *Hilarius episcopus Arelatensis unus fuit eorum qui adversus D. Augustinum querelas moverunt. Audi Prosperum in calce epistolæ ad Augustinum.* Et laudatis verbis proxime a me recitatis, *expendo*, inquit, *particulas illas* unum eorum, *utique adversus Augustinum agentium, de quibus sermo;* et in aliis omnibus, *nam quoad negotium, de quo Prosper tota epistola, atque adeo quoad errorem Semipelagianum, non erat Augustinianæ doctrinæ admirator, imo eam* in querelam trahebat. *Et Prosper liquide testatur se eum habuisse suspectum, cum dubitet, quo fine esset cum Augustino per litteras acturus.* Accedat quartus post Prosperum testis P. Gabriel de Henao in volumine pro scientia media sect. 28, num. 184, ubi ait: *Liquet etiam de discrimine ab Hilario, qui una cum sancto Prospero misit litteras ad S. Augustinum. Nam is Hilarius non obscurabatur caligine opinionis adversæ S. Augustino, neque hujus doctrinam in querelam trahebat circa negotium gratiæ, sed ille alter Hilarius antistes Arelatensis.* Sunt hi duo insignes e societate Jesu scriptores, sed tertium ex eadem doctissima familia testem habeo, magnum sacræ ac profanæ eruditionis promotorem, Jacobum Sirmondum, in notis ad epistolam Cœlestini papæ ad episcopos Galliæ, ubi scribit *epistolam illam, quæ tota est pro defensione S. Augustini, congruere Hilario Arelatensi non posse, qui Augustini doctrinam, ut Prosper in epistola sua testatur, cum in cæteris suspiceret, hac in parte* NON PROBABAT. Apud Labbeum et Cossartium tomo II Concil., pag. 1818. In hoc tanti viri testimonio et glorior, et triumpho. Visne alios testes, qui *aliquem malum, bonum* rogabas? Adest par testium, et uno ore loquuntur. Sunt Sammarthani viri eruditissimi tomo I Galliæ Christianæ, pag. 36. *Constat autem*, inquiunt, *Hilarium, qui scripsit ad S. Augustinum, et cujus occasione misit libros de Prædestinatione sanctorum, et de Dono perseverantiæ, esse distinctum ab Hilario Arelatensi episcopo: primum quia Hilarius in epistola ad Augustinum significat se fuisse laicum. Prosper vero eodem tempore et die scribens ad Augustinum, dicit Hilarium Arelatensem tunc fuisse episcopum, et ipsius doctrinæ contrarium, his verbis*: « Credimus ipsos quos meritis et honoribus claros caligo istius opinionis obscurat, *semipelagianismi* (inserunt hoc verbum Sammarthani, non ego) defæcatissimum lumen gratiæ recepturos. Nam unum eorum præcipuæ auctoritatis, et spiritalium studiorum virum sanctum Hilarium Arelatensem, etc. » Verba Prosperi recitant. Petis alium testem, qui septimus cæterorum agmen claudat? Adest ex eadem Gallia Gilbertus Mauguinus vir doctissimus, ac regi Christianissimo a consiliis, qui paucis abhinc diebus diem obiit. Hæc scribit part. II Confut. fabulæ præ- dest. cap. 11, pag. 650: *Teste Prospero, epistola ad Augustinum, Hilarius Arelatensis episcopus, et alii plurimi non minus auctoritate quam pietate celeberrimi viri, S. Augustini de gratuita Dei prædestinatione doctrinam non minus quam hæresim aversati sunt.* Et pag. 475 ex eodem Prospero testatur Hilarium *Pelagianæ pravitatis reliquiis infectum.* Cum dixeris: *Ego nullum hactenus potui invenire* qui scripserit S. Hilarium Arelatensem adversatum fuisse doctrinæ S. Augustini, absit ut te mentitum putem; novi animi tui ingenuitatem, candorem, simplicitatem. Itaque neminem laudatorum scriptorum legisti. Tantum, mi Macedo, plerumque nocet omnia *ab ingenio* afferre. Disce tandem, quid juvet *bajulos agere, non auctores; in dorso studium esse, non in cerebro.* Nam his plane verbis ecclesias icæ historiæ professoribus in præfatione insultasti. Tua illa compellatio confidentissima: *Cedo mihi, P. Noris, scriptorem aliquem bonum, malum*, tuo *ab ingenio* est. At amici tui Noris gravis ac quadrata responsio *a dorso.* De Vincentio Lerinensi nil addendum puto; scribis enim me alios habere dicti mei assertores: nuper accessit eximius doctor Lovaniensis Christianus Lupus, part. 4 not. in synodos, pag. 757. Hæc, mi dulcissime Macedo, æqui bonique consulas precor, neve tibi ante victoriam triumphum per Italiam Romam usque cantes. Et quando annos natus septuaginta septem, tot vigiliis quas in edendis quadraginta et amplius voluminibus subiisti, senili corpore macerato, vastissimo ecclesiasticæ eruditionis pelago te committere expavescis, veritus ne in medio cursu te vita deficiat; sine me, quem imberbem juvenem olim Romæ vidisti, et amicum tui nominis supra cæteros studiosissimum nosti; sine, inquam, me vela pandere, ac de portu securus prosperam mihi navigationem Horatiano carmine ominare.

> Navis, quæ tibi creditum
> Debes *Virgilium* per *freta* ducere,
> Reddas *Norisium* precor,
> Et serves animæ dimidium meæ.
> *Lib.* I, *ode* 3.

Vale, amicissime, et ingeniosissime pater, meque isthic amicis commendatum facias; tuos vero patronos mihi benevolos, vel saltem minus iratos reddas.

## ANIMADVERSIONES

### IN LIBRUM DE CORREPTIONE ET GRATIA

Cap. 1, § 2. *Liberum itaque arbitrium, et ad malum et ad bonum faciendum confitendum est nos habere ; sed in malo faciendo liber est quisque justitiæ servusque peccati ; in bono autem liber esse nullus potest, nisi fuerit liberatus*, etc.] Vocibus *liberi arbitrii* hic voluntatem intelligit Augustinus, non id quod ab omnibus intelligi solebat : nimirum, facultatem illam mentis qua potest aliquid facere, tam bonum quam malum, aut omittere. Homines, secundum eum, nascuntur suntque semper ante regenerationem liberi a justitia, et servi peccati : hoc est, nihil nisi mala facere possunt, bona nulla possunt ; sed faciunt mala volentes, bona omittunt nolentes, quamvis sine miraculo divino quod in regeneratione fit voluntas mutari nequeat. Satis liquet alios omnes mortales, si ita sensissent, negaturos hominibus inesse *liberum arbitrium ;* et sane negabat ipse Augustinus, cum extra controversiæ æstum loquebatur, ut liquet ex Enchiridio ad Laurentium cap. 30. Vide not. ad tom. VI.

Cap. 2, § 5. Objectionem contra doctrinam suam de gratia, qua *non solum, monstrante ipso, quid faciendum sit sciunt* homines, *verum etiam quasi præstante faciunt cum dilectione quod sciunt*, sic proponit : *Ergo*, inquiunt, *præcipiant tantummodo nobis quid facere debeamus qui nobis præsunt, et ut faciamus orent pro nobis, non autem nos corripiant et arguant, si non fecerimus.* Quia, nimirum, si quis præceptis divinis non paruerit, id, ex sententia Augustini, certum est indicium præsto ei non adfuisse gratiam efficacem ; qua opitulante fieri nequit quin pareat, deficiente vero nemo parere potest. Quid ad hæc Augustinus? *Imo*, inquit, *omnia fiant ; quoniam doctores Ecclesiarum apostoli omnia faciebant, et præcipiebant quæ fierent, et corripiebant si non fierent, et orabant ut fierent ;* quod exemplis demonstrat. Verum apostolos in sententia Augustini fuisse non concedebant qui eas objectiones proferebant ; eosque aliter sensisse hinc ipse colligere poterat, quod homines divinitus afflati non erant facturi quod cum eorum sententia stare non poterat. Postea, *o homo*, inquit, *in præceptione cognosce quid debeas habere ; in correptione cognosce tuo te vitio habere ; in oratione cognosce unde accipias quod vis habere.* Satis constat a Deo petendum auxilium in futurum, sed non in res præteritas, nam delicta præterita infecta fieri non possunt ; de iis autem hic agitur, nam *correptio* ad præterita pertinet. Itaque rhetorice eludit objectionem Augustinus, non respondet. Deinde ne de futuris quidem orationes possunt, ex ejus sententia, fundi ; nam Dei decreta erga electos exsecutioni mandabuntur, sive ores, sive taceas : erga reprobos, nihil fiet orationibus tuis. Ergo

Desine fata Dei flecti sperare precando.

Ex correptione liquet sane *vitio* quemque *suo* peccasse, alioquin iniqua esset ; sed vitium ut nostrum dicatur oportet ut sit culpa nostra contractum, utque vinci queat, si id vincere jubeamur ; nulla enim est A culpa ejus qui non facit quod nec nunc potest, nec unquam antea potuit. Quod si nemo potuit impedire, quæ sententia est Augustini, quominus vitio inquinaretur, propterea non debet corripi : uti nec si nulla ratione, eo semel inquinatus, vincere id potuit, quia ei defuit auxilium sine quo vinci vitium non potuit. Igitur ex animi sententia non potuit dicere Augustinus : *tuo vitio non habes* quod necessarium est ad observationem divinorum præceptorum ; nec proinde, posita ejus doctrina, *ex præceptione* cognosci quid homo *debeat habere ;* nam non *debet habere* quod non magis potuit habere, nolente Deo, quam sistere cursum siderum. Perpetuo Hipponensis episcopus objectiones retundere conatur verbis quæ cum ejus sententia acerrime pugnant ; quia si convenienter ei B sententiæ per omnia loquendum fuisset, sermo Scripturæ, imo et totius humani generis fuisset damnandus et immutandus, eademque opera convellenda societatis humanæ firmissima fundamenta.

Cap. 6, § 9. *Hanc* (gratiam, inquiunt Pelagiani, sub persona peccatorum loquentes) *non accepimus ; quid itaque corripimur, quasi nos eam nobis dare possimus, et nostro arbitrio dare nolimus?* Nihil evidentius, nec intelligo quomodo Augustinus ex hisce necessariis ac perspicuis consectariis non animadverterit a se non satis recte intellecta quæ hisce de rebus habet Scriptura. Ei quidem verba non desunt, quæ paulo exercitatioribus rhetoribus nunquam deesse possunt ; sed ex quibus facile intelligas hominem ad silentium redigendum fuisse, nisi existimatio sua, editi C libri, conciliorum auctoritas et omnia contra Pelagianos tanto zelo gesta fuissent defendenda. Ipsum audi : *Nec attendunt*, inquit, *si nondum regenerati sunt, primam esse causam cur objurgati quod sint inobedientes Deo sibi debeant displicere.* Sed hæc mera est *petitio principii*, ut loquuntur logici ; nam hi homines negabant se *debere*, hoc est, ulla lege teneri ut facerent quod facere non poterant, quale est sibi propter peccata displicere, nulla accepta gratia divina, eam in rem necessaria. Verum Augustinus, quasi hanc difficultatem soluturus, addit : *quia fecit Deus hominem rectum ab initio humanæ creaturæ, et non est iniquitas apud Deum.* Quem hominem *fecit rectum?* Adamum solum, non eos qui nondum erant ; nisi, absurdo commento, dicas, quod aliquando placuit Au- D gustino, omnium hominum qui sunt, qui fuerunt, quique post aliis erunt in annis mentes in mente Adami fuisse, ac proinde ante peccasse quam in corpora sua venirent. Vide not. ad tom. I, lib. III, de Libero Arbitrio, cap. 20, atque ad tom. II, epist. 98. Hoc commentum non exagitabo, cum a nemine nunc defendatur aut defendi possit. Itaque nisi sit *iniquitas apud Deum*, quam abeo amolitur verbo tenus Augustinus, non potest a posteris Adami exigere ut sint recti, cum nunquam recti fuerint nec esse potuerint, si credimus Augustino, nam peccati originalis propagationem vitare non potuerunt. Ergo fucus est merus quod addit : *Ac per hoc prima pravitas qua Deo non obeditur, ab homine est ; quia ex rectitudine in qua*

*eum Deus primitus fecit sua mala voluntate decidens pravus effectus est.* De Adamo dicat hoc licet, sed de ejus posteris, de quibus solis hic sermo est, dici non potest. Itaque nihil hoc ad rem facit, neque attingit objectionem eorum qui, multis sæculis post Adamum, ita nati et concepti in peccato originali fuerant, ut non possent vim ejus fugere, si Afro theologo credimus. Verum hic sequitur alterum subterfugium, quo a quæstione animum avertere conatur : *An vero ideo pravitas ista corripienda non est in homine, quia non ejus propria qui corripitur, sed communis est omnibus ? Imo vero corripiatur et in singulis, quod est omnium. Non enim propterea cujusquam non est, quod ab ea nullus immunis est.* Pelagiani communionem depravationis minime urgebant, ut eam excusatum irent; sed negabant Caium, exempli causa, ac Titium posse corripi ob delicta, si nunquam in eorum potestate fuisset vitare peccatum, primum quidem originale, deinde actualia omnia; quia Caius et Titius (non homo in genere, de quo non loquebantur) nunquam habuerunt gratiam Dei eam in rem necessariam. Habuerit eam Adamus, si modo ea indiguit; si Caius et Titius nunquam habuerunt, corripi profecto, sine iniquitate, non potuerunt.

*Peccata quidem,* inquit deinde Carneades Pœnus, *ista originalia ideo dicuntur aliena, quod ea singuli de parentibus trahunt ; sed non sine causa dicuntur et nostra, quia in illo uno omnes, sicut dicit Apostolus, peccaverunt.* Verum in hac controversia nostra dicuntur, non translatitio sensu, sed proprio, peccata; nam sermo hic est de peccatis propter quæ non translatitias sed proprie dictas pœnas, ex divina, hoc est perfectissima justitia, dare possimus; quia ab iis abstinere potuimus, nec iis nisi culpa *nostra* proprie dicta succubuimus. Cæterum peccata parentum *nostra* dici nequeunt, ita ut propter ea corripi et plecti jure queamus; nec etiam Apostolus dicit nos *in Adamo* peccasse, quemadmodum passim Græci sermonis imperitus dictitat Augustinus. Sic enim Paulus Rom. v, 12: Ὥσπερ δι' ἑνὸς ἀνθρώπου ἡ ἁμαρτία εἰς τὸν κόσμον εἰσῆλθε, καὶ διὰ τῆς ἁμαρτίας ὁ θάνατος· καὶ οὕτως εἰς πάντας ἀνθρώπους ὁ θάνατος διῆλθεν, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον : *Quemadmodum per unum hominem peccatum in mundum intravit, et per peccatum mors : sic et in omnes homines mors transiit, quia omnes peccarunt.* Vertimus cum Des. Erasmo, ἐφ' ᾧ *quia*, non *in quo*, quia alioquin hiulca est oratio et dura. Sed fac hoc non esse perspicuum, profecto versio quam sequitur Augustinus non ita certa est, ut possit is locus, quasi clarus, urgeri; cum præsertim ex eo ferme solo aut potissimo colligatur dogma, quod tot difficultatibus premitur, ut vix ullas alias majores in dogmate theologico inveniri posse putem. Earum specimina in superioribus vidimus, quibus Augustinus satisfacere nullo modo potuit. Subjicit : *Corripiatur ergo origo damnabilis, ut ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur.* At quo jure corripietur quisquam quod natus sit peccato originali inquinatus, cum non magis hoc vitare potuerit quam potest ne sol oriatur et occidat impedire? Ubi invenietur exemplum ejusmodi correptionis in universa scriptura? Vult Augustinus peccatum originale pœnam esse peccati Adami, a Deo inflictam, ut docet lib. de Civit. Dei XIII, cap. 12. Qui vero creatura vitabit pœnas a Creatore inflictas? Quomodo etiam, quod eas non vitaverit, corripi poterit? Hos nemo unquam solvit nodos, neque porro solvet.

Hæc de irregenerati corruptione vult dici Augustinus ; de regenerato vero corripiendo sic philosophatur : *Si autem jam regeneratus et justificatus in malam vitam sua voluntate relabitur, certe iste non potest dicere : non accepi, quia acceptam gratiam Dei suo in malum libero amisit arbitrio.* Credebat Augustinus quosdam justificari qui non sunt prædestinati ad salutem, ac proinde non acceperunt a Deo donum perseverantiæ, eosque labi, ut pluribus in sequentibus docet. Quod cum ita sit, hæc ejus responsio in ore Pelagii recta esset, sed in ipsius ore caret plane sensu. Si enim sermo sit de homine minime prædestinato, non poterit corripi ; quia Deus non statuit ei dare perseverantiam, sine qua ad finem usque stare nequit. At forte, inquies, hic sermo est de electo. Sed ne hunc quidem corripere potes, ex Augustini hypothesi, qua statuit gratiam ad singulos actus bonos esse plane necessariam ; nec eam unquam adesse quin effectus sequatur, aut abesse sine hominis lapsu. Cum quidquid boni homines in vita faciunt, id faciant sola vi afflatus, si desinit afflatus, necessario peccant; nec amittunt afflatum sequentem, nisi quia Deus priorem subtraxerat. Nullæ sunt hominum hac in re partes ; sunt instar follium, qui ventum dilatati accipiunt, constricti emittunt, nec majorem habere possunt aut emittere quam datur manu dilatantis aut constringentis.

Plura in hunc libellum non adnotabo, pauca enim quæ attuli satis superque ostendunt quas in angustias conjectus esset Augustinus, cum consectariis necessariis sui dogmatis premebatur. Addam duntaxat me hæc et alia adnotasse solo amore veritatis ductum, utque sanctitatem Evangelii justitiamque Dei majore in luce collocarem, quo ii qui hæc legent, ad parendum Jesu Christi præceptis efficacius adducantur. Hunc esse animum meum Deus mihi testis est, quem oro ut acerbissimas controversias ex definitionibus Africanorum conciliorum ortas sedare, aut certe adventu Filii sui Jesu Christi peccatis omnibus nostris tandem finem imponere velit.

## CLAUDII MENARDI PRÆFATIO

### IN II PRIORES LIBROS OPERIS IMPERFECTI.

Illustriss. et rev. D. D. Dionysio de Marquemont, archiep. et comiti Lugdunensi, etc.

Quod his accidit, illustriss. primas, qui peregrini littoris uniones summam luxuriæ gloriam legunt, ut maceratis inedia corporibus alto sese immergant mari, lustratoque diu fundo, vestigatis, et per mortes mille pauperatis scopulis, tenaci ac longo spiritu terram repetant, naturæ miracula deliciasque profusuri : id in hac ass dua communique veterum unde-

cunque membranarum urinatione fatali, at felici A
œstro percitis, even're sentio, ut post attritas insano
labore vires, profundis bibliothecarum sinibus im-
mersi, reptent hinc inde, et per varias disquisitio-
num sortes, frustrationum mortes, enatent tamen,
publicoque radiantium orbe toto litterarum soli re-
conditas ingeniorum sæculorumque dotes exponant.
In his esse me ni profitear, vanus sim, qui aliquot
annis propellente genio, nihil in votis habui sanctius
quam ut ovanti litterarum gloriæ parens patria, nu-
trix caraque civitas assurgeret, pampinos suos atte-
xer t, litteratas laurus offerret. Et volente Deo fa-
ctum ut pene consumptis in ea cogitatione curis,
insperato beneficio perolidas tincarum pulverumque
sordes hæc cœli solique margarita canderet, cujus
ignorata possessione, delusus annos aliquot, aliud B
agens omnino, sensi tandem vix parabili thesauro
me felicem. Quantum hac beatitate gaudii succreverit
nobis, loquatur ipsa res, et si cui talium cupienti re-
rum par lux affulsit, eo nunc plenior, quo inter omnes
militantis Ecclesiæ Patres altior hæc diviniorque
aquila pervadit, eo purior, non ætatis loquentiæque
prærogativa turgens hic liber, sed ultimi spiritus
contestatione vegetior et defungentem exhibet et pu-
gnantem. Pugnantem recte, cujus vitæ quot momenta
tot acies, quot verba tot laureæ. Impius ergo sim,
beatique nominis quo tinxit mater Ecclesia, profanus
audabata, si demersum alte tot annorum fluctibus
oblatumque desideriis elenchum novus urinator attı-
neo. Cujus renovato nunc primum lumini, quod te
potius dixerim laudatorem publica causa est. Ejus C
enim contesseratione debuit Africanus præsul, tot
olim synodorum genius, episcoporum lingua cala-
musque foveri, qui veris pallii justisque mysteriis et
tractus nostri *et Gallorum legatus audit.*

Narrant Annales Hispanarum rerum, sub ævum
685, principante Gotho Cindasuinda, collectos Toleti
præsules 30 (*Concil. Tol. et* 7), cum Moralium liber,
quem olim Leandro Hispalensi sollicitante dictaverat
magnus sanctissimusque Gregorius, haud superesset
amplius, delectum suffragantibus episcopis Tajonem
Cæsaraugustanum, religione litteraturaque præstan-
tem, qui Romana scrinia consulens, amissos custo-
dum negligentia libros Hispanis redderet suis. Quod
dum procurat, Martino I pontifice, nec in sacris ar- D
chivis, præ multitudine codicum, quæri aut divinari
possent, indicante locum angelo, repertos et de-
scriptos.

Efflaverat, scilicet, in Siciliæ scopulis primum fe-
ralis doctrinæ virus Rufini Pelagiique vafrities, cum
indicante presbytero tunc Hilario, post Arelatensi
episcopo [a], divinus sanctissimi senis animus, sumpta
fidei propugnatione, deforme monstrum longo decen-
nalique bello confecit. Quod igitur Gallis, instigante
præsule suo, laboratum est, *quod magnis post animis
eodem defendente consumptum*, cujus potius auspiciis
comitivaque potuit post tot annorum diescere, quam

[a] Errat; alius is erat ab Arelatensi.

ejus qui post ventilatas longum in ipsa Urbis orbis-
que arce ingenii divitis opes *perpetua Galliarum le-
gatione blatteatur:* quem non inter famosos latrociniis
Numidas, incultos animis Mauros, dissertantem, sed
in amplissimo Galliæ, id est elegantiæ omnis theatro
aut pro catholici nominis restitutione detonantem,
aut de severioris disciplinæ cultu anxium et peroran-
tem tanta pendentis stupentisque coronæ gratulatio
secuta est, ut in amplissimo honoris throno non pie-
tas posuisse, sed ad purpuras, aut si quid majus ha-
beret Gallicana fortuna, exercere videatur. Macte
virtutibus, illustrissime comes, quæ te ad tanti mu-
neris apices, licet onerent verius quam honorent,
debebant tamen feraci vitiis cœlo, specimen potius
quam præmii, *religio, fides, constantia, pietas*, quas
plantes usque pannosasque sic revocas et devincis,
ut exhinc, non ab his effectum te, sed ex te natas, a
te doctas, ipsa tantarum virtutum admiratio glorie-
tur. At est et privata ratio, quæ me tanti operis red-
dat obnoxium; quam si tacitis adniventibusque oculis
neglexisse potuerim, magni me sceleris impiatum
rea conscientia postulabit. Tu fratrem carissimum,
quietis privata deliciis severiorisque propositi cogi-
tationibus immersum, vix et cognitum, nec sperantem,
solemni benigniatis luce perfundis, et restitantem pene sic occupas, ut ad tanti solis radios, et
vita se omnis, et reliqua si quæ est fortuna committat. Sed igitur in foribus augustissimi operis sacrum
solemneque hoc anathema, quod amori tuo beneficiisque lubens merito familia omnis privatis sensibus
publica devotione suspendit. Quam æternum tuam, sacra hæc nec moritura unquam tabella damnabit
*Juliomagi Andium. Pridie nonas Aug.* 1616.

Illustriss. A. T. deditus

CLAUD. MENARDUS,
*Propræt. Urb. And.*

## ANIMADVERSIONES
### IN OPUS IMPERFECTUM CONTRA JULIANUM.

Libro I, § 3. Julianus de Augustino: *Hocipso quam sit divinæ legis imperitus interpres et profanus apparet, quisquis putat ejus sanctione defendi, quod justitia non potest vindicari.* Reponit Augustinus: *Vos quod dicitis potius non potest ulla justitiæ ratione defendi; quia miseria generis humani, a qua nullum hominum ab exortu usque ad obitum videmus alienum, non pertinet ad Omnipotentis judicium, si non est originale peccatum.* Atqui hoc tantum de infantibus aut puerulis dicere debuit, nam majores natu sat actualium peccatorum admittunt ut hujus vitæ miseriis digni sint. Sed ponamus eum, ut debuit, de infantibus duntaxat, aut puerulis locutum; peccatum originale, ut ab Augustino explicatur, commodam nullam rationem defendendæ justitiæ divinæ suppeditat; cum qua nullo modo potest consistere, ut existimabant adversarii Augustini, quos nusquam recte confutavit. Sed, inquies, quamvis non intelligam quomodo peccati Adami imputatio posteris, et vitii necessaria in eos pro-

pagatio consistere queant cum sanctitate ac justitia divina, oportet tamen ut sint infantes puerique peccatores, cum miseri sint, Deus vero justus. Satius esset multo dicere te nescire cur innoxii miseri sint, quam, ut facias eos noxios, invenire hypothesin quæ tot difficultatibus laborat. Sed quid sunt hæ infantium puerorumque brevissimæ miseriæ, si cum æterna beatitudine, quibus eas Deus pensat, conferantur? Nihil prorsus, aut si quid nihilo posset esse minus. Itaque quod Deus eas ab illis in hac vita non amolitur, mirum videri nequit.

§ 8. Ait Julianus ea ab Augustino scripta, *quæ propter honestatis reverentiam oblivioni exterminata mandentur*. Vide notata ad tom. VII, lib. de Civit. Dei XIV, cap. 18 et seqq.

§ 10. Julianus : *Laudat etiam potentem hominem* (Augustinus Valerium lib. 1 de Nuptiis, cap. 2) *quod nostris petitionibus, qui nihil aliud quam dari tanto negotio judices vociferabantur, ut ea quæ subreptionibus acta constabat, emendarentur potius quam punirentur examine, mole suæ dignitatis obstiterit, nec disceptationi tempus aut locum permiserit impetrare.*] Revera laudat Augustinus, loco indicato, Valerium, quia iis quibus disputando ipse resistebat, ille *potestate, curando et instando efficaciter restiterat.* Quod sane minime laudandum erat, nam in re gravi et difficili, in qua sibi probe conscius erat Augustinus tantas esse difficultates, ut iis solvendis par non esset, præstabat, adversariis sæpius auditis, judicare, quam damnare illico inauditos, synodorumque, ne reditus ad mitiora consilia pateret, aliarum super aliis anathematibus infamare, et edicto imperatoris gravissime persequi.

Fiducia veri, si qua fuisset, debuisset eo adducere Augustinum et alios, ut differrent ultimum de ea controversia judicium, sæpiusque quam opus erat audirent Pelagianos; ne in iis damnandis aberrarent, seu quod rem ipsam, arduam sane ac difficilem, non satis intelligerent, seu quod adversariorum mentem non assequerentur. Res quæ tot ingeniis eruditione atque acumine insignibus crucem fixit, totque controversias per omnia sæcula excitavit, non debuit illico permitti paucorum Numidarum ac Afrorum judicio; qui postea, cedere nescii, judicium hoc suum essent quovis modo defensuri, quemadmodum contigit. Doctrina etiam vera, sed plena difficultatibus, non debuit quasi caput fidei necessarium imponi, sine ulla Christi aut apostolorum auctoritate, qua eam necessariam esse constaret. Non debuit denique Pelagianis præberi justissima querendi causa, quod inauditi damnati fuissent. Sed audiamus Augustinum respondentem : *Absit a Christianis potestatibus terrenæ reipublicæ ut de antiqua catholica fide dubitent, et ob hoc oppugnatoribus ejus locum et tempus examinis præbeant; ac non potius in ea certi ac fundati, talibus quales vos estis inimicis ejus disciplinam coercitionis imponant.* Verba hæc sunt victoris, sed qui magis illa terrena auctoritate nitebatur quam rationibus. An ergo Christiani magistratus sine examine ullo debent eos vexare quos pauci episcopi inauditos damnarunt, quia antiqua fides habenda ἀβασανίστως, quæ in provincialibus synodis numero suffragiorum comprobata est? Sunt ergo magistratus lictores cœtuum ecclesiasticorum, quibus parere eos oportet, non responsare. Si talia dixissent Ariani cum erant superiores, profecto intolerandæ tyrannidis merito insimulati fuissent. Sed horum me dudum distædet. Itaque manum de tabula.

## JOANNIS ULIMMERII PRÆFATIO

### AD JACOBUM PAMELIUM SACR. LITTERARUM LICENTIATUM AC BRUGIS CANONICUM, DE INDICULO POSSIDII.

Quanta hactenus, vir humanissime, hominum quorumdam in judicando temeritas fuerit, quidvis D. Augustini esse clamantium, ac pro animi arbitrio reclamantium, haud quisquam facile crediderit, nisi ipsam rei veritatem ab antiquioribus proditam penitius introspexerit, et ad vivum (quod aiunt) resecuerit. In quo controversiæ genere, nemo nobis D. Possidio, ut qui ejus discipulus fuerit, potior disceptator haberi debet; nam cum beatiss. Augustinus tam multa ediderit, dictarit, atque in Ecclesia acerrime disputarit, exceperit, et emendarit, vel adversus hæreticos conscripta, vel ex canonicis libris exposita, ut illis omnibus cognoscendis et perlegendis vix quisquam studiosorum sufficiat, nulli mirum videri debet quædam ejus scriptis admista esse quæ vix eruditi alicujus ac pii sunt, nedum D. Augustini, summa eruditione ac pietate viri; et rursus quorumdam conjecturis (ne dicam præcipiti judicio et temerario ausu) quædam sublata esse, quæ, vel omnibus tacentibus, phrasis ipsa atque incredibilis pietas Augustini esse loquebantur. Quare ne veritatis et verbi Dei avidissimos, Possidius, qui cum hoc nostro antistite annis ferme quadraginta, Dei beneficio ac dono, *absque amara ulla dissensione* (libenter enim ipsius verbis utor) *familiariter ac dulciter vixit*, in aliquo defraudare videretur, indiculum librorum, tractatuum, et epistolarum ejusdem, omnibus studiosis promissum, conscripsit et exhibuit, quem tamen in hunc usque diem omnes qui Augustino non favere non possunt haud citra summam exspectationem votis ardentissimis desiderarunt, ne posthac (ut rectissime scribis) censorum quorumdam temerariis judiciis fluctuarent incerti. Eum ego non alibi a me inventum ac nusquam exstare existimatum, in Villariensis abbatiæ venerandæ antiquitatis codicibus longe instructissima bibliotheca excutienda occupatissimus, ac, tuo exemplo, illius avidissimus, nihil minus cogitans, reperi. Quem ut aliquando in lucem (cui nunquam antea assueverat) edere vellem, non semel id litteris ad me missis, quibus et operam et partem magnam sumptuum liberalissime offerebas, hortatus es; ne diutius qua exspectatione frustrarentur viri docti, quos nulli rei magis inhiare crediderim. Hactenus tamen ejus editionem quamlibet multum postulatam differre visum fuit, ut nostris marginum scholiis illustratus (quibus et per ipsum Augustinum et per veteres Patres qui ejus scripta passim citare non dubitant opera esse Augustini convincuntur) ac in commodiorem atque aliquanto concinniorem ordinem redactus, in lucem, sub tui

nominis auspicio, prodiret, quando aliud tibi nequaquam gratius esse posse certum habebam. Nam quantopere iisdem studiis delectareris, etsi antea didiceram e cognato tuo Ludovico Carrione juvene non illitterato, in cujus ore mihi plane habitare visus es, adeo tuum erga se studium, munificentiam ac favorem frequenter nobis summa cum animi voluptate prædicat; magis id tamen venerabilis ille Beda tuus, nuper in officina Hervagiana renatus, ac multorum librorum accessione, non sine immensis sumptibus ac studiis auctus, testatus est. Maximam itaque in spem adducor fore, ut quæ temporum injuria in tenebris adhuc jacent et cum blattis ac tineis alicubi rixantur, ea tu, quæ tua est in veteribus conquirendis indefesso studio diligentia, aliquando in propatulum allaturus, et quod nostris qualibuscunque laboribus deest, indubitanter adjecturus sis. Siquidem comperi et ego, post hanc nostram absolutam editionem, nonnulla esse quæ diligens lector exactius et magis plena numeris suis tradita, optare possit. In marginibus vero librorum nostrorum (ut et ejus consilii mei tibi constet ratio) satis habuimus voluminum tomos adnotare, omisso paginarum numero, quod is in aliis atque aliis exemplaribus, alius ac multo diversissimus sit, nec idem omnibus respondere possit. Cæterum hanc opellam et qualemcunque industriam nostram, te auctore susceptam, cum recordarer; abduci ab eo non potui quin generosæ D. T. consecratam humiliter offerrem. Accipies itaque eo quo offerimus animo et pro tua solita humanitate, adversus calumniatorum insultus, nostros conatus tuebere.

Vale multum, observande Domine, nosque tui studiosissimos mutuo dilige. Lovanii, e nostro Martiniano cœnobio, 9 calend. Apriles, anno 1564.

## ANIMADVERSIONES

### IN VITAM S. AUGUSTINI.

Præfat. de iis qui vitas virorum ecclesiasticorum scripserant : *Divino afflati Spiritu sermone proprio atque stylo, et auribus et oculis scire volentium, dicendo et scribendo similia, studiosorum notitiæ intulerunt, quales quantique viri ex communi Domini gratia in rebus humanis, et vivere et usque in finem obitus perseverare meruerunt.*] *Afflatos divino Spiritu* vocat bono consilio atque animo vitas scribentes, quia omnia bona a divino afflatu procedere putabat. Nemo tamen neget esse recte facta quædam humana, quæ Deo quidem ut humanæ naturæ auctori debentur, si ad supremam causam ascendamus; sed quæ nonnisi incommode *afflatu* ejus fieri dicantur, propter admistas nimis multas ingenii humani imperfectiones. Sic ipse et alii bono animo, ut putabant, scripserunt vitas superiorum episcoporum; qui eorum animus credo, ex officii sui cognitione natus erat, ac proinde Deo quoque, officii exactori, vel hoc sensu tribuendus. Sed afflati sane a Deo non fuerunt ut fere dissimularent vitia et delicta eorum quorum vitas scribebant, virtutesque ac dotes modicas præter omnem modum extollerent, et venia indigentia quasi miranda describerent. Ejusmodi enim encomiis, ne alia objiciam, fit non tam ut incauti lectores eorum virtutes imitentur, et vera placita sequantur; quam ut vitia dissimulata quasi licita et honesta, erroresque quasi veritatem defendendos sibi proponant; neque enim putant, si fugienda hæc essent, dissimulaturos fuisse harum vitarum scriptores; nec se peccare posse credunt, dum viros usque adeo laudatos imitantur. Ei incommodo obviam ire voluimus in animadversionibus nostris, ubi ut laudanda candide et libenter laudavimus, sic nec vituperanda dissimulavimus; quamvis multum absit ut omnia attigerimus, quod immensæ erat operæ, nec uno volumine fieri potuisset. Verum quidquid conatus sum, id ex amore Dei et proximi profluxisse novit ille cui animorum arcana patent; quem, ut tenebras opinionum nostrarum affectuumque frustrationes discutiat luce adventus Filii sui, etiam atque etiam oro. Amen.

# VINDICIÆ
# AUGUSTINIANÆ

QUIBUS SANCTI DOCTORIS SCRIPTA ADVERSUS PELAGIANOS AC SEMI-PELAGIANOS

A RECENTIORUM CENSURIS ASSERUNTUR.


## AUCTORE P. M. HENRICO DE NORIS,

VERONENSI AUGUSTINIANO.


. . . . . Socii magno clamore sequuntur,
Dum genitor nati parma protectus abiret.
VIRGIL. *Æneid.* x, 799-800.

EPIGRAMMA.

Quidam doctiloqui libros senis Augustini
Carpere, et adversum condere fertur opus.
Usque adeone bonum ingenium et facundia dives
Ostentare artem non aliter potuit?
In nova prostratas acies nisi bella cieret,
Im, iaque exstinctis hostibus arma daret?
Hæc pugna, incentor, mors est tua; te stylus iste
Conficit, et verbis perderis ipse tuis.
Dumque doces quantum valeat mens libera, monstras
Velle tuum tibimet sufficere ut pereas.
Verte gradum, fuge perniciem, stratosque rebelles
Oris Apostolici fulmine ubique vide.
Nec te mutato defendi nomine credes,
Si pastorem ovium lædere vis, lupus es.
S. PROSPER AQUITANUS *adversus Calumniatorem.*

ALIUD EPIGRAMMA.

Contra Augustinum narratur serpere quidam
Scriptor, quem dudum livor adussit edax.
Qui caput obscuris contextum utcunque cavernis
Tollere humo miserum perpulit anguicolum.
Aut hunc fruge sua æquorei pavere Britanni,
Aut huic Campano gramine corda tument.
Quæ concepta fovet, promat, quæ parturit, edat;
Seu vetere armatur dogmate, sive novo.
In quoscunque sinus spirarum torqueat orbes,
Et fallax multa torqueat arte caput,
Currentem attritis super aspidas et basiliscos
Declinare suem vipera non poterit.
S. PROSPER, *ibid.*

# Præfatio.

Neminem non mirari existimo, tantam fuisse quorumdam recentium scriptorum, ut mitissime loquar, animositatem, qua Augustinum maximum illum catholici orbis magistrum editis libris impetere ausi sunt, ut ejusdem defendendi necessitas iis imponatur, qui illum impensius colunt. Et quidem jam inde ab exorientis mali primordiis majores nostri, qui ex vitæ instituto Augustinum uti parentem sanctissime reverebantur, erumpentem novorum censorum audaciam reprimere conati sunt. Ludovicus ab Angelis insignis apud Olyssiponenses sacrorum arcanorum interpres sancti doctoris auctoritatem a plurium calumniis vindicavit (*Lib.* v *de Vita Aug., cap.* 14 *et* 15), et sanctorum Patrum elogia eidem ob Pelagianos ac semi-Pelagianos expugnatos delata singulari diligentia congessit, unde postea eadem cæteri mutuarunt. Sed cum malum quotidie glisceret, atque in scholasticis recentiorum quorumdam disputationibus Augustini doctrina in iis præsertim quæstionibus quas cum divinæ gratiæ hostibus idem habuerat, passim traduceretur, ita ut summus Ecclesiæ doctor in ordinem propediem reducendus videretur, Basilius Pontius Legionensis, magnus apud Salmanticenses theologus, non modo suos Augustinenses, verum etiam sapientissimos Dominicanæ familiæ Patres, ipsamque Salmanticensem Academiam in Augustini partes traxit (*Apologia jurament. Salmant.*), quo veluti succenturiato præsidio sancti doctoris auctoritas adversus recentiorum impetus muniretur. Hinc, Pontio auctore, Salmanticæ anno 1627 famosum illud fœdus ictum est, ea præcipue conditione, ut qui theologica laurea donandi forent, concepto prius juramento Augustinianæ doctrinæ defendendæ sese astringerent. Eo nobilissimæ Academiæ facto Augustinianæ auctoritati satis consultum videbatur, præser-

tim cum sacra etiam Lovaniensium theologorum facultas jampridem in Augustini verba jurasset. Cæterum exortis Jansenianis dissidiis plerique longe acerbiora contra Augustinum et loqui et scribere non extimuerunt. Non defuere tamen ex nostra familia viri qui magni parentis partes acerrime defensarent. Hos inter emicuit Pater Carolus *Moreau*, Gallus, qui tomo primo suarum in Tertullianum Animadversionum satis prolixas vindicias pro Augustino inseruit, quod itidem antea præstiterat vir insignis Joannes Rivius Belga libro quarto de Vita Augustini. Sed profecto nostros hosce scriptores et laterem lavisse, et surdis cecinisse experti sumus; tantum enim abest ut illi ab incepto destiterint, ut majori longe apparatu atque infestioribus armis in Augustinum moverint, hæc adversus Hipponensem doctorem scripturientes : « Augustini doctrinam obscuram, difficilem, intricatissimam, secum ipsa pugnantem, pluribusque erroribus obnoxiam esse. Positum illum sub caligine. In Pelagianis oppugnandis ultra veritatis limites æstu disputationis abreptum. Licitum esse nedum judicem, sed ne arbitrum quidem honorarium in controversiis de divina gratia illum admittere. Ipsius arma non esse inexpugnabilia, neque satis apta ad Calvinistas superandos. Hæreticorum argumentis minime satisfecisse, neque positas abs se theses convincentibus argumentis comprobasse. Non esse sepeliendam scholasticam, ut unus regnet Augustinus, sed hunc ipsum ad scholasticæ amussim exigendum. Ridiculos Augustini adoratores ad nauseam hyperbolicas in eumdem laudes congerere. Volentem impugnare Augustini sententias habiturum adjutorem Deum. » Hæc, aliave pene innumera addidere, quæ in calce hujus Apologetici referemus. Ferunt Crœsi regis filium a puero mutum (*Herodot.*, *lib.* I), cum parentis jugulum stricto mucrone impeti ab hoste cerneret, ruptis derepente miserantis naturæ impetu perpetui silentii vinculis exclamasse : Ἄνθρωπε, μὴ κτεῖνε Κροῖσον. At nos, quibus integer loquendi usus est, Augustinum parentem optimum, doctissimumque novorum censorum scriptis impune lacerari permittemus, et illis quidem mille conviciorum plaustra in sanctum doctorem congerentibus, nos eadem citra querelas plenis auribus excipientes, ansati pacem servabimus, quasi ea nos nihil tangant? Degeneres sane ac spurii censendi essemus, imo amentes prorsus vel saxei, si in tanto parentis discrimine stylo parceremus, qui et esse et haberi volumus Augustiniani. Patris honor lacessitur, pietatis est eumdem ab adversariorum dictis vindicare. Ecclesiæ magistri doctrina impetitur, fidei est illam a quorumcunque impetu asserere. Divi fama decurtatur, religionis est eamdem sartam tectamque servare. Quantorum ergo criminum rei evaderemus, si vulgari forte adversariorum æstimatione, aut eorum qui eisdem suam vendidere fidem, auctoritate coerciti injustas adeo in Augustinum peractas censuras surda aure pertransiremus! Diu quidem siluimus, privatisque querelis ingentem animi dolorem egerere curavimus, meliorem hisce hominibus erga Augustinum mentem comprecantes. Sed nihil profecimus patientia, nisi ut graviora tanquam de facili tolerantibus ingererentur, unde pejora in dies audientes, jam tandem quantulamcunque hanc nostram advocationem Augustino commodare coacti sumus. Neminem vero adeo pietatis ac religionis expertem futurum arbitror, qui hocce Apologeticum torvis oculis intueatur, nigrumque eidem theta præfigat. Etenim, ut olim ad Constantinum Augustum Lactantius scripsit (*Lib.* V *Instit. cap.* 1) : « Si sacrilegis, et proditoribus, et veneficis potestas defendendi sui datur, nec prædamnari quemquam incognita causa licet, non injuste petere videmur, » ut Augustino, qui veluti Christiani orbis deliciæ, teste sancto Cœlestino papa, « ubique cunctis et amori fuerit et honori, » aliquis sit defensioni locus. Nam pessima foret nostrorum temporum conditio, si Augustini censoribus utraque auris daretur, eorumque injuriosa nimium Augustino volumina per ora manusque hominum volitarent, et sancti doctoris defensores non modo inauditi judicio excluderentur, verum etiam eisdem silentium lata lege indiceretur. Immane ac barbaræ prorsus feritatis exemplum fuerit, cum Rhadamistus tyrannorum truculentissimus Mithridatis Armeniorum regis filios, quod « parentum cædibus illacrymaverant, » trucidavit (*Tacitus*, *lib.* XII *Annal.*). Iniquus sane judex sis, qui, Patre nostro mille conviciis lacessito, ut Hieronymi verbis utar (*Apol. 2 cont. Rufinum*), « ne gemitum quidem ac lacrymas dolori liberas esse concedis. » Legimus, cum Nerone imperante virtus omnis pro crimine haberetur, Aruleno Rustico ac Herennio Senecioni, quod innocentissimos ac sapientissimos cives laudassent, « capitale fuisse, neque in ipsos modo auctores, sed in liberos quoque eorum sævitum (*Tacitus*, *in præfat. ad Vitam Agricolæ*). » Sed absit ut hoc facinus nostri sæculi sit vel exempli : neque enim homines ab avita erga divos religione adeo recessisse putandi sunt, ut Augustini laudes indignantes audiant, atque editum hunc nostrum pro eodem librum irata manu discerpant. Magnus stoicæ sectæ professor Seneca merito impias Præxaspis Persarum satrapæ voces execratur (*Lib.* III *de Ira*, *c.* 14), qui cum citra gemitum sub oculis transfigi sibi filium a Cambyse rege vidisset, ab eodem interrogatus num certo ictu pransus ad scopum collimaret, tyranni dexteram filii sanguine cruentam, fumantemque per detestabilem adulationem laudavit, paremque in sagittando Apollini illam dixit. Itane corpore, sed magis animo servi exemplum secutis, novorum censorum manus, quas stylis armatas Augustino intulerunt, laudibus, imo et osculis nobis implendæ erunt? Hominum quam divorum amantior hanc nobis iniquissimam legem imponet, a qua tamen nos liberos esse scimus, quippe qui ad Augustini defensionem suscipiendam apostolicæ sedis decretis impellimur, quibus refragari sit nefas. Cum Pelagiani veteres illi Augustino-mastyges litteras quasdam publicassent, in quibus sanctus doctor pessime traducebatur, Bonifacius pontifex indignatus doctissimi viri nomen quoquam convicio pulsari, easdem hæreticorum litteras ad Augustinum per Alipium deferendas curavit, quo se ab impostorum calumniis vindicare

posset. Hinc amantissimo Patri scribens Augustinus (*Lib.* I *ad Bon., cap.* 1) : Ago autem gratias, inquit, sincerissimæ in nos benevolentiæ tuæ, quod eas me latere noluisti litteras inimicorum gratiæ Dei, in quibus reperisti nomen meum calumniose atque evidenter expressum, sed spero de Domino Deo nostro quod non sine mercede, quæ in cœlis est, illi me lacerant dente maledico. » Sed et Bonifacii successor Cœlestinus ejusdem sanctissimi doctoris honori optime consultum voluit : siquidem vix Augustino inter superos relato nonnulli, quorum, teste sancto Prospero (*In præfat. cont. Collat.*) « nec ordo in Ecclesia, nec ingenia despicienda videbantur, » eidem in Galliis petulanter obloqui, illiusque libros censoria auctoritate examinare ausi sunt, qui cum essent, eodem Prospero auctore, « bonæ opinionis viri, habentes speciem pietatis in studio, » Hipponensis magistri famam ac doctrinam in certum discrimen traxissent, ni Cœlestinus gliscenti malo præsentissimo remedio obviam ivisset. Etenim ubi adversariorum machinationes, delatoribus Prospero et Hilario, cognovit, litteras ad Galliarum antistites dedit, quibus eisdem indignatus quod Augustinum impune percelli permitterent, « Timeo, inquit, ne connivere sit hoc tacere, ne magis ipsi loquantur, qui permittunt illis taliter loqui : in talibus causis non caret suspicione taciturnitas, quia occurreret veritas, si falsitas displiceret ; merito namque causa nos respicit, si cum silentio faveamus errori. Ergo corripiantur hujusmodi, non sit his liberum habere pro voluntate sermonem. » Dein totus in sancti Augustini dudum sibi, cum in vivis esset, amicissimi laudes effusus, « Augustinum, inquit, sanctæ recordationis virum pro vita sua atque meritis in nostra communione semper habuimus, nec unquam hunc sinistræ suspicionis saltem rumor aspersit, quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, ut inter magistros optimos etiam a meis semper decessoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune senserunt, utpote qui ubique cunctis et amori fuerit, et honori. Unde resistendum talibus, quos male crescere videmus. » Jubet ergo apostolica sedes ut Augustini censores « corripiantur, non sit his liberum habere pro voluntate sermonem ; » lata lege etiam sancit, « resistendum talibus. » Hoc sane veteres Augustinianæ scholæ proceres Prosper, Fulgentius, Cæsarius, Prudentius, Rhemigius eruditione æque ac sanctitate percelebres magno animo exsecuti, Augustini scripta contra Semi-Pelagianorum aliorumque insultus defenderunt. Hoc ipsum plurimi recentiores summa cum laude præstiterunt, quorum omnium studia vicit eximius P. Macedo, tot pro ejusdem Patris doctrina in lucem libris emissis. Quare pontificiis mandatis obtemperans, tantorumque Patrum exempla licet longo positus intervallo secutus, recentiores quosdam Augustinianæ doctrinæ censores in jus vocare decrevi. Quod quidem judicium majori qua potero modestia prosequar ; nunquam enim meliorem causam fecit petulantia dicentis, sed sæpe pejorem. Amici mihi illi sunt, sed usque ad aras, usque ad Augustinum meum. Omnia præteribo quæ mihi acerbiora dictu videbuntur, neque solum quid illos audire, sed etiam quid me deceat dicere, considerabo. Quod si quidpiam forte amarulenti exciderit, id propriæ tribuant importunitati, qua nos in eam necessitatem conjecere, ut sine graviori quandoque censurarum reprehensione vix possimus Augustinum pro dignitate defendere. *Hic interim liber*, ut Taciti de Agricola scribentis sententia utar, *honori* Augustini P. N. *destinatus, professione pietatis, aut laudatus erit, aut excusatus.*

# VINDICIÆ AUGUSTINIANÆ.

## CAPUT PRIMUM.

*Refelluntur argumenta quibus nonnulli contendunt doctrinam sancti Augustini de prædestinatione et gratia esse difficilem et obscuram. Sanctissima Clementis X pont. opt. max. pro sancto doctore sententia.*

Antequam quorumdam recentiorum convicia, quæ contra sanctum doctorem plurima congessere, sigillatim referam refellamque, operæ pretium duxi recensere quid Augustino, quod ad traditam contra Pelagianos de divina gratia ac prædestinatione ab illo doctrinam universim opponant ; inquiunt enim esse illam difficillimam, obscuram, intricatam, inconstantem, variam, ultraque veritatis lineas excurrentem. Quam quidem accusationem cum pluribus argumentis conentur persuadere, eadem nobis solvenda sunt, ne quid forte detrimenti apud imperitos nimiumque credulos Augustiniana doctrina patiatur. Joannes Adamus hasce contra Augustinum objectiones struxit, cujus quidem auctoris factum duplici odio dignum judico, vel eo quod doctrinam, quam sapientissimi quique ad usque sidera extulere, deprimere tentavit, vel eo maxime quod Augustinianis armis contra Calvinum decertare professus, eadem ipsa arma mille dicteriis infamat, dubiumque facit sitne Augustino vel Calvino infestior hostis habendus. Adamus hunc titulum in libro vernacula lingua exarato inscripsit : *Calvin défait par soi même et par les armes de saint Augustin qu'il avait injustement usurpées sur les matières de la grâce, de la liberté et de la prédestination.* Nempe : *Calvinus destructus suismet, et sancti Augustini armis, quæ idem injuste usurpavit in iis quæ ad gratiam, libertatem et prædestinationem pertinent*, Augustini nomine grandioribus characteribus, atque ex utraque parte paginam implentibus delineato. Porro volumen illud in partes est divisum tres, in quarum priori et altera nihil de gratia et prædestinatione disseritur, variusque in iisdem Augustini

nomen sonat, in postremam tantum partem de illis mysteriis quæstiones rejecit. Quo consilio id egerit nemo non ignorat : scripsit enim cum vel maxime Janseniani tumultus in Galliis ebullirent. Cæterum in hac voluminis postrema parte plus operæ contra Augustinum quam contra Calvinum ponit. Etenim in prioribus decem capitulis late in unum Augustinum invectus integris viribus decertat ; in quinque autem sequentibus veluti in Augustino persequendo delassatus contra Calvinum stylum deflectit. Verum in decimo sexto, quo universo volumini nobilem colophonem imponat, resumpto animo iterum in Augustinum irruit, ut saxei sane cordis censendi sint qui citra non dicam indignationem, sed execrationem adeo sancto doctori injuriosa verba perlegerint. Iloccine est, Adame, Calvinum, an Augustinum destruere? Promiseras te sancti Augustini *armis* cum Calvino congressurum. At quanti per tuam fidem victricia illa arma facis? Clamas : *Arma Augustini inexpugnabilia non esse*, cap. 4, pag. 581. Itane *jactas plumbeos pugiones*, ut facete lib. III. cont. Jul. cap. 7, ait Augustinus, quem adversarii jugulum petas? Sub Augustini auspiciis in hostem moves, et ducem hunc tuum mille dicteriis oneras? Sanctum doctorem a Calvinistis abs te vindicatum iri promittis, et eumdem hostibus prodis? Hæc loqueris pag. 640, cap. 8 : *Si intra verborum sancti Augustini altitudinem me continerem, Calvinista essem.* Addis cap. 16, pag 760 : *Orbi universo notum est, inter omnes Patres unum Augustinum eucharistiæ mysterium maxime confudisse.* Quid quod scribis pag. 596, cap. 4, Augustini dicta non esse apta *ad exarmandos Calvinistas?* Præterea Augustinum, inquis, sensisse impiorum hominum reprobationem ab originali culpa esse derivatam, et illius hanc unicam esse causam pag. 584 ; at cap. 10, pag. 667, ser bis eam sententiam *tibi licitum esse horrere, quod mater est illius, quam Calvinus tanta impietate ac rabie contra Ecclesiam inculcat.* Et pag. 624, cap. 7, testaris Augustinum dixisse *manum et eucharistiam esse* ÆQUALITER *figuram Jesu Christi.* Quæ prima Calvinistarum hæresis est. Putasne Calvini sectatores ac Genevensem scholam non plenis auribus ingentique plausu isthæc tua dicta excepisse, cum te judice suum fere videant Augustinum, quem tamen contra eosdem stare, te demonstraturum promiseras? Sed his omissis, ob quæ Calvinistæ gratias referunt, saltem debent, quam contra sanctum doctorem accusationem instituas, audiamus.

Itaque Adamus, quem intelligo inter *celebres auctores* a sodalibus numerari, capiti quarto hunc titulum dedit (*Dial.* VI *de Opin. probabili*) : *Doctrinam sancti Augustini de mysteriis gratiæ, libertatis, prædestinationis et eucharistiæ esse difficillimam intellectu, et eam obscuritatem magnas divisiones tum vivo, tum mortuo Augustino peperisse*, etc. Rursus caput sextum ita inscribit : *Nova argumenta ad probandum doctrinam sancti Augustini de mysteriis gratiæ et prædestinationis esse obscuram et difficilem intellectu.* Pag. 619. In quo quidem capite cum plura tum falsa, tum calumniosa pronuntiaverit, hac præclarissima censura concludit : « Sed illud quod tenebris ac nubibus libros hujus sancti et sapientis doctoris obduxit, quodve adnotatum fuit a celeberrimis theologis, est quod non absque profunda meditatione non semper distinguit id quod docet uti dubium, et quod tradit, ut indubitabile; quodve dicit adversarios impugnans, et quod docet sua defendens. Sæpe oppositas sibi ab adversariis objectiones in eosdem retorquet, eos in absurditates miras conjiciens. Instantiam instantia solvit. inconveniens refutat difficultate longe majori. Ulterius, non clare exponit, num objectiones ad suos hostes impugnandos proponat, vel quod in eis cum iisdem conveniat, etc. Hæc quidem ejusdem addita perplexitati in sententia proferenda in hac materia, ac considerata insuper distinctione librorum ante episcopatum et in episcopatu scriptorum, nec non dissidiis doctorum ob veram ejusdem doctrinæ intelligentiam percipiendam, mihi licitum est concludere, noluisse suos sensus clare exponere, vel in illis explicandis non ita felicem fuisse, ut nullus de ejus mente dubitandi supersit locus. Quare immerito volunt ipsum esse oraculum gratiæ et concilii Tridentini interpretem. » Quid arrogantius, quid absurdius, quid indecentius contra Augustinum dici possit, non video. At quo consilio illa eructarit, satis est manifestum, nempe ut Augustini deserendi impostam sibi necessitatem ostenderet. Quotusquisque enim est qui Augustinum præ aliis sequi malit, si vera sunt quæ eidem Adamus opponit? Hinc cap. 16, pag. 763, clamat : « Hæ Augustini tenebræ me cogunt ad lucem alibi quærendam, quam quidem in synodis et aliorum doctorum libris invenio. » Habemus hominis confessionem.

Victorinus, celeberrimus quondam Romæ rhetor, ac Hieronymi et Augustini præconio orbi notus, voluminum obscuritatem triplici ex causa oriri dicebat, ut testatur sanctus Hieronymus in prœmio lib. XIII in Ezechielem : « Vel rei magnitudine, vel doctoris imperitia, vel audientis duritia. » Poterat quartam addere, nempe docentis malitiam, quod Aristoteli vitio vertitur obscuris verborum involucris suos sensus occulenti. Sancti Augustini doctrinam de gratia et libero arbitrio ac prædestinatione esse obscuram atque difficilem ob rei magnitudinem, ob divinorum consiliorum profunditatem, ob mysterii secretissimi altitudinem libenter concedimus. Quis enim ignorat quantum omnium ætatum sapientibus difficultatis ingessit humanæ voluntatis liberæ cum divina præscientia ac prædestinatione concordia? Testes sunt veterum philosophorum errores. Inde enim Stoici fatum invehentes liberum arbitrium suffocarunt : alii cum Cicerone contingentium scientiam Deo sustulere. Hinc pariter inter scholasticos theologos diuturna ac perpetuo duratura dissidia orta sunt. Ipsimet recentiores, qui planiori se via iter carpere gloriantur, in pluribus, de divinis prædefinitionibus, scilicet de objecto scientiæ mediæ, de gratia congrua, aliisque secum invicem acerrime concertantes, civili

eo bello rei difficultatem fatentur. Molina in Concordia quæst. 14, art. 13, disp. 53, memb. 2, § *Parvipendunt*, fatetur, semet pertinaci viginti annorum labore insudasse, quo humanam libertatem cum mysteriis gratiæ ac prædestinationis componeret, qui tamen Thomistarum judicio inanem operam posuit. Sed hoc sub lite dimisso, certe eo conatu difficillimam provinciam se aggressum ostendit. Suarius omnium recentiorum gravissimus scriptor tomo II de Grat., lib. V, in præludio agens de gratia efficaci, idem ingenue affirmat. Hinc Augustinus, epist. 47, ad Valentinum, vocat eam quæstionem *difficillimam et paucis intelligibilem;* et cap. 47, de Gratia Christi, *ad discernendum difficilem.* Idem serm. 5 de Verbis Apostoli, cum de divina gratia verba ad populum facturus esset, dixit se *habere propter obscuritatem rerum difficilem disputationem.* Cæterum sapientissimus vir obscuris lucem et difficilibus facilitatem quantum potuit ingessit. Nulli sane labori pepercit quo et clarissime et planissime loqueretur; precibus etiam Deum subinde rogabat ut ad captum populi de gratia disserendi facultatem sibi impertiretur. Audiatur in proœmio serm. 13 de Verb. Apostoli, cum in superioribus de lege et gratia fusè perorasset : « Verbi Dei, inquit, altitudo exercet studium, non denegat intellectum. Si omnia clausa essent, nihil esset unde revelarentur obscura. Rursus si omnia tecta essent, non esset unde alimentum anima perciperet, et haberet vires quibus posset ad clausa pulsare. In lectionibus apostolicis superioribus, quas charitati vestræ, quantum Dominus adjuvare dignatus est, exposuimus, multum laborem et sollicitudinem passi sumus. Compatiebamur vobis et solliciti eramus et pro nobis et pro vobis. Quantum autem existimo adjuvit et nos et vos Dominus, et ea quæ prorsus difficilia videbantur sic per nos enodare dignatus est, ut nulla quæstio remaneret quæ conturbet mentem piam. Impia enim mens odit etiam ipsum intellectum » etc. Libro etiam tertio de peccatorum Meritis et remisssione, cap. 2, futuris adversariis qui sibi loquendi obscuritatem objecturi erant, hisce ora obstruxit : « Quia ea quæ pro natura quæstionum dilucide dicta existimo, adhuc non intelligunt, non mihi calumnientur pro negligentia vel pro meæ facultatis indigentia, sed Deum potius pro accipienda intelligentia deprecentur. » Et quidem libri isti primi fuere inter eos quos supra triginta pro divina gratia asserenda adversus ejusdem hostes elucubravit. Quare cum Augustinus vel initio disputationis recens exortæ, indeque satis obscuræ ac difficilis, dilucide se locutum dixerit, quos clarissimæ doctrinæ radios re satis superque tot annorum spatio, tot publicis privatisque congressibus, tot denique voluminibus epistolisque discussa atque explicata sparsisse dicendus est? Sane cum Julianus sancto doctori obscuritatem objectasset, hocce ab Augustino responsum tulit : « Quia tenebras vestras redarguunt, vobis lucida non videntur, et quæcunque vobis sua radiante luce molesta sunt, contra illa cor claudite, ne inde nox fu-

A getur erroris. » Lib. III Operis imperf., cap. 61. Et cum idem hæreticus sancti doctoris sententiam intellectu difficilem esse opponeret, respondit Augustinus : « Prorsus intelligor, velis nolis; sed tu contra ista nihil dicturus, vis non intelligi quod ego verissimum atque firmissimum dixi. » Lib. IV, cap. 110. Lege de his plura in Antithetis.

Cæterum Adamus coctam olim a Pelagianis crambem recoquens, Augustinianam doctrinam vitio obscuritatis infamat, quam non mysteriorum magnitudini, non debili lectorum intelligentiæ, sed Augustini malitiæ deputat, quippe qui suos sensus clare dicere noluit, vel saltem non valuit, ut scribit pag. 615. Itane magnum illud Africanarum synodorum Ingenium, quo nomine audivit Augustinus ex Prospero, B cap. 2 contra Ingratos, adeo bardum vel invidum judicas, ut post viginti fere annorum conatus nondum suam sententiam explicare potuerit, aut, quo solus sapere videretur, noluerit tanto cum Ecclesiæ totius detrimento? Sed videamus quibus argumentis cap. 4, 5 et 6, probare recentior ille conetur, sancti Augustini doctrinam de gratia et libero arbitrio, nec non de prædestinatione esse obscuram atque difficilem. Opponit initio statim cap. 4, pag. 590, Florum monachum Adrumetinum primum fuisse qui, Augustinianæ doctrinæ obscuritate deceptus, contra liberum arbitrium dogmatizarit. Etenim non intelligens Augustini epistolam ad Sixtum, contra hominis libertatem eam loqui existimabat : at cum reliqui monachi oppositum defenderent, res ab ipso C Floro aliisque ad Augustinum delata est, quibus instruendis sanctus doctor binas ad Valentinum abbatem litteras dedit, addito etiam libro de Gratia et libero arbitrio, alteroque de Correptione et gratia, in quibus ea quæ obscurius in epistola ad Sixtum dixerat, clarius explicuit. Verum antequam pravam illius epistolæ intelligentiam non ex Augustini obscuritate, sed ex lectorum duritie, ut Victorini verbis utar, derivasse ostendam, supina Adami in Augustino legendo incuria castiganda est, qui Florum monachum haud rectum illius epistolæ sensum tenuisse calumniatur, cum aperte Augustinus illum quidem recte sensisse testetur, sed non fuisse ab aliis intellectum, ita enim ad monachos illos scribit cap. 1 de Corrept. et grat. : « Hanc fidem, quæ sine dubio vera, et D prophetica, et apostolica fides est, etiam in fratre nostro Floro invenisse me gaudeo, unde hi potius corrigendi sunt, quos quidem propitio Deo correctos esse jam existimo, qui eum non intelligebant. » Itaque monachi quidam sancti doctoris epistolam non intelligebant, cujus tamen sensum optime Florus assecutus, nihil ex Augustini verbis obscuritatis passus est. Unde prava illorum intelligentia non Augustini vitio, quod noluerit aut non potuerit clare loqui, danda est, sed debili monachorum captui, qui necdum Augustinianam epistolam non percipiebant, sed nec Florum eamdem pluribus explicantem intelligebant. Sed de his fusius diximus lib. I Hist. Pelag., cap. 23, et lib. II, cap. 15.

Addit Adamus pag. 591 : « Ilos primos apud Africam motus ex Augustinianæ doctrinæ obscuritate ortos Gallicani tumultus consecuti sunt. Viri enim tum pietate tum doctrina insignes Massiliæ et apud vicinas insulas, ægre ferebant Augustinum, cujus magna in Ecclesia æstimatio erat, nonnulla docuisse quæ ob obscuritatem Prædestinatianorum hæresi ea tempestate per Gallias gliscenti favorem præbere videbantur. Porro cum hæc latius diffamarentur, Prosper et Hilarius de his Augustinum per literas certiorem reddidere, quo clarius suam mentem aperiret. » Fabulas bellas nectit hic scriptor; nam ii de quibus Prosper et Hilarius ad Augustinum scribunt, nequaquam fuere Prædestinatiani, qui ex Augustini obscuritate in errores lapsi essent, sed fuere Semi-Pelagiani, Cassianus, Hilarius, Vincentius, Faustus, aliique, ut fusius libro II Historiæ Pelagianæ demonstratum est; illi enim fidem et perseverantiam esse dona Dei pernegabant, nobis ex nobis ipsis ea provenire dictitantes. Nullos sane tunc fuisse Prædestinatianos patet ex litteris Prosperi et Hilarii, neque enim Augustini ipsius doctrinam in pravorum dogmatum fundamentum a Prædestinatianis sumi, sed a plurimis illam impugnari dicunt, uti novam et absurdam. Dabo initium epistolæ sancti Prosperi, inde enim objecta Augustino obscuritas, ex qua in Galliis tumultus exortos fingit adversarius, evanescit : « Multi ergo, inquit, servorum Christi, qui in Massiliensi urbe consistunt, in Sanctitatis tuæ scriptis, quæ adversus Pelagianos hæreticos condidisti, contrarium putant Patrum opinioni, et ecclesiastico sensui quidquid in eis de vocatione electorum secundum Dei propositum disputasti. Et cum aliquandiu tarditatem suam culpare maluerint, quam non intellecta reprehendere, quidamque eorum lucidiorem super hoc, atque apertiorem Beatitudinis tuæ expositionem voluerint postulare, evenit ex dispositione misericordiæ Dei, ut cum quosdam intra Africam similia movissent, librum de Correptione et gratia plenum divinæ auctoritatis emitteres, quo in notitiam nostram insperata opportunitate delato, putavimus omnes querelas resistentium sopiendas, quia universis quæstionibus, de quibus consulenda erat Sanctitas tua, tam plene illic absoluteque responsum est, quasi hoc specialiter studueris, ut quæ apud nos erant turbata componeres. Recensito autem hoc Beatitudinis tuæ libro, sicut qui sanctam atque apostolicam doctrinæ tuæ auctoritatem antea sequebantur, intelligentiores multo instructioresque sunt facti, ita qui persuasionis suæ impediebantur obscuro, aversiores, quam fuerant recesserunt. » Hæc ille. Audin' Massilienses non Augustino obscuritatem objecisse, sed *tarditatem suam culpare maluisse, quam non intellecta reprehendere?* Narrat autem nonnullos lucidiorem expositionem postulasse, non quod illa quæ Augustinus astruxerat, obscura erant, sed quod eadem clarius ad ipsorum captum exponi peroptabant, quæ tamen acutioris ingenii viris satis essent manifesta. Rursus ait eosdem postea *suæ persuasionis obscuro impeditos* Augustini doctrinam aperte ac probe intellectam oppugnasse, Augustini vero sectatores ex iisdem sancti Doctoris libris *intelligentiores multo instructioresque esse factos*, quod non est de Augustini mente minus recte propter obscuritatem percepta rumores in Galliis exortos, ut fingit Adamus, sed de ejusdem doctrinæ omnibus notæ veritate litigia enata esse, Prospero, Hilario aliisque Augustinum defendentibus, Cassiano e contra cum fœderatis eumdem impugnantibus. Scribit Adamus pag. 594, Prosperum et Hilarium, quod a nonnullis presbyteris Prædestinatianis suosmet errores Augustini nomine suffulciri cernerent, rei indignitate commotos ad Cœlestinum papam profectos, qui e vestigio litteras ad Galliæ episcopos dedit, quibus, do verba Adami pag. 595, *ora obstruit omnibus istis presbyteris qui suos errores sub obscuritate verborum sancti Augustini tegebant.* Si et delatoris Prosperi dicta, et Cœlestini judicis lata pro Augustino vindicando sententia intercidissent, poterant illa utcunque ab Adamo fingi, quo Augustinianam obscuritatem illorum tumultuum fontem persuaderet. At ex Prosperi et Cœlestini scriptis apertæ falsitatis reus tenetur. Hi, contra quos Prosper, ejusque collega Hilarius Romam profecti sunt, non fuere nescio qui presbyteri Prædestinatiani sub Augustini nomine errores suos venditantes, sed fuere plane Semi-Pelagiani Massilienses, qui sancti Augustini libros et doctrinam lacerabant. Hoc fusius a nobis probatum est lib. II, Hist. Pelag., cap. 15, quæ hic repetere non vacat.

Pergit cœpto Adamus novis argumentis Augustinianam obscuritatem probare enitens. Opponit quod de ejus dem sententia de prædestinatione ingens inter theologos controversia est, pag. 596 addens adeo illam esse difficilem, ut graves tumultus in Ecclesia excitarit. Tradit etiam quosdam ex Augustini sectatoribus in materia de gratia illum deseruisse, vel non ausos fuisse Augustini dogmata publice defendere pag. 610, initio cap. 10. Ter etiam sententiam ea in quæstione mutasse pag. 597, et pag. 611 addit Augustinum sæpe confessum esse difficultates vel a se vel ab adversariis contra mysteria gratiæ et prædestinationis propositas datis a se solutionibus non elidi, suamque mentem plus objectionibus commotam fuisse, quam responsionibus sedatam. Item eumdem, cum alicujus insuperabilis difficultatis pondere premeretur, ad illa Scripturæ verba confugisse : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei!* etc. (*Rom.* XI). Præterea tradit ibidem inchoasse Augustinum Commentaria in Epistolam Pauli ad Romanos, ubi Apostolus de mysterio prædestinationis tractat, sed rei altitudine deterritum opus imperfectum reliquisse. Tandem pag. 614 difficultatem veræ et germanæ Augustinianæ sententiæ assequendæ inde probat, quod non una est ejusdem ac constans semper opinio, sed diversæ atque pugnantes. Ego quidem responsionem paucis perstringo; neque enim negotium adversarii objecta nobis facessunt. Gallicani illi tumultus non inde orti sunt, quod obscura vel diffi

cilis intellectu Augustini sententia habebatur, sed quod plerique eamdem sententiam probe ab ipsis intellectam contrariam putabant antiquorum Patrum definitionibus, teste Prospero in epistola ad Augustinum. Duo enim hic distinguenda sunt : vel enim difficilis asseritur Augustini sententia, quod intelligi non nisi difficulter possit, vel quod licet recte percipiatur, humano intellectui durior videatur, cuive non ita facilis assensus præbeatur. Primum sane falsum est, nam Massilienses optime Augustinianam sententiam de gratia Adami et stantis et reparati, de prædestinatione electorum, de eorumdem certo numero, de dono perseverantiæ assecuti sunt, ut palam fit ex litteris Prosperi et Hilarii, qui itidem cum aliis verum Augustini sensum tenuerunt, quem si nonnulli assequi nequivere, ipsorum ingenii debilitati deputetur ; neque enim soli vitio verti potest quod eum talpa non videat. In altero vero sensu difficilem videri sancti Doctoris sententiam de prædestinatione, nec ipse Augustinus negavit ; res enim secretissima est, quam tamen tot libris, quantum potuit, reddidit faciliorem. Non ibo inficias sancti Augustini sententiam de prædestinatione ante prævisa merita plures in Gallis turbasse, unde gravissimæ contentiones emersere, doctis quibusve in partes divisis. Neque enim indocti absolutam prædestinationem cum humana libertate componi posse percipiebant, et docti etiam viri idipsum ægre assequebantur. Cæterum Augustinus illorum dissidiorum certior factus, in libris de Prædestinatione sanctorum et de Dono perseverantiæ eamdem de prædestinatione sententiam et constanter tenuit, et solidissime confirmavit. Sane in libro de Dono perseverantiæ, cap. 20, respondens Massiliensibus, qui dicebant : « Non opus fuisse hujuscemodi disputationis incerto minus intelligentium tot corda turbari ; quoniam non minus utiliter sine hac definitione prædestinationis per tot annos defensa est catholica fides, » ostendit jam olim ante exortos Pelagianos eadem se docuisse, quæ postea contra eosdem operosius et diligentius demonstrare compulsus fuerat : « Prædestinatio, inquit, prædicanda est, ut possit vera Dei gratia, hoc est quæ non secundum merita nostra datur, insuperabili munitione defendi, » cap. 21. Et quidem sanctus doctor dorum fidei et primam gratiam ex absoluto decreto Dei suspendit, quo omnia prorsus merita divina gratia antecederet. Hinc Semi-Pelagiani Augustino hostes facti per centum fere annos variis dissidiis Gallias fatigarunt, donec in Arausicana synodo II ex Augustini libris datis responsis diuturnæ illæ inter doctos homines agitatæ contentiones finem sortitæ sunt. Nullius sane culpæ Augustinus reus inde traducendus est, imo summis idem laudibus commendandus venit, qui Semi-Pelagianorum nec sapientia nec auctoritate deterritus, traditam semel de divina gratia atque prædestinatione ad initium saltem fidei (quod in confesso est apud omnes) sententiam pluribus demonstravit, neque per ipsum ullo modo stetit quin missis in Galliam duobus præclarissimis libris de Prædestinatione sanctorum et de Dono perseverantiæ natos ibidem tumultus compesceret. Cum Augustinus de initio fidei atque perseverantiæ dono ea docuerit quæ verissima sunt, et eadem in synodorum postea canones transierint, Cassianus, Faustus, Hilarius Arelatensis, aliique reprehendendi sunt, qui Augustino contradicentes erroneam doctrinam defendendo, gravissimas Galliæ turbas peperere. Ex his constat Adamum præpostere de illis Gallicanis dissidiis judicasse. Hinc recte sub Rhemigio sanctissimo ac doctissimo Galliarum antistite Ecclesia Lugdunensis ante octingentos annos de hoc ipso pronuntiavit : « Augustinus nec tanta perturbatione et commotione fidelium ab intentione veracissimæ et fidelissimæ doctrinæ suæ frangi potuit aut revocari. Sed magis eos et scriptis suis in quantum potuit admonuit et instruxit, et orationibus apud Deum profusis fideliter adjuvit, ut intelligerent et agnoscerent quam necessario et quam salubriter propter commendationem divinæ gratiæ ejusdem prædestinationis veritas omnino et credenda et prædicanda esset. » Lib. de trib. epist., cap. 35. Itaque falso contra sanctum Augustinum locutus est Ludovicus Molina in sua Concordia, hæc scribens : « Augustini doctrina de prædestinatione plurimos ex fidelibus, præsertim ex iis qui in Gallia morabantur non solum indoctos, sed etiam doctos mirum in modum turbavit, ne dicam illius occasione salutem eorum fuisse periclitatam. Ne enim ejusmodi doctrinæ adhærerent, hæresi potius Pelagianæ ex parte assentiendum putabant. » Neque enim rejicienda sunt pharmaca quod initio quidem sorpta stomachum delicatiorem turbare solent. Haud salus illorum periclitata est, qui in quæstione nondum ab apostolica sede decisa non ita se faciles præbebant ad Augustinianam sententiam recipiendam ; scimus enim Cassianum, Faustum, Hilarium Arelatensem episcopum, qui Semi-Pelagianorum principes fuere, uti sanctos in Galliis coli, ut in Pelagiana Historia, lib. II, cap. 12, nobis descriptum est. Quis autem non moleste ferat recentiores Augustini doctrinam uti Gallicanarum rixarum causam traducere, cum easdem omnino contentiones una ipsa sedaverit atque sustulerit, quandoquidem Arausicani canones, qui pacem Galliis dedere, exscriptæ ad verbum Augustini sententiæ sunt? Quod initio quidem factum fuisset, si Semi-Pelagiani sancti doctoris sententias recipere maluissent, quam eisdem contradicendo provinciam dissensionibus involvere. Ex his, ut ante inferebamus, illarum turbarum origo non in Augustinum, sed in ejusdem hostes rejicienda est. Porro falsum est, quod scribit Adamus pag. 610, in materia de gratia et prædestinatione nonnullos sectatorum sancti Augustini ipsum deseruisse, vel non ausos eum publice tum temporis in Galliis defendere. Contrarium enim testantur Prosper et Hilarius in epistolis ea de re datis ad Augustinum : « Recensito autem, inquit Prosper, hoc Beatitudinis tuæ libro, sicut qui sanctam atque apostolicam doctrinæ tuæ

auctoritatem antea sequebantur, intelligentiores multo instructioresque sunt facti, ita qui persuasionis suæ impediebantur obscuro, aversiores quam fuerant recesserunt. » Unde Augustini sectatores novis subinde a sancto doctore libris acceptis, animosius ejusdem partes sustinebant. Hilarius vero ita fatur : « Sunt ex parte tales personæ (nempe Semi-Pelagiani), ut his consuetudine Ecclesiastica laicos summam reverentiam necesse sit exhibere. Quod quidem ita curavimus, Deo juvante, servare, ut, cum opus fuit, non taceremus quæ ad quæstionis hujus assertionem exiguitas nostrarum virium suggereret. » Scio Prosperum in epistola eadem fateri quosdam non ausos publice Augustiniana pronuntiata defendere, quod non inde factum est quod illa creditu difficilia ac paradoxa arbitrabantur, ut contendit adversarius, sed quod Hilarii episcopi Arelatensis aliorumque doctissimorum Augustini hostium *dignitas et reverentia*, teste eodem Prospero, timorem eisdem injiciebant.

Jam vero discutienda veniunt quæ ad Augustinianorum dogmatum difficultatem persuadendam idem comminiscitur pag. 611, ubi ait : « Augustinus sæpe confessus est, difficultates vel a seipso vel ab adversariis propositas in hac materia datas a se solutiones excedere, sequeque plus objectionibus commotum quam responsionibus sedatum. » Addatque : « Cum vero aliqua difficultate insuperabili pressus est, ad illa Scripturæ verba confugit : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei !* etc. (*Rom.* xi). » Peream, si unquam Augustinus ea affirmavit quæ illi Adamus imponit ; debuerat in re gravissima aliquem sancti doctoris textum appellare. Sed non ita est, Adame ; audio enim Augustinum hæc contra Julianum omnium adversariorum acutissimum et ferocissimum, dicentem in fine lib. vi : « Ad omnia me tibi respondisse, Juliane, et omnia refellisse, etc., puto quod prospicis, si pervicax non sis. » Et in fine lib. i : « Vitreas argutias tuas, et fragilia, quibus tibi multum videris acutus et nitidus, argumenta confringam. » Et lib. iii, cap. 3 : « Tuarum velut acutarum argumentationum nihil non solutum destructumque dimittam. » Hinc sanctus Prosper in cap. 2 contra Ingratos canit nullum argumentum Pelagianorum non dilutum fuisse.

*..... Nullumque omnino relictum*
*Docta fides, quod non dissolveret argumentum.*

Et sanctus Prudentius in epistola ad Hincmarum et Pardulum eorumdem hæreticorum argumentis a sancto Augustino *abundantissime et competentissime satisfactum* esse scribit. Videantur dicta cap. 1 appendicis ad dissertationem de synodo quinta. Illa tamen insuperabilis quæstio Augustino visa fuit, cur Deus hunc potius quam illum prædestinaret, de qua erudite agit serm. 11. de Verb. Apost., cap. 14, et epist. 105 ad Sixtum, et lib. iv ad Bonif., cap. 6, ubi ait : « Ipsa est quæstio, quæ ad illam pertinet altitudinem, quam perspicere volens idem Apostolus quodammodo expavit, et exclamavit : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei !* etc. » Ita summi ingenii fasces secretis divinæ Providentiæ consiliis Augustinus submisit, quod et recentiores fateri coguntur, si rogentur cur Deus huic det gratiam congruam, alteri vero neget?

Quod addit, Augustinum imperfectam reliquisse inchoatam a se in Epistolam Pauli ad Romanos Expositionem, in qua de mysteriis gratiæ disseritur, quasi rei difficultati succubuerit, non convincit Augustini doctrinam esse difficilem, ut sibi probandum Adamus eo in capite proposuerat. Rationem intermissorum Commentariorum hanc tradit sanctus doctor lib. i Retract., cap. 25 : « Ipsius operis magnitudine ac labore deterritus et in alia faciliora deflexus sum ; » non quod ignoraret quid de prædestinatione et gratia juxta Apostoli sententiam statuendum esset, cum id et in libris, et in epistolis, et in sermonibus adeo sæpe ex eadem Epistola Pauli ad Romanos deduxerit, ut Beda, Florus, Victor Tripolitanus, aliique ex solis sancti Augustini interpretationibus in eam Pauli Epistolam sparsim ejusdem operibus insertis integra Commentaria in centonem consuerint, ac plane totam Epistolam Augustinianis verbis exposuerint. Denique falsum est, quod Adamus scribit pag. 612, dixisse Augustinum suam de prædestinatione sententiam *non esse populis prædicandam*. Quodve summæ falsitatis est, id probans ex cap. 15 de Dono perseverantiæ : etenim ibidem per plura capita inculcat, et prædicandam esse sententiam de gratuita prædestinatione, et modum quo citra rudium conturbationem prædicari possit, assignat. Audiatur sanctus doctor ita inchoans cap. 14 de Dono persev. : « Sed aiunt prædestinationis definitionem utilitati prædicationis adversam. » Audin', Adame, illam sententiam fuisse Semi-Pelagianorum, quos ibi rejicit sanctus Pater, quam satis negligenter, ut mitius loquar, eidem affricas. Accipe interim Augustini responsum : « Quasi vero adversata sit Apostolo prædicanti. Nonne ille Doctor gentium in fide et veritate prædestinationem toties commendavit, et verbum Dei prædicare non destitit? »

Hæc nobis scribentibus opportune S. D. N. Clemens X pro Augustino sententiam pronuntiavit, aureis plane characteribus imis præcordiis incidendam. Etenim in diplomate raro ac singulari, dato die 18 Decembris, anno 1671, quo universis Christi fidelibus festa sancti Augustini die nostræ familiæ templa adeuntibus, ibique pie supplicantibus plenariam indulgentiam impertitur, hæc habet : « Itaque eximia, omnisque humanæ laudis præconium longe superg essa sancti Augustini episcopi et confessoris, Ecclesiæ doctoris præcellentissimi, qui Spiritu Dei plenus hæresum errorumque tenebras tanquam fulgentissimum Christianæ eruditionis jubar profundissimis, simulque sole clarioribus scriptis profligavit, et hominum corda eo, quo ipse ardentissime flagrabat, charitatis igne succendit, decora grato devotoque mentis affectu recolentes, » etc. Hac apostolicæ sedis sententia honorificentissima, gravissima sanctissima

que omnes a quibuscunque adversariis Augustinianis libris objectæ nubeculæ fugantur penitus ac dissipantur. Hoc diploma in forma Brevis, ut aiunt, exaravit illustrissimus D. Joannes Gualterius Slusius, spectatæ doctrinæ præsul, urbi et orbi notissimus, Clementi X pont. max. a secretis brevium. Illud vero apostolicæ cameræ typis excusum ad eumdem summum pontificem detulit illustrissimus D. Josephus Eusanius apostolici sacrarii præfectus, idemque Augustinianæ gentis decus, quam uti olim in suggestu et scholastica cathedra illustravit, ita eamdem continuis propemodum beneficiis exornat; detulit, inquam, laudatum Breve die 24 mensis ejusdem, hora 14, cum summus pontifex sacrosancta mysteria peregisset. Horum autem lectores prænonitos volui, ne quis postea diploma illud a pontifice nec visum nec lectum comminiscatur, quemadmodum de altero diplomate ab Alexandro VII ad Lovanienses dato, in quo sanctus Augustinus ejusque doctrina eximie commendantur, quidam recentior concepto juramento publicavit, cujus quidem hominis voces inferius capite 6 castigamus. Hæ quidem Clementis X litteræ quotannis pro Augustini solemniis de more, qua late per orbem Augustiniana respublica colonias deduxit, populis exponentur, ac magni doctoris ex apostolici oris sententia *sole clariora scripta* apparebunt, nullusque posthac non falsas ac prorsus inanes illius recentioris voces intelliget, qui ausus est blaterare sancti Augustini libros esse *tenebris ac nubibus obductos*, dum ex apostolicæ sedis oraculo sole clariores elucent.

Omitto consulto plura sanctorum Patrum testimonia, quibus Augustinus ab objecta obscuritate vindicatur; illa enim producam in calce hujus operis, et quidem nobilissima. Hic tamen sancti Prosperi verba in præsenti repetere juvat in præfatione ad excerpta Genuensium, initio cujus hæc ait : « In libris beatæ memoriæ Augustini episcopi, etc., si aliqua vos morabatur obscuritas, decurrere debebatis ad Patrem luminum, a quo descendit omne datum optimum et omne donum perfectum, et a quo datur spiritus sapientiæ et intellectus. » Hæc autem dixit, non quod putaret Augustini dicta esse obscura, sed quod ob minutam intelligentiam illis ad quos scribit obscura visa erant : nam hisce plane verbis illud opus concludit : « In quibus *nulla est obscuritas*, si de fide prædestinationis et gratiæ Dei, ex qua est omnium bonorum origo, perseverantiaque meritorum, hoc teneatur quod habet veritas. » Ipse Augustinus, in fine libri de Gratia et libero arbitrio, hæc serio lectoribus inculcavit : « Repetite assidue librum istum, et si intelligitis, Deo gratias agite; ubi autem non intelligitis, orate ut intelligatis, dabit enim vobis Dominus intellectum. » Et de eodem volumine loquens initio libri de Correptione et gratia : « Semel lectum, inquit, nullo modo arbitremini satis vobis innotescere potuisse. Si ergo eum fructuosissimum habere vultis, non vos pigeat relegendo habere notissimum. » Volo autem Prospero supparem producere doctissimum Galliarum præsulem, qui gravi sententia Adami scriptoris Galli præposterum de Augustini scriptis judicium perculit, ut pateat allata ab adversario argumenta nihili fieri ab eruditis viris. Illustrissimus Joseph Maria Suaresius, episcopus Vasionensis, in dissertatione priori de Chronologia operum sancti Augustini, hæc ait : « Sed quod sanctissimus Petrus apostolorum princeps de coapostoli sui sancti Pauli sensit Epistolis, usurpare de operibus sancti Augustini audeo, scilicet in illis sanctum loqui Patrem *de his in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti et instabiles depravant, sicut et cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.* Nec enim auctoris ulla id accidit culpa, sed lectorum vitio, qui sive minus perspicaces, seu vagis imbuti prius erroribus, ordinem potissimum librorum et disputationum ignorantes, mentem acutissimam et sanissimas sententias doctissimi Patris assequi non potuerunt; ex φιλαυτίᾳ occæcati sibi nebulas offundunt, et inania portenta comminiscuntur. » Hæc quidem ille ante triennium scripsit, cujus sententia tanto præsule digna priori huic capiti finem imponet.

## CAPUT II.

*Recentiores accusant eamdem sancti Augustini doctrinam antilogiæ. Rejiciuntur.*

Graviorem alteram injuriam iidem scriptores Augustino inferunt : inquiunt enim eumdem sanctum doctorem tot tantisque antilogiis laborare, ut ex illis prægrande satis volumen possent consarcinare. Accusationem ipsorummet verbis recitabo. Adamus, cap. 6, pag. 614, hæc citra pudorem eructat : « Mihi licet addere quod si diversas sancti Augustini sententias in hac materia colligere vellem, corpus quoddam ex diversissimis partibus coaptarem. Uno loco dicit nostram salutem absoluto decreto esse definitam, alibi nihilominus affirmat pendere illam a nostra voluntate; præscientiam esse posteriorem decreto reprobationis, et esse item anteriorem; nostra libertate gratiam adimpleri, et libertatem in usum a gratia deduci; gratiam esse victricem, sed et eidem nostram libertatem resistere; solum peccatum originis plures in damnationem perpetuam conjicere, et homines damnari ob propria tantum delicta et libertatis rebellionem. Hic arma sumpsit contra gratiam, et hic eamdem evexit. Hinc concludo quod si mihi non licet dicere, sanctum Augustinum in variis suorum librorum locis sibi contradixisse, saltem fas est mihi credere ipsius doctrinam esse intricatissimam, cum nulla reperiri possit intricatior, quam quæ sibi ipsi repugnare videtur. » Ita recentior sancti Augustini defensor. Hæc eo collimant ut summum Ecclesiæ magistrum omni prorsus exuant auctoritate. Quotusquisque enim est qui credat viro illi qui nec sibi credit? Certane mihi erunt illa quæ ipsimet auctori incertissima visa sunt? Ubi et divisio ac sententiarum varietas est, inde procul veritas degit, quæ, cum una sit, nequit in partes dividi. Qui opposita docet, nihil sane docet, enimvero diruit ædificatque. Solus error

sibi nec cohæret nec constat. Quod si vera sunt, quæ adversarius Augustino objicit, erit Augustinus impostor et mendax, et dum de uno in aliud transilit immemor eorum quæ dixerat, et tibiam sibi et cervicem frangit. Si Augustinus usque adeo antilogiis scatet, ut quodlibet potius enigma intelligas quam veram ejus germanamque sententiam expisceris ; si obscuris verborum involucris veritatem, quam explicandam susceperat, implicuisse credendus est, quo jure quove titulo Clemens VIII in maximis illis de auxiliis divinæ gratiæ litigiis unum Augustinum consulendum jussit, a quo veritatis secreta peterentur ? Pessimo sane consilio in obscuris lucem, et inter secum invicem pugnantes Augustini sententias dissidia componendi modum quæsivisset.

Pelagiani olim, ac postea Semi-Pelagiani, easdem calumnias in Augustinum projecere, quorum verba alibi data sunt, eos autem acerrime reprehendit sanctus Prosper contra Collatorem cap. 41, ut nihil ab Adamo contra sanctum doctorem proponatur, quod non ex veterum ejusdem hostium ore prodierit, quos tamen omnes brevi illo dicto Augustinus confutavit : « Hinc est quod sententias meas inter se contrarias putas, vel putari cupis, tanquam improbem quod ante approbaverim, aut amplectar quod ante respuerim. Audi ergo apertam sententiam meam, et intellige vel sine intelligere alios, non offundendo caligines nebulosæ disputationis serenitati sincerissimæ veritatis. » Lib. v, contra Julian. cap. 9. Et quidem Augustino quid commune cum reliquis accidit, qui ob singulare ingenium supra cæteros doctrinarum copia evecti scholarum magistri evasere. Etenim sectatores, cum certatim diligentiorem operam in sectæ patrono legendo ponere studeant, suo tamen plus nimio ingenio indulgentes, diversa docendo magistros in contradictionis suspicionem trahunt. Hoc Aristoteli, hoc Platoni contigit, hoc sancto Thomæ postea ac Scoto nobilissimarum scholarum principibus accidit, toties discipulis de præceptoris mente acerrime inter se conflictantibus. Nullus tamen sectatorum summis illis viris contradictionis crimen impingit, sed quæ ab adversariis adducuntur, congruis interpretamentis explicare conantur. Quare cum Augustinus librorum copia, doctrinæ subtilitate, et, quod caput est, argumentorum prope contrariorum pertractatione cæteros longo post se intervallo reliquerit, eidem etiam periculo proximus factus est, nempe ut contraria docuisse credatur, dum a contrariis ac sibi invicem repugnantibus scriptoribus certatim sibi favens publicatur. Maligni tamen ac irreligiosi prorsus lectoris sit, affirmare tantum doctorem contraria docuisse. Verum Adamus haud iis scrupulis perstrictus clamat pag. 590, « Augustinum theologorum scholas in partes, ac doctores in factiones divisisse. » Erras : nam e contra potius diversæ scholarum ac doctorum factiones Augustini doctrinam in contrarias partes dilaniarunt : etenim dum ad Augustinum legendum præoccupatis animis accedunt, nec ejus uti volunt magisterio, sed patrocinio, suas opiniunculas maximo Ecclesiæ doctori audacter affricant. Quis enim recentiorum ea mente sancti doctoris volumina aperit, ut ejurata etiam propria opinione, unius Augustini sententiæ inhærendum sibi decernat ? Sed velit nolit, Augustinus in partes vel machinis trahendus est, atque Ecclesiæ magister, si superis placet ipsorum discipulus publicandus.

Hanc eamdem accusationem prosequens adversarius c. 6, pag. 611, inquit : « Ostendimus etiam sanctum Augustinum in hac materia ter sententiam mutasse. » Citat autem in margine cap. 3 de prædestinatione sanctorum. Verum semel tantum se mutasse sententiam sanctus doctor ibidem scribit ; nam initium fidei ex nobis, non ex Deo esse olim arbitrabatur, quem postea errorem re melius ex Apostolo cognita repudiavit. Quæ tamen mutatio sententiæ non vitio, sed laudi illi deputanda est, cum ab errore ad veritatem deflexerit ; imo revelante Deo eam se priorem opinionem exuisse scribit cap. 4 : « Ecce inquit, quare dixi superius hoc apostolico præcipue testimonio etiam me ipsum fuisse convictum, cum de hac re aliter saperem, quam mihi Deus in hac quæstione solvenda, cum ad episcopum Simplicianum, sicut dixi, scriberem, revelavit. » Sapiens igitur vir Deo revelante monitus sibi erranti contradixit, et priori errore posteriori sententia emendato, unam esse voluit, imo fecit de gratia ac prædestinatione doctrinam in omnibus sibi cohærentem. Scimus tamen de Augustini sententia theologos inter se digladiari ; at ii ipsi certatim sacras litteras sibi faventes producunt, neque minore contentione de Scripturæ quam de Augustini sensu decertant. Porro quis eo dementiæ impetu feratur, ut dicere ausit sacri codicis sententias esse intricatissimas, turbas Ecclesiæ dedisse, doctos viros in factiones divisisse, aliave similia, quæ de Augustino Adamus scripturit ? Non defuere tamen nebulones, Christianæ religionis hostes, qui sacras litteras contradictionis arguerent, quos cæteros inter refellit sanctus Augustinus in libro de Consensu evangelistarum.

At quæ adversarius ad Augustinianas antilogias suadendas adducit, futilia prorsus sunt, vixque citra nauseam repeti possunt. Opponit enim primo loco Augustinum docuisse nostram salutem absoluto Dei decreto definitam esse, et alibi tradidisse eam nihilominus a nostra voluntate pendere. At hæc ipsa est sancti Thomæ sententia, quam non solum sectatores, sed melioris etiam notæ theologi subscribunt, dicentes gloriam in intentione absoluto Dei decreto prædestinatis præfixam fuisse, at in exsecutione ab eorumdem meritis pendere ; de qua re Augustinus lib. de Grat. et lib. arb., cap. 18, ubi quærit quomodo vita æterna detur nostris meritis tanquam præmium, et simul detur ex gratia nulla merita supponente. Alteram contradictionem opponit, nempe docuisse Augustinum præscientiam esse posteriorem decreto reprobationis, et esse etiam anteriorem. Sed debuisset hic recentior indicare libros et capita ubi hasce Augustinianas antilogias notasset : neque enim tantæ

fidei virum illum putamus, ut dicenti et nullo testimonio probanti credere debeamus, in re præsertim gravissima, ubi sanctorum doctrinam atque auctoritatem in quæstionem trahit. Interim dicimus falso asseri sanctum Augustinum posuisse reprobationem ante demeritorum præscientiam; nota est illa ejusdem sententia toties repetita: « Bonus est Deus, justus est Deus, potest sine bonis meritis liberare, quia bonus est; non potest sine malis meritis damnare, quia justus est. » Hinc contra Pelagianos probat Deum futurum injustum, si rejiceret a gloria pueros nulli peccato obnoxios, idque fere ubique præstat in opere posteriori contra Julianum, et in priori etiam lib. III, cap. 4 et 12; serm. 14 de Verb. Apost., et epist. 106. Nec ullum locum dabit adversarius ubi doceat Augustinus reprobari quempiam a Deo, cujus nullum Deus demeritum præviderit. Addit tertio loco tradere Augustinum, « A nostra libertate gratiam compleri, et a gratia libertatem in usum deduci. » Sed hæc bene inter se conveniunt: nam sola gratia non ponit actum bonum in nobis, sed una cum libera voluntate, quam ipsa prævovet et in actum deducit: unde ex gratia et libero arbitrio fit completum principium actuum bonorum, ita tamen ut libertas gratiæ ancilletur. Et sane cum sine gratia nihil fieri possit prout oportet ad salutem, a sola gratia humana libertas in bonum et meritorium usum agi potest. Non do Augustini textus, quia res in omni schola est manifesta, licet de modo quo illæ motiones fiant disceptetur. Primum legi potest in Augustino sermo 13 de verbis Apostoli, cap. 11, § *Agnosce quid poscas*, etc., ubi inter alia scribit: « Si non esses operator, ille non esset cooperator; » lib. II de peccatorum Meritis, cap. 5, et alibi. Alterum vero in omni pagina librorum contra Pelagianos, ubi catholicum illud dogma semper inculcat, nihil boni meritorii fieri posse sine gratia.

Quarta sequitur objecta Augustino contradictio: « Gratiam esse victricem, sed et eidem nostram libertatem resistere. » At de eadem gratia in individuo nunquam hoc Augustinus somniavit, ut eadem simul et vinceret libertatem, eamque sibi subderet, et nihilominus a libertate rejiceretur; si enim rejicitur, jam non est victrix, sed victa repellitur. Quod si de diversa ac distincta gratia ea Augustinus dixit, omnis contradictionis umbra ab ejusdem dictis procul abest. Sane recentiores pleno ore affirmant gratiam congruam semper esse victricem, non congruam vero repulsam pati a libero arbitrio, quod et eorum antagonistæ de gratia prædeterminante et pure sufficienti tradunt; quæ si contradictionem involvunt, publicæ gratiæ agendæ Adamo erunt, qui universos scholasticos ab inveterato errore liberaverit. Itaque cum Augustinus scribit lib. de Prædestinatione sanctorum, cap. 8: « Hæc itaque gratia, quæ occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur, a nullo duro corde respuitur; » cum eamdem dicit movere *indeclinabiliter*, *insuperabiliter*, *invictissime*, cap. 12 de Corrept. et grat.; *efficacissimis viribus*, lib. de Grat. et lib. arb., cap. 16; *occultissima*, *efficacissima potestate*, lib. I ad Bonif., cap. 20: cum, inquam, sanctus doctor his aliisque epithetis victricis gratiæ energiam exprimit, de congrua et efficaci accipiendus est; at cum debili cuidam gratiæ nostram libertatem resistere tradit, ut patet ex lib. I, quæst. 2, ad Simplicianum, ex cap. 9 de Prædest. sanctorum, ubi ait: « Ex duobus ætate jam grandibus impiis cur iste vocetur, ut vocantem sequatur, ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur, ut vocantem sequatur, inscrutabilia sunt judicia Dei; » palam fit quosdam vocanti Deo resistere, quæ etiam ex cap. 11 de Corrept. et grat. deducuntur, cum adjutorium ministratum angelis ante lapsum dari etiam in statu naturæ lapsæ quibusdam, aliis in pœnam peccati non dari scribit; cum inquam, ista docet, de altera gratiæ specie debili, incongrua et remote sufficienti loquitur, unde nulla hic contradictionis suspicio Augustinum tangit.

Quinta contradictio est: « Plures damnari ob solum peccatum originis, » et item docet, « homines non damnari nisi ob peccata personalia, et propriæ libertatis rebellionem. » Non ita est, Adame. Docet Augustinus pueros decedentes sine baptismo damnari ob solum peccatum originis, majores vero natu homines, et propter peccatum originis, et propter alia, quæ ipsorum malitia superaddidit; in quibus nulla contrarietatis umbra conspicitur. Audiatur sanctus doctor lib. de Corrept. et grat. cap. 13: « Illi ergo qui non pertinent ad istum certissimum et felicissimum numerum, pro meritis justissime judicantur. Aut enim jacent sub peccato quod originaliter de generatione traxerunt, et cum illo hæreditario debito hinc exeunt, quod non est regeneratione dimissum, aut per liberum arbitrium alia insuper addiderunt, arbitrium, inquam, liberum, sed non liberatum, liberum justitiæ, peccati autem servum, quo volvuntur per diversas noxias cupiditates, alii magis, alii minus, sed omnes mali, et pro ipsa diversitate diversis suppliciis judicandi. » Rursus quomodo ii quibus in baptismo dimissum est peccatum originale possint dici ob peccatum originale relicti in massa perditionis, tradit sanctus doctor cap. 7, et nos inferius dicemus, ubi de erroribus Augustino objectis sermonem instituemus, et certe hi nullo pacto damnari possunt ob reatum peccati originis, et de his loquitur Augustinus, dum ait neminem damnari nisi ob propria crimina.

Sextam contradictionem ita efformat: « Hic arma sumpsit Augustinus contra gratiam, et alibi eamdem exsuit. » At nullum Augustini verbum proferenti non ita facilem assensum damus. Ubinam Augustinus contra divinam gratiam arma induit? ubinam illi injurius fuit? quo verbo illam vel tantillum læsit? Sane in libris contra Manichæos de humani arbitrii libertate exaratis, nondum exortis Pelagianis, divinæ gratiæ mentionem fecit, illiusque ad juste pieque vivendum necessitatem memorabili dicto pronuntiavit, ac si futuros ejusdem gratiæ hostes prævidisset

Quare lib. I Retract., cap. 9, recitatis pluribus textibus ex libris de Libero Arbitrio, in favorem gratiæ concludit : « Ecce quam longe antequam Pelagiana hæresis exstitisset, sic disputavimus, velut jam contra illos disputaremus. » Hinc cum in libro primo ad Simplicianum multa pro libero arbitrio dixisset, illud tamen gratiæ subjecit, non supra eamdem extulit, unde lib. de Prædest. Sanctorum, cap. 4, ait : « In cujus quæstionis solutione elaboratum est quidem pro libero arbitrio voluntatis humanæ, sed vicit Dei gratia. » Ergo si Augustinus vel cum pro defensione liberi arbitrii decretoria arma tractabat, gratiæ victoriam dabat, ubinam contra illam gladium eduxit?

Harum quidem contradictiones sententiarum Augustino recentior ille scriptor opponit, qui tamen haud ausus est tantum erroris Augustino affricare, sed cum hoc illi in religionem veniret, adjecit : « Hinc concludo quod si mihi non licet dicere sanctum Augustinum in variis suorum librorum locis sibi contradixisse, saltem fas est mihi credere ipsius doctrinam esse intricatissimam, » etc. Non ait, *Hinc concludo, cum mihi non liceat dicere*, etc., sed quasi subdubitans, liceatne sibi Augustinum contradictionis incusare, si *mihi*, inquit, NON LICET. At nec primum tibi licet dicere, neque alterum fas est credere, nempe doctrinam sancti Augustini *esse intricatissimam*, insigni enim nota præclarissimi Ecclesiæ magistri libros afficis, quam tuo Suario vel Vasquio inferri a quopiam minime patereris. Crede mihi, haud tibi licitum est tam abjecte de Augustino sentire. Quid enim irreligiosius fieri potest quam Augustinum veluti multiformem in sentiendo Protheum inducere, modo affirmantem, modo negantem, modo album, modo nigrum, tot in eadem scena cothurnos subinde mutantem? Non igitur contrarius sibi est Augustinus, sed Adamus contra se pugnat, qui cum in libro inscripserit titulum : *Calvinus sancti Augustini armis destructus*, mirabili constantia affirmat cap. 4, pag. 596, scripta sancti Augustini non esse satis apta *ad exarmandos Calvinistas*. Unde lepida magni doctoris sententia, lib. v contra Julian. cap. 5, hocce caput claudamus : « Non sunt ergo, inquit, verba mea inter se contraria, quamvis te patiantur, vel non intelligendo, vel alios intelligere non sinendo contrarium. » Additque : « Tu ergo, qui in me quasi sententias inter se pugnantes notasti, et momordisti, expone quemadmodum tibi ipse constiteris, nec tibi ipse restiteris. »

## CAPUT III.

*Recentiores sancti Augustini doctrinam contra Pelagianos excessus insimulant.*

Nonnulli scriptores recentes, qui de re theologica libros edidere, cum sancti Augustini auctoritate nimium se premi sero jam tandem sentiant, illamque palam rejicere reformident, ne eo in campo hostibus qui Augustini nomen ubique inclamant, cedere videantur, novo crimine sancto doctori impacto, eidem se subducere conantur : inquiunt enim Augustinum, æstu disputationis abreptum, « excessisse lineas necessariæ veritatis, ut sit nimia quædam severitas et iniqua vexatio, quæ medium illud in quo veritas sedet transgredi jubet, si præeat Augustinus. » Verba Annati sunt lib. VIII sui Augustini, cap. 2, pag. 852. Adamus hunc capiti septimo titulum dedit : *Sanctum Augustinum permisisse se nimium abripi æstu disputationis contra Pelagianos, et longius quam volebat prætergressum esse. Celebre sancti Bonaventuræ dictum hac de re explicatur*, pag. 616. Quas voces Moraines, Decampsius cæterique recentiores integras reddunt. Neque vero semel iterumve hoc Augustino contigisse putant, sed in omnibus fere suis contra Pelagianos disputationibus. Iniere quidem hanc facillimam evadendi viam, ne in Augustino interpretando diutius ingenia macerarent. Verum nil moderni isti Augustini censores producunt, quod Pelagiani ac Semi-Pelagiani ante duodecim sæcula sancto doctori non opposuerint. Julianus Pelagianorum insolentissimus hoc Augustino vitium objiciens dicebat : « Si quis aut liberum in hominibus arbitrium aut Deum esse nascentium conditorem dixerit, Cœlestianus et Pelagianus vocatur. Ne igitur vocentur hæretici, fiunt Manichæi, et dum falsam verentur infamiam, verum crimen incurrunt, instar ferarum, quæ circumdantur pinnis, ut cogantur in retia. » Apud Augustinum lib. II de Nuptiis et concupiscentia, cap. 3, quam a se et cæteris catholicis calumniam erudite ibidem sanctus doctor excussit. Hoc ipsum Semi-Pelagiani publicabant, ut ejusdem auctoritatem convellerent. Hæc sunt Cassiani verba, cap. 11, collat. 13 : Multi enim singula hæc credentes, ac justo amplius asserentes, variis sibique contrariis sunt erroribus involuti. » Idem habet Faustus lib. I, cap. 1, 6 et 17. Et hi quidem uti impudentissimi oblocutores acriter reprehenduntur in epistola quam Cœlestino papæ recentiores quibuscum disputamus ascribunt : « Quia nonnulli, inquit, qui catholico nomine gloriantur, in damnatis autem hæreticorum sensibus, seu pravitate sive imperitia demorantes, piissimis disputatoribus obviare præsumunt, et cum Pelagium atque Cœlestium anathematizare non dubitent, magistris tamen nostris tanquam necessarium modum excesserint, obloquuntur. » Ut sit nimia quædam recentiorum animositas, damnata convicia iterum in Augustinum pleno ore eructantium. Et quidem Augustinus, cum universa abs se exarata volumina censoria severitate corrigeret, atque in laudandis Platonicis modum se excessisse ingenue fateretur lib. I Retract. cap. 1, tot in expugnandis Pelagianis excessus suos non animadvertit, eam forte censuram recentioribus relinquens, quam uti appendicem Retractationum libris apponerent. Sane hoc clypeo se munit Calvinus contra Patrum testimonia. Illius verba sunt apud Taperum art. 7 de Libero Arbitrio : « Græci, et præ aliis atque inter eos singulariter Chrysostomus, in extollenda humanæ voluntatis facultate MODUM EXCESSERE. » Et licet quandoque ægre tulerit hunc excessum a Pighio in Augustino

quoque culpari, attamen eodem vitio Augustinum etiam laborasse eadem audacia commentus est, scribens quod « ne Augustini quidem sententia PER OMNIA recipienda est. » Quibus palam significavit plus aliquando sanctum doctorem dixisse quam veritati, se judice, congruebat. Profecto si excessus isti, et quidem juxta adversarios satis in Augustino frequentes, admittantur, eidemque vitio alii quoque Patres subjiciantur, nullo propemodum sanctorum testimonio hæretici convinci poterunt; ubi enim aliqua Patrum sententia se premi senserint, excessisse eosdem clamabunt, qua ratione omnium veterum auctoritas labascit, et omnis ad heterodoxos convincendos via præcluditur.

§ I. *Quid nomine* excessus *recentiores intelligant inquiritur. Sanctorum Thomæ ac Bonaventuræ testimonia eisdem non suffragari. Excessus perperam Augustino objici.*

Si recentiores interrogemus quid Augustinianorum excessuum nomine intelligant, respondet Adamus, pag. 626, Augustinum *ultra veritatis limites excurrisse nimio disputationis æstu accensum, visumque hæreticis favere.* Addit Annatus, pag. 862 : *Ut sit nimia severitas et iniqua vexatio, quæ medium illud in quo veritas sedet transgredi jubet, si præeat Augustinus.* Fatentur tamen non ob hoc Augustinum mentitum esse, sed, ut egregie Morainus interpretatur, INSCIENTER *loquendo quidem, ut sentiebat, sed æstu disputationis et vehementia spiritus ad alterum extremum interdum declinasse* INTELLECTU ÆQUE AC VERBIS, *quod non est mentiri, sed* FALLI, ET DICERE FALSUM *sine mendacio.* Disp. 40 Anti-Jansenii, sect. 6, num. 65. Igitur si non mendacii, falsitatis tamen apertæ reus Augustinus apud recentiorum tribunal convincitur. Quo vero juste se ita de Augustino judicasse persuadeant, nonnullos nec infimi subsellii theologos in testes vocant, qui dixere sanctum doctorem contra Pelagianos disputantem excessisse, quorum verba cap. 5 ex professo examinabimus; de sanctis Thoma ac Bonaventura (hos enim illi opponunt) pauca hic adnotamus. Cum sub Augustini nomine legeretur a prioribus scholasticis liber sancti Fulgentii de Fide ad Petrum, in cujus cap. 27 asseritur pueros cum solo originali peccato defunctos ignis sempiterni supplicio puniri, sanctus Thomas verba *ignis* ac *supplicii*, etc., large accipienda esse dixit, quæst. 5 de Malo, art. 2, ut ponatur species pro genere; addens : « Ideo autem sancti tali modo loquendi usi sunt, ut detestabilem redderent errorem Pelagianorum, qui asserebant in parvulis nullum esse peccatum, nec eis pœnam aliquam deberi. » Sanctus Bonaventura etiam idem testimonium, quod Augustinianum putavit, explicans, dixit quod ea posuit Augustinus *plus dicens, et minus volens intelligi*, in quibus verbis triumphum sibi canunt adversarii. INSIGNE DICTUM appellatur ab Adamo, in titulo cap. 7. Eadem verba Annatus, lib. VIII, c. 2, grandioribus characteribus expressit, quo statim legentium oculos implerent; hinc clamat Adamus : « Quid reponent nostri adversarii contra duos illustres Ecclesiæ doctores sanctum Thomam et sanctum Bonaventuram, qui hosce excessus in libris sancti Augustini confessi sunt? » Pag. 629. Erigat utramque aurem Adamus, audiatque quid reponamus. Vos Augustinum in excessus prolapsum dictitatis, quod est, veritatis limites prætergressum fuisse, *intellectu æque ac verbis, quod non est mentiri, sed falli*, quæ Morainii confessio est; at Seraphicus Doctor excessum illum non intellectui, sed verbis tantum Augustini deputavit, *plus dicens*, inquit, *minus volens intelligi*, quod est, sanctum Augustinum non mente, sed verbotenus solummodo, non reapse, sed apparenter citra ullam falsitatem expressiori quodam vocabulo usum, nempe *ignis* ad infantium pœnas explicandas, cum tamen id ex Seraphici opinione haud ille mente sentiret. Adversarii autem Augustinum INTELLECTU ÆQUE AC VERBIS falsum tenuisse contendunt.

Qua vero ratione eos Bonaventuræ testimonium juvet, plane non video, cum quam Augustinianæ menti falsitatem ipsi important, ab eadem Seraphicus procul amoveat. Non est igitur cur illius celeberrimi doctoris suffragium jactetis; ille enim, quod ad Augustini excessus pertinet, nullo pacto vobiscum concinit. Sed neque sancti Thomæ dictum vobis suffragatur : nam dum dicit Augustinum *large* locutum, indicat illum expressius tantum verbum adhibuisse, non eumdem veritatis lineas prætergressum. Large accipiendum verbum illud affirmat, qua ratione ab Augustino acceptum credidit. Etenim ut dicatur Augustinus *ultra veritatem processisse* (quo modo excessus illius explicat Adamus pag. 626), stricte, presse ac omnino rigorose dicendus foret sumpsisse nomen illud *supplicii*, itemque *gehennæ*, *cruciatus*, etc.; alias si large accepit, intra veritatis cancellos sese cohibuit. Igitur sancti illi doctores contra recentiorum placita adeo aperte stant, ut mirum sit adeo inconsiderate juxta ac secure contra Augustinum adduci, atque in eorum verbis tantos ab Adamo rumores toto capite septimo excitari. Illud vero minime omittendum est, penes unicam dictionem et semel tantum asseri ab illis sanctum Doctorem expressius locutum. At quo crimine se involvet ducentorum et amplius voluminum scriptor, si verbum non ita proprie semel tantum usurpavit? Sed hic adversarios rogamus verbone uno tantum tenus docuerit Augustinus prædestinationem ante prævisa merita, libidinem esse malam, legem veterem sine Redemptoris gratia reos tantum facere, non esse absque gratia veras virtutes in infidelibus, in quibus aliisque plurimis excessisse illum publicant? Haud equidem credo id eos affirmaturos, cum sanctus doctor non solum pluribus argumentis eas sententias stabilire conatus sit, sed universas quoque summi ingenii vires ad easdem persuadendas exeruerit, imo et quasdam uti catholicas habendas esse contenderit. Non hoc est, boni homines, *plus dicere, et minus velle intelligi*; non hoc est *large* unica tantum voce, et semel quidem uti; sed quid sit, jam

puto, vos videtis, dum sanctorum Thomæ et Bonaventuræ suffragiis destituti convincimini.

Risum sane mihi movent lepida exempla recentiorum Augustini excessus explicantium, imo forte excusantium : « Uti viridarii cultores, inquit Adamus, cap. 8, pag. 111, distortam plantam erecturi, in oppositam partem eamdem flectunt, non quod eo in situ stare illam volunt, sed ut facilius in rectitudinem attollatur, ita pariter Augustinus, inquit Morainius, disp. 19, num. 35, disputando contra Pelagianos, qui cum nimis extollerent vires naturales liberi arbitrii, affirmarentque sufficere sine gratia non modo ad virtutes naturales quascunque, sed etiam ad salutem, Augustinus ut illos ab eo errore abducat, in contrarium extremum æstu disputationis abripi interdum videtur. » Cum quo concinens idem Adamus scribit, cap. 7, pag. 631, « Augustinum suos hostes in extrema periculosa conjecisse, non ut eos ibi relinqueret, sed ut eosdem ad mediocritatem, unde illos hæresis abstraxerat, revocaret. » At quis nesciat futurum fuisse eo pacto Augustinum ineptum prorsus atque imprudentem disputatorem, si toto cœlo oppositam sententiam contra Pelagianos propugnasset, quo ab errore illos reduceret? Etenim cum omnia illi libero arbitrio darent, nullo gratiæ loco servato, illam e diametro Augustini sententiam, qua per excessum nihil libero arbitrio concedere, sed omnia in jure gratiæ reponere videbatur, obstinatissime subscribere recusassent. Longe melius fecisset Augustinus, si quædam libero arbitrio et quædam gratiæ etiam dedisset, ut illos ab errore removeret; facilius enim quisque ab extremo ad medium, quam ad extremum alterum propellitur. Hinc sanctus Thomas superius dixit Augustinum *large* locutum, non ut ea locutione hæreticos in suam sententiam traheret, sed ut hæreticorum errorem redderet catholicis magis detestabilem. Ita si recentiores veterem opinionem de auxiliis exuere cogerentur, facilius descenderent in sententiam moraliter arbitrium prædeterminantem, quam in illam quæ physicam prædeterminationem astruit, hanc enim nimium odere. Ridendæ etiam veniunt causæ ab adversariis assignatæ, quæ Augustinum in excessus illos impulere. Hæc loquitur Adamus, pag. 624 : « Ipsius corporis temperamentum, ipsius genium, ipsius eloquentia, veritatis fidei pertractandi modus eidem familiaris, magnus erga Platonicos amor, quorum excogitata plerumque altiora sunt, odiumque in omnes veritatis hostes Augustinum in propositiones adeo apparenter insolentes conjecere. » Afros fervidioris naturæ sub cœlo calidiori novimus, at an Augustinus calido temperamento fuerit, unus Adamus sine teste affirmet; ego quidem non ignoro sanctum doctorem minus frigoris patientem fuisse ex epist. 227, at pacato animo et sedato stylum contra hæreticos strinxisse compertum est, uti mox demonstrabo. Interim mirari licet Augustini genium homini post duodecim sæcula ab illius obitu viventi tam exacte innotescere potuisse ! Sed nec eloquentia illorum excessuum origo dicenda est : etenim si Augustinus e rostris contra Pelagianos declamasset, more rhetorum non tam rationum momentis quam verborum copia insultans, utcunque hyperbole, hoc est, veritatem sententia excedente uti potuisset, ac nonnulla per exaggerationem addere, quæ oratorum licentia est. At cum dogmata, quæ per excessum Augustino excidisse dicunt, tot argumentis confirmarit, atque ex sacris arcanis petitis testimoniis tanto conatu stabiliverit, ut sexcentos et amplius versus eisdem suadendis non semel exaraverit, haud equidem vanam oratoris pompam per hyperbolem affectasse dicendus est, sed potius ipsas periodos, imo verba ipsa satis mature ponderasse, uti rei dignitas, tantique doctoris gravitas et sapientia exigebant. Porro et illud ridiculum est, *ex Platonicorum amore* Augustinum in eos excessus prolapsum. Impense quidem Augustinus Platonicos coluit, atque in eorum scriptis summa cum laude versatus fuit, quod ex libris contra Academicos exaratis intelligitur. At quomodo ex eorum lectione in disputationibus de divina gratia ultra lineas necessariæ veritatis exundaverit, ne suspicari quidem possumus; imo nec id Adamo, licet audacter affirmanti, cognitum fuisse puto. Quæ enim gratiæ virtus ex Platonicorum libris haletur? Nisi malit impetum illum disputandi Augustino, ut ait, familiarem e Platonicorum schola derivasse, quod cum ex eorum libris nec Plotinus, nec Philo, nec Ficinus tradiderint, ab ipso Adamo id comprobandum est, veteris Academiæ libris excussis. Sed neque excessus illi *ex odio, quo Augustinus veritatis hostes prosequebatur*, originem habuere : nam sanctus Pater, cum contra hæreticos scribebat, omnes odii causas se procul habere protestabatur. Nullus contra Augustinum neque infensior, neque infestior Juliano hostis insurrexit, ut plane universum Pelagianorum virus unius Juliani ore in Augustinum eructatum fuisse videatur. At non solum citra odium stylum contra eumdem Augustinus strinxit, verum etiam hæc amorem erga hostem et quidem maximum exprimentia scripsit lib. I contra Julianum, cap. 7 : « Ego quidem pro dilectione quæ mihi est erga te, quam Deo propitio quibuslibet conviciis absit, ut de medullis mei cordis exstirpes, mallem, fili Juliane, » etc. Quare cum omnes excessuum causas, quas in Augustino Adamus indagavit, sanctus doctor procul habuerit, longe etiam ab excessibus idem collocandus venit.

Instat Adamus cap. 16, pag. 760 : « Quando Augustinus defendit libertatem contra Manichæos, videtur gratiæ necessitatem destruere; cum vero pro gratia contra Pelagianos decertat, libertatem evertere. » Et pag. 632, in fine cap. 7, miratur quosdam « nunquam scivisse ipsummet sanctum Augustinum hunc sui spiritus impetum in pluribus suorum librorum locis confessum fuisse. » Libeat hic cum Augustino exclamare : « Quis non exspectet sapientiam disserentis, qui fidem cognoverit mentientis? » lib. IV contra Julianum, cap. 8. Quid enim frequen-

tius a Pelagianis Augustino objiciebatur, quam illum Pelagianismi odio in Manichæismum declinare? At sanctissimus magister hasce a se calumnias sæpissime excussit. Legatur lib. II de Nupt. et concup., cap. 3 et 23, lib. II ad Bonif., cap. 1 et 2, ubi fusissime recensitis extremis Pelagianorum ac Manichæorum erroribus, media Ecclesiæ catholicæ inter utrosque sententia concludit : « Possunt enim duo errores inter se esse contrarii, sed ambo sunt detestandi, quia sunt ambo contrarii veritati. Nam si propterea sunt diligendi Pelagiani, quia oderunt Manichæos, diligendi sunt et Manichæi, quia oderunt Pelagianos. Sed absit ut catholica mater propter alterorum odium alteros eligat amare, cum, monente atque adjuvante Domino, debeat utrosque vitare, et cupiat utrosque sanare! » Rursus lib. IV, cap. 3, ita exorditur : « Ista nefaria et damnabilia dogmata in hac tripartita divisione quisquis mente catholica exhorret, illius quinquepartitæ latebras insidiasque devitet, atque ita inter utrumque sit cautus, ut sic declinet Manichæum, ne se inclinet in Pelagium ; rursusque ita sejungat a Pelagianis, ne conjungat Manichæis, aut si in alterutris jam tenetur, nec sic se a quibuslibet alteris servet, ut in alteros irruat. » O egregium magistrum ac præceptorum tenacissimum! quippe qui, si Adamo fides est, *in disputationibus contra Pelagianos et Manichæos adeo incaluit, ut in errorem oppositum illi quem impugnandum suscepit, declinarit*, pag. 632. Sed pura puta sint isthæc Anti-Augustinianorum figmenta. Nullus mortalium adeo exacte Pelagianorum ac Manichæorum errores perspectos habuit uti Augustinus, qui non modo mediam inter utrosque viam tenuit, sed eamdem ubique in libris ad Bonifacium posteros docuit, quinque præcipuis Pelagianorum ac Manichæorum erroribus e diametro oppositis ibidem recitatis, simulque media tradita Ecclesiæ inter errantes sententia, ut mirari liceat adversarios adeo secure hasce de sancto doctore fabulas vendere. Quod autem addunt, Augustinum ipsum hosce animi sui impetus agnovisse, et pluribus in locis id falsum esse, falsissimum est. Citat Adamus initium libri de Gratia et libero arbitrio ; sed ibi hæc tantum scribit : « Sunt quidam qui sic gratiam Dei defendunt, ut negent hominis liberum arbitrium, aut quando gratia defenditur, negari existiment liberum arbitrium, » etc. Te hic judicem volo, Adame, num in disputando æstus, impetus, excessus suos ibi Augustinus fateatur. Hoc unum dicere poteris, extremos illum errores inibi recitasse. Producit lib. IV, contra Julianum, cap. 8. Verum ibi Augustinus Julianum uti publicum calumniatorem redarguit, scribentem dixisse Augustinum negari liberum arbitrium si gratia commendetur, et negari gratiam si liberum arbitrium defendatur. Respondet autem sanctus Pater : « Non dixi negari gratiam, sed ut negari gratia videatur. Non dixi negari arbitrium liberum, vel auferri, sed dixi, ut putetur auferri. » At nec verbum de innata sibi in disputando vehementia atque excessu. Quod vero negari videatur gratia commendatione liberi arbitrii, *propter quæstionis difficultatem* minus intelligentibus id videri posse dixit. Præterea appellat lib. V, cap. 9, contra Julianum, et lib. I de Origine animæ, cap. 15. At in priori loco de concupiscentia tantum disputat, in posteriori de origine animæ, et neutrobique de animi sui impetu, zelo, fervore, excessu verbum ullum habet.

Cæterum quantum periculi ex objectis excessibus Augustini doctrina subeat, nemo non videt ; etenim si in illis excessibus Augustinus liberi arbitrii vires plus justo depressit, ac vires gratiæ altius extulit, tunc Calvinus concinuisse cum Augustino dicetur, qui in illis excessibus suum dogma fundavit. Scimus Calvinum falso æque ac superbe gloriari solitum, suum esse totum Augustinum, ita eumdem clamantem inducit ipse Adamus pag. 561 : *Augustinus totus noster est*. Nostri homines respondent Augustini doctrinam parumper excedere limites veritatis, et ex hac parte Calvino favere, nec esse doctrinam ejusdem recipiendam, nisi detonsis illis excessibus, in quos nativo animi furore præceps corruit. Hinc Adamus, cap. 8, pag. 640, scribit : « Modo ne in Pelagianorum errores, quos Augustinus insequitur, incidam, mihi licet verborum quibus ad eos expugnandos utitur impetum non sequi. Inde fit ut medius stem inter Pelagium et Calvinum. Si enim verba Augustini mitigando me nimium demitterem, Pelagianus essem. Si vero eorum altitudinem tenere vellem, Calvinista forem ; medium ergo me cum Ecclesia teneo. » Sane videris crudelem illam feminam imitari, quæ ut in Arcanis habetur, coram Salomone regum sapientissimo medium dissecari puerum, ac partim sibi partimque adversariæ tradi gaudebat ; Augustinum enim in partes dividendum judicas, ut qua parte in excessuum altitudinem extollitur, Calvino cedat ; qua vero humilior est, tuus, imo Ecclesiæ sit. At hoc quid aliud est quam Augustinum Calvino prodere, quem a Calvino abs te vindicari jactitabas? Augustinum tamen in partes secari superi vetant, totus totum petentibus concedendus est, et qui Augustini parte contentos se dicunt, ne minimum quidem illius unguem obtineant. Sed inani prorsus assertione Calvinus totum suum esse Augustinum finxit, nam veritate cogente partem et ipse Augustini se abjicere fassus est lib. III Instit., cap. 11, inquiens : « Ac ne Augustini quidem sententia per omnia recipienda est. » Itaque, Calvino judice, Augustini sententia partim accipienda, partim repudianda est ; cui perbelle noster Adamus consonat. At hæc injuria usque adeo nociva est, ut universam Augustini auctoritatem, velint nolint, evertat. Etenim quo præsidio adjuti discernere tandem poterimus hic Augustinum in veritatis meta sistere, alibi vero ultra excurrere? Viderint an maximum Ecclesiæ doctorem de excessu ubique suspectum faciant.

Hic mihi discutiendum occurrit an hæc dicteria in unum Augustinum cadant, an ipsius quoque Eccle-

siæ venustissimam ac nitidissimam faciem deturpent. Scimus Hormisdam a Possessore Africano episcopo interrogatum quid sentiendum foret in quæstionibus de gratia et libero arbitrio, respondisse : « De gratia Dei et libero arbitrio quid Romana, hoc est catholica, sequatur et asseveret Ecclesia, licet in variis B. Augustini libris possit cognosci, » etc. Scimus Bonifacium, cum esset doctissimus, adversus tamen Pelagianos Augustini responsa exspectasse. Scimus Clementem VIII gravissimam illam de auxiliis divinæ gratiæ controversiam ad unius Augustini mentem expendendam jussisse. Porro quæ Romanorum præsulum in fidelium grege salubribus pabulis nutriendo cura fuisset, si eumdem ad Augustiniana prata duxissent, ubi tot lethiferæ contradictionum, excessuum atque errorum herbæ luxuriabant? At si in disputationibus de gratia Romani pontifices Augustinum secuti sunt, ejusque et lateri et vestigiis inhæsere, nescio qua fronte Adamus mediam quamdam ipsos viam inter Pelagium et Augustinum calcasse asseveret exclamans : *Medium ergo cum Ecclesia teneo.* Scito Ecclesiam in iis unum post sanctas Scripturas Augustinum secutam esse, ut medium illud iter, quod illam tenuisse fingis, de medio dubio procul tollendum videatur.

§ II. *An sanctus Augustinus excesserit, scribens concupiscentiam rationi contrariam esse malam, et defectum naturæ humanæ ex peccato originali ortum, neutiquam vero bonum naturale illius.*

Unius Antonini Moraines dicta examinabimus, qui in suo Anti-Jansenio frequenter sanctum doctorem excessus insimulat. Est autem illius libri scriptor Joannes Martinonus, ut mihi testatus est P. Macedo, quo eruditissimo viro hic Patavii familiarissime utor, isque vicissim singulari me benevolentia complectitur, qui etiam mihi auctor fuit ut tum Historiam Pelagianam, tum hasce Vindicias evulgarem; decreveram enim instar Aspendii intus mihi canere et musis, nec publici judicii periculum subire. Et quidem Morainium esse Martinonum idem laudatus scriptor publicavit in aureo scripto D. Augustini, cap. 13, et ex anagrammate ficti nominis patet. Non est hic animus operosiorem pro Augustino apologiam instituere; compendio sancti Patris causa tractabitur, cum ostendemus ea ipsa dogmata in quibus Augustinus excessisse dicitur, fuisse Romanis pontificibus ac Patrum synodis probata. Asserit Augustinus concupiscentiam esse per se malam, et vitium humanæ naturæ ex primo peccato derivatum, nec illam esse passionem naturalem hominis, idque variis argumentis in libris ultimis quatuor prioris contra Julianum operis demonstrat. Attamen sanctus doctor non arbitrabatur concupiscentiam esse peccatum, sed esse veluti habitum vitiosum ad malum inclinantem. E contra Pelagiani contendebant concupiscentiam esse perfectionem, ac bonum naturale ad hominum propagationem primo parenti inditum, unde per irrisionem concupiscentia ab Augustino, lib. IV contra Julianum, cap. 11, dicebatur Pelagianorum *suscepta*, et lib. V, cap. 5, eorumdem *pulcherrima famula*. Recentiores sententiam illam sancti Augustini rejiciunt, objicientes cum Morainio disp. 13, num. 87, *excessisse illum æstu disputationis, et in odium hæresis quam impugnabat, interdum ad extrema declinasse.* Sed errat Moraines, ac simpliciorum ignorantia abutitur, dum contendit Augustinum interdum ad extrema declinasse in ea sententia quam passim et ubique solidissime ac constantissime inculcat. Illa de concupiscentia quæstio erat una ex quinque præcipuis quas sanctus Augustinus cum Pelagianis habuit, unde cum Julianus diceret : « Concupiscentiæ naturalis qui modum tenet, BONO bene utitur; qui modum non tenet, BONO male utitur; qui autem etiam ipsum modum sanctæ virginitatis amore contempserit, BONO melius non utitur; » Augustinus e contra hæc reponit lib. III contra Julianum, cap. 21 : « Ego vero sic ad tua ista respondeo : Concupiscentiæ carnalis qui modum tenet, MALO bene utitur; qui modum non tenet, MALO male utitur; qui autem etiam ipsum modum sanctæ virginitatis amore contempserit, MALO melius non utitur. » Inde veluti pugnæ signo dato clamat : « In hac controversia de bene utendo isto UTRUM BONO, AN MALO, tota inter nos causa versatur. » Et quidem Julianus adeo acriter pro concupiscentia tanquam naturali perfectione decertavit, ut id *toto libro*, teste ibidem Augustino, exsecutus fuerit. Opponunt ea in opinione sanctum doctorem excessisse; at contendimus illam sententiam non excidisse eidem quasi aliud agenti, sed totis viribus contra hæreticos eamdem serio ac consulto propugnanti. Quod si Augustinus excessit, eodem vitio antiqua etiam Ecclesia laboravit, quæ recitatam sententiam ante Augustinum et cum Augustino secuta est, quod adversarii a nobis docendi sunt, quandoquidem illud ignorant, vel saltem dissimulant. Augustinus, lib. V contra Julianum, cap. 12, in fine, quinque quæstiones proponit de concupiscentia, quas cum Pelagianis habebat : harum tertia ista est : « Utrum malum non sit, cui repugnanti consentiendum non est, ne in suum pergat excessum. » Additisque duabus aliis quæstionibus, ait : « Hoc inter nos disseritur. In his quæstionibus catholica veritate antiquitus tradita vestra impia novitas suffocatur. » Porro qua reprehensione dignus esset Augustinus, si opiniones falsas, et in quas ex disputationis furore præceps actus fuerat, pro catholica veritate publicasset? Audiatur Suarez, prolegom. 6 de Gratia, cap. 6 : « Ulterius, inquit, addimus quidquid in hac materia Augustinus ut certum affirmat, et ad dogmata fidei pertinere, a quolibet prudente et erudito theologo esse tenendum et defendendum, etiamsi non certo constet esse ab Ecclesia definitum, tum quia cum Ecclesia tantum in hac materia detulerit Augustino, ut ejus doctrinam in damnandis erroribus gratiæ Dei contrariis secuta fuerit, magna esset temeritas privati doctoris, qui Augustino aliquid de gratia Dei tanquam orthodoxum docenti contradicere auderet, præsertim cum tot annis, tanta sapientia, tanto ingenio, tanta diligentia et instantia, et, quod caput, tot donis et auxi-

liis præditus pro divina gratia tuenda et explicanda laboraverit. » Cum Suario sentit cardinalis Bellarminus, lib. II de Gratia et libero arbitrio, cap. 11 : « Non posset, inquit, idem Augustinus ab ingenti temeritate defendi, quippe qui non solum tam acriter pro falsitate certasset, sed etiam eam pro fide catholica venditare ausus esset. » Hæc illi.

Hanc sancti Patris de concupiscentia sententiam ejusdem discipuli secuti sunt. Sanctus Fulgentius, in epistola de Bono conjugali, cap. 3, scribit : « In illis nempe bonis, quæ fecit Deus, invenitur casta copulatio uxoris et viri, in quibus Dei operibus libido non potest inveniri, nec aliquando justitiæ congruit, quæ non hominibus ex dono conditionis, sed peccatoribus ex vitio primæ prævaricationis accessit. » Sanctus Prosper, seu Pomerius lib. III de Vita contemplativa, cap. 2 : « Piis, inquit, conatibus nostris resistit ipsa concupiscentia vitiosa, non naturalis, sed naturæ nostræ indita pœnaliter et inserta, quæ peccato facta est, et peccatum, si vicerit, facit. » Favet Augustinianæ sententiæ synodus Tridentina in decreto de peccato originali, ubi tradit concupiscentiam ab Apostolo peccatum appellatam, *quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat.* Inclinare autem ad malum est proprium habitus vitiosi, hominem ad prava semper propellentis. Nec defuere plurimi ex scholasticis qui recitatam Augustini sententiam strenue propugnarent : Petrus Aureolus, acerrimi ingenii vir, in 2, dist. 30, art. 2, scribit : « Habitualis rebellio appetitus sensitivi non est in nobis natura appetitus sensitivi tantum. Hoc dico propter opinionem quorumdam qui dicunt quod appetitus relictus puræ naturæ suæ adhuc haberet in se habitualem illam rebellionem. Ego dico quod ex se est indifferens ad obediendum vel non obediendum rationi ; per aliquod autem additum, puta per qualitatem morbidam, fit inobediens rationi. Et hæc conclusio posset probari auctoritatibus et rationibus ; est enim expressa sententia Augustini. » Eamdem sancti doctoris sententiam strenue tuetur noster Gregorius Ariminensis, 2, dist. 30, quæst. 1, art. 2, ubi ait : « Hanc Augustini sententiam secutus est Magister, ut patet in ista distinctione 30 et seq., in quibus tractat de ista materia, et multi etiam antiqui ac moderni sequuntur doctores. » Ita, teste Aureolo, contraria Augustino sententia *quorumdam* tantum fuit, ubi ex Gregorio sancto doctori *multi* antiqui, ac moderni scriptores tum temporis adhærebant. Hinc factum est, ut famosam illam *qualitatem morbidam* nobilissimi scholastici e Nominalium secta antiquitus juxta Augustiniana placita defenderint. Ex recentioribus unus mihi sit instar omnium P. Macedo, qui, lib. IV de Clavibus D. Petri, cap. 10, part. 2, sancti doctoris sententiam solidissime, ut cætera, communit. Imo celebres etiam e societate scriptores concupiscentiam et malam esse et nulla ratione inter Dei opera deputandam tradidere. Bellarminus, grande non societatis tantum, sed catholicæ etiam Ecclesiæ decus, lib. VI de Amissione gratiæ caput 14 ita inscribit : *Ostenditur contra Pelagianos concupiscentiam esse malam.* Quod postea pluribus argumentis ex Augustino desumptis demonstrat. Octavum argumentum ejusdem repetam : « Malum est, inquit, ut inferiora superioribus reluctentur, id enim contra æquitatem et rectam rationem est ; at propter concupiscentiam pars animæ inferior superiori, id est, rationi repugnat, legi mentis non paret, spiritui adversatur ; quis igitur ambigat an ea mala sit appellanda? » Quod est argumentum Augustini, lib. V contra Julianum, cap. 3. Joannes Bagocius, lib. 5 Demonstrat. dogm. Christ., disput. 8, cap. 1, sect. 3, sancti Augustini sententiam pluribus probat, et concludit : « Absit autem ut quisquam catholicus Deum rei tam fœdæ et ad malum importune incitantis auctorem credat, cum tamen si hominem nullo præcedente peccato cum illo peccati fomite condidisset, tam ejus quam naturæ humanæ, et omnium naturalium qualitatum facultatumque auctor esset existimandus! » In hac eadem sententia cum Augustino concinit doctissimus P. Elisalda, qui cum theologicam cathedram in collegio Romano moderaretur, eamdem doctrinam dictavit. Hinc in publicis thesibus a Patribus societatis anno 1658 de more æstivis horis propugnatis Augustiniana sententia his plane verbis concepta proponebatur : « Hæc concupiscentia, quo sub nomine multa comprehenduntur reducibilia ad unum, natura sua est vel pars peccati vel effectus peccati, estque in natura humana vitium, etiam corruptio et infirmitas, et neutiquam naturalis constitutio et complexio illius. Consistit in habitu quodam pravo et corrupto, qui languor animæ est et dicitur, et eodem modo reducendus est vel non est ad prædicamentum qualitatis atque infirmitatis corporalis, cujus modum imitatur. Minus illius habitus est inordinatio virium animæ inter se, et non subjectio partis inferioris ad superiorem. »

Plura autem argumenta sanctus doctor contra Julianum concupiscentiam defendentem congessit, quem etiam acutis subinde salibus perstringit irridetque hæreticus, teste eodem lib. II contra Julianum, cap. 7, toto libro secundo, et priori parte tertii contra librum primum de Nuptiis et concupiscentia ab Augustino ad Valerium missum pro suscepta laborat, quem sanctus Pater lib. IV et V prioris operis refellit. Dabo eam in rem unum et alterum ejusdem argumentum. Lib. IV, cap. 13, ita urget : « Duo enim bona quæ a Patre *Deo* sunt, inter se pugnare non possunt, pugnant autem inter se continentia et concupiscentia. Quid horum a Patre magis velis esse responde. Video quas patiaris angustias ; faves quidem concupiscentiæ, sed erubescis continentiæ. » Confirmatur primo ex lib. V, cap. 7 : « Nulla pugna est sine malo. Quando enim pugnatur, aut bonum pugnat et malum ; aut malum et malum ; aut si duo bona inter se pugnant, ipsa pugna est magnum malum. » Cum autem continentia contra concupiscentiam pugnet, hanc malam esse ibidem Augustinus deducit. Hinc ait : « Adhuc non evigilas,

ut intelligas, nostram naturam non esse, sed vitium, contra quod virtute pugnamus. » Confirmatur secundo ibidem : « Quando enim libido vincit, vincit et diabolus; quando libido vincitur, et diabolus vincitur. Quem ergo vincit libido, et a quo vincitur, est hostis ejus. Cum quo autem vincit et vincitur, auctor est ejus. » Vis harum rationum in hoc consistit quod Dei dona sese invicem fovent ac perficiunt; ideo enim multiplicantur, non ut priora a posterioribus destruantur, sed ut novo cumulo ab eisdem augeantur; ita spes fidem munit, et utramque charitas corroborat. Posteriora enim dona dantur in præmium bonorum operum, eisque subjectum redditur melius. Cum autem continentia sit donum Dei, ut ex prima ad Corinthios Epistola, cap. VII, probat Augustinus lib. I de Nuptiis et concup., cap. 3, consequens est ut concupiscentia naturale Dei donum esse non possit, sed vitium solummodo sit ac defectus. Alterum argumentum, quod sanctus doctor contra Julianum urget, tale est : Nullum opus Dei est materia pudoris; atqui concupiscentia est materia pudoris, non igitur illa est opus Dei, et ex consequenti non est perfectio naturalis. Major est certa; etenim *vidit Deus cuncta, quæ fecerat, et erant valde bona* (*Gen.* I, 31). Bonum autem non est materia pudoris, sed gloriæ ac laudis. Audiatur Augustinus lib. II de Nuptiis et concup., cap. 9 : « Quid enim potuit Deus facere, quod ejus prædicatorem pudeat dicere? Et quod est gravius, pudeat hominem alicujus operis, quod non homo, sed Deus fecit in homine, cum omnes opifices quanto possunt labore, et industria id agant, ne de suis operibus erubescant. » Porro concupiscentiam esse materiam erubescentiæ ac pudoris certius est quam ulla aliunde petita ratione evidentius fieri possit. Scribit ibidem sanctus doctor, cap. 5 : « De hac (concupiscentia) erubuerunt etiam qui primi pudenda texerunt, quæ prius pudenda non fuerant, sed tanquam Dei opera prædicanda atque glorianda. Tunc ergo texerunt quando erubuerunt; tunc autem erubuerunt quando post inobedientiam suam inobedientia membra senserunt. » De hoc ipso passim Augustinus agit etiam in Opere imperfecto.

Imo subtiliter et acute Julianum vellicat, qui laudaret concupiscentiam simulque contra eamdem pugnaret, laude quidem eamdem bonam fingens, sed pugna malam contestans. Cum vero Augustini sententiæ aculeis undique armatæ sint, quibus non modo hæreticus pungatur, verum etiam feriatur, quasdam hic libet subnectere. Itaque libri IV initio scribit : « Hoc malum contra me laudando, adversarius meus videris, sed in te debellando, meus testis es. Si autem hoc non debellas, tuus hostis es. » Longior sane est sententia lib. III, cap. 21, sed salibus tota aspersa est. « Fortasse ergo, inquit, laudare te fingis, si pugnare non fingis. Nam quomodo fideliter simul agas duo ista, non video, ut et laudes velut amicam, et expugnes velut inimicam. Unum eorum credimus, sed elige quod credamus. Si ex animo pugnas, non ex animo laudas; si autem simpliciter agis in præconio, colludis in prælio. » Et postea : « Mallem te fallaciter laudare concupiscentiam, quam fallaciter impugnare. Tolerabilius enim lingua tua quam vita mentitur, tolerabilius sententia quam continentia simulatur. Fingis quippe laudem qua sis adversarius sententiæ meæ, si non fingis castitatem qua es adversarius concupiscentiæ tuæ. » Rursus capite ultimo ejusdem libri sic Julianum premit : « Quid est quod laudas cum quibus pugnas? Quomodo virtute hostes debellare te credam, quos verbo lacerare non audes? Si ambo concupiscentiam debellamus, quare non ambo vituperamus? Quam te jactas expugnare continentia, quare non vis damnare sententia? » Quod vero Pelagiani continentiam præcipue profitebantur, qua contra concupiscentiam bellum gerebant, Augustinus ex ipsorum sententia continentiam in suspicionem simulationis adduci lepide ibidem inferens addit : « Bellum vestrum latet, amicitia patet. Ex hoc quod patet, suspectum facis esse quod latet. Quid enim vis credamus de bello quod geritis in operto, quorum amicitiam cernimus in aperto? Quomodo vis ut arbitremur adversus aculeum te dimicare libidinis, cum libros impleas laude libidinis? Verum ecce vinco suspicionem meam; expugnare te credo quod laudas, sed laudare te doleo quod expugnas. » Præterea lib. III, cap. 21 : « Vis enim vincere concupiscentiam expugnatione ejus, me vero laude ejus. Sed ego respondeo : Ut vincatur qui laudat, judicet qui pugnat. Si enim malum est, cur laudat? Si bonum est, cur expugnat? Si autem nec bonum nec malum est, utquid laudat, utquid expugnat? Quandiu igitur expugnator libidinis eris, tandiu pro me contra te ipsum judex eris. An forte adversus libidinem non certabis, ne in isto, quod mecum habes, certamine supereris, dicens tibi ipsi, Melius non pugno quam ostendo pugnando malum esse quod laudo? Noli, obsecro te : quid enim sum ego, quem pro magno desideras vincere? Vincat te potius veritas, ut tu libidinem vincas, » etc. Quare veluti prostrato adversario insultat Augustinus : « Victoria de te mea illo malo tecum pugnante secura est. » Lib. IV, cap. 2.

Sanctus doctor inde etiam Pelagianorum sententiam expugnabat, quod laudarent illi continentiam, quæ tamen inimica erat concupiscentiæ, quod non minus eleganter quam festive sæpe objicit Juliano. « Duo enim bona quæ a Deo Patre sunt, inter se pugnare non possunt, pugnant autem inter se continentia et concupiscentia. Quid horum a Patre magis velis esse responde. Video quas patiaris angustias; faves quidem concupiscentiæ, sed erubescis continentiæ. Vincat pudor tuus, eoque vincatur error tuus. » Lib. IV, cap. 13. Lepide idem inculcat cap. 14 : « Inter se belligerantes tanquam in bello timidus ambas laudare conaris, velut inimicam metuens habere, quæ potuerit alteram vincere. » Cum Julianus continentiæ cultorem profiteretur, erat enim episcopus, irridebatur ab Augustino quod libidinis laudatorem ageret : « Vir fortissimus nocturnorum etsi non

administrator, certe exhortator, prædicatorque bellorum. » Lib. v, cap. 7. Quem tamen ad eam pravam sententiam deponendam hortabatur : « Rogo te, si libido ista, ut credimus, solam tibi ingerit molestiam resistendi, nullam vero exhibet voluptatem, cur ei quamvis falsæ tam magnam laudis persolvendam putas esse mercedem? » Lib. III Operis imperfecti, cap. 76, addens cap. 87 : « Nunquid ideo te plus amabit? Prorsus falleris : illa non amat hominem, sed plane stimulat, ut amet quod amare non debet. »

Utrique sancti Augustini argumento duplicem responsionem repositam video. In primis Julianus dicebat duo in concupiscentia distinguenda esse : naturalem vim, et pronitatem ad speciem per generationem propagandam, et excessum ejusdem, quo etiam ad inhonesta et illicita homines propellit. Illud primum esse bonum, donum Dei, laudabile, nec materiem pudoris ; hoc vero alterum esse quid vitiosum ac vituperabile. Hanc Juliani responsionem secutus est Moraines. Alii vero recentiores, cum eos pudeat Juliani verbis loqui, alia via evadere conantur : dicunt concupiscentiam esse donum Dei ; at cum aliqua imperfectione, cum omne creatum sit defectuosum ; pudicitiam autem pugnare contra imperfectiones concupiscentiæ, ac eisdem resistere, harum erubescere, de his confundi. Ex his tradunt non inferri malum esse id cui imperfectiones illæ connexæ sunt, sicuti voluntas est peccabilis ob sui imperfectionem, quia est ex nihilo, et tamen non confundimur de illa, neque dicimus eamdem esse malam et vitium naturale. Sed neutra responsio satis est ad infringendam vim argumentorum Augustini. Primum Juliani ac Morainii responsum sæpe refellit sanctus doctor. Lib. v contra Julianum, cap. 7 : « Quid enim, inquit, te adjuvat, quod reprehendere videris ejus excessum, cujus approbas motum? Tunc enim excedit licitum limitem, quando ejus motibus ceditur, quia malo resistitur, ne bonum castitatis intereat, si huic malo non resistatur. » Acute : siquidem est mala eo ipso quod ad malum impellit ; hæc enim est proprietas habitus vitiosi, inclinare ad actum malum. Hinc optimo jure P. Macedo exemplo habitus vitiosi, quem Suarez, disp. 44 Metaph., sect. 13, num. 26, negat posse a Deo produci in homine, quia Deus ea ratione inclinaret ad malum, eumdem doctorem premit concedentem concupiscentiam posse a Deo in homine in statu naturæ puræ produci. Præterea, lib. IV, cap. 14, idem Augustinus ait : « Ut non fiat malum excedendi, resistendum est malo concupiscendi. Duo ergo mala sunt, quorum unum habemus, alterum facimus, si ei non resistimus, quod habemus. » Item lib. III, cap. 20, ait : « Deinde incipis disputare de excessu concupiscentiæ, quem reprehensibilem dicis, quasi in ejus moderatione, cum ea bene utitur conjugatus, equus ipse, qui malus est, et non potius sit ejus auriga laudandus. » Hinc idem Pater, lib. I Operis imperfecti, cap. 70, scribit : « Si ei consentis, malum agnosce peccando ; si ei resistis, malum agnosce pugnando. »

Præterea, lib. IV ejusdem operis, cap. 41 : « Ecce ergo dicis Deum in homine modum instituisse libidini ; cur in eo modo non stat, in quo est divinitus instituta, sed eum, nisi coerceatur, egreditur? Quomodo ergo bonum dicitur, quæ urget et compellit hominem facere malum? » Et concludit : « Excessus proinde libidinis in peccato est, sed etiam impulsus in crimine, » nempe vitio per modum habitus. Sed nec altera responsio probari potest. Nam imperfectio consistit in privatione ac carentia perfectionis et actualitatis, vis autem concupiscentiæ impulsiva ad malum explicat validiorem causalitatem ; unde nequit constitui in sola privatione, quæ nihil potest causare efficienter, sed ut purus tantum terminus *a quo*, ut docent Aristotelici. Quare, sicuti habitus vitiosus, quo efficacius movet ad actus pravos, majorem dicit intensionem suæ entitatis, ita etiam concupiscentia, quo potentius excitat ad actus quoscumque inhonestos, majorem intensionem suæ actualitatis ostendit. Præterea eadem responsio refellitur : quia omnis virtus seu passio naturalis habet aliquos motus bonos, inde enim bonitas naturæ a posteriori cognoscitur ; at concupiscentia nullos actus bonos habet, ut probat Augustinus lib. IV contra Julianum, cap. 2 ; nam in sanctis continentibus concupiscentia nullos actus bonos exerit : « Quid ergo, inquit, illic agit, ubi malum est quidquid agit, ac si ei consentiatur et peragit? Quid ibi agit hæc concupiscentia, ubi nihil boni concupiscitur ex illa? Quid ibi agit libido, ubi nihil boni libebit ex illa? » Lege ibi plura.

Dices sanctos continentes ad majorem perfectionem voluntarie sibi interdicere actus bonos concupiscentiæ, quos uxore ducta possent licite exercere. Hanc responsionem capite illo secundo explodit Augustinus dicens : « Pudicitia conjugalis inhiantem concupiscentiam sive de illicito sive de licito percipere voluptatem, frenat ab illicito, permittit ad licitum ; hoc est bonum, non tamen ejus, sed bene utentis bonum est. Quod autem ipsa concupiscentia facit sive ad licitum sive ad illicitum indifferenter ardere, utique malum est. Hoc itaque malo bene utitur pudicitia conjugalis. » Et quidem ubique Augustinus constanter docuit conjuges bene uti malo. Quod rursus inde probavit, quia concupiscentia in conjugatis impellit ad malum, excitat in feminas prægnantes, et in omne libidinosum opus insurgit. « Non importune, ait ibidem, in conjugatis esse dicatur. Si enim summum culmen obtinent pudicitiæ conjugalis, faciunt boni aliquid per illam, quamvis nihil faciant propter illam. » Sane nusquam sanctus doctor vocavit concupiscentiam bonum, sed ubique malum dixit, ut plane evidens fiat secundum propriam essentiam esse malam, non vero secundum imperfectionem annexam, ut recentiores illi contendunt. Imo sæpius urget contra Julianum, admissa semel concupiscentia ex prima hominis productione eidem inserta, Manichæorum hæresim promoveri, qui cum concupiscentiam esse malum videant, neque Deus

bonus mali auctor statui possit, statim inducunt Deum malum concupiscentiæ malæ conditorem. Ita enim discurrit lib. I contra Julianum cap. 8 et seq.; lib. V, cap. 16, et in Opere imperfecto, lib. III, cap. 178, 208, 213; lib. V, cap. 30; lib. VI, cap. V et 36. Dabo unum testimonium ex eodem lib. VI, cap. 6 : « Tu autem, qui nesciens quid loquaris, objicis mihi quod dicam Deum creare peccatum, resiste Manichæo dicenti, in discordia carnis et spiritus, inter se contrarias mali et boni apparere naturas. Unum est quod respondemus, ut pestis ista vincatur, hanc scilicet discordiam primi hominis in nostram vertisse naturam : quod tu negando conaris ut vincant, satisque manifestaris fictus Manichæorum oppugnator et verus adjutor. » Capite etiam 14 et fuse et erudite idipsum deducit. Exemplum autem quod iidem scriptores ex voluntate, ob sui nihileitatem, a qua ortum habet, peccato obnoxia afferunt, non est ad rem, siquidem voluntas plures actus bonos elicit, qui in suo ordine naturali boni sunt et laudabiles, unde et ipsa bona esse cognoscitur. At concupiscentia nullos actus bonos habet, nullos enim ad licitum tantum terminum exerit, sed ad illicita quæque exæstuat, a voluntate autem in honesta meta illius actus figitur, ita ut ad vetita non prorumpat.

Opponunt Augustinum lib. I Retract. cap. 9 dixisse : « Quamvis ignorantia et difficultas (loquitur de difficultate orta ex concupiscentia) etiamsi essent hominis primordia naturalia, nec sic culpandus, sed laudandus esset Deus. » Ergo, inquiunt, ex Augustino laudandus esset Deus, tametsi hominem creasset absque perfecta concupiscentiæ subjectione. In uno hoc *tam claro*, ut aiunt, Augustini testimonio sibi victoriam canunt, cum tamen sanctus doctor innumeris locis oppositum asseruerit, nec ibidem, ut ipsi perperam arbitrantur, ipsorum sententiam docuerit. Etenim sanctus doctor eo loci contra Manichæos disputabat, qui dicebant concupiscentiam esse malam, et impossibile esse sine illa hominem produci; et cum a Deo bono creari nequeat, malam quamdam naturam omnium malorum productricem commentabantur. Augustinus, ut eosdem refelleret, hypothesim utramque gratia disputationis admisit, nempe hominem cum concupiscentia creatum, et sine ista nequaquam creari potuisse. Urgebat vero hæreticos, etiam tunc Deum fore laudandum, nam nulla culpa Dei fuisset facere quod fieri non poterat. Manichæos autem putasse impossibile esse condi hominem sine concupiscentiæ malo testatur sanctus doctor lib. I contra Julianum, cap. 5, et lib. III, cap. 12. Igitur in illa hypothesi adhuc esset laudandus Deus, ut lib. III de Libero Arbitrio ab Augustino probatur. Hinc idem scribit lib. I Retract., cap. 9 : « Quæ disputatio contra Manichæos habenda est, qui non accipiunt Scripturas sanctas veteris Testamenti, in quibus peccatum originale narratur. » Postea : « Contra Pelagianos autem hoc defendendum est, quod utraque Scriptura commendat, quam se accipere profitentur. » Nempe malum concupiscentiæ non esse a Deo in prima productione hominis insertum, eo quod *fecerit Deus hominem rectum* (*Eccle.* VII); quod testimonium sæpius inculcat contra Pelagianos, lib. XIV de Civitate Dei, cap. 11; lib. XIII, cap. 14; lib. de Corrept. et grat. cap. 6; epist. 105, ad Sixtum; lib. IV Operis imperf., cap. 44, et alibi. Concupiscentia autem rectitudinem hominis sustulit, illumque in illicita declivem, imo præcipitem fecit. At Augustinus, præter hoc testimonium, alterum etiam celeberrimum adhibuit ex cap. 40 Ecclesiastici : *Jugum grave super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum*, etc., quod in Opere imperfecto in omnibus pene paginis repetit, probans Deum injustitiæ accusandum, si jugo victricis concupiscentiæ hominem nulla culpa præcedente aggravasset; id enim summa miseria est, ac gravem inde pœnam homo experitur; omnis autem pœna injuste infligitur, si nulla eamdem culpa merita est. Igitur illam hypothesim, quam agens cum Manichæis disputationis gratia Augustinus admittebat, in libris contra Pelagianos non modo non probavit, verum etiam solidissimis argumentis explosit.

Julianus plura argumenta congessit ut probaret concupiscentiam esse perfectionem naturalem hominis, esse bonum, solumque ejusdem excessum esse culpabilem. Lib. IV Operis imperf., cap. 56, eo utitur argumento, quod concupiscentia sit perfectio naturalis pecudis, et bonum ejusdem ad speciei propagationem inserviens; unde eadem quoque dicenda videtur hominis perfectio, qua parte cum brutis secundum gradum sensitivum convenit. Rursus lib. I ejusdem Operis, cap. 70, arguit quia concupiscentia fuit ante peccatum; ideo enim Adam peccavit, quod appetitus sensitivus ejusdem vetitum fructum concupivit. Præterea si concupiscentia est pœna peccati, igitur laudanda est, bona est, honesta est : siquidem bonum atque honestum est peccatorem puniri. Ita arguit apud Augustinum lib. V prioris Operis, cap. 4. Denique exemplo ciborum probat ejusdem excessum esse culpabilem; nam ut illi boni sunt, malus tamen potest esse illorum usus, ita bona est concupiscentia, licet malus sit ejusdem abusus. Apud sanctum Patrem lib. III, cap. 20, et lib. I de Nuptiis et Concup., cap. 19. Respondet Augustinus ad primum, concupiscentiam in pecude esse perfectionem, quia est conformis ejusdem naturæ, nec repugnat spiritui in brutis. In homine autem dicit defectum, vitium ac corruptionem naturæ, unde ait libro de Peccato originali, cap. 40 : « Tantæ namque excellentiæ est in comparatione pecoris homo, ut vitium hominis natura sit pecoris. » Et lib. IV Operis imperfecti, cap. 56 : « Sic ergo, inquit, in libidine agnosce et pecoris naturam, et hominis pœnam, si animam non habes asininam. » Ubi etiam notat concupiscentiam in brutis non inhiare in prægnantes et in actus contra naturam, uti facit in homine; unde pejor longe est in homine libido quam in brutis. Ad secundum respondet ibidem negando in terrestri paradiso actum concupiscentiæ præcessisse actum voluntatis comedendi pomum vetitum. Do ejusdem verba : « Præces-

sit, inquit, mala voluntas, qua serpenti subdolo crederetur, et secuta est mala concupiscentia, qua cibo inhiaretur illicito. Ac per hoc quamvis jam utraque mala esset, tamen voluntas cupiditatem, non voluntatem cupiditas duxit, nec præcessit voluntatem, nec restitit voluntati, » Ad tertium negat illationem; etenim concupiscentia, prout est pœna, honeste a Deo intenditur, at mala est respectu hominis cui infligitur; ita mors mala est homini, bona respectu Dei illam decernentis in pœnam peccati. Addit exemplum de cæcitate cordis, qua Deus uti judex in pœnam præteritorum criminum punit delinquentes, quibus tamen illa est maximum malum, et concludit: « Proinde omnia quæ pro hac tua cæca et inconsiderata opinione dixisti, qua carnis concupiscentiam eo ipso quod eam pœnam diximus esse peccati, non solum non vituperandam, verum etiam laudandam putasti, quamlibet prolixa disputatione in eo fueris immoratus, evanuisse certissimum est. » Ad quartum respondet idem Augustinus lib. III contra Julianum, cap. 20: « Ita enim, inquit, non intelligis quid loquaris, ut non vides creaturam panis et vini non concupiscere adversus spiritum, sed ipsam potius inhoneste a male utentibus concupisci, et ea forinsecus in nostrum corpus intrare. » Hinc neminem pudet in propatulo comedere, uti olim Romanorum mos fuit, at licite concupiscentia palam uti conjuges erubescunt, ut plane appareat malam esse concupiscentiam, cum vel licitus ejusdem usus pudorem incutiat. Videatur sanctus Pater lib. I ad Bonifacium, cap. 16.

Objiciunt recentiores contra eamdem sancti doctoris sententiam. Motus concupiscentiæ præveniunt rationem, quia sunt ante omnem electionem, ergo concupiscentia non est omnimode subjecta rationi, cum habeat motus ante omnem actum illius. Rursus inquiunt: Homo appetitu rationali fertur in honesta, appetitu sensitivo, seu concupiscentia fertur in delectabilia; ergo vehementiori impetu ista inhiat in delectabilia, quam ille in honesta, siquidem cum objecta honesta repræsententur per species alienas, minus movent quam delectabilia, quæ per species proprias de præsenti sensum alliciunt. Denique instant: Nullum quod est debitum naturæ est amissum per peccatum, atqui est amissa subjectio partis inferioris respectu appetitus rationalis, igitur ea subjectio non est perfectio debita naturæ. Hæc tamen olim ab Augustino diluta sunt. Respondet ad primum quod in pœnam tantum peccati motus concupiscentiæ præveniunt deliberationem appetitus rationalis; unde si homo non peccasset, motus appetitus sensitivi præcessissent quidem voluntatis actus, non illi quidem vim inferendo ac rationem graviori impetu præoccupando, illamque absorbendo, uti de facto contingit, sed suaviter alliciendo, quod et in paradiso accidit, ubi « non voluntatem cupiditas duxit, nec præcessit voluntatem, nec restitit voluntati, » lib. I Operis imperf., cap. 70. Ad secundum negatur consequentia: etenim rectus ordo exigit ut inferius a superiori, non vero superius ab inferiori moveatur. Unde optima hominis constitutio petit ut pars ejusdem superior pleno jure in inferiorem utatur, non vero ut ista illam sibi subjiget ac supplantet. Pertinet autem ad hominis pœnam ac miseriam, ut more pecudum fortius a delectabili trahatur quam ab honesto, et hoc provenit ex ignorantia, quod alterum ex peccato originali in humanum genus derivatum vitium est; neque enim si perfecte honestum repræsentaretur voluntati, ab ista dimitteretur delectabili electo. Itaque in illa præponderantia et majori vi in trahendo, quæ inest delectabili supra honestum in statu naturæ lapsæ, pars rebellionis appetitus sensitivi contra rationalem consistit. Porro hæc scribit Augustinus lib. V contra Julianum, cap. 3: « Si prudenter hic saperes, profecto esse iniquitatem videres, qua pars inferior hominis repugnat superiori atque meliori. » Tertium argumentum nullum est, nam in sententia Augustini falsum est post primum peccatum naturalia mansisse integra, homo enim per peccatum fuit spoliatus gratuitis, et læsus insuper in naturalibus, quod ex parabola Peregrini Jerichontini Lucæ 10 suadetur integro fere volumine a Florentio Conrio archiepiscopo Thuamensi. Testimonia vero Augustini in eamdem rem indicat P. Macedo in Cortina, thesi 54, et lib. IV de Clavibus Petri, in contr. de Peccato originali, cap. 12, ubi valide pro sancti doctoris sententia decertat.

Unum obstare videtur, quod acerrime urgent recentiores. Etenim damnata est hæc propositio Baii 55: *Deus non potuisset talem ab initio creare hominem, qualis nunc nascitur.* Quare potuit Deus condere hominem in statu naturæ puræ subjectum concupiscentiæ, qualis modo nascitur. De his propositionibus Baii varie sentiunt theologi. Pater Vasquez, magni inter recentiores nominis, 1-2, disp. 190, cap. 18, proponit verba bullæ quæ ejusmodi sunt: « Quas sententias stricto coram nobis examine ponderatas, quanquam nonnullæ aliquo modo sustineri possent, in rigore tamen et proprio verborum sensu ab assertoribus intento hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, et in pias aures offensionem immittentes, respective, et quæcunque super iis verbo scriptoque emissa præsentium auctoritate damnamus. » De qua censura ita idem judicat: « Multa (ex illis propositionibus) continentes acre judicium, quo doctor ille aliorum opiniones criminabatur, damnari tantum, ut scandalo et offendiculo patentes, et hac ratione solum prohiberi; nam et audacia nimiaque arrogantia in aliorum sententiis maligne vellicandis ac lacerandis, non parum scandali afferre solet, a quo docti et prudentes theologi in suis scriptis abstinere deberent. » Hæc autem confirmat locupletissimo testimonio cardinalis Francisci Toleti, qui in causa Baii Lovanium ab apostolica sede delegatus fuit. Quare cum Baius Pelagianæ hæreseos incusaret asserentes hominem talem potuisse a Deo creari qualis modo nascitur, hinc ob infamiæ notam quam oppositæ sententiæ auctoribus inurebat, ejus-

dem propositio censuræ subjecta est. Hoc autem patet ex censuris ejusdem, quæ in eadem bulla referuntur; v. g., propos. 37 ait : « Cum Pelagio sapit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit. » Quam sententiam defendit Vasquez, 1-2, disp. 190, cap. 18, ubi testatur censuram Baii, non vero assertum esse ab apostolica sede damnatum, cum in Arausicano canone 22 dicatur : *Nemo habet de suo nisi mendacium, et peccatum.* Præterea propositio 13 ita scribitur : « Pelagii sententia est : Opus bonum citra gratiam adoptionis factum, non est regni cœlestis meritorium. » Quare cum Lovaniensis scriptor oppositam sententiam de creatione hominis cum concupiscentia ab auctore naturæ inserta Pelagianismi dubio procul de more incusaret, merito ob censuram ejusdem propositio uti scandalosa proscripta est. Rursus in bulla Baii propositiones dicuntur damnari *respective*, nempe, *in proprio verborum sensu ab assertoribus intento.* Propositio illa 55 damnatur *respective* ad propositionem 27, quæ est : « Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio. » Quasi subjectio concupiscentiæ non fuerit ex dono Creatoris, sed ex exigentia naturali humanæ substantiæ, tanquam propria passio ejusdem, quod falsum est. Nam hæc duo distinguenda sunt : concupiscentiæ subjectionem datam primo homini ex exigentia rei creatæ, vel ex pura puta decentia. Primum enim negatur, alterum a nobis asseritur ; et hoc patet ex Augustino, scribente lib. III contra Julianum, cap. 11 : « In natura hominis ante peccatum pacem decebat esse, non bellum. » Scio eumdem, lib. II de peccatorum Meritis et remissione, cap. 22, hæc scribere de primis parentibus : « Quamvis corpus animale gestarent, nihil inobediens in illo adversum se moveri sentiebant. Faciebat quippe hoc ORDO JUSTITIÆ, ut quia eorum anima famulum corpus a Domino acceperat, sicut ipsa eidem Domino suo, ita illi corpus ejus obediret atque exhiberet vitæ illi congruum sine ulla resistentia famulatum. » Ubi nomine justitiæ non rigorosum debitum in natura humana fundatum intellexit, sed ex decentia solius Creatoris derivatum. Rursus sciendum est aliquas propositiones æquivocas modo ab Ecclesia rejici, modo approbari. Hoc ostendimus lib. II Hist. Pelag., cap. 20, de illa propositione : « Unus e Trinitate passus est, » quam Hormisdas rejecit, at Joannes II, Vigilius ac synodus V, uti Catholicam definiverunt. Etenim in sensu Eutychianorum damnata fuit, quasi Verbum in natura divina passum diceretur ; et licet alii adderent *passum carne*, attamen cum ob affinitatem cum hæresi Eutychetis suspecta esset, jure sanctus Hormisdas eamdem approbare recusavit. Baius propositione 74 hæc tradidisse dicitur : « Concupiscentia in renatis relapsis in peccatum mortale, in quibus jam dominatur, peccatum est. » Quod falsissimum est, nunquam enim ipsamet concupiscentia est peccatum, ut ex Tridentina synodo constat. Quare propositio illa Baii non solum ob censuram damnata est, verum etiam quod hæreticorum recentium errori a Tridentinis Patribus damnato concineret ; illi enim mordicus sustinent concupiscentiam esse peccatum, ut patet apud Bellarminum, lib. V de Amissione gratiæ, cap. 5, in quo errore propositio 55 Baii, quod concupiscentiam attinet, fundatur, a cujus tamen damnato sensu longo intervallo distamus ; non enim dicimus Deum non potuisse condere hominem cum concupiscentia rebelli, quod illa sit formaliter peccatum, sed quia licet ipsa peccatum non sit, est tamen ad peccatum inclinans, et quidem vehementius quam quilibet alius habitus vitiosus ab homine contractus. Profecto thesis illa Baii, hominem non potuisse a Deo produci qualis modo nascitur, juxta amplam ejusdem expressionem vera est : quis enim dixerit Deum posse condere hominem cum peccato originali, cum quo modo nascitur? Hoc enim erat illud absurdum, quod Pelagiani contra orthodoxos urgebant, Deum esse auctorem peccati, si eo infectus homo nascebatur. Et quidem Martinus de Esparza, insignis nostræ ætatis theologus, quæst. 10 de Gratia, hæc scribit : « Concupiscentia post peccatum ita est soluta ut regnet in carne peccati, hoc est obtineat prædominium adversus rationem, præponderante ejus inclinatione in malum, atque in perniciem et damnationem hominis inclinationi rationis superioris in bonum honestum atque in salutem, et ultimam felicitatem ejusdem hominis. Quid tantum ac tam grande malum occupationis regni per partem inferiorem adversus partem superiorem nequaquam adfuisset in statu puræ naturæ. » Quare ex hujus scriptoris sententia non potuit condi homo a Deo in statu naturæ puræ cum concupiscentia rationi prædominante atque in eamdem vim legislativam exercente, ut ibidem ad sextum loquitur, cum tamen homo de facto tali concupiscentiæ subjectus nascatur. Hactenus de sensu illius 55 propositionis Baii.

Quæri potest an sanctus doctor admiserit ut possibilem concupiscentiam rationi subjectam, ita ut non secundum se, sed secundum prædominium supra rationem eamdem solummodo primo homini in sui conditione inseri potuisse negaverit. Respondeo Augustinum sensisse concupiscentiam secundum se esse vitium, et non solum esse vitiatam. Ita illam pronuntiavit *vitium*, *quod non est ex Deo*, lib. I de Nuptiis et concup., cap. 23. Idem habet lib. II, cap. 34, et passim contra Pelagianos. Attamen hoc sibi sufficere dicebat, si hæretici saltem concederent eamdem esse vitiatam, inde enim peccati originalis vulnus statim apparebat. Scribit sanctus doctor contra Julianum lib. II, proxime laudato cap. ult. : « Et si non vult concedere vitium esse libidinem, dicat saltem per illorum hominum inobedientiam etiam ipsum vitium esse carnis concupiscentiam, ut illa quæ obedienter et ordinate moveretur, nunc inobedienter inordinateque moveatur, » etc. Et lib. V, contra Julianum, cap. V, ait : « Sed quod dicis, etiam genitalia servire animi imperio, novam quamdam li-

bidinem dicis, aut forte nimis antiquam, qualis et in paradiso esse potuisset, si nemo peccasset. » Et lib. II Operis imperf., cap. 122, scribit de concupiscentia : « Aut ergo nulla ibi erat, aut voluntatem mentis nec præcedebat, nec excedebat. » Idem repetit lib. IV, cap. 56, et lib. IV prioris operis, cap. 5 et 14. Cæterùm sancto doctori constans sententia stetit, nullam fuisse concupiscentiam in primo homine ante peccatum non modo secundum illam vim tyrannicam supra rationem, sed nec ullam omnino licet rationi ipsi subjectam. Probatur hoc ex lib. IV contra Julianum, cap. 11, ubi ait : « Quis enim negat futurum fuisse concubitum, etiamsi peccatum non præcessisset? sed futurus fuerat, sicut aliis membris, ita etiam genitalibus voluntate motis, non libidine concitatis ; aut certe etiam ipsa libidine, ut non nos de illa nimium contristemus, non qualis nunc est, sed ad nutum voluntatis serviente. » Lege cap. 14. Et lib. V, cap. 7, his adversarios vellicat : « Sed ecce non vobiscum de libidinis absentia præsentiave contendimus, nec dilectionem, quam debere vos ei videmus, offendimus, saltem ipsam subdite voluntatis imperio in illo felicitatis loco. » De hac ipsa re agit sanctus doctor lib. I ad Bonifacium, cap. 17 ubi quatuor modos assignat quibus nuptiarum fecunditas perfici potuisset, quorum duo postremi sunt : « Aut tunc ad nutum voluntatis libido consurgeret, quando esse concubitum necessarium casta pudentia præsensisset ; aut nulla omnino existente ibi libidine, ut cætera membra quæque ad opera sua, sic ad opus proprium etiam genitalia jussis volentium sine ulla difficultate servissent. » Postea de his duobus ait : « Duarum vero reliquarum quamlibet elegeritis, non est adversus vos ulla contentione laborandum. Etsi enim quamtam nolueritis eligere, ubi est omnium obedientia membrorum, sine ulla libidine summa tranquillitas, quoniam jam vos ei fecit vestrarum disputationum impetus inimicos, illud vobis saltem placebit, quod tertio loco posuimus. » Legendum est integrum caput; inde enim evidenter colligitur sanctum doctorem censuisse nullam fuisse in terrestri paradiso concupiscentiam, eamque subjectam voluntati disputationis tantum gratia admisisse, ne adversarios *de illa nimium contristaret*, ut ex eodem proxime recitavimus. Hæc Augustinus de concupiscentia scripsit, probans ex illo primæ Joannis Epistolæ cap. II, v. 16 : *Concupiscentia carnis non est ex Patre.* Quem textum de actibus vetitis concupiscentiæ Pelagiani interpretabantur. Quam vero absurdam eorumdem opinionem sanctus Pater arbitraretur, ex iis quæ scribit lib. IV. Operis imperf., cap. 69, colligitur : « Non igitur, inquit, caventur opera mala, nisi frenetur concupiscentia mala, quæ a te HORRENDA IMPUDENTIA, vel potius AMENTIA dicitur bona. Nec erubescis, nec horrescis, te ad TANTUM DEDECUS pervenisse, ut nemo liberetur à tuo malo, nisi non consentiat tuo bono. Concupiscentia igitur carnis, qua cupiuntur quæ prohibentur, non est a Patre. Frustra putas, vel potius vis putari, ubi hoc Joannes apostolus dixit, concupiscentiam carnis positam pro luxuria. Prorsus si non est a Patre luxuria, nec illa est a Patre, cui si consentiatur, concipit paritque luxuriam. Nam motibus suis quibuslibet obtinere quid conatur, quæso, nisi ad luxuriam pervenire? Quomodo ergo est bonum, quæ pervenire conatur ad malum? Quomodo est nostrum bonum, quæ nos ad malum compellit? » Lege ibidem.

§ III. *Utrum sanctus Augustinus excesserit, deducens peccati originalis reatum ex innumeris humanæ vitæ miseriis. Insigne D. Thomæ pro Augustiniana sententia testimonium.*

Pergo ad alterum sancti Augustini excessum. Etenim ille, quo Pelagianos confutaret, non solum e sacris arcanis testimonia petivit, sed ut erat subtili ac prompto ingenio, rationibus etiam naturali lumine manifestis usus est. Inter cætera argumenta celeberrimum invenit magnus doctor, quo peccatum originis persuaderet, deducens nempe illud ab infinitis humanæ vitæ miseriis. Ita appellans illam Ecclesiastici sententiam cap. XL, initio : *Jugum grave super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum*, arguebat ad salvandam Dei justitiam aliquod in nascentibus crimen asserendum esse, ne tot miseriis puniri innoxii crederentur. Hoc argumentum ubique in Augustini non dicam libris, sed librorum paginis occurrit. Lib. VI Operis imperf., cap. 36, has sententias conglomerat : « Omnis autem pœna hominis, quid est, nisi pœna Dei imaginis, quæ si infertur injuste, profecto a quo infertur injustus est. Quis porrò dubitet quod injuste inferatur pœna imagini Dei, nisi hoc culpa meruerit? » Et cap. 27 : « Justus est Deus, quod assidue contra te dicis, et nescis, justus est, inquam, Deus, et ideo nascentes nec faceret, nec fieri sineret miseros, nisi nosset reos. » Item : « Ipsi nullum, sicut putatis, trahentes peccatum, immeritas, si hoc ita est, procul dubio sustinent pœnas. Ubi est justitia Dei, quam si cogitares, nunquam crederes, sine ullo merito peccati originalis tam miseros esse nascentes. »

Respondet Moraines, disp. 13, num. 106, Augustinum a miseriis vitæ humanæ peccatum originale probantem, « excessisse videlicet fervore disputationis abreptum, et odio hæresis Pelagianæ ad contrarium extremum declinasse, neque hac in parte doctrinam ejus approbasse Ecclesiam. » Placet quod non dixit *interdum* declinasse ad extremum, ubique enim declinasse dicendus esset, nam illud argumentum *tam sæpe di tum, sæpiusque dicendum* vocat cap. 23 lib. VI laudati. Quare Augustinus sciens, prudens, volens, ea ratione usus est, non disputationis æstu ac furore percitus, ut adversarii opponunt. Imo Pelagiani idem argumentum evadere totis viribus conati sunt, ut patet ex Juliano libro eodem, cap. 25, ubi Augustinianam ratiocinationem irridens : « Verum quid nos, inquit, tam obstipæ veritatis solius rationem sequendam putamus, cùm inimicorum nostrorum phalanx ipsis innitatur rerum periculis, et insurgat in nos

ærumnarum inimica suffragiis ; vult quippe pudore coeuntis, dolore parientis, sudore laborantis transmissionem culparum et pœnarum in semina comprobare, ut his videlicet signis difficilium partuum, agricolarum sudantium, et divisorum novalium crimen naturale credatur, cujus merito per tot incommoda genus exerceatur humanum. » Igitur de hoc argumento Pelagianos inter ac Augustinum ex proposito controversia fuit, cum præsertim Augustinus omnia solverit quæ ad illud infringendum Julianus opposuit, ut palam fit ex lib. VI Operis laudati. Quod vero scribunt Ecclesiam hac in re non approbasse Augustini doctrinam, ipsorum eruditionem pandit, qui eamdem et Romani pontificis et synodorum decretis consecratam fuisse non animadvertunt. Sanctus Gelasius papa, in epistola 7 ad episcopos per Picenum, contra Senecam quemdam Pelagianum eodem Augustini argumento utitur ad probandum originale peccatum : « Ideo, inquit, de felicitatis suæ claritate seclusus, atque ad spinas et tribulos miseriasque multiplices cœlesti voce damnatus est, quæ utique pœna justi judicii tam gravis et aspera in bono perseveranti nullatenus esset inflicta, et NISI MALO NON CONVENIENTER ILLATA probaretur. » En Augustini voces fideli echo redditas ab apostolica sede. Sed hoc ipsum synodus Patrum Africanorum in Sardinia exsulum, in libro de Incarnatione et gratia, cap. 14, docet : « Si qui ergo, inquiunt, mortem solam, ut non etiam peccatum ex homine primo transiisse in genus humanum nituntur asserere, mirum si non intelligunt quibus sententiæ suæ laqueis obligentur. Primo quia Deum dicunt injustum in eo quod mori faciat parvulos, quos nulla volunt isti originalis peccati contagione pollutos. » Item : « Qua igitur justitia Deus justus infantibus sine peccato nascentibus ingerit pœnam, in quibus pœnæ non invenit causam? » etc. Præterea synodus II Arausicana canone 2 ait : « Si quis soli Adæ prævaricationem suam, et non ejus propagini asserit nocuisse, aut certe mortem tantum corporis, quæ pœna peccati est, non autem et peccatum, quod mors est animæ, per unum hominem in omne genus humanum transisse testatur, injustitiam Deo dabit. » Igitur qui maximam miseriarum, nempe mortem sine peccato homini accidere dicit, injustum facit Deum, quod est sancti Augustini argumentum. Hunc textum Arausicanum nonnulli videre, quare respondent mortem sub ratione pœnæ non potuisse infligi homini sine culpa citra Dei injustitiam, at potuisse Deum citra injustitiam condere genus humanum in statu naturæ puræ, sine immortalitatis dono, morti naturali subjectum. Sed hæc responsio nulla est : nam Pelagiani dicebant mortem esse naturalem homini ex ejusdem corporea compositione, nec illi tanquam pœnam infligi ; contra quos ex Augustino colligit Arausicana synodus, si mors corporis sine peccato transiit in posteros, Deum fieri a Pelagianis injustum. Quod enim mors esset malum sub ratione pœnæ, erat consequentia illata contra hæreticos, qua talis enim supponit necessario peccatum, a quo per denominationem extrinsecam dicitur pœnalis. At Patres ex ipsa gravitate mortis ac cæterarum illam præcedentium miseriarum malum esse illam gravissimum urgebant, ut inferrent non nisi in pœnam potuisse juste infligi ; alias supposuissent in antecedente, quod erat a Pelagianis absolute negatum.

Subscribunt eidem argumento alii Patres. Sanctus Prosper contra Collat., cap. 20 : « Nimis enim impium est hoc de Dei sentire justitia, quod a prævaricatione liberos cum reis voluerit esse damnatos. Patet ergo culpa ubi non latet pœna, et societas peccati convincitur de communione supplicii, ut quod est humanæ miseriæ, non de institutione Creatoris, sed de retributione sit judicis. » D. Anselmus, lib. de Conceptu Virginis et peccato orig., cap. 13 : « Ea ipsa ratione, inquit, qua non debuit Deus Adam facere nisi justum, nec aliquo debito sive incommodo gravatum, aperte mens rationalis agnoscit eum, quem similiter propria voluntate et virtute procreavit alicui malo subditum fieri non debere, quoniam nimis inconveniens est omnipotenti ac sapienti Dei bonitati talem facere rationalem creaturam sola propria voluntate de materia, in qua nullum est peccatum. » Item lib. II *Cur homo Deus*, cap. 2, ait : « Sapientiæ et justitiæ repugnat ut cogeret mortem pati sine culpa, quem justum fecerat ad æternam beatitudinem. » Præterea antiquissimus auctor Hypognosticon, lib. II, initio, eodem modo discurrit : « Hac nos pœnæ sententia colligatos ipsa sibi humana natura totum per orbem terrarum diffusa testimonium perhibet, dum se paternis cruciatibus sanctæ legis testimonio pervidet laborare. Quod qua justitia, si hæredes parentum peccati non sumus, patimur? » Lege ibi plura. Rursus lib. V, inter cætera ait : « Secundum errorem vestrum Deus, qui talem fecit naturam ut pœnalibus anima passionibus convexetur, crudelis est, aut certe injustus, ut innocentiam sanctam et nullius penitus erroris obnoxiam tantis permittat urgeri periculis, et in ipsis nonnunquam vita privari. » Et quidem Augustinus lib. IV contra Julianum cap. 12, referens sententias eorum qui nescientes originale peccatum ex miseriis hominum ortum, Dei æquitatem accusarunt, ait illos rem vidisse, causam nescivisse, cum alii in vita superiore peccasse animas dicerent, unde ad miserias subeundas in pœnam nasci iterum cogebantur, de quibus in fine ejusdem libri erudite discurrit. Ex quibus patet philosophos plerosque lumine naturali cognovisse hominem innocentem injuste tantis miseriis affligi. Quare argumentum illud Augustini ad stabiliendum peccatum originis non solum probatum fuit Ecclesiæ, verum etiam ipsis gentilibus, quoad reatum saltem peccati : adeo vel solo lumine naturali est manifestum atque apertissimum. Unde magnus ille Bellarminus, cum pro opposita sententia plura adduxisset lib. VI de Amissione gratiæ, cap. 15, in fine hæc doctissime juxta ac sincere scripsit : « Omnino enim verisimile est non fuisse Deum optimum,

et nostri generis amantissimum, conditurum hominem tam miserum quam nunc est, nisi peccati nostri magnitudo tale supplicium meruisset. » Quæ confirmat opinione ethnicorum ex Augustino citato. Itaque quod ex amore erga homines, et sua ipsius bonitate nunquam Deum facturum fuisse Bellarminus docuit, id Augustinus cum tot Patribus ex Dei justitia fieri non posse affirmavit. Quod si recentiores et Gelasii, et aliorum veteris Ecclesiæ auctorum testimonia aliqua interpretatione adhibita undecunque explicare conabuntur, idem precamur erga Augustinum faciant, cujus unius vocibus illi locuti sunt. At si cæteros etiam æstu disputationis abreptos veritatis metam excessisse pronuntiabunt, eorum voces surda aure præteribimus, Augustino tot testibus doctissimis ac sanctissimis astipulantibus. Neque instent, damnatam esse hanc Baii propositionem : « Non potuisse Deum condere ab initio hominem, qualis modo nascitur. » Nam reponitur cum Gregorio Ariminensi, 1, dist. 42, q. 1, art. 2, ad arg. cont. 2 concl. : « Deus non potest de justitia, quæ potest de potentia. » Ita nulla est impossibilitas Judam in cœlum trahi, sed id contra Dei justitiam est. Quare licet sit possibile potentiæ, non est possibile justitiæ, talem condi hominem qualis modo nascitur; in priori vero tantum sensu qui negat, cum damnata Baii propositione sentit. Et certe, uti superius dicebamus, Deus ab initio non potuit condere hominem cum peccato originali, cum quo modo nascitur. Alius ergo debet esse illius propositionis damnatæ sensus, qua de re plura § superiori dicta sunt, quæ iterum repetere non vacat.

Hoc igitur sancti Augustini argumento et Apostolica sedes, et tot Patres usi sunt, ac præsertim utraque synodus et Sardiniensis et Arausicana, ut jam satis pateat Morainii ignorantia aut temeritas, qui vel id ignoravit, vel una cum Augustino tot tantosque Patres excessus crimine involvit. Sed age, cum homine scholastico omnium scholasticorum principis testimonio pugnemus. Is est magnus Augustini discipulus, ac nobilissimæ scholæ maximus magister sanctus Thomas, qui scribit Augustinum SATIS PROBABILITER ex miseriis vitæ humanæ peccatum originale deduxisse. Igitur Angelicus præceptor, 4 contra Gentes, cap. 52, initio, docet miserias humanæ naturæ esse quædam probabilia signa peccati originalis, et subdit : « Posset tamen aliquis dicere hujusmodi defectus tam corporales quam spirituales non esse pœnales, sed naturales defectus ex necessitate materiæ consequentes. Necesse est enim corpus humanum, cum sit ex contrariis compositum, corruptibile esse, et sensibilem appetitum in ea, quæ sunt secundum sensum delectabilia, moveri, quæ interdum sunt contraria rationi, » etc. Quæ ipsissima est responsio quam recentiores argumento sancti Augustini applicant. Verum statim illam infringit Angelicus his verbis : « Sed tamen si quis recte consideret, SATIS PROBABILITER poterit æstimare, divina providentia supposita, quæ singulis perfectionibus congrua perfectibilia coaptavit, quod Deus superiorem naturam inferiori ad hoc conjunxit, ut ei dominaretur, et si quod hujus dominii impedimentum ex defectu naturæ contingeret, ejus speciali et supernaturali beneficio tolleretur, ut scilicet cum anima rationalis sit altioris naturæ quam corpus, tali conditione credatur corpori esse conjuncta, quod in corpore aliquid esse non possit contrarium animæ, per quam corpus vivit. » In quam rem cum nonnulla alia dixisset, concludit : « Sic igitur hujusmodi defectus quamvis naturales homini videantur, absolute considerando humanam naturam ex parte ejus quod est in ea inferius, tamen considerando divinam providentiam et dignitatem superioris partis humanæ naturæ, SATIS PROBABILITER probari potest hujusmodi defectus esse pœnales, et sic colligi potest humanum genus peccato aliquo esse infectum. » Hæc sanctus Thomas, quem cum tot sapientissimi ac subtilissimi doctores sequantur, jam videtis quos quantosve asseclas habet illa Augustini ex miseriis humanæ vitæ peccati originalis *satis probabiliter* posita illatio. Sed nec defuere scriptores e societate, qui Augustino ea in sententia manus darent; unus audiatur Joannes Bagocius; lib. v Demonst. dogm. Christ., disp. 8, cap. 5, sect. 2, in titulo quærit : *An foret injustus Deus, si cogeret hominem sine reatu culpæ mori.* Respondet : « Sanctus Augustinus et alii ejus discipuli, ipsique Patres canonum Arausicanæ synodi aiunt Deum non potuisse hominem nisi culpæ reum necessitati moriendi addicere, voluntque, si id Deus faceret, fore injustum, quia pœnam non merenti infligeret. » Et cap. 7, sect. 3, ait : « Fateor quoque Deum de potentia per bonitatem et sapientiam ordinata nullo peccato permisso, non potuisse velle hominem morti obnoxium, et cum pravitate concupiscentiæ carnalis creare. » Hæc ille non exiguæ inter recentiores famæ, qui postea insignibus Thomæ, Augustini nominibus assumptis contra Jansenium scripsit.

### § IV. *An sanctus Augustinus disputans de virtutibus infidelium excesserit.*

Idem Morainius, rigidiorem existimans sancti doctoris sententiam de virtutibus infidelium, hæc scribit disp. 19, num. 35 : « Dicit disputando contra Pelagianos, qui cum nimis extollerent vires naturales liberi arbitrii, affirmarentque sufficere sine gratia non modo ad virtutes naturales quascunque, sed etiam ad salutem, Augustinus ut illos ab eo errore abducat, in contrarium extremum æstu disputationis abripi interdum videtur. » Sed eumdem lapidem hic censor offendit : nam de virtutibus infidelium non æstu disputationis impulsus sanctus doctor disseruit, sed ab adversariis in eam arenam provocatus, libenter et animose descendit. Etenim Pelagiani, ut probarent posse hominem sine gratia bene operari, exempla infidelium producebant, quos asserebant sine Dei gratia pluribus virtutibus floruisse. Audiatur sanctus Pater lib. IV contra Julianum, cap. 3 : « Scioletis enim, negantes Dei dona esse virtutes, quibus

recte vivitur, et eas naturæ voluntatique humanæ, non gratiæ Dei tribuentes, hoc uti argumento, quod eas nonnunquam habeant infideles, » etc. At Augustinus ibidem per septingentos et amplius versus probat virtutes infidelium habuisse bonitatem tantum civilem, ac fuisse specie tenus apud homines laudabiles, illo præsertim ad Romanos XIV testimonio usus : *Omne, quod non est ex fide, peccatum est.* Unde cum de operibus infidelium tanto labore ac studio Augustinus cum Pelagianis disputaverit, ac ibidem omnem adversariis aditum subtilissimis argumentis præcluserit, non æstu disputationis id protulit, sed post longam rei difficillimæ meditationem, ac seriam quæstionis totius considerationem. Duo autem sanctus doctor asseruit : Primum nullas in infidelibus ex solius liberi arbitrii viribus virtutes reperiri; alterum, si quæ in eisdem virtutes fuerint, easdem nequaquam ipsorum voluntati, sed divinæ gratiæ ascribendas esse. Scio plerosque scholasticos, quod primum illud attinet, ab Augustini sententia recessisse. Illi autem juxta Aristotelis Ethicam de virtutibus disputarunt, cum tamen philosophos humanæ naturæ debilitas ex originali labe derivata latuerit, ac in summi boni cognitione longius a veritate exorbitaverint. At Augustinus ex sacris litteris, nec non excelsiori ac subtiliori theologia suam ipsius sententiam deduxit. In eo vero Augustinianæ sententiæ cardo versatur, quod virtutes a vitiis non officio, sed fine discernuntur. Audiatur Augustinus lib. IV laudato contra Julianum : « Noveris itaque, inquit, non officiis, sed finibus a vitiis discernendas esse virtutes. Officium est autem quod faciendum est : finis vero propter quod faciendum est. Cum itaque facit homo aliquid, ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur. » Hoc probat ibidem exemplo avarorum, qui virtutibus moralibus studere se fingunt, quæ tamen in vitia desinunt, quod avaritiæ ancillantur. Unde non est attendenda sola substantia operis in speciem boni ex objecto, sed finis quoque considerandus venit, propter quem idem opus elicitur. His autem fusius ibidem ab Augustino probatis, idem conatur evincere, in infidelibus non fuisse veras virtutes, quia easdem humanæ laudi ac gloriæ subjiciebant, qua ratione in vitia vertebantur, utpote quæ superbiæ inservirent. Hæc scribit lib. IV contra Julianum, cap. 3 : « An forte, inquit, et istis, qui exhibuerunt terrenæ patriæ Babylonicam dilectionem, et virtute civili non vera, sed verisimili dæmonibus, vel humanæ gloriæ servierunt, » etc. Et antea dixerat : « Bonum est enim ut subveniatur homini periclitanti, præsertim innocenti. Sed ille qui hoc facit, si amando gloriam hominum magis quam Dei facit, non bene bonum facit, quia non bonus facit quod non bona voluntate facit. » Hinc, cum Julianus ibidem objecisset : « Si gentilis nudum operuerit, nunquid quia non est ex fide, peccatum est? » respondet Augustinus : « Prorsus, in quantum non est ex fide, peccatum est, non quia per seipsum factum, quod est nudum operire, peccatum est, sed de tali opere non in Domino gloriari, solus impius negat esse peccatum. » In quam rem plura ibi subtiliter et acute congerit.

Hæc quidem certa sunt, nam a nullo viro catholico in dubium vocari potest actus morales humanæ gloriæ inservientes, licet alias ex objecto boni sint, ex prava tamen intentione vitiari, sicuti actus in speciem boni Epicureorum a virtutibus degenerabant, quia sectæ magister easdem virtutes, ut ibidem ait Augustinus, « inducit voluptatis ancillas. » Opponunt tamen contrariæ sententiæ auctores posse hominem infidelem elicere actus virtutis ob solam ipsiusmet operis honestatem, nullam inde ab aliis laudem captare desiderans; siquidem cum bonum honestum sit intra objectum voluntatis, illud propter se præcise a voluntate appeti potest. Verum Augustinus miro ingenii acumine hanc responsionem infregit lib. IV contra Julianum, cap. 3, hæc scribens : « Nihil est in creaturis, quod attinet ad institutarum divinitus merita naturarum, rationali mente præstantius. Unde fit consequens ut mens bona magis sibi placeat, magisque seipsa delectet, quam quælibet alia creatura. Quam vero periculose, imo perniciose sibi placeat, cum per hoc tumescit typho, et morbo inflationis extollitur, quandiu non videt, sicut videbit in fine, summum illud et immutabile bonum, in cujus comparatione se spernat, sibique illius charitate vilescat, » etc. Conformia his tradit lib. XIX de Civit. Dei, cap. 25 : « Proinde, inquit, virtutes quas (humana mens) sibi habere videtur, per quas imperat corpori, et vitiis ad quodlibet adipiscendum, vel tenendum, nisi ad Deum retulerit, etiam ipsæ vitia sunt potius quam virtutes. Nam licet a quibusdam tunc veræ et honestæ putentur esse virtutes, cum AD SEIPSAS REFERUNTUR, nec propter aliud expetuntur, etiam tunc inflatæ, ac superbæ sunt; et ideo non virtutes, sed vitia judicanda sunt. » Itaque cum virtus etiam ob sui tantum honestatem appetitur, facit ut illam prosequens atque assequens sibi complaceat in suo opere, ac philautiæ vitio laboret. Quare, sicuti honeste operans ut aliis placeat ac laudetur ab aliis peccat peccato inanis gloriæ, ita pariter qui honeste operatur complacens sibi, ac in seipso gloriatus, reus est philautiæ. Hinc dixit Apostolus, *Scientia inflat* (*I Cor.* VIII). Eo enim ipso, quod homo cognoscit se virtute præditum, semet delectatur, cæteris se præponit, ac in seipso, non in Domino gloriatur. Est autem primus ad superbiam gradus se pluris quam alios facere, ac virtutem sibi, non Deo acceptam ferre. Illud autem Augustini pronuntiatum, nempe virtutem, cum ob sui honestatem appetitur, esse superbam, ac philautia vitiari, probatur fuse ab eodem sancto doctore serm. 13 de Verb. Apost., exemplo Stoicorum, qui sectabantur virtutem propter seipsam, eorumdem tamen virtutes superbiæ ancillabantur. Ibi autem introducit Paulum Athenis cum Stoicis et Epicureis colloquentem (dicitur enim Act. XVII : *Quidam autem Epicurei, et Stoici philosophi disserebant cum eo*), et inter alia scri-

bit : « Dicebat Epicureus : Beatus cujus est in fructu voluptas carnis ejus. Dicebat Stoicus : Imo beatus cujus est in fructu virtus animi ejus; dicebat Apostolus : *Beatus cujus est nomen Domini spes ejus.* Errat Epicureus ; falsum est enim esse hominem beatum, cujus est in fructu voluptas carnis ejus. Fallitur et Stoicus ; falsum enim est, et omnino mendosissimum, beatum esse hominem, cujus est in fructu virtus animi ejus. » Profecto an virtus propter sui tantum honestatem intenta inflet habentem, ac philautiam causet, tam claro exemplo manifeste patet. Unde quidquid sit de re speculative considerata, in praxi Augustini sententia vera est. Porro tanta erat Stoicorum superbia, ut ad virtutem capessendam divino nos auxilio indigere stultissime pernegarent. Eorum verba recitavimus lib. I Hist. Pelag., cap. 1, ubi etiam probavimus superbiam Pelagianorum, qua divinæ gratiæ necessitatem inficiabantur, ex Stoicorum dogmate derivasse. Egregie sanctus doctor contra Pelagianos sermone eodem 13 dixit : « Tu te vis agere, a te ipso vis agi ad actiones carnis mortificandas? Quid tibi prodest, quia non eris Epicureus, et eris Stoicus? » Idem magnus magister lib. V de Civit. Dei, cap. 20, cum dixisset quosdam philosophos, ad Epicuri turpitudinem demonstrandam, affabre in tabula pinxisse voluptatem in regali sella tanquam reginam considentem, virtutes vero eidem pro obsequio astantes, ejusque nutum observantes, ut quod illa imperaret, promptissime exsequerentur, hæc addit : « Nihil hac pictura dicunt esse ignominiosius et deformius. » Postea autem his Stoicos vellicat : « Sed non existimo satis debiti decoris esse picturam, si etiam talis fingatur, ubi virtutes humanæ gloriæ serviant. Licet enim ista gloria delicata mulier non sit, inflata tamen est, et multum inanitatis habet. » Inde recentiorum responsionem præoccupans addit : « Nec illi se ab ista defenderint fœditate, qui cum aliena spernant judicia, velut gloriæ contemptores, sibi sapientes videntur, et SIBI PLACENT. Nam eorum virtus, si tamen ulla est, alio modo quodam HUMANÆ SUBDITUR LAUDI; neque enim ipse, qui sibi placet, homo non est. » Hæc ipsa confirmantur exemplo angelorum reproborum, ac primorum parentum, quorum lapsus ex philautia ortum duxit. Scribit sanctus Prosper ad Demetriadem : « Hæc superbia a diabolo sumpsit exordium, qui quoniam sua, quam a Creatore acceperat, potentia et dignitate SIBI PLACUIT, etc., a cœlesti sublimitate dejectus est. » Et de homine dixit Augustinus lib. X de Civit., cap. 13 : « Diabolus hominem non cepisset, nisi jam ille SIBI IPSE PLACERE cœpisset. » Hinc idem acute scribit lib. XIV ejusdem operis, cap. 28 : « Fecerunt itaque civitates duas amores duo, terrenam scilicet amor sui usque ad contemptum Dei ; cœlestem vero amor Dei usque ad contemptum sui. Denique illa in seipsa, hæc in Domino gloriatur, » etc. Quare ab amore sui initium superbia sumit, quæ virtutum omnium venenum est, solius divinæ gratiæ antidoto expellendum. Hæc autem valide probant virtutem etiam propter se ipsam intentam inflare, cujus ratio est quia quilibet amore naturali diligit se, et quo plura in se bona conspicit, plus sibi complacet ; unde præ aliis se æstimat, et philautia intumescit, ac veluti Narcissus suamet pulchritudine rapitur. Unum autem contrariæ sententiæ auctores opponere possent, optime hucusque dicta concludere, si eliciens actus honestos, inde apud semetipsum inani complacentia turgescat ; at fieri posse ut quis honeste operetur, v. g., det eleemosynam pauperi, ac statim ejusdem mens alio avocetur, in quo casu neque apud semetipsum de bono opere per actum reflexum gloriabitur. Fateor quidem, si statim mens alio a novo objecto trahatur, fieri posse ut nulla apud seipsum gloria vel jactantia titilletur ; at id per accidens contingit. Nam agens morale debet considerare an recte operatus sit, an optime se habeat erga suum finem ex illa actione ; quæ quidem considerans amat suum opus ac in seipso gloriatur. Censeo tamen hæc opera bona non fuisse facta ab infidelibus suis ipsorum viribus derelictis, sed præmunitis specialibus divinæ gratiæ auxiliis, quibus forte aliquando factum est ut recte operantes novo proposito objecto de bono opere minime gloriarentur. Etenim cum adeo facilis, imo cum irreparabilis sit casus ab actu virtutis in philautiam, divinæ gratiæ fuit, quoties infideles nulla ex opere bono superbia intumuere. Video hanc doctrinam diserte tradi a Ripalda, celebri inter recentiores theologo, qui disp. 20, sect. 6, num. 25, ait : « Recte dicitur voluntatem in hoc ordine Providentiæ destitutam auxilio gratiæ, suisque viribus relictam, solum posse superbiam et peccatum. » Quæ pluribus ibidem prosequitur, laudans præsertim hanc sancti doctoris sententiam : « Liberum arbitrium desertum a divino adjutorio, quamlibet scientia legis excellat, nullo modo habet justitiæ soliditatem, sed inflationem impiæ superbiæ. » Igitur ubi ex opere bono nulla superbia in animo erumpit, divinæ gratiæ auxilium præsto est.

Quod autem infideles ex speciali gratiæ auxilio quandoque bene operati fuerint, probatur ex libro I ad Bonifacium, cap. 20, ubi Augustinus lenitatem in Assueri regis animo repente natam gratiæ ascribit : « Cor regis, inquit de Deo, antequam mulieris sermonem poscentis audisset, occultissima et efficacissima potestate convertit, et transtulit ab indignatione ad lenitatem; hoc est de voluntate lædendi ad voluntatem favendi. » Idem repetit lib. de Gratia Christi, cap. 24. Præterea epist. 130 continentiam Polemonis philosophi divinæ gratiæ deputandam scribit : « Tamen, ait, ne idipsum quidem, quod melius in eo factum est, humano operi tribuerim, sed divino. » Hoc tamen ex Augustino observandum est, actus bonos infidelium ex divina gratia derivatos ex subsecuta prava operum circumstantia ut plurimum vitiari ac amittere bonitatem quam in sua ipsorum productione ex Dei munere habebant. Hoc deduco ex Augustino lib. IV contra Julianum, cap. 3, hæc scribente : « Ex quo colligitur, etiam ipsa bona opera quæ faciunt infide-

les non ipsorum esse, sed illius qui bene utitur malis; ipsorum autem esse peccata, quibus et BONA MALE faciunt, quia ea non fideli, sed infideli, hoc est, stulta et noxia faciunt voluntate. Qualis voluntas nullo christiano dubitante arbor est mala, quæ facere non potest nisi fructus malos, id est sola peccata : *Omne enim*, velis nolis, *quod non est ex fide peccatum est.* » Vult enim Augustinus, voluntatem sola fide dirigi ad faciendum opus cum debita circumstantia relationis in Deum ultimum finem. Hinc superius ibidem dixerat : « Cum non ad suum referuntur auctorem dona Dei, hoc ipso mali his utentes efficiuntur injusti, si quas virtutes habent, veras non habent, ac per hoc nec continentia, sive pudicitia vera virtus est impiorum. » In hoc vero capite defendit sanctus doctor ab objectis Juliani id, quod scripserat lib. I de Nuptiis et concup., cap. 3, ubi cum dixisset continentiam esse donum Dei, ait : « Quid ergo dicimus, quando et in quibusdam impiis invenitur pudicitia conjugalis? Utrum eo peccare dicendi sunt quod dono Dei male utantur, non id referentes ad cultum ejus, a quo acceperunt? An forte nec dona Dei putanda sunt ista, quando hæc infideles agunt, secundum Apostoli sententiam dicentis : *Omne quod non est ex fide peccatum est?* » Hoc secundum ibidem eligit dicens : « Quis audeat dicere donum Dei esse peccatum? » Et cum præmisisset bona naturalia animæ et corporis, cum quibus infideles nascuntur, esse dona Dei, hæc addit : « De iis autem quæ faciunt, dictum est : *Omne quod non est ex fide peccatum est.* Cum igitur faciunt hæc homines sine fide, quæ videntur ad conjugalem pudicitiam pertinere, sive hominibus placere quærentes, vel SIBI vel aliis, sive in his rebus quas vitiose concupiscunt, humanas molestias devitantes, sive dæmonibus servientes, non peccata coercent, sed aliis peccatis alia peccata vincunt. Absit ergo pudicum veraciter dici qui non propter Deum verum fidem connubii præstat uxori. » In laudato vero cap. 3 contra Julianum fusissime hanc suam sententiam vindicat ab argumentis quæ plura contra eamdem hæreticus urget; ubi sui constans negat veram pudicitiam fuisse in Gentilibus.

Scio nonnullos asserere Augustinum dixisse illa opera esse peccata, quæ in Deum ultimum finem non referuntur positive, non autem negative; exempli gratia, qui continens est, ut sibi vel aliis placeat, gloriam apud se vel alios quærens, peccat, quia inanem gloriam positive sibi finem illius pudicitiæ destinat, et tunc positive illud opus deviat a Deo tanquam ultimo fine. At si continentiæ propositum eliciat, motus honestate tantum operis, nec in eodem apud se vel apud alios gloriatus, tunc ille actus negative Deum non respicit tanquam ultimum finem, ex nulla tamen parte vitiosus apparet. Hæc doctrina admitti potest, præsertim, quia sanctus doctor inde virtutes gentilium vitiari docuit, quod iidem de illis vel apud se vel apud alios gloriam quærerent. Hæc enim intelligenda sunt de actibus virtutum per accidens non vitiatis, uti in prima statim eorumdem productione contingere diximus. Nam si quis eumdem actum virtutis frequenter, eique impensius studeat, v. g., pudicitiæ conjugali, sine speciali Dei auxilio non potest a philautia vel inani apud alios gloria temperare. Unde recte ob hanc rationem dixit sanctus doctor infideles non posse habere veras virtutes, illa præcipue Apostoli sententia motus : *Omne quod non est ex fide peccatum est.* Moraines scribit hæc verba Pauli *perperam* ab Augustino intellecta fuisse; at sancti Patris interpretationem apostolicæ sedi et catholicæ Ecclesiæ probatam fuisse ostendam inferius cap. 4, § 5. Hinc idem Augustinus, lib. de Prædestinatione sanctorum, cap. 7, tradit bona opera Cornelii Act. X a fide in Deum processisse : « Cujus, inquit, acceptæ sunt eleemosynæ, et exauditæ orationes, antequam credidisset in Christum, nec tamen sine aliqua fide donabat et orabat. Nam quomodo invocabat in quem non crediderat? » Ex quibus patet ad referenda opera bona in Deum non requiri fidem in Christum, sed satis esse fidem in Deum, imo solam fidem etiam acquisitam sufficere colligitur ex lib. de Patientia, cap. 26 et 27, ubi schismaticorum patientiam et bonam esse et laudandam scribit, cujus verba paulo post referemus. Video tamen sanctum doctorem unum actum bonum sine gratia in infidelibus et cæteris hominibus concedere, nempe illum quo homo appetit summum bonum. In Enchiridio, cap. 25, ait : « Quæ tamen natura in malis suis non potuit amittere beatitudinis appetitum. » Idem habet cap. 125, et lib. IV contra Julianum, cap. 3 : « Neque enim, inquit, omnes homines naturali instinctu immortales et beati esse vellemus, nisi esse possemus. » At ob ignorantiam ex peccato originali contractam nescit homo suis viribus relictus in quonam beatitudo et felicitas vera sita sit, unde tot de summo bono philosophorum sententiæ emerserunt. Sola autem fide revelatum est Deum clare visum esse summum hominis bonum, cujus unius possessione fit beatus.

Hæc Augustini sententia fuit de operibus infidelium, quam et Patres ac nobilissimi doctores secuti sunt. Sanctus Leo Magnus, serm. II de jejunio Pentecostes, ait : « Apud ipsos paganos sunt quædam vana jejunia. Aliud enim agit sub veritate ratio, aliud sub falsitate deceptio. Apud nos fides sanctificat etiam manducantem, apud illos infidelitas polluit jejunantem. Unde quia extra catholicam Ecclesiam nihil est integrum, nihil castum, dicente Apostolo : *Omne quod non est ex fide peccatum est* (*Rom.* XIV). » Idem asserit Bonifacius II, in epistola ad sanctum Cæsarium Arelatensem, et sanctus Fulgentius cum synodo Byzacenorum Patrum in Sardinia exsulum, quorum verba recitabimus inferius, cap. 4, § 5. Sanctus Prosper in epistola ad Rufinum ait : « *Omne quod non est ex fide peccatum est :* ut scilicet intelligat justitiam infidelium non esse justitiam, quia sordet natura sine gratia. » Et in carmine contra Ingratos, cap. 16, canit :

*Omne etenim probitatis opus, nisi semine veræ*
*Exoritur fidei, peccatum est, inque reatum*
*Vertitur, et sterilis cumulat sibi gloria pœnam.*

Julianus Pomerius, sancti Cæsarii Arelatensis ma-

gister, cujus libros laudat sanctus Isidorus, uti diximus lib. II Hist. Pelag., cap. 14, lib. III de Vita contemplativa, cap. 1, Augustini sententiam plenam exscribit : « Hæc, inquit, etsi possunt humano ingenio discerni, tamen sine dono Dei, quantum mihi videtur, nec virtutes possunt appeti vel haberi, nec earum similitudines, quæ sunt vitia virtutes imitantia, declinari in tantum, ut infidelibus nihil profuisse credamus, etiamsi sint aliquas per corpus operati virtutes ; quod eas nec a Deo suo se accepisse crediderint, nec ad eum qui est finis omnium bonorum referre voluerint. Et quid dico, nihil eis profuerunt? imo etiam nocuerunt, dicente Apostolo : *Omne quod non est ex fide peccatum est.* Legatur totum caput, ubi fusius eamdem doctrinam explanat. Cassiodorus, et vulgo etiam cæteri hosce libros ascribunt sancto Prospero, qua de re in Historia Pelagiana pluribus disseruimus. In eadem sententia fuit Beda in præfat. ad Cant., ubi Pelagii sententiam de philosophorum virtutibus impugnat, inquiens : « Quod ergo dicit, multos philosophorum patientiam, castitatem, modestiam aliasque de naturæ bono habere virtutes, constat, quia quicunque philosophorum Christum Dei virtutem et Dei sapientiam nescierunt, nec ullam veram sapientiam habere potuerunt. In quantum vero vel gustum aliquem sapientiæ cujuslibet, vel virtutis imaginem habebant, totum hoc desuper acceperunt, non solum munere primæ creationis, verum etiam quotidiana ejus gratia. » Cum Augustino etiam concinit sanctus Rhemigius cum sua Ecclesia Lugdunensi, lib. de tenenda veritate sacræ Scripturæ, cap. 11, scribens : « Sed hujusmodi humana bona, quæ humana affectione potest velle, potest nonnunquam agere humana natura. Cum propter temporalia bona appetuntur, sine dubio cupiditates sunt ; cum propter SOLAM VITÆ HONESTATEM, sine dubio INFLATA ET ELATA sunt. Tamen potest ea discernere, potest etiam velle, potest etiam habere, in quantum naturali bono adjuvatur, et Dei dispositione permittitur humana natura. » Ibi plura erudite asseruntur.

Omitto consulto testimonia Cypriani, lib. I de Patientia, § *Hanc se sectari philosophi*, Tertulliani, lib. de Cultu feminarum, initio § *A feminis nationum*, Gregorii Magni, lib. II Moralium, cap. 15, § *Si non prius*. Etenim horum dicta ab adversariis explicari possunt de bono opere meritorio, quod nunquam reperitur in iis qui fide carent. Imo omnes fere scholastici, qui non similiter Augustino de operibus infidelium loquuntur, ne videantur sancto doctori adversari, dicunt eumdem negasse opera infidelium esse bona, hoc est, meritoria, ut Pelagiani contendebant. Sed hi plane Augustini libros perfunctorie legerunt : nunquam enim Julianus aliive Pelagiani admisere opera meritoria, seu donantia jus ad gloriam sine gratia justificante. Juliani verba reddo ex lib. IV, cap. 3 sancti Augustini contra eumdem : « Cunctarum, inquit, origo virtutum in rationabili animo sita est, et affectus omnes, per quos aut FRUCTUOSE, aut STERILITER boni sumus, in subjecto sunt mentis nostræ, prudentia, justitia, temperantia, fortitudo. Horum igitur affectuum vis, cum insit omnibus naturaliter, non tamen ad unum finem in omnibus properat, sed pro judicio voluntatis, cujus nutui serviunt, aut ad æterna aut ad temporalia diriguntur. Quod cum fit, non in eo quod sunt, non in eo quod agunt (substantiam operis vocant scholastici), sed in eo solum variant quod merentur. » Et postea : « Ego STERILITER bonos dixi homines, qui non propter Deum faciendo bona quæ faciunt, non ab eo vitam consequuntur æternam. » Ita Julianus virtutes viribus naturæ ab infidelibus acquisitas veras virtutes secundum substantiam appellabat, negabat tamen esse meritorias gloriæ æternæ. At e contra Augustinus iutulit opera sterilia non posse dici bona, sed tantum mala, tum ex defectu relationis in Deum, tum ex inde derivata philautia, ut superius exposuimus. « Tibi, inquit sanctus doctor, virtutes sine fide sic placent, ut eas veras prædices, eisque bonos esse homines ; et rursus, quasi te pœnituerit laudis earum, steriles pronuntiare non dubites. » Rursus : « Aut certe, quoniam saltem concedis opera infidelium, quæ tibi eorum videntur bona, non tamen eos ad salutem sempiternam regnumque perducere, » etc. Hoc autem Pelagiani asserebant, quia credebant eum catholicis per solam gratiam sanctificantem homines fieri filios Dei adoptivos cum jure ad gloriam, quod jus viribus naturæ haberi posse negabant. Legantur eorum testimonia apud Augustinum libro de Peccato orig., cap. 5, lib. VI contra Jul., cap. 17, et clarissime lib. III Operis imperf., cap. 108 et 117, et lib. V, cap. 9. Ex quibus satis evidenter ostenditur Pelagianos non admisisse in infidelibus opera meritoria regni cœlestis et gloriæ, sed tantum de eorumdem bonitate secundum substantiam cum Augustino contendisse. Porro de hac quæstione ad mentem sancti Patris egregie disputarunt duo insignes Augustiniani theologi, Gregorius Ariminensis, in 2, distinct. 26, quæst. 1, et Gaspar Casalius Lusitanus episcopus Leirensis, lib. I de Quadripartita Justitia, per plura capita. Basilius Pontius Legionensis, in priori parte Relectionum de gratia, ad mentem sancti Patris Augustini, cap. 75, in resp. ad 2, scribit se in altera parte de operibus infidelium disputaturum, quem tamen librum nusquam potui reperire. Ex exteris Augustini sententiam doctissime defendit P. Macedo in Cortina D. Augustini quæst. 2, de necessitate gratiæ. Qui doctores solvunt etiam argumenta quæ contra sancti Patris sententiam vulgo adducuntur ; unde, ne actum agamus, hic eadem non repetimus. Legatur Ariminensis, qui optime omnibus objectis occurrit ; neque enim recentiores nova argumenta produxere, quibus Augustinianum assertum impugnarent. Scio illos opponere damnatam hanc Baii propositionem : *Omnia opera infidelium sunt peccata*, etc. Sed hac censura sancti Patris sententia neutiquam percellitur. Etenim hic palam

concedit in infidelibus aliqua opera bona in prima saltem sui productione, ex gratia tamen donata. Præterea etiam sine gratia homo appetitu innato ex Augustini sententia amat summum bonum, nullus enim est qui non velit esse beatus. Et de his hactenus.

At quoniam ob hanc ipsam sententiam de operibus infidelium Augustinus male audit a Maldonato, libeat paucis hominis dicta refellere. Is igitur in comment. cap. VI Matth. vers. 18, ita scribit : « Nec enim sequenda illa opinio est, quam Tridentinum concilium nuper merito damnavit, omnia peccatorum aut etiam infidelium opera esse peccata, quamvis maximum auctorem D. Augustinum lib. IV contra Julianum cap. 3, et contra duas epistolas Pelag., cap. 5, et Prosperum sent. 106, habuisse videatur. » Nusquam docuit sanctus Pater omnia opera peccatorum esse vitiosa, qui recentium hæreticorum error est damnatus in Tridentino sess. 6, can. 7. Imo Augustinus oppositum sæpe docet; nam cap. 7 de Prædestinatione sanctorum tradit omnia bona opera Cornelii, antequam crederet, Deo accepta referenda esse, ut proxime ostendimus. Item lib. de Patientia, cap. 23, docet schismaticum qui timore pœnarum æternarum cruciatus sustinet, ne Christum neget, bene, citra meritum tamen vitæ æternæ, agere : « Nullo modo ista culpanda sunt, inquiens, imo vero et hæc laudanda patientia est. » Et cap. 27 ait : « Neque enim hoc non est bonum, ut credat homo æterno supplicio se esse puniendum, si negaverit Christum, ut pro ista fide qualecunque supplicium perferat, et contemnat humanum. Proinde sicut negandum non est hoc etiam esse donum Dei, ita intelligendum est alia esse Dei dona filiorum illius Hierusalem, quæ sursum libera est mater nostra. Hæc sunt enim quodammodo hæreditaria, in quibus sumus hæredes Dei, cohæredes autem Christi. Alia vero, quæ possunt accipere etiam filii concubinarum, quibus Judæi carnales, et schismatici vel hæretici comparantur. At Cornelius ante baptismum, item Judæi et hæretici inter peccatores censentur, quorum tamen opera quædam laudanda, utpote Dei dona, Augustinus concedit. Illud vero tolerari nullo modo potest, quod audet Maldonatus asserere, Tridentinam synodum damnasse sententiam Augustini de operibus infidelium. Ubinam, quæso te, synodus de operibus infidelium loquitur? Canone illo septimo damnat dicentem : « Opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacunque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri. » Quo anathemate configit errorem novatorum dicentium omnia opera facta ab homine extra charitatem et in peccato constituto esse peccata, quod illa a conscientiæ reatu vitiantur; quæ sententia et falsa et olim damnata fuit, uti vidimus, ab Augustino. Tantum vero abest ut Patres Tridentini eam sancti doctoris sententiam damnarint, quin potius non defuerit ex eorum cœtu et scientia et dignitate percelebris, qui postea Augustini sententiam in sensu etiam severiori acceptam defenderit. Hic autem est doctissimus Gaspar Casalius, Augustiniani instituti vir, et episcopus Leirensis Lusitanus, qui anno 1562 ingens volumen de Quadripartita Justitia inscriptum Tridenti composuit, ac legatis sanctæ sedis nuncupavit, in cujus libro I, a cap. 22, diffusissime sancti Augustini sententiam propugnat, Patrum, et theologorum tum auctoritate tum rationibus eamdem confirmans. At sessio illa de justificatione celebrata fuerat anno 1547. Itane tantum audaciæ viro illi fuisse dicemus, ut damnatam a synodo sententiam iterum tanta contentione defenderet? Libeat Casalium audire : « Porro, inquit, de illo alio, quod semper Augustinus videtur docere, extra fidem, extra cognitionem veri Dei non reperiri aliquam veram virtutem, quæ non sit vitium, quid dicendum? Quid dicendum, inquam, secundum sententiam ejus et aliorum sanctorum doctorum? Quoad ipsum dicimus : Ipse quidem ita docuit, et quia verax erat, atque ex corde loquebatur, ita credidit. Nunc alii secus dicunt, sed seipsos sapientiores esse Augustino non ostendunt. » Sed non adeo rigorose de operibus infidelium sanctus doctor locutus est, nam aliquos quandoque virtutum actus eosdem elicere palam concessit, ut ex dictis satis apparet.

§ V. *An sanctus Augustinus asserens parvulos puniri mitissima pœna sensus in inferis, per excessum locutus sit.*

Nusquam novi Augustini censores potiori titulo excessus eidem objicere videntur, quam ubi de pœnis puerorum sine baptismo decedentium cum Pelagianis disputavit. Etenim antiqui etiam scholastici hoc ipsum de sancto doctore publicarunt. Hoc Scotus, hoc Richardus, hoc Major, Capreolus, aliique unanimi consensu tradidere. De hoc Augustini placito scripsit sanctus Bonaventura : « Plus dixit, minus volens intelligi. » Quam sententiam Annatus grandioribus characteribus exscripsit, sæpiusque ad Augustini auctoritatem elevandam obtrudit. Nec defuere qui rem politulo, ut ipsis quidem videtur, exemplo explicarunt, teste Hauzerio, tom. II Anatomiæ Augustinianæ, col. 765 : « Hinc, inquit, sicut equites armati, dum invehuntur in hostes, solent eodem impetu obvios etiam pueros inermes conculcare; ita et B. Augustinus persequendo Pelagianos videtur quibusdam quasi præ fervore pugnandi minus etiam parvulis illis pepercisse. » Quinimo nec a scommate abstinuere; affirmat enim Soto illos qui positam sancti Augustini sententiam defendunt, nuncupari ignominiæ causa *tortores puerorum*, et noster Puteanus in 1-2, quæst. 83, art. 4, dub. 4, testatur Gregorium Ariminensem, quod similia Augustino tradidit, appellari *tortorem puerorum*. Itaque Adamus, cap. 6, pag. 636, scribit Augustinum in taxanda infantium pœna « zeli excessu extra quæstionem quam cum Pelagianis habebat tractum fuisse, ac præter intentionem locutum. » Additque, Patres « qui de hac quæstione scripsere omnes contrariam sententiam tradidisse. » Idem habet Moraines, disp. 40, num. 60. Quod vero Gregorius Magnus ac Fulgentius Ruspen-

sis in ea doctrina cum sancto Augustino concinuere, scribit : « Non ex sensu Ecclesiæ, tanquam illius testes, sed ex suo id asseruisse. » Ego quidem rem Augustinianæ scholæ gratam me facturum arbitror, si hac in re sanctum Patrem omni excessuum suspicione liberavero, simulque ostendero eumdem catholicæ Ecclesiæ probatum dogma, communem antiquorum Patrum, ac seipso dignam sententiam docuisse; e contra vero scholasticorum plerosque in opiniones quasdam de infantium pœnis descendisse, quæ pontificum Romanorum, synodorum ac Patrum statutis plane adversantur. Rem paucis sic conficio.

*Sancti Patris Augustini sententia de pœnis sensibilibus parvulorum sine baptismo decedentium adversus Pelagianos tradita proponitur. Primum pro eadem ex sacra Scriptura argumentum. Adversariorum responsiones explosæ.*

Pelagiani, licet assererent pueros sine originali peccato nasci, eosdem tamen, si sacris undis inexpiati decederent, in regnum cœlorum ire negabant, illam Domini sententiam reveriti : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum* (*Joan.* III, 3). Scribit hæc Augustinus serm. 14 de Verb. Apost. : « Ideo, inquit, parvulo non baptizato polliceri regnum Dei non possum, contra Domini sententiam apertam. » Cum vero ab omni crimine immunes pueros pronuntiarent, in locum pœnarum eosdem trudi inficiabantur, dicentes secundam quamdam felicitatem illis statutam in medio quodam loco inter gloriam regni cœlestis et inferorum supplicia. Ubi tamen hic medius locus esset, ipse Pelagius se nescire ingenue fassus est celebri illo dicto apud Augustinum lib. de Peccato orig., cap. 21 : « Sine baptismo parvuli morientes, quo non eant, scio : quo eant, nescio. » Nec discipuli quid certius tradidere, hoc unum asserentes, ire pueros in locum, ut mox notabam, secundæ felicitatis. At Augustinus hanc a Pelagianis promissam pueris felicitatem non modo irrisit, verum etiam solidis argumentis probavit infantes sine baptismo defunctos mitti in gehennam ignis. Hinc hæretici Augustini sententiam uti crudelem rejiciebant, ut patet ex his Juliani verbis lib. III Operis imperf., cap. 199 : « Sed reclamas. Audiamus ergo quid parias, Aristoteles Pœnorum. Tantum, inquis, malum ei inest, ut possideatur a diabolo, atque æternum mereatur incendium. » Hæc ille, cui Augustinus : « Si autem non eruitur de potestate tenebrarum, et illic remanet parvulus, quid miraris in igne æterno cum diabolo futurum, qui in Dei regnum intrare non sinitur? An quia Pelagiani nescio quem parvulis non baptizatis præter Dei regnum, quietis et vitæ æternæ locum præparant; ideo Christi erit falsa sententia : *Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit. Qui autem non crediderit condemnabitur?* »

Primum argumentum pro pœnis parvulorum sanctus Pater deduxit ex cap. XXV Matth., quod serm. 14 de Verb. Apostoli ita proposuit : « Venturus est Dominus, et judicaturus de vivis et mortuis, sicut Evangelium loquitur; duas partes facturus est, dexteram et sinistram; sinistris dicturus : *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et Angelis ejus;* dextris dicturus : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.* Hanc regnum nominat, hanc cum diabolo damnationem. NULLUS RELICTUS EST MEDIUS LOCUS, ubi ponere queas infantes. De vivis et mortuis judicabitur; alii erunt ad dexteram, alii ad sinistram. Non novi aliud. QUI INDICIS MEDIUM, RECEDE DE MEDIO. Non te offendat, qui dexteram quærit, et te ipsum admonet. Recede de medio; sed noli in sinistram. Si ergo dextera erit et sinistra, et nullum medium locum in Evangelio novimus, ecce in dextera regnum cœlorum est : *Percipite*, inquit, *regnum.* Qui ibi non est, in sinistra est. Quid erit in sinistra? *Ite in ignem æternum.* In dextera utique ad regnum æternum, in sinistra ignem æternum. Qui non in dextera, procul dubio in sinistra. ERGO QUI NON IN REGNO, PROCUL DUBIO IN IGNEM ÆTERNUM. » Ubi despiciens homines secus opinantes veluti de fæce vulgi ait : *Hic quæris medium homo de medio.* Hæc Augustinus publice pro concione recitavit Carthagine in basilica majori coram Aurelio Primate totius Africæ, quo jubente eam orationem habuit, ut fusius narravimus lib. I Hist. Pelag., cap. 5. Hinc versus finem ait : « Lego tantum : Sanctus Cyprianus est, quem in manus sumpsi, antiquus episcopus sedis hujus. » Illa igitur sententia de sensibili puerorum pœna publice orthodoxis tenenda tum temporis proponebatur, quam tanta certitudine sanctus Pater asseverabat, ut *procul dubio in ignem æternum* ituros infantes pronuntiaret Unde non primus illa docuisse credendus est, sed totius Ecclesiæ illius ætatis fidem secutus. Idem Augustinus alio utitur testimonio, quod cum affine recitato sit, hic indicabo. Lib. I de Peccatorum Meritis et remissione, cap. 28, ait : « Nec est ullus ulli medius locus, ut possit esse nisi cum diabolo, qui non est cum Christo. Hinc et ipse Dominus volens auferre de cordibus MALE CREDENTIUM ISTAM NESCIO QUAM MEDIETATEM, quam conantur quidam parvulis non baptizatis tribuere, ut quasi merito innocentiæ sint in vita æterna, sed quia non sunt baptizati, non sint cum Christo in regno ejus, definitivam protulit ad hæc ora obstruenda sententiam, ubi ait : *Qui mecum non est adversum me est*, etc. (*Matth.* XII). Hoc idem argumentum versat antiquissimus auctor Hypognosticon lib. V, cap. 5, ubi ait : « Ecce non baptizatus, vitali etiam cibo poculoque privatus, dividitur a regno cœlorum, ubi fons viventium permanet Christus. Da mihi præter hunc alterum locum, ubi vitæ possit requies esse perennis. Primum enim locum fides catholicorum divina auctoritate regnum credidit esse cœlorum, unde, ut dixi, non baptizatus excipitur. Secundum gehennam, ubi omnis apostata vel a Christi fide alienus æterna supplicia experietur. Tertium penitus ignoramus, imo nec esse in Scripturis sanctis invenimus. Finge, Pelagiane, locum ex officina perversi dogmatis tui, ubi alieni a Christi gratia vi-

tam requiei et gloriæ possidere parvuli possint. Dextera est justi judicis sedentis regnum, et sinistra gehenna; vita et mors, justi et iniqui. In dextera igitur justi sunt constituti, in sinistra operarii iniquitatis; in regno requies baptizatorum, in gehenna pœna incredulorum; vita ad lætitiam gloriæ; mors ad fletum et stridorem dentium; justi in regno Patris cum Christo, iniqui in igne æterno parato diabolo et angelis ejus. Sed hoc dicens non divisiones locorum multorum dedi, nisi duorum tantum, quoniam ad duo, regnum videlicet et gehennam, hæc omnia referuntur, etiamsi plura dicantur, etc. Qui baptizatus ergo non est, in iis quæ regni cœlorum sunt non potest reperiri. Et si non ibi, putasne, Pelagiane, jam sentis ubi, aut certe dic ubi? »

Variæ huic argumento applicari solent ab scholasticis responsiones, sed omnes facile rejiciuntur. Catharinus in opusculo de statu parvulorum, postquam dixit hoc argumentum esse oppositæ sententiæ *Achillem*, negat parvulos debere sisti in judicio. Morainer, disp. 40 de Gratia, num. 11, respondet primo male supponi ab adversario esse dogma fidei quod ad judicium generale, de quo Christus loquitur Matthæi xxv, parvuli sint comparituri, ibique ad dexteram vel ad sinistram collocandi. Nam contrarium sine errore contra fidem affirmant Durandus et Albertus. Et num. 12 respondet secundo neque etiam fide divina certum esse quod licet infantes ad judicium generale sint comparituri, futuri sint de numero judicandorum. Et citat Tostatum, Carthusianum et sanctum Thomam, 4, dist. 47, q. p. art. 3, ad 3, ubi affirmat pueros ante perfectam ætatem decedentes in judicio comparituros, non ut judicentur, sed ut videant gloriam judicis. Quod probabile putat Suarez apud eumdem Morainium. Numero vero 13 ulterius respondet non satis constare futuros in sinistra, ac non potius in medio quodam loco constituendos.

Nulla tamen ex istis responsionibus admitti potest: nam aperte in concilio Africano, ut mox ostendam, definitum est parvulos futuros in sinistra his verbis: « Qui enim dextra caret, sinistram procul dubio partem incurret. » Et sanctus Gelasius papa, in epistola ad episcopos per Picenum, adversus Pelagianos de iisdem parvulis inquit: « Et quia non nisi dextram partem legimus et sinistram, non illos faciant in sinistra regione sine baptismate remanere, sed baptizatos sinant ad dextram salutarem sacra regeneratione transferri. » Hanc Gelasii epistolam legit Moraines, eamque disp. 2, num. 31, *eruditam* vocat. Verum omittamus Africanum canonem ac Gelasii epistolam, hæc enim scholastici veteres non legere, nonne Augustinus hanc sententiam veluti orthodoxum dogma tradidit? Statuit sanctus doctor in epist. 107 ad Vitalem duodecim regulas, quarum septima et octava his verbis describuntur: « *Scimus quod omnes astabimus ante tribunal Christi*, ut *ferat unusquisque secundum ea quæ per corpus gessit*, non secundum ea quæ si diutius viveret, gesturus fuit, *sive bonum, sive malum*. Scimus etiam parvulos secundum ea quæ per corpus gesserunt recepturos vel bonum vel malum. Gesserunt autem non per seipsos, sed per eos quibus pro illis respondentibus, et renuntiare diabolo dicuntur, et credere in Deum, unde et in numero fidelium computantur, pertinentes ad sententiam Domini dicentis: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit* (*Marc.* xvi). Propter quod et illis, qui hoc sacramentum non accipiunt, contingit quod sequitur: *Qui autem non crediderit, condemnabitur* (*Ibid.*). Unde et ipsi, sicut dixi, si in illa parva ætate moriuntur, utique secundum ea quæ per corpus gesserunt, id est tempore quo in corpore fuerunt, quando per corda et ora gestantium crediderunt vel non crediderunt, quando baptizati vel non baptizati sunt, quando carnem Domini manducaverunt vel non manducaverunt, quando et sanguinem biberunt vel non biberunt; secundum hæc ergo quæ per corpus gesserunt, non secundum ea quæ, si hic diu viverent, gesturi fuerant, judicantur. » Porro has duas sententias cum reliquis aliis decem pertinere ad fidem catholicam docuit ibidem sanctus Pater his verbis: « Nempe manifestum est ex illis duodecim sententiis, quas pertinere ad catholicam fidem negare non sineris, » etc. Repetam hic Bellarmini verba lib. II de Grat. et libero arbitrio cap. 11, licet alia occasione ab ipso pronuntiata: « Nam si Augustini, inquit, de prædestinatione (dicam de pœnis parvulorum judicandorum) sententia falsa esset, non posset idem Augustinus ab ingenti temeritate defendi, quippe qui non solum tam acriter pro falsitate certasset, sed etiam pro fide catholica venditare ausus esset. » Idem postea etiam tradidit libro quinto operis postremi adversus Julianum. Beda etiam, qui longe post Augustinum floruit, affirmat secundum catholicam fidem parvulos judicandos esse. Etenim in præliminari ad sacrum codicem Canticorum adversus Julianum ait: « Quod dicit (Julianus), non aliunde alios judicare, alios judicari, nisi quia in eadem natura dispar voluntas sit, et quia, cum omnes idem possimus, diversa faciamus, contradicit catholicæ fidei, quæ etiam PARVULOS ESSE JUDICANDOS confitetur, eos qui in eadem natura positi priusquam aliquid boni malive facere aut velle, aut saltem nosse poterant, sine baptismo rapti sunt. »

*Secundum argumentum ex Scriptura. Pueri nascuntur sub potestate dæmonis, ex qua eorumdem pœna sensibilis aperte demonstratur. Quam infeliciter huic argumento ab adversariis respondeatur. Octo pœnis parvulos subjici, quæ breviter numerantur.*

Alterum argumentum desumitur ex omnibus iis sacræ paginæ locis in quibus humani generis captivitas sub principe dæmone designatur. Joan. xii, 31: *Nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras.* Marc. iii, 27: *Nemo potest vasa fortis ingressus in domum diripere, nisi prius fortem alliget, et tunc domum ejus diripiet.* Idem Dominus testatur Matth. xii, 29: *Quomodo potest quisquam intrare in domum fortis, et vasa ejus diripere, nisi prius alligaverit fortem?* Et

Lucæ XI Dominus comparat dæmonem *forti armato custodienti atrium suum*. Ex quibus locis sanctus doctor infert parvulos cum principe dæmone æterno igne cremandos. Audi integrum maximi viri discursum lib. III Operis imperfecti contra Julianum, cap. 199, cujus superius fragmentum dedi : « Tu autem, inquit, qui eam (nempe imaginem Dei) negas a diabolo possideri, procul dubio negas a potestate erui tenebrarum, cum in Christi regnum regeneratione transfertur, et accusas universam catholicam Ecclesiam magno crimine majestatis ; non enim legibus hujus mundi tenetur reus quisquis imaginem, quamvis non vivam, imperatoris exsufflat. Exsufflantur autem parvuli in exorcismo priusquam baptizentur ; exsufflantur igitur vivæ imagines, non regis cujusque, sed Dei. Imo vero exsufflatur, sed diabolus, qui contagione peccati tenet procul dubio reum, ut illo foras misso, parvulus transferatur ad Christum. Exsufflatur itaque Juliani amentia, ne majestatis rea in parvulorum mundatione et exsufflatione dicatur Ecclesia. Si autem non eruitur de potestate tenebrarum, et illic remanet parvulus, quid miraris IN IGNE ÆTERNO CUM DIABOLO FUTURUM, qui in Dei regnum intrare non sinitur ? An quia Pelagiani nescio quem parvulis non baptizatis præter Dei regnum, quietis et vitæ æternæ locum præparant, ideo Christi erit falsa sententia : *Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit, qui autem non crediderit condemnabitur* (*Marc.* XVI) ? » Rursus lib. V ejusdem operis cap. 6 : « An forte, inquit, homines non sunt, qui eruantur de potestate tenebrarum, quarum tenet diabolus principatum ? Aut vero ITA DESIPIS ut affirmes eos sibi diabolum non vindicare, quos possidet et suæ potestati subditos tenet ? Sed ut taceam de his quos potestis dicere per suam malam voluntatem a diabolo possideri, quid dicturus es de illo de quo pater ipsius, Domino interrogante, respondit quod ex infantia sua ab immundo spiritu vexaretur ? Nonne membra ejus et sensus, quæ omnia Deo auctore instituta sunt, et communia impiorum, piorumque sunt munera, diabolus sibi, ut affligeret, vindicabat ? etc. » Hoc argumentum valde torquet adversarios, qui variis datis solutionibus vim ejusdem, ut ego quidem arbitror, frustra evadere conantur.

Respondet primo quidam alias celeberrimus theologus : Hæc pœna non videtur debita peccato originali ; sicut ei non debetur pœna sensus, ita non debetur simul traditio in manus hostis potentissimi et infensissimi, qui perducat hominem in necessitatem moralem incurrendi ejusmodi pœnam, et simul prohibitio auxiliatoribus ne suppetias ferant. Hæc enim esset pœna gravior quam pœna sensus ; quippe tolerabilius est solum cruciari quam poni in morali necessitate novi criminis merentis illum cruciatum. Hæc responsio non consonat Ecclesiæ statutis ex quibus aperte colligitur ex peccato originali nos esse captivos dæmonis. Sanctus Cœlestinus, ut vulgo putant, in epistola ad episcopos Galliæ, cap. 12, hæc definit : « Illud etiam, quod circa baptizandos in universo mundo sancta Ecclesia uniformiter agit, non otioso contemplemur intuitu ; cum sive parvuli, sive juvenes ad regenerationis veniunt sacramentum, non prius fontem vitæ adeunt, quam exorcismis, et exsufflationibus Clericorum spiritus ab eis immundus abigatur, ut tunc vere appareat, quomodo *Princeps mundi hujus mittatur foras* (*Joan.* XII), *et quomodo prius alligetur fortis, et deinceps vasa ejus diripiantur in possessionem translata victoris* (*Matth.* XII), *qui captivam ducit captivitatem* (*Psal.* CXVII), *et dat dona hominibus* (*Ephes.* IV). His ergo, etc. » Quam doctrinam postea universa Ecclesia tradidit, ut patet ex cap. *Sacerdotes*, de Consecrat. dist. 4, et cap. *Parvuli*, et cap. *Sicut nossis*, et cap. *Dehinc*, etc., et expresse synodus Tridentina, sess. 5, de peccato orig. definit, Adam « incurrisse cum morte captivitatem sub ejus potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est diaboli. » Hinc sanctus Augustinus, lib. VI Operis imperf. contra Jul., cap. 20, reprehendit Julianum ægre ferentem *dominum, ac possessorem imagini Dei diabolum imponi*, hæc scribens : « Dicit Jesus, qui secundum hoc nomen suum salvum facit populum suum a peccatis eorum : *Nemo intrat in domum fortis, nisi prius alligaverit fortem*, et vos in hoc populo Christi, quem salvum facit a peccatis eorum, parvulos non esse conceditis, quos ut a propriis, ita nec originalibus vultis obstrictos esse peccatis, et cum fallaci vestro sermone minuitis vires ejus, quem dixit Veritas fortem. » Postea : « Nec tibi videatur indignum quod subjecta est diabolo imago Dei ; hoc enim non fieret nisi judicio Dei, nec removetur ista damnatio, nisi gratia Dei, etc. »

Catharinus more solito, hoc est audacter, in opusculo citato ait : « Neque sub diaboli perpetuo potestate erunt, quia et pro illis ejectus erit diabolus foras in die novissimo, ut nihil juris habeat ulterius in illos. » Hoc tamen responsum, ut bene etiam notavit Bellarminus, ab homine catholico defendi minime potest. Peto enim quare infantes modo sint captivi dæmonis ? Clara sunt Ecclesiæ dogmata : Ob peccati originalis maculam. Rursus interrogandus est Catharinus an hæc macula duratura sit post diem judicii vel non ? Si secundum dicat, in errorem labitur, solo enim baptismate illa culpa destruitur : « Hæc noli dicere, ait Augustinus, si vis esse catholicus (*lib.* III *de Orig. animæ, cap.* 9). » Si primum, ergo remanebit integrum jus dæmoni in pueros etiam post diem judicii, cum adhuc obnoxii erunt peccato originali. Audiat, velit nolit, Augustinum, quem hac in quæstione, uti in aliis etiam sæpe impugnat lib. I de Nuptiis et concup., cap. 23 : « Hoc generi humano inflictum vulnus a diabolo, quidquid per illud nascitur cogit esse sub diabolo, tanquam de suo frutice fructum jure decerpat, non quod ab illo sit natura humana, quæ non est nisi ex Deo, sed vitium, quod non est ex Deo. Non enim propter seipsum quæ laudabilis est, quia opus Dei est, sed propter damnabile vitium, quo vitiata est, natura humana damnatur ; et propter quod damna-

ur, propter hoc et damnabili diabolo subjugatur, quia et ipse diabolus spiritus immundus est. » Idem asseruit sanctus Fulgentius lib. I de Veritate prædestinationis, cap. 14 : « Causa vero majorum atque minorum qui sine baptismate cursum vitæ præsentis in infidelitate consummant, quantum attinet ad communionem originalis peccati, una est. Ex hac utrique ibunt in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus, quia in eis chirographum, quo sibi eos deceptoris nequitia subdidit, Salvatoris gratia non delevit. »

Respondet Arriaga, tom. I in 1-2, disp. 52, nihil aliud significare pueros esse sub potestate diaboli, quam esse peccatores. Alii vero ideo putant pueros esse sub potestate diaboli per peccatum originale, quia dæmon ex illo peccato habuit potestatem tentandi genus humanum, et consequenter ipsum perdendi in gehenna. Verum aliud est esse peccatorem, aliud captivum diaboli; captivitas enim est effectus peccati, sicuti si quis princeps subditum ob aliquod crimen in tyranni alicujus potestatem detruderet. Porro quemadmodum peccatum mortale hominem transcribit in familiam subditam diabolo, hoc etiam peccatum originale præstat, unde dicebat sanctus doctor lib. I de pec. Meritis et remiss., cap. 34, initio : « Quid de ipsa forma sacramenti loquar? vellem aliquis istorum, qui contraria sapiunt, mihi baptizandum parvulum afferret. Quid in illo agit exorcismus meus, si in familia diaboli non tenetur? » Quod vero alii dicunt ideo esse genus humanum sub potestate dæmonis, quia hic potestatem, et jus ex illo peccato contraxit tentandi homines, inepte prorsus asseritur, tum quia nequit pueros tentare, qui velle nil possunt, tum quia potuit tentare Adamum, qui tamen nondum erat sub potestate dæmonis, tum quia posse tentari, non est esse, sed posse esse captivum. At pueri nascuntur reapse captivi dæmonis. Unde Zosimus papa, epist. 157, apud sanctum Augustinum ait : « Nullus enim, nisi qui peccati servus est, liber efficitur, nec redemptus dici potest, nisi qui vere per peccatum fuit ante captivus. » Clare etiam sanctus Gregorius lib. XXVI Moral., cap. 20, distinguit captivitatem a potestate tentandi : « Nunc princeps, inquit, hujus mundi ejicietur foras. Unde jam nunc sanctos homines non tenendo possidet, sed tentando persequitur. Nam quia non in eis intrinsecus regnat, contra eos pugnat extrinsecus, et quia intus dominium perdidit, bella molitur foris. »

Præterea falsum est pueros eodem modo esse sub potestate dæmonis per peccatum originale, sicut per quodlibet actuale, ut docet Moraines, num. 13 : nam in parvulis et cæteris non baptizatis jus habet dæmon veluti in proprio mancipio, ut enim definit sanctus Cœlestinus papa supra, utimur exorcismis et exsufflationibus clericorum, ut *spiritus ab eis immundus abigatur*. Ergo vere sunt possessi a dæmone per inhabitationem, cum neque *spiritus immundus abigi* nec *princeps ejici foras* possit, nisi sit intus in parvulo. Quibus tamen exorcismis et exsufflationibus non utimur ad absolvendum peccatorem vel omnium pessimum, sed tantum in energumenis sanandis, qui intus a diabolo per inhabitationem possidentur. Notavit hoc insignis ille carmelita Joannes Bacconus, qui cæteris scholasticis antiquis de hac captivitate, unde parvulorum pœnæ satis clare inferuntur, vix pauca verba facientibus, unus ipse Augustino-catholicæ sententiæ adhæsit in 2 sent. dist. 39, quæst. 1, ubi ait de dæmonis dominio : « Inhabitat dico, non sicut forma informans, nec per formam aliquam, quam creat in anima peccatrice, sicut Deus eam creat, sed habitat per dominium in peccante, seu aliis verbis jure dominii et potestatis. » Et ibi ad 2 dubium definit originale peccatum « per obsequium nostræ voluntatis ergo diabolum, et ex consequenti etiam diaboli inhabitationem. » Inhabitat igitur dæmon in corporibus non baptizatorum tum pusillorum tum adultorum, non ut vere sint energumeni, sed ut princeps jure dominii in regno suo, tanta est potestas quam in illos habet princeps tenebrarum, quæ omnia ex exsufflationibus et exorcismis colliguntur; siquidem dum parvulus baptizatur, dicit sacerdos : *Exi, spiritus immunde, et da locum Spiritui sancto*. Peccatores vero fideles sunt de corpore Ecclesiæ, cujus caput est Christus. De potestate dæmonis supra infideles late discurrit sanctus doctor epist. 107, ad Vitalem.

Respondet tandem Moraines : « Tertia ratio, inquit num. 17, nos minime tangit, qui non negamus parvulos illos mansuros esse in æternum Deo invisos propter peccatum originale, et quodammodo sub captivitate ac servitute diaboli, ut in hac vita, privatos scilicet speciali Dei protectione, qua ab ejus invasionibus et infestationibus fiant immunes. » In hac responsione maxime displicet illa particula *quodammodo*, limitans dæmonis in captivos potestatem. Egregie inquit Augustinus lib. VI contra Jul., cap. 20 : « Cum fallaci vestro sermone minuitis vires ejus quem dixit Veritas fortem. » Utquid enim additur restrictio quam nec concilia nec pontifices apposuere? Illud autem in eadem responsione summe placet, quod fatetur pueros non futuros immunes a dæmonis invasionibus et infestationibus, hoc enim est quod intendimus, nempe futuros obnoxios pœnis sensibilibus, eo quod futuri sunt sub crudelissimi tyranni potestate. Nisi dicat infantes nihil mali ex hujusmodi *invasionibus* et *infestationibus* percepturos, quo quid dici potest ineptius? vexantur enim non a frigore, non a calore, sed a dæmone, *cui mille nocendi artes*.

Simile etiam adducto argumento est illud, quod colligitur ex Epistola ad Rom. IX : *Sic autem Deus volens ostendere iram, et demonstrare potentiam suam attulit in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem*. Quæ vasa iræ ibidem *vasa* etiam *contumeliæ* appellantur ab Apostolo. Cum igitur infantes sint vasa contumeliæ, cui, quæso, loco illa Deus deputabit? « Deus, inquit Fulgentius, *vasa contumeliæ* æterno semper ærsura deputabit incendio. »

Patres Africani in epistola synodica, cap. 13 : « *Vasa contumeliæ* sunt, quibus dicitur : *Ite, maledicti, in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus.* » Quod prius docuerat Africanæ Ecclesiæ magister lib. I Operis imperf. contra Jul., in fine : « Nos vero Deum quidem parvulorum opificem prædicamus, sed ex eadem massa medium locum vasis, ubi nec in honorem fiant, neque in contumeliam, quem non dedit Apostolus, non damus. » Considerent igitur adversarii tantam esse potestatem dæmonis in sua vasa, ut prius, ut inquit Christus, dæmonis triumphator ligandus fuerit, quam ex ejus domo vasa raperentur, nec minuant, ut ait sanctus doctor, *fallaci sermone vires ejus, quem dixit Veritas fortem.*

Certum igitur est parvulos non baptizatos esse vasa contumeliæ in domo dæmonis, e qua per Christum non sunt erepta, et captiva ibidem teneri a *forti armato custodienti atrium suum.* Hanc tenebrosam domum scholastici antiquiores dixere limbum, in quo parvuli detinentur. Ita sancti Thomas, Bonaventura, item Scotus, Ægidius, Durandus, Richardus et alii communiter, teste Bellarmino, cap. 2 supra. Ex qua doctrina, velint nolint, probatur pœna sensus. Pro quo notandum est, quod docet sanctus doctor lib. 21 de Civit. Dei, cap. 11, « octo genera pœnarum in legibus esse : damnum, vincula, verbera, talionem, ignominiam, exsilium, mortem, servitutem. » Ergo, cum parvuli, præter pœnam exsilii, quam scholastici vocant pœnam damni, patiantur servitutem sub dæmone, et carcerem, aliam profecto pœnam patiuntur a pœna damni. Qualis autem sit ista pœna servitutis sub principe tenebrarum ac forti armato audivimus supra a celeberrimo quodam theologo dicente : *Hæc enim esset pœna gravior, quam pœna sensus.* Verissime. Pone, exempli gratia, principem filios alicujus subditi non solum exsilio mulctare, et paterna etiam hæreditate privare, sed illos quoque tyranno cuipiam in mancipia divendere, haud sane exigua esset postrema ista pœna captivitatis. Porro nulla pejor, nulla acerbior, nulla atrocior captivitas est, quam esse sub dæmone, Phalaride, Dionysio, Maxentio crudeliore, tyrannorum omnium truculentissimo. Neque levis censenda est pœna carceris, præcipue sub *forti armato custodiente atrium.* Id etiam alter e societate scriptor Neotericus non inficiatur; *gravissimam*, inquit Arriaga 1-2, disp. 52, num. 5, *pœnam* illam carceris fore, ubi velutis tipites nec videre, vel olfacere, nec gustare quid possent, sane hæc sensibilis pœna esset. Unde plures ex iisdem scholasticis recentioribus, ne pueros pœna carceris affligant, *nescio quem tertium decipiendis parvulis faciunt locum*, uti olim Pelagiani, teste sancto Gelasio papa, cujus proxima verba sunt, et sancto Augustino sæpissime id affirmante et irridente, finxerunt.

Verum quid dicent adversarii si octo illa pœnarum genera a parvulis sustineri probabimus? Pœnam damni et exsilii ipsi concedunt, modo pœnam captivitatis et carceris ex sacris litteris clare deduximus. De reliquis quatuor idipsum probamus. Vinculo illos pati certum est, cum sint captivi, nec illa solvi possint nisi prius ipse fortis armatus custos atrii alligetur. Patiuntur etiam pœnam *ignominiæ*, sunt enim, teste Apostolo, *vasa contumeliæ* (*Rom.* IX). Hinc sanctus doctor, lib. I contra Julianum, Operis imperf. cap. 138 : « Ex qua tamen (massa) alios in Dei regnum adoptari fatemini, quos procul dubio vasa in honorem facta conceditis; alios vero non ad hoc adoptari, quos facta vasa in contumeliam, nisi intelligenter consentiatis, impudenter negatis. Neque enim, si non est pœna damnationis, sicut vultis, non erit saltem contumelia imaginis Dei, separari a regno Dei. » Insuper patiuntur verbera, carent enim, teste Morainio, num. 17, *speciali Dei protectione, qua ab ejus*, scilicet dæmonis, *invasionibus, et infestationibus fiant immunes.* Nec putandus est adeo mitis hic tyrannus, ut servos suos ne semel quidem flagris affligat. Satis sit, infantes esse vasa in illius domo, ut ait Christus, et captivos *in familia diaboli teneri*, ut docet sanctus Pater lib. cit. de peccatorum Meritis, cap. 34. Adde his pœnam talionis, qui enim cum suo primo parente noluere esse sub Deo, facti sunt servi sub diabolo. Tene aurea sancti doctoris verba lib. XIV de Civitate Dei, cap. 15 : « Justa damnatio subsecuta est, talis quidem damnatio, ut qui custodiendo mandatum fuerat etiam carne spiritalis, fieret etiam mente carnalis; et quia sua superbia sibi placuerat, Dei justitia sibi donaretur, nec sicut affectabat in sua esset omnimoda potestate, sed a seipso quoque dissentiens sub illo, cui peccando consensit, pro libertate quam concupierat, duram, miseramque ageret servitutem; mortuus spiritu volens, et corpore moriturus invitus : desertor æternæ vitæ, etiam æterna, nisi gratia liberaret, morte damnatus. » Mortem vero pœnarum ultimam non solum corporalem, sed etiam spiritualem incurrisse per peccatum universam Adami posteritatem certum est. Et quidem pueros ex peccato originali pœna mortis secundæ mulctatos tradit passim sanctus doctor; lib. I ad Bonifacium, cap. 22, ait : « Aut si evangelicis vocibus cogimini confiteri, nec vitam, salutemque posse habere parvulos de corpore exeuntes, nisi fuerint baptizati, quærite cur compellantur non baptizati secundæ mortis subire supplicium. » Mors autem secunda ex cap. 20 Apocalypsis intelligitur, ubi hæc leguntur : *Et qui non est inventus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.* Et postea : *Infernus et mors missi sunt in stagnum ignis. Hæc est mors secunda.* Quare, cum pueri sine baptismo decedentes non sint scripti in libro vitæ, dubio procul morti secundæ, hoc est, igni deputantur. Hoc argumentum et fuse et erudite ex Augustino urget archiepiscopus Thuamensis in opusculo de hac quæstione, cap. 11 et 12. Scio Morainium respondere, num. 69, mortem secundam esse privationem visionis Dei; sed hæc responsio rejicitur ab Augustino cap. 92 Enchiridii, et lib. XIII de Civit. cap. 8, et lib. XIX, cap. 28; item a sancto Fulgentio lib. I ad Monimum, cap. 6, ubi ex sacris litteris pronuntiant

mortem primam esse, cum anima separatur a corpore, secundam vero cum eadem æternum punitur cum corpore.

*Eadem sancti doctoris sententia probatur ex conciliis Africanis, et litteris Innocentii Papæ. Assertio de pœnis parvulorum ab Ecclesia Africana inter fidei dogmata, teste sancto Fulgentio, relata. Insigne pro eadem re sancti Gelasii papæ testimonium.*

Scholastici, qui in statuendis parvulorum pœnis in diversam ab Augustino sententiam abiere, publicarunt, ejusdem opinionem *unum Augustinum patronum* habere, ut loquitur Catharinus, eamque *paucissimos* sequi, ut ait Moraines. Imo Catharinus, unum sibi opponens Augustinum, scribit: « At magna, inquiunt, est auctoritas Augustini, magna profecto, sed veritatis, quæ jam pateat longe major, longe major pontificum auctoritas, et Ecclesiæ de cathedra docentis, et communis doctorum sententia. » Quibus ille auctor in veterum Patrum scriptis se plane hospitem prodidit; etenim sancti Patris sententiam et synodorum et Pontificum testimoniis confirmabimus, et iis quidem adeo evidentibus, ut minime dubitem quin scholastici, si in eadem incidissent, ne latum quidem unguem ab Augustiniana sententia discessissent. Recte Scotus, in 2, dist. 33, quæstione unica *magistrorum* Parisiensium placitum contra Augustinum stare dixit, quibus tamen totius Africæ vetustiores episcopos opponemus.

Et quidem veteres Parisiensis scholæ doctores, cum summa ingenia scholæ subtilitatibus devovissent, parum fuere in synodorum ac Patrum lectione versati. Hinc eruditionis defectu quasdam opiniones obtrusere, a quibus antiquioris Ecclesiæ magistri longius distarunt. Hoc in præsenti controversia patebit, in qua scholastici ex manca Pelagianæ hæreseos notitia, uti a recepta antiquitus sententia recesserunt, ita illorum plerique in quibusdam cum Pelagianis convenere, quod etiam notavit cum laudis præfatione nominandus cardinalis Bellarminus, cujus verba in calce fere hujus controversiæ recitabo. Primi omnium Africani Patres Pelagianorum errores anathemate perculerunt in utraque synodo provinciæ Carthaginensis, itemque in altera synodo Milevitana, dein in plenariis conciliis, uti fusius libro priori Historiæ Pelagianæ nobis descriptum est. In his autem sacris conventibus pœnas sensibiles puerorum sine baptismo decedentium statutas esse demonstro. Patres synodi Carthaginensis, in litteris ad Innocentium, apud Augustinum epistola 90, hæc de Pelagianis scribunt: « Parvulos etiam propter salutem, quæ per Salvatorem Christum datur, baptizandos negant, ac sic eos mortifera ista doctrina in æternum necant, promittentes, etiam si non baptizentur, habituros vitam æternam. » Patres vero Numidiæ provinciæ, in epistola ad eumdem Innocentium, quæ inter Augustinianas est 92, hæc ipsa scribunt de eisdem hæreticis: « Pueros quoque parvulos, si nullis innoventur Christianæ gratiæ sacramentis, habituros vitam æternam, nequam præsumptione contendunt. » Innocentius pontifex, his litteris acceptis, gravi rescripto novæ hæreseos falsitatem confixit: « Illud vero, inquiens, quod eos vestra fraternitas asserit prædicare, parvulos æternæ vitæ præmiis etiam sine baptismatis gratia posse donari, perfatuum est. » Epist. 95 apud Augustinum. Itaque tum synodi tum pontifex illam vitam æternam parvulis in originali peccato mortuis negarunt, quam Pelagiani eisdem pueris dabant. Vita autem æterna dicit perpetuam possessionem Dei animam beantis in regno cœlorum, et ex consequenti exclusionem cujuscunque miseriæ, cui vitæ opponitur æterna mors, quæ consistit in perpetua amissione summi boni, et perenni afflictione ac cruciatibus in inferis. At Pelagiani nusquam ausi sunt dicere pueros sine baptismo ituros in regnum cœlorum, ut ex serm. 14 de Verbis Apostoli superius laudato exposuimus. Scribit de iisdem Augustinus lib. I de peccatorum Meritis et remissione, cap. 18: « Dicunt parvulos recenti vita editos visceribus matrum, non propter remittendum peccatum percipere baptismum, sed ut spiritalem procreationem non habentes, creentur in Christo, et ipsius regni cœlorum participes fiant, eo modo filii et hæredes Dei, cohæredes autem Christi. » Hinc idem sanctus doctor contra Pelagianos ait lib. II Operis imperf., cap. 113: « Respondete quid sitis, qui tot imagines Dei sine illius peccati merito separatis a regno Dei, et facitis duas æternas felicitates: unam quæ sit in regno Dei; alteram, quæ sit extra regnum Dei. » Et lib. I ejusdem operis, cap. 132, tradit parvulos juxta Pelagianos futuros « in loco aliquo secundæ felicitatis, quem, inquit, talibus ædificavit hæresis vestra. » Ex his infertur vitam æternam, quam illi hæretici pueris promittebant, sitam fuisse in secunda quadam felicitate, hoc est, minori ea qua fruebantur beati in regno cœlorum. Nam cum ibidem pueri nullos cruciatus per totam æternitatem passuri essent, æternum felices vivere ab ipsis dicebantur. Scribit sanctus Fulgentius, lib. I ad Monimum, cap. 6, Deum animæ per peccatum mortuæ duplicem insuper mortem comminatum: « Primam in separatione animæ et corporis; secundam in æterna cruciatione animæ et corporis. Ac per hoc primam, qua discedente anima caro sola moritur; secundam vero, quando rediens in carnem anima in eadem et cum eadem in qua peccavit, carne torquetur. » Primæ morti opponitur vita temporanea, alteri vero vita æterna, quando anima perpetua felicitate fruetur, qua de re legatur Augustinus lib. XX de Civitate Dei, cap. 6. Itaque vita æterna infantium, ex Pelagianorum sententia, illa est quæ opponitur morti secundæ, quæ ideo ex Augustino, lib. XVIII, ibidem, cap. 28, « secunda mors dicitur, quia nec anima ibi vivere dicenda est, quæ a Dei vita aliena erit, nec corpus, quod æternis doloribus subjacebit. » Quare, cum synodi Africanæ ac sanctus Innocentius damnarunt dicentes pueros sine baptismo defunctos habere vitam æternam, exploserunt secundam illam felicitatem quam extra regnum Dei Pelagiani infantibus promittebant, et ex consequenti decrevere eosdem subituros etiam mortem se-

cundam, quæ beatæ vitæ opponitur. Cæterum vita illa æternum beata, quam Pelagiani pueris destinabant, ante synodos Africanas rejecta fuit in concilio Diospolitano, anno 415, ubi cum objectum fuisset Pelagio, Cœlestium ipsius discipulum docuisse, « infantes, etiamsi non baptizentur, habere vitam æternam, » negavit se illa dixisse. Hinc Pelagium premebat Augustinus, epist. 106 ad Paulinum Nolanum, pueros sine gratia regenerationis in Christo « non habere in se vitam, ac per hoc pœnæ sempiternæ obnoxios. »

Conrius ac Moraines existimarunt vitam æternam, quam parvulis Pelagiani pollicebantur, sitam fuisse in visione clara Dei, extra tamen regnum cœlorum. Unde responderi potest his, quæ hucusque deduximus, synodos statuisse pueros non posse sine baptismo frui vita æterna, hoc est visione clara Dei, nec tamen statim inferri, morte secunda juxta totam suam latitudinem plectendos, sed prout hæc tantum dicit privationem visionis Dei, non quatenus continet cruciatus et æterna supplicia animæ et corporis. Sed hæc sententia nulla ratione admitti potest, si consideremus quid Pelagiani nomine regni cœlorum intelligerent. Et licet Moraines, num. 55, dicat eosdem id *non satis expressisse*, colligitur tamen quæ fuerit illorum sententia ex Juliano lib. VI Operis imperf., cap. 37, ubi ait : « Multo maxime congregatio omnis glorificata sanctorum esse Deo subjecta non desistet, sed totum corpus dignum regno cœlorum, quod sub Christi capite construitur, divinæ voluntati perfecta affectione cohærebit, ut exstincta omni cupiditate culparum, Deus et contineat cunctos et compleat. » Ex his infertur Pelagianos non promisisse pueris visionem beatam ; etenim videns Deum, *divinæ voluntati perfecta affectione cohæret, ut exstincta omni cupiditate culparum, Deus et contineat* eumdem *et compleat*. Quare pueri fruentes visione clara Dei reapse forent in regno Dei, quod illi negabant. Rursus sanctus Augustinus ubique premit Pelagianos negantes peccatum originale, quod pueri exclusi a regno cœlorum immerito et injuste tanta miseria torquerentur. Lib. II Operis imperf., cap 113 : « Ac tandem aliquando, inquit, extra regnum Dei infelices futuros fatemini parvulos non renatos. Dicite ergo hujus infelicitatis meritum, verbosi et contentiosi, qui negatis originale peccatum. » Et lib. IV, cap. 99, ait : « Ipsum etiam sic amatis, ut non ibi esse, non saltem levem pœnam credatis hominis esse, sed nullam. » Quod si Pelagiani extra regnum Dei dabant parvulis visionem Dei, haud congruenter Augustinus contra ipsos inferebat pueros futuros infelices et pœnæ subjectos. Nam videns Deum possidet summum bonum, nec ullo pacto potest esse infelix, aut alicui pœnæ obnoxius. Præterea sanctus Pater, libro II Operis imperf., cap. 113, his instat Juliano et collegis : « Dicite, obsecro, in ea felicitate quæ extra Dei regnum erit, ullusne regnabit an nullus? si nullus, liberior erit procul dubio sine ullo rege illa felicitas ; si vero ullus in ea regnabit, quis erit rex imaginum Dei, qui non erit Deus? » At in illa secunda felicitate pueri fruerentur visione Dei, et profecto Deus in illis regnaret, nec eo dilemmate Augustinus adversarios perculisset ; etenim Deus clare visus regnat solus in anima videntis, et omnes ejusdem actus regit ac moderatur. Itaque Pelagiani beatitudinem naturalem pueris destinabant ; uti enim illi naturaliter innocentes ab iisdem asserebantur, ejusdem etiam ordinis beatitatem invexere, in quo tamen dogmate nunquam quid sentirent nostris innotuit ; unde Augustinus aliique Patres eorumdem sententiam plane se non percipere fassi sunt. Ille lib. de Prædestinatione sanctorum, cap. 13, narrat, a Pelagianis promitti pueris NESCIO CUJUS *felicitatis locum*, et in lib. de Hæresibus, cap. 88, *æternam et beatam* QUAMDAM *vitam suam*. Idem habet lib. I de Origine animæ, cujus verba mox referam. Ipse Pelagius dicere solebat : *Quo eant nescio*, ut ex Augustino superius dictum est.

Redeo ad Africanas synodos. In concilio celebrato anno 418 Carthagine contra Pelagianos, in quo hic canon in vetustis codicibus statutus legitur. « Item placuit, ut si quis dicit, ideo dixisse Dominum : *In domo Patris mei mansiones multæ sunt* (*Joan.* XIV), ut intelligatur, quia in regno cœlorum erit ALIQUIS MEDIUS, aut ULLUS ALICUBI LOCUS, ubi beate vivant parvuli, qui sine baptismo ex hac vita migrarunt, sine quo in regnum cœlorum, quod est vita æterna, intrare non possunt, anathema sit. Nam cum Dominus dicat : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum*, quis catholicus dubitet PARTICIPEM FORE DIABOLI, qui cohæres esse non meruit Christi? Qui enim dextra caret, SINISTRAM PROCUL DUBIO PARTEM INCURRET. » In Historia Pelagiana, lib. I, cap. 13, hunc canonem recitavi, ubi ex Photio ostendi in antiquis codicibus scriptum fuisse, quod etiam testatur Binius, licet a nonnullis omissus sit, de quo nolo cum quopiam contentionis funem ducere. Interim hoc ipsum sancti Augustini testimonio confirmabo, qui lib. II de Origine animæ, cap. 12, scribit : « Novellos hæreticos Pelagianos justissime conciliorum catholicorum et sedis apostolicæ damnavit auctoritas, eo quod ausi fuerint non baptizatis parvulis dare quietis et salutis locum etiam præter regnum cœlorum. » Unde satis verisimile fit laudatum canonem reapse fuisse ab Africanis synodis exaratum. Illud vero observandum venit, ideo Patres negasse *alium alicubi locum*, quia duo tantum loca nominantur in sacris litteris, nempe dextra et sinistra judicis, unde asserunt pueros futuros in sinistra, et ex consequenti *participes fore diaboli*. In eodem libro de Origine animæ, cap. 9, scribit sanctus Pater : « Non baptizatis parvulis nemo promittat inter damnationem regnumque cœlorum quietis, vel felicitatis CUJUSLIBET, atque UBILIBET, quasi MEDIUM LOCUM. Hoc enim eis etiam hæresis Pelagiana promisit. » Quare cum illa opinio *de quasi medio loco*, nempe inter inferorum pœnas et gaudia regni cœlestis, inter errores hæresis Pelagianæ Augustinus recensuerit, constat eamdem et ab Africanis Patribus, qui contra illam hæresim diligentissime excubuere, damna

tam fuisse, quod ex dicendis clarissime apparebit.

His addam synodum Byzacenorum Patrum in Sardiniam a Thrasamundo rege Vandalorum Ariano relegatorum sententiam. Cum Constantinopoli graves de divina gratia lites agitarentur, nonnulli monachi pro iisdem componendis Romam profecti, audita Africanorum antistitum in Sardinia exsulum fama, legationem ad eosdem destinarunt; librum etiam miserunt de Incarnatione Domini et divina gratia a seipsis conscriptum, rogantes ut de eodem judicium ferrent. Byzaceni Patres, cum communi consilio, quid memoratis monachis rescribendum foret deliberassent, Fulgentio episcopo Ruspensi injunxere ut decreta a Patribus in litteras mitteret, qui e vestigio librum exaravit inscriptum de Incarnatione et gratia. In eo autem Augustini sententia de pœnis puerorum apertissime traditur; etenim cap. 14 inquiunt: « Quæ justitia est, ut imago Dei, quæ nihil potuit per seipsam delinquere, si non redimatur sanguine Filii Dei, in regnum Dei non permittatur intrare? Quo utique quisquis non ingreditur, INTERMINABILIBUS IGNIS ÆTERNI CRUCIABITUR PŒNIS. Qua igitur justitia Deus justus infantibus sine peccato nascentibus ingerit pœnam, in quibus pœnæ non invenit causam? » Item cap. 30 hæc scribuntur: « Quomodo infantibus, qui baptizantur et in eadem infantia moriuntur, donat æternam salutem, quorum bonam nec exspectat, nec invenit voluntatem? Item alios quomodo sine baptismate mortuos ÆTERNIS CRUCIATIBUS damnat, cum in eis nullam culpam malæ voluntatis inveniat? Nonne istos inimicos gratiæ Dei, nec defensores humani, sed deceptores arbitrii ad hoc sua perversitas cogit, ut Deum putent iniquum in obitu omnium parvulorum, ubi nulla interveniente vel bonitate vel malitia voluntatis, alios vident potiri regno, alios INTERMINABILI DEPUTATOS INCENDIO? » Hic liber inter volumina sancti Fulgentii recensetur, quod ab ipso dictatus fuit, at eumdem a synodo approbatum, ac ad monachos Romam missum patet ex hoc ejusdem initio, ubi episcopi Byzaceni nominantur: « Dilectissimis et in Christi fide atque gratia plurimum amplectendis sanctis fratribus, Petro diacono, Joanni, Leontio et alio Joanni, cæterisque fratribus, etc., Dacianus, Fortunatus, Boethus, Victor, Scholasticus, Orontius, Vindicianus, Victor, Januarius, Victorianus, Photinus, Quodvultdeus, Fulgentius, Felix et Januarius, in Domino salutem. » Quindecim igitur episcopi doctissimi ac sanctissimi in Augustini sententiam pedibus ivere. Nec obstat laudatum volumen fuisse Fulgentii manu exaratum, qui Augustini Patris sententiam mordicus tuebatur; nam in omnibus synodis uni alicui ob eruditionem et eloquentiam insigni injungi solet, ut publica Patrum decreta litteris mandet. Scribit discipulus Fulgentii, cap. 20 de Vita ejusdem: « Post deliberationis autem longissimas moras, quidquid definitio communis invenerat, eloquenter allegandum sensibus cæterorum, beato Fulgentio dimittebatur. » Et postea: « Propterea quandocunque rescribebant consulentibus, episcoporum nomina cunctorum dicebantur in titulo, sed solius B. Fulgentii sermo tenebatur in stylo. » Quare ea omnibus Byzacii Patribus, quorum tum temporis Dacianus erat primas, sententia stetit. Habemus etiam epistolam synodicam eorumdem antistitum, inter quos tamen Fulgentius non nominatur, quam publicavit Sirmondus, et inter Opera Fulgentii, tom. VI Bibl. Patrum, edit. Coloniens., anno 1618 recensetur, in cujus cap. 8 eadem sententia traditur. Verba inferius recitabo.

Volo hic evidenter ostendere antiquitus in Africana Ecclesia, in qua quadringenti sexaginta sex episcopi numerabantur, adeo certum fuisse, pueros sine baptismo defunctos puniri in inferis pœna sensibili, ut id inter fidei dogmata relatum fuerit. Cum Petrus diaconus, vir doctissimus, ut ex ejusdem libro de Incarnatione et gratia constat, in Orientem transmissurus esset, rogavit per litteras sanctum Fulgentium, ut brevem fidei catholicæ synopsim ad se mitteret, cui se conformare posset: intelligebat enim plures hæreses passim toto Oriente grassari. Fulgentius librum eidem misit inscriptum de Fide ad Petrum, qua de re dixi lib. II Hist. Pelag., cap. 19. In eo autem volumine quadraginta dogmata ad catholicam fidem pertinentia recitat, eaque in singula capita digerit, quæ ita inchoantur: *Firmissime tene, et nullatenus dubites.* Primum dogma recitatur cap. 4. Cum vero cap. 26 posuisset dogma XXIII de peccato originali, capite insequenti 27 hæc scribit: « Firmissime tene, et nullatenus dubites, non solum homines jam ratione utentes, verum etiam parvulos qui sive in uteris matrum, sive cum de matribus nati sine sacramento sancti baptismatis, quod datur in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, de hoc sæculo transeunt, IGNIS ÆTERNI SEMPITERNO SUPPLICIO PUNIENDOS, quia, etsi propriæ actionis peccatum nullum habuerunt, originalis tamen peccati damnationem carnali conceptione et nativitate traxerunt. » Hoc XXIV dogma, seu, ut ille loquitur, capitulum de fide Petro credendum proposuit, et cum postea reliqua capitula recitasset, hæc habet cap. 44: « Hæc interim quadraginta capitula ad regulam veræ fidei firmissime pertinentia fideliter crede, fortiter tene, veraciter patienterque defende. Et si quem contraria his dogmatizare cognoveris, tanquam pestem fuge et tanquam hæreticum abjice. Ita enim ista quæ posuimus fidei catholicæ congruunt, ut si quis non solum omnibus, SED ETIAM SINGULIS voluerit contraire, in eo quod singulis horum contumaciter repugnat, et his contraria docere non dubitat, hæreticus et christianæ fidei inimicus, atque ex hoc omnibus catholicis anathematizandus appareat. » Itaque testatur Fulgentius parvulos cum solo originali peccato morientes *ignis æterni sempiterno supplicio puniendos*, et id *ad regulam veræ fidei pertinere, et tanquam hæreticum abjiciendum*, qui eidem dicto *voluerit contraire*. Hæc non indigent interprete, sed tantum lectore. Quis autem ex his non intelligat Africanam Ecclesiam Augustini sententiam de pœnis infantium inter fidei dogmata

recensuisse? Neque enim omnium Aforum episcoporum doctissimus ea in re deceptus dici potest, vel alios voluisse decipere, proprias opiniunculas pro inconcussis Ecclesiæ dogmatibus venditando. Qualis vero quantusve fuerit Fulgentius ex ejusdem gestis patet. Hæc sufficiat ex cap. 20 libri de Vita ejusdem dixisse : « Sexaginta quippe et eo amplius episcopos tunc catena ligabat exsilii, quorum lingua et ingenium beatus Fulgentius episcopus fuit. » Tot ejusdem libri editi eximiam ipsius doctrinam abunde manifestant. Vide quæ de eodem dixi lib. II Hist. Pelag., cap. 21 et 24.

Hoc ipsum colligitur ex Augustino, qui lib. I de peccatorum Meritis et remissione cap. 28, asserentes pueros futuros in medio quodam loco nuncupat *male credentes*. Idem in lib. de Prædestinatione sanctorum, cap. 12, ait : « Cum moriuntur infantes, aut merito regenerationis transeunt ex malis ad bona, aut merito originis transeunt ex malis AD MALA. Hoc catholica fides novit. » Præterea, lib. V contra Jul., Operis imperf. cap. 64, ait : « Inter reprobos sunt certe plurimi qui si ex hac vita abriperentur infantes, secundum falsam vestram hæresim penitus ab omni, secundum autem catholicam fidem a damnatione gravissima tollerentur. » Certum est eam pœnam a catholica fide in parvulis asseri, quam Pelagiani inficiabantur; at hi pœnam damni, hoc est, exclusionem a regno cœlorum libenter concedebant. Hinc dixit Augustinus, serm. 14 de Verbis Apostoli : « Videris enim tibi misericors, quia non aufers ei vitam, DAMNAS tamen, quem separas a regno cœlorum. DAMNAS, non eum percutis, sed in EXSILIUM MITTIS. Ex Pelagiani pueros *non percutiebant*, hoc est, pœna sensus illos nequaquam mulctabant, sed pœna tantum damni, in exsilium illos mittendo. Quare, Augustino teste, catholica fides tradit parvulos *percuti*, et non tantum in exsilium mitti, quod Pelagiani ultro fatebantur. Rursus tract. 67 in Joannem hæc ait : « Proinde respuendi sunt a corde Christiano qui putant ideo dictum multas esse mansiones, quia extra regnum cœlorum erit aliquid ubi maneant beati innocentes qui sine baptismo ex hac vita emigrarunt, quia sine illo in regno cœlorum intrare non potuerunt. Hæc fides, non est fides; quoniam non est vera et catholica fides. » Et tamen videmus plures scholasticos beatitudinem naturalem perfectissimam citra dolores et tristitiam parvulis promittere extra regnum Dei, quorum sententia minus tolerari potest quam illa Pelagianorum, quia isti contendebant infantes esse innocentes et nulla culpa coinquinatos, unde non adeo grave absurdum videbatur quamdam eisdem felicitatem præparare, cum tamen scholastici, nec ignobiles, asserant cum Ecclesia catholica pueros esse originali labe infectos, sub potestate dæmonis, filios iræ, nec postea dubitent eisdem beatam quamdam vitam promittere.

Sed ex eadem Africa ad Romanam apostolicam sedem evectus sanctus Gelasius papa adeo aperte Augustinianam sententiam confirmavit, ut nihil solidius hac in disputatione adduci possit. Ilic, in epistola ad episcopos per Picenum contra Senecam delirum senem Pelagianum missa, scribit : « De parvulis autem quod asserit, sine baptismate pro solo originali peccato non posse damnari, satis IMPIA, satis profana propositio est. » At Pelagiani nunquam sine baptismo regnum cœlorum pueris promiserunt, sed nescio quem tertium locum inter cœlum et inferos. Audiatur laudatus Gelasius : « Nihil est ergo quod dicant quod non renati infantes tantummodo in regnum cœlorum ire non valeant, non autem perpetua damnatione puniantur. » Ubi cum pontifex præter exclusionem a regno cœlesti, quæ est pœna damni, decernat pueros *perpetuo damnatione puniri*, palam fit eumdem Augustini sententiam approbasse, et concludit : « Dicant igitur in morte perpetua constituti, si non æstimentur esse damnati. TOLLANT ERGO DE MEDIO NESCIO QUEM IPSI TERTIUM, QUEM DECIPIENDIS PARVULIS FACIUNT LOCUM. » Ita arguit pontifex : Pueri sunt damnati, ergo tollant de medio tertium, quem decipiendis parvulis faciunt locum. Ex quibus patet in antecedenti loqui Gelasium de damnatione apud inferos, qua pueri perpetuæ, hoc est, secundæ mortis supplicia sustinent, unde recte infertur tollendum esse de medio tertium locum. At cur TERTIUM dicit, nisi ut duo tantum loca esse declaret, nempe cœlum sedem beatorum, et inferos carcerem damnatorum? Quod defensores Augustinianæ sententiæ tortores puerorum a scholasticis nuncupantur, longe graviori censura eosdem Gelasius perculit, dum illos *deceptores parvulorum* apostolici oris sententia pronuntiavit, quippe qui eisdem secundæ felicitatis locum inani asseveratione promittebant. Imo ibidem tertium illum locum explodit, motus eodem testimonio sacrarum litterarum, quod initio ex Augustino adduximus. Etenim scribit pontifex : « Tollant ergo de medio nescio quem ipsi tertium quem decipiendis parvulis faciunt locum. Et quia non nisi dexteram partem legimus et sinistram, non illos faciant IN SINISTRA REGIONE sine baptismate permanere, sed baptizatos sinant ad dextram salutarem sacra regeneratione transferri. » Quare Gelasius papa non modo sancti doctoris sententiam, verum etiam ejusdem quoque rationem approbavit. Porro definitiva illa sententia est : *Tollant ergo de medio nescio quem ipsi tertium, quem decipiendis parvulis faciunt locum.* In quibus dum dicit *nescio quem*, declarat nec scire se nec inquirere quænam aut ubinam esset secunda felicitas parvulis a Pelagianis promissa, sed ob id eorum dogma damnare, quod tertium locum facerent inter regnum cœlorum, quod dandum est iis qui erunt in dextera, et inferni pœnas, quæ destinantur iis qui erunt in sinistra. Ex his jure Gelasius appellatur a Gabriele Vasquez, prima parte, disp. 91, num. 75, *per omnia Augustinianus*. Et quidem in eamdem epistolam, ut alias notavimus, totius Augustinianæ contra Pelagianos doctrinæ succum valentiorem contraxit. Unde cum ex Clementis pont. opt. max. indulto ejusdem sancti pontificis memoriam

quotannis Augustiniana familia recolendi facultatem impetrasset, inter precum officia ejusdem vitæ synopsi insignem Gelasii erga sancti Patris Augustini doctrinam cultum inseruit. Gelasii laudes recitat Dionysius Exiguus in epistola ad Julianum presbyterum, in qua ejusdem pontificis doctrinam, pietatem ac exantlatos pro orthodoxa fide labores eximie commendat. Has litteras leges in calce prioris partis collectionis Romanæ Lucæ Holstenii. Et quidem communem id temporis fuisse sententiam in Ecclesia, pueros sine baptismo decedentes in inferos detrudi, patet ex libello fidei quem Pelagiani episcopi concinnarunt; ibi enim veluti ingens absurdum exaggerant pœnas sensibiles puerorum.

*Idem Augustini assertum Patrum ac plurium theologorum etiam recentiorum auctoritate probatur.*

Agmen Patrum, ut par est, Hieronymus ducet, qui propius in Palæstina cum Pelagio veluti collato pede certavit. Edidit ille Dialogos contra eumdem hæresiarcham, in quibus sub nomine Critoboli Pelagium, sub nomine vero Attici virum catholicum colloquentes induxit. Itaque Critobolus objicit in fine tertii libri : « Oro te, quid infantuli [peccavere? Nec conscientia eis delicti imputari potest, nec ignorantia, qui juxta Jonam prophetam manum dextram nesciunt et sinistram. Peccare non possunt, et possunt perire, genua labant, vagitus verba non explicant, balbutiens lingua ridetur, et ÆTERNÆ MISERIÆ CRUCIATUS miseris præparantur. ». En Pelagius exprobrat catholicis veluti quid absurdum puerorum in aliena vita cruciatus. Quid his reponit Hieronymus, an forte illa Annati verba : *Negamus crudelem consequentiam?* Lib. 8 sui Augustini, cap. 1, pag. 858. Haud equidem, sed ex Paulo apostolo peccatum originale probat, ut pueris tormenta non injuste infligi videantur. Eadem pœna sensibilis infantium asseritur a sancto Avito, antistite Viennensi, qui anno 500 in Galliis floruit. Etenim in carmine ad Fuscinam sororem hæc eleganter scripsit:

*Omnibus id vero gravius, si fonte lavacri*
*Divini expertem tenerum mors invida natum*
*Præcipitat, dura generatum sorte* GEHENNÆ,
*Qui mox ut matris cessarit filius esse,*
*Perditionis erit; tristes tunc edita nolunt,*
*Quæ* FLAMMIS *tantum genuerunt pignora matres.*

Fuit autem Alcimus Avitus præsul doctissimus, ac synodo Epaunensi aliisque præsedit. Huic autem supparem dabo sanctum Fulgentium Ruspensem episcopum, qui eidem Avito convixit. Hic in lib. de Fide ad Petrum diaconum sententiam eamdem tanquam de fide tenendam docuit cap. 27, cujus verba superius laudavimus. Idem, lib. 1 de Veritate prædestinationis et gratiæ, cap. 12, ait : « Nulla igitur est causæ diversitas in infantibus, quæ faciat unum eligi, alterum reprobari. Si vero parentum consideretur voluntas, illi qui Christiani sunt, ut eorum filius baptizaretur, sollicite voluerunt, instantissime curaverunt; quorum tamen filius antequam baptizaretur morte præventus, ÆTERNIS EST IGNIBUS deputatus. » Capite etiam 14 scribit : « Causa vero majorum atque minorum, qui sine baptismate cursum vitæ præsentis in infidelitate consummant, quantum attinet ad communionem originalis peccati, una est. Ex hac utrique ibunt in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus, quia in eis chirographum, quo sibi eos deceptoris nequitia subdidit, Salvatoris gratia non delevit. » Et statim : « Reddet unicuique secundum opera sua, ut non solum pro originali peccato ÆTERNIS IGNIBUS ARDEANT (quibus ARSURI sunt sine baptismate morientes etiam parvuli, qui nihil boni aut mali egerunt), sed etiam pro sua voluntate mala tanto deterius torqueantur, quanto amplius propriæ iniquitatis adjiciant. » Ili Fulgentii libri eximie commendantur a Patribus Africanis in Sardinia pro fide orthodoxa exsulantibus, in epistola synodica, cap. 18.

At sæculo eodem desinente, sanctus Gregorius Magnus, et insequenti ineunte sanctus Isidorus Hispalensis Augustini sententiam approbarunt, quippe quæ communis tum temporis in Ecclesia habebatur. Gregorius, lib. IX Moral., cap. 12, in illa Job : *Et multiplicabit vulnera mea etiam sine causa*, hæc scribit : « Nonnulli etenim prius a præsenti luce subtrahuntur, quam ad proferenda bona malave merita activæ vitæ perveniant. Quos quia a culpa originis sacramenta salutis non liberant, et hic ex proprio nihil egerunt, et illuc AD TORMENTA PERVENIUNT. Quibus unum vulnus est, corruptibiliter nasci, aliud carnaliter emori. Sed quia post mortem quoque æterna mors sequitur, occulto eis justoque judicio etiam sine causa vulnera multiplicantur; PERPETUA (quippe) TORMENTA PERCIPIUNT (qui) nihil ex propria voluntate peccaverunt. » Et postea : « Districtus judex, qua eos animadversione trucidat, quos culpa propriæ actionis damnat, si et illos IN ÆTERNUM PERCUTIT, quos reatus arbitrii non addicit? » Hæc adeo clara sunt ut Moraines dicat Gregorium ea non ex sensu Ecclesiæ, sed ex propria opinione asseruisse. Sanctus Isidorus, lib. II Differ. spirit., num. 26, idem tradit inquiens : « Illud tamen tenendum est, parvulorum animas nexu peccati originalis esse astrictas, quæ nisi percipiant baptismatis sacramentum, regni cœlestis participes esse non possunt, sed cum carne et commune habebunt peccatum, et pari judicio DAMNABUNTUR IN IGNEM ÆTERNUM. » Et lib. I Sententiarum, cap. 22, ait : « Pro solo originali reatu luunt IN INFERNO nuper nati infantuli PŒNAS. » Erat ergo certa in Latina Ecclesia illa assertio de pœnis puerorum, quam Augustinus, Fulgentius ac Synodi in Africa docebant, quam Gelasius ac Gregorius sanctissimi pontifices in Italia tradebant, quam sanctus Avitus in Gallia, et sanctus Isidorus in Hispania citra dubium asserebant. Eamdem vero diutius usque ad scholasticorum ætatem viguisse existimo. Sanctus Prudentius, episcopus Tricassinus, qui floruit anno 850, in libro de Prædestinatione, cap. 16, ait : « Quæ punitio bifariam dividitur, et nunc in absolutione animæ a suo corpore comparata hujus primæ prævaricationis merito, quod ab ipsa radice in omne

posteritatis ejus genus transfusum atque innatum est, et postmodum (in) GEHENNA, quæ tam hujus quam aliorum multiplicitate criminum libidinosa perversitate contractorum acquisita est. » Et inferius de parvulis scribit : « Extra baptismi gratiam morientes, non suo, sed protoplasti peccato PERPETUA PLEXIONE DAMNANTUR. » Ex Anglia veniat Anselmus, qui in lib. de Conceptu Virg. et pec. orig., cap. 22, hæc docuit : « Sed cum nemo dubitet quia par pœna non sequetur imparia peccata, in hoc tamen similis est et personalis et originalis peccati damnatio, quia nullus admittitur ad regnum Dei, ad quod factus est homo, nisi per mortem Christi, sine quo non redditur quod pro Adæ peccato debetur, quamvis non omnes pariter in inferno torqueri mereantur. Nam post diem judicii nullus erit angelus, aut homo NISI AUT IN REGNO DEI, AUT IN INFERNO. » Explodit tertium illum locum felicitatis secundæ, quem plerique parvulis promittunt. Ultimus accedat sanctus Aelredus, sancti Bernardi contemporaneus, in libro I Speculi charitatis, cap. 15. Cum sibi objecisset : « Parvulos quæ ratio addicit damnationi, quos nec creatio malos, nec propria voluntas fecit injustos? » Respondet : « Quid enim? Injustum æstimas ut lignum inutile et infructuosum ignis depascat? Cogita, quæso, totum humanum genus quasi lignum aridum, lignum infructuosum, lignum in ipsa radice vitiatum, utpote veneno antiqui serpentis inficiatum, justissime addictum flammis, igni destinatum, adjudicatum damnationi. Quid ergo? Ingratum te præbes, o lignum inutile! quod quidam ramusculi a tua præmortua præcisi radice eripiuntur incendio, quatenus stipiti cuidam fructuoso inserti pristinæ libertati donentur. » Hujus sancti Regulam lege apud Holstenium, pag. 187, parte II Collectionis Romanæ. Ex his patet quam falso dixerit Adamus *omnes Patres contra Augustinum stare*. Certe neque Pater Suarez, neque Pater Vasquez cum Augustino ea in re conveniunt, at bene sanctum doctorem secuti sunt omnes Latini Patres, qui controversiam illam quoquo modo attigerunt, in quorum lectione Adamus totus hospes fuit.

Hæc itaque antiquæ Ecclesiæ ac sanctis Patribus de infantium pœnis sententia stetit, donec post ducentesimum supra millesimum annum Christianæ epochæ novæ opiniones a scholasticis procusæ sunt. Qui si in Patrum voluminibus tantum studii ac laboris posuissent, quantum Aristoteli explicando impendere, profecto sancti Augustini sententiam non obduxissent, neque eorum plerique Pelagianorum opinionem, quod naturalem illam puerorum beatitatem attinet, hominum mentibus tam alte infixissent. Verum tanta fuit vis veritatis, ac tantum Augustini auctoritas valuit, ut plerique etiam scholasticorum pedibus in Augustini sententiam ierunt. Primus fuit Gregorius Ariminensis, subtilissimus antiquæ Parisiensis scholæ doctor, qui pœnas sensibiles infantium acerrime sustinuit in 2 Sententiarum, dist. 30, quæst. 3. Nullus autem veterum scholasticorum in Augustini lectione Gregorium superavit. Hanc illi laudem ultro recentiores tribuunt. Dicitur a Vasquez 1-2, disp. 185, num. 13, *apprime in Augustini doctrina versatus*. A Vandero appellatur *vir doctissimus, et si quis alius doctrinæ Augustinianæ perstudiosus*, disp. 1 de Libert. Dei, num. 23. Addit Fasolus part. 1, q. 23, art. 1, dub. 3, num. 34, *cujus libri Augustini auctoritatibus et sententiis passim abundant*. Idem nuncupatur a Raynaudo *homo in Augustini lectione versatissimus*. In cens. inoff. [[Pro Valer. Cemeliens.] cens. num. 2. Denique Decampsius scribit : « Gregorius Ariminensis, quem non vitæ tantum instituto, sed etiam doctrina Augustinum fuisse noru t omnes, qui vel strictim ejus libros attigerunt. » Lib. III de Hæresi Jans., disp. 3, cap. 20. Quæ consulto hic inserui, ut planum fiat quantum fidei Ariminensi præstandum sit, ubi de Augustini mente disputatur. Video enim hunc insignem doctorem plerasque sententias tanquam vere Augustinianas defendere, quas tamen recentiores veluti portenta ac paradoxa prorsus anti-Augustiniana rejiciunt. Hic itaque vir subtilissimus Augustini auctoritatem communi illius ætatis scholasticorum sensui præposuit. Albertus etiam Magnus, in Summa, tract. 18, probabilem Augustini sententiam fatetur, uti etiam Polmanus, doctor Duacensis, in calce Breviarii theologici, num. 469. Consentiunt Sonnius, tract. de Extremo Judicio, cap. 6 et 7; Driedo, lib. I de Gratia et libero arbitrio, tract. 3, cap. 2, part. 1. Ex Augustiniana familia præter Gregorium fuse eamdem sententiam tuentur Augustinus Musæus in Apologetico ad Paulum III, Alipius Reylof Belga, lib. VIII de Anima ad mentem sancti Patris Augustini, cap. 2, § 13; Michael Paludanus, insignis doctor Lovaniensis, in epistola ad Conrium archiepiscopum Thuamensem, quæ legitur in limine libri ejusdem Conrii mox laudandi. Denique Carolus Moreau Gallus, tomo I sui Tertulliani, part. II, pag. 89 et seq., ubi ait : « Attendant et hi qui solam pœnam damni in eis admittunt, se ab antiquo Ecclesiæ et Patrum sensu esse remotissimos. » Ibi enim plura Patrum testimonia laudat, quæ tamen de damnatione generice sumpta intelligendos esse facile adversarii dicent; neque enim Gelasii, Aviti, Isidori, Prudentii aliorumque auctoritates produxit, quas nos superius attulimus. Hic tamen Augustinianos plurimum debere fateor doctissimis Seraphicæ familiæ Patribus, totidem enim pro Augustiniana sententia, quot ex nostris, stare video. Alphonsus a Castro, insignis theologus, in lib. adversus hæres., v. *Baptismus*, ait pueros originali infectos esse *gehennæ obnoxios*. Matthias Hauzerus idem docet tom. II Anatomiæ Augustinianæ, pag. 764. Idem etiam docent Joannes Poncius Hibernus, disp. 18 Cursus theologici, tota quæstione 6, et in Commentario in 2 Sententiarum Scoti, dist. 33; P. Macedo, lib. IV de Clavibus, cap. 18, contr. de Peccato orig., sect. 3; quorum omnium studia vicit Florentius Conrius, archiepiscopus Thuamensis, integro pro sancti Augustini assertione volumine evulgato, in quo fusissime ex sacris litteris e

Augustino sensibiles infantium pœnas demonstravit. Patrum tamen testimonia omisit, unus enim Augustinus instar omnium illi fuit. Hic autem cum cap. 2 retulisset plerosque ea in opinione Augustinum in excessus prolapsum sentientes, quæ recentiorum cantilena est, haud sibi temperare potuit quin exclamaret : « O vocem non solum miræ animositatis plenam, sed injuriæ in Augustinum, ejusque sanctos commagistros, et in ipsam sedem apostolicam forte plenissimam ! » Video hunc doctissimum antistitem vocari a Morainio novorum dogmatis arum prodromum, cum tamen antiquissimam Patrum sententiam propugnaverit. At quod in limine libri Augustini nomen inscripsit, ac peregrinum Jerichontinum in alio volumine descripsit, in quo humanæ naturæ status juxta Augustini mentem egregie explicuit, hinc et nuperis, quos appellat, dogmatistis præcursor datus, tantum Conrio stetit Augustinum defendisse. Hi ergo subtilissimæ scholæ professores, licet alias Scoto addictissimi, cum magistrum in præsenti controversia cum Augustino minus convenire intelligerent, religioni duxerunt Scotum Augustino præponere. Imo eo facto ipsius Scoti, si non doctrinam, saltem exemplum secuti sunt. Etenim subtilissimus ille doctorum tantum Augustino detulit, ut Patres Minores, in libello supplici exhibito senatui Castellæ anno 1628, quo juramentum Salmanticensis academiæ pro defendenda doctrina sancti Thomæ, quod diligentissimus Augustini discipulus fuit, tanquam doctori subtili injuriosum deferebant, hæc scripserint : « Scotus adeo Augustinianæ doctrinæ addictus fuit, ut in solis theologicis commentariis octingenties ac quindecies sanctum Augustinum in suarum assertionum testem protulerit, » etc. Quæ aliave legere poteris tomo priori Historiæ Augustinianæ Hispanice scriptæ a Petro de Campo, lib. III, cap. 30, et apud Lucam Wadingum in Vita Scoti, tomo I Operum ejusdem, cap. 15, num. 69.

*Thesis de sensibili infantium pœna in inferis rationibus suadetur. Qua occasione ostenditur Ecclesiam Romanam inter precum officia eamdem sancti doctoris sententiam recitare. Augustinus vocat illam pœnam mitissimam. Statuitur pueros ex pœna damni gravem tristitiam pati.*

Sed nec desunt argumenta satis valida quæ sancti Augustini sententiam non modo probabilem, verum etiam longe probabiliorem ostendunt; nam quod synodos et Patres attinet, vera est ejusdem sententia. Primum argumentum est : Peccatum originale induxit sensibiles miserias puerorum præsentis vitæ, ergo et easdem per totam æternitatem distendet. Probatur consequens, quia pœnæ sensibiles hujus vitæ non sunt sufficientes ad satisfaciendum per satispassionem pro macula peccati originalis, et quantæ quantæ sunt, juste humanum genus easdem patitur; ergo durante eadem macula peccati per totam æternitatem, juste in æternum pueri originali labe infecti easdem patientur. Respondent communiter scholastici miserias esse pœnas peccati originalis per accidens; nam justitia originalis eximebat hominem A iis miseriis quas in natura pura subiisset; quare cum peccatum originis per se sustulerit justitiam originalem, per accidens induxit miserias. Hanc responsionem § 2 superius explosimus, quam rursus hic egregio testimonio Augustini, lib. VI Operis imperf., cap. 37, refellimus. « Restat, inquit, ut ista, quæ nunc est (scilicet mors corporis), ipsa novissima, hoc est, in fine destruatur, quando fiet resurrectio carnis, ut non sit porro inimica, quomodo esset, si naturalis ita esset, ut pœnalis non esset; pœnalis autem sub justo et omnipotente Deo judice nullo pacto esset, nisi meritis peccati accidisset. » Cum autem mors pœnalis dicitur, non ideo dicitur ob relationem quam habet ad culpam, cujus ipsa pœna sit, sed pœnale accipitur ab Augustino, quod infert B cruciatum et dolorem, unde et pœna alia est justa, alia injusta : nempe injusta est, quæ sine prævio demerito innocenti a tyranno infligitur. At mors nequit esse naturalis, ut non sit pœnalis. Etenim anima a corpore separari non potest, nisi præviis morbis et doloribus, sive ii longi sint, sive breves; qui enim breves sunt magni sunt. Ergo ex sancto doctore nequit mors esse naturalis sub justo et omnipotente Deo, qui tanquam justus non infligeret malum pœnæ sine culpa, tanquam omnipotens non sineret ab alio toti innocenti naturæ infligi. Hinc clamat eodem lib. VI, cap. 20 : « Neque enim sub Deo justo miser esse quisquam, nisi mereatur, potest. » Quomodo autem Adam, licet ex elementis et corpore animali compositus, moriturus non fuisset, egregie explicat sanctus C doctor ibidem, cap. 39. Sed, his omissis, cominus datam responsionem oppugno. Etiamsi homo in natura pura futurus fuisset iis miseriis subjectus quæ ex complexione elementorum, quibus constat et in quibus vivit, ortum ducunt, multæ sunt aliæ gravissimæ miseriæ quas homo ex sua natura non patitur. Etenim plerumque pueri a dæmone invaduntur, et ad mortem usque cruciantur, illa autem pœna non oritur ex conditione materiæ. Urget hoc argumentum Augustinus lib. VI contra Julianum, cap. 6. « Tu, inquit, assere, si potes, quomodo sibi non obscure, sed aperte vindicet parvulos, quos immundi spiritus vexant. Si ei traditos dicis, videmus ambo supplicium, tu dic meritum; ambo cernimus pœnam, tu qui nulla mala merita dicis ex parentibus trahi, cum D Deum justum ambo fateamur, demonstra ista pœna dignam, si potes, in infantibus culpam. An vero non agnoscis etiam hoc ad illud *grave jugum* pertinere, quod est *super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum* (*Eccles.* XL)? etc. » Ideo enim dæmones permittuntur tantis cruciatibus pueros torquere, quia isti sunt peccato detur,ati. Itaque durante eodem reatu juste dæmon poterit illos affligere. Rursus rejicitur eadem responsio. Si miseriæ per accidens consequuntur privationem justitiæ originalis in statu præsentis vitæ, cur etiam in altero statu eædem miseriæ itidem saltem per accidens non consequentur privationem originariæ innocentiæ? Profecto cum peccatum in pueris in præsenti æque ac futura vita

remaneat, nescio undenam divinam justitiam in altero sæculo futuram erga infantes mitiorem deducant, cum in aliena vita severius peccatores puniat. Et quidem si Deus Adamum post peccatum morti non destinasset, et hic æternum inter miserias una cum posteris vixisset, nullus judicium Dei culpare posset, qui inimicum genus ac sorde pollutum pœnis addixisset. Ergo in illa hypothesi ob solum originale delictum pueri æternum juste pœnas subirent.

Probatur secundo. Deus odio habet pueros originaria labe pollutos, illis est iratus atque inimicus, ergo juste potest exercere contra eosdem actus justitiæ vindicativæ, prout hæc est inflictiva pœnæ sensibilis. Antecedens colligitur ex Joan. III, 36 : *Qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Quam sententiam parvulis non credentibus applicat sanctus doctor lib. I de peccatorum Meritis et remissione, cap. 20. Scribit etiam Apostolus Ephes. II, 3 : *Eramus natura filii iræ*, nempe ob peccatum originis, quod cum natura in prolem transfunditur, quo fit ut puer recens natus sit aversus a Deo, et ex consequenti ejusdem inimicus. Consequentiam vero acute deducit Augustinus tract. 44 in Joannem inquiens : « Apostolus natus in gente prophetarum dicit: *Fuimus et nos aliquando natura filii iræ, sicut et cæteri.* Si filii iræ, filii vindictæ, filii pœnæ, filii gehennæ. Quomodo natura, nisi quia peccante primo homine vitium pro natura inolevit? » Sunt optimæ illationes, quandoquidem si Deus est iratus pueris, ergo potest contra eosdem exercere actum justitiæ vindicativæ ; ergo etiam eosdem pœna afficere, objectum enim justitiæ vindicativæ est punitio rei ; ergo potest illos gehennæ, hoc est inferni flammis destinare, ubi *erit fletus et stridor dentium* (*Matth.* XXII, 13). Nec valet, si dicas iram Dei ejusque justitiæ vindictam apparere in pœna damni qua puniuntur pueri, nec oportere ut ab eadem justitia pœna sensibili castigentur. Etenim pueri sunt rei ejusdem omnino peccati quod commisit Adam, ita ut crimen quod in Adamo fuit actuale, evaserit in posteris originale ; unde dicit Apostolus Rom. V : *In quo omnes peccaverunt;* ergo sicuti in Adamo peccatum actuale punitum fuit inflictione pœnæ sensibilis, in posteris etiam eodem supplicio castigari poterit ; uti pestis non tantum nocet illi in cujus corpore primum nascitur, verum etiam alteri qui eadem per contactum inficitur : ita pueros *peccati paterni contagione* mori dixit Augustinus lib. VI contra Jul., cap. 4. Huc facit quod docet sanctus Thomas 1-2, q. 81, art. 2, ad 1 : « Pœna, inquit, corporali interdum judicio divino vel humano puniuntur filii pro parentibus, in quantum filius est aliquid patris secundum corpus. » Deus enim e vita sustulit filium David, ut patris adulterium puniret, et tamen puerulus non erat reus paterni delicti. Hinc Exodi XX, 5, dicitur Deus visitare *iniquitatem patrum in filios in tertiam et quartam generationem.* Quo ergo potiori jure Deus poterit punire pœna sensibili pueros, qui reapse contrahunt maculam primorum parentum? Sed etiamsi illationes illæ Augustini ex his verbis Apostoli, *fuimus et nos aliquando natura filii iræ*, possent utcunque eludi, nobis interim sat est easdem recitari ab Ecclesia Romana inter officia precum feria IV Dominicæ IV Quadragesimæ, in lectione priori expositionis Evangelii. Uti enim certum est Augustinum eo loci juxta propriam sententiam de sensibili puerorum pœna in gehenna locutum esse, ita ejusdem doctrina suis precibus ab Ecclesia inserta, ingenti auctoritatis pondere fulcitur ; saltem omni censura liberatur, quod unum hic intendimus adversus recentiores criticos, excessus Augustino objicientes.

Probatur tertio. Pueri prædestinati ex meritis Christi habebunt in alia vita bona corporis, quæ *dotes* a theologis nuncupantur ; ergo pueri reprobi patientur in alia vita mala corporis ex demeritis Adæ. Simile argumentum ponitur ab Augustino lib. VI contra Jul., cap. 10, ubi paritatem negantes vocat *importunos.* Do ejusdem verba : « Vide ergo, inquit, quam importune nolis, parvulum de alieno peccato reportare malum, et velis eum de alieno recte facto reportare bonum, non qualecunque, sed Dei regnum. Alienum quippe opus est, cum credit per alterum, sicut alienum opus fuit, cum peccavit in altero. » Respondent negando paritatem ; nam licet divina bonitas possit dare bona corporis iis qui eodem corpore tanquam instrumento pro eorumdem acquisitione nihil boni egerunt, contra æquitatem tamen est pati corpus illius qui eodem corpore nunquam peccavit ; præsertim cum pœna sensus sit proportionata iis delectationibus peccaminosis quæ corpore percipiuntur. Sed contra est, quia sicuti in alia vita non ponitur novum meritum aut demeritum, sunt enim animæ in termino, sed Deus eo modo erga illas se habet postea, ac quando recesserunt, cum pueri sine baptismo defuncti numerentur in familia diaboli, sicuti e contra mortui suscepto sacramento in familia Christi, æquum est ut sicut isti sub Christo bona corporis recipiunt, ita illi sub dæmone mala corporis sentiant. Etenim si in hac vita sunt sub potestate dæmonis, ita ut illos in corpore torqueat, ut superius ostensum est, cur in alia vita, in qua nulla est redemptio, ab illius potestate, quam antea in eorumdem corpora habebat, eximentur? Scribit sanctus doctor proxime laudatus : « Jam itaque vobis ipsis reddite rationem, ne putetis indignum ut qui non admittuntur in regnum Dei, sint sub illo qui cecidit de regno Dei ; et qui non habent vitam, sint sub illo qui perdidit vitam. » Nec juvat quod pueri corpore non peccarunt, unde nec in corpore puniendi videntur, nam peccatum solius voluntatis superbientis juste punitur pœna sensus, nec dæmones corpore peccarunt, et tamen pœna sensibili affliguntur. Imo cum totum peccatum, quod fuit actuale in Adam, sit originale in pueris, et illius reatum ex toto subeant, cum in peccato Adæ fuerit voluptas sensus in comestione pomi, hujus etiam voluptatis pœnas luit infelix posteritas, cujus pariter reatus in ipsam per generationem transfusus est.

Hic tamen advertendum est Augustinum asserere

mitissimam esse pœnam quam infantuli in inferis subeunt. Illam *damnationem omnium levissimam* vocat lib. v contra Jul., cap. 11, quod est 8 in editione Basileensi, et *mitissimam sane omnium pœnam* in Enchiridio, cap. 93, et lib. I de peccatorum Meritis et remissione, cap. 16. Cum ignis calefaciat, et si calor sit intensus, etiam comburat, quandoquidem ex Augustino pœna illa est *levissima* ac *mitissima*, erit ab igne calefaciente cum aliqua molestia pueros, sed non eosdem ustulante. Quare sicuti eo intensius ardebunt reprobi adulti, quo plura scelera admiserc, cum pueri hæreditarii tantum criminis rei sint, calore ad molestiam usque ac dolorem incutiendum intenso affligentur. Video Fulgentium superius laudatum scribere pueros *arsuros*, sed ea voce calorem cum dolore, qui tamen esse potest citra combustionem, in corpus agentem significavit. Confirmatur hoc ipsum ex lib. v contra Jul., capite proxime memorato, ubi ait pueros « in damnatione omnium levissima futuros. Quæ, qualis et quanta erit, quamvis definire non possim, non tamen audeo dicere quod eis, ut nulli essent, quam ut ibi essent, potius expediret. » Quod si ab igne comburerentur, profecto melius illis esset nunquam exstitisse. Ibi vero non recusat definire genus pœnæ, nec speciem, nempe an sint in igne et an ibi solummodo calefiant vel ustulentur, sed tantum quo gradu vel intensione caloris iidem pueri torqueantur.

Solent quærere scholastici an pueris pœna damni tristitiam incutiat. Respondent scholarum principes nulla tristitia pueros affici. Recentiores tamen plerique, quos inter eminet Bellarminus, lib. VI de Amissione grat., etc., cap. 6, tristitiam in parvulis admittunt, quod a gloria æterna se exclusos vident. Pudet me ex Augustino nonnulla recitare; etenim inde palam fiet tam procul ab Augustini sententia abiisse illos doctores qui ob exclusionem a gloria nullam in pueris tristitiam gigni pronuntiarunt quam propius ad Pelagianorum paradoxa accesserunt. Profecto sanctus doctor irrisit, imo exsecratus est Pelagianos ita sentientes, quasi regni cœlestis contemptores. Scribit lib. III Operis imperf., cap. 99 : « In regnum Dei non intrare imaginem Dei, nullam esse contumeliam putatis, ipsum regnum etiam sic amatis ut non ibi esse, non saltem levem pœnam credatis hominis esse, sed NULLAM. » Idem Pelagianos graviter arguit lib. III contra Jul., cap. 3, inquiens : « Verum vos excellentissimi amatores illius vitæ quæ futura est æterna cum Christo, NULLAM PŒNAM putatis esse, imaginem Dei exsulare a regno Dei, cum si parvam pœnam esse diceretis, non esset hæc vox beati amatoris illius regni, sed MISERI CONTEMPTORIS. Rursus lib. v, cap. 1, loquens de plebeis Christianis ait : « Quorum si quisquam gestans parvulum filium, nec sine clamore invidioso, et in parte ubi nullus audiret, compellaret et diceret : Ego ea mente, intelligentia, ratione, in qua sum factus ad imaginem Dei, tantum amo regnum Dei, ut hominis MAGNAM judicem PŒNAM, si eo nunquam possit intrare. Itane vero tu, non homo de turba imperitorum, sed inter paucos prudentissimos regni illius amator, tanto utique ardentior, quanto magis te flagrantissima paucorum societas in illud accendit, nec facit inde torpescere frigidior multitudo, responsurus es homini, atque dicturus : NON SOLUM MAGNA NON EST, SED NULLA OMNINO PŒNA EST imaginis Dei, nunquam posse intrare in regnum Dei? Puto quod nec uni homini, cujus nec vim nec testimonium formidabis, hoc dicere audebis. Te itaque sive respondente quodlibet, sive quod magis a te exigeret, si non Christiana, certe humana verecundia, reticente, ingereret aspectibus tuis parvulum suum, » etc. Pœnam autem hic intelligi prout est inflictiva doloris, non vero prout est tantum quid malum in se inferius ostendam. Illa autem veteres haud legisse credam, neque enim illam sententiam publice docuissent, quam ne a Pelagianorum quidem insolentissimo Juliano uni homini non quidem docto, sed de ultima fæce vulgi clanculum citra ullius testimonium inculcari potuisse Augustinus existimavit. Putasne Mastrio curæ fuisse quid hac de re sentiret Augustinus? Nam ab eodem in 2 Sententiarum, disp. 4, de hom., q. 6, num. 163, adducitur « Augustinus de peccatorum Meritis et remissione, cap. 27, asserens infantes in limbo non tristari nec dolorem pati. » Augustinus tres scripsit libros de peccatorum Meritis et remissione, quos Mastrius non distinguit, simulque illi affricat eam opinionem quam veluti paradoxum detestatus est. Nemo ergo nobis vitio vertat si majorem in Augustino legendo diligentiam in scholasticis desideremus.

Moraines cum aliis respondet futuram parvam illam tristitiam puerorum ob exclusionem a gloria; sed hæc erat aliorum Pelagianorum responsio, teste Augustino lib. III. contra Jul., cap. 5 : « Porro, inquit, si quod huic sufficit causæ, PARVAM saltem PŒNAM fatemini esse, quæ magna est, ut imago Dei non sinatur intrare in regnum Dei, » etc. Idem vero, serm. 14 de Verb. Apost., ita contra Pelagianos argumentatur : « Si amatur patria, magna pœna; si autem non amatur patria, pejor est cordis pœna. Parvum malum est in hominis corde, qui societatem non quærit sanctorum, qui non desiderat regnum cœlorum? Si non desiderat, pœna est de perversitate; si autem desiderat, pœna est de fraudata charitate. Sed si, quod vis, parva sit pœna, et ipsa parva magna est, si nulla culpa est. » Hæc ille. Nec juvat quod reponunt tristitiam illam vel nullam esse, quod amissio sit boni supernaturalis, quod ipsis naturaliter non debebatur, vel saltem levem, quod videant, non sua ipsorum, sed primi parentis culpa se ab æterna gloria ejectos. Etenim natura humana erat ordinata ad gloriam, quæ gratia omnibus posteris Adæ decreta erat, a qua tamen cum se ob illius delictum excidisse videant, ingens doloris argumentum occurrit. Ita, si quis ob crimen læsæ majestatis amittat bona sibi a principe antea donata, nonne ejus filii toties ingenti tristitia corripientur, quoties præsentem pauperiem cum amissa bonorum affluentia

comparabunt? Quod autem aliena culpa in eum statum decideriut, pudorem quidem, sed non dolorem minuet, imo istum plus augebit. Pueris vero non modo pœna inflicta est, verum etiam inest culpa, et sunt reapse peccatores, unde cum tristitia etiam pudor in illis reperitur.

Respondent alii pueros nullam habituros cognitionem gloriæ æternæ, quod hæc est supernaturalis, nec naturali puerorum cognitione attingi poterit. Sed hæc responsio superius rejecta est, ubi probavimus pueros futuros in sinistra : videbunt enim e diverso electos, eosque ad æternam gloriam vocari. Interim quid his reponeret Augustinus, qui absurdum putavit pueros imagines Dei haud amare regnum Dei, scribens lib. VI contra Jul., cap. 4 : « Si hoc eis non erit malum, non ergo amabunt regnum Dei tot innocentes imagines Dei. Si autem amabunt, et tantum amabunt quantum innocentes amare debent regnum ejus, a quo ad ipsius imaginem creantur, nihil mali de hac ipsa separatione patientur? » Quid his, inquam, reponeret, dum in scholis audiret pueros non modo non amare, sed ne cognoscere quidem regnum Dei? Tam procul ab Augustini semitis nobiles scholastici abiêre. Verum hæc illis concedamus, aliunde tristitiam puerorum probo. Etenim non solum sunt aversi a Deo, ut auctore supernaturali, sed etiam ut auctore naturæ : Adam enim per peccatum relicto incommutabili bono adhæsit bono creato, quod peccatum cum ex origine a pueris trahatur, redduntur aversi a Deo et conversi ad creaturam. Hoc ipsum confirmatur, quia vel pueri habent aliquem finem naturalem quo possesso satiantur, vel nullum talem finem possunt possidere. Si primum detur, peto vel erit hic finis Deus, vel creatura? si creatura, erunt igitur peccatores et aversi a Deo ut auctore naturæ; si vero Deus erit ultimus finis, quatenus abstractive cognitus, ergo amabunt Deum et a Deo quoque amabuntur; quomodo ergo *ira Dei manet super illos* (*Joan.* III, 36)? Nonne per peccatum vere sunt inimici Dei? qua igitur ratione illum amabunt? Si vero illud alterum asseratur, nempe pueros nullum habituros ultimum finem, erunt ergo æternum miseri, utpote summi boni possessione exclusi. Et quidem vix posse explicari puto pueros nulla tristitia affici, dum cernunt, quod *ira Dei manet super illos*, dum se vident macula peccati infectos. Doletne ipsos quod in peccato sunt? Quis autem hoc neget? Magna enim tunc foret illorum perversitas, ac suppliciis gravioribus addicendi essent, si de peccato non tristarentur. Si autem status peccati dolorem ingerit, iidem etiam tristantur; tristitia enim est dolor de iis quæ nobis nolentibus accidunt. Pueros autem nolle esse in statu peccati, certum puto, quod tamen, quamvis nolentibus, æternum illis adhærebit. Sane arbitror illos qui negant tristari parvulos ne cogitare quidem de macula peccati, cum tamen sint proprie peccatores. Pelagiani, qui pueros innocentes putabant, magis consequenter dicebant eosdem vel parvam vel nullam tristitiam pati. Profecto Scotus inde probat pueros non tristari, quia id non posset contingere, nisi nollent carere beatitudine, neque esse in carcere captivi, quæ pœnæ ipsis nolentibus accidissent, at tunc peccarent, quia haberent voluntatem difformem voluntati divinæ. Ex quo discursu patet virum subtilissimum ne cogitasse quidem de tristitia quæ oritur ex peccato. Sed nec ratio illa, quam ante Scotum noster Ægidius produxit, quidquam probat; etenim pueri, cum sint peccatores, habent voluntatem difformem voluntati divinæ; sunt aversi a Deo et ad creaturam conversi; sunt vasa iræ et contumeliæ; sunt e numero reproborum : non sunt reconciliati Deo, sed inter ejusdem inimicos computantur, unde ira Dei manet super illos. Habent ergo ex origine voluntatem difformem voluntati divinæ. An vero quod juste se videant torqueri, patienter tormenta sustineant? Respondet Poncius, num. 34, « non esse sibi inconveniens quod parvuli in inferno peccent actu, cum enim habeant usum liberi arbitrii, et puniantur æternaliter a Deo, tum carentia beatitudinis, tum pœna sensus, esset sane maxima virtus in ipsis conformare se divinæ voluntati. » Quod si martyres intensissima gratia indiguere, ne in tormentis deficerent, sed pro religione pugnarent, nequaquam fieri posse videtur ut pueri solis viribus naturæ tantos ac tam longos cruciatus patienter sufferant. Nec ex alia parte videtur justitiæ divinæ consonum ut hostibus suis, qui sunt de familia diaboli, tantam divinæ gratiæ vim impertiatur.

*Solvuntur contrariæ sententiæ argumenta.*

Optime judicasse arbitror Joannem Poncium superius laudatum, cum num. 10 dixit oppositæ sententiæ argumenta esse *parvi momenti*, quod breviter apparebit ex subjecta eorumdem dissolutione. Objiciunt 1° Augustinum de pœnis parvulorum dubitasse, et, ut Goneti verbis utar, disp. 7 de Peccato originali, art. 7, num. 190, fuisse *dubium et anxium in hac materia*. Nam lib. III de Libero arbitrio, cap. 23, ait : « Non enim metuendum est ne vita esse potuerit media quædam inter recte factum atque peccatum, et sententia judicis media esse non possit inter præmium atque supplicium. » Ibi autem de parvulis loquitur. Addit Bellarminus : Illa *nunquam, quod sciam, Augustinus retractavit*. Omissa responsione, P. Macedo, non quod falsa sit, sed quod melior hæc altera nostra videtur, dico Semi Pelagianos olim eodem testimonio abusos fuisse ut gradum facerent ad infringendum argumentum a parvulis ab Augustino deductum, ut gratiam ex meritis exploderent. Hæc scribit Hilarius ad Augustinum : « Parvulorum autem causam ad exemplum majorum non patiuntur afferri; quam et tuam Sanctitatem dicunt eatenus attigisse, ut INCERTUM ESSE volueris, ac potius de eorum pœnis malueris DUBITARE. Quod in libro tertio de Libero Arbitrio ita posuisse meministi, ut hanc eis occasionem potuerit exhibere. » Huic Massiliensium objectioni respondet sanctus doctor in lib. de Dono persev., cap. 12, se olim presbyterum libros de Libero Arbitrio, quos laicus Romæ inchoarat, in

Africa confecisse, nempe ante annum 359. Quare, etiamsi tunc de parvulorum pœnis dubitasset, « Nemo, ait, ut opinor, esset tam injustus, atque invidus, qui me proficere prohiberet, atque in hac dubitatione remanendum mihi esse judicaret. » Addit non oportere credi se ea de re dubitasse, sed quod Manichæi, quidquid de pœnis infantium sentiretur, rejiciendi erant, ne duarum naturarum, nempe mali bonique permixtio crederetur, et concludit : « Absit ut causam parvulorum sic relinquamus, ut esse nobis dicamus incertum utrum in Christo regenerati, si moriantur parvuli, transeant in æternam salutem ; non regenerati autem transeant in mortem secundam, etc. » Itaque sanctus doctor ideo non retractavit quod olim docuerat de pœnis parvulorum, quia de iisdem non dubitaverat. Imo in epist. 28 ad Hieronymum, quæ scripta fuit anno 414, cum Orosius in Asiam transmitteret, hæc scribit sanctus Pater de eodem lib. III de Libero Arbitrio : « Non tamen de damnatione eorum parvulorum, qui sine illo (nempe baptismo) ex hac vita emigrant, tunc aliquid dicendum putavi, quia non quod nunc agitur, agebatur. » Etenim Augustinus ibidem disputat tantum de pœnis quas in hac vita parvuli patiuntur. Hinc factum est ut Hieronymus cum Augustino senserit ; nam in eadem epistola diserte scribit parvulorum animas damnari, inquiens : « Damnari enim eas, si sic de corpore exierint, et sancta Scriptura, et sancta est testis Ecclesia. » Orosius autem una cum hac epistola detulit in Asiam ad Hieronymum libros tres de peccatorum Meritis et remissione, in cujus priori cap. 23 locum medium puerorum explodit. Quare Hieronymus iis lectis, ac in calce Dialogorum laudatis, Augustino ea in sententia adhæsit, ut superius ostensum est.

Objiciunt 2° sanctos Patres oppositum sensisse. Etenim Nazianzenus in orat. in sanctum lavacrum dicit quod pueri *nec cœlesti gloria, nec suppliciis a justo judice afficiantur.* Gregorius Nyssenus orat. 1 scribit pueros sine baptismo mortuos *neque in doloribus ac mœstitia esse.* Addunt Ambrosium in cap. 5 ad Rom., ubi ait : *Est et alia mors, quæ secunda dicitur, quam non peccato Adæ patimur, sed ejus occasione propriis peccatis acquiritur.* Denique Innocentius III, lib. III Decr., tit. de Bapt., cap. *Majores*, scribit : *Pœna originalis peccati est carentia visionis Dei ; actualis vero pœna peccati est gehennæ perpetuæ cruciatus.* Respondeo ea fere ratione, qua sanctus Pater capite 14 de Prædestinatione sanctorum satisfacit Massiliensibus, qui objiciebant veteres Patres de hominum prædestinatione, secus ac Augustinum, sensisse. « Quid igitur, inquit, opus est ut eorum scrutemur opuscula, qui priusquam ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quæstione versari, quod procul dubio facerent, si respondere talibus cogerentur? Unde factum est ut de gratia Dei (dicam de pœnis parvulorum) quid sentirent, breviter quibusdam scriptorum suorum locis, et TRANSEUNTER ATTINGERENT, immorarentur vero in eis quæ adversus alios inimicos Ecclesiæ disputabant. » Respondeo rursus Gregorium Nazianzenum eo loci tria hominum genera sine baptismo decedentium recensere : unum eorum qui baptismum contempserunt, alterum eorum qui illud ex negligentia omiserunt, postremum illorum qui nec ex contemptu nec ex negligentia sine illo mortui sunt. Comparat autem pœnas eorumdem : priores ait graves pœnas dare, alteros minores pati, postremos nec cœlesti gloria donari, sed nec suppliciis addici quibus alii ob contemptum vel negligenter omissum baptismum subjiciuntur. Quod verissimum est, illi enim actuale peccatum commisere in contemnendo vel omittendo baptismo, cujus delicti cum pueri rei non sint, neque suppliciis iisdem torqueri possunt. Gregorius vero Nyssenus dubitanter loquitur, nam ibidem quæstionem hanc de parvulis sine baptismo morientibus vocat *difficilem atque perplexam.* Addit nescire se *an illa quæque anima judicem videbit, tribunali cum aliis sistetur?* etc. Quæ tamen omnia postea definita sunt, nam teste Beda in proœmio Canticorum, qui negat pueros judicandos *contradicit catholicæ fidei.* Gelasius etiam definit pueros *in sinistra regione sine baptismate remanere.* Ad testimonium Ambrosii respondeo optime a cardinali Bellarmino observatum esse Commentaria illa in Epistolas Pauli perperam Ambrosio ascribi, passim enim Pelagianorum sententiæ iisdem inspersæ sunt, quod fuse et erudite probat Conrius, cap. 8. Profecto in cap. v, in illa Apostoli : *Si enim unius delicto*, etc., ait : *Plures enim gratiam consequuntur, quam mortui sunt delicto Adæ.* Præterea in cap. VIII : *Vocare*, inquit, *est cogitantem de fide adjuvare.* Item in cap. IX, ad illa : *Igitur cui vult, miseretur*, etc., scribit : *Ex persona contradicentis loquitur.* Et constanter tradit homines illos in similitudinem Adæ peccasse, qui ejusdem exemplo Deum contempsere, quæ omnia a Pelagianis asserta sunt. Nec obstat quod objicit Gonetus vixisse illum scriptorem sub Damaso, quando Pelagiana hæresis nondum eruperat. Nam Pelagium *diutissime* Romæ vixisse scribit sanctus Augustinus, qua de re legantur a nobis dicta lib. I Hist. Pelag., cap. 3. Quod denique ex Decretali Innocentii papæ opponitur, abhinc trecentis annis a Gregorio Ariminensi solutum est. Præterea Poncius num. 28 ait quod pontifex intendit ostendere non posse adulto dormienti vel non consentienti dari baptismum, quia tunc tolleretur peccatum originale, et non actuale, et per consequens ille si moreretur non careret visione Dei, quia non haberet peccatum originale, et tamen esset in inferno, quia esset in peccato actuali. Quæ ratio nulla est ; etenim etiam peccato actuali debetur privatio visionis Dei. Unde Glossa vocat illam rationem superficialem, nec videtur ab ipso pontifice asserta, sed ab aliquo non satis docto secretario addita. Hæc ille. Sed, ista responsione omissa, facile dico quod sicuti ait pœnam actualis culpæ esse gehennæ cruciatum in inferis, et tamen non inde excluditur pœna damni.

quia non inserit particulam restrictivam, seu exclusivam *tantum*, *solum*, ita et pœna originalis recte statuitur carentia visionis, sed non sola.

Objiciunt 2°. Pœna sensibilis non est proportionata peccato originali, ergo pueri ob illud non torquentur igne in inferis. Probant antecedens, quia pœna sensus est per passionem hujus particularis personæ, peccatum autem originale non est commissum per actum voluntatis personæ particularis, sed trahitur per infectionem naturæ. Respondeo negando antecedens cum ejus probatione. Etenim omnes homines peccaverunt in Adam, et peccatum illud fuit imputatum singulis ex eodem propagatis, ita ut peccatum quod in illo fuit actuale, originale fuerit in posteris. Audiatur Augustinus lib. 1 de peccatorum Meritis, et remissione, cap. 10 : « Si enim peccatum intellexeris, quod per unum hominem intravit in mundum, *in quo omnes peccaverunt* (*Rom.* IX), certum manifestumque est alia esse propria cuique peccata, in quibus hi tantum peccant quorum peccata sunt; aliud hoc unum, in quo omnes peccaverunt, quando omnes ille unus homo fuerunt. » Igitur peccatum unius fuit et omnium, qui idem erant in uno. Qua ratione pœna sensus est eadem æqualiter destinata omnibus et singulis, qui idem fuere in Adam, et toti naturæ est debita, nisi qua parte ex baptismi gratia eidem subducitur. Quare sicuti leges principum pupillorum voluntates tutorum voluntati alligant, ita ut quod isti volunt illis ratum sit, hoc quoque pacto Deus omnium posterorum voluntates Adami voluntati astrinxit, ita ut quod ille fecisset omnibus hominibus imputaretur. Unde sicuti ex defectu improbi tutoris pupilli quandoque detrimenta subeunt, ita ex peccato Adæ humanum genus in miserias decidit. Imo pœna sensus magis videtur proportionata peccato originis quam pœna damni; nam pœna damni est in anima, pœna sensus in corpore; posteri autem animam a Deo creatore recipiunt, corpus vero per traducem ab Adam derivatur. Quare cum filii puniri possint pro peccatis parentum, in quantum secundum corpus sunt aliquid illorum, ut ex D. Thoma diximus, humanum genus, quod secundum corpus ex virtute seminali ab Adam deducta aliquid illius est, potiori jure secundum corpus poterit ob illius peccatum, quod etiam proprium evasit, puniri, quam secundum animam. Hinc si anima a Deo creata infunderetur corpori nequaquam per virtutem seminalem ex Adamo traducto, illa non contraheret peccatum originale; quare in tantum peccatum traducit, in quantum in corpus ex Adamo per concupiscentiam carnalem propagatum immittitur. Ex his confirmatur nostra sententia : nam si caro per concupiscentiam genita est causa, cur anima peccato inficiatur, et ex consequenti pœnam subeat, ipsa caro, quæ veluti vehiculum peccati fuit, neutiquam debet esse a quacunque pœna immunis.

Objiciunt 3°. Peccatum originis non tollit ordinem naturalem, sed supernaturalem, nempe conversionem ad Deum per donum gratiæ habitualis, ergo solum debet puniri privatione ejus boni cui opponitur, non supplicio naturæ, quam in nulla re eidem debita lædit. Respondeo primo negando consequentiam; nam neque peccatum actuale lædit naturalia hominis, sed tantum privat hominem gratia sanctificante, et tamen punitur pœna sensus. Imo in sententia illorum qui dicunt peccatum consistere formaliter in privatione gratiæ, hæc privatio non potest esse pœna, cum pœna ponatur a voluntate judicis, et sit contra voluntatem rei respectu cujus est inflictiva doloris. Respondeo secundo negando antecedens, tum quia peccatum originale tollit conformitatem ad rectam rationem, sicut quodlibet peccatum actuale et habituale, ille autem ordo est naturalis, tum quia ex dictis § 2 ex peccato originali ortum traxit concupiscentia, quæ naturalia hominis læsit. Hinc scribit Augustinus lib. de Natura et gratia, cap. 3 : « Omnia quidem bona, quæ (natura) habet in formatione, vita, sensibus, mente, a summo Deo habet creatore, et artifice suo. Vitium vero quod naturalia ista bona contenebrat et infirmat, ut illuminatione et curatione opus habeat, non ab inculpabili artifice contractum est, sed ex originali peccato, quod commissum est libero arbitrio. Ac per hoc natura pœnalis ad vindictam justissimam pertinet. » His accedit per peccatum originale hominem nasci subditum diabolo, et de familia ejusdem, ut ex exorcismis in baptismo superius ostendimus, quæ sane captivitas naturam hominis et vexat et deturpat. De hac captivitate post Driedonem erudite agit magnus ille noster Salmanticensis theologus Basilius Poncius, part. 1 Relect. de grat., cap. 16. Denique gratia est donum liberaliter a Deo homini datum; at quando persona graviter offenditur, v. g., rex crimine læsæ majestatis, non est sufficiens pœna, quod privet rebellem beneficio olim eidem liberaliter collato, sed alia etiam pœna exigitur. In Adam vero omnes posteri a Deo rebellarunt, unde inimici Dei nascuntur, et per gratiam baptismi fiunt amici, sine qua non solum sunt indigni gratia liberaliter conferenda, sed digni pœnis juste irrogandis.

Objiciunt 4° cum Vasquez, 1-2, disp. 124, num. 8; Goneto, disp. 7, cit. num. 178; Morainio et aliis : Nullus puniri debet ob id pro quo ne vituperari aut reprehendi potest; at nemo pro peccato originali vituperari potest; igitur nec puniri. Major patet, quia pœnæ sensibiles habent quamdam vim increpationis. Minor probatur ex Aristotele III Ethic., cap. 6, ubi ait neminem esse dignum vituperio et exprobratione, nisi illa faciat quæ potuit non facere; at pueri non possunt non contrahere peccatum originale, ergo ob illud nulla reprehensione digni sunt. Respondetur negando minorem, nec philosophi dictum nos moratur, qui actualia tantum ac personalia delicta cognovit, originali enim peccato Aristotelicum illud dictum non convenit. Et quidem Pelagiani ex Aristotelis doctrina tentabant tollere peccatum originale, unde sunt illa Augustini lib. VI contra Jul., cap. 20 : « Ad hoc enim redacta est hæresis vestra, ut gemant

sectatores vestri non inveniri dialecticos judices in Ecclesia de scholis Peripateticorum aut Stoicorum, a quibus possitis absolvi. » Julianus querebatur catholicos episcopos, a quibus damnatus fuerat, nescire *secundum categorias Aristotelis de dogmatibus judicare*. Sane si Aristotelicis principiis standum sit, peccatum originale negandum est; neque enim, qui nascitur, tanquam tabula rasa, maculas antiqui criminis ex Aristotele portare potest, cum generatio opus naturæ sit, non voluntatis, cujus est posse peccare. Certum est ex fide Deum esse iratum pueris, cum nascuntur, ob originale crimen; nascimur enim *natura filii iræ* ex Apostolo, ac per peccatum sumus aversi a Deo, et Deus pueros odio habet, quatenus peccatores sunt, quod catholicum dogma est; vituperat igitur Deus vitium, quod ipse non fecit in homine. Adde infantes esse *vasa contumeliæ*, et ex consequenti esse dignos contumelia ac vituperio. Miror autem Vasquez, virum in Augustini doctrina adeo versatum, ut sodales Complutenses *Augustinum* alterum, vel saltem *mentem ac linguam Augustini* eumdem nuncupaverint; miror, inquam, illud argumentum veluti solidum objecisse, quod tamen diserte ab Augustino eversum fuerat. Audiatur sanctus doctor lib. de Corrept. et grat., cap. 6 : « An vero ideo pravitas ista corripienda non est in homine, quia non ejus propria, qui corripitur, sed communis est omnibus? Imo vero corripiatur et in singulis, quod est omnium. Non enim propterea cujusquam non est quod ab ea nullus immunis est. Peccata quidem ista originalia ideo dicuntur aliena quod ea singuli de parentibus trahunt, sed non sine causa dicuntur et nostra, quia *in illo uno omnes*, sicut dicit Apostolus, *peccaverunt*. CORRIPIATUR ergo ORIGO DAMNABILIS, ut ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur, » etc. Ex quibus patet posse hominem corripi ob peccatum originale.

Instat Moraines, num. 41, non solum Aristotelem aut ethnicos philosophos dicere neminem esse vituperio et reprehensione dignum propter id quod non libere fecit aut omisit, sed omnium fidelium et infidelium communem illam vocem esse, ut confirmat sanctus Augustinus lib. de Duabus Animabus, cap. 11. Quare cum nullus commiserit peccatum originale libere, sed illud ex infectione naturæ trahatur, nemo potest ob illud vituperari aut reprehendi. Respondeo laudatum sancti doctoris testimonium a Juliano eidem Augustino sæpe sæpius objectum fuisse, lib. I Operis imperf., cap. 45, lib. V, cap. 43 et 45, et alibi. Cui sanctus Pater respondet lib. I Operis imperf., cap. 48 : « Ipse, inquit, Adam est, quem nostra illa definitio, quæ tibi placuit, intuebatur, cum dicerem : *Peccatum est voluntas retinendi, vel consequendi, quod justitia vetat, et unde liberum est abstinere* (*Lib. de Duab. Anim., cap.* 11). Adam quippe omnino quando peccavit, nihil in se habebat mali, quo nolens urgeretur ad operandum malum, et propter quod diceret : *Non quod volo facio bonum, sed quod nolo malum, hoc ago* (*Rom.* VII, 9), ac per hoc id egit peccando, quod justitia vetabat, et unde illi liberum fuerat abstinere. Nam ei, qui dixit, *quod nolo malum hoc ago*, abstinere inde liberum non est. Ac per hoc sic tria ista discernas, et scias aliud esse peccatum, aliud pœnam peccati, aliud utrumque, id est, ita peccatum, ut ipsum sit etiam pœna peccati. Intelligis quid horum trium pertineat ad illam definitionem, ubi : *Voluntas est agendi, quod justitia vetat, et unde liberum est abstinere*. Peccatum namque isto modo definitum est, non pœna peccati, non utrumque. » Et postea : « Sed pertinet originale peccatum ad hoc genus tertium, ubi sic peccatum est ut ipsum sit et pœna peccati. » Certum igitur est posse peccatum originale esse vere et proprie peccatum, etiamsi non inde liberum sit abstinere, et doctrinam illam traditam a sancto doctore lib. de Duab. Anim., cap. 11, quam post Julianum Moraines objicit, applicandam non esse peccato originali, de quo ibi sanctus Pater non loquebatur. Unde falsa sunt quæ postea idem Moraines addit : « Si ex mente D. Augustini, inquit, imo ex sensu totius Ecclesiæ et consensu generis humani, judicandum est de peccato originali ejusque pœna, dicendum est neminem propter illud non a se commissum, sed vi originis ex necessitate contractum esse dignum reprehensione et vituperio, ac proinde nec supplicio positivo et connaturali. » Falsa, inquam, hæc sunt : nam ex mente sancti doctoris oppositum dicendum est; docet enim arguendum esse etiam illum qui peccat tertio illo genere peccati; inquit enim ibidem : « Tertium vero genus, ubi peccatum ipsum est, et pœna peccati potest intelligi in eo qui dicit : *Quod nolo malum hoc ago*. Ad hoc pertinent etiam omnia, quæ per ignorantiam cum aguntur mala, non putantur mala, vel etiam putantur bona. Cæcitas enim cordis, si peccatum non esset, injuste argueretur; arguitur autem juste, ubi dicitur : *Pharisæe cæce*, et aliis plurimis divinorum elogiorum locis. » Imo ab illa necessitate vituperationem destrui erat ipsissima objectio Juliani dicentis lib. V Operis imperf., cap. 52 : « Hujus vituperatio ad necessaria non recurrit, quia quidquid ad necessarium pervenerit, ipsum pulsat auctorem, » nempe Deum. Cui sanctus Pater respondet : « Nunquid hoc malum hominis, ubi dicit, *quod nolo malum, hoc ago*, ipsum hominis pulsat auctorem? et tamen eum qui sic agit malum satis apparet ad necessarium pervenisse, necessitate quippe agit quod non agit voluntate. »

Objiciunt 5° durum videri, et divinæ bonitati minime consentaneum ut pœna ignis æterni puniat infantes, qui propria voluntate non peccarunt, sed aliena tantum, atque ex vi et miseria suæ originis peccato originali infecti sunt. Respondet Augustinus lib. V Operis imperf., cap. 13 : « Si autem crudele esse arbitramini damnari parvulos, quos originale peccatum trahere non putatis, crudele vobis videatur non rapi ex hac vita parvulos secundum vos nullum habentes omnino peccatum, quos Deus utique novit, in multis magnisque peccatis sine ulla in melius mutatione

morituros. Nam secundum RATIOCINATIONES HUMANAS crudelius videtur non liberare, cum possit, nullis inquinatum parvis, magnisque peccatis, quam damnare progeniem peccatoris. Porro cum illud justum esse quia potestis voce clamatis, et hoc esse injustum qua fronte contenditis?» Et quidem si secundum humanas ratiocinationes loquamur, videtur etiam durum, hominem ob unicum pravum desiderium, quod momento evanuit, damnari in æternum, et tamen hoc fide credimus; in eo enim actu nulla sensus delectatio fuit, qui tamen pœna sensus æternum torquebitur. Quare nec durum videri debet pueros secundum sensum puniri, qui sensu non peccaverunt, nisi quatenus idem fuere cum Adamo. Præterea cum primus parens, si perseverasset in bono, transmissurus fuisset in posteros justitiam originalem, et omnia bona tum animi tum corporis, ut tradit sanctus Pater lib. III Operis imperf., cap. 199, cur durum videtur, si prævaricatus miserias ac pœnas posteris hæreditarias fecit?

Objiciunt 6°. Propter peccatum originale non injungitur hominibus baptizandis aliqua pœnitentia, nec jubentur habere ullum dolorem de illo, ergo non correspondet illi aliqua pœna sensus, sicuti correspondet peccatis actualibus. Respondeo primo adversariorum plerosque qui hoc argumentum urgent concedere in parvulis tristitiam ob carentiam visionis quam patiuntur; igitur debetur peccato originali dolor interior, etiamsi pro peccato originali nullus internus dolor ab Ecclesia præcipiatur. Respondeo 2°, data priori parte antecedentis, negando consequentiam, quia cum miseriæ hujus vitæ sint effectus peccati originalis, cur nova pœna imponeretur, cum innumeræ pro eodem nobis subeundæ sint? Sat est si dicatur catechumenis omnes homines in Adamo peccasse, ac proinde e terrestri paradiso expulsos, tot tantisque pœnis addictos, quas divina gratia adjuvante fortiter sustinere possumus. Respondeo 3° negando secundam partem antecedentis, nullum dolorem injungi catechumenis ob peccatum originale: oppositum enim expresse tradit, imo jubet Augustinus cap. 6 superius laudato de Correptione et gratia, inquiens : « Corripiatur ergo origo damnata, ut EX DOLORE correptionis voluntas regenerationis oriatur; si tamen quis corripitur, filius est promissionis, ut strepitu correptionis forinsecus insonante, atque FLAGELLANTE, Deus in illo intrinsecus occulta inspiratione operetur et velle. » Nonne catechumenus primum docendus est se vel ab ortu in peccato esse, inimicum Dei, sub dæmonis potestate, ejusdem membrum, in ejusdem familia? Quæ ille audiens statim dolore corripitur, quod natus sit sub potestate dæmonis, atque sub eo diutius vixerit. Audiatur sanctus Augustinus, lib. I de peccatorum Meritis, cap. 19 : « Dicet aliquis : Quomodo ergo et ipsi vocantur in pœnitentiam? Nunquid tantillus potest aliquid pœnitere? Huic respondetur. Si propterea pœnitentes dicendi non sunt quia sensum pœnitendi nondum habent, nec fideles dicendi sunt quia similiter sensum credendi nondum habent. Si autem propterea recte fideles vocantur quoniam fidem per verba gestantium quodammodo profitentur, cur non prius etiam pœnitentes habentur cum per eorumdem verba gestantium diabolo et huic sæculo renuntiare monstrantur? » Igitur si pœnitentiam pueris eo pacto sanctus Doctor asserit, adulti ad baptismum accedentes eamdem non habebunt? Tunc ergo dolet ipsos peccati originalis, quando ex Augustino renuntiare se diabolo dicunt.

Antequam hanc disputationem claudam, volo recitare objectionem Gulielmi de Rubione, qui in 2, dist. 32, q. 2, art. 2, hoc argumento impugnat cruciatus puerorum : « Ille qui est æque innocens alio peccante, sicut non peccante, non est affligendus, nec magis juste potest affligi post peccatum alterius, quam si ille nunquam peccasset; sed propter peccatum primorum parentum eorum filii, qui nunquam peccaverunt, non sunt magis culpabiles, quam si non peccassent ipsi eorum parentes; imo sunt æque innocentes, post ipsorum peccatum, sicut fuissent si nunquam ipsi peccassent; licet enim sint modo rei, ergo, » etc. Negat hic scriptor maculam veram et propriam quæ inest pueris ante baptismum, in quo juxta Ecclesiæ canones parum conformiter loquitur : putat enim posteros dici peccatores per denominationem extrinsecam a culpa Adæ, ut patet ex iis, quæ habet dist. 30, q. 2, § *Et ideo*, ita ut culpa fuerit in solo Adam, reatus vero, seu obligatio ad pœnam, quæ, ut ibidem ait, est culpæ effectus et quid eamdem consequens, in nepotibus. At Tridentina synodus, in decreto de peccato originali, definivit anathema esse qui dixerit Adam inquinatum « per inobedientiæ peccatum, mortem, et pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum, quod mors est animæ. » Et sess. 6, cap. 1, statuunt Patres : « Omnes homines in prævaricatione Adæ innocentiam perdidisse, factos immundos, et, ut Apostolus inquit, *natura filios iræ*, » etc. Ille vero Nominalis ait pueros esse æque innocentes post peccatum progenitorum, sicut fuissent si nunquam isti peccassent. Quare cum Rubion tantum innocentiæ pueris tribuat, nil mirum illorum post mortem supplicia negari. Hæc itaque argumenta Augustinianæ sententiæ objiciunt, quæ facili negotio solvuntur, nec illorum opinionem valent reddere Augustiniana probabiliorem, uti notat Estius dist. 33, § 8, cui sancti Patris assertio probabilis visa est. Nec audiendus est Duvallius, tract. de Pec., q. 4, art. 3, ubi ait sententiam contra Augustinum accedere ad fidem, et habere rationes quas constat esse evidentes.

Essent hic conferendæ sententiæ de pœnis parvulorum, nempe sancti Augustini, Pelagianorum ac scholasticorum. Sed quia id ex hucusque dictis facile conjici potest, et id tentans invidiam forte mihi conflarem, libens periculosam collationem omitto. Hoc mihi certum est in statuendis infantium pœnis

non excessisse Augustinum, sed potius eos scholasticos, qui pueros naturali beatitudine donandos scribunt, ac felicissimam eisdem regionem promittunt. Ita censuit acerrimus catholicæ religionis vindex cardinalis Bellarminus, qui, t. III, lib. VI, cap. 3, hanc censuram ponit : « Non igitur, inquit, Augustinus aliquid humani passus esse aut excessisse in hoc dogmate censendus est; sed illi humanum aliquid patiuntur et EXCEDUNT, qui parvulos in superiore parte terræ, quasi in terrestri paradiso collocant, eosque beatos ac felices dicunt. » Addam etiam de iisdem judicium reverendissimi P. Laurentii Brancati a Laurea, Vaticanæ bibliothecæ præfecti, et eximii nostræ ætatis theologi, qui in eruditissimo volumine de Novissimis, disp. 27, art. 7, num. 152, ait : « Quod dicunt nostri moderni, hucusque censeo inane, novum et ridiculum, nempe de statione, habitaculo et deambulatione super terram; unde id habent? quis eis revelavit? » Ego autem mirari satis nequeo, quando video veteres scholasticos sanctum Thomam, sanctum Bonaventuram, Ægidium, Scotum et alios negasse parvulos tristari ob amissionem gloriæ, cum oppositum tam aperte, tam diserte, tam asseveranter Augustinus asseruerit, et Pelagianos, quod secus sentirent, acerrime increpuerit. Scio illos non affirmare pœnam damni esse levem vel nullam secundum se; quatenus enim est privatio summi boni possessi in patria, dicitur ab ipsis summum malum, cum ejusdem gravitas ab excellentia boni, quo privat, mensuretur; unde minus proprie superius sancti doctoris testimonia exaggerasse videbimur, ubi idem tradit non esse in patria, esse magnam pœnam, cum id ultro scholastici concedant. Sed profecto non disputavit sanctus doctor cum Pelagianis de pœna sic intellecta : illi enim cum acutissimi essent, nequaquam negabant pœnam exclusionis a regno cœlorum prout dicit nudam privationem Dei possessi in patria, esse in se magnum malum, sed dicebant levem vel nullam pœnam in pueris, quia nullum vel levem dolorem pueris incutiebat. Damnum enim quod quisque subit in amissione boni, in tantum eidem infert pœnam, in quantum sentitur : si enim non sentiatur, nulla illi pœna est, ut patet in pueris, quorum bona dilapidantur; patiuntur enim malum, sed non sentiunt, quia ex defectu cognitionis illud non percipiunt. Pœna vero a judice præsertim intenta non dicit malum prout est nuda privatio boni nulla habita consideratione subjecti, sed significat id quod est malum alteri, quatenus illi dolorem ingerit aliquid ponendo vel tollendo, quod reus nollet. Porro hoc pacto accipi pœnam ab Augustino certum est; nam lib. VI contra Jul., cap. 10, ait : « Si hoc eis non erit malum, non ergo amabunt regnum Dei tot innocentes imagines Dei. » Quo dimisso tanquam absurdo, quod nunquam Julianus admisisset, instat : « Si autem amabunt, et tantum amabunt quantum innocentes amare debent regnum ejus a quo ad ipsius imaginem creantur, nihilne mali ex hac ipsa separatio e patientur? « At malum quod sentitur ex amissione boni quod amatur, habet rationem pœnæ affligentis subjectum, quod privatur eo bono quod ab eodem amatur. Præterea, serm. 14 de Verbis Apostoli cum dixisset Pelagianos non percutere parvulos, hoc est non infligere illis pœnam sensus, sed tantum illos in exsilium mittere, negando ipsis regnum cœlorum, probat eos pati ac cruciari ob exclusionem ab eodem regno : « Si amatur patria, magna pœna; si autem non amatur patria, pejor cordis pœna. Parvum malum est in hominis corde qui societatem non quærit sanctorum, qui non desiderat regnum cœlorum? Si non desiderat, pœna est de perversitate; si autem desiderat, pœna est de fraudata charitate. » Ex quibus aperte constat Augustinum velle parvulos cruciari ob exclusionem a patria cœlesti, eo quod illam amant et desiderant, quam si non amarent, essent *perversi* et *mali*, quippe qui societatem non quærerent sanctorum. At malum quod sentitur amissione boni quod amatur, est allativum doloris et tristitiæ : dolemus enim et tristamur quoties amato bono privamur. Jam vero si Patrum qui Augustino favent suffragia ad calculum revocentur, erunt hi viginti quatuor seniores : nam Byzaceni quindecim fuere qui sancti Augustini sententiam subscripserunt. Inter Patres fuit Gelasius papa, qui in epistola decretali tertium locum a Pelagianis inventum de medio tollendum decrevit. Non desunt scholasticorum suffragia. Albertus Magnus, Estius, Driedo, Polmanus uti probabilem Augustini sententiam defendunt. Stant pro eadem inito fœdere quinque ex ordine Minorum, et totidem Augustiniani nostri theologi. Et quidem spero fore ut deinceps, ubi hæc nostra disputatio legetur (si tamen ulla horum scriptorum cura posteris erit), plures in sancti Augustini partes transeant, vel saltem a censuris abstineant, neque sanctum doctorem excessus insimulent in ea sententia tradenda, quam unanimi consensu pontifices, synodi ac patres docuere, ut hucusque luculenter monstratum est.

### § VI. *An Augustinus dissereus de lege veteri contra Pelagianos excesserit.*

Pelagiani, ne gratiam omnino negando orthodoxorum indignationem subirent (videbant enim eam legem gratiam in sacris litteris, a Paulo vero præcipue commendari), dixere legem qua Deus homini facienda vel fugienda præcipit, esse gratiam, utpote quam ad hæc posteris profunda agendorum ignorantia laborantibus, et longo vitiorum usu naturali lumine pene exstincto misericorditer proposuit. Imo legem contra gratiam impudentissime erexere. Etenim arguebant ex lege nullam esse aliam insuper Dei gratiam necessariam. Hæc est ratiocinatio sexta Cœlestii apud sanctum doctorem cap. 3 de Perfect. just. : « Quærendum est utrum præceptum sit homini sine peccato esse. Aut enim non potest, et præceptum non est; aut quia præceptum est, potest. » Et in lib. de Gratia et lib. arb., cap. 16, scribit Augustinus. « Magnum aliquid Pelagiani se scire putant, quando dicunt : *Non juberet Deus, quod sciret non posse*

*ab homine fieri.* Quis hoc nesciat? » Hinc hæretici in laudes legis effusi, in eadem uti in arce causæ ab Augustino se tutos arbitrabantur. Audiatur magnus Ecclesiæ magister, lib. IV, ad Bonifacium papam, cap. 5, subdolos hostium conatus publicans : « Nusquam autem, inquit, isti inimici gratiæ ad eamdem gratiam vehementius oppugnandam occultiores moliuntur insidias, quam ubi legem laudant, quæ sine dubitatione laudanda est. Legem quippe diversis locutionum modis et varietate verborum in omnibus disputationibus suis volunt intelligi gratiam, etc. » Augustinus, quo Pelagianam hæresim a fundamentis everteret ex sacris litteris et subtilissimarum rationum momentis ostendit legem non modo non esse gratiam homines ad bona capessenda adjuvantem, sed reos tantum facere jubendo, terrendo, B puniendo, non adjuvando. Pleni sunt hujusmodi phrasibus sancti Patris libri, præsertim liber de Spiritu et littera, qui totus in hoc argumento versatur. Plura loca indicat Cortina P. Macedo, ad thesim 48. Unum testimonium profero ex cap. 8 libri de Gratia Christi : « Ac per hoc, inquit, usque adeo aliud est lex, aliud est gratia, ut lex non solum nihil prosit, verum etiam plurimum obsit, nisi a Ijuvet gratia ; et hæc ostendatur legis utilitas, quoniam quos facit prævaricationis reos, cogit confugere ad gratiam liberandos, et ut concupiscentias malas superent, adjuvandos. Jubet enim magis quam juvat, docet morbum esse, non sanat, imo ab eo potius, quod non sanatur, augetur, ut attentius et sollicitius gratiæ medicina quæratur. » At Morainus, Augustini de lege veteri dicta examini C subjiciens, hanc de iisdem sententiam profert disp. 24 Anti-Jansenii, num. 44 : « Augustinum pluribus locis durius loqui de lege veteri, sed sicut ipsemet ait lib. III de Doctrina Christ., cap. 10, *Scripturæ verba quando aliquid absonum videntur præ se ferre, sunt in benignum et commodum sensum interpretanda ;* quidni etiam verba ipsius Augustini, quotiescunque vel nativo impetu animi, vel æstu disputationis abreptus, videtur ad extrema declinare? » Quid autem *durius* de lege veteri Augustinus dixerit, non erit indagatu difficile, cum probe sciamus in quo sancti Patris doctrina a Morainio culpetur furoris et excessus in disputando. Dixit Augustinus cum Apostolo ad Galatas III, legem datam *prævaricationis gratia*, de quo plura disserit serm. 11 de Verbis Apost., cap. 8 et 9. D Dixit *litteram occidere* cum eodem Apostolo II Cor. III, atque integro volumine verba illa explicat. Dixit cum eodem Paulo Rom. III : *Lex subintravit, ut abundaret delictum.* Quam sententiam exponit serm. 13 de Verbis Apostoli, et epist. 89, q. 3. Vocavit legem cum eodem Galat. III, *pædagogum* molestissimum, ac similitudinem probavit sermone eodem, et epist. 144, ubi etiam nuncupat legem *non absolutionis adjutorium, sed vinculum criminis.* Quod Augustinum in excessuum suspicionem traxit, ac durius assertum videtur, est ubi idem doctor pronuntiavit tantum abesse ut lex homines adjuvarit, quin potius reos fecerit sine gratia jubendo, non adjuvando. Scribit cap. 1 de Corrept. et grat. : Declinare a malo et facere bonum « nullus potest sine spiritu gratiæ ; quæ si desit, ad hoc lex adest ut reos faciat et occidat. » Serm. 6. de Verbis Apost. ait : « Lex enim jubebat et non implebat, quia caro, ubi non erat gratia, etc. Quomodo ergo lex mihi opitularetur jubens per litteram, et non dans gratiam? » Sermone 13 laudato dixit : « Lex timorem dedit. » Ubi autem gratia non infundit amorem, observatio legis ex puro timore servili facit prævaricatorem ; qua de re egregie agit in epistola 144, ad Anastasium. Videtur ergo Augustinus sensisse homines lege urgeri ad recte operandum, neque tamen semper adesse gratiam adjuvantem, ex quo inferri videtur tunc præcepta Dei esse observatu impossibilia, nam sine gratia impleri non possunt, qua tamen illos carere idem tradit. Hinc Julianus hæc Augustino exprobrabat lib. III Operis imperf., cap. 119 : « Taceo interim qua rabie in totam legem fremas, quam credis ea imperasse mortalibus, quorum apud eos nullam facultatem videret. » Quam stropham sæpius cantat.

Duo hic possunt difficultatem facere, num lex aliquando imperet, et obliget, ut aiunt, sub peccato, si desit gratia adjuvans ad implendam legem, ut videtur velle Augustinus, et an in lege veteri timor tantum servilis sine gratia regnaret, quod eumdem quoque sensisse nonnulli opinantur. Hæc enim duo Morainio forte duriora videntur, in quibus Augustinum extra veritatis lineam saltasse putat. Pro expediendo priori dubio res mihi altius repetenda est. In primis statuendum est discrimen inter observationem legis in statu naturæ innocentis et statu corruptæ. Etenim Adam habuit auxilium proxime sufficiens ad observationem cujuscunque præcepti in omnibus et singulis occasionibus et instantibus. Hoc adjutorium erudite exponitur ab Augustino cap. 11 et 12 de Corrept. et grat. Dicitur ab eodem adjutorium *sine quo non*, non *quo;* nam Adam illo adjutorio posito non statim operabatur, sed cum volebat eodem semper præsente poterat operari. « Tale quippe, inquit cap. 11, erat adjutorium, quod desereret cum vellet, et in quo permaneret si vellet, non quo fieret ut vellet. Hæc est prima gratia, quæ data est primo Adam, sed hæc potentior est in secundo Adam. Prima est enim qua fit ut habeat homo justitiam si velit, etc. » Addit quod primo illo adjutorio *ostensa est potentia liberi arbitrii ;* nam ut antea præmiserat, Deus illud adjutorium *reliquit in ejus libero arbitrio*, et ut ait lib. III Operis imperf., cap. 112, *Rectorem habebat, quem libero reliquit arbitrio.* Quare illud adjutorium semper præsto erat Adamo ; scribit enim Augustinus, *quod desereret cum vellet.* Paulo vero post in eodem cap. 11 hæc tradit : « Si autem hoc adjutorium vel angelo vel homini, cum primum facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat ut sine divino adjutorio posset manere si vellet, non utique sua culpa cecidissent. Adjutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent. Nunc autem quibus deest tale adjutorium, jam pœna peccati est, quibus autem datur,

secundum gratiam datur. » Ex his infero primo in statu naturæ lapsæ non omnibus dari nec semper præsto esse illud adjutorium, alias oratio esset superflua. *Nam*, ut ait Augustinus lib. de Natura et grat., cap. 18, *quid stultius quam orare ut facias quod in potestate habeas ?* Et in epistola 95 : *Ipsa igitur oratio clarissima est gratiæ testificatio.* Non rogamus autem ut Deus det quod habemus, sed cujus maxime indigemus ; etenim ex epist. 105, *si in potestate haberetur, non utique posceretur.* Quare, cum urgente quolibet præcepto possit homo orare Deum ut gratiam ad illius præcepti implelionem largiatur, signum est gratiam illam non adesse semper in omnibus et singulis occasionibus. Hinc factum est ut cum Adamus gratiam illam habuerit pro omnibus et singulis momentis sibi inhærentem, non indiguerit oratione ad observandum ullum præceptum. Scio recentiores hoc ultimum uti nuperum paradoxum non approbare, sed plane est apertissima sententia Augustini lib. VI Operis imperf., cap. 15. « Dominica, inquit, testatur oratio, ubi non solum dicimus, *Dimitte nobis debita*, propter mala quæ fecimus, verum etiam, *Ne nos inferas in tentationem*, propter hoc utique ne mala faciamus ; unde et Apostolus dicit : *Oramus autem ad Dominum, ne quid faciatis mali.* Quod si ita esset in potestate, quomodo fuit ante peccatum, priusquam esset natura humana vitiata, NON utique POSCERETUR ORANDO, sed agendo potius teneretur. »

Quare, cum ex inhærente divino, eoque jugi adjutorio Adam in quolibet momento temporis potuisset legem implere, frustra orasset Deum ut vires sibi ad mandata facienda ministraret. Vidit ista theologorum hujus nostri sæculi acutissimus Basilius Poncius, qui in Relectionibus de gratia, part. I, cap. ult., pag. 213, scribit : « Atque hoc est adjutorium, quod sæpe Augustinus dicit Adamum habuisse, quod nos in hoc statu non habemus, quia non habemus pro singulis occasionibus perseverantes cogitationes et affectiones boni, ut notum est. Unde Adamus non egebat oratione ut adjutorium illud compararet, quia jam Dei munere cum ipsa natura ingenitum erat, sed gratiarum actione pro tanto beneficio, quod a Deo in prima sui origine acceperat. » Neque recte diceretur Adam intensiorem gratiam potuisse petere, ut facilius legem impleret. Etenim vanum fuisset, novas vires petere *in tanta non peccandi facilitate*, ut loquitur sanctus Pater cap. 12. Poterat tamen Deum orare ut tentatorem procul arceret, ne ad malum pelliceretur, vel cadendi periculo vicinus fieret. At posita tentatione neutiquam, nisi inaniter, a Deo petiisset vires eidem resistendi. In statu autem naturæ lapsæ illud adjutorium pro omnibus et singulis momentis proxime sufficiens non semper præsto est hominibus, unde necessitas orationis elucet, qua rogamus Deum ut mandata ipsius implere possimus. Hinc scribit ibidem Augustinus : « Ideo in hoc agone magis nos Deus voluit orationibus certare quam viribus, quia et ipsas vires, quantas hic habere nos competit, ipse subministrat certantibus, quem rogamus. Si ergo hi quorum contra carnem spiritus concupiscit AD ACTUS SINGULOS INDIGENT DEI GRATIA, ne vincantur, qualem libertatem voluntatis habere possunt, qui nondum de potestate eruti tenebrarum, dominante iniquitate nec certare cœperunt, aut, si certare voluerunt, nondum liberatæ voluntatis servitute vincuntur. » Ubi affirmat gratiam ad singulos actus virtutis dari, neque tamen omnibus ministrari. Brevius idem tradit epist. 107, ad Vitalem : « Scimus (gratiam) majoribus ad singulos actus dari. Scimus non omnibus hominibus dari. » Et lib. IV Operis imperf. cap. 128, scribit : « Proinde hominibus natura filiis iræ dantur præcepta vivendi, quia datur et gratia, ut qui jubet, juvet, ac sic mala non solum quæ voluntate addita, verum etiam quæ sunt congenerata vincantur. Quod enim hominibus impossibile est, Deo facile est. Quibus autem NON DATUR gratia, propter quam dictum est, *Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti* (*I Cor.* IV) ? prævaricatores fiunt accedente lege, non justi. Sed si quam ad utilitatem vivunt filiorum misericordiæ, ut eos videntes, et quid sibi non merito, sed gratia donetur, intelligentes non extollantur, sed qui gloriatur in Domino glorietur. » Quæ sententiæ passim in Augustino occurrunt.

Quod autem lex, ad hoc ut obliget, non debeat supponere in operante potentiam proximam ad faciendum opus quod imperatur, est constans ejusdem sancti Patris doctrina contra Pelagianos, qui, uti vidimus, ex præceptorum impositione humanæ voluntatis potentiam ad mandata facienda cum cujuscunque divini adjutorii exclusione prædicabant. Quibus Augustinus cum collegis Africanis respondet epist. 95, ad Innocentium papam : « Distinguenda est lex et gratia. Lex jubere novit, gratia juvare. Nec lex juberet, nisi esset voluntas, nec gratia juvaret, si sat esset voluntas. » Postea inculcatis sacris testimoniis, in quibus lex et oratio asseruntur, concludit : « Sicut ergo agnoscimus voluntatem, cum hæc præcipiuntur, sic et ipse agnoscat gratiam cum petuntur. » Quare cum instante quolibet præcepto legis, homo non irrisorie, sed veraciter Deum debeat orare, ut sibi gratiam donet ad faciendum mandatum, signum est divinam gratiam necessariam ad exsequendum opus imperatum non adesse in omnibus et singulis momentis ; nam, ut clamat ubique magnus doctor, « si adest possibilitas, utquid orant? » Lib. de Natura et gratia, cap. 53. Hæc doctrina, quæ plane verissima est, probatur ex synodo Tridentina, sess. 6 de Justificatione, cap. 11, ubi ait : « Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat ut possis. » Est sententia exscripta ex libro sancti Augustini de Natura et gratia, cap. 43, et licet illa postrema verba, *et adjuvat ut possis*, non asserantur explicite ab Augustino, subintelliguntur ; nam si ab illo petis ut possis, signum est quod ille est qui adjuvat ut possis. Sed plenam eamdem sententiam ex tract. 53 in Joannem exhibeo : « Sed audiamus, inquit, Dominum et præcipientem, et opitulantem, et jubentem quid facere debeamus,

et adjuvantem, ut implere possimus. Primo illa sanctæ synodi ex Augustino verba, *et petere quod non possis* ; ergo dum petis, vel etiam antequam petas, stas sub lege præcipiente, et nondum habes gratiam adjuvantem, tunc enim non potes facere quod lex jubet. Quare erraverunt Pelagiani, qui ex lege hic et nunc obligante existimarunt hominem posse suismet viribus exsequi imperata. Inde etiam rejiciuntur plures theologi, qui putant legem non posse hic et nunc obligare, nisi adsit gratia adjuvans ; nam dum *petis ut possis*, profecto sentis te urgeri præcepto, et simul cognoscis te destitutum gratia proxime necessaria ad opus implendum, unde oras ut eamdem tibi Deus largiatur. Hic vero rejicienda est sententia illorum qui dicunt gratiam proxime sufficientem semper adesse, nec unquam legem obligare nisi adsit gratia adjuvans, alias homo ob impotentiam excusaretur ab observatione legis.

Nam si lex, ut obliget, semper infert assistentiam gratiæ sufficientis, sequeretur gratiam sufficientem ad observationem legis necessariam non fuisse amissam ex peccato Adæ, quod licet a pluribus concedatur, puto esse falsissimum. Probatur sequela : nam Adam per peccatum non exemit homines a lege naturali, hæc enim lex perinde obligat, Adamo peccante vel non peccante ; ergo si ut lex obliget habet connexam assistentiam gratiæ sufficientis, hæc gratia sufficiens, sive stante Adamo sive cadente, connexa erat cum lege prout obligante ; ergo non fuit amissa ex peccato primi parentis. Probo modo illam gratiam sufficientem esse amissam argumento eodem, quo Paulus ad Galat. II usus est ad contundendam superbiam eorum qui dicebant legem posse justificare ; arguit breviter, sed solidissime : *Si enim per legem justitia, ergo gratis Christus mortuus est.* Cujus argumenti vis tota in hoc consistit quod si lex sola sufficiebat ad hoc ut homines observando præcepta se innocentes conservarent, Christus gratis passus diceretur. Cur enim venit in mundum, ac tot tormenta subiit, si aliunde ex legis doctrina homines poterant se justos servare? Jam vero eamdem vim habet apostoli ratiocinatio contra gratiam sufficientem : Si per legem et gratiam sufficientem poterat homo implere totam legem, ergo Christus gratis mortuus est. Respondebunt Christum venisse ut abundantiori gratia humana natura fulciretur. Instamus : Igitur Christus mortuus est ut facilius possemus implere legem ex donis ipsius gratiæ, quam tamen, licet difficilius, implere poteramus per gratiam sufficientem etiam absque ipsius Redemptoris morte. Ad hoc verbum *facilius* veluti ad sacram anchoram in tempestate confugiebant Pelagiani, quos his Augustinus exsecratus est lib. II Operis imperf., cap. 198, ubi, recitatis iisdem verbis Pauli, ait : « Apostoli est vox ista, non mea ; jam erumpite in apertum, inimici crucis Christi, quid timeris magnum populum Christi, et Christi magnum judicium non timetis? Aperte dicite : Justificari natura, justificari lege possumus, gratis mortuus est Christus. Sed, formidantes multitudinem Christianam, Pelagianum verbum supponitis, et quærentibus a vobis quare mortuus sit Christus, si natura vel lex efficit justos, respondetis, ut hoc ipsum *facilius* fieret, quasi posset, quamvis *difficilius*, fieri tamen sive per naturam, sive per legem. (Poteris addere, sive per gratiam sufficientem connexam necessario cum lege obligante.) Christe, responde, vince atque convince, clama : *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* xv, 5), ut taceant hi qui clamant : Etsi difficilius, tamen possumus et sine te facere ; aut si tacere non possunt, se ipsos in latebras aliquas ducant, ut alios non seducant. » Hanc nostram sententiam erudite Basilius Poncius defendit part. I Relect. de grat., cap. 14, ubi argumenta solvit Suarez, et Vasquez, qui ingenue fatetur 1-2, disp. 139, cap. 4, num. 36, Augustinum fuisse in hac ipsa sententia quam exposui.

Lex igitur ex Augustino homini data est, non ut cum gratia sufficienti secum necessario connexa homines agendorum cognitione instructos ad opera præcepta implenda juvaret, sed ob hoc data est ut homo conatus facere quæ præcepta erant, et cernens per semet illa exsequi non posse, gratiæ auxilium implioraret. Hæc scribit ad Anastasium epistola 144 : « Lex itaque docendo et jubendo quod sine gratia impleri non potest, homini demonstrat suam infirmitatem, ut quærat demonstrata infirmitas Salvatorem, a quo sanata voluntas possit, quod infirma non posset. » Idem tradunt Augustini discipuli, Fulgentius, lib. II de Verit. prædest., cap. 4 : « Dum ergo, ait, præcipitur nobis ut velimus, ostenditur quid habere debeamus. Sed quia id ex nobis habere non possumus, admonemur ut a quo nobis datur præceptum, ab ipso petamus auxilium. » Et Prosper in epistola ad Demetriadem : « Nec ob aliud unquam datur præceptum, nisi ut quæratur præcipientis auxilium. » Igitur lex non infert potentiam proximam voluntatis faciendi quod jubetur, et ex consequenti non habet annexam gratiam proxime sufficientem ad faciendum opus imperatum. Augustinus ex Apostolo, Galat. III, vocat legem *pædagogum*, quia lex ducit ad gratiam. Legatur sermo 13 de Verbis Apostoli. Egregie in lib. de Spiritu et littera, cap. 19 : « Lex ergo data est, ut gratia quæreretur ; gratia data est, ut lex impleretur. Neque enim suo vitio non implebatur lex, sed vitio prudentiæ carnis. Quod vitium per legem demonstrandum, per gratiam sanandum fuit. » Pergit ulterius sanctus doctor, scribens legem jubere facienda, fidem vero impetrare adjutorium ad imperata exequenda. Hinc celebre evasit illud ejusdem dictum : *Fides impetrat quod lex imperat.* Epist. 89, q. 2, lib. de Spiritu et littera, cap. 29, et alibi. Audiendus est cap. 15 libri proxime laudati : « Ac per hoc, inquit, lege operum dicit Deus : Fac quod jubeo : lege fidei dicitur Deo : Da quod jubes. Idcirco enim jubet lex ut admoneat quid faciat fides, id est, ut cui jubetur, si nondum potest, sciat quid petat ; si autem continuo potest, et obedienter facit, debet etiam scire quo donante facit. » Ex quibus patet quandoque auxilium proxime sufficiens præsto esse ;

inquit enim, *si autem* CONTINUO *potest*. Illud vero ex Augustino certum est, neque fidem posse movere hominem ad petendum divinum auxilium, ad hoc ut possit implere præcepta, nisi Deus infundat gratiam actualem, qua homo moveatur ad orandum. Semi-Pelagianorum error fuit posse hominem petere et desiderare suis viribus gratiam, quem damnavit ex Augustino synodus Arausicana, canone 6; etenim licet quis sit fidelis, non habet in singulis momentis præsens divinum auxilium proxime sufficiens ad orandum. Hoc passim in Augustino habetur. Lib. de Dono persev., cap. 23, de Semi-Pelagianis ait : « Nec volunt intelligere, etiam hoc divini muneris esse, ut oremus, hoc est, petamus, quæramus atque pulsemus : *Accipimus enim spiritum adoptionis in quo clamamus Abba Pater* (*Rom.* VIII), etc. » Idem habet epistola 105, lib. de Corrept. et grat., cap. 1; epist. 121, cap. 15. In libro I quæst. ad Simplicianum, q. 2, inde probat orationem fervidam, qua impetramus, esse a Deo : « Nonne aliquando, inquit, ipsa nostra oratio sic tepida est, vel potius frigida, et pene nulla, imo omnino interdum ita nulla, ut neque hoc in nobis cum dolore advertamus, quia si vel hoc dolemus, jam oramus? » Ex his colligitur quomodo infideles peccent non observando legem, quandoquidem sine fide manent tantum sub lege præcipiente, non sub gratia proxime adjuvante; unde opera quæ ipsi faciunt semper sunt peccata, nisi ubi aliquando Deus quosdam bonos actus ipsis nescientibus in eorumdem voluntatibus operatur. Scribit Augustinus in epist. 144 : « Lex igitur adducit ad fidem, fides impetrat spiritum largiorem, diffundit Spiritus charitatem, implet charitas legem. Ideo lex pædagogus vocatur, sub cujus minacissima severitate, *qui invocaverit nomen Domini salvus erit. Quomodo autem invocabunt, in quem non crediderunt* (*Rom.* X)? Itaque, cum infideles in Christum non credant, Dei gratiam ad implendam legem naturalem non petunt; unde nec eamdem observant, et si quæ bona facere videntur, illa non faciunt bene, ut § 4 probatum est. Cur vero non excusentur, tradit Augustinus in lib. de Spiritu et littera, cap. 33, et epist. 105, ad Sixtum. Quamvis enim careant auxilio proxime sufficienti, habent tamen auxilia quædam remota, unde non patiuntur antecedentem necessitatem peccandi, quam licet humanum genus ex peccato primi parentis incurrerit, Christi tamen Redemptoris beneficio sublata est, ut acute probat noster Poncius part. I Relect. de grat., cap. 15. Nihil igitur Augustinus *durius* (de lege) *impetu animi vel æstu disputationis* asseruit, ut contendebat Moraines. Sed quod nec de lege veteri durius quidpiam pronuntiarit ostendo.

In primis, si verba ut foris sonant tantum considerentur, profecto non Augustinus, sed Paulus censendus foret durius locutus de veteri lege Moysis. Dixit Rom. V : *Lex autem subintravit, ut abundaret delictum*, cum tamen lex ideo promulgetur, ut delicta tollantur, et cessent. Dixit II Cor. III : *Littera occidit*, A cum tamen lex subditos a criminibus arceat. Dixit I Cor. XV : *Virtus vero peccati lex*, cum lex peccata prohibeat. Has tamen loquendi formulas Augustinus locis superius laudatis explicuit, nihilve absurdi continere monstravit. In eo autem sanctus doctor reprehenditur, quod visus sit asserere legem veterem reos fecisse homines jubendo, non adjuvando; quodve opera facta in lege veteri peccata dixit, cum Judæi illa fecerint timore pœnæ, non amore justitiæ. Judæi habita lege eo superbiæ delapsi sunt, ut putarint solam legem ad hominem justificandum sufficere, neque necessariam esse Dei gratiam, sed tantum liberum arbitrium. Hic autem error tam alte eorum mentibus insidebat, ut plerique etiam ad fidem ex Judaismo conversi in veteri errore obstinatius B versarentur, unde illos Apostolus arguit in Epistola ad Galatas, cap. 2, argumento superius recitato : *Si ex lege justitia, ergo Christus gratis mortuus est.* Testatur Augustinus hæc ipsa sæpius Apostolum inculcasse ut eorumdem superbiam contunderet. « Ad hoc ducit, inquit serm. 13 de Verbis Apostoli, et commendat ista Apostolus propter Judæos, qui de lege gloriabantur, et libero suo arbitrio legem sufficere arbitrabantur; ac per hoc quia libero suo arbitrio legem sufficere arbitrabantur, ignorantes Dei justitiam, id est, ex fide justitiam datam a Domino, et suam volentes statuere, quasi suis viribus impletam, non dante fide impetratam, *justitiæ Dei*, sicut dicit, *non sunt subjecti.* » Et in lib. de Spiritu et littera, cap. 29, ait : « Israel vero persequens legem C justitiæ, in legem justitiæ non pervenit. Quare? quia *non ex fide, sed tanquam ex operibus*, id est, tanquam eam per semetipsos operantes, non in se credentes operari Deum. » Porro cum hunc errorem sorbuerint postea Pelagiani, asserentes gratiam Dei in Veteri Testamento non esse nisi legem Moysi traditam, gratiam vero Novi Testamenti esse Evangelium et exemplum Christi, Augustinus, ut illorum errorem confutaret, acute probavit legem a gratia separatam reos facere homines jubendo, non adjuvando, ut ex testimoniis adductis constat. Neque injurius fuit legi; non enim hæc imposita fuit ut homines se sola justos faceret, sed ut ostenderet quid faciendum esset, et cum homo se præceptis faciendis imparem esse cognosceret, ad auxilium gratiæ confugeret, quod ex D sancto doctore ejusque discipulis probavimus, ostendentes non *durius* loqui, qui asserat in hypothesi quod sola lex jubeat, nec gratia proxime sufficiens adsit, legem eamdem obligare, et transgressorem reum esse peccati. Porro sicuti Hebræi non ex amore justitiæ bona opera faciebant, ita mala vitabant timore tantum pœnæ. Hinc Augustinus dixit opera Judæorum in veteri lege fuisse peccata, et legem illam fuisse legem servilem, quod illi qui eamdem implebant, timori inservirent. Scribit sanctus doctor, lib. IV ad Bonifacium, cap. 5 : « Quod ex lege testimonium commemoratum ab Apostolo propter vitam temporalem intelligitur, propter cujus amittendæ timorem, faciebant homines legis opera non ex fide,

quæ transgressores legis eadem lege a populo jubebat occidi. » Idem in lib. de Spiritu et littera, cap. 32, ex his Apostoli Rom. VIII, 15, suam sententiam probat : *Non enim accepistis Spiritum servitutis iterum in timorem, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater.* Erat ergo lex vetus lex timoris, quod carnalis ille populus se ac sua tantum amans, quidquid boni juxta legis mandata faciebat, amore sui faciebat, volens sibi bona ac timens mala. Lex ergo tanquam servis incutit timorem, gratia, quæ per fidem Christi impetratur, inspirat amorem. Quare sanctus Pater lib. eodem de Spiritu et littera, cap. 29, ait : « Ex lege autem timemus Deum, ex fide speramus in Deum, sed timentibus pœnam absconditur gratia. » Cur autem iis qui ex puro timore servili legem implent gratia abscondatur, tradit ibidem cap. 19, et serm. 13 de Verbis Apostoli, epist. 144, ubi hæc habet : « Quis coram Deo innocens invenitur, qui vult fieri quod vetatur, si subtrahat quod timetur? Ac per hoc in ipsa voluntate reus est, qui vult facere quod non licet fieri, sed ideo non facit quia impune non potest fieri. Nam, quantum in ipso est, mallet non esse justitiam peccata prohibentem atque punientem. Et utique si mallet non esse justitiam, quis dubitaverit quod eam, si posset, auferret? Ac per hoc quomodo justus est justitiæ talis inimicus, ut eam, si potestas detur, præcipientem auferat, ne comminantem vel judicantem ferat? » Lege ibi plura. Timor quidem si desinat esse pure servilis, et per aliquem Dei amorem incipiat esse castus, est bonus, nec vitiat opera ex eodem derivata ; qua de re et fusissime et eruditissime disputarunt duo insignes Lovaniensis academiæ doctores Christianus Lupus et Franciscus Fervacques, Augustiniani, editis a sexennio quotannis de eodem argumento libris et apologiis. Plurimi tamen Veteris Testamenti Patres non sub lege tantum fuere, sed sub gratia adjuvante, quia propriæ infirmitatis conscii ad sectanda virtutum opera divini auxilii opem implorarunt. Cæterum omnibus hominibus adesse auxilium saltem remotum mihi videor colligere ex Augustino lib. de Natura et grat., cap. 67, ubi ex lib. III de Libero arbitrio, cap. 10, hanc sententiam recitat approbatque adversus eos qui Adami peccato omnia crimina imputabant, et se ipsos innocentes asserebant : « Recte enim fortasse quærerentur, si erroris et libidinis nullus hominum victor existeret. Cum vero ubique sit præsens, qui MULTIS MODIS PER CREATURAM sibi Domino servientem, aversum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem adhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem, non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, sed quod negligis credere quod ignoras. Neque illud, quod vulnerata membra non colligis, sed quod volentem sanare contemnis. » In quo autem consistant hujusmodi auxilia remota, non ita facile explicatur ; etenim *miris modis* Deum humanas voluntates ad bonum faciendum movere idem Augustinus lib. I ad Bonifacium, cap. 19, verissime affirmat, quos modos satius est humili silentio venerari, quam curiosa disputatione perquirere. De his auxiliis remotis locutum arbitror eumdem sanctum doctorem in lib. de Dono persev., cap. 9, ubi ait : « Ex duobus ætate jam grandibus impiis cur iste ita vocetur, ut vocantem sequatur ; ille autem aut non vocetur, ut vocantem sequatur, aut NON ITA vocetur, ut vocantem sequatur, *inscrutabilia sunt judicia Dei.* » Vocatio illius qui non sequitur est per auxilium debile et remotum, quo intellectus transeunter tantum quasdam bonas cogitationes elicit, sed adeo debiles ut nec voluntatem trahant ad bonum, sed leviter tantum excitent, et cito citius intellectus alio evolet, et in malum voluntas longo scelerum usu obdurata feratur.

§ VII. *An sententia sancti Augustini de prædestinatione ad gloriam ante omnem meritorum prævisionem sit per excessum prolata.*

Joannes Adamus et Antoninus Moraines in quæstione etiam de prædestinatione, et ea quidem præcipua gravem Augustino excessum objiciunt. Adamus, lib. III sui Calvini destructi, hæc de eodem scribit cap. 8, pag. 639 : « Profecto quando constat ipsum in materia de gratia et prædestinatione cum excessu locutum esse, ac verba ipsius esse mitiganda, ne ab illorum acrimonia in errorem contrarium propellar, licitum mihi esse debet aliquod catholicum temperamentum inquirere. » Subit mentem illud Augustini dictum lib. III Operis imperf., cap. 57 : « Dic quod dicturus es, egregie corrector. » Moraines, cum dixisset Didacum Ruizium ex sancto Augustino gratuitam prædestinationem docere, hæc inquit : « Ruiz falsum supponit, et si Augustinus id faceret, non doctrinæ affinitas, aut connexio, quæ nulla est, sed æstus disputationis ad hoc illum impelleret, » disp. 9, num. 50. Verum sententiam illam de gratuita prædestinatione ad gloriam ante prævisa merita docuere sanctus Prosper, sanctus Fulgentius, Patres Africani in epistola synodica, aliique tanta certitudine, ut hæc dixerit sanctus Fulgentius, imo cum Fulgentio Patres synodi Sardiniensis in fine libri de Incarnatione et gratia : « Deus enim, qui hominem condidit, ipse prædestinatione sua, et donum illuminationis ad credendum, et donum perseverantiæ ad proficiendum atque permanendum, et donum glorificationis ad regnandum, quibus dare voluit præparavit, quique non aliter perficit in opere quam in sua sempiterna atque incommutabili habet voluntate dispositum. Cujus prædestinationis veritatem, qua nos ante mundi constitutionem prædestinatos in Christo testatur Apostolus, si quis detrectat cordis credulitate recipere, vel oris confessione proferre, si ante ultimum diem vitæ præsentis impietatis suæ contumaciam, qua Deo vivo et vero rebellis obsistit, non abjecerit, manifestum est eum non pertinere ad eorum numerum quos Deus in Christo ante mundi constitutionem gratis elegit et prædestinavit ad regnum. »

Sane Semi-Pelagiani jam olim dixerant absque ea

doctrina de prædestinatione Ecclesiæ causam adversus Pelagianos per plures annos fuisse defensam, ut refert Hilarius in epistola ad Augustinum, quibus sanctus doctor respondens lib. de Dono perseverantiæ, cap. 20, ait : « Hæc est prædestinatio manifesta et certa sanctorum, quam postea diligentius et operosius, cum jam contra Pelagianos disputaremus, DEFENDERE NECESSITAS COMPULIT. Didicimus enim singulas quasque hæreses intulisse Ecclesiæ proprias quæstiones, contra quas diligentius defenderetur Scriptura divina, quam si nulla talis necessitas cogeret. » Porro cuinam major fides habenda est, Augustinone, qui ad illud de prædestinatione dogma asserendum se *necessitate compulsum* testatur, ad Pelagianos *diligentius* ex Scripturis confutandos ; an Morainio, qui id nulla vel doctrinæ affinitate seu connexione ab Augustino factitatum comminiscitur? Quod vero hanc connexionem etiam Annatus negat, illam cap. 8 contra eosdem probabimus. Magnus ille ecclesiasticorum Annalium scriptor Baronius ipsos recentiores excessus merito accusat, qui Calvini hæresim fugientes in alterum extremum a sancti Augustini doctrina discedentes declinant, et quidem in hac materia de prædestinatione : « Cum igitur, inquit, Fausti sententiæ ubique ab Ecclesia fuerit contradictum, videant quanto periculo quidam ex recentioribus, dum in novatores exsurgunt, ut eos confutent, a sancti Augustini de prædestinatione sententia recedunt, cum alioqui arma non desint quibus adversarii profligentur. » Anno 490, pag. 449.

Sed audio Petavium inclamantem : « Jampridem disputari in utramque partem cœpit in scholis quæstio de prædestinatione, neque pro aliquo præjudicio valere ad hanc controversiam credita est auctoritas Augustini. » Tom. I Dogm. theol., lib. x, cap. 1. Sed hujus recentioris voces gravissimo, eoque domestico testimonio comprimam. Anno 1584, a Claudio Aquaviva, magno illo et incomparabili universæ societatis moderatore, prævio sex doctissimorum theologorum ejusdem sodalitii examine, selectæ sunt quædam sententiæ omnibus suis defendendæ, ne quolibet vento doctrinæ circumferrentur. Porro pag. 37, ubi de opinionum delectu agitur, hæc leguntur : « Item definitum est prædestinationis nec rationem nec conditionem esse ex parte nostra. Id ad pietatem parum pertinere dicet aliquis ; at hanc Augustini doctrinam non modo communiter Theologorum schola jam recepit, sed et Ecclesiæ Patres per mille et ducentos circiter annos, qui id contendunt probare ex Scripturis et responsis pontificum Romanorum, nempe Zosimi, Sixti, Cœlestini, Leonis, Gelasii, apud quos Massilienses, Cassianus, Faustus, aliique hujus prædestinationis oppugnatores male semper audierunt. » Examinata hæc cum aliis sententia fuit a Joanne Azorio Hispano, Gaspare Gonzalez Lusitano, Jacobo Tirio Gallo, Petro Bufæo Austriaco, Antonio Guisano ex superiori Germania, et Stephano Tuccio, qui Romæ morabatur, ut in præfatione illius libri asseritur. Augusta Theologorum nomina. Et hi quidem sancti Augustini sententiam de gratiosa prædestinatione ad gloriam ante meritorum prævisionem defendebant, antequam Augustiniani excessus fingerentur. Hoc idem assertum sanctus Thomas, ejusque nobilissima schola, ac melior Scotistarum pars, itemque e societate plurimi gravissimi ac doctissimi scriptores propugnant, quorum judicia contra recentiorum censuras appello.

§ VIII. *An sanctus Augustinus excesserit, docens copulam conjugalem solius voluptatis gratia esse peccatum veniale.*

Docuit Augustinus copulam cum uxore absque prolis generandæ voluntate propter solam delectationem esse peccatum veniale. Non placet hoc dictum Augustini Morainio, sed ait disp. 17, num. 22, *excessisse interdum æstu disputationis abreptum, et in odium hæresis quam impugnabat, ad contrarium extremum declinasse.* Ne id vitii Augustino objiciens lectorum oculos offendat, accusationis acerbitatem adverbio *interdum* mitigat, cum tamen, uti dicebam, passim et ubique in hosce excessus præcipitem Augustinum faciat. Cæterum sancti doctoris sententia communi sanctorum Patrum et veterum scholasticorum judicio verissima est. Inquit Augustinus tomo VI, lib. de Bono conjugali, cap. 6 : « Conjugalis enim concubitus generandi gratia non habet culpam, concupiscentiæ vero satiandæ, sed tamen cum conjuge, propter fidem tori venialem habet culpam. » Hoc assertum docuerat Clemens Romanus, lib. VI Constitut. apost., ut dicunt cap. 7 : « Sola enim voluptas, si quis ea etiam utatur in conjugio, est præter leges, et injusta, et a ratione aliena. » In eadem sententia est sanctus Anselmus in I Cor. VII, ad illa verba : *Hoc autem secundum indulgentiam*, ubi ait : « Tunc enim solum conjuges sine culpa sunt in admixtione, cum non pro explenda libidine, sed pro suscipienda prole miscentur. Sed tamen et alia commixtio quæ fit pro sola voluptate, veniam accepit propter nuptias. » Sanctus Fulgentius, in epist. de Debito conjugali, cap. 3, scribit : « Conjugatus ergo si fornicetur, damnabiliter peccat ; si vero tori fidem non deserat, sed in uxore sua naturali duntaxat usu aliquantulum intemperatus excedat, non solum scilicet generationem quærens, sed aliquando libidini carnis obediens, hoc equidem sine culpa non facit. » Et cap. 4 : « Retenta ergo tori fides maculam diluit, quam contrahit infirmitas carnis, si mulieri non misceatur alteri, quisquis non pro sola generatione, sed etiam propter fragilitatem carnis suæ miscetur uxori. » Sed ex sancto Gregorio papa pulcherrime hoc probatur. Cum sanctus Augustinus monachus, quem ad Anglos ad fidem convertendos in Britanniam miserat, quædam dubia eidem proposuisset, inter quæ num vir suæ conjugi permixtus antequam aqua lavaretur, ecclesiam ingredi posset, vel ad sacram communionem accedere, respondet sanctus pontifex lib. XII Epist., cap. 10, ad interrogat. August. : « Romanorum tamen semper ab antiquioribus

usus fuit, post admixtionem propriæ conjugis et lavacri purificationem quærere, et ab ingressu ecclesiæ paululum reverenter abstinere. Nec hæc dicentes deputamus culpam esse conjugium, sed quia ipsa licita admixtio conjugum sine voluptate carnis fieri non potest, a sacri loci ingressu abstinendum est, quia voluptas ipsa esse sine culpa nullatenus potest.» Et postea : « Si quis ergo suam conjugem, non cupidine voluptatis captus, sed solummodo liberorum creandorum gratia utitur, iste profecto de ingressu ecclesiæ, seu de sumendo corporis Dominici sanguinisque mysterio suo est relinquendus judicio, quia a nobis prohiberi non debet accipere, qui in igne positus nescit ardere. Cum vero non amor procreandæ sobolis, sed voluptas dominatur in opere commixtionis, habent conjuges etiam de sua commixtione, quod defleant. » Item, adductis illis verbis Pauli I Cor. VII : *Hoc autem dico secundum indulgentiam*, ait : « Non enim indulgetur quod licet et justum est. Quod enim indulgeri dixit, culpam esse monstravit.» En non solum Augustini sententiam assertam a Gregorio Magno ex apostolica sede ad fidelium instructionem loquente, verum etiam ex Apostolo et ex antiquo Romanæ Ecclesiæ ritu eamdem confirmatam. Quid ad hæc repones, Moraini? Et Gregorium, et Fulgentium, et Anselmum, et Clementem ad præcipitia deflexisse dices? At isti nullo æstu disputationis abrepti illa dixere, unde gravius errasse sane dicendi sunt, cum Augustinum zelus hostium expugnandorum excuset.

Sed volo ostendere theologiæ scholasticæ proceres in eadem sententia cum Augustino concinere. Primus sit, quem omnes secuti sunt, Magister Sententiarum, qui in 4, dist. 31, ita scribit : « Hoc autem ne prædictis obviet, intelligendum est in illis qui non gratia prolis conveniunt, quorum voluptas non est sine peccato. » Et loquitur de conjugatis. Accedat Albertus Magnus, tomo XVI, 4 Sententiarum, dist. 31, art. 21, § *Responsio*, ubi ait : « Sed cum sola libido movet, etc., aut fervet intra metas honestatis et concessionis matrimonii, et tunc veniale dicendum est, ut patet ex verbis Augustini in littera positis. » Dabo huic supparem Alexandrum Alensem, part. II Summæ, quæst. 147, memb. 2 : « Si enim, inquit, illa delectatio sit sub Deo, veniale peccatum est, excusatur enim propter sacramentum conjugii; unde Augustinus, de Bono conjugali, etc. » Ita hi duo lumina theologicæ scholæ eam sententiam tradunt, Augustini auctoritatem secuti. Non dissentit Angelicus magister sanctus Thomas, dist. 31, cit. quæst. 2, art. 3, ubi quærit utrum peccet mortaliter cognoscens uxorem intendendo solam delectationem, cui quæstioni in fine corporis respondet : « Si autem quæratur delectatio infra limites matrimonii, ut scilicet talis delectatio in alia non quæreretur quam in conjuge, sic est veniale peccatum. » Jungatur Angelico Seraphicus doctor Bonaventura, qui dist. eadem quæst. 3, in fine, ita judicat : « Si autem in ea vult delectari, quia uxor, et nullo modo eam cognoscere, si uxor non esset, tunc non est omnimoda inordinatio, et tunc est peccatum veniale, et excusatur per bonum matrimonii, ut non sit mortale. » Possem innumeros doctores addere, qui plenis suffragiis Augustini sententiam comprobant. Appello Sanchez, inter recentiores doctissimum, qui tomo III de Matrimonio lib. IX, disp. 11, num. 4, hanc thesim proponit : « Secunda conclusio : Actus conjugalis solius voluptatis gratia exercitus, nec fines matrimonii transgrediens, est culpa venialis. » Quod sane assertum quinquaginta doctorum tum veterum tum recentiorum testimoniis communit. Hanc sancti Augustini sententiam nuper defendit noster P. Alipius Reylof, Belga, lib. IV de Anima, c. 2, § 4. I nunc, Moraines, et Augustino furorem nimiumque in disputando impetum oppone. Ita est, a regia via in extrema ille declinavit, sed secum et Patres et cunctos theologiæ proceres traxit, ut jam tot sapientissimis viris præeuntibus possit quilibet inoffenso pede illac iter carpere, licet Moraines alia via progrediatur, qui si forte tantorum virorum vestigia notasset, eosdem et ipse secutus, licet longo positus intervallo, sibi melius consuluisset.

Hæc quidem de objectis ab uno Morainio Augustinianæ doctrinæ excessibus dicta sufficiant, quæ si ipsimet recentiores attentius considerent, dubio procul fatebuntur non Augustinum, sed semet in *periculosos excessus* declinasse; cum enim audirent a Jansenio Iprensi episcopo unum ubique Augustinum laudari, unius Augustini sententias, veluti ex oraculo responsa proferri, eumdemque in theologica palestra supra cæteros Ecclesiæ Patres attolli, ipsi quo procul a Jansenio declinarent, eo usque præcipites *disputationis æstu abrepti* sunt, ut Augustino fere nuntium remiserint, clamantes cum Morainio in præfatione Anti-Jansenii : « Qui prius Augustinum in omnibus deposcebant judicem, nunc ibi liberum putant ne quidem arbitrum honorarium in aliis illum admittere. » Imo, quo facilius cæteros ad Augustini dicta examinanda animarent, divinum illis ad tam sanctum opus auxilium adfuturum polliciti sunt illis Annati vocibus lib. VIII sui Augustini vindicati, cap. 5, pag. 897 : « Neque adeo perversum est hoc consilium, ut habere non possit adjutorem Deum. » Augustinus ad Adrumetinos monachos, initio libri de Gratia et libero arbitrio, scripsit, ad sua ipsius scripta intelligenda, divinam opem implorandam : *A Domino ut intelligatis orate.* Annatus vero, ad eadem sancti doctoris scripta censuris perstringenda, etiamsi non rogetur, Deum obvium adjutorem spopondit, cum temeritatis ultorem potius timere debuisset. Adamus, pag. 632, in fine, cap. 7, Augustini excessus *innocentem passionem contra Pelagianos* nuncupavit, sed lepido vocabulo accusationis acerbitatem non mitigavit. An vero recentiorum in Augustino reprehendendo excessus *innocens passio* contra Augustinum dici possit, ipsorum conscientiam appello; certe ipse ita judico

## CAPUT IV.

*Recentiores sancto Augustino plures errores perperam objiciunt.*

Invitus quidem in hanc arenam a recentioribus trahor, quippe qui invito Augustino Augustini causam defendendam suscipio, vereorque ne mihi vitio detur Parentis imperio refragari. Etenim cum vir clarissimus sanctus Marcellinus, summa cum potestate ab Honorio in Africam contra Donatistas delegatus, accepisset nescio quem Augustino errorem objici, id amicissimo antistiti per litteras significavit, quo obtrectantium calumniis obviam iret. Verum Augustinus hæc rescripsit : « Vos autem, qui me multum diligitis, si talem me asseritis adversus eos quorum malitia, vel imperitia, vel intelligentia reprehendor, ut me nusquam scriptorum meorum errasse dicatis, B frustra laboratis, non bonam causam suscipitis, facile in ea me ipso judice superamini. » Epist. 7. Sed haud difficulter a magno Patre me veniam impetraturum spero, si ejusdem factum imiter, qui cum errorem, cujus argui se ex Marcellini epistola intellexerat, procul a suis scriptis esse cognosceret, pravam de sua sententia conceptam opinionem confutavit, ostendens eam accusationem non correctorum intelligentiæ, sed malitiæ atque imperitiæ tribuendam. Quare cum recentiorum etiam non quidem malitia, sed, ut mitius loquar, imperitia, plurium errorum idem reus accusetur, nostrum est innoxium Patrem ab adversariorum objectis vindicare. Hujus quoque defensionis necessitatem subiere sancti illi doctores qui adversus Pelagianorum reliquias pro Ecclesiæ et C Augustini doctrina certarunt. Nam eo usque audaciæ quidam devenere, ut non illos puduerit indicem errorum sancti Augustini contexere (sancti Prosperi verbis utor), « ut quæ in libris prædicti viri damnabilia reperisse jactabant, brevium capitulorum indiculis publicarent, talique commento et detestationem ejus quem impeterent obtinerent, et ab his quæ infamassent curam exterriti lectoris averterent. » In præfat. ad capit. Gallorum. Horum vestigiis nonnulli recentes scriptores inhærentes, plurium Augustini errorum indicem publicarunt, quo sancti doctoris fama atque auctoritas in ordinem redigeretur. Hosce catalogos non unus edidit. Adamus tamen, part. III, cap. 3, pag. 584, ac Moraines disp. 12 Anti-Jansenii, a num. 32, cæteris hac in re diligentiorem operam D posuere. Contra hosce Augustinianæ doctrinæ censores egregie stylum acuit sapientissimus Pater Carolus Moreau Augustinianus integro volumine inscripto *Vindiciæ pacificæ*, quod primo tomo sui Tertulliani appendicis loco apposuit, ubi diffusissime objectos Augustino errores procul esse a tanti Patris doctrina demonstrat. Nos eos tantum refutabimus, quos Adamus ac Morainius concinnarunt, et quos veluti capitales ad Augustini famam vel saltem auctoritatem elevandam objectant, in qua quidem re ita procedo, ut quæ in Moreau desiderari ab eruditis poterant, hic tantum afferens, nihil interim ex illo scriptore mutuare velim.

A Inter cætera volumina, quæ innumera quidem posterorum memoriæ Augustinus consignavit, primo loco laudantur libri ejusdem Retractationum et Confessionum; in istis voluntatis, in illis intellectus errores, quos cæteri tanta arte ac conatu celare solent, orbi universo patefecit : in utro magis laudandus incertum. Et quidem quo edita abs se volumina attentiori cura examinaret, Eradium in episcopatu sibi adhuc viventi successorem impetravit. Ita ab ingenti negotiorum tumultu sequestratus, diu noctuque destinato operi incumbens, quælibet a se dicta censoria auctoritate discussit, ut nullus in Augustini libris examinandis severior Augustino judex esse potuerit. Ea vero diligentia ac tam rigorosa censura recentioribus non suffecit, sed novas in Hipponensi sole maculas B notaturi, Augustini iterum libros in quæstionem vocarunt, vociferantes novos se in Augustinianis libris nævos ac maculas deprehendisse, quo Augustino oculatiores haberentur. Sed age, novos hosce censores audiamus.

### § I. *An sanctus Augustinus erraverit, putans animas rationales et angelos esse corporeos.*

Objicit primo loco Adamus docuisse Augustinum : *Animas et angelos esse corporeos, ac solum Deum esse immaterialem*, pag. 585. At Moraines scribit : *Senserit etiam angelos et dæmones esse corporeos.* Adamus prius refellendus est, qui Semi-Pelagianorum errorem ipsorum hosti Augustino imponit. Docuerat Cassianus, collat. 7, cap. 13, solum Deum esse spiritualem, animas vero hominum esse corporeas ; eumdem, uti C in materia de gratia, ita ea in opinione secuti sunt Faustus in epist. ad Paulinum, et Gennadius in lib. Eccles. Dogm., cap. 11. At sanctus Augustinus animam rationalem non solum spiritualem absque ulla corporeæ fæcis permixtione asseruit, verum etiam id solide demonstravit. In epistola 28 ad Hieronymum ait : « Incorpoream quoque esse animam, etsi difficile tardioribus persuaderi potest, mihi tamen fateor esse persuasum. » Illo sane optimo argumento, quod in omnibus et in singulis particulis corporis tota simul esse non posset, si per illas ita diffunderetur, ut videmus « corpora diffusa per spatia locorum minoribus suis partibus minora occupare, et amplioribus ampliora; » quam sententiam *firmissime de anima tenere* se dicit. Et lib. XII de Gen. ad D litt., c. 33, ait : « Animam vero non esse corpoream non me putare, sed plane scire audeo profiteri. » In libro de Quantitate animæ, « Diligentissime ac subtilissime disputatum est, inquit, ut eam si possemus, ostenderemus corporalis quantitatis non esse. » Lib. I Retract., cap. 8. Præterea lib. IV de Origine animæ, a capite 12 usque ad cap. 22, evidentibus argumentis probat animam esse incorpoream. Quid clarius ab Augustino dici unquam potuit? et tamen eam sancto doctori absurditatem Adamus affricat. Scribit lib. X de Gen. ad litt., cap. 24 : « Nihil vicinius, aut fortasse nihil tam consequens, quam ut credito quod anima corpus sit, etiam Deus corpus esse credatur; » quod Tertulliano accidisse addit cap. 25 epist. 157.

ad Optatum : « Illi qui animas ex una propagari asserunt, quam Deus primo homini dedit, atque ita eas ex parentibus trahi dicunt, si Tertulliani opinionem sequuntur, profecto eas non spiritus, sed corpora esse contendunt, et corpulentis seminibus exoriri. Quo perversius quid dici potest? Neque hoc Tertullianum somniasse mirandum est, qui etiam ipsum Creatorem Deum non esse nisi corpus opinatur. Qua dementia repulsa, etc. » Itane Augustinus docuit animam corpoream esse, cum hoc effatum somnium dementiamque pronuntiaverit, nihilque *perversius* dici posse asseruerit? Adamus hæresim illam Augustino apponit, nec unicum saltem locum Augustini designans, ubi animam corpoream ille putarit, quasi tam celebris fuerit ea Augustini sententia, ut neque ullius textus citatione indigeret. Audiat interim Claudianum Mamercum, qui eodem sæculo paulo post Augustinum vixit, ita de sancto doctore loquentem : « Aurelius Augustinus et acumine ingenii, et rerum multitudine, et operis mole veluti quidam Chrysippus argumentandi virtute, aut Zeno sensuum subtilitate, aut Varro noster voluminum magnitudine, et qui profecto talis natura, attentione, disciplinis exstiterit, ut non immerito ab istis corporalibus nostri sæculi Epicureis aut Cynicis spiritalis sophista dissenserit, libro ad Hieronymum de Origine animæ sic pronuntiat : *Incorpoream esse animam, etsi difficile tardioribus persuaderi potest, mihi tamen fateor esse persuasum.* Cumque id ita fore rationibus magnis atque insolubili argumentatione convincat, etc. » Lib. II de Statu animæ, cap. 9. Putasne, lector, Adamum harum unam rationem vel argumentationem legisse?

Sed jam illo scriptore patentissimæ falsitatis convicto, quid de angelorum corporibus Augustinus senserit videamus. Celebris sententia Platonicorum fuit, angelos conflatos esse ex spiritu et corpore quodam subtilissimo elementari quolibet longe nobiliori, ut ex Apuleio pluribus tradit Augustinus lib. VIII de Civit. Dei, cap. 8 et 16. Hanc sententiam ex Patribus secuti sunt Origenes, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Justinus Martyr, Lactantius, et pro eadem citantur Athanasius, Basilius et Methodius a Joanne episcopo Antiocheno, cujus verba etiam sunt in synodo Nicæna II, act. 5 : « Solummodo autem Deus incorporeus et informabilis. Intelligibiles autem creaturæ nequaquam ex toto sunt incorporeæ, et imitabiles pictura existunt. » Eidem opinioni adhæsere Cassianus, Faustus, Gennadius aliique. Verum plures sapientissimi Patres oppositum opinabantur, omnem ab angelis corpulentiam removentes. Augustinus, quod eam quæstionem tractare ex professo nollet, videretque utramque partem plurimorum auctoritate firmatam, in re difficili ac dubia sententiam suspendit. Id *ambiguum esse* scribit lib. XV de Civit. Dei, cap. 23. At lib. XXI, cap. 10, ubi quærit an ignis corporeus possit dæmones torquere, ait : « Sunt quædam sua etiam dæmonibus corpora, sicut doctis hominibus visum est, » etc. Et postea : « Si autem quisquam nulla habere corpora dæmones asseverat, non est de hac re operosa inquisitione laborandum, aut contentiosa disputatione certandum. Cur enim non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi, si spiritus hominum etiam ipsi profecto incorporei, et nunc potuerunt includi corporalibus membris, etc.? Adhærebunt ergo, si eis nulla sunt corpora, spiritus dæmonum, imo spiritus dæmones, licet incorporei, corporeis ignibus cruciandi. » Ex quibus dubium se de angelorum corpore fuisse significat, at non de anima dubitasse, quam *profecto incorpoream* dixit. Unde Adamus hoc ipso testimonio rursus arguitur, ac Moralnii allucinatio, qui eam sententiam uti certam ab Augustino assertam dicit, quæ dubia semper apud eumdem fuit, licet quandoque corporeos esse angelos supponat, ne nova illata quæstione ab argumento distrahatur. Non defuere tamen qui Augustinum dubitantem sequerentur; unus pro mille sit sanctus Bernardus, qui lib. V de Considerat., cap. 4, ait : « Quamquam de corporibus horum (nempe angelorum), non modo unde sint, sed an aliquatenus sint, hæret sententia aliquorum. Unde si quis inter opinabilia magis id ponendum censuerit, non contendo. » Et serm. 5 in Cant. : « Cæterum, inquit, angelica corpora utrumnam ipsis spiritibus naturalia sint, sicut hominibus sua, et sint animalia sicut homines, etc., videntur Patres de hujusmodi diversa sensisse, nec mihi persuasum est unde alterutrum doceam, et nescire me fateor; sed et vestris profectibus non multum conferre arbitror harum rerum notitiam. » Hæc sanctissimus idemque doctissimus Pater.

### § II. *An sanctus doctor asseruerit solem et astra esse animata.*

Rursus opponit sancto Patri Moralnius : *Item dubitavit num sol et luna, aliaque sidera, quæ oculis conspicimus, sint animata* Ibidem. Sed hic quoque adversarii eruditio vel desideratur vel appellatur : etenim apud veteres non modo philosophos, verum etiam Patres controversum erat essentne cœli animati. Platonici ac Stoici animatos cœlos dicebant, in quorum opinionem ivere Cicero lib. II de Natura Deorum, et Plinius lib. II. Historiæ nat., cap. 9. Peripatetici etiam plerique idem existimarunt, ut patet ex Raguseo, tom. I Philosophiæ, disp. 14, et Alexandro Achillino, lib. III de Orbibus, cap. 1, qui etiam ex Aristotele eamdem sententiam deduci satis prolixe contendit. Communior tamen Peripateticorum opinio ex Philosopho intelligentias assistentes cœlis, non vero eosdem informantes concedit. Non una etiam fuit Patrum de cœlorum anima opinio : unde cum sanctus doctor tantis litigiis sese immiscere noluerit, judicium suspendit, nempe an angeli vere orbes informarent, vel eos solummodo in gyrum propellerent. Unde in fine lib. II de Gen. ad litt., ait : « Solet etiam quæri utrum cœli luminaria ista conspicua corpora sola sint, an habeant rectores quosdam spiritus suos, et, si habent, utrum ab eis etiam

vitaliter inspirentur, sicut animantur carnes per animas animalium; an sola sine ulla permixtione præsentia.» Quas quæstiones insolutas relinquens ait, *easdem non facile posse comprehendi.* Quare sanctus Thomas part. I, q. 70, art. 3, ubi quærit utrum luminaria cœli sunt animata, ait: «Similiter etiam apud doctores fidei fuit circa hoc diversa opinio. Origenes enim posuit corpora cœlestia animata; Hieronymus etiam idem sentire videtur, etc.; Basilius vero, et Damascenus asserunt corpora cœlestia non esse animata; Augustinus vero sub dubio dereliquit, in neutram partem declinans.» Idem Angelicus doctor, Contra Gentes, II cap. 70, ingenue testatur nihil ab Ecclesia de anima cœli definitum esse: «Hoc autem, inquit, quod dictum est de animatione cœli, non diximus quasi asserendo secundum fidei doctrinam, ad quam nihil pertinet sive sic sive aliter dicatur.» Scotus vero, 2, dist. 14, q. 1, in fine, scribit: «Si cœli non sunt animati, hoc est magis creditum quam ratione probatum.» Quod si neque auctoritate Ecclesiæ, ut ait Angelicus, neque efficaci ratione, ut subdit Subtilis, quidquam de cœlorum anima certi stabilitum est, nonne jure magnus noster doctor ea de re poterat dubitare? Cum lib. XIII de Civitate Dei, cap. 16, retulisset sententiam Platonis, ait: «Et hoc quidem utrum Plato verum de sideribus dicat, alia quæstio est. Neque enim continuo concedendum est globos istos luminum, sive orbiculos luce corporea super terras seu die, seu nocte fulgentes, suis quibusdam propriis animis vivere, eisque intellectualibus et beatis, etc.» Ex quibus patet Augustino illam de cœlorum animabus sententiam non multum placuisse, eam tamen ob Platonicorum ac Patrum præsertim auctoritatem in medio reliquisse.

Cæterum cœlos sine anima melius statuendos ex propria sententia non semel docuit. In libro posteriori Retract., cap. 7, ubi corrigit libros contra Faustum, ait: «In decimo quarto de sole et luna talia dicta sunt, tanquam sentiant, et ideo tolerent vanos adoratores suos. Quamvis verba ibi accipi possint ab animali ad inanimale translata, modo locutionis qui vocatur Græce metaphora.» Vides sanctum Patrem retractare sententiam qua visus fuerat astris animas dare, idque metaphorice tantum intelligendum esse aperte protestari? In his vero libris definitivam veluti sententiam tulit, qua quid de astrorum animabus ipse sentiret intimavit, ita ut, etiamsi alibi oppositum dixisset, ex posteriori asserto corrigeretur. Idem habet tract. 1 in Joannem, ad illa verba: *Quod factum est in illo vita erat.* Legatur eruditus P. Alipius Reylof, Augustinianus, lib. I de Anima, cap. 4, ubi de sancti Augustini sententia doctissime disputat. Opinio vero illa de cœlorum anima damnata demum legitur in litteris a Justiniano imperatore scriptis ad Mennam patriarcham Constantinopolitanum, ubi inter reliquos anathematismos hic habetur: «Si quis dicit cœlum, et solem, et lunam, et stellas, et aquas quæ super cœlos sunt, animatas et materiales esse quasdam virtutes, anathema sit.» Uti præcipuus Origenis error ille proscriptus fuit. Porro Justiniani litteras Vigilius papa cum universa Ecclesia catholica approbavit, uti testatur insignis tum temporis Carthaginensis diaconus Liberatus, cap. 23 Breviarii; qua de re pluribus egimus in dissertat. de Synodo v. Hunc autem canonem in eadem synodo v œcumenica, anno 553 celebrata, approbatum fuisse scribit Nicephorus lib. XVII, cap. 27. Unde P. Lupus eumdem uti ab eadem synodo statutum more solito, nempe erudite, notis ac scholiis illustrat. An vero modo defendi possit anima cœlorum post damnatam illam Origenis opinionem, nolo disputare; posset enim quis reponere damnatam solummodo illam sententiam juxta mentem Origenis intellectam, de quo hæc scribit sanctus Hieronymus epist. 61 contra Joannem Hierosolymitanum: «Origenes docet solem ipsum, et lunam, et omnium astrorum chorum esse animas rationalium quondam et incorporalium creaturarum, quæ nunc vanitati subjectæ, ignitis videlicet corporibus, quæ nos imperiti et rudes luminaria mundi appellamus, liberabuntur a servitute corruptionis in libertatem filiorum Dei.» De qua Origenis opinione hæc tradit sanctus Augustinus tomo VI, in lib. contra errores Priscillianistarum, cap. 8: «De sole et luna, cæterisque sideribus, quod cœlestia sint corpora videmus, quod animata sint, non videmus. De divinis hoc libris legatur, et credimus.» Hæc ibi. Et quidem Fromondus, lib. I de Anima, cap. 1, art. 8, fatetur cum qui animam vegetativam aut etiam sensitivam astris concederet, in synodum V non peccare, quæ animas tantum intellectivas a cœlestibus corporibus exclusit. Petrus Aureolus, Parisiensis scholæ præclarissimum decus, et ordinis Minorum singulare ornamentum, quem nunquam sine admiratione se legisse testatur Basilius Poncius in quodlibetis quæst. 8, c. 3 (est enim ob ingenii acumen, et argumentorum sive copiam sive vim spectes, queis nova plerumque abs se inventa asserta communit, nemini scholasticorum secundus), hic, inquam, cum in 2 Sententiarum, dist. 14, q. 2, art. 2, pluribus investigasset num intelligentia movens cœlum uniretur tanquam motor, an vero ut forma, et probabiles rationes ad animam cœlorum persuadendam adduxisset, solutis etiam argumentis quæ a theologis contra eamdem opinionem fieri communiter solent, ita concludit: «Sed, dimissis philosophis et aliis, intelligendum est in hac materia quæ via prædictarum duarum est probabilior, cum utraque satis probabilis videatur. Respondeo: Augustinus dicit (recitato uno et altero testimonio): *Sed nec illud certum habeo, utrum ad eamdem societatem pertineant sol, et luna, et cuncta sidera, quamvis nonnullis lucida esse corpora, non cum sensu, aut intelligentia videantur.* Hæc Augustinus. Si ergo TANTUS DOCTOR in hac materia dubitavit, ego nihil definio in hac parte.» Ridendus igitur Morainius, qui Augustini dubitationem inter errores rejecit,

quam subtilissimus scholasticorum, sola sancti doctoris auctoritate atque exemplo motus, secutus est, ille, inquam, Aureolus, « cujus vestigiis non erubescit modo tota Neutralium schola inhærere, principia D. Thomæ et Scoti deserendo, » quæ verba sunt sapientissimi Patris Mastrii Meldulensis in præfat. ad tom. I Metaphysices.

§ III. *Augustinus de origine animæ dubitans perperam erroris arguitur. Ostenditur sanctos Patres ea in dubitatione Augustino per plura sæcula adhæsisse.*

Tertius sancti Augustini error palmaris ac capitalis excutiendus est. Clamat Morainius : *Dubitavit etiam de origine animarum, utrum creentur de novo, quod certissimum est, an ex Adam propagentur.* Sed hic recentior eam dubitationem errori Augustino vertens, supinam qua laborat totius antiquitatis ignorantiam patefacit. Non una erat antiquitus de origine animæ inter Patres sententia, ut videre est in epistola August. 157, ad Optatum episcopum, et Hieronym., in epistola ad Marcellinum, quæ est 27 inter Augustinianas. At duæ reliquis rejectis celebriores in Ecclesia evaserant; alii enim creari a Deo animas in singulorum hominum conceptione dicebant, plurimi vero non creari animam a Deo, sed ex anima parentis traduci contendebant. Augustinus in hanc quæstionem totius summi ingenii vires contulit, nihilque penitus indiscussum reliquit, quo rei veritatem assequeretur; sed cum neutram quæstionis partem efficaci auctoritate aut demonstrativa ratione sibi probari animadverteret, neutri adhæsit, fuse tamen ea re ventilata in lib. x de Gen. ad litt., cap. 6 et seq., in quatuor libris de Origine animæ, epist. 28, ad Hieronymum, et in tribus epistolis ad Optatum, quas laudat sanctus Fulgentius lib. III de Verit. prædest. et grat., cap. 18. Verum, exortis postea Pelagianis, qui peccatum originale inficiabantur, illud præcipue argumentum jactantes, creari a Deo animas, nec illas posse a Deo produci cum peccato, ea sententia, quæ animarum propagationem defendebat, sancto doctori probabilior videri cœpit. Audiatur Augustinus lib. x de Gen. cit., cap. 25, ubi post longissimam disputationem concludit : « His igitur quantum pro tempore potuimus pertractatis, omnia paria vel pene paria ex utroque latere rationum testimoniorumque momenta pronuntiarem; nisi eorum sententia qui animas ex parentibus creari putant, de baptismo parvulorum præponderaret. » Itaque ad finem usque vitæ Augustinus in eo dubio perseveravit. Cæterum tantum valuit Augustini exemplum, ut sapientissimi Patres, eumdem subsecuti, per plura sæcula cum Augustino de animarum origine dubitarint, donec, scholasticorum opinione prævalente, animarum traduce antiquato, earumdem creatio in Ecclesia communis evasit. Hic quidem diligentius ostendendum est, quia Bellarminus, lib. IV de Amissione gratiæ, cap. 11, *ex traditione ecclesiastica* contendit certam esse sententiam de creatione animarum, quod tam falsum apparebit quam verum, dubitationem Augustini ex traditione ecclesiastica antiquis temporibus fuisse receptam.

Et quidem ante Augustinum de origine animæ dubitavit Rufinus in epistola ad sanctum Anastasium, ubi, tribus recitatis de origine animæ sententiis : « Ego vero, inquit, cum hæc singula legerim, Deo teste dico quia usque ad præsens certi vel definiti aliquid de hac quæstione non teneo, sed Deo relinquo scire quid sit in vero, et si cui ipse revelare dignabitur. » Quia vero Rufinus tertiam sententiam posuerat de animabus, « quod factas jam olim, id est tunc cum Deus omnia creavit ex nihilo, nunc eas judicio suo dispenset in corpore, » quod Origenem sensisse subdit, merito vapulat a Hieronymo in Apologia, et in epistola ad Marcellinum. At Augustinus nunquam de ea Origenis opinione dubitavit essetne falsa, ut in epist. 28 ad Hieronymum fatetur, rationem reddens cur in libris de libero arbitrio ex illius suppositione disputarit. Rufinus tamen suo tempore, nempe Anastasio summo pontifice, quæstionem de anima magnis contentionibus agitari cœptam ibidem testatur, et Hieronymus in epistola laudata vocat eamdem *maximam ecclesiasticam quæstionem.* At tempore sancti Augustini enatis Pelagianis ea de re lites recruduere. Hinc ab Orosio in Africam ad Augustinum, inde in Asiam ad Hieronymum peregrinationes susceptæ; hinc Augustini ad Hieronymum, et Optati ad Augustinum epistolæ missæ; hinc ab eodem Optato unum, quatuor ab Augustino, et duo a Vincentio quodam de origine animæ scripta volumina. Res tamen dubia permansit, nihilque tot elucubrationibus peractum est. Hieronymus sententiam asserentem singulas singulis hominibus animas creari *potius credidit*, scribens tamen traducem animarum *Occidentalem Ecclesiam solere sentire* teste Augustino epist. 157. At non ita creationem animarum tenebat, ut rem illam dubiam esse ingenue non fateretur, cum ea de re ab Augustino consultus respondit : *Unusquisque in suo sensu abundet.* Quare sanctus Eucherius, episcopus Lugdunensis, in cap. III Genes., ad illa verba, *Et ædificavit Dominus Deus*, ait : « Utrum sicut caro nascentium ex carne, sic animæ ex animabus procreentur, an novæ semper creentur a Deo ex nihilo ? quæ quæstio in definiendo difficilis est, quia nihil a sanctis viris vel Scripturarum auctoritate manifestius pronuntiatum est. » Pomerius etiam Africanus vir eruditissimus apud Massiliam scripsit octo libros de Anima, in quorum quarto disputavit : « Utrum anima, quæ nascituro corpori infundenda est, nova fiat sine peccato, an ex substantia animæ primi hominis velut propago e radice producta etiam peccatum primæ animæ secum originaliter retrahat? » Apud Gennadium de Viris illustr., cap. 98, et licet nesciamus quid in ea quæstione senserit, rem tamen suo tempore dubiam non obscure significat. Floruit hic circa annum 480.

Sequitur sextum sæculum, in quo et Patres et synodi de origine animæ cum Augustino dubitarunt.

Obortis Constantinopoli de origine animæ dissidiis, Africani episcopi de eodem argumento consulti ita responderunt in epistola synodica ex Sardinia, ubi exsulabant, Byzantium missa : « Quæstionem vero animarum, aut tacitam debemus relinquere, aut sine contentione tractare, quia sive ex propagine veniant, sive novæ singulis corporibus fiant, quod sanctarum Scripturarum auctoritas non manifeste pronuntiat, cum cautela debet inquiri, maxime quod sine fidei detrimento potest a fidelibus ignorari. » Cap. 10. In eadem dubitatione fuit sanctus Fulgentius, lib. III de Veritate prædestinationis et gratiæ a cap. 18, ubi Augustino, quod ea de re dubitavit, eximiis laudibus commendato, cap. 20 concludit : « Quanto ergo melius ab hujus quæstionis certamine temperamus, in qua nos inaniter laborare cognoscimus, præsertim quia quod a sanctis viris majoribus nostris videmus minime definitum, oportet nos tanto cautius atque temperantius quærere, quanto ad ejus finem illos præclaros viros cernimus minime pervenisse. » Contaneus Fulgentii Cassiodorus in lib. de Anima, cap. 14, tantum abest ut illud Augustini dubium reprehenderit, ut eumdem potius ob id laudaverit : « Pater, inquit, Augustinus religiosissima devotione laudandus, nihil temere dicit esse affirmandum, sed in ipsius esse secreto, sicut et alia multa quæ nostra non potest nosse mediocritas. » Et statim : « Melius est enim in tam occultis causis confiteri ignorantiam, quam periculosam assumere fortassis audaciam. » Ita altero post Augustinum sæculo dubitatio de origine animæ sapientissimorum Patrum menti altius inederat.

Verum circa sæculum VII Augustiniana dubitatio longe celebrior atque dignior evasit : eam enim suo judicio apostolica sedes approbavit, suamque effecit, ac doctissimi Patres eamdem inter fidei dogmata retulere. Sanctus Gregorius Magnus, lib. VII, epist. 53, ad Secundinum, scribit : « Sed hac de re dulcissima mihi tua charitas sciat quia de origine animæ inter sanctos Patres requisitio non parva versata est, sed utrum ipsa ab Adam descenderit, an certe singulis detur, incertum remansit, eamque in hac vita insolubilem fassi sunt esse quæstionem, gravis enim quæstio est, nec valet ab homine comprehendi. » Hæc doctissimus ac sanctissimus pontifex. Ex quibus prorsus evanescit illa ecclesiastica traditio, ex qua creationem animæ Bellarminus deducit; nam, teste Gregorio, sancti Patres eam de origine animæ *insolubilem fassi sunt esse quæstionem*. Vides igitur non unum a Morainio Augustinum erroris argui, sed et in Gregorio apostolicam sedem et Patrum senatum, a quibus dubitatio Augustini approbata fuit. Sed aliquid majus addendum est. Itaque, cum communiter de origine animæ dubitaretur, tantum ea dubitatio in Ecclesia invaluit, ut sanctus Isidorus, Hispalensis antistes, non fuerit veritus eamdem inter regulas fidei veluti ab omnibus catholicis credendam reponere. Etenim, lib. II de Offic. eccles., cap. 23, quod incipit : *Hæc est autem post apostolorum symbolum certissima fides, quam doctores nostri tradiderunt*, inter alias sententias quas de fide tenendas proponit, hanc inserit : *Quod incerta sit animæ origo*. O eximiam recentiorum eruditionem, qui eam Augustino dubitationem errori vertunt, quam et apostolica sedes, et synodi, et Patres plenis suffragiis subscripsere, eamque unus eorum doctrina ac pietate illustris de fide populis credendam proposuit!

At nec octavo neque nono sæculo res definita fuit, sed sapientissimi Patres cum Augustino, imo cum apostolica sede adhuc dubitabant. Testis sit sanctus Prudentius, episcopus Tricassinus, cujus laudes recitat Saussaius in Martyrologio Gallicano (*Die 6 Aprilis*), qui in lib. de Prædestinatione, adversus Joannem Erigenam, ita loquitur capite 16 : « Nascitur enim de carne caro, sed utrum et anima similiter de anima nascatur, magna quæstio est, et a Patribus diu multumque discussa, sed absque certa definitione relicta. » Itaque usque ad annum 850, quo tempore sanctus Prudentius vivebat, ex ecclesiastica traditione dubia erat de origine animæ sententia. Verum nec post millesimum annum ita certa erat sententia de creatione, ut plures de eadem non dubitarent. Sanctus Anselmus, Cantuariensis antistes, morti proximus cuidam familiari sibi dicenti : « Ad Paschalem Domini tui curiam relicto sæculo vadis, » hæc reposuit : « Et quidem si voluntas ejus in hoc est, voluntati ejus non contradico; verum si mallet me adhuc inter vos saltem tandiu manere, donec quæstionem quam de animæ origine mente revolvo absolvere possem, gratiosus acciperem, eo quod nescio utrum aliquis eam me defuncto sit absoluturus. » Hæc ille ad annum 1109, teste ejus discipulo lib. II de Vita ejusdem, cap. 59, apud Surium 21 Aprilis. Hugo a Sancto Victore, lib. I de Sacram., part. VII, cap. 30, probat animam non esse ex traduce, sed creari; ait tamen : « Probabilius constat animas ex traduce non esse. » Et inferius : « His igitur et hujuscemodi rationibus probabile factum est animas ex traduce non esse, sed novas de nihilo creatas novis quotidie corporibus de paterno semine fieri, et rursus in vulva formatis ad vivificationem infundi. In quibus tamen omnibus nulla unquam ratio sive auctoritas in tantum prævalere potuit, ut dubietatem tolleret quæstionis; excepto eo solo quod fides catholica magis credendum elegit animas quotidie corporibus vivificandis sociandas de nihilo fieri, quam secundum corporis naturam et carnis humanæ proprietatem de traduce propagari. » Ex quibus patet ad annum usque 1130, quo floruit Hugo, nulla neque ratione neque auctoritate *dubietatem quæstionis* de origine animæ sublatam fuisse, sed tunc in Ecclesia magis communiter defensatam esse sententiam de creatione animarum. Hinc Magister Sententiarum, in 2, dist. 19, dixit Ecclesiam catholicam docere animas non esse ex traduce, qua sententia ab scholasticis recepta, animarum creatio as-

serta est, ita tamen ut, teste Bellarmino, lib. IV de Amissione gratiæ et Statu peccati, cap. 10, in fine, adhuc non desint, *qui in ea sancti Augustini dubitatione hærendum censeant.* Estius quidem, nobilis theologus, scribit 2 Sententiarum, dist. 17, § 14, nihil esse de origine animæ ab Ecclesia definitum, nec futuros læsæ fidei reos qui ea de re dubitarent. Sed viderint illi qui ita dubii adhuc esse vellent; sat mihi est ostendisse jure Augustinum de origine animæ dubitasse, eamque dubitationem per plura sæcula sanctis Patribus placuisse. Sane prudentissimus fuisse dicendus est, qui in quæstione difficillima judicium suspendit, cum nihil certi ab Ecclesia definitum esse sciret : « Ubi enim de re obscurissima disputatur, non adjuvantibus divinarum Scripturarum certis clarisque documentis, cohibere se debet humana præsumptio, nihil faciens in partem alteram declinando. » Ita suam hanc perplexitatem defendit lib. II de peccatorum Meritis, cap. 36. Hinc cum Pelagiani ex creatione animarum, quam altius exaggerabant, deducerent non posse illas habere peccatum originale, ne alias in Deum creantem culpa rediret, lib. III ad Bonifacium, in fine, et ex litteris Zosimi, quarum fragmentum recitat in epistola 157, sanctus doctor in utraque sententia tam affirmantium animarum traducem, quam negantium, peccatum originale bene posse componi demonstravit, ac rem apud Ecclesiam certissimam juxta utramque opinionem explicare conatus est, ne cui peccatum originale incredibile videretur.

Bellarminus concedit Augustinum de animæ origine dubitasse ; addit tamen in scriptis post libros de Genesi ad litteram *apertissime refellisse* sententiam de traduce animarum, quod in epist. 157 ad Optatum hæc scribit : « Itaque illi qui propaginem animarum inconsiderata temeritate defendunt; » et superius, loquens de sententia Tertulliani, qui ponebat traducem animarum, dicat : « Quo quid perversius dici potest? » Non assentior, cum in illa epistola adhuc se dubitare fateatur; nam recitata utraque opinione de creatione et traduce animarum, initio statim epistolæ ait : « Quarum autem rerum atque causarum consideratione permovear, ut in neutram assertionem meus inclinetur assensus, sed adhuc inter utramque disceptem. » Et lib. I de Origine animæ, cap. 16, de traduce animarum ait : « Ego nec defendo, nec refello. » Hos autem libros sanctus doctor composuit post illam epistolam quam Cæsarea dedit ad Optatum, ut ostendimus lib. I Histor. Pelag., cap. 15; in iis autem libris suam dubitationem fusissime defendit contra Vincentii Victoris reprehensiones. Solvit tamen ibi more solito argumenta utriusque sententiæ, quod non est opinionem de traduce refellere, sed ejusdem incertitudinem demonstrare. Hinc illius assertores inconsideratæ temeritatis arguit, non quod putaret illos falsum asserere, sed quod culparet promptam eorum audaciam, qua opinionem non certis argumentis stabilitam uti veram contentiose defenderent, quia, ut inquit in epistola laudata : « Ubi res naturaliter obscura nostrum modulum vincit, et aperte divina Scriptura non subvenit, temere hinc aliquid definire humana conjectura præsumit. » Unde apud Augustinum inconsiderata etiam temeritate alii mordicus oppositam sententiam de animarum creatione sustinebant. Sed neque quod Augustinus de sententia Tertulliani dixit contra sententiam de traduce animarum eo modo quo ab Augustino explicabatur, ut argumentis contrariæ sententiæ responderet, accipiendum est. Nam Tertullianus inde ab Augustino reprehenditur, non quod traducem animarum poneret, sed quod non recte illum assereret, cum putaret animam esse corpoream, atque adeo per semen corporeum generantis traduci : « Nam et illi (scribit Augustinus) qui animas ex una propagari asserunt, quam Deus primo homini dedit, atque ita eas ex parentibus trahi dicunt, si Tertulliani opinionem sequuntur, profecto eas non spiritus, sed corpora esse contendunt, et corpulentis seminibus exoriri. Quo perversius quid dici potest? » Et in hoc sensu sanctus Thomas, part. I, quæst. 118, art. 2, ait, *hæreticum esse* dicere animam traduci cum semine, nempe corporeo, ut ipse ibidem probat, in quo sensu communiter etiam scholastici, 2, dist. 17 et 18, sententiam de traduce animarum rejiciunt. At sanctus doctor nunquam de hoc modo Tertulliani traducendæ animæ dubitavit, sed eumdem tum in ea epistola, tum lib. X de Gen., cap. 25, explosit, atque *incredibilius* dogma pronuntiavit. Sed dubitavit Augustinus « utrum INCORPOREUM semen anima sua quadam occulta et invisibili via seorsum ex patre currat in matrem, cum fit conceptus in femina. » In eadem epist. 157. De iis vero qui minori cum difficultate traducem defendebant, scribit lib. X de Gen. ad litt., cap. 20 : « Per semen quippe concumbentis patris transfundi etiam semen animæ volunt. » Nam animam rationalem ex materia corporea factam fuisse illi soli dixere qui eamdem corpus esse putarunt ex Augustino lib. VII de Gen., cap. 9, contra quos in eo libro idem acutissime disputat. Quare censura illa Augustini eos tantum perstringit qui animam corpoream, juxta Tertulliani errorem, ex corpulentis seminibus originem trahere asseverabant. Qualem vero se exhiberet Augustinus erga utramque sententiam audiatur lib. X de Gen., cap. 21 : « Ego adhuc inter utrosque ambigo, et moveor aliquando sic, aliquando autem sic. » Et cap. 23 : « Admoneo sane, inquit, quantum valeo, si quos ista præoccupavit opinio, ut animas ex parentibus credant propagari, quantum possunt se ipsos considerent, et interim sapiant corpora non esse animas suas. » Ex quibus Adamus iterum refellitur, dum scribit Augustinum credidisse animam esse corpoream, quem errorem sanctus doctor toto eo libro persequitur.

Bellarminus, ut probet ex traditione ecclesiastica animas a Deo creari, nonnullos Patres adducit, qui etiamsi aliquo modo explicari possent, nullo nobis impedimento esse debent, nam apud Græcos in

Orientali Ecclesia creatio animarum communiter tenebatur. Apud Occidentales vero, teste Hieronymo, opinio de traduce prævalebat. Idem Pater initio quidem hanc secundam sententiam irridebat in cap. ult. Ecclesiastici, mortus illis verbis : *Et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*, vers. 7. Sed hoc testimonium egregie interpretatur August. lib. x de Gen., cap. 9, et cum in epist. 28 ad eumdem Hieronymum ostendisset eum locum *plus suffragari eis qui ex una putant omnes esse animas*, non amplius sententiam de traduce Hieronymus irrisit, sed laudata Augustini diligentia in explicandis sacræ Scripturæ testimoniis adhibita rescripsit epist. 30 apud Augustinum : *Unusquisque in suo sensu abundet*, contestatus nihil se in litteris Augustini, in quibus latissime de origine animæ disputavit, reprehendendum putare. Commentarios autem in Ecclesiastem scripsit *ante annos ferme decem* quam scriberet ad Pammachium contra errores Joannis Hierosolymitani, anno nempe 483 : nam epistola illa data est anno 493, ut erudite num. 2 ejus anni probat Baronius. Cum vero libri Augustini per Ecclesiam avide legerentur, sapientiores quique cum Augustino dubitare cœperant in neutram partem inclinantes, ut demonstravimus, magna cum Augustini gloria, cum Patres subsecuti tanti illius auctoritatem fecerint, ut non modo docentem, sed etiam dubitantem sequi voluerint, quasi desperantes veritatem illam assequi, ad quam Augustini ingenium pervenire non potuerat. Itaque sanctus doctor tanto studio ac diligentia omnia Scripturarum loca pro utraque parte adducta exponens, rem satis dubiam apud posteros fecit, suamque illis dubietatem persuasit. Bellarminus ibidem ex Hieronymo eam ecclesiasticam traditionem ita probat : « In epistola ad Pammachium de erroribus Joannis Hierosolymitani ante medium recitatis sententiis Origenis, Tertulliani et Apollinaris, hæreticorum de anima, dicit : *Ecclesiasticum dogma esse, ut Deus quotidie animas fabricetur ;* ubi cum opponat ecclesiasticum dogma sententiis hæreticorum, videtur omnino sensisse catholica fide esse tenendum animas non traduci a parentibus, sed creari. » Hæc Bellarminus. Verum Hieronymi verba audire præstat in epistola ad Pammachium : « An certe (quod ecclesiasticum est secundum eloquia Salvatoris : *Pater usque modo operatur, et ego operor* (*Joan.* v, 17) ; et illud Isaiæ : *Qui format spiritum hominis in ipso* (*Isa.* XLII) ; et in Psalmis : *Qui fingit per singulos corda eorum* (*Psal.* XXXII), quotidie Deus fabricetur animas, etc. » Bellarminus addit *dogma*, et silet hæc, *secundum eloquia Salvatoris*, cum Hieronymus illud assertum ecclesiasticum dixerit, non quod esset dogma definitum ab Ecclesia catholica, ac de fide tenendum, cum scripserit ecclesiasticos Occidentales traducem solere communiter defendere, ut fatetur ipsemet Bellarminus cap. illo 11, § *Quarta sententia*, sed, ut ibidem subdit, quod esset secundum auctoritatem Scripturæ, quæ videtur creationem insinuare, quæ tamen loca explicat Augustinus superius laudatus, et Bellarminus ipse ait : « Quare, ut sanctus Augustinus disputat in epistola 28 ad Hieronymum, nullus fortasse Scripturæ locus invenietur, in quo perspicue doceatur animas non fieri ex propagine, sed creari. » Quare *secundum eloquia Salvatoris* haud perspicue statuitur assertum illud de creatione animarum, et sic Bellarminus a Hieronymo discedit, quem pro se produxerat, neque erit amplius assertum ecclesiasticum, cum eo titulo tantum a Hieronymo dicatur, quod sit *secundum eloquia Salvatoris*, juxta explicationem auctorum illius sententiæ.

Opponit idem auctor Leonem Magnum, in epistola ad Turibium, cap. 10, hæc scribere : « Catholica fides constanter prædicat atque veraciter, quod animæ hominum, priusquam suis inspirarentur corporibus, non fuere, nec ab ullo incorporentur nisi ab opifice Deo, qui ipsarum est creator et corporum. » Sed ibi pontifex Origenis sententiam de antiqua ac simultanea omnium animarum creatione confutat, ut patet ex illa epistola 91, initio cap. 10 ; neque minus dicitur ibidem Deus creator corporum ac animarum ; unde sicut ex illo modo loquendi non deducitur corpus non esse ex traduce, nullo item modo inferri potest non fieri ex traduce ipsam animam. Addit Leonem eumdem epist. 11 ad Julianum, ita loqui de anima Christi : « Nec alio illi quam cæteris hominibus anima est inspirata principio, quæ excelleret non diversitate generis, sed sublimitate virtutis. » At anima Christi producta est ex nihilo, non per traducem propagata ex Augustino lib. x de Gen., cap. 19 et 20, unde et reliquorum hominum animæ, juxta Leonis decretum, a Deo creatæ fuisse credendæ sunt. Sed Leo ibidem damnat opinionem Eutychetis cum Origene concinentis ; nam ita loquitur : « Arbitror enim talia loquentem hoc habere persuasum, quod anima quam Salvator assumpsit prius in cœlis sit commorata quam de Maria Virgine nasceretur, eamque sibi Verbum in utero copularet. » Ex quibus patet, illis verbis : *Nec alio illi, quam cæteris hominibus anima est inspirata principio*, non significari principium, quod idem est ac causa animæ productiva, de quo nulla erat cum hæretico controversia, sed principium, hoc est initium durationis, quod idem fuerat in Christo ac in nobis, nempe initium vivendi in corpore, non in cœlis ante corporis formationem. Do verba pontificis de Verbo scribentis : « Nec animam enim, quæ anterior exstitisset, nec carnem, quæ non materni corporis esset, accepit. » Quomodo vero defendentes traducem acute probarent animam Christi fuisse creatam a Deo, non vero reliquas aliorum hominum ? Lege Augustinum lib. de Gen. cit. xx ; nobis enim satis est ostendisse nihil contra traducem a Leone esse statutum, ut ecclesiastica illa traditio de creatione animarum a Bellarmino asserta nullis innixa fundamentis appareat, cum potius de animæ origine dubitatio Augustiniano speculatu corroborata, per plura sæcula apud Patres invaluerit, ut satis hucusque est demonstratum.

Moraines, qui eam sancti Patris dubitationem in errorum indicem rejecit, non modo omnia quæ antiquitus dicta sunt ignoravit, sed nec quid recentiores audacter pronuntiarunt plane novit. Scripserat vir doctissimus Christianus Lupus, cum adhuc juvenis scripto luderet, in defensione Apologiæ de anima ovi, cap. 15, doctores Marpurgensis academiæ hanc thesim defendere : *Anima rationalis per traducem infunditur, non creatur.* In hac etiam sententia alios esse testantur Vossius lib. II Hist. Pelag., part. I, thesi prima, et Alipius Reylof, lib. VI de Anima ad mentem sancti Augustini, cap. 2, § 3, nominans Timotheum Brighthum Cantabrigiensem, Georgium Sohnium et Danielem Sennertum, qui cum ob eximiam eruditionem inter celeberrimos nostræ ætatis medicos merito reponatur, audiendus est, licet non approbandus. Hic ergo, hypomnemate 4, cap. 14, ait : « Rationalis anima in prima creatione et a Deo opt. max. condita, et corpori humano insita quidem est ; verum per illud, *Crescite et multiplicamini* (*Genes.* I), vim se propagandi et multiplicandi accepit, et quidem cum semine. Neque enim anima rationalis essentia per se completa est, ut angeli, quæ per se sola subsistat, sed est pars altera hominis, quæ corpus humanum informat, et proinde sicut societas illa corporis nihil ejus nobilitati derogat, ita nec propagatio cum semine. » Item ibidem addit : « Quod Dom. Fienus falsum, absurdum et a religione catholica alienum putat, animam esse ex traduce, est verissimum et sacris litteris consentaneum. » Adducitque nonnulla sacræ Scripturæ testimonia, quæ tamen erudite olim exposuit Augustinus, ne ex sacris arcanis aliquod oppositæ sententiæ præjudicium fieret. Hæc, inquam, refero, sed non probo. Illud tamen advertendum est, quod superius ex epistola 157, ad Optatum indicavimus, Augustinum dubitasse num anima *per* INCORPOREUM *semen* traduceretur, in qua sententia nulla videri debet evidens repugnantia, cum plerique scholastici admittant materiam spiritualem non esse impossibilem. Ita ex materia spirituali angelos componunt sanctus Bonaventura, 2, dist. 3, in part. I, art. 1, q. 2 ; Alensis part. II, q. 20, memb. 2, § 1 ; Aureolus, 2, dist. 3, q. 1, art. 3. Ex recentioribus materiam illam possibilem tradunt Bubalus in q. 50 sancti Thomæ de Angelis, art. 2, quæst. 2, difficult. 2, § 1 ; Arriaga, disput. 1 de Anima, sect. 5 ; Comptonus, disp. 9 de Anima, sect. 8. Hanc sententiam de materia spiritali ex qua anima componatur, fuse defendit Pater Matthæus Veglensis, in hac celeberrima Patavina academia theologicæ cathedræ Scoti moderator, vir rari ingenii ac nostro præconio major. Hic enim tomo priori de Angelis, q. 27, probat angelos ex materia spirituali componi, quod quæstione sequenti etiam de anima dicendum esse contendit, laudans cap. 1, num. 3, quosdam Scotistas qui in eamdem sententiam descenderunt. Hac ergo materia spirituali animæ admissa, quam tot scholastici defendunt, non erit difficile statuere animarum eductionem secundum formam ex eadem materia spirituali. Noster Alipius Reylof, proxime laudatus, ex eo animarum traducem possibilem defendit, quod anima ut Dei instrumentum alteram animam creare potest : quam virtutem creaturæ communicari posse nobiles scholastici existimarunt. Sed prior modus magis placet. Quæ hic libuit insinuare, ut insulsas quorumdam censuras refellam, qui Augustinum reprehendunt quod traducem animarum probabilem asseruerit, cum tamen evidenter constet animas non posse educi de potentia materiæ corporeæ, alias essent mortales. Etenim nusquam sanctus doctor arbitratus est animas posse educi de materia corporea, sed tantum de materia spirituali, quam esse possibilem tot superius memorati doctores concedunt ; illa autem concessa, non video cur eductio formæ spiritualis ex materia spirituali adeo evidenter impossibilis appareat, ut errori verti debeat Augustino quod illam eductionem probabilem duxerit. Fateor materiam spiritualem, ex qua anima fieret visam fuisse difficilem Augustino, ut patet ex lib. VII de Genesi ad litt., cap. 6 et seq. Unde ait cap. 7 : « An vero illa spiritalis materies, si fuit ulla unde anima fieret, vel si est ulla unde animæ fiunt, quid ipsa est, quod nomen, quam speciem, quem usum in rebus conditis tenet? Vivit, an non? etc. » Ubi fuse materiam spiritualem per modum disputantis examinat. Idem vero sanctus Pater, epist. 157, ad Optatum, proponit difficultates quæ insurgunt posito illo semine spiritali ex quo anima fiat : ut inde satis pateat quantum studii illi dubitationi tollendæ impenderit ; sed cum utrinque maguis difficultatibus se premi cerneret, assensum suspendit. Neque enim probare possum hæc Bellarmini verba lib. IV de Amissione gratiæ, cap. 11 : « Certe sanctus Augustinus, si nunc inter homines viveret, non solum faveret, sed etiam gratias ageret iis, qui nostram hanc sententiam (de creatione) tuerentur. » At cur hasce gratias recentioribus Augustinus deberet? Quod ex Scriptura sententiam de creatione animarum ostenderint? at omnia sacrarum litterarum testimonia Augustinus expendit excussitque. An scholasticorum auctoritatem sequeretur? imo potius cum Patribus, quos laudavi, adhuc in veteri dubitatione persisteret. Rationibus eorumdem contra traducem convinceretur? at illæ, præterquam quod ab affirmantibus materiam spiritualem facile solvi possunt, id tantum evincerent, ut Augustinus ab admittendo traduce assensum contineret, quod et semper fecit, non autem in sententiam de creatione singularum animarum eumdem traherent, in qua non minoribus difficultatibus se premi sentiebat, præcipue vero quod data ea sententia, quam etiam Pelagiani toto conatu urgebant, difficultas traducendi peccatum originale statim emergit, qua adeo premuntur scholastici, ut in assignando modo quo labes illa per generationem trahatur, minime inter se conveniant, sed sese invicem acerrime oppugnent. Suspenderet igitur etiam nunc assensum Augustinus, et tunc gratias tantum ageret cum certum modum proponerent,

quo data creatione animarum peccati originalis propagatio adeo evidenti ratione constaret, ut modus ille a nemine rejici posset.

Ex hucusque dictis satis elucet quam immerito, Moraines, Augustino de origine animæ dubitanti erroris notam inuris, quam plenis sanctorum Patrum suffragiis ille absolvitur, et te invito panegyricum eidem recitat magnum Africanæ Ecclesiæ ornamentum sanctus Fulgentius, Ruspensis antistes, his plane verbis conceptum : « Quæstionis (de origine animæ) B. Augustinus profunditatem sibi imperscrutabilem cernens, nullam voluit hujus rei definitam proferre sententiam, incongruum prorsus existimans aliquid affirmare sine dubitatione velle quod alter posset contraria responsione convellere. Cujus tam in decimo libro de Genesi ad litteram, quam in libris ad Vincentium Victorem de origine animæ, nec non in libro primo ex duobus quos ad sanctum Hieronymum scripsit, in tribus quoque epistolis quas ad Optatum episcopum de hac quæstione composuit, disputatione refulget non minus copiosa quam profunda, et eo magis laudabili quia congrua temperie moderata; ubi quidquid ingenii acumine, quidquid ratiocinationis ordine, quidquid auctoritatis pondere inquirendum discutiendumque conspexit, et inquisivit singulariter, et discussit, consensum tamen ab utraque definitione continuit, ne laborem tantæ disputationis inaniter susciperet, quem cujuslibet sententiæ temeraria definitio vacuaret. » Lib. III de Veritate prædestinationis et gratiæ, cap. 18.

§ IV. *An fuerit sententia sancti Augustini pueros baptizatos sine reali Eucharistiæ sumptione non posse salvari?*

Transeamus modo ad reliquos errores quos de Augustino recentiores publicant. Opponit Adamus, pag. 584, Augustinum docuisse *infantes etiam suscepto baptismo non posse salvos fieri sine reali sumptione sanctissimæ Eucharistiæ.* Moraines recitatis verbis sancti Augustini lib. I de peccatorum Meritis, cap. 20, § *Auferatur jam dubitatio*, ait : « Quæ verba sunt adeo manifesta, ut difficillime patiantur benignam interpretationem, qua plerique theologorum Augustinum ab errore excusare conantur, error enim est notatus et damnatus sub anathemate a concilio Tridentino. » Hic quoque Augustini causa tuta est Romana Ecclesia sancto doctori patrocinante, apostolicæ enim sedis pontifices eadem omnino Augustini verba contra Pelagianos usurparunt. Cum hæretici, coacti illis verbis Domini Joan. III, 6 : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*, concederent pueros sine baptismo mortuos non ituros in regnum cœlorum, cum illos sine peccato originali esse vellent, negabant eosdem in ignem æternum projiciendos, sed dicebant illos habituros nescio quam vitam æternam, beatam ac felicem, ut tradit Augustinus serm. 14 de Verb. Apost., lib. IV de Orig. animæ, cap. 13, epistola 106, et alibi. Quare, ut hocce effugium Pelagianis præcluderet, illud Joannis VI, 54, opposuit : *Nisi manducaveritis* A *carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, inferens parvulos sine baptismo decedentes, cum non manducarint carnem Filii hominis, aut ejus sanguinem biberint, non habituros vitam beatam, et per consequens fore damnatos. De hoc argumento ex sacris litteris ab Augustino deducto hæc scribit ibidem Moraines : « Item lib. I de peccatorum Meritis et remiss., cap. 20, et lib. de Prædestinatione sanctorum, cap. 13, et lib. II Operis imperf. contra Julianum, cap. 29, docere videtur sacramentum Eucharistiæ non minus esse necessarium parvulis ad salutem, quam baptismum, neque minus ad eos pertinere quod dicitur Joan. VI, 54 : *Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non* B *habebitis vitam in vobis*, quam istud Joan. III, 5 : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*, etc. »

Sed post Augustinum Romani quoque pontifices qui Pelagianos damnarunt eodem prorsus testimonio Joannis VI citato usi sunt, ad vitam illam quam pueris Pelagiani sine baptismo promittebant, eliminandam. Sanctus Innocentius, in litteris ad Patres synodi Milevitanæ ita scribit : « Illud vero quod eos vestra fraternitas asserit prædicare, parvulos æternæ vitæ præmiis etiam sine baptismatis gratia posse donari, perfatuum est. *Nisi* enim *manducaverint carnem Filii hominis, et biberint sanguinem ejus, non habebunt vitam in semetipsis.* Qui autem hanc eis sine regeneratione defendunt, videntur mihi ipsum baptismum C velle cassare, cum prædicant eos habere quod in eos creditur non nisi baptismate conferendum. » Putat Maldonatus textum esse corruptum, dicens ea verba Innocentii vix sensum ullum congruentem habere posse : « Ubi ergo, inquit, est *defendunt*, legendum puto *deferunt*, et ubi est *nisi baptismate*, legendum puto, *sine baptismate.* » Vasquez, part. III, disp. 279, cap. 4, num. 55, cum animadversiones Maldonati notasset, legit, *in eis defendunt.* At illa verba optimum sensum habent, nam vel ipse Cicero usus est illis particulis *non nisi* in lib. de Amicitia : « Hoc primum sentio nisi in bonis amicitiam esse non posse. » In synodo etiam Carthaginensi, anno 397, can. 29, dicitur : « Ut sacramenta altaris non nisi a jejunis hominibus celebrentur. » Verbum vero D *defendo* cum dativo jungit Horatius lib. I. Carminum, ode 17 : *Defendit æstatem capellis*, et Virgilius, eclog. 4 : *Solstitium pecori defendite.* Nec præfectus urbem defendere sibi dicendus est, sed principi. Quare textus sancti Innocentii nullæ novæ grammaticæ castigatione restituendus venit; sed leviora hæc insinuasse sit satis. Eodem prorsus testimonio sanctus Gelasius papa Pelagianos insecutus est in epistola ad episcopos per Picenum : « Ut providentia Dei, inquit, omnes Pelagianorum nequitias amputaret, non solum dictum est : *Qui non fuerit renatus ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum* (*Joan.* III, 5), sed etiam pariter dictum est : *Qui non manducaverit carnem Filii hominis, et biberit ejus*

*sanguinem, non habebit vitam in semetipso* (*Joan.* VI, 54). De vita autem æterna hoc dictum nullus addubitat, quoniam multi non manducantes hoc sacramentum vitam videantur habere præsentem. » Audis, Moraines, non minus ad parvulos pertinere illud Joan. VI : *Nisi manducaveritis*, etc., quam illud Joan. III : *Nisi quis renatus*, etc. Hoc Innocentius credit, hoc Gelasius statuit, quod tamen in Augustino tanquam palmarem errorem reprehendebas.

Maldonatus in Comment. cap. VI Joan. 54, ait : « Missam facio Augustini et Innocentii I sententiam, quæ sexcentos circiter annos viguit in Ecclesia, Eucharistiam etiam infantibus necessariam. » Rursus ibidem affirmat Augustinum et Innocentium « eo testimonio Joan. VI adductos fuisse ut crederent infantes etiam baptizatos, nisi Eucharistiam percipe- B rent, salvos esse non posse. » Ita socium erroris Augustino tribuunt Innocentium, et si Gelasium legissent, eumdem quoque addidissent. Duo hic nobis præstanda sunt, et Maldonatus castigandus, et Augustinus una cum apostolica sede ab errore ac censuris vindicandus est. In primis certum est veteres Patres consuevisse pueris statim post baptismum sacram Eucharistiam ministrare, ut tradunt Cyprianus in libro de Lapsis; Gennadius de Eccles. Dogmat., cap. 52; Augustinus epist. 107; concilium Toletanum II, cap. 11. Quod vero inquit Maldonatus illos ita fecisse, quod putabant *Eucharistiam etiam infantibus necessariam*, nullo pacto concedi potest : id enim est contra Tridentini decretum, sess. 21, cap. 4, ubi de eodem antiquorum ritu dandi parvulis C Eucharistiam, loquens ait : « Ut enim sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt, ita certe eos nulla salutis necessitate id fecisse sine controversia credendum est. » Quod rursus addit Maldonatus sanctos Innocentium et Augustinum dixisse *infantes etiam baptizatos, nisi Eucharistiam perciperent, salvos esse non posse*, et Adamus dixisse Augustinum *infantes etiam suscepto baptismo non posse salvos fieri sine reali sumptione sanctissimæ Eucharistiæ*, falsissimum est. Illi quidem dixere infantes sine sacramento Eucharistiæ salvos esse non posse, at id de pueris baptizatis nunquam affirmarunt, cum ea tempestate statim post baptismum daretur omnibus etiam Eucharistia. Ob hanc vero causam eo testimonio Joannis VI contra Pelagianos optime et Romani pontifices et Augustinus usi sunt : nam cum Pelagiani vitam æternam extra regnum Dei parvulis sine baptismo morientibus darent, sancti Patres ita arguebant : Nullus sine baptismo potest suscipere Eucharistiam, per quam ex verbis Domini Joannis VI donatur vita æterna, igitur pueri morientes sine baptismi et Eucharistiæ sacramentis non possunt participare vitam æternam. At nunquam dixere infantes tantum baptizatos ante Eucharistiæ sumptionem non habere gratiam et jus ad vitam æternam. Eo autem discursu optime Pelagiani convincebantur quia unde vitam æternam parvulis promitterent, non habebant. Marius Mercator, sancti Augustini amicus et defensor, in opusculo contra Julianum, hoc ipso argumento utitur ea prorsus ratione qua illud ipsi explicavimus. Do illius sententiam ex Ms. Palatinæ bibliothecæ in Vaticano, num. 234, pag. 8, col. 2 : « Vox Salvatoris est : *Nisi manducaveritis carnem meam, et biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobismetipsis;* quod certe absque ulla tergiversatione sine baptismo nullus usurpat, nec fit illius particeps sacramenti. » Porro hoc argumentum *validissimum* esse testatur Eusebius, episcopus Gallicanus, cujus homiliæ sub Emisseni titulo circumferuntur, qui tamen Emisseno et posterior et melior fuit. Hic in hom. 5 de Paschate ait : « *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis sanguinem ejus, non habebitis vitam in vobis.* Quod testimonium contra Pelagii blasphemias EVIDENTISSIMUM atque VALIDISSIMUM est, qui asserere arrepta impietate præsumit, non propter vitam, sed propter regnum cœlorum baptismum parvulis conferendum. Sub his enim Dei verbis, quibus Evangelista pronuntiat, *Non habebitis vitam in vobis*, aperte intelligenda est omnis anima munere baptismi vacua non solum gloria carere, sed vita. » Tom. V Bibl. sanctorum Patrum, part. I, pag. 560 edit. Colon. Illam vero auctoritatem sacræ Scripturæ ita adhibuisse sanctum Augustinum patet ex ejusdem epist. 106 ad Paulinum, ubi ait : « Si autem cedunt sedi apostolicæ, vel potius ipsi magistro et Domino apostolorum, qui dicit non habituros vitam in semetipsis, nisi manducaverint carnem Filii hominis et biberint sanguinem, quod NISI BAPTIZATI non utique possunt, nempe aliquando fatebuntur parvulos NON BAPTIZATOS vitam habere non posse. » Neque sanctus Innocentius scribit parvulis etiam baptizatis vitam æternam nisi per Eucharistiam conferri, ut illi Maldonatus imponit, sed *in eos creditur* NON NISI BAPTISMATE *conferendam*, ut vitam æternam non ab Eucharistia, sed a baptismate conferri significet. Unde Augustinus in laudata epistola ad Paulinum notat ab apostolica sede adhibitum illud *testimonium evangelicum*, *ne parvuli* NON BAPTIZATI *vitam posse habere credantur.* Non ait, *ne parvuli etiam baptizati sine Eucharistiæ sumptione vitam posse habere credantur.* Quæ gravis est adversariorum allucinatio.

Sed cum ea tempestate omnibus utrumque illud D sacramentum, baptisma scilicet et Eucharistia, daretur, non tam frequenter legimus in Augustino quid senserit si baptisma tantum sine Eucharistia collatum fuisset. Cæterum semel casum illum lego apud sanctum doctorem, lib. I de origine animæ, cap. 9, et lib. III, cap. 9, ubi cum Vincentius Victor exemplo boni latronis probaret pueros sine baptismo posse salvari, sanctus doctor respondet fieri potuisse ut latro ille fuerit baptizatus, et antequam in carcerem iret acceperit in baptismo remissionem peccatorum; vel, ut plerique credebant, in ipsa cruce baptizatus fuerit aqua e Christi latere exiliente. Et lib. II Retract., cap. 18, ait incertum esse an latro fuerit baptizatus, qua de re sermo redibit cap. 5, § 11. At

certum est latronem non sumpsisse Eucharistiam, quæ pridie ante mortem in cœna a Domino instituta fuerat. Igitur per Augustinum homo tantum baptizatus sine reali sumptione Eucharistiæ potest accipere remissionem peccatorum et salutem æternam. Hoc etiam deducitur ex constanti ejusdem sententia, qua asseruit *fidem conversionemque cordis*, quæ fit per charitatem actualem, posse reddere hominem salvum, si a recipiendo baptismo improvisa necessitate excludatur; ita passim scribit in libris contra Donatistas, præcipue lib. IV de Baptismo, cap. 22. At puer baptizatus, etiamsi non percipiat Eucharistiam, longe perfectiori modo habet fidem et charitatem sibi a Deo in sacramento regenerationis infusas; igitur, juxta doctrinam sancti Augustini, vere salvabitur. Cum vero sancti Patres docent sine participatione corporis et sanguinis Domini neminem vitam æternam consequi posse, intelligendi sunt de participatione spirituali, quando per fidem infusam fiunt participes corporis Christi, dum fiunt membrum Christi, cui per fidem incorporantur, sicuti qui sumunt Eucharistiam dicuntur fieri membra Christi, dum manent in eo et Christus in eis. Hinc Augustinus, tract. 27 in Joannem, plura de hac re habet, inter cætera : « Ut autem simus membra ejus, unitas nos compaginat; ut compaginet unitas, quæ facit nisi charitas? » Et tract. 26 : « Hoc est ergo manducare illam escam, et illum bibere potum, in Christo manere, et illum manentem in se habere. » Ita etiam se explicat sanctus Pater in iisdem libris contra Pelagianos, ubi cum lib. III de peccatorum Meritis, cap. 4, dixisset : « Quia nisi manducaverint homines carnem ejus, hoc est participes facti fuerint corporis ejus, non habebunt vitam; » paulo superius modum assignaverat quo pueri participant corpus Christi : « Unde fit consequens, inquit, ut quoniam nihil agitur aliud, cum parvuli baptizantur, nisi ut incorporentur Ecclesiæ, id est Christi corpori, membrisque socientur. » Et hanc ipsam esse Augustini mentem testatur sanctus Fulgentius in responsione ad duas quæstiones Ferrandi diaconi. Scripserat Ferrandus juvenem Æthiopem morti proximum fuisse baptizatum, ac statim antequam Eucharistiam sumeret decessisse, petens num eo pacto salvari posset? Respondit Fulgentius hominem per baptismum fieri participem corporis Christi, seu incorporari Christo, etiamsi Eucharistiæ sacramentum reapse non sumat. Et cum plurima ad hoc suadendum testimonia ex sacris litteris adduxisset, sermonem tandem sancti Augustini ad infantes ante altare producit, ubi sanctus doctor inter alia ait : « Intelligite, et gaudete, unitas, pietas, veritas, charitas, unus panis, unum corpus multi sumus; recolite enim quia panis non fit de uno grano, sed de multis. Quando ergo exorcizabamini, quasi molebamini; quando baptizati estis, quasi conspersi estis; quando Spiritus sanctificationem accepistis, quasi cocti estis, estote quod videtis, et accipite quod estis. » Igitur infantes ex Augustino per gratiam sanctificantem baptismi facti sunt membra corporis Christi. Porro Fulgentius post illa Augustini verba concludit : « Arbitror, sancte frater, disputationem nostram præclari doctoris Augustini sermone firmatam, nec quidquam esse aliquatenus ambigendum tunc unumquemque fidelium corporis sanguinisque Dominici participem fieri, quando in baptismate membrum corporis Christi efficitur, nec alienari ab eo panis calicisque consortio, etiamsi antequam panem illum comedat, et calicem bibat, de hoc sæculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat. » In resp. ad quæst. Ferrandi diaconi. Beda, tomo VI, in Comment. cap. 10 primæ ad Corinthios, qui conflati sunt ex centonibus Augustini, ita citat priora illa verba sancti Augustini, ut eidem etiam attribuat sequentia, quæ ex Fulgentio retulimus, omisso priori versu : *Arbitror, sancte frater*, etc., in quem lapidem impegit etiam compilator canonum cap. *Nulli*, de Consecr., dist. 4, verba illi Fulgentii Augustino ascribens. Ex his error ille de necessaria pueris præter baptismum reali Eucharistiæ sumptione a recentioribus Augustino attributus in fumum evanescit, cujus vocibus cum Romani pontifices usi sint ad eosdem divinæ gratiæ hostes convincendos, haud ille unus erroris argui potest, sed una cum Augustino apostolica sedes accusanda venit, præsertim cum sanctus doctor illud testimonium Joan. VI inculcarit, tanquam *ab apostolica sede adhibitum*, uti diximus ex epistol. 106. Quod si recentiores religioni ducunt adeo præposterе de Romanis pontificibus sentire, qui ex communi Ecclesiæ sensu contra Pelagianos sententias dixere, mitiores etiam erga Augustinum animos induant, atque in eadem prorsus causa, et Romanos præsules, et Hipponensem antistitem benignis interpretationibus excipiant, non illas quidem honoris gratia e proprio cerebro fingentes, sed ab ipso Augustino una cum Fulgentio easdem inaudientes. Unus enim Augustinus sibi est ad sui intelligentiam clavis, ac suorum sensuum planus ac sincerus interpres.

§ V. *Non errasse sanctum doctorem exponentem illud Apostoli Rom.* XIV, 23 : Omne quod non est ex fide peccatum est. *Ecclesia catholica, Romani pontifices ac Patres sancti Augustini interpretationem approbant.*

Sed rursus Morainius contra Augustinum clamat : « Perperam quoque exponit id quod ait Apostolus Rom. XIV, 23 : *Omne quod non est ex fide peccatum est*, quasi velit dicere Apostolus omnia opera infidelium esse peccata, et sine vera fide nullum posse fieri bonum opus; cum tamen ibi sermo sit de eo quod non fit ex dictamine conscientiæ judicantis bona fide licitum esse id quod fit, ut ex textu ipso liquet, et communis interpretatio doctorum contradicit Augustino, qui etiam aliquot locis, ut alibi notavimus, videtur hanc suam assertionem restringere ad bonum opus utile vitæ æternæ consequendæ, etc. Utrumque tamen a vero sensu Apostoli loco citato plane alienum est. » Hæc ille. Nos quidem superiori capite, § 4, quæ fuerit sancti doctoris mens de operibus in-

fidelium indicavimus; modo Morainii ignorantia castiganda est, qui eam interpretationem, quam Ecclesia inter sacras cæremonias secuta est, a vero sensu Apostoli plane alienam dicere non dubitavit. Etenim ex antiquo Ecclesiæ ritu episcopus eos qui subdiaconi consecrandi sunt, ita alloquitur : « Estote ergo tales qui sacrificiis divinis et Ecclesiæ Dei, hoc est corporis Christi digne servire valeatis in vera et catholica fide fundati, quoniam, ut ait Apostolus : *Omne quod non est ex fide peccatum est*, schismaticum est, et extra unitatem Ecclesiæ est. » In Pontificali Romano. Ecce Augustinianum interpretamentum catholicæ Ecclesiæ approbatione consecratum, et per universum orbem orthodoxum ab episcopis inter sacras cæremonias recitatum. Igitur una est Ecclesiæ et Augustini de illis Apostoli verbis sententia, nempe ut de vera fide Christiana intelligantur. Videre mihi videor novos censores hærere, ut aiunt, ad aquas. Si Ecclesiam catholicam *perperam* textum Apostoli explicare dicant, jam vident quam gravi se piaculo obstringunt. At si Ecclesiæ voces rejicere religioni ducunt jam tandem Augustino ecclesiastica auctoritate coacti herbam porrigant. Nec mirum Ecclesiam catholicam ita Apostoli verba intellexisse, eo enim prorsus modo apostolicæ sedis pontifices eadem antiquitus interpretati sunt. Sanctus Leo Magnus, serm. 2 de Jejunio Pentecostes, disserens de infidelium ac Christianorum virtutibus, ita Apostoli sententiam explicat : « Aliud agit sub veritate ratio, aliud sub falsitate deceptio. Apud nos fides justificat etiam manducantem, apud illos infidelitas polluit jejunantem. Unde, quia extra Ecclesiam catholicam nihil est integrum, nihil castum, dicente Apostolo : *Omne quod non est ex fide peccatum est*, etc. » Idem serm. 8 de Quadragesima ait : « Is vera et rationabili purificatione se præparat, cujus cor nulla infidelitate polluitur, dicente Apostolo : *Omne quod non est ex fide peccatum est.* Inutilia erunt et vana eorum jejunia quos illusionibus suis decipit mendacii pater, et vera Christi caro non pascit. » Forte dicetis illam fuisse privatam Leonis interpretationem, qui ea in re cum Augustino sensit; docuisse illa Leonem pro concione disserentem, non e cathedra contra hæreses quidquam definientem. Sed parum vos ista juvant, dum catholici laudatam explicationem ab Apostolico ore inaudierunt, nec nisi temere dicere potestis Leonem licet non e cathedra definientem, sed docentem *perperam* locutum fuisse. Sed habemus pontificem Bonifacium II, qui septuagesimo a Leonis obitu anno contra Semi-Pelagianos sententiam e cathedra pronuntians Augustinianam interpretationem probavit. Etenim in epistola ad sanctum Cæsarium Arelatensem, loquens de fide Christiana, ait : « Præter quam (fidem) nihil est boni quod secundum Deum quilibet valeat operari, sicut beatus Apostolus dicit : *Omne quod non est ex fide peccatum est.* Quod cum ita sit, aut nullum bonum gratiæ deputabunt, si ei fidem subtrahere moliuntur, aut si quod bonum esse dicunt de gratia, ipsa necessario fides erit gratiæ deputanda. » At si duo Romani pontifices non satis auctoritatis addunt Augustini interpretationi, produco suffragia quindecim Patrum doctissimorum ac sanctissimorum, qui ex Africa in Sardiniam a Trasamundo rege Ariano in exsilium deportati, in libro de Incarnatione et gratia, omnium subscriptione, ut ex titulo patet, approbato, hæc tradunt cap. 25 : « Quis audeat illas in hoc loco gentes accipere quas constat non esse justificatas ex fide, cum ipse testetur Apostolus : quia *Omne quod non est ex fide peccatum est;* et quia *Sine fide impossibile est placere Deo* (*Hebr.* xi)? Quod si Abraham ex fide justificatum esse constat, etc. » Hæc synodus Byzacena. Quæ profecto faciunt ut nostri Patris explicatio nisi temere censuræ subjici possit. Sed alii Patres atque antiqui scriptores eidem interpretationi albos calculos adjecere. Sanctus Prosper, in epistola ad Rufinum; sanctus Fulgentius, lib. II de peccatorum Remissione, cap. 1; sanctus Isidorus, lib. de Summo Bono, cap. 2; sanctus Bernardus, serm. 30 et 51 in Cantica; Julianus Pomerius, lib. III de Vita contemplativa, cap. 1; Facundus Hermianensis, lib. I de Tribus Capitulis ad Justinianum imperatorem, cap. 1, in fine, aliique; ita ut si Patrum suffragia numerentur, plus quam viginti Augustino in eadem apostolici textus intelligentia consentiant, cum in altera interpretatione longe pauciores a recentioribus nominentur, nisi semet pariter istis adjungant, a quibus tam longo intervallo disjuncti sunt. Et tamen audacter Morainius contestatur quod *communis interpretatio doctorum contradicit Augustino*, quasi illi Patres quos adduximus doctores non sint, sed *plebeia de fæce Saburræ!* Video tamen Bernardum alteram etiam interpretationem admittere, nempe, quod non est ex conscientia peccatum est, in lib. de Præcept. et disp., cap. 18 et 20. Vossius, vir satis suo nomine notus, lib. III Hist. Pelag., part. III, thesi 12, conatur uno verbo Augustini interpretationem cum altera memorata de conscientia componere, « nempe ut mens Apostoli sit. Quidquid non provenit ex fide Christiana, per conscientiam ad opus applicata, illud peccatum censetur. » Sed nullis interpretamentis indiget Augustinus, qui de vera intelligentia Paulinæ sententiæ cum Juliano litigavit. Etenim cum sanctus doctor in primo libro de Nuptiis et concup., cap. 3, initio, ubi incipit contra Julianum disputare, ex illis Apostoli verbis : *Omne quod non est ex fide peccatum est*, intulisset sine fide pudicitiam non esse veram virtutem, Julianus quatuor libros uni illi Augustiniano opponens, rejecta interpretatione sancti Patris, alteram dubio procul de conscientia supposuit, ut vim argumenti eluderet. At Augustinus contra hosce quatuor Juliani libros e vestigio alterum de Nuptiis et concupiscentia exaravit, dein sex etiam volumina longe majori labore composuit, in quorum quarto, cap. 3, Juliani expositionem rejicit, suamque datam cap. 3 de Nupt. et concupisc. cit., constanter defendit his plane verbis : « Testimonium illud, quod ex Apostolo posui : *Omne quod non est ex fide pec-*

*catum est*, sicut tibi visum est, accepisti, et exposuisti non ut sapit, sed ut sapis : De cibis enim Apostolus loquebatur. Verum cum dixisset : *Qui autem discernit si manducaverit damnatus est, quia non ex fide* (*Rom.* XIV, 23), hanc peccati speciem, de qua agebat, generali voluit probare sententia mox inferens : *Omne enim quod non est ex fide peccatum est.* » Hæc Augustinus, ex quibus dictamen conscientiæ a fide dirigendum esse deducitur, a qua sola, ut ibidem probat, in ultimum finem opus refertur, quam ille conditionem ad bonitatem moralem operis ex omni circumstantia perfecti semper requirit. Etenim judicium practicum, quod dictat abstinendum a cibis lege vetitis, dirigitur a fide, qua creduntur præcepta illa esse servanda per ordinem ad ultimum finem. Quare qui discernit si manducaverit damnatus est, quia non operatur ex fide dirigente judicium practicum, seu conscientiam, quod dictum generali sententia probans Apostolus ait : *Omne quod non est ex fide*, a qua sola bonum opus saltem virtualiter ad Deum referri potest, *peccatum est*. Neque hic audienda est violenta interpretatio Cornelii a Lapide ad hunc Pauli textum dicentis : « Augustinum cum suis τὸ *Quod non est ex fide*, per miosim sic accipere, quasi dicat Apostolus, quod est ex infidelitate, vel quod est contra fidem, quodve fit ad cultum idoli, hoc peccatum esse; et quia sanctus Augustinus putabat pleraque opera ab infidelibus fieri hoc fine, scilicet ad colendum idolum, hinc consequenter pleraque opera putasse esse peccata. » Etenim sanctus Pater ad veram virtutem relationem in ultimum finem necessariam adeo putavit, ut nec virtutes propter sui honestatem citra vitium expeti posse affirmaverit, ut fusius cap. 3, § 4, probavimus : deficit enim illis relatio saltem virtualis proxima in ultimum finem, eo quod eliciantur ab homine veri Dei cognitione privato, ac philautiæ vitio corrumpantur, quæ constans Augustino sententia stetit.

Dices : Igitur si *omne quod non est ex fide peccatum est*, videlicet omnis actio quæ non supponit fidem in operante, a qua in ultimum finem dirigatur, est peccatum, eaque astruitur germana intelligentia verborum Apostoli ex Patrum, pontificum ac totius Ecclesiæ catholicæ interpretatione, sequitur omnia opera infidelium esse peccata, quæ tamen est 26 propositio Baii ab apostolica sede toties damnata. Respondeo nos jam superius, cap. 3, § 4, insinuasse, procul esse Augustini sententiam a damnata Baii propositione, sed ne videamur recentiores pontifices, qui memoratam thesim sæpius proscripsere, cum antiquis decessoribus, imo cum ipsamet Ecclesia catholica committere, quæ ex Apostolo docet *omne quod non est ex fide peccatum esse*, pauca hic iterum subjiciam. In primis illa propositio 26 Baii a plerisque recitatur [Possevin., verbo *Michael Baius*], præcipue vero a Suario hoc pacto : « Et ad Pelagianismum rejicienda est illa sententia : *Omnia opera infidelium sunt peccata, et philosophorum virtutes sunt vitia.* » Scribit autem Turrianus in tractatu de erroribus Baii, ad calcem tomi de Gratia, cap. 5, § 1, num. 4 : « Sic habent aliquot bullæ typis mandatæ Romæ, et aliquot manuscriptæ, quas ego vidi. » Mendose autem esse illam thesim sic describi certum est : nam tantum abest ut Pelagiani dixerint omnia opera infidelium esse peccata, ut e contrario potius assererent infideles pleraque virtutum opera elicere, putantes ea ratione divinam gratiam expungere ex Augustino lib. IV contra Julianum, cap. 3. Suarez, prolegom. 6 de Gratia, cap. 2, num. 7, ait : « Unde suspicor in illa propositione hypothetica deesse negationem aliquam, seu verbum negandi, *nempe* : Et ad Pelagianismum rejicienda est illa sententia : *Non omnia opera infidelium sunt peccata, et philosophorum virtutes non sunt vitia.* » At Vasquez, 1-2, disp. 191, cap. 2, ita recitat illam propositionem : *Omnia opera infidelium sunt peccata*, etc. Et in eadem bulla non semel edita Romæ contra Jansenium verba illa : *Et ad Pelagianismum*, etc., omissa sunt. In primis damnata est illa propositio ob censuram qua Pelagianismi incusabat negantes omnia opera infidelium esse peccata, et illam censuram primitus in bullis fuisse patet ex iis quæ antiquitus Romæ editæ sunt, quas etiam Turrianus, insignis e societate scriptor, testatur se legisse; quis audeat dicere typographos Romanos propria auctoritate ea verba addidisse? Hæc confirmantur ex hac propositione 23 ejusdem Baii, nempe, « cum Pelagio sentire, qui textum Apostoli Rom. II : *Gentes quæ legem non habent naturaliter ea quæ legis sunt faciunt*, intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus. » Quæ quidem propositio vel secundum historicam narrationem accipitur, id est eos qui ita sentiunt id asserere quod itidem Pelagius affirmavit. Et in hoc sensu propositio illa est vera, nec ulla ratione damnari potest, nam Pelagius ita illa Apostoli verba explicat in epist. ad Demetriadem, cap. 4; et Patres Byzaceni, in lib. de Incarnat. et grat., cap. 5, recitata illa Pauli sententia scribunt : « Quem quidem Apostoli locum hi qui gratiæ contradicunt gentibus incredulis assignare conantur. » Quod etiam tradit Augustinus lib. IV contra Jul., cap. 3, § *Unde et illi*. Vel eadem assertio accipitur prout censura configit eos qui laudatum textum de infidelibus intelligunt, quasi hæresim Pelagianam eo pacto doceant, et recte ob impudentem censuram, tanquam scandalosa damnatur eadem Baii propositio. Itaque etiam propositio illa 26 ob censuram proscripta fuit, quæ eamdem doctrinam cum 23 continet; oppositum enim thesis 26 probari solet ab omnibus ex textu memorato Apostoli Rom. II. Respondeo 2° propositiones illas damnari *respective*, et *in sensu ab assertoribus intento*, ut in fine bullæ asseritur. Illa propositio 26 damnatur respective ad 35, quæ est : *Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est*. Ex qua necessario infertur omnia opera infidelium esse peccata, et philosophorum virtutes esse vitia, cum illi sint peccatores. Quare merito damnatur, ut derivata ex

hæretica doctrina rejecta in Tridentina synodo, sess. 6, can. 7, et ab Augustino, ut contra Maldonatum ostendimus cap. 3, § 4. Respondeo tertio infideles aliquos actus bonos elicere, ad quos a Deo prævoventur, qui profecto peccata esse non possunt. Tradit hoc diserte sanctus doctor, cap. 24 de Gratia Christi, ubi, recitato illo Scripturæ sacræ de Assueri mutatione testimonio Esther xv, 11 : *Convertit Deus, et transtulit indignationem ejus in lenitatem*, cum prius præmisisset Assuerum tunc fuisse infidelem, et peccatorem, concludit : « Interna atque occulta mirabilia, ac ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum non solum veras revelationes, sed etiam BONAS VOLUNTATES. » Baius vero nullos actus bonos ex Dei gratia ab infidelibus fieri volebat, eo quod gratiam tantum admittebat Spiritus sancti inhabitantis in anima, qui cum in infideli non inhabitet, hinc arbitrabatur nullum in eodem divinæ gratiæ auxilium reperiri. Horum testem appello Gabrielem Vasquez, 1-2, disput. 190, cap. 18, num. 184, ubi de opinione Baii in libro de Justitia et virtutibus impiorum, cap. 4 et 5, hæc habet : « Non admittebat ille distinctionem gratiæ Spiritus sancti nondum habitantis, qualem concedimus ante remissionem peccatorum, et inhabitantis, qualem dicimus esse post remissionem. » Quæ doctrina est contra Tridentinam synodum, quæ, sess. 14, cap. 4, admittit *Spiritus sancti impulsum*, *non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis*. Ex his patet Gregorium nostrum Ariminensem in hac thesi cum Michaele Baio neutiquam convenire. Nam licet in 2 sententiarum dist. 26, q. 1, art. 1, dicat omnia opera infidelium esse peccata, attamen art. 3, in resp. ad testimonia Augustini, ait : « Si tamen aliquod taliter factum, scilicet debito fine, et aliis debitis, scilicet circumstantiis, reperiatur ab infidelibus, dicendum est eos id fecisse non sine speciali adjutorio Dei. » Quod in resp. ad 8, de facto in obstetricibus Ægyptiis pueros Hebræorum occultantibus factum concedit, nempe *Deo specialiter adjuvante*. Quæ etiam ibidem probat sancti doctoris testimonio lib. 4 contra Jul., cap. 3, ubi concedit aliqua bona opera in infidelibus ex speciali tamen Dei gratia derivata, et admittit insuper adjutorium Dei, seu Spiritus sancti nondum inhabitantis, quorum neutrum Baius asserebat. Basilius Poncius, part. 1 Relect. de Grat., cap. ultimo, pag. 204, ait : « Ponamus enim id quod PROBABILIS OPINIO fert, ut dicam in secunda parte, omnia infidelium opera esse peccata, » etc. Quis autem existimet virum inter Salmanticenses celeberrimum Baii sententiam probabilem duxisse, præsertim cum cap. 15 de ejusdem Baii propositionibus agat? Etenim Poncius inter principes hujus sæculi theologos merito a doctis quibusque recensetur. Huic doctissimi Patres Carmelitæ excalceati Salmanticenses honoris gratia hocce epitaphium posuere tract. III de Scientia Dei disput. 10, dub. 8, num. 130 : « Quamvis omittere non possimus magnum illum virum, qui modo dum huic operi insudaremus, maximo omnium dolore, et totius hujus universitatis, imo et orbis jactura, a vivis ereptus est, nempe magistrum Basilium Poncium Legionensem, Augustinianæ familiæ augustissimam prolem, et in hac academia cathedræ primariæ sacræ theologiæ meritissimum moderatorem. » Itaque cum illa propositio : *Omnia opera infidelium sunt peccata*, a nobilissimis theologis etiam post editam bullam contra Baium defendatur, palam fit in recto sensu posse accipi, a quo procul fuit Baius, unde merito eadem thesis ab apostolica sede proscripta fuit. Hæc autem fusius prosecutus sum, non modo ut ostenderem summos pontifices ac tot Patres, imo ipsam catholicam Ecclesiam, dum illa verba Apostoli Rom. xiv : *Omne quod non est ex fide, peccatum est*, explicant de fide Christiana, nulla ratione suffragari damnatæ Baii propositioni, verum etiam ut satis molestam quorumdam recentiorum importunitatem refellerem, qua crudam illam propositionem absque sensuum, quos plures pati monstravi, distinctione damnatam volunt.

§ VI. *Sanctus Augustinus nunquam censuit cogitationes morosas esse duntaxat peccatum veniale, ut recentiores eidem falso imponunt.*

Restaurat tamen accusationem Moraines, et alterius erroris Augustinum reum postulat his verbis ; « Præterea, lib. II (*contra Jul.*), cap. 10, docet cogitationes morosas, sive delectationes voluntarias de rebus venereis esse duntaxat peccatum veniale, modo absit consensus in opus, seu malum desiderium, vel illius periculum ; quæ doctrina ab omnibus catholicis jampridem rejicitur, nec sine scandalo a quoquam obtruderetur. » Sed respondemus Augustinum intelligendum esse de delectatione quæ est sine plena advertentia malitiæ vel periculi illius, in quo casu non esse illam peccatum mortale communis theologorum sententia est, testibus Salas, 1-2, tit. 13, disp. 6, sess. 6, et Vasquez 1-2, disp. 97, cap. 3. (Sanctus Thomas, quæst. 15 de Malo, art. 2, ad 16). At sanctum doctorem de delectatione eo modo erumpente locutum fuisse non obscure ex illiusmet verbis cognoscitur. « Quando in talibus, inquit, cogitationibus cum ALIQUA delectatione remorantur, non quidem decernentes flagitium, sed intentionem mentis non sicut oportet, ne illo incidat, inde avertentes, aut si inciderit, inde rapientes. » Cap. 10 cit. Oportet enim mentem, si eas in cogitationes inciderit, statim inde avertere, quod si ex defectu plenæ advertentiæ non fiat (quod sæpe accidit, cum non sit in nostra potestate quid nobis veniat in mentem, sed turpia quandoque irrepant, animumque repentina delectatione titillent), neutiquam peccatum mortale censetur. Hinc Augustinus consulto addidit *aliqua delectatione*, ut ejus gravitatem ac vim ad peccatum mortale causandum non sufficere ostenderet. Porro sensisse Augustinum cogitationes, seu delectationes morosas esse peccatum mortale patet ex lib. XII de Trinit., cap. 12, ubi aperte docet tales delectationes morosas esse peccatum sufficiens ad pertrahendum

hominem in æternam damnationem, nisi sacramentali gratia culpa remittatur : « Ita dici potest, inquit, in homine uno, si delectationibus illicitis, a quibus se continuo deberet avertere cogitatio, libenter sola pascatur, nec facienda decernantur mala, sed tantum suaviter in recordatione teneantur, quasi mulierem sine viro posse damnari, absit hoc credere. Hæc quippe una persona est, unus homo est, totusque damnabitur, nisi hæc, quæ sine voluntate operandi, sed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi, solius cogitationis sentiuntur esse peccata, per mediatoris gratiam remittantur. » En claram apertamque sancti doctoris sententiam, qui si alibi ita locutus fuit, ut et in pravum et in bonum sensum trahi potuerit, cur non ipsum audit Morainesuorum verborum interpretem, sed ex semel contra ipsum concepta opinione in erroneum sensum detorquet, ut ejusdem accusandi patentiorem locum sibi faciat? Tales nos erga aliorum scripta præstare debemus, quales nostris chartis lectores volumus, nempe candidos, ingenuos, extra odium ac livorem positos, quive ea, quæ æquivoca forte excidere, congruis interpretamentis exponunt. Cæterum quantum sanctissimus ille Ecclesiæ doctor delectationes hasce furtim in animum irrepentes timuerit atque exhorruerit, ex his precibus, quas in fine præclari illius operis de Trinitate ad Deum profudit, satis abunde intelligitur : « Multæ sunt, ait, cogitationes meæ tales, quales nosti, cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. Dona mihi non eis consentire, et si quando me delectant, eas nihilominus improbare, nec in eis velut dormitando immorari. Nec in tantum valeant apud me ut aliquid in opera mea procedat ex illis, sed ab eis mea saltem sit tuta sententia, tuta conscientia, te tuente. » Quid est in delectationibus *velut dormitando immorari*, nisi ex non plena advertentia immorari, sicuti qui dormitat, non plene advertit ea quæ fiunt?

§ VII. *An sanctus Augustinus putaverit baptismum datum sine intentione esse validum.*

Sed alio rursus errore Augustinum involvit adversarius : « Item dubitavit, inquit, num baptismus sine intentione datus per jocum et irrisorie validus sit, lib. VII de Baptismo, cap. 53, censetque exspectandam esse revelationem, antequam talis rebaptizetur. » Ita Morainius ibidem. Non una, sane fateor, est theologorum sententia in explicando Augustino, ne videatur a baptismo necessitatem intentionis removisse, quam tamen necessario requiri et Florentina et Tridentina synodus decrevere. Magister Sententiarum, 4, dist. 6, dubium fuisse Augustinum concedit. At sanctus Thomas ibidem, in fine distinctionis, exponens textum, docet dupliciter posse quempiam irrisorie baptizare : vel propter solam oblectationem quam ex illa exteriori actione capit, non habens interim intentionem faciendi quod facit Ecclesia, neque conferendi rem sacramenti, nempe gratiam, et hoc modo tradit nullum esse baptismum; vel potest quis ludicre alterum baptizare, ut intendat quidem facere quod facit Ecclesia, sed non conferre rem sacramenti, quod ipse falsum nullumque arbitratur; et in hoc posteriori sensu ait esse validum baptismum : quare cum nesciamus quo ex his duobus intentionis modis ludicre baptizans alterum abluerit, exspectanda est, inquit sanctus Thomas, divina revelatio, ut docet Augustinus. P. Macedo, lib. IV de Clavibus, cap. 8 partis primæ, hanc explicationem subscribit, laudans Augustini prudentiam, qui ad eam occultam cogitationem per ludum baptizantis detegendam, Dei unius testimonium, qui cordium scrutator est, necessarium pronuntiaverit. Addit ibidem recentiores gerere se *insolenter*, qui Augustinum ob id reprehendunt, uti est Antonius Moraines in suo Anti-Jansenio, « Iniquissimus, ait, Augustino auctor, sed non miror, quod cum in eo libro fictus sit auctor, cum persona decorem deposuit : Bellarminum imitari debuit multo se doctiorem et meliorem, qui Augustinum intellexit et vindicavit. » Sed sane Moraines, qui de necessitate intentionis ministri Augustinum dubitasse dicit, Bellarminum imitatur, qui lib. I, cap. 28, in sol. 3, arg. Kemnitii, scribit Augustinum de intentionis necessitate *dubitasse*, addens : « Nunc autem res definita est in duobus generalibus conciliis Florentino et Tridentino. »

Hæc tamen explicatio mihi probari nullo modo potest : nam in dubio repeti debet baptismus, ut communis doctorum sententia tradit ex concilio Carthaginensi, post conc. Fl. Stilichonis, anno 401, ubi in dubio an puer barbarus venundatus sit baptizatus, decernitur esse illum baptizandum; expedit enim exponere potius sacramentum periculo nullitatis, quam hominem periculo damnationis; neque dicunt Patres in eo dubio implorandam divinam revelationem. Porro illud decretum notum fuit Augustino, quo præsente repetitum est cum cæteris canonibus synodorum Africanarum sub Aurelio Carthaginensi habitarum in plenario Concilio Africano, anno 419. Igitur non apparente voluntate per ludum baptizantis, iterum est baptismus repetendus. Ita si quis Judæus apud suos in scena nostra sacra irridentes esset baptizatus, ad fidem vero vellet accedere, Ecclesia illum baptizaret, nec revelationem exspectaret, qua Judæi olim in scena baptizantis intentio innotesceret. Quando autem Augustinus eo capite 53 ait : « Utrum approbandus esset baptismus qui sic daretur, divinum judicium per alicujus revelationis oraculum, etc., implorandum esse censerem, » non intelligit in dubio facti, sed in dubio juris, nam talis persona sic baptizata esset iterum baptizanda. At de sufficientia et valore talis modi baptizandi, ut inter dogmata Ecclesiæ certa definitio reponeretur, exspectandam dixit revelationem, non quidem quæ alicui personæ privatæ fieret per novum miraculum, sed quæ fieret Patribus synodi per solitas illustrationes Spiritus sancti; unde statim addit : « Ita sane, ut post me dicturos sententias, ne quid jam explora tum et cognitum afferrent, humiliter exspectarem. »

Inter cæteros recentiores qui de intelligentia hujus capitis 53 Augustiniani agunt, primas ferunt Vasquez, part. III, disput. 138, cap. 4, et Lugo cardinalis, disp. 8 de Sacramentis in genere, sect. 3. Ego sic judico rem ab initio repetendo. Occasione quæstionis quam Donatistæ de rebaptizandis iis qui ab hæreticis baptizati erant catholicis faciebant, nonnulla dubia de baptismo inter ipsos catholicos suborta fuerant, quæ sanctus Augustinus in finem septimi et ultimi libri de Baptismo rejecit : ea vero ibi recitat non quidem soluturus, sed posteris potius solvenda proponens. Itaque sic caput illud 53 exorditur : *Solet etiam quæri utrum approbandum sit baptisma quod ab eo qui non accepit accipitur*, etc. Tres vero ibi quæstiones præcipue proponit : prima est, an fallaciter et simulate tradens baptismum vere baptizat, fallens, inquam, in Ecclesia, vel quæ putatur Ecclesia; altera quæstio est, an fallaciter et cum simulatione suscipiens in Ecclesia baptismum, vere et valide baptizetur; postrema quæstio est, an tum præbens tum recipiens baptismum extra Ecclesiam mimice et ludicre ablutionem peragentes, vere conficiant sacramentum baptismi. In his dubiis non audet Augustinus quidquam definire, sed ait : « Nobis tutum est in ea non progredi aliqua temeritate sententiæ, quæ nullo in catholico regionali concilio cœpta, nullo plenario concilio terminata sunt. » Postea insinuat, si in ea synodo sederet in qua illa dubia solvenda essent, malle se aliorum sententias sequi; et si eo animo tunc esset quo erat cum illa dictabat, ita responsurum : ad primam quæstionem quidem : « Habere eos baptismum, qui ubicunque et a quibuscunque illud verbis evangelicis consecratum sine sua simulatione et cum aliqua fide accepissent. » Ad alteram quæstionem respondet : « Præteritis majorum statutis, non dubito etiam illos habere baptismum qui, quamvis fallaciter accipiant, in Ecclesia tamen accipiunt, vel ubi putatur esse Ecclesia ab eis in quorum societate id accipitur. » Itaque ex Augustini sententia sufficit ad valorem baptismi quod in alterutro tantum sit vera fides, licet in uno possit esse fallacia et simulatio. Porro non est certum an de intentione necessaria ad baptismum loquatur. Nam Vasquez putat per τὸ *simulatus animus, fallacia, simulatio*, excludi veram intentionem aut dantis aut accipientis baptismum. Quare cum dicit Augustinus, qui *fallaciter* accipiunt baptismum, idem sonat ac *absque intentione*. Et concludit putasse Augustinum intentionem non esse necessariam in dante et suscipiente baptismum, sed satis esse quod sit in alterutro, quæ sententia modo ob decreta conciliorum tuta non est. Sed hæc explicatio difficultatem patitur, quod Augustinus aperte scribit : *Præteritis majorum statutis, non dubito etiam illos habere baptismum qui, quamvis fallaciter accipiant, in Ecclesia tamen accipiunt.* Si igitur fallaciter accipere baptismum est sine intentione recipere baptismum, majorum statutis decretum erat recipientem sine intentione esse vere baptizatum, hoc enim testatur Augustinus, qui ob decessorum statuta recipientem baptismum cum ea fallacia ac simulatione non dubitat esse valide baptizatum. Et superius, loquens de dante et accipiente cum fallacia, ait : « An plus valent ad confirmandum sacramentum illi veraces, inter quos agitur, quam ad frustrandum illi fallaces, a quibus agitur et in quibus agitur, et tamen si postea prodatur, NEMO REPETIT, sed aut excommunicando punitur illa simulatio, aut pœnitendo sanatur. » Per τὸ *fallaces, a quibus agitur*, intelliguntur dantes baptismum, et per τὸ *in quibus agitur*, accipientes baptismum. Quod si fallacia et simulatio significant carentiam intentionis, quis non videat communem olim in antiqua Ecclesia sententiam damnatam fuisse a Tridentina synodo, nempe non requiri intentionem ad valorem sacramenti? Augustinus enim majorum statuta appellat, quibus decretum erat fallaciter, hoc est sine intentione, ut explicat Vasquez, accipientem habere verum baptismum. Item testatur tales cum ea fallacia baptizatos, si prodatur ea simulatio, excommunicari, non vero rebaptizari, quod significat illis verbis, *nemo repetit*, scilicet baptismum, cujus oppositum modo docet Ecclesia, quæ cum definiat baptismum collatum sine intentione esse nullum, illum repeti jubet. Itaque explicatio qua Augustini dicta Vasquez interpretatur, stare nullo modo potest, nisi dicamus vel antiquos Patres errasse, et non rebaptizantes eos qui cum simulatione baptismum peregissent, eorumdem damnationis causam fuisse. Vel certe Tridentinos ac Florentinos Patres contra vetustioris Ecclesiæ sententiam statuisse intentionem esse necessariam ad valorem sacramenti; quod utrumque falsum et absurdum est. Fictus ille Moraines in Disputationibus theologicis, quas sub vero nomine, nempe Joannis Martinoni, edidit, part. III, disput. 22, sect. 3, num. 33, non sibi cohærentem doctrinam Augustini arguens ait : « Cumque D. Augustinus eodem loco recte censuerit eum non recipere baptismum qui ficte et sine intentione recipiendi accedit, par fuit ratio ut non dubitaret eum quoque non vere baptizare, qui non serio ac sine intentione baptizat. » At sanctus doctor oppositum prorsus scripsit, nam plana sunt ejus verba superius recitata : *Non dubito etiam illos habere baptismum, qui, quamvis fallaciter* (hoc est sine intentione, ut cum Vasquio interpretatur Martinonus) *accipiant, in Ecclesia tamen accipiunt.* Nullius autem minus cohærentis sententiæ Augustinus auctor fuit, ut opinatur Martinonus, sed validum esse baptismum dixit, et in fallaciter accipiente et a fallaciter dante.

Explicandum igitur est quid nomine fallaciæ et simulationis Augustinus intelligat, cum dici nequeat significasse carentiam intentionis modo ex Tridentino ad valorem baptismi necessariæ. Itaque fallacia et simulatio in duplici sensu accipi possunt, vel quatenus excludunt intentionem faciendi quod facit Ecclesia in conficiendo sacramento, vel quatenus excludunt fidem, seu credulitatem, vel existimatio-

nem de re et effectu sacramenti, qui est sanctificatio animæ per gratiæ infusionem; quæ duo sunt valde diversa : nam si quis gentilis velit baptizari ob lucrum quod inde sperat a principe Christiano, fallaci animo ac simulato accipit baptismum, fallacia tamen et simulatione non excludente intentionem necessariam ad valorem sacramenti, per quam intendit facere quod facit Ecclesia, sed excludente rem et effectum sacramenti, nempe gratiam sanctificantem. Quare cum ex dictis contra Vasquium intelligi non possit Augustinus de fallacia et simulatione excludente intentionem faciendi quod facit Ecclesia, quam synodi posteriores statuerunt necessariam esse ad valorem sacramenti, de fallacia et simulatione excludente intentionem, seu credulitatem, et existimationem de re et effectu Sacramenti accipiendus est. Hinc Augustinus ad valorem sacramenti requirit ut qui illud *fallaciter accipiunt, in Ecclesia tamen accipiant*, etc.; et ante ait : *Utrum fallens sicut in Ecclesia, vel in ea quæ putatur Ecclesia.* Qui enim in Ecclesia petit baptismum vult sane exterius in se fieri quod facit Ecclesia, licet de effectu gratiæ nihil credat. Idem Augustinus, lib. 1 de Baptismo, cap. 12, cum dixisset Simoni Mago in baptismo dimissa fuisse peccata, quærit : *Quid si ad ipsum baptismum fictus accessit?* hoc est non habens fidem vel intentionem de effectu baptismi, sed animo simulato atque fallaci. Addit : « Quæro, si postea fictionem suam corde concusso et vero dolore fateretur, denuo baptizandus judicaretur? Quod si est dementissimum dicere, » etc. Ex quibus patet per fictionem illam excludi intentionem de re et effectu baptismi, non vero intentionem faciendi quod facit Ecclesia; si enim hoc secundo modo intelligenda esset, quomodo esset *dementissimum dicere* illum esse denuo baptizandum, cum ex Tridentino illud Ecclesia modo doceat? Præterea ibi opponit fallentem in Ecclesia jocanti in mimo in suscipiendo baptismo. Quærit enim an teneat baptismus peractus *cum simulatione*, *utrum* fallentis *sicut in Ecclesia*, vel in ea quæ putatur Ecclesia, an jocantis, sicut in mimo? At fallens in Ecclesia et jocans in mimo in hoc conveniunt quod uterque non habet fidem de effectu baptismi, qua neuter habet intentionem de sanctificatione animæ. At differunt in hoc quod fallens in Ecclesia serio intendit vere facere, quod spectat externam actionem, quod facit Ecclesia, ut et ipse censeatur esse Christianus. At jocans in mimo vult tantum repræsentare per ludum quod facit Ecclesia, quod non est velle serio facere quod facit Ecclesia, sed per ludum velle irridere quod facit Ecclesia.

Verum quid ad tertiam illam difficultatem respondit Augustinus? « Ubi autem neque societas ulla esset ita credentium, neque ille qui ibi acciperet, ita crederet, sed totum ludicre, et mimice, et joculariter, ageretur, utrum approbandus esset baptismus qui sic daretur? » Respondet rem satis dubiam esse, et ut certa definitio in synodo statueretur, divinum auxilium a Patribus implorandum. Et quidem sanctum Patrem de aliquo dubitasse, quod modo extra dubium ponitur, necessario dicendum est. Quando enim ait mimice et ludicre collatum baptismum, vel *mimice et ludicre* ita intelligebat ut procul inde esset non solum intentio de effectu sacramenti, verum etiam intentio faciendi quod facit Ecclesia; vel ita ut hæc secunda intentio minime excluderetur : si de hoc secundo dubitavit, jam modo constat satis esse hanc intentionem faciendi quod facit Ecclesia, ad valorem baptismi; si de primo dubius fuit, item certum modo est inter catholicos baptismum exclusa qualibet intentione non esse validum. Profecto ex verbis Augustini patet omnem et quamcunque tunc intentionem excludi, ait enim, *sed totum ludicre, et mimice, et joculariter ageretur* : siquidem si adesset intentio serio faciendi quod facit Ecclesia, jam non totum, hoc est omni ex parte joculariter et ludicre ageretur. Quis autem hanc dubitationem Augustino vitio vertat, nisi Moraines, parum æquus Augustino scriptor, qui eas sancto doctori sententias affricat, quarum oppositas sine dubio idem se tenere pronuntiat? Jure autem Augustinus judicium suspendit, ea præsertim tempestate qua ob rebaptizationem Donatistarum quæcunque iteratio baptismi per ludum dati asserta fuisset, fideles minus rerum periti ac simplices longa via ab schismaticis rebaptizantibus in errorem trahi poterant, cui periculo prudenter Augustinus cavit. Quod vero in votis habuit ut in plenaria synodo res definiretur, jam definita est in concilio Florentino, in decreto fidei post ultimam sessionem, et in Tridentino, sess. 7, can. 11, dum intentio ministri decernitur requiri ad valorem sacramentorum. Ita Augustinus caput illud 53 concluserat : « Quanto magis ergo nunc sine præjudicio diligentioris inquisitionis vel majoris auctoritatis illud dixisse accipiendus sum! » Quare sua illa suspensione sententiæ nullum præjudicium inferre voluit *diligentiori inquisitioni*, quæ de intentionis necessitate in utroque œcumenico concilio summa diligentia a sapientissimis Patribus adhibita est, aut *majori auctoritati* utriusque synodi necessitatem intentionis citra dubium ad valorem sacramenti definientis. Neque hic sibi plaudant heterodoxi, quorum princeps est Kemnitius, suum esse Augustinum mentientes, dum necessariam intentionem inficiantur; nam plane contra ipsos est. Ille enim dubitavit num sine intentione esset validus baptismus; at illi validum esse audacter et citra ullam dubitationem pronuntiant. Augustinus dixit nolle se in ea *progredi aliqua temeritate sententiæ, quæ nullo in catholico regionali concilio cœpta, nullo plenario concilio terminata sunt.* At cum in uno et altero concilio veritas illa, Augustini tempore occulta, postea inclaruerit, nihil eos Augustini dubitatio juvat, sed ubi ille aiebat, *dicturos sententias, me quid jam exploratum et cognitum afferrent, humiliter exspectarem*, deberent ipsi Augustini verba inaudientes a duplici synodo pronuntiatam sententiam sequi. Mirentur vero recentiores Augustini ingenium, qui ideo dubitavit de necessitate intentionis, quia illam

aliquo argumento suaderi videbat : at quia nullius concilii auctoritate decreta erat, ejusdem modestiam laudent, qui de incertis certam ferre sententiam recusavit. Ita ex illa dubitatione, ex qua Morainius Augustinum arguit, idem nobis quam maxime commendandus venit.

### § VIII. *Utrum Augustinus dixerit tellurem non esse rotundam, nullosque dari antipodas.*

Hactenus errores quos Augustino objecit Morainius a sancti Patris libris propulsavimus. Adamus nobis modo refellendus est, qui uti cæteris recentioribus eruditione inferior est, ita universos in censura adversus Augustinum ferenda facile superavit. Hic quosdam errores de Augustino publicat, quos Moraines etiam opposuit, a quibus procul fuisse sanctum doctorem ostendimus ; addit vero dixisse insuper Augustinum : *Terram non esse rotundam, nullosque dari antipodas,* pag. 585, cap. 3. Eadem fronte qua finxit Augustinum negasse animam esse spiritualem, hic eumdem sanctum doctorem terræ rotunditatem ignorasse comminiscitur. Sed illi qui absque illius textus appellatione de Augustino, ut libet, ut lubet, quælibet affirmare sibi licitum putavit, satis facile fuit talia portenta Hipponensi præsuli ascribere. Sane Augustinus, lib. I de Gen. ad litt., cap. 12, terram rotundam fatetur : « Cum enim, inquit, totam terram adhuc aqua tegeret, nihil impediebat ut aquosa et globosa moles ex una parte faceret diem lucis præsentia, ex alia noctem lucis absentia. » Et lib. XVI de Civ. Dei, cap. 9, ubi de antipodis disserit : « Nec attendunt, inquit, etiamsi figura conglobata et rotunda mundus esse credatur, sive aliqua ratione monstretur, non tamen esse consequens ut etiam ab illa parte ex aquarum congerie nuda sit terra. » Nullus igitur in Augustino legitur de telluris rotunditate error, sed ea sunt inania Adami objecta.

Verum negasse Augustinum antipodas non ibo inficias, sed vulgarem hominum sententiam secutus est. Testatur Plinius magnam litem de antipodis fuisse inter litterarum professores et vulgus. At Augustinus haud vulgari argumento in eam opinionem ductus est, nempe quod periculum esset ne qui nobis adversa vestigia premunt, in cœlum ruerent ; sed tum ex sacra tum ex profana historia rationes consideravit, quæ sapientissimos quosque in eam sententiam traxere. Ligur ille Argonauta novi orbis inventor non ab uno principe circulator habitus est, cum se ad antipodas classem ducturum polliceretur, nec, ut arbitror, Arragoniæ rex integram magno promissori fidem præstitit, sed quæ est hominum insatiata cupido, pauca navigia in spem orbis naufragiis objectari, in lucri loco reposuit. Macrobius, lib. II de Somnio Scipionis, cap. 9, sola conjectura antipodas credi dixit in opposita orbis parte, « quod propter similem temperiem similiter incolitur, sed a quibus non licuit unquam nobis, nec licebit agnoscere. » Et quidem Aristoteles, Plinius, Ptolomæus, cæterique historici, cosmographi ac philosophi veteres, quibus scholastici Parisienses astipulati sunt, tellurem non ubique habitabilem posuere, sed tantum sub zonis temperatis, cum tamen etiam sub torrida ac utraque frigida terram incoli certum sit. Quid quod Zacharias papa, epistola 10 ad Bonifacium scripta anno 748, *perversam et iniquam doctrinam* vocat asserentem *quod alius mundus et alii homines sub terra sint ?* Et ille quidem vulgarem sententiam secutus est. Nos quidem ex nostrorum navigationibus ista didicimus. At uti sapientibus illis majoribus nostris, quibus litteras omnes acceptas ferimus, vitio non datur quod tellurem ex majori parte inhabitabilem scripserint, neque reprehendendus venit Augustinus, si eamdem terram ex opposita parte habitari negaverit. Difficile illi videbatur potuisse homines ab uno Adam propagatos in oppositam terræ partem, Oceani immensitate trajecta, semel navigasse, iterumque post diluvium illuc advectos fuisse, nullamque hujus rei adeo memorabilis mentionem, vel in sacris vel in profanis litteris fieri. Profecto hucusque nescitur quomodo ex Europa illuc bis homines pervenerint. Itaque cum ponentes antipodas conjectura tantum, quæ levem prorsus ac debilem certitudinem parit, ad id dicendum moverentur, et Augustinus antipodas negaverit, omnium historicorum fide ac antiquissima Patrum traditione suffultus, potiori jure ille antipodas sustulit, quam alii astruxere. Verum non adeo opinionegans antipodas Augustino inhæsit, quin aliquando admiserit ; libro enim de decem Categoriis, cap. 10, ait : « Terra quæ videtur in medio ubique subtus est, et antipodes nostri, qui nobis dicuntur figere adversa vestigia, cœlum super se habent. » Pater Macedo, vir in Augustini lectione versatissimus, in volumine quod Concentum euchologicum inscripsit, in commentariis ad orationem in festo sancti Marci, videtur velle insinuare Americam Augustino innotuisse, dum non uno loco quatuor esse partes terræ affirmat : « Mirari libet, inquit, Augustinum quatuor orbis partes tam perspicue nominare, quasi sua jam ætate America detecta esset. » Sanctus doctor, lib. XVI de Civit., cap. 9, opinionem antipodas affirmantem veluti absurdam rejecit : « Nimisque, inquit, absurdum est, ut dicatur aliquos homines ex hac in illam partem, Oceani immensitate trajecta, navigare ac pervenire potuisse, ut etiam illic ex uno illo primo homine genus institueretur humanum. » Quatuor partes dixit Augustinus, nempe orientem, occidentem, meridiem et aquilonem. Ita tract. 118 in Joannem : « Propter quod alibi dicit (*Matth.* XXIV), missurum se angelos suos, ut colligant electos ejus a quatuor ventis ; quod quid est nisi a quatuor partibus mundi, oriente, occidente, aquilone et meridie ? » At hæ partes in veteri orbe probe censebantur esse, etiamsi America ignoraretur.

### § IX. *An sententia sancti Augustini de simultanea rerum creatione sit erronea.*

Hic etiam recentiorum querelæ, imo censuræ, quibus insignem sancti doctoris interpretationem in cap. I

Geneseos excipiunt, refellendæ sunt. Magnum illud ingeniorum monstrum, si usquam alias in explicando Hexamerone admirabilem subtilitatem præ se tulit, sed quantum inde laudis apud veteres sibi comparavit, tantum reprehensionis apud recentiores sibi contraxit, aut plus etiam fortasse. Augustinus, quod videbat sex priores dies queis Moyses mundum a Deo creatum scribit, si litteraliter accipiantur, gravissimis difficultatibus subjici, quas ipsemet in libris de Genesi ad litteram proponit, subtilem prorsus ac se dignam sententiam excogitavit, nempe dies illos intelligendos esse mystice, juxta cognitionem angelicam de rebus in Deo, et in proprio genere, et juxta ordinem rerum simul a Deo creatarum, dierum etiam ordinem in angelorum mente designavit. Hanc sancti Patris explicationem de simultanea rerum creatione mystice in sex illos dies sic divisam paucis refert sanctus Thomas part. 1, q. 74, art. 2. At, quæ fuit Augustini modestia, hoc a se excogitatum interpretamentum ita docuit, ut meliori explicationi nullum se præjudicium afferre velle protestatus sit : « Quisquis ergo, inquit, non eam, quam pro nostro modulo vel indagare vel putare potuimus, sed aliam requirit in illorum dierum enumeratione sententiam, quæ non in prophetia figurate, sed in hac creaturarum conditione proprie meliusque possit intelligi, quærat, et divinitus adjutus inveniat. Fieri enim potest ut etiam ego allam his divinæ Scripturæ verbis congruentiorem fortassis inveniam; neque enim ita hanc confirmo, ut aliam, quæ præponenda sit, inveniri non posse contendam. » His se munitum voluit adversus malevolorum lectorum censuras lib. IV de Gen. ad litt., cap. 28. Hæc sola Augustini verba solidæ apologiæ loco habenda essent, nec quidquam rursus addendum foret pro ejusdem interpretationis defensione. Cæterum ex nostris scriptoribus magister Emmanuel Cerda Lusitanus, publicus in academia Conimbricensi theologiæ professor, in suis Quodlibetis theologicis, acerrime contra recentiorum impetum magni Parentis sententiam propugnat, eorumque et in censurando audaciam, et in impugnando debilitatem ostendit; idem quoque præstitit Carolus Moreau, noster Bituricensis, in Vindiciis pacificis. Ego recentiorum accusationes cum veterum theologorum, et quidem principum judiciis conferre volo, nam qui exactam Augustinianæ sententiæ defensionem desiderat, Cerdensem legat.

Igitur Ludovicus Molina, in tract. de Opere sex dierum, disp. 1, ita de Augustini explicatione judicat : « Exponere in eo sensu Scripturas, est sane earum auctoritatem enervare, et ludibrio forte eam coram infidelibus exponere. » At non ita abjecte de Augustini interpretatione sensit magnus theologiæ, imo Ecclesiæ doctor, sanctus Thomas, in 2 Sententiarum, dist. 12, quæst. 1, art. 2 : « Harum igitur, inquit, expositionum prima (Augustini) est subtilior, magis ab irrisione infidelium Scripturas defendens. » Alterum ejusdem Angelici præceptoris textum mox laudabo, in quo contraria prorsus scribit iis quæ de Augustino recentior ille affirmavit. Cornelius a Lapide, censoris personam contra Augustinum induens, ait : « Contrarium docent omnes alii Patres, idque omnino vincit simplex et historialis narratio Moysis; quare erroneum jam est dicere omnia uno die esse creata. » Verum Augustino consentit Albertus, qui ob multiplicem ac mirabilem litteraturam Magni cognomento insignitus fuit, his plane verbis : « Sine præjudicio sententiæ melioris videtur Augustino consentiendum, » part. 1 Summæ, q. 12, de quatuor coævis. Addit sanctus Thomas proxime laudatus : « Hæc opinio (Augustini) PLUS MIHI PLACET. » Itane, Corneli; sententia illa, quam Albertus Magnus ac sanctus Thomas, scholasticorum lumina ac columina, probant et sequuntur, hac ætate erronea evasit? Quænam illam synodi, qui Romani præsules, quæ doctorum academiæ proscripsere? An quia tibi tuisque displicet, erronea censenda est? At scito recentioribus Augustinianis doctoribus probari Cerdensi, Moreau atque Ludovico ab Angelis, doctori Conimbricensi, lib. V de Vita sancti Augustini, cap. 9, ubi alios Patres qui Augustino ea in re consensere producit, atque in Molinam ob Patrem reprehensum invehitur. Tertius Augustini accusator Arriaga clamat : « Explicatio hæc censetur ab omnibus improbabilis, nec ego dubito quin si Augustinum non haberet patronum, manifeste damnata fuisset ut hæretica, » tom. II, in part. 1, disput. 28, num. 40. At recentioris hujus voces comprimunt duo Parisiensis scholæ theologi præcipui, sanctus Bonaventura et Ægidius Romanus : ille quidem in 2, dist. 13, art. 1, q. 1, scribit : « Quamvis autem hæc positio probabilis esset et rationabilis, catholici tamen tractatores, qui Augustinum secuti sunt, viam aliam approbaverunt magis; » iste vero, part. 1 Hexam., cap. 28 : « Non autem, inquit, ista dicimus, ut improbemus opinionem Augustini, quæ est valde subtilis et solemnis. » Sed quid tandem dicat ille Augustini censor Moraines audiamus. Ille quidem, recitans catalogum errorum sancti Patris, hunc primo loco posuit : « Sensit ille mundum in instanti creatum fuisse, etc., quod non convenit cum scriptis a Moyse cap. 1 Geneseos, ut ostendunt accuratiores theologi, speciatimque Suarez, Molina, MARTINON (ita semet inter accuratiores theologos recenset), communiterque rejicitur a doctoribus catholicis, » disp. 12 Anti-Jans., num. 32. Sed non ita judicavit Dionysius Carthusianus, dum in cap. 1 Gen., art. 5, scripsit : « Augustinus excogitavit quamdam expositionem subtilem, per quam defendit Scripturam ab irrisione hujusmodi, et tamen salvavit Scripturæ et fidei veritatem. » Et ante ipsum sanctus Thomas, recitata Augustini et altera aliorum Patrum explicatione, inquit : « Utrumque sensum circumstantia litteræ patitur, » in 2 Sententiarum cit. Næ sanctus Thomas, Albertus Magnus, sanctus Bonaventura et Ægidius Romanus inter accuratiores theologos minime recensendi sunt? Eruntne illi de ultima theologorum plebe, senatores vero Suarez, Molina et *Martinon*? Imo omnium nobilissimi

illi sunt, quibus et Suarez et Molina assurgant, Martinon vero nec eadem cum illis die nominetur.

Illud quidem principum theologicæ scholæ judicium de sancti Augustini interpretatione fuit, cui sane alii ante Augustinum viam aperuerant. Philo, Hebræorum Plato, communem sententiam de opere sex dierum non modo rejecit, verum etiam irrisit, lib. I Allegor. inquiens : « Rusticanæ simplicitatis esse putare sex diebus, aut utique certo tempore mundum esse creatum. » Ex Græcis Clemens Alexandrinus, lib. VI Stromatum, eamdem explicationem secutus est, quam apud Latinos noster Augustinus quam maxime illustravit. Illam etiam tanti fecere universi scholastici doctores, ut magno studio allaborarint in explicanda sententia Augustini de cognitione illa matutina et vespertina rerum, nempe in divina natura et in se ipsis. Ita de vero Augustini sensu inter se non leviter litigant doctores scholarum principes Albertus Magnus, part. I Summæ, q. 12, art. 6 et 7 ; sanctus Thomas, part. I, q. 58, art. 6 et 7 ; Bonaventura, 2, dist. 4, art. 3, q. 1 ; Scotus, 2, dist. 3, quæst. 9 ; Ægidius, part. I Hexamer., cap. 29, et cæteri communiter, quos non sine laude in eadem Augustini mente indaganda imitati sunt Jesuiticæ scholæ duces, Suarez lib. I de Opere sex dierum, cap. 10 ; Vasquez, part. I, disput. 51, cap. 2. Mitto hic quæ ex Cassiodoro, Isidoro, Junilio aliisque in commendationem Augustinianæ explicationis adducunt Lusitani nostri doctores Cerda et Ludovicus ab Angelis. P. Macedo, in altero theologico tomo Collationum de Angelis, doctissime sancti Patris interpretationem defendit (*Collat.* 6, *diff.* 2), ubi plures recentiores laudat qui Augustini sententiam amplexati sunt. Interim legendus omnino est idem Augustinus lib. XII Confess., ubi a cap. 14 usque ad 32, quo liber ille clauditur, justam sibi apologiam paravit, qua suas in Moysem interpretationes suggillantes solide confutavit.

### § X. *Sanctus Augustinus non erravit asserendo peccatum originale esse causam reprobationis.*

Adesdum, lector ; nam immanem prorsus Augustino errorem objicit Adamus, dum cap. 3, pag. 584, et cap. 6, pag. 614, scribit Augustinum sensisse *solum peccatum originis esse causam reprobationis damnatorum.* Postea cap. 10, pag. 667, hanc eamdem Augustini sententiam sequenti censura perstringit : « Sed si iste doctor (nempe Augustinus) adderet peccatum originale esse solam causam reprobationis, et esse id quo ad salvatos a damnatis separandos movetur Deus, non solum pro hujus opinionis defensione mortem oppetere nolo, sed credo mihi licere illam horrere, quia mater est illius quam Calvinus tanta impietate ac rabie urget contra Ecclesiam. » Quis autem sit iste error Augustinianæ sententiæ filius subticuit, sat enim illi fuit sancti doctoris assertum, Calvinismi agnatione objecta, non suspectum modo, sed et exosum reddere. Porro quicunque iste error fingatur ex illa sententia sancti doctoris illatus a Calvino, interrogatum velim Adamum num ex thesi sancti Augustini de reprobatione ex originali solo peccato orta Calviniana illa opinio deducatur vere an apparenter tantum? Si primum dicat, tunc faciet Augustinum ex Ecclesiæ doctore Calviniani erroris magistrum, quod impium est cogitare ; si vero alterum affirmet, videbit sancti Augustini sententiam non modo reapse non esse Calvinianæ hæreseos, ut perperam putat, matrem, sed neque affinem, et optime cum Calviniani erroris confutatione posse componi. Unde igitur, Adame, tale monstrum finxisti? An quod ita Calvinistæ arbitrantur? sed si horum præjudicia sequeris, jam poteras universam Augustini doctrinam, imo et sacros codices compendio horrere, nam Calvinistæ, quotquot hæresum portenta nutriunt, ne veterum patrocinio nudati videantur, sub sacræ Scripturæ atque Augustinianæ togæ quibusdam veluti laciniis eadem obvolvere tota arte conantur.

O utinam hocce Calvini effatum ex Augustini sententia deductum protulisses! nulla nobis ejusdem refellendi difficultas esset, qui tenebras non invehi, sed fugari solis præsentia novimus. Sed cum nullum tale dogma appellaveris, eo silentio non obscure significasti non esse illud quidem Augustinianæ sententiæ filium, sed e tuo cerebro natum figmentum, si tamen vigilans illa scripsisti. Sed age, videamus quam longe sancti Augustini sententia de reprobatione ex solo peccato originali orta distet ab errore Calvini. Certa sancto Augustino sententia stetit, reprobationem supponere necessario peccatum saltem originale. Quare versans illa Pauli ad Rom. IX, 11, 13 : *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali*, etc. ; *Jacob dilexi, Esau autem odio habui*, in quibus verbis reprobatio Esau designatur, eamdem peccatum originis supponere docuit. In epistola 105 ait : « Quid oderat in Esau antequam fecisset aliquid mali, nisi originale peccatum? » Et lib. I ad Simplic., q. 2, scribit : « Non igitur odit Deus Esau hominem, sed Esau peccatorem. » Quod quidem peccatum non esse factum a Deo, qui bonorum tantum est auctor, ibidem probat concludens : « Odit enim in eis impietatem, quam ipse non facit. » Quare nullo pacto Deum futurum justum asseverat, si homines reprobaret nullo in ipsis existente peccato : « Ut autem odisset Esau, nisi injustitiæ merito, injustum est, » ibid. Et epist. 106 ad Paulinum : « Hæc massa si esset ita media, ut quemadmodum nihil boni, ita nec mali aliquid mereretur, non frustra videretur iniquitas, ut ex ea vasa fierent in contumeliam. » Idem habet epist. 157 ad Optatum : « Merito autem videretur injustum quod fiunt vasa iræ ad perditionem, si non esset ipsa universa ex Adam massa damnata. Quod ergo fiunt inde nascendo vasa iræ, pertinet ad debitam pœnam. » Hinc contra Pelagianos urget Deum futurum injustum si pueros morientes sine peccato originis, licet non forent baptizati, damnaret, dicens : « Bonus est Deus, justus est Deus ; potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est, non potest quemquam sine meritis damnare, quia justus est, » lib. III contra Jul., cap. 18. Plur-

ma ad hoc ipsum probandum sancti Patris testimonia passim obvia sunt. Ergo hæc fixa constansque Augustino sententia fuit, neminem a Deo ante prævisionem peccati saltem originalis reprobari. At Calvinus in contrariam prorsus partem ivit, dicens Deum suo decreto homines non solum reprobare ante prævisum eorum peccatum, verum etiam ex divina reprobatione hominum peccata fieri. Id fuse tradit lib. III Instit., cap. 22 et 23. Dabo nonnulla testimonia. Scribit cap. 23, § 4 : « Fateor sane in hanc, qua nunc illigati sunt, conditionis miseriam Dei voluntate decidisse universos filios Adæ; atque id est quod principio dicebam, redeundum tandem semper esse ad solum divinæ voluntatis arbitrium. » Et § 7 : Disertis verbis hoc exstare negant, decretum fuisse a Deo, ut sua defectione periret Adam. » Et postea : « Decretum quidem horribile fateor, inficiari tamen nemo poterit, quin præsciverit Deus quem exitum esset habiturus homo antequam ipsum conderet, et idcirco præsciverit quia decreto suo ordinaverat. » Idem § 1 : « Minime consentaneum est præparationem ad interitum alio transferre quam ad arcanum consilium Dei. » Et cap. 22, § 11 : « Si non possumus rationem assignare cur suos misericordia dignetur, nisi quoniam illi ita placet, neque etiam in aliis reprobandis aliud habebimus quam ejus voluntatem. » Præterea cap. 23, § 9 : « Excusabiles peccando haberi volunt reprobi, quia evadere nequeunt peccandi necessitatem, præsertim cum Dei ordinatione sibi injiciatur hujus modi necessitas. Nos vero inde negamus rite excusari, quandoquidem Dei ordinationi, qua se exitio destinatos conqueruntur, sua constet æquitas nobis quidem incognita, sed illi certissima. » Hoc idem et copiosius repetit in libro de æterna Dei Prædestinatione, pag. 917 editionis Genevensis anni 1552 : « Quomodo autem Dei præscientia et decreto statutum fuerit quod de homine futurum erat, neque tamen in culpæ societatem trahendus sit Deus, quasi transgressionis vel auctor sit vel approbator, cum longe altius humanæ mentis perspicacia esse arcanum palam sit, ne ignorantiam fateri pudeat. » Hinc Zanchius, lib. v de Natura Dei, cap. 2, ait : « Fuit hoc primum, quod de reprobis constituit Deus ab æterno, nempe quorumdam hominum ad exitium sempiternum destinatio, ad hoc autem ordinata fuerunt ipsorum peccata. » Ergo Calvini sententia est Deum suo immutabili decreto homines in peccata impellere; unde reprobatio Dei antecedit prævisionem peccatorum, quæ, ut aiunt, sunt effectus ipsius reprobationis. Sed quid pluribus ago, quasi Calvini opinio omnibus nota non sit, cum idemmet Adamus, cap. 14, pag. 725, aperte id fateatur, scribens Calvinum dicere « Deum subtrahere lumen et gratiam necessariam ad salutem omnibus illis quorum damnationem decrevit ante vel post visionem peccati originalis. » Porro, si sancti Augustini et Calvini sententiæ contradictorie opponuntur, quo longius ab illo Calvini errore, quemcunque fingas, recedere possumus, quam accedendo ad sententiam sancti doctoris A e diametro cum Calvini errore de reprobatione malorum ante prævisionem peccati pugnantem? Et tamen, si superis placet, ausus est Adamus eam Augustini sententiam Calvinianæ hæresi non propinquam publicare, sed propinquissimam, matrem enim hæreseos asseveravit, cum tamen Calvinistas valide premat ac suffocet. Decretum hoc Calvinianum reprobos in peccata compellens mater est omnium errorum quos in materia de prædestinatione, gratia et libero arbitrio Calvinus congessit. Inde enim hominis libertas evertitur, necessitas ad peccandum imponitur, fatale decretum Stoicorum inducitur, Deus criminum auctor publicatur, et mille hujusmodi errorum portenta nata sunt, quorum nullum ex memorata sancti Patris sententia derivat.

B Est igitur *celebris*, ut ait Joannes a Sancto Thoma, sententia sancti Augustini peccatum originale fuisse causam reprobationis omnium damnatorum, quam sæpe docuit sanctus Pater, epist. 105 ad Sixtum, 106 ad Paulinum, 157 ad Optatum, in Enchiridio cap. 98 et 99, lib. II ad Bonif., cap. 7. Alia plurima loca designat Cortina P. Macedo thesi 20. Augustinum secuta est ejus schola, Fulgentius lib. I de Veritate prædest. et grat., statim post initium; Prosper, ad septimam objectionem Gallorum; Africani Patres in Sardinia exsules, in epistola synodica, cap. 6; sanctus Thomas, q. 6 de Veritate, art. 2, ad 9; unde uti ad mentem Angelici præceptoris eamdem defendunt præclarissimi Dominicani instituti theologi, Thomas de Lemos, illustrissimus Godoy, Joan. Baptista C Gonettus, tom. IV Clypei Thomistici, disp. 5, art. 3, qui priores illos ex suis doctores citat. Sed ex societate Augustino astipulantur Suarez in part. I, lib. v, de Reprobat., cap. 5; Vasquez, disput. 95, cap. 4, num. 17, et cap. 9, num. 60; licet varient inter se circa modum quo peccatum originale sit causa reprobationis : hic enim dicit esse peccatum originale prout est in primo parente, quo gratiæ congruæ negationem nepotibus meruit; ille vero eam vim demeritoriam ipsimet peccato originali, prout inficit singulos quosque, inesse arbitratur. Melius Didacus Ruiz, recentiorum eruditissimus, id ipsum explicat ac late defendit disput. 14 de Prædestinatione, sect. 4 et seq. Sed ad objectionem Adami repellendam referam decretum quo Augustini sententiam de reprobatione ex D peccato originali ortam theologi societatis defendere jussi sunt a Claudio Aquaviva, præfecto totius familiæ. Olim, ut capite 3, § 7, diximus, impressus est liber de Ratione studiorum societatis, Romæ, anno 1586, universis propositus, ut regula et discendi et docendi post annuam sex insignium doctorum societatis disputationem, ac longissimum examen. Ibi autem, in titulo de opinionum delectu, regula 6, pag. 14, proponitur et eligitur definienda et tradenda universæ scholæ societatis hæc propositio 12 : « Non solum ex parte nostra nulla fuit ratio seu conditio prædestinationis; sed neque absolute dicendum est esse in nostra potestate ut prædestinemur, nec salvi fient ulli, nisi prædestinati. » Et 13 : « Reprobationis,

quæ cæteri homines excidere ab ultimo fine permissi sunt, causa fuit peccatum originale. » Hæc ibi. Jamne vides, jamne sentis, Adame, quæ sit sapientissimorum veterum tuorum theologorum reverentia erga Augustini sententiam de reprobatione ex solo originali peccato primitus derivata, quam tamen, præ tua singulari pietate, eruditione ac zelo *horrere* te dicis, ut *Calviniani* erroris *matrem?* Plurimi quidem theologi varios modos excogitarunt quibus eam sancti Patres doctrinam explicarent atque defenderent. Dominicus Bannez, part. 1, q. 23, art. 5, quinque explicationes refert, quarum nullam probat. Quinque etiam modos recenset Gonettus, cit. § 6, quos singulos in ipsorum probabilitate relinquit. Ego juxta doctrinam sancti Augustini ita difficillimi mysterii solutionem propono, neque enim facile est divinæ voluntatis arcana rimari : quis enim consiliarius ejus fuit ?

Certum dogma est hominem ex peccato primi parentis evasisse massam perditionis, ita ut seclusa gratia Redemptoris nunquam inde suis viribus potuisset resurgere, quod olim ab Innocentio I et Africanis conciliis contra Pelagianos statutum fuit. Evaserant igitur omnes homines in Adamo natura filii iræ, subjecti potestati dæmonis, inimici Dei et indigni qualibet gratia, facti objectum divini odii atque vindictæ. Potuisset summa Numinis justitia, qualibet vel minima gratia negata, in æternum genus humanum originali peccato infectum perpetua damnatione punire. Docuit hoc Augustinus sæpissime. In Enchiridio, cap. 99 : « Universum, ait, genus humanum tam justo judicio divino in apostatica radice damnatum, ut etiamsi nullus inde liberaretur, nemo recte posset Dei vituperare justitiam, et qui liberantur, sic oportuisse liberari, ut ex pluribus non liberatis atque in damnatione justissima derelictis ostenderetur quid meruisset universa conspersio, et quo etiam istos debitum judicium Dei duceret, nisi ejus indebita misericordia subveniret. » Similia habet lib. de Correptione et grat., cap. 10; lib. de Dono persev., cap. 8, initio; lib. de Prædestinatione sanctorum, cap. 8. Hæc exemplo angelorum malorum confirmat cap. 27 Enchiridii : « Et siquidem, inquit, in melius hominum reformationem nullam prorsus esse voluisset, sicut impiorum nulla est angelorum, non immerito fieret. » Itaque in illa massa perditionis homo evasit indignus tota serie gratiarum, quas inter primæ sunt gratia justificans, per quam homo accedit ad Deum, et gratia perseverantiæ finalis, per quam homo non amplius potest recedere a Deo. Homo igitur ex peccato originali incidit in privationem gratiæ justificantis et in privationem potentiæ proxime expeditæ ad perseverandum in semel accepta gratia justificante, quæ privationes cum respiciant diversas formas, diversæ etiam sunt inter se, et una sine altera donari a Deo potest, ut certum est ex fidelibus qui damnantur, quibus dedit Deus gratiam justificantem, illis tamen negavit gratiam perseverantiæ finalis. Hinc perseverantiam esse *ex speciali auxilio Dei* docuit Tridentina synodus sess. 6, can. 22, et olim Arausicana II, can. 10, duce sancto Augustino, qui catholicam veritatem integro volumine de Dono perseverantiæ inscripto, solidissime contra Semi-Pelagianos propugnavit. Porro hæc est differentia inter utramque privationem, quod privatio gratiæ sanctificantis vel est ipsamet formalis ratio peccati, vel est necessario connexa cum peccato; altera vero privatio, nempe potentiæ proxime expeditæ ad perseverandum stat cum gratia sanctificante : sancti enim orant ut Deus donet illis perseverantiam, non igitur illam habent, ut probat Augustinus cap. 23, per totum; alias enim non esset speciale Dei beneficium a gratia justificationis distinctum; unde per gratiam sanctificantem non tollitur ipsa privatio potentiæ proxime expeditæ ad perseverandum. Hæc vero privatio est in pœnam primi peccati, sicuti etiam privatio subjectionis concupiscentiæ respectu rationis, et licet in baptismo *nihil est damnationis iis qui vere consepulti sunt cum Christo per baptisma in mortem*, ut ait Tridentinum in decreto de Peccato originali, quod dixerat antea Augustinus lib. 1 ad Bonifac., cap. 10 : *Nulla ergo condemnatio est nunc his qui sunt in Christo Jesu*, non id intelligitur de pœnalitatibus, ita enim loquuntur theologi, sed de culpa, cujus nihil remanet post baptismum : illæ enim etiam post baptismum remanserc.

Hanc privationem relictam esse in pœnam primi peccati adeo notum est in sancti Augustini sententia, ut vel ipsi Semi-Pelagiani hoc ex Augustino supponere solerent contra ipsum arguentes. Etenim, cum probare vellent Adamum, eo quod perseverantiæ donum non acceperit, sine culpa cecidisse, solitam ac familiarem Augustino responsionem præcludentes, ita instabant, teste Hilario in epistola ad Augustinum : « Neque enim dici potest ideo non accepisse quia non est discretus a massa perditionis gratiæ largitate; nondum quippe erat illa in genere humano perditionis massa, antequam peccasset, ex quo tracta est origo vitiata. » Ergo supponunt, juxta mentem sancti doctoris, privationem potentiæ proxime expeditæ ad perseverandum esse pœnam massæ peccato originali infectæ; cui argumento solvendo sanctus doctor aurea illa tria capita de Correptione et gratia, nempe 10, 11 et 12, exaravit. In illo cap. 11 palam concedit auxilium ad perseverandum in pœnam peccati deesse, quod tamen non potuit deesse angelis vel Adamo : « Si autem, inquit, hoc adjutorium vel angelo vel homini, cum primum facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat ut sine divino adjutorio posset manere si vellet, non utique sua culpa cecidissent; adjutorium quippe defuisset sine quo manere non possent. Nunc autem quibus deest tale adjutorium, jam pœna peccati est, quibus autem datur, secundum gratiam datur. » Non potest autem intelligere Augustinus nisi in pœnam peccati originis donum perseverantiæ negari; nam baptizatus, cum primum lethaliter peccavit, caruit dono perseverantiæ in bono semel accepto; ergo in pœnam peccati originalis fuit a Deo denegatum. Idem tradit late cap. 8 de Dono perseverantiæ, ubi quærenti *cur quibusdam*,

*qui eum coluerunt bona fide, perseverare usque ad finem non dedit*, respondet perseverantiam non esse debitam naturæ, sed esse gratiam quæ potest negari; cur autem negetur, tradit initio capitis : « Ex uno quippe, inquit, omnes in condemnationem non injustam judicati sunt ire, sed justam. Qui ergo liberatur gratiam diligat, qui non liberatur debitum agnoscat. » Hanc perseverantiam *tam magnum beneficium* vocat lib. de Correptione et grat., cap. 8, in fine, et hac sola discerni electos a massa perditionis probat ex professo cap. 8 et 9 illius libri, et rursus libro de Dono perseverantiæ, cap. itidem 8 et 9. Hinc cap. 7 de Correptione et grat. ait : « At per hoc et qui Evangelium non audierunt, et qui eo audito in melius commutati perseverantiam non acceperunt, etc., non sunt ab illa conspersione discreti, quam constat esse damnatam, euntibus omnibus ex uno in condemnationem. » Et postea statim : « Ab illa perditionis massa, quæ facta est per primum Adam, debemus intelligere neminem posse discerni, nisi quod hoc donum habet, quisquis habet, quod gratia Salvatoris accepit. » Igitur ex Augustino ex Adæ peccato incidimus in privationem doni perseverantiæ, quod gratuito tantum a Salvatore prædestinatis donatur. Privatio vero hujus tam magni beneficii est causa damnationis illativa; quicunque enim caret dono perseverantiæ damnabitur; unde aperte deducitur peccatum originale esse causam reprobationis. Uno verbo concludo : Carentia doni perseverantiæ est causa damnationis, sed peccatum originale est causa carentiæ doni perseverantiæ, ergo peccatum originale est causa damnationis. Minor est Augustini, et superius etiam probata est, quia per peccatum originale homo est indignus tota serie gratiarum, et licet sit baptizatus, adhuc habet privationem doni perseverantiæ, quæ est speciale Dei beneficium. Major non ita intelligenda est quasi illa carentia sit causa per se damnationis, sed tantum tanquam non removens prohibens, homo enim justificatus, si tentatione gravi pulsetur, et stet sub privatione potentiæ proximæ expeditæ ad perseverandum, infallibiliter succumbet, ni Deus speciali auxilio donet vim perseverandi, quod auxilium, cum ex primo peccato non debeatur homini, juste a Deo negari potest. Vide quæ dixi superius, cap. 3, § 6.

Hæc sententia de reprobatione ex peccato originali orta deducitur etiam ex epistola synodica Patrum Africanorum in Sardinia exsulum, ubi cap. 6 inquiunt : « Dixistis itaque quod, Esau et Jacob necdum natis, Jacob per misericordiam gratuitam eligitur, Esau autem originali peccato detentus justo judicio Dei est odio habitus. Illi e contrario dicunt in Esau figuram esse populi Judæorum ex futuris malis operibus condemnandi; in Jacob vero figuram esse populi gentium ex futuris operibus bonis salvandi. Hæc duo, quæ singula proponitis, bonum est, ut catholica consensione jungatis. » Itaque per ipsos catholicum est dicere Esau originali peccato detentum justo judicio Dei esse odio habitum. At cap. 7 scribunt : « In Esau vero judicium justæ severitatis ostendit, qui sacramento quidem circumcisionis octavo die secundum tenorem divinæ constitutionis accepto, reatu peccati originalis caruit, sed per nequitiam cordis in hominis terreni vetustate permansit, illius ibi judicio derelictus, qui gratis salvat justeque damnat. » At Esau non est detentus originali peccato secundum reatum, ergo secundum aliquid ab ipso originali causatum, est enim *derelictus judicio Dei*, quod est carere dono perseverantiæ; nam, ut supra inferebam, permissio primi peccati actualis fit justo judicio Dei negantis donum perseverantiæ in bono justitiæ per baptismum acceptæ; at ex Augustino illud donum negatur in pœnam peccati non actualis, nam de primo peccato actuali loquor; ergo in pœnam originalis. In eadem explicatione est sanctus Gregorius papa, in psal. CI, ad versiculum : *Quia cinerem tanquam panem manducabam;* sic enim ait : « Et cum juxta Apostoli sententiam, *Neque volentis neque currentis, sed miserentis sit Dei*, alios qui corruerant misericorditer erigit, alios qui stare videbantur, cadere juste permittit. Ex peccato namque primi parentis accepimus ut ne in ipsa justitia stabiles esse possimus. » Quod idem est quod dicebam, subiisse nos privationem potentiæ proximæ expeditæ ad perseverandum, quæ non aufertur nisi ex *speciali auxilio* Dei. Lege sanctum Prosperum in Resp. ad 7 Gallorum.

Igitur præcipuæ pœnæ relictæ ex peccato originali sunt concupiscentia et privatio potentiæ proximæ expeditæ ad perseverandum. Concupiscentiam relictam esse ad agonem dogma fidei est, ex Tridentino in decreto de Peccato originali, qua de re eleganter Augustinus lib. II contra Jul., cap. 4 : « Contra quam regeneratus, si jam ratione utitur, illo spectante atque adjuvante velut in agone confligit, quia virtus in infirmitate perficitur, dum contra hoc nostrum, quod a justitia deficit, illo nostro, quod ad justitiam proficit, dimicatur, ut vincente profectu totum surgat in melius, non vincente defectu totum vergat in pejus. » Ideo vero hæc pugna pœnalis nobis Dei judicio relicta est, ut homo, propriam infirmitatem cognoscens, elationem illam, qua olim in paradiso contra Dominum superbivit, deprimeret, atque divinum auxilium supplex imploraret. Audi Augustinum lib. IV contra Jul., cap. 2 : « Sed quia in ista humana miseria pejor hostis est cavenda superbia, ideo nimirum non penitus exstinguitur in carne continentium sanctorum illa concupiscentia, ut cum pugnatur adversus eam, periculorum suorum animus admoneatur, ne securus inflетur, donec humana fragilitas ad tantam perfectionem perveniat sanitatis, ubi nulla putredo lasciviæ, nullus tumor superbiæ formidetur. » Idem pariter dicendum est de privatione hujus potentiæ proximæ expeditæ ad perseverandum, nempe relictam illam ad agonem et ad humanam superbiam contundendam, unde concupiscentia et privatio ista veluti fœderatæ homini insidiantur, ac mutuo se juvant : ex concupiscentia enim inclinante ad peccatum impotentia et infirmitas

standi in bono proposito justitiæ fovetur. Docet hoc eleganter auctor libri II de Vocatione gent., cap. 28 : « In cæteris vero, inquit, hominibus donec caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem, et donec spiritus quidem promptus est, caro autem infirma, incommutabilis animi fortitudo non potest reperiri, quoniam non hujus, sed alterius vitæ est vere perfecta et secura felicitas. In præsentis autem agonis incerto, ubi tota vita tentatio est, et ab insidianti superbia nec ipsa est tuta victoria, mutabilitatis periculo non caretur. Et licet innumeris sanctis suis donet virtutem perseverandi usque in finem divina protectio, a nullis tamen aufert, quod ipsis repugnat ex ipsis, ut in omnibus studiis eorum atque conatibus semper inter se nolle et velle decertent. » Hoc ipsum docuerat sanctus Pater lib. de Dono perseverantiæ, cap. 8, ubi, respondens quærenti cur fideli Deus deneget donum perseverantiæ, ait : « Deus autem melius esse judicavit miscere quosdam non perseveraturos certo numero sanctorum suorum, ut quibus non expedit in hujus vitæ tentatione securitas, non possint esse securi, multos enim a perniciosa elatione reprimit, quod ait Apostolus : *Quapropter qui videtur stare, videat ne cadat* (*I Cor.* x, 12). Voluntate enim sua cadit qui cadit, et voluntate Dei stat qui stat, » etc. Hinc quæcunque contra hanc privationem objici solent, eodem prorsus modo solvenda sunt ac illa quæ contra pœnalitatem concupiscentiæ Pelagiani Augustino olim opponebant.

Expedienda hic est difficultas, unde tradita Augustinianæ sententiæ explicatio maxime illustrabitur. Carentia, inquiunt, doni perseverantiæ fuit in Adamo, nam perseverantiæ donum, ait Augustinus in lib. de Correptione et grat., cap. 11, *si habuisset, perseverasset;* ergo privatio doni perseverantiæ non est pœna peccati, quippe quæ fuit etiam in homine ante peccatum. Hoc argumentum olim Semi-Pelagiani Augustino objiciebant in laudato lib., cap. 10, ubi de Adamo inquiunt : « Non ergo habuit in illo bono perseverantiam, et si non habuit, non utique accepit. Quomodo enim et accepisset perseverantiam, et non perseverasset? Porro, si propterea non habuit quia non accepit, quid ipse non perseverando peccavit, qui perseverantiam non accepit? Neque enim dici potest ideo non accepisse quia non est discretus a massa perditionis gratiæ largitate : nondum quippe erat illa in genere humano perditionis massa, antequam peccasset, ex quo tracta est origo vitiata. » Nullum argumentum neque subtilius neque operosius isto solutum unquam fuit ab Augustino, ut summi ingenii vires omnes eidem diluendo impendisse videatur : tria enim capita in libro de Correptione et gratia integræ responsioni insumpsit, quorum summa est : Adamum habuisse auxilium Dei, quo proxime et expedite poterat perseverare, sed ita ut perseverantia actualis reposita esset in usu libero ejusdem ponendo ab ipsamet voluntate Adami, quam per modum habitus adjuvabat. Ad hoc explicandum ibidem duo illa capita 11 et 12 scripsit ; unam et alteram sententiam dabo, ne universa huc transferam : « Ut ergo, inquit, non acciperet hoc donum Dei, id est in bono perseverantiam primus homo, sed perseverare vel non perseverare in ejus relinqueretur arbitrio, tales vires habebat ejus voluntas, quæ sine ullo fuerat instituta peccato, et nihil illi ex se ipsa concupiscentialiter resistebat, ut digne tantæ bonitati et bene vivendi facilitati perseverandi committeretur arbitrium; » cap. 12. Et cap. 11 scribit : « Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem, in illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum. Dederat et adjutorium, sine quo in ea non posset permanere, si vellet ; ut autem vellet, in ejus libero reliquit arbitrio. » Itaque Adam non indigebat dono actualis perseverantiæ, quia habebat adjutorium, quo per modum habitus inerat illi potentia proxime expedita ad perseverandum ; unde Augustinus in fine cap. 12 ait : « Cum et voluntas primi hominis fortis et sana in bono ampliore non perseveraverit habens virtutem liberi arbitrii, quamvis non defuturo adjutorio Dei, sine quo non posset perseverare si vellet : non tamen tali quo in illo Deus operaretur ut vellet. Fortissimo quippe dimisit, atque permisit facere quod vellet. » Quare Adamo nil defuit ex parte Dei ad hoc ut posset perseverare, sed sibi nolens defuit; nam si voluisset, facillime perseverasset. Addit Augustinus, si Deus hoc adjutorium denegasset, Adamum itemque angelos non sua culpa casuros fuisse, rationem assignans : « Adjutorium quippe defuisset sine quo manere non possent. Nunc autem quibus deest tale adjutorium, jam pœna peccati est, quibus autem datur, secundum gratiam datur, non secundum debitum. » Ergo donum præbens potentiam proxime expeditam ad perseverandum traditum fuit Adamo, ita ut carentia perseverantiæ actualis non potuisset illi imputari culpæ, si eo adjutorio caruisset. Cæterum ex peccato perdidit sibi et nobis hoc auxilium constituens potentiam proxime expeditam ad perseverandum. Quare privatio hujus potentiæ in nobis est pœna primi peccati, nam *secundum gratiam datur, non secundum debitum.* Tanta vero per peccatum Adæ contracta est impotentia ad proxime expedite perseverandum, ut si idem omnino adjutorium quod datum fuit Adæ ad perseverandum, nobis in statu naturæ lapsæ donaretur, non esset sufficiens ad amovendam illam impotentiam perseverandi, ut docet sanctus doctor prope finem cap. 12, hæc tradens : « Si in tanta infirmitate vitæ hujus, in qua tamen infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat, ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in adjutorio Dei, sine quo perseverare non possent, manerent si vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent, inter tot et tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet, et ideo perseverare non possent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis ut possent. » Ex his patet solutio propositi argumenti, negandum est enim antecedens, ut intelligatur de carentia po-

tentiæ proxime expeditæ ad perseverandum; hæc enim privatio in Adamo non fuit, qui habebat adjutorium sufficientissimum ad perseverandum; solumque illi velle suum defuit. At ipse et sibi et toti generi humano subsecuto talis potentiæ privationem intulit, cujus occasione tanta crimina committuntur. Hanc doctrinam fusius explicavi superius cap. 3. Gregorius Ariminensis, in 2, dist. 26, q. 1 et 2, idem ex Augustino docet.

Objiciunt plures, qui licet peccatum originale in iis quibus non est remissum concedant esse sufficiens motivum reprobationis, in baptizatis tamen id nullo pacto dici posse existimant : nam peccatum remissum non potest esse causa cur homo damnetur, non esset enim remissum si propter illud morte perpetua plecteretur; baptizato vero est remissum originale peccatum, et propter illud nulli pœnæ est subjectus ; nec potest componi voluntas remittendi peccatum cum voluntate damnandi, et illud æternum puniendi. Sane Tridentinum, in decreto de Peccato originali, statuit *nihil damnationis* esse in baptizatis; esset autem multum damnationis, si inesset aliquid dignum puniri pœna æterna. Hoc argumentum pariter Semi-Pelagiani contra sanctum Augustinum adducebant; nam cum ille assereret peccatum originale esse causam cur homines universim fuerint reprobati, quos divina prædestinatio suos non fecerat, inferebant hoc absurdum ex Augustini sententia, quod *ab eis qui non sunt prædestinati ad vitam, non auferat percepta baptismi gratia originale peccatum.* Hæc est enim secunda objectio Gallorum, qua doctrinam sancti Patris, teste Prospero, suggillabant. Respondeo peccatum originale intulisse pœnas proprias ipsius naturæ, et has per baptismum non remitti, quarum præcipuæ sunt concupiscentia et privatio potentiæ proxime expeditæ ad perseverandum in accepta justitia, et sic nihil damnationis remanet in baptizato, prout damnatio culpam significat, non vero prout dicit pœnam. Nam ibidem docet sancta synodus remanere concupiscentiam, quæ *ex peccato est et ad peccatum inclinat.* Nullo vero pacto conceditur hominem baptizatum damnari propter peccatum originale formaliter, et esse ratione illius ut causæ proximæ reprobatum, sed dicimus radicaliter peccatum originale esse causam reprobationis fidelium qui damnantur, quatenus ex illo ortum habuit privatio potentiæ proximæ expeditæ ad perseverandum, sub qua præciso auxilio speciali Dei homo salutem non consequitur, sed labitur in peccata ob quæ proxime et formaliter a Deo damnatur. Neque enim negamus Deum reprobare aliquem ob peccata actualia, neque dicimus Deum prius reprobare propter originale, deinde etiam ob actualia, ut opponit Joannes a Sancto Thoma, disp. 10 de Reprob., art. 2, num. 30; sed asserimus Deum immediate damnare pœna æterna hominem ob peccata actualia, in quæ incidit ob impotentiam perseverandi, seu ob privationem potentiæ proximæ expeditæ ad perseverandum, quæ est pœna humanæ naturæ relicta ad agonem ex peccato Adæ. In baptismo vero remittitur culpa et pœna debita personæ quæ peccavit, non pœnalitas inflicta ex primo peccato ipsi naturæ, quod exemplo concupiscentiæ diximus fieri manifestum. Quare ob peccata actualia homines damnari concedit sanctus Pater cap. 13 de Corrept. et grat., in fine, ubi de reprobis loquens : « Aut enim, inquit, jacent sub peccato quod originaliter de generatione traxerunt, et cum illo hæreditario debito hinc exeunt, quod non est regeneratione dimissum, aut per liberum arbitrium alia insuper addiderunt, etc., alii magis, alii minus, sed omnes mali, et pro ipsa diversitate diversis suppliciis iudicandi; aut Dei gratiam suscipiunt, sed temporales sunt, nec perseverant; deserunt, et deseruntur. Dimissi enim sunt libero arbitrio, non accepto perseverantiæ dono, judicio Dei justo et occulto. » Lege cap. 93 Enchiridii. Ex quibus colligo taxationem pœnæ dependere a peccatis actualibus in quæ homo labitur quia deserit Deum; deserit vero quia est dimissus libero arbitrio, non accepto dono perseverantiæ, judicio Dei justo, nempe in pœnam peccati originalis. Cæterum homo baptizatus, licet habeat illam privationem doni perseverantiæ, et non sit dignus hanc habere, quia non datur secundum debitum, non est tamen dicendus illa indignus, seu habere debitum non habendi, quomodo sunt peccatores, sed tantum non habet debitum habendi, quod debitum habebat Adam, unde non esse hujus potentiæ proxime expeditæ ad perseverandum non potest dici sola negatio, sed vera privatio, quia est carentia doni alias debiti naturæ prout elevatæ ad finem supernaturalem.

Hactenus hæc pro explicanda sententia sancti Augustini insinuata sint, pluribus enim eamdem sententiam et exponunt et defendunt eruditissimi theologi Ruizius et Gonettus laudati. Unde nescio quo panico timore perculsus illam Adamus horruerit, accusans eamdem tanquam matrem Calvinianæ hæreseos; quod quidem attentius considerans, arbitror illum intellexisse errorem satis notum, nempe in baptizatis vere remanere peccatum originis ; etenim si post baptismum adhuc fidelis potest reprobari ob peccatum originis, non igitur est deletum et remissum, cum aliquid remaneat in renatis ob quod æternum damnentur. At hæc erat vetus calumnia, quam Semi-Pelagiani, ut ex Prospero diximus, Augustinianæ sententiæ inferebant, a qua eamdem procul esse ostendimus. Longe vero abest sanctus doctor a Calvinistarum sententia : isti enim putant ipsam concupiscentiam esse formaliter peccatum originis, quæ cum remaneat post baptismum, dicunt non fuisse deletum peccatum, sed tectum et non imputatum. At sanctus doctor non constituit in ipsa concupiscentia essentiam peccati originalis, sed in reatu et macula, quæ tota deletur in baptismo. Unde lib. II de peccatorum Meritis, cap. 28, loquens de concupiscentia, ait : « Non sic manet in membris eorum qui ex aqua et Spiritu renati sunt, tanquam non sit ejus facta remissio, ubi omnino plena et perfecta fit re-

missio peccatorum omnibus inimicitiis interfectis quibus separabamur a Deo. » Lege Bellarminum tom. IV, lib. v, de Amissione gratiæ, cap. 8, id ex Augustino erudite probantem. Hoc ipsum tamen melius ac fusius explicat P. Macedo lib. IV de Clavibus Petri, cap. 5 et 7. Non est igitur cur Adamus celeberrimam sancti Patris sententiam Calvinismi insimulet, cum Calvinus hac in re longius ab Augustino, si quis alius abierit. Sed transeamus ad alia, suique consilii causas adversario dimittamus.

§ XI. *An erraverit Augustinus docens occisionem grassatoris mortis intentantis non esse licitam.*

Ultimum quem sancto Patri errorem objiciunt in examen vocamus; inquiunt enim eumdem dixisse *haud licitum esse occidere grassatorem qui nobis velit vitam eripere.* Est Adami contra Augustinum accusatio cap. 3, pag. 585. Disputat Augustinus, lib. I de Libero Arbitrio, cap. v, possintne citra culpam interfici *hostis irruens, vel insidiator sicarius, sive pro vita, sive pro libertate, sive pro pudicitia?* Postquam dixit lege Romana grassatores posse impune occidi, dum vitam alteri stricto mucrone auferre tentant, ait : « Legem quidem non reprehendo quæ tales permittit interfici, sed quo pacto istos defendam qui interficiunt, non invenio. » Ex his Augustini verbis in varias sententias gravissimi scriptores abiere. Multi putarunt Augustinum negasse esse licitum occidere invasorem etiam cum moderamine inculpatæ tutelæ, quorum nonnulli, tanti doctoris auctoritate moti, eamdem sententiam subscripsere, vel saltem probabilem existimarunt. Augustinus Triumphus Anconitanus, insignis theologus Augustinianus, in libro de Potestate ecclesiastica, quæst. 52, art. 3, ponit et probat hanc conclusionem : « Puto quod culpa sit hominem occidere ne ipse occidatur, quacunque inevitabili necessitate hoc fiat. Ad hoc est (addit) auctoritas Augustini in pluribus locis; primo de Libero Arbitrio dicentis, » etc. Tostatus, illud ingeniorum monstrum, in cap. v Matthæi, v. 9, p. 109, recitata sententia Triumphi, et opposita quæ est communior, ait : « Utraque istarum positionum videtur aliqualiter rationabilis, maxime cum ista secunda aliqualiter videatur esse de intentione Augustini. » Vasquez, cap. 2 de Restit., dub. 6, num. 18, Augustinum eam sententiam secutum fuisse affirmat, *quam*, inquit, *quidam ex canonistis amplectuntur.* Molina, disput. 3 cit., num. 3, ait : *Vehemens suspicio est, Augustinum ejus fuisse sententiæ.* Gerson pro eadem sententia refertur in tract. de Eucharistia; certe part. II Compend. theolog., in expositione quinti præcepti, ait : « Dicunt quidam quod nullo modo licet occidere etiam defendendo, maxime autem viro perfecto, et hæc videtur esse opinio Anselmi. » Ubi etiam recitat contrariam opinionem, neutram vero rejicit. Sequuntur Accursius et Glossa super l. *Vim vi*, ff. de Just. et jure. Richardus insuper a Sancto Victore et Almaynus citantur a nostro Salonio. Quare non solus fuit in ea sententia Augustinus, sed habuit sectatores et theologos et jurisconsultos, apud quos plus ponderis unius Augustini auctoritas valuit, quam vulgaris aliorum opinio. Antequam tamen sancti doctoris sententiam explicem, moneo haud opus fuisse nonnullos tanta diligentia utriusque juris testimonia conquirere, queis invasoris occisio cum moderamine inculpatæ tutelæ conceditur, uno enim verbo jam olim responderat sanctus doctor cap. 5 laudato : « Legem quidem satis video esse munitam contra hujuscemodi accusationem, quæ in eo populo quem regit, minoribus malefactis, ne majora committerentur, dedit licentiam; multo enim mitius est eum qui alienæ vitæ insidiatur, quam eum qui suam tuetur, occidi. » Ubi quærit an homines quibus civiles leges invasoris occisionem permittunt, *aliqua vehementiore ac secretissima lege teneantur* tales non occidere.

Sanctus Thomas, 2-2, q. 64, art. 7, nolens discedere a sancti Augustini sententia, neque item a communi opinione, distinguit unum et alterum modum quo quis se defendens potest invasorem occidere. Potest enim quis habere tantum intentionem se defendendi, licet inde ex accidenti sequatur mors invasoris; vel potest intendere occisionem aggressoris, vel tanquam medium vel tanquam finem, ut exponit ibi Cajetanus. Potest hoc explicari exemplo satis apto. Præcipit medicus scindi venam infirmi, ut emissione sanguinis curetur, licet sciat infirmum ex tali emissione passurum deliquium, quod revera ipse nollet si aliter infirmus curari posset. In hoc casu medicus vult salutem infirmi ut finem, emissionem sanguinis ut medium, deliquium nullo pacto intendit, nisi ut quid consecutum ex accidenti præter suam intentionem, in quod tantum materialiter consentit. Ita hoc secundo modo potest aggressus occidere invasorem, nullo vero pacto potest intendere mortem grassatoris irruentis neque ut medium, neque uti finem. Et hanc esse mentem sancti doctoris recte ostendit Salonius in fine art. 7, eamdemque explicat Tostatus citatus. Quare sanctus Thomas, in resp. ad 1, scribit Augustinum intelligendum esse de intentione occidendi aggressorem, non vero si intendat directe conservare propriam vitam, nam talis actus *non habet*, inquit, *rationem illiciti, cum hoc sit cuilibet naturale, quod se conservet in esse, quantum potest.* Omitto hanc sententiam vix posse in praxim reduci; quis enim surgente ira, animoque in sui defensionem subito erecto, illam intentionem habere potest? quod Salon, Molina aliique adnotarunt. Certe illa explicatio non est ad mentem Augustini, cum tamen, inquit Molina tom. IV, disp. 3, num. 3, *Fortasse Augustini testimonia D. Thomam impulerint ad asserendum aggressum non posse intendere mortem aggressoris :* nam Augustinus occisionem aggressoris inde esse malam probat, quia oritur ex cupiditate servandi vitam, quæ non debet amari, sed contemni : « Quomodo enim, inquit, apud eam (divinam providentiam) sunt isti peccato liberi, qui pro iis rebus quas contemni oportet humana cæde polluti sunt? » Et antea : « Non enim

ex eos cogit occidere, sed relinquit in potestate; liberum eis itaque est neminem necare pro iis rebus quas inviti possunt amittere, et ob hoc amare non debent. » At sanctus Thomas vult ex instinctu naturæ amare unumquemque suam vitam quantum potest, ex quo amore sequitur defensio ad illam conservandam etiam cum morte insidiantis. Porro inter illa quæ contemni debent, ibidem vitam reponit Augustinus, eo utens dilemmate de vita animæ, dum corpus interimitur : *Si auferri potest, contemnenda est; si non potest, nihil metuendum.* Et Angelicus doctor illam intentionem ex ira contra hostem infici malitia opinatur, at Augustinus nimia concupiscentia et immoderato amore erga se occisionem illam vitiari existimavit.

Sed jam videndum est undenam Augustinus in eam sententiam descenderit. Ille quidem, cum originem mali, quam contra Manichæos disputans indagabat, a libidine seu prava cupiditate derivari statuisset, *omnia malefacta*, inquiens, *non ob aliud mala esse nisi quod libidine, id est improbanda cupiditate fiunt*, cap. 4, postea quærit cap. 5 : *Utrum vel hostis irruens, vel insidiator sicarius sive pro vita, sive pro libertate, sive pro pudicitia sine ulla interficiatur libidine?* Respondet occisores invasorum non esse ab hac prava cupiditate immunes : *Quomodo possum*, ait, *arbitrari carere istos libidine, qui pro iis rebus digladiantur, quas possunt amittere inviti?* etc. At statim objicit sibi Romanas leges permittere aggressorem impune occidi, quod autem lege licitum est peccatum nullo modo esse potest. Respondet tales quidem non teneri reos lege principum temporali, sed *aliqua vehementiori ac secretissima lege. Quomodo enim apud eam sunt isti peccato liberi, qui pro iis rebus quas contemni oportet, humana cæde polluti sunt?* His ita constitutis, tota rei difficultas in eo erat ut Augustinus rationem daret cur apud leges civiles occisor invasoris non esset homicidii reus, sed bene apud legem æternam et immutabilem. Ad hoc vero probandum sanctus doctor reliquum illius libri impendit, cujus summa est : Lex æterna vult *omnia esse ordinatissima*, cap. 6; unde fit consequens ut homo *in se ipso ordinatissimus sit*, cap. 7. Cum vero habeat homo plures motus cum belluis communes, nam *appetere voluptates corporis, et vitare molestias ferinæ vitæ omnis* actio est, cap. 8, « Hisce motibus animæ cum ratio dominatur, ordinatus homo dicendus est. Non enim ordo rectus, aut ordo appellandus est omnino, ubi deterioribus meliora subjiciuntur. Ratio ista ergo, vel mens, vel spiritus cum irrationales animi motus regit, id scilicet dominatur in homine, cui dominatio lege debetur ea quam æternam esse comperimus. Cum ergo ita homo constitutus atque ordinatus est, nonne tibi sapiens videtur? » cap. 8. « Eos enim sapientes voco quos veritas vocari jubet, id est regno mentis omnis libidinis subjugatione peccati, » cap. 9. « Putasne ista mente cui regnum in libidines æterna lege concessum esse cognoscimus, potentiorem esse libidinem? Ego enim nullo pacto puto; neque enim esset ordinatissimum, ut impotentiora potentioribus imperarent. Quare necesse arbitror esse ut plus possit mens quam cupiditas, eo ipso quo cupiditati recte justeque dominatur, » cap. 10. Ex his Augustinus intentum deducit : Nam cum quis aggressorem occidit, non ratio, sed cupiditas illi dominatur : « Quomodo possum arbitrari, inquit, carere istos libidine, qui pro iis rebus digladiantur, quas possunt amittere inviti, aut si non possunt, quid opus est pro his usque ad hominis necem progredi? » Neque enim actum occidendi ratio, sed cupiditas regit, cum ratio dictet vitam non esse verum bonum hominum, quia illam *possunt amittere inviti*. Quod enim inquiunt, a natura insitam esse sui conservationem, ac proprii boni defensionem, nihil juvat; nam vita corporis non est proprium bonum hominis, sed *hominis pars vilissima*, cap. 16. Bene quidem feræ naturali instinctu etiam cum aggressoris occisione vitam tuentur, quia hæc unicum summum bonum illis est, idque cupiditate sui conservandi faciunt, ne amittant esse. At si homo, ut se defendat, invadentem perimit, cupiditate movetur qua et belluæ in eos motus impelluntur, existimans tantum bonum vitam corporis, ut pro illa necesse putet *usque ad hominis necem progredi*, cap. 5. Belluarum enim proprium est *appetere voluptates corporis, et vitare molestias*, cap. 8. Ergo tunc movet homines ad occidendum cupiditas, qua *bestiis meliores* non sunt, neque tunc *ratio irrationales animi motus regit*, ibidem. Ergo homo non ordinate agit, et per consequens contra legem æternam agit, quæ vult *omnia esse ordinatissima*, ut ibidem præmiserat.

Dices : Non igitur citra vitium poterimus amare vitam corporis. Respondet sanctus doctor, cap. 15, nos posse amare vitam ac reliqua bona corporis, utendo illis, non fruendo, quod egregie sic explicat : « Cum igitur eisdem rebus alius male, alius bene utatur, et is quidem qui male amore inhæreat atque implicetur, scilicet subditus eis rebus quas sibi subditas esse oportebat, et ea bona sibi constituens, quibus ordinandis beneque tractandis ipse esse utique deberet bonum. Ille autem qui recte his utitur ostendat quidem bona esse, sed non sibi; non enim eum bonum melioremve faciunt, sed ab eo potius fiunt. Et ideo non eis amore conglutinetur, neque velut membra sui animi faciat, quod fit amando, ne cum resecari cœperint, eum cruciatu ac tabe fœdent, sed eis totus superferatur, et habere illa ac regere, cum opus est paratus et amittere, aut non habere paratior. » Unde qui occidit aggressorem non superfertur totus, neque regit bonum vitæ corporis, sed ei amore conglutinatur, ac membrum sui animi facit, dolens cum cruciatu eam sibi resecari, neque paratior est illam non habere, sed totis viribus colluctatur ut habeat, putans eam suum bonum esse, pro quo conservando digladiatur, quæ tamen vita ad beatam vitam nihil facit, nam *beate vivere est veris certisque bonis gaudere*, cap. 13; inter quæ vita corporis non

reponitur, tot variis subinde affectionibus perturbata, quas erudite congerit sanctus doctor cap. 11.

Tandem Augustinus, cap. 15, post longam disputationem disparitatem assignat cur lex civilis principum permittat occidi invasorem vitæ, honoris vel divitiarum, et id alia ex parte lex æterna vetet. Et enim lex civilis reipublicæ temporalis « nihil aliud jubet nisi ut hæc quæ ad tempus nostra dici possunt, quando eis homines cupiditate inhærent, eo jure possideant, quo pax et societas humana servetur, quanta in his rebus servari potest. » Postea : « Ergo et ad id quod vult torquet ac retorquet miserorum animos, quibus regendis accommodata est. Dum enim hæc amittere timent, tenent in his utendis quemdam modum aptum vinculo civitatis, qualis ex hujuscemodi hominibus constitui potest, non autem ulciscitur peccatum cum amantur ista, sed cum aliis per improbitatem auferuntur. » At ut consequamur ultimum finem, lex æterna vetat amari illa quæ non sunt media ad illum obtinendum, ut quæ homines « possunt et volentes non adipisci, et amittere inviti, » cap. 15. « Jubet igitur æterna lex avertere amorem a temporalibus, et eum mundatum convertere ad æterna, » ibidem. O dignam Augustino doctrinam! Lex civilis principum non ulciscitur peccatum cum amatur vita corporis, sed cum aliis per improbitatem aufertur, et parum curat de illa noxia cupiditate, cum de internis nihil statuat. At lex æterna hanc cupiditatem damnat, cum in homine dominatur, ac rationem regit, dum quis arbitratur tantum bonum esse sibi vitam corporis, ut usque ad necem hominis pro illa defendenda progrediatur, cum tamen illius bonum verum minime sit, neque enim facit illum meliorem, quod proprium solum est bonorum animi, quæ nullus potest amittere invitus, et si vult, habet. De qua re late agit a cap. 12. Quis vero non videat quo jure Augustinus datum inter utramque legem discrimen nuncuparit *sublimia quædam petentem distinctionem?* cap. 5, in fine.

Hoc quidem argumento motus in eam sententiam ivit sanctus Pater, in qua tradenda et confirmanda nec unum e sacris litteris testimonium adhibuit, sed quod cum Manichæis res erat, rationi tantum innixus philosophatus est. Quæ tamen nova nemini videri debent, eo enim in argumento Stoici ac veteres plerique alii philosophi summa cum laude versati sunt : siquidem quo celebre illud apathiæ dogma persuaderent, ac omne bonum hominis in mentis arce collocarent, nihil extra virtutem in bonis habendum esse pluribus argumentis contendebant. Hoc Seneca probavit luculento opere, quod hoc titulo exaravit : *Quod in sapientem virum non cadit injuria.* Hoc Philo intendit suo illo opusculo inscripto : *Quod omnis probus liber.* Idem astruxit Lactantius in tertio Institutionum, sed cæteris Patribus subtilius atque ornatius Joannes Chrysostomus in oratione cui hunc titulum dedit : *Nemo lædituri nisi a se ipso.* Quam sententiam alii diffusis commentariis postea illustrarunt. Itaque noster Augustinus in eo primo libro de Libero Arbitrio et ipse philosophum agens, supra omnia corporea animum hominis ad veri sui boni cognitionem evexit, suumque rationi imperium pravæ cupiditatis motibus subactis asseruit. Sane docuit nihili habenda esse qualiacunque hæc bona temporalia, quæ miseri mortales ad insaniam usque mille votis expetunt, neque enim illa ad summi boni assecutionem viam muniunt, sed impediunt. Quæ si vera sunt, culpandam dixit illius cupiditatem, qui pro bulla (ita enim sapientes hominis vitam corpoream dixere) defendenda mucronem stringit, atque humana cæde polluitur. Augustinus Anconitanus, qui hanc sancti doctoris sententiam ex professo defendit, alio ac plane diverso argumento illam confirmavit, nempe quia : Animam proximi plus teneor diligere quam corpus proprium, quod me invito possum perdere. Planum est autem quod anima proximi perditur, ex quo idem in actu injustæ invasionis per me occiditur; cui argumento cedit cardinalis Lugo, tomo I de Just. et jure, disp. 10, sect. 6, num. 143, si restringatur ad hominem ebrium invadentem, et se defendens putet probabiliter se esse in gratia, de qua re pluribus agit Tostatus. Sed nostrum est Augustinianam tantum sententiam explicare, quæ philosophicæ rationi innititur.

Cæterum, licet Augustinus, juxta subtilioris philosophiæ principia, negaverit licitam esse invasoris occisionem, nunquid contra legem etiam Dei illam esse existimavit? ut plane homo a grassatore invasus, cum nulla sit alia via qua evadat, si invasorem occidat, homicidii reus censendus sit, quod contra communem theologorum sententiam esse ita certum est, ut Salon, cit. conclus. 2, dicat : « Opposita sententia est forsan temeraria, tot textibus et communi omnium fere doctorum placitis repugnans. » Ego quidem judico sanctum Augustinum ex sacris litteris, quas cum scriberet librum primum de Libero Arbitrio, parum se callnisse testatur, postea oppositam sententiam tradidisse. Hanc legem Hebræis Deus Exodi XXII dedit : *Si effringens fur domum sive suffodiens fuerit inventus, et accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis; quod si orto sole hoc fecerit, homicidium perpetravit, et ipse morietur.* Ex quibus aperte deducitur non esse contra legem Dei occidere invasorem, cum hoc Deus ipse permiserit, ac hominem occidentem negaverit reum esse homicidii. At sanctus doctor, tom. IV, q. 84 in Exodum, disparitatem assignat cur nocturnus fur citra homicidium interfici possit, non vero diurnus, ita inquiens (*Vid.* Epist. ad Macedon.) : « Intelligitur ergo tunc non pertinere ad homicidium si fur nocturnus occiditur, si autem diurnus, pertinere, etc. Poterat quippe discerni quod ad furandum, non ad occidendum venisset, et ideo non deberet occidi. Hoc et in legibus antiquis sæcularibus (ff. ad leg. Aquil., leg. 4), quibus tamen ista est antiquior, invenitur, nempe occidi nocturnum furem quoquomodo, diurnum autem, si se cum telo defenderit, jam enim plus est quam fur. » Igitur si in dubio an fur me velit occidere, possum juxta le-

gem divinam ex Augustino citra peccatum homicidii illum occidere, potiori jure eumdem licite potero interficere si certam mihi mortem stricto mucrone intentet. Neque enim fas est dicere Deum permisisse peccatum, et veluti lata lege non improbasse : etenim licet lex illa data esset ad firmandam civilem rempublicam Hebræorum, patuit tamen divinam voluntatem permisisse homicidium, uti permisere mundani legislatores, et sicuti occidens invasorem non agit contra voluntatem legislatoris civilis, ita neque contra legislatoris Dei voluntatem agere dicendus est. Non est tamen necesse ut dicamus sanctum doctorem priorem sententiam retractasse, cum præcipue ab scripto libro primo de Libero Arbitrio post triginta et amplius annos libros Retractationum scribens illam priorem sententiam non expungens, iterum approbasse censendus sit. Itaque utrumque dictum est componendum ex ejusdem sancti Patris effato lib. 1 de Lib. Arb., c. 5, ubi ait : « Potest ergo illi legi, quæ tuendorum civium causa vim hostilem eadem vi repelli jubet, sine libidine obtemperari. » Augustinus, ut hostis occisio sit licita, hoc tantum vult ut actio occidendi ab illa noxia cupiditate sequeretur ; quare, si quis se defendens id agat non motus illa cupiditate qua ad sui defensionem bruta etiam impelluntur, sed pacato rationis imperio, nempe ob bonum reipublicæ, vel familiæ, vel ut moriatur, cum majori probabilitate salutis, quæ maxime Christianum consideratio decet, vel quocunque alio diguiori fine procul ab illo cupiditatis irrationalis impulsu, aggressus citra culpam potest licite invasorem occidere. Quæ quidem consideratio, licet illis in angustiis non ita in promptu esse videatur, eadem probabilitate defenditur qua sanctus Thomas intentionem occidendi hostis vel ut finem vel ut medium distinxit, ad hoc ut quis posset licite invasorem interimere, ut per se consideranti patebit.

Est alius etiam facilior modus Augustinianæ sententiæ exponendæ, si dicamus Augustinum, quando occisionem aggressoris peccatum appellavit, intellexisse moralem defectum actionis in quem incidit qui, relicto actu longe perfectiori, imperfectiorem eligit, unde ex insipientia operari dicitur. At qui se permittit occidi, nec curat, cum possit, nece hostis vitam redimere, excellentiorem quovis infortunio animum habere se monstrat, haud in bonis reputans vitam, quam amittere paratus est, et non habere paratior ; unde summa laude commendandus venit, quo pacto Anaxarchus, Stilpo, aliique veterum præconia demeruere. Secus vero agens exilis animi se esse ostendit, ut quem vilissimi boni possessio impleat, ac tanti vitam faciat ut omnibus viribus pro illius conservatione sibi dimicandum putet. Quare apud veram sapientiam stulte hic posterior agere judicabitur, vilisque animi pœnas luet, ingenti illo laudum cumulo privatus, quæ vitæ corporis contemptori debentur. Accedit fortitudinem majorem exeri ab eo qui generose mala patitur, quam ab eo qui infert, ut post Aristotelem III Ethic. cap. 9, probat sanctus Thomas, 2-2, q. 123, art. 6, unde ait sanctus Pater cit. cap. 13 : « Quid fortitudo ? Nonne est illa animæ affectio qua omnia incommoda et damna rerum non in nostra potestate constitutarum contemnimus ? » Insuper certum est excellentis charitatis actum illum futurum quo quis mortem libens oppeteret potius quam irruentem hostem interimens ejusdem perpetuæ damnationis causam esse, ut docent Aragon, Salon, Cajetanus, aliique ad q. 64 cit. sancti Thomæ. Potest hæc explicatio colligi ex iis quæ idem in eo libro primo de Libero Arbitrio scribit. Nam cum dixisset occisionem invasoris nulla lege civili plecti, ait cap. 5 : « Illæ vero culpæ alias pœnas aptas habent, a quibus sola mihi videtur posse liberare sapientia. » At non agit juxta regulas sapientiæ qui ob vilissimæ rei quæ sit in homine conservationem ingenti se laude privat, unde secundum easdem sapientiæ regulas defectuose agit, quod est peccare. Sed plus aliquid velle fateor sanctum doctorem, nam cap. illo 5 ait : « Quomodo enim apud eam (providentiam divinam) sunt isti peccato liberi, qui pro iis rebus quas contemni oportet humana cæde polluti sunt? Videtur ergo mihi et legem istam, quæ populo regendo scribitur, recte ista permittere, et per divinam providentiam vindicari. » Quæ sane verba invasoris occisorem plus quam dicti defectus moralis citra peccatum in operando reum constituunt. Igitur sententia sancti doctoris ex subtilioris philosophiæ principiis deducta generosiori suique æstimatore animo digna non nisi injuste reprehendi potest, cum illam Hebræorum, Græcorum ac Latinorum sapientissimi ante Augustinum defenderint, qui vitam inter contemptibilia bona rejecere, unde nostri Patris assertum derivat, ut ex ipso luculenter ostendimus.

Hæc quidem scripseram, quæ ubi typis edita Romæ vir doctissimus legisset, illico me convenit, fere indignatus quod sententiam antiquioris Ecclesiæ Patribus familiarem tam meticulose defenderim. Simul pleraque Patrum testimonia indicavit quo me inani metu liberaret. In primis Augustinus etiam episcopus in eadem sententia constanter stetit, quam etiam militaribus præfectis persuasit : Publicola, vir illustris, qui in Arzugitana regione limitis curam gerebat, plures sancto doctori quæstiones solvendas per litteras misit, quarum duodecima in hæc plane verba concipiebatur : Si Christianus videat se a barbaro vel Romano velle interfici, debet eos ipse Christianus interficere, ne ab illis interficiatur. Cui difficultati sic respondet sanctus doctor epistola ad eumdem 154 : « De occidendis hominibus ne ab iis quisque occidatur, non mihi placet consilium, nisi forte sit miles, aut publica functione teneatur, ut nec pro se hoc faciat, sed pro aliis vel pro civitate, ubi etiam ipse est, accepta legitima potestate, si ejus congruit personæ. » Hanc plane doctrinam ab Africanis Patribus Augustinus acceperat. Tertullianus in Apologetico dixerat : « Apud istam, nempe Christianam disciplinam magis occidi licet quam occidere. » Certe Christus exarmato Petro omnem Christianum docuit

ne vim vi repelleret. Cum Tertulliano concinit Cyprianus epist. 56, ubi clamat : « Occidere non licet, sed occidi necesse est; » et in sequenti epist. 57, ad Cornelian. : « Occidere innocentibus nec nocentem liceat. » Accedit Lactantius lib. VI divin. Instit., cap. 20, ubi cum dixisset : « Ea quoque ne fiant, monet quæ apud homines pro licitis habentur; » hæc addit : « Itaque in hoc Dei præcepto nullum prorsus expertem fieri oportet, quin occidere hominem sit semper nefas. » Imo hanc ipsam doctrinam didicerat Augustinus a magistro Ambrosio Mediolanensi, lib. III de Officiis, cap. 4, hæc scribente : « Tamen non videtur quod vir Christianus, et justus, et sapiens, quærere sibi vitam aliena morte debeat : utpote qui etiamsi in latronem armatum incidat ferientem referire NON POSSIT, ne, dum salutem defendit, pietatem contaminet. » Quis autem non videat quantum huic sententiæ auctoritatis pondus adjiciant Ambrosius, Cyprianus et Augustinus ? Nonne illa sanctissimorum ac doctissimorum Patrum trias præponderat integræ centuriæ casuistarum, quos Guimenius, Pirotus, allique Probabilistarum primipili longo ordine recitant, quo testium, si non auctoritate, saltem numero eas opiniones suffulciant, quas uti sanguinarias antiquiores Ecclesiæ magistri præscripsere ? Profecto novæ theologiæ magistri, qui non sine proborum scandalo docuere licitum esse occidere detractorem nostræ famæ, immane ac crudele assertum inde deducunt, quod honor pluris faciendus est quam vita, et cum pro hujus defensione licitum sit insidiantem atque vim inferentem occidere, potiori ratione non erit reus criminis qui pro honore defensando, si nullus sit alius evadendi modus, calumniantem obtruncat. Hæc aliave longe plura vir ille eruditus protulit, quæ quidem alteri etiam se insinuasse testatus est, qui ea postea quoque typis excusa vulgavit. Facessat igitur novorum casuistarum timor, suos illis relinquamus Tamburinos et Bannios, nos Ambrosium et Augustinum audiemus, cum quibus gloriæ vertetur non modo sapere, verum etiam judicibus casuistis errare.

§ XII. *Sanctus Augustinus in libris Retractationum nihil abs se de divina gratia assertum in libris contra Pelagianos scriptis expunxit.*

Ilos Augustino errores Adamus ac Moraines objiciunt, sed vano prorsus eventu ; nam eo improbo labore non Hipponensis præsulis famam vel auctoritatem decurtarunt, sed quam maxime promoverunt. Quis autem initio causæ non fuisset veritus ne Augustinus, in ducentis et amplius libris quos edidit in tot epistolis quas publicavit, in innumeris concionibus quas ad populum habuit, in tot commentariis ac quæstionibus quibus sacras litteras explicuit, a rigidioribus hisce censoribus alicujus errati reus teneretur, cum vel bonum ipsum Homerum quandoque dormitare in adagiis sit? Neque enim omnia dicta illa licuit perpendere; aliquoties etiam scripsit animo distracto, ac calamo ad alia properante. Adjice immensam illam hæresum silvam cui exscindendæ ac comburendæ unus et securim et facem Augustinus admovit. Nunc enim Manichæi, modo Ariani confutandi erant; nunc in Donatistas scribendum, statim contra Pelagianos eundum; sæpe simul omnes improbandi : neque hoc quidem commode fieri poterat ob innumeras tum voce tum per litteras et petitas et subinde datas consultationes. Haud in nonum annum volumina premere illi licuit, sed impolita atque imperfecta emittere cogebatur, tantisque temporis angustiis premebatur, ut nec dictatos libros semel relegere posset, ut ipsemet testatur in epistola ad Marcellinum. Quamobrem si quid veritati minus conforme eidem excidisset, jure merito excusandus esset. Illud vero maxime notandum venit, quod Augustinus, cum universos a se elucubratos libros censoria gravitate recenseret, ac sæpe spongiam adhiberet, exarata adversus Pelagianos volumina recognoscens, duo hæc tantum corrigenda dixit, nempe quod lib. V contra Julianum medici cujusdam veluti certum nomen posuisset, quod tamen penitus ignotum postea animadverterat, quodve in libro de Natura et gratia librum quemdam Sixto pontifici ascripserit, Pelagii fidem secutus, qui tamen a Sexto philosopho editus fuerat. Cæterum nullum illis in libris contra Pelagianos assertum dogma recantavit, nullam non dicam sententiam correxit, sed neque unum verbum veluti minus aptum erasit, sed universa ac singula senili auctoritate approbavit, ut vel hinc divina gratia, quam triginta et amplius libris contra Pelagianorum insultus acerrime propugnavit, dignam veluti tanto labore vicem rependens, scribenti adfuisse credita sit, quo procul a quolibet vel levissimo errore volumina illa cedro digna perscriberet. Et tamen hisce in libris recentes Aristarchi tot excessus, tot antilogias, tot errores se deprehendisse jactant ! Augustinus modestissimi vir ingenii suos hosce censores ita monitos vult in fine libri de Dono perseverantiæ : « Qui vero errare me existimant, etiam atque etiam quæ sunt dicta considerent, ne fortassis ipsi errent. Ego autem cum per eos qui meos labores legunt, non solum doctior, verum etiam emendatior fio, propitium mihi Deum agnosco, et hoc per Ecclesiæ doctores maxime exspecto, si et in ipsorum manus venit, dignenturque nosse quod scribo. » Quæ verba cum legisset summus Ecclesiasticorum Annalium scriptor, ac Vaticani senatus immortale decus, Cæsar Baronius, in hæc Augustiniani ingenii præconia erupit : « Hæc ipsa digna quidem sancti Augustini modestia, animique ejus admirabili cum submissione verecundia, ut plane nisi aliunde, ex his saltem intelligere valeas, afflatum illo divino Spiritu illa scripsisse, cum non super quempiam alium quam super humilem, quietum et trementem sermonem Dei divinum affore numen, Deus per prophetam fuerit contestatus. » At Ecclesiæ doctores tantum abest ut vel una litura sancti Augustini de divina gratia doctrinam emendarint, ut veluti e sacratiori cortina datam eamdem venerantes, contra Semi-Pelagianos defenderint, ac Romana ipsa Ecclesia fidelibus sequen-

dam proposuerit. Quod si recentiores, tot retro sæculorum approbatione repudiata, eos se *Ecclesiæ doctores* dicant, quibus sua scripta examinanda permisit Augustinus, sæculi hujusce nostri tantorum hominum nutritoris felicitati adgratulandum erit, si Augustini tamen errores melius persuadere poterunt, quam hucusque fecere. At meliorem ipsis mentem, meliorem in Augustinum meum animum a superis precor, *ut prædicatio* SUMMI IN ECCLESIA VIRI (Prosperi verba sunt de antiquis Augustini calumniatoribus ad Rufinum scribentis), *etiam ab his, a quibus ad præsens revellitur, adjuvetur.*

## CAPUT V.

*Recentiores triginta quinque doctorum testimonia, nempe pontificum, cardinalium, episcoporum, aliorumque contra sanctum Augustinum producunt; quorum fides expenditur.*

Recentiores nonnulli, ne sancti Augustini auctoritatem alicubi deserentes, bonorum omnium indignationem subirent, in id consilii descenderunt, scriptorum omnium schedas sibi excutiendas esse, et si quid in illis minus honorifice de Augustino assertum sit, in publicum proferendum. Nam ubi eo stadio aliorum vestigiis se inhæsisse monstraverint, omnem facti invidiam se declinaturos existimarunt. Joannes Adamus ac Franciscus Annatus id magno studio ac ingenti labore exsecuti sunt : ille part. III Calvini destructi, cap. 7, p. 631 ; hic autem eo loci ubi erga Augustinum debuerat esse reverentior. Etenim Annatus, ut Jansenistarum jactantiam, qui totum sibi Augustinum vindicabant, compesceret, satis justum volumen procudit, quo Augustinum contra Jansenium stare demonstrare conatus, unius Augustini verbis contra adversarium loquitur, et sicuti venæ toti corpori inspersæ sunt, ita et illa toto eo opere oberrant resonantque. Quo vero Augustini se vindicem ac propugnatorem ostenderet, hunc titulum libro dedit : AUGUSTINUS A BAIANIS VINDICATUS, Jansenistas Baianos ignominiæ causa vocans, quod Michaelis Baii proscriptas a sede apostolica theses defendere dicebantur. Qua fide id septem prioribus libris præstiterit, viderint illi contra quos ibi decertat, a quorum causa procul sum. Octavus ejusdem voluminis liber totus contra Augustinum est ut alterum sane atque omnino oppositum priori titulum pescere videatur, siquidem postremo illo libro universa in sanctum Augustinum dicteria hinc inde magna industria ac labore collecta producit. Augustinum judicem, Annate, appellas, ad ejus tribunal cum Jansenianis litigas, illius sententiæ stare te dicis, cum nil nobis de tua fide metuentibus, Augustinum non suspectæ quidem fidei judicem pronuntias (hoc enim utcunque tolerari posset), sed ex judice reum facis, ac contra eumdem triginta et amplius testes producis, vociferans te nominare *præcipuos Ecclesiæ principes pastoresque celeberrimos, et doctores scientissimos sensuum ecclesiasticorum, minimeque suspectos*, lib. VIII, initio. Et ne paucorum contra Augustinum ea conspiratio censeatur, protestaris cap. 3 te advocasse testes *ex Gallia, ex Italia, ex Hispania, ex Germania* ; miror cur non etiam ex Japonia ! Cum Augustinum a Baianis vindicatum nobis ostensurum promittis, eumdem misere laceratum exhibes. Sane magnum illum ducem Hipponensem ab hostibus tua virtute defensum in Capitolio triumphantem cernere sperabamus, illi quidem lauream, tibi vero civicam coronam intexturi, cum repente ex defensore hostis acerrimus, a Jansenio in Augustinum aciem deflectis, ac innumeros tecum trahens eumdem oppugnas. Scire vellem quæ te ratio, Annate (si quæ in hisce ulla esse potest), ad longiorem hanc et acerbiorem censuram scribendam impulerit ? Respondes cap. 4, pag. 877 : « Hæc duxi proponenda, ut intelligamus non nimis inverecundos fore si qui forte non ita se faciles exhibeant in iis omnibus admittendis quæ videri cuipiam possint proposita fuisse ab Augustino. » Addis pag. 874 : « Quæ plerique non videntur satis advertisse, dum Molinæ audaciam exaggerant, indicantis aliquid lucis defuisse, Augustino in concilianda cum creata libertate divinorum decretorum et auxiliorum efficacia. » Ergone ut Molinæ *audaciam*, quam *exaggerant*, excusares, Augustinus, eximius ille Ecclesiæ doctor, tot errorum publice coram orbe catholico ingenti testium turba conducta accusandus fuerat? Et quidem Annatus nonnulla contra Augustinum testimonia producit quibus nec ipse integram fidem præstare dicit. Hinc sunt piæ illæ ejusdem voces initio cap. 3, pag. 864. *Refero tantum, non probo*; quæ repetit cap. 4, pag. 876 : *Quæ quidem ego refero, sed non probo ;* imo alicubi, dum pessime Augustino obloquentes producit, quasi sancti doctoris vices dolens, hæc publice initio cap. 3 contestatur : *Vellem et hoc, et alia quædam, quæ subjungam, mitius concepta;* et pag. 876, cap. 4, dicteria Pighii in Augustinum recitans, ait : *Omitto honoris causa, quod de Augustino subjungit*, et pag. insequenti : *Non referam quæ dixit lib.* VI, etc., *quod mihi videantur in sanctum doctorem acerbius quam vellem esse dicta.* Mirum hæc Annato in religionem venisse ! Ego quidem hujus scriptoris voces surda aure pertransire decreveram ; quis enim adeo erga superos irreligiosus esse potest, ut dicenti velle se contra Augustinum testimonium dicere, aures præbeat, ac non potius audax hominis consilium exsecratus, procul abire eum jubeat? Ne tamen Augustinus qualumcunque hominum testimoniis succumbere videatur, libeat eadem repetere ; etenim adversarii testimonia infirmare vel rejicere, boni advocati et bonæ causæ, præsertim cum plurimos contra Augustinum testes producit, qui Augustiniani nominis studiosissimi semper fuere. Initio autem eos testes nominat quibus judices ipsi assurgant, Cœlestinum papam, qui in epistola ad episcopos Galliæ, non universam, ut putat, Augustini doctrinam approbavit, sed certas tantum quasdam sententias de quibus nulla modo controversia est. Verum pluribus hæc suo inferius loco cap. 8 nobis examinanda sunt. Idem postea subnectit purpuratos Vaticani senatus Patres, nempe Baronium, Sadoletum, Bonaventuram, Caje-

tanum, Perronium et Valerium; de quibus sigillatim judicandum est.

§ I. *Baronii ac Sadoleti testimonia expensa. Ludovici Donii pro Sadoleto contra sanctum Augustinum dicta refelluntur.*

Igitur Annatus, lib. VIII, cap. 2, ait Baronium, postquam tomo V, ad annum 431, retulit illa verba Cœlestini in fine epistolæ ad Galliæ episcopos : *Profundiores autem*, etc., dicere : « His, inquam, profitetur profundiores quæstiones illas de prædestinatione sanctorum nequaquam ab apostolica sede definitas, illasque tantum esse stabilitas, quæ ad condemnationem errorum satis posse sufficere viderentur. » Quibus recitatis addit Annatus : « Hic ergo quæro quæ sint illæ auctorum quæstiones de prædestinatione, quarum liberam affirmandi aut negandi facultatem Cœlestinus facit, interprete Baronio. » Allucinatum puto hunc recentiorem, qui ea de Baronio publicat quæ ille nusquam asseruit. Etenim eruditissimus scriptor capita illa Cœlestini epistolæ annexa nequaquam Cœlestino ipsi ascripsit, sed Prosperi esse dixit, ita enim ibi ait : « Putantur illa capita esse Prosperi, qui, ut profiteri videtur, ea collegit ex decretis Romanorum pontificum, simulque conciliis Africanis, ubi idem auctor hæc habet in fine : *Profundiores vero difficilioresque partes*, etc. » Et tamen Annatus audet affirmare Baronium ita Cœlestini verba interpretatum, cum eadem Prospero attribuerit, imo nec citra dubium illius capitis hunc esse auctorem asserere ausus sit, *putari* tantum dixit. An vero Prosper et Baronius quæstionem illam de prædestinatione ad gloriam sine meritorum prævisione contra sanctum Augustinum resolvi possit citra reprehensionem affirmarint, iidem nos doceant. Sanctus Prosper, ad dub. 10 Genuensium, ait : Augustinus « pia tamen constantique doctrina abundanter probavit prædicandam esse Ecclesiæ prædestinationem, in qua est gratiæ præparatio, et gratiam in qua est prædestinationis effectus, et præscientia Dei qua ante sæcula æterna quibus esset collaturus sua dona præscivit, cujus prædicationis quisquis est impugnator, apertissimus est Pelagianæ elationis adjutor. » Baronius vero, tom. VI, ad annum 490, postquam dixit omnes Patres adversus Fausti scripta conspirasse, hæc addit : « Cum igitur Fausti sententiæ ubique ab Ecclesia fuerit contradictum, videant quanto periculo quidam ex recentioribus, dum in novatores insurgunt ut eos confutent, a sancti Augustini de prædestinatione sententia recedunt, cum alioqui arma non desint quibus adversarii profligentur. » Et tamen de sententia sancti doctoris de prædestinatione ad gloriam hæc Annatus tradit : « Quamvis Augustinus in contrarium propendeat, permittenda tamen erit hujus quæstionis determinatio liberæ disputantium electioni, quod censuit etiam cardinalis Baronius, » cap. 1, pag. 857. Si nobis nullus esset oculorum usus, ac ea tantum de Baronio crederemus quæ de eodem recentior ille publicat, Augustinus forte causa caderet, sed cum oppositum diserte, clarissime, citra ambages cardinalis pronuntiet, appellanda est hic Annati fides, qui vel in primo teste pronuncendo apertissime errat. Augustini salva res est, adversario initio causæ falsitatis convicto. In limine impegit Annatus; infaustum omen.

Alter testis purpuratus producitur Jacobus Sadoletus, qui lib. II in Epist. ad Rom., interpretans illa Pauli : *Quos præscivit*, etc., hæc ait referente Annato pag. 860 : « Ex altera quoque parte, et si ab ea stat doctor maximus, idemque gravissimus et sanctissimus vir (Augustinus), tamen durum admodum mihi videtur, quodque illabi non facile queat ad sensus nostros, si omnino a nobis nihil sit quod valeat ad obtinendam gratiam in pari conditione cunctorum, ita quosdam eligi ut cæteri in calamitate et damno destituantur, » etc. Verum ubi in Baronii testimonio recitando falsum Annatum vidimus, hic si non invidum, saltem negligentem liceat appellare, qui delatas a Sadoleto Augustino laudes decurtat, testis ipsius verbis haud fideliter repetitis. Hæc scribit Sadoletus : *Sed ex altera quoque parte, et si ab ea stat* DOCTOR OMNIUM MAXIMUS, *idemque gravissimus et sanctissimus vir*, etc. Vides verbi illius OMNIUM energiam, qua Sadoletus cæteris Ecclesiæ doctoribus Augustinum anteponit? At illud Annati calamo hæsit, quod sane casu, non consilio accidisse concederem, nisi adversarii in Augustinum animus in aliam me sententiam traheret. Enimvero, si diceres Suarium doctorem maximum, eumdemque gravissimum, libenter id audiretur. At si adderes esse illum OMNIUM maximum ac gravissimum, ingentem illi invidiam conflares, quasi Aquinate, Scoto, Alberto, cæterisque principibus scholasticis superiorem faceres. Sed ad Sadoletum veniamus.

Hic scriptor non solum contra Augustinum, sed et contra Annatum ipsum sententiam dicit. Annatus, cap. 1 et 2, tradit homines prædestinari sine meritis ad gratiam, *dicamusque*, inquit pag. 860, *ante prævisa merita homines ad gratiam prædestinari, post prævisum autem bonum usum gratiæ prædestinari ad gloriam*, etc. At Sadoletus aliquid meriti ad obtinendam gratiam exigit; fatetur enim durum sibi videri, *si omnino a nobis nihil sit quod valeat ad obtinendam* GRATIAM. Audin, *gratiam* dixit, non *gloriam*, quæ sane fuerat damnata Semi-Pelagianorum opinio, in quam Sadoletus minus caute impegit. At quoniam Sadoletus post editum Annati librum elegantem advocatum invenit, Ludovicum Donium tom. III Hist. de Cardinalibus, pag. 206, qui non mod[o] » Sadoletum defendit, verum etiam num. 110 sanctum Augustinum arguit quod hic « dum toto spiritus ac verborum ardore pro defensione divinæ gratiæ pugnat adversus Pelagianos liberum arbitrium cum injuria divinæ gratiæ extollentes, in alteram quasi foveam delabi videtur, minusque interdum tribuere, quam par sit, liberæ hominis voluntati. » Quam censuram ad verbum Donius exscripsit ex Sixto Senensi in præfat. lib. V Bibl. sanctæ; imo ex Juliano infensissimo illo Augustini hoste apud sanctum doctorem

lib. II de Nupt. et concup., cap. 3. Quare, ut hujus testis ab Annato conducti et a Donio defensi error aperiatur, ejusdem sententia de initiis fidei ac reliquarum virtutum nobis monstranda est : nam si ea in opinione eumdem ad Semi-Pelagianos accessisse monstrabimus, quis statim non intelliget nullius fidei ejusdem testimonium haberi, quippe qui cum Augustini hostibus conspiravit? Scripsit Jacobus Sadoletus Commentarios in Epistolam Pauli ad Romanos, ubi cum ab Augustini sententia de prædestinatione recedere vellet, ad Semi-Pelagianos misere declinavit. In illud Apostoli cap. VIII, vers. 29 : *Quoniam quos prænovit et prædefinivit*, etc., hæc scribit : « Sic illud addo, ne in eodem quidem facto intelligi a nobis ejus sapientiam, si nulla causa ac ratione discrimen faciente, alios improbet rejiciatque ad interitum, alios ad salutem et gratiam suam recipiat, cum isto agere modo atque operari casus potius quam consilii esse videatur. » Ita vult ex parte liberi arbitrii aliquid boni præcedere, ut gratia huic potius quam alteri donetur. Hæc plane Cassianus sentiebat, cujus de Deo verba sunt collat. 13, cap. 12 : « Ne penitus dormienti aut inerti otio dissoluto sua dona conferre videatur, occasiones quodammodo quærens quibus humanæ segnitiei corpore discusso non irrationalis munificentiæ suæ largitas videatur, dum eam sub colore cujusdam desiderii ac laboris impertit. » Affirmat tamen ibidem Sadoletus hæc initia bonæ voluntatis, quæ nos per nos ipsos ponimus, esse bona quædam imperfecta, nam concedit virtutem secundum sui perfectionem sine gratia haberi non posse. « Nihil enim, inquit, perfectum esse a nobis potest. Sed NOSTRA SUNT INITIA et cogitandi et volendi. Atque ita nostra, ut magnam quoque partem in illis obtineat Deus. Ipsum enim necessario propositum nobis habemus, cum ipsum volumus et cogitamus, ut sit ipse prius nostrarum cogitationum voluntatumque invitamentum, ad quem cum inclinaverimus, quod bonum propositum vocat Paulus, velle deinde et operari ex illo bono proposito PERFECTIUS a Deo nobis est, cum ipsius ope et subsidio ad recte agendum constanterque volendum et fulciamur et præmoveamur. » Hoc ipsum docebant Semi-Pelagiani, qui initia et boni tantum imperfecti inchoationem viribus liberi arbitrii deputabant. Audiatur idem Cassianus lib. XII de Instit. monach., cap. 14: « Sed plane constantissime non mea, sed seniorum sententia definio, PERFECTIONEM quidem sine his omnino capi non posse, his autem solis sine gratia Dei posse eam a nemine consummari. Ut enim dicimus conatus nostros apprehendere eam per se ipsos sine Dei adjutorio non posse, ita pronuntiamus laborantibus tantum ac desudantibus misericordiam Dei gratiamque conferri. » Quæ cap. 23 de Dono perseverantiæ sanctus Pater explodit. Idem Sadoletus in illa cap. IX, vers. 22 : *Si autem volens Deus ostendere iram*, etc., scribit : « A nobis aliqua initia bonæ voluntatis, ut præparari ad misericordiam apti simus, proficiscuntur. » Non dissentit a Cassiano lib. VI de Instit. monach., cap. 18, ubi ait : « Non omnibus una gratia Spiritus sancti tribuitur, sed ad quam se unusquisque studio vel industria sua dignum aptumque præbuerit. » Præterea Sadoletus in caput IX memoratum hæc habet : « Nam cum sub servitute peccati nati nos simus, neque nostra ope ex illo nostrisque viribus emergere atque ejicere nosmetipsos queamus, volumus quidem EX NOBIS etiam, et adnitimur, verumtamen ad consurgendum Dei ope indigemus, qui TENDENTES BRACHIA ad sese corpusque agitantes, ut evolvantur, misericordia sua adjuvat, ignavos vero et desides, neque quidquam agentes, quamobrem debeant sublevari, in ipso luto infixos, perditosque relinquit. » In quibus egregie concinit Fausto Semi-Pelagianorum coryphæo, lib. I de Gratia et libero arb., cap. 17 : « Et ita se, inquit, duo ista conjungunt, attrahentis virtus et obedientis affectus, quomodo si æger aliquis assurgere conetur, et facultas animum non sequatur, et propterea sibi porrigi dexteram deprecetur. » Addit : « Assistenti et vocanti Domino famulus MANUM fidei, qua attrahatur, EXTENDIT, etc. » At Sadoletus, ne positis initiis bonæ voluntatis ex viribus naturæ præter Dei auxilium, statuere videretur, gratiam perfectioris virtutis dari ex meritis, addit : « Sic nostrum credere simplex illud et inchoatum, quo ad obediendum Deo incipimus inclinari, non continuo mereri est, sed tunc meremur cum firmati in bona voluntate ab ipso Deo, etc. » Hoc pariter Semi-Pelagiani tradebant, quorum princeps, collat. 13, cap. 13. ait : « Dum eam (gratiam) sub colore cujusdam desiderii et laboris impartit, et nihilominus gratia Dei GRATUITA perseveret, dum exiguis quibusdam parvisque conatibus tantam immortalitatis gloriam, tanta perennis beatitudinis dona inæstimabili tribuit largitate. » Irrisit hoc subterfugium Augustinus lib. de Prædestinatione sanctorum, cap. 2 : « Quis autem, inquit, dicat eum qui jam cœpit credere, ab illo in quem credidit nihil mereri? Unde fit ut jam merenti cætera dicantur addi retributione divina, ac per hoc gratiam Dei secundum merita nostra dari. » Vide eumdem lib. IV ad Bonifacium, cap. 6. Ex his patet Sadoletum, dum imprudenter ab Augustini sententia deflectit, Semi-Pelagianis adhæsisse, qui initia quædam fidei ac bonæ voluntatis in nobis ex nobis asserebant, quos Arausicana synodus II hoc canone 5 damnavit : « Si quis sicut augmentum, ita etiam INITIUM fidei, ipsumque CREDULITATIS AFFECTUM, quo in eum credimus, qui justificat impium, et ad regenerationem baptismatis pervenimus, non per gratiæ donum, id est per inspirationem Spiritus sancti corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, sed NATURALITER nobis inesse dicit, apostolicis dogmatibus adversarius approbatur, » etc.

Hic vero nobis res erit cum Donio, qui num. 106 scribit : « Verum quis tantum virum tamque orthodoxum Semi-Pelagianismi laqueis irretitum credat, aut volentem aut imprudentem? » Miror hunc scriptorem adeo perfunctorie epistolas ipsas Sadoleti le-

gisse, ut non inde intellexerit Sadoletum ob eam sententiam de initiis virtutum, quam suis in Paulum Commentariis inseruerat, a doctissimo ac sapientissimo cardinale Gaspare Contareno per litteras reprehensum fuisse. Hæc enim rescribit Sadoletus lib. IX, epist. 9 : « Quod autem parcior fui in præveniente Dei gratia explicanda, quam par esset, agnosco eum errorem, cum tibi ita videatur. » Rursus tamen ibidem repetit : « Pelagianum esse non puto si in initiis aliquid retineamus, quod sit nostrum. » Conquestus amice fuerat Contarenus quod non satis pro dignitate de Augustini sententia in eisdem interpretationibus locutus fuerat : videbat enim Contarenus eam opinionem de initiis virtutum ex solis viribus arbitrii in Pelagii reliquiis ab Augustino solidissime expugnatam fuisse. Illi vero in epistola 10, anno insequenti data, hæc Sadoletus reposuit : « Cum scripsissem ad Paulum me quadam in re leviter a te dissidere, isque mihi dixerit cupere te scire ubi et qua de re sit dissensio, primum tibi prædico me in illa de libero arbitrio sententia non omnino assentiri Augustino, qui libertatem nostræ voluntatis PERSPICUE aufert; dumque Dei gloriam maxime complecti vult, videtur mihi illi derogare aliquid potius quam quod videatur tribuere. Hæc, si essemus una, librosque in manibus haberemus, facile me tibi probaturum confiderem. » Hæc si Annatus legisset, dubio procul inter nobiliora contra sanctum doctorem testimonia recensuisset. Sed nec Donius commentarios Sadoleti legit; nam si eosdem vel leviter inspexisset, profecto intellexisset semet operam perdere dum Sadoletum ab errore conatur vindicare, quasi ille hoc tantum voluerit, « ut in initiis ex spiritu gratiæ operantis factis aliquid nostrum reperiatur, quia anima vel ejus potentiæ influunt physice in actus vitales supernaturales. » At Sadoletus durius loquitur quam ut eo pacto emolliri possit : etenim loco superius laudato Pauli Rom. VIII, ut universam quæstionem tolleret, seque ob initia virtutum naturaliter posita a quacunque erroris suspicione liberaret, scribit quod « cum Deus duplic'ter causa bonarum rerum sit, vel ut effector et ipse agens, vel ut finis resque desiderata, » priori modo ait Deum movere ad actus nobiliores et perfectos virtutum fidei, amoris Dei, religionis, etc.; postea vero addit : « Verum qua Deus finalis rerum causa est, et ad eum ut ad summum bonum mentes nostræ moventur, nostra hactenus voluntas, et cogitatio, et prima illa atque inchoata actionum nostrarum consilia ex Deo quoque sunt. » Rationem assignat : « Non enim tunc ut movens et impellens auctor ipse est et principium universum nostræ voluntatis, sed ut appetitus et desideratus : magnum quidem tum quoque momentum afferens ad inclinandum nos atque alliciendum. » Non ergo primi illi boni motus in Deum ex Sadoleto fiunt *ex spiritu gratiæ operantis*, ut Donius dicebat, neque enim Deus tunc movet *ut effector et ipse agens*, qua ratione semper movet per spiritum gratiæ operantis : unde sunt illa Arausicanæ synodi can. 9 : *Quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum, ut operemur, operatur.* Neque Semi-Pelagiani negabant ad initia illa bonorum operum Deum movere in ratione finis, Deus enim erat objectum apprehensum sub ratione veri et boni, cui inchoative credebant, quod desiderabant, quod petebant. Ideo vero damnati sunt quia non satis est Deum movere tantum ut objectum, sed movere debet tanquam agens ad hoc ut credamus et velimus per infusionem sancti Spiritus, ex eodem Arausicano can. 6, et can. 5, ubi statuitur *initium fidei, ipsumque credulitatis affectum* fieri in nobis *per gratiæ donum, id est per inspirationem Spiritus sancti.* Aliunde etiam Donius Sadoleti errorem intelligere poterat, dum idem hæc de Augustino scribit : *Libertatem nostræ voluntatis perspicue aufert.* Sunt hæ putidæ Semi-Pelagianorum tum veterum tum recentiorum voces. De primis scribit sanctus Prosper ad Rufinum : « Scripta ejus (nempe Augustini) quibus error Pelagianorum impugnatur infamant, dicentes eum liberum arbitrium penitus submovere. » Easdem tibias contra Augustinum inflarunt Arminiani, nova Semi-Pelagianorum progenies, quorum unus Hug. Grotius, lib. XVII Histor. Belgicæ, ait : « Primus omnium Augustinus, ex quo ipsi cum Pelagio et eum secutis certamen (nam ante aliter et ipse senserat) acer disputandi ita libertatis vocem relinquere, ut ei decreta quædam Dei præponeret, quæ vim ipsam destruere viderentur. » Quis igitur posthac Sadoletum eo in errore cum Semi-Pelagianis, incaute quidem et inscienter, negabit conspirasse, dum illorum convicia in Augustinum jactat? Donius num. 108, quod in calce litterarum, ut putat, Cœlestini legitur, *Profundiores vero*, etc., *magnopere animadvertendum* dicit. Verum et id quod cap. 3 asseritur *magnopere animadvertendum* illi fuerat, ubi de Semi-Pelagianis contra Augustinum scribentibus, hæc recitantur : « Cum Pelagium atque Cœlestium anathematizare non dubitent, magistris tamen nostris TANQUAM NECESSARIUM MODUM EXCESSERINT, OBLOQUUNTUR. » Quæ quidem si *magnopere animadvertisset*, haud equidem pronuntiasset quod Augustinus *in alteram quasi foveam delabi videtur, minusque interdum tribuere quam par sit liberæ hominis voluntati*, num. 110. Ex hucusque fusius probatis evidenter constat Jacobum Sadoletum cum Semi-Pelagianis contra Augustinum incaute sensisse, et reapse *in extremam et remotissimam sententiam contentione disputandi, magis quam considerata et quieta ratione adductum* se contulisse, quæ verba ita ille merito audire debet, uti injuste eadem epistola 10 ad laudatum Contarenum contra sanctum doctorem illemet usurpavit. Interim Annatus videat qualem contra Augustinum testem appellaverit, nempe scriptorem qui contra eumdem cum Semi-Pelagianis quod initia virtutum attinet, conspiraverit; et tamen promiserat initio statim libri octavi se in judicium contra Augustinum conducturum testes *minime su-*

*spectos.* Hactenus de Sadoleto, cujus quidem erratum libentius siluissem, sed Annati et Donii ex Sadoleti verbis instituta contra sanctum Patrem accusatio invito penitus ac reluctanti hucusque dicta extorserunt.

§ II. *Sancti Bonaventuræ et Cajetani dicta examinantur.*

Tertium testem opponit sanctum Bonaventuram in 2 Sententiarum, dist. 33, quæst. 2, art. 3, dicentem : « Ad illud quod primo objicitur in contrarium de verbis Augustini, dicendum quod Augustinus in verbis illis non intendit dicere quod parvuli sensibiliter crucientur, sed intendit eorum pœnam manifestare quantum ad carentiam visionis Dei, et quantum etiam ad utilitatem loci, et hoc valde abundanter exprimit, plus dicens, et minus volens intelligi. » Verum negotium nobis non facessit Bonaventuræ contra Augustinum testimonium, nam eo loci loquitur de libro de Fide ad Petrum diaconum, cap. 27, ubi legimus pueros decedentes sine baptismo *ignis æterni sempiterno supplicio puniendos;* qui liber est Fulgentii, non Augustini. Quare, si communi illius sæculi opinione ductus Seraphicus doctor Augustini illa verba esse putavit, cum alterius sint, ejus testimonio non perstamus, non enim illius dictum apud judices quidquam ponderis habet, quo per deceptionem de quopiam aliquid affirmatur quod non ab illo, sed ab altero assertum constat. Hinc sancti Doctoris modestia elucet, qui Augustini sententiam, ut putabat, haud severiori censura perstrinxit, sed leni interpretatione mitigavit. At Annatus gravi supercilio eamdem in sententiam tonat lib. VIII, cap. 1 : *Negamus crudelem consequentiam.* Rursus eo dicto Augustinus *plus dixit minus volens intelligi*, semel Bonaventura usus est, et ea in sententia, quæ a latere contra Pelagianam hæresim tradita est. Verum Annatus, pag. 893, laudata sancti Bonaventuræ moderatione abutitur ad mitigandas Augustini sententias in quæstione de efficacia divinæ gratiæ ; hæc enim scribit : « Et si quis instet Augustinum aliis locis id exprimere, quis non videt, si hoc esset, nihil aliud secuturum quam ut dicit sanctus Bonaventura, illis locis Augustinum plus dicere, iis autem quæ sunt a nobis allata, minus velle ? » An vero illa in sententia de pœnis parvulorum fuerit Augustinus, nihil ad rem præsentem facit ? nam de libro de Fide ad Petrum locutus est Bonaventura, cujus verba, quam parum adversarios juvent, abunde superius diximus cap. 3, § 1.

Audiamus quartum cardinalem Cajetanum, qui sic loquitur part. I, quæst. 70, art. 3 : « Sustinent autem verba hanc glossam, quia quando contra Averroem erat sermo, fas erat declinare in oppositum, ut Augustinus contra Pelagianos facit. » — « Hoc est, ait Annatus pag. 862, excedere lineam necessariæ veritatis : ut sit nimia quædam severitas et iniqua vexatio, quæ medium illud, in quo veritas sedet, transgredi jubet, si præeat Augustinus. » At medium se tenere clamat Augustinus, atque hoc primus mortalium docuit lib. IV contra duas epistolas Pelag., cap. 3, ad Bonifacium papam, hæc scribens : « Ista nefaria et damnabilia dogmata in hac tripartita divisione quisquis mente catholica exhorret, illius quinquepartitæ latebras insidiasque devitet, atque ita inter utrumque sit cautus, ut sic declinet Manichæum, ne se inclinet in Pelagium, rursusque ita se sejungat a Pelagianis, ne se conjungat Manichæis, aut si in alterutris jam tenetur, nec sic se a quibuslibet alteris servet, ut in alteros irruat. » Quis igitur Cajetano in hoc credat, ac non potius Augustino coram apostolica sede hoc protestanti ? Sed dices impetu disputationis Augustinum extra sibimet statutos a se limites excurrere, hoc est extra *lineam necessariæ veritatis,* ut loquitur testium conductor. Miror Annatum, qui capita epistolæ Cœlestini ad Gallos annexa, ipsius Cœlestini esse putat, imo, quæ est hominis diligentia atque eruditio, ne dubitavit quidem hanc crambem iterum recoxisse. Vetus illa fuit calumnia a Semi-Pelagianis Augustino opposita, unde eosdem falsarios oblocutores pontifex rejecit, ut § superiori diximus, cujus sane verba, cum illi accusationem repetant, pro defensione nobis etiam repetenda sunt; hæc enim scribit : « Quia nonnulli, qui catholico nomine gloriantur, in damnatis autem hæreticorum sensibus, seu pravitate, sive imperitia demorantur, piissimis disputatoribus obviare præsumunt, et cum Pelagium atque Cœlestium anathematizare non dubitent, magistris tamen nostris, tanquam necessarium modum excesserint, obloquuntur. » Sed Annatus, qui solam appendicem epistolæ, *Profundiores vero,* etc., ante oculos habuit, hæc in anteriori pagina legere non valuit, vel legere ac negligere idem fuit. Igitur Augustinus, Cœlestino judice, vel si negatis, saltem teste, lineam necessariæ veritatis non excessit. Quis autem unius Cajetani testimonium sancti Cœlestini papæ contestationi præponendum ducat ?

§ III. *Cardinales Perronius, Valerius ac sanctus Carolus Borromæus minus recte contra sanctum Augustinum adducti.*

Sequitur quintus accersitus ex Gallia Perronius et purpura, et erectis ex continuo cum hæreticis bello trophæis clarissimus, cujus sunt hæc verba, inquit Annatus : « Sat monui in quarta mearum observationum nos admodum distinguere proprias sancti Augustini opiniones, dum loquitur ut privatus doctor, et ejusdem narrationes, quibus loquitur, ut testis usus communis Ecclesiæ, vel ea dicit quæ doctorum ætatis suæ communi consensui conformia sunt ; ab unis siquidem argumentari nos tantum probabiliter, ab aliis demonstrative. » Bene ille quidem ac digne de Augustino sensit ; quis enim privatas Augustini sententias in sacræ, v. g., paginæ explicatione intra fidei canones refert ? At hic controvertitur quid de Augustini auctoritate Perronius sentiat in quæstione de prædestinatione et gratia. Nam de Augustini auctoritate in iis quæ ad divinam circa homines providentiam spectant, testimonia te producturum in ipso titulo libri octavi spoponderas. Liceat mihi Augustini huc verba inflectere : *Ingre-*

*dere*, Perroni, *ingredere et conside cum fratribus tuis, a quibus nulla ratio, nulla tentatio te separavit, opus est tua, et maxime tua sententia*, lib. I contra Jul., cap. 6. Arrige, Annate, aures, Perronius suum de Augustino testimonium profert : *Augustinus, maximus post apostolos prædestinationis doctor, imo* os *et* LINGUA VETERIS ECCLESIÆ, *quantum ad illam de gratia doctrinam*, lib. I Resp. ad regem Angliæ, cap. 12. *Quid te igitur*, addit Augustinus, *adjuvit quod* Perronii, *tanquam tibi suffragaretur, testimonium, posuisti?* Vis scire an suam de prædestinatione sententiam docuerit Augustinus, *ut privatus doctor*, an *ut testis usus communis Ecclesiæ?* Audi ipsummet hæc dicentem lib. de Dono persev., cap. 23, in fine : « Ac per hoc prædestinationis hujus fidem, quæ contra novos hæreticos nova sollicitudine nunc defenditur, nunquam Ecclesia Christi non habuit. » Non igitur ea in re locutus est Augustinus ut privatus doctor, sed, ut tradit Perronius, ut *os et lingua veteris Ecclesiæ*. Quare quis non indignetur Annato, qui eos contra Augustinum testes nominat qui sancti doctoris sententias ad cœlum usque laudibus efferunt?

Itane sextum contra Augustinum testem dabit Verona nostra Augustinum, ut ais, *recentiorem* Valerium Venetum cardinalem? Hic lib. III Rhetor. Eccles., cap. 42, horum clericos monet : « Beati Augustini scripta clerici caute admodum legant. Ita enim acumine ingenii præstitit, et de rebus difficilibus tam subtiliter disputavit, ut non mediocri ingenio præditi viri ejus libros legentes in errores aliquando lapsi sint. » Hoc egregium scholion affingit Annatus pag. 863 : « Et hoc quid aliud est quam id ipsum quod monentem audivimus Bonaventuram, Augustinum plus dicere aliquando, et minus velle intelligi. » O præclarum nostri commentatoris commentum! Cardinalis Valerius nonnullos Augustinensium librorum lectores lapsos in errores scribit, quod subtilissimum Augustini sensum minime assecuti sunt. Annatus ex Valerio inde lapsos dicit, quod Augustinus disputans plus quandoque verbis excurrit, quod non est de difficilibus *tam subtiliter*, ut ait Valerius, sed *tam incaute*, ut interpres contendit, disputasse. O superi mites animos! Magnus ille patriæ meæ antistes Augustiniani ingenii acumen atque in disputando subtilitatem, quam perique, licet nobili ingenio præditi, assequi nequivere, commendat; Annatus inde contra Augustinum excessuum accusationem struit, ac testem contra sanctum doctorem illum se dare fingit, qui est ejusdem Augustini eximius laudator. Eos sane de quibus Valerius loquitur in errores lapsos fuisse, Augustinine an ipsorum qui Augustinum non intellexerunt, culpa est? Quis autem nesciat plurimos profundos quorumdam sacræ paginæ verborum sensus non assequentes in hæreses ruisse? Itane in sacri eloquii auctorem Spiritum sanctum culpam devolvemus, an non in ipsorum potius petulantiam, qui ultra ingenii vires sese evehere conati sunt! Hinc erudite Facundus, Hermianensis episcopus, qui pro tribus Capitulis sub Justiniano scripsit, in libro contra Mocianum ait : « Quid autem, inquit, in hoc miremur, neque enim melius loqui potuit Augustinus quam prophetæ, quam apostoli et evangelistæ, quorum mentibus similiter male intellectis et incongrue adhibitis, tam multi suos defendere conantur errores. »

Notat ibidem Annatus sanctum Carolum Borromæum Valerium ad illud opus scribendum excitasse, idemque absolutum approbasse, unde uti Valerius, ita et sanctus Carolus contra Augustinum stare Annato visus est : « Ut ideo, inquit, videri possit ac debeat unum hoc testimonium esse duorum virtute ac sanctitate eminentissimorum cardinalium. » Ita contrarium sancto doctori sanctum Carolum facit, qui id ne somniavit quidem. At cum Valerius pro Augustino loquatur, suppar illi Borromæus addendus est. Sed age, ipsius sancti Caroli de Augustino testimonium proferamus. Ille in epistola ad civitatem Mediolanensem ait : « Nemo est qui ignoret quantum utilitatis et fructus attulerit Ecclesiæ Dei magnus illius doctor Augustinus. Exstinxit in Africa Manichæos, expulit Donatistas, in nihilum Pelagianos hæreticos redegit, Fortunatum hæresiarcham confutavit, et, ut universa paucis complectar, omnia venena adversus orthodoxæ religionis puritatem a dæmone eructata sustulit. Hinc factum est ut ex illius doctrina, et a Patribus eumdem subsecutis, et a synodis, a theologis ac catholicis academiis tot Ecclesiæ dogmata fulcimentum et robur acceperint. » Et hæc quidem fuit sanctissimi Mediolanensis antistitis de sancto Augustino sententia.

### § IV. *Falli eos qui sanctum Augustinum interdum iniquiorem libero arbitrio fuisse calumniantur.*

Post purpuratos testes ingentem aliorum scriptorum catervam contra sanctum Augustinum trahunt, quos sigillatim repetere non vacat, eos vero ad certas veluti classes redigam, si qui plures in eamdem de Augustino opinionem coierint. Et primo loco opponunt Annatus libro VIII, Adamus part. III Cal. destr., cap. 7, et Decampsius libro III Hæres. Jansen., disput. 1, cap. 3, Genebrardum Aquensem antistitem, in epistola præfixa operibus Origenis, Albertum Pighium lib. III de Libero Arbit., et Sixtum Senensem in præfat. lib. V Bibliothecæ, dicentes Augustinum interdum libero arbitrio fuisse iniquiorem. Vetus ea quidem ac rancida Pelagianorum et Semi-Pelagianorum calumnia est. Julianus, lib. I Operis imperf., cap. 54, scribit contra Augustinum : « Liberum arbitrium in natura hominis perseverat, quod ut tu cum Manichæis negas, ita nos cum apostolis et omnibus catholicis confitemur. » De Semi-Pelagianis patet ex epistola Prosperi ad Rufinum, cujus verba data sunt § 1. Quanta autem veritate hanc a se calumniam Augustinus propulsavit, illos solum nescire arbitror qui sancti doctoris libros nec a limite salutaverint. Totus liber de Gratia et libero arbitrio pro humana libertate decertat; initio statim hæc scribit : « Quoniam sunt quidam qui sic gratiam Dei defendunt ut negent hominis liberum arbitrium,

aut quando gratia defenditur, negari existiment liberum arbitrium, hinc aliquid scribere ad vestram charitatem, Valentine frater, et cæteri qui simul Deo servitis, compellente mutua charitate, curavi. »

Genebrardus ait : *Augustinus fuit iniquior interdum libero arbitrio.* Sixtus Senensis, pag. 875, testatur sanctum doctorem *minus interdum tribuere quam par sit liberæ hominis voluntati.* Ili quidem INTERDUM libero arbitrio minus æquum sanctum doctorem fuisse affirmant. At Decampsius proxime nominatus de iisdem scribit : *Sanctum Augustinum* PERSÆPE *libero arbitrio minus æquum fuisse affirmant.* Neque hic fideliter testium dicta exhibent. Imo nec Sixto Senensi Augustinus indignaretur, qui aperte hæc habet lib. de Gratia Christi, cap. 47 : « Sed quia ista quæstio, ubi de arbitrio voluntatis et Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur, quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri. » Cum vero Julianus objecisset Augustino dicere ipsum liberum arbitrium Dei gratiam commendando negari, respondet lib. IV contra eumdem, cap. 8 : *Non dixi negari arbitrium liberum, vel auferri, sed dixi, ut putetur auferri.* Albertus Pighius ineptissimus sancti doctoris censor est, nam libro III de Libero Arbitrio hæc in sanctum Augustinum effutire non extimuit : « Libero arbitrio alicubi videtur iniquior, etiam parum illi, quam potest, tribuit : ejus facultatem vel extenuat, vel dissimulat, vel eludit; certe omnibus viribus dejicit. » Quis autem impudentis hominis testimonio credat, cum sanctus Hormisdas papa in epistola ad Possessorem scribat : « De arbitrio tamen libero et gratia Dei quid Romana, hoc est catholica sequatur et servet Ecclesia, licet in variis libris B. Augustini, et maxime ad Prosperum et Hilarium abunde possit cognosci, » etc. Itaque Augustini doctrina de libero arbitrio doctrina Ecclesiæ est. Non igitur iniquus est Augustinus libero arbitrio, non illud elidit, non extenuat, non suffocat; nam pessimum alioqui Ecclesia magistrum sequeretur. Quis etiam non spernat ineptum Pighii consilium, quo monet ad veram de libero arbitrio doctrinam percipiendam legendos esse potius libros sancti doctoris ad catholicos datos, quam reliquos contra Pelagianos scriptos? Stulte quasi diversa in alterutris via abierit. Irrisit hoc Massiliensium effugium, quo sancti doctoris libros universos recipere recusabant, sanctus Prosper in fine libri contra Collatorem : « Maneat, inquiens, plane maneat ista conditio, ut horum librorum novitas repudiata videatur si in eadem causa ejusdem viri dissentit antiquitas, et ut inutile aut incongruum judicetur, quod ab his quæ contra Pelagianos condidit, dissonans invenitur. »

Porro, si quæramus undenam iidem scriptores moti sint ad Augustinum tanta calumnia onerandum, respondet Decampsius citatus quod Augustinus dixit peccato Adæ *amissum ac perditum liberum arbitrium;* quod in Enchiridio, cap. 30, his expressit : *Libero arbitrio male utens homo, et se perdidit et ipsum.* At eadem ferula vapulabunt synodi ac pontifices, qui iisdem verbis sanctissimi magistri sensum definiere. Sanctus Gelasius papa, in epistola ad episcopos per Picenum, ait : « Dicunt quod homo per liberum arbitrium, quod corrupit, fœdavit ac PERDIDIT, bono suffragante naturæ beatus efficiatur. » Concilium etiam Arausicanum, can. 13, hæc definit : « Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, nisi per gratiam baptismi non potest reparari, quod AMISSUM, nisi a quo potuit dari, non potest reddi. » Quis enim neget Adamum amisisse potestatem bene ac meritorie operandi ob peccatum commissum? Sane hæc est sancti Innocentii definitio in epistola ad Patres Carthaginenses : « Liberum enim arbitrium, inquit, ille perpessus, dum suis inconsultius utitur bonis, cadens in prævaricationis profunda demersus est, et nihil quemadmodum exinde exsurgere posset invenit, suaque in æternum libertate deceptus hujus ruina jacuisset oppressus, nisi eum post Christi pro sua gratia relevasset adventus. » Audiatur interim sui interpres Augustinus, apud apostolicam sedem sua dicta exponens : « Peccato Adæ arbitrium liberum de hominum natura periisse non dicimus, sed ad peccandum valere in hominibus subditis diabolo, ad bene autem pieque vivendum non valere, nisi ipsa voluntas hominis Dei gratia fuerit liberata, et ad omne bonum actionis, sermonis, cogitationis adjuta (*Lib.* II *ad Bonif.*, *cap.* 5, *et lib.* I, *cap.* 2).

§ V. *Falli item eos qui dicunt sanctum Augustinum contra Arium ad Sabellium, et contra Sabellium ad Arium declinasse.*

Duos alios testes contra Augustinum vel nolentes trahit Annatus, Cornelium Mussum episcopum Bituntinum, pag. 865, et magnum theologum Joannem Scotum, pag. 872. Ille quidem in cap. 5 epistolæ ad Romanos ait : « Non ergo vos moveat Augustinus vel tantillum. Hoc est enim illi peculiare ut cum aliquem expugnat errorem, tanta vehementia illum exaggeret, ut alteri opposito causam præbere videatur. Ita, cum Arium insectatur, videtur favere Sabellio, cum Sabellium Ario, cum Pelagium Manichæis, cum Manichæos Pelagio. » Iste vero in 2, dist. 33, quæst. 2, ad 1, scribit : « Et ita multum ponderandum est, contra quos hæreticos sancti sunt locuti, sicut Augustinus contra Arium videtur quasi declinare ad Sabellium, et e converso; similiter videtur contra Pelagium declinare ad Arium. » Recte corrigit Annatus dicendum forte *Manichæum.* Hæc quidem ille.

At enim modeste loquitur Mussus; ait enim Augustinum contra Arium disputantem *videri* Sabellio favere; mitius Subtilis hoc ipsum expressit, addidit enim *quasi videtur.* Quod non ob ineptam Augustini methodum, sed ob mysterii difficultatem, ac lectorum quorumdam minus perspicax ingenium dixere, quæ libenter, uti notavimus, concedit Augustinus, et tamen Annatus ait eadem pagina 872 : « Quo factum sit quemadmodum antea ex aliis referebamus,

ut Augustinus declinarit in oppositum ; » cum tamen illi visum fuisse, vel quasi visum fuisse declinare scribant. At quod recentiores inde velint convincere sanctum Augustinum contra Arium disputantem ad Sabellium declinasse, patens calumnia est ; nunquam enim contra Arium disputans, atque unitatem essentiæ astruens, visus est personas in unum confundere, ut favere Sabellio dicendus sit. Augustini dictum vel unum producant, et causam integram illis cedimus. Imo nullus mortalium adeo exacte mediam inter Arium et Sabellium viam tenuit ut Augustinus, qui media ipsius viæ linea incessit. Unum et alterum testimonium proferam, quo adversarii falsitatis penitus convincantur.

Sanctus doctor, tract. 37 in Joannem, ita Hipponenses suos alloquebatur : « In errore Sabellianorum unus est solus ipse Pater qui Filius. In errore Arianorum, alius est quidem Pater, alius Filius, sed ipse Filius non solum alius, sed etiam aliud. Tu IN MEDIO quid? Exclusisti Sabellianum, exclude et Arianum. Pater Pater est, Filius Filius est, alius, non aliud, quia *Ego et Pater*, inquit, *unum sumus*, sicut etiam hesterno die, quantum potui commendavi. Cum audit *sumus*, abscedat confusus Sabellianus, cum audit *unum*, abscedat confusus Arianus. Gubernet catholicus INTER UTRUMQUE fidei suæ navigium, quoniam cavendum est in utroque naufragium. » Quid eruditius, quid subtilius, quid verius dici potuit? Passim hoc populo inculcabat, quo regia inter Sabellium et Arium via procederet. Omnino audiendus est iterum Augustinus tractatu 71 in Joannem, ubi elegantissime ita hæreticos confutat : « Contraria dicitis, sed non eodem modo sicut est falsum contrarium vero, sed sicut sunt inter se duo falsa contraria. Errando in diversa itis, IN MEDIO est via quam relinquitis. Inter vos ipsos longiore intervallo separati estis quam ab ipsa via, cujus desertores estis. Vos hinc, vos autem illinc huc venite, alteri ad alteros transire nolite, sed hinc atque illinc ad nos veniendo, invicem vos invenite. Sabelliani, agnoscite quem prætermittitis ; Ariani, æquate quem subditis, et in via vera nobiscum ambulabitis : est enim quod invicem ex vobis alteri ex alteris admoneri utique debeatis. Audi, Sabelliane : Usque adeo non ipse Pater, sed alter est Filius, ut eum Arianus inæqualem asserat Patri. Audi, Ariane : Usque adeo Filius æqualis est Patri, ut Sabellianus eumdem esse dicat et Patrem. Tu adde quem tollis, tu adimple quem minuis, et nobiscum ambo consistitis, quia nec tu tollis, nec tu minuis eum qui et alter est a Patre, ut convincas Sabellianum, et æqualis est Patri, ut convincas Arianum. Utrisque enim clamat : *Ego et Pater unum sumus*. Quod ait *unum*, audiant Ariani ; quod ait *sumus*, audiant Sabelliani, et nec illi æqualem, nec illi alterum negando sint vani. » Itane, si superis placet, qui non modo regia via semper incessit, sed qui eamdem posteris non dicam digito monstravit, sed pedibus fecit extra orbitas excurrisse, et ad extrema declinasse dicetur? Ego quidem prius credam reapse solis currum ductante Phaetonte extra ecliptican præcipitem actum, quam illis Augustini excessibus præstem fidem

### § VI. *Expenduntur illorum testimonia, qui sanctum Augustinum novitatis accusant.*

Isti quidem tres præsules sunt quorum auctoritatem ac doctrinam Annatus satis exaggerat : nempe Claudius Xaintes in lib. Atheismi Cal., tit. de Prædestinatione; Ambrosius Catharinus, in libello itidem de Prædestinatione; Hieronymus Osorius, lib. IX de Justitia, qui sancti Augustini doctrinam de prædestinatione et reprobatione novitatis accusant, quasi senserit contra sententiam omnium Patrum qui eumdem præcesserunt. Vetus sane contra sanctum Augustinum Semi-Pelagianorum cantilena est, ut ex literis Prosperi patet, cui sanctus doctor hæc reponit lib. de Prædestinatione sanctorum, cap. 14 : « Quid igitur opus est ut eorum scrutemur opuscula qui, priusquam ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quæstione versari, quod procul dubio facerent, si respondere talibus cogerentur. » Sed hac de re pluribus alibi dictum est. Sane Clemens VIII, in disputationibus de Auxiliis Molinæ, sententiam ad Augustiniani dogmatis de prædestinatione amussim exegit, et Faustus Reiorum episcopus inde præcipue rejectus est, quod sancti doctoris de prædestinatione sententiam impugnavit, quam Patres Augustinum subsecuti, Prosper, Fulgentius, Cæsarius atque Africani episcopi in Sardinia exsules, itemque monachi Scythæ, Rhemigius, Prudentius aliique propugnarunt, quibus sanctus Thomas cum meliori scholasticorum parte consensit.

Illud tamen notandum venit, horum trium episcoporum contra Augustinum testimonia recentioribus ipsis non exacte probari. Moraines, disput. 9, num. 57, cum hæc parum honorifica de sancto doctore Claudii Xaintes verba recitasset : « Pro resolutione fidei meæ, quam Ecclesiæ catholicæ judicio submitto, censeo D. Augustinum nimio contra Pelagianos ardore incensum nimis præcipitanter sententiam et consensum prædecessorum suorum contempsisse, » hanc ipsam censuram improbans ait : « Hucusque episcopus Ebroicensis, qui, ut opinor, et pace illius dictum volo, consultius fecisset, tantique doctoris auctoritati convenientius, si semper et constanter quæcunque dixit Augustinus, in sensum illum commodum exposuisset, et non tantam in opinando inconstantiam ei tribuisset. » Dixerat enim Sanctesius Augustinum varium ea in sententia fuisse. Ambrosius Catharinus, in libro de Præscientia et prædestinatione, adeo adversus sanctum Augustinum procax est, ut bilem moverit vel ipsi Vasquio, unde his Catharinum increpat part. I, disp. 90, num. 11 : « Contra Augustinum parum modeste loquitur Catharinus, et in illius sententiam suo modo explicatam maledictis procaciter fertur, etc. At in hoc turpissime certe Catharinus lapsus est, tum quod non intelligens mentem Augustini ipsum impudenter impugnat et reprobat, tum quod ipse Augustinus contra

Massilienses et alios a Cœlestino I in epistola prima ad episcopos Galliæ honorifice defenditur. » Et ibi recitato Cœlestini elogio addit, « hoc Cœlestini testimonium sufficere ut os ipsi Catharino obstrueretur. » Accedant ex Hispania duo Dominicanæ familiæ nobilissimi doctores, qui hominis in Augustino impugnando licentiam castigant. Dominicus Soto, in cap. IX Epist. ad Romanos : « Non potuit (inquit de Catharino) hic reverendus Pater citra temeritatis notam non solum Augustinum, verum sanctos omnes nova inauditaque sua commentatione contemnere. » Et Bannez, part. I, quæst. 23, art 7, prope initium, de Catharino ita loquitur : « Edidit tres libellos de Prædestinatione, in quibus nihil est eruditionis, sed plurimum erroris. » Quis vero quantusve fuerit iste sancti Augustini reprehensor, et unde emerserit, tradit Soto in Apologia de certitudine gratiæ, initio his ipsum Catharinum alloquens : « Jam ætate provectus ex jurisconsulto (trigesimum ætatis annum natus Florentiæ Dominicanæ familiæ nomen dedit) theologus derepente prodiisti, simul et audire cœpisti in scholis, et contra egregios scholarum doctores scribere. » Tantæ auctoritatis apud suos habet Catharinus! Cæterum non possum non indignari Annato, hanc glossam pag. 866 Catharini testimonio appendenti : « Ambrosii Catharini judicium esset merito suspectum, si quam profitetur interdum in Augustino deserendo libertatem, usurparet solus. Sed tanta cæterorum doctorum conspiratio satis ostendit Catharinum in ea re, non ut Catharinum, qui suo sæpe ingenio nimium indulsit, sed ut Ecclesiæ catholicæ archiepiscopum et doctorem id sensisse, » etc. Erras, Annate, erras. Catharinus libros illos de Prædestinatione scripsit antequam esset antistes, nam editi sunt Parisiis anno 1541 ; ille vero Minorensis episcopus in Picentinis dictus est anno 1546, die 27 Augusti, ex tomo VII Italiæ sacræ Ughelli ; archiepiscopus vero Compsæ anno 1552, die 3 Junii. Non itaque locutus est ut archiepiscopus Ecclesiæ catholicæ, sed, teste Soto, uti nuperus *ex jurisconsulto theologus* in iis libris in quibus, assertore Bannesio, *nihil est eruditionis*, sed *plurimum erroris*. Hinc factum est ut Catharinus jurisperitus in illis libris sæpe laudarit codices et digesta, ut suas de prædestinatione opiniones theologis persuaderet.

Restat Osorius, de quo hæc habet Gabriel Vasquez part. I, disput. 89, cap. 8, num. 62 : « Alterum, in quo hi auctores (nempe Catharinus, Camerarius, Osorius) fuerunt decepti, est quod putarunt Græcos Patres Augustino contraria docuisse, quasi assereret Augustinus homines ad gloriam sine meritis electos fuisse, » etc. Itaque, Vasquio teste, Osorius deceptus est. Annatus libro primo sui Augustini, a cap. 2 usque ad nonum, fusius conatur probare Augustinum non sensisse contra antiquos Patres, et præcipue cap. 6, ubi Faustum contra Augustinum loquentem inducit. Qua ergo ratione Augustinum illis testimoniis oppugnat? Quod si dicat recitare se quid illi senserint, A non quid illis sentiendum fuerat de Augustino, hoc nobis sat est haud plene eos testes recentioribus probatos esse, quorum ipsis fatentibus, primus *minus consulte locutus*, alter *impudens, parum modestus, et procax, imo nec mentem Augustini intelligens*. Postremus denique *deceptus* dicitur. Annate, hos contra Augustinum testes ? Sed alios modo audiamus.

§ VII. *Testimoniis Driedonis, Taperi, Medinæ et Vallosilli contra sanctum Augustinum producta falsata esse, nec fideliter recensita.*

Annatus quasi lippis, imo cæcis scriberet, ausus est eos contra sanctum Augustinum testes advocare, qui vel maxime sancti doctoris auctoritatem tuentur, quod sane nisi variis technis usus præstare potuit. B Etenim eos citat qui apertis verbis citra ullam contrariam interpretationem non modo Augustinianos se probant, sed Augustinianissimos ; novis enim verbis insolitæ recentiorum assertiones castigandæ sunt. Quo vero fidem testibus paret, aliqua eorum verba dissimulat, alia detruncat, alia mutat, gravi contra tot doctores injuria.

In primis appellat Driedonem, testatus pag. 878 hæc scripsisse : « Neque sentire contra divinam gratiam, neque si fallatur, perniciose falli eum qui, quamvis Augustinus aliter sentiat, generalem agnoscit erga omnes homines, cum primum ad usum rationis perveniunt, bonitatem, ut eos juvet peculiaribus auxiliis. » Driedo eo loci, nempe in lib. de Captivitate et redemptione generis hum., cap. 2, tract. C 4, memb. 2, part. 8, immediate ante illa verba ab adversario adducta, hæc tradit : « Quamvis TUTIOR vivat quisquis cum venerabili Patre Augustino non per auxilia sufficientia ex æquo omnibus adultis proposita, sed per divinam misericordiam et justitiam a curiosis hominum quæstionibus se absolvit, humiliatus sub potenti manu Dei. » Deinde quam ibi insinuat de auxiliis communibus sententiam, locum in parvulis non habere ostendit, quo insolubili argumento sanctus Augustinus illam semper impugnaverat. At qui secus sentiat, *non falli*, inquit, *perniciose, si fallitur, nec contra divinam gratiam sentire*. Nam contra justitiam potius sentit quam contra gratiam, nec perniciose, sed tolerabiliter fallitur. Tu vero, Annate, ut Augustini in fine lib. VI contra Ju- D lianum verba, velis nolis, tibi ingeram, *miserabiliter falleris, vel etiam detestabiliter falleris*, quando Driedonem contra Augustinum testimonium dicere tibi fingis, qui TUTIOREM sancti doctoris sententiam conte tatur.

Rursus adducit eumdem Driedonem lib. I de Libero Arbitrio cap. 2, part. 5, ubi ait : « Ex Scripturis sacris ab Augustino adductis super hac re non expresse et efficaciter concludi potest infantes sine baptismo decedentes supplicio æterni ignis esse cruciandos. » Additque Annatus nobile scholion : « En ut ineficaces fatetur adductas ab Augustino ex Scriptura sacra probationes, utque optioni studiosorum permittit, ut illum aut sequantur aut deserant. » Intelligit

Driedo testimonia Scripturæ ab Augustino allata non efficaciter, hoc est haud demonstrative probare pœnam sensus puerorum in inferis; nam immediate hæc de utraque sententia præmiserat : *Cum neutra videatur efficaciter ex Scriptura sacra demonstrabilis.* Neque hanc sententiam demonstrative probatam nos contendimus; alias nullus posset oppositum tueri. Neque optionem facit ut Augustinum vel sequamur vel deseramus : nam Augustino etiam illa in opinione nobis inhærendum esse exemplo docuit, hæc astruens : « Ut ergo, quod nobis PROBABILIUS, Scripturisque sacris magis consonum videtur, afferamus, arbitramur hujuscemodi parvulos sensibili quadam molestia, seu afflictione ab igne et in igne torqueri. » Audis, Annate, eam sententiam, quam tu pag. 858 tanquam *crudelem* detestaris, a Driedone astrui probabiliorem, ac sacræ paginæ magis consonam ? Augustino igitur militat doctissimus ille vir, neque ulla arte in recentiorum castra abduci potest, sed inane tantum illius nomen fingis ad decipiendos incautos.

Driedoni magistro supparem submittunt Ruardum Taperum ex eadem Lovaniensium academia doctorem, quem hæc contra Augustinum scribere tradit Annatus, pag. 879 : « Alia tamen opinio magis consentanea est Augustino, quod non omnibus Deus concedit tale auxilium, » etc. Et deinde : « Harum tamen opinionum prior videtur magis commendare divinam bonitatem, » etc. At est quod de Annato conqueramur, quippe qui verba Taperi plurimum Augustinianæ sententiæ faventia omiserit; nam ita scribit Taperus ad art. 7. pag. 222 : « Alia tamen opinio magis est consentanea Augustino, ET PATRUM CONCILIIS, quod non omnibus Deus concedit tale auxilium. » Pupugere recentioris mentem duo illa verba: quis enim inde non videat quantum ponderis Augustinianæ sententiæ, teste Tapero, accedat? Illa igitur consulto omisit. Quare jure cum Augustino lib. IV contra Jul., cap. 8, hic liceat exclamare : *Ut appareat de re tanta, quibus abs te fraudibus disputetur.* Addit Annatus significare Taperum eamdem sententiam esse Adriani VI, 4 Sententiarum, quæst. 1, de pœnitentia. Hinc insultat pag. 886 : *Adrianus quoque Sextus juxta id quod retulimus antea ex Ruardo Tapero jungendus erit.* Sed profecto nullas nobis præstigias facies. Quid scripsit Adrianus citatus in fol. 3 dubii § : *Ex his respondeo ad quæsitum*, modo proferimus : « Eam misericordiam, ait, ut probabiliter teneo, viatoribus exhibet Deus, qua sufficienter eis assistit, et suam gratiam offert, qua pro extremo saltem virium laborando, possent peccati indulgentiam promereri, ut in hoc differentia sit viatorum ab iis qui transierunt terminum. Si tamen contrarium faciat, id est si non dat eis indulgentiam peccatorum laborando pro viribus, quod apud doctores dubium et incertum est, nequaquam injustitiæ argui posset. » Vides primo dicere se probabiliter hoc tenere. Vides secundo Adriano teste dubium et incertum esse illud principium : *Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam*, quod recentiores putant esse certissimum. Vides tertio Deum haud reprehendi posse si laborantibus pro viribus adhuc deneget gratiam : quæ Adriani dicta cum illorum theologia non conveniunt. Ibidem vero ait : « In omnibus his exclamandum est cum Augustino : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei !* » Cum tamen recentiores hanc sancti Augustini exclamationem non modo non imitentur, sed irrideant, quod ex Joanne Adamo superius fuit manifestum.

Accedit tertio loco Bartholomæus Medina, magnus Dominicani instituti theologus ; ejus verba sic recitat Annatus pag. 875 : « Sine dubio sententia est Augustini quod homo in pura natura habet naturalem virtutem operandi, quam non habet in lapsa. Non placet tamen doctoribus. » O integræ fidei exscriptorem ! Medina eo loci, adducta sententia nonnullorum asserentium diversam esse virtutem operandi hominis stantis et lapsi, ait : *Quæ sine dubio videtur esse D. Augustini sententia.* Quæ ita recitat Annatus : *Sine dubio sententia est Augustini.* Falleris, o bone vir ! non ita scribit Medina : *Videri*, ait, non vero *esse* reapse illam Augustini sententiam ; tu vero illud verbum *videri* abradis, quo ex Medinæ vocibus Augustino acrius insultes. Sed nec ait : *Non placet tamen doctoribus*; relege, et videbis ita scribi : *Non placet tamen viris* DOCTORIBUS, quibus eam aliquibus, sed forte minus, ut ille quidem putabat, doctis sententiam placere significat, eos autem tacito nomine paulo ante indicaverat. Sed alia rursus audienda est objectio : etenim, recensita Medinæ sententia, exclamat recentior ille pag. 876 : « Atque hac ratione hic auctor indubitatam Augustini doctrinam hoc in puncto et doctoribus contrariam esse fatetur, et SIBI sine ullo fidei violatæ, vel spretæ antiquitatis scrupulo. » Belle hæc sibi Annatus fingit. Medina, sua ipsius sententia recitata, aperte protestatur se non habere adversarium Augustinum. Hæc sunt ejus verba : « Neque D. Augustinus huic nostræ sententiæ ullo modo adversatur. » Et audes coram judicibus affirmare Medinam fateri *sibi esse contrariam Augustini doctrinam ?* Egregie Augustinus contra Julianum lib. IV, cap. 8 : « Quis non exspectet, inquit, sapientiam disserentis, qui fidem cognoverit mentientis? »

Eadem fide animoque Annatus pag. 870 ad tribunal contra Augustinum Ferdinandum Vallosillum vel nolentem trahit, qui *multis locis*, inquit, *satis indicat liberam esse ab Augustino interdum discedendi copiam.* Dein plura Vallosilli testimonia producit, in quibus tamen hic adeo constanter cum Augustino stare se profitetur, ut mecum sane illa reputans, in eam opinionem abeam, alienis illa oculis Annatum lectitasse : pudet enim ac piget de viro tanti inter recentiores nominis adeo palmares allucinationes (non enim imposturas dicam) suspicari. Verum eadem objecta excutiamus : « Multis locis, ait, satis indicat liberam esse ab Augustino interdum discedendi copiam, ut quæsito 13 in tomum II Chrysostomi, dum quærit causam prædestinationis et reprobationis. » At cur

Vallosilli verba contra Augustinum non producis, quod cæterorum testimonia referens præstitisti? Sane quia nulla sunt; debui dicere, contraria sunt: etenim adeo mordicus Augustinianæ sententiæ de gratuita prædestinatione adhæret, ut ibidem dicat: « Opinio contraria non est probabilis, licet non hæretica, et nullus eam deberet asserere in scholis neque alibi. » Et hunc dicis in disputatione de prædestinatione facere *liberam ab Augustino discedendi copiam?* Rursus ibidem, nempe quæstione 13, Chrysostomi testimoniis explicatis, addit: « Augustinus patrono non indiget; nam cum prius huic dogmati constanter adhæsisset, re tamen diligentius perspecta, opinionem locis innumeris retractavit, » nempe Deum homines prædestinare ex prævisis meritis fidei naturalis. Addit adversarius: « Et quæsito 18 in tom. III sancti Augustini, ubi disputat an possint aliæ virtutes esse sine fide, et sic loquitur, etc. Non enim sanctus Thomas consentit cum Gregorio Ariminensi, neque cum B. Augustino, quod omnes actus infidelium sint peccata. » Respondemus Vallosillum hæc dixisse ex aliorum sententia calamo ad alia properante; nam quæsito 22 in D. Ambrosium, ubi ex professo quæstionem illam agitat, et ad quam se refert tom. VII Augustini quæsitis 18 et 19, et tom. VIII, quæsito 3, et alibi, aperte § *Ad argumenta Gregorii*, in responsione ad 4, tradit sanctum Augustinum non idem sensisse cum Gregorio Ariminensi de operibus infidelium. Et in tom. III, quæsito 18, scribit de virtutibus infidelium sanctum Augustinum *sensisse cum sancto Thoma.* Et tom. VIII, quæsito 3, ait de eodem sancto doctore, quærens an omnia infidelium opera sint peccata: « Et ita in re convenit cum communi sensu Ecclesiæ, et cum doctrina doctorum scholasticorum. » Et hæc est Vallosilli de Augustino sententia.

Pergit Annatus: « Et quæsito 25, in tom. III Augustini, ubi concludit timorem servilem tum bonum, tum meritorium esse, quamvis Augustinus videatur illi aliud sensisse, in quo forte Vallosillus deceptus est. » Sed appello oculos lectorum, nihil enim ibi ait de Augustino, ut fingit Annatus; in fine tamen quæsiti ejusdem sancti doctoris dictum interpretatur, nec uspiam scribit sibi videri Augustinum asseruisse timorem servilem non esse bonum; unde ille recentior non solum in sanctum Augustinum injuriosus est, verum etiam in ipsum Vallosillum, quem *deceptum* dicit, ea de Augustino pronuntiando, quæ ne somniavit quidem. Addit quarto: « Et quæsito 10, in tom. X, ubi dicit Augustini sententiam de causa reprobationis displicuisse plerisque veterum Patrum. » Bene; at statim quinam fuerint illi Patres significat, nempe *Massilienses et Faustus Rejensis.* Hæc tamen siluit Annatus, videbat enim illos Patres esse Semi-Pelagianorum magistros, hoc est nullius prorsus auctoritatis. Porro ibidem Vallosillus confutat Catharinum sancti Augustini sententiam reprehendentem, et concludit: « Non ergo est cur Catharinus in proloquio sui libelli diceret se punctum prædestinationis vera ratione attigisse, quæ Augustinum ac cæteros antea Patres celata semper fuisset. » Tandem sic concludit: « Et quæsito 30, in tom. IV, ubi responsionem ad oppositam sibi auctoritatem Augustini in ea quæstione num liceat uxori de consensu mariti fornicari, sic exorditur: *Pro B. Augustino respondemus quod quid secundum veritatem tenendum sit, definivimus.* » Ita truncatum testimonium Vallosilli refert Annatus, ut putetur parvi habita Augustini auctoritas; nam ille scriptor statim addit: « Et ipse tantum proposuit quæstionem an in casu uxor possit licite fornicari, accedente consensu viri, in quo sensu doctores scholastici quæstionem non disputant. » Postea aliam explicationem annectit: « Secundo dicimus B. Augustinum casum non definisse, quod ex verbis ejus constat; postquam enim casum proposuit, conclusit sic asserens: *Nihil hic in alteram partem disputo, liceat cuique existimare quod velit*, etc. Ex qua littera constat quod cum dicat, *Liceat cuique existimare quod velit*, quod definite nihil asseruit, sed opinioni et judicio aliorum existimandum reliquit. » Hæc doctissimus ille episcopus, qui summa diligentia atque ingenti labore quæcunque dubia in universis sancti Augustini voluminibus occurrere poterant, explicuit, unumque præsertim ostendendum sibi proposuit, nil falsi alicubi ab Augustino assertum fuisse. Quare quis non ægre ferat et acerbe, hunc strenuissimum sancti doctoris defensorem contra eumdem ad tribunal obtorto collo a recentioribus trahi, fieri illum ipsorummet ore ea loquentem quæ non modo non dixit, sed quæ ab Augustini sensibus procul abesse solidissime demonstravit?

### § VIII. *Viguerii, Soti, Fabri, Horantii testimonia discussa.*

Recentiores, licet in superiori testium repetitione convicti sint, ora tamen judicum aspicere, nedum sua iterum contra Augustinum aperire non erubescunt, imo novos contra sanctum doctorem testes adducunt, ita ut si testium numero certandum foret, verendum esset ne illorum multitudine Augustinus obrueretur; sed re nobis hucusque feliciter succedente animosiores facti, ad reliquorum testium examen accedimus.

Joannes Viguerius pag. 872 nominatur, quod § 6 de Peccato originali hæc scripsit: « Præterea in hoc non tenetur D. Augustinus. Unde Gennadius de Viris illustribus de eodem Augustino loquens ait: *Licet minus capacibus dubitationem de abortivis fecerit, error tamen illius, ut superius dixi, multo sermone contractus, lucta hostium exaggeratus, necdum hæresis quæstionem dedit.* Per quæ verba dat intelligere D. Augustinum in hac opinione errasse, sed ipsum hæreticum non fuisse, eo quod non fuit pertinax, imo retractavit in epistola ad Julianum... Præterea decretalis *Majores, de Baptismo*, in qua est determinatum eos non pati pœnam sensus, tempore D. Augustini nondum edita erat. Quia idem Augustinus, qui supra modum Ecclesiam reverebatur, si edita fuisset, oppositum non dixisset. » Verum hic testis

nullam apud judices fidem meretur, quod eorum quæ dicit prorsus inscium se propalat. In primis Gennadius, cap. 38 de sententia sancti Augustini de pœnis parvulorum sine baptismo morientium non loquitur, sed de resurrectione puerorum in uteris matrum decedentium. Nam Gennadius, cum dixisset Augustinum ex multiloquio errasse, ait : « De resurrectione etiam mortuorum simili cucurrit sinceritate, licet minus capacibus dubitationem de abortivis fecerit. Catholicus permansit tamen, et error illius sermone multo, ut dixi, contractus, lucta hostium exaggeratus necdum hæresis quæstionem dedit. » Etenim sanctus doctor, lib. XXII de Civitate Dei, cap. 13, dubium proponit *an abortivi partus in die judicii resurrecturi sint.* Quare Viguerius verba Gennadii nec percepit, nec fideliter retulit, nam hæc omisit : *Catholicus permansit tamen*, quibus periodi sensus variatur; errorem enim non de abortivis Gennadius objicit, sed de prædestinatione ex absoluto Dei decreto, ut alibi dictum est. Neque enim sententia Augustini de pœnis parvulorum fuit lucta hostium exaggerata, nam de illis Augustinum tantummodo dubitasse Semi-Pelagiani dicebant, ut patet ex litteris Hilarii ad Augustinum. Præterea falsum est sanctum Doctorem sententiam illam retractasse in epistola ad Julianum; etenim nullam ad Julianum epistolam Augustinus scripsit. Sane in Opere imperfecto contra Jul., lib. III, cap. 200, quod ultima ætate conscripsit, constans in eadem fuit sententia : « Si autem, inquit, non eruitur de potestate tenebrarum, et illic remanet parvulus, quid mireris in igne æterno cum diabolo futurum, qui in Dei regnum intrare non sinitur? » Neque hoc sancti doctoris assertum damnatum est ab Innocentio III in illa decretali, ut optime notat Gregorius in 2 Sententiarum, dist. 33, q. 3, et superius ex professo ostendimus.

Augetur testium numerus Dominici Soti censura, qua sententiam sancti Augustini de pœnis parvulorum perstringit, inquiens lib. I de Natura et grat., cap. 14, apud Annatum pag. 874 : « Augustinus plus justo videtur torquere parvulos, unde qui ejus sententiæ subscribunt, perpauci sunt, et tortores parvulorum nuncupantur. » Idem vero Annatus pag. 871 Joannem Fabrum episcopum Viennensem hom. 9 de peccato orig. in eamdem Soti sententiam adduxerat, quippe qui dixit Augustinum sic opinantem *excessive locutum.* At quæstio de pœnis parvulorum nusquam ex professo ab Augustino agitata fuit, sed occasione a Pelagianis data suam sententiam pronuntiavit; in sermone 14 de Verbis Apostoli fusius quidem quam alibi ea de re locutus est. Nec perpauci sunt qui eidem adhærent, nam Gelasius ac Gregorius pontifices, Avitus, Fulgentius, Isidorus, synodus Sardiniensis Patrum Africanorum, Prudentius, Beda, Aelredus aliique sancti Patres Augustinianam de parvulorum pœnis sententiam secuti sunt. Itemque ex theologis Gregorius, Driedo, Musæus, Moreau, Macedo, Polmanus, Paludanus, Poncius, Conrius ac doctores Lovanienses communiter, quorum omnium testimonia indicavimus cap. 3, § 5. Quantum vero Sotus Augustino in disputationibus de gratia detulerit, ex cap. 2 ejusdem libri colligitur, ubi ait : « Hoc ipsum Augustinus agnovit, ut pleraque alia quæ in argumentum hujus operis excogitari possunt; quem propterea nihil mirum si ferme UNICUM CORYPHÆUM identidem huc simus PRÆ CÆTERIS PATRIBUS accersituri. » Hæc ille.

Franciscus etiam Horantius contra Augustinum citatur, vir sane eruditus, et qui synodo Tridentinæ interfuit, quod cum Cyprianum itemque Hieronymum in quibusdam errasse dixisset, hæc de Augustino subjungit lib. IV, cap. 3, de Locis Theologicis : « Idem Augustino longe doctissimo contigit. Sed quo feror? cui non? » Qui nusquam Augustinum errasse diceret, eximia Augustinum laude fraudaret, duos Retractationum libros expungendo. Verum Annato probandum erat Augustinum in libris contra Pelagianos ab Horantio reprehensum fuisse, hoc enim se scriptorum testimoniis evicturum spoponderat. Audite interim quæ sit illius scriptoris de Augustino judicium. Ille lib. I, cap. 51, ubi de gratia et libero arbitrio disputat, hocce nobile Augustino Elogium appendit : « Hæc longe omnium in perlustrandis fidei nostræ sacramentis princeps Augustinus. Quam quidem doctrinam tanquam e cœlo lapsam suscipimus, ut sanctam veneramur, ut fidei nostræ regulæ conformem amplexamur, et ut antiquæ Patrum traditioni satis constantem, modisque omnibus veritati consentaneam et convenientem retinemus. » Cap. 46 vocat sanctum Augustinum *unum omnium doctissimum et sanctissimum;* cap. 48 ait : *Magni Augustini mens expendatur.* Hæc de sancto doctore Horantii sententia est, ut haud jure contra eumdem a recentioribus nominari possit.

### § IX. *Joannis a Bononia, Arborei, Aragonii, Pennoti, Estii, Vegæ et Tostati testimonia examinata.*

Omnium bibliothecarum schedulas recentiores excusserunt, rimantes si quæ doctorum licet haud ita celebrium dicta invenirent, quibus Augustini auctoritas decurtaretur. Enimvero in librum exiguum nescio cujus Joannis a Bononia inciderunt, qui, ut refert Annatus pag. 878, expositiones Augustini in illa Apostoli : *Deus vult omnes homines salvos fieri* (*I Tim.* II, 4), non recipiens ait : « Non videtur hic modus dicendi sufficiens. » Item : « Non est verisimile Apostolum hoc sensisse. » In primis hic scriptor in tacita solutione objectionum, pag. 365 edit. Lovaniensis anni 1555, quo modestius Augustini interpretationem alteram secutus omitteret, sanctum Doctorem noluit nominare, religioni sibi ducens a tam sacro nomine palam discedere, sed ait : « Denique haud me latet eximium quemdam sacrarum litterarum interpretem hunc locum ad hunc modum explicare. » Postea : « Alium sensum ponit idem doctor eximius. » At recentiores non modo Augustino nominato easdem interpretationes rejiciunt, sed dicteriis etiam onerant, vocantes easdem cum Molina vel *primo aspectu peregrinas et extortas,*

in Concord., quæst. 19, art. 6, disp. 1, vel cum Petavio ad *eludendum magis, quam rectas et solidas videri*, tom. I Dogm. theol., lib. x, cap. 3. At idem scriptor in præcipua quæstione de prædestinatione hæc tradit : « Nostram mox subjiciemus sententiam, eamque dictis B. Fulgentii sumptis ex B. Augustino stabiliemus. » Passimque eo in opere sancti Augustini testimonia inculcat.

Opponit pag. 880, Joannem Arboreum in illa verba Epist. ad Rom., cap. III : *Ubi est gloriatio tua? exclusa est; per quam legem? factorum? Non, sed per legem fidei;* ubi sancti Augustini interpretationem *jejunam* vocat et *explodendam.* Miror alterum summa Annati diligentiam subterfugisse : etenim ait : *Expositio est ridicula et explodenda;* verum ridiculus potius testis sit Arboreus, qui Augustinum Latinum sermonem docere præsumit. Sanctus doctor, lib. de Spiritu et litt., cap. 10, ut probet homines non justificari ex lege, sed ex fide auxilium gratiæ impetrante, illa verba Apostoli adducit, hæc subjungens : « Sive gloriationem dixerit laudabilem, quæ in Domino est, eamque exclusam, id est, non ut abscederet, pulsam, sed ut emineret, expressam, unde et exclusores dicuntur quidam artifices argentarii, etc.; sive gloriationem vitiosam de superbia venientem commemorare voluerit, eorum scilicet qui cum sibi juste videntur vivere, ita gloriantur quasi non acceperint eam quam non per legem factorum, sed per legem fidei dicit exclusam, id est ejectam et abjectam, quia per legem fidei quisque cognoscit, si quid bene vivit, Dei gratia se habere. » Itaque sanctus doctor, sub indicata prima explicatione, quæ alicui forte venire posset in mentem, ad alteram descendit, cui semper inhæret in libris contra Pelagianos. At Arboreus ridiculum grammaticum agit, dum Augustinum barbarismi accusans ait : « Nec pictores eximii, elegantissimæque picturæ fictores aut expressores dici solent exclusores, sed exsculptores aut effigiatores. » Quasi Augustinus vulgare illius ætatis quorumdam argentariæ artis opificum nomen potuerit ignorare. Scribit idem sanctus Pater in illa psal. LXVII : *Ut excludant hi*, etc.: « In arte argentaria exclusores vocantur qui de confusione massæ noverunt formam vasis exprimere. » Unde patet eos argentarios artifices quos Latino vocabulo fusores dicimus, tempore Augustini a vulgo appellatos fuisse *exclusores.* Certe uti IV Reg. XXIV *clusores* argentarii nominantur qui gemmas auro vel argento claudebant, ita exclusores dicebantur qui ex auro vel argento vasa fundebant; cujus quidem vocis etymologiam non vacat curiosius inquirere, cum et nomina ad placitum imponantur, et vox illa vulgo usurparetur. Arboreus autem de pictoribus et pictura nomen illud perperam accipit, quod ab Augustino de excusoribus argentariis, seu de iis qui statuas, seu quodlibet aliud excudunt, intelligitur. Igitur inepte in hoc Arboreus calculum posuit; verum Annatus hoc nobile scholion addit pag. 881 : « Et tamen liber ille ab Augustino contra Pelagianos scriptus est, et locus Pauli contra eosdem illic urgetur. » Quid tum? Scribit sanctus doctor duas expositiones excogitari posse laudatæ Pauli sententiæ, quarum utraque Pelagiana hæresis suffocatur : siquidem una displiceat, altera recipiatur, hoc satis Augustino fuit, neque qui primam non admittit, Augustini hostis statim censendus est; non enim hoc exigit Augustinus, dum ait, *sive gloriationem dixerit laudabilem*, etc., *sive gloriationem vitiosam*, quibus significat nolle se in iis explicandis immorari, utraque tamen interpretatione Pelagianos convinci, sequente quolibet quam velit.

Cæterum exciderint illa Arboreo, modo in quæstionibus de prædestinatione et gratia Augustinianum se profiteatur. Lib. x Theosoph., cap. 9 : *Augustinus*, ait, *liberi arbitrii assertor studiosissimus;* lib. XIV, cap. 7 : *Si nonnihil*, inquit, *tibi sit judicii, facile cognosces ex sana et luculenta Augustini doctrina, Deum non ex eo dilexisse Jacob, quod futura ejus merita præviderit.* Toto eo volumine in quæstionibus de gratia ait : *Hæc Augustiniana est assertio*, et initio libri vel a limine se sancti doctoris studiosissimum ostensurus scribit : *Hujusce assertionis partes, quæ Augustinianam sapiunt doctrinam, seorsim stabiliemus.* Igitur recentiores suum ipsorum de Augustino judicium, quod dogmata de prædestinatione et gratia attinet, hujus Arboris nec foliis nec umbra obtegere valent.

Quo tamen Augustini auctoritatem propius arietent, Petrum Aragonium et Gabrielem Pennotum Augustinianos in subsidium vocant. Aragonius, 2-2, q. 10, art. 6, cum probasset hominem sine gratia Dei posse bene moraliter operari, addit : « Ex dictis ergo infertur sententiam D. Augustini fuisse quod homines nullum bonum opus moraliter efficere possunt sine gratia Dei, quod idem affirmabat Gregorius. » Unde ait Annatus, pag. 882 : « Atque ita palam profitetur Petrus Aragonius se ab Augustino discedere. » Pennotus vero lib. v Propugnac., cap. 6, tradit minime credendum esse « omnem Augustini rationem esse exactam demonstrationem, omnem responsionem esse dogma fidei, omnem expositionem locorum sacræ Scripturæ esse certam regulam et infallibilem ipsas divinas Scripturas interpretandi, » etc.; quibus recitatis his Annatus insultat : « Vide, lector, quo moderamine in commendanda sancti Augustini doctrina utantur etiam illi qui ex instituto ejus cultores, imitatores et alumni sunt in utroque ordine canonicorum et eremitarum. Ut perspicere liceat quam sit supersitiosa hodiernorum Baianorum religio, qui specioso errorum prætextu solum Augustinum in ore, in oculis, in corde habere se fingunt. » Non possum negare Aragonium in ea sententia fuisse, attamen ibidem concl. 2 fatetur hominem sine gratia *raro, et infrequenter, et cum magna difficultate* posse efficere bonum opus, ut parum ab Augustiniano dogmate recedere videatur. At § *Cæterum hoc non obstante* probat sententiam sancti Augustini nullum continere errorem, ac proinde posse sustineri. Huic tamen domestico testi ne tantillum

judices moveat, opponimus tres ex hac nostra eremitana familia celeberrimos doctores, qui mordicus sancti Augustini sententiæ adhærent, Gregorium Ariminensem, 2, dist. 20, quæst. 1, art. 2, Basilium Pontium, magnum theologum Salmanticensem, in Relectionibus de auxiliis divinæ gratiæ, et Gasparem Casalium, Lusitanum episcopum, lib. I de Quadripartita Justitia, qui Augustini dogma explicant, solidissimis argumentis muniunt, atque ab adversariorum jaculis vindicant. Imo recentiorum subtilissimus Vasquez idem fusissime propugnat 1-2, disput. 190, quem sequuntur ex eadem familia Turrianus, tract. de Gratia, disput. 4; Mæratius, tom. II, tract. eodem, sect. 8; Ripalda, tom. I de Ente supernat., disput. 20, sect. 6, aliique.

At Pennotus non adversatur; etenim Augustinus usus est in suarum sententiarum confirmationem argumentis etiam probabilibus, quæ si essent demonstrativa argumenta, stultos diceremus recentiores qui eisdem responsionem procudunt. Unum contendimus, capitales sancti Augustini sententias adversus Pelagianos et Semi-Pelagianos non posse citra temeritatis notam impugnari. Quam vero Pennotus parum recentiorum causæ faveat, in his ejusdem verbis nemo non videt : « Si Cœlestinus, inquit, Romanæ Ecclesiæ pontifex calumniatores doctrinæ D. Augustini de prædestinatione vocat plantas male crescentes, et improbos, quibus perpetuum silentium imponendum sit, et sectatores dogmatum perversorum et damnatorum, a contrario doctrinam Augustini de prædestinatione probat ut doctrinam sanam, piam, catholicam et de fide, cui a catholicis non possit contradici, » lib. V Propug., cap. 16, num. 2. Annatus tamen, lib. VIII, cap. 2, pag. 860, ait : « Constituamus illam partem quæ plus favet libero arbitrio, dicamusque ante prævisa merita homines ad gratiam prædestinari, post prævisum autem bonum usum gratiæ prædestinari ad gloriam, quid inde sequitur contra regulas a Cœlestino positas? prorsus nihil. Hæc igitur una est ex quæstionibus quas astruere non vult Cœlestinus, si credimus Baronio. » Jam sentis, jam vides, quam belle tibi Pennotus concinat. Quod de Baronio addis, falsum esse § 1 ex eodem Baronio demonstravimus.

Guillelmus etiam Estius intromittitur, qui I Sententiarum, dist. 44, § 14, ait : « Quod si nihilominus contendat aliquis Augustini verba quæ objecta sunt huc inflecti non posse, putetque eum revera alterius esse sententiæ, tum respondebimus ea quæ de adjutorio primi hominis et angelorum obscurius, et, ut videtur, extra Scripturæ auctoritatem ab eo disputata sunt, ad hoc ut ex comparatione gratiæ nostræ per Christum reparationis magis emineret, non debere præjudicare doctrinæ quæ apud alios Patres ipsumque sanctum Thomam in hujusmodi rebus exactissimum doctorem expressior reperitur. » Estius quo suam erga sanctum doctorem observantiam ostenderet, eadem dist. 44, § 13 et 14, multum laboris impendit ut eumdem in suam sententiam traheret; quod vero videbat id satis ægre posse persuaderi ea quæ recitata sunt, apposuit, non ut parvi fieri ab ipso Augustinum judicaremus, sed ut molesti forsitan adversarii objectionem effugeret. At quod Estio displicuit, olim pariter Semi-Pelagianis displicuisse scribit Hilarius Arelatensis in epistola ad Augustinum, § *Deinde moleste ferunt ita dividi gratiam, quæ vel tunc primo homini data, vel nunc omnibus datur*, etc. Ille tamen scriptor, 2, dist. 24, § 10, ait : « Atque horum primus sit Augustinus, ut quem constat causam fidei catholicæ contra Pelagianos præ cæteris ecclesiasticis scriptoribus acrius uberiusque defendisse. » Et in 1, dist. 41, § 6 : « B. Augustini de gratia Christi doctrinam, quæ magna ex parte consistit in astruenda prædestinatione gratuita, approbavit Cœlestinus pontifex in epistola ad episcopos Galliæ. » Omitto plura quæ passim in commendationem sancti doctoris Estius recitat; Lovanienses enim ac Duacenses consuevere Augustino semper esse addictissimi.

Alphonsus Tostatus in nonnullis ab Augustino dissentit, quæ ad sacræ paginæ explicationem pertinent. At Annatus pag. 867 ait : « Vide, lector... an putet dandam esse nemini facultatem in aliquo repugnandi ex omnibus quæ ille contra Pelagianos et Semi-Pelagianos scripsit. » Contendimus sancti Augustini doctrinam contra Pelagianos ex tanta Ecclesiæ approbatione in excellentiori gradu auctoritatis locandam esse, quam illorum, qui, ut ait Tostatus apud Annatum, *humano ingenio solo scripserunt*. Cæterum insigne elogium Tostati de Augustino lege apud Macedo in Concentu euchologico, pag. 431, ubi de Tostato ait : « Quanquam minutis quibusdam in quæstionibus ab Augustino interdum dissentiat, in materia de prædestinatione et gratia Augustino penitus consentit. »

Iks additur ab Adamo, part. III Calvini destructi, cap. 6, Andreas Vega, qui dolere se dixit Augustinum adversariorum gratiæ objectionibus clare non satisfecisse, lib. XII in Trident., cap. 22, de Justificat. Cæterum Vega ibidem cum dixisset Pelagianos contra divinam gratiam decem et sex argumentis stetisse, ait : « Et ad ea omnia copiose et erudite pro sua exinia doctrina respondit Augustinus. » Addit tamen ibidem nonnulla quæ nec adversariis ipsis placere possunt : nam hanc regulam prædicandi mysterium prædestinationis et necessariæ gratiæ ad credendum, diligendum Deum, pœnitendum, etc., concionatoribus tradit. « Cuperem hoc clare et distincte tradi, perinde esse in nostra potestate omnia exercitia virtutum, ad quæ credimus necessariam esse specialem Dei gratiam, ac si solus generalis Dei concursus sufficeret, imo ac si non esset nisi nostra sola voluntas ad ea omnia requisita. » Et post nonnulla similia addit : « Et hæc sæpe desideravi, ut Augustinus palam et aperte respondisset objicientibus ipsi quod a prædicatione prædestinationis et gratiæ cessandum esset coram populo. » Quis vero non

videat ex illa Vegæ regula orationem nunquam audi- A toribus inculcandam esse? Etenim oratio est divinæ gratiæ testificatio, cum nullus petat ab altero auxilium ad aliquod faciendum, quod per semet æque facile præstare potest, quo argumento Pelagiani a Patribus convicti sunt. Si fideles ad divinam opem implorandam adhortandi sunt, ut in sacris mysteriis facit Ecclesia, non ita commendanda est voluntas ac si sola ipsa ad virtutes capessendas et fugiendas tentationes sibi sufficiat. Miror autem, cum Vegam hanc sententiam ibidem intersefentem audio, debere nos, *ipsius opem assiduis et importunis gemitibus flagitare.* Porro si hoc populi docendi sunt, qua ratione sola voluntatis humanæ potentia asserenda est? imo summa ejusdem infirmitas ostenditur, dum ad illam adjuvandam Dei gratia, non dicam exspec- B tatur, sed *assiduis et importunis gemitibus implorator.* De his autem adeo solide agit Augustinus in lib. de Dono persev., à cap. 14 et seq., ut nihil vel clarius vel efficacius a quoquam desiderari possit. Quare Vegæ testimonium nec adversarii ipsi probent, dum ea astruit quæ ipsimet improbent, si sane sapiant.

### § X. *Dominici Bannez testimonium altius contra Augustinum exaggeratum discutitur.*

Hispani hujus theologi, quem semper infensum recentiores experti sunt, testimonium contra sanctum doctorem grandi fiducia exaggerant, in qua quidem re cum mala fide procedant, illud nobis diligentius examinandum venit. Adamus, part. III sui Calvini destructi, cap. 9, pag. 667, cum sibi licitum esse scribat sancti Augustini sententiam de repro- C batione ex solo peccato originali ortam *horrere, quod mater est illius quam Calvinus tanta impietate ac rabie contra Ecclesiam inculcat*, Bannesii patrocinio vel testimonio utitur, ita de eadem sententia Augustini scribentis, part. I, quæst. 23, art. 5 : « Hæc sententia non est probabilis. Non modicam habet difficultatem. Impossibile videtur et omnino incredibile quod Deus propter culpam originalem hominem reprobaverit. Hoc nullus fidelium dicere audebit. Si D. Augustinus voluisset attendere malitiam hujus consequentiæ, nunquam posuisset quod originale peccatum solum est causa reprobationis omnium reprobatorum hominum. » Annatus, lib. VIII cit., cap. 4, pag. 874, prioribus omissis, illa, *Si D. Augustinus*, etc., longe grandioribus characteribus, quo lectoris oculos sta- D tim et vocent et impleant, exaravit, quibus recensitis exclamat : « Hæc Bannez, quæ plerique non videntur satis advertisse, dum Molinæ audaciam exaggerant indicantis aliquid lucis Augustino defuisse in concilianda cum creata libertate divinorum decretorum et auxiliorum efficacia. » Ita insignis theologi suffragium contra Augustinum jactant.

Adamus illa contra Augustinum a Bannesio dicta commentatur, quorum oppositum ille scriptor asseruit : etenim hic, recitata sententia sancti Augustini de prædestinatione, fatetur non modicam illi inesse difficultatem, et statim, ut id ostendat, sex argumenta contra eamdem proponit, ubi in fine tertii habet : *Ergo non est probabilis sententia Augustini.* In fine secundi : *Impossibile videtur et omnino incredibile*, etc.; quæ non ex propria sententia, sed adversus Augustinum arguentis persona inducta posuit, ut patet ex iis quæ postea tradit. Ille autem tres ibidem sententias refert : primam sancti Augustini, alteram quorumdam Thomistarum, postremam sancti Thomæ. De secunda, § *Præterea manifestum est*, ita judicat : « Atque ita secunda opinio facile potest sustentari, neque existimo differre a sententia D. Thomæ, nisi solo nomine. » Porro § *Tertia sententia est D. Thomæ*, collata Augustini sententia cum illa secunda ait : « Quapropter, ut postea dicemus, non est minus probabilis, imo forte probabilior secunda illa sententia, quam prima D. Augustini. » Ergo, teste B Bannesio, sententia sancti Augustini est probabilis; imo dubitat an secunda sit probabilior (ait enim *forte*) illa sancti Augustini, illa, inquam, secunda, quam differre putat a sententia sancti Thomæ *nisi solo nomine.* Ergo falsus convincitur Adamus, dum verba illa : *Ergo non est probabilis sententia Augustini*, quæ arguendi gratia ille theologus dixit, ejusdem sententiam esse pronuntiavit. Rursus idem de altero Bannesii dicto dicendum est, dum in argumento secundo ait : « Impossibile videtur et omnino incredibile quod Deus ab æterno statuerit originalem culpam misericorditer et vere remittere; et nihilominus propter illam culpam hominem reprobaverit; » et in tertio argumento infert : « Ergo originale peccatum jam remissum est causa et ratio condemnationis æternæ, quod nullus fidelium dicere audebit. » Adamus vero abrasis illis verbis, *peccatum jam remissum*, etc., raptim alia in unam sententiam congessit, quo acerbiorem censuram faceret. Sed ex persona adversariorum illa se dixisse Bannesius ostendit, dum paulo inferius hæc scribit : « Sed operæ pretium erit prius quædam advertere circa sententiam Augustini, quæ omnino cavenda sunt ab eis qui illam volunt defendere. » Et statim : « Ante omnia cavendum est ne concedatur quod aliquis propter originale peccatum jam remissum tanquam propter causam demeritoriam damnetur pœna damni, » etc. Ex quibus patet illam propositionem, quam infert in argumentis : *Originale peccatum jam remissum est causa et ratio condemnationis æternæ*, esse omnino negandam ab iis qui volunt defendere sententiam sancti doctoris. Quare, si illam propositionem veluti absurdam procul ab asserto Augustini removendam putat, qui fieri potest ut eamdem ipsemet Augustino imponat? Et quidem nusquam Augustinus dixit peccatum originale remissum esse solam causam et rationem cur plurimi reprobentur, ita ut formaliter id intelligatur, de quo plura diximus cap. 4, § 10.

Hæc contra testis conductorem dicta sunto : jam cum ipsomet Bannesio res sit; cujus verba quo pacto ab Annato citantur ita se habent : « Est denique de hac re nostrum judicium, si quid valet. Crediderim enim quod Augustinus tantum fuit sollicitus destruere errorem Pelagianorum asserentium merita præscita

causam esse divinæ prædestinationis et electionis, et quia si consideretur quod præscientia malorum operum Esau fuit causa reprobationis ipsius, videbatur D. Augustino statim fieri consequens, quod etiam futura bona opera Jacob fuerint causa prædestinationis ipsius; propterea semper negavit præscientiam malorum operum Esau causam fuisse reprobationis ipsius. » Rationem vero ponit cur illatio illa non sit legitima, eo quod ipsa merita bona sunt effectus prædestinationis, peccata vero non sunt effectus reprobationis; unde bene possunt esse ratio et causa reprobationis. Tandem addit censuram, quam grandioribus characteribus Annatus expressit: « Propterea manifestum est quod non est eadem ratio prædestinationis et reprobationis, ut si detur causa reprobationis ex parte nostra, detur etiam prædestinationis. Si itaque D. Augustinus voluisset attendere malitiam hujus consequentiæ, nunquam posuisset quod universaliter originale peccatum solum est causa reprobationis, » etc. Produxi illius scriptoris totam fere sententiam, quam contra Augustinum tulit; nam ubi eamdem confutavero, nihil ex Bannesii censura præjudicii Augustino fieri constabit. In primis non recte credidit in libro I ad Simplicianum, quæst. 2, ubi ea de re sanctus doctor fusius agit, sollicitum illum fuisse erroris Pelagianorum confutandi; nam liber ille exaratus est initio episcopatus Augustini, ex lib. II Retract., cap. 1, et lib. de Prædest. sanctorum, cap. 4. Incidit vero initium episcopatus sancti Patris in annum 395, cum Pelagiani anno tantum 411 apparere in orbe cœperint. Igitur eo in opere ad Simplicianum nequaquam Pelagianorum errorem confutabat, sed rogatus ab eodem antistite Mediolanensi caput septimum epistolæ Pauli ad Romanos, a vers. 10 usque ad 30, ita enim ille petierat, fuse explicuit, ut patet ex initio quæstionis secundæ. Porro prolixius disputat de illis Pauli verbis a versione 11: *Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali (ut secundum electionem propositum Dei maneret), non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia major serviet minori sicut scriptum est : Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Ubi cum demonstrasset Jacob non fuisse electum ob opera bona prævisa, idem a pari dicendum esse intulit de Esau, nempe neque ipsum fuisse odio habitum ob prævisa mala opera. Audiatur sanctus doctor : « An forte, inquit, quemadmodum illud de Jacob nullis meritis bonæ actionis dictum est, ita Esau nullis meritis malæ actionis odiosus? Si enim quia præsciebat Deus futura ejus opera mala, propterea eum prædestinavit ut serviret minori, propterea prædestinavit et Jacob, ut ei major serviret, quia futura ejus bona opera præsciebat, et falsum est jam quod ait : *Non ex operibus.* Si autem verum est, quod *non ex operibus*, et inde hoc probat quia de nondum natis nondumque aliquid operatis hoc dictum est, unde nec ex fide, quæ in nondum natis similiter nondum erat, quo merito Esau odio haberetur antequam nasceretur? » Ex illa particula *forte* colligo sanctum Patrem per modum disputantis loqui : quod etiam constat ex iis quæ paulo inferius ponit : « Ut autem, inquit, odisset Esau, nisi injustitiæ merito injustum est. Quod si concedimus, incipit et Jacob justitiæ merito diligi. Quod si verum est, falsum est quod non ex operibus. » Videatur § *Cur enim est improbatus Esau.* Disputans igitur illam consequentiam intulit, non quod veram illam arbitraretur, ut dicemus. Tota igitur vis illius illationis est in verbis Apostoli, qui aperte excludit bona opera cur fuerit dilectus Jacob, et mala item opera ob quæ odio habitus fuerit Esau : inquit enim antequam *aliquid boni egissent aut mali*, quod idem est ac antequam aliqua opera mala, aut bona egissent, *non ex operibus*, nempe bonis vel malis, *Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Unde patet falsum esse quod ait Bannez § *Propterea manifestum est*, Paulum dum ait, *non ex operibus*, loqui tantum de operibus bonis Jacob; nam, ut ait Augustinus, *Non ex operibus, et inde hoc probat, quia de nondum natis, nondumque aliquid operatis hoc dictum est*; nam si opera tantum bona Jacob excludere voluisset, dixisset, *Cum nondum natus fuisset, aut aliquid boni egisset*, etc., *non ex operibus, sed ex vocante dictum est, quia major serviet minori.* Itaque certum est ibi Apostolum loqui de operibus utriusque. Quod etiam confirmatur ex iis quæ ibidem addit : *Jacob dilexi, Esau autem odio habui. Quid ergo dicemus? nunquid iniquitas apud Deum?* Cum neuter egerit aliquid boni aut mali, unum tamen Deus diligit, alterum odio habet; qua ergo justitia id facit Deus? At si Deus futura mala opera Esau prævidisset, nullus datur calumniæ locus. Ex his apparet vis illius paritatis quam per modum disputantis affert sanctus doctor : nam ita discurrit : *Si enim quia præsciebat Deus futura ejus opera mala, propterea eum prædestinavit ut serviret minori*, ergo *prædestinavit et Jacob, ut ei major serviret, quia futura ejus bona opera præsciebat.* Hæc illatio probatur, quia æqualiter excluduntur ab Apostolo opera bona cur fuerit Jacob electus, ac opera mala ob quæ Esau fuerit reprobatus; ergo currit par ratio de operibus utriusque in ordine ad amorem, vel odium. Et ita disputat Augustinus, judicium interim suspendens.

Cæterum scribit Bannez : « Propterea manifestum est quod non est eadem ratio prædestinationis et reprobationis, ut si detur causa reprobationis ex parte nostra, detur etiam prædestinationis. Si itaque D. Augustinus voluisset attendere malitiam hujus consequentiæ, » etc. Plane hæc in Augustini libris legendis viri diligentiam desiderari ostendunt; nam *malitiam consequentiæ* non solum attendit Augustinus, verum etiam solide confutavit, et, quod mirum est, eo ipso loco ubi minus diligentem Bannesius illum credidit; etenim hanc paritatem semper Augustinus negavit : Deus reprobat ex prævisione demeriti seu peccati, ergo e contra etiam prædestinat ex prævisione boni operis. En totum hoc argumentum ab illa paritate deductum a Pelagianis in epist. 106 ad Paulinum : « Quomodo, inquiunt, Esau non

damnatur indignus, si non ex operibus, sed ex vocante dictum est, quia major serviet minori? Sicut enim illius nulla præcesserant opera bona, ut ad gratiam pertineret, sic nec hujus mala, ut ad pœnam pertinere deberet. » Respondet sanctus doctor : « Nulla plane in utroque opera vel bona vel mala, sed propria ; uterque autem illi uni obnoxius erat, in quo omnes peccaverunt, etc. Sed ambo, qui nondum propria vel bona, vel mala operabantur, rei tamen ex origine nascebantur. Laudet misericordiam qui liberatur, non culpet judicium qui punitur. » Vides negari paritatem ab Augustino ; nam Esau « st reprobatus ratione maculæ ex Adamo contractæ, Jacob vero per solam misericordiam liberatus. Hinc celebre veluti axioma Augustini est : « Bonus est Deus, justus est Deus : potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est; non potest quemquam sine meritis damnare, quia justus est. » Lib. III contra Jul., cap. 18. Audi rationem disparitatis, et fatere Augustinum optime vidisse *quod non est eadem ratio prædestinationis et reprobationis, ut si detur causa reprobationis ex parte nostra, detur etiam prædestinationis;* nam actus reprobationis est actus justitiæ punitivæ hominem damnantis. At clamat Augustinus : *Non potest quemquam sine meritis damnare, quia justus est.* Prædestinatio autem est actus puræ misericordiæ et bonitatis divinæ, quæ nulla opera nostra bona supponit, sed facit ; hinc ait : *Potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est.* Ergo *laudet misericordiam, qui liberatur, non culpet judicium, qui punitur.* Eat nunc Bannez, et addat, Augustinum *malitiam consequentiæ attendere* noluisse, et hæc ipsa palmaribus characteribus Annatus exscribat.

Verum in eadem quæstione secunda ad Simplicianum, ubi disputans eam paritatem, urgebat : *Ut odisset Esau nisi injustitiæ merito injustum est : quod si concedamus, incipit et Jacob justitiæ merito diligi*, respondens, ac quæstionem pluribus abs se adductis in utramque partem argumentis implexam tandem dissolvens, paritatem negat; ibi enim diffusius probat nulla opera bona, nec ipsam fidem præcessisse, cujus intuitu Jacob fuerit electus, et concludit : *Ergo ante omne meritum est gratia.* Postea vero erudite pluribus evincit Deum non potuisse odio habere Esau, antequam in illo peccatum cerneret, quia « Omnis creatura Dei bona est, et omnis homo, in quantum homo est, creatura est, non in quantum peccator. Est ergo creator Deus et corporis et animi humani. Neutrum horum malum et neutrum odit Deus, etc., nec odit in homine nisi peccatum. » Ex his concludit : « Non igitur odit Deus Esau hominem, sed odit Deus Esau peccatorem. » Unde, confirmata illa propositione : « Ut autem odisset Esau, nisi injustitiæ merito injustum est, » consequentiam illatam negat : ergo « incipit et Jacob justitiæ merito diligi; » nam priori illo dicto concesso probat falsum esse quod posterius deducunt, nempe Jacob etiam dilectum ob bona merita : « Cur ergo, addit, Jacob dilexit, nunquid peccator erat? Sed dilexit in eo non culpam quam delebat, sed gratiam quam donabat. » Ergo per Augustinum grandis est disparitas inter reprobationem et prædestinationem, quia reprobatio supponit meritum malum, quod odit; prædestinatio vero nullum supponit meritum bonum, sed causat. At Bannez in eo deceptus est quod non legens Augustinum quæstionem resolventem, ea putavit a sancto doctore affirmata, quæ ante suæ sententiæ expositionem proposuit, ad difficultatem quæstionis totis viribus augendam. Non igitur *D. Augustinus noluit attendere malitiam consequentiæ*, sed Bannez noluit attendere D. Augustinum *malitiam consequentiæ* et attendentem et solidissime confutantem.

Rursus notanda sunt quæ ibidem Bannesius scripsit, ut ostenderet malitiam illius Augustinianæ consequentiæ : « am « facile, inquit, negari poterat a contrariam sententiam sequentibus, et assignari differentia in prædestinatione et reprobatione, quod prædestinatio est causa non solum consecutionis ultimi finis, sed etiam meritorum ad ultimum finem. Reprobatio vero quamvis sit causa ejus quod redditur in futuro, scilicet pœnæ æternæ, non tamen est causa ejus quod est in præsenti, scilicet peccati, propter quod totus reprobationis effectus potest cadere super reprobum tanquam propter demeritum. » At certe Augustinus hanc differentiam vidit, et ne Bannesium mittam ad alios sancti doctoris libros, eo ipso in loco ubi ab Augustino minime illam observatam dixit : etenim ibi fuse probans prædestinationem esse causam meritorum hæc ait : « Vocantis (secundum propositum) est ergo gratia, percipientis vero gratiam consequenter sunt opera bona, non quæ gratiam pariant, sed quæ gratia pariantur. Non enim ut ferveat, calefacit ignis, sed quia fervet; nec ideo currit rota ut rotunda sit, sed quia rotunda est. Sic nemo propterea bene operatur ut accipiat gratiam, sed quia accepit. » Lege cap. 10 de Prædest. sanctorum. Postea dat differentiam reprobationis a prædestinatione, quod illa non causat peccatum ob quod homo reprobatur, licet causet pœnam sceleri debitam, ita enim de reprobante Deo loquitur : « Odit enim in eis impietatem quam ipse non fecit. Sicut enim judex in homine odit furtum, sed non odit quod datur ad metallum, illud enim fur, hoc judex facit; ita Deus, quod ex conspersione impiorum facit vasa perditionis, non odit quod facit, id est, opus ordinationis suæ in pœna debita pereuntium. » Itaque Augustinus prædestinationis et reprobationis latum discrimen novit, nempe quod prædestinatio Dei vocantis est causa bonorum operum, non vero reprobatio est causa malorum. Imo sanctus Pater adeo constanter illam disparitatem asseruit, ut ex illa una originale peccatum deduxerit, et ante tria lustra quam erumperent, Pelagianos profligaverit. Cum enim probasset divinam electionem nulla merita in homine supponere, et ex alia parte ad reprobationem justam demerita requiri intelligeret, quærens de reprobatione Esau, *qui si nullo merito improbatus est*, petit

rationem *quomodo ejus improbatio justa dici potest?* Cum vero ex Apostolo pateat ipsum ex suis operibus non esse reprobatum, et ex alia parte certissimum esset quod ut Deus *odisset Esau, nisi injustitiæ merito injustum est*, concludit quod *facta est unc massa omnium veniens de traduce peccati*, nempe quia « concupiscentia carnalis de peccati pœna jam regnans universum genus humanum tanquam totam et unam conspersionem originali reatu in omnia permanente confuderat. » Et antea : « Una est enim ex Adam massa peccatorum, in qua et Judæi et gentes remota gratia Dei ad unam pertinent conspersionem. » Quomodo vero ex hac massa eligantur vasa alia in honorem per electionem, alia per reprobationem in contumeliam, fusius ibidem tradit. Quare recte ab eodem dictum est : *Ecce enim odit Esau, quod vas ipse fecit in contumeliam.* Quis vero non miretur vastum Augustini ingenium de efficacia gratiæ, de prædestinatione sanctorum, de reprobatione, de peccato originali adeo diffuse eo in opere disputasse ac si jam cum Pelagianis collato veluti pede certaret, qui tamen post tria lustra erupere? Hinc videas Pelagianos unum Augustinum hostem habuisse implacabilem, a quo pessimam hæresim, antequam nasceretur, suffocatam videbant. Omnes quidem in controversiis contra Pelagium de divina gratia primas illi debent, cum Augustino nullus scripserit vel melius vel diffusius. Sane cæteros Patres eo in argumento tanto post se intervallo reliquit, ut si omnia de gratia ac peccato originali a prioribus Patribus asserta colligantur, huic uni secundæ quæstioni ad Simplicianum, sive argumentorum pondus, sive doctrinæ acumen, sive rerum difficillimarum explicationem spectes, sine dubio cedere videantur : quæ tamen quæstio, antequam audirentur Pelagiani, uti diximus, scripta est; ut vel hinc importunæ recentiorum voces alios Patres inclamantium satis solide comprimantur : etenim ex iis quæ sanctus Pater ad Simplicianum scribit, evidenter ostenditur in quæstionibus de divina gratia reliquos Patres esse utiles, Augustinum vero necessarium : quod tam certum est ut recentiorum, quorum objectis satisfacimus, acutissimus Vasquez hanc Augustinianæ auctoritati laudem dederit : « Augustinus in materia de gratia et prædestinatione inter cæteros Ecclesiæ Patres non aliter quam sol inter minora sidera præfulget, » part. I, disput. 89, cap. 1, num. 8.

Volo hic unum advertere, quo Bannesii de Augustino censura ita rejiciatur, ut eadem ipse Bannesius percellendus sit. Dico igitur differentiam illam prædestinationis a reprobatione, quod hæc supponit mala merita quæ puniat, illa vero non supponat merita bona quæ præmio compenset, longe constantius ac rigidius fuisse ab Augustino assertam ac defensam quam ab ipsomet Bannez : nam si huic scriptori objiciatur hoc argumentum : Divina providentia sine meritorum prævisione assumit ad gloriam æternam, ergo eadem providentia sine demeritorum prævisione potest excludere a gloria, nullam hic *malitiam consequentiæ* notat, non hic repetit disparitatem, quam Augustino veluti suggerit, prædestinationem causare merita, reprobationem vero non causare demerita, sed supponere; sed totum concedit; etenim in responsione ad argum. 2 ait : « Ante præscitum peccatum potest intelligi Deus odio habere quosdam, id est non diligere in vitam æternam. » Ibi enim cum aliis passim concedit reprobationem, ut vocant, negativam, qua Deus negat gloriam non in pœnam peccati, sed ut pure donum indebitum, non supponere prævisionem demeritorum. At sanctus Augustinus adeo mordicus sustinet disparitatem datam inter reprobationem et prædestinationem, ut ubique reprobationem illam sine prævisione demeritorum, licet negativam, excluserit atque in Pelagianis semper damnaverit. Pelagiani enim contendebant pueros nasci sine ullo peccato originali, negabant tamen illos admitti ad vitam æternam regni cœlorum, nisi per baptismi gratiam adoptarentur; etenim cum gloria libere a Deo donetur, dicebant Deum statuisse eamdem baptizatis tantum conferre. Illorum verba apud Augustinum lib. de Peccat. originali, cap. 5, hæc ipsa sunt : « Quia Dominus statuit regnum cœlorum non nisi baptizatis posse conferri, quod quia vires naturæ non habent, conferre necesse est per gratiæ libertatem. » Unde erat illorum celebre axioma : *Habet gratia, quod adoptet, non habet unda quod diluat*, apud scriptorem libri II de Vocatione gent., cap. 24. Ita pueri sine baptismo morientes excludebantur a regno cœlorum non in pœnam peccati originalis, quod Pelagiani negabant, sed quod possessio regni cœlorum non erat debita; nam *vires*, aiunt, *naturæ non habent*, ut possint illud acquirere. Quare pueros sic excludi a regno cœlorum *nullam pœnam* esse asserebant apud Augustinum lib. III contra Jul., cap. 3, et lib. IV Operis imperf., cap. 99; et lib. V, cap. 11, asserit pueros sine baptismo defunctos ex Pelagianorum sententia *liberos ab omni damnatione esse.* Erant igitur exclusi reprobatione pure negativa, hoc est non admissi in regnum cœlorum, nulla interim pœna illis inflicta, ita ut ipsa exclusio seu non admissio in regnum cœlorum *nulla pœna* illis esset. At sanctus Augustinus ubique contra Pelagianos contendit pueros sine baptismo morientes, si nulla culpa originis infecti sint, injuste reprobatione negativa excludi a regno Dei. Sexcentis in locis id contra hæreticos urget. Lib. I de peccatorum Meritis, cap. 50 : « Nunquam explicant isti quia per justitiam nullum peccatum habens imago Dei separatur a regno Dei; » et lib. V contra Jul., cap. 11 : « Verum vos quoque qui eos velut liberos ab omni damnatione esse contenditis, cogitare non vultis qua illos damnatione puniatis, alienando a vita Dei et a regno Dei tot imagines Dei, etc. Hæc autem injuste patiuntur, si nullum habent omnino peccatum; aut si juste, ergo habent originale peccatum. » Et lib. II Operis imperf., cap. 325 : « Nunquam dicturus es ut sit justum ut parvuli nulla sua, nulla plerunque et am suorum culpa sine baptismate mortui a parentibus

et proximis fidelibus separentur, et ad regnum Dei non admittantur. » Lib. v contra Jul., cap. 9, scribit : « Quapropter natos ex Adam transferri renatos oportet ad Christum, ne a regno Dei pereant imagines Dei, quod sine malo fieri qui dicit, nec amorem habet nec timorem Dei. » Et epist. 106, « Hoc a justitia Dei penitus alienum » scribit. Lib. vi, cap. 4 : « Si nihil meruissent mali, nunquam privarentur in communi causa privatione tanti boni. » Lege serm. 14 de Verbis Apostoli, ubi clamat : « Quare enim patrimonium regni cœlorum abripis innocenti? A quo regnum cœlorum non acquiritur, profecto magno bono fraudatur. Quæ est ista justitia? » etc. Idem docuit sanctus Gelasius papa in epist. ad episcopos per Picenum, contra Pelagianos : « Cur igitur, inquit, infans hac sorte concluditur (nempe non admitti in regnum cœlorum), si nullum habet omnino peccatum? magisque videtur, quod absit, injustus Deus, si illic infligatur pœna, ubi nulla sit culpa. » Concinit synodus Byzacenorum Patrum, in lib. de Incarnatione et gratia, cap. 14, ubi aiunt : « Et cum non sit iniquitas apud Deum, qui fecit hominem ad imaginem suam, quæ justitia est ut imago Dei, quæ nihil potuit per se ipsam delinquere, si non redimatur sanguine Filii Dei, in regnum Dei non permittatur intrare? » Quæ duo testimonia consulto addidi, quia nonnulli memoratam sancti doctoris sententiam falsam existimant. Itaque fixum fuit certumque omnino apud Augustinum, ac sanctos Patres ejusdem discipulos, neminem posse sine culpa reprobari pure negative a regno cœlorum tanquam beneficio indebito, uti certissimum fuit eidem neminem in statu naturæ lapsæ prædestinari ex prævisione alicujus boni operis. Quare disparitatem inter prædestinationem et reprobationem eam necessario esse dixit, ut Deus citra injustitiam non posset excludere a regno cœlorum parvulos sine culpa, licet id non faceret in pœnam. Non est igitur Augustinus docendus illam disparitatem, vel malitiam consequentiæ a Bannesio, cum et ipso melius eamdem norit, et longe rigidius defenderit. Recentiores Alarcon, Herice aliique reprobationi illi negativæ ante prævisa demerita Calvinismi fuliginem objectant, unde magnæ contra ipsos querelæ Thomistarum inaudiuntur, Joannes a Sancto Thoma, part. 1, disp. 10, de Reprob., num. 19; Gonetti, disput. 5, tom. iv, art. 2, § 3. Et certe Calvinus reprobationem positivam ante prævisionem peccatorum astruxit, imo ab eadem dixit peccata causari, atque ad hæc perpetranda homines impelli, quæ a Thomistis una cum reliquis catholicis negantur. At nos absit ut Pelagianismum sapientissimis viris, et in Augustino defendendo ex juramento Salmanticensi commilitonibus ac nostris fœderatis imponamus; illa enim tantum diximus, queis Bannesii censuram plenius confutaremus. Non est tamen cur adversarii hujus theologi testimonium contra Augustinum producant, qui in eodem loco, nempe articulo illo quinto, in confutatione sententiæ Javelli ait : *Augustinus gratiæ Dei testis insignis et prædicator;* et § *His ergo opinionibus*, addit : *Statuenda est vera sententia juxta mentem Augustini et D. Thomæ.* Quare, si quid deceptus dixit de Augustino, uti excusatione illum quidem dignum ducimus, ita non tantæ auctoritatis habendus est, ut ejus testimonium contra sanctum doctorem palmaribus characteribus expressum ab adversariis exaggerandum videatur.

### § XI. *Sanctus Bernardus perperam contra Augustinum ab Annato adductus.*

Recentiores, ut ingens testium agmen quo sanctum Augustinum non loco tantum movere, sed etiam penitus obruere tentarunt, nobilissimi Patris testimonio claudant, sanctum Bernardum contra Augustinum suffragium dare affirmant, clamantes cum Annato, pag. 884 : « Veniat ergo post ultimum sanctus Bernardus, qui nominari debuit ante primum. » Ille vero nunquam contra Augustinum descendet, nec si machinas omnes admoveatis. At inquiunt : « Igitur sanctus Bernardus, tam religiosus sancti Augustini cultor, tam studiosus lector, tam idoneus arbiter ecclesiasticæ ac necessariæ doctrinæ, peculiarem tamen ejus sententiam, qua negat sanctum Joannem Baptistam accepisse plenam in utero materno sanctificationis gratiam, rejicit in epistola ad canonicos Lugdunenses, et principio quo nitebatur Augustinus, quod scilicet nemo renatus dici possit priusquam natus, contrarium opponit, aitque posse aliquem prius sanctum esse quam natum. » Cum vero sciant Augustinum quandoque a Bernardo appellatum validissimum malleum hæreticorum, atque catholicæ religionis columnam, quasi per risum ita concludunt : « Constat ergo exemplo sancti Bernardi tales esse quas dixerat duas illas columnas, ut non sit necessario timendum, si quis ita divellatur ab Augustino, ut tamen innitatur Ambrosio, etiam in iis quæ contra Pelagianos Augustinus disputavit, neque nullum videri posse aliquando validissimi hæreticorum mallei incertum ictum. » Hæc illi.

Fatemur particularem fuisse sancti doctoris sententiam adversus Pelagianos de peccato originali disputantis, Jeremiam ac Joannem Baptistam non fuisse plene a peccato originali in uteris matrum per gratiam sanctificantem liberatos. Hoc docuit epist. 57 ad Dardanum, et lib. iv contra Jul., Operis imperf. cap. 133, ubi ait : « Quia et Jeremias et Joannes, quamvis sanctificati in uteris matrum, traxerunt tamen originale peccatum : nam quo alio merito interirent eorum animæ de populo suo, nisi die octavo circumciderentur, nisi ad Christi gratiam pervenirent, etc. Erant ergo illi et natura filii iræ ab uteris matrum, et gratia filii misericordiæ ab uteris matrum, quia nec adhuc eis inerat sanctitas quæ vinculum solveret successionis obnoxiæ, quod suo tempore solvi oportebat, et inerat tamen quæ præconem Christi a maternis visceribus designabat. » Duo hic considerandi sunt, Joannem Baptistam repletum per Spiritus sancti gratiam prophetiæ dono, postea noxa originali liberatum fuisse in utero. Primum concedit

sanctus Augustinus, alterum negat, ut ejus verba clare ostendunt. Sanctus Bernardus primum et ipse sine hæsitatione concedit, de altero vero dicit se non audere quippiam definire. Audiantur dulcia Melliflui doctoris verba, ne Annati in Augustinum amarus sermo nobis fastidium ingerat : « Certissime autem, inquit, sanctus Spiritus, quem replevit, sanctificavit. Cæterum quatenus adversus originale peccatum hæc ipsa sanctificatio valuerit, sive pro isto, sive pro illo propheta, vel si quis alius simili præventus gratia fuerit, NON TEMERE DIXERIM. » Deinde sententiam sancti Augustini considerans addit : « Attamen quis dicat Spiritu sancto repletum manere adhuc filium nihilominus iræ, et, si mori in utero contigisset, cum hac plenitudine spiritus pœnas luiturum damnationis? Durum est; MINIME tamen AUSIM hinc QUIPPIAM MEA SENTENTIA DEFINIRE. Sed quidquid de hoc sit, etc. » Vides, Annate, nihil ea in re Bernardum definire, unius, ut jure quidem arbitror, Augustini, quem habebat, ut dicis, *dum hæc scriberet, præsentem*, auctoritate remoratum? Dura illi Augustini sententia visa est, at durius fassus est ab Augustino discedere : *Minime tamen*, inquit, *ausim hinc quippiam mea sententia definire.* Hoccine est, Annate, ut jocaris, *divelli ab Augustino?* hoc putare *nullum aliquando validissimi hæreticorum mallei incertum ictum?* Imo hoc est lectoribus fucum facere, ac Bernardo nimium injuriosum esse, dum illum ea recitantem inducis de Augustino quæ ne cogitavit quidem. Illa itaque est Melliflui sententia epist. 174 ad canonicos Lugdunenses.

Sed aliud quid Annatus garrit, contenditque Bernardum diversa, imo adversa sapere vel eo ipso in loco ab Augustino recedendo, ubi se cum Augustino aut errare aut sapere profitetur, nempe epist. 77 ad Hugonem. Do Annati verba : « Ut omittam quod relata illa sententia qua sensit Augustinus internam cordis conversionem ad Deum externam baptismi susceptionem posse supplere, vir minime jactabundus negare audet fuisse uspiam ab eo retractatam, quamvis retractasset exemplum quod subjecerat sancti latronis, ea ratione quod incertum esset an fuisset baptizatus. » Nescio quo consilio Annatus hic paralepsi utatur. Eia age, edissere cur ex Bernardo Augustinum accusare tibi in religionem venit? Ita est, Bernardus vir minime jactabundus Augustini sententiam, qua asserit internam cordis conversionem ad Deum baptismum posse supplere, *negare audet fuisse uspiam ab eo retractatam.* Forte hanc sententiam retractandam Augustino fuisse putas? Illam sententiam ante sanctum Augustinum docuerat sanctus Cyprianus, quem laudat sanctus doctor lib. IV de Baptismo, cap. 22, ubi de baptismo ait, si ex necessitate desit, posse supplere *fidem, conversionemque cordis*, quia *tunc impletur invisibiliter, cum mysterium baptismi non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit.* Sed et sanctus Ambrosius hoc ipsum docuerat de Valentiniano imperatore, ut patet ex ejusdem oratione in qua defuncti Valentiniani laudes recitat. Utrumque vero, Ambrosium nempe et Augustinum, sequitur sanctus Bernardus, illa in epistola 77, quorum testimonia laudat, scribens : « Ab his ergo duabus columnis (Augustinum loquor et Ambrosium), crede mihi, difficile avellor. Cum his, inquam, me aut errare aut sapere fateor; credens et ipse sola fide hominem posse salvari cum desiderio percipiendi sacramentum, si tamen pio adimplendi desiderio mors anticipans, seu alia quæcunque vis invincibilis obviaverit. » Audis, Bernardum virum minime jactabundum cum Augustino sapere et credere, *sola fide hominem posse salvari cum desiderio percipiendi sacramentum?* Cur vero eam sententiam Augustini diceret fuisse uspiam ab eo retractatam, in quam pedibus ivit? Sed et apostolica sedes eamdem sententiam ob Augustini auctoritatem approbavit. Innocentius III, in litteris ad Cremonensem episcopum, quæ apud Gregorium IX exstant lib. III, tit. 43, cap. 2, ita scribit : « Quem sine unda baptismatis extremum diem claussisse significasti, quia in sanctæ matris Ecclesiæ fide et Christi nomine perseveravit, ab originali peccato solutum et cœlestis patriæ gaudia esse adeptum asserimus incunctanter. Lege super octavo libro Augustini de Civitate Dei, ubi inter cætera legitur : *Baptismus invisibiliter ministratur, quem non contemptus religionis, sed terminus necessitatis excludit.* » Error tamen irrepsit, nam verba illa leguntur non in libro VIII de Civitate Dei, sed lib. IV de Baptismo, ut recitavimus, quæ etiam laudatus Bernardus ex eodem libro IV adduxit. Hinc theologi baptismum flaminis, et Tridentina synodus, sess. 6, cap. 4, baptismum *in voto* justificare decernunt. Quid igitur tibi in mentem venit, Annate, dum sententiam illam sancti doctoris ab Ecclesia approbatam quasi retractatione dignam recensuisti, quam etiam constanter idem tenuit post exortos Pelagianos ad finem usque vitæ? Legatur lib. I de Origine animæ, cap. 9 et lib. II Retract., cap. 18. Qui plura ea de re scire cupit, consulat Christianum Lupum, auctorem satis notum, in lib. de Attritione et contritione, cap. 8.

An forte irrides quod de baptismo sancti latronis Augustinus insinuavit? Sanctus doctor rem sibi certam, nempe conversionem cordis supplere vicem baptismi, non posse satis efficaciter illo exemplo demonstrari fassus est in libro II Retract., cap. 18, affirmans a quibusdam *non incredibiliter* dici latronem *aqua illa, quæ de vulnere lateris ejus emicuit, tanquam sacratissimo baptismo fuisse perfusum*, lib. I laudato. Cæterum idem Pater non putavit illum fuisse ante crucifixionem baptizatum. Aperte ait ibidem : « Latro ille non ante crucem Domini sectator, sed in cruce confessor, etc. Tunc etiam fides ejus de ligno floruit, quando discipulorum marcuit. » Illa vero de baptismo latronis adducit, quibus confutaret errorem Vincentii Victoris, qui exemplo latronis contendebat pueros sine baptismo mortuos pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, ut patet ex lib. III de Origine animæ ad Vincentium, ubi toto cap. 9 de baptismo latronis discurrit. Quæ tamen ita adduxit ut omnem errandi occasionem ex

illius latronis exemplo resecaret. Hinc lib. I, cap. 9, cum varios modos recensuisset quibus latro ille vel dicebatur vel dici poterat baptizatus, conclusit : « Verum hæc ut volet quisque accipiat, dum tamen de baptismo non præscribatur Salvatoris præcepto hujus latronis exemplo. » Et ipse Bernardus consentit incertum esse an latro fuerit baptizatus, dicens : « Eo quod sane incertum sit utrumnam fuerit baptizatus. » Hinc Pater Lupus, in sanctorum Patrum lectione summa cum laude versatus, in opusculo laudato de Contritione et attrit., cap. 9, ait « Latronis baptisma esse incertum. Variat non solum Augustinus, sed Patres passim omnes. » Hæc quidem addidi, quia ex illa sancti Bernardi epistola 77 ad Hugonem, quale Augustini dictum ab adversario per reticentiam reprehensioni expositum jure notari possit, prorsus non video, sed nec eumdem Annatum vidisse existimo.

§ XII. *Sanctum Augustinum contra Augustinum producunt.*

Rem confecisse ac tota causa Augustinum dejecisse sibi persuadent, faventibus suffragiis, ut gloriantur, « trium summorum pontificum sex cardinalium ex omni numero eruditissimorum et fere sanctissimorum, tot deinde antistitum, tot doctorum omnium scholarum, ordinum et nationum. » Annati sibi victoriam ac triumphum canentis voces sunt cap. 4, pag. 887. Sed ut Augustino omnem prorsus evadendi aditum præcludant, ad ipsiusmet confessionem provocant, quippe qui tantorum testium omni exceptione majorum vocibus convictus integram ipsis litem sit concessurus. Audiatur Annatus cap. 5, pag. 888, qui adeo victoriæ securus in arenam descendit, ut nullo pacto dubitet vel ipsomet Augustino judice postrema veluti acie dimicare : « Quando, inquit, ea conditione disputamus ut stemus Augustini judicio, inquirendum est hoc quoque, censueritne Augustinus placita omnia sua, etiam illa quæ, dum Pelagianos insectatur, exposuit, amplectenda esse necessario. » In primis contendunt statuisse Augustinum tria tantum dogmata adversus Pelagianos juxta catholicam fidem esse tenenda, quod Sadoletus recentiores docens olim dixerat in epistola ad Contarenum, uti § 1 narravimus. Rursus plura sancti Patris testimonia producunt, quibus asserit nolle se eam lectoribus legem imponere, ut omnibus abs se positis assertionibus acquiescant, ablata omni prorsus contradicendi libertate. Unum dabo, nam idem reliquorum sensus est diversis tantum verbis expressus. In epistola ad Fortunatianum scribit : « Neque enim quorumlibet disputationes, quamvis catholicorum et laudatorum hominum velut Scripturas canonicas habere debemus, ut nobis non liceat, salva honorificentia quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare atque respuere, si forte invenerimus quod aliter senserint quam veritas habet divino adjutorio, vel ab aliis intellecta vel a nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum, tales volo esse intellectores meorum. » Ex quibus aliisve eamdem in rem adductis exclamant : « Licet ergo ex Augustino Augustini doctrinam aliorum scriptorum judicio censendam exponere, licet et proprio, idque salva honorificentia. Neque adeo perversum est hoc consilium, ut habere non possit adjutorem Deum. » Loquitur Annatus pag. 897. Nil tamen novi hisce censores afferunt, sed Pelagianorum ac Lutheranorum voces contra Augustinum integras repetunt. Pelagiani, cum ab Augustino Patrum testimoniis oppugnarentur, ex Augustini libris nullam sibi Patribus adhærendi necessitatem esse insolenter respondebant. Audiatur Julianus lib. IV Operis imperf., cap. 111 : « Sed bene quod nos onere talium personarum levasti : nam in libro quem ad Timasium contra liberum arbitrium contexuisti, cum sanctus Pelagius venerabilium virorum tam Ambrosii quam Cypriani recordatus fuisset, qui liberum arbitrium in libris suis commendaverant, respondisti nulla te gravari auctoritate talium, ita ut diceres eos processu vitæ melioris, si quid male senserant, expiasse. Tua tibi ad hoc relata sint, ut excitare de solis nominibus erubescas invidiam. » At non veterum tantum hæreticorum, sed et recentium dogmatistarum tritum hoc effugium esse ad sanctorum Patrum, ac præcipue Augustini auctoritatem eludendam, testatur eruditissimus vir Stapletonus tomo I, contr. 3, lib. VII, cap. 15 : « Alii (inquit de Protestantibus non plus eis (nempe Patribus) tribuendum esse arguunt, quam ipsimet Patres sibi tribui postulant, et hoc in loco varias Augustini sententias producunt, quibus ille suis scriptis non aliter fidem haberi postulat quam quatenus ex Scriptura sacra vel ex evidenti ratione sententiam suam confirmaverit. » Additque in verbis sancti Augustini ex lib. II contra Faustum, cap. 5, in quo loco sibi plaudit Annatus pag. 897, eos *mirifice exsultare.*

Doctissimus idemque sanctissimus Pater cæteris virtutibus, quibus divino munere ad stuporem usque ornatus fuit, sociam modestiam adjunxit, neque tantum sibi unquam tribui voluit quantum Pythagoræ a discipulis delatum fuit, ut illud esset ineluctabile argumentum Αὐτὸς ἔφα. Hoc unum Augustinus rogat tota epistola septima ad Marcellinum. Cæterum disputans contra Pelagianos passim capitalia dogmata tanquam catholicas sententias defendere se profitetur. Ita lib. V contra Jul., cap. 12, quinque de concupiscentia quæstiones agitat, ubi ait : « In his quæstionibus catholica veritate antiquitus tradita, vestra impia novitas suffocatur. » In epistola 107 ad Vitalem duodecim theses de gratia statuit, asserens easdem « ad fidem rectam et catholicam pertinere. » Idem de prædestinatione docet lib. de Dono persev., cap. 23, in fine. Illud vel maxime iterum recolendum est, sanctum doctorem, cum in libris Retractationum plures sententias correxerit, nullam contra Pelagianos statutam aut defensam thesim expunxisse, ut planum fiat Augustinum censuisse omnia et singula quæ illis in libris docuerat a vero non dissonare, sed novum laborem atque exactiorem diligentiam Augustinus forte recentioribus reliquit, qui ite-

rum severiori judicio eadem Hipponensis scripta, ut ait Annatus, pag. 897, *inspirante Deo examinata*, errores continere demonstrarent.

Cum olim Semi-Pelagiani Augustinum erroris arguerent in iis libris quos contra Pelagianos procuderat, modestissimi vir ingenii respondit in fine lib. de Dono perseverantiæ : « Qui vero errare me existimant, etiam atque etiam diligenter quæ sunt dicta considerent, ne fortassis ipsi errent. » Ibidem vero cap. 21 ait : « Quamvis neminem velim sic amplecti omnia mea ut me sequatur, nisi in iis in quibus me non errare perspexerit ; nam propterea nunc facio libros, in quibus opuscula mea retractanda suscepi, ut nec me ipsum in omnibus me secutum fuisse demonstrem, » etc. Quæ quidem attentiori mentis acie considerans magnus ille Annalium ecclesiasticorum scriptor cardinalis Baronius, tomo V ad annum 426, pag. 498, hæc in Augustini commendationem scripsit, quæ licet superius recitata sint, libeat hic quoque repetere : « Hæc ipse, ait, digna quidem sancti Augustini modestia, animique ejus admirabili cum submissione verecundia, ut plane nisi aliunde ex his saltem intelligere valeas afflatum ipsum divino Spiritu illa scripsisse, cum non supra quempiam alium quam super humilem, quietum et trementem sermonem Dei divinum affore Numen, Deus per prophetam fuerit contestatus ; sicut et Jacobus docuit, ubi ait : *Quæ desursum est sapientia primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suasibilis, bonis consentiens.* » Hæc ille. Et tamen eo prorupit Annatus, ut affirmare non extimuerit cap. v, pag. 897, impugnatorem Augustini *habiturum adjutorem Deum!* Et hic inter sancti doctoris defensores numerari vult, Augustinum a Baianis vindicando? Non est hoc, Annate, Augustini causam tueri, sed prodere.

Verum licet præ animi modestia adeo humiliter de se Augustinus sensit, catholicæ tamen Ecclesiæ judicio ejus de divina gratia doctrina ita approbata est, ut vel ipsi recentiores qui post Annatum contra Jansenium scripsere, rei evidentia coacti hanc Augustinianæ auctoritati, non dicam laudem, non testimonium, sed confessionem cum Decampsio dederint : « Conciliorum sanctiones et Romanorum pontificum edicta quibus Pelagiana hæresis jugulata occubuit, ex sancti Augustini libris petita sunt, sancti Augustini doctrinam continent, sancti Augustini verbis exprimuntur. Fuit Augustinus quodammodo Ecclesiæ præcentor, cum Romanis pontificibus et conciliis ore præivit quod de superbissima hæresi judicarunt. Fuit lingua Ecclesiæ, cum ejus verbis decreta concepta sunt, et quæ prius fuerant Augustini voces, Spiritus sancti oracula esse cœperunt. Fuit ille conciliorum dux atque ingenium, cum iis rationes et argumenta subministravit quibus Pelagium ejusque complices fregerunt, lib. III Hæres. Jans., disp. 1, cap. 6. Video Annatum spissum hic pulverem excitare, quo tantam Romanæ Ecclesiæ lucem Augustinum quaquaversum irradiantem obducat. Quas enim ille nebulas cogit toto capite sexto quibus delatas a Romanis præsulibus Augustino laudes offuscet? Illius tamen vanos conatus in sequenti capite reprimemus, ubi sancti doctoris auctoritatem apostolicæ sedis sententia toties munitam ab hujus sancti Patris vindicatoris, uti se jactat, objectionibus pravisque interpretamentis asseremus.

Attamen, etiamsi nullus pro Augustino veterum Patrum staret, ac Vaticana oracula silerent prorsus omnia, non adeo deplorata censenda esset Augustini causa, ut Annato eidem adversante, nullum faventem judicem sortiri in orbe posset, præsertim cum manifestum sit plura ipsum testimonia falsasse, alia prorsus finxisse, quosdam in testes adduxisse, vel Semi-Pelagiano errore infectos, vel grammaticos imperitos, vel novos ex jurisconsultis theologos, vel impudentes minusque consulto locutos, atque Augustinensium librorum prorsus inscios. At cum sancti Augustini doctrina tot Romanorum præsulum laudibus, tot conciliorum decretis, tot omnium veteris Ecclesiæ Patrum encomiis ornata, munita ac defensa sit, quis nuper eamdem in judicium a recentioribus vocatam damnari vel minima ex parte posse suspicetur? ab Augustino enim stat antiquitas, a recentioribus novitas ; illinc sanctitas, hinc audacia ; illinc antiqui Patres, hinc novi scriptores ; illinc tot sæculorum consensus, hinc nostræ ætatis scholasticorum minima portio. Quæ sane cum attentius considero, illud subinde mecum reputo, nescire me an laudem vel odium potius apud probos hoc opere mihimet conciliarim contraxerimve. Profecto arbitror non defuturos qui me inanem operam posuisse dicent, Augustinum in judicio contra recentiorum accusationes defendendo, quasi horum temeritas vel initio causæ non statim intelligatur, qui contra summum Ecclesiæ magistrum conductis testibus coram orthodoxo orbe dimicare ausint. Sed veniam precor si quidquam a recentiorum testibus Augustino timere mali visus sum ; ejus enim causam defendendam suscepi, ne apud imperitos nimiumque credulos tantorum testium nomina, quæ adversarii longo ordine contra Augustinum producere gloriabantur, vel fidem invenirent, vel suspicionem saltem ingererent.

## CAPUT VI.

*Elogia a summis pontificibus Augustinianæ doctrinæ contra Pelagianos delata a sinistris recentiorum interpretationibus vindicantur.*

Sane non levem invidiam redolet recentiorum factum, de quo hoc loco sermonem instituimus. Romani præsules sancti Augustini de divina gratia doctrinam miris præconiis consecrarunt. Unde tanta eidem ab omnibus per tot retro sæcula veneratio impensa est, ut post eorumdem pontificum voces orthodoxi unum Augustinum inaudiverint, imo Augustini dogmata in pontificum decreta ac synodorum canones transierint, quod in Historia Pelagiana demonstravimus. Hæc quidem recentiorum animum altius pupugere ; quare delata Augustinianæ doctrinæ a Romanis præsulibus elogia falsis interpretationibus

partim decurtare, partim eludere audacter quidem, sed non æque feliciter conati sunt.

Primus inter pontifices qui sanctum Augustinum commendarunt, Innocentius producitur, qui cum ab Augustino litteras accepisset a quatuor aliis collegis subscriptas, quibus Pelagii errores eidem significabantur, respondit epist. 96 inter Augustinianas : « Quod earum tenor omnisque contextio est in consideratione quotidianæ gratiæ Dei, et in eorum correctione qui contra sentiunt, integra ratione consistit, ut et illis omnem tollere possit errorem, et idoneum dato cuivis nostræ legis exemplo, quem sequi debeat dignum possit præbere doctorem. » Legantur quæ diximus lib. I Histor. Pelag., cap. 11. Recentiores haud universam sancti Augustini doctrinam contra Pelagianos ab Innocentio approbatam fuisse contendunt, sed qua parte tantum decertat contra duos Pelagii errores, quos ibi pontifex damnat. Do verba Moraines, disp. 12 Anti-Jans., num. 49 : « Ex hac autem approbatione hujusmodi litterarum de uno aut altero tantum errore loquentium, inferre velle totam D. Augustini doctrinam de gratia fuisse specialiter ab Innocentio approbatam, est malitiose simplicibus illudere, et eruditorum patientia intolerabiliter abuti. » Quod vero sanctus Augustinus, quo melius Pelagianæ hæresis faciem Innocentio suis coloribus pictam ostenderet, ejusdem hæresiarchæ librum in laudem naturæ emissum atque adversarium abs se de Natura et gratia compositum volumen miserat, addit ibidem : « Respondens Innocentius sequenti epistola 91, nullam facit mentionem aliorum errorum Pelagii, neque libri de Natura et gratia D. Augustini, sed tantum laudat præcedentem epistolam ab illis ad se scriptam. » Duos vero errores ibidem tantum damnatos esse ait, nempe non dari peccatum originis, neque Dei gratiam esse necessariam ad recte pieque vivendum.

Quid de libro Pelagii sanctus Innocentius decernat audiamus : « Librum sane, inquit, qui ejus esse diceretur, nobis a vestra charitate transmissum evolvimus, in quo MULTA blasphemia nihil quod placeret, NIHIL quod non penitus displiceret, a quovis damnandum atque calcandum, cui similia nisi qui ista scripserat, nemo alter in mentem reciperet atque sentiret. » Itane *nihil* Pelagiani libri Innocentio placere, *nihil* in eo scribi quod non displiceat, est unius tantum aut alterius erroris condemnari, an potius plenum erroribus judicari? Unam interim particulam disjunctivam corrigas, Morainie ; dixisti enim Innocentii litteras *de uno aut altero errore* loqui ; reponas conjunctionem, de uno ET altero illam periodum reddens, ne quis erga te malevolentior dubitasse te dicat, duone an unus tantum Pelagii error illis in litteris proscribatur. Sed ad Augustinum meum redeo. Hic Pelagii librum ad Innocentium mittens cum ejusdem confutatione asteriscis loca Pelagii signarat, ubi hic non recte de divina gratia sentiebat, quæ displicuisse Innocentio, cui NIHIL illius libelli placuit, quis dubitet ? Librum vero Augustini approbatum ac laudatum fuisse, et quidem de lege reos sine gratia homines faciente disputantem, quæ falsa atque ob furorem contra hæreticos Augustino excidisse fingit Moraines disput. 24, num. 44, ex his Innocentii verbis colligitur : « Nam hoc loco latius de lege disputare velut coram posito repugnanteque Pelagio necessarium esse non duximus, cum vobiscum TOTUM SCIENTIBUS, PARIQUE NOBISCUM ASSENSIONE gaudentibus colloquamur. » Audin' Augustinum totum scientem, ac per omnia Innocentio in iis quæ de lege sine gratia proxime sufficienti reos faciente disputarat, plenissime consentientem ?

Innocentio successit Zosimus, dein Bonifacius, qui sanctum Augustinum mirifice coluerunt, quibusque ejusdem doctrina probata fuit. Annatus, lib. VIII, cap. 6, pag. 908, hæc scribit : « Quare non possit ab ejusmodi doctore instructio peti ad concipiendam erroris contrarii damnationem, ut Zosimus, ut Bonifacius, ut Felix hujus nominis IV petiisse DICUNTUR ab Augustino. » Hæc quidem recte se habent, sed rectius foret id non vulgari fama assertum dicere, sed constanter astruere. Ea enim phrasi utimur, cum de re minus comperta loquimur ; quis enim mero meridie pronuntiet solem DICI splendescere ? Novimus Annati erga Augustinum animum, hinc suspicioni locum damus. Zosimus non prius decretoriam in Cœlestii ac Pelagii causa sententiam tulit, quam ab Africanis synodis, quorum, teste Prospero, Augustinus *ingenium* erat, litteras acciperet, ut in Historia Pelagiana, lib. I, cap. 13, dictum est. Bonifacius etiam Juliani litteras ad Augustinum confutandas transmisit, ut ibidem pariter narravimus, cap. 21. De Felice papa diximus lib. II, cap. 23. Quæ, ne actum agamus, iterum non repetimus. Itaque et reapse pontifices illi contra Pelagianos instructionem ab Augustino petiere, idque ex ipsius Augustini libris, et ejusdem sæculi Patribus, et non vulgi tantum rumore manifestum est.

Bonifacio subrogatus Cœlestinus non modo sancti Augustini doctrinam laudavit, sed ejusdem calumniatores datis ad episcopos Galliæ litteris percu'it. Elogium vero, veluti paulo ante de mortuo Augustino sepulchralem inscriptionem, hocce apposuit : *Augustinum sanctæ recordationis virum pro vita sua atque meritis in nostra communione semper habuimus, nec unquam hunc sinistræ suspicionis saltem rumor aspersit, quem* TANTÆ SCIENTIÆ *olim fuisse meminimus, ut inter magistros optimos, etiam a meis semper decessoribus haberetur.* BENE *ergo* DE EO OMNES *in commune* SENSERUNT, *utpote qui* UBIQUE CUNCTIS ET AMORI FUERIT ET HONORI ; *unde* RESISTENDUM TALIBUS, *quos male crescere videmus.* Tradit Cœlestinus, imo jubet resistendum Augustinianæ famæ decurtatoribus. Sanctus Prosper cum eximiam hanc de Augustino laudem ex Cœlestino recitasset in fine libri contra Collatorem exclamavit : « Contra istam clarissimæ laudationis tubam, contra istam sacratissimi testimonii dignitatem audet quispiam MALIGNÆ INTERPRETATIONIS murmur emittere, et perspicuæ sinceritissimæque

sententiæ nubem obliquæ ambiguitatis obtendere? » Ita plane, o Prosper, conantur audentque recentiores? Imo uti inter cætera ab apostolica sede Augustino data præconia illud jure merito primo loco reponitur, ita totis ingenii viribus desudant, quo tantarum laudum splendori *nubem obliquæ ambiguitatis obtendant*, ne tantum inde lucis in Augustinum derivet.

Annatus, lib. I sui Augustini, cap. 8, audito Cœlestini elogio, ait : « Non dicit esse Patrem Patrum, doctorem doctorum, primum angelum inter cæteros episcopos, inter omnes excellentissimum, vere irrefragabilem et ineffabiliter mirabilem. Habitum esse dicit a suis prædecessoribus Innocentio, Zosimo, Bonifacio inter magistros optimos; atque ita putabantur quidem alii sancti Patres esse quoque optimi magistri, a quibus si dissensisset Augustinus, quid putamus Cœlestinum fuisse nobis præcepturum, ut optimos optimo postponeremus, et multos uni, quonam id jure vel qua ratione? » Cum vero Cœlestinus postea, ut putant, cap. 3, Semi-Pelagianos reprehendat *piissimis disputatoribus obviare* præsumentes, addit Annatus : « Hos ergo dicit Cœlestinus obviasse non Augustino soli, sed piissimis disputatoribus et magistris, quibus verbis non est dubium quin comprehenderetur etiam Hieronymus. » Hæc illi omni arte adnitentes Augustinum in ordinem fere redegere, ut in Pelagiano bello non supremus quidem imperator, sed tanquam e præfectorum numero æquali cum multis auctoritate habeatur. Hæc autem eo consilio moliuntur ut quoniam Augustini nomine se gravari sero jam tandem sentiunt, aliorum Patrum qui de gratia quid sentirent *breviter quibusdam*, ut cap. 14 de Prædestinatione sanctorum ait Augustinus, *scriptorum suorum locis et transeunter attigerunt*, suffragia jactare possint : etenim cum illi non tam aperte et perspicue de divinæ prædestinationis ac gratiæ mysteriis disseruerint, quædam eorum dicta, quando nondum Pelagianis, ut idem lib. I contra Jul., cap. 6, scribit, *litigantibus securius loquebantur*, veluti sibi faventia recentiores arripiunt, dimissis sancti Augustini sententiis clarissimis, apertissimis, evidentissimis, eam cæteris Patribus postpositi Augustini causam, rationemque reddentes cum Adamo part. III Calv. destr., c. 16, pag. 760 : « Hæ (Augustini) tenebræ me cogunt ad lucem alibi quærendam, quam in synodis et aliorum doctorum libris invenio. » Mira docent. Profecto non dicam obscure, sed non tam clare locuti dicendi sunt alii Patres, qui de gratia *breviter et transeunter* quædam solummodo attigerunt, non vero Augustinus, qui copiosissime ac fusissime in triginta et amplius libris de eadem gratia disputavit, ex brevitate enim obscuritas, ex copia vero sermonis claritas derivat. Sed Augustinum cæteris præponendum esse, ubi de divinæ gratiæ auxiliis agitur, tanquam supremum catholici exercitus ducem vetustioris Ecclesiæ Patres tradidere. Canit sanctus Prosper contra Ingratos, cap. 3 :

A ISTIUS *inter cunctos, qui de grege sancto*
*Insanas pepulere feras*, INDUSTRIA MAJOR.
MAJUS OPUS, *totum* PRÆSTANTIUS *imbuit Orbem.*

Sanctus Fulgentius, episcopus Ruspensis, lib. II de Veritate prædestinationis et gratiæ, cap. 17, ait : « Hæc itaque catholicorum Patrum apostolicis institutionibus tradita permanet in Ecclesia sine dubitatione doctrina, quam Græci Latinique pontifices sancti Spiritus infusione firmati, uno atque indissolubili semper tenuere consensu. In qua beatus Augustinus, indutus virtute ex alto, abundantius illis omnibus laboravit : non autem ipse, sed gratia Dei cum illo. Ipsius enim ministerio Dominus uberiorem hujus rei fidelibus suis instructionem præbuit, » etc. Audiatur iterum proxime laudatus magnus ille Prosper; in præfatione contra Collatorem ait : « Viginti amplius annis contra inimicos gratiæ Dei catholica acies HUJUS VIRI ductu pugnat et vincit. » Forte Annatus respondebit cum suo Vasquezio part. 1, disp. 97, cap. 3, num. 20 : « Fateor sane suspecta mihi esse testimonia Prosperi et Fulgentii, quod diligentissimi et exactissimi Augustini discipuli sint. » Audiat igitur ipsius Vasquii confessionem, quando utriusque illius Patris *testimonia suspecta* sunt. Scribit hic in part. I, disp. 90, capite 6, numero 37 : « Quamvis nullus esset ex Patribus commemoratis, quem pro hac sententia de gratiæ necessitate ad singula opera bona moralia scholastici doctores allegare possent, in UNO SOLO AUGUSTINO ejusque schola suæ opinionis præsidium libenter collocarent, eumque sibi sufficere merito arbitrarentur, quod UNICUS sit qui dum agitur de gratiæ necessitate, sicut sol inter reliquos præfulgeat. » Verum nos non ex Vasquio ista discimus, sed ex Romanæ Ecclesiæ pontificibus. Cum Julianus adversus divinam gratiam scripsisset, sanctus Bonifacius papa ab uno Augustino responsum postulavit. Cum Oriens ob Fausti Rejensis libros in partes divisus esset, sanctus Hormisdas ab Augustino cognoscendum scripsit quid Romana sequeretur et servaret Ecclesia. Galliis etiam per centum fere annos iisdem dissensionibus contusis, Felix IV ex unius Augustini libris sententiis desumptis pacem dedit. Nostro hoc etiam sæculo universa Europa exortis de auxiliis divinæ gratiæ litigiis in partes dilaniata, Clemens VIII eas lites ad unius Augustini tribunal jussit agitari. Quibus sane Romani pontifices non obscure significarunt in controversiis de divina gratia unius Augustini vestigiis nobis inhærendum esse. Nusquam tamen solus est Augustinus, sed secum ingens subsecutorum Patrum agmen trahit, nempe Prosperum, Fulgentium, Cæsarium, Petrum Diaconum, Patres Byzacenos in Sardinia exsules, Rhemigium, Prudentium, Anselmum, Bernardum, aliosve qui sancti doctoris vestigia illis in controversiis sequuntur : qua quidem consideratione ruit ingens ille apparatus, quem Annatus libro primo per plura capita componit, quasi in aliqua sententia de gratia solitarius esse possit Augustinus. Sane Prosper et

Fulgentius, qui de Semi-Pelagianis triumpharunt, semper cum Augustino sunt, ita ut si ex una parte Augustinus duoque isti tantum sint, ex opposita vero longe plures Patres numerentur, quis non potius illi Patrum triadi inhæreat, quæ de Pelagiana hæresi triumphavit, neque citra temeritatem erroris accusari potest? Procul etiam hinc abeant illæ Morainii querelæ in præfatione ad orthodoxos : « Quid enim, si hæretici suis argutiis possent evincere se non esse aperte ab Augustino damnatos, Ecclesiæ causa deserenda esset, et insufficiens foret omnium aliorum Patrum pro veritate consensus, quia Augustinus est necessarius? Iniqua certe esset Ecclesiæ conditio, cui Deus non unicum doctorem, sed doctores promisit, ut non circumferamur omni vento doctrinæ. » Erras, o bone vir! et toto ostio erras, nunquam solus est Augustinus, et si quidpiam primus de prædestinatione dixit, jam non solus hoc dixit, tot subsecutis Patribus Augustini verba reddentibus, quæ adversarii non satis adnotarunt.

Quod vero addit Annatus, illis verbis Cœlestini contra Semi-Pelagianos : « Piissimis disputatoribus obviare præsumunt, et cum Pelagium atque Cœlestium anathematizare non dubitent, magistris tamen nostris, tanquam necessarium modum excesserint, obloquuntur, » non unum Augustinum intelligi, sed etiam Hieronymum, imperite prorsus asseritur : etenim Semi-Pelagiani contra unum Augustinum loquebantur, quod solus illam de prædestinatione gratuita sententiam docuisset. Scribit enim Prosper ad Augustinum : « Ea quæ de epistola apostoli Pauli Romanis scribentis, ad manifestationem divinæ gratiæ prævenientis electorum merita proferuntur, A NULLO unquam ecclesiasticorum ita esse intellecta, ut NUNC sentiuntur, affirmant. » Non igitur una cum Augustino Hieronymus reprehendebatur a Semi-Pelagianis; imo ita Hieronymus de gratia contra Pelagianos scripsit, ut Semi-Pelagianorum sententiam tenuisse quibusdam visus fuerit; nam lib. III Dialog. contra Pelag. ait : « Justitia, labore et industria, ac diligentia, et semper super omnia Dei clementia custoditur, ut nostrum sit rogare, illius tribuere quod rogatur, NOSTRUM INCIPERE, illius perficere, NOSTRUM OFFERRE quod possumus, illius implere quod non possumus. » Quæ quidem a Semi-Pelagianis pro suo ipsorum dogmate accipi poterant, quorum sententia erat, ut verbis utar Prosperi contra Collat., cap. 8 : « Ut boni salubresque conatus nequeant quidem proficere, nisi Deus adjuvet, possunt tamen, etiamsi non a Deo inspirentur, incipere. » Et sane Hieronymum cum Semi-Pelagianis sensisse eo loci scribit Jansenius, durius locutum Vossius, et ante utrumque de Hieronymo aliqui dubitarunt apud Vasquium part. 1, disput. 91, cap. 8. Hieronymum vero pluribus conatur defendere idem Annatus lib. VII Augustini vindicati, cap. 12, cui subscribo, nam aperte ait Dei clementia semel habitam gratiam custodiri ; neque labor et industria solitarie, nempe sine gratia, intelligenda sunt, ut fusius discurrit idem recentior. Igitur Semi-Pelagiani Hieronymo non obloquebantur, quem in sua ipsorum sententia esse suspicari poterant. Præterea Cœlestinus ait Semi-Pelagianos adnixos *quiescentium fratrum memoriam dissipare*, et immediate laudat post illa verba Augustinum concludens, *resistendum* obloquutoribus. Unus igitur ibi defenditur Augustinus ; nam si cum Augustino Hieronymus quoque eorumdem dictis lacerabatur, cur pontifex de uno Augustino laudes reddit, Hieronymo in angulum prorsus rejecto? Profecto Prosper, qui apud Cœlestinum sancti Augustini calumniatores detulerat, hujusce Cœlestini sanctionis, quam ipsemet impetraverat, mentionem faciens contra Collatorem cap. 42 ait : « Per hunc virum intra Gallias istis ipsis qui sanctæ memoriæ AUGUSTINI scripta reprehendunt, maleloquentiæ est adempta libertas. » Augustinum tantum et a Massiliensibus reprehensum, et a Cœlestino laudatum scribit, nihil de Hieronymo locutus. At recentiores Augustino illatæ a Semi-Pelagianis calumniæ atque injuriæ socium Hieronymum faciunt, non solatii gratia, sed ut Cœlestiniani elogii pars tantum ad Augustinum devolvatur, altera Hieronymo reservetur. Porro Augustinum plurali numero magistrum ac doctorem ab apostolica sede appellatum paulo inferius constabit, ubi de Felice IV dicemus.

Sanctus Gelasius papa inter sancti Augustini cultores numeratur, eumque non immerito Vasquius part. 1, disput. 91, num. 75, vocat *per omnia Augustinianum*. Ille igitur in epistola ad episcopos per Picenum, uti lib. II Historiæ Pelag., cap. 17, observavimus, hæc scribit : « Adhuc majus scelus accrescit, ut sub conspectu et præsentia sacerdotum beatæ memoriæ Hieronymum atque Augustinum ecclesiasticorum lumina magistrorum musca moritura, sicut scriptum est, exterminans oleum suavitatis lacerare contenderet. » Sua hic glossemata apponit Annatus, lib. I, cap. 8 : « Ecce Hieronymus quoque lumen est magistrorum, sicut Augustinus, testimonio Romani pontificis. » Quis hoc inficias ibit? At multum interest undenam adversus Pelagianorum tenebras magis Ecclesia illustretur, plusque luminis accipiat ab Hieronymone an ab Augustino? In conventu Hierosolymitano contra Pelagium producta fuit ab Orosio epistola sancti Augustini ad Hilarium, itemque paulo post etiam in synodo Diospolitana, de qua re ita scribit sanctus doctor lib. de Peccato orig., cap. 10, hæc synodi verba referens : « Quoniam sanctus episcopus Augustinus adversus discipulos ejus in Sicilia respondit Hilario ad subjecta capitula scribens librum in quo ista continentur, » etc. Quo sane tempore Hieronymus jam ediderat epistolam datam ad Ctesiphontem contra Pelagium, et in Palæstina ipsa aderat, in qua synodus habebatur, majoremque ipsa præsentia ac sanctitatis fama auctoritatem sui nominis reddebat, et tamen Hieronymi epistola prætermissa, ad Augustinianæ epistolæ amussim Pelagius examinatus fuit. Objicient recentiores Joannem Hierosolymitæ-

num Hieronymi hostem acerrimum, sed in Diospolitana synodo non præsidebat antistes Hierosolymitanus, sed Eulogius Cæsareensis Palæstinæ metropolita : ut certe vel initio illarum disputationum satis apparuerit unum Augustinum supra cæteros in Pelagiano bello validissimum ac strenuissimum ducem cœlitus destinatum, ac talem Patrum synodis probatum. Sed quid nobilius ipso Hieronymi et testimonio et exemplo? Cum Orosius libros priores ab Augustino contra Pelagianos publicatos in Asiam ad Hieronymum detulisset, Bethleemiticus Pater doctrinæ copiam, eruditionis excellentiam, rationum momenta integrumque opus admiratus, silentium sibi indixit, idque scripto coram orbe universo publicavit in fine lib. III Dialogorum, ubi, loquens de libris sancti Augustini contra Pelagium, ait : « Alios quoque specialiter tuo nomini cudere dicitur, qui necdum in nostras venere manus, unde supersedendum huic labori censeo, ne dicatur mihi illud Horatii, *In sylvam ne ligna feras*, aut enim eadem diceremus ex superfluo, aut si nova voluerimus dicere, a CLARISSIMO INGENIO OCCUPATA SUNT MELIORA. » Adeo vero Hieronymus religiose silentium postea coluit, ut ab Anniano ejusdem epistola ad Ctesiphontem impugnata, non modo defensionem nullam adornarit, sed per litteras Augustinum ad illam confutandam hortatus fuerit, de qua re libro primo Historiæ Pelag., cap. 19, fusius dictum est. Ille, inquam, Hieronymus impugnatus certamen recusavit, qui nec ab amicissimo olim Rufino impune se vel minimum perstringi passus est, sed editis apologiis illatas quasque calumnias propulsavit. Itaque cum Hieronymus in hoc stadio lampadem Augustino tradiderit, ab isto quoque unice lumen Ecclesia accepit, quo orbem catholicum illustraret. Ex his patet etiam vanam esse illam Morainii vocem in præfatione ad orthodoxos : « Quid de Hieronymo? Eritne etiam ille Augustini discipulus, vel de Angelis inferioribus? » Non discipulus Augustini fuit, sed initio certaminis commilito, dein domi quiescens Augustinensium præliorum ac victoriarum admirator exstitit, toto belli onere in Augustinum devoluto. Gelasius quidem Hieronymum æque ac Augustinum laudat, quod Seneca ille hæreticus utrumque maledico dente proscindebat : sicuti cum Cœlestinus Pontifex unum Augustinum contra Semi-Pelagianorum conatus nominatim defendit, unum illum ab iisdem fuisse impetitum intelligimus, non vero una cum Hieronymo, ut Annatus comminiscebatur. Cæterum Gelasius ea in epistola sancti Augustini solius doctrinam atque dogmata, et quidem quæ recentioribus minime probantur, adeo perspicue tradit, ut vere dicendus sit per *omnia Augustinianus*, idque superius luculenter a nobis probatum est.

Succedit his sanctus Hormisdas papa, qui, uti lib. II Historiæ Pelag., cap. 19, narravimus, de libris Fausti Rejensis a Possessore episcopo consultus, ubi hos ab Ecclesia minime receptos respondit, hæc addidit : « De arbitrio tamen libero et gratia Dei quid A Romana, hoc est catholica sequatur et servet Ecclesia, licet in variis libris beati Augustini, et maxime ad Prosperum et Hilarium abunde possit cognosci, tamen et in scriniis ecclesiasticis expressa capitula continentur, » etc. Quo præconio sancti Augustini doctrinam Ecclesiæ doctrinam declaravit. Recentiores tamen parum inde ponderis Augustinianæ auctoritati adjici putant, pravisque restrictionibus Hormisdæ testimonium limitant. Annatus, lib. VIII, cap. 6, ait : « Postquam enim mittimur ad libros de Bono perseverantiæ et de Prædestinatione sanctorum, qui scripti sunt ad Prosperum et Hilarium, hoc unum putare debemus, pertinere ad Romanam et catholicam fidem, quod Augustinus intendit totis illis libris. » Addit duo ibidem tantum intendi, initium fidei et B usque in finem perseverantiam in bono esse dona Dei. Hinc concludit pag. 905 : « Ergo qui nos ad hos libros mittit summus pontifex audituros quid Romana, hoc est catholica doceat Ecclesia de gratia et libero arbitrio, discere nos hoc tantum jubet. Ergo si quæ alia intercurrant, dum hæc confirmantur ab Augustino, nec habeant necessariam connexionem cum iis quæ potissimum intenduntur, non est mentis pontificis ut eis firmiter adhæreamus, si nihil aliud cogit, quia nec est mentis ipsiusmet Augustini. » Verum invidiosa ac præpostera prorsus hæc glossemata sunt. Quis enim nesciat libros Fausti præcipue, imo unice scriptos contra prædestinationem ante merita prævisa, totus enim in eo est ut sancti Augustini sententiam confutet. Hinc Petrus Diaconus, C in fine libri de Incarnatione et gratia, scribit se cum monachis sociis anathematizare « libros Fausti Galliarum episcopi, qui de monasterio Lirinensi provectus est, quos contra prædestinationis sententiam scriptos esse non est dubium. » Quare, cum Hormisdas Fausti opus reprobet, ac e contra sancti Augustini libros legendos inculcet, sententiam sancti Augustini de gratuita prædestinatione illis in libris assertam probat, quam tamen inter adiaphora Annatus rejicit. Reprobat pontifex Fausti libros inscriptos de Gratia et libero arbitrio ; approbat vero ea quæ de illa materia scribit Augustinus, præcipue ad Prosperum et Hilarium. Itaque quæcunque theses de gratia et libero arbitrio positæ sunt ab Augustino, quibus adversarias opposuit Faustus, illas a Romana D Ecclesia servari ac defendi tradit Hormisdas. Sane invidiam redolet maximam, tam amplum testimonium ad duo tantum dicta coarctari. Sed pontifex non illos duos tantum libros Augustini laudat, sed VARIOS Augustini libros, præcipue vero ad Prosperum et Hilarium datos appellat. Unde ibidem cætera etiam volumina Augustini approbantur ; quidquid igitur in illis docet de gratia et libero arbitrio, hoc, teste Hormisda, Romana sequitur et servat Ecclesia. Annatus vero, quasi particula illa *maxime* idem esset ac restrictiva *solum*, duas tantum sancti doctoris sententias, quas præcipue stabilit in libris de Prædestinatione sanctorum et de Dono perseverantiæ, ab Hormisda confirmatas fingit. Non ita est, Annate,

non ita, præter id quod in illis duobus libris, in aliis quoque VARIIS LIBRIS de Gratia et libero arbitrio Augustinus scripsit, hoc totum Romanæ Ecclesiæ probatur.

Alia via contra Hormisdæ testimonium vadit Decampsius, lib. III de Hær. Jans., disput. 1, cap. 4; nam cum Hormisdas dixerit capitula quædam de gratia et libero arbitrio in scriniis ecclesiasticis contineri, hæc putat esse illas sententias, quæ epistolæ Cœlestini papæ ad episcopos Galliæ annexæ leguntur. Porro has tantum ex Augustinianis libris esse Ecclesiæ Romanæ probatas scribit; ejus verba sunt: « Asserit Hormisdas cognosci ex sancti Augustini operibus posse quid de gratia et libero arbitrio Ecclesia sentiat, quia nimirum in his acerrime defenduntur hæc ipsa capitula, quæ in scriniis ecclesiasticis continentur, quæque epistolæ suæ Cœlestinus intexuit. Quis unquam ex nobis istud negavit? fatemur in sancti Augustini operibus illa ipsa contineri acriterque defendi, quæ ab Ecclesia contra Pelagianos sancita sunt. At negamus aliud nihil in ejus libris reperiri, nobisque in hac parte Hormisdas suffragatur, dum collecta a Cœlestino capitula appellat, in quibus diserte traditur, profundiores quæstiones, quæ ab Augustino contra Pelagianos dimicante latius pertractantur, ab Ecclesia Romana non fuisse comprobatas. » Verum quis ecclesiastica scrinia Decampsio reclusit, ut tam confidenter scire potuerit Hormisdam nomine capitulorum illas Cœlestini sententias intellexisse? Unde novit ex universa sancti Augustini doctrina novem solummodo Cœlestini capitula in ecclesiasticis scriniis fuisse seposita? Scimus sanctum Leonem Magnum, qui tertius a Cœlestino pontifex sedit, in epistola ad nostrum metropolitam Aquileiensem, duo integra capita ex libro sancti Augustini contra Pelagianos ad verbum exscripsisse. Cur non ista pariter Hormisdas appellat? Scimus sanctum Gelasium papam ad Honorium episcopum contra Pelagianos scripsisse, atque mentionem quorumdam capitulorum fecisse: « De quibus, inquit, ii quos tua charitas destinavit, si plenius instrui voluerint, sequentes tituli cum suis responsionibus intimabunt. » Quare Hormisdas hæc insinuata a Gelasio capita non intellexit? An nil aliud statuisse Gelasius credendus est, quam illa quæ sub nomine Cœlestini vulgata sunt? Quis hoc sine teste dicenti credat? Scimus eumdem Gelasium in epistola ad episcopos per Picenum tres quatuorve sancti Augustini sententias, ut superius ostendimus, inculcare, quas recentiores reprehendunt, ac furenti contra Pelagianos Augustino excidisse comminiscuntur; unde credibilius est has quoque inter illos titulos a Gelasio connumeratas, quam illas tantum Cœlestini. Scimus Felicem IV ad Patres Arausicanos ex sancti Augustini libris excerptas de divina gratia sententias contra Semi-Pelagianos transmisisse, et hæ quidem in viginti quinque canones digestæ sunt: invenitne pontifex omnia illa asserta in ecclesiasticis scriniis, vel cum illa tantum novem a Cœlestino selecta reperisset, novis ex Augustiniano thesauro divitiis scrinia ecclesiastica locupletavit? Quid dicitis, o novi antiquarum Romanorum pontificum constitutionum interpretes?

Sed quod de Felicis IV capitulis mentio incidit, ex libro primo Historiæ Pelag. cap. 23 recolendum est, Romanum pontificem ad lites de auxiliis divinæ gratiæ per centum fere annos Gallias turbantes, apostolica auctoritate sopiendas, viginti quinque sententias ex libris sancti Augustini decerptas ad sanctum Cæsarium Arelatensem transmisisse, ipsi cæterisque Galliæ episcopis subscribendas. Quis porro non intelligat quantum eo facto honoris incrementum Augustino additum sit, cum quæ prius illius voces fuerant, in Romanorum præsulum ac synodorum oracula transierint? At hic rursus pulverem excitant recentiores, quo tanta Augustino delatæ auctoritatis gloria obscuretur. Clamat Annatus cap. 6, pag. 903: « Et Felix, quem etiam referunt Baiani inter approbatores Augustini, propterea quod canones Arausicanæ synodi extractos ex libris Augustini, et ipsius etiam verbis conceptos ad episcopos Galliæ miserit, extractione illa monstravit quid esset necesse ab omnibus recipi ex universa illius doctrina, nempe id quod canonibus illis exprimitur, permissa lectoribus judicii libertate circa cæteras, quæ intercurrunt, controversias. » Belle ac bene: igitur non novem solummodo Cœlestini sententiæ ex Augustinianis libris approbatæ sunt, quod ad nauseam usque inculcatis, sed tot insuper alia dogmata, nempe viginti quinque quibus refragari piaculum sit. Sed reclamat Annatus ibidem: « Ergo vi hujus approbationis nulla fieri debet controversia iis qui capita illa selecta recipiunt, etiamsi alia quædam rejiciant. » Nolo hic disputare an recentiores ita canones Augustinianos Arausicæ firmatos recipiant, quin violentis quandoque interpretamentis eisdem vim inferant, unde ab eruditis jure reprehenduntur. Mitius vobiscum agam. Quod Arausicanos canones, ut libet, ut lubet explicatis, nullam vobis quæstionem facimus, sed quod alia Augustini dogmata rejiciatis, pati nullo modo possumus, atque contra vos accusationem paramus, non quod apostolici decreti, sed quod exempli contemptores sitis. Enimvero si universas lites de divina gratia in Galliis exortas apostolica sedes ut unius Augustini doctrina componendas duxit, insigne posteris exemplum edidit, ut si quando eadem in causa de gratia iterum litigia erumperent, ad ejusdem sancti antistitis doctrinam confugerent, ex Augustini libris sententiam audirent, uni Augustino adhærerent, quod a Clemente VIII veteri religione novoque exemplo præstitum fuit. Quare, cum adversarii in plerisque recens exortis de divina gratia controversiis stare se contra Augustinum profiteantur, Felicis IV judicio refragari, ejusdem exemplum parvi facere, atque alia prorsus via ab Augustiniana ad veritatem eosdem repere, nemo non videt.

Doluere tamen recentioribus oculi, cum per Felicem IV et Arausicanam synodum tantum honoris

Augustinianæ doctrinæ delatum videre : quare glossematum ruderibus illum obruere pertentant, dicentes Ecclesiam in synodis Augustini sententiis usam fuisse *non ex necessitate, sed ex auctoritate, uti magistram, non uti discipulam.* Acutum Adami commentum cap. 9, pag. 653. Vide quomodo se ipsam strangu'et hæc responsio. Intendit adversarius sancti doctoris auctoritatem imminuere, et eamdem auget quam maxime. Nemo miratur, cum videt discipulum magistri voces reddere; at mag'strum sententiam dicturum, non nisi discipuli ore loqui velle, hoc plane mirabile censetur, atque in discipuli eximiam excellentiam venit. Synodi ac Romani pontifices sanctorum Patrum sententias semper secuti sunt, ut ex traditione Ecclesiæ credenda orthodoxis proponerent. Colligitur hoc ex epistola sancti Leonis ad Leonem Augustum, ubi pluribus sanctorum Patrum testimoniis adductis, inter quæ etiam *sancti Augustini episcopi Hipponensis* plura numerantur, concludit : « Hæc nos sequi verba debemus, his nos convenit obtemperare dogmatibus. » In Chalcedonensi synodo, act. 1, post recitatam fidem concilii Nicæni, Patres dixere : Necessarium visum est sanctorum et catholicorum Patrum proferre testimonia, quæ possunt satisfacere, quemadmodum eam intellexerunt, et prædicare confisi sunt, quatenus ex manifesto et omnes rectam et immaculatam fidem habentes sic et intelligant, et interpretentur, et prædicent eam. » Et act. 2, statim post initium : « Docuerunt enim Patres, et in scriptis custodiuntur, quæ ab eis sunt exposita, et citra ea dicere non possumus. » Et act. 5 : « Sequentes igitur sanctos Patres, » etc. Sanctus Agatho papa, in epistola ad Constantinum imperatorem, quæ habetur in synodo VI, act. 4, adversus Monothelitas, sanctorum Patrum testimoniis productis, ubi laudatur Augustinus tanquam VERITATIS *prudentissimus* PRÆDICATOR *et præstantissimus* DOCTOR, hæc habet : « Ecce, piissime Domine fili, sanctorum Patrum testimoniis tanquam radiis spiritalibus Ecclesiæ catholicæ atque apostolicæ doctrina illustrata est, » etc., ubi etiam scribit damnandos Monothelitas tanquam *non sanctorum Patrum pedisequos.* At actione 10 omnia illa Patrum testimonia in synodo relecta sunt, et cum libris Constantinopoli existentibus collata, et act. 8 synodus litteris Agathonis consensum dedit, quod sanctorum Patrum doctrinæ conformes essent. Unde Georgius, antistes Constantinopolitanus, dixit : « Scrutans sanctorum ac probabilium Patrum, qui repositi sunt in venerabili patriarchio, inveni cuncta testimonia sanctorum ac probabilium Patrum, quæ in eisdem suggestionibus continentur, consonantia, et in nullo discrepantia a sanctis ac probabilibus Patribus, et consentio eis, et sic confiteor et credo. » Quam sententiam cæteri ibidem subscripsere. Possent infinita ad hoc demonstrandum testimonia adduci, in quibus *ex necessitate* synodi sanctorum Patrum doctrinam se amplecti ac sequi professæ sunt.

At inquies loqui te de uno Augustino, non de omnibus Patribus, hos enim idem concordi sententia docentes necessario in synodis Ecclesia sequi debet, quippe, quæ ex Patrum traditione dogmata definit, non vero privatum doctorem, qualis est Augustinus. Sed neque hoc te effugium juvat : nam dum contendis Felicem papam et Arausicanos Patres unius Augustini sententias secutos esse *ex auctoritate, non ex necessitate*, quæso te, vel secuti sunt Augustinum contra alios Patres docentem, vel cum aliis Patribus idem sentientem? Si primum dicas, id non *ex auctoritate* fecere; nam non potest privata unius hominis sententia tanquam de fide definiri, si constet universos Patres oppositum tradidisse, potest tamen ob summam unius sancti doctoris excellentiam judicium suspendi, ac neutra sententia definiri, quod de privata Augustini opinione de simultanea rerum creatione recentiores affirmant. Si vero alterum eligas, jam vides ex necessitate approbandam esse sententiam ab omnibus Patribus assertam, si ea de re rectum judicium dandum sit. Præterea Ecclesia de controversiis fidei sententiam dictura *ex necessitate* illam partem, in qua veritas est, definire debet, cum falsitatem inter dogmata fidei referre nullo modo possit. Quare, cum Felix et Arausicani Patres sancti Augustini sententias uti catholicas definierint, *ex necessitate* eas secuti sunt, ut oppositas Semi-Pelagianorum opiniones erroneas sequi minime potuerint. Felix quidem potuit Augustini sententias ad verbum non exscribere, uti exscripsere Prosper, Fulgentius, Prudentius aliique ex Augustiniana schola doctores; sed non potuit sensum earumdem ex necessitate non tradere, cum jam illas ante concilii definitiones veras fuisse certum sit, cum nisi id quod verum est possit ab Ecclesia definiri.

Eadem facilitate refutatur quod addunt, synodum Arausicanam Augustini sententias adhibuisse *uti magistram, non tanquam discipulam.* Profecto mirum dicunt, dum volunt Arausicanos Patres, qui integro ab Augustini morte sæculo vixere, Augustini magistros esse potuisse, a quibus ille nec tota quidem doceri potuit. Sane magister ille est qui docet, discipulus qui docetur; et qui hoc nescit, mirum si discipulus non modo fuerit, sed vel esse potuerit. Qui vero doceat, qui doceatur, Augustinusne an Arausicana synodus, vos videtis. Olim quidem Augustinus Ecclesiæ discipulus fuit, ac talem se profitebatur, dum ad Bonifacium papam scribebat mittere sua scripta non tam discenda *quam examinanda, et ubi forsitan aliquid displicuerit, emendanda*, lib. 1 contra duas epistolas Pelag. ad Bonif., cap. 1. Cæterum quod a Deo illuminationis gratiam ad docendum assecutus est, ut ait sanctus Fulgentius, et unus universas Pelagianorum machinas perfregit, tantum illi Ecclesia detulit, ut ipsius Ecclesiæ per apostolicam sedem magister consecratus fuerit. Hinc Cœlestinus, in epistola toties a recentioribus inculcata, Augustinum *magistrum nostrum* honoris causa nuncupat, Gelasius in epistola ad Honorium eumdem *Ecclesiæ magistrum* dicit, et Joannes II, ut mox dicemus, de

Augustino scribit, *cujus doctrinam secundum prædecessorum meorum statuta Romana sequitur et servat Ecclesia.* Profecto, si Ecclesia Romana Augustini doctrinam sequitur, Augustinus ejusdem Ecclesiæ magister dicendus est, uti discipulos sancti Thomæ aut Scoti eos appellamus, qui eorumdem doctorum sententias sequuntur. Cur autem hoc mirum videatur? Nonne olim magnus ille Aquinas inter tirones in scholis sedit, qui postea summus scholasticorum magister evasit? Laudati antistites, dum in synodo Chalcedonensi et Constantinopolitana sanctos Patres sequi se dicebant, eorumdem se discipulos profitebantur, quorum doctrinis sese instruendos tradebant; illi igitur Leones, Felices, Athanasii, Hilarii, Augustini, Cyrilli, Gregorii, aliive quos ibidem producunt, synodorum magistri fuere. Quare cum Arausicanum concilium unum Augustinum secutum sit, unum Augustinum magistrum habuit.

Inter sancti Augustini encomiastas merito numeratur etiam sanctus Joannes II, in epist. 3 ad senatores : *Sanctus Augustinus*, ait, *cujus doctrinam secundum prædecessorum meorum statuta Romana sequitur et servat Ecclesia.* Quibus verbis pontifex non solum sancti Augustini doctrinam consecravit, sed etiam eamdem antiquitus a suis decessoribus approbatam fuisse affirmat. Sed en statim recentiorum interpretationes. Audi Decampsium, lib. III cit., disp. 1, cap. 4, num. 12 : « Cum igitur in hac epistola nec de sancti Augustini doctrina contra Pelagianos agatur, nec ullus ex libris appelletur quibus eos impugnavit, cur inde Janseniani speciatim colligunt, ita probari ab apostolica sede quæcunque in Augustini operibus continentur, ut ab his vel tantillum recedere sit nefas? » Addit Moraines, disp. 12 Anti-Jans., num. 50: « Quæ addit ex Joanne II et Clemente VIII præcedentibus similia sunt, nihilque amplius probant. Tantum enim affirmant Ecclesiam Romanam servare, et sequi doctrinam Augustini sibi quasi dotem relictam, quam tamen non in omnibus sequitur, » etc. Hæc illi. Scimus eam sancti Joannis epistolam esse contra Nestorianos, non Pelagianos; sed scimus quoque Nestorianos ex Pelagianis prodiisse, utrosque mutuo se foventes apud Ephesum condemnatos, utrique hæresi idem à Prospero epitaphium ignominiæ causa inscriptum. Opponimus tamen Joannem inibi ea sancti doctoris volumina laudasse, quibus non tantum auctoritatis inest, quantum tributum est ab apostolica sede libris contra Pelagianos scriptis. Cum enim in illis cæteros post se longo intervallo reliquerit, in istis seipso quoque major evasit; unde si Augustinum Romana Ecclesia docentem sequitur, ubi minori laude ornatus fuit, eidem religiosius adhærebit, ubi tot Romanorum præsulum encomiis exceptus fuit. Romana Ecclesia non solum Augustinum docentem audit, sed impugnatum defendit, ut illa Augustini auctoritatem propugnante, oleum et operam perdituri sint recentiores, qui contra eamdem insurgunt.

Clementis vero VIII decretum, quo universas de auxiliis divinis controversias ad tribunal sancti Augustini expendendas jussit, quo olim recentiores pressi sunt, hisce modo strophis eludunt : « Nam quod, inquiunt, objicere aliqui solent, Clementem VIII jussisse tempore disputationum de auxiliis, ut Augustini potissimum sententia exquireretur, facile solvitur. Neque enim id præcepit eo præjudicio, quasi nefas duceret ulla in re dissentire ab Augustino, repudiata etiam Cœlestini distinctione illa inter propositiones quas esset, et quas non esset necesse astruere. Neque idem est velle, ut disputantes Augustini sententiam inquirant, et velle omnino ut in omnibus eam sequantur. » Rursus : « Inquirenda fuit Augustini sententia, ut intelligeretur utrum ea quæ disputabantur tangerent constituta jam dogmata, necne, an potius spectarent ad quæstiones indifferentes. Adde cum constet ex mente sancti Bonaventuræ Augustinum aliquando minus voluisse, et plus dixisse, fuisse cur juberet summus pontifex ut ejus sententia investigaretur, nempe ut retineretur, quod perspicuum esset illum voluisse, non autem quidquid constaret, eum dixisse. » Annati verba sunt lib. VIII, cap. 4, in fine. Nullus hucusque dubitavit in sessionibus de auxiliis coram Clemente VIII celebratis Molinæ doctrinam ad Augustinianæ doctrinæ amussim vocatam. Interim audiant Paulum Leonardum, vere Scerlogum, in Apologia scientiæ mediæ, part. II, num. 59 : « Equidem, inquit, in disputationibus Romæ agitatis coram sanctitate Clementis VIII et Pauli V, sæpe et diligenter interrogatum est de mente sancti Augustini, quod eo speciatim in genere quæstionum exploratum esset ab iis optima proferri, cui tantus divinæ gratiæ hyperaspistes faveret. Quare anno 1602 tractatum : *Quis majores vires ad bonum libero arbitrio tribuat? An Augustinus? an Molina?* Continetur ille articulus septem quæstionibus, in quibus singulis de mente Augustini disceptatur cum Molina, etc. De quibus liquet altercationis pene omnem scopum, quidnam Augustinus sentiret? » Compendio res ageretur, si liceret acta illa congregationum, vel integram Clementis VIII orationem, quam disputationibus illis præmisit, recitare. Sed quando recentiori Romano decreto id vetitum est, cum dispendio causæ quam defendo, necessariam defensionem omitto. Et quidem plus forte cæteris meliora dicere possem, cum legerim omnia Mss. Gregorii Nugnii Coronel, Augustiniani Lusitani, qui memoratarum congregationum fuit a secretis. Pio silentio religioni lito. Repetam tamen fragmentum laudatæ orationis Clementis VIII, quod suo Euchologico a congregatione suprema S. R. Inquisitionis approbato inseruit P. Macedo inter elogia pontificum, quæ recitat ad diem 28 Augusti, pag. 406. « Quamvis, inquit, nisi Deo rationem reddere debeam mearum actionum, dicam tamen impræsentiarum rationes propter quas ASTRINGERE STATUI totam hanc disputationem AD NORMAM DOCTRINÆ SANCTI AUGUSTINI de gratia. Prima est quod si, teste B. Prospero fere initio libri contra collatorem, viginti annorum

spatio acies catholicæ Ecclesiæ ita dimicavit pro gratia contra Pelagianos, ut tandem Augustino duce vicerit, oportet etiam ut in causa consilii EUMDEM DUCEM AGNOSCAMUS ET SEQUAMUR. Secunda est quod idem sanctus nihil videtur prætermisisse eorum quæ ad præsentes controversias pertinent, etc. Tertia tandem ratio est quod cum multi pontifices et prædecessores nostri doctrinæ sancti Augustini tam acres fuerint assertores ac vindices, ut quasi hæreditario jure eam in Ecclesia relinqui voluerint, æquum non est ut patiar illam hac hæreditate privari.» Orationem hanc ipsius Clementis manu exaratam ostendit nobis illustrissimus D. Philippus vicecomes Mediolanensis, episcopus Catacensis, quod etiam testatum reliquit in notis Mss. ad cap. 4 libri VIII Augustini vindicati, quod volumen apud me est.

Non possum hic non indignari Annato, qui illis in disputationibus de auxiliis, non suum Molinam, sed nostrum Augustinum in examen vocatum fingit; nam eas sessiones habitas scribit : « Ut (Augustini) sententia investigaretur, nempe ut retineretur quod perspicuum esset illum voluisse, non autem quidquid constaret eum dixisse.» Qua sane ratione sanctus doctor, quem apostolica sedes causæ id temporis agitatæ judicem pronuntiavit, suis e libris sententiam dicturum, ab Annato examini tunc subjectus fuisse dicitur, hac de eodem sententia pronuntiata, *ut retineretur quod perspicuum esset illum voluisse, non autem quidquid constaret eum dixisse.* Quod, ut ibidem ait, aliquando Augustinus per excessum locutus est, qui quidem excessus in illis disputationibus *ne retineretur* Clementi VIII sententia fuit. Hoc autem quid aliud est quam Augustinum ex judice reum facere? Neque secus sentire Annatum judico, clamat enim in fine cap. 2, pag. 864 : « Sepelienda scholastica est, ut unus regnet Augustinus, an Augustinus legendus ad lucem scholasticæ, et ad ejus amussim exigendus?» Neutrum nobis in votis est, sed vigere scholasticam optamus, eamque ad Augustini amussim exigi, et non e contra, ut ipse contendis. Perspicua est Clementis sententia, se velle exigere lites scholasticorum de auxiliis AD NORMAM DOCTRINÆ SANCTI AUGUSTINI, quibus quam belle consonas nemo non videt, dum Augustini doctrinam ad scholasticorum *amussim exigis.* Profecto Magister Sententiarum, qui primus scholasticam in methodum deduxit, ex Patrum ac Augustini præsertim sententiis illam conflavit; unde Ecclesia ipsa Romana inter precum officia, quæ Augustini die festa persolvit, ait de eodem : « Quem in primis secuti sunt, qui postea theologicam disciplinam via et ratione tradiderunt.» Igitur scholastici ad Augustinianæ doctrinæ amussim suas ipsorum sententias exegerunt, neque veteribus illis ejusdem disciplinæ viris principibus verbum ullum contra Augustinum excidit. Secus recentioribus visum est, quorum unus Moraines in præfatione sui Anti-Jansenii ait : « Qui prius Augustinum in omnibus deposcebant judicem, nunc sibi liberum putant, ne quidem arbitrum honorarium in aliis illum admittere.» Heu quam ima summis atra dies miscuit! Augustinum olim Clemens pontifex in controversia de auxiliis judicem constituit, modo autem recentiores, ut palam fateri non erubescunt; eumdem *ne quidem arbitrum honorarium admittunt.* Et illi quidem excessus, antilogias, errores objiciendo non modo sanctum doctorem suspectum judicem publicant, sed veluti reum traducunt, ut longioris hujusce defensionis instituendæ necessitatem nobis impositam nemo negaverit. Et hoc quid aliud est quam Augustinum ex cathedra in qua ab apostolica sede positus fuit, atque ex eadem cœlestes doctrinas edisserens, hucusque summa religione a catholicis tanquam orthodoxi dogmatis magister auditus fuit, violenter extrahere? O superi! mites animos...

Sed quid de recentissimo Alexandri VII elogio, quo decessorum vestigiis inhærens, sancti Augustini doctrinam consecravit, recentiores blaterent, exponendum est. Cum pater Christianus Lupus Augustinianus, insignis doctor Lovaniensis, Roma in Belgium profecturus esset, Alexander laudatus litteras eidem ad sacram theologicam Lovaniensium facultatem deferendas tradidit. Porro ibidem paternum erga bene meritos filios amorem testatur, ad sancti Augustini ejusque discipuli sancti Thomæ doctrinam, ut eo usque summa cum laude fecerant, novo utrique sancto doctori elogio inscripto tenendam defendendamque animavit. « De reliquo, inquiens, non dubitamus vos pro singulari scientiæ, pietatisque studio sanam et incorruptam, qualem tot apostolicæ sedis declarationes, et sanctorum Patrum traditiones requirunt, doctrinam semper amplexuri, et adversus orthodoxæ religionis hostes defensuri sitis, nec non præclarissimorum Ecclesiæ doctorum Augustini et Thomæ Aquinatis inconcussa tutissimaque dogmata sequi semper, ut asseritis, ac impense revereri velitis. Quorum profecto sanctissimorum virorum penes catholicos universos ingentia et omnem laudem supergressa nomina novi præconii commendatione non egent, etc. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 7 Augusti 1660; pontificatus nostri anno 7.» Profectus Roma Lupus, ac Pisauro transiens, ubi apud nostrates scholæ theologicæ id temporis præfectum agebam, quantum secum in Belgium thesaurum ferret mihi significavit; ubi vero Lovanium venit, ac pontificias litteras theologorum senatui tradidit, mirum est quanta eadem lætitia universi et singuli exceperint. Indictum theologicum institium, publicum in gratiarum actionem sacrum intimatum, ac pro incolumitate beneficentissimi pontificis imperata supplicatio. Edicti a decano universitatis publicati excerptum exhibeo; integrum donat P. Gabriel a Sancto Vincentio mox mihi laudandus : « Ut intersint solemni missæ per eamdem facultatem ibidem celebrandæ pro longæva incolumitate ac felici regimine sanctissimi D. N. Alexandri divina providentia papæ VII, qui præter

alia paternæ suæ erga eamdem (academiam) benevolentiæ argumenta apostolico rescripto in forma brevis ad ejusdem preces eam decorare dignatus est, quo sanctissimos Augustinum et Thomam Aquinatem scholæ facultatis patronos et magistros, uti præclarissimos Ecclesiæ catholicæ doctores deprædicat, eorumque dogmata tanquam inconcussa tutissimaque, et proinde semper sequenda et impense reverenda commendat, subjungens penes catholicos universos ingentia et omnem laudem supergressa nomina eorumdem sanctissimorum novi præconii commendatione non egere, etc. Datum 6 Novembris anni 1660. »

Hæc quidem quantum lætitiæ sincerissimis sancti Augustini discipulis ingessere, tantum mœroris, non enim dicam invidis, sed pridem erga Augustinum non tam bene animatis intulerunt. Etenim nonnulli in furorem veluti acti in impias hasce voces erupere, *laudatum breve per diabolicam machinam fuisse impetratum*. Horum testis est ipsemet Christianus Lupus in epistola apologetica de Attritione et contritione, cap. 5, ad accusat. 11, pag. 49, quam Lovanii edidit anno 1667, mihique, uti est mei amantissimus, honoris gratia nuncupavit. Quinam voces adeo inverecundæ exciderint, des guat Vincentius Baronius, part. IV suorum opusculorum, lib. I, sect. 2, art. 5, § 1. Alter vero recentior de laudato Alexandri elogio scribit summum pontificem *nunquam breve illud privatum vidisse*. Id autem testatur se a viro sui sodalitii accepisse, et quo majorem dicto fidem faciat, ait : *Sincere affirmo, ac sancte juro*. Hunc etiam scriptorem nominare nolo, quod magnum patronum habeat, cujus ipse etiam patrocinio lætor ; illum tamen pluribus impugnavit vir doctissimus P. Gabriel a Sancto Vincentio in libro de Remediis ignorantiæ, disp. 14, dubio 9, num. 149, inquiens : « Cardinalis Nerlius tunc temporis secretarius brevium dixit quidam viro gravissimo quod hoc breve ipse composuit ex commissione dicti Alexandri VII, et quod pontifex illud attente legit, et sigillum dedit ut eo signaretur, et ad dictam Universitatem Lovaniensem mitteretur. Et iste vir gravissimus sic tacto pectore testificatus est. » Hæc quidem P. Gabriel litteris consignavit, ac paulo post e vita discessit summo sui desiderio relicto, erat enim Carmelitici rigidioris disciplinæ instituti ornamentum, acceptus in primis Clementi X pont. opt. max. Vivet ille æternum de Augustini doctrina bene meritus, cujus glorioso nomini theologicum volumen nuncupavit. Sciant recentiores Alexandrum VII e nobilissima Chisiorum gente prodiisse, cui perpetuum erga Augustini nomen obsequium hæreditarium est, ita ut a trecentis et amplius annis unum semper in Chisiis appellari voluerit Augustinum. Non alium hujus mei dicti testem quam ipsummet Alexandrum volo, qui in frequentissimo purpuratorum Patrum atque antistitum senatu, agens de decernenda Thomæ Villanovani apotheosi regis Hispaniæ (*Ex Actis canoniz. S. Thomæ Villanov.*), plurimorum principum atque populorum cum Augustiniana familia obsecrationibus, queis ad id movebatur, recensitis, hæc addidit : « Tum vero (confidenter dicimus) nostræ erga D. Augustinum sanctissimum theologiæ magistrum a majoribus secundum carnem per manus quasi tradita, et peculiaris ab adolescentia erga hunc ejus alumnum veneratio », etc. Hæc tanti pontificis hæreditaria erga *sanctissimum theologiæ magistrum* devotio omnibus nota erat, unde in eodem consessu Franciscus Albitius, purpuratorum Patrum decus, eximiæ eruditionis princeps ac nostro præconio major, sententiam rogatus dixit : « Protractus est, beatissime Pater, non sine Spiritus sancti instinctu rei arduæ atque difficillimæ exitus, ut a sanctitate vestra, quæ patronum et protectorem agnoscit Augustinum, Filius Augustini in sanctorum numero collocetur. » Ego quidem pluribus illius recentioris dicta confutaveram, quæ tamen magni viri imperio jussus omitto ; adeo enim absurda sunt, ut satius sit eadem silentio obducere, quam prolixiori impugnatione latius diffamare.

## CAPUT VII.

*Augustinianæ doctrinæ contra Pelagianos per sedem apostolicam approbatio a recentiorum pravis interpretamentis defenditur.*

Hucusque nobiliora Romanorum præsulum testimonia de Augustinianæ doctrinæ contra Pelagianos excellentia a sinistris recentiorum oppositionibus vindicavimus, singula pontificum elogia Augustino integra astruentes : modo quid homines illi Augustini approbationi per Ecclesiam universim objiciant, videndum est. Levi id quidem brachio retentabo ; nam illorum consilium imitatus qui civilia inter hostes bella serunt, quo domesticis dissidiis enervatos nullo postea negotio suppeditent, Anti-Augustinianis domesticos testes opponam, et pila minantia pilis. At non illos quidem novitiis istis pares, sed longe superiores, quibus loquentibus nedum assurgant, sed penitus obmutescant, nempe Suarium et Vasquium. O quanta scholæ nomina ! Itaque in hoc certamine sedebo, duobus illis ducibus pro meo Augustino in aciem contra nuperos adversarios descendentibus.

Eia age, quid de Augustinianæ doctrinæ per Ecclesiam approbatione, Annate, sentis ? Si quæ adversus eam habes, libere profitere : « Objicimus primo, » ait lib. VIII, cap. 6, pag. 902 : « Vel ita est consecrata, ut Augustinus e numero scriptorum non canonicorum extractus transierit in numerum canonicorum vel non. Si primum, errat totus Christianismus, qui contrarium sentit non modo a tempore scholasticorum, sed a mille ducentis annis ; si secundum, ergo illa omnis Ecclesiæ approbatio relinquit adhuc Augustinum intra numerum scriptorum fallibilium, quibus sine cujuspiam injuria repugnare liceat. » Sed jam olim huic objectioni satisfecerat non Baianus aliquis, sed strenuus Baii oppugnator Suarius, cujus sane responsionem poterant domi legere. Cum

Suarius, prolog. 6, de Gratia, cap. 6, num. 15, citasset hæc sancti Prosperi verba in laudem Augustini : « Tu autem, dilectissime et venerandissime mihi frater, si vere de his quæstionibus instrui desideras, sicut desiderare te convenit, ipsis B. Augustini disputationibus cognoscendis impende curam, ut in confitenda Dei gratia defæcatissimam ac saluberrimam evangelicæ apostolicæque doctrinæ intelligentiam consequaris, » hæc scribit : « Non tamen dicit Augustinum apostolice scripsisse, vel quia scriptor canonicus fuerit, vel quia infallibilem habuerit Spiritus sancti assistentiam in scribendo, sicut apostoli habuerunt, hoc enim alienum a sensu Prosperi et totius Ecclesiæ est, sed dicit apostolice scripsisse, vel quia suam de gratia doctrinam ex apostolo Paulo præcipue sumpsit, et validissimis ejus testimoniis illam confirmat, vel certe quia tam vere ac fideliter de gratia scripsit, ut apostolica sedes Augustini doctrinam in his quæ ad dogmata pertinent suam effecerit ac probaverit. »

Pergit Annatus : « Objicimus 2°, eosdem illos summos pontifices qui doctrinam Augustini approbarunt, ea seposuisse quæ necessaria illis visa sunt, alias autem quæstiones intercurrentes nec contemnere nec astruere voluisse. Hoc enim Cœlestinus aperte significavit, ut retulimus antea, » pag. 903. Idem Suarius, recensita Cœlestini restrictione, quam tamen negat esse Cœlestini, ut dicam, totus Augustino adhæret hæc scribens : « Nihilominus tamen etiam in his posterioribus de prædestinatione quæstionibus auctoritas Augustini maxima est propter alias rationes supra tactas, et ideo semper a nobis cæteris præferetur. »

Sed reclamat adversarius : « Objicimus, 3° approbatam fuisse Augustini doctrinam simul et aliorum sanctorum Patrum, unde sequitur cadere approbationem hanc in id quod est Augustino cum aliis Patribus commune, non in id quod est proprium, si quid tale sit. » Ibidem. Sed hocce telum Augustinum clypeo protegens Vasquius excepit 1-2, disp. 190, cap. 6, num. 37 : « Quamvis, inquit, nullus esset ex Patribus commemoratis quem pro hac sententia de gratiæ necessitate ad singula opera bona moralia scholastici doctores allegare possent, IN UNO SOLO AUGUSTINO ejusque schola suæ opinionis præsidium libenter collocarent, eumque sibi sufficere merito arbitrarentur, quod UNICUS sit qui dum agitur de gratiæ necessitate, sicut sol inter reliquos præfulgeat, cujus quidem doctrinæ egregium testimonium et commendationem in epistola prima Cœlestini ad episcopos Galliæ exaratam habemus. » Porro Cœlestinus unum Augustinum laudavit; lege eumdem part. 1, disp. 89, cap. 4, initio.

At non cedit Suario, non cedit Vasquio Annatus, sed rursus opponit pag. 902. « Nempe jam nos docuit Gerson et Abulensis quo pertineat hæc approbatio; non enim eo ut intelligamus Augustinum nullis esse humanis defectibus obnoxium, sed rarioribus et levioribus, quomodo cæterorum quoque sanctorum laudes intelliguntur. Et certe cum eadem sit judiciorum et affectuum alea, et Augustinus tanta contentione pugnet contra Pelagianos, ut obtineat nullum esse quantumvis sanctum, cui non sit opus dicere : *Dimitte nobis debita nostra*, ob quotidianos voluntatis lapsus, nescio quid Baianis in mentem venerit, ut Augustiniani videri velint, cum tanto nisu persuadere conantur esse aliquos qui judicio nunquam labantur, » nempe Augustinum. Verum quis nesciat Augustinum duplici facto, dum se infra cæteros depressit, supra universos altius sese evexisse? Ille magnus Ecclesiæ magister tum *affectus*, tum *judicii* sui errata publicavit : hæc quidem in libris Retractationum, illa in libris Confessionum, singulari prorsus exemplo, cum videamus quosque tum propria dicta, tum facta ab erroribus vindicare. Utinam hanc aliquando de sociis ac suæ familiæ hominibus opinionem adversarii induant, quorum quempiam si ab aliquo scriptore impetitum cognoscant, mille apologias procudunt, ut soli ab erroribus immunes esse videantur. Itaque eamdem et affectus et judicii aleam subivit Augustinus. Verum dum libros contra Pelagianos retractat lib. II, cap. 33, 36, 37, 42, 50, 61, 62, 66 et 67, nullam sententiam sive de gratia sive de libero arbitrio corrigit, sed omnia abs se dicta probat, qui aliis in tractatibus plerasque theses assertas expunxerat. Unde sanctus doctor nusquam in Pelagianis expugnandis se judicio lapsum fuisse cognovit, adversarii autem misere judicio labuntur, tam humiliter de Augustino pronuntiantes. Profecto Augustinus futuros forte censores prævidens, in eorum humeros correctione devoluta, minus illo in examine secum egit, recentioribus hanc gloriam relinquens, qua jactare possent se illis in libris contra Pelagianos editis maculas deprehendisse, quæ Augustini aciem ac spongiam subterfugere. Quid ais, Annate, Augustinum fuisse obnoxium humanis defectibus, at *rarioribus et levioribus*, ac *judicio* quandoque lapsum? Alia longe diversa fuit tui Suarii sententia, qui proleg. 6 de Gratia, cap. 6, num. 17, ita et vere et digne de sancto Augustino scribit : « Nihil tam admirandum et suspiciendum Ecclesiæ reddidit Augustinus, quam de gratia doctrina; at si in ea tradenda et explicanda aliquando fuisset in errorem lapsus, multo labefactaretur ejus auctoritas, immeritoque Ecclesia tam fidenter judicium ejus in hac doctrina esset secuta, quod impium est cogitare. » Egregie hoc ipsum abhinc octingentis annis notarat sanctus Prudentius Tricassinus, in epistola ad Hincmarum et Pardulum; sed quod cum Suario et Vasquio veluti fœdere icto aliorum suppetiis dimissis, contra recentiores me pugnaturum pro Augustino pollicitus sum, præclarissimum illius antistitis testimonium omitto, alibi recitandum.

Nondum Annatus suorum vocibus ab infelici certamine revocari potuit; sed instat obtruditque hanc illationem : « Ergo si, stante Augustini testimonio illo, licet tamen singularem cujuspiam ex aliis Patribus cogitationem in hisce disputationibus non sequi,

licebit etiam, stante illa Ecclesiæ vel summorum pontificum approbatione, non omni adhærere Augustini sententiæ. » At huic quoque objectioni obviam ierat subtilissimus recentiorum Vasquius, cujus ex 1-2, disput. 190, verba paulo ante dedimus, item præclare part. 1, disp. 89, num. 21 : « Tametsi, inquit, aliorum Patrum auctoritas in omni controversia magni ponderis apud omnes esse debeat, in hac tamen, de qua nunc agitur, UNUS PRO MULTIS mihi semper erit AUGUSTINUS, non solum quod omnium qui bene sentiunt plurimum emineat, » etc. At quod præmiserat Annatus ibidem, pag. 909 : « Ex quibus liquido constat quantum Augustino tribuendum Ecclesia censuit, tantum aliis quoque Patribus tribuendum esse Augustinum ipsum censuisse, » hoc, inquam, plane falsum est ; nam licet in libris contra Julianum ex sanctis Patribus peccatum originale fusius comprobaverit, itemque in libro de Gratia Christi ejusdem gratiæ necessitatem, attamen prædestinationem ante prævisa merita instantibus Massiliensibus, et nolle se illam credere affirmantibus, nisi veterum ea de re testimonia produceret, respondit lib. de Prædestinatione sanctorum, cap. 14 : « Quid igitur opus est ut eorum scrutemur opuscula qui, priusquam ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quæstione versari, quod procul dubio facerent si respondere talibus cogerentur. » At cap. 19 de Dono perseverantiæ pro se adducit Ambrosium et Cyprianum, ex quibus non disertis verbis, sed per necessariam illationem suam ipsius sententiam colligit. Igitur, judice Augustino, *non opus est ut eorum* Patrum *scrutemur opuscula*, ubi de gratuita prædestinatione disseritur. At libros de Prædestinatione sanctorum et de Dono perseverantiæ Hormisdas commendavit, ad eos nos remisit synodus Sardiniensis exsulum episcoporum ex Africa, Clemens etiam VIII sententiam Molinæ de prædestinatione juxta sancti doctoris dogma examinandam jussit ; non igitur ea in quæstione tantum Augustinus tribuit aliis Patribus, quantum ipsi Ecclesia detulit.

His tandem postremo impetu contra librorum sancti Augustini approbationem idem Annatus decertat, pag. 911 contendens : « Omnibus illis approbationibus quas obtendunt Nov-Augustiniani, doctrinam Augustini universim approbari, nullam vero esse quæ cadat in omnia et singula ejus placita. » Recoctam Semi-Pelagianorum crambem reponit : etenim cum sanctus Cœlestinus libros sancti Augustini laudasset, illi eam commendationem Augustini libris universim tantum traditam dicebant, quam tamen prioribus, non item postremis ejusdem voluminibus delatam esse contendebant, contra quos sanctus Prosper egregie in fine libri contra Collatorem, cap. 42, hæc scribit : « Agnoscant calumniatores superfluo se objicere quod his libris non speciale neque discretum testimonium sit perhibitum, quorum in cunctis voluminibus norma laudatur ; apostolica enim sedes, quod a præcognitis sibi non discrepat cum præcognitis probat, et quod judicio jungit laude non dividit. » Hæc ille. Succenturiatus in Annati jam defessi præsidium prosilit Moraines, diverso tamen armorum genere in Augustinum impressionem faciens. Etenim quo pontificiæ approbationis Augustino datæ splendorem imminuat, non quidem invidarum interpretationum nebulas opponit, sed nobiliora ab apostolica sede aliis Patribus tradita præconia proponit, quorum comparatione illa Augustino delata minora longe censeantur ; quo sane pacto sol non umbris quidem, sed immensa propemodum luce quaquaversum irradiante minimum candelæ splendorem suffocat, nullumque pene facit. Altiori itaque voce insultat Moraines in præfatione ad orthodoxos : « Quando dictum est de scriptis Augustini ab aliquo pontifice legem sanciente, quod dixit Gelasius de mirabili illa epistola Leonis Magni ad Flavianum, ut si quis illam non admitteret usque ad unum iota, anathema esset ? » Verum quis non videat eximias illas de Leonis litteris laudes in Augustinum plene devolvi ? Celebrem illam Leonis epistolam ad Flavianum a sancto Prospero Augustini discipulo compositam fuisse constans non modo Latinorum, verum etiam Græcorum opinio est. Baronius audiatur in notis Martyrologii, ad diem 25 Junii, ubi de Prospero ait : « Ado Viennensis et alii tradunt hunc fuisse ab epistolis sancto Leoni papæ, ab eoque scripta fertur famosissima illa epistola sancti Leonis ad Flavianum de Incarnatione Verbi, quod non tantum Gennadius, Honorius et alii Latinorum, sed et Marcellinus comes testatur in Chronico sub consulatu Olybrii et Rustici. » Hic est ille Prosper, quem Annatus ipse lib. II, cap. 5, § 2, pag. 179, « Primarium ac proximum Augustini discipulum, qui visus est illius et arma et vices gessisse ad tuendam quam veluti deposito acceperat ejus doctrinam. » Quis vero neget delatas discipulo laudes in magistrum derivare ? Profecto, si sanctus Gelasius Leonis epistolam usque ad minimum iota recipiendam dixit, idem nec unum iota Augustinianæ doctrinæ improbavit, imo, ut sæpe in faciem recentioribus illisum est, vel illæ Augustini sententiæ, quæ falsæ seu duræ illis videntur, ab eo pontifice Ecclesiæ inculcatæ sunt, qui ex Vasquio fuit *per omnia Augustinianus*.

Quatit rursus Moraines ibidem Augustinianam auctoritatem duplici ariete Alexandria advecto : « Quis unquam, ait, habuit Cyrilli Alexandrini auctoritatem in scribendo non tantum in synodo provinciali aut nationali, sed in concilio generali Ephesino, ut ipse per se scriberet Anathematismos, contra quos sentire ac scribere idem prope censeretur ac fidei refragare ? Audire mihi videor alium qui dicat : Quid ergo ? Athanasius etiam ille magnus eritne unus de numero filiorum et discipulorum Augustini, qui dicitur sine exceptione Pater Patrum, doctor doctorum, cæteros omnes instar primi angeli sua luce collustrans ? » Sane ingens turbarum origo quas Ephesina synodus ab Joanne Antiochiæ episcopo, Theodoreto et collegis episcopis, atque ab ipso imperatore

Theodosio passa est, inde fuit quod Orientales episcopi privati hominis auctoritate statutos Anathematismos subscribere recusabant, quam tamen sententiam postea deposuere. Sed de Augustino loquamur. Hic ob sapientiam Africanorum conciliorum *ingenium* appellatus fuit. Idem universa acta concilii Numidiæ, itemque Carthaginensis, cui quidem non adfuerat, ex Patrum decreto in commentarios retulit. De illo scribit Prosper in fine libri contra Collatorem, quod Bonifacius papa, « cum esset doctissimus, adversus libros tamen Pelagianorum B. Augustini episcopi responsa poscebat. » Augustini sententiæ canones synodi Arausicanæ ac Romanorum pontificum decreta evasere; de qua re Decampsii Jesuitæ verba reddam : « Fuit, inquit, Augustinus quodammodo Ecclesiæ præcentor, cum Romanis pontificibus et conciliis ore præivit, quod de superbissima hæresi judicarunt. Fuit lingua Ecclesiæ, cum ejus verbis decreta concepta sunt, et quæ prius fuerant Augustini voces, Spiritus sancti oracula esse cœperunt. Fuit ille conciliorum dux atque ingenium, cum iis rationes et argumenta subministravit, quibus Pelagium ejusque complices fregerunt, » etc. His collegæ dictis si credis, jam Augustinum Cyrillo parem conspicis. Theodosius sane imperator parem Cyrillo Augustinum judicavit, dum ad utrumque Sacram (imperatoris litteras ita vocabant) direxit. Imo longe plus honoris Augustino tributum a principe fuit ; nam ad Cyrillum uti metropolitam scripsit, quo synodum cogendam episcopis suffraganeis intimaret; at cum ad Africæ primatem Carthaginensem eadem de re pariter perscripsisset, privatas tamen ad Augustinum litteras misit, enixe eumdem rogans ut synodo adesset, de qua re in Historia Pelagiana diximus libro primo, ad annum 431. Imo veterum scriptorum fide constat Cyrillum Alexandrinum egisse per litteras cum Theodosio, ut sanctus Augustinus ad synodum Ephesinam se conferret : videbat enim quanto sibi adversus Nestorianos adjumento futurus esset magnus ille dux ex continuis contra hæreticos præliis erectis trophæis toto orbe celeberrimus. Porro Athanasium magnum illum Arii antagonistam Augustini discipulum neutiquam facimus, sed motum ab Athanasio adversus Arianos bellum, ab Augustino feliciter tandem profligatum asserimus. Joannes Rivius Belga, lib. IV de Vita sancti Augustini, cap. 8, § 6, pluribus tradit unum Augustinum Arianismum a fundamentis evertisse, quod ante ipsum adeo exacte nullus Patrum præstitit. Et sane contra Arianos et libris et sacris declamationibus ex professo sanctus doctor insudavit, qua de re Possidius toto cap. 17 de Vita Augustini. Quare, si argumenta ac testimonia quibus Arii sectam Augustinus expugnavit in considerationem veniant, anteriores Patres sanctus doctor omnium eruditorum judicio facile superavit.

Instat rursus Moraines : « Quid de Hieronymo? Eritne etiam ille Augustini discipulus vel de angelis inferioribus? » Sed capite præcedenti hoc objectum refutavimus. Quod vero nolit Moraines dici Augustinum *doctorem doctorum*, palam Patribus contradicit. Doceri se ab Augustino voluit Bonifacius; *magistrum nostrum* Augustinum nuncupavit sanctus Cœlestinus; ad Augustinum Orientales remisit sanctus Hormisdas: et sane suum doctorem Ecclesia Romana Augustinum appellat. Sanctum Thomam Augustini doctrinam secutum esse tradit Urbanus V in bulla de Translatione sancti Thomæ. De Scoto hæc habent Patres Hispani Minoritæ, in libello supplici apud Petrum a Campo, tomo primo Historiæ August., lib. III, cap. 30 : « Adeo Augustinianæ doctrinæ addictus fuit, ut in solis theologicis commentariis octingenties ac quindecies sanctum Augustinum in suarum assertionum testem protulerit, enixe præ cæteris doctoribus satagens illius mentem intimius penetrare, » etc. Neget igitur Moraines Scotum, sanctum Thomam totque Romanæ Ecclesiæ pontifices sancti Augustini discipulos fuisse doctores, ne Augustinus dici possit *doctor doctorum*. Video tamen ipsum non pati *sine exceptione* Augustinum dici doctorem doctorum. Scias itaque sanctum Augustinum in disputationibus de auxiliis gratiæ esse doctorem doctorum, sed non omnium : non quidem eorum qui ipsum præcesserunt, neque enim potuit illos docere, neque posteriorum, qui ab ipso doceri noluerunt, quæ fuit Semi-Pelagianorum obdurata superbia, ac conceptæ olim opinionis defendendæ effrænis lubido; at qui præcesserunt Augustinum Patres non sunt doctores in materia de gratia cum Augustino conferendi, qui, teste Augustino cap. 14 de Prædestinatione sanctorum, *de gratia Dei quid sentirent, breviter quibusdam scriptorum suorum locis et transeunter attigerunt*. Et ridendus ille esset qui, sepositis Augustini libris, vellet quæstionum de gratia solutionem petere ab Hilario vel Athanasio; unde qui de divina gratia scribentes Ecclesiam illustrarunt, omnes sancti Augustini discipuli fuere, qui primus sanctorum Patrum, et quidem in doctrina tantum de gratia scholam sibi fecit, cui nomen dedere Prosper, Fulgentius, Petrus Diaconus, Eugyppius, Cæsarius, Prudentius, aliique, ut vere doctor doctorum dicatur Augustinus. Illorum vero recentiorum doctorem Augustinum nunquam pronuntiabimus, qui ejusdem discipuli esse dedignantur. Augustinum quidem legunt, non ut ducem illum habeant, sed ut præconceptæ suæ ipsorum opinionis sectatorem volentem nolentem faciant, admotis etiam tot violentarum interpretationum machinis. Annatus totis libris septem unum Augustinum appellat, Morainii volumen millies Augustini voces reddit; istosne Augustini discipulos dixerim et sectatores? Videri quidem discipuli Augustini volunt, sed ficte cito in naturam suam redeunt. Hinc Moraines, cum in præfatione ad orthodoxos, quam suo Anti-Jansenio præfixit, Augustini laudes, ne ea in re adversario cedere censeretur, recitasset, paulatim panegyricum in satyram vertit, strenuus Augustinianæ gloriæ decurtator, qui initio quidem non inelegans ejusdem promotor videbatur. Eadem via Annatum ivisse ex dictis initio cap. 5 patet. Quis enim præ-

posterum hominis consilium non irrideat, qui cum ad Augustini tribunal septem libris cum Jansenianis disputasset, atque ab Augustino causam sibi totam integramque adjudicatam gloriatus esset, exclamans in limine lib. VIII, *nihil esse quod Janseniani possint ab Augustino sperare præsidii*, cum judici gratias agere, ejusque erga se propensum suisque faventem animum commendare eumdem putas, datisque ad amicos litteris laxatis habenis in illius laudes effundi, pessime ab illo Augustinum acceptum videmus, conductis contra ipsum longo ordine testibus mille conviciis lacessitum: uno verbo, ex judice reum factum. O gratissimos sancti Augustini discipulos! Insuper non patiuntur dici Augustinum *cæteros omnes instar primi angeli sua luce collustrasse.* Scimus Prosperum olim cecinisse cap. 2 cont. Ingratos :

*Augustinus erat, quem Christi gratia cornu*
UBERIORE *rigans, nostro lumen dedit ævo*
*Accensum vero de lumine.*

Sanctus Fulgentius, lib. II de Veritate prædestinationis et gratiæ, cap. 18 : « Augustinum legat omnis qui salutem æternam adipisci desiderat, humiliter orans misericordiæ Dominum ut eumdem spiritum intelligentiæ legens accipiat quem ille accepit ut scriberet, et eamdem illuminationis gratiam adipiscatur, ut discat quam ille adeptus est ut doceret. » Sed cur non audiatur sanctus Thomas Villanovanus, archiepiscopus Valentinus, conc. 1 de sancto Augustino : « O Pater, ait, amplissime Augustine, qui non solum vitæ sanctitate, sed etiam miro sapientiæ tuæ fulgore Christi Ecclesiam luce propria, luce plena, luce fixa irradiasti! Si enim sapientia lux est, quis in Ecclesia Dei ita lucet ut Augustinus? A sole omnia astra lucent, ab Augustino omnes qui post ipsum fuerunt doctores sapientiæ lumen accipiunt, ipse vero propria luce lucet, quam a nullo hominum, sed a Deo solo accepit, nullo enim tradente, nullo magistro cunctas didicit disciplinas. » Nonne igitur, teste Thoma, Augustinus est instar primi angeli, quo in cæteros intelligentiæ lumen derivari theologi autumant, cum ipse a solo Deo illustretur? Hipponensis quidem noster angelus suæ doctrinæ radiis Prosperum, Fulgentium, Thomam, cæterosque orthodoxos Patres illustravit; at recentiores qui contendunt cum Annato, « aliquid lucis Augustino defuisse in concilianda cum creata libertate divinorum decretorum et auxiliorum efficacia, » lib. VIII, cap. 4, pag. 874; quive, ut idem alibi ait, nempe disput. 3 de Scientia media, cap. 5, num. 113, « radium quemdam videre se putant ex Augustini sole non emissum; » qui denique scribere non erubuere cum Molina, part. I, quæst. 23, art. 4 et 5, disputatione 1, memb. 6, « dum sub ea quasi caligine D. Augustinus ad hoc non attendit, arbitratus primo aspectu cum sua de prædestinatione opinione, » etc.; recentiores, inquam, isti quibus purioris doctrinæ lux affulget, Augustino sub caligine posito, hujus primi angeli fulgores non excipiunt, imo fere contemnunt, ut mirum minime videri cuipiam debeat eos adeo moleste ferre tantum lucis Augustino attribui, ut universos subsecutos doctores irradiare potuerit, et antecessorum Patrum sententiis de divina gratia plenioris ac solidioris doctrinæ lumen afferre.

Sed Annatus collecto spiritu iterum contra Augustinum invehitur, atque Morainii collegæ factum æmulatus, domesticum contra sanctum doctorem librum ab apostolica sede *expressiori atque efficaciori*, quam quodvis Augustini volumen, approbatione communitum opponit. Adversarii verba sunt : « Objicimus octavo, omnibus illis approbationibus quas obtendunt Nov-Augustiniani, doctrinam Augustini universim approbari, nullam vero esse quæ cadat in omnia et singula ejus placita; quod si aliqua talis esset, non negabunt, opinor, expressiorem fore et efficaciorem in omnibus consentiendi necessitatem. Quid igitur facient si reperiatur in natura rerum alius quidam liber cujus omnia et singula in eo contenta auctoritate sedis apostolicæ per bullam ad perpetuam rei memoriam editam et promulgatam approbentur? » Eia age, delapsum sane cœlo libellum pande, nisi forte sacratiora tam cito in propatulo esse piaculum putas. « Est, inquam, ait, talis quidam liber in rerum natura et auctoris sancti. » Jam pietatem ac religionem excitas, dum auctorem commendas ac divum contestaris. At pergit Annatus lectorem suspendere : « Sed quis est? libellum potius dicere debui, quod sit mole parvus et specie contemptibilis, sed qui tamen virtutis plurimum habet. » Hunc libellum, cui supra omnia Augustini magni volumina ex apostolicæ sedis approbatione « expressior et efficacior in omnibus est consentiendi necessitas, » cito citius exhibeas. « Quis vero, addit, tandem, et cujus est? » Ita quidem hoc petimus, hoc rogamus, ne, quæso, diu nostram exspectationem torqueas, per sanctum illius libelli auctoris nomen ac numen obtestor. « Contrahant, inquit, licet frontem Baiani, et torvum intueantur, sorbenda pilula est. » Næ tuo pharmaco illi indigent quoscunque Baianos dicis? Nos quidem validiori stomacho sumus jam pridem tuis in Augustinum conviciis, pilulis omnibus amarioribus devorandis assueto, neque pilulis præmuniendi sumus, quo auctorem libellumque citra fastidium ac deliquium audiamus. Imo, quando libri scriptorem sanctum autumas, sacris doctrinis conspersas paginas summa religione deosculantes, divum auctorem pro Augustiniana auctoritate contra novos censores sarta tectaque servanda etiam atque etiam rogabimus, sua enim vicissim tutari divorum est. At inquis : « Liber est Exercitiorum spiritualium sancti Ignatii, quem Paulus III severe examinatum, etc., sic approbavit, ut dicat se documenta et exercitia prædicta, ac omnia et singula in eis contenta auctoritate prædicta, tenore præsentium ex certa scientia approbare, collaudare ac præsentis scripti patrocinio communire. » Hæc ille suspensis diu quasi per jocum lectoribus lib. VIII, cap. ultimo; exclamatque pag. 912 : « Scire velim quid sint responsuri tam disertæ tamque explicitæ

approbationi, qui minus expressam explicitamve (Augustini scilicet) suis obtendunt erroribus.

Absit ut per nos quidquam approbationi Ignatiani libelli detractum sit, imo quanti illum Augustiniani fecerint vestri scriptores tradunt in Imagine primi sæculi, lib. III, cap. 10, ubi de Exercitiis sancti Patris Ignatii loquentes hæc scribunt : « Testes sunt infiniti toto orbe qui ea non minori sua voluptate quam fructu sunt experti. Sed unus instar omnium Augustinus Caravajalius, Augustiniani ordinis theologus. Is cum Indiam Occidentis peragrasset, et in Hispania variis muneribus cum laude perfunctus esset, Italiæ quoque cœnobia sui ordinis jussu summi pontificis visitasset, Bononiam tandem ab eodem pontifice visitator apostolicus missus ad D. Jacobi cœnobium in veterem disciplinam restituendum, non aliis id præsidiis facere aggressus est, quam piis his societatis commentationibus, quibus ipse cum per mensem se exercuisset, testatus est candide se quandiu in religione vixisset, rationem aliquam qua rectissime incederet semper optasse, eamque tunc demum cum in hæc sancti Ignatii Exercitia incidisset, invenisse. Quæ quidem ille avidissime hausta atque in intimum demissa pectus tanti fecit, ut in iis aliquid vere divinum inesse aperte diceret, » etc. Hic Caravajalius ex assistente Hispaniarum electus est episcopus Guamangensis apud Peruanos, de quo Herrera in Alphabeto Augustiniano. Utinam per nos Ignatianis chartis major laudis fieri posset accessio ! Illud tamen ægre patimur, quod scribit Annatus, Augustinianam doctrinam minus explicita atque expressa approbatione quam Ignatianam, esse ab apostolica sede firmatam. Quæso vos quandonam doctrina sancti Ignatii in synodorum canones transiit? Arausicana synodus ex ipsis sancti doctoris sententiis conflata est. Quando illa in pontificum Romanorum litteris ad verbum exscripta est? Duo integra capita ex Enchiridio sancti Augustini Leo Magnus inseruit suæ ad Aquileiensem antistitem epistolæ, et quidem contra Pelagianos datæ. Quando ad illam pro veritate percipienda ab apostolica sede orthodoxi remissi sunt? Ad Augustini libros sanctus Hormisdas Orientis principes viros, episcopos ac monachos, uno verbo catholicum orbem retulit. Quando ad illius normam pontifices catholicorum doctrinam exegere? Clemens VIII juxta Augustini mentem lites de auxiliis divinis componendas jussit. Quandonam sancti Ignatii libellus tantis Romanorum præsulum commendationibus exceptus, tantis sanctorum Patrum elogiis decoratus, tantis omnium pene sæculorum plausibus honoratus fuit? Quæ quidem laudes si in librum cogerentur, jam decuplo major ille evaderet quam liber Exercitiorum sancti Ignatii. Audio sane quid de libro illo sancti Ignatii Romana Ecclesia judicet in lectionibus Breviarii Romani : « Homo, inquit, litterarum plane rudis admirabilem illum composuit Exercitiorum librum sedis apostolicæ judicio et omnium utilitate comprobatum. » Mirabile sane, libellum illum a litterarum plane rudi esse conscriptum ; at profecto mirabilius recentiorum factum, qui eumdem ex apostolicæ sedis testimonio *litterarum plane rudem* in sapientiæ, auctoritatis ac laudum campo Augustino non dicam velut æqualem opponere, sed quod ad illam expressiorem ac efficaciorem commendationem ac consentiendi necessitatem pertinet, veluti superiorem prædicare conantur, illi, inquam, Augustino, qui tantæ scientiæ fuisse ab apostolica sede judicatus est, « ut nihil pene (verba sunt Martini Vin Orat. de sancta Monica) ex sacris litteris possit, nisi eo duce intelligi, nihil nisi eo interprete explicari. Eo jam auctore factum est, ut nec philosophis sapientiam invideamus, non oratorum eloquentiam desideremus, non studiosorum ingenia requiramus, non denique nobis acumen Aristotelis necessarium sit, non Platonis eloquentia, non prudentia Varronis, non gravitas Socratis, non auctoritas Pythagoræ, non Empedoclis solertia, non cujusquam illius generis hominum scientia aut virtus exemplo aut documento nobis esse debeat. Idem nobis prophetarum oracula, idem apostolorum voces refert, idem omnem omnium Scripturarum sensum exprimit, unus postremo omnium Patrum sapientumque ingenia ac studia exhibet. » Itane, si superis placet, huic apostolicæ approbationi eximiæ, præclarissimæ, excellentissimæ Ignatiani libelli approbationem, Augustino Ignatium, tot summis pontificibus Paulum III opponetis? Respondet Annatus : « Quæ a me minime referuntur, ut vel Ignatium Augustino, vel Paulum III superioribus opponam pontificibus, absit ! » Sed dictis facta non cohærent. Qualis enim quantusve esset Augustinus, si Ecclesia illum non approbasset? jam cum Cassiano ac Fausto numeraretur. Igitur tantumdem nobis probandus venit quantum idem ab Ecclesia approbatus fuit. Quare, si Ignatii libellus ab Ecclesia approbatus est, iterumque approbati fuere libri Augustini, sed isti approbatione *minus*, ut ait, *expressa explicitave*, unde illi Ignatiano, te judice, *efficacior in omnibus consentiendi necessitas est*, quam istis Augustinianis, jam vides Ignatium Augustino vel præponi abs te, vel ex æquo saltem opponi. At cito commentaris, tuique facti hanc rationem reddis, ea te de Ignatiani libri approbatione recitasse : « Quod constet in hoc libello aliqua esse quæ capitalibus Baianorum principiis opponuntur, scire velim quid sint responsuri tam disertæ tamque explicitæ approbationi, qui minus expressam explicitamve suis obtendunt erroribus. » Nos quidem pro Baianis nullam volumus ; imo nec possumus responsionem adornare, sed quod eodem ictu et Baianos et Augustinum ferias, tibi vitio vertimus, qui per Baianorum latera Augustinum impetis. Sint in libello Ignatii sententiæ quibus capitalia illorum dogmata strangulentur, ipsi viderint ; at quod eadem periodo Augustini per apostolicam sedem approbationem *minus expressam explicitamque* contendis, nobis placere non potest. Parce Patri, et Baianos in exsilium non Baias, sed in Gyarum deportato.

Si Annati exemplo insistere et par pari reddere vellemus, uti ille ad imminuendam sancti Augustini adversus Pelàgianos scribentis auctoritatem, tum collectis plurium testimoniis, tum violentis pravisque Romanorum præsulum elogia eidem sancto doctori delata interpretationibus corrumpens, contra Augustinum insurgit, possemus et nos eadem prorsus audacia huc revocare quæ abbas Constantinus, quæ Vincentius Baronius, vir satis notus, part. II Theol. Mor., disp. 3, sect. 1, art. 2, § 2, quæ alii de eisdem Exercitiis sancti Ignatii scripsere, ac subinde frigidam illam Annati excusationem Augustino quorumdam censuris insultantis repetere : « Refero tantum, non probo, si quidquam justæ offensionis causam det, » lib. VIII, cap. 6, pag. 864. Sed absit ut hominis errorem redarguens, eumdem imiter, ejusque criminis reus fiam cujus hunc recentiorem apud judices reum postulo ! Erubescant profecto adversarii, erubescant dum nos in hanc arenam vel invitos propellunt, in qua odiosis prorsus comparationibus de divorum auctoritate litigetur. Scitote Augustinianos sancti Ignatii libellum vel Augustinianæ doctrinæ conformem recipere, evolvere, deosculari, et ne quis de hoc ipsorum obsequio dubitet, editis commentariis hoc ipsum coram catholico orbe profitentur. P. Franciscus Macedo, Minorita Lusitanus, seraphicæ gentis splendor, hanc sibi gloriam felicissime comparavit. Hic Augustinianæ doctrinæ adeo studiosus est, ut in Isagoge, initio suæ cortinæ, hac veluti tessera in litterariam palæstram descenderet : « Ego Augustinianus sum ; Augustinianissimus sum. » Hic, inquam, in eruditissimo illo volumine quo Ecclesiæ orantis et Augustini scribentis concentum descripsit, harmoniam quoque Exercitiorum sancti Ignatii, societatis Jesu fundatoris, et operum sancti Augustini Ecclesiæ doctoris (nam plane hunc operi titulum dedit) exhibuit, cujus illud exordium est : « Soleo, idque expertus ac prudens dicere, haud facile inter sanctos reperiri alium Augustino cum doctrinæ, quæ a Deo est, et mystica appellatur, tum institutæ a se et aliis indictæ vitæ ratione, quam Ignatium similiorem. » Quæ quidem vir doctissimus fusissime per viginti octo capita, collatis ex utroque sententiis, ita comprobat, ut profecto minime timendum sit ne Augustino quidquam detrimenti ex Ignatiani libelli expressiori ac magis explicita, ut inquis, approbatione inferatur, neve tantis Romanorum præsulum ac Patrum elogiis Augustiniani volumina nobilitantibus Ignatii libellus suffocetur, sed cum eadem dogmata et parvum Ignatii, et prolixa Augustini volumina de divinæ gratiæ auxiliis tradant, eadem prorsus approbatione munita dicantur, Augustino et doctrinam et ejusdem etiam commendationem in Ignatianum codicem transfundente, et Ignatio nova a Paulo III approbatione obtenta, antiqua pontificum de Augustini libris decreta recentiori iterum ejusdem apostolicæ sedis testimonio confirmante. Vos quidem magnæ animæ beatæ illius regionis cives, uti in libris, ita et in cœlesti patria concordes æternum eritis, et angelicis cantibus vestrarum doctrinarum harmonia recitabitur, ac dulcior inde concentus inaudietur. Filiis quoque vestris eumdem doctrinæ consensum immittite, eosque invicem officiosos vel servate vel facite. Turpe sit in tanta Patrum concordia filios odiosis sane comparationibus de eorumdem auctoritate contendere.

## CAPUT VIII.

*Recentiores ex epistola sancti Cœlestini papæ D. Augustini auctoritatem limitant. Refelluntur.*

Sanctus Cœlestinus papa ex litterarum commercio Augustini amicus, ac deinde demortui adversus Semi-Pelagianos defensor, in Augustiniana doctrina commendanda omnium nobilissimo elogio usus est, unde recentiores ad illud decurtandum limitandumque vires omnes intendunt, et quod est eorum acumen, ex eadem Cœlestini epistola, unde ab aliis vel supra sidera Augustiniana auctoritas evehi solet, eamdem deprimere conantur. Ultima epistolæ verba recitant, nempe ubi Cœlestinus ait : « Profundiores vero difficilioresque partes incurrentium quæstionum, quas latius pertractarunt qui hæreticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus astruere. » Quibus significare Cœlestinum contendunt, præter paucas sancti Augustini sententias ab Ecclesiæ præsulibus ac synodis receptas, quas in superioribus capitulis recitat, abs se iterata approbatione confirmatas, nolle reliquas de divina gratia opiniones, quas ille in suis contra Pelagianos editis disputationibus tenuit, tanquam de fide astruere, ob asserentis tamen Augustini auctoritatem eas se non contemnere, sed easdem libero lectorum assensui vel dissensui citra reprehensionis periculum permittere. Et quidem Annatus, lib. VIII, cap. 1, cum numerosam testium catervam contra Augustinum producturus esset, eidem Cœlestinum papam ductorem dedit inclamans : « Agmen ducet, ut par est, summus pontifex Cœlestinus Primus, » cum tamen hucusque inter præcipuos sancti doctoris encomiastas ille idem primas tenuerit. Quinimo recentiores isti theologi gloriantur se ejusdem epistolæ limitationem, qua angustior fiat Augustini auctoritas, e tenebris in scholæ oculos revocasse. Audiatur Moraines in præfatione ad orthodoxos : « Quam multi sine ullo discrimine Augustini auctoritatem admittebant, qui nunc audita limitatione quam ejus approbationi Cœlestinus apposuit, dum audiunt aliquid ex Augustino proponi, quæritant : Estne hoc de illis profundioribus quæstionibus quas non necesse judicavit astruere, quas in ancipiti opinandi libertate reliquit ? » Tripudiat in illis Cœlestini verbis Annatus lib. VIII, cap. 1, pag. 858 : « Nos vero, inquit, auctore Cœlestino distinguimus inter necessarias et indifferentes Augustini sententias, omnemque huic lumini contrariam lucem tenebras reputamus. » Itaque hoc loco pro Augustiniana doctrina cum recentioribus cominus veluti collato pede pugnandum est, in quo quidem campo minus feliciter recentiorum impetus alii sustinuere, unde illi animosiores facti sibi ea in lite de Augustino victoriam et triumphum cecinere.

In primis eximia recentiorum eruditio commendanda occurrit, qui e re prorsus incerta certum invictumque contra Augustinum argumentum exerere arbitrantur. Etenim viris eruditissimis et sapientissimis haud probatur verba superius memorata ascribi Cœlestino, sed cuipam alteri Augustinianæ doctrinæ studioso deputanda esse contendunt. Cœlestini epistola illis verbis in fine cap. 2 concluditur : *Deus vos incolumes custodiat, fratres charissimi.* Postea decem capita adnectuntur in quibus Pelagianorum ac Semi-Pelagianorum errores ex Innocentii, Zosimi ac synodi Carthaginensis decretis refutantur. Porro ista decem capita non esse Cœlestini tradit ecclesiasticæ historiæ parens Cæsar Baronius ad annum 431, pag. 603, ubi ait de epistola illa Cœlestini : « Junguntur epistolæ capita quædam adversus Pelagianos errores ab apostolica sede olim et ab Africanis decreta conciliis, quibus deberent insistere qui sub catholico nomine licet Pelagium atque Cœlestium anathemate condemnarent, eorum tamen defendere conarentur errores. Putantur illa capita esse Prosperi, qui, ut profiteri videtur, ea collegit ex decretis Romanorum pontificum, simulque conciliis Africanis, ubi idem Auctor hæc habet, in fine : *Profundiores vero difficilioresque partes incurrentium quæstionum, quas latius,* etc., ut supra. ». Ante Baronium Laurentius Surius, in sacra historia satis percelebris, aliique post ipsum collectores conciliorum hoc ipsum prænotarant ; nam in editione Coloniensi Conciliorum, anno 1551, a latere hæc leguntur : « Sequentia undecim capitula videntur potius ab alio quopiam interposita quam esse ipsius Cœlestini papæ. » In editione sub Sixto V, hoc scholion post secundum capitulum inseritur : « Non videtur dubitandum quin sequentia sint Prosperi, tam sunt similia et argumento et stylo ejus scriptis. » Gerardus Vossius, vir quem librorum helluonem dixeris, lib. I Hist. Pelag., cap. 30, eamdem sententiam probat duplici argumento : uno, quod Cœlestinus in illa epistola non meminit horum capitum quæ annexa eidem sunt; aliud his verbis proponit : « Alterum argumentum cur Cœlestini esse non possit, hoc est quod Innocentii et Zosimi epistolas citet sæpius, nec usquam vel hunc decessorem vel illum prædecessorem suum appellet, contra quam Romanis episcopis mos est, et Cœlestinus ipse in epistola facit his verbis : *Augustinus inter magistros optimos etiam ante a meis decessoribus habebatur.* Sane hæc argumenta tanti apud me sunt, ut Cœlestino ἁπλῶς tribuere non ausim ; at cujus sit ultra disquirendum. » Sed neque ex theologis ex recentiorum schola defuere qui negarent illa capita esse Cœlestini ; unus pro mille sufficiat Franciscus Suarius, proleg. 6 de Gratia, cap. 1, num. 11, ubi hæc scribit : « Ex modo loquendi intelligimus scriptorem illius partis non fuisse Cœlestinum, nec aliquem Romanum pontificem, ut patet ex illis verbis. » Quia nonnulli qui catholico nomine gloriantur, in damnatis autem hæreticorum sensibus seu pravitate sive imperitia demorantes, piissimis disputatoribus obviare præsumunt, et cum Pelagium atque Cœlestium anathematizare non dubitent, magistris tamen nostris, tanquam necessarium modum excesserint, obloquuntur, eaque tantummodo sequi et probare profitentur, quæ sacratissima B. apostoli Petri sedes contra inimicos gratiæ Dei per ministerium præsulum suorum sanxit et docuit. Necessarium fuit diligenter inquirere quid rectores Romanæ Ecclesiæ de hæresi quæ eorum temporibus exorta fuerat judicarint : « Hæc enim non videntur verba Romani antistitis : non enim de Romana sede tanquam de propria loquitur, nec Romanos rectores vocat prædecessores suos, prout pontifices consueverunt, tamen habens ad definiendum auctoritatem loquitur. Quapropter aliqui censent illa capita fuisse a Prospero collecta et illi epistolæ adjuncta, a qua sententia non longe abest Baronius anno 431, num. 185, et est certe verisimilis, indicaturque in illis verbis : *Magistris nostris tanquam necessarium modum excesserint, obloquuntur;* hæc enim verba in gratiam Augustini dicta sunt, magisque redolent Prosperum quam Cœlestinum. » Hæc ille.

Vidit ista in Surio Gabriel Vasquez, part. I, disp. 91, num. 85, dixitque ab eo auctore sine fundamento negari capita illa esse Cœlestini, cum uti Cœlestini sanctiones protulerit Petrus Diaconus. Addere poterat et Cresconium in Collectione canonum ; verum iste vixit anno 6[illegible]8, Petrus vero Diaconus integro post Cœlestinum sæculo floruit, ut ex Historia nostra Pelagiana intelligitur ; quare potuit ea capita edita a Prospero per errorem tribuere Cœlestino. Hinc Photius, veterum monumentorum diligens indagator et censor, cod. 53, de eodem Cœlestino hæc habet : « Scripsit idem et ad Galliarum episcopos de fide B. Augustini, et contra eos qui hæresis licentia nimis elati insolescerent. » Quæ quidem in duobus prioribus capitibus continentur, neque ullam ea in epistola statutorum dogmatum mentionem fecit. Jacobus etiam Sirmondus, tomo I Concil. Galliæ, capita illa epistolæ memoratæ annexa ab eadem prorsus separavit lineis interpositis, quo alieno auctori illa prorsus deputanda esse monstraret. Sed age, probemus ea capita non fuisse a Cœlestino scripta, quod sane præstabo argumento quo ipse convictus sum. Prius tamen nonnulla notanda veniunt quibus tantorum scriptorum sententia illustratur ; nempe Prosperum et Hilarium pro Augustinianis libris quos Massilienses carpebant, ac se ipsis quoque qui uti hæretici passim traducebantur, Romam ad Cœlestinum profectos fuisse, quæ patent ex Prospero cap. 40 contra Collatorem, et cap. 1 epistolæ Cœlestini ad episcopos Galliæ. Cœlestinus vero litteras ad Gallos antistites destinavit, quibus sanctum Augustinum eximie commendavit, vetans ejusdem memoriam novis Massiliensium conatibus percelli, ac Prosperum et Hilarium hæresis accusari, nihil interim scripti adversus eosdem publicans, quo illorum errores

damnarentur, hinc epistola inscribitur *pro Prospero et Hilario*. Sed hoc nobis est demonstrandum.

Sanctus Prosper, contra Collatorem probaturus *bonarum voluntatum initia Dei inspiratione generari*, adducit cap. 10 testimonia Innocentii, Zosimi et Concilii Carthaginensis eadem omnino quæ Cœlestini litteris adjuncta leguntur, et concludit : « Videsne regulas tuas invictarum constitutionum soliditate confractas, et in fidei structura pravas ruinosasque juncturas, velut Hierichontinos muros ad sacerdotalium tubarum ruisse concentum? Cum enim de sanctarum origine voluntatum, et fidei charitatisque principiis inter nostros et Pelagianos quæstio versaretur, non ancipiti victoria nec dubio diremptum est fine certamen, ut adhuc nobis de iniquissima hujus fœderis tui pace tractandum sit. » At si illa decem capita Cœlestini fuissent, cur non illa protulisset Prosper veluti clariora, efficaciora et ex toto litem dirimentia? Longe enim expressius Cœlestinus eam Cassiani opinionem damnat, quam Innocentius vel Zosimus. Profecto Massilienses testimonia horum pontificum et sacræ paginæ explicabant, ita ut non de initio fidei, sed de ejusdem incremento intelligenda essent ex D. Augustino cap. 2 de Prædestinatione sanctorum. « Sed nunc eis respondendum esse video, qui divina testimonia, quæ de hac re adhibuimus, ad hoc dicunt valere, ut noverimus ex nobis quidem nos habere fidem, sed incrementum ejus ex Deo. » Quæ Massiliensium sententia clare damnatur cap. 12 illius epistolæ, ubi hæc leguntur : « His ergo ecclesiasticis regulis, et ex divina sumptis auctoritate documentis, ita adjuvante Domino confortati sumus, ut omnium bonorum affectuum, atque operum et omnium studiorum omniumque virtutum, quibus ab initio fidei attenditur, Deum profiteamur auctorem, et non dubitemus ab ipsius gratia omnia hominis merita præveniri, per quem fit ut aliquid boni et velle incipiamus et facere. » Præterea hæc scribuntur cap. 11 : « Præter beatissimæ et apostolicæ sedis inviolabiles sanctiones, quibus non piissimi Patres pestifera novitatis elatione dejecta, et bonæ voluntatis exordia, et incrementa probabilium studiorum, et in eis usque in finem perseverantiam ad Christi gratiam referre docuerunt, » etc. Idem habet cap. 9 : « Ut sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bonæ voluntatis ex Deo sit, quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus. » Itane hæc Cœlestini oracula, Prospero rogante data, ac litteris pro eodem ad episcopos missis inserta, adeo memoria ejusdem excidisse credenda sunt, ut illa, cum vel maxime ad Massiliensium petulantiam comprimendam necessaria essent, omitteret? Sibi cusa tela atque elaborata arma tam parvi fecit, ut cum iis Semi-Pelagiani penitus conficiendi forent, eisdem veluti obtusis uti noluerit, qui contra Massilienses omnium fortissimus ac solertissimus post Augustinum dux a recentioribus, et merito quidem prædicatur.

Laudatas litteras a Cœlestino emissas ad damnandos Massiliensium errores scribit Vasquez, part. 1, disp. 91, num. 83 : « Quibus, inquit, locis cum Cœlestinus omnia bona opera, studia et merita in quovis tempore, causa et negotio ad Deum auctorem gratiæ referat, manifeste Massiliensium errorem confutat. » Et hæc adeo constanter docent recentiores, ut eorum eruditissimus ac sapientissimus Annatus Cœlestini personam induens, quod satis ridiculum est, altiori ac clariori voce in Massilienses ita tonet : « Cum eo tantum spectet Romanæ sedis consilium et providentia, ut MASSILIENSES isti, QUORUM CAUSA HÆC SANCIMUS, nihil penitus subtrahant divinæ gratiæ, ne illum quidem morbi sensum, et desiderium medicinæ, quod gratuito et supernaturali auxilio præmittunt, prædictæ regulæ seu præfixæ sententiæ ita sufficiunt, ut sicut non debet videri catholicum quod eis repugnat, ita neque quod non repugnat videri debeat erroneum, aut a sensu catholico alienum. » Hæc elegantissimus Paraphrastes. Hic tamen obiter noto hunc hominem sive contra suos Baianos sive contra Massilienses loqui incipiat, sermonem tandem contra Augustinum semper finire. De Baianis id vidimus capite superiori ; hic vero cum Cœlestini personam agens illa dixisset, statim addit : « Unde sequitur, si quid vel ab Augustino, vel ab alio quodam ecclesiastico tractatore assertum aut negatum sit, quod non repugnet regulis illis atque sententiis, esse hoc inter ἀδιάφορα numerandum, et quæ libero catholicorum consensui atque dissensui permissa sunt. » Ego quidem certissimum puto in adjunctis illis capitibus Massiliensium errores capitales, quorum reliqui veluti appendices erant, aperte damnari, neque hoc in dubium vocari posse arbitror, quod recte a Vasquio, Annato aliisque communiter est observatum. Duo erant capitalia Semi-Pelagianorum dogmata, fidem incipere a nobis, itemque a nobis esse usque in finem in bono perseverantiam, ut docet sanctus Augustinus capite ultimo de Dono perseverantiæ : « Satis, inquit, docuisse me existimo, vel potius plus quam satis, dona Dei esse, et incipere in Dominum credere, et usque in finem in Domino permanere. » Hoc vero utrumque statuitur in litteris illis quæ Cœlestino ascribuntur; nam cap. 11 decernitur, ut dicebam : « Bonæ voluntatis exordia, et incrementa probabilium studiorum, et in eis usque in finem perseverantiam ad Christi gratiam referri. » Ibique fuse probatur fidem non esse a nobis, sed donari a Deo, et cap. 12 injungitur ut « omnium bonorum affectuum atque operum, et omnium studiorum omniumque virtutum quibus ab initio fidei attenditur, Deum profiteamur auctorem. » Hæc ibi.

Ex his nostrum argumentum instauramus. Cum Prosper contra Semi-Pelagianos Cœlestini elogium recitasset caput 42 contra Collatorem, illorum invidiosum interpretamentum apponit, quo dictitabant laudatos a Cœlestino priores sancti Augustini libros, non posteriores, nempe de Correptione et gratia, duosque ad Prosperum et Hilarium datos de Prædestinatione sanctorum et de Dono perseverantiæ. Hoc commentum statim refellit, tum quia idem semper

in omnibus libris Augustinus scripsit, idemque fuit semper in illo spiritus et doctrina, tum quia « Apostolica sedes, ait, quod a præcognitis sibi non discrepat, cum præcognitis probat, et quod judicio jungit, laude non dividit. » At quorsum isthæc e longinquo librorum sancti Augustini de Prædestinatione sanctorum, de Dono perseverantiæ petita ab apostolica sede approbatio? Cur Cœlestini litteras abs se impetratas, in quibus doctrina librorum sancti doctoris de Initio fidei et de perseverantia apertis definitionibus statuitur, non protulit, et eas, inquam, litteras, quas in eorumdem Augustini calumniatorum faciem eodem ipso loco illiserat? Annatus quidem de posterioribus libris sancti Augustini scribit lib. VIII, cap. 6 : « Manifestum igitur est Augustini menti his in libris satisfactum ab eo qui fateatur et gratiam esse necessariam ad initium fidei, nec ejus meritum sequi, sed præire, et donum Dei esse perseverantiam. » Quodnam igitur efficacius argumentum adduci poterat ad demonstrandum posteriores eos libros esse ab apostolica sede probatos, quam litteræ illæ Cœlestini, in quibus doctrina librorum postremorum sancti Patris adeo diserte, adeo perspicue, adeo solide asserebatur? Semi-Pelagianos, cum Augustini auctoritatem elevarent, Prosper ex Cœlestini litteris, in quibus eximie ille laudabatur, confutavit. Quare cum iidem sancti Augustini doctrinam lacesserent, ex iisdem omnino litteris Cœlestini compressi ac convicti non sunt? Scripsit sane Prosper post Cœlestinum adversus Cassianum, et litteras Cœlestini ea in disputatione in digitis habebat. Hoc quidem argumento capita illa infarta probantur litteris Cœlestini.

Rursus dicam aliquid, quod cæteris argumentis semper prætuli. Si capita illa Cœlestini essent, et a sede apostolica emanassent, non video qua ratione Faustus Rejorum, Vincentius Lerinensis, Hilarius Arelatensis episcopus (si in sententia perstitere) ac alii Galliarum episcopi ab hæresi excusari possint atque inter divos erectis aris connumerari. Faustus fidem esse nobis ex naturæ viribus docet lib. II, cap. 6, 7 et 8; unde lib. I, cap. 7, ait : « Tempus gratiæ, quo redempti sumus, merita hominum non exspectavit, opera penitus non quæsivit, sola Deus fidei nostræ devotione contentus fuit. » Addens : « Fidem exspectat a parvulis, opera etiam cum fide a confirmatis requirit, ita tamen ut credulitatis affectum proficientibus augeat. » Legatur Vossius lib. IV Hist. Pelag., part. I, thesi 2; idem lib. II, cap. 10, et ante ipsum Vincentius Lerinensis in Commonitorio, cap. 37, scribunt nos posse nostris viribus petere, pulsare, quærere, ut Dei gratiam obtineamus, quæ erat Semi-Pelagianorum opinio ex litteris Prosperi ad Augustinum. Item aliquot etiam episcopi Galliarum, mortuo Fausto, fidem nobis ex nobis nasci dicebant, ut ex litteris Bonifacii II ad Cæsarium intelligitur : quæ quidem sententiæ aperte damnantur in illis capitibus in quibus fidem et hujus initium, sancta cogitatio, pium consilium, omnis bonus affectus omnisque bonus motus voluntatis asseritur esse a Deo, quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus. Sane, si quis modo Massiliensium sententias assereret, non exstantibus Arausicanis aliisve apostolicæ sedis decretis, nonne ille ex litteris Cœlestini reus hæresis convinceretur? Damnasse quippe inquiunt Cœlestinum Massiliensium dogmata; quam igitur excusationem concinnabimus pro Hilario, pro Fausto, pro Vincentio, pro reliquis Galliæ præsulibus, qui ante Arausicanam synodum Massiliensium opiniones mordicus sustinebant? An isti forte Cœlestini litteras prorsus ignorasse dicentur? At litteræ illæ datæ erant ad episcopos non Macedoniæ, aut Bithyniæ, sed ad episcopos Galliæ, eo tempore quo Faustus in Lerinensi cœnobio florebat, cui post annum abbas præfectus fuit. Quid quod idem Vincentius Lerinensis easdem producit in Commonitorio adversus profanas vocum novitates, easque plurimum commendat? Qua vero fronte Vincentius eas sibi favere litteras jactasset, quibus ipsiusmet opiniones condemnabantur? Hæc ille scribit : « Sed et sanctus papa Cœlestinus pari modo eademque sententia; ait enim in epistola quam Gallorum sacerdotibus misit, » etc. Tota igitur Gallia sonantes Cœlestini voces, ac Vincentii et Prosperi ore etiam redditas quis eruditorum antistitum non inaudivisse credendus est? Itaque capita illa a Cœlestino emissa non fuere, ne hæreticos pronuntiemus eos quos et sanctitas et eruditio celebres reddidere.

Verum dubium hic expediendum alterum est, cuinam capita illa Cœlestini litteris annexa tribuenda sint? In libro ecclesiasticorum Dogmatum, qui inter opera sancti Augustini tomo III recensetur, a cap. 22 undecim capita leguntur ad verbum ex litteris Cœlestini exscripta. Sed illius voluminis non est auctor sanctus Augustinus, cum etiam ibidem inserantur capita concilii Arausicani, quod anno 529 celebratum est; quare nec illa scribere potuit Gennadius ob rationes adductas libro II Hist. Pelagianæ, cap. 16, qui cum Cassiani dogmata uti catholica perperam a Prospero impugnata fuisse dicat, non eas sententias docere potuit, quæ Cassiani opinionibus prorsus repugnarent. Sutor etiam ille, quicunque fuerit, ineptus est, nam cap. 25 ait : « Idem magister in epistola ad Milevitanum concilium data prædicat dicens, » etc.; cum tamen prius non citasset Innocentium, ex quo illa verba referuntur in annexis capitibus, illis nempe cap. 7. Præterea duo postrema capita, scilicet 11 et 22, ad verbum habentur in homilia sancti Joannis Chrysostomi de Adam et Eva tom. II edit. Basileæ, ubi etiam illa verba in fine ponuntur, quarum occasione ista perquirimus, nempe : *Profundiores vero, difficilioresque partes*, etc., in qua etiam homilia, § *Cum ergo dicitur homo tradi desideriis suis*, etc., ad verbum inseruntur quadraginta versus ex libro V sancti Augustini contra Jul., cap. 3. Unde auctor illius homiliæ non est Chrysostomus, sed Latinus quispiam debilis ingenii scriptor, qui nec suo ore loqui potuit, sed aliorum tantum sententias in centones coe-

git. Baronius ac Suarius verisimile putant, quod quidam scribunt, ea capita fuisse a Prospero concinnata; Vossius non audet spondere a solo Prospero elaborata esse, Hilarium aliosque Augustini defensores socios Prospero tribuit, nam plurali numero loquuntur. Quid hac in re divinari possumus? Dicamus igitur conflata esse a Prospero illa capita, demusque unam aut alteram conjecturam. Prima sit, quod cap. 8 leguntur verba litterarum Zosimi et Patrum Africanorum, quæ eadem omnino eodemque modo recitat Prosper contra Collatorem, cap. 10, quo loco eadem Innocentii testimonia ponit, quæ in capitibus vulgo Cœlestinianis leguntur. Litteræ illæ Zosimi periere, earumque initium apud Prosperum, et in capitulis illis tantum habetur. Altera vero est, Prosperum, cap. 9 contra Collatorem, eumdem arguere, quod dixerat, Augustinum quædam contra Pelagianos *justo amplius asseruisse*; ibique vellicat *sobrietatem* adversarii. At in cap. 3 Cœlestiniano reprehenduntur Massilienses, quod ausi sint obloqui Augustino, tanquam necessarium modum excesserit. Quæ si vere a Cœlestino dicta fuissent, repetenda sane fuerant Prospero ea de re pro Augustino contra Collatorem litigante; quid enim validius adduci poterat ad os calumniatori obstruendum tam celebri apostolicæ sedis testimonio? Unde minus etiam probatur recentiorum sententia ea capitula absque ulla dubitatione Cœlestino tribuens. Cum Prosper a Cœlestino pontifice in commendationem Augustini ac suæ fidei approbationem diploma impetrasset, in Galliam rediens iisdem Semi-Pelagianis insultabat; at illi eas laudes prioribus libris sancti Doctoris datas fuisse commentabantur; quo vero omnem abs seipsis erroris suspicionem propulsarent, profitebantur ea se tantum dogmata defendere velle quæ in disputationibus de gratia contra Pelagianos ab apostolica sede sancita fuissent. Inde onus Augustinianis incubuit demonstrandi ex Innocentio, Zosimo et Africano Concilio a Romana sede approbato Massiliensium opiniones esse proscriptas. Quare decem illa capita contexentes, quo validiori auctoritate donarentur, eisdem Cœlestini epistolam ad episcopos Galliæ præfixere. At cum in quorumdam manus ea scripta devenissent, in illam sententiam abiere, ut putarent universum libellum fuisse a Cœlestino pontifice publicatum in qua opinione video esse ex antiquioribus Petrum Diaconum, dein Cresconium, quos citavi, et post quadringentos annos Ecclesiam etiam Lugdunensem in libro de Tribus Epistolis, atque aliis passim editis in causa Gotteschalci. Notandum tamen est Petrum Diaconum ac socios Scythas errasse, dum in libro de Incarnatione et gratia, cap. 8, laudant verba quæ habentur initio cap. 8 Cœlestiniani tanquam Innocentii ad synodum Milevitanam; unde patet eos non legisse Innocentii litteras, sed in hæc Cœlestino attributa capitula incidisse, haud distinguentes ultima verba cap. 7, quæ sancti Innocentii sunt ad Milevitanos a primis octavi capitis, quæ alterius auctoris sunt.

Ex his patet imprudenter recentiores ex litteris Cœlestini Augustinianæ auctoritati adeo secure insultare, conantes Augustinum fere in ordinem redigere. Neque enim certum est postremam illam appendicem : *Profundiores vero, difficilioresque partes*, etc., ab apostolica sede emanasse, quod præclarissimi scriptores negant. Quem vero ex theologis cum Suario parem ex suis faciant, quemve ex historicis vel Baronio vel Sirmondo suo opponent? Solidissima etiam argumenta eamdem sententiam confirmant, quibus plures in posterum manus herbamque daturos spero, nisi nostrorum adulatio nobis illudat. Quæ vero dicturi insuper sumus in gratiam recentiorum asserta sint, ut omnem illis ad Augustinianæ auctoritatis truncandæ aditum præcludamus. Hucusque in remotiori quam putarant campo pugnatum est, nunc ad eorum castra accedimus, eadem etiam in arena in quam nos provocaverant dimicaturi. Dabo igitur gratis decem illa capita esse a Cœlestino concinnata, ab eodem etiam appendicem illam adjunctam concedam; inde tamen nihil Augustinianæ doctrinæ, nihil ejusdem dignitati, nihil auctoritati detractum fuisse docebo. Antequam tamen hoc ipsum exsequar, mens animusque recentiorum indagandus est, suisque veluti coloribus delineandus.

Veteres Semi-Pelagiani Massilienses, quo conceptum semel contra sancti Augustini doctrinam odium specioso quodam prætextu velarent, Pelagium ac Cœlestium damnabant, profitentes amplecti se quæcunque contra eosdem ab apostolica sede sancita fuissent; cæterum in aliis, de quibus nulla emanarant a pontificibus decreta, non stare se cum Augustino dicebant, quod ille in doctrina contra Pelagianos tradita necessarium modum excesserat. Do verba Cœlestini, cap. 3 : « Quia nonnulli qui catholico nomine gloriantur, in damnatis autem hæreticorum sensibus, seu pravitate, sive imperitia demorantes, piissimis disputatoribus obviare præsumunt; et cum Pelagium atque Cœlestium anathematizare non dubitent, magistris tamen nostris tanquam necessarium modum excesserint, obloquuntur, eaque tantummodo sequi et probare profitentur, quæ sacratissima beati apostoli sedes contra inimicos gratiæ Dei per ministerium præsulum suorum sanxit et docuit. » At nos proponimus recentioribus sancti Augustini de gratuita ad gloriam prædestinatione sententiam, in hanc transeant ob asserentis auctoritatem rogamus. Respondet Moraines, disp. 9 Anti-Jans., num. 50, si eam sententiam docuit Augustinus, *non* statutæ contra Pelagianos *doctrinæ affinitatem, aut connexionem, quæ nulla est, sed æstum disputationis ad hoc illum impulisse*. Addunt se tantum teneri ad defendendas sententias a Romana sede approbatas : « Quamvis enim, inquiunt, præferenda sit ea sententia quæ talem modum prædestinationis ex meritis omnino negat, tamen ut damnata etiam censeatur illa quæ affirmat, videndum erit quam sit necessario connexa cum articulis a Cœlestino definitis : si enim non sit, quamvis Augustinus in contrarium propen-

deat, permittenda tamen erit hujus quæstionis determinatio liberæ disputantium electioni. » Verba sunt Annati lib. VIII, cap. 1, pag. 856. Igitur nullo gradu distat hoc recentiorum de Augustino judicium a veteri Semi-Pelagianorum opinione; utrique enim admittunt necessitatem credendi ea quæ contra hæreticos de divina gratia ab apostolica sede statuta sunt, at non illa quæ per excessum contra eosdem sanctus Augustinus asseruit. Dicam tamen quid inter utrosque discriminis intersit. Cum sanctus Prosper Cœlestini approbationem Augustinianæ doctrinæ Massiliensibus objiceret, illi eas laudes anterioribus libris Augustini delatas dicebant, non posterioribus, in quibus et prædestinatio sine meritis, et fides Dei donum astruitur. At recentiores libros etiam posteriores recipiunt, aiuntque approbatos, qua parte fidem ex Dei munere esse dicunt, non qua etiam prædestinationem ante prævisa merita ponunt. Itaque Massilienses ex toto postremos Augustini libros laudatos a Romanis pontificibus negabant, recentiores ex parte tantum approbatos concedunt.

Certum est Jacobum Arminium apud Batavos Semi-Pelagianismum ab Orco revocasse, vel si alicubi adhuc superstes erat, communivisse : unde Pater Macedo scribit in prologo Scrinii : « Sintne hodie hostes gratiæ ? scire qui velit, inspiciat is an sint hodie Augustini hostes? Cumque hos invenerit, et illos invenisse se putet. At in Belgio sunt hostes Augustini, sunt et in Anglia, licet multo pauciores, id est Arminiani et Remonstrantes. » Itaque hic Batavorum Semi-Pelagianorum novus princeps illa Cœlestini clausula contra Augustini auctoritatem armari se satisque instrui putabat : dat ejus verba amicus laudatus in Antithesi Arminiana ibidem : « Tantum vero abest, inquit Arminius, ut doctrina ipsius etiam Augustini de prædestinatione in illis conciliis recepta sit, ut Cœlestinus, episcopus Romanus, qui illo tempore vivebat, ad episcopos Galliæ scribens, et Pelagianorum doctrinas condemnans, in fine suarum litterarum in hæc verba concludat : *Profundiores vero difficilioresque partes occurrentium quæstionum, quas latius*, etc. » Quibus Cœlestini verbis Arminius erecto veluti aggere contra Augustinum stetit. Hinc ridenda sunt Morainii verba in præfatione Anti-Jansenii : « Quam multi, inquit, sine ullo discrimine Augustini auctoritatem admittebant, qui nunc audita limitatione quam ejus approbationi Cœlestinus apposuit, dum audiunt aliquid ex Augustino proponi, quæritant : Estne hoc de illis profundioribus quæstionibus quas non necesse judicavit astruere, quas in ancipiti opinandi libertate reliquit? » Quasi ipsi recentiores in nupera Jansenii causa illa Cœlestini verba adnotarint, cum non modo Arminius, verum etiam ante 80 annos eadem recitata fuerint ab Ecclesia Lugdunensi, cap. 12, de tenenda sacræ Scripturæ veritate. Arminius, veteris Semi-Pelagianismi recoctor, eam Cœlestini clausulam versavit, reversavitque discipulorum chorus, cum quibus recentiores concinunt, quorum unus et nobilis exclamat : « Ita est, multa habemus cum Armenianis communia (*Lib.* I *Hæres. Jans.*, *cap.* 3, *n.* 115). »

Verum enim vero audire mihi videor recentiorum querelas, se gravari invidiosis tantum nominibus, non autem ipsorum sententiam falsitatis errorisve convinci. Agite dum, relinquamus ista, utpote odiosa, ad arcem causæ accedamus. Auctor illorum capitum intendit tradere contra Massilienses quænam sint liberi arbitrii vires ad bonum, ac quanta gratiæ necessitas. Hoc patet ex fine litterarum, ubi legimus : « Quia ad confitendam gratiam Dei, cujus operi ac dignationi nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credimus quidquid secundum prædictas regulas apostolicæ sedis nos docuerunt. » Quare ea quæ de peccato originali ac modo quo idem propagatur, de concupiscentia ac miseriis reliquis, quæ sunt pœnæ peccati originalis, fusius contra Julianum sanctus Augustinus docuit, in illis Cœlestini litteris non definiuntur, quia de illis nulla erat Augustinum inter et Massilienses controversia, nec ullam inde Semi-Pelagiani Augustino quæstionem faciebant. Quare Cœlestinus dixit : *Non necesse habemus astruere*, quod est nolle se de illis canones edere quod ad præsentem cum Massiliensibus controversiam non conducebant, non quod libero disputantium assensui vel dissensui illa dimittere vellet, quæ est insulsa recentiorum interpretatio. Hinc patet inanem laborem subire eos qui nomine intercurrentium quæstionum quasdam intelligunt ex Augustini libris desumptas, quas ad rem non facere satis commode et lepide ostendit Annatus lib. VIII, cap. 1. At dices : Si non sunt approbata a Cœlestino ea quæ sanctus doctor de Concupiscentia latissime tradit contra Julianum, libero substant lectorum assensui vel dissensui. Ad hoc quidem suo inferius loco respondebimus; interim sciendum est Augustinum, lib. V contra Jul., cap. 12, quinque de concupiscentia quæstiones proposuisse (in quarum tertia recentiores stant contra Augustinum, iisdem argumentis quibus Julianus usus est decertantes) atque hæc ibidem dixisse : « In hisquæstionibus catholica veritate antiquitus tradita vestra impia novitas suffocatur. » Repetere autem hic possumus quæ in alia causa dicebat Bellarminus cardinalis, lib. II de Gratia et lib. arb., cap. 11 : « Nam si Augustini de prædestinatione (dicas concupiscentia) sententia falsa esset, non posset idem Augustinus ab ingenti temeritate defendi, quippe qui non solum tam acriter pro falsitate certasset, sed etiam eam pro fide catholica venditare ausus esset. » Nunquam sanctus doctor proprio e cerebro natas opiniones pro catholicis sententiis publicasset. De qua re repete dicta cap. 3, § 2.

Scribit auctor in fine cap. 3 : « Constitutiones sanctorum Patrum compendioso manifestamus indiculo, quo si quis non nimium est contentiosus, agnoscat omnium disputationum connexionem ex hac subditarum auctoritatum brevitate pendere. » Hic

magnæ difficultates emerguut : undenam scire poterimus hanc dogmatum connexionem? Recentiores se hujus mysterii magistros profitentur, irridentque Augustinum ea de connexione scribentem. Legimus cap. 12 homines non prius baptismum suscipere « quam exorcismis et exsufflationibus clericorum spiritus ab eis immundus abigatur, ut tunc vere appareat quomodo princeps mundi hujus mittatur foras, etc. » Inferimus : Ergo dæmon sensibili pœna nocere poterit pueris infectis originali peccato, utpote suis mancipiis, quorum ipse est princeps. Clamat Annatus, pag. 858 : « Negamus crudelem consequentiam. » At connexionem illam asseveravit satis constanter sanctus Augustinus, lib. IV Operis imperf., cap. 200 : « Si autem non eruitur, inquit, de potestate tenebrarum, et illic remanet parvulus, quid miraris in igne æterno cum diabolo futurum, qui in Dei regnum intrare non sinitur? » Respondet Moraines disp. 40 Anti-Jansenii, num. 60, id dixisse Augustinum *æstu disputationis abreptum*. En Semi-Pelagianorum voces, Augustinum *necessarium modum excessisse*, a Cœlestino damnatas, cujus quidem litteras, prout utile est ipsorum causæ, recipiunt, sed prout in rem Augustini faciunt, minime imitantur. Itaque erravit Augustinus furore abreptus eam connexionem astruendo, quam nullam esse recentiores contendunt. Opponimus cap. 11, « perseverantiam usque in finem ad Christi gratiam referri, » datur enim gratis, ut ex precibus fuse probat Augustinus, et definitum est in Arausicana synodo, canone 10. Inde inferimus prædestinationem ad gloriam esse pariter mere gratuitam; nam prædestinatio, quæ segregat reprobum a prædestinato, fundatur seu connectitur cum dono perseverantiæ finalis mere liberaliter meritis superaddito; ergo a mera liberalitate Dei prædestinatio dependet. Hanc connexionem vidit ac propugnavit Augustinus; eamdem sancti Patres Augustiniani, Prosper, Fulgentius, Prudentius, Rhemigius aliique asseruere; at recentiores eam connexionem negant, qui Augustini doctrinam juxta connexionem cum Cœlestini litteris recipiunt, quam tamen connexionem juxta proprias opiniones recipere vel respuere nec piget nec pudet. Uno verbo, Augustini libri ad normam litterarum Cœlestini examinandi sunt, Cœlestini vero litteræ juxta suam ipsorum imaginationem interpretandæ. Illi quidem, ut probent hæc capita, quæ epistolæ Cœlestinianæ connexa sunt, esse reapse ab apostolica sede emissa, producunt Petrum Diaconum et Ecclesiam Lugdunensem, a quibus illæ sententiæ laudato pontifici ascribuntur. At respondemus eos Patres illam epistolæ appendicem legisse, et tamen uti dogma catholicum prædestinationem absque meritorum præcognitione statuisse; sed dicent mitiori se illorum de Augustini doctrina judicio non stare; bene, nec illorum nos convincimur testimonio, ut Cœlestino illas theses deputemus.

Subit hic mentem, quoniam de prædestinatione sermo incidit, recentiorum modestia in sententia sancti Augustini de prædestinatione mere liberali examinanda : inquiunt enim honoris gratia cum Molina, esse *duram et indignam divina bonitate, ejusque occasione plurimorum salutem fuisse periclitatam*; cum Mariana, esse *novam*, et Augustinum in illa haud constantem *inducere desperationem;* cum Lessio, brevique *a contraria opinione obducendam* cum Petavio. Nonne hoc ipsum est Augustini sententiam *contemnere?* et tamen de illa dictum fuisse a Cœlestino asseritis, se illam non *audere contemnere*. Peccatum originale esse potissimam ac proximam causam reprobationis est sancti Augustini sententia, idque concedit Adamus, pag. 614 sui Calvini destructi, de qua pag. 667, cap. 10, part. III, scribit : « Credo mihi licere jam exhorrescere, quia mater est Calviniani dogmatis. » Potuitne Augustini sententia vilius excipi? Ridet Annatus lib. VIII, cap. 1, quosdam qui, explicaturi verba illa Cœlestini : *Profundiores vero difficilioresque partes intercurrentium quæstionum, quas latius pertractarunt qui hæreticis restiterunt*, quarumdam quæstionum indicem texunt, quas ad propositum non facere non prave idem ostendit; at petimus ubinam contra Pelagianos latius agitarit Augustinus quæstionem illam de prædestinatione; certe in epistolis ad Paulinum et Sixtum de illa non multa loquitur, ut vix dicendus sit fusius inibi eam pertractasse : verum in libris ad Prosperum et Hilarium latius de illa disseruit; at in eo opere sanctus doctor hæreticis non resistebat : erant enim Semi-Pelagiani catholici, eratque id nomen factionis, non hæresis. Cœlestinus vero illas quæstiones appellat, quas illi qui hæreticis restiterunt pertractarunt. Scio quid responsuri sitis, intelligenda esse Cœlestini illa verba, qui hæreticis resisterunt *specificative* non *reduplicative*. Scholæ interpretamentum est; ne sim litigiosior, cedo herbam, nec me hoc postremum multum movet, ad alia transeamus.

Sed mitissime atque humanissime vobiscum agamus; scitote adeo in tuto esse sancti Augustini auctoritatem, ut causam de qua hucusque litigavimus ex integro vobis ultro cedere possimus, quin quidquam detrimenti Augustinianæ doctrinæ dignitas subeat. Habuerint decem illa capita Cœlestinum auctorem, nullum Augustini dogma cum illis connexionem habeat, damus omnia, ut libet, ut lubet. Hinc tamen non fit ut capitalia sancti Augustini dogmata inter adiaphora numerentur, quæ libero disputantium arbitrio permissa sunt. In illis capitibus initium fidei, pium consilium, probabile studium, sanctam cogitationem, perseverantiam finalem esse Dei dona decretum est, Augustino id gloriæ detur, suas ipsius theses adversus Massilienses defensas in fidei dogmata a Cœlestino relatas fuisse. Interrogatos velim modo recentiores, an post Cœlestini obitum ulla alia Augustini asserta ab apostolica sede contra hæreticos aliosve statuta sint? Affirmabunt profecto qui sciunt viginti quinque canones Arausicanos a Felice IV ex sancti Augustini libris desumptos fuisse. Cœlestinus ex sancti Augustini doctrina quidquid

Massilienses in dubium vocabant, definivit, ex ejusdem etiam sententiis contra novos Pelagianorum conatus a successoribus idem præstitum fuit. Sanctus Gelasius papa D. Augustini sententiam de transfusione peccati originalis in prolem ratione concupiscentiæ, de exclusione a regno cœlorum, de miseriis ex peccato originali venientibus, de infantium damnatione, de libertate ad bonum per peccatum amissa, aliave multa in epistola ad episcopos per Picenum approbavit. Leo Magnus integra duo capita Augustinianæ doctrinæ suis litteris inseruit, in quibus asserit Augustinus, non improbabiliter dici, parentum quoque peccatis parvulos obligari, non solum primorum hominum, sed etiam suorum, cap. 46 Enchirid. Quare, si sanctissimo eidemque doctissimo pontifici Leoni illa Augustini sententia placuit, quam hic tantum non improbabilem judicabat, quantum illas apostolicæ sedi placuisse dicemus, quas tanquam certas, tanquam sacris litteris conformes, tanquam denique plane orthodoxas totis lacertis contra hæreticos propugnavit? Statuerit itaque Cœlestinus quid contra Massilienses ab omnibus tenendum sit, non inde intra cancellos brevissimos Augustiniana doctrina restringitur, latius expatiatur, ac secum unanimi consensu Romani præsules procedunt, Augustinum in statuendis de auxiliis divinæ gratiæ decretis summa semper religione secuti. Subsidat ergo jam tandem tantus ex his, ut putant, Cœlestini capitulis pulvis a recentioribus contra micantissimos Augustiniani solis radios excitatus, ac sancti præsulis doctrina quacunque falsarum interpretationum depulsa caligine Ecclesiam universam illustret

## CAPUT IX ET ULTIMUM.

*Centum ac triginta quinque recentiorum contra D. Augustinum convicia, dicteria ac censuræ ab eodem sancto doctore et sanctis Patribus repulsæ.*

Mirari satis nequeo Augustinum tam magno ac felici ingenio excelluisse, ut non modo eos hostes, quibuscum vivens acerrime dimicavit, mille voluminibus conculcarit protriveritque, verum etiam asserta abs se dogmata iis argumentorum armis muniverit, ut et subsecutorum omnium hæreticorum conatus infregerit, ac quorumcunque hominum censuras eluserit: cum nullas sive hæresis sive invidia voces dare possit quibus suis in libris Augustinus plenissime non satisfecerit. Exemplo sint recentia convicia quibus nonnulli novitii scriptores venerandam magni Patris canitiem temerario ausu discerpere conati sunt : quandoquidem etiamsi nullus pro Augustino defensando stylum stringat, ex unius illius dictis omnium calumniantium ora penitus obstruuntur. Hoc modo demonstrare aggredior, productis hinc novorum scriptorum censuris, illinc vero datis ex Augustino responsis. Quæ sane quicunque procul amoris et odii causas habens, attente perleget, is profecto fatebitur Augustinum ita esse locutum, ac si cum recentissimis hisce hominibus, qui post duodecim sæcula erupere, reapse litigasset. Hic tamen mihi decretum est, illatas Augustino contumelias repellere, illarum vero auctores silentio præterire. Etenim cum Augustinus Pelagianos primitus impugnandos suscepisset, ita eorumdem errores insecutus est, ut Auctores minime publicaret. Cujus facti hanc ipse rationem assignat lib. II Retract. cap. 33. *In his autem*, inquit, *libris tacenda adhuc arbitratus sum nomina eorum, sic eos facilius posse corrigi sperans.* Et quidem magni Patris vestigiis inhærentes nostri instituti homines Basilius Poncius Hispanus, ac Carolus Moreau Gallus ita importatas Augustino injurias confutarunt, ut adversariorum nominibus pepercerint. Familiare igitur majoribus nostris exemplum secutus, Censorum nominibus suppressis, minus honorifica eorumdem de Augustino dicta ex Augustino ipso refellam. Optime enim de humano genere merentur, qui antidota suggerunt, etiamsi venenorum artifices minime prodant. Dabimus profecto grande patientiæ, grandius modestiæ documentum, ut vel hinc mitiora jam tandem erga insignem Ecclesiæ doctorem consilia eosdem in posterum inituros non dubitemus. Verum ne Censores ita cum Augustino committam, ut sub lite etiam dimittam, Judices advocandos decrevi, a quibus gravissima hæc, si quæ unquam alias, causa cognoscatur. Vos, vos, precor, adeste vetustioris Ecclesiæ Patres, bello invicta manus, ac tot de Heterodoxis reportatis triumphis percelebres. Vos cœlestis Senatus lumina, ac Christianæ reipublicæ columina, quorum auctoritatem Catholicus Orbis sequitur, sapientiam universi adorant, dicta tanquam secretiora Numinis oracula singuli venerantur. Sedete Augustinianæ causæ Judices honorarii, hinc quorumdam Recentiorum accusationes, isthinc Augustini defensionem audituri. Vestram fidem quicunque in suspicionem vocaverit, is ab Orthodoxa fide se penitus alienum ostenderit. Tu vero, Magne Pater, quando dignam advocationem nullus tibi mortalium commodare potest, tuæ ipsius causæ suffragator accede. Et si olim apostolicæ sedis decreto in controversiis de divinæ gratiæ auxiliis sententiam dicturus judex destinatus fuisti, patere parumper, id quorumdam (ut mitissime loquar) importunitate exigente, ad Patrum tribunal sisti ex judice reum. Neque enim arbitror te id ægre esse laturum, qui olim novitii dogmatis a Juliano accusatus, Patrum judicium non modo non declinasti, quin imo ad illud vel repugnantem adversarium obtorto collo traxisti. Erit sane jucundum intelligere, imo vel oculis ipsis intueri innumeros Ecclesiæ doctores albos calculos (neque enim est incerta victoria) Augustino adjicere, ejusdem sententias commendare, auctoritatem defendere, adversariorumque temeritatem gravi judicio percellere. At cito citius adest sacer divorum senatus, et quidem frequentissimus, Augustinianam causam cogniturus. Tumultuantur rotundo agmine adversarii Augustinum accusaturi. Interim sanctus Prosper, qui inter primi subsellii judices sedet, accusatoribus, loquendi facultatem faciens. « Ecce, inquit, salva catholicæ pace victoriæ, salva indissolubilium reverentia decretorum parati sumus PATRO-

NOS DOCTRINÆ EMENDATIORIS audire, et circumcisas ab omni errore lineas subtilissimæ discretionis agnoscere. Constituatur in medio quod DE NOVIS EMERSIT INGENIIS (*Cont. Collat. initio*). » « Ut facile vel tenuis diligentiæ advertat inspector, quam injustis opprobriis CATHOLICI PRÆDICATORIS memoria carpatur, et in quod peccatum cadant qui aliena instigatione commoti SCRIPTOREM CELEBERRIMI NOMINIS promptius habeant culpare, quam nosse (*In præf. Resp. ad cap. Gallorum.*) »

---

I.

| CENSORES. | S. P. AUGUSTINUS. |
|---|---|
| *Hæc nostra ratio conciliandi libertatem arbitrii cum divina prædestinatione a nemine, quem viderim hucusque tradita, ideo satius hæc duxi paulo fusius explicare.* | Mira sunt quæ dicitis, nova sunt quæ dicitis, falsa sunt quæ dicitis. Mira stupemus, nova cavemus, falsa convincimus. *Lib.* III *contra Julian., cap.* 3. |

S. BERNARDUS.

Miror admodum si novus iste novarum inventor assertionum et assertor inventionum invenire in hoc rationem potuerit, quæ sanctos Patres latuerit, Ambrosium et Augustinum. *Epist.* 77 *ad Hugonem.*

II.

| CENSORES. | S. AUGUSTINUS. |
|---|---|
| *Neque vero dubito quin ab Augustino et cæteris Patribus unanimi consensu comprobata fuisset hæc nostra de prædestinatione sententia, ratioque conciliandi libertatem arbitrii cum divina gratia, præscientia et prædestinatione, si eis proposita fuisset.* | O quid perdidit, qui te audire non potuit! *Lib.* IV *contra Jul., Oper. imperf. cap.* 119. |

JONAS, EPISCOPUS AURELIANENSIS.

Igitur, quia non solum B. Augustino, sed etiam aliis eximiis doctoribus te superciliose prætulisti, merito solitaria destructionis tuæ gloriatio in immensum sese extendens, in irritum deducitur. Væ namque eidem gloriationi tuæ, juxta illud Ecclesiastis imminet, quia non habens fotum ex consortio aliorum, frigore solitario torpet, et *cum ceciderit non habebit sublevantem* (*Eccle.* IV, 10). Lib. I de Cultu imag., tom. IX, part. I, Biblioth. PP. edit. Coloniensis 1618.

III.

| CENSORES. | S. AUGUSTINUS. |
|---|---|
| *Quare dubitandum non est, si ea de re vel Augustinus vel D. Thomas consulerentur, responsuros fuisse nihilominus prædestinationem et reprobationem non sine prævia illa scientia, habituque considerationis usus liberi arbitrii futuri,* etc. | Quis dedignetur talem habere doctorem? . . . O admiranda atque sectanda doctrina! *Lib.* II *de Orig. animæ, cap.* 9. |

S. COELESTINUS PAPA.

Legimus *supra magistrum non esse discipulum*, hoc est, non sibi debere quemquam ad injuriam doctorum vindicare doctrinam : nam et hos ipsos a Deo nostro positos novimus ad docendum, cum sit, dicente Apostolo, eis tertius locus intra Ecclesiam deputandus. *In epistola ad episcopos Galliæ contra sancti Augustini calumniatores scripta, cap.* 1.

IV.

| CENSORES. | S. AUGUSTINUS. |
|---|---|
| *Quæ si data explanataque semper fuissent, forte neque Pelagiana hæresis fuisset exorta.* | Quæ tu si non didicisses, Pelagiani dogmatis machina sine architecto necessario remansisset. *Lib.* VI *contra Jul., cap.* 11. |

S. HIERONYMUS.

Scripsit dudum vir sanctus et eloquens episcopus Augustinus ad Marcellinum, qui postea sub invidia tyrannidis Heraclianæ ab hæreticis innocens cæsus est, duos libros de infantibus baptizandis contra hæresim vestram, etc. Alios quoque specialiter tuo nomini cudere dicitur, qui necdum in nostras venere manus, unde supersedendum huic labori censeo, ne dicatur mihi illud Horatii, *In sylvam ne ligna feras;* aut enim eadem diceremus ex superfluo, aut si nova voluerimus dicere, a clarissimo ingenio occupata sunt meliora. *In fine Lib.* III *Dialog. contra Pelagianos.*

V.

| CENSORES. | S. AUGUSTINUS. |
|---|---|
| *Neque ex Augustini opinione tot fideles fuissent turbati, ad Pelagianosque defecissent, facileque reliquiæ illæ Pelagianorum in Gallia, quarum in epistolis Prosperi et Hilarii fit mentio, fuissent exstinctæ, concertationes denique inter catholicos facile fuissent compositæ.* | O doctrinam cui omnis ætas aures surrigat, quæ homines annosos, quæ denique presbyteros mereatur habere discipulos! Legat, legat in concione quod scripsit; notos atque ignotos, doctos atque indoctos recitaturus invitet; seniores cum junioribus convenite, quod nesciebatis discite, quod nunquam audieratis audite. *Lib.* II *de Orig. animæ, cap.* 5. |

S. PROSPER.

Ecce salva catholicæ pace victoriæ, salva indissolubilium reverentia decretorum parati sumus patronos doctrinæ emendatioris audire, et circumcisas ab omni errore lineas subtilissimæ discretionis agnoscere. Constituatur in medio, quod de novis emersit ingeniis. *Initio libri contra Collatorem sancti Augustini reprehensorem.*

VI.

| CENSORES. | S. AUGUSTINUS. |
|---|---|
| *Qui novarum solutionum inventionem putant injuriosam esse Augustino, idem mihi facere videntur, quod illi qui sine Scipionum et Cæsarum injuria dici posse negarent, esse jam aliam instruendæ aciei rationem, quam fuit tempore fundarum et balistarum.* | Melius exponant ista meliores, non isti quorum novi jam sententiam reprobandam, sed alii qui veraciter possunt. *Epist.* 89 *ad Hilarium contra Pelagianos.* |

S. FULGENTIUS.

Proinde memoratus Dei pontifex Augustinus turrim fortitudinis ipsam gratiam tenens, et exinde cuncta hostilium machinamenta telorum cœlestis juvaminis virtute confringens, non solum ipse de hoste victoriam referens triumphavit, quin etiam posteris certandi et vincendi ordinem, si quando victa pravitas recidivo ausu infandum caput erigere niteretur, ostendit. *Lib.* II *de Veritate prædest. et grat., cap.* 18.

VII.

CENSORES.

*Absit ut ego Augustino præponendum aliquem putem eorum qui successerunt, sed ne æquandum quidem. At multum interest utrum dicas collata in eum esse scientiæ dona longe plura quam cæteris, an omnia; item utrum successuris omnibus citra comparationem pauciora servata esse, an nulla, ut crimen sit quod alii vadium quemdam videre se putant ex Augustini Sole non emissum.* Et alibi : *Quæ plerique non videntur satis advertisse, dum Molinæ audaciam exaggerant indicantis aliquid lucis defuisse Augustino in concilianda cum creata libertate divinorum decretorum et auxiliorum efficacia.*

S. AUGUSTINUS.

Non improbo humilitatem tuam, imo vero etiam laudo, quod honorasti doctorem tuum, nec hominem, sed ipsam, quæ tibi per illum loqui dignata est veritatem, si tamen potueris demonstrare quid per illum veritatis acceperis. Vellem itaque rescriptis tuis, quid te docuerit, me doceres; absit enim ut erubescam a presbytero discere. *Lib. de Orig. animæ cap.* 1.

S. THOMAS VILLANOVANUS.

Si Sapientia lux est, quis in Ecclesia Dei ita lucet ut Augustinus? A sole omnia astra lucent, ab Augustino omnes, qui post ipsum fuerunt, doctores sapientiæ lumen accipiunt. *Serm.* 1 *de sancto Augustino.* Unde etiam de Augustino potest exponi illud Job XIV : *Qui claudit stellas quasi sub signaculo*, quia in ipso in scrinio sui pectoris, quasi tota sapientia fuit reclusa, quæ quasi aperto sigillo eructatione suæ doctrinæ ore, et manu fuit mundo pandita et reserata. Unde ipse dicitur claudere stellas, id est omnium aliorum doctorum doctrinas in suo pectore, quasi sub signaculo ad modum quo liber vel littera clauditur sigillo. *B. Jordanus de Saxonia, serm.* 13.

VIII.

CENSORES.

*Quæ* Augustini *doctrina plurimos ex fidelibus, præsertim ex iis qui in Gallia morabantur non solum indoctos, sed etiam doctissimos viros atque in episcopali dignitate constitutos, mirum in modum turbavit, ne dicam illius occasione salutem eorum fuisse periclitatam. Ne enim ejusmodi doctrinæ adhærerent, hæresi potius Pelagianæ ex parte assentiendum putabant.*

S. AUGUSTINUS.

Itaque, dilectissimi, ne vos conturbet hujus quæstionis obscuritas; moneo vos primum ut de iis quæ intelligi is agatis Deo gratias : quidquid est autem quo pervenire nondum potest vestræ mentis intentio, per eum inter vos et charitatem servantes a Domino, ut intelligatis orate. Et donec vos ipse perducat ad ea quæ nondum intelligitis, ibi ambulate, quo pervenire potuistis. *Lib. de Grat. et lib. arb., cap.* 1. *Vide cap.* 16 *de Dono perseverantiæ.*

ECCLESIA LUGDUNENSIS.

Augustinus nec tanta perturbatione et permotione fidelium ab intentione veracissimæ et fidelissimæ doctrinæ suæ frangi potuit aut revocari; sed magis eos et scriptis suis in quantum potuit admonuit et instruxit, et orationibus apud Deum profusis fideliter adjuvit, ut intelligerent et agnoscerent quam necessario et quam salubriter propter commendationem divinæ gratiæ ejusdem prædestinationis veritas omnino et credenda et prædicanda esset (*Lib. de Tribus Epist., cap.* 35, *to.* . *Bibl. PP., part.* 1, *p.* 1099).

IX.

CENSORES.

*Interim vero dum sub ea quasi caligine D. Augustinus ad hoc non attendit, arbitratus primo aspectu cum sua de prædestinatione opinione esse conjunctum,* etc.

S. AUGUSTINUS.

Adhuc quippe in quæstione caligant de prædestinatione sanctorum. *Loquens de Semi-Pelagianis, lib. de Prædest. sanctorum, cap.* 1.

S. PAULINUS.

O lucerna digne supra candelabrum Ecclesiæ posita, quæ late catholicis urbibus de septiformi lino pastum oleo lætitiæ lumen effundens, densas licet hæreticorum caligines discutis, et lucem veritatis a confusione tenebrarum splendore clarifici sermonis enubilas. *Epistola* 31 *ad Augustinum, in ejusdem commendationem.*

X.

CENSORES.

*Præterea hæc sententia* (nempe Augustini de prædestinatione) *occasionem præbet hominibus desponendi animo, ne dicam desperandi, segnius operandi, obtendendi excusationes, atque ea de causa minus hominum animos erga Creatorem diligendum ac colendum excitare videatur. Certe non video quanam ratione patentissima libertas arbitrii nostri, quam experimur, quæque tam aperte in Scripturis sacris traditur, cum divina prædestinatione ita explicata cohærere valeat.*

S. AUGUSTINUS.

Ego autem nolo exaggerare meis verbis, sed illis cogitandum potius relinquo, ut videant quale sit, quod sibi persuaserunt, prædicatione prædestinationis audientibus plus desperationis quam exhortationis afferri, hoc est enim dicere tunc de sua salute hominem desperare, quando spem suam non in se ipso, sed in Deo didicerit ponere, cum propheta clamet : *Maledictus omnis qui spem ponit in homine* (*Jerem.*, XVII, 5). Lib. de Dono perseverantiæ, cap. 17.

S. PROSPER.

Hoc propositum vocationis Dei, quod vel ante mundi initium, vel in ipsa conditione generis humani eligendorum et rejiciendorum dicitur facta discretio, etc., et lapsis curam resurgendi adimere, et sanctis occasionem temporis afferre..... Removeri itaque omnem industriam, tollique virtutes, si Dei constitutio humanas præveniat voluntates, et sub hoc prædestinationis nomine fatalem quamdam induci necessitatem. *Ita Semi-Pelagianos sentire scribit ad Augustinum.*

XI.

CENSORES.

*Unum tamen e difficillimis ab Augustino et ab aliis fuit semper judicatum, veram invenire rationem et modum, qui difficultates omnes pelleret, et humanum intellectum pacatum omnino redderet super cohærentia libertatis arbitrii cum divina gratia, præscientia et prædestinatione. Ac quamvis hi hæretici, qui vel divinæ gratiæ vel libertati arbitrii præjudicium afferre moliti sunt, ex Scripturis sanctis principiisque fidei efficaciter sint expugnati, haud tamen scio*

S. AUGUSTINUS.

Sed primum secundum auctoritatem Scripturarum sanctarum, utrum se ita fides habeat demonstrandum est. Deinde, si voluerit et adjuverit Deus, istis garrulis ratiocinatoribus elatioribus quam capacioribus, atque ideo morbo periculosiore laborantibus, sic fortasse serviemus, ut inveniant aliquid unde dubitare non possint. *Lib.* 1 *de Trin., cap.* 2.

Quoniam vos aliquando contra evidentissimam auctoritatem ratio humana

*an explicata penitus et abunde reddita ratione integra conciliandi libertatem arbitrii cum illis tribus, et hæreticis aditus, quo facilius ad pacem unitatemque Ecclesiæ redirent, sit patefactus, et concertationes quæ ante mille annos inter viros catholicos obortæ sunt, quantum par est, sint compositæ.*

na delectat, proferte ipsam regulam rationis vestræ. *Serm.* 14 *de Verb. Apostoli.*

### S. INNOCENTIUS papa.

Sanctæ fraternitatis vestræ litteras plenas fidei, totoque catholicæ religionis vigore firmatas a vobis missas, et conciliis vestris per fratrem et coepiscopum nostrum Julium pergrato suscepimus animo, quia earum tenor omnisque contentio in consideratione quotidianæ gratiæ Dei, et in eorum correctione qui contra sentiunt, integra ratione consistit, ut et illis omnem tollere possit errorem, et idoneo dato quovis nostræ legis exemplo, quem sequi debeant, dignum possint præbere doctorem. *In epistola ad S. Augustinum, quæ est* 96 *inter Augustinianas.*

## XII.

CENSORES.

*Expositiones aliæ Augustini ad locum Pauli (nempe* Deus vult omnes homines salvos fieri, I *Timoth.* II *) præter Damasceni . et communem Patrum expositionem, omnes vel primo aspectu peregrinæ et exortæ apparent.*

S. AUGUSTINUS.

Manifestum est eos qui huic resistunt tam perspicuæ veritati non intelligere omnino qua locutione sit dictum quod *Omnes homines vult Deus salvos fieri*, cum tam multi salvi non fiant, non quia ipsi, sed quia Deus non vult, quod sine ulla caligine manifestatur in parvulis : sed sicut illud quod dictum est, *Omnes in Christo vivificabuntur* (I *Cor.* XV, 22), cum tam multi æterna morte puniantur, ideo dictum est, quia omnes quicunque vitam æternam percipiunt, non percipiunt nisi in Christo ; ita quod dictum est, *Omnes homines vult Deus salvos fieri*, ideo dictum est, quia omnes qui salvi fiunt, nisi ipso volente non fiunt, et si quo alio modo illa verba apostolica intelligi possunt, ut tamen huic apertissimæ veritati, in qua videmus tam multos volentibus hominibus, sed Deo nolente salvos non fieri, contraria esse non possint. *Epist.* 107 *ad Vitalem ; item cap.* 105 *Enchirid., et cap.* 14 *de Correpl. et grat.*

## XIII.

CENSORES.

*Frustra noluit Augustinus concedere hanc voluntatem Dei circa omnium salutem, et locum illum Pauli nullo extribus modis recte exposuit.*

## XIV.

CENSORES.

*Tres, quatuorve ex Augustino commemorati sunt a nobis modi exponendi verba illa* (Deus vult omnes homines salvos fieri) *cum illius opinionem exponeremus, qui mihi quidem ad eludendum magis, quam recti, et solidi videri solent.*

### ECCLESIA LUGDUNENSIS.

Sensus illorum verborum Apostoli, quibus ait : *Qui vult omnes homines salvos fieri*, etiam nos superius commemoravimus, et fideliter posse accipi diximus, si tamen et ille sensus B. Augustini, quem ille juxta alterius divinæ Scripturæ auctoritatem diligenter inquirit, et multis ac veracibus modis exponit, pariter recipiatur. Nec propter istum ille damnetur, sed potius utrique sensui propter veracem et piam Patrum auctoritatem fideliter obediatur. *Lib. de Trib. Epist. cap.* 26 ; *idem habet cap.* 24. Expositiones Augustini doctoris egregii super illud I ad Tim. II, 4 : *Deus vult omnes homines salvos fieri*, bonæ sunt. *S. Bonaventura,* 1 *Sententiarum, dist.* 46, *quæst.* 1, *art.* 1.

## XV.

CENSORES.

*Unde cessat objectio quam sæpius Augustinus repetit, quæque in causa fuit, ut testimonium Pauli non de omnibus universim hominibus exponeret, sed ad tres illas expositiones confugeret. Sæpe enim objicit pueros in uteris maternis interdum perire ante baptismum, neque tamen per pueros, neque per parentes, neque per ministros stare, qui percuperent eis subvenire, et remedium baptismi ad salutem adhibere, nec tamen possunt.*

S. AUGUSTINUS.

Quid de illis dicis qui in utero moriuntur? O angustia! *Serm.* 7 *de Verb. Apost. Idem epist.* 105 *ad Sixtum :* Et cur providentia Dei, cui nostri capilli numerati sunt, sine cujus voluntate non cadit passer in terram, quæ nec fato premitur, nec fortuitis casibus impeditur, nec ulla iniquitate corrumpitur, ut renascantur ad hæreditatem cœlestem, non consulit omnibus parvulis filiorum suorum, et nonnullis consulit etiam parvulis impiorum?

### S. FULGENTIUS.

Ubi enim duorum parvulorum nec in actibus aliqua sunt merita, nec in origine dissimilis causa, manifestum quidem nobis est quod ambo fuerint originalis peccati vinculis obligati, occultum vero cur non ambo fuerint absoluti. Sciamus igitur imperscrutabile nobis esse cur uno derelicto alterum Deus ab illa perditionis massa gratis eripiat, etc. Dicet aliquis : Cur non ambobus largitus est Dominus gratuitam misericordiam, cum unus ambos reatus obstrinxerit? Cui, salva imperscrutabili altitudine judiciorum Dei, respondemus, ideo non utrumque liberatum vel utrumque damnatum, quia Dominus, qui malum nec velle potest aliquando nec facere, ab uno justa severitate debitum præcepit exigi, alteri vero jussit gratuita bonitate dimitti. *Lib.* I *de Veritate prædest. et grat., cap.* 13. *Idem docet S. Prosper contra Ingratos, cap.* 51.

## XVI.

CENSORES.

*Appellare cognitiones illas rerum in verbo et in proprio genere diem, multiplicareque ea ratione dies comparatione diversorum objectorum, est uti vocabulis ad libitum, et præter omnium sensum et opinionem ; nec ullam verisimilitudinem habet, Moysem cum populo rudi in ea significatione fuisse locutum, quam vix ullus potuit excogitare, excogitatamque sibi persuadere. Quare exponere in eo sensu Scripturas est sane earum auctoritatem enervare, et (si in impugnanda sanctissimi eminentissimique doctoris de Ecclesia et sacra theologia quam meritissimi sententia, fas est ita loqui)*

S. AUGUSTINUS.

Quisquis ergo non eam, quam pro nostro modulo vel indagare vel putare potuimus, sed aliam requirit in illorum dierum enumeratione sententiam, quæ non in prophetia figurate, sed in hac creaturarum conditione proprie meliusque possit intelligi, quærat et divinitus adjutus inveniat. Fieri enim potest ut etiam ego aliam his divinæ Scripturæ verbis congruentiorem fortassis inveniam. Neque enim ita hanc confirmo, ut aliam, quæ præponenda sit, inveniri non posse contendam. *Lib.* IV *de Gen. ad litt., cap.* 28. Cum his autem qui cuncta illa quæ vera

*ludibrio forte eam coram infidelibus exponere. Merito ergo sententia Augustini ab aliis Patribus et doctoribus communiter reprobatur.*

sunt falsa esse non dicunt, honorantes, et in culmine sequendæ auctoritatis nobiscum constituentes illam per sanctum Moysem editam sanctam scripturam tuam, et tamen nobis aliquid contradicunt, ita loquor : Tu esto Deus noster arbiter inter confessiones meas et contradictiones eorum. *Lib.* XII *Confess., cap.* 16.

S. THOMAS.

Harum igitur expositionum prima (*scilicet Augustini*) est subtilior, magis ab irrisione infidelium Scripturas defendens. Secunda vero (*scilicet aliorum sanctorum*) est planior, et magis verbis litteræ, quantum ad superficiem consona ; quia tamen neutra earum a veritate fidei discordat, et utrumque sensum circumstantia litteræ patitur, ideo ne neutri harum expositionum præjudicetur, utramque opinionem sustinentes, utriusque rationibus respondendum est. *Quæst. disput. q.* 4, *de materiæ informis creatione, art.* 2.

XVII.

CENSORES.

*Temere affirmabimus auxilium sufficiens aliquibus denegari, atque ab Augustino aliisque idem sentientibus petere possumus undenam hujus voluntatis Dei certiores facti fuerint.*

S. P. AUGUSTINUS.

Quid responsurus sum? Auditurus es Augustinum, qui non audisti Apostolum dicentem : *O homo! tu, quis es qui respondeas Deo* (*Rom.* IX, 20)? Duo parvuli nati sunt, si debitum quæras, ambo tenent massam perditionis, etc. Sed *habet figulus luti potestatem ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam* (*Ibid.* 21). Disputare vis mecum ? Imo mirare mecum, et exclama mecum : *O altitudo divitiarum* (*Rom.* XI, 33). Serm. 11 de Verb. Apost.

S. PROSPER.

Eo ipso tempore quo ad omnes gentes prædicatio Evangelii mittebatur, quædam loca apostolis adire prohibebatur ab eo qui *vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire.* Multis utique in illa retardatis atque aversis Evangelii mora sine agnitione veritatis, et sine regenerationis consecratione morituris. Dicat ergo Scriptura quod gestum est : *Transeuntes autem,* inquit, *Phrygiam et Galatiæ regionem vetiti sunt a sancto Spiritu loqui verbum in Asia. Cum venissent autem in Mysiam, tentabant ire in Bithyniam, et non permisit illos Spiritus Jesu,* etc. In epist. ad Rufinum. Idem docet in cap. 11 contra Ingratos :

.... Dic unde probes quod gratia Christi
Nullum omnino hominem de cunctis qui generantur,
Prætereat, cui non regnum vitamque beatam
Impertire velit ? Nec enim vel tempore nostro
Omnibus in terris jam certum est insinuatum
Christi Evangelium, ne dicam exordia doni
Non potuisse simul toto decurrere mundo.

(Lege epist. synodicam PP. Africanorum, c. 9.)

XVIII.

CENSORES.

*Fateor sane suspecta mihi esse testimonia Prosperi et Fulgentii, quod diligentissimi et exactissimi Augustini discipuli sint.*

S. AUGUSTINUS.

Nunc in familiarissimis meis similiter non sentientibus me jam vulneratis, torquetisque sentientem. *Lib. de Duabus Animabus, cap.* 14.

S. PRUDENTIUS.

Hujus rei testis est sanctus antistes Fulgentius, qui super hoc, etc. Certe si nulla nobis alia aut auctoritas aut ratio suppeditaret, solus ille nobis in hujus sermonis intelligentia sufficere poterat, cujus doctrina atque scientia tanto in catholica Ecclesia honore et amore convaluit, ut de illius scriptis nullus unquam dubitaverit, nullus derogaverit, etc. Testis est etiam sanctus Prosper, vir in omni litterarum eruditione doctissimus ac facundissimus, qui Gallorum aliorumque sequacium impudentiis, et libris fideliter editis, et Romani pontificis edicto sua instantia impetrato propugnator fortissimus ac fidelissimus obviavit. Proinde impudentior cæteris tui similibus comprobaris, qui cum eorum venerabilia scripta legeris, quippiam secus ausus es mussitare. *Lib. de Prædest., cap.* 11.

XIX.

CENSORES.

*Verum opinio Augustini hoc modo intellecta theologis scholasticis jam non probatur, et merito, ex ea enim cogimur incidere in sententiam Pelagii.*

IIDEM *alibi.*

Contra Augustinum parum modeste loquitur Catherinus, et in illius sententiam suo modo intellectam procaciter fertur. *Item.* In hoc turpissime certe Catherinus lapsus est quod non intelligens mentem Augustini, ipsum impudenter impugnat et reprobat.

S. AUGUSTINUS.

Quomodo sperem te auditurum esse quod dico, qui tam in proximo non audis ipse quod dicis, dum tibi continuo contradicis? *Lib.* II *contra Cresconium, cap.* 12, *tom.* VII

XX.

CENSORES.

*Mihi in hac parte non probatur doctrina B. Augustini,* etc., *sed existimo aliter philosophandum de donis, quæ in Adamo perdidimus.*

S. AUGUSTINUS.

Si autem hoc adjutorium vel angelo vel homini, cum primum facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adjutorio posset manere si vellet, non utique sua culpa cecidissent; adjutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent. Nunc autem quibus deest tale adjutorium, jam pœna peccati est. *Lib. de Corrept. et grat., cap.* 11.

S. INNOCENTIUS papa.

Liberum enim arbitrium ille (nempe homo primus) perpessus, dum suis inconsultius utitur bonis, cadens in prævaricationis profunda demersus est, et nihil quemadmodum exinde exsurgere posset, invenit, suaque in æternum libertate deceptus hujus ruina jacuisset oppressus, nisi eum post Christi pro sua gratia relevasset adventus, etc. *In epist. ad Patres concilii Carthaginensis.*

XXI.

CENSORES.

*Augustinus argumentis victus novam prædestinationis formam invexit post lapsum hominis non fluxam quoad eventum et inconstantem, quippe ex libero arbitrio, sed ex gratia certam potius et ratam.*

S. AUGUSTINUS.

Didicimus enim singulas quasque hæreses intulisse Ecclesiæ proprias quæstiones, contra quas diligentius defenderetur Scriptura divina, quam si nulla talis necessitas cogeret. Quid autem cogit loca Scripturarum,

quibus prædestinatio commendata est, copiosius et enucleatius isto nostro labore defendi, nisi quod Pelagiani dicunt gratiam Dei secundum merita nostra dari? *Lib. de Dono persev., cap.* 20.

XXII.

CENSORES. *Augustinus primus, quod sciam, inter antiquos in veteri spatio novam semitam invenit, nova impressit vestigia.*

S. AUGUSTINUS. Ac per hoc prædestinationis hujus fidem, quæ contra novos hæreticos nova sollicitudine nunc defenditur, nunquam Ecclesia Christi non habuit. *Lib. de Dono persev., in fine cap.* 23.

S. FULGENTIUS.

Nos itaque, charissime, hæc interim pauca de libris sancti Augustini, et de responsionibus Prosperi ad hoc maluimus huic libello inserere, ut cuncti noverint quid debeant de prædestinatione sanctorum impiorumque sentire, simulque ut appareat ejusdem B. Augustini dictis tenorem sententiæ nostræ convenire. *Lib.* 1 *ad Monimum, cap.* 30.

XXIII.

CENSORES. *Nempe asserendum est, quamvis B. Augustini, B. Fulgentii et sequacium sententia de obduratione Pharaonis videatur dura, minusque conformis divinæ benignitati, et idcirco nobis non placeat, tamen non esse asperiore censura percellendam.*

S. AUGUSTINUS. Dicit enim Scriptura ad Pharaonem : *Quid ad hoc te excitavi, ut ostendam in te potentiam meam?* etc. Ergo *cujus vult miseretur, et quem vult obdurat.* Hoc facit apud quem non est iniquitas. Miseretur itaque gratuito dono, obdurat autem justissimo merito. *Epist.* 105 *ad Sixtum.*

ECCLESIA LUGDUNENSIS.

Beatus quoque antistes, et gloriosus confessor Fulgentius de hac judicii in utramque partem præscientia et prædestinatione egregium librum scripsit, qui sicut et cætera ejus admiranda et veneranda scripta semper ab Ecclesia fideliter receptus, et inter scriptores ecclesiasticos laudabiliter annumeratus est, et nunc nescimus qua ratione, imo infidelitate, et contentione simul cum B. Augustino abjicitur, et ab iis qui catholici videri volunt tales, ac tanti viri Dei iniquissime injuriati, et spreti velut quisquiliæ, et purgamenta vilissima conculcantur, et est nimis mirabile, imo horribile, quomodo ut suis adinventionibus et ineptiis credatur exigant, cum ipsi beatissimos Patres et illustrissimos doctores Ecclesiæ abjecerint. *Lib. de Trib. Epist., cap.* 8.

XXIV.

CENSORES. *Non omnes Augustini sententiam de prædestinatione probant, horrida multis videtur et aspera.*

S. AUGUSTINUS. Nimiæ igitur contentionis est prædestinationi contradicere, vel de prædestinatione dubitare. *Lib. de Dono persev., in fine cap.* 21.

S. AMOLO, archiepiscopus Lugdunensis.

Sed jam audiamus B. Augustinum, quomodo et ipse post Apostolum præcipuus prædestinationis et gratiæ prædicator hortetur fideles ad studia pietatis et instantiam orationis, ut mereantur accipere A præmium vocationis. *In fragmento epist. ad Hincmarum.*

XXV.

CENSORES. *De auctoritate cum agitur, Augustinum sic amemus, ut eos non audiamus qui illum supra quam par est extollere student.*

S. AUGUSTINUS. Tantumque mihi tributum est, ut ubicunque me præsente loqui opus esset ad populum, rarissime tacere atque alios audire permitterer. *In proœmio lib. Retract*

HILARIUS ARELATENSIS.

Quidquid pro eo gratia quam in te pusilli cum magnis defendimus, volueris aut valueris, gratissime accipiemus tanquam a nobis charissima et reverendissima auctoritate decretum. *In epist. ad August.* Moleste ferunt quod de his quæ adversum excellentissimæ auctoritatis virum inter multas collationes asseruere, resistimus. *Prosper in epistola ad Rufin.*

XXVI.

CENSORES. *Quid enim vehementius urgebant, qui Fausti libris infesti erant, quam quod Petrus Diaconus cæterique cum eo in epistola sua criminantur, contra prædestinationis illos sententiam scriptos esse? Quid hoc autem ad Augustinum? Nam contra prædestinationis sententiam scriptos a se Faustus non abnuebat, sed contra illam duntaxat quæ vel fatum asserat, vel liberum arbitrium neget, quorum utrumque ab Augustini sensu non abhorrere non inficias ierint ipsi.*

S. AUGUSTINUS. Hæc est prædestinatio manifesta et certa sanctorum, quam postea diligentius et operosius, cum jam contra Pelagianos disputaremus, defendere necessitas compulit, etc. *Lib. de Dono persev., cap.* 20.

FAUSTUS RHEGIENSIS. Si ergo unus ad vitam, alter ad perditionem, ut asserunt (Vasquez), deputatus est, sicut quidam sanctorum dixit : Non judicandi nascimur, sed judicati (*August., lib.* 1 *de Grat. et lib. arb., cap.* 4). *Part.* 1, *dist.* 80, *n.* 6.

B. LUPUS, abbas Ferrariensis.

Reverendissimus papa Gelasius cum septuaginta episcopis viris eruditissimis statuens qui scriptores essent vel non essent recipiendi, post approbationem Augustini et amplissimas laudes Hieronymi memoratum Faustum ab auctoritate his verbis removit : *Opuscula Fausti Rhegensis Galli apocrypha.* Nos igitur incorruptum sanctarum Scripturarum sequentes intellectum, et apostolicæ sedis gravitatem suspicientes, quid aliud dicamus? nisi taceat Faustus, et similiter sentientes, loquantur cum suis consortibus Hieronymus et Augustinus, scilicet illius proverbii recordantes : Conticescant ranæ dum cœlum tonat. *In collect. de trib. quæstionibus, quæst.* 3.

XXVII.

CENSORES. *Jampridem disputari in utramque partem cœpit in scholis quæstio de prædestinatione, neque pro aliquo præjudicio valere ad hanc controversiam credita est auctoritas Augustini.*

S. AUGUSTINUS. Ipsa est igitur prædestinatio sanctorum, quæ in sancto sanctorum maxime claruit, quam negare quis potest recte intelligentium eloquia veritatis? *Lib. de Prædest. sanct., cap.* 15.

XXVIII.

CENSORES. *Sententiam de gratuita*

S. AUGUSTINUS. Hoc scio neminem con-

*electione ad gloriam amplexus Augustinus, suffragatores habuit complures posteros, neque tamen aut illius auctoritas, aut illorum consensus a contraria sequenda tuendaque retardavit insignes aliquos pietate et doctrina theologos, quorum tantum valuit exemplum, ut hoc tempore communiter et promiscue adhibeatur in scholis, et ut initia habent, paulatim obducta alia, rerum potitura videatur.*

tra istam prædestinationem, quam secundum Scripturas sanctas defendimus, nisi errando disputare potuisse. *Lib. de Dono persev., cap.* 19. Nullum est, inquam, illustrius prædestinationis exemplum, quam ipse mediator. Quisquis fidelis vult eam bene intelligere, attendat ipsum, atque in illo inveniat et se ipsum. *Ibidem, cap.* 24.

S. PRUDENTIUS episcopus.

Cum aliqui Gallorum, sicut quidam de eis ait quod eorum semper sint repentina consilia, nequaquam prædestinationem perditorum reprehenderent, sed sanctorum prædestinationem novo colludio derogare maluerint, quorum insanæ præsumptioni memorabilis idem Augustinus doctor eximius petentibus Prospero et Hilario, orthodoxe respondens, duos libros, alterum de Prædestinatione sanctorum, alterum de Dono perseverantiæ plenissime fidelissimeque confecit, in quibus perpauca de prædestinatis ad interitum, quam vero plura de prædestinatis ad gloriam verissime disseruit. *In epist. ad Hincmarum et Pardulum.*

XXIX.

CENSORES.

*Postremo, ne longum faciam, illud suscepisse Tridentinum concilium videtur, ut cum novorum hæreticorum, qui Augustini doctrina ad erroris sui patrocinium abutebantur, insaniæ occurrere vellet, nonnullis necessario additis illam faceret catholicam.*

S. AUGUSTINUS.

Multa diximus, et fortasse jamdudum potuimus persuadere quæ volumus, et adhuc tam bonis ingeniis sic loquimur, quasi obtusis, quibus et quod nimium est non est satis. *Lib. de Prædest. SS., cap.* 20, *in fine.*

S. RHEMIGIUS cum sua Ecclesia Lugdunensi.

*Mirifice prius laudato sancto Augustino ait*: Sanctorum atque orthodoxorum Patrum de libero arbitrio plenissimis et clarissimis definitionibus nec addendum aliquid fuerat nec subtrahendum, quia et quod fidei catholicæ necessarium est plenissime continent, et si quid inde subtrahatur, veritatis integritas violatur. *Lib. de tenenda verit. S. Scripturæ, cap.* 4, *tom.* IX *Bibl. PP.*

XXX.

CENSORES.

*Non enim pauca neque contemnenda sunt Augustini dogmata, quæ vel Ecclesiæ universæ vel theologorum aut omnium aut multorum, nec infimi subsellii reprobantur.*

S. AUGUSTINUS.

Nec trepidus ero ad proferendam sententiam meam, in qua magis amabo inspici a rectis, quam timebo morderi a perversis. Gratanter enim suscipit oculum columbinum pulcherrima et modestissima charitas, dentem autem caninum vel evitat cautissima humilitas, vel retundit solidissima veritas. Magisque optabo a quolibet reprehendi, quam sive ab errante sive ab adulante laudari. Nullus enim reprehensor formidandus est amatori veritatis : etenim aut inimicus reprehensurus est, aut amicus : si ergo inimicus insultat, ferendus est; amicus autem, si errat, docendus; si docet, audiendus, etc. *Lib.* II *de Trinit., in proœmio.*

XXXI.

CENSORES.

*Augustini et aliorum Patrum, quos cum eo nominavit, approbavitque sancta synodus, non pauca, neque levia errata circumferuntur, quæ profecto, neque catholica sunt, neque haberi synodu ulla œcumenica voluit.*

S. PRUDENTIUS episcopus.

Si enim (sancti Augustini doctrinam) adversam fidei orthodoxæ in quoquam conspiceret, nequaquam eam Romanæ Ecclesiæ antistes venerabilis Innocentius cum totius orbis episcopis suscepisset, neque prædictum memorabilem suarum epistolarum communiter privatimque officiis affecisset, neque successor ejus Zosimus eodem tramite cucurrisset, neque Bonifacius ejusdem apostolicæ sedis præsul epistolas Pelagianorum sibi delatas ei ad respondendum misisset, aut responsionem ejus quatuor libris editam probabiliter atque honorabiliter suscepisset. Cœlestinus quoque, memoratæ urbis episcopus, quid contra Gallorum insaniam super eo ejusque doctrina senserit, ex auctoritate apostolica decretorum suorum scita declarant, quæ ita se habent, etc., *ubi recitat elogium sancto Augustino delatum. In epistola ad Hincmarum et Pardulum.*

XXXII.

CENSORES.

*Quænam concilia quæve pontificum Romanorum edicta Augustini de prædestinatione ac reprobatione sententiam, quatenus æternam salutem respiciunt, pari cum his quæ de gratia docuit, gradu auctoritatis asciscunt, ut in fidei dogmata transierint?*

S. AUGUSTINUS.

Ac per hoc prædestinationis hujus fidem, quæ contra novos hæreticos nova sollicitudine nunc defenditur, nunquam Ecclesia Christi non habuit. *Lib. de Dono persev., cap.* 23.

S. PROSPER.

Agnoscant calumniatores superfluo sese objicere, quod his libris (nempe postremis sancti Augustini ad Prosperum et Hilarium, ubi fuse agit de prædestinatione) non speciale neque discretum testimonium sit perhibitum, quorum in cunctis voluminibus norma laudatur. Apostolica enim sedes, quod a præcognitis sibi non discrepat, cum præcognitis probat, et quod judicio jungit, laude non separat. *Contra Collatorem cap.* 42.

XXXIII.

CENSORES.

*Quibus verbis additis rigidum illud, ac nimis severum Augustini sensum, ut quidem nonnullis visum esse noverant,* scilicet Tridentini Patres, *decretum* nullum esse opus bonum nisi ex gratia Christi, *prudenti cautione moderati sunt.*

S. AUGUSTINUS.

Non sic est adjutorium Dei, non sic est adjutorium Christi, non sic est adjutorium Spiritus sancti. *Item* : Si defuerit, nihil boni agere poteris, agis quidem illo non adjuvante libera voluntate, sed male. Ad hoc idonea est voluntas tua quæ vocatur libera, et male agendo fit damnabilis ancilla. *Serm.* 13 *de Verb. Apostoli.*

SANCTI PATRES AFRICANI IN SARDINIA EXSULES.

Ante largitatem quippe gratiæ est in homine quidem liberum arbitrium, sed non bonum quia non illuminatum. Proinde nisi gratia detur, bonum ipsum

arbitrium non habetur. Sic namque est liberum hominis arbitrium absque dono gratiæ, sicut est oculus sine luce, nam et oculus ad videndum factus est, sed nisi lumen acceperit non videbit. *In epist. synodica, cap.* 5, *tomo* VI *Bibl. PP., part.* I. Nemo habet de suo nisi mendacium et peccatum (Synodus Arausicana, canone 22). *Quæ est sententia exscripta ex tract.* 5 *S. Patris in Joannem.*

XXXIV.

CENSORES. *Ridiculi* sancti Augustini *adoratores ubique dicunt illum esse fidelissimum antiquitatis testem, ut loquitur Calvinus, primum Ecclesiæ oraculum, principem Patrum et omnium doctorum subtilissimum.*

S. AUGUSTINUS. At ego ubicunque sis, ubicunque legere ista poteris, te ante istos in tuo corde constitui, quos non amicos meos et inimicos tuos aliqua in meam partem gratia propendentes, aliquo abs te merito tuæ offensionis aversos, et ob hoc tibi adversos in hac nostra disputatione constitui cognitores, etc. *Lib.* II *contra Julian., cap.* 10.

S. HIERONYMUS atque alii Patres.

*Hieronymus, epistola* 25 *inter Augustinianas ita Augustinum alloquitur :* Macte virtute! in orbe celebraris, catholici te conditorem antiquæ rursum fidei venerantur atque suspiciunt. *Audax episcopus epistola* 139 *inquit :* Thesaurum sapientiæ desideravi, sed minus accepi quam volui, licet minus non debet dici, sed munus quod oraculum legis contulerit Augustinus, sacrator justitiæ, instaurator spiritalis gloriæ, dispensator salutis æternæ. *Sixtus IV, in Bullario Augustini :* Augustinus inter intemeratæ Ecclesiæ doctores præcipuus, et subtilissimus Evangelii ac sacrarum litterarum perscrutator.

XXXV.

CENSORES. *At æqui admiratores docent sanctum Augustinum nunquam adeo vagam et indeterminatam in Ecclesia auctoritatem obtinuisse, ut catholici sese omnibus ejus opinionibus cæcis oculis submittere teneantur, et illæ absque temeritate et errore impugnari non possint.*

S. AUGUSTINUS. Vos autem et tam cauti, et tam turbulenti, et tam novi nemini dubium est quin nihil dignum auctoritate præferatis. *Lib. de Utilitate credendi, cap.* 14.

S. HIERONYMUS.

Mihi autem decretum est te amare, te suspicere, colere, mirari, tuaque dicta quasi mea defendere. Certe et in Dialogo quem nuper edidi, tuæ beatitudinis, ut dignum fuerat, recordatus sum. *Epist.* 30 *ad S. Augustinum inter Augustinianas.* Nolo autem sanctitas tua sic me arbitretur hæc scribere, quasi de iis quæ nunc edidisti ego dubitem. *Hilarius in epistola ad Augustinum.*

XXXVI.

CENSORES. (Sanctum Augustinum) *veneramur, ut decet, sed non pecudum more et sine ratione; cum ipso profitemur quod minus illum amamus quam veritatem.*

S. AUGUSTINUS. In hoc te plane laudo, quod veritatem etsi nunquam percepisti, certe quam putasti, homini prætulisti, ideo quidem temere, quia existimasti scire te quod nescis, sed ideo libere, quia personam non veritus, elegisti aperire quod sentis. *Lib.* IV *de Orig. animæ, cap.* 1.

S. ALIPIUS TAGASTENSIS.

Habemus ducem (Augustinum), qui nos in ipsa veritatis arcana Deo jam monstrante perducat. *Lib.* III *Augustin. contr. Academ., in fine.* Rupertus Abbas, *lib.* VII *de Oper. Spiritus sancti, cap.* 19 : Iste est Augustinus columna et firmamentum veritatis. Prosper *in epistola ad Rufinum :* (Augustinum) abundantissime Spiritus veritatis implevit.

XXXVII.

CENSORES. *Contendimus ipsius arma omni ex parte inexpugnabilia non esse, sint licet illustria.*

S. AUGUSTINUS. Nempe cum arma tua vana quidem et obtusa jactanter ventilas. *Lib.* V *contra Jul., cap.* 9.

S. PAULINUS.

Ideoque cum hoc Pentateucho tuo contra Manichæos me satis armaveris, si qua in alios quoque hostes catholicæ fidei munimina comparasti, quia hostis noster, cui mille nocendi artes tam variis expugnandus est telis, quam oppugnat insidiis, quæso promere mihi de armamentario tuo et conferre non abnuas arma justitiæ. *Epist.* 31 *apud S. Augustinum.* Utpote inter multa Dei dona, quibus illum abundantissime Spiritus veritatis implevit, habens etiam hanc scientiæ et sapientiæ ex Dei charitate virtutem, ut non solum istam adhuc in suis detruncationibus palpitantem, sed etiam multas prius hæreses invicto verbi gladio debellaret. *S. Prosper ad Rufinum.* Joannes XXII ait : Augustinus, etc. Catholicæ fidei veritatem in lucem produxit, eduxit in publicum, firmis ac invictis rationibus solidavit.

XXXVIII.

CENSORES. *Neque eum in sententiarum suarum et fundamentorum quibus eas confirmat delectu adeo felicem esse (ut demonstrabo si mihi illud injunctum fuerit) quin mentibus nostris plenissimam ipsius doctrinæ non consentiendi, imo oppositam partem tuendi libertatem relinquat, quin et ipsemet de opinionum, quas docet, certitudine addubitet.*

S. AUGUSTINUS. Hoc quidem dicitur; sed tu dicis : Qui autem legit, et intelligit, si non Pelagianus est, hoc non dicit. *Lib.* I *Operis imperf., cap.* 15, *ut refelleret ista Juliani :* Nihil itaque ibi de omnibus Augustini argumentis et propositionibus inexplosum remansit.

Probet, si potest, et fatebor me didicisse ab illo. *Lib.* I *de Orig. animæ, cap.* 14.

S. PROSPER.

De argumentis sancti Augustini contra Pelagianos ita canit in carmine contra Ingratos cap. 3 :

Istius ergo inter cunctos, qui de grege sancto
Insanas pepulere feras, industria major,
Majus opus, totum præstantius imbuit orbem.
Quaque per ambages anceps iter egit opertas,
Hujus ab occursu est præventus, mille viarum
Insidiis aditum non repperientibus ullum.
Cumque foris rabies avidorum exclusa luporum
Frenderet, inque omnes mendacia verteret artes,
Ne mentes ullarum ovium corrumpere posset,
Neu dubia obliquis turbaret corda querelis,
Istius ore viri fecit Deus, istius ore
Flumina librorum mundum effluxere per omnem,
Quæ mites humilesque bibunt, campisque animorum
Certant vitalis doctrinæ immittere rivos.

XXXIX.

CENSORES. *Si Augustinus hæc re-*

S. AUGUSTINUS. Si enim turpe est sine

*cte dicit, deserere cum possum, ut omnibus doctoribus me adjungam; sin vero absque ratione hæc dicit, eam etiam deserere possum hoc ipso quod me id posse asserit, quia sine ratione loquitur, et ita quovis modo sumatur Augustinus, ipsius mancipium fieri, et omnes ejus sententias adorare nequaquam cogor.*

ratione cuiquam credere, quid expectas, quid satagis, ut alicui sine ratione credam quo facilius tua ratione duci possim? An firmum aliquid superædificabit ratio tua fundamento temeritatis? *Lib.* VI *de Utilit. credendi ad Honorat., cap.* 14.

S. BERNARDUS.

Ab his duabus columnis, Augustinum loquor et Ambrosium, credite mihi, difficile avellor, cum iis me errare aut sapere fateor. *In epistola* 77 *ad Hugonem.*

XL.

CENSORES.

*Hoc sufficit ad confessionem hanc ab effrenatis Augustini adoratoribus extorquendam, licitum esse absque erroris et temeritatis nota Augustini sententias non semper sequi.*

S. AUGUSTINUS.

Neminem velim sic amplecti omnia mea, ut me sequatur, nisi in iis in quibus me non errare perspexerit. *Lib. de Dono persev., cap.* 21.

S. ILDEPHONSUS.

Audiant B. Augustinum, cui contradicere fas non est. *Serm.* 2 *de Beata Virgine.*

XLI.

CENSORES.

*Plerique mortalium pietate ac doctrinis illustres, episcopi, cardinales, ipsiusque (scilicet Augustini) amici, servi ac fautores, fratres, ac filii sæpe illum reliquerunt.*

S. AUGUSTINUS.

O si vos non esset is qui contra testimonium veritatis falsum testimonium vestrum et dicitis, et insuper scribitis! *Lib.* II *Operis imperf., contra Julian., cap.* 79.

Nunquid ideo vim veritatis effugere poteris, quia nobis calumniando importas socios falsitatis? *Lib.* V *contra Jul., cap.* 7.

S. VINCENTIUS FERRERIUS.

Audeo dicere: Omnes doctores qui venerunt post Augustinum sustentantur super ejus doctrinam sanctam, puram, immaculatam, auri purissimi, sine errore falsarum opinionum. *Serm. de S. Augustino.*

XLII.

CENSORES.

*Inauditum in Ecclesia est, quod et ipse Augustinus detestatur, licet ejus impertinentes adoratores illum supra cæterorum Patrum capita ponant. Soli amentes sic ratiocinantur: Unus hoc doctor asseruit, ergo credendum est.*

S. AUGUSTINUS.

Ecce non ego unus, sed tot ac tanti sancti eruditique doctores tibi pro me vel mecum, proque omnium nostrum et tua ipsius, si sapis, salute respondent. *Lib.* I *contra Jul., cap.* 7.

IDEM.

Quilibet doctor est contentus ad probandum dictum suum, si potest habere unam auctoritatem Augustini. *Ibid.*

XLIII.

CENSORES.

*Hæc Augustini obscuritas etiam in pertractandis prædestinationis et gratiæ mysteriis apparuit; siquidem in scholas theologorum dissensiones invexit, doctores inter se divisit, turbis et contentionibus partim in Africa, partim in Gallia tam ipso vivente, quam e vivis sublato exortis occasionem præbuit.*

S. AUGUSTINUS.

De qua difficillima quæstione, hoc est de voluntate et gratia, non opus habui etiam in hac epistola diutius disputare, quoniam et aliam jam eis dederam tanquam citius redituris. Et scripsi ad vos etiam librum, quem si adjuvante Domino diligenter legeritis et vivaciter intellexeritis, nullas existimo inter vos de hac re dissensiones ulterius jam futuras. *Epist.* 47 *ad Valentinum.*

S. THOMAS VILLANOVANUS.

O sidus maximum, Augustine Pater, quantum Ecclesiam Dei tua sapientia irradians illustrasti! Quantum tua præsentia errorum tenebras effugasti! Nunc enim te auctore, te magistro, ita omnia sunt lucida, ut errare non possit, nisi qui ex industria velit allucinari. Est enim, ut mihi videtur, in Ecclesia Dei schola theologica velut quædam area, etc. *Conc.* 1 *de S. Augustino.*

XLIV.

CENSORES.

*Quin eadem Augustini obscuritas pro clypeo fuit hæresi prædestinatianorum, qui ferocia horridaque sua dogmata in hujus Patris doctrina fundabant.*

S. AUGUSTINUS.

Arbitror sane nonnullos tardiores id opinaturos me sensisse quod non sensi, aut non sensisse quod sensi; quorum errorem mihi tribui non debere quis nesciat, si velut me sequentes, neque apprehendentes deviaverint in aliquam falsitatem, dum cogor per quædam densa et opaca viam carpere, quandoquidem nec ipsis sanctis divinorum librorum auctoritatibus ullo modo quisquam recte tribuerit tam multos et varios errores hæreticorum, cum omnes ex eisdem Scripturis falsas atque fallaces opiniones suas conentur defendere. *Lib.* I *de Trinit., cap.* 2.

FACUNDUS, episcopus Hermianensis.

Quid autem in hoc miremur? Neque melius loqui potuit Augustinus quam prophetæ, quam apostoli et evangelistæ, quorum mentibus similiter male intellectis et incongrue adhibitis, tam multi suos defendere conantur errores. *Libro contra Mocianum.* De Facundo Hermianensi lege sanctum Isidorum *de Eccles. Script. cap.* 19.

XLV.

CENSORES.

*Mihi concludere licet eum noluisse suis in libris animi sui sensa clare exponere, aut in iis exponendis satis clarum non fuisse, ut nullum legentibus de ejus vera mente et intentione dubitandi locum relinqueret.*

S. AUGUSTINUS.

Qui ea quæ pro natura quæstionum dilucide dicta existimo adhuc non intelligunt, non mihi calumnientur pro mea facultatis indigentia, sed Deum potius pro accipienda intelligentia deprecentur. *Lib.* III *de peccat. Merit. et remiss. contra Pelagiam, cap.* 2.

S. PRUDENTIUS episcopus.

O monstrum horrendum, o linguam præcidendam! quæ vel ignorantiam vel invidiam tantis doctoribus importare non metuit, ut qui obscura revelare subierant, obscurioribus dictis ea implicasse credantur, etc., de qua re testes nobis sunt libri beatissimi Patris Augustini. *Lib. de Prædest. contra Joan. Erigenam, cap.* 11.

XLVI.

| CENSORES. | S. AUGUSTINUS. |
|---|---|
| *Augustinus, cum pondere alicujus insuperabilis difficultatis premebatur, ad illa verba Scripturæ confugiebat :* O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei ! | Nimiæ vanitatis et cæcitatis sunt, si etiam his consideratis nondum dignantur exclamare nobiscum : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei !* Epist. 105 ad Sixtum. |

ADRIANUS papa VI

In omnibus his exclamandum est cum Augustino : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei !* In 4 Sententiarum, quæst. 1, *de pœnitentia*, in solutione tertii dubii.

XLVII.

| CENSORES. | S. AUGUSTINUS. |
|---|---|
| *Doctrinam sancti Augustini de mysteriis gratiæ, libertatis, prædestinationis et Eucharistiæ differentem esse difficillimam intellectu et obscuram.* | Prorsus intelligor, velis nolis, sed tu contra ista nihil dicturus vis non intelligi, quod ego verissimum atque firmissimum dixi. *Lib.* IV *Oper. imperf., cap.* 140. Relege, et intelliges. *Lib.* III, cap. 191. |

CASSIODORUS.

Ipse etiam doctor eximius beatissimus Augustinus, debellator hæreticorum, defensor fidelium et famosorum palma certaminum, in quibusdam libris nimia difficultate reconditur, in quibusdam sic est planissimus, ut etiam parvulis probetur acceptus, cujus aperta suavia sunt, obscura vero magnis utilitatibus farcita pinguescunt. *Cap.* 22 *de divin. Lection.* In quibus propter obscuritatem rerum et subtilitatem disputationum minus Augustinum intelligere possumus, vel a Domino intelligentiam postulemus, vel ab eis quos ipse suo dono illuminare dignatus est, humiliter nos doceri patiamur, ac deprecemur. *Ecclesia Lugdunensis lib. de tenenda sacræ Script. verit., cap.* 9.

XLVIII.

| CENSORES. | S. AUGUSTINUS. |
|---|---|
| *Nova argumenta ad probandum doctrinam sancti Augustini de mysteriis gratiæ et prædestinationis esse obscuram et difficilem intellectu.* | Si non vis intelligere, aut si te fingis non intelligere, noli obstrepere volentibus et valentibus intelligere. *Lib.* IV *contra Jul., cap.* 46. |

S. PROSPER.

In quibus (Augustini dictis) nulla est obscuritas, si de fide prædestinationis et gratiæ, ex qua est omnium bonorum origo, perseverantiaque meritorum, hoc teneatur, quod habet veritas. *In fine resp. ad Excerpta Genuensium ex libris S. Augustini de Prædest. sanctorum et de Dono perseverantiæ.*

XLIX.

| CENSORES. | S. AUGUSTINUS. |
|---|---|
| *Denique ut hoc caput de sancti Augustini verborum obscuritate irrefragabili ratione concludam, et veræ ipsius mentis delegendæ difficultatem demonstrem,* etc. | Non tamen laboras ut me intelligas, quod facillime potes, sed laboras ut me refellas, quod non potes. *Lib.* III *Operis imperf., cap.* 141. |

S. ANTONINUS.

Quasi sol refulgens, qui dominus dicitur planetarum, et pater luminis super omnia luminaria splendens, delectabilis oculis, ac per omnia respiciens; sic Augustinus Ecclesiam illustravit, gemma doctorum, pater theologorum, suavis eloquio, omnes materias penetrando dilucidans. *Parte* II *Histor. tit.* 8. *Et inferius :* Merito igitur sicut sol refulgens, sic iste in templo Dei refulsit splendore doctrinæ clarissimæ. *S. Prosper in epist. ad Augustinum :* Recensito autem hoc beatitudinis tuæ libro, sicut qui sanctam atque apostolicam doctrinæ tuæ auctoritatem antea sequebantur, intelligentiores multo instructioresque sunt facti, ita qui persuasionis suæ impediebantur obscuro, aversiores quam fuerant recesserunt.

L.

| CENSORES. | S. AUGUSTINUS. |
|---|---|
| *Observandum est ipsummet sanctum Augustinum fateri se circa multas prædestinationis quæstiones dubium sæpe hærere, se illas insuperabilibus difficultatibus plenas reperire, quibus nullam unquam responsionem, cui acquiesceret, dare potuerit præter ignorantiæ suæ et altitudinis judiciorum Dei confessionem.* | Quæris tu rationem ? ego expavescam altitudinem : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei !* Tu ratiocinare, ego mirer ; tu disputa, ego credam ; altitudinem video, ad profundum non pervenio. *Postea* : Requievit, quia invenit admirationem ; nemo quærat a me occultorum rationem. Ille dicit : *Inscrutabilia sunt judicia ejus,* et tu scrutari venisti ? Ille dicit, *Investigabiles sunt viæ ejus,* et tu investigare venisti ? Si inscrutabilia scrutari venisti, et investigabilia investigare venisti, crede, jam periisti. *Serm.* 20 *de Verb. Apost.* |

S. FULGENTIUS.

Revera enim frustra labor superfluæ scrutationis impenditur, ubi nulla inventionis copia suffragatur, et noxia curiositas in reatum protinus labitur, quando modum suum humana infirmitas non metitur. Quin potius in hoc profundissimo divinæ voluntatis arcano nihil aliud nostræ saluti congruere noverimus, nisi cum David unusquisque nostrum humiliter dicat : *Mirabilis facta est scientia tua ex me ; confortata est, nec potero ad eam.* Cum beato quoque Paulo religiosi clamoris jungamus affectum qui ait : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei !* Lib. I de Verit. prædest. Lege Prosperum ad dub. 4 et 7 Genuensium

LI.

| CENSORES. | S. AUGUSTINUS. |
|---|---|
| *Cum sanctus Augustinus sententiam suam in hac materia ter mutaverit, hoc nos ad credendum induxit, sanctum Augustinum, quamvis eminentis esset ingenii, suis meditationibus non acquievisse, et post tot conatus ad penetrandum prædestinationis mysterium consumptos coactum fuisse infirmitatem suam fateri.* | Videtis certe quid tunc de fide, atque operibus sentiebam, quamvis de commendanda Dei gratia laborarem, in qua sententia istos fratres nostros (nempe Semi-Pelagianos) esse nunc video, quia non sicut legere libros meos, ita etiam in eis curaverunt proficere mecum. *Lib. de Prædest. sanctorum, cap.* 4. |

S. PROSPER.

Quia ergo nec justa, nec rationabilis intelligitur eorum fuisse persuasio, qui hujus viri (nempe Augustini) scientiam tot incrementorum profectibus

ædificatam, tot annorum studiis expolitam ad adolescentiæ rudimenta revocabant, ut magis suffragaretur hæreticis quod inter initia conversionis suæ imperite senserat, quam prodesset catholicis quod pontificalis diligentiæ veritas revelarat, merito illos hoc præjudicio utentes, et in his quæ dudum abdicata fuerant immorantes, pii doctoris gravitas notat quod qui curaverunt omnes sensus ipsius indagare noluerint cum ejus eruditione proficere. *Resp. ad dub. 3 excerpt. Genuens., in fine.*

LII.

CENSORES. *Nec mirandum est, si* (Augustini) *ingenio inter tot sententias quæ illi probabiles videbantur, fluctuante, asseratur ipsum ter mutasse sententiam.*

S. AUGUSTINUS. Dicis me quoque ipsum innovasse sensus meos, et initio conversionis meæ hoc sensisse quod tu. Sed fallis, aut falleris, sive calumniando iis quæ nunc dico, sive non intelligendo, vel potius non legendo ea quæ tunc dixi. *Lib.* VI *contra Jul., cap.* 12.

IDEM.

Maneat plane, maneat ista conditio, ut horum librorum novitas repudiata videatur, si in eadem causa ejusdem viri (scilicet Augustini) dissentit antiquitas, et ut inutile aut incongruum judicetur quod ab his quæ contra Pelagianos condidit dissonans invenitur. *In fine lib. cont. Collat.*

LIII.

CENSORES. *Sæpissime* (sanctus Augustinus) *fatsus est difficultates aut a seme ipso aut ab adversariis in hac materia propositas suas responsiones excedere, mentemque suam magis objectionibus vexari quam solutionibus acquiescere.*

S. AUGUSTINUS. Ad omnia me tibi respondisse, Juliane, et omnia refellisse, etc., puto quod perspicis, si pervicax non es. *Lib.* VI *contra Jul., cap.* 26. Unde tibi duobus prioribus libris sic me respondisse arbitror, ut a nullo amplius requiratur. *Initio lib.* V *cont. eumdem.*

IDEM.

Nec sola est illic synodorum exerta potestas,
Ceu quos non possent ratione evincere nostri,
Vi premerent, discussæ artes, virusque retectum est
Hæretici sensus, nullumque omnino relictum,
Docta fides, quod non dissolveret argumentum.

Et postea :

An alium in finem posset procedere sanctum
Concilium, cui dux Aurelius, ingeniumque
Augustinus erat, quem Christi gratia cornu
Uberiore rigans nostro lumen dedit ævo ?

*Contra Ingratos, cap.* 2.

LIV.

CENSORES. *Fatetur* (Augustinus) *suam doctrinam* (de prædestinatione) *talem esse ut populis aut hominibus tardioris ingenii prædicanda non sit.*

S. AUGUSTINUS. Hæc atque hujusmodi cum dicuntur sive paucis Christianis, sive multitudini Ecclesiæ, cur metuimus sanctorum prædestinationem et veram Dei gratiam, id est, quæ non secundum merita nostra datur, sicut eam sancta Scriptura prædicat, prædicare? *Lib. de Dono persev., cap.* 22.

IDEM.

(Augustinus) pia tamen constantique doctrina abunde probavit prædicandam esse Ecclesiæ prædestinationem, in qua est gratiæ præparatio, et gratiam, A in qua est prædestinationis effectus, et præscientiam Dei, qua ante sæcula æterna quibus esset collaturus sua dona præscivit. Cujus prædicationis quisquis est impugnator, apertissimus est Pelagianæ elationis adjutor. *In fine Resp. ad excerpta Genuensium.*

LV.

CENSORES. *Mihi licet addere quod si diversas sancti Augustini circa hanc materiam propositiones colligere vellem, corpus quoddam ex diversissimis partibus coaptarem; isthic enim asserit salutem nostram absoluto decreto definitam esse, alibi vero dicit nihilominus a libero nostro arbitrio pendere*, etc.

S. AUGUSTINUS. Non sunt ergo verba mea inter se contraria, quamvis te patiantur, vel non intelligendo, vel alios intelligere non sinendo, contrarium. *Lib.* V *contra Jul., cap.* 5.

IDEM. B

Legantur tres ad Marcellinum ipsius libri, ad sanctum Paulinum Nolanum epistola retractetur, ad beatissimum quoque apostolicæ sedis tunc presbyterum Xistum, nunc vero pontificem, emissæ paginæ recurrantur. Ad sanctum Pinianum, ad Valerium comitem, ad servos Christi Timasium et Jacobum distinctim edita volumina revolvantur. Sex libri priores contra Julianum, unus ad sanctum Aurelium Carthaginensem episcopum de Gestis Palæstinis, alius ad Paulum et Eutropium sacerdotes contra Pelagii et Cœlestii quæstiones, et ad beatæ memoriæ papam Bonifacium libri quatuor explicentur. Ac sic in his omnibus operibus, multisque aliis quæ enumerare longum est, idem doctrinæ spiritus, eadem prædi- C cationis forma præcessit. *In fine lib. contra Collat., cap.* 41.

LVI.

CENSORES. *Hinc concludo quod si mihi non licet dicere sanctum Augustinum in variis librorum suorum locis sibi contradixisse, saltem fas est mihi credere ipsius doctrinam esse intricatissimam, cum nulla reperiri possit intricatior, quam quæ sibi ipsi repugnare videatur.*

S. AUGUSTINUS. Hinc est quod sententias meas inter se contrarias putas vel putari cupis, tanquam improbem quod ante approbaverim, aut amplectar quod ante respuerim. Audi ergo apertam sententiam meam, et intellige, vel sine intelligere alios, non offundendo caligines nebulosæ disputationis serenitati sincerissimæ veritatis. *Lib.* V *contra Jul., cap.* 9.

IDEM. D

Tu autem, dilectissime et venerandissime mihi frater, si vere de his quæstionibus instrui desideras, sicut desiderare te convenit, ipsis beati Augustini disputationibus cognoscendis impende curam, ut in confitenda Dei gratia defæcatissimam ac saluberrimam evangelicæ apostolicæque doctrinæ intelligentiam consequaris. *In epist. ad Rufinum, in fine.*

LVII.

CENSORES. *Nunquam tamen longius zeli ardore Augustinus abreptus est, quam ubi Pelagianos impugnavit; dum enim ab eorum loquendi ratione et erroribus longissime recedere inten*

S. AUGUSTINUS. Ista nefaria et damnabilia dogmata in hac tripartita divisione quisquis mente catholica exhorret, illius quinque partitæ latebras insidiasque devitet, atque ita inter utrum-

*dit, in periculosos excessus incidit, ut hinc aliqui theologi doctrina et pietate insignes dixerint eum veritatis limites transgressum esse, nimio disputationis calore accensum fuisse, aut visum fuisse favere hæreticis. Verba hæc insolentia et impudentia essent, nisi vera essent.*

que sit cautus, ut sic declinet Manichæum, ne se inclinet in Pelagium, rursusque ita se sejungat a Pelagianis, ne se conjungat Manichæis, aut si in alterutris jam tenetur, nec sic se a quibuslibet alteris servet, ut in alteros irruat. *Lib.* IV, *contra duas epist. Pelag. cap.* 3.

S. FULGENTIUS.

B. Augustinus indutus virtute ex alto abundantius illis omnibus laboravit, non autem ipse, sed gratia Dei cum illo, etc.; sensum quippe Christi habens, tam gratiæ Dei quam humani arbitrii et officia discrevit et merita; semper divinis humana subjiciens, et veraciter docens divinitus homini et gratuito justificationis donum, et bonæ voluntati exordium, et plenum tribui glorificationis effectum. *Lib.* II *de Verit. prædest. et grat., cap.* 18.

LVIII.

CENSORES.

*Ipsemet Augustinus in pluribus operum suorum locis hunc animi sui impetum agnovit, quo* (scilicet in disputationibus cum Pelagianis et Manichæis) *ita abreptus est, ut in errorem oppositum illi quem destruere intendebat, declinaret.*

S. AUGUSTINUS.

Possunt duo errores inter se esse contrarii, sed ambo sunt detestandi, quia ambo sunt contrarii veritati : nam si propterea diligendi sunt Pelagiani quia oderunt Manichæos, diligendi sunt etiam Manichæi quia oderunt Pelagianos. Sed absit ut catholica mater propter alterorum odium alteros eligat amare, cum monente atque adjuvante Deo debeat utrumque vitare, et cupiat utrumque sanare! *Lib.* II *ad Bonifacium, cap.* 2.

S. PROSPER, *seu* POMERIUS.

Sanctus Augustinus episcopus acer ingenio, suavis eloquio, sæcularis litteraturæ peritus, in ecclesiasticis laboribus operosus, in quotidianis disputationibus clarus, in omni sua actione compositus, in expositione sua fidei nostræ catholicus, in quæstionibus absolvendis acutus, in revincendis hæreticis CIRCUMSPECTUS, et in explicandis Scripturis canonicis CAUTUS. *Lib.* III *de Vita contemplat., cap.* 31.

LIX.

CENSORES.

*Profecto quandoque constat* (Augustinum) *in quæstionibus de gratia et prædestinatione cum excessu locutum esse, verbaque ipsius esse mitiganda; ne ab illorum duritie et acrimonia in errorem contrarium incidam, licitum mihi esse debet temperamentum aliquod catholicum addendum inquirere.*

S. AUGUSTINUS.

Mentientes conclusiones, aut irrepentes paulatim, vel minuendo vel addendo in assensionem falsitatis, quis non metuat, quis non oderit? *Lib.* II *de Ordine, cap.* 4.

Dic quod dicturus es, egregie corrector. *Lib.* III *Operis imperf., cap.* 57.

SIXTUS III papa.

Quæ sunt tandem illa credenda et dicenda? Nihil ultra liceat novitati, quia nihil addi convenit vetustati. Perspicua majorum fides, et credulitas nulla cœni permixtione turbetur. *Epist. ad Joan. Antioch.* (Hic est Sixtus, ad quem sanctus Augustinus scripsit egregiam epistolam 105 contra Pelagianos.)

LX.

CENSORES.

*Modo ne in Pelagianorum, quos* (sanctus Augustinus) *insequitur, errores incidam, mihi licet verborum quibus ad eos expugnandos utitur impetum non sequi.*

S. AUGUSTINUS.

Ita et Manichæos et Pelagianos superamus atque vitamus, quorum sic errores utrorumque diversi sunt, ut qui videtur minor, ipse illius qui videtur major demonstretur adjutor. *Lib.* III *contra Jul., Oper. imperfect., cap.* 178.

S. PROSPER.

An vero ita se novorum censorum norma exactior temperavit, ut nulla eorum quæ excisa sunt asserat, et quædam ex his quæ defensa sunt respuat? *Contra Collatorem S. Augustini reprehensorem, cap.* 1.

LXI.

CENSORES.

*Hinc fit ut medius stem inter Pelagium et Calvinum; si enim verba Augustini mitigando me nimium demitterem, Pelagianus essem; si vero eorum altitudinem tenere vellem, Calvinista essem; medium ergo cum Ecclesia teneo.*

S. AUGUSTINUS.

Nulla est itaque fovea quam metuens quasi revertar in viam, quo videris me velle revocare. Dic tamen quænam illa via sit, et explica ratiocinationem tuam. *Lib.* III *contra Jul., cap.* 8.

IDEM.

Sed nec cum hæreticis tibi, nec cum catholicis plena concordia est. *Postea* : Tu informe nescio quid tertium et utrique parti inconveniens reperisti, quo nec inimicorum consensum acquireres, nec in nostrorum intelligentia permaneres. *Ibid., cap.* 5.

LXII.

CENSORES.

*Ratio* (ob quam scilicet non tenemur sequi B. Augustinum in quæstione de prædestinatione sanctorum ad gloriam, de modo operandi divinæ gratiæ, etc.) *hæc est, quia Pelagiani de illis quæstionibus nunquam disputarunt, nec sancti Augustini doctrina est irrefragabilis, nisi cum eorum errores impugnat, et licet contra ejusmodi relatas opiniones prædicassent, Ecclesia eos nunquam hac de causa in numerum hæreticorum ascripsit, vel ascribere potuit.*

S. AUGUSTINUS.

Hæc est prædestinatio manifesta et certa sanctorum, quam postea diligentius et operosius, cum jam contra Pelagianos disputaremus, defendere necessitas compulit. Didicimus enim singulas quasque hæreses intulisse Ecclesiæ proprias quæstiones, contra quas diligentius defenderetur Scriptura divina, quam si nulla talis necessitas cogeret. *Lib. de Dono persev., cap.* 20.

IDEM.

Agnoscant calumniatores superfluo se objicere quod his libris (Augustini) non speciale neque discretum testimonium sit perhibitum, quorum in cunctis voluminibus norma laudatur. Apostolica enim sedes quod a præcognitis sibi non discrepat, cum præcognitis probat, et quod judicio jungit, laude non separat. *Ibid. cap.* 23.

LXIII.

CENSORES.

*Verum si* (Augustinus) *adderet peccatum originale esse solam causam repro-*

S. AUGUSTINUS.

Quid enim diligebat in Jacob antequam natus fecisset aliquid boni, nisi

*batione, et esse id quo aa separandos prædestinatos a reprobis movetur Deus* (quam esse sententiam sancti Augustini scribit), *non solum pro hujus opinionis defensione, mortem oppetere nolo, sed credo mihi licere eam abhorrere, quia mater est illius quam Calvinus tanta impietate ac rabie urget contra Ecclesiam.*

gratuitum misericordiæ A suæ donum? Et quid oderat in Esau, antequam fecisset aliquid mali, nisi originale peccatum? *Epist.* 105 *ad Sixtum, quæ ibi diffusius versat.*

S. THOMAS.

Electio Dei, qua unum eligit et alium reprobat, rationalis est, nec tamen oportet quod ratio electionis sit meritum, sed in ipsa electione ratio est divina bonitas, ratio autem reprobationis est in hominibus peccatum originale, ut Augustinus dicit. *Quæst.* 6 *de Verit., art.* 2, *ad* 9.

LXIV.

CENSORES.

*Verum hæ causæ sunt, ob quas sancti illius et eruditi doctoris volumina tenebris et caligine respersa sunt, sicut a celeberrimis theologis est observatum.*

S. AUGUSTINUS.

Quia tenebras vestras redarguunt, vobis lucida non videntur, et quæcunque vobis sua radiante luce molesta sunt, contra illa cor claudites, ne inde nox fugetur erroris. *Lib.* III, *contra Jul., Oper. imperfect., cap.* 61.

RHEMIGIUS ANTISIODORENSIS.

Beatus Augustinus rerum obscurarum subtilissimus indagator, inter ardua sine offensione decurrens. *Et antea :* Alii doctores comparantur stellis, Augustinus soli; nam sicut stellæ lumen a sole recipiunt, sic omnes doctores lumen recipiunt ab Augustino. *In epist.* II *ad Corinthios.*

LXV.

CENSORES.

*Quando* (sanctus Augustinus) *videtur defendere prædestinationem ad gloriam ante prævisa merita hominum, non loquitur ut oraculum; nec ipsius sententia ab Ecclesia approbatur, nec omnes theologi illam sequuntur, imo qui eum magis suspiciunt, eum deserunt.*

S. AUGUSTINUS.

Ille itaque dicat Ecclesiam aliquando in fide sua non habuisse veritatem prædestinationis hujus et gratiæ, quæ nunc contra novos hæreticos cura diligentiori defenditur. *Lib. de Dono persev., cap.* 23.

SYNODUS BYZACENA.

Cujus prædestinationis veritatem, qua nos ante mundi constitutionem prædestinatos in Christo testatur Apostolus, si quis detrectat cordis credulitate recipere, vel oris confessione proferre, si ante ultimum diem vitæ præsentis impietatis suæ contumaciam, qua Deo vivo et vero rebellis obsistit, non abjecerit, manifestum est eum non pertinere ad eorum numerum quos Deus in Christo ante mundi constitutionem gratis elegit et prædestinavit ad regnum. *Epilog. lib. de Incarn. et grat., inter opera S. Fulgentii.*

LXVI.

CENSORES.

*Mortalium doctissimi aliquid aquæ suffundunt ipsi verborum sancti Augustini.*

S. AUGUSTINUS.

PLUE mihi, Domine, mitigationes in cor, ut patienter tales feram. *Lib.* XII Confess., cap. 25.

S. HIERONYMUS.

Hæc de Augustino ad eumdem scribit : *Qui contra flantes ventos ardore fidei perstitisti.* Epist. 25 apud August.; et Paulus Orosius, quem Romana synodus sub Gelasio *virum eruditissimum* vocat, ita sanctum Augustinum alloquitur : *Necesse me fuit festinato edere, et coacervare in unum omnes perditionum arbores cum radicibus et ramis suis, et offerre ignienti spiritui tuo.* In præfat. Commonitorii, tomo VI, ante librum contra Priscillianistas.

LXVII.

CENSORES.

*Fateor sane quædam ab Augustino, quæ ad asserendam libertatem et vim cooperationis nostræ ex gratia pertinent, potuisse explicari in hac materia clarius, quæ in quibusdam locis, ubi opportune dici poterant, omisit;* ubi in septem quæstionibus de gratia assignant modum quo loqui debebat Augustinus *ad animorum necessariam consolationem.*

S. AUGUSTINUS.

In lectionibus apostolicis superioribus, quas charitati vestræ, quantum Dominus adjuvare dignatus est, exposuimus, multum laborem et sollicitudinem passi sumus. Compatiebamur vobis et solliciti eramus et pro nobis et pro vobis. Quantum autem existimo, adjuvit et nos et vos Dominus, et ea quæ prorsus difficillima videbantur, sic per nos enodare dignatus est, ut nulla quæstio remaneret quæ conturbet mentem suam; limpia enim mens odit etiam ipsum intellectum, etc. *Serm.* 13 *de Verb. Apost. contra Pelagianos.*

ECCLESIA LUGDUNENSIS.

Iste vero cum hæc legisset tam utiliter et salubriter ad illuminationem nostræ fidei dicta, non est contentus moderamine et pietate sancti doctoris Augustini, ne terminos ab eo præfixos excederet, sed addidit de suo. *Lib. contra Joan. Erigen., cap.* 8. *Floruit an.* 852.

LXVIII.

CENSORES.

*Ad tribunal sancti Augustini disputatum hactenus est, et liberata fides quam obligaverat, hoc est probandi quidquid ille probaret, improbandi quidquid ille improbaret... Una superest adhuc tractanda quæstio, nimirum quanta fuerit hujusce conditionis æquitas, et quanta necessitas subeundi legem illam, quam quia illi putant ab Ecclesia impositam, audire juvat præcipuos quosdam ejusdem Ecclesiæ principes, pastoresque celeberrimos, et doctores scientissimos sensuum ecclesiasticorum, minimeque suspectos.*

S. AUGUSTINUS.

Illorum enim dicta non defendis, ut promiseras, sed reprehendis. Tuo quippe dogmate cum cogaris illa culpare et falsa esse ostendere, nullo modo sineris auctoribus eorum defensionem, quam spoponderas, exhibere, quia et in accusatione adulator esse conaris, et in adulatione deprehenderis accusator. *Lib.* IV *contra Jul., Oper. imperf., cap.* 112.

EUGYPPIUS abbas.

Inter magnos Ecclesiæ catholicæ doctores præclarum fuisse et esse beatum Augustinum quis ignorat episcopum? quem divina eruditione mirabilem tum omnes orthodoxi in toto terrarum orbe venerantur, præcipue tamen apostolicæ sedis antistites scripta ejus sua auctoritate firmantes, tanto majori studio simpliciter amplexi sunt, quanto ampliori solatio eis se usos esse testantur : nam contra multos hostes Ec-

clesiæ dimicantes, et maxime contra versipelles inimicos gratiæ Dei doctrina ejus instructi, vel potius eadem illustrati gratia semper exstitere victores, etc. *In præfatione collect. ex libris S. Augustini. Hic Eugyppius S. Fulgentii amicus fuit, ad quem etiam litteras dedit. Lege S. Isidorum de Script. ecclesiast., cap.* 13.

LXIX.

CENSORES. S. AUGUSTINUS.

*Quamvis enim præferenda sit ea sententia quæ talem modum prædestinationis omnino negat, tamen ut damnata etiam censeatur illa quæ affirmat, videndum erit quam sit necessario connexa cum articulis a Cœlestino definitis. Si enim non sit, quamvis Augustinus in contrarium propendeat, permittenda tamen erit hujus quæstionis determinatio liberæ disputantium electioni, quod censuit etiam cardinalis Baronius.*

Ecce inter meos testes, vel inter nostros constituto judices, quem putasti Patronum tuum, *Lib.* I *contra Jul. cap.* 6.

BARONIUS cardinalis.

Cum igitur Fausti sententiæ ubique ab Ecclesia fuerit contradictum, videant quanto periculo quidam ex recentioribus, dum in novatores exsurgunt ut eos confutent, a sancti Augustini de prædestinatione sententia recedunt, cum alioqui arma non desint quibus adversarii profligentur. *Ad an.* 490, *p.* 444.

LXX.

CENSORES. S. AUGUSTINUS.

*Quid* (nempe cardinalis Perronius) *probabilem tantum esse dicit Augustini sententiam, dum loquitur ut privatus doctor, et demonstrativam, dum consentit cæteris Patribus, satis indicat minime necessarium esse adhærere Augustino, nisi ubi cæteris Patribus ille concinit.*

Vis audire quid etiam ipse de hac re apertissime dixerit? Ecce etiam ipsum numero illi adjungo sanctorum. *Ibidem.*

PERRONIUS cardinalis.

Augustinus, maximus post apostolos prædestinationis doctor, imo os et lingua veteris Ecclesiæ quantum ad illam de gratia doctrinam. *Lib.* I *resp. ad reg. Britan. cap.* 12.

LXXI.

CENSORES. S. AUGUSTINUS.

*Augustinus Valerius cardinalis in sua Rhetorica ecclesiastica hæc clericos monet* : Beati Augustini scripta clerici caute admodum legant, *etc. Et hoc quid aliud est quam id ipsum, quod monentem audivimus Bonaventuram, Augustinum plus dicere aliquando, et minus velle intelligi?*

Si legisses vel si lecta fideliter considerare voluisses, nunquam profecto de litteris ejus ad offundendas nebulas ignorantibus ea quæ nihil ad quæstionem quæ inter nos vertitur pertinent, in his tuis libris nescio qua mente posuisses. *Lib.* I *contra Jul.*, cap. 5.

VALERIUS cardinalis.

Beati Augustini scripta clerici caute admodum legant; ita enim acumine ingenii præstitit, et de rebus difficilibus tam subtiliter disputavit, ut non mediocri ingenio prædíti viri ejus libros legentes in errores aliquando lapsi sint. Sed ejus libros pulcherrimos de Doctrina Christiana, et egregios sermones quos habuit dum episcopus ad populum concionaretur, sæpe et diligenter legant. *Lib.* III *Rhet. Eccles., cap.* 42.

LXXII.

CENSORES. S. AUGUSTINUS.

Referentes Catharinum plura contra Augustinum dixisse, addunt : *Tanta cæterorum doctorum conspiratio satis ostendit Catharinum in ea re, non ut Catharinum, qui suo sæpe ingenio nimium indulsit, sed ut catholicæ Ecclesiæ archiepiscopum et doctorem id sensisse*, etc.

O frontem qualiumcunque episcoporum! *Lib.* V *contra Jul., cap.* 11.

S. BASILIUS.

Contemnuntur Patrum dogmata, apostolicæ traditiones annihilantur, novorum hominum inventa introducuntur. Episcopus autem ille est qui custos est doctrinæ Patrum, et omnis novitatis hostis. *Apud Stocolovium lib.* III *de veræ et falsæ Ecclesiæ discrimine, cap.* 14.

LXXIII.

CENSORES. S. AUGUSTINUS.

*Vellem et hoc et alia quædam* (nempe contra Augustinum testimonia) *quæ subjungam mitius concepta, sed refero tantum, non probo, si quidquam justæ offensionis causam det.* Item : *Omitto honoris causa quod de Augustino subjungit.*

Vide quæ taceas, quæ dicas. Puto quod te pungat conscientia, sed vincit rectum timorem, cum ingerit perversum pudorem, quoquo modo jam defendenda præcipitata sententia. *Lib.* V *contra Jul., cap.* 9.

S. HIERONYMUS.

Absit autem a me ut quidquam de libris beatitudinis tuæ attingere audeam; sufficit enim mihi probare mea, et aliena non carpere. *Epist.* 13 *ad Augustinum, tomo* II *Operum S. Augustini.*

LXXIV.

CENSORES. S. AUGUSTINUS.

*Hæc ego inter alia id genus multa, quæ habet* (nempe Pighius contra Augustinum), *duxi proponenda, ut intelligamus non nimis inverecundos fore, si qui forte non ita se faciles exhibeant, in iis omnibus admittendis quæ videri cuipiam possint proposita fuisse ab Augustino.*

O mira defensio! Tam densum et arctum est, ubi eis adhæserunt pedes, ut eos evellere conantes, frustra et manus, et pedes, et caput figant, et in eodem luto hæsitantes, arctius involvantur. *Lib. contra Donatistas post collationem, cap.* 19.

S. ANSELMUS.

Nihil potui invenire me dixisse quod maxime beati Augustini dictis non cohæreat. *Præfat. Menologii.* Nec crimen renuis, sed criminosorum turbam requiris. *S. Hieronymus Apolog.* 2 *contra Rufinum.*

LXXV.

CENSORES. S. AUGUSTINUS.

*Quid ad hoc, o Baiani scholastico-mastiges, sepelienda scholastica est, ut unus regnet Augustinus? An Augustinus potius legendus ad lucem scholasticæ, et ad ejus amussim exigendus?*

Rependite mihi beneficium; et si me magistrum libenter vocatis, reddite mihi mercedem. *Lib.* I *de Ordine, cap.* 10.

ECCLESIA ROMANA.

Augustinus tam multa pie, subtiliter et copiose scripsit, ut Christianam doctrinam maxime illustrarit, quem imprimis secuti sunt, qui postea theo-

logicam disciplinam via et ratione tradiderunt. *Breviar. Rom., lect.* 6.

### LXXVI.

CENSORES.

*Licet ex Augustino Augustini doctrinam aliorum scriptorum judicio censendam exponere, licet et proprio, idque salva honorificentia.*

S. AUGUSTINUS.

Non valde curo, inquam, superborum imperitorumque judicia, qui similiter in legendos libros atque in salutandos homines irruunt. *Lib.* I *de Ord., cap.* 11.

### LXXVII.

CENSORES.

*Neque adeo perversum est hoc consilium, ut habere non possit adjutorem Deum.*

S. AUGUSTINUS.

Auxilium Dei quæris, ut impleantur vani libri tui, et non quæris ut corrigantur perversi sensus tui. *Lib.* III *contra Jul., Oper. imperf., initio.*

### S. PROSPER.

Unde ergo hæc sententia tam severi emersit examinis? Unde in hanc austeritatem supercilium tam tetricæ frontis se armavit, ut mensuras sensuum, pondera locutionum, numeros syllabarum insidiosus scrutator eventilet, magnumque se aliquid conficere præsumat, si catholico prædicatori (scilicet Augustino) notam erroris affigat, quasi incognitum aliquod opus, et quod hactenus latuerit impetatur, an non illa iis morsibus doctrina lanietur, quæ novorum hæreticorum commenta disjecit, et diabolicum tumorem Pelagianæ elationis elisit? *Præfat. adversus Collatorem.*

### LXXVIII.

CENSORES.

*Vides tertio quantopere alienum putet Augustinus a pia doctoris humilitate, et veraci de se ipso cogitatione, quod velit aut putet libros suos erroris expertes esse. Fuit igitur etiam ipsius Augustini, et pia hæc humilitas, et verax de se ipso cogitatio; ac proinde, qui de ipsius scriptis aliter sentiunt, mendacem faciunt, quæ verax supponi debet ejus intentio.*

S. AUGUSTINUS.

Qui legunt hæc, si intelligunt, agant Deo gratias; qui autem non intelligunt, orent ut eorum ille sit doctor interior, a cujus facie est scientia et intellectus. Qui vero errare me existimant, etiam atque etiam quæ sunt dicta considerent, ne fortassis ipsi errent. *In fine libri de Dono perseverantiæ.*

### IDEM.

Magna enim gloria sua humano generi consuluerint, si Augustinum ab errore revocaverint; nisi forte modesti homines NOVIQUE CENSORES magnorum prius meritorum seni honorabiliter ac misericorditer parcunt, et securi, quia libros ejus nemo usquam recipiat, conquiescunt, atque ignoverint. *Epist. ad Rufinum.*

### LXXIX.

CENSORES.

*Quam multi ferre non possunt, istos homines ad nauseam usque inculcare, Augustinum Patrem esse Patrum, doctorem doctorum, primum post scriptores canonicos, mirabilem, irrefragabilem.*

S. AUGUSTINUS.

Invidetis, inquam arridens, laudibus meis. *In fine lib.* III *contra Academicos.*

### LXXX.

CENSORES.

*Non dixit Cælestinus Augustinum esse Patrem Patrum, doctorem doctorum, primum Angelum inter cæteros episcopos, inter omnes excellentissimum et vere irrefragabilem, et ineffabiliter mirabilem, sed habitum esse dicit a suis prædecessoribus Innocentio, Zosimo, Bonifacio inter magistros optimos.*

S. AUGUSTINUS.

Quid igitur tibi in hoc genere tentationis, Domine, confiteor? Quid? nisi delectari me laudibus, sed amplius ipsa veritate, quam laudibus. *Postea*: Verumtamen nollem ut vel augeret mihi gaudium cujuslibet boni mei suffragatio oris alieni; sed auget, fateor, non solum, sed et vituperatio minuit. *Lib.* X *Confess., cap.* 37.

### SANCTI PATRES.

*Sanctus Præsul Augustinus assumptus est cum angelis, ubi gaudet cum prophetis, lætatur cum apostolis, quorum plenus spiritu, quæ prædixerunt mystica fecit nobis pervia, post quos secunda dispensandi verbi Dei primus refulsit gratia.* Ecclesia Augustiniana in antiphona ad *Magnificat*, in ejusdem solemnitate. *Excellentissimæ auctoritatis virum* vocat eumdem sanctus Prosper in epist. ad Rufinum. *Admirabilis disputator* dicitur ab eodem in resp. ad dubium 8 Genuensium. *Magister mirabilis* a Cassiodoro in prol. ad psalmos. *Cui contradicere fas non est*, sanctus Ildephonsus serm. 2 de B. Virgine. Beatus Jordanus de Saxonia hæc scribit: *Post Paulum neminem sanctorum præfero in doctrina fidei Augustino, unde ipse proprie dicitur alter angelus.* Serm. 146.

### LXXXI.

CENSORES.

*Novum crimen, inquiet aliquis, et quod invidiam redolet, vocare hominem in judicium, quod Augustinum nimis effuse laudaverit. Absolvetur reus, vel ipso Augustino judice, neque enim ulli veniam facilius impertimur, quam illi qui de nimiis erga nos laudibus accusatur.*

S. AUGUSTINUS.

Nunc tibi certe, quod tam male ac falso de me fueris opinatus, ignosco. *Lib.* IV *Oper. imperf.*, c. 4.

### S. POSSIDIUS.

*Si cuncta mei corporis membra verterentur in linguas, adhuc non essem dignus aut sufficiens ad laudandum tantum Patrem et doctorem, et tantum fidei relucentis illuminatorem.* Epist. ad Macedonium. Sanctus Thomas Villanovanus ait: *O quem te memorem Patrem Augustinum? Omnis laus inferior te est*; conc. 1 de S. Augustino. *Quorum profecto sanctorum virorum* (nempe Augustini et Thomæ) *penes catholicos universos ingentia et omnem laudem supergressa nomina, commendatione novi præconii plane non egent.* Alexander VII, in bulla ad Lovanienses.

### LXXXII.

CENSORES.

*Est enim in jure titulus de pluris positione, ut qui plus postulat minus habeat; et nobis a natura comparatum est ut cum aliquis plus justo extollitur, naturali quadam propensione conemur illum deprimere, et laudes ultro non roganti concedimus, vel obtrudimus recusanti quod pro suo jure exigenti negaremus.* Quæ postea applicat sancto Augustino.

S. AUGUSTINUS.

Ora, obsecro, ut non laudari volens, sed laudans invocem Dominum, et ab inimicis meis salvus fiam. *Epist.* 22 *ad Paulinum.* Præsertim quoniam multi sunt hic qui, detrahendo nobis, cæterorum animos, a quibus diligi videmur, adversus nos perturbare conantur. *Epist.* 227 *ad Albinum* etc.

S. HIERONYMUS.

Certe quidquid dici potuit, et sublimi ingenio de Scripturarum sanctarum hauriri fontibus, a te positum atque dissertum est. Sed quæso reverentiam tuam parumper patiaris me tuum laudare ingenium. *Epist.* 30 *ad August.*

LXXXIII.

CENSORES.

*Ecclesiæ interest sua omnia jura non uni committere; periclitatur exercitus cujus robur unius hominis virtute nititur. Quid enim si hæretici suis argutiis possent evincere se non esse aperte ab Augustino damnatos? Ecclesiæ causa deserenda esset, et insufficiens foret omnium aliorum Patrum consensus, quia Augustinus est necessarius? Iniqua certe esset Ecclesiæ conditio, cui Deus non unicum doctorem, sed doctores promisit, ut non circumferamur omni vento doctrinæ.*

S. AUGUSTINUS.

Desine talibus, unus homo sum, Ecclesiæ inter nos agitur causa, non mea, Ecclesiæ, inquam, quæ in nullo homine spem ponere a suo didicit Redemptore. Quanquam nec de me ipso vobis, etiamsi meam conversationem nossetis, recte crederetur inimicus mihi. Ad existimationem hominum magna testium qui me noverunt suppetit copia, ad Dei vero conspectum sola conscientia, quam contra criminationes vestras cum intrepidam geram, non me tamen sub oculis Omnipotentis justificare audeo. *Lib.* III *contra Cresconium, cap.* 80.

S. PROSPER.

Viginti amplius annis contra inimicos gratiæ Dei catholica acies hujus viri ductu pugnat et vincit; vincit dico, quia non patitur respirare quos vicit. *Præfat. contra Collatorem.* Et in Carmine contra Ingratos, cap. 3 :

Istius ergo inter cunctos, qui de grege sancto
Insanas pepulere feras, industria major,
Majus opus, totum præstantius imbuit orbem.
Nam quocunque gradum convertit callidus hostis,
Quaque per ambages anceps iter egit apertas,
Hujus ab occursu est præventus, mille viarum
Insidiis aditum non repperientibus ullum.

LXXXIV.

CENSORES.

*Quæ certe non eo consilio a me commemorantur, ut aliquid Augustini laudibus detractum velim; utinam major illis mea opera fieri posset accessio!*

S. AUGUSTINUS.

Sic audire debeo contumelias tuas, quomodo laudes tuas. *Lib.* III *contra Jul., Oper. imperf., cap.* 10.

PIUS II.

Magnus Augustinus, doctrina et verecundia juxta nobilis, cujus tanta gloria est ut nullius laudibus crescat, vituperationeve minuatur. *Cum esset Æneas Sylvius, epist.* 130 *ad cardinalem Caravajalium.*

LXXXV.

CENSORES.

*Sed tantum ut manifestem quam male de vero Augustino meritus sit iste suppositilius, qui comparationibus odiosis et laudibus hyperbolice supra omnem adulationem exaggeratis, plus illi detraxit quam addiderit auctoritatis.*

S. AUGUSTINUS.

Neque tamen huic tam familiari amico meo velim credas, quæ de me forte laudans dixerit. Sensi enim etiam ipsum sæpe non mentiendi studio, sed amandi propensione falli judicantem. *Epist.* 32 *ad Paulinum.* Si laudanti amico credendum non est, nec inimico detrahenti. *Lib.* III *contra litteras Petil., cap.* 2.

S. HIERONYMUS.

Omni quidem tempore beatitudinem tuam eo quo decet honore veneratus sum, et habitantem in te dilexi Dominum Salvatorem; sed nunc, si fieri potest, cumulo aliquid addimus, et plena complemus, ut absque tui nominis mentione ne unam quidem horam præterire patiamur. *Postea :* Macte virtute in orbe celebraris, catholici te conditorem antiquæ rursum fidei venerantur atque suspiciunt, et, quod signum majoris gloriæ est, omnes hæretici detestantur. *Epist.* 25 *ad Aug.*

LXXXVI.

CENSORES.

*Qui prius Augustinum in omnibus deposcebant judicem, nunc sibi liberum putant ne quidem arbitrum honorarium in aliis illum admittere.*

S. AUGUSTINUS.

Non enim vos oblitos credo, judicis mihi munus fuisse delatum. *Lib.* II *cont. Academicos, cap.* 8. (Sane Clemens VIII sanctum Augustinum judicem constituit in quæstionibus de auxiliis.)

S. PROSPER.

Tantaque insolentia damnati foventur errores, ut pravitatis invidia, et auctores nostri pulsentur et judices. *Præfat. contra Collatorem, pro S. Augustini doctrina defendenda.*

LXXXVII.

CENSORES.

*Nec verum est quod ipse tum alii dogmatistæ frequenter jactant, universam sancti Augustini doctrinam contra Pelagianos fuisse approbatam ab Ecclesia, pluribusque summis pontificibus, adeoque certam et inconcussam esse debere.*

S. AUGUSTINUS.

Utrum etiam noster (rivulus), licet exiguus, ex eodem quo etiam tuus abundans, emanet capite fluentorum, hoc a te probari volumus, tuisque rescriptis de communi participatione unius gratiæ consolari. *Epist.* 95 *ad Innocentium papam contra Pelagianos.*

S. HORMISDAS papa.

De arbitrio tamen libero et gratia Dei quid Romana, hoc est catholica sequatur et servet Ecclesia, licet in variis libris beati Augustini, et maxime ad Prosperum et Hilarium abunde possit cognosci, tamen et in scriniis ecclesiasticis expressa capitula continentur. *Epist.* 77 *ad Possessorem.*

LXXXVIII.

CENSORES.

*Ex hac autem approbatione* (nempe Innocentii papæ) *hujusmodi litterarum de uno aut altero tantum errore loquentium, inferre velle totam D. Augustini doctrinam de gratia fuisse specialiter ab Innocentio approbatam, est malitiose simplicibus illudere, et eruditorum patientia intolerabiliter abuti.*

S. AUGUSTINUS.

Scripsimus etiam ad beatæ memoriæ papam Innocentium, præter conciliorum relationes, litteras familiares, ubi de ipsa causa aliquanto diutius egimus. Ad omnia ille nobis rescripsit eodem modo quo fas erat atque oportebat apostolicæ sedis antistitem. *Epist.* 106 *ad Paulinum.*

S. INNOCENTIUS papa.

Librum sane, qui ejus (nempe Pelagii) esse diceretur, nobis a vestra charitate transmissum evolvimus, in quo multa blasphemia, nihil quod placeret, nihil quod non penitus displiceret a quovis damnandum atque calcandum, cui similia, nisi qui ista scripserat, nemo alter in mentem reciperet atque sentiret. *Epist.* 96 *ad Augustinum, quæ incipit :* Fraternitatis

vestræ lineas plenas fidei, totoque religionis catholicæ vigore firmatas, etc.

## LXXXIX.

CENSORES.

*Quam multi sine ullo discrimine Augustini auctoritatem admittebant, qui nunc audita limitatione, quam ejus approbationi Cœlestinus apposuit, dum audiunt aliquid ex Augustino proponi, quæritant : Estne hoc de illis profundioribus quæstionibus, quas non necesse judicavit astruere, quas in ancipiti opinandi libertate reliquit?*

S. AUGUSTINUS.

Sed multum eum ista fallit opinio. Longe aliter se habent quæstiones istæ, quas esse præter fidem arbitratur, quam sunt illæ in quibus, salva fide qua Christiani sumus, aut ignoratur quod verum sit, et sententia definitiva suspenditur, aut aliter quam est, humana et infirma suspicione conjicitur. *Lib. de Pec. orig., cap.* 23.

## ECCLESIA LUGDUNENSIS.

Beatus papa Cœlestinus de quibusdam profundioribus quæstionibus in decretis suis posuit dicens de eis, *Quæ sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus astruere.* Sit ergo inter nos pia cautela et moderatio, quatenus sanctis Patribus debitus servetur honor, et quolibet quis acquiescat modo ex illis sensibus qui de hac sententia ab eis positi sunt, non judicemus esse hæreticum. *Lib. de tenenda verit. Script., cap.* 12, *tom.* IX *Bibl. PP.*

## XC.

CENSORES.

*Sed neque verum est, quod assumunt, Romanos episcopos approbasse omnia tanquam necessaria quæ Augustinus in hisce quæstionibus docuisset.* Et recitata Cœlestini clausula aiunt : *Quibus verbis clare significat esse aliquas profundiorum illarum quæstionum, de quibus loquitur, conclusiones ab Augustino traditas, quæ debent inter adiaphora computari.*

S. AUGUSTINUS.

Hæc ergo quæ istis, ut dixi, duabus epistolis illorum respondeo ad tuam potissimum dirigere sanctitatem, non tam discenda quam examinanda, et ubi forsitan aliquid displicuerit, emendanda constitui. *Postea :* Ago autem gratias sincerissimæ in nos benevolentiæ tuæ, quod eas me latere noluisti litteras inimicorum gratiæ Dei, in quibus reperisti nomen meum calumniose atque evidenter expressum. *Lib.* I *ad Bonifacium papam, cap.* 1.

## S. PROSPER.

(Bonifacius papa) cum esset doctissimus, adversus libros tamen Pelagianorum B. Augustini episcopi responsa poscebat. Unde et venerabilis memoriæ pontifex Cœlestinus, etc. Per hunc virum intra Gallias istis ipsis, qui sanctæ memoriæ Augustini scripta reprehendunt, maleloquentiæ est adempta libertas. *Postea, celebri illo Cœlestini de Augustino elogio recitato, exclamat :* Contra istam clarissimæ laudationis tubam, contra istam sacratissimi testimonii dignitatem audet quisquam malignæ interpretationis murmur emittere? *In fine libri contra Collatorem, cap.* 43.

## XCI.

CENSORES.

*Si cui tamen post tot testimonia obscurus adhuc videbitur Augustini sensus, exspectet tantisper, brevi loquetur Roma quid senserit Augustinus vel sentire debuerit.*

S. AUGUSTINUS.

Inde jam etiam rescripta venerunt. Causa finita est, error utinam aliquando finiatur! *Serm.* 2 *de Verb. Apostoli, in fine, cum litteræ S. Innocentii papæ adversus Pelagianos Roma in Africam pervenissent.*

## IDEM.

Imo noverint non solum Romanam Africanamque Ecclesiam, sed et omnes mundi partes, universos promissionis filios cum doctrina hujus viri (nempe Augustini), sicut in tota fide, ita in gratiæ confessione congruere. *Epist. ad Rufinum.*

## XCII.

CENSORES.

*Augustinus, et qui ejus de prædestinatione sententiam sequuntur, in prædestinationem referunt, hunc trahi, illum non trahi, quia hic prædestinatus fuerat, ille non fuerat, itaque non magis quærendum esse, quare hic trahatur, ille non trahatur, quam dicere, cur hic prædestinatus fuerit, ille non fuerit.* Ubi postea arguunt sanctum Augustinum, quod dixit trahi, et prædestinari idem esse.

S. AUGUSTINUS.

Ergo trahi a Patre ad Christum, et audire ac discere a Patre, ut veniat ad Christum, nihil aliud est quam donum accipere a Patre, quo credat in Christum. Neque enim audientes Evangelium a non audientibus, sed credentes a non credentibus discernebat, qui dicebat : *Nemo venit ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo.* Fides igitur et inchoata et perfecta Dei donum est. *Lib. de Prædest. sanctorum, cap.* 8.

## S. PRUDENTIUS.

Quæ verba tua, quam sint mendaciorum nebulis caligata, ejusdem sanctissimi Patris Augustini verbis eluceat. *Lib. de Prædest. contra Erigen., cap.* 8.

## XCIII.

CENSORES.

*Certe probabilior et magis expedita responsio aliorum est, hunc trahi, illum non trahi, quia hic trahentem Deum sequi voluit, ille noluit, quod ipse D. Augustinus fateri coactus est in lib. de Prædestinatione et gratia.*

S. AUGUSTINUS.

Valde remota est a sensibus carnis hæc schola, in qua Pater auditur et docet, ut veniatur ad Filium. *Lib.* I *de Prædest. sanct., cap.* 8. (At liber de Prædestinatione et gratia non est Augustini, et contrarium docet, ac illi auctori imponunt, ut patet cap. 15, § *Hic quicunque respondet.*)

## S. THOMAS.

Quare autem in speciali trahat hunc, et illum non trahat, non est ratio aliqua, nisi beneplacitum voluntatis divinæ; unde dicit Augustinus : « Quem trahit, et quem non trahit, quare illum trahat, et illum non trahat, noli judicare, si non vis errare. » *Comment. ad cap.* 6 *Joan.*

## XCIV.

CENSORES.

*Si nihil Christianæ eruditioni post Augustinum accesserit, scholastica theologia penitus abjicienda foret.*

S. AUGUSTINUS.

Pro magnitudine sapientiæ vestræ res mirabiles dicitis! *Lib.* III *contra Jul., cap.* 3.

## XCV.

CENSORES.

*Augustini auctoritatem interponentibus responderi potest, Ecclesiam in suis filiis usque hodie crescere in eruditione.*

S. AUGUSTINUS.

Modo autem vos vestri magistri esse poteritis. *Lib.* II *de Ordine, cap.* 3.

## THOMAS VILLANOVANUS.

Augustinus primus corpit catholicas veritates enu-

cleare, digerere, dilucidare, distinguere atque in scholasticam formam redigere, docens quid in quolibet fidei mysterio sentiendum, quid ad objecta respondendum esset, unde ex Scripturis colligendus locus ad roborandum. Denique, si quid de fide distincte sentimus, aperte dicimus, audacter asserimus, id totum Augustino debemus. *Conc.* 1 *de S. Augustino.*

### XCVI.

CENSORES.

*Ex ipsiusmet Augustini et Patrum consilio hoc legitimum ac rationi conforme temperamentum appono, et errorem Pelagianorum fugiens in Augustini excessus non incido.*

S. AUGUSTINUS.

Ecce unde se putant hæretici novi Manichæorum nomine objecto vim subterfugere veritatis, sed non subterfugiunt, insequitur quippe illa, et simul Manichæos Pelagianosque subvertit. *Postea :* Quod dicimus legem sanctam, justam et bonam non justificandis impiis, sed convincendis superbis prævaricationis gratia positam, et contra Manichæos est, quia secundum Apostolum laudatur, et contra Pelagianos, quia, secundum Apostolum, nemo ex lege justificatur, et ideo justificandis eis quos littera occidit, id est quos lex bona præcipiens prævaricatione reos facit, Spiritus gratiæ gratis opitulatur. *Item :* Quod arbitrium sui in malum liberum dicimus, ad agendum bonum gratia Dei esse liberandum, contra Pelagianos est; quod autem dicimus ab illo exortum, quod antea non erat malum, contra Manichæos est, etc. Utrosque igitur catholica fides, sicut et cæteros hæreticos adversarios invenit, utrosque divinorum testimoniorum auctoritate et luce veritatis convincit. *Lib.* III *contra duas epist. Pelag., in fine cap.* 9.

### XCVII.

CENSORES.

*Jam pridem e catholicis plurimi doctrina et pietate laudabiles confessi sunt sanctum Augustinum Pelagianismi odio ita in contrariam partem inclinasse, ut persæpe Calvino potius quam Tridentinis Patribus favere videatur.*

### XCVIII.

CENSORES.

*Vel denique si aliquot locis plus intendit Augustinus, applicandus illis erit, quod in eo notarunt plures et graves doctores catholici, excessisse interdum æstu disputationis abreptum, et in odium hæresis, quam impugnabat, ad contrarium extremum inclinasse.*

### XCIX.

CENSORES.

*Ut sit nimia quædam severitas et iniqua vexatio, quæ medium illud in quo veritas sedet transgredi jubet, si præeat Augustinus.*

S. CŒLESTINUS.

Mirifice prius laudato sancto Augustino, addit : « Quia nonnulli qui catholico nomine gloriantur, in damnatis autem hæreticorum sensibus seu pravitate sive imperitia demorantes, piissimis disputatoribus obviare præsumunt, et cum Pelagium atque Cœlestium anathematizare non dubitent, magistris tamen nostris, tanquam necessarium modum excesserint, obloquuntur, » etc. *Epist. ad episcopos Galliæ, cap.* 3, *ut censores ipsi tradunt.*

### C.

CENSORES.

*Respondeo dupliciter intelligi posse B. Augustinum aliosque Patres interdum excessive locutos esse: primo scienter, et contra mentem suam, asserendo aliquid a veritate alienum, quod est mentiri, id est, contra mentem ire: secundo nescienter, et loquendo quidem ut sentiebant, sed æstu disputationis et vehementia spiritus ad alterum extremum interdum declinantes intellectu æque ac verbis, quod non est mentiri, sed falli et dicere falsum sine mendacio. Secundum contigisse Augustino et aliis non solum affirmant auctores citati, sed et plures alii.*

S. AUGUSTINUS.

Non est ita, ut loqueris, quicunque ista dixisti, non est ita, multum falleris, vel fallere meditaris, *Lib.* II *de Nupt. et concup., cap.* 3. Objecerat enim Julianus Augustinum, cum longius a Pelagiano dogmate recedere vellet, ad Manichæos accedere, « instar ferarum, quæ circumdantur pinnis, ut cogantur in retia, quibus quoniam deest ratio in verum exitium vana formidine contruduntur. » *Cui Augustinus :* « Agnosce igitur in tuo dogmate nomen tuum, et catholicis, a quibus confutaris, desine objicere et dogma et nomen alienum. Nam veritas utrosque redarguit, et Manichæos et vos » *Ib.*

S. PROSPER.

*Multi*, inquis, *singula hæc credentes, ac justo amplius asserentes variis sibique contrariis sunt erroribus involuti.* Placet igitur tibi cum hæreticis catholicos, cum victis damnare victores, et eos erroris nota adurere, qui errorem ab Ecclesia depulerunt. *Lib. contra Collatorem, cap.* 10. Hinc dicebat magnus ille theologus Gregorius Ariminensis, abhinc 300 et amplius annis supremus Augustinianæ reipublicæ moderator : « Quâ potestate dicunt Augustinum hic non proprie et vere, sed excessive locutum, dicet alius similiter in aliis regulis per Augustinum positis fuisse locutum excessive et non ut sonant illas esse tenendas; sed sic dicendo non est dubium intuenti diligenter quod in multos quis laberetur errores. » 2. *Sententiarum, dist.* 33, *quæst.* 3.

### CI.

CENSORES.

*Ita sæpe in libris Retractationum se purgat Augustinus, quod olim contra Manichæos* (qui dicebant omnia bona a Deo bono, omnia mala a Deo malo quasi fato, non autem libere ab homine fieri) *scribens, ita liberum arbitrium prædicarit, ut gratiæ oblitus esse videatur; contra postea, orto Pelagio hoste gratiæ, ita gratiam extollit, ut liberum arbitrium deprimere censeatur.*

S. AUGUSTINUS.

Quamvis et in his libris qui non contra illos omnino (nempe Pelagianos), quippe illi nondum erant, sed contra Manichæos conscripti sunt de libero arbitrio, non omni modo de ista Dei gratia reticuimus, quam nefanda impietate conantur auferre : diximus quippe, etc. (et eam in rem pluribus testimoniis allatis concludit : ) Ecce quam longe antequam Pelagiana hæresis exstitisset, sic disputavimus, velut jam contra illos disputaremus. *Lib.* I *Retract., cap.* 9.

S. PROSPER.

Sed videant quomodo se a dedecore istius exuant falsitatis qui possunt tam inepta confingere, si hi quorum abutuntur auribus, aliquantulum diligentiæ ad cognoscenda ea quæ præstantissimus minister gratiæ (Augustinus) disputavit, intenderint. Licet omnem istius inquisitionis moram ipsi qui hæc loquuntur prævenire deberent, proferendo atque explicando libros, ullamve eorum particulam demonstrando, quam per dubium saltem intellectum tali interpretationi obnoxiam vir sanctus ediderit. *Epist. ad Rufinum*

CII.

CENSORES. *Annon hoc ipsum est quod Molina concedit, quodque ab eo superbe dictum exaggerari consuevit ab adversariis, rationem hanc tuendæ libertatis non fuisse datam et explanatam ab Augustino contra Pelagianos disputante?*

S. AUGUSTINUS. Unde tibi duobus prioribus libris sic me respondisse arbitror, ut a nullo amplius requiratur. *Lib.* v *contra Jul. Pelagianum, cap.* 1.

S. GELASIUS papa.

O si studerent adversus eos (nempe Pelagianos) majorum nostrorum libros, responsaque cognoscere, illis omnibus modis cerneretur nihil esse prorsus quod ab istis fuerit ventilatum et ab illis magnifica veritate contritum, sicque de cunctis eorum nequitiis refutandis fideles quoque viderentur instructi, ut nihil amplius quæreretur. *Epist. ad Honorium episcopum contra Pelagianos.*

CIII.

CENSORES. *Nulli Patrum promissa fuit infallibilitas, et singuli fere in quibusdam erraverunt, ut Cyprianus in rebaptizandis hæreticis, Hieronymus in aliqua parte Danielis rejicienda,* etc., *et ut plura dicamus speciatim de Augustino.*

S. AUGUSTINUS. Quod dixi mihi objice, ut purgem. *Lib.* IV *contra Jul., cap.* 1. Nam tua me non terret velut lingua censoris. *Lib.* III, *cap.* 21.

S. PROSPER.

Doctrinam quam sanctæ memoriæ Augustinus episcopus contra Pelagianos inimicos gratiæ Christi et liberi arbitrii decomptores per multos annos apostolice asseruit litterisque mandavit, quibusdam visum est aut non intelligendo, aut intelligi eam nolendo reprehendere, et hoc quasi compendium cognitionis his qui judicio eorum ducebantur afferre, ut quæ in libris prædicti viri damnabilia reperisse jactabant, brevium capitulorum indiculis publicarent; talique commento et detestationem ejus quem impeterent obtinerent, et ab his quæ infamassent curam exterriti lectoris averterent. *Præfat. resp. ad capitula Gallorum.*

CIV.

CENSORES. *Sensit ille* (nempe Augustinus) *mundum in instanti creatum fuisse* (lib. IV de Gen. ad litt., a cap. 21 usque ad finem libri, et lib. V, cap. 1 et seq.), *quod non convenit cum scriptis a Moyse cap.* 1 *Geneseos, ut ostendunt accuratiores theologi, speciatimque Suarez, Molina, Martinon, communiterque rejicitur a doctoribus catholicis.*

S. AUGUSTINUS. O vita pauperum Deus meus, in cujus sinu non est contradictio, plue mihi mitigationes in cor, ut patienter tales feram, qui non mihi hoc dicunt quia divini sunt, et in corde famuli tui viderunt quod dicunt, sed quia superbi sunt, nec noverunt Moysis sententiam, sed amant suam, non quia vera est, sed quia sua est. *Lib.* XII *Confess., cap.* 25.

S. THOMAS.

Sed prior Augustini opinio (de creatione mundi in instanti) est rationabilior, et magis ab irrisione infidelium sacram Scripturam defendens, quod valde observandum docet Augustinus super Gen., lib. I, ut sic Scripturæ exponantur, quod ab infidelibus non irrideantur, et hæc opinio plus mihi placet. 2 *Sententiarum, dist.* 12, *q.* 1, *art.* 2, *in fine corporis.*

CV.

CENSORES. *Sensit etiam angelos et dæmones esse corporeos* (in psal. LXXXV et CXLV, et epist. 115) *aliis in locis, ubi affirmat aut supponit habere corpora quædam subtiliora.*

S. AUGUSTINUS. Adhærebunt ergo, si eis nulla sunt corpora, spiritus dæmonum, imo spiritus dæmones, licet incorporei corporeis ignibus cruciandi. *Lib.* XXI *de Civit. Dei, cap.* 10.

IDEM.

Augustinus loquitur non asserendo, sed opinione Platonicorum utens, qui ponebant esse quædam animalia aerea, quæ dæmones nominabant. *Part.* I, *quæst.* 51, *art.* 1, *ad* 1.

CVI.

CENSORES. *Item dubitavit num sol et luna, aliaque sidera quæ oculis conspicimus, sint animata.*

S. AUGUSTINUS. De sole et luna talia dicta sunt tanquam sentiant, et ideo tolerent vanos adoratores suos, quamvis verba ibi accipi possint ab animali ad inanimale translata, modo locutionis qui vocatur Græce metaphora. *Lib.* II *Retract., cap.* 7.

S. THOMAS.

Similiter etiam apud doctores fidei fuit circa hoc diversa opinio. Origenes enim posuit corpora cœlestia animata. Hieronymus etiam idem sentire videtur exponens illud Ecclesiastici primo : *Lustrans omnia*, etc. Basilius vero et Damascenus asserunt corpora cœlestia non esse animata. Augustinus vero sub dubio dereliquit, neutram in partem declinans, ut patet ex II de Gen. ad litt., et in Enchiridio. *Part.* I, *quæst.* 70, *art.* 3.

CVII.

CENSORES. *Dubitavit etiam de origine animarum, utrum creentur de novo, quod certissimum est, an ex Adam propagentur, ut videre est epist.* 29 *ad Hieronymum, et epist.* 157, *et in libro de Origine animæ.*

S. AUGUSTINUS. Proinde ignorantiam meam de origine animarum te corripientem atque objurgantem non moleste ferrem, imo insuper et gratias magnas agerem, si eam mihi non solum duris percuteres conviciis, sed veris etiam excuteres dictis. *Lib.* IV *de Orig. anim., cap.* 3.

S. FULGENTIUS.

Cujus quæstionis (de origine animæ) beatus Augustinus profunditatem sibi imperscrutabilem cernens nullam voluit hujus rei definitam proferre sententiam, incongruum prorsus existimans aliquid affirmare sine dubitatione velle, quod alter posset contraria responsione convellere. Cujus tam in decimo libro de Genesi ad litteram, quam in libris ad Vincentium Victorem de Origine animæ, nec non in libro primo ex duobus quos ad sanctum Hieronymum scripsit, in tribus quoque epistolis quas ad Optatum episcopum de hac quæstione composuit, disputatione refulget non minus copiosa quam profunda, et eo magis laudabili quia congrua temperie moderata. Ubi quidquid ingenii acumine, quidquid ratiocinationis ordine, quidquid auctoritatis pondere inquirendum discutiendumque conspexit, et inquisivit sin-

gulariter et discussit, consensum tamen ab utraque definitione continuit, ne laborem tantæ disputationis inaniter susciperet, quem cujuslibet sententiæ temeraria definitio vacuaret. *Lib.* III *de Verit. prædest. et grat., cap.* 18. Quanto ergo melius ab hujus quæstionis certamine temperamus, in qua nos inaniter laborare cognoscimus? præsertim, quia quod a sanctis viris majoribus nostris videmus minime definitum, oportet nos tanto cautius atque temperantius quærere, quanto ad ejus finem illos præclaros viros cernimus minime pervenisse. *Cap.* 20.

## CVIII.

CENSORES.

*Perperam quoque exponit id quod ait Apostolus ad Romanos, cap.* XIV, *vers.* 23 : Omne quod non est ex fide peccatum est, *quasi velit dicere Apostolus omnia opera infidelium esse peccata, et sine vera fide nullum posse fieri bonum opus. Cum tamen ibi sermo sit de eo quod non fit ex dictamine conscientiæ judicantis bona fide licitum esse id quod fit, ut ex textu ipso liquet, et communis interpretatio doctorum contradicit Augustino, qui etiam aliquot locis, ut alibi notavimus, videtur hanc suam assertionem restringere ad bonum opus utile vitæ æternæ consequendæ*, etc. *Utrumque tamen a vero sensu Apostoli loco citato plane alienum est.*

S. AUGUSTINUS.

Testimonium illud, quod ex Apostolo posui : *Omne quod non est ex fide peccatum est*, sicut tibi visum est accepisti, et exposuisti non ut sapit, sed ut sapis. De cibis enim Apostolus loquebatur; verum cum dixisset, *Qui autem discernit si manducaverit, damnatus est, quia non ex fide*, hanc peccati speciem de qua agebat, generali voluit probare sententia, mox inferens : *Omne enim quod non est ex fide peccatum est.* Lib. IV cont. Jul., cap. 3. *Omne* enim, velis nolis, *quod non est ex fide, peccatum est.* Intra, ibid.

BONIFACIUS II papa.

Illos autem qui, præcedente fide, cætera, sicut indicas, volunt gratiæ deputare, sua professione constringimus, ut multo magis dono gratiæ etiam fidem cogantur ascribere, præter quam nihil est boni, quod secundum Deum quilibet valeat operari, sicut B. Apostolus dicit : *Omne quod ex fide non est, peccatum est.* Quod cum ita sit, aut nullum bonum gratiæ deputabunt, si ei fidem subtrahere moliuntur, aut si quod bonum esse dicunt de gratia, ipsa necessario fides erit gratiæ deputanda. *Epist. ad S. Cæsarium Arelatensem.*

## CIX.

CENSORES.

*Norunt etiam quicunque in ejus lectione versati sunt, non adeo felicem in indagando litterali sensu Scripturæ interdum fuisse. Ex quo tamen potissime argumentandum est, longeque illi in hac parte præferendum esse Hieronymum et Chrysostomum.*

S. AUGUSTINUS.

Cum his autem qui cuncta illa quæ vera sunt, falsa esse non dicunt, honorantes, et in culmine sequendæ auctoritatis nobiscum constituentes illam per sanctum Mosen editam sanctam Scripturam tuam, et tamen nobis aliquid contradicunt, ita loquor : Tu esto, Deus, noster arbiter inter confessiones meas et contradictiones eorum. *Lib.* XII *Confess. cap.* 16.

SANCTI PATRES.

Hieronymus epistola 30 ad Augustinum ait : « Certe quidquid dici potuit, et sublimi ingenio de Scripturarum sanctarum hauriri fontibus, a te positum atque dissertum est. » Sanctus Prudentius, in epistola ad Hincmarum et Pardulum : « Hoc primum vestram sinceritatem monens, ut doctrinam beatissimi Patris Augustini omnium absque ulla dubietate undecunque doctissimi, sanctarum Scripturarum auctoritati in omnibus concordissimam; quippe nullus doctorum abstrusa earum scrupulosius rimatus diligentius exquisierit, verius invenerit, veracius protulerit, luculentius enodaverit, fidelius tenuerit, robustius defenderit, effusius disseminaverit, » etc. Rhemigius Antisiodorensis in 2 ad Corinth. : « Sicut sol excedit in lumine omnes planetas, ita Augustinus omnes excessit in exponendis sacris Scripturis. » Hugo de Sancto Victore, serm. 25 : « Inde et de ipso in hac ejus solemnitate canimus, quod prophetarum et apostolorum plenus spiritu, quæ prædixerunt mystica, fecit nobis pervia, post quos secunda dispensandi verbi Dei primus refulsit gratia, » etc.

## CX.

CENSORES.

*Durius quoque loquitur pluribus locis de veritate corporis Christi in Eucharistia, ut supra indicavimus, qua de causa suum plane illum esse gloriantur, sed falso Calvinistæ, et eminentissimus doctrina æque ac dignitate cardinalis Perronius in libro singulari cui titulus est*, Refutatio objectionum ex D. Augustino contra S. Eucharistiæ Sacramentum, *cap.* 1, *ipso initio. Idcirco vocat sanctum Augustinum magnum prætensum Sacramentariorum patronum.*

S. AUGUSTINUS.

Admonet me plane, ac mihi jubet suavissimo imperio lex Christi, hoc est charitas, ut cum aliquid falsi in libris meis me sensisse homines putant, quod ego non sensi, atque idipsum falsum alteri displicet, alteri placet, malim me reprehendi a reprehensore falsitatis, quam ab ejus laudatore laudari. Ab illo enim quamvis ego non recte, qui hoc non senserim, error, tamen ipse recte vituperatur. Ab hoc autem nec ego recte laudor, a quo existimor id sensisse, quod vituperat veritas, nec ipsa sententia quam vituperat veritas. *Lib.* I *de Trin., cap.* 3.

GUITMUNDUS episcopus.

Quid hic Umbratici respondebunt? Ubi in tanta luce lucifugæ nostri umbram parabunt? Ecce Augustini manifestissima documenta recitantur, nihil in eis scrupulosum, nihil ambiguum; aut de his se explicent, aut Augustinum nobis objicere desistant. *Lib.* III *de Veritate Eucharistiæ, contra Berengarium, tomo* XI *Bibl. PP.*

## CXI.

CENSORES.

*Item lib.* I *de peccat. Merit. et remiss., cap.* 20, *et lib. de Prædest. sanctorum, cap.* 13, *et lib.* II *Oper. imperf. cont. Jul., cap.* 29, *docere videtur sacramentum Eucharistiæ non minus esse necessarium parvulis ad salutem quam baptismum, neque minus ad eos pertinere quod dicitur Joan.* VI, *vers.* 54 : Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus san-

S. AUGUSTINUS.

Sancto Innocentio vide quid respondeas, qui nihil aliud de hac re sapit, quam quod isti, in quorum te conventum, si tamen prodest aliquid, te introduxi. Cum his etiam ipse considet, etsi posterior tempore, prior loco, etc. Qui denique parvulos definivit, nisi manducaverint carnem Filii hominis, vitam prorsus habere non posse. Huic responde, imo ipsi Domino, cujus ille antistes

guinem, non habebitis vitam in vobis, *quam istud Joan.* III, *vers.* 6 : Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei.

usus est testimonio. *Lib.* I *cont. Jul., cap.* 4.

S. INNOCENTIUS papa.

Illud vero quod eos (Pelagium ac Cœlestium) vestra fraternitas asserit prædicare parvulos æternæ vitæ præmiis etiam sine baptismatis gratia posse donari, perfatuum est. Nisi enim manducaverint carnem Filii hominis, et biberint sanguinem ejus, non habebunt vitam in semetipsis; qui autem hanc eis sine regeneratione defendunt, videntur mihi ipsum baptismum velle cassare, cum prædicant eos habere quod in eos creditur non nisi baptismate conferendum. *Epist. ad Patres Milevitanæ synodi, apud August. ep.* 93.

S. GELASIUS papa.

Ut providentia Dei omnes Pelagianorum nequitias amputaret, non solum dictum est : *Qui non fuerit renatus ex aqua et Spiritu sancto non intrabit in regnum cœlorum*, sed etiam pariter dictum est : *Qui non manducaverit carnem Filii hominis, et biberit ejus sanguinem, non habebit vitam in semetipso.* De vita autem æterna hoc dictum nullus addubitat, quoniam multi non manducantes hoc sacramentum vitam habere videantur præsentem. *Epist. ad episcopos Piceni.*

CXII.

CENSORES.

*Indeque disputans contra Pelagianos probat infantes sine Eucharistiæ sumptione non posse vitam æternam consequi, quam sumptionem distinguit a baptismo, quasi velit debere infantes necessario esse reipsa et distincte utriusque sacramenti participes baptismi et Eucharistiæ, ut vitam æternam obtineant. Sic enim loquitur cap. illo* 20, *lib.* I, *de pec. Merit.* : Auferatur ergo jam dubitatio, *etc. Quæ verba sunt adeo manifesta, ut difficillime patiantur benignam interpretationem, qua plerique theologorum Augustinum ab errore excusare conantur; error enim est notatus et damnatus sub anathemate a concilio Tridentino.*

S. AUGUSTINUS.

Nihil hic de nostro afferamus, ipsum Apostolum item audiamus. Cum ergo de isto sacramento loqueretur ait : *Unus panis, unum corpus multi sumus.* Intelligite, et gaudete, unitas, pietas, veritas, charitas, unus panis, unum corpus multi sumus; recolite enim quia panis non fit de uno grano, sed de multis. Quando ergo exorcizabamini, quasi molebamini; quando baptizati estis, quasi conspersi estis; quando spiritus sanctificationem accepistis, quasi cocti estis; estote quod videtis et accipite quod estis, etc. *Serm. ad infantes ante altare.*

S. FULGENTIUS.

Beatus quoque Augustinus de hac re sermonem fecit admodum luculentum, et aptum ædificationi et instructioni fidelium. (Et toto sermone recitato, in quo verba proxime recensita leguntur,) Arbitror, ait, sancte frater, disputationem nostram præclari doctoris Augustini sermone firmatam, nec quidquam esse aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque fidelium corporis sanguinisque Dominici participem fieri, quando in baptismate membrum corporis Christi efficitur, nec alienari ab eo panis calicisque consortio, etiamsi antequam panem illum comedat et calicem bibat, de hoc sæculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat. *Resp. ad quæst. de Baptismo Æthiopis.*

CONCILIUM TRIDENTINUM.

Neque ideo tamen damnanda est antiquitas, si eum morem (nempe dandi Eucharistiam parvulis) in quibusdam locis aliquando servavit; ut enim sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt, ita certe eos nulla salutis necessitate id fecisse sine controversia credendum est. *Sess.* 21, *cap.* 4.

CXIII.

CENSORES.

*Præterea, lib.* II *cont. Jul., cap.* 10, *docet cogitationes morosas, sive delectationes voluntarias de rebus venereis esse duntaxat peccatum veniale, modo absit consensus in opus, seu malum desiderium, vel illius periculum. Quæ doctrina ab omnibus catholicis jampridem rejicitur, nec sine scandalo a quoquam obtruderetur.*

S. AUGUSTINUS.

Unum igitur genus est probatissimum, et quasi purgatissimum, cum et bona scripta sunt, et in bonam partem accipiuntur a legentibus. *Lib. de Utilit. cred. ad Honoratum, cap.* 5.

S. AUGUSTINUS.

Ita dici potest in homine uno, si delectationibus illicitis, a quibus se continuo deberet avertere cogitatio, libenter sola pascatur; nec facienda decernantur mala, sed tantum suaviter in recordatione teneantur, quasi mulierem sine viro posse damnari : absit hoc credere! hæc quippe una persona est, unus homo est, totusque damnabitur, nisi hæc, quæ sine voluntate operandi, sed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi, solius cogitationis sentiuntur esse peccata, per mediatoris gratiam remittantur. *Lib.* XII *de Trinit., cap.* 12.

CXIV.

CENSORES.

*Certe cum eadem sit judiciorum et affectuum alea, et Augustinus tanta contentione pugnet contra Pelagianos, ut obtineat nullum esse quantumvis sanctum, cui non sit opus dicere,* Dimitte nobis debita nostra *ob quotidianos voluntatis lapsus, nescio quid Baianis in mentem venerit, ut Augustiniani videri velint, cum tanto nisu persuadere conantur esse aliquos* (nempe Augustinum) *qui judicio nunquam labantur.*

S. AUGUSTINUS.

Neque enim negare debeo, sicut in ipsis moribus, ita multa esse in iam multis opusculis meis, quæ possint justo judicio et nulla temeritate culpari. Ex quibus si aliena reprehenderes, illic et tibi fortassis ostenderem, qualem te esse, in quibus non perperam reprehenderes, vellem, meque tibi juniori major, et præpositus subdito correctionis exemplum quanto humilius, tanto salubrius exhiberem. Sed ea in me reprehendisti, quæ non corrigere humilitas, sed partim fateri, partim defendere veritas cogit. *Lib.* IV *de Orig. animæ, cap.* 1.

B. JORDANUS de Saxonia.

Ipse tamen postea (Augustinus) tam ab erroribus intellectus, quam a corruptione affectus per actum hierarchicum purgatus fuit. *Serm.* 138. Sanctus Thomas Villanovanus ait : « Hæc igitur Augustini tam profunda humilitas apud Deum et homines sapientia

et intellectu illum sublimiter exaltavit, quoniam *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (*Jacob.* IV, 6). Unde potest de illo intelligi prophetæ vaticinium, *Dedit abyssus vocem suam altitudinem phantasiæ* (*Habac.* III, 10). Abyssus, inquam, humilitatis Augustinus vocem doctrinæ suæ populis dedit, propter phantasiæ suæ, id est ingenii altitudinem, quam propter humilitatem contulit illi Deus. » *Conc.* 2 *de S. Augustino.*

### CXV.

CENSORES.

*Constat ergo exemplo sancti Bernardi tales esse quas dixerat duas columnas, ut non sit necessario timendum, si quis ita divellatur ab Augustino, ut tamen innitatur Ambrosio, etiam in iis quæ contra Pelagianos Augustinus disputavit*, etc.

S. AUGUSTINUS.

Quid ergo, quo me ab illo in hac causa separandum putas? *Postea:* Ergo ille noster an vester sit, et vos videtis. *Lib.* IV *cont. Jul., Oper. imperf., cap.* 119.

### S. BERNARDUS.

Ab his ergo duabus columnis (Augustinum loquor et Ambrosium), crede mihi, difficile avellor; cum his, inquam, me aut errare aut sapere fateor. *Epist.* 77 *ad Hug. de S. Victore.*

### CXVI.

CENSORES.

*Quid igitur mirum si vir, alioqui doctissimus et sanctissimus* (Augustinus), *difficultate rei oppressus, nihil aliud invenerit in quo essentiam originalis peccati constitueret?*

S. AUGUSTINUS.

Hominem tuo judicio doctissimum et peritissimum non dubitasti reprehendere. Ego autem et me doctissimum ac peritissimum nescio, imo vero me non esse certissime scio. *Lib.* IV *de Orig. animæ, initio.*

### B. JORDANUS DE SAXONIA.

Quantum ad dictorum sufficientiam, quia nihil deest in libris Augustini quod pertinet ad scientiam legis divinæ; unde dicit Volusianus, scribens ad Augustinum : « Utcunque in aliis sacerdotibus toleratur inscitia, sed cum ad antistitem Augustinum venitur, legi Dei deest quidquid Augustinum contigerit ignorare. » *Serm.* 148.

### CXVII.

CENSORES.

*Nempe jam nos docuit Gerson et Abulensis quo pertineat hæc approbatio; non enim eo ut intelligamus Augustinum nullis esse humanis defectibus obnoxium, sed rarioribus et levioribus.*

S. AUGUSTINUS.

Senti de Augustino quidquid libet, sola me in oculis Dei conscientia non accuset. Quod enim ait Apostolus : *Mihi minimum est ut a vobis judicer, aut ab humano die.* Lib. cont. Secundinum, cap. 1.

### ARNOBIUS JUNIOR.

Serapion dixit : « Testor Deum quia sollicitudini meæ universa ambiguitate eliminas, si de his ejus (scilicet Augustini) mihi definita proferas, et de omnibus quæ transacta sunt evidentia ejus afferas documenta; fateor enim me ejus assertiones ita probatas habere, ut se ipsum ore suo hæreticum detegat, qui Augustinum putaverit in aliquo reprehendendum eloquio. » Arnobius dixit : « Meo sensu locutus es, nam ea quæ ejus nunc profero, ac si sacratissima apostolorum scripta sic credo, et teneo, et defendo. » *Tomo* V *Bibl. PP., part.* III.

### CXVIII.

CENSORES.

*Sensit Augustinus mundum in instanti creatum fuisse, quod non convenit cum scriptis a Moyse*, etc.

S. AUGUSTINUS.

Nemo jam molestus sit dicendo mihi, non hoc sensit Moyses quod tu dicis, sed hoc sensit quod ego dico. Si enim mihi diceret, Unde scis hoc sensisse Moysem quod de his verbis ejus eloqueris, æquo animo ferre deberem et responderem fortasse quæ superius respondi, vel aliquanto uberior, si essem durior. *Lib.* XII *Confess., cap.* 24. Illud autem, quod contendunt, non hoc sensisse Mosen quod ego dico, sed quod ipsi dicunt, nolo, non amo, quia et si ita est, tamen ista temeritas non scientiæ, sed audaciæ est, nec visus, sed typhus eam peperit. *Cap.* 25. Ita cum alius dixerit, Hoc sensit quod ego, et alius, Imo illud quod ego, religiosius me arbitror dicere, Cur non utrumque potius, si utrumque verum est? et si quid tertium, et si quid quartum, et si quid omnino aliud verum quispiam in his verbis videt, cur non illa omnia vidisse credatur, per quem unus Deus sacras litteras vera et diversa visuris multorum sensibus temperavit. *Cap.* 31.

### CXIX.

CENSORES.

*Contrariam Augustino sententiam non modo probabiliorem judico, sed certæ et indubitatæ veritatis.*

### CXX.

CENSORES.

*Explicatio hæc censetur ab omnibus improbabilis, nec ego dubito quin si Augustinum non haberet patronum, manifeste damnata fuisset, ut hæretica.*

### CXXI.

CENSORES.

*Contrarium docent omnes alii Patres, idque omnino evincit simplex et historialis narratio Moysi; quare jam erroneum est dicere omnia uno die esse creata.*

### PATRES et DOCTORES.

Cassiodorus : « De iisdem principiis sanctus quoque Augustinus, disertus atque cautissimus disputator, duodecim volumina conscripsit, quæ doctrinarum pene omnium decore vestivit, hæcque vocavit de Genesi ad litteram, qui quamvis de eadem retractaverit, qua beatus Basilius, et sanctus Ambrosius celeberrima laude fulserunt, tamen, quod post disertos viros minime contingere solet, opus suum longe in aliam summitatem, Domino largiente, produxit. » *Lib.* I *Divin. Institut., cap.* 22. Sanctus Thomas : « Hæc opinio (nempe Augustini de simultanea rerum creatione) plus mihi placet. » 2 *Sent., dist.* 12, *q.* 1, *art.* 2. B. Albertus magnus : « Sine præjudicio sententiæ melioris videtur Augustino consentiendum, » etc. « Dicendum ergo quod per distinctionem quam ponit Moyses intelligitur distinctio rerum secundum naturæ principia, et non distinctio temporum. » *Part.* I *Summæ quæst.* 12, *de quatuor coævis.* Ægidius, *part.* I *Hexameron, cap.* 28 : « Non autem ista dicimus, ut improbemus opinionem Augustini, quæ est valde subtilis, non solemnis. » Dionysius Carthusianus : « (Augustinus) excogitavit quamdam expositionem subtilem, per quam defendit Scripturam ab irrisione hujusmodi, et tamen salvavit Scripturæ et fidei veritatem. » *In cap.* I *Genes., art.* 5.

### CXXII

| CENSORES. | S. AUGUSTINUS. |
|---|---|
| *Augustinus vero clarius Durando astipulari videtur cum actum peccati nullo modo Deo agenti tribuit, sed solum humano arbitrio, etc., id quod clarius ostendit lib. de Perfect. justitiæ, ratiocinat.* 4, *ubi sic quærit* : Quid est peccatum, actusne, an res? Si res est, *etc.* | Redde verba mea, et vanescet calumnia tua. *Lib.* IV. *cont. Jul., cap.* 8. |

S. PROSPER.

Stupeo sanctitatem vestram objectionem calumniantium a persona defensoris gratiæ non potuisse discernere, et verba obtrectantium ei ipsi qui obtrectatoribus suis respondet aptasse. *Ad dub.* 10 *Genuensium contra S. Augustinum.*

### CXXIII.

| CENSORES. | S. AUGUSTINUS. |
|---|---|
| *Petimus ergo a Baianis quanti facienda sit Augustini doctrina dicentis fallibilem esse scriptoris non canonici auctoritatem, et hanc esse illius differentiam a canonico, quod sine peccato vel injuria cujusquam suspecta esse quandoque possit. Si negant esse probandam fidem, fallunt, et positos a se terminos primi transgrediuntur, Augustinum deserendo. Si probandam fatentur, cum negare non possint quin Augustinus sit intra numerum auctorum non canonicorum, restat ut fateantur sine peccato vel injuria cujusquam dubium aliquando videri posse illius auctoritatem atque sententiam. Esset autem ridiculus qui ea quæ ille dicit de fallibilitate scriptoris non canonici intelligenda diceret cum exceptione ipsius Augustini.* | Sane cum in omnibus litteris meis non solum pium lectorem, sed etiam liberum correctorem desiderem, multo maxime in his ubi ipsa magnitudo quæstionis utinam tam multos inventores habere posset, quam multos contradictores habet; verumtamen, sicut lectorem meum nolo mihi esse deditum, ita correctorem nolo sibi : ille me non amet amplius quam catholicam fidem, iste se non amet amplius quam catholicam veritatem. Sicut illi dico : Noli meis litteris, quasi Scripturis canonicis inservire, sed in illis, et quod non credebas, cum inveneris, incunctanter crede; in istis autem, quod certum non habebas, nisi certum intellexeris, noli firmiter retinere : ita illi dico : Noli meas litteras ex tua opinione vel contentione, sed ex divina lectione vel inconcussa ratione corrigere. *Lib.* III *de Trinit., in proœmio.* |

S. THOMAS VILLANOVANUS.

Ultimum quoque ingenii testimonium hoc est præstantissimum, quod ita conspicue in tanta nebula veritatem intuitus est (Augustinus), et ita eam in tanta sylva errorum discussit, ut cum in hoc ipse omnium primus exstiterit, usque hodie post tam longum tempus id teneat, id sequatur Ecclesia et fidei schola, quod Augustinus decreverit. *Conc.* 1 *de S. August., in fine.*

### CXXIV.

| CENSORES. | S. AUGUSTINUS. |
|---|---|
| *Augustinus argumentis Juliani non satisfecit.* In articulis censuratis a sacra facultate theologica Lovaniensi, et inquisitione Vallisoletana anno 1650, Martii 28; et apud | Vitreas argutias tuas, et fragilia, quibus tibi multum videris acutus et nitidus, argumenta confringam. *In fine lib.* I *cont. Julian.* Dialecticorum quasi jaculis onera- |

A Rivium, lib. IV de Vita sancti August., cap. 10, § 6.

tus acutis in certamen procedis, et jactas plumbeos pugiones. *Lib.* III, *cap.* 7, *contra eumdem.*

VEN. BEDA et S. PRUDENTIUS.

(Julianus) homo ut rhetor peritissimus, ita gratiæ Dei post Pelagium impugnator acerrimus, ut apertius scripta ejus, quibus contra strenuissimum ejusdem gratiæ propugnatorem Augustinum insanivit, ostendunt. *Initio præfat. in Cantica.* Sanctus Prudentius ait : « Cum a Patribus, præcipueque beatissimo Augustino (Pelagianis) competentissime abundantissimeque responsum fuerit, » etc. *Epist. ad Gelinon. archiep. Senonens., ante lib. de Prædest.*

### CXXV.

| CENSORES. | S. AUGUSTINUS. |
|---|---|
| B *Volentes sustinere partes Juliani non posse Augustini rationibus convinci.* | Necessarios articulos sermonis tui, quantum me adjuvat Dominus, comprehendo atque confringo, ut totum corpus victum jacere conspiciat qui et illa tua et hæc nostra perlegerit. *Lib.* IV *cont. Jul., cap.* 9. |

S. PROSPER.

Quidquid etiam in libris contra Julianum ab ipso sub hac quæstione objectum potentissime debellasti, hoc totum ab istis sanctis intentiosissime conclamatur. *Epist. ad S. August.*

### CXXVI.

| CENSORES. | S. AUGUSTINUS. |
|---|---|
| *Si triumphi Ecclesiæ niterentur posterioribus scriptis Augustini, immerito de Pelagianis triumphasset Ecclesia.* C | Proficienter me existimo Deo miserante scripsisse, non tamen a perfectione cœpisse. *Lib. de Dono persev., cap.* 21. |

IDEM.

Contra istam (recitat enim Cœlestini papæ elogium de sancto Augustino) clarissimam laudationis tubam, contra istam sacratissimi testimonii dignitatem audet quisquam malignæ interpretationis murmur emittere, et perspicuæ sincerissimæque sententiæ nubem obliquæ ambiguitatis obtendere? Ut scilicet, quia in epistola papæ librorum pro quibus actum est non expressus est titulus, hinc eos appareat non probatos, et istam in sanctum Augustinum laudationem pro anteriorum scriptorum meritis fuisse collatam. Maneat plane, maneat ista conditio, ut horum librorum (quos nempe postremos in materia de gratia D ediderat) novitas repudiata videatur, si in eadem causa ejusdem viri dissentit antiquitas, et ut inutile aut incongruum judicetur quod ab his quæ contra Pelagianos condidit dissonans invenitur. *Cont. Coltat., cap.* 43.

### CXXVII.

| CENSORES. | S. AUGUSTINUS. |
|---|---|
| *Augustinus fuit doctor perinde ac alius etiam modernorum.* | Quidquid de arte loquendi et disserendi, quidquid de dimensionibus figurarum, et de musicis, et de numeris sine magna difficultate nullo hominum tradente intellexi, etc. Non enim sentiebam illas artes etiam ab studiosis et in- |

### CXXVIII.

CENSORES.

*Augustini dotes seu naturales seu infusæ non fue-*

*runt altioris ordinis quam aliorum doctorum, etiam scholasticorum.*

geniosis difficillime intelligi, nisi cum eis easdem conabar exponere, et erat ille excellentissimus in eis, qui me exponentem non tardius sequeretur. *Lib.* IV *Confess.*, *cap.* 16.

### S. THOMAS VILLANOVANUS.

Hoc sibi justissime vindicat Augustinus, hæc pars Augustini in hac sapientiæ luce, sicut sol omnia astra, ita cæteros omnes post apostolos superat Augustinus, etc. Etenim intellectus acumine, ingenii perspicuitate, disputandi acrimonia, inveniendi copia, disserendi subtilitate monstrum quoddam in natura fuit Augustinus, qui humanæ intelligentiæ terminos irradiante Deo visus est transcendisse, vir intellectu, ut quidam ait, et sapientia prope divinus. *Conc.* 1 *de S. Augustino.* Quis enim ita excelluit ingenio? quis ita valuit facundia? quis humanarum divinarumque rerum sapientia sic effulsit? quis tot tantisque voluminibus Dei Ecclesiam illustravit? quis ecclesiasticos ordines sic edocuit? Mentitur, ait quidam, qui se omnia Augustini volumina legisse jactat, plus valuit ille scribere, quam nos sufficimus legere. *Conc.* 3 *de eodem.*

### CXXIX.

CENSORES. *Vindicanda est Ecclesia a tutela et pædagogia Augustini.*

S. AUGUSTINUS. Te ergo, vera Sponsa veri Christi, Ecclesia catholica, alloquar, et ego te pro modulo meo qualiscunque filius et servus tuus positus in te dispensare cibaria conservis meis. *Lib.* XV *contra Faustum*, *cap.* 13.

### FACUNDUS HERMIANENSIS.

Audeant isti, si possunt, hæreticum dicere Augustinum, audeant sollicita præsumptione damnare, et tunc vere discent quæ sit pietas et constantia Ecclesiæ Latinorum, quam Deus magisterio ejus instituit atque firmavit, cum ab omnibus confestim anathematizati fuerint, et tanquam putrida et morbida membra præcisi. *Lib. contra Mocianum.*

### CXXX.

CENSORES. *Utrum Augustinus contra id quod sentimus sentiat non admodum curandum.*

S. AUGUSTINUS. Non valde curo, inquam, superborum imperitorumque judicia, qui similiter in legendos libros atque in salutandos homines irruunt. *Lib.* I *de Ord.*, *cap.* 11.

### B. ALBERTUS MAGNUS et S. PAULINUS.

Dicendum quod sic, quia hoc Augustinus aperte dicit, cui contradicere impium est in iis quæ tangunt fidem et mores. *Part.* II *Sum. theol.*, *tract.* 14, *q.* 184, *ad q.* 3. Sanctus Paulinus, *epist.* 36 *ad Romanianum inter Augustinianas*, ait : « Si audias, si sequaris (Augustinum), ut rursum te sermone Salomonis alliciam : *Fili, coronam accipies gratiarum tuo vertici.* » Postea : « Vere enim pontifex et vere consul, Licenti, eris, si Augustini vestigiis propheticis et apostolicis disciplinis, ut sacrato beatus Elisæus Eliæ, ut illustri apostolo Timotheus adolescens adhæreas indivulso per itinera divina comitatu. » etc.

### CXXXI.

CENSORES. *Jam enim in libris editis constat quantas turbas excitarit una vocula tanta adulatione jactata :* Reliquos quidem Patres utiles, sed Augustinum unicum esse necessarium, et ad omnes materias theologicas sufficere : *Quasi Ecclesia Dei ad tantam solitudinem redacta sit, ut non ex multorum Patrum consensu, sed ab unius suffragio suarum decisionum robur mutuari cogatur.*

S. AUGUSTINUS. Tantumque mihi tributum est, ut ubicunque me præsente loqui opus esset ad populum, rarissime tacere atque alios audire permitterer. *In Prologo Retract.*

Absit a me ista, quam mihi objicis, arrogantia, ut me istam causam contra vos, unum pro omnibus agere pollicerer. *In fine lib.* II *contra Julianum.*

### CXXXII.

CENSORES. *Vidimus sectione præcedenti scriptores synopsis ejus vitæ* (nempe Jansenii), *hoc ipsius celebre dictum veluti tanto viro dignum apophthegma referre :* Patres cæteros utiles esse, sed Augustinum necessarium, imo unum pro omni materia theologica sufficere. *Quæ propositio non modo gravem exaggerationem, sed etiam perniciosum errorem continet.*

S. AUGUSTINUS. Unus sum e multis qui profanas vestras novitates, ut possumus, refutamus, sicut unicuique nostrum Deus partitus est mensuram fidei. *Lib.* VI *cont. Jul.*, *cap.* 8.

Nunc ergo, ne tui stomachi follis indigesta maledictorum eruditate rumpatur, in hunc evome, si audes, calumniosas tuas vanitates, et insanias mendaces, etc. Insignis Ecclesiarum doctor loquitur. *Lib.* II *cont. eumd.*, *cap.* 8.

### MARTINUS V papa.

Quicunque de Christo, de fide, de religione aliquid saperent, omnibus in ore erat Augustinus, ut nihil pene ex sacris litteris possit nisi eo duce intelligi, nihil nisi eo interprete explicari. Eo jam auctore factum est ut nec philosophis sapientiam invideamus, non oratorum eloquentiam desideremus, non studiosorum ingenia requiramus, non denique nobis acumen Aristotelis necessarium sit, non Platonis eloquentia, non prudentia Varronis, non gravitas Socratis, non auctoritas Pythagoræ, non Empedoclis solertia, non cujusquam illius generis hominum scientia ac virtus exemplo aut documento nobis esse debeat. Idem nobis prophetarum oracula, idem apostolorum voces refert, idem omnem omnium Scripturarum sensum exprimit, unus postremo omnium Patrum sapientumque ingenia ac studia exhibet. Si veritatem quæris, si doctrinam, si pietatem, quis doctior? quis justior? quis, ut ita dicam, sanctior Augustino? *Serm. de translat. corporis S. Monicæ.*

### CXXXIII.

CENSORES. *Non est cur sancti Pauli ac sancti Augustini verbis teneamur, qui aliquando omnia meræ Dei voluntati attribuere videntur etiam absque ullo bonorum nostrorum operum intuitu. Hos enim duos magnos viros, quasi duo maria magna considerare necesse*

S. AUGUSTINUS. Sic vis disputatoribus non præjudicare catholicis nonnulla quæ ab eis, sicut putas, incautius fusa, vobis objicimus, quid est hoc, nisi dicere, etiam in Scripturis sanctis ea quæ pro se usurpant hæretici incautius fusa esse? quo sceleratius quid po-

*est, qui ingenii sui impetu in unum littus ita exundant, ut alterum pro aliquo tempore siccum relinquere velle videantur; verum sicut Oceanus postquam in aliquam plagam effusius sparsus est, in limites sibi a Deo constitutos regreditur, sic istiusmodi viri postquam in rebelles veritatis impugnatores insiluerunt, ad tranquillam æqualitatem ædificationi fidelium accommodatam redeunt.*

test dici? *Lib.* IV *Oper. imperf., contra Julianum, cap.* 112.

## CXXXIV.

CENSORES.

*Ingenii sancti Pauli ardor satis fervebat, ut in ejusmodi expressiones* (excessivas nempe) *facile abriperetur. Sic cum vult Christianis sublimem gratiæ baptismalis ideam tradere, ipsosque ad illius conservationem potenter hortari, videtur asserere impossibile esse eos qui aliquo crimine lapsi sunt rursus ad eam revocari per pœnitentiam. Cum in Epistola ad Romanos fidem extollit, arma Calvino videtur ministrare ad suam hæresim stabiliendam, et videtur asserere per eam solam quemlibet salvari. Cum vero in Epistola ad Corinthios charitatem prædicat, videtur omnia quæcunque de fide dixerat evertere, et omnem spem nostram in ea ponere.*

S. AUGUSTINUS.

Si enim ad Scripturas sanctas admissa fuerint velut officiosa mendacia, quid in eis remanebit auctoritatis? Quæ tandem de Scripturis illis sententia proferetur, cujus pondere contentiosæ falsitatis conteratur improbitas? Statim enim ut prolueris, si aliter sapit qui contra nititur, dicit illud quod prolatum erit, honesto aliquo officio scriptorem fuisse mentitum? *Epist.* 9 *ad Hieronymum.*

## CXXXV.

CENSORES.

*Spiritus Pauli sublimis et acer in partem in quam inclinat ita vehementer fertur, ut in extrema declinare, alterumque extremum negare videatur.*

S. AUGUSTINUS.

Quæ auctoritas litterarum aperiri, quis sacer liber evolvi, quod documentum cujuslibet Scripturæ ad convincendos errores exeri potest, si hæc vox admittitur, si alicujus ponderis æstimatur? *Lib.* XI *cont. Faustum, cap.* 2.

## S. RHEMIGIUS

Graviter perculsi et confusi animo vidimus in eis, et Scripturæ sanctæ certissimam veritatem, et beatissimorum Patrum, præcipueque sancti Augustini reverendam et in omni Ecclesia catholica receptissimam auctoritatem novo conatu et ausu nimis temerario impugnari, et quantum in ipsis fuit improvide atque insolenter labefactari. Unde ipsa charitate provocati et commoniti, per quam in uno Christi corpore omnes unum esse debemus, ut, sicut Apostolus dicit: *Invicem pro se sollicita sint membra, et sive gloriatur unum membrum, congaudeant omnia membra, et sive quid patitur unum membrum, compatiantur omnia membra* (*I Cor.* XII, 26); hac, inquam, charitatis affectione visum est nobis atque complacuit, ut hæc qualiacunque sunt et ad communitionem nostram, et ad eorum qui legere voluerint ædificationem et confirmationem compendioso, lucido (prout Dominus aspirare dignatur) sermone scriberemus; quidquid in eo dicendum putavimus non nostro sensu aut præsumptione, sed præfatorum sanctorum Patrum venerabili auctoritate firmantes, a quorum vestigiis et unitate absit ut vel nos, vel illi quorum charitate compulsi hæc dicimus, ullatenus recedamus, ne ab ipsis divisi etiam ab ipso Domino dividamur, qui illis specialiter dicit: *Qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit* (*Luc.* X, 16). Quos nimirum tantæ in Ecclesia sua esse voluit gratiæ et gloriæ, ut confidenter cum Apostolo dicere possint: *Itaque qui hæc spernit non hominem spernit, sed Deum, qui etiam dedit Spiritum suum sanctum in vobis* (*I Thess.* IV, 8), *etc.* Lib. de tenend. verit. Script., cap. 4.

## S. P. N. AUGUSTINUS.

Nos quidem, charissimi, cum falsa crimina audimus ab eis quos offendimus prædicando eloquia veritatis, et erroris vaniloquia convincendo, habemus, sicut nostis, abundantissimam consolationem. Nam si in eis quibus me criminantur testimonium conscientiæ meæ non stat contra me in conspectu Dei, quo nullus oculus mortalis intenditur, non solum contristari non debeo, verum etiam gaudere et exsultare, quia merces mea multa est in cœlis. Neque enim intuendum est quam sit amarum, sed quam falsum sit quod audio, et quam verax pro cujus nomine hæc audio (*Lib.* III *cont. litt. Petiliani*). Hæc utique falsa sunt, et ideo nobis nihil obsunt, cum ea falsa dicitis nec respicitis vos; vobis autem obsunt, quia cum ea falsa dicitis, in nos non cadunt, sed quia ea vera putatis, in vos recidunt (*Lib.* II *cont. eumdem, cap.* 33). Ad existimationem hominum magna testium qui me noverunt suppetit copia, ad Dei vero conspectum sola conscientia, quam contra vestras criminationes cum intrepidam geram, non me tamen sub oculis Omnipotentis justificare audeo, magis ab illo effluentem misericordiæ largitatem, quam judicii summum examen exspecto (*Lib.* III *cont. Crescon., cap.* 80). Dicis me, si sub potestate judicum premerer, quales tibi ipsi componis, non habiturum fuisse quid facerem, quo confugerem, cum tuis argumentationibus unde occurrerem, reperire non possem. Ego plane haberem quod facerem, haberem quo confugerem; a Pelagianis enim tenebris ad hæc tam clara catholica lumina provocarem, quod et nunc jam facio. Tu ergo responde quid facias, dic quo confugias (*Lib.* II *cont. Jul., cap. ult.*). Nec eos qui nunquam fuerunt, aut non sunt, aut quorum sententiæ de hoc quod inter nos disputatur incertæ sunt, inani cogitatione confinxi, sed sanctos et in sancta Ecclesia illustres antistites Dei, non Platonicis et Aristotelicis, et Zenonicis, aliisque hujuscemodi vel Græcis, vel Latinis, quanquam et istis aliquos eorum, verum omnes sacris litteris eruditos, nominatim sicut oportebat expressi, eorumque sententias, quantum sufficere videbatur, sine ulla editas ambiguitate digessi (*Ibid., cap.* 10). Si episcopalis synodus ex toto orbe congregaretur, mirum si tales possent illic facile sedere tot, quia nec isti uno tempore fuerunt. Sed fideles et multis excellentiores paucos dispensatores suos Deus per diversas ætates, temporum locorumque distantias, sicut ei placet, atque expedire judicat, ipse dispensat. Hos itaque de aliis atque aliis temporibus atque regionibus ab Oriente et Occidente congregatos vides, non in locum quo navigare cogantur

homines, sed in librum qui navigare possit ad homines (*Lib.* II *cont. Jul.*, *cap.* 10). Nullas nobiscum vel vobiscum amicitias attenderunt, vel inimicitias exercuerunt. Quod invenerunt in Ecclesia tenuerunt, quod didicerunt docuerunt, quod a Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt. NONDUM VOBISCUM APUD ISTOS JUDICES ALIQUID AGEBAMUS, ET APUD EOS ACTA EST CAUSA NOSTRA. NONDUM VOBISCUM CERTABAMUS, ET EIS PRONUNTIANTIBUS VICIMUS (*Ibid.*). Quos oportet ut populi Christiani vestris profanis novitatibus anteponant, eisque eligant potius adhærere quam vobis (*Ibid.*, *cap.* 9). An non tota vestra causa impulsa, prostrata, contrita, et sicut pulvis, quem projicit ventus a facie terræ, sic a cordibus eorum quos decipere cœperatis, si hæc voluerint, depositostudio contentionis, cogitare, projecta est (*Ibid. cap.* 3)? Nos autem paratiores sumus cum istis viris et cum Ecclesia Christi in hujus fidei antiquitate firmata quælibet maledicta et contumelias perpeti, quam Pelagiani cujuslibet eloquii prædicatione laudari (*Lib.* II *de Nupt. et concup.*, *cap.* 29).

### S. PROSPER AQUITANUS.

Sufficienter, ut arbitror, demonstratum est REPREHENSORES SANCTI AUGUSTINI, et vana objicere, et recta impugnare, et prava defendere; peremptorumque armis intestinum bellum moventes dictis divinis atque humanis constitutionibus rebellare. Quorum tamen, dum adhuc non sunt a fraterna societate divisi, toleranda magis est intentio quam desperanda correctio; donec Dominus per Ecclesiæ principes, et legitimos judiciorum suorum ministros hæc, quæ PER PAUCORUM SUPERBIAM ET QUORUMDAM IMPERITIAM sunt turbata, componat. Nobis, Deo adjuvante, sit studium quieta modestaque patientia odiis dilectionem reddere, et ineptorum vitare conflictus; veritatem non deserere, nec cum falsitate certare. *In peroratione contra Collatorem.*

### S. ALIPIUS TAGASTENSIS.

Quare jam, SOCII MEI, exspectationem vestram, qua me ad respondendum provocatis, certiore spe mecum ad discendum convertite. Habemus ducem (Augustinum), qui nos in ipsa veritatis arcana, Deo jam monstrante, perducat. *Apud August. in fine lib.* III *contra Academicos.*

---

# CENSORES SANCTI AUGUSTINI,

Juxta ordinem quo illorum censuræ recensentur in Vindiciis Augustinianis, cap. 9, impressis Patavii 1673, et Bruxellis 1675.

1 LUDOVICUS MOLINA, *in Concordia*, *quæst.* 23, *art.* 4 *et* 8, *disp.* 1, *memb. ultim.*, *pag.* 389 *editionis Antuer.*, *ann.* 1595 *et* 1609.
2 Idem *ibidem*, *pag.* 388, *col.* 1.
3 Idem *ibidem*, *memb.* 6, *pag.* 332, *col.* 2.
4 Idem *ibidem*, *pag.* 387, *col.* 2.
5 *Ibidem.*
6 FRANCISCUS ANNATUS, *disp.* 3 *de Scientia media*, *cap.* 5.
7 Idem *lib.* VIII *August. Vindicati*, *cap.* 4, *pag.* 874.
8 MOLINA, *cit. pag.* 386, *col.* ..
9 Idem *ibidem*, *memb.* 6, *pag.* 332, *col.* 2.
10 Idem *ibidem*, *pag.* 334, *col.* 2.
11 Idem *ibidem*, *memb. ult.*, *pag.* 387, *col.* 1.
12 Idem *ibidem*, *quæst.* 10, *art.* 6, *disp.* 1, *pag.* 227, *col.* 1.
13 GABRIEL VASQUEZ, *part.* I, *disp.* 83, *cap. num.* 12.
14 DIONYSIUS PETAVIUS, *tom.* I *Dogm. Theol.*, *lib.* I, *cap.* 3, *num.* 2.
15 MOLINA, *cit. q.* 14, *art.* 6, *disp.* 1, *pag.* 274, *col.* 1.
16 Idem *p. p. disp.* 1, *de Opere sex dier.*
17 VASQUEZ, *part.* I, *disp.* 47, *cap.* 3, *num.* 2.
18 Idem *ibidem.*
19 Idem, 1-2, *disp.* 125, *num.* 14.
20 Idem, 1-2, *disp.* 193, *num.* 39.
21 JOANNES MARIANA, *lib.* III, *de Mort. et immort.*, *cap.* 6.
22 Idem *ibidem.*
23 THEOPHILUS RAINAUDUS, *in censura inofficiosæ censuræ pro Valeriano Cemeliens.* I, § 22.
24 MARIANA, *cit.*
25 JACOBUS SIRMONDUS, *in præf. libri Sentent. S. Aug. de Præd. ad gratiam.*
26 Idem, *cap.* 8 *de Hæresi Prædestinatiana.*
27 PETAVIUS *cit. lib.* X, *cap. p.*
28 Idem *de sincera August. et Tridentini concil. interpretatione*, *cap.* 4.
29 Idem *in dissert. priori et Trident. concil. et August. auctorit.*, *cap.* 4.
30 Idem *ibidem.*
31 Idem *in dissertat. posteriori*, *cap.* 5.
32 Idem *ibidem in Epilogo*, *num.* 6.
33 Idem *in dissert. cit.*, *cap.* 3, § 8.
34 JOANNES ADAMUS, *part.* III *Calvini des ructi*, *edit. Parisiis an.* 1650 *Gallice*, *cap.* 3, *pag.* 578.
35 Idem *ibidem*, *pag.* 579.
36 Idem *ibidem*, *pag.* 581.
37 *Ibidem.*
38 *Ibidem.*
39 *Ibidem*, *pag.* 584.
40 *Ibidem*, *pag.* 586.
41 *Ibidem.*
42 *Ibidem*, *pag.* 583.
43 *Ibidem*, *cap.* 4, *pag.* 190.
44 *Ibidem.*
45 Idem, *cap.* 6, *pag.* 615.
46 *Ibidem*, *pag.* 611.
47 Idem, *cap.* 4, *pag.* 586, *in titulo capitis.*
48 Idem, *cap.* 6, *in titulo*, *pag.* 610.
49 Idem, *cap.* 4, *pag.* 597.
50 *Ibidem.*
51 Idem, *cap.* 6, *pag.* 611.
52 Idem, *cap.* 4, *pag.* 597.
53 Idem, *cap.* 6, *pag.* 611.
54 Idem *ibidem*, *pag.* 612.
55 Idem *ibidem*, *pag.* 614.
56 *Ibidem.*
57 Idem, *cap.* 7, *pag.* 626.
58 *Ibidem*, *pag.* 632.
59 Idem, *cap.* 8, *pag.* 639.

60 *Ibidem*, *pag.* 610.
61 *Ibidem*.
62 Idem, *cap.* 10, *pag.* 661.
63 *Ibidem*, *pag.* 667.
64 Idem, *cap.* 6, *pag.* 614.
65 Idem, *cap.* 10, *pag.* 665.
66 Idem, *cap.* 8, *pag.* 637.
67 Gregorius de Valentia, *p. p. q.* 23, *disput.* 2, *de reprobatione, puncto* 4.
68 Annatus, *lib.* viii *August. vindicati*, *cap.* 1, *initio*.
69 Idem, *cap.* 1, *pag.* 856.
70 Idem, *cap.* 2, *pag.* 862.
71 *Ibidem*.
72 Idem, *cap.* 3, *pag.* 863.
73 Idem *ibidem*, *pag.* 864.
74 Idem, *cap.* 4, *pag.* 877.
75 Idem, *cap.* 2, *in fine*.
76 Idem, *cap.* 5, *pag.* 897.
77 Idem *ibidem*.
78 Idem, *cap.* 5, *pag.* 896.
79 Antoninus Moraines, *alias* Joannes Martinonus, *in præfat. Anti-Jansenii*.
80 Annatus, *lib.* i *August. vindicati*, *cap.* 8, *pag.* 48.
81 Moraines, *in præfat. cit.*
82 *Ibidem*.
83 *Ibidem*.
84 *Ibidem*.
85 *Ibidem*.
86 *Ibidem*.
87 Idem, *disp.* 40 *Anti-Jansenii*, *sect.* 6, *n.* 67.
88 Idem *ibidem*, *disp.* 12, *num.* 49.
89 Idem *in præf. cit.*
90 Annatus, *lib.* iii *cit. cap.* 4, *pag.* 282.
91 Philippus Labbe, *in Antithes. Augustini et Calvini*.
92 Maldonatus, *in cap.* vi *Joannis*, v, 44.
93 Idem *ibidem*.
94 Joannes Roberti, *in opusc. de Nathanaele*, *pag.* 13.
95 *Ibidem*, *pag.* 11.
96 Adamus, *cit. cap.* 8, *pag.* 642.
97 Stephanus des Champs, *lib.* iii *de Hæresi Janseniana*, *cap.* 3, *disp.* 1.
98 Moraines, *cit. disp.* 17, *num.* 22.
99 Annatus, *lib.* viii *cit. cap.* 2, *pag.* 862.
100 Moraines, *cit. disp.* 40, *num.* 65.
101 Cornelius a Lapide, *in proœmio ad Epistolas Pauli*, *canone* 1.
102 Annatus, *disp.* 3 *de Scientia media*, *cap.* 5, *num.* 112.
103 Moraines, *disp.* 12, *num.* 32.
104 *Ibidem*.
105 *Ibidem*.
106 *Ibidem*.
107 *Ibidem*.
108 Idem *ibidem*, *num.* 33.
109 *Ibidem*.
110 *Ibidem*.
111 *Ibidem*.
112 *Ibidem*.
113 *Ibidem*.
114 Annatus, *lib.* viii *August. vindicati*, *cap.* 6, *pag.* 903.
115 Idem, *cap.* 4, *pag.* 885.
116 Vasquez, 1-2, *disp.* 132, *cap.* 3.
117 Annatus, *cit. cap.* 6, *pag.* 902.
118 Moraines, *disp.* 12, *num.* 32.
119 Pererius, *tom.* I *in Genes.*
120 Arriaga, *part.* i, *tom.* II, *disp.* 28, *num.* 40.
121 Cornelius a Lapide, *in cap.* i *Genes.*
122 Vasquez, 1-2, *disp.* 129, *cap.* 2, *num.* 6.
123 Annatus, *cit. cap.* 6, *pag.* 901.
124 Recentiores critici, *in articulis censuratis*, *vel in Vindiciis*.
125 Idem.
126 Idem.
127 Idem.
128 Idem.
129 Idem.
130 Idem.
131 Moraines, *in præfat. Anti-Jansenii*.
132 Idem, *disp.* 1 *Anti-Jansenii*, *num.* 1.
133 Nicolaus Caussinus, *part.* iii *Aulæ sanctæ*, *axiomat.* 6, *de Prædest.*, *n.* 2.
134 Adamus, *part.* iii *Calvini destructi*.
135 Cornelius a Lapide, *can.* i *in Epist. D. Pauli*.

FINIS VINDICIARUM AUGUSTINIANARUM.

# TRACTATUS TRES*
# QUOS IN DEFENSIONEM SANCTI AUGUSTINI
## GALLICE ADORNAVIT R. P. MERLIN**.

## EPISTOLA DEDICATORIA.

Monsieur,

Vous me demandez où en est ma réfutation du Dictionnaire historique et critique de M. Bayle, et vous êtes curieux d'en voir un échantillon. Je souhaite que vous ayez pour agréable celui-ci. Il contient une matière

* Titulus Gallico idiomate scriptus, auctorisque nomine carens, sic se habet: *Réfutation des critiques de M. Bayle sur saint Augustin, où sont contenus trois traités : Le premier*, Véritable Clef des ouvrages de saint Augustin contre les Pélagiens; *le second*, Examen des critiques répandues dans le Dictionnaire de M. Bayle sur divers endroits des écrits du même saint docteur; *le troisième*, Dissertation touchant la nature de la loi de Moïse. Paris, 1732. — Nos hæc tria opuscula sub uno generali titulo comprehendimus.

** Merlin (Carolus), e societate Jesu in diœcesi Ambianensi, Lutetiæ defunctus in collegio Ludovici Magni anno 1747, humaniores litteras theologiamque laude admodum professus est. Summam illi laudem conciliavere : 1° Opusculum inscriptum, *Traité historique et dogmatique sur les paroles ou les formes des sept sacrements de l'Eglise*; 2° plures dissertationes quibus, pro majori parte, ditatum est *Tiburtiense Diarium*. Edit.

intéressante : j'ai fait tous mes efforts pour le remplir de recherches et de découvertes propres à attirer l'attention du monde savant d'aujourd'hui, qui veut du neuf dans les ouvrages nouveaux qu'on lui présente. Les preuves de ce que j'y avance de plus singulier sont portées, si je ne me trompe, jusqu'à l'évidence et la démonstration. Mais j'y perds trop longtemps de vue M. Bayle, et vous jugerez peut-être que ce morceau doit être publié en particulier, et n'entrer que fort abrégé dans la réfutation universelle du Dictionnaire ; d'autant plus que je suis résolu de changer le plan sur lequel j'ai travaillé jusqu'à cette heure, en conséquence des avis que vous avez la bonté de me donner.

Vous m'approuvez d'avoir séparé le sacré du profane, et vous croyez qu'il est convenable de mettre d'abord entre les mains du public l'examen des critiques répandues dans le Dictionnaire de M. Bayle sur les matières qui concernent la religion ; mais mon dessein de faire paraître l'un après l'autre les différents membres de cette première partie n'est point de votre goût ; et les *in-quarto* ne vous semblent point de mise pour attaquer des *in-folio*. J'acquiesce à votre sentiment. En effet, tel qui a fait l'emplète du Dictionnaire de M. Bayle en estimera peut-être la réfutation plus solide, quand elle figurera avec les quatre volumes ; il en ferait moins de cas s'il ne pouvait la placer à leur suite avec symétrie dans sa bibliothèque. On aime aujourd'hui l'ordre et l'arrangement. C'est pourquoi aussi je ne me suis pas contenté d'une ressemblance et d'une proportion extérieure, et j'ai cru qu'il fallait donner à ma réfutation la forme de Dictionnaire, où, suivant l'ordre alphabétique des personnages, je compose un texte avec des remarques à la manière de M. Bayle. Il m'en coûtera peu de diviser ce que j'avais réuni. D'ailleurs, les dictionnaires sont à la mode ; la grammaire a maintenant l'honneur de soumettre à sa méthode l'histoire, la jurisprudence, la médecine, la philosophie, la théologie, et, en un mot, de réduire à l'*a*, *b*, *c*, les plus nobles sciences. Il faut donc prendre patience durant quelques années, et attendre que le tout soit prêt pour l'imprimer ; je dis le tout, car la réfutation de ce qui n'intéresse point la foi paraîtra en même temps d'une autre main. Un homme fort habile, qui a formé et commencé avant moi la même entreprise, a eu la complaisance de me céder le sacré, et de s'attacher uniquement au profane.

Mais, afin que vous ne soyez point surpris de la manière dont je traite ici ce qui concerne saint Augustin, je dois vous expliquer quel était mon premier dessein. Je faisais état de donner d'abord un in-quarto avec ce titre : *Examen des critiques répandues dans le Dictionnaire de M. Bayle sur les saints de l'Ancien et du Nouveau Testament.* Le tome suivant aurait été intitulé ainsi : *Examen des critiques répandues dans le Dictionnaire de M. Bayle sur les saints Pères et sur les conciles.* Dans ce second tome, qui est déjà presque achevé, les matières sont traitées en forme de dialogues, de lettres, ou de discours, que j'adresse toujours à quelqu'un, pour rendre le style plus vif et plus animé. Ce que je vous envoie est un morceau de ce second tome.

---

# *TRACTATUS PRIMUS.*

# VÉRITABLE CLEF

## DES OUVRAGES DE SAINT AUGUSTIN

## CONTRE LES PÉLAGIENS.

Après avoir répondu à tous les reproches que M. Bayle fait à Tertullien, à Origène, à Arnobe, à Lactance, à saint Basile, à saint Jérôme, je suppose une personne qui avait eu recours à moi pour défendre saint Chrysostome, dont on avait parlé avec mépris dans une compagnie, sur la foi des critiques de M. Bayle. Cet homme, content de voir dans les éclaircissements qu'il reçoit de moi la parfaite justification du saint docteur, reprend ainsi la parole, et me dit :

Il faut vous l'avouer, ceux qui m'ont poussé sur l'article de saint Chrysostome n'aiment guère ce Père, quelque mine qu'ils en fassent ; mais ils seraient charmés qu'on justifiât saint Augustin avec autant de solidité sur tous les points où il est maltraité par M. Bayle. Non pas, lui répondis-je, sur tous les points ; car vous me faites entendre qu'ils sont tout à fait prévenus en faveur du jansénisme. Ils ont lu, je m'assure, plus d'une fois avec une extrême complaisance ces paroles de M. Bayle à l'article de saint Augustin (*Remarque* E) : « Il est certain que l'engagement où est l'Eglise romaine de respecter le système de saint Augustin la jette dans un embarras qui tient beaucoup A du ridicule ; » et dans les notes : « Il est si manifeste à tout homme qui examine les choses sans préjugé et avec les lumières nécessaires, que la doctrine de saint Augustin et celle de Jansénius, évêque d'Ypres, sont une seule et même doctrine, qu'on ne peut voir sans indignation que la cour de Rome se soit vantée d'avoir condamné Jansénius, et d'avoir conservé à saint Augustin toute son autorité et toute sa gloire. » Et à l'article de Jansénius (*Remarque* H) : « Il n'y a point de sophismes dont les molinistes ne se soient servis pour faire voir que saint Augustin n'a point enseigné le jansénisme. »

Vos jansénistes seraient-ils d'humeur à entendre patiemment de ces sortes de sophismes ? Ce n'est qu'à ce prix que j'entreprendrai de les satisfaire sur le reste. J'ai pour le moins autant de zèle qu'eux pour tout ce qui intéresse la gloire de saint Augustin ; mais, à mon avis, la plus grande injure qu'on puisse faire au saint docteur est de prétendre que l'Eglise, engagée à respecter son nom, a frappé d'anathème sa doctrine sous le nom de Jansénius. Dans cette supposition, il est absolument impossible de répon-

dre à l'argument que M. Bayle emploie pour prouver que le concile de Trente, *en condamnant la doctrine de Calvin sur le libre arbitre, a nécessairement condamné celle de saint Augustin* (*Remarque* E). C'est le même dont les catholiques se servent pour démontrer que le concile de Trente, en condamnant la doctrine de Calvin, a nécessairement condamné celle de Jansénius. Le voici : « Il n'y a point de calviniste qui ait nié, ou qui ait pu nier le concours de la volonté humaine, et la liberté de notre âme au sens que saint Augustin a donné au mot de concours, de coopération et de liberté. Il n'y a point de calviniste qui ne reconnaisse le libre arbitre et son usage dans la conversion, si l'on entend ce mot selon les idées de saint Augustin. Ceux que le concile de Trente a condamnés ne rejettent le libre arbitre qu'en tant qu'il signifie la liberté d'indifférence. » Qu'on substitue le nom de Jansénius à celui de saint Augustin, l'argument de M. Bayle sera vrai et invincible.

En effet, comme M. de Fénelon l'a fort bien démontré, la grâce de Calvin n'est pas autrement efficace par elle-même et nécessitante que celle de Jansénius. Calvin (*Lib.* II *Inst.*, *cap.* 3, *n.* 10) ne prétend pas que la nécessité d'agir qui résulte et qui suit de la motion de la grâce, soit une nécessité absolue et totale, mais seulement relative et partielle; de là vient qu'il approuve et qu'il juge pouvoir accommoder à son sens les distinctions et les termes dont on se sert communément dans l'école. *Unde videmus non temere in scholis inventas fuisse distinctiones de necessitate secundum quid et absoluta : item consequentis et consequentiæ* (*Lib.* II *Inst.*, *cap.* 16, *n.* 9). Il a soin d'avertir que la nécessité qu'il admet n'est pas une nécessité de contrainte et de violence, mais une nécessité simple et qui s'accorde avec l'inclination et le penchant de la volonté. *Si coactioni opponitur libertas, liberum arbitrium esse et fateor et constanter assevero, ac pro hæretico habeo quisquis secus sentiat* (*Lib.* II *de Lib. Arb. contra Pighium*). Il faut convenir que Luther appelle quelquefois immuable la nécessité d'agir qu'il reconnaît, mais il veut dire seulement que l'homme n'a point le pouvoir de la surmonter et de la changer. *Vocamus modo*, dit-il, *necessitatem immutabilitatis, quod voluntas sese mutare et vertere alio non possit* (*Luther. in libro de Servo Arbitrio*). Pour ce qui est de Calvin, il enseigne en une infinité d'endroits que la nécessité dont il parle est variable. *Dixi quasdam interdum interruptiones fidei contingere* (*Lib.* III *Inst.*, *cap.* 2, *n.* 24). Selon lui, la nécessité qu'impose l'action de la grâce est causée par une délectation victorieuse et supérieure à celle de la concupiscence, *per eamdem gratiam impresso delectationis affectu* (*Lib.* II *Inst.*, *cap.* 3, *n.* 14). Il n'ôte à la volonté que le choix ou l'action de choisir, qui supposerait le pouvoir de résister à la grâce, mais il assure que la grâce forme dans notre cœur ce mouvement que nous appelons choix ou action de choisir. *Ipsa est gratia quæ in corde et electionem et voluntatem format* (*Lib.* II *Inst.*, *cap.* 3, *n.* 13). Quand Luther et Calvin ont dit que le libre arbitre était comme une chose inanimée, qui n'avait point d'action et était purement passive, ils n'ont entendu parler que du moral de l'action, dont le mérite tout entier devait être attribué à la grâce, qui imposait la nécessité d'agir, et non pas au libre arbitre, qui agissait suivant l'impression de cette nécessité. Car d'ailleurs ces hérésiarques, et surtout Calvin, ont prétendu que le libre arbitre agissait véritablement. *Non hic quæritur agatne voluntas, quod extra dubium est, sed agatne ex se ipsa an pro modo divinæ actionis* (*Lib.* VI *de Lib. Arb.*, *contra Pigh.*). Enfin Calvin nomme volontaire la nécessité qu'il établit, *necessitas quodammodo voluntaria...., voluntariæ cujusdam servitutis* (*Lib.* II *Inst.*, *cap.* 3, *n.* 5). Voilà l'abrégé de la doctrine de Calvin, laquelle a été condamnée par le concile de Trente; or c'est aussi un très-fidèle extrait de la doctrine de Jansénius; donc la doctrine de Jansénius été condamnée par le concile de Trente.

Le croiriez-vous? j'ai vu des jansénistes si outrés, qu'ils ne savaient point trop mauvais gré à M. Bayle de ne point distinguer la doctrine de leur maître d'avec celle de Calvin, parce qu'il leur faisait la grâce de confondre l'une et l'autre avec les sentiments de saint Augustin. Ce critique flatte un grand parti, et imite son langage, quand il dit hardiment, sans la moindre preuve : *Il est certain, il est manifeste.*

Potest vero, fratres carissimi, et ipse Christus esse regnum Dei, quoniam venire quotidie cupimus, cujus adventus ut cito nobis repræsentetur optamus. Nam cum resurrectio ipse sit, quia in ipso resurgimus, sic et regnum Dei potest ipse intelligi, quia in ipso regnaturi sumus. Bene regnum Dei petimus, id est regnum cœleste, quia est et terrestre regnum; sed qui renuntiat sæculo major est honoribus ejus et regno, et ideo qui se Deo et Christo dicat, non terrena, sed cœlestia regna desiderat. Continua autem oratione et prece opus est, ne excidamus a regno cœlesti, sicut Judæi, quibus prius promissum fuerat, exciderunt Domino manifestante et probante: *Multi,* inquit, *venient ab Oriente et Occidente et accumbent cum Abraham, Isaac et Jacob in regno cœlorum; filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores, illic erit ploratio et stridor dentium.* Ostendit quia antea filii regni erant Judæi, quando et filii Dei perseverabant: postquam cessavit contra eos nomen paternum, cessavit et regnum, et ideo nos Christiani qui in oratione appellamus Deum Patrem et cœpimus eum nosse, ut regnum Dei nobis veniat oramus. Addimus quoque et dicimus: *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra;* non ut solum Deus faciat quod vult, sed ut

* Forte melius legeretur et distingueretur hoc modo: *Hoc.... postulamus, ut vivif...servetur. In oratione sequitur* Paulo post expungendum videtur *et nobis* ante *et nomen.* EDIT.

nos facere possimus quod vult : nam Deo quis obsistit, quominus quando velit faciat? Sed quia a diabolo obsistitur quominus per omnia noster animus atque actus Deo obsequatur, oramus et petimus ut fiat in nobis voluntas Dei. Quod ut fiat in nobis opus est Dei voluntate, id est opere ejus et protectione, quia nemo suis viribus fortis est, sed Dei indulgentia et misericordia tutus est. Denique Dominus et infirmitatem hominis quam portabat ostendens ait: *Pater, si fieri potest transeat calix iste a me;* etiam exemplum discipulis suis tribuens ut non voluntatem suam, sed illam Dei faciant, addit dicens : *Verumtamen non sicut ego volo, sed quod tu ;* et alio loco dicit : *Non descendi de cœlo ut faciam voluntatem meam, sed ejus qui misit me.* Quod si Filius obaudivit ut faceret voluntatem Patris, quanto magis servus obaudire debet, ut faciat Domini voluntatem? Sicut in epistola Joannes quoque ad faciendam Dei voluntatem hortatur et instruit dicens : *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt; si quis dilexerit mundum, non est charitas Patris in eo, quia omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est et oculorum, et ambitio sæculi, et mundus transit et concupiscentia ejus.* Qui autem fecerit voluntatem Dei manet in æternum quomodo et Deus manet in æternum; quare si in æternum manere volumus, Dei, qui æternus est, voluntatem facere debemus. Voluntas autem Dei, quam et Christus docuit et fecit, est humilitas in conversatione, stabilitas in fide, verecundia in verbis, in factis justitia, in operibus misericordia, in moribus disciplina : injuriam facere non nosse et factam posse tolerare, cum fratribus pacem tenere, Deum ex toto corde diligere, amare in illo quod pater est, timere quod Deus est, Christo nihil præponere omnino quia nec nobis ille quidquam præposuit, charitati ejus inseparabiliter adhærere, cruci ejus fortiter ac fidenter assistere, quando de ejus nomine et honore certatur exhibere in sermone constantiam qua confirmamur, in quæstione fiduciam qua congredimur, in morte patientiam qua coronamur, hoc est cohæredem Christi velle esse, hoc est præceptum Dei sequi, hoc est voluntatem Patris facere, hoc est voluntatem Patris implere. Fieri autem petimus voluntatem Dei in cœlo et in terra, quod utrumque ad consummationem nostræ incolumitatis et salutis pertinet. Nam cum corpus in terra, et spiritum possideamus in cœlo, ipsi cœlum et terra sumus et in utroque, id est corpore et spiritu ut voluntas Dei fiat oramus. Est enim inter carnem et spiritum colluctatio, et discordantibus adversum se invicem iis quotidiana congressio est, ut non quæ volumus, illa faciamus, dum spiritus cœlestia quærit et divina, caro terrena et sæcularia concupiscit : et ideo petimus inter duo istam opera et auxilio Dei concordiam fieri ut et spiritu et carne voluntas Dei geratur, quæque per eum renata est anima conservetur id quod aperte atque manifeste apostolus Paulus sua voce declarat : *Caro,* inquiens, *concupiscit adversus spiritum, spiritus adversus carnem, hæc enim invicem adversantur sibi, ut non quæcumque vultis, illa faciatis.* Manifesta autem sunt facta carnis quæ sunt adulteria, fornicationes, immunditiæ, spurcitia, idololatriæ, veneficia, homicidia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, animositates, provocationes, simulationes, dissensiones, hæreses, invidiæ, ebrietates, comessationes, et his similia, quæ qui talia agunt regnum Dei non consequentur. Fructus autem spiritus gaudium, charitas, pax, magnanimitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia, castitas; et idcirco quotidianis atque continuis orationibus precamur et in cœlo et in terra voluntatem Dei fieri circa nos, quia hæc voluntas Dei est ut terrena cœlestibus cedant, spiritualia carnalibus prævaleant. Potest etiam sic intelligi, fratres carissimi, ut quoniam mandat et monet Dominus et inimicos diligere et pro his quoque qui nos persequuntur orare, petamus et pro illis qui adhuc terreni sunt et necdum cœlestes cœperunt esse, et ut circa illos voluntas Dei fiat, quoniam Christus hominem conservando, et reintegrando perfecit. Nam cum discipuli ab eo non jam terreni appellentur, sed sal terræ, et Apostolus primum hominem vocet de limo terræ, secundum vero de cœlo; merito et nos qui esse debemus Patri Deo similes, qui solem suum facit oriri super bonos et malos et pluit super justos et injustos, sic Christo monente oremus ut precem pro omnium salute faciamus. Ut quomodo in cœlo, in nobis per fidem nostram voluntas Dei facta est, ut essemus cœlo, ita et in terra, hoc est in non credentibus fiat voluntas Dei, ut scilicet fiant cœlestes ex aqua et Spiritu nati, procedente oratione postulamus et dicimus :

*Panem nostrum quotidianum da nobis hodie;* quod potest spiritualiter et simpliciter intelligi : petimus enim id quod utiliter proficit ad salutem. Nam panis vitæ Christus est; et panis hic omnium non est, sed noster est; et quomodo dicimus, Pater noster, quoniam intelligentium et credentium pater est, sic et panem nostrum vocamus, quia Christus noster, cum corpus ejus attingimus, panis est. Hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus et Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviori delicto, dum abscissi et non communicantes a cœlesti pane prohibemur, a Christi corpore separemur, ipso prædicante et monente : *Ego sum panis vitæ qui de cœlo descendi; si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum : panis autem quem ego dedero caro mea est pro sæculi vita.* Quando ergo dicit in æternum vivere si quis ederit de ejus pane, utique manifestum est eos vivere qui corpus ejus attingunt, et Eucharistiam in re communicationis accipiunt. Itaque contra timendum est et orandum ne dum quis abscissus separatur a Christi corpore, abscissus remaneat a salute, comminante ipso et dicente : *Nisi ederitis carnem filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Et ideo panem nostrum, id est Christum dari nobis quotidie petimus, ut qui in Christo manemus et vivimus a sanctificatione et cor-

pore ejus non recedamus. Potest vero et sic intelligi, ut qui sæculo renuntiamus et divitias ejus et pompas fide gratiæ spiritualis abjecimus, cibum nobis tantum petamus et victum, cum instruat Dominus et dicat : *Qui non renuntiaverit omnibus quæ sunt ejus, non potest esse meus discipulus.* Qui ante Christi discipulus cœpit esse, secundum voluntatem magistri sui renuntians omnibus, diurnum debet cibum petere, nec in longum desideria petitionis extendere, ipso iterum Domino præscribente et monente : *Nolite in crastinum cogitare, crastinus enim dies ipse cogitabit sibi, sufficit enim diei malitia sua.* Merito ergo Christi discipulus victum sibi in diem postulat qui de crastino prohibetur cogitare, et quia contrarium sibi sit et repugnans est ut quæramus in sæculo diu vivere qui petimus regnum Dei velociter advenire. Sic et apostolus beatus monet formans et corroborans spei nostræ ac fidei firmitatem. Nihil, inquit, intulimus in hunc mundum. Certum est quod neque auferre possimus : habentes itaque exhibitionem et tegumentum, his contenti simus. Qui autem volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in muscipulam et desideria multa et nocentia quæ mergunt hominem in perditionem et in interitum, radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes naufragaverunt a fide et inserunt se doloribus multis : docet non tantum contemnendas, sed et periculosas esse divitias illis, esse radicem malorum blandientium, cæcitatem mentis humanæ occultata deceptione fallentium. Unde divitem stultum sæculares divitias cogitantem, et se exultantium fructuum largitate jactantem redarguit dicens : *Stulte, hac nocte expostulatur anima tua a te : quæ ergo parasti, cujus erunt?* Lætabatur stultus in fructibus nocte illa moriturus, et cujus vita jam deerat de victus abundantia cogitabat. Contra autem Dominus perfectum et consummatum docet cum fieri qui, omnibus suis venditis atque in usus pauperum distributis, thesaurum sibi condat in cœlo, qui patientem eum dicit posse se sequi, qui gloriam dominicæ resurrectionis potest imitari, qui expeditus et succinctus nullis laqueis rei familiaris involvitur, et solutus ac liber facultates ad Dominum ante præmissas ipse quoque comitatur. Ad quod ut possit unusquisque nostrum parare se, sic discit orare, et de orationis lege qualis ea debeat agnoscere; neque enim deesse quotidianus cibus potest justo, cum scriptum sit : *Non occidet Dominus fame animam istam;* et iterum : *Junior fui, et senui, et non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.* Iterum Dominus repromittit et dicit : *Nolite cogitare dicentes, Quid edemus, aut quid bibemus, aut quo vestiemur? hæc autem nationes quærunt : scit enim Pater vester quia omnium horum indigetis : quærite primum regnum Dei et justitiam ejus et hæc omnia adjicientur vobis.* Quærentibus regnum Dei et justitiam ejus omnia promittit apponi et jam cum sint Dei omnia, habenti Deum nihil deerit, si Deo ipse non desit. Sic Danieli in leonum lacu jussu regis incluso prandium divinitus procuratur et inter feras esurientes homo Dei pascitur. Sic aliter Elias in fuga et sollicitudine [*F.* solitudine] corvis ministrantibus et volucribus cibum apportantibus in persecutione nutritur. Oh humanæ malitiæ detestanda crudelitas! feræ pascunt et aves pascunt et homines insidiantur et sæviunt. Post hoc et pro peccatis nostris deprecamur dicentes : *Et remitte nobis peccata nostra, sicut et nos remittimus debitoribus nostris.* Primo subsidium cibi petitur et venia delicti, ut qui Deo pascitur, Deo vivat, nec tantum præsenti et temporali vitæ, sed æternæ consulitur, ad quam veniri potest si peccata donentur, quæ debita Dominus appellat, sicut in Evangelio suo dicit : *Dimisi tibi omne debitum quia rogasti me.* Quam necessario autem, quam prudenter et salubriter admonemur quod peccatores sumus, qui pro peccatis rogare compellimur, ut, dum indulgentiam a Deo petimus, conscientiæ animus recordetur, ne quis vel sibi innocens placeat et se extollendo plus pereat. Instruitur et docetur se peccare quotidie dum pro peccatis jubetur orare; sicut denique et Joannes in epistola sua sequitur dicens : *Si dixerimus quod peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est; si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis et justus est Dominus qui nobis peccata dimittat.* In epistola scilicet utrosque complexus est, ut rogare pro peccatis nostris debeamus, et impetremus indulgentiam cum rogamus; ideo et fidelem dixerit Dominum ad dimittenda peccata, fidem pollicitationis suæ servantem quia qui orare nos pro debitis et peccatis docuit, paternam misericordiam promisit et veniam secuturam adjunxit; plane et addidit legem circa nos conditione et sponsione constringens, ut sic nobis debita dimitti postulemus, scientes impetrari non posse quod pro peccatis petimus, nisi et ipsi circa peccatores nostros paria fecerimus. Idcirco et alio in loco dicit : *In qua mensura mensi fueritis, in ea remetietur vobis :* et quia conservus post dimissum sibi omne debitum, conservo suo noluit dimittere, in carcerem religatur, quia indulgere conservo noluit quod sibi a Domino indultum fuerat amisit, quæ adhuc Christus fortius præceptis suis majore censuræ suæ vigore prædixit : *Cum steteritis,* inquit, *ad orationem, remittite, si quid habetis adversus aliquem, ut Pater vester qui in cœlis est remittat vobis peccata vestra. Si autem non remiseritis, neque pater vester qui in cœlis est remittet vobis peccata vestra.* Excusatio tibi nulla in die judicii superest, cum secundum tuam sententiam judiceris, et quod feceris, hoc et ipse patiaris. Pacificos enim et concordes atque unanimes esse in domo præcepit Deus, et quales nos fecit secunda nativitate, tales natos vult perseverare, ut qui filii Dei esse cœpimus in Dei pace maneamus : et quibus Spiritus sanctus unus est, unus sit et animus et sensus; non etenim sacrificium Deus recipit dissidentis, sed ab altari recedere et prius fratri reconciliari jubetur pacificis precibus ut Deus possit sibi esse placatus. Sacrificium Deo majus est pax nostra et fraterna concordia, et de unitate Patris et Filii et Spiritus sancti plebs adjuvata, quam victimæ. Neque

enim in sacrificiis quæ Cain et Abel primi obtulerunt, munera eorum Deus, sed corda intuebatur, ut ille placeret in munere qui placebat in corde. Abel pacificus et justus uni Deo sacrificans innocenter docuit et cæteros, quando ad altare munus offerunt, sic venire cum Dei timore, cum simplici corde, cum lege justitiæ, cum concordiæ pace. Merito ille dum in sacrificio Dei talis est, ipse postmodum sacrificium Deo factus est, ut martyrum primus ostendens initiaret sanguine suo gloriosam dominicam passionem qui et justitiam Domini habuerat et pacem. Tales denique a Deo coronantur, tales cum Domino in die judicii judicabunt; cæterum discordans et dissidens, et pacem cum fratribus non habens, secundum quod beatus apostolus et Scriptura sacra testantur, nec si pro Christiano nomine occisus fuerit, crimen dissensionis fraternæ poterit evadere, quia sicut scriptum est : *Qui fratrem suum odit, homicida est*, nec ad regnum cœlorum pervenit, aut cum Deo vivit homicida; non enim potest esse cum Christo, qui imitator Cain et Judæ maluit esse quam Christi. Quale delictum est, quod nec baptismo sanguinis potest ablui! quale crimen est quod martyrio non potest expiari! Illud quoque necessario monet Dominus ut in oratione dicamus : *Et ne patiaris nos induci in tentationem;* in parte ostenditur vel adversarius contra nos non posse, nisi Deus ante permiserit, ut omnis timor noster necessario atque omnis observatio ad Deum convertatur in deprecationibus nostris quando nihil malo liceat, nisi potestas tribuatur. Probat hoc divina Scriptura quæ dicit : *Venit Nabuchodonosor rex Babyloniæ in Hierusalem et expugnabat eam et tradidit eam Dominus in manibus suis.* Datur autem potestas adversus nos malo secundum peccata nostra sicut scriptum est : *Quis dedit in direptionem Jacob et Israel his qui prædaverunt illum? nonne Deus quia peccaverunt et nolebant in viis ejus ambulare, audire legem ejus, et superinduxit super eos iram animadversionis suæ?* Et iterum Salomone peccante et a præceptis atque a viis Domini recedente positum est; *et excitavit Dominus Satan ipsi Salomoni.* Potestas vero adversus nos dupliciter datur, vel ad pœnam cum delinquimus, vel ad gloriam cum probamur; sicuti de Job factum videmus, manifestante Domino ac dicente : *Ecce omnia quæcumque habet in manus tuas do, sed ipsum vide ne tangas.* Et Dominus in Evangelio loquitur tempore passionis : *Nullam haberes potestatem adversus me, nisi datum esset tibi desuper.* Quando autem rogamus ne in tentationem incidamus, admonemur infirmitatis et imbecillitatis nostræ, dum sic rogamus ne quis insolenter extollat se, ne quis superbe atque arroganter aliquid assumat, ne quis aut confessionis aut passionis gloriam suam dicat, cum Dominus ipse humilitatem docens dixerit : *Vigilate et orate, ne veniatis in tentationem; spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Ut dum præcedit humilis et submissa confessio et datur totum Deo quidquid suppliciter cum timore et honore Dei petitur, ipsius pietate præstetur. Post ista omnia consummatione orationis venit laus illa universas petitiones nostras et preces collecta brevitate concludens, in novissimo etenim posuimus : *Sed libera nos a malo*, comprehendentes adversa cuncta, quæ contra nos in hoc mundo molitur inimicus, a quibus potest esse fida et firma tutela si nos Deus liberet, si deprecantibus atque implorantibus opem ejus ipse præstet. Quando autem dicimus : Libera nos a malo, nihil remanet quod ultra adhuc debeat postulari, quando solum protectionem Dei adversus malum precamur, qua impetrata contra omnia quæ diabolus et mundus operantur securi stamus et tuti. Quis enim ei de sæculo metus est cui in sæculo Deus tutor est? Quid mirum, fratres carissimi, si oratio talis est quam Deus docuit, qui magisterio suo omnem petitionem nostram salutari sermone breviavit? Hoc per Isaiam prophetam fuerat ante prædictum cum plenus Spiritu sancto de Dei majestate atque pietate loqueretur : *Verbum consummans*, inquit, *et brevians in justitiam, breviatum sermonem faciet Deus in toto orbe terrarum.* Nam cum Dei Sermo Dominus Jesus Christus venerit omnibus, et colligens doctos pariter et indoctos omni sexui atque ætati præcepta salutis ediderit, præceptorum suorum fecit grande compendium, ut in disciplina cœlesti discentium memoria non laboraret, sed quod esset simplici fidei necessarium velociter disceret sicque condoceret quid sit vita æterna, sacramentum enim vitæ magna et divina brevitate complexus est; et quod vitam æternam vellet innuere ostendit dicens : *Ut cognoscant te solum verum Deum et quem promisisti Christum.* Item cum de lege et prophetis præcepta prima et majora decerperet : *Audi*, inquit, *Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est : diliges Dominum Deum tuum de toto corde tuo, et de tota anima tua, et de tota virtute tua : hoc primum, et secundum simile est huic : Diliges proximum tuum sicut te : in his duobus præceptis tota lex pendet et prophetæ.* Et iterum, *Quæcumque volueritis ut faciant vobis homines bona, ita et vos facite illis : hæc enim lex et prophetæ.* Nec verbis tantum sed factis Dominus orare nos docuit, ipse orans frequenter et deprecans et quid nos facere oporteret exempli sui contestatione demonstrans, sicut scriptum est : *Ipse autem fuit recedens in solitudines et adorans;* et iterum : *Exivit in montem orare*, et fuit *pernoctans in oratione Dei.* Quod si ille orabat qui sine peccato erat, quanto magis peccatores oportet orare? Et si ille per totam noctem jugiter vigilans continuis precibus orabat, quanto magis frequentanda oratione debemus nocte vigilare? Orabat autem Dominus et rogabat non pro se; quid enim pro se innocens precaretur? Sed pro delictis nostris, sicut et ipse declarat cum dicit ad Petrum : *Ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum; ego autem rogavi pro te ne deficiat fides tua.* Et pro omnibus postmodum deprecatur dicens : *Non pro his autem rogo solum, sed pro illis qui credituri sunt per verbum illorum in me; ut omnes unum sint sicut tu Pater in me et ego in te; ut et ipsi in nobis sint.* Magna certe ante Deum propter

salutem nostram Christi benignitas pariter et pietas, ut non contentus quod nos sanguine suo redimeret, adhuc pro nobis amplius et rogaret. Rogantis autem desiderium vide quod fuerit, ut quomodo unum sunt Pater et Filius, in una unitate sic et nos maneamus; ut hinc quoque possit intelligi quantum delinquat qui unitatem scindit et pacem, cum pro hoc rogaverit Dominus, nolens scilicet plebem suam de schismaticis vivere, cum sciret ad regnum Dei discordiam non venire. Quando autem stamus ad orationem, fratres dilectissimi, vigilare et incumbere ad preces debemus; cogitatio omnis carnalis et sæcularis abscedat, nec quidquam animus quam id solum cogitet quod precatur. Ideo et sacerdos ante orationem præfatione præmissa parat fratrum mentes dicendo: *Sursum corda*, ut dum respondet plebs, *Habemus ad Dominum*, admoneatur nihil se aliud quam Deum cogitare debere. Claudatur contra adversarium pectus et soli Deo placeat, nec ad se hostem Dei tempore orationis adire patiantur. Obrepit enim frequenter et penetrat et subtiliter fallens preces nostras a Deo avocat, ut aliud habeamus in corde, aliud in voce, quando intentione sincera Dominum debeat non vocis sonus, sed animus et sensus orare. Quæ autem segnitia est alienari et capi ineptis cogitationibus et profanis, cum Dominum deprecaris, quasi aliud sit quod magis debeas cogitare, quam id quod cum Deo loqueris! Quomodo audiri a Deo te postulas, cum te ipse non audias, et vis esse Dominum memorem tui cum rogas, quando tu ipse tui memor non sis? Hoc est ab hoste in totum non cavere, hoc est quando oras Deum, majestatem Dei negligentia offendere, hoc est vigilare oculis et dormire corde, cum debeat Christianus, et cum dormit oculis, corde vigilare, sicut dictum est ex persona loquentis Ecclesiæ in Cantico canticorum: *Ego dormio et cor meum vigilat*, quapropter sollicite et caute admonet Apostolus dicens: *Instate orationi vigilantes in ea*, docens scilicet et ostendens eos impetrare quod postulant a Deo posse quos Deus in oratione videat vigilare; orantes autem non infructuosis, non nudis precibus ad Deum veniant; ineffícax enim petitio est cum precatur Deum sterilis oratio. Nam cum omnis arbor non faciens fructum excidatur et in ignem mittatur, utique sermo non habens fructum promereri Deum non potest, qui nulla operatione fecundus est. Et ideo divina Scriptura instruit dicens: *Bona est oratio cum jejunio et eleemosyna*, nam qui in judicii die præmium pro operibus et eleemosynis redditurus est, hodie quoque ad orationem cum operatione venienti benignus auditor est. Sic denique Cornelius centurio cum oraret meruit exaudiri; fuit enim multas faciens eleemosynas in plebe et semper orans Deum. Huic circa horam nonam adstitit oranti angelus testimonium reddens sui operis et dicens: *Corneli, orationes tuæ et eleemosynæ tuæ ascenderunt ad memoriam coram Domino*. Cito eæ orationes ascendunt quas ad Dominum merita nostri operis important. Sic et Raphael angelus Tobiæ semper oranti et semper operanti testis fuit dicens: *Opera Dei revelare et confiteri honorificum est, nam cum orabas et sero ego obtuli memoriam orationis vestræ, in conspectu claritatis Dei, et cum sepelires tu mortuos similiter, et quia non es concitatus exsurgere et derelinquere prandium tuum et abisti et condidisti mortuum, missus sum tentare te, et iterum misit me Deus curare te et Saram nurum tuam. Ego sum Raphael unus ex septem angelis justis qui assistimus ante Deum et conversamur ante claritatem Dei.* Per *Isaiam* quoque Dominus admonet et docet similia contestans: *Solve*, inquit, *omnem nodum injustitiæ, resolve suffocationes importantium convicinorum, dimitte quassatos in requiem, et omne injustum dissipa, frange esurienti panem tuum, egenos sine tecto induc in domum tuam; si videris nudum, vesti, et domesticos seminis tui non despicies. Tunc erumpet temporaneum lumen tuum, et vestimenta tua cito orientur et præibit ante te justitia et claritas Dei circumdabit. Tunc exclamabis, et Dominus exaudiet te; dum adhuc loqueris, dicet: Ecce adsum.* Adesse se promittit, et audire ac protegere qui injustitiæ nodos de corde solventes, et eleemosynas circa domesticos Dei secundum ejus præcepta facientes, dum audiant quod Deus præcepit fieri ipsi quoque a Deo merentur audiri. Beatus quoque apostolus Paulus in necessitate pressuræ adjutus a fratribus, opera quæ sunt sacrificia: *Saturatus sum*, inquit, *recipiens ab Epaphrodito ea quæ a vobis missa sunt in odorem suavitatis sacrificium acceptum et placitum Deo.* Nam cum quis miseretur pauperis, Deo fenerat, et qui dat minimis Deo donat et spiritualiter Deo suavitatem odoris sacrificat. In orationibus celebrandis invenimus tres pueros cum Daniele in fide fortes et in captivitate victores, hora tertia, sexta, nona, sacramento scilicet trinitatis quæ in novissimis temporibus manifestari debebat. Nam et prima hora in tertiam veniens consummatum promissæ olim numerum trinitatis ostendit; iterumque ad sextam per quartam procedens declarat alteram trinitatem. Et quando a septima nona completur per ternas horas, trinitas perfecta numeratur. Quæ horarum spatia jam prædeterminantes adoratores Dei statutis et legitimis ad preces temporibus serviebant, et manifesta postmodum res est sacramenta olim fuisse, quod ante sic justi precabantur. Nam super discipulos hora tertia descendit Spiritus sanctus, qui gratiam dominicæ promissionis implevit. Item Petrus hora sexta in tectum superius ascendens signo pariter et voce Domini monentis instructus est ut omnes ad gratiam salutis admitteret cum de emendandis gentibus ante dubitaret. Et Dominus hora sexta crucifixus est, et ad nonam peccata nostra abluit; et ut redimere et vivificare nos posset, tunc victoriam suam passio perfecit. Sed nobis, fratres carissimi, præter horas antiquitus observatas, orandi nunc et spatia et sacramenta creverunt, nam et mane orandum, ut resurrectio Domini matutina oratione celebretur, quod olim Spiritus sanctus designabat in psalmo dicens: *Rex meus et Deus meus, quoniam ad te orabam, mane exaudies vocem meam,*

*mane adsistam tibi et contemplabor te.* Et iterum per prophetam loquitur Dominus : *Diluculo vigilabunt ad me dicentes : Eamus et revertamur ad Dominum nostrum.* Recedente iterum sole ac die cessante necessario rursus orandum est ; nam Deus noster sol est et dies verus, et sole ac die sæculi recedente quando oramus et petimus ut super nos lux veniat, denuo Christi precamur adventum lucis æternæ gratiam præbiturum. Christum autem diem dictum declarat in psal. Spiritus sanctus dicens : *A Domino factum est istud et est mirabile in oculis nostris*, et rursus : *Ista est dies quam fecit Dominus, exultemus et jucundemur in ea.* Item quod sol appellatus sit, Malachias propheta testatur dicens : *Vobis autem qui timetis nomen Domini orietur sol justitiæ et in aliis obscuratio.* Quod si in Scripturis sanctis sol verus et dies verus Christus est, hora nulla Christianis excipitur, quominus frequenter ac semper Deus debeat adorari ; ut qui in Christo hoc est sole et in die vero sumus, instemus per totam diem precibus et oremus, ut quando mundi et legis decursis vicibus alternis nox resoluta succedit, nullum de nocturnis tenebris esse orantibus damnum possit, quia filiis lucis et in ipsa nocte dies A est. Quando enim sine lumine est, cui lumen in corde est? aut quando sol et dies non est, cui sol et dies Christus est? Qui autem in Christo, hoc est in lumine semper fuimus, nec noctibus ab oratione cessemus, sicut Anna vidua sine intermissione rogans semper et vigilans perseverabat in promerendo Deo, sicut in Evangelio scriptum est : *Non recedebat*, inquit, *de templo jejuniis et orationibus serviens nocte et die ;* non viderunt scilicet qui nec illuminati sunt, vel Judæi qui deserti lumine in tenebris remanserunt. Nos, fratres dilectissimi, qui in Domini luce semper sumus, qui meruimus et tenemus quid esse accepta gratia cœperimus, computemus noctem pro die, ambulare semper in lumine nos credamus, non impediamur a tenebris quas evasimus, nulla sint horis B nocturnis precum damna, nulla orationum pigra et ignara dispendia ; per Dei indulgentiam recreati spiritualiter et renati imitemur quod futuri sumus, habituri in regno, sine interventu noctis, solis diem sempiternum ; quasi in lumine vigilemus oraturi semper et acturi Deo gratias : ac per hoc et hic quoque orare et agere gratias non desinamus.

---

# *OPUSCULUM SECUNDUM,*

SIVE

## LIBER DE QUATUOR VIRTUTIBUS CHARITATIS.

Desiderium charitatis vestræ a nobis exigit debitum sermonis officium ; sed tanta sunt quæ terreant et revocent animum nostrum ut, si velimus parere desiderio vestro, non sit sine periculo nostro. Locuturus namque de charitate, silentio non præteream quæ bona ex ea procedant, et quæ eam comitentur ; sed temporis coarctatus angustiis, quo me conferam in primis nisi ad sanctæ ipsius vestigia charitatis, eamque deprecer ut donet mihi aliquid dignum de se dicere, quo et meum suppleam ministerium et vestrum satiem desiderium? Inter cæteras autem virtutes ejus, quas commemorat apostolus Paulus, ait quod *caritas non æmulatur, non agit perperam, non irritatur, non cogitat malum ;* et postremo has quatuor ejus virtutes brevi sermone comprehendit dicens, *Omnia tolerat, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* De his igitur quatuor virtutibus sanctæ charitatis loqui convenit sanctitati vestræ, delectatque primitus intueri, quemadmodum quatuor cardines orbis continens totum possederit mundum. Requiramus igitur, si placet, aliquorum exempla sanctorum, eorum scilicet, qui his virtutibus possessi sunt, et eis singulis ita singula tribuamus, ut omnes in omnibus esse noscamus, quoniam omnis qui pie tolerat, recte credit, aliquid [*F. leg.* credit atque] sperat, et qui sperat sustinet, ne absque spe cadat. Sed jam qui nam isti sunt videamus, quorum fidem inquantum desuper adjuvamur assequi valeamus. Virtus sanctæ charitatis quæ C omnia tolerat emicuit in sancto Noe : quæ omnia credit in sancto Abraham : quæ omnia sperat in patribus nostris, id est in populo Israel, unde ipse Dominus exortus est ; quæ omnia sustinet, in ipso capite Domino nostro Jesu Christo, qui est vera charitas quæ nunquam cadit. Nec cæteros sanctos ab his virtutibus vestra charitas deputet alienos quos pro brevitate temporis et pro sermone suscepto ita prætermissos esse cognoscite ut tamen certissime noveritis omnes esse in Christo et in omnibus Christum. Sed jam videamus quemadmodum sanctus Noe possederit virtutem charitatis quæ omnia tolerat. Statim ac ille admonitus fuit, confugit ad lignum et post camporum amœnorum faciem angustus se recludit arce : tolerat cœli fremitum, solutam aquarum fragorem D et nimborum, et post ista omnia qui soleat gaudere consortio hominum socius quodammodo efficitur serpentium ac ferarum, nec expavescit vir iste quod cum eo feræ sint in arca, imo ibi agnoscit ordinem suum feritas, quia se cognovit humanitas, et jubenti homini obediunt, quia hominem superiori Domino obedire cognoscunt. Ostensum est in Noe quod Adam præceptum Domini contemnendo perdiderit, et demonstratum est posse homines etiam bestiis dominari, si subdant se obedientiæ conditoris. Exspectat et tolerat sanctus iste finem diluvii, nec antequam finiatur causa ferarum arca relinquitur. Tolerat bonus mala et donec in fine

etiam corpore separentur, intus manens corde non corpore separatur. Si qua es anima quæ cupis possidere virtutem charitatis quæ omnia tolerat, relinque mundum, confuge ad crucis lignum; non metuas procellas et turbines hujus diluvii, non mergeris si ligno portaberis. Novit gubernare qui dignatus est creare: tantum absit virtus charitatis quæ omnia tolerat, nulla res ab arce solida te divellat, permane bonus et toleres malos; melius est enim ut intus positus propter bonos toleres malos, quam foris exiens et pereas et bonos relinquas et malos. Si ergo sunt tecum feræ, id est si sunt tecum in Ecclesia prava docentes, falsa sentientes, hæretici vel schismatici, aut etiam ipsi mali catholici, more ferarum animas devorare quærentes, toleretur usque in finem sæculi tanquam finem diluvii. Rugiant licet, fremant dentibus, atque ipsam arcam confringere conentur. Non pavescas, finito diluvio illos rapiet inanis et spinosa silva, atque te fertilis suscipiet terra. Post finem sæculi impii rapientur ad *tenebras exteriores*, *ibi erit* FLETUS ET STRIDOR *dentium*, pios suscipiet terra viventium. Nam et ipse sanctus Noe post finem diluvii obtulit sacrificium Deo, sed de animalibus mundis et non de immundis. Simul enim et munda et etiam immunda animalia in arcam intrare potuerunt; sed mala ad sacrificium Dei non pervenerunt. Sed jam hinc aliquando transeamus ut cætera perscrutare valeamus. Procedat in medium sanctus ille Abraham, et suo nos doceat possidere exemplo virtutem charitatis quæ omnia credit; qui non est cunctatus ad unam vocationem relinquere patriam, sedem, domum, familiam. Omnia relinquuntur ut Domino præcipienti pareatur. *Exi*, inquit Deus, *de cognatione tua et de domo tua et veni in terram quamcumque ostendero tibi.* Nec apud se cogitavit iste sanctus et dixit, Quo eam? cui me committam? in quam terram vadam? Sed ut audit, surgit, currit, festinat, accelerat; terram promissam non videt, sed credendo eam firmiter retinet. Ambulat recto itinere, nec oberrantibus vestigiis alibi quam debuit declinavit, quia qui eum ad ignotam terram mittebat, ipse, inquam, qui mittebat, non dimittebat, nec eum ipse fefellit. Redditur merces credenti, ad terram pervenit, dilatatur, multiplicatur, ex paupere efficitur dives, ex ignobili potens, ditatur omnibus bonis et in illo impletur quod Dominus in Evangelio suis discipulis promisit dicens: *Si quis dimiserit domum aut agrum aut parentes causa nominis mei, in hac vita centuplum accipiet et in futuro sæculo vitam consequetur æternam.* Cumulatur adhuc hujus fidei merces, et seni promittitur filius. Adest illi virtus charitatis quæ omnia credit; audit, exultat, amplius diligit, suscipit filium de conjuge sterili, quam spe pariendi destitutam sterilitas ætasque jam fecerat, atque in illo benedictionem omnium gentium promissam firmissime tenet; sed adhuc eum charitas probat probatumque commendat et quemadmodum nihil Deo præferat posterius monstrat. Vocat eum Dominus de cœlo dicens: *Abraham, Abraham*, et ille tanquam servus obediens, *Ecce adsum*, ait, et Dominus, *Accipe*, inquit, *filium tuum illum quem diligis Isaac, et vade in terram excelsam, et offeres eum holocaustum in unum montium quem dixero tibi.* Neque hac quidem jussione turbatur aut frangitur servus fidelis. Adest enim ei virtus charitatis quæ omnia credit. Surgit, domum pergit, asinum stravit, ligna concidit, gladium et ignem sumit, puerum simul adducit et pergit ad locum. Nunc intentus factus Isaac patrem interrogat dicens, *Pater*, ait, at ille, *Quid est, fili?* Et filius: *Ecce*, ait, *ignis et ligna, ubi est ovis quam immolaturus es ad holocaustum?* Et pater respondit: *Deus providebit sibi ovem ad sacrificium, fili.* Magnum hoc et grande video sacramentum: aliud Abraham corde gestabat et aliud filio promittebat, sed neque quæ promittebat filium fallebant, neque aliqua infirmitas cor ejus a proposito immutaverat. Quid plura? pergit viam, videt locum de longe et statuens pueros suos ibi, eis talia verba profert dicens: *Sedete hic cum asino, ego autem et puer ibimus usque illuc, et cum adoraverimus, revertemur ad vos.* O sancte Abraham, quid est quod dicis, cum aliud tibi de puero gerendum sit? Numquid aut te, aut tuos fallis? Non, inquit, sed quod prophetice vel dico vel gero virtus charitatis est in me manens quæ omnia credit et facit et dicit. Audio enim eam sine strepitu vocis intus ad cor loquentem et dicentem mihi: Tu quidem licet resurrecturum credens pleno et perfecto voto puerum ducas immolandum, filius tuus in isto Sacrificio non cremabitur, quia resurrectio Dei Filio reservatur. Merito hujus viri fidem Jacobus apostolus commemorans ait: *Credidit Abraham Deo et reputatum est illi ad justitiam* et amicus Dei appellatus est. Amicos ut novimus conjunctio animorum facit. Unde quidam sapiens hujus mundi ait: *Velle atque idem nolle ea demum firma amicitia est.* Ergo amicos, ut novimus, conjunctio animorum facit; quemadmodum autem iste sanctus conjunxerit animum Deo, ut ejus amicus appellaretur juvat nosse. Sicut enim Deus Pater unico Filio non pepercit, sic jubente Deo ut immolaretur ei filius quem dederat illi, devoto is corde obtulit eum. Sed quæ sequuntur videamus; delectat enim nos adjuvante Domino hujus historiæ plenam vobis reddere notionem. Postquam relictis pueris ad locum sacrificii pater cum filio venit, aram constituit, ligna composuit, deponit humana paternæ pietatis indicia, induitur sacerdotis devota constantia, educit gladium ut perimat filium. Quid vobis videtur, fratres? Nihil hic sentimus humanum: imo totum cognoscimus divinum; sed et ille filius qui paulo ante ovem requirebat, sub ingenti silentio talia in se fieri sentiebat, et ita patiens invenitur, tanquam jam ille esset, qui sicut ovis ad immolandum ductus est; et tanquam agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum. O et tu, sancte Isaac, indica nobis silentii hujus tam grande secretum. Paulo ante nihil in te fieri sentiebas, et a patre arietem requirebas; nunc autem manibus ligaris, in aram imponeris, ligno quodammodo suspenderis et modo taces? Taceo, in

quit. Dic quare, obsecro noverimus. Vultis nosse, ait, quare modo taceo? Quia figuram illius gesto qui voluntate ponit animam suam, non necessitate. In hoc tam grandi et mystico sacramento fidei et Abraham sanctus apparuit probatus, et filius in præsenti est liberatus. Si qua es anima quæ cupis sequi vestigia fidei patris nostri Abraham, exi de terra tua et cognatione tua : relinque populum tuum, et domum patris tui, id est fideliter renuntia diabolo, pompis ejus et angelis ejus, et sequere viam rectam quæ te perducat ad terram in qua ditescas et emineas et efficiaris socius Abrahæ. Sed cum ista omnia feceris, si virtus charitatis quæ omnia credit est in te, adhuc tentabit te et probatum coronabit te, expetit a te sacrificium dilecti tui. Quid a te expetit? Quod Abraham illi dictum est : Da mihi unigenitum dilectum tuum. Tibi dicit sapientia, Da mihi, fili, cor tuum, ipse est dilectus unicus; quid metuis offerre cor tuum? Offer sacrificium contritionem cordis Domino Deo tuo, et dic cum propheta, *Holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.* Nihil metuis tali sacrificio oblato, et tibi acceptum erit, et quod obtuleris integrum permanebit. Aliam virtutem charitatis quæ omnia superat placet nunc inspicere, quam superius plebi Israel et patribus nostris assignasse cognoscimus. Ejus namque virtutis vox est in versu illo prophetico : *In te speraverunt patres nostri, speraverunt et liberasti eos.* Et ipsi ex Ægypto fugere jubentur, terra eis lac et mel fluens promittitur, per mare Rubrum transeunt, ad heremum veniunt, ducebat eos spes charitatis ut discerent Deum amare gratis. Redditur his merces fidei ; non enim potest non reddere qui se dignatur facere debitorem. Post heremum mella e petra fluxerunt; panem cœli manducaverunt; non sunt privati a desiderio suo quod speraverunt, terram etiam promissionis acceperunt. Exurgat anima quæ hujus charitatis virtute comprehensa est : effugiat ex Ægypto, id est ex hujus sæculi desiderio, pergat ad mare Rubrum, scilicet Christi baptismum ; ideo rubrum quia Christi sanguine purgatum. Persequantur hostes, peccata scilicet cum suo auctore diabolo, tanquam ex Ægypto cum suo rege Pharaone sæviant, sequantur fugientes, quid metuis? Usque ad aquam sævient ; ingredieris tu, ingredientur et illi post te, sed aqua retro conversa illis erit in perniciem, tibi proficiet ad salutem. Illos obruet, te abluet, illos damnabit, te liberabit. Post hoc suscipies mel de petra quo famem et sitim tuam saties ; *Petra enim erat Christus*, ex cujus præceptis tanquam ex fontibus dulcedinis satieris, gustabis etiam panem, illum scilicet qui dicit : *Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi.* Gustabis et videbis quoniam suavis est Dominus, et si in te eminet virtus charitatis quæ omnia sperat, per heremum necesse est te transire, id est utaris hoc mundo tanquam non utens, et in hac vita peregrinum te noveris esse, si terram promissionis cupis intrare ; hæc terra est de qua propheta cantat et dicit : *Credo videre bona Domini in terra viventium.* Ultima virtus charitatis restat quæ omnia sustinet, et nunquam cadit. Hanc ipsi capiti nostro Domino Jesu Christo convenire novimus, et ideo in ultimo ponitur, *quoniam finis legis est Christus.* Quanta autem ipse pro nobis sustinuit puto charitatem vestram ignorare non posse. Tamen exinde aliquid dicam, si tamen de tanto aliquid digne dicam. Prius illud quod Deus homo, quod Verbum caro factum est, quod multa bona fecit, et mala perpessus est, quod mortuos suscitavit, et mortuus est ; quod singulari illa patientia pertulit diabolicum tentatorem, discipulum traditorem, quod ipsum Judam priusquam traditorem pertulit furem, et ante experimentum vinculorum, crucis, ac mortis, labiis ejus dolosis non negavit osculum pacis. In ipsa autem morte quanta sustinuit? Pertulit odiorum flammas, ministras pessimi cordis linguas. Clamaverunt Judæi, *Crucifige, Crucifige*, et ut rei manerent Judæi, innocens ab eis crucifixus est Filius Dei ; ad crucem ducitur, expalmatur qui est palma victoriæ, spinis coronatur qui spinas peccatorum nostrorum venit confringere; ligatur qui solvit compeditos ; ligno suspenditur qui erigit elisos ; aceto potatur fons vitæ, disciplina cædatur, salus vulneratur, vita moritur, occiditur ad temous vita a morte, ut in perpetuo a vita occidatur mors. Quid hic Judæi in hac morte Christi? Exultaverunt quasi victores, et dum terrenum et caducum regnum timuerunt perdere, regem cœli et terræ non dubitaverunt occidere. Sed nec sicut putaverunt, victores exstiterunt. Si enim vicerunt, regnum quomodo perdiderunt? Quomodo nunc usque servi remanserunt? Ista namque causa est qua Christus ab eis occisus est. Dixerunt namque apud se principes Judæorum, ut evangelista narrat : *Videtis*, inquiunt, *quia totus mundus post eum abiit ; si dimiserimus eum vivere, venient Romani et tollent nobis et locum et regnum ;* et Christum occiderunt, et locum et regnum perdiderunt. Quid vobis profuit, o insani Judæi, quod tantum scelus commisistis? Numquid quia Christo Domino, ut decuit, servire noluistis, facti estis mali servi bonorum servorum Christi ? Per ipsos conterit contumaciam vestram, per ipsos dissipat consilia vestra, per ipsos tribuit scelera in capita vestra. Ipse autem Dominus quem vos interemistis non vos servos, sed liberos esse cupiebat quando dicebat : *Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis ;* vos autem Deum et Dominum regem, et ipsam veram libertatem non solum repudiastis, verum etiam negare cupientes clamastis : *Non habemus regem, nisi Cæsarem.* Sed ne in hoc quidem gloriemini quod Christum occidistis, actum est de vobis potius et nescitis. Audite ipsum Dominum dicentem per prophetam : *Ego dormivi et somnum cœpi*, somnum appellans mortem a vobis illatam. Cæterum qualis mors potuit esse triduana, maxime illius qui per eumdem prophetam alio loco dicit : *Numquid qui dormit non adjiciet ut resurgat?* Ego, inquit, dormivi ego qui potestatem habeo ponendi animam meam

ego dormivi, non quia sævistis, non quia insanistis ; ego implevi quod volui, vos in scelere remansistis. Quis exigit tanta de Deo nostro, fratres, pro nostra redemptione et salute, nisi charitas quæ nunquam cadit? O charitas quæ magnas vires habes, et de cœlo Deum deposuisti ; o cara sanitas, o sancta et vera charitas quæ tanta es in terris, quanta eris in cœlis! Quæ tantum potes in hac pugna mortalitatis adhuc sollicita, quantum poteris in illa perfecta pace secura? Evigila itaque omnis anima christiana, et si in te eminet virtus charitatis quæ omnia sustinet, Domini tui imitare vestigia. *Christus enim*, ait apostolus Petrus, *pro vobis passus est relinquens vobis exemplum ut sequamini vestigia ejus :* et si ille propter te de cœlesti sede ad terrena descendit, tu propter te terrena fuge, appete cœlestia. Si dulcis est mundus, B dulcior est Christus ; si amarus est mundus, pro te omnia sustinuit Christus. Via tibi factus est ipse salvator, surge, ambula, habes quo ; noli pigrescere ; sed forte quæris quo? Vides enim viam et quæris quo ducat hæc ipsa via? Ad veritatem et ad vitam. Si amas veritatem, si amas vitam, et cupis ad veritatem et ad vitam venire, a via noli errare. Video, inquis, viam et cupio ambulare ; sed amara est : *Arcta enim via et angusta est quæ ducit ad vitam ;* Christus transivit, et adhuc aspera est? Transierunt senes, transierunt juvenes, transierunt puellæ quæ viam quam times et horres tritam tibi fecerunt. Ambula ergo viam securus : ambula, quid enim metuis in hac via? Mortem? et mortem times qui ad vitam curris? Bonus es ; bene in hac vita curris. Mors tibi janua est quæ te repræsentat non quæ auferat vitam. Ambula ergo viam, imo ipse qui propter te factus est via, ipse te ducat per se ipsum ; ipse est enim *via, veritas et vita.* Dic ergo tu, o anima fidelis et pia, dic secura, dic et cum propheta veraciter exclama : *Deduc me, Domine, in via tua, et ambulabo in veritate tua :* tunc ad te securus perveniam, si usque in finem tuam gratiam non deseram. Hæc, fratres dilectissimi, quæ a Domino ipsius charitatis dicta sunt sanctitati vestræ, ita hæreant sensibus et cordibus vestris, ut eadem ipsa charitas fructum in vobis operis inveniat, non folia laudis.

---

# *OPUSCULUM TERTIUM*

SIVE

## HOMILIA IN DOMINICA II ADVENTUS.

Ecce ex qua Tribu nasciturus esset Christus ex lectione evangelica docemur. Ex David autem stirpe C secundum carnem futurum esse, ita prænuntiatum est in psalmis : *Juravit Dominus David in veritate, et non frustrabitur eum, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Et rursum : *Semel juravi in sancto meo si David mentiar, semen ejus in æternum manebit et thronum ejus sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in æternum, et testis in cœlo fidelis.* Et item in libro Paralipomenon : *Et factum est verbum Domini ad Nathan prophetam dicens : Vade et dic servo meo David : Hæc dicit Dominus : Annuntio tibi quod ædificaturus est domum sibi Dominus ; cumque impleveris dies tuos ut vadas ad patres tuos, suscitabo semen tuum post te, quod erit de filiis tuis, et stabiliam regnum ejus. Ipse ædificabit mihi domum, et firmabo solium ejus usque in æternum. Ego ero illi in patrem, et* D *ipse erit mihi in filium, et misericordiam meam non auferam ab eo, sicut abstuli ab eo qui ante te fuit ; et statuam eum in domo mea, et in regno meo usque in sempiternum, et thronum meum firmissimum in perpetuum.* Hæc omnia qui in Salomone putat fuisse impleta, multum errare videtur ; nam qualiter in Salomone intelligendum est quod dictum est : Postquam dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod erit de filiis tuis, et stabiliam regnum ejus? Nunquid de illo Salomone creditur prophetatum? Minime ; ille enim vivente patre suo cœpit regnare ; nam hic dicitur : quia cum impleti fuerint dies tui et dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum, ex quo intelligitur alium fuisse promissum, qui non ante mortem David, sed post mortem ejus prænuntiatus fuerit suscitandus, qui ædificaret domum Domini non de parietibus manufactis, sed de lapidibus vivis et pretiosis, id est sanctis et fidelibus, nam et illud quod subjecit : fidelis erit domus ejus, et regnum ejus usque in sempiternum coram me, attendat et aspiciat quisquam non de Salomone esse prænuntiatum ; Salomonis namque domum fuisse plenam mulieribus alienigenis colentibus idola, et ipse ab eis rex idololatriæ seductus, atque dejectus, qui dum bonus fuisset in initio, malum exitum habuit. Ergo quis est iste cujus domus est fidelis in perpetuum, et qui post mortem David promittebatur suscitandus? Ille est utique de quo ipse David in psalmo octuagesimo octavo æstuans et proclamans dicit : *Tu vero distulisti Christum tuum.* Non est ergo Salomon, sed nec iste David, sed dilatatus est Christus. Ecce apparuit certe promissiones prædictas non in Salomone, sed in Christo Domino nostro, qui ex David genere ortus est, fuisse completas, de quo per Hieremiam ipse Dominus dicit : *Ecce dies veniunt, et suscitabo David germen justum, et regnabit rex, et sapiens erit, et faciet judicium et justitiam super terram. In diebus illis salvabitur Juda, et Israel habitabit confidenter, et hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus justus noster.* Et Isaias de Christo quia ex semine David natus est secundum carnem sic in consequentibus prophetiæ suæ dicit : *In die illa radix Jesse qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, et erit sepulcrum ejus gloriosum.* In signum populorum stat radix Jesse, quoniam Christus signaculum crucis exprimit

in frontibus eorum. Ipsum gentes deprecabuntur, quod jam obtutum cernitur fuisse completum. Sepulcrum autem ejus in tantum est gloriosum, ut excepto quod redempti per mortem ejus gloriam exhibemus, etiam locus ipse coruscans miraculis gloriæ suæ, ob eam causam ad se omnem contrahit mundum. Hic locus in hebræo habet : *Et erit requies ejus gloriosa*, utique quia moriens caro ejus non vidit corruptionem, secundum sententiam psalmi, quia *non est derelicta anima ejus in inferno*, nec datum est *sanctum* ejus *videre corruptionem*. Iste est qui per Nathan ex semine David promittitur, qui etiam et per Isaiam prophetam ita prænuntiatur : *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet.* Hæc virga de radice Jesse virgo Maria est, de radice David exorta, quæ genuit florem Dominum salvatorem, de quo etiam sequitur : *Et requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini.* Ideo autem tanta dona Spiritus super eum prædicantur, quia in eo non ad mensuram habitat Spiritus sicut in nobis, sed tota inest plenitudo divinitatis et gratiarum. Iste est *qui non secundum visionem oculorum, et auditum aurium judicat, sed est justitia cingulum lumborum ejus et fides cinctorium renum ejus;* in cujus ecclesia habitat lupus cum agno; ille utique qui solebat ab eo rapere prædam, et dum ad eam convertitur cum innocentibus commoratur; in cujus ovili pardus cum hædo accubat, permixti scilicet subdoli cum peccatoribus, ibi vel etiam vitulus ex circumcisione, leo ex sæculi potestate, oves de populari ordine simul commorantur, quia in fide communis est commixtio omnium. Puer autem parvulus minans eos ille est utique qui se humiliavit pro nobis in parvulis. Bos autem et leo simul comedent paleas, quia principes cum subjectis plebibus communem habent doctrinam. Delectatur quoque infans ab ubere super foramine aspidis, dum gentes quæ solebant venena prædicare aliquando conversæ etiam parvuli Christi fidem delectantur audire; caverna enim reguli corda sunt infidelium, in quibus ille serpens tortus requiescebat, quem ablactatus comprehensum exinde captivum traxit, ut in monte sancto ejus, quod est Ecclesia, non noceret. Jam vero quia ore prophetico de Mohab nascenti Christo perhibeatur testimonium, idem Isaias testatur, *Ponam enim*, inquit, *super his qui fugerint de Mohab leonem, et reliquus terræ : emitte agnum, Domine, dominatorem terræ, de petra deserti ad montem filiæ Sion.* De hac enim gente Mohabitarum egressus est agnus immaculatus qui tollit peccati mundi, qui dominatur in orbe terrarum. Petra autem deserti Ruth significat quæ destituta morte mariti de Booz genuit Obed, et Obed Jesse, et de Jesse David, et de Davidica stirpe natus est Christus. Montem autem filiæ Sion aut historialiter ipsam urbem Hierosolymam dicit, aut juxta tropologiam Ecclesiam in specula, id est in virtutum sublimitate collocatam.

# *OPUSCULUM QUARTUM,*

SIVE

## SERMO IN CIRCUMCISIONE DOMINI.

Incarnationis divinæ mysterium, nostræque recordationis egregium sacramentum ob hoc a nobis annua revolutione celebratur et colitur, ut tanti commemoratio beneficii quod nobis indignis fuerit impensum ostendat, et quid tantæ gloriæ debeamus admoneat. Proinde, fratres, quantum audivimus Dominum Jesum Christum pro nobis misericorditer humiliatum, tanto magis agnoscamus ineffabiliter gloriosum, in quo namque suam circa nos insuperabilem charitatem Dei unigenitus evidenter ostendit, in quo pro nobis humilitatem veræ carnis, veræque mortis, non coactus necessitate sed bonitate miseratus assumpsit. Quid enim boni feceramus, fratres, ut tantum nobis beneficium præstaretur? Quæ nostra bona merita fuerunt ut unigenitus Dei homo fieri dignaretur, ut Altissimus immolaretur, ut indeficiens Angelorum panis fœmineis uberibus lactaretur, ut sæculorum rex contumeliis afficeretur, ut vita æterna mori patientissime dignaretur? Attende igitur, homo, tantæ benignitatis dignationem, ut gratiarum persolvas humiliter actionem. Scito autem te non honorificentiam, sed contumeliam divinæ gratiæ reddere si cœperis de tanti beneficii magnitudine dubitare; imo illa omnia quæ de humilitate atque humanitate Domini Salvatoris audivimus, vera esse sine aliqua hæsitatione credamus. Et ideo magis gratias agamus, fratres, qui cum mereremur pœnam percepimus gratiam, qua gratia factum est ut dum mors debetur perditis, vita gratis donaretur indignis. Altissimi namque Salvatoris humilitas non ipsi aliquod intulit detrimentum, sed incrementum nobis contulit magnum, nec excelsum dejecit, sed dejectos erexit; ut enim plenum Dei Filius operaretur redemptionis nostræ negotium, non solum dignatus est Creator totius carnis de carne Virginis secundum veritatem carnis naturaliter nasci, et Deus factor hominis homo verus ex homine fieri, quinetiam pannis involvi in angustissimo præsepio, humanis manibus bajulari. O clementissimi Dei gloriosa benignitas, o altissimi Dei excelsa humilitas! Ille a matre nutriebatur infantulus, qui matrem sibi creavit immensus; ipse a parentibus in suum templum puer parvulus portabatur, qui Deus magnus in eodem templo a sanctis hominibus rogabatur; et idem pro se sacrificium præcepit offerri, qui sine peccato pro nostris venerat impietatibus im-

molari. Considera igitur, homo, quid debeas excelso Creatori tuo, humiliato Redemptori tuo. Verumtamen, carissimi, hoc semper christianæ fidei tenere consuevit integritas, ut si quid a Christo secundum canonicam Evangelistarum narrationem factum legimus, vel audimus, historiam primum veram esse sine dubitatione credamus, deinde in historica veritate spiritualem quoque intelligentiam requiramus. Cum enim divinæ textus historiæ verus esse creditur, Manichæus in sua severitate confunditur, qui dum in Christo Dei Filio veritatem non credit carnis, scripturis sanctis et veteribus et novis crimen nititur imponere falsitatis. Nam cum Veteris Testamenti deificam miser execratur historiam, in Novo Testamento ipse sibi denegat utique medicinam. Non vult enim credere humanam carnem a Deo plasmatam, neque circumcisionem carnis imperatam a Deo nostro sanctis patribus, nec victimam de carnibus animalium Deo vivo et vero priscis temporibus immolatam, nec sabbatum ex Dei præcepto ac voluntate servatum, nec Domino templum, Deo jubente, fabricatum; itaque dum in Scripturis sanctis non discernit temporum qualitatem, spernit et despicit Dominicæ Incarnationis saluberrimam veritatem. Quapropter ut Manichæus evidentissima ratione vincatur, et victus utinam convertatur, ex hodierna evangelica lectione veritatem Testamenti Veteris defendamus, ut ex hoc et Veteris et Novi Deum unum manifestissime comprobemus. Ecce sancto evangelista narrante cognovimus Christum Dei Filium verum hominem natum, Christum Dei Filium veraciter circumcisum, pro Christo Dei Filio sacrificium de carnibus secundum morem tunc divinæ institutionis oblatum, sive autem circumcisio carnis, sive carnalium sacrificiorum regula, in Veteri Testamento cognoscitur instituta. Cur igitur, dilectissimi, non credatur justissime in Veteri Testamento, quoniam Dei manibus plasmatus est homo, quando in Novo Testamento ut non in æternum periret homo ipse unigenitus Dei pro nobis factus est verus homo? Cur non credatur Deus etiam circumcisionem carnis ad aliquid significandum congruo tempore jussisse fieri, cum eam Dei Filius in suo corpore fecerit celebrari? Cur autem non sibi Deus noster præterito tempore populum Judæorum typicas jussisset victimas carnis offerre, quando ipse Deus unigenitus ex Judæis temporaliter natus seipsum pro nostris peccatis secundum carnem dignatus est immolare? Attendat igitur Manichæus utriusque testamenti manifestissimam, et concordissimam veritatem, et conversus suam abjiciat vanitatem. Videat in Veteri Testamento significationem futurorum, in Novo revelationem præteritorum; Christum autem Deum amborum Testamentorum, in Veteri Testamento quod exhibiturus fuerat promittentem, in Novo quod promiserat exhibentem, nec in promissione mendacem, nec in donatione fallacem, sed ubique bonum, ubique justum, ubique sanctum, ubique potentem, ubique clementem. In Veteri Testamento carnis, atque humanæ animæ potentissimum Creatorem; in Novo ejusdem carnis, atque animæ clementissimum susceptorem, ac si primo carnis animæque factorem, postmodum vero carnis animæque salvatorem. Hæc Manichæus audiat, conferat, agnoscat, et credat, credensque ad Ecclesiam catholicam redeat, in qua beneficium veræ salutis inveniat. Per hæc autem quæ Dominus gessit in corpore constitutus non solum utriusque Testamenti dignatus est concordiam demonstrare, verum etiam christianorum mores salubriter voluit informare, ut quod in illo pro nostra salute gestum corporaliter intuemur, nos quoque spiritualiter imitemur. Ideo nam parvulus in terra natus est Christus ut humilitatem disceret christianus; ob hoc etiam parentibus carnis suæ subditus erat, ut honorificentiam semper patri et matri omnis christianus exhibeat. Ideo autem Christus vilibus involutus est pannis, ut christianus non declaretur vestibus pretiosis; propterea vero Christus in terra pauper voluit apparere, ut divites christiani discerent terrenas divitias non amare, sed eleemosynas pauperibus erogando possent suas divitias in cœlo servare. Per circumcisionem vero quam Dei Filius in carne suscepit, nostri cordis circumcisionem in spiritu præmonstravit, quam circumcisionem nobis sermo legalis indicit, dicente Moyse: *Circumcidite præputium cordis vestri, et circumcidimini Domino Deo vestro.* Cui præcepto concordat beatus Paulus apostolus dicens: *Non enim qui in manifesto Judæus, neque quæ in manifesto in carne circumcisio, sed qui in abscondito Judæus, et circumcisio cordis in spiritu, non littera, cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est.* Proinde circumcisionem in corpore habuit Christus, ut spiritualiter in corde habeat christianus, ob hoc namque ille qui nullum habere potuit omnino peccatum deposuit præputium carnis, ut nos abjiciamus desideria pravitatis. Christus igitur manibus est portatus ad templum, ut christianus bonis operibus conscendat in cœlum. Sacrificium pro se offerre voluit Christus ut ad altare Domini se offerat christianus; maxime autem bene vivendo seipsum Deo offerre festinet, et mundum sacrificium se divinis obtutibus curet exhibere; in ipso enim pro Christo oblato sacrificio, quoddam spirituale sacrificium nobis agnoscimus indicari. *Par*, inquit, *turturum et duos pullos columbarum.* In hoc genere avium, dilectissimi fratres, magnum nobis commendatur catholicæ fidei sacramentum; in columba enim charitas agnoscitur, et in turture castitas invenitur. Turtur namque servat intemeratam uni viro fidem, columba vero aliarum cohabitantium non deserit unitatem. Christianus igitur tunc vere spiritalis turtur efficitur si veram trinitatis fidem firma credulitate conservet, et hæreticæ pravitatis sensum tanquam fornicationis inquinamenta repudiet. Tunc vero erit columba si longanimiter usque in finem in catholica societate permaneat, et contra tentationis scandala immobili firmitate consistat, ut nec hæretica fornicatio corrumpat in corde fidei castitatem, nec amara dissensio ecclesiasticæ charitatis dissipet

unitatem; hæc enim catholica Ecclesia est, quæ fidem uni Deo tanquam legitimo viro reservat, et congregationem multorum in charitate multiplicat. In hac turture et columba, dilectissimi fratres, sollicite permanete, hanc charitatem vobis omnibus custodite ut eam nec arianus violet, nec donatista conculcet, nec manichæus coinquinet: hi enim, velut accipitres mali unitatem columbæ cupiunt dissipare, et castitatem turturis desiderant violare. Nam manichæus in Christo veram non credit carnem; arianus veram in eo minuit divinitatem, donatista vero dissipat catholici corporis unitatem. Manichæus sacramentum non videt Redemptoris, arianus magnitudinem non cogitat Salvatoris, donatista vero, tanquam lupus rapax, boni non dubitat gregem dissipare pastoris. Ili ergo, sicut dixi, tanquam accipitres mali miseros et vanitatis cupidos, aut veritatis ignaros occidere cupientes, persequentur columbæ charitatem, execrantur turturis castitatem, et quos possunt aut ore devorant, aut unguibus lacerant, id est aut sermonibus depravant, aut persecutionibus cruciant. Vos ergo, dilectissimi fratres, in fide custodite catholicam veritatem, in charitate servate catholicam pacem; ille enim gratum Deo offert sacrificium qui charitatem fraternam et verum catholicæ fidei servaverit sacramentum, ubi unus Deus, una Trinitas colitur, nec Pater major Filio est, nec Patre minor, secundum divinitatem, Filius prædicetur, nec ab eis discernitur substantia sancti Spiritus, qui cum Patre et Filio naturaliter unus est Deus. Una est enim Trinitatis sanctæ potentia, quia in tribus personis una manet naturalis substantia; una est enim potestas, quia una majestas, una Creatoris dominatio, quia una creaturæ conditio; quidquid enim Pater creavit, per Filium fabricavit, et in Spiritu sancto firmavit, Filius autem natus est de gignente, Spiritus sanctus procedit de permanente, nec tamen nascendo Filius divisit Patrem, nec Spiritus procedendo minuit Deum, quia nec auget hærendo cum nascendo Filius non est minoratus, nec Spiritus sanctus procedendo est separatus, in se enim beata illa Trinitas manet, quia ibi substantialiter unitas permanet; et quoniam nihil est in Trinitatis divinitate creatum, propterea ibi nihil est utique separatum. Hæc, dilectissimi fratres, fideliter tenete, in his jugiter permanete. Hæc sit in corde cogitatio, hæc in ore confessio. Tenete fidem quam accepistis in nomine Trinitatis, servate unitatem spiritus in vinculo pacis, ut turtures et columbæ spiritualiter in domo Dei semper esse possitis.

# SANCTI AUGUSTINI

# SERMONES QUATUOR

NUNC PRIMUM AB ILLUSTRISSIMO CARDINALI MAIO EDITI.

(*Spicileg. Rom.* tom. VIII.)

## *In sequentes sermones*

### MONITUM EDITORIS.

*Diu multumque est, ex quo ineditos priscorum Ecclesiæ patrum sermones, latinos et græcos, linguis etiam syriaca et arabica scriptos, sed de græco fonte sæpe manantes, colligere cœpi. Igitur et in mea Scriptorum veterum collectione, et in Auctoribus classicis, et in hoc etiam Spicilegio, nonnullos pro re nata et quasi gustus gratia vulgavi; veluti etiam nunc in hujus voluminis calce quatuor mihi collocare placet magni Augustini sermones, quos e pervetustis membranis, neque ex uno quandoque sed ex pluribus repetitis exemplaribus, ante quinquennium delibavi; quosque adhuc anecdotos reor, post nobiles Maurinorum labores, et post vindobonensia, florentina, casinensia Romæ et Parisiis edita, additamenta, quæ proba novi et inspexi.*

*Primus de Petro jussu Domini super mare ambulante, testimonium habet a Possidio illo, qui ferme quadraginta annis cum divo Augustino vixit, ejusque vitam et scriptorum indiculum concinnavit. Is quippe inter divi sermones memorat hunc cum hujusmodi titulo:* De evangelica lectione, ubi Domino jubente Petrus super mare ambulavit. *His ego Possidii verbis, tum etiam antiquissimi codicis auctoritate fretus, hunc genuinum esse Augustini sermonem prorsus non dubito.*

*De utilitate jejunii concionatum fuisse Augustinum testatur Possidius; quod multoties ab illo factum fuisse, certum est, recurrentibus annis. Ex his sermonibus unus exstat in editione maurina T. VI, p. 615. Alter hic noster credendus est, quem secundo loco ponimus in sex priscis codicibus compertum, cujus est titulus* Quantum valeat jejunium.

*Tertius*, De nuptiis *in Chana Galileæ, servatus est in antiquissimo codice, cujus primam paginam jamdiu attritam et evanescentem, chemicis adjumentis quantum licuit instauravi, multoque labore ac patientia legi; non ita tamen ut sine aliquot lacunis sit, quas expleri aliquando posse vix puto. Comparavi quidem hunc sermonem cum Augustini tractatibus octavo et nono in Joannem, ubi idem argumentum evolvitur; re tamen vera noster hic totus diversus est. Item Beda in commentario ad Pauli Epistolam priorem ad Timoth. cap.* IV, *quem ex Augustini, ut scimus, operibus consarcinarit, haud sermonem nostrum, sed illos in Joh. præ oculis habuit. Nihilo tamen minus, quisquis beati Augustini stylum, præsertim in sermonibus, parumper callet, hunc quem in manibus habemus tractatum, sine dubio inter sinceros reponet. Præterquam quod illa quæ statim sub initio adversus Manichæos dicuntur, quis non ab ore Augustini procedere agnoscit?*

*Quartus denique sermo, cui titulus* De missa cotidiana, *nomen item Augustini gerit in pervetusto exemplari; dictumque apparet, dum adhuc ethnici judæique inter christianos versarentur. Neque res igitur, neque ætas, neque ipse, ni fallor, stylus obstant, quominus auctoris, quem sermo præ se fert in titulo, fœtum esse credamus. Nam nec cunctos Augustini tractatus indiculo suo comprehendisse Possidium, exploratum est. Cæterum hiatus aliquot, obscurasque aut dubias lectiones in hoc præsertim ac superiore sermone, nemo quæso miretur: codicis enim originalis, dum editionem molichar, præsentem facultatem non habui; cui deinceps incommodo, ut spero, medebor.*

*Hæc tantum in præsenti; latius postea rem hanc et alias expositurus, et gratius etiam illis acturus si qui me in his laboribus ac vestigationibus favore suo adjuverunt, vel adjutari sunt.*

---

## SERMO PRIMUS.

*De evangelio ubi beatus Petrus in mari tempestatem sustinuit in navi. Matth.* XIV, 22 *seqq.*

Nutritos hirundo pullos suos cum volandi arti disponit, paululum quidem in aere dimittit, quibus tamen ipsa vicina est, ne forte decidant trepidando, adhuc infirmi volando. Ita et salvator noster Jesus Christus discipulos suos quasi teneros pullos de nidulis quietis emisit marinis fluctibus adprobandos. At ubi cœpit pinnas devotionis eorum marina procella turbare, et ventosa tempestas dissipare, ipse potens est sequi navigio qui imperat vento. Fecit sibi potentissimam monopedam (*a*), singularem quadrigam, mirandam suis vestigiis plateam componens, non marmoribus ornatam sed fluctibus pictam, non saxis sed plantis. Non longe recedit, qui pie præmisit. Ambulabant soli et non soli, temptandi, probandi, visitandi. Invenit occasionem quasi subtilis fur effractor, qui excitat tempestatem, qui non amat tranquillitatem; et quasi absente magistro discipulos temptat, ventos inflat, excitat mare, et sequentem non videt gubernatorem. Fit servis absente domino argutatum (*b*) sine causa naufragium, sed tenetur pietate navigium. Illi interea manus extendunt, lacrimas fundunt, vela deponunt, strident funes et restes, ut Petrus solvatur et diabolus alligetur. Ubi exclamant, inquit, Domine salvator es noster? Præmisisti nos, et dimisisti nos. Ecce naufragator, ubi es tu potentissime gubernator? Ecce tempestas, ubi es pietas? Ecce mare latrat, ubi es tu agnus Dei qui tulisti peccata mundi?

Continuo advenit Dominus, cum pietate subridens ad teneros pullos. Ventis turbantibus dissipatis, venit potenter, appellat clementer, suos quoque reficit sapienter. Vident et turbantur, qui non videndo turbabantur. O inenarrabilia, fratres mei! Ubique metus, aut de periculo, aut de miraculo. Sed tulit (*c*) illis timorem qui mitigavit tempestatem. Nolite, inquit, timere; ego sum. Magna fit eis consolatio, Domini personæ interpretatio. Domine, clamant: securi sumus, si tu es: non timemus, si tu es. Et Petrus ait: Possum facere quod facis, si tu es; sed proba mihi vere si tu es; et jube me venire super aquas, si tu es. Domine, ad te dixi: sine te non præsumsi; si jubes, dixi; sed si juvaveris, quod dixi. Si non juvas, noli jubere; sed si juvas, dignare jubere, et jube me ad te venire super aquas. Et Dominus e contra: Veni ad me, si præsumis de me. Lætus Dominus vultuque jucundo favens, expectans piscatorem suum, confessorem suum, præsumtorem suum, ducem suum, magnum comitem suum, et primum carbunculum, lapidem pretiosum, non longe expectans sed prope propter pietatem.

Petro itaque mare subripit trepidanti. Sensit mare in Petro fidem deficere, et cœpit majore undarum lingua latrare. Solvitur quod erat firmatum, quia fidei solutum est firmamentum. Velut cera sole calente soluta, sic cœpit unda laxari mollita. Sensit petram pelagi Petrus vacillare (*d*) jam debilem fluescentem: et depressis vestigiis atque palpitantibus membris, extensis palmis, exclamat et dicit: Adjuva me, Domine, et miserere mei. Semper mihi timor est sine te, et in navicula et super unda præsumsi venire ad te. Quare tollar a te? Adjuva me, ad navem revoca, ascende mecum, veniam tecum. Ille Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Jacob, Petrum allevavit, firmavit, ambulare intrepidum fecit, trepidantes discipulos refecit, compescuit procellam, gubernavit naviculam. Ipsam suam sponsam, nostram matrem, tranquillet Ecclesiam; et inter istam tempestatem ipsum habeamus semper gubernatorem, quem Petrus habuit defensorem! Amen.

## SERMO II.

*Quantum valeat jejunium.*

Moyses quadraginta diebus et quadraginta noctibus

(*a*) Adnotent vocabulum lexicographi. Sic autem dicitur ob velocitatem. Confer Cangium voc. *Monovedæ*.

(*b*) Ita videbatur in cod. Intellige autem *subsiliens*; nisi mavis *agitatum*, aut quidlibet aliud.

(*c*) Nempe *abstulit*.

(*d*) Cod., *volitare*.

in eremo jejunavit, ut legem Domini mereretur accipere. Impetraverunt jejunia quod venter saturus desperabat. Denique videte, fratres carissimi, quid sit inter jejunium et saturitatem, inter ventrem vacuum et pulmonem epulis æstuantem. Moyses, quia jejunavit, Dominum vidit; et populus quia comedit et bibit, idola fabricatus est. Quid de Moyse loquor, et de israelitica multitudine? Ipse princeps generis nostri Adam quamdiu non comedit, in paradiso fuit: statim ut comedit, de paradiso ejectus est. Qui in paradiso Dei, virgo fuerat, ejectus de paradiso cognovit uxorem suam: semper enim saturitati juncta lascivia est: vicina sibi sunt saginæ membra atque luxuriæ; pro membrorum ordine, ordo vitiorum eligitur.

Helias sanctus, cui elementa famulata sunt, qui cœum tribus annis et sex mensibus clauserat, ad cujus vocem supernum descendit incendium, cum eum Jezabal vellet occidere, et fessus sub umbrosa arbore jaceret in solitudine, angelus ad eum mittitur, et præcepit ut sumeret paululum panis et aquæ; quadraginta enim dierum jejunio per desertum ad Sina montem profecturus erat. Numquid enim Dominus omnipotens, qui cœlum et terram fecerat, cujus universa creatura est, non poterat mulsa per angelum aut vina transmittere, aut conditos cibos, aut marinas delicias, aut volucrum suavitates? Sed sciebat prophetam suum non aliter posse temptationes diaboli vincere, nisi jejuniis erudiretur.

Ejecit nos, fratres carissimi, de paradiso cibus, reducat esuries. Daniel ille futurorum conscius, et adventus Domini et eversionis Hierusalem manifestissimus prædicator, ideo vir desideriorum appellatus est, quia panem desiderii non comedit, et potum concupiscentiæ non bibit; magis enim Christum quam epulas desiderabat. Joannes præcursor Domini locustis in eremo nutritus est, non animalium carnibus et volucrum suavitatibus. Poterat utique juxta Jordanis fluenta piscium sibi exhibere delicias; sed pœnitentiam prædicaturus doctrinam rigoris et jejunii exemplo suo magis debuit docere quam voce. Cum in Evangelio quidam dæmonio plenus, Domino fuisset oblatus, quem purgare apostoli nequiverunt, interrogantes audiunt: Istiusmodi genus non ejicitur nisi orationibus atque jejuniis.

Videte, fratres, quanta sit virtus jejuniorum, ut id valeant jejunia facere, quod apostoli nequiverunt. Dimittantur vetera; unusquisque se ipsum consideret et perpendat quanta sit orandi differentia inter vacuum ventrem et refectum, inter rubentem faciem et ora pallentia, inter salivam virginem et labia crapulis dissoluta, inter oppressum epulis sensum et inediæ tenuitate vigilantem. Non dico duplicata et multiplicata jejunia, non dico hebdomadas, sed saltem singulos dies absque ciborum luxuria transigamus. Cessent lavacra, vina, vel deliciæ; non quod creaturam Dei judicemus esse damnandam; sed qui toto anno nobis viximus, saltem paucis diebus Deo vivere valeamus, adjuvante nos ipso qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

## SERMO III.

*De evangelio ubi Dominus de aqua vinum fecit. Joan. cap.* II.

Nuptiæ, in quibus Christus et munerator et conviva discubuit; munerator scilicet in origine, conviva factus in genere, ut qui in primordio copulæ novellæ concesserat nasci ex homine hominem, ipse quoque nasci dignaretur ex virgine.... Aures nostræ pulsatæ nunc e sancto Evangelio sonuerunt: die, inquit, tertio nuptiæ factæ sunt in Chanan galilææ, et erat mater Jesu ibi; invitatus est autem Jesus cum discipulis ad nuptias. Si Manichæorum latebrosa voluptuosæ turpitudinis fœditas de nuptiis percontetur, Deus eas, inquit, non fecit. Si ergo Deus nuptias non fecit, quomodo in eis Christus cum discipulis suis invitatus adcubuit? Sed jam opaci hujus mysterii nubilum ventilemus. Die, inquit, tertio nuptiæ factæ sunt in Chanan galilæa. Splendescente igitur super obscurum, delictis offuscantibus, mundum Trinitatis die, Christus venit ad nuptias. Tunc autem anima quæ de limi fuerat jam affricta consortio, per fornicationem oblectantis pomi adulterum demutata maritum, pollutæ societatis nuptias celebrat. Audi Paulum hujus malæ conjugationis iterum vincla formidantem: timeo, inquit, ne sicut serpens Evam fefellit astutia sua, ita corrumpantur mentes vestræ a simplicitate et castitate quæ est in Christo Jesu Domino nostro. Dum itaque in unius discubitionis instrumento (*a*) jactati diabolus et anima lascivirent, invitato Jesu.... dum vino luxuriæ defecerunt. Genetrix autem Christi illa, quæ facinerosi (*b*) concubitus pactum exhorruit, quæ non solum corpore verum etiam mente virgo permansit, intererat invitata, conditione generis non participatione criminis, universitate nascendi non societate peccandi, quæ..... Christo, non quæ mundo consentiret jucundo.

Hæc igitur mater Christi longum mundi miserata laborem, quæ se noverat de palmite fidei magnum duxisse.... botrum, a proprio germine cœpit exposcere vinum. Quando autem angelo credidit, tunc pro mundo suggessit: tunc inchoavit agere sæculi *causam*, quando non trepidavit ad nuntium. Ecce enim ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Mox ex semine sancti Spiritus propagata in saltu virginali primitiva vitis efloruit, quæ umbraculis opacata cœlestibus subfrondet.... nis occultum botrum procreavit. Pependit salus in fidei apice, et turguit botrus.... Ecce postmodum ex matricis utero racemus divinæ prolis animatus.... natus est. Christus verus botrus continebat equidem intra se vitæ vinum.... crucis accesserat prelum. Dicit mater ejus: Vinum non habent. O virgo sapientissima! modo meruisti germinatam sobolem (*c*) procreare, et jam botrum.... ris

(*a*) Num pro *stramento?*
(*b*) Ita cod., *facinus facineris*, ut *pignus pigneris*.
(*c*) Cod., *subucem*.

exprimere? Equidem non potest nisi germen germini obviare, et (palmiti suo) resistere. Sed qui de ligno carpsit supplicium, in ligno debet expectare remedium; et qui in arbore inlicitam demessuit frugem, expectare (*a*) debet ad crucem, ut ubi.... hauserat siccitatem, ibi salutis accipiat potionem. Vinum, inquit, non habent. *Attende* virgo, paulisper, præparet judæus lignum, descendat clavus in botrum, et.... poterit vinum. Quid ante tempus curris ad lacum, cum necdum impresserit Judas protervum super uva calcaneum? Ipse est enim ille Judas destruc*tor* sacratæ vindemiæ, qui ·XXX· pactus argenteis botrum divinæ prolis judæis..., impiis venundavit (*b*). De quo in psalmis jam fuerat decantatum : Nam et homo pacis meæ, in quem speravi, qui edebat panem meum, ampliavit super me calcaneum. Aderit, virgo, certa dies qua prematur fructus tuus, et tuam ipsius animam pertranseat gladius, ut constiterit de botruo (*c*) pendente quem profuderas ex radice.

Vinum, inquit, non habent. Et *Jesu :* Quid mihi et tibi est, mulier? Nondum venit hora mea.... Utique non fati (*d*) sed voti hora, non necessitatis impositæ sed voluntatis impensæ.... non quo cogeretur mori, sed quo pro mundo dignaretur *mori*. Quid mihi et tibi, mulier? An oblitus es matrem?.... An discernis potentiam tuam?.... neret. Nulla est tibi cum matre communitas? An.... oculi tui debu.... majestas? Creatorem te designas? An cred.... nunc locui.... ctorem propellere instinc.... periere nefandissim.... opus dum cum.... asti præstigium. Extulit hic Christus super matrem divinitatem suam. Non negavit matrem suam, neque se natum negavit e carne, sed majestati suæ suam subdidit genetricem. Et ideo ait : Quid mihi et tibi, mulier? Nondum venit hora mea. In miraculo enim deitas matre altior prædicatur; in hora autem, mortis communitas intimatur. Interim Christus insipidos haustus merificat (*e*) : fatuus latex fundebatur in hydrias, et hauriebantur inebriata flumina. Quæ est ista tam repentina conversio? In aqua vinum nascitur, in unda sapor latenter exoritur : germinat suavitas in vinis, et nusquam fructificat vitis ; nulla exprimitur uva, et fervescunt sine palmite vina

O magni pulchritudo miraculi ! Inseruntur divini præcepti vires, et in aqua nascitur fructus. Hoc fecit Christus in latice, quod certo tempore facit in vite. Quis enim alius radicem ex imbre maritat? Quis alius per occultas venarum fibras stellatos palmites laqueat? Quis turgentes botros ac velut in apices gemmatos impinguat, nisi is qui universa provocat et multiplicat? ut quod adstringitur in semine diffundatur in germine, et quod latet in grano silvescat in folio. Interea Ecclesia, quæ in mensa sæculi cum alieno viro polluta cubitabat, repentinis a Christo haustibus muneratur. Transeunt ad Christum nuptiæ. Qui enim vitavit, ipse dotavit. Arripuit Christus convivium, et Ecclesia mutavit sponsum. Pavit Christus, et exclusus est inimicus. Miscuit sui sanguinis potionem, et duxit uxorem. Aptavi inquit vos apostolus uni viro virginem castam exhibere Christo. Ecce illa quondam fecunda nunc formosa, ante adultera nunc matrona, stat a dextris Dei in vestitu deaurato, circumamicta varietate, per aquam mundata, per sanguinem purpurata, per resurrectionem Domini candidata, pretiosis gemmis gratiæ varietata (*f*) : et sicut dixit Scriptura, fulvi sunt oculi ejus a vino, et dentes ejus candidiores sunt lacte. Potemus ergo et nos vinum ejus cum lacte ejus, si volumus et in fide pulchrescere, et in virtute candescere, et in ornatu sanctæ Ecclesiæ radiare.

Accipite grande aliud a parvo mysterium. Aliquando et Judæa vinum in convivio suo non habuit, quia munus sacrati sanguinis non accepit; et dum legi nuberet, non invenit omnino quod biberet. Venit Christus, mutavit legem in gratiam, illam inflatricem, istam adjutricem. Fudit in legem sanguinis poculum, et fecit moriendo convivium. Gustavit architriclinus, id est mundi Dominus, aquam vinum factam, et dicit : Omnis homo primum vinum bonum ponit, et cum inebriati fuerint homines, id quod deterius est; tu autem servasti vinum bonum usque adhuc. Et lex enim sancta, ut mandatum sanctum et justum et bonum; sed lex et prophetæ usque ad Joannem prophetaverunt; et ideo adveniente Domino vina mosetica defecerunt, et vina sanguinis profluxerunt. Illa acceperunt terminum, ista sumserunt initium. Denique hoc est initium signorum quæ fecit Jesus, quando pavit gentes occisus, et de vino sui sanguinis fecit convivium vulneratus.

Hunc botrum in terra promissionis seu in cespite virginitatis exortum, aliquando Judæus in palanga (*g*) tanquam in præsagio futuræ crucis infixerat, sub quo curvaretur, non ex quo reficeretur. Jam enim de eis psalmus fuerat prælocutus : Obscurentur oculi eorum ne videant, et dorsum eorum semper incurva. Portabant igitur botrum duo, unus anterior, et alter posterior; in medio palmitis germinis propago pendebat. Primus indicabat populum Judæorum, secundus designabat populum gentium. Judæus quidem anteibat, sed contra botrum dorsa ponebat. Gentilis posterior ambulabat, sed botrum fidei oculis adtendebat, quia in pendente credebat. Posuerunt, inquit Dominus de Judæis, ad me dorsa et non facies suas. Primus aversabatur, secundus pascebatur; ille hæsitabat sub delicti onere, iste bibebat ex æthere. Judæo ergo botrus posterior, gentili erat anterior ;

(*a*) *Expectare* pro *spectare*, in aliis quoque vidi interdum codicibus. Nisi forte præstat scribere *expecture a cruce*.

(*b*) Ita cod.

(*c*) Ita cod. *botruo*. Et quidem aliquoties, sed non constanter, *botrius* et *botruum* in hoc sermone, nec non alibi apud Augustinum.

(*d*) Contra fati doctrinam sæpe scripsit Augustinus.

(*e*) Animadverte pulchrum vocabulum.

(*f*) Nota rursus vocabulum, nisi est pro *variegata*.

(*g*) Num. XIII, 24. Et quidem *palanga*, vel *phalanga*, dicebant præsertim Afri pro fuste, teste Plinio apud Forcell.

iliis in fine, nobis in principio; illos sequebatur ad supplicium, nos invitabat ad cibum. Itaque illi desiccati sunt et aruerunt, nos vero comedimus et bibimus et refecti sumus, per ipsum Jesum Christum qui vivit cum Patre et cum Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

## SERMO IV.

*De missa cotidiana.*

Congregatio beatitudinis vestræ, fratres carissimi, facit nos nimio gaudio esse repletos. Sed quia pavet pectus catenis corporis obligatum, non possum dicere quantum splendor animi vestri delectat audire. Tamen adgredior, ut arrha a Deo data clariore, et pignore splendidissimi luminis refulgente, palpitat sensus mei dicentis (*a*). Peto ut vestris auribus inseratis, fratres mei, officia sacerdotis, quibus per viscera misericordiæ incommodum (*b*) non desinet parturire, dicente apostolo Paulo : Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis. Sed illis ait apostolus, qui novellæ fidei, et rudis adhuc credulitatis primitiæ detinebantur in corde plantaria. Verum, propitio Deo, quia ita aput (*c*) vos fidei prærogativa veterescit, ut et nova sit, ideo novitatem tenet, ut vetus sit : quia sic scriptum est : Vinum bonum veterescit, et cum suavitate bibetur. Tamen celare non potui et diustius suppurgatum (*d*). Nolui videre quod lugeam, nolui videre quod doleam. Clamo quia pastor sum non mercenarius, qui viso lupo fugit, et oves ut pereant derelinquit. Clamo quia timeo, clamo quia doleo : clamando enim et me excuso, et vos non perdo. Nam si tacuero, et me non excuso, et vos perdo. Ait enim Deus per Esaiam prophetam : Exclama, inquit, in fortitudine tua, et noli parcere : sicut tuba exalta vocem tuam, annuntia plebi meæ peccata eorum, et domui Jacob facinora eorum. Ita enim devotio vestra refriguit, fratres mei, ut et illut sentiam, et metuam. Quod Dominus ait : eo quod facinus abundet, refrigescit caritas multorum, puto in vestra devotione compleri. Dum enim vos in domibus vestris sedere sectamini desertam facitis domum Dei.

Et audi quid per prophetam divina istiusmodi indignatio omnium mentes objurgat. Audi, christiane, quod timeas; audi, timorate, quod caveas : Pro eo quod domus sua deserta sit, ideoque cœlum abstinebit pluvias, et terra non dabit fructum suum, et inducam gladium super opera manuum hominum, quia Deus in ecclesiis non auditur. Quis ad hoc, fratres mei, intentus non visceribus contremescat? Quis non tantis comminationibus percussus arescat, quando sic audiat Dominum indignantem, eo quod domum suam desertam faciatis, (*et domus or*)ationis a conventu religioso sit vacua? Plena est populis platea, et silet ecclesia. Utique, prudens homo, non tibi dicitur ut ad domum Dei omni hora convenias. Si in matutinis vix una hora est, si in diebus festis vix duæ horæ sunt, ecce parum est quod a te exigit auctor tuus. Et non vis esse beatus? Vis tibi cœlum et terram, mare, et omnia elementa omnibus temporibus deservire, et non vis una hora vel duabus horis dominicæ devotioni vacare? Castigetur ergo pigritia vestra, ut procreationes suas non perdat terra. Inducetur gladius super opera manuum illorum, quia Deus in ecclesiis non auditur.

*Condemnat* nos pigritia nostra, fratres mei. Currit matutinus ad synagogam Judæus, festinat et vigilat ad templum paganus, et non vigilat aut festinat ad ecclesiam christianus. Magna confusio est christianis, qui provocantur venire ad domum Dei exemplo et contemplatione pejori; ut plus si Judæus in sua observatione sacrilegus, quam christianus in sua religione devotus. Vigilat gentilis ad idola profanus, et non vigilat aut festinat christianus ad ecclesiam pro quo crucifixus est Christus. Propterea castigat Deus terram, ut homo accipiat disciplinam : ut homo corripiatur, terra dar.... dicere. Vos facitis domum meam desertam, et ego desertam faciam terram vestram. Vos in veniendo ad me non datis mihi honorem, et ego vestrum intercidam laborem : quia qui honorificat me, inquit, et ego honorificabo eum.

Sed dicturus es mihi forsitan : dives sum, et facultatibus cunctis abundo, nihil indigeo, quid petere possum? Ergo ex te dives es? aut cum divitiis natus es? qui magis quantum dives es, tantum ad eum, cujus sunt divitiæ, manicare debes : quia meum est, inquit, aurum et argentum, et cui voluero dabo illud. Habes quod non accepisti? Si ergo accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Certe si accepisti, nihil habuisti, quia nudus ex utero matris tuæ in hoc sæculum devenisti, pannis obsitus, extrema egestate confectus, et jam sicut natus moriturus. Habes testem beatum Job dicentem : nudus exivi de ventre matris meæ, nudum me oportet ire in terram. Curris ad domum fœneratoris, adulatoria verba componis, et non curris ad domum Dei gratuito largitoris? Quæ est in vobis tanta pigritia, fratres mei, ut ad domum Dei minime vigiletis? Tibi dico, quisquis es, rustice piger : pigritaris ad domum Dei venire, et non pigritaris terram tuam excolere? Et nisi desuper tibi dederit pluviam, non poteris rumpere terram. Nihil tibi de suo præstare poterit, nisi desuper acceperit. Scriptum est enim : Desursum descendit a patre luminum, aput quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio. Sicut et in Evangelio scriptum est : Verum quærite regnum Dei primo et justitiam, et hæc omnia adponentur vobis. Ergo, fratres mei, ad ecclesiam Dei vigilare debetis. Hoc expectat Deus, ut illi tantummodo fatearis, et non sunt moræ ut saneris, nisi confessionem tuam solummodo quæsiturus. Explicit.

(*a*) Sic videbatur in codice, cujus mihi nunc revisendi copia non est.

(*b*) Id est molestiam per suum zelum creare.

(*c*) Prisca orthographia est, ut infra *illut*, *aliut*.

(*d*) Sic videbatur in codice.

# LECTIONES VARIANTES

# SERMONUM GENUINORUM SANCTI AUGUSTINI

## A BENEDICTINIS EDITORUM.

COLLECTÆ EX CODD. CASSINENSIBUS ET FLORENTINIS AB A. B. CAILLAU ET B. SAINT-YVES.

### SERMO II.

Habemus codicem Bibl. Florentinæ, nempe Sanctæ Crucis, plut. XVIII dext. cod. IV, fol. 126.

| EDITI. | CODEX. |
|---|---|
| N. 1. *Notissima pietas patris nostri Abrahæ.* | Cod. *Potissima patris nostri Abrahæ fides.* Vide variant. Maurin. |
| Ibid. *Et est quidem ita mirabilis.* | Id. *Et est quidem ita mirabile.* Vide ibid. |
| Ibid. *Quia de summa desperatione.* | Id. *Quia de summa eum desperatione.* |
| Ibid. *Nihil tam senex*, pessime. | Id. *Nihil jam senex.* |
| Ibid. *Cujus cor electum est.* | Id. melius cum editis, *cujus cor erectum est.* Vide variant. Maurin. |
| Ibid. *Devotioni obedientis.* | Id. *Devotioni obtemperantis.* |
| Ibid. *Ipsa mihi ergo.* | Id. melius, *ipse ergo mihi.* |
| Ibid. *Exigit ut occidam.* | Id. *Exigit ut occidatur.* |
| Ibid. *Jam in suscepto.* | Id. melius, *jam enim in suscepto.* |
| Ibid. *Quid Deus jubendo?* | Id. *Quam Deus jubendo?* Male, sed et male editi; evidens est legendum esse *quia.* |
| N. 2. *Legi veteri, Scripturæ sanctæ.* | Id. *Legis veteris, Scripturæ sanctæ.* |
| Ibid. *Phillippo, unde ememus panes ut manducent hi? et sequitur.* | Id. *Philippo habente panes, date illis manducare; et sequitur.* |
| N. 3. *Expectat audire qui patitur.* | Id. *Expectat audire quod patitur.* |
| N. 4. *Quid ergo dicimus?* | Id. *Quid ergo dicemus?* |
| N. 6. *Sed faciamus.* | Id. *Si faciamus.* |
| N. 7. *Diversa opera, sed ars una.* | Id. ut in variant. Maurin., *diverso opere, sed arte una.* |
| Ibid. *Tales ergo viros.* | Id. *Talis ergo viros.* |
| Ibid. *Christus inveniatur.* | Id. *Christus intelligatur :* alia desunt. Vide var. Maurin. |
| Ibid. *Quidquid Scriptura dicit de Abraham.* | Id. *Quidquid scriptum est de Abraham.* |
| Ibid. *Et prophetia.* | Id. *Prophetia;* desideratur *et.* |
| N. 8. *Sicut et immolare filium jussus obtemperat Deo*, male. | Id. *Sed sicut immolare filium jussus est, ita obtemperat Deo*, optime. |
| Ibid. *Deinde cum jam pène feriretur.* | Id. *Demum cum jam pene feriretur.* |
| Ibid. *Et non tamen sine sacrificio.* | Id. melius, *et tamen non sine sacrificio.* |
| N. 9. *Sine operibus legis. Latro qui*, etc. | Id. *Sine operibus legis. Quomodo?* etc. Cætera quæ leguntur in edit. penitus desunt, et eorum A loco habentur hæc : *Quomodo? intendite, fratres. Credidit aliquis; percepit fidei sacramenta in lecto et mortuus est. Defuit illi operandi tempus. Quid dicemus? quia non justificatus?* Deinde sequuntur alia aliunde assumpta, nempe ex sermone IX *de Decem chordis*; de quo infra. |

### SERMO IX.

Hic adsunt duo codices, nempe Cassinensis II, fol. 116, et Florentinus Bibl. Sanctæ Crucis, plut. XVIII dext., cod. IV, fol. 126 versus medium sermonis, ut pote qui cum præcedenti conjungatur.

| EDIT. | COD. IV. |
|---|---|
| Edit. N. 3. *Quid ad me pertinet? fortem me faciat.* | Cod. IV. *Sed quid ad me pertinet? fortem me facict.* |
| N. 4. *Illud vero malum late serpens plus occupavit.* | Id. *Hoc vitium late serpens piures occupavit.* |
| Ibid. *Virum ad forum quia inventus est.* | Id. *Virum ad forum qui inventus est.* |
| N. 6. *Ei nullam similitudinem.* | Id. ut fere omnes codd., *et nullam.* Vide var. Maurin. |
| Ibid. *Creaturam aliquam, per quem.* | Id. *Creaturam aliquam, cum per ipsum.* |
| Ibid. *Quia ipse unus Deus.* | Id. *Quia vero ipse unus Deus.* |
| Ibid. *Mites, simus in Deo.* | Id. *Mites, ut simus in Deo.* |
| Ibid. *Quod diximus, quod carnaliter.* | Id. *Quod diximus, quia carnaliter.* |
| Ibid. *Nam quia Spiritus sanctus dicitur* [quidam codices, *septiformis dicitur*], *propterea septimum diem sanctificavit Deus, quando fecit omnia opera sua, sicut in Genesi scriptum legimus. Non ibi habes nominatam sanctificationem, nisi illo die ubi dicitur, Requievit Deus ab operibus suis. Non enim*, etc. | Id. *Nam propterea septimum diem sanctificavit Deus, quando inter omnia opera sua ipsum tantummodo sanctificavit, in quo requievit. Non enim*, etc.; et deinde *requievit*, nec legitur *ab operibus suis.* |
| Ibid. *Et sic dicitur, Requievit.* | Id. *Et sicut dicitur, Requievit.* |
| Ibid. *Septimus iste dies non habet vesperam, ubi Deus sanctificavit requiem. Dicitur ibi*, etc. | Id. habet solummodo : *de septimo dictum est, Factum est mane.* Cod. autem II, *septimus iste dies non habet vesperam. Nam et in prima die dicitur, Factum est vespere; et in secundo, et in tertio, et in quarto, et in quinto, et in sexto die dicitur, Factum est vespere. Venitur ad septimum, ubi Deus sanctificavit requiem. Dicitur ibi*, etc. |
| Ibid. *Quidquid facimus, si facimus.* | Cod. IV, *quidquid boni facimus, si tamen facimus.* |
| N. 7. *Quibus parere poterit.* | Id., ut omnes alii codd., *quibus parcere poterit.* |
| Ibid. *Ad dilectionem proximi.* | Id. *Pertinens ad dilectionem proximi.* |

# SERMONES QUATUOR SANCTO AUGUSTINO ATTRIBUTI*.

## I.

*Fratres si conresurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt querite, ubi Christus est in dextera Dei sedens*, etc. (*Coloss.* III, 1). Domini nostri Jesu Christi honorabilem sollempnitatem sua favente clementia, fratres karissimi, fideliter veneremur pietatemq. ejus ineffabilem ad memoriam revocemus, qui non solum nostræ redemptionis causa humanam carnem suscepit, verum etiam diversa genera pœnarum pro nostra salute subire dignatus est. Et licet post multum inerciæ et pigritiæ nostræ somnium non inviti, sed volontariæ sanctæ et Christianæ religionis dulcedine provocante in sanctissime sollempnitatis conventu expergefacti, libenter et devote cum omni sollicitudine resurgamus secundum illud quod Apostolus ait in presenti lectione : *Si conresurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt querite, ubi Christus est ad dexteram Dei sedens. Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Acsi dicatur : Nos qui ad imaginem sanctæ Trinitatis conditi sumus, trina submersione baptizati per invocationem ejusdem sanctæ Trinitatis, ad eamdem renovamur imaginem. Et qui trino peccato maxime decidimus in mortem, idest in cogitatione iniqua, in dilectatione carnis consensu operum malorum, tertio elevati de fonte, remissione omnium peccatorum precepta [percepta], per Christi gratiam, sicut ipse tertia die resurrexit, nos resurgamus ad vitam. Nos vero si consurgere cupimus cum Christo, prius moriamur mundo et concupiscentiis carnalibus, et deponamus veterem hominem, id est malam voluntatem, vel usum pravum et delectationes pessimas; induamus nos benignitatem, et proximis nostris cum omni devotione bona faciamus; et post Domini dilectionem nihil amori proximi preponamus, sed ut nos ipsos illos diligamus.

Sequitur : *Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram;* tantum ea quæ celestia sunt, non quæ terrestria querentes ; terræ mori, vivere autem Domino ; celestem sectari sapientiam, non terrenam. Nam subditur : *Mortui enim estis, et vita nostra abscondita est cum Christo in Domino...* Cum enim mortui erimus mundo et facultatibus ejus atque desideriis ejus, vita nostra abscondita est cum Christo in Domino, *quia filii Domini sumus.* Unde sequitur : *Cum enim Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria.* Nondum enim apparet quid aut quales futuri sumus ad judicium ; cum autem Christus ad judicandos vivos et mortuos apparuerit, tunc et nos simul cum ipso apparebimus in gloria resurrecturi. Nobis enim et pro nobis nascitur Christus, patitur et resurgit, ut nos in vitam per ipsum renascamur, in tribulationibus et cum eo conpatiamur, et cum eo virtutibus resurgamus. Omnia per ipsum in hac nocte restaurata sunt ; in hac quippe nocte quasi primitiæ dormientium resurrexit, ut nos omnes postea resurgamus. In hac ergo nocte captivitas nostra solvitur, vita in Adam amissa restauratur; in hac nocte protoplaustus Adam peregrinus redit ad patriam paradysi. Ab hac enim nocte Dominicæ resurrectionis paradysus omnibus patet ; nulli clauditur nisi a se ipso ; nulli aperitur nisi a Christo. Et ideo cum omni sollicitudine caveamus ne propter opera diaboli quæ pertrahunt ad interitum, apertum nobis iter regni celestis nos ipsi claudamus ; sed potius per opera justitiæ et misericordiæ planum nobis iter faciamus ad regna celorum. Ergo humilitate nostra humilitatem pro nobis Domini nostri in memoriam revocemus ; humiliter in ista vigilemus, humiliter oremus ad eum qui nobis gloria sui nominis inluminavit hanc noctem. Cui dicimus : Dominus meus, inlumina tenebras meas; illumque rogemus ut prebeat lucem cordibus nostris, ut quemadmodum gaudentibus oculis istum splendorem luminum cernimus, ita hujus noctis præclaram gloriam inluminata mente videamus; ipsumque precemur ut exaudiat nos vigilantes in sollempnitate sua, quod dormiunt [*sic* mss.] pro salute nostra.

Vigilemus ergo et oremus, forinsecus et intrinsecus hanc vigiliam celebremus. Dominus nobis loquitur in lectionibus suis ; Domino loquamur in precibus nostris. Si eloquia ejus obedienter audiamus, in nobis habitat quem rogamus : cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

## II.

*Fratres, expurgate vetus fermentum, ut sitis nova consparsio, sicut estis azimi*, etc. (*I Cor.* v, 7). Resurrectio Domini nostri Jesu Christi, fratres karissimi, fidem nostram roborat cum facta creditur, memoriam ejus renovat cum sollempniter celebratur. Denique cum ante annos plurimos Christus resurrexit, non absurde dicimus, quando anniversario reditu ista sollempnitas presentatur : Hodie Dominus resurrexit. Quod ergo annis omnibus iteratur cum omni devotione agere debemus. Et quod factum est semel ut redimeremur, hoc institutum est ne obliviscaremur ; nam qui istum diem digne cupit celebrare, meminere debet quod apostolus Paulus ait in presenti lectione : *Expurgate vetus fermentum, ut sitis*

* Ex his quatuor sermonibus duos priores, in loca S. Pauli adornatos, titulo autem et nomine carentes, suppeditavit doctissimus bibliothecæ Abrincensis præfectus, qui eos, nobis rogantibus, ex manuscripto IX vel X sæculi n° 2904, non sine ingenti labore exscribere dignatus est. In fronte hujus manuscripti, manu, ut peritis videtur, Mabillonii, scriptum est : *Quod lectiones in Pauli epistolas Augustini sint.* Duos posteriores ex altero ejusdem bibliothecæ manuscripto excerpsit M. Felix Ravaisson, opusculoque inseruit cui titulus : *Rapports sur les bibliothèques des départements de l'Ouest. Paris* 1841. EDIT.

*nova consparsio, sicut estis azimi.* Excludendum est ergo omne fermentum peccati de cordibus nostris ut pura mente et recta conscientia tamquam panes azimi efficiamus, ut recte Pascha Domini celebrare possimus. Verum si fermentum peccati et malitiæ in corde teneamur, non meremur Pascha Domini celebrare; et ideo Apostolus ait: *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova consparsio, sicut estis azimi.* Azimi sumus, si alieni sumus ab omni conscriptione peccati. Modicum enim *fermentum*, ut Paulus ait, *totam massam corrumpit.* Et ideo expurgare et abicere debemus a nobis omne fermentum peccati, ut frui tantæ Paschæ sollempnitate mereamur. Quia ergo participes nos facere tantæ Paschæ Dominus voluit, oremus ut sacramenta ejus digne sumamus, ut jure benedictionem consequamur. Hæc est, fratres karissimi, dies Dominicæ resurrectionis, et nostræ initium redemptionis, *hæc* est, inquam, *dies quam fecit Dominus; exultemus et letemur in ea.* Hanc omnes voce consona, leto spiritu, corde contrito celebremus, et agamus spiritalem in psalmis et hymnis letitiam, in memoriam passionis et resurrectionis Christi in spe futuræ vitæ letitiam *: Ecce ista die quando audivimus Alleluia, quodam modo letatur spiritus noster, et jocunditate totus perfunditur; alleluia namque laus in excelsis Domino dicitur, quod nobis convenit ut devota mente omni tempore, die tamen isto precipue laudem in excelsis Domino decantemus; id est non solum ore, sed etiam opere perfecto Dominum Deum nostrum voce et corde in laudibus exaltare studeamus, ut nos in celesti vita per illum exaltare mereamur, qui cum Domino Patre et Spiritu sancto vivit et regnat unus Deus per inmortalia secula seculorum. Amen.

## III.

Exulta, cœlum, et in lætitia esto, terra. Iste dies vobis amplius ex sepulchro radiavit quam de sole refulsit. Ovet et infernus, quia vita ad se descendente a sua impietate resolutus est. Gaudeat, quia in sedibus suis descendente Domino visitatus est. Exultet homo Adam, quia ignotam lucem post sæcula longa vidit, et inter profundæ noctis caligines suffocatus tenebris respiravit. O pulchra lux! quæ de candido cœli fastigio prömicasti, et post fluenta purpurea sedentes in tenebris et umbra mortis subita claritate vestisti. Confestim igitur æterna nox inferorum, Christo descendente, resplenduit. Siluit stridor ille lugentium; cecidere vincula dampnatorum. Attonitæ mentes obstupuere tortorum; omnis simul impia officina contremuit, cum Christum repente in suis sedibus vidit. Quisnam enim, inquiunt, iste terribilis et niveo splendore coruscus? Nunquam talem noster excepit Tartarus; nunquam in nostram cavernam talem vomit mundus. Judicem videmus, non supplicem; pugnare venit, non succumbere, eripere, non manere. Ubinam, putatis, janitores nostri dormierant. cum iste debellator nostra claustra vexabat? Iste si reus esset, audax non esset. Si eum aliqua delicta fuscarent, nunquam fulgore suo nostras tenebras dissiparet. Sed si Deus est, qui in sepulchro facit? Si homo est, quare captivos solvit? Numquidnam iste cum auctore nostro pacta composuit? An forte et ipsum adgressus vicit, et sic ad regna nostra transivit? Certe mortuus erat, certe victus erat. Illusus est prælíator noster in mundo; nescit quam stragem procuraverit in inferno. O crux illa, fallens gaudia vestra, et parturiens damna nostra. Per lignum ditati sumus, per lignum evertimur. Perit potes as illa, cunctis semper populis formidata. Nullus sub cede nostra captivus nunc palpitat. En quod gemendum est et insultat. Nusquam antiqui fletus, nulli jam resonant ejulatus. Turbidum specus obmutuit. Putasne iste sine nostro excidio redit? Nemo unquam ad nos vivus intravit. Nemo sic audax fuit. Nemo sic carnifices terruit. Nunquam in hoc hiatu nigra caligine cæco jocundum lumen apparuit. An forte sol de mundo migravit? Sed nec cœlum nobis astraque parent, et tamen infernus lucet. Quid agimus? Quo vertimur? Defendere contra istum cruentas domus et obtinere cavernæ nostræ custodias non possumus. Male intrati sumus. Tantam lucem obtinere nequimus; opprimere tanta virtute præditum non valemus. Nostra quoque colla urgeri conspicimus, et de nostro insuper nunc interitu formidamus. Noctis nostræ tenebris contenti simus. Antris nostris occulimur. Quare radiis prodimur? Quare violentia disturbamur? Quare in nostris sedibus captivamur?

Mox igitur Christus in ipsos crudeles pœnarum ministros aciem dirigit, atque implacabiles turmas framea divina concidit. Premuntur diri sub tortore carnifices, et rabidiores adactis stridoribus contabescunt. Ipsa quoque antra ferrei cubilis intrantur, et fortes a fortiore æternis vinculis colligantur. Hoc et Dominus ipse promiserat, dicens: *Nemo intrat in domum fortis et vasa ejus diripiet, nisi prius alligaverit fortem, et tunc vasa ejus diripiet.* Tristes igitur mox lugentesque diurno squalore turbæ populique vexati concurrunt, et redemptoris nostri vestigiis provolvuntur. Ecce apostolica dicta probantur: *Ut in nomine Domini omne genu flectatur cœlestium et terrestrium et infernorum.* Mox ergo captivæ animæ, de custodiis relaxatæ tartareis, proruunt, regi sæculorum mœsta supplicatione deplorant: « Venisti tandem, o clementissime Jhesu; succurre jam et parce defessis. Nunc, Christe, sævas extingue minas, jam miserandos resolve gemitus. Redemisti vivos cruce tua; eripe et mortuos morte tua. Pari nobiscum labe mundus interierat. Ad adventum tuum omnis creatura suspirabat. Tibi nostra tormenta suspirabant. Te semper infernus iste pallebat. Dum hic es, absolve reos; dum ascenderis, defende tuos. Tu solus caput draconis comminuere potuisti. Tu portas æreas et vectes ferreos voluisti conterere. Pateat, quæso,

Redundare videtur vox *letitiam*. Edit.

cantibus janua: lux non desit pia. Et si redis ad corpus, majestate tua non privetur infernus. »

Post auditas itaque preces, post compositas leges, post demersos alta voragine (*Leg.* voraginis?) fossa tortores judex noster hodie de inferis laureatus exivit. Nec canditatum officium defuit; sed læta cum principe suo omnis beatorum toga processit. Repedat igitur ad stadium triumphator iterum vivus, ut noverit omnis mundus quod rediit ab inferis Christus. Glorientur ergo credentes; plaudent manibus omnis gens, quia rex noster in sæculo triumphavit, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, pro nobis crucifixus et resuscitatus, in sæcula sæculorum. Amen.

## IV.

*Sermo inlustrissimi doctoris sancti Augustini, de resurrectione Domini nostri Jhesu Christi dedicatus.*

Salve, dies æternis frequentande conventibus. Te oriente, vita resurgit; te radiante, lumen redit, et in natales tuos, inferni exclusa caligine, sol justitiæ reviviscit. Non equidem moritur Deus, nec æternitas fine taxatur, aut lumen majestatis extinguitur; sed cum a Deo mors appetitur, per hominem homini subvenitur. Post triumphos igitur crucis, post vexilla victricia Christus ovans inferos petit debellaturus et mortem, qui mortis captivaverat auctorem. O mirabile, fratres, prælium, et facies nova recuperatæ victoriæ! De ligno Christus vicit, unde diabolus ante viceA rat; et suis armis prostratus est qui prostraverat; ipsaque illi facta est pœna quæ fuerat ante victoria. Pugnavit igitur pro mundo Deus, et celata paululum majestate, ut daret hosti fiduciam, virtutem simulavit infirmam. Agebatur enim causa sæculi per sapientiam Dei. Tenebatur ut vinctus, audiebatur ut reus, verberabatur et conspuebatur ut ignobilis et captivus. Ille vero suas vires ad hoc occultando premebat, donec mortuus vinceret quem parabat. Refrenabat potentiam, ut totam impleret in conflictu justitiam, et plenam in resurgendo victoriam. Hinc ad arborem venit, unde jura mortis exierant. Ubi vero ascendit arcem sceleris, ibi subjecit fastigium inimici virtutis. Illa quondam mater et origo pœnarum nescia suscepit justum, figit, affligit; non est culpa, et sævit pœna. O crudelissime justicida! amisisti causæ tuæ subsidia. ReB clamat contra te crux ipsa, mortis et vulneris officina repulsat. Non agnosco, inquit, reum esse quem punio; non sunt ista mei germinis poma, nichil hic caput meam; falleris quia fetum mihi conseris alienum. Nil iste habet ex meo; quare pendit me? Similitudinem speciei video, nam virus in eo vernaculum non agnosco. Tunc ille fortis in prælio, justus in patibulo, innocens in alieno tormento, cornua peccati manibus mundis obtrivit, et dum se totum in ligno figit, aculeum mortis obtundit, et peccatum quod arbor generabat occidit. Sanguis mox fusus a latere diluit, quicquid ante crimen infecit, et ex pollutis ramusculis crux candida radiavit. Cucurrit cruor innocuus per pœnales ligni noxias fibras, et medicante pariunt deinceps sacramenta salutis, quæ præbuerant mortis alimenta victuris. Adhuc tamen diabolus nescius vicisse gloriatur, et victum videt crucifixum, videt mortuum, insuper et percussum, et quasi de opima cede letus, nihil est ultra sollicitus. En, inquit, ille qui se Dei sobolem præferre solebat, qui sibi fidem miraculis conciliaverat, qui socios et participes meos de corporibus animisque humanis dejecerat, qui me insuper prælio temptare est ausus. Mundum, quem ab origine teneo certaminis lege et victoriæ jure C captivum, meis manibus eximere gestiebat. Modo, si fortis est, vincat; modo, si prævalet, surgat; modo, si Deus est, reviviscat. O diabole! ignare exitus tui, fallit te ista victoria; gaudia tua non erunt leta sed tristia. In perniciem tuam Judeorum linguas armasti; te illis jaculis peremisti. Illud quidem quod passus est voluit, nobisque consuluit. Nam tum cum justum occidisti, reos quos tenueras amisisti. Sed paululum patere; noli insolentius nec imprudentius exultare. Ecce enim inferi contremiscunt vivum, quem tu gaudebas occisum. Jam ille antiquos carceres fregit, jam prædas tuas diripuit, et cruentos ministros tuæ ferocitatis afflixit. Hoccine est vicisse, an vitam ad mortuos transmisisse? Pone hic, sceleratissime, rationem; penset justicia magistra judiD cium. Mortificasti a principio mundum quem ipse feceras reum; commissam noxam justa ultio sequebatur. Hunc autem nec sua nec aliena culpa devinxerat. Cur ingessisti mortem, ubi non inveneras crimen? Cur supplicium intulisti, ubi delictum invenire non potuisti? Injuste ergo justum pro injusto punisti; juste injustum pro quo justum necaveras amisisti. Mutet jam reus condicionem, quia causa nostra partem tenuit meliorem. Orta est in servitute libertas, facta est in dominatione captivitas. Sublatum est jugum condicionis antiquæ; nunc indulgentia regnat pietatis et gratiæ. Christus enim surgens a mortuis de sepulchro, nobis hodie radiavit; nec anima tardavit in inferno, nec caro remansit in tumulo, sicut scriptum est : *Quia non derelinques animam meam in inferno, neque dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Ecce nunc Christus mox ut voluit resurrexit. Ubi est mors quam inimicus ingessit? Magnum est, fratres, pietatis indicium, quod sic moriendo Christus vivificavit sæculum, ut eum non teneret mors ipsa captivum. Ergo et causam nostram misericordi bonitate peregit, et suæ potentiæ nihil ademit, quia, statim ut ei placuit, et revixit, qui vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

# SOLILOQUIORUM
# SANCTO AUGUSTINO ADSCRIPTORUM
# *CAPUT POSTREMUM,*

A J. TROMBELLI E TENEBRIS ERUTUM

JOANNES CHRYSOSTOMUS TROMBELLI LECTORI.

Novimus quidem librum eum, qui *Augustini soliloquia* inscribitur, ab Augustino Hipponensi Episcopo, ac præclarissimo Ecclesiæ Doctore non esse compositum : at novimus etiam, a laudabili Scriptore eum prodiisse. Gratum itaque, ut puto, Lectori erit, si quæ in codice, quem e selecta sua bibliotheca mihi dono misit nobilissimus, atque humanissimus vir Faustinus Avogadro, Comes Brixianus, eidem libello adjecta invenimus, evulgemus. Plurimis quidem in locis, imo identidem codex ille a Soliloquiorum editionibus diversus est : at nos postremum duntaxat ejus libri caput, quod nondum est editum, proferendum censuimus. De pretio tamen, atque auctoritate hujusce additamenti Lectori dijudicandum relinquimus. En ea itaque quæ post voces illas *canos meos* invenimus (*a*).

## *INCIPIT*

## SOLILOQUIORUM CAPUT POSTREMUM.

Pius ut Deus te ducat ad sublimia sua, introduc eum ad intima tua ; certum enim tibi sit, quod delictum tuum nimis diligis, si quamvis fortasse summe, nondum eum tamen singulariter diligis : quod est, si alienam aliquam consolationem quæris, vel recipis. Cogita ergo, quid sit, quod in vita tua ardentius dilexisti, anxius concupisti, quod te jucundius afficiebat, ceterisque omnibus profundius delectabat, vel potuit delectare. Considera ergo, si eandem affectionis violentiam, delectationis abundantiam sentis, quando in summi dilectoris desiderium inardescis, quando in ejus dilectione requiescis : dubium enim non est, quod illum affectionis tuæ sinum nondum tenet, si intimæ dilectionis tuæ aculeus animam tuam in divinis affectibus minus penetrat, tepidius exagitat, quam in alienis affectibus aliquando penetrare, vel exagitare solebat, vel posset aliquo modo tractus (*b*) alicujus affici : tu quoque ab eo minus diligeris, si ad theoricos illos excessus nondum vocaris, vel vocantem sequi nondum merueris. *Jam non dicam*, inquit, *vos servos*, *sed amicos meos*, *quia omnia*, *quæcunque audivi a Patre meo*, *nota feci vobis* (*c*). Sublimitas ergo divinarum revelationum est manifestum indicium, quod perfecte diligis, vel diligeris, si in summorum desiderio ad superna raperis, et in anagogicos illos conatus mentis alienatione transis. Et qui huic contemplationis virtuti vult vacare, necesse est, ut discat requiescere non solum ab operibus malis, sed etiam a cogitationibus supervacuis. Opus etiam est compunctione, suspiriisque magis, quam argumentis : crebris gemitibus magis, quam copiosis argumentationibus ; lacrymis, quam sententiis ; oratione, quam lectione ; gratia lacrymarum, quam scientia litterarum ; cœlestium potius contemplatione, quam terrestrium occupatione. O lux mentium Deus, expelle a me stultitiæ noctem, et dona mihi sapientiæ diem : erue veritates, et justitiæ solem de profundissimis naturæ tuæ sinibus omnem intellectum superantibus in æthere animi mei : super terram cordis mei extingue phantasias corporum, et phantasmata variarum cogitationum mearum. Crea prolem intelligentiarum tuarum in utero mentis meæ. Effunde spiritum tuum super aquas infirmitatis meæ, ut conversus ad te, conformis Filii tui, videam te in te, et omnia sub te. O tu purissima veritas, tu vide te in me, tu intellige te in me. Per me enim non video nisi vana, fluxa, et caduca, nec video nisi falsa, et corporea plasmata : per me nihil sum, nisi mors, et abyssus tenebrosa, et imperfecta. In te sum quod sum ; in te vivo quod vivo : in te intelligo quod intelligo, quia tu es summa intelligentia, essentia summa, vita summa, Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus, unitas triplex, infinita, et sine fine Deus unus in secula seculorum. Amen.

(*a*) Confer operum S. Augustini editionem nostram tom. VI col. 863-898. EDIT.

(*b*) Fortasse legendum est *tractu*.

(*c*) Joan. xv, 15.

Ibid. *Si in psalterio decem chordarum volumus cantare canticum novum.*

N. 8. *Et quicumque obtemperabant, timore obtemperabant pœnæ.*

Ibid. *Cantanti enim voluptas est, timenti onus est.*

Ibid. *Nondum delectat castitas.*

Ibid. *A factis temperat.*

Ibid. *Concupiscentiam ipsam damnans.*

N. 9. *Tali cogitatione ut dicant sibi.*

Ibid. *Si fieri posset*, et reliqua usque ad *mitteret in gehennas.*

Ibid. *Id est, verbum Dei.*

Ibid. *Sed aliter impressa est in nummo, aliter in filio, aliter in solido aureo imago imperatoris.*

Ibid. *Te ut muteris hortatur.*

Ibid. *Tu odisse te qualis es.*

N. 10. *Sic odium, concupiscentia, luxuria.*

Ibid. *Et pejorem*, male.

N. 12. *Nec amara sunt.*

Ibid. *Illa erubescit viro, tu non erubescis Christo.*

Ibid. *Si quis volutatur*

Ibid. *Blande accipitur*

Ibid. *Victus a libidine*

Ibid. *Si spectares.*

N. 13. *Has pugnas facis in occulto, et non*, etc.

Ibid. *Tange easdem decem chordas, et feras occides.*

Ibid. *Hæresum, quæ id putaverunt*, absque sensu.

Ibid. *Bestia falsitatis.*

Ibid. *Societate versaris. Tangens*, etc.

Ibid. *Quot bestias occidis? Nam multa capita sunt sub his capitibus.*

N. 14. *Uxorem non habeo.*

Ibid. *Quo nervo ligemus fugitivum istum?*

N. 15. *Per diffluentias libidinis; attendis*, etc.

N. 16. *Meliorem habeas tu servum, quam te Deus. Jubet Deus servo tuo*, etc.

Id. *Cantemus in psalterio decem chordarum, si volumus cantare canticum novum.*

Id. *Et quisquis obtemperabat, timore pœnæ id agebat.*

Id. *Amanti enim voluptas, timenti onus.*

Id. *Nondum illum delectat castitas.*

Id. *A malis factis temperat.*

Id. *Concupiscentiam suam damnat.*

Id. *Dicendo sibi.*

Id. solummodo habet: *O si indulgeret Deus, et non mitteret in gehennam.*

Id. *Id est Deus verbum Dei.*

Id. *Sed aliter impressa est in nummo, aliter habetur in filio;* cætera desunt, et quidem bene.

Id. *Te ut imiteris hortatur.*

Id. *Odisse te talem qualis es.*

Id. *Sic odium, sic concupiscentia, sic luxuria.*

Id. *Pejorem* sine *et*, bene.

Id. *Nec amara sint.*

Id. *Illa erubescit viros, tu non erubescis Christum.*

Id. *Si quis voluptatus fuerit.*

Id. *Et carus accipitur.*

Id. *Victus libidine.*

Id. addit *in amphitheatro.* Vide var. Maurin.

Id. *Has pugnas fac in occulto, ut non*, etc.

Id. *Tangis easdem decem chordas, et feras occidis.*

Id. *Hæresum;* cætera bene desunt.

Id. *Bestia fallacitatis.*

Cod. II. *Societate versaris. Nulla bestia subrepit in humanitatem; humana enim societas ex eo conficitur, ut unusquisque ea quæ sua, quæ justa possidet, securus possideat. Tangens*, etc. Hoc glossam credideram.

Id. *Quot bestias occidi et capita diximus?* Cod. IV. *Nam multæ bestiæ sunt sub his capitibus.*

Cod. IV. *Adhuc uxorem non habeo.*

Cod. II. *Quo cervum istum ligemus?*

Id. *Per diffluentias libidinis, cui fit injuria nisi Deo. Attendis*, etc.

Id. *Meliorem habeas tu servum, quam te Deus. Meliorem si vis habere servum, quam Deus habeat habeat servum bonum quam tu. Te bonum servum non exhibes Deo, et exigis a servo tuo ut bonus sit circa te, qui non vis esse bonus circa Deum. Ecce jubet Deus servo tuo*, etc.

N. 17. *Non possunt, nisi subrepere.*

Ibid. *Bestiæ multæ minutæ necant.*

Ibid. *Non sunt quidem majores.*

Ibid. *Ex quo tibi abundat.*

N. 18. *Aliud est ubi toleres vitam.*

Ibid. *Si ibas ad mathematicum et ad cæteras pestes sacrilegas, jam desine. Arbitraris*, etc.

N. 19. *Nec sic ores quemadmodum iste Pharisæus.*

Ibid. *Et nondum fusus*, etc.

Ibid. *Ideo tu magnum aliquid facis; sed quia gaudetur ad quædam*, etc.

N. 20. *Servat tibi pater tuus.*

Ibid. *Filios tuos patrimonio tuo.*

Ibid. *Illi debetur ad quem perrexit; Christo debetur, ad ipsum enim perrexit, et ipse dixit*, etc.

Ibid. *An non potest mitti in cœlum? Potest prorsus. Audi ipsum Dominum dicentem.*

Ibid. *Tenebitur hic ubi potest perire, non mittitur illuc ubi Christus est custos?*

Ibid. *Præcessit. An idoneus est*, etc.

N. 21. *Ecce non jubet Christus.*

Ibid. *Sed eos ipsos moribus vestris hortemini.*

Ibid. *In eleemosynis propter minuta peccata.*

Cod. IV. *Non possunt non subrepere.*

Id. *Bestiæ multæ minutæ hominem occidunt.*

Id. *Non sunt quidem bestiæ majores.*

Id. *Ex eo quod tibi abundat.*

Id. *Aliud ubi colores vitam.*

Cod. II. *Si ibas ad augures, noli pergere, maxime cum hoc peccatum gravius sit, et sit bestia quæ guttur frangat. An arbitraris*, etc.

Id. addit, *nec sic descendas de templo non justificatus.*

Id. *Et nondum erat redemptus. Et quid dico, nondum erat redemptus? Nondum erat fusus*, etc.

Id. *Et tu aliquid facis, sed quia illo nihil faciente, magnum aliquid te fecisse arbitraris; et quia sic gaudetur*, etc. Cod. IV. *Quid gaudetur ob quædam*, etc.

Cod. IV. *Servavit tibi pater tuus.*

Id. *Filiis tuis patrimonium tuum.* Vide var. M. II in.

Id. *Illi debetur, ad quem perrexit; Christo debetur, quia ipse dixit*, etc.

Id. *An non potest mitti in cœlum? Potest prorsus, sicut dixit Dominus.* Cod. II *An non potest mitti in cœlum? Potest prorsus. Audi quia quod das, in cœlum mittis*, etc.

Cod. IV. *Non teneatur hic ubi potest perire, sed illuc mittatur, ubi sine periculo servetur.*

Cod. II. *Præcessit. Partem illius Christo commenda. An idoneus*, etc.

Cod. IV. *Ecce nunc jubet Christus.*

Id. *Sed eos ipsi moribus vestris adhortemini.*

Id. *In eleemosynis, redimendo minuta peccata.*

In cod. II totus numerus 21 differt, exceptis duobus ultimis sententiis; sic enim apud hunc legitur: *Videtis ergo, fratres mei, Christi misericordiam; Deo gratias, quia per pericula ista mortifera viventes auditis. Nemo vos fallat; odit ista Deus, vindicat ista Deus. Ideo parcit, ut mutemini; ideo nunc non vindicat ista Deus, ut convertamini ad illum. Nam vindicabit postea, si conversi non fueritis. Ideo non vindicat, ut vias vestras mutetis, ut corrigere valeatis in conspectu ejus mores vestros. Omnis ibi securitas, ubi nihil tale patiaris, nihil tale tolerare, nihil tale devitare jubearis. Non frangis panem egeno, quia nemo ibi esurit; non vestis nudum, quia omnes immortalitate vestiti sunt; non suscipis peregrinum, quia omnes in patria sua vivunt; non visitas ægrum, quia omnes perpetuo sani*

*sunt: non sepelis mortuum, quia semper ibi vivitur; non concordas litigioso, quia æterna ibi pax. Omnis ibi securitas*, etc. Vide serm. XI, n. 1.

## SERMO XX.

Legitur ejus pars quædam post fragmentum Quæstionum Evangeliorum, in tribus codicibus Florentinis, nempe Bibl. Laurent., plut. XVIII, cod. XXIII, fol. 93; ibid. cod. XXIV, fol. 118 *b*; et Bibl. Mugell., cod. XVI, fol. 124.

Edit. N. 1. *In ejus gratiam manifestabimus vobis.*
Cod. XVI. *In ejus gratia ministrabimus vobis.*

N. 2. *Nam et inde oravit quodam in psalmo.*
Cod. XXIII. *Nam idem oravit quodam in psalmo.*

Ibid. *Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium continentiæ circum labia mea.*
Codd. *Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis, vel continentiæ circa* B *labia mea.*

Ibid. *Sed persuasum est? Non excusetur.*
Cod. XVI. *Si persuasum est, non excusetur.*

Ibid. *Nam si advertit, evertit.*
Sic et nostri codd., sed potius legendum videretur cum ipso Augustino Enar. in psalm. L, n. 14, *Si advertit, animadvertit.*

Ibid. *Quoniam ante me est, ne sit ante te.*
Iid. *Quoniam ante me est, non sit ante te.*

N. 3. *Ut quoniam peccavit et graviter peccavit.*
Iid. *Et quoniam peccavit, et graviter peccavit.*

Ibid. *Trahendum omnibus cupiditatibus. Facit quidquid libet.*
Iid. *Trahendum omnibus cupiditatibus, facere quidquid libet.*

Ibid. *Rursus recreata anima, si his verbis crediderit, a desperationis malo, inveniet aliam foveam.*
Iid. *Rursus recreatur anima in his verbis, liberata a desperationis malo, invenit aliam foveam.*

Ibid. *Quid dicemus? quia non quando se converterit, curat Deus pœnitentiam? Dimittit Deus omnia peccata præterita.*
Cod. XVI et XXIV. *Quid dicimus? quia non quando* C *se converterit, curat Deus pœnitentiam, et dimittit Deus omnia peccata?*

Ibid. *Ut faciant homines quidquid volunt, promissa venia, promissa impunitate, cum se converterint? Laxant*, etc.
Iid. *Ut faciant homines quidquid volunt. Promissa venia, promissa impunitate, cum se converterint, laxant*, etc.

## SERMO XXVI.

Habetur hic sermo in cod. Cass. II, fol. 179.

Bened. Titul. *De verbis psalmi*, etc.
Cod. addit: *Habitus in basilica Theodosiana.* Hanc additionem emiserunt edit. Gaume, sed non indicaverunt originem.

N. 9. *Quare autem dabatur lex.*
Id. *Quare data est lex.*

## SERMO XXVIII.

Habemus hunc sermonem in cod. Cass. II, fol. 132, D in quo magni momenti variantes reperiuntur lectiones. Plura ex cod. Romano correxerunt editores novi (FF. Gaume), unde concludendum Italicos codices non ita esse despiciendos, corrigendosque esse aliquando Maurinenses; et correctiones eorum plures confirmat hic noster codex.

Bened. N. 2. *Est lumen cordi nostro cui dicimus: Auditui nostro*, etc.
Cod. *Est lumen cordi nostro, cui dicimus: In lumine tuo videbimus lumen. Est sonus cordi nostro cui dicimus: Auditui*, etc.

Ibid. *Nusquam deest, nec de transmarinis*, etc.
Rom. *Nusquam deest, non de aquis præparatur nobis, nec de transmarinis*, etc.

N. 4. *Totum divideretis vobis, tanto minus haberetis.*
Id. *Totum divideretis vobis, quod posuissem, et quanto plures essetis, tanto minus haberetis.*

N. 5. *Si potuit hoc facere intellectus meus de voce mea. Ecce enim*, etc.
Id. *Si potuit hoc facere intellectus meus de voce mea, non potuit verbum Dei de carne sua.*

Hic adjungimus quasdam alias variantes ex cod. Romano CST, quem citant edit. Gaume.

N. 1. *Ventribus. Jejuni sumus.*
Cod. Rom. *Ventribus jejunamus.*

Ibid. *Esuriamus, jejuni sumus, cum aliqua*, etc.
Id. *Esuriamus. Cum aliqua*, etc.; reliqua desunt.

N. 2. *Et lux est, et odor est.*
Id. *Et lux est, et vox est, et odor est.*

Ibid. *A negotiatoribus apportantur.*
Id. *A negotiatoribus apportatur.*

N. 5. *Ecce enim sonum non revoco, sed si volo audiri*, etc.
Id. *Ecce enim sonum profero; sed cum protulero, jam non revoco; sed si volo audiri*, etc.

Ibid. *Assumpto quasi sono ei impono intellectum.*
Id. *Et assumo sonum, et quasi impono intellectum.*

## SERMO XXX.

Legitur in cod. Cass. II, fol. 179. Concordat in omnibus cum editis, excepto titulo. Sic enim inscribitur: *Sermo habitus in basilica Trialarum die Dominico*, quæ desunt apud Maurinenses.

## SERMO XXXVI.

Exemplar habemus detractum ex Bibl. Sanctæ Crucis Florent., plut. XVIII dext., cod. IV, fol. 120.

Edit. N. 4. *Compuncto corde de scelere.*
Cod. *Compunctio cordis de scelere.*

N. 5. *Sit humilis; plus gaudeat*, etc.
Id. *Sic humilis plus gaudeat*, etc.

Ibid. *Non inflatur, non extollatur.*
Id. *Non inflatur, si extollatur.*

N. 6. *In gremio Abrahæ comparabat.*
Id. *In gremio Abrahæ operabatur.*

Ibid. *Opima voluntate.*
Id. *Optima voluntate.*

Ibid. *Pro epulis aridita, et desiderium*, etc.
Id. *Pro epulis ariditas erat ei, et desiderium*, etc. Vide var. Maur.

Ibid. *De mensa divitis. Sed*, etc.
Id. *De mensa divitis indigentia fuit. Sed*, etc. Vide ibid.

Ibid. *Sed illius egestas præteriens, hujus pœna permanens.*
Id. *Sed illius egestas præteriit, hujus pœna permanet.* Vide ibid.

Ibid. *Ubi sunt veri divites.*
Id. *Ubi sint veri divites.* Vide ibid.

N. 7. *Non habeant aurum justitiæ.*
Id. *Non habeant thesaurum justitiæ.*

N. 8. *Quando exigunt reddi sibi.*
Id. *Quando illam exigunt reddi sibi.*

N. 10. *Sed mente plus cernitur.*
Id. *Sed plus mente perpenditur.* Vide var. Maurin.

Ibid. *Non est thesauro interiore solidatus et plenus.*
Id. *Non est thesaurus intus solidatus et plenus.*

Ibid. *Quod relicturus sum.*
Id. *Quod redditurus sum.*

Ibid. *Cum mihi minaris auferre quod intus habeo, vere vis auferre quod intus habeo.*
Id. *Cum mihi minaris auferre quod habeo, vere vis auferre quod intus habeo.*

N. 11. *Ut sit illo donante dives impletus.*
Id. *Ubi sit illo donante dives impletus.*

Ibid. *Oculos suos homo*
Id. *Oculos suos. Homo*

peccator. *Attendebat*, etc.
Ibid. *Pauperem se ille cognovit.*

peccator *attendebat*, etc.
Id. *Pauperem se ille cogitavit.*

## SERMO XXXVII.

Legitur in cod. Cassin. VII, fol. 380.

Edit. N. 3. *Mulieris hujus. Quantum enim pertinet ad doctrinam et eloquium unde fulget, lapis pretiosus erat Cyprianus.*

N. 7. *Et tunc dedit eis escas.*

N. 26. *Ipsa sequetur. Audiamus, audiamus quemadmodum.*

N. 29. *Fecit, fecit digna est recipere.*

Cod. *Mulieris hujus. Quantum enim pertinet ad doctrinam et eloquium unde fulget lapis pretiosus (doctrina enim Dominica fulget), lapis pretiosus erat Cyprianus.*

Id. *Et tunc dedit escas domui in noctibus.*

Id. *Ipsa sequitur. Audiamus; ita vivatis in illa et cum illa; audiamus quemadmodum.* Vide var. Maur.

Id. *Fecit, digna est recipere.*

## SERMO XLII.

Legitur in cod. Cassin. II, fol. 50.

Edit. N. 2. *Et pro modicis rebus, pro frivolis, pro mortalibus*, etc.

N. 3. *Scitis fructus mei, ut vobiscum sim.*

Cod. *Et pro modicis rebus profert nobis, pro mortalibus*, etc.

Id. *Scitis fructus mei qui sint, ut vobiscum sim.*

## SERMO LXVII.

Legitur in cod. Cassin. VII, fol. 439, et cod. XVII, fol. 24.

Edit. N. 4. *Sive ergo nos accusemus, sive Deum laudemus, bis Deum laudamus. Si pie nos accusamus, Deum utique laudamus. Quando*, etc.

N. 7. *Coaptat sibi, unam facit Dominus*, etc.

Cod. VII. *Sive ergo nos accusemus, sive Deum laudemus, semper illi gratias agere studeamus, a quo gratia gratis datur, cuicumque datur. Bis ergo Deum laudamus, si pie nos accusemus, Deumque laudemus. Quando*, etc.

Cod. XVII. *Coaptavit sibi carnem, unam fecit Dominus*, etc.

## SERMO LXXII.

Legitur in cod. Cass. XVII, fol. 27, ubi n. 2, eorum loco : *Quisquis igitur homo hodie bonus est, id est, arbor bona, mala inventa est et bona facta est. Et si quando venit, malas arbores eradicare veliet*, etc., legitur : *Quisquis igitur est mutandus homo, ut opera mutentur; vel hodie homo bonus est, id est, arbor bona: mala inventa est et bona facta est. Et si quando invenit malas arbores, eradicare vellet.*

## SERMO LXXXIII.

Legitur in bibl. Florent., plut. XVIII, cod. XXIII, fol. 118; in eadem Bibl., plut. XVIII, cod. XXIV, fol. 141; in Bibl. Mugell., cod. XVI, fol. 137; et in Bibl. Cass., cod. XVII, fol. 23.

Edit. N. 1. *Cum enim hoc dixisset Dominus Jesus Petro, subjecit.*

Ibid. *Omnis ejus familia et ipse venderetur.*

Ibid. *Non decem millia talentorum.*

Cod. VII. *Cum enim hoc dixisset Dominus Jesus, Petrus subjecit.*

Cod. XVI. *Omnis eius familia et ipse venderentur.*

Codd., excepto cod. XVI. *Non decem millia talenta.*

Ibid. *Cœpit eum suffocatum trahere*, etc.

Ibid. *Omnia dimisi tibi.*

N. 2. *Ecce, fratres, res in aperto est, admonitio utilis; et valde salubris obedientia debetur.*

N. 7. *Quisquis incipit a baptismo, liber exit.*

Ibid. *In lege autem modus fixus est; transgressio autem peccatum est.*

Ibid. *Adeo magnum mysterium figuratum est.*

Ibid. *A septenario tamen numero non recedit.*

Ibid. *Illud undecim duc septies.*

Ibid. *Melius est cum clamas ore.*

N. 8. *Corripiamus verbis, et si opus est, et verberibus.*

Ibid. *Sic ergo ista monuerim... qui peccaverint... diligamus, de corde nostro charitatem in eos non dimittamus.*

Codd. VII et XVI. *Cœpit suffocare eum, trahere*; etc. Cæteri ut in editis.

Id. *Omne debitum dimisi tibi.*

Id. *Ecce, fratres, res in aperto est; admonitio utilis est valde et salubris; obedientia debetur.*

Codd. *Quisquis incipit a baptismo liber esse.*

Id. *In lege autem modus fixus est; transgressio peccatum est.*

Cod. XXIV. *A Deo magnum mysterium figuratum est.*

Cod. XVI et XXIII. *A septenario tamen numero non recedunt.*

Id. *Illud undecim ducta septies (sic).*

Cod. XXIV. *Melius est enim cum clamas ore.*

Codd. *Corripiamus verbis, si opus est, verberibus.*

Id. *Sic ergo ista monui... qui peccaverunt... diligamus de corde nostro, charitatem in eos non dimittamus.*

## SERMO LXXXVIII.

Habetur in cod. Cass. VII, fol. 54, ubi pro his verbis, n. 7, *Nihil illo tempore fuit ignominiosius quam mors crucis. Non enim frustra*, etc., legitur : *Nihil illo tempore fuit ignominiosius quam mors Christi. Non enim crux tunc honorabilis erat, sed ignominiosa. Non enim frustra, etc ;* quod glossam alicujus notarii crediderim.

## SERMO XCVIII.

Habetur a n. 2 ad medium n. 5 in cod. XVI Bibl. Mugell. Florent. fol. 127.

Edit. N. 2. *Quotidie suscitatis gaudet.*

Ibid. *Mors invisibilis nec quærebatur.*

Ibid. *Dicti sunt sæpe dormientes et mortui visibiliter.*

Ibid. *Nemo tam facile... quam facile Christus.*

N. 3. *Tres autem mortuos.*

Ibid. *Mirati sunt tantum quia facta sunt.*

Ibid. *Esuriens poma quæsivit in arbore.*

Ibid. *Sed sunt qui fructum voluntate dare non possunt;* pessime.

N. 5. *Et ut fit, ut novimus, ut quotidie homines in se experiuntur, aliquando*, etc.

Ibid. *Isti qui in factum processerunt.*

Ibid. *Vivus redditur. Potuit progredi.*

Cod. *Quotidie resuscitatis gaudet.*

Id. *Mors invisibilis alibi nec quærebatur.* Vide var. Maur.

Id. *Dicti sunt sæpe dormientes, morientes visibiliter.*

Id. *Nam nemo tam facile... quam Christus.*

Id. *Tres enim mortuos.*

Id. *Mirati sunt tantum quæ facta sunt.*

Id. *Esuriens poma quærebat in arbore.*

Id. *Sed sunt qui fructum voluntate dare possunt;* optime.

Id. *Et fit, ut novimus, ut quotidie homines in se experiuntur ; aliquando*, etc.

Id. *Isti quia in factum processerunt.*

Id. *Vivus redditus potuit progredi.*

## SERMO XCIX.

Legitur in Bibl. Mugell. Florent. cod. xv, fol. 87, a secunda sententia n. 1 ad primas phrases n. 8.

Edit. N. 1. *Mala utique fama.*
Cod. *Malæ utique famæ.*

Ibid. *Illi sanando idoneum esse.*
Id. *Illum ad sanandum idoneum esse.*

Ibid. *Fudit lacrymas, sanguinem cordis; et lavit.*
Id. *Fudit lacrymas, et lavit.*

N. 2. *Hoc apud se cogitabat et dicebat.*
Id. *Hoc apud se cogitans dicebat.*

N. 3. *Jam hinc intelligat Pharisæus, si non poterat videre peccantem, qui potuit audire cogitantem.*
Id. *Jam hic intelligat Pharisæus; si non potuerat videre peccantem, quomodo potuit videre cogitantem?*

N. 4. *Concupiscentiis suis carnalibus favent.*
Id. *Concupiscentias suas carnales faciunt.*

N. 5. *Quid ergo, inquit facere debui?*
Id. *Quid ergo, inquis, facere debui?*

Ibid. *Sed Dominus qui hæc vera proposuit.*
Id. *Sed quia hæc Dominus vera proposuit.*

N. 6. *Noverat quid sanaretur.*
Id. *Noverat quod sanaretur.*

Ibid. *Petra est refugium hericiis.*
Id. *Petra est refugium herinaceis*

Ibid. *Accipit auxilium,*
Id. *Accepit auxilium.*

Ibid. *Motu et voce vestra intellexisse.*
Id. *Motu et voce, vera intellexisse.*

N. 7. *Jam nunc quia ut potuimus, quæstionem profundam in tantilla temporis brevitate solvimus; aut si nondum solvimus, debitores, ut dixi, teneamur: illud potius,* etc.
Id. *Jam nunc quantum potuimus quæstionem profundam in tantilla temporis brevitate solvimus; aut si non solvimus, debitores, ut dixi, tenemur: illud potius,* etc.

Ibid. *Illi autem noverant hominem non posse dimittere.*
Id. *Illi autem noverant hominem peccata non posse dimittere.*

Ibid. *Solvit quæstionem motus ipsorum.*
Id. *Solvit quæstionem et motus ipsorum.* Vide var. Maur.

N. 8. *Ego sano quemcumque baptizo.*
Id. *Ego sano quoscumque baptizo.*

## SERMO CII.

Habetur in cod. Cass. VII, fol. 74, ubi hæc differunt.

Edit. N. 4. *Quomodo moriuntur qui rapiunt res alienas? Verum,* etc.
Cod. *Quomodo moriuntur qui rapiunt res alienas, et qui servos vel ancillas suas cupiunt tradere in servitium alienum? Verum,* etc.

N. 5. *Sive ambulantes; attendite pauperes.*
Id. *Sive ambulantes, sive servis vel ancillis vestris benefacientes. Attendite pauperes.*

## SERMO CIV.

Legitur in cod. Cass. CXI, fol. 112.

Edit. N. 4. *Duæ sunt vitæ: de illis vos copiosius cogitate.*
Cod. *Duæ sunt vitæ, quas descripsi breviter ut potui: jam vos de illis copiosius cogitate.*

Ad finem, post hæc ultima verba: *Incrementum dat Deus,* sequitur: « *Extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi: Beatus venter qui te portavit et ubera quæ suxisti* (Luc. XI, 27). » *Vere beata Maria, quia tanquam in sacrario ventris sui portavit cum mysterio sacerdotem. Nam quidquid in sæculum futurum erat id totum de ejus beato ventre processit. Processit enim sacerdos et hostia, Deus resurrectionis, et sacerdos oblationis, et hostia passionis. Hoc autem totum in Christo agnoscimus; Deus est, quod ad Patrem rediit; pontifex, quod seipsum victimam obtulit pro nobis. Mariæ ergo beatus uterus, non uterus* [Cod., *beatum uterum, non uterum*], *sed templum fuit Christi. Quid est autem in cælo, nisi quod super cælos æstimandum est, ubi quasi in secretiore tabernaculo mysterium divinitus disponitur? Super cælos plane beatus uterus Mariæ æstimandus est, quia Creatorem Filium Dei ad cælos remisit. Inde venit ut pateretur, hinc rediit ut regnans adoretur: inde humiliatus descendit, hinc ad Patrem glorificatus ascendit. Melius plane templum corporis, quam cœli: residens enim Christus in cœlis ibi est terribilis, hic autem mansuetus; ibi peccata vindicans, hic peccata condonans; ibi potestate judicis utitur, hic per dilectionem inter fratres honoratur, atque ut simus* beati, qui audiunt verbum Dei et custodiunt (*Luc.* XI, 28) *portatur...*[1]. *Ideoque bonum est eum adorare cum invitat, ut possimus non eum timere cum judicat.*

## SERMO CVII.

Duobus reperitur in cod. Florent., nempe plut. VIII., cod. XXIII, fol. 106, et plut. XVIII, cod. XXIV, fol. 127.

Edit. N. 9. *Da illum: cavete ab omni avaritia.*
Cod. XXIII. *Tollo illud: cavete ab omni avaritia.* Vide var. Maur.

N. 10. *Numerata sunt: et cave ab omni avaritia. Parum est avaritia pecuniæ: cave avaritiam vitæ.*
Cod. XXIV. *Numerata sunt: et ille qui tanta sustinuit dicit tibi: cave ab omni avaritia. Parum est ab avaritia pecuniæ: cave ab avaritia vitæ.*

Ibid. *Nudus foris, intus vestitus. Nudus foris a pannis, et putribilibus pannis; intus vestitus;* male.
Id. *Nudus foris, intus vestitus. Nudus foris a pannis, et imputribilibus pannis intus vestitus;* perfecte.

Ibid. *Quid si dicat, cum contempseris.*
Id. *Quid si dicat, si contempseris.*

Ibid. *Melius tu occides carnem meam.*
Id. *Melius tu carnem meam.* Vox *occides*, quæ ab omnibus codd. abest, male addita est a Benedictinis. Vide var. Maur

Ibid. *Forte hoc non dicis. Unde non dicis? Vivere vis: plus vis vivere, quam Deus constituit? Certe caves ab omni avaritia.*
Id. *Forte hoc non dicis. Unde non dicis? vis vivere? vivere vis? Cum Deus constituit, certe cave ab omni avaritia.* Cod. XXIII concordat, excepto quod habet *caves*, pro *cave*.

## SERMO CVIII.

Habetur in cod. Cass. VII, fol. 100.

Edit. N. 1. *De hoc audistis modo Evangelium, quid monuerit nos, cautos nos faciens, et volens esse expeditos et paratos ad exspectanda novissima.*
Cod. *De hoc audistis modo Evangelium, quid monuerit nos et admonuerit, cautos nos faciens, et volens esse expeditos et paratos ad spem novissimam.*

## SERMO CX.

Legitur in cod. Cassin. II, fol. 49.

[1] Hic quædam deesse videntur, nisi legas, *ut sint beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud.*

Edit. N. 1. *Qui intra Ecclesiam orat pro eis qui sunt extra Ecclesiam.*

Cod. *Qui intra Ecclesiam orat. Omnis Ecclesia sancta orat pro eis qui sunt et intra Ecclesiam contemptores, et extra Ecclesiam infideles.*

N. 2. *Sex diebus Deus perfecit opera sua.*

Id. *Recolite ; sex diebus Deus perfecit opera sua.*

Ibid. *Curva erat, sursum aspicere non poterat : quia Sursum cor, sine causa audiebat.*

Id. *Curva erat, terræ inhiabat, terram diligebat, in terra spem suam posuerat, sursum aspicere non poterat, quia sursum cor sine causa erigere æstimabat.*

N. 3. *Natus virginem reliquisti. Sed non*[1], etc.

Id. *Natus virginem requisisti. Sed non*, etc.

N. 4. *Non resurrexerat, prædictum est et impletum est : nomen ejus*, etc.

Id. *Non resurrexerat, prædictum est et impletum est ; in cœlum non ascenderat, ante dictum est et impletum est : nomen ejus*, etc.

## SERMO CXII.

Habetur in cod. Cassin. II, fol. 187.

Edit. n. 1. *Nescientes paraverunt. Parata jam*, etc.

Cod. *Nescientes paraverunt. Sic enim constitutum fuerat, ut immolaretur Christus. Parata jam*, etc.

Ibid. *Prophetæ. Venite ad cœnam.*

Id. *Prophetæ. Dixerunt apostoli : Venite ad cœnam.*

N. 6. *Cras enim moriemur. Quis huc inde*, etc.

Id. *Cras enim moriemur. Talia in epulis suis dives ille superbus dicebat : Manducemus et bibamus, cras enim moriemur. Quis huc inde*, etc.

N. 7. *Intende et vide quam candidum est : hoc ad oculos pertinet. Audi*, etc.

Id. *Attende et vide quam candidum est. Audi*, etc.

Ibid. *Utique quoniam sensus sunt.*

Id. *Utique, quoniam quinque sensus sunt.*

N. 8. *Veniant de sepibus hæretici, hic inveniunt pacem.*

Id. *Veniant de sepibus hæretici et schismatici ; coge intrare ; hic pacem inveniunt.*

## SERMO CXIII.

Habetur in cod. Cass. II; folii indicatio deest in nostris chartis.

Edit. n. 2. *Et veniret tecum ad judicem hominem quemlibet.*

Cod. *Et veniret tecum ad judicem hominem, proconsulem, vicarium*, etc.

Ibid. *Tanta vis est justitiæ, ut et tibi displiceat.*

Id. *Tanta vis est justitiæ, ut judex quem tu ipse corrupisti, etiam tibi displiceret.*

N. 3. *Ecce quomodo currit, qui currit facere amicos.*

Id. *Ecce quomodo currit, qui curavit facere amicos.*

Plures circa finem adesse variantes annotat amanuensis, qui illas per negligentiam non exemplavit.

## SERMO CXIV.

Legitur in cod. Cassin. CX, fol. 205; cod. pariter Cassin. CV, fol. 131, sive 136, et in quatuor codd. Laurent., videlicet plut. XVII, cod. XXXIX, fol. 179 *b* ; ibid. cod. XL, fol. 186 *b* ; ibid. cod. XLI, fol. 173 ; ibid. cod. XLII, fol. 202. Variantes lectiones, hic ut alibi, volueram annotare ; sed licet cogitationes concordent, verba toties et tantum differunt, ut brevius et utilius crediderim integrum illum sermonem in lucem emittere, quem hic habeas :

*In illo tempore : Respiciens Jesus discipulos suos dixit Simoni Petro*[1] *: Si peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te et ipsum solum* (*Luc.* XVII, 3, 4.). Et reliqua.

1. In Evangelio sancto, modo cum legeretur, audivimus, ubi nos de remissione peccatorum admonet Dominus Jesus[2]. Hinc omnes admonentur[3] ex Domini jussione ; nos autem[4] ministri sumus verbi Dei, et sancti Evangelii, cui nemo sine gloria servit[5], quod nemo sine pœna contemnit. Ipse ergo Dominus ait[6], quod modo nos omnes audivimus : *Si in te*, ait, *peccaverit frater tuus, corripe illum inter te, et ipsum solum. Et si pœnitentiam egerit, dimitte illi, non solum semel, sed septies.* Hæc ratio certissima est. Septem quippe diebus venientibus, euntibus et redeuntibus, totum volvitur tempus. Qui enim septies in die dimitti jussit, totius temporis peccata indulgeri præcepit.

2. Si quis ergo es[7] qui Christum cogitas, et cupis accipere quod promisit ? noli piger esse ; fac quod præcepit. Scis quid[8] promisit[9] ? vitam æternam. Scis quid præcepit ? da fratri tuo veniam[10]. Dicit tibi : O homo, da fratri tuo veniam, ut ego dem tibi indulgentiam sempiternam. Regni cœlestis promissio omnibus nota est, ut æstimo, ubi nos Creator promisit æquales futuros cum angelis suis, ut sine fine in illo splendore vivamus, in regno cœlorum. Hoc libenter accipis ; quare quod sequitur facere non vis ? Hoc, quod juberis, fratri tuo indulgentiam dare, a Domino Deo tuo tu non vis accipere ; si non vis accipere[11], bene facis non dare. Quid est hoc, nisi poscenti ut indulgeas fratri tuo, si tibi cupis a Domino ignosci ? Aut certe si non habes quod tibi ignoscatur, bene facis qui fratri tuo non ignoscis. Etiam si non habes peccatum, quod tibi ignoscatur, tu tamen ignosce ; quia et Dominus semper ignoscit, qui peccatum nunquam scivit. Omnis homo[12] peccator est, etiam si ipsa die natus est.

3. Dicturus es : Bene ignoscit Deus ; jam[13] ego non sum Deus ; homo peccator sum. Deo gratias, quia confiteris. Agnosce, ut et tu[14] indulgentiam possis accipere. Hortatur nos beatus apostolus Petrus in Epistola sua dicens : *Christus passus est pro nobis, relinquens nobis exemplum, ut sequamini vestigia ejus* (*I Petr.* II, 21). Et utique non habebat peccatum, et mortuus est pro peccatis nostris, et sanguinem suum fudit pro iniquitatibus nostris. Suscepit pro nobis peccatum, quod non fecit, et nos omnes a debito peccati[15] liberavit.

[1] Non legitur in Evangelio hæc *Simoni Petro* fuisse dicta.
[2] Sic cod. CX ; cod. XXXIX, *Christus.*
[3] Cod. CX, *admonemur.*
[4] Id., *tamen.*
[5] Cod., male, *quem.*
[6] Cod., CX, addit *nobis* et deinde tollit *nos.*
[7] Cod., XXXIX male, *esse.*
[8] Cod., CX, male, *facere.*
[9] Codd. quod *male.*
[10] Aliqui codd. male, *tunicam.*
[11] Hæc desunt in CX, et XXXIX, sed in CV et alibi leguntur.
[12] Plerique codd., *nam ;* sed in uno legitur *omnis.*
[13] Codd., *nam.*
[14] Deest *tu* in CV et CX.
[15] Codd., *peccato.*

Non debebat mori, sed nec nos debuimus vivere, quia peccatores sumus. Nec ipsi mors debebatur, nec nobis vita. Quod nobis debebatur indulsit, et quod ei non debebatur suscepit. Sed quia de remissione agitur peccatorum, ut non eamus per longum, imitemur Christum Dominum. Audi Apostolum dicentem : *Donate* [1] *vobis, sicut et Deus in Christo donavit vobis* [2] (*Ephes.* IV, 32). Hæc verba Apostoli sunt, non nostra : *Estote imitatores Dei, sicut filii charissimi* (*Ephes.* V, 1). Filius es, an servus? Memento quia et servos oportet esse obsequentes, et filios non decet esse degeneres. Filius diceris ; si renuis patris jussionem, non consequeris ejus hæreditatem.

4. Hoc dicerem, si nihil peccati haberes, quod tibi ignosci desiderares. Modo autem tibi dico, o homo, si justus sis, homo es [3] ; si laicus sis, homo es ; si monachus sis, homo es ; si clericus sis, homo es. Vocem apostoli Joannis audi dicentem. Vide qualis sit quem [4] dico, ut audias illum qui super pectus Domini accumbebat, quem diligebat Dominus plusquam cæteros. Audi quid dixerit : *Si dixerimus quia peccatum non habemus.* Non dixit : *Si dixeritis*, sed *Si dixerimus ;* se adjunxit in culpam, ut perveniret [5] in indulgentiam. Ait ergo : *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus* [6], *et veritas in nobis non est* (*Joan.* I, 8). Ergo habemus peccata ; si volumus consequi veniam, demus [7] fratribus nostris indulgentiam. Inimicitias in corde nostro non retineamus, quia inimicitiæ retentæ faciunt commotionem.

5. Volo te ignoscentem, quia novi te semper veniam postulantem. Rogas tibi ignosci ; juberis dimittere. Non agnoscis quod dicis, cum Dominum depreceris. Modo veni, et ora ; ubi oras [8], ibi te convinco in verbis tuis. Nonne quotidie dicis : *Pater noster, qui es in cœlis?* Non [9] enim potes esse in numero filiorum, si non dicas : *Pater noster, qui es in cœlis.* Sequere : *Sanctificetur nomen tuum.* Dic adhuc : *Adveniat* [10] *regnum tuum.* Adhuc sequere : *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, et in terra.* Vide quid adjungas : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Ubi sunt divitiæ tuæ? ecce mendicas. Sed hæc alia causa est ; unde agimus, inde agamus. Dic adhuc : *Et dimitte nobis peccata nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI, 9-12). Venio ad verba mea et tua. Dicis : *Dimitte nobis debita nostra et peccata.* Quo jure? quo pacto? quo chirographo recitato? *Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Conditio posita est ; lex fixa est. Dimitte nobis, dicis Domino, sicut dimitto. Ergo non dimittet [11], si non dimittis. Si vis ut tibi dimittatur, ignosce fratri, qui ad te revertitur. Hanc precem Jurisperitus cœlestis dictavit ; non te fallit [12], si facias quod te docuit. Omnis qui contemnit Domini disciplinam, perdit causam, et invenit [13] pœnam. Tu ipse, cum oras, mentiris, in ipsa oratione convinceris. Neque enim ut te Deus convincat, testes a te [14] quærit. Qui has preces dictavit, advocatus est tuus. Si negaveris, testis est tuus, si contemnis, judex est tuus. Ergo dic, et fac ; nullatenus possunt verba hujus orationis transiri ; aut nunquid hunc versum delere exinde possumus. Jam ergo dicamus : *Dimitte nobis debita et peccata nostra*, et non dicamus [15] : *Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Continuo, et Dominus dicit nobis : *In qua mensura mensi fueritis, in eadem remetietur vobis* (*Matth.* VII, 2). Hunc versum delere de animo non debes, ne et tu delearis de libro Dei. In oratione ista dicis, *Da ;* dicis [16], *Dimitte*, ut quod non habes accipias, si tamen fratri ignoscas. Ipsum Salvatorem audi alio loco dicentem : *Date, et dabitur vobis ; dimittite, et dimittetur vobis* (*Luc.* VI, 37, 38). Et ne vos diutius teneamus, si volumus nobis Dominum misereri, misereamur indigenti ; si volumus nobis peccata dimitti, dimittamus et nos fratri peccanti.

## SERMO CXVIII.

Legitur in Bibl. Laurent., plut. XII, cod. XIV, fol. 272 *b*, et in Bibl. Venet., cod. LXIX, fol. 47. Sic in codicibus se habet in titulo : *Incipit sermo ejusdem* (*Augustini*) *de Nativitate Domini. — De eo quod Evangelista dicit : « In principio erat Verbum ; » et quod in Genesi scriptum est : « In principio fecit Deus cœlum et terram, » unde ostenditur qui* [cod. *quia*] *in principio erat, sine initio esse* [Id. *est*] ; *quod autem in principio factum est, propterea initium habere, quia non erat, et factum est.*

## SERMO CXXVI.

Leguntur hujus sermonis numeri 2, 3, 4, et dimidium quinti, in Bibl. Laurent., plut. XII, cod. VIII, fol. 187 *b ;* quæ orationis pars annectitur sermoni Benedictino CCCLXXX, sicut et in aliis codicibus antiquis. Vide notas Maurin. ad hunc sermonem.

Edit. N. 2. *Quantum sint perversi et properando vitiosi.*
N. 3. *Sperantium substantia.*
Ibid. *Nisi ex illo quod non vides.*
Ibid. *Interiorem habitatorem interiorum oculorum.*

Cod. *Quam sint perversi et improperandi vitiosi.*
Id. *Sperandarum substantia.*
Id. *Nisi ex illo quem non vides.*
Id. *Interiorem habitatorem oculorum.*

[1] Codd. XXXIX, CV et CX, *Donantes.*
[2] Sic codd. CV et CX ; cod. XXXIX, male, *nobis*, hic et antea.
[3] Codd., male, *si tamen homo*, correximus ex editis.
[4] Codd., CV et CX male, *quæ.*
[5] Codd., CV et CX mali, *indulgeretur.*
[6] Id., *seducimus.*
[7] Sic. codd. CV et CX ; cod. XXXIX male, *debemus.*
[8] Codd., *ut ores.*
[9] Cod., XXXIX male, *nonne.*
[10] Id., *veniat.*
[11] Sic codd. CV et CX ; cod. XXXIX, ut cæteri, *dimittam.*
[12] Cod. unus mala, *dictavit.*
[13] Codd. CV et CX, *inveniet.*
[14] Iid., *ad te.*
[15] Cod. XXXIX, *dicam*, male.
[16] Sic codd. CV et CX ; deest vox *dicis* in cod. XXXIX.

Ibid. *Nam quando aliquando in me cogitas*; quæ verba in nota corrigere student Benedictini, quos videsis.

Id. *Nam quando aliunde nimis cogitas.*

Ibid. *Intende facta, et quære factorem.*

Id. *Intende facturam, et quære factorem.*

Ibid. *Quæ facta sunt, conspiciuntur.*

Id. *Quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.*

N. 4. *Sed assiduitate viluerant.*

Id. *Sed assiduitate viluerunt.*

Ibid. *Quam ut nascatur homo, moriendo*, etc.

Id. *Quam ut nascatur homo, qui non erat, moriendo*, etc.

Ibid. *Panibus saginasse tot millia.*

Id. *Panibus satiare tot millia.*

Ibid. *Impleri segetibus terras.*

Id. *Impleri segetibus terram.*

Ibid. *Quæ aqua erat vinum factum, viderunt homines et obstupuerunt.*

Id. *Qui aquam viderunt vinum factam, viderunt et obstupuerunt.*

Ibid. *Unde est homo ipse qui miratur? ubi erat? unde processit?*

Id. *Unde est ipse qui miratur? videat unde processit?*

Ibid. *Venit ille cui dictum est: Innova signa; cui dictum est: Mirifica*, etc.

Id. *Venit ille ad istum locum, cui dictum est: Mirifica*, etc.

Ibid. *Æquum potest esse quod non vult.*

Id. *Æquum potest esse quod ille non vult.*

Ibid. *Hominem, qui erat in luce.*

Id. *Hominem, qui non erat in luce.*

N. 5. *Sed quam parvus.*

Id. *Sed quam parvus faceret.*

Ibid. *Non te deseruit, qui vocavit.*

Id. *Erudit qui vocavit.*

Ibid. *Indicia sunt Creatoris ipsa creatura?*

Id. *Indicia sunt Creatoris in ipsa creatura?*

Ibid. *Ecce nascitur, ecce de femina procedit.*

Id. *Ecce nascitur, ecce corpus assumit, ecce de femina procedit.*

## SERMO CXXXII.

Legitur in cod. Cassin. VII, fol. 322, ubi N. 2, horum verborum loco, *Refrenat infirmioris sexus ipsa verecundia*, scribitur, *Refrenat infirmiorem sexum ipsa verecundia.*

## SERMO CXXXVII.

Legitur in cod. Cassin. VII, fol. 328.

Edit. N. 1. *Dum tamen non nimia impietate præcidantur.*

Cod. *Dum tamen non nimia infirmitate præcidantur.*

N. 3. *Iste dicebat se habere vires, qui non habebat.*

Id. *Dicebat Petrus se habere vires, quas non habebat.*

## SERMO CXXXIX.

Legitur in Cod. Cassin. VII, fol. 144, ubi hanc correctionem reperimus. Benedictini n. 3 hanc dimidiatam sententiam habent : *Homo sapiens, in æternitate tempora inquiris; ubi non sunt tempora, quæris ætates*; codex autem optime dicit : *Homo sapiens, in æternitate tempora quæris, ubi non sunt tempora; quæris ætates, ubi non sunt ætates.*

## SERMO CXLII.

Legitur in Cod. Cassin. VII, fol. 156, ubi confirmatur varians lectio quæ in Benedictina editione adducitur his n. 5 verbis, *Ergo detumescat*, addendo postea tria hæc verba, *si cupis ingredi.*

## SERMO CXLVII.

Legitur in cod. Florent. CCXLIII, Bibl. Ædil., fol. 299, et Bibl. Mugell., cod. XIV, fol. 111.

Edit. N. 1. *Omnium apostolorum meministis.*

Codd. *Omnium apostolorum, fratres charissimi, meministis.*

Ibid. *Dicit autem apostolus, quoniam*, etc.

Iid. *Dictum est autem, quoniam*, etc.

N. 2. *Modo quid? Interrogat eum Dominus.*

Iid. *Modo quid interrogat eum Dominus?*

Ibid. *Et dicit ei.*

Cod. CXLIII. *Dicit ei.*

Ibid. *Respondit ille : Etiam, Domine.*

Codd. *Respondit ei ille : Etiam, Domine.*

Ibid. *Et iterum Dominus hoc interrogavit, et tertio hoc.*

Iid. *Iterum, et tertio Dominus hoc interrogavit.*

Ibid. *Qui sciant oves Christi pascere.*

Iid. *Quia sciebat oves Christi pascere.*

N. 3. *Feret quo tu non vis.*

Iid. *Ducet quo tu non vis.*

Ibid. *Pro Christo fuerat crucifigendus.*

Iid. *Pro Christo erat crucifigendus.*

Ibid. *Timere non debuit. Videbat enim*, etc.

Iid. *Timere non debuit, quia videbat*, etc.

## SERMO CLIV.

Legitur in cod. Cassin. II, fol. 160, ubi n. 7, pro his verbis, *quia nondum erant in perfectione*, habetur, *quia nondum erant securi, nondum erant in perfectione.*

## SERMO CLV.

Legitur in cod. Cassin. II, fol. 132, ubi sanatur evidens editionis Benedictinæ mendum. Ibi enim n. 4 habetur : *Lex enim mortis non ipsa dicitur, lex peccati et mortis non illa lex dicitur quæ data est in monte Sina;* hic certe adest vitiosa iteratio quæ tollitur in codice, in quo scriptum est : *Lex enim mortis non ipsa dicitur, quæ data est in monte Sina.*

## SERMO CLXVIII.

Legitur in duobus codd. Florent., nempe Bibl. Mugell. cod. XI, fol. 37 *b*, et Bibl. Fesul. cod. XI, fol. 237.

Edit. n. 1. *Lectionibus, canticis, sermonibusque*, etc.

Codd. *Secundum. Vasis electionis confessionem atque doctrinam, quoniam fides misericordiæ Dei donum est, lectionibus, canticis*, etc.

N. 3. *Nam si gloriatus est Abraham, ex fide gloriatus est.*

Iid. *Non sic gloriatus est Abraham; ex fide gloriatus est.*

Ibid. *Misericordiam consecutus sum. O confessio!*

Iid. *Misericordiam consecutus sum, ut fidelis essem. O confessio!*

N. 4. *Spectemus, fratres, eum; magnum spectaculum.*

Cod. Mugell. *Spectemus, fratres, magnum spectaculum.*

Ibid. *Erat infidelis; parum est. Erat*, etc.

Codd. *Erat infidelis; parum est infidelis. Erat*, etc.

N. 5. *Orare fide non possetis, nisi fidem haberetis.*

Iid. *Orare fide non potestis, nisi fidem habeatis.*

Ibid. *Quomodo prædicabunt, si non mittantur.*

Iid. *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur.*

Ibid. *Et addat bona quæ non habemus.*

Iid. *Et addere bona quæ non habemus.* Vide var. Maur.

Ibid. *Invenisti unde dares? Homo mendice; unde habuisti? Ergo unde dares aliquid habuisti?*

Iid. *Invenisti unde dares? Homo mendice, habuisti ergo unde dares? aliquid habuisti?*

N. 6. *Una voce elisus et levatus; elisus*, etc.

Iid. *Una voce elisus et levatus est; elisus*, etc.

Ibid. *Deposita tunica veteri, peccatis pannosa.* Cod. Fesul. *Deposita tunica veteris peccati pannosa.*

## SERMO CLXXVIII.

Hic sermo reperitur in cod. Cass. XI, fol. 11, et a n. 7 in duobus Florentinis, nemque Bibl. Mugell. cod. XI, fol. 31, et in Bibl. Fesulan. cod. XI, fol. 229 *b*. Pulcherrimus hic sermo ita scribitur in codicibus Florentinis, ut in eo citetur ipsemet Augustinus, cui tamen certe tribuendus est; unde concludi potest aliquando sermonem posse legitime auctori tribui, licet ipse auctor citetur in opere; hoc autem aliquando fieri potuit amanuensis incuria aut ignorantia.

Edit. n. 2. *Ubi poneret consulebat, non de cujusquam vicini agris.* Cod. Cass. *Ubi poneret cogitabat, nulli violentiam facere, non de*, etc.

Ibid. *Quod relicturus es? Ecce increpatus est.* Id. *Quod relicturus es? Præcedant ergo magis quo* B *secuturus es. Ecce increpatus est.*

N. 3. *Numquid enim Deus stultis daturus est regnum cœlorum? Quibus autem*, etc. Id. *Numquid enim Deus stultis daturus est regnum cœlorum? Probant hoc illæ quinque virgines quæ extra januam leguntur exclusæ. Quibus autem*, etc.

Ibid. *Conjicere hoc videmur : aperte hoc manifesteque videamus.* Cod. Cass. *Conjicere hoc videmur : considerare autem attentius debemus, ut hoc apertius videre possimus.*

Ibid. *Quod immisericors erat. Numquid enim*, etc. Id. *Quod immisericors erat, non quia aliena rapuit, sed quia de propriis erogare noluit. Numquid enim*, etc.

N. 5. *Cogitas spoliare paganum, et vestire Christianum.* Id. *Cogitas spoliare hæreticum vel Judæum, et non* C *vestire Christianum.*

N. 7. *Beatum sancta Scriptura dicit, qui post aurum*, etc. Codd. Florent. *In Scripturis divinis legimus, fratres charissimi, quod beatus sit qui post aurum*, etc.

Ibid. *Et non fecit. Tu autem dicis : Nunquam negavi rem alienam. Quia forte nemo tibi commendavit; aut forte commendavit, sed sub testibus commendavit. Dic mihi, reddidisti*, etc. Id. *Et non fecit. Fratres, interrogemus conscientias nostras, et videamus si ita cupiditatem contemnimus, ut istius beatitudinis participes esse possimus. Forte aliquis intra se cogitat et dicit : Nec furtum nec violentiam facio, nec rapinam exerceo, nec res alienas aliquando negavi. Forte ideo non negasti, quia tibi nemo commendare voluit, aut si commendavit, sub testibus reddidisti*, etc. *commendavit. Dic mihi, si*

Ibid. *Mortuo qui commendavit.* Id. *Mortuo eo qui com-* D *mendavit.*

Ibid. *Quia post aurum non isti; quia*, etc. Id. *Quia post aurum non abisti; qui*, etc.

Ibid. *Si forte alienum sacculum.* Id. *Aut si forte alienum sacculum.*

Ibid. *Verbum Dei audis.* Id. *Verbum Dei libenter audis.*

Ibid. *Lætissime commoveris.* Id. *Latissime commoneris.*

Ibid. *Propono ergo. Deus dicit.* Id. *Considera quod propono. Deus dicit.*

Ibid. *Quam primo populo dedit.* Id. *Quam priori populo dedit.*

Ibid. *Nondum Christus erat mortuus, inventionem tanquam alienum esse reddendam. Si quisquam.* Id. *Nondum Christus erat mortuus, ut quicumque rem cujuscumque invenerit, tanquam alienam cito restituat, quia sine* A *dubio et ipse si perdidisset, hoc sibi de alio fieri voluisset, secundum illud quod scriptum est : Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos illis facite similiter. Si quisquam.*

Ibid. *Debere reddere.* Id. *Debet reddere.*

N. 8. *Quoniam dona Dei sunt?* Cod. Fesul. *Quomodo Dei dona sunt?* Cod. Mugell. *Quoniam*, ut in edit.

Ibid. *Dicam quod fecerit pauperrimus homo, nobis apud Mediolanum constitutis; tam pauper, ut proscholus.* Id. *Dicam quid fecerit homo quidam pauperrimus, eo tempore quo sanctus Ambrosius Mediolani erat episcopus, ubi tunc præsens erat etiam Augustinus nondum episcopus; tam pauper ille ut proscholasticus.* Additio scribentis. Cod. Fesul. habet *proscalus;* melior vox *proscholus*, ut in edit.

Ibid. *Sed plane Christianus, quamvis ille esset paganus grammaticus; melior ad velum quam in cathedra. Pauper ergo iste invenit sacculum, nisi forte me numerus fallit, cum solidis ferme ducentis : memor legis proposuit*, etc. Id. *Sed plane verus et perfectus Christianus. Sed melior fuit ille qui ad velum stabat, quam qui in cathedra sedebat. Pauper ergo iste invenit sacculum ducentorum solidorum : memor tamen divinæ legis proposuit*, etc.

Ibid. *Et ne forte quæreret alienum, quæsivit.* Id. *Et ne forte quæreret alienum, non suum, quæsivit.* Sic legendum, quamvis codd. habeant *sed* pro *non.*

Ibid. *Saltem rogavit vel quinque acciperet.* Id. *Saltem rogavit ut vel quinque acciperet.*

Ibid. *Stomachabundus homo.* Cod. Mugell. *Ille stomachatus.*

Ibid. *Quod offerebatur accepit : continuo*, etc. Cod. Florent. *Quod offerebatur accepit, et continuo*, etc.

N. 9. *Quid est? Si aliquid egi in cordibus vestris,* Id. *Considerate, fratres, tam gloriosum exemplum,* C *si verbum Dei insedit in vobis, si requiem invenit apud vos, facite hoc, fratres mei : nolite putare damnum vos pati, si feceritis; magnum lucrum est, si feceritis quod dico. Perdidi viginti solidos, perdidi ducentos, quingentos. Quid perdidisti? De domo tua perierant : alter perdiderat, non tu. Terra*, etc. *et tam mirabile factum. Egi aliquid in cordibus vestris, si verbum Dei requievit in animis vestris. Facite hoc, fratres mei. Nolite putare vos damnum pati, si quod a vobis inventum fuerit reddideritis. Credite quia magnum lucrum est, si feceritis quod suggero. Forte aliquis veniens in domo tua perdidit solidos. Terra*, etc.

Ibid. *Posuit ille, oblitus est ille, cecidit ab illo; tu invenisti alibi. Quis invenisti? Christianus. Quis invenisti? qui legem audisti, Christianus qui legem audisti. Quis invenisti? Qui cum audires multa laudasti, tu invenisti. Si ergo veraciter laudasti, redde quod invenisti. Si autem non reddidisti quod invenisti, quando laudasti, testimonium contra te dixisti. Estote*, etc. Id. *Posuit ille, oblitus est, vel cecidit ab illo; invenisti, qui in lege audisti inventionem esse reddendam. Qui invenisti, qui cum audires verbum Dei laudasti, redde quod invenisti. Si autem non reddideris quod invenisti, quando laudasti, testimonium contra te dixisti. Estote*, etc. Sic ambo codd., excepto quod cod. Fesul. habet, *quis invenisti* pro *qui invenisti*, et cod. Mugell., *non reddes* pro *non reddideris.*

Ibid. *Nam quod invenisti et non reddidisti, rapuisti.* Id. *Nam si invenisti et non reddidisti, rapuisti.*

Ibid. *Quantum potuisti, fecisti; quia plus non potuisti, ideo non plus fecisti.* Id. *Quantum potuisti, fecisti; quia plus non invenisti, ideo plus non rapuisti.*

Ibid. *Qui alienum ne-* Id. *Qui alienum negat*

*gat, si possit, et tollit.* — *si posset, et tolleret.* Vide var. Maur.

Ibid. *Timor prohibet.* — Cod. Mugell. *Timor te cohibet.*

Ibid. et n. 10. *Sed malum metuis. Quid est magnum, timere malum? Magnum est, non facere malum: magnum est, amare bonum. Nam et latro*, etc. — Iid. *Sed malum metuis. Et latro*, etc.

N. 11. *Sed desidera videre Deum.* — Iid. *Sed desideres videre Deum.*

Ibid. *Quia dictum est, dilectissimi.* — Iid. *Quid dictum est? dilectissimi.*

Ibid. *Si enim amas videre Deum tuum, si in hac peregrinatione illo amore suspiras; ecce probat te Dominus Deus tuus, quasi dicat tibi: Ecce fac quod vis*, etc. — Iid. *Si amas videre Deum tuum, in hac peregrinatione illum toto amore suspira, illum desidera. Ecce* (addunt codd. male, *fac quo*) *te probare vult Deus tuus, ut appareat pro quibus rebus diligas eum, utrum pro seipso, an pro rebus terrenis, quas tibi præstitit, et dicat tibi, Fac quod vis*, etc.

Ibid. *Gratias amasti. Si ergo sermo meus.* — Iid. hic multa habent quæ non leguntur in edit.; sic : *Gratis amasti. Hoc ideo diximus, fratres, quia sunt homines ita negligentes et tepidi, et, quod pejus est, etiam infideles, qui dicunt: Utinam hic mihi Deus in hoc sæculo omnia bona tribuat! Non ad me pertinet quid in futuro de me fieri velit. O infelix anima! Etiamsi te Deus mittat in pœnam, et tantummodo faciem suam te videre non permittat, numquid non melius fuerât te non fuisse natum? Cum vero fieri non possit, ut qui faciem ejus non meruerit videre, ignem æternum evadere possit, quare sic amas præsentis sæculi voluptatem, ut non expavescas æterni ignis ardorem.*

Ibid. *Advocate prece, humilitate, dolore pœnitentiæ.* — Iid. *Advocate prece humilitatis, dolore pœnitentiæ.* Sic Lovan., et quidem bene. Vide var. Maur.

Ibid. *Hanc scintillam boni amoris flate in vobis.* — Iid. *Hanc scintillam boni amoris, de qua Dominus dixit: Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut ardeat, flate in vobis.*

Ibid. *Fena consumit.* — Iid. *Ligna consumet.*

## SERMO CLXXXVI.

Legitur in cod. Cass. cvi, fol. 159, ubi, n. 1, pro his verbis, *Exsultent gentes. Istum diem nobis non sol iste visibilis, sed Creator ipsius invisibilis consecravit*, habetur, *Exsultent gentes, quia Maria istum diem, non sol iste visibilis consecravit.*

## SERMO CXC.

Legitur in cod. Cass. cxvi, fol. 102, ubi hæc varians lectio habetur n. 1. Post hæc verba, *Ut propter nos posset esse sub sole*, additur hæc sententia, quæ deest in edit. : *Nec ita sub sole, ut non et super solem.*

## SERMO CXCI.

Legitur in cod. Cass. xii, fol. 5, cum exordio quod Benedictini omiserunt in textu, sed addiderunt in variantibus, quas, hic ad utilitatem lectoris eo magis referendas duximus, quod in pluribus codex differat.

*Unigenitus Christus Dei Filius, verus sol justitiæ, ita terris illuxit, ut non desereret cœlos, et ibi æterne manens, et hic temporaliter transiens; ibi sempiternum constituens diem, hic humanum patiens diem; ibi sine horarum cursu perenniter vivens, hic sine peccati incursu temporaliter moriens; ibi permanens vita sine occasu, hic vitam nostram a mortis liberans casu; ibi majestatis suæ calore Angelorum mentes accendit, hic vita hominum mortem discernit* [1]. *Ibi lux carpitur* [2] *quam peccator* [3] *nullus extinguit, hic homo nascitur, qui peccato* [4] *cuncta distinguit. Ibi Deus cum Deo, hic Deus et homo. Ibi lumen de lumine, hic quod* illuminat omnem hominem (*Joan.* i, 13.). *Ibi verbo cœlos extendit, hic viam perveniendi ad cœlos ostendit* [5]. *Ibi mysterium nativitatis suæ cum Patre firmavit, hic membra carnis suæ in matre formavit. Ibi ad dexteram Patris sedens, hic in præsepio jacens; ibi angelos pascens, hic in terra parvulus esuriens; ibi perfectis potestatibus manens indeficiens panis, hic cum natis infantibus alimento indigens lactis; ibi bona faciens, hic mala patiens; ibi nunquam moriens, hic post mortem resurgens, et mortalibus æternam vitam condonans. Deus factus est homo, ut homo Deus fieret. Formam servi accepit Dominus, ut homo verteretur in Dominum* [6]. *Cœlorum habitator et conditor habitavit in terris, ut homo de terris migraret ad cœlos.*

Edit. N. 1. *Qui per eum tanta accepimus dona. Propter hoc*, etc. — Cod. *Qui per eum tanta accepimus dona. Sed humilitas ejus nostra sublimitas est, et crux ejus nostra victoria est, illius patibulum noster triumphus est, illius mors nostra vita est. Propter hoc*, etc.

N. 3. *Exhibere Christo. Ecclesia ergo*, etc. — Id. *Exhibere Christo. Timeo autem ne sicut serpens Evam fefellit astutia sua, corrumpantur mentes vestræ a simplicitate et castitate quæ est in Christo. Ecclesia ergo*, etc.

N. 4. *Si utrumque habere velitis.* — Id. *Si alterum habere velitis.*

Ibid. *Et virginitas perseveret.* — Id. *Et virginitas perseveret in Christo Jesu Domino nostro.*

## SERMO CCII.

Legitur in cod. Cass. cvi, fol. 248, ubi, n. 2, pro his, *Sursum angelos non deserens, et deorsum ad se homines per angelos colligens, et cœlestibus*, etc., habentur sequentia : *Sursum non deserebat angelos, et deorsum ad se homines vocabat, per angelos, et cum hominibus secundum hominem in terris degebat et cœlestibus*, etc.

## SERMO CCVIII.

Legitur in cod. Cass. xii, fol. 88, ubi hæc initio habentur, quæ desunt in editis : *Plura nobis simul recitata sunt, et de omnibus his dicere nec temporis brevitas, nec miseriarum magnitudo permittit. Licebit tamen ex ingentibus* [Cod. *exigentibus*] *campis paucos flosculos legere, et non quantum ager exuberat, sed quantum odoratui sufficiat capere; sicut et cum quis accedit ad fontem, non ei tantum haurire necesse est,*

[1] Edit., *hic vitam hominum moresque discernit.*
[2] Iid., *capitur.*
[3] Iid., *peccato.*
[4] Iid., *peccata.*
[5] Cod., male, *ascendit.*
[6] Cod., male, *in Domino.*

*quantum vena dives effuderit, sed quantum arescentes siti mitiget fauces, ne forte plus juste sumpta fiat potantis salutis unda pernicies. Et quoniam solemne tempus*, etc.

Deinde hæc insuper variant.

Edit. N. 1. *Dimicaturus accipiat.* Cod. *Dimicaturus accendat.*

N. 2. *Ubi nihil de apothecis, nihil de sacculo.* Id. *Ubi nihil de apothecis, nihil de horreo, nihil de cellario, nihil de sacculo*, etc.

## SERMO CCXVII.

Legitur in cod. Cass. XII, fol. 93.

Edit. N. 1. *Genuit quidem fontem fons, sed et generans fons, et genitus fons: quemadmodum*, etc. Cod. *Genuit quidem fontem fons, sed et generans fons, et genitus fons, unus est fons: quemadmodum*, etc.

N. 2. *Audistis quid pro nobis oraret, imo quid vellet. Dixit: Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, ibi sint ipsi. Volo, inquit, ut ubi ego sum, et ipsi sint mecum.* Id. *Audistis quid nobis oravit, imo quid se velle dixit: Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, ibi sint et ipsi. Volo, Pater; quod vis facio, fac quod volo. Quid? ut ubi ego sum, et ipsi sint mecum.*

N. 3. *Post resurrectionem laudatio.* Id. *Post resurrectionem laudatio. Nonnulli Christianorum, fratres, æstimantes Divinitatis præcepta religiosius observare, prætermissa devotione quadragesimæ, cujus nunc tempus persolvere curant, quinquagesimam se facere mentiuntur: cum id neque divinis jubeatur, neque traditum sit auctoritate majorum. Sola igitur animi faciunt præsumptione. Et dum putant se devotius agere, superstitiosius conversantur. Dicit se observare Quinquagesimam, qui forte Quadragesimam implere vix possit. Bonum est* C *quidem cunctis temporibus jejunare, sed melius Quadragesimam jejunare cum Christo. Hanc enim Quadragesimam nobis Dominus suo jejunio consecravit. Quod dixi jejunio, non jejuniis. Unum enim* [Cod. *est*] *jejunium Domini fuit, qui continuatis quadraginta diebus et noctibus cibum omnino non sumpsit. Quisquis ergo Christianus consecrandam jejunando non impleverit Quadragesimam, prævaricationis et contumaciæ reus tenebitur, quod legem divinitus pro salute sua datam, prandendo ipse rescindit. Rescindis enim legem, qui exemplum jejunii Domini non custodis. Qualis autem Christianus es, qui Domino jejunante, prandis? Qualis Christianus es, qui, Christo esuriente te* [Cod. *tu*] *reficis? Ille pro salute tua famem sustinet, tu pro peccatis tuis jejunare formidas. Abstineamus a vitiis carnis, ut repleamur de divitiis æternis. In illa enim vita ipsum erit negotium nostrum in regno Dei videre, amare, laudare. Quid enim ibi acturi sumus? In isto sæculo opera alia sunt necessitatis, alia sunt iniquitatis. Ne-* D *cessitatis opera quæ sunt? seminare, arare, novellare, navigare, molere, coquere, texere, et si qua similia necessitatis, et illa opera nostra bona necessitatis sunt* [Cod. *est*]. *Frangere panem esurienti non habes tu necessitatem, sed habet ille, cui frangis panem; recipere peregrinum, vestire nudum, redimere captivum, visitare ægrum, dare consilium deliberanti, liberare oppressum, omnia ista ad eleemosynam pertinent; opera sunt necessitatis. Iniquitatis quæ sunt? furari, latrocinari, inebriari, alea ludere, fœnus exigere. Et quis enumerat omnia facta iniquitatis? In illo regno non erunt opera necessitatis, quia nulla ibi erit miseria, non erunt opera iniquitatis, quia nulla ibi erit molestia. Ubi nulla erit miseria, non sunt opera necessitatis; ubi nulla malitia, non sunt opera iniquitatis. Quid enim facturus ut manduces, quando nemo esurit? Illa ipsa eleemo-* A *synarum opera quomodo facturus? Cui frangis panem, ubi nemo eget? Quem visitas ægrum, ubi perpetua sanitas perseverat? Quem sepelis mortuum, ubi immortalitas nunquam moritur? Pereunt opera necessitatis; opera autem iniquitatis si hic feceris, illic non pervenis. Quid ibi facturi sumus, dicite mihi? dormituri? Hic enim homines non habentes quod agant, dormiunt; ibi somnus non est, quia nulla defectio. Non ergo opera necessitatis acturi, non dormituri, quid facturi sumus? Nemo expavescat tædium; nemo putet et ibi futurum tædium. Numquid modo tædias sanus esse. Omnia in sæculo habent fastidium: sanitas non habet fastidium. Si sanitas non habet fastidium, immortalitas habebit fastidium? Quæ erit ergo actio nostra? Amen, et alleluia. Hic enim agimus aliud, ibi aliud, non dico die et nocte, sed die sine fine. Quæ modo potestates cælorum? Seraphim sine tædio dicunt:* Sanctus, sanctus, sanctus Deus Sabaoth (*Apoc.* IV, 8). *Hoc dicunt sine tædio. Numquid modo fatigatur pulsus venæ tuæ? Quamdiu vivis pulsus habet vena tua. Aliquid facis, et* B *fatigando fatigaris, et requiescis, et redis ad opus, et vena tua non fatigatur. Quomodo vena tua non fatigatur in salute tua, sic lingua tua, et cor tuum non fatigatur in laudibus Dei, in immortalitate tua. Audite testimonium negotii vestri. Quid est negotii nostri? hoc negotium, otium est*[1]. *Otiosum negotium quid? laudare Deum. Audite inde sententiam:* Beati qui habitant in domo tua (*Psal.* LXXXIII, 5); *psalmus hoc dicit:* Beati qui habitant in domo tua. *Et quasi quæreremus unde beati? Multum auri habebunt? Qui multum aurum habent, multum sunt miseri:* Beati sunt isti, qui habitant in domo tua. *Unde beati? Hæc est beatitudo illorum:* In sæcula sæculorum laudabunt te (*Ibid.*). *O pax sine fastidio! o indefessa dulcedo, Domine Deus noster! Forma nos ad te, reformans ad videndum te, quoniam cum viderimus te, non avertemur a te. Amabimus te, et fruemur te, et sine lassitudine amabimus te; regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria, per infinita sæcula sæculorum. Amen.*

## SERMO CCXXV.

Legitur in cod. Cass. XCIX, fol. 37 a tergo, ubi, post hæc verba, *A quo tanto opere?* adduntur hæc necessaria, quæ desunt in edit., *A carne Christi.*

## SERMO CCXXVIII.

Legitur in cod. Cass. VII, fol. 218.

Edit. N. 1. *In illis est novata;* et in var. edit. sensum claudicare asserunt. Benedictini proponunt correctionem, *Fides est novata.* Cod. *In illis nova vita.* Vera et perfecta lectio.

Ibid. *Noli facere, baptizatus es.* Id. *Noli peccare, baptizatus es.*

N. 3. *Tractavimus de sacramento orationis dominicæ, quomodo petant; et de sacramento fontis et baptismi.* Id. *Tractavimus de sacramento orationis dominicæ, quem, et quomodo, et quales debeant invocare, tractavimus de sacramento fontis et baptismi.*

## SERMO CCXXX.

Legitur in cod. Florent., Bibl. Fesul., cod. XX, fol. 122 *b*.

Edit. N. unic. *Ita illo adjuvante faciamus.* Cod. *Ita illo juvante facimus.*

Ibid. *Non tamen sine causa de aliquo præcipue.* Id. *Non tamen sine causa de aliquo die præcipue.*

Ibid. *Ne feceritis in concupiscentiis.* Id. *Ne feceritis in desideriis.*

Ibid. *Hoc si facitis, toto corde cantatis.* Id. *Hoc si facitis, toto corde cantate.*

[1] Vid. S. August. *Enarr. in psal.* CX, n. 1, et *in psal.* CXLVII, n. 3.

Ibid. *Si vultis esse dies quem fecit Dominus.*
Ibid. *Et habebitis lucem veritatis, quæ nunquam occasum faciet.*

Id. *Si vultis esse dies quam fecit.*
Id. *Et habete lucem veritatis, quæ nunquam occasum faciat.* Vid. var. Maur.

## SERMO CCXXXV.

Legitur in cod. Cass. cccv, fol. 23 a tergo, ubi, n. 4, post hæc verba, *Væ qui non crediderunt*, desunt hæc sequentia, *Erit enim magnus timor*, quæ videntur esse glossa.

## SERMO CCXLVIII.

Legitur in cod. Cass. VII, fol. 246.

Edit. N. 3. *Capiuntur ergo pisces magni centum*, etc.
N. 5. *Fit numerus decem et septem. Si computes*, etc.

Cod. *Capiuntur ergo pisces magni. Quot? centum*, etc.
Id. *Fit numerus decem et septem. Jam iste numerus quid est decem et septem? Si computes*, etc.

## SERMO CCLXV.

Legitur in cod. Cass. VII, fol. 254.

Edit. N. 2. *Alii non credentes irriserunt. Non enim omnium est fides.*

N. 9. *Et ab hac maxime charitate quæ in cœlis est, de cœlo misit Spiritum sanctum.*

N. 11. *Ipsa charitate plena est gallina illa propter pullos infirmata.*
Ibid. *Colligere, non dividere. Quia habeo*, etc.

Cod. *Alii videntes irriserunt. Non enim de tali facto quod ascendit in cœlum omnium est fides.*
Id. *Ut ab hac charitate proximi proficiamus ad ejus charitatem qui in cœlis est, de cœlo misit Spiritum sanctum.*
Id. *Congregat nos ipsa charitate plena gallina illa propter pullos infirmata.*
Id. *Colligere, non dividere. Qui enim extra colligit, dividit, et qui mecum, inquit, non colligit, spargit. Colligere, non dividere; quia habeo*, etc.

## SERMO CCLXVI.

Legitur in cod. Cassin. VII, fol. 254.

Edit. N. 4. *Crediderunt multi in Samaria, credentes baptizati sunt. Ut autem audierunt apostoli, miserunt ad eos Petrum et Joannem, ut baptizatis manus imponerent, et eis manus imponendo, impetrarent Spiritum sanctum invocantes. Simon admiratus*, etc.

Cod. *Crediderunt multi in Samaria, credentes baptizati sunt. Ut autem manus imponeret Philippus, et eis manus imponendo, impetraret Spiritum Sanctum, plus erat ad diaconi ministerium. Proinde consequens erat ut fides Samariæ ab apostolis nuntiaretur. Nuntiata est; venerunt, et baptizatis manus imposuerunt; benedictione sua super illos Spiritum sanctum invitaverunt. Venit ad manus impositionem apostolorum super illos Spiritus sanctus, sed voluntarius, non coactus. Tunc Simon admiratus*, etc.

Ibid. *Ille qui in Samaria baptizaverat, et nemini*, etc.

N. 5. *Quia et inter apostolos Philippus nominatur, et qui proprie*, etc.

N. 6. *Eumque accersendum. Tunc autem*, etc.

Ibid. *Sed mihi Deus ostendit neminem communem*, etc.

Id. *Ille qui in Samaria prædicaverat, qui in Samaria baptizaverat, et nemini*, etc.
Id. *Legant textum lectionis, et videant eumdem Philippum nominari, qui proprie*, etc.
Id. *Eumque accersendum, et quod præciperet faciendum. Tunc autem*, etc.
Id. *Sed mihi Deus ostendit; quando ostendit? ubi ostendit? Neminem communem*, etc.

N. 7. *Posset enim a calumniantibus vel non intelligentibus dici Petro: Male fecisti dare Spiritum sanctum*, etc.

Id. *Posset enim a calumniantibus vel non intelligentibus dici Petro: Male fecisti incircumcisis dare baptismum. Numquid posset dici Deo: Male fecisti dare Spiritum sanctum?*

## SERMONES CCLXXX, CCLXXXI, CCLXXXII.

Legitur sermo CCLXXXI magna ex parte in duobus codd., uno Cass., nempe XII, fol. 1282, altero Florentin., Bibl. Fesulan., cod. XX, fol. 262. In utroque titulus habet *De sancta Victoria*, aut, *In Natali sanctæ Victoriæ*. Plura assumuntur ex sermone CCLXXX, plura etiam ex serm. CCLXXXII, plura in Edit. non leguntur. Hic differentias annotare curavimus, nec impossibile est sanctum Augustinum, notas quas de SS. Perpetua et Felicitate scripserat, sanctæ Victoriæ laudandæ accommodasse, cum præcipue in cod. Theodoricensi citetur quidam sermo de sancta Victoria his verbis: *Item sermo B. Aur. Augustini episcopi de Natali sanctæ Victoriæ virginis*, ut videre est in notis Operum sancti Augustini, edit. Bened. tom. V.

### SERMO CCLXXX.

Editi. N. 1. *Et victore vestigio*; deinde quædam addunt duo codd. beatæ Perpetuæ propria.

Ibid. *Feminæ cadenti... ascendenti.*

N. 2. *Tunc cum bestiis.*

Ibid. *Quorum voces in carnem martyrum.*

Ibid. *Nunc plane jam nulla.*

N. 4. *Sed exercitationi sufficeret.*

N. 5. *Quamvis jam nullis possit sæculi hujus felicitatibus vel suavitatibus comparari, parva particula promissionis agitur, imo*, etc.

Ibid. *Ubi corporibus redditis.*

N. 6. *Quod ejus corporis membra sumus, cujus et illi*, etc.

Ibid. *Eamdemque amplectimur unitatem.* Sic terminatur.

Codd. *Et victoriæ vestigio.* Quæ adduntur beatæ Perpetuæ propria desunt usque ad hæc verba: *Ita caput.*
Iid. *Feminæ cadentis... ascendentis.*
Cod. XII. *Tunc certe cum bestiis.*
Codd. *Quorum voces in carne martyrum.*
Iid. post hæc verba, non habent plura, quæ desunt usque ad has voces n. 4: *Martyres Christi pro nomine ac justitia Christi*, et deinde, prætermissis duobus verbis, *utrumque vicerunt*, pergunt dicendo, *nec mori*, etc.
Iid. Post hæc verba prætermittunt multa usque ad has voces, *Quid, cum resolutæ*, etc.
Iid. *Quamvis jam nullis possit sæculi hujus festivitatibus vel suavitatibus comparari, parva est particula promissionis, imo*, etc.
Sic et cod. XX; cod. XII, *ubi in corpore.*
Cod. XII. *Quod ejus corporis membra sumus, cujus sunt et illi*, etc.
Codd. *Eamdem amplectimur unitatem* (Cod. XII, male, *humanitatem*). Deinde sic pergunt: *In hoc ergo tanto agone sancta Victoria non sexu invalido retardata, non feminea cogitatione enervata, non mundo blandiente mollita, non minante perterrita, non sæviente devicta, certavit fortiter, spiritu carnem, spe timorem, diabolum fide, mundum charitate vincens. His armis exercitus nostri regis invictus est; his armis accincti milites Christi, non conservatis, sed trucidatis corporis membris, nec occidendo, sed moriendo triumpharunt, et victoriam de diabolo meruerunt.*

SERMO CCLXXXI.

Edit. N. 1, *Nomen Perpetuæ et Felicitatis, sanctarum Dei famularum.* Codd. *Nomen sanctæ Victoriæ, Domini famulæ;* et sic deinceps mutato nomine, singularique modo adhibito.

Ibid. *In feminas.* Legendum esset *in feminis.* Iid. *In femina.*

Ibid. *Fragilitas feminea non defecit.* Iid. *Femina non defecit.*

N. 2. *Delectat autem piam mentem tale spectaculum contueri, quale sibi beata Perpetua de se ipsa revelatum esse narravit, virum se factam certasse cum diabolo. Illo quippe certamine in virum perfectum etiam ipsa currebat*, etc. Iid. *Delectat autem piam mentem tale spectaculum contueri, beatam Victoriam in virum perfectum adversus diabolum in illo certamine currere*, etc.

Ibid. *Merito ille vetus.* Iid. *Merito et ille vetus.*

Ibid. *Per feminam deceperat virum.* Iid. *Per feminam vicerat virum.*

Ibid. *Per virum eam superare tentavit.* Cod. XII post hæc verba addit: *Per judicem scilicet sævum, cui beata Victoria nec ad tempus cessit; opitulabatur enim ei quem virgo pepererat. Et ideo illa inferioris hominis cautissimo et firmissimo robore omnes ejus obtudit insidias, impetusque confregit.* Cod. XX, prima prætermissa sententia, ultimam phrasim habet, excepto quod horum verborum loco, *Et ideo illa*, scribit, *Sed illa.* Deinde duo codd. fragmentum assuunt sermonis CCLXXX, n. 1, *Et victore vestigio*, ut videre est supra.

SERMO CCXC.

Legitur in cod. Cass. XI, fol. 87, ubi hoc uno differt, quod, n. 4, pro his Editorum verbis: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et angelus: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ecce quomodo*, etc.; pro his, inquam, verbis melius in cod. habetur: *Quomodo fiet istud, dum virum non cognosco? Et angelus professus est virgini: Ecce quomodo*, etc.

SERMO CCXCI.

Legitur in cod. Cass. XII, fol. 231.

Edit. N. 1. *Quem diem celebramus hodiernum vobis dici non opus est, quia omnes, cum legeretur Evangelium, audistis. Hodie accepimus sanctum Joannem.* Cod. *Quem diem celebremus hodiernum a nobis dici non opus est, quia omnes, cum legeretur Evangelium, audivimus. Hodie accepimus natum sanctum Joannem.*

Ibid. *Impletur Spiritu sancto.* Id. *Implebitur, inquit, Spiritu sancto.*

Ibid. *Nascitur, dat patri vocem.* Id. *Nascitur filius, natus reddit patri vocem.*

Ibid. *Quid enim aliud quam gratia?* Id. *Quid enim aliud quam gratiam?*

N. 2. *Nam manus Domini cum illo.* Id. *Nam manus Domini est cum illo.*

Ibid. *Jacob erant. Ante Joannem certe cœlum et terra erant. Quid erit qui in principio erat?* Id. *Jacob erant. Ante Joannem Adam erat. Ante Joannem certe cœlum et terra erant. Quid erit qui in principio erat Verbum?*

Ibid *Et Verbum erat, non qualecumque, sed Deus erat Verbum.* Id. *Et Verbum erat, non ubicumque, sed apud Deum; et Verbum erat non qualecumque, sed Deus erat Verbum.*

Ibid. *Quid ipsa manus Domini?* Id. *Quid est ipsa manus Domini?*

N. 3. *Venit angelus Gabriel ad Zachariam, non ad Elisabeth uxorem ejus, matrem Joannis; venit, inquam, angelus Gabriel ad Zachariam, non ad Elisabeth. Quare?* Id. *Venit angelus* (desunt male in cod.) *Gabriel ad Zachariam, non ad Elisabeth. Zacharias erat pater Joannis; Elisabeth uxor ejus, mater Joannis. Venit Gabriel ad Zachariam, non ad Elisabeth. Quare?*

SERMO CCXCII.

Legitur in cod. Cass. XI, fol. 193, et cod. CXI, fol. 74.

Edit. N. 3. *Iniquitatem. Dominus Christus quare est baptizatus? Dominus Christus Dei Filius unigenitus, quare est baptizatus? Inveni quare est natus, et ibi invenies quare est baptizatus. Ibi quippe*, etc. Cod. CXI. *Iniquitatem. Dices mihi: Dominus Christus quare est baptizatus? Dominus Christus natus ex virgine venit, quare? Et ibi invenis quare baptizatus. Ibi quippe*, etc.

N. 4. *Quia Domini est salus. Nam vana*, etc. Cod. XI. *Quia a Domino est salus, id est, a Domino datur salus. Nam vana*, etc.

Ibid. *Neque enim Joannis non erat Salvator Christus. Non hoc dicit ipse*, etc. Id. *Neque enim Joannes non erat salvandus. Salvator ergo Christus. Nam hoc dicit ipse*, etc.

N. 5. *Ecce qui baptizat inferior est; qui baptizatur, dicturus sum, melior? Hoc forte*, etc. Cod. CXI. *Ecce qui baptizat inferior est; qui baptizatur, dicturus sum, melior? Si nec qui baptizat inferior est, nec qui baptizatur melior, dicturus sum quia Creator quam creatura (non) sit melior. Hoc forte*, etc.

N. 8. *Sed non in hoc se discipulum demonstravit. Qui de cœlo, inquit*, etc. Id. *Sed non in hoc se discipulum demonstravit. Et ubi se discipulum demonstravit? Qui de cœlo, inquit*, etc.

Ibid. *Et audit eum, et ideo stat*, etc. Codd. ambo: *Et audit eum. Ergo discipulus est qui stat et audit magistrum. Et ideo stat*, etc.

SERMO CCXCIV.

Legitur in cod. Cass. VII, fol. 280, et in cod. Florentin. plut. XVIII dext., cod. V, fol. 31.

Edit. N. 1. *Disputationes quorumdam quæ modo*, etc. Cod. V. *Disputationes quorumdam, qui modo*, etc.

N. 2. *Parumper attendite. Parvulus, inquiunt, etsi non baptizetur, merito*, etc. Cod. VII. *Parumper attendite. Quid dicant, dico. Parvulus, inquiunt, merito*, etc.

Ibid. *Quid de vita æterna? Habebunt, inquiunt. Quare habebunt? Quia nullum peccatum habent.* Cod. V. *Si quidem vitam æternam habebunt, inquiunt. Quare habebunt? Quia nullum peccatum habuerunt.*

N. 3. *Hac regnum nominat, hac cum diabolo damnationem.* Id. *Hinc regnum nominat, hinc cum diabolo damnationem.*

Ibid. *Recede de medio, sed noli in sinistram.* Id. *Recede de medio, sed noli sinistram.*

N. 4. *Et hæc quidem fuistis. Et unde jam non sunt?* Id. *Et hoc quidem fuistis. Et vide, jam non sunt.*

N. 6. *Damnas tamen quem separas a regno cœlorum. Damnas: non eum percutis.* Cod. VII. *Damnas eum quem separas a regno cœlorum. Damnas quem dissocias a societate sanctorum. Jam non eum percutis.*

N. 7. *Ego prorsus exclamo.* Cod. V. *Ergo prorsus exclamo.*

Ibid. *Sed scio, inquis. Unde scis? Quia Dominus dixit.* Cod. VII. *Sed scio, inquis. Quid scis? Non iturum parvulum in regnum cœlorum. Unde scis? Quia Dominus dixit.*

N. 8. *Unde vicisti bono illius*

Ibid. *Nam quem vicisti.*

N. 9. *Ita dividendo duas personas induceremus.*

Ibid. *Noli, inquit, separare, quem volo copulare.*

Ibid. *Sed et in cœlo, qui ambulat in terra.*

N. 10. *Hoc ergo dicere voluit, Nemo ascendit, nisi qui descendit.*

N. 11. *Fundit sanguinem Christus in remissionem peccatorum.*

N. 13. *Adam primus accepit morsum.*

Ibid. *Ut de peccato damnaret peccatum in carne : de peccato peccatum.*

N. 14. *Nisi ille qui natus est sine vitio. Ab hac,* etc.

N. 15. *Unum aliquid acutissimum.*

Ibid. *Respondeo prorsus : Non primus peccavit Adam.*

N. 18. *Ibi et maritum habes infidelem, ibi habes,* etc.

Ibid. *Sanctificatur mulier infidelis in fratre. Numquid,* etc.

N. 19. *Quia veteri lege non licebat.*

N. 20. *Quia postea diligenda.*

Cod. v. *Unde eum vicisti bono illius.*

Id. *Nam eum quem vicisti.*

Id. *Ita dividendo duos induceremus.*

Id. *Noli, inquit, separare, quod volo copulare.*

Id. *Sedet in cœlo, qui ambulabat in terra.*

Cod. vii. *Hoc enim dicere voluit, Nemo ascendit, nisi qui ejus membrum factus fuerit. Nemo enim ascendit, nisi qui descendit.*

Cod. v. *Fundit sanguinem Christus in remissionem omnium peccatorum.*

Id. *Adam primo accepit morsum.*

Id. *Ut de peccato damnaret peccantem in carne : de peccato peccantem.*

Id. *Nisi qui natus est sine vitio homo. Ab hac* etc.

Id. *Unum aliud acutissimum.*

Id. *Respondeo : Prorsus non primus peccavit Adam.*

Id. *Ubi habes et maritum infidelem, ibi habes,* etc.

Id. *Sanctificatur mulier infidelis in fratre fideli. Numquid,* etc.

Id. *Quia in veteri lege non licebat.*

Id. Ut in var. Maur. *Quia postea diligentia.*

## SERMO CCXCV.

Legitur in Cod. Cass. xii, fol. 235.

Edit. N. 1. *Vis nosse de qua petra Petrus dicatur? Paulum audi.*

N. 2. *Si cor tangit, ut peccati confessio foras exeat. Sed parum adhuc ligatus est. Dominus,* etc.

N. 5. *Numquid enim Paulus pro vobis crucifixus est?*

N. 6. *Te lædis , nam Ecclesia,* etc.

Ibid. *Trepidabat famam lupi.*

N. 8. *Quid quærunt? Minus habent , si adhuc laudes hominum quærunt. Si adhuc laudes hominum quærunt, nondum vicerunt.*

Ibid. *Sed quis in eis? Ille qui dixit : Sine me nihil potestis facere.*

Cod. *Vis nosse de qua petra Petrus? Dicat Paulus ; audite.*

Id. *Sic Dominus cor tangit, ut peccati confessio foras* (Cod. male *foris*) *exeat. Sed parum adhuc prodest confessio peccati hominis adhuc ligati. Dominus,* etc.

Id. *Numquid enim Petrus et Paulus pro vobis crucifixus est ?*

Id. *Te lædis, non me; Ecclesia,* etc.

Id. *Trepidabat fama lupi.*

Id. *Quid quærunt ? Si aliquid quærunt , minus habent. Si adhuc laudes hominum quærunt , non mundum vicerunt.* Vide var. Maur.

Id. *Sed quid in eis? Dominus noster Jesus Christus, qui dixit : Sine me nihil potestis facere ; qui vivit et regnat cum Patre, in unitate Spiritus sancti, Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.*

## SERMO CCXCVI.

Legitur in cod. Cass. xi, fol. 231, ubi titulus habet, *De Evangelio in quo ait, Simon Joannis, diligis me?*

A Edit. N. 1. *Recens sancti Evangelii lectio.*

Ibid. *Major amator quam negator.*

Ibid. *Sed tunc non potuit sequi passurus.*

Ibid. *Dominus postquam resurrexit, docet Petrum.*

Ibid. *Inordinate amans, defecit.*

Ibid. *Promisit passionem.*

N. 2. *Non dixisset, Propitius.*

Ibid. *In quo et resurrecturus.*

Ibid. *Redi retro, Satanas.*

Ibid. *Tergit lacrymis pietatis cordis negationes.*

B N. 3. *Ut ter confiteretur amor, quod ter negaverat timor.*

Ibid. *Et commendatis Petro ovibus suis, et commendato sibi Petro cum ovibus suis jam prænuntiat.*

N. 4. *Pretiosas, emptas non auro.*

Ibid. *Idoneum esset pretium.*

N. 5. *Ibi certa victoria.*

N. 6. *Quæ sunt proposita.*

Ibid. *Quælibet quantalibet tribulatio.*

Ibid. *Ibi sunt sed in te non sunt.*

C Ibid. *Utinam in te essent, quisquis ita loqueris, quisquis ita desipis, quisquis vocatus in spiritu carnaliter sapis. Prorsus adhuc patientiam doceo, nondum sapientiam. Patiens esto, Dominus vult. Quæris quare velit? Differ secretum cognitionis, strenuitatem obedientiæ præpara. Ferre te vult ; ferto quod vult,* etc.

Cod. *Præsens evangelica lectio.*

Id. *Tam amator quam negator.*

Id. *Sed tunc non potuit sequi passum.*

Id. *Dominus post resurrectionem docet Petrum.*

Id. *Inordinate amat, sed deficit.*

Id. *Promittit passionem.*

Id. *Non diceret, Propitius.*

Id. *In quo erat et resurrecturus.*

Id. *Redi retro, Satana.*

Id. *Tergit lacrymis pietatis sordes negationis.*

Id. *Ut ter confiteatur amor; quia ter negaverat timor.*

Id. *Et commendatis Petro ovibus suis, jam prænuntiat.*

Id. *Non pretio emptas, non auro.*

Id. *Idoneum esset pretio.*

Id. *Ibi secura victoria.*

Id. *Quæ sint proposita.*

Id. *Quælibet et quantalibet tribulatio.*

Id. *Ibi sunt, ibi sunt, sed in te non sunt.*

Id. *Utinam in te essent, quisquis ista loqueris, quisquis ista desipis, quisquis vocatus in spiritu adhuc carnem sapis, quisquis talis es, utinam in te essent memoriæ apostolorum! Utinam tu cogitares apostolos! Videres utrumnam eis terrena felicitas promissa fuerit an æterna. Audi Apostolum, si vivit in te memoria ipsius. Etenim quid est?* Quod enim temporale est leve tribulationis nostræ, in incredibilem modum, et supra incredibilem modum, æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non respicientibus quæ videntur, sed quæ non videntur; quæ enim videntur, temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna sunt (*II Cor.* iv, 17, 18). *In ipso Petro temporalis fuit caro,*

D *et non vis ut temporalis sit lapis Romæ? Petrus apostolus cum Domino regnat; corpus apostoli Petri quodam loco jacet. Memoria est excitans amorem ad æterna, non ut terræ inhæreas, sed ut cum Apostolo cœlum cogites. Dic mihi, si fidelis es, recole memorias apostolorum, memoriam etiam Domini Dei tui, certe jam sedentis in cœlo. Audi quo te mittat Apostolus.* Si resurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt sapite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt quærite, non quæ super terram. Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum Christus apparuerit, vita vestra, tunc et vos cum ipso apparebitis in gloria (*Col.* iii , 1-4). *Uno verbo hoc audis : Sursum cor. Doles ergo et ploras, quia ruerunt ligna et lapides, et quia mortui sunt morituri? Da mihi aliquem mortuum semper victurum. Doles quia ceciderunt ligna et lapides, et quia mortui sunt morituri? Si sursum habes cor, quid ibi mortuum est? Quid ibi cecidit? Si sursum habes cor, ubi est the-*

*saurus tuus, ibi est cor tuum. Deorsum caro tua est, et si expavescit caro tua, non moveatur cor tuum. Sed tamen, inquis, nolebam. Quid nolebas? Nolebam ut Roma tanta pateretur. Ignoscimus, quia nolebas. Noli tu Deo irasci, quia volebat. Tu homo es, et ille Deus. Tu dicis, Nolo, ubi ille dicit, Volo? Non te ille damnat propter Nolo tuum; et tu blasphemas Volo ipsius? Sed quare hoc Deus voluit? Quare hoc Deus voluit? Interim servi voluntati Domini Dei tui; amicus factus, scies consilium Domini Dei tui. Quis tam superbus sit servus, cui Dominus cum aliquid jusserit ut fiat, dicat ille, Quare? Dominus apud se habet consilium. Paret obsequium; si profecerit, si bene egerit, si de servo amicus factus fuerit, sicut dixit ipse Dominus :* Jam vos non dicam servos, sed amicos (*I Joan.* xv, 15), *forte et consilium Domini sui discet. Interim antequam sciat consilium, libenter ferat arbitrium. Prorsus adhuc patientiam doceo, nondum sapientiam; patiens esto. Dominus vult. Quæris quare velit? Differo studium cognitionis, differo strenuitatem. Obedire para; ferre te vult, quod vult; ferto quod vult,* etc.

Ibid. *Si est in vobis lenis et mitis patientia.*

Ibid. *Dominicam voluntatem. Lenia quippe non ferimus.*

Ibid. *Aspera toleramus, ad lenia gaudemus.*

Ibid. *Et continuo convertit renisum ad obedientiam.*

Ibid. *Sic et tu nolebas forte amittere peculium tuum, quod hic relicturus eras : attende ne cum relinquendo remaneas.*

N. 7. *Roma afflicta est.*

Ibid. *Quis hoc dicit? Christianus.*

Ibid. *Quando voluit Deus.*

Ibid. *Ut illo careamus; cæterum tibi alia meditatio est.*

N. 8. *Cum in tentationibus variis incideritis. Dicis itaque, o pagane : Dii præsides Romam modo non servaverunt, quia non sunt; tunc servaverunt, quando erant.*

Ibid. *Non audistis prophetas, non audistis ipsum,* etc.

Ibid. *Mala futura? Quantum accedit ætas mundo, tantum propinquatur finis.*

N. 9. *Audi quare modo plus vastatur.*

Ibid. *Oculum ad nos.*

Ibid. *Evangelium prædicatur toto mundo; verum est. Antequam,* etc.

Ibid. *Vapulabit pauca.*

Ibid. *Ecce quid erat ante mundus. Nunc vero quid? Servus autem sciens voluntatem domini sui, et faciens digna plagis, vapulabit multa. Et utinam multa vapulet, non semel damnetur. Quid recusas vapulare multa,* etc.

Id. *Si habitat in vobis lenis et mitis patientia.*

Id. *Dominicam voluntatem. Non solum lenem; lenem quippe non ferimus.*

Id. *Asperam toleramus, ad lenem gaudemus.*

Id. *Et convertit sensum ad obedientiam.*

Id. *Sic et tu nolebas; quid? forte amittere peculium tuum, quod relicturus eras : attende ne eum relinquendo remaneas.*

Id. *Roma affligitur, aut afflicta est.*

Id. *Quis hoc dicis? Christianus.*

Id. *Quia voluit Deus.*

Id. *Ut illo careas; cæterum tibi alia meditatio sit.*

Id. *Cum in tentationes varias incideritis. Quando tibi talia in templo recitata sunt, Dii præsules Romæ non servaverunt, quia non sunt, diceres, tunc servaverunt quando erant.*

Id. *Non audistis prophetas, non audistis apostolos, non audistis ipsum,* etc.

Id. *Mala futura, quando accedet ætas mundo, quando propinquabit finis.*

Id. *Ait quare modo plus vastatur.*

Id. *Oculum ad nos convertamus.*

Id. *Evangelium prædicatur; totus mundus plenus est. Antequam,* etc.

Id. *Vapulabit paucis.*

Id. *Ecce quid erat ante mundus. Servus nesciens voluntatem domini sui, et non faciens digna plagis, vapulabit paucis. Servus autem sciens voluntatem domini sui; ecce qualis est modo mundus. Jam quod sequitur vobis dicite, imo nobis dicamus : Servus sciens voluntatem domini sui, et non faciens digna, plagis vapulabit multis. Et utinam multis vapulet, et non semel damnetur. Quid recusas vapulare multis,* etc.

Ibid. *Thesauros in cœlo, ubi neque ærugo,* etc.

Id. *Thesaurum in cœlo, ubi neque tinea, neque ærugo,* etc.

Ibid. *Tu in terra thesaurizas, ille in cœlo jubet, dicens.*

Id. *Tu in terra, ille in cœlo, dicens.*

Ibid. *Quid servas in terra? Quod custodit Christus, non tollit Gothus.*

Id. *Quid servas? Quod custodit Christus, numquid tollit Gothus?*

Ibid. *Et sapientior Domino tuo, condis in terra.*

Id. *Et sapientior Domino tuo, non nisi in terra thesaurizare vis.*

Ibid. *Sursum condere voluit. Et tu, Ego in terra condo. Paratus ergo esto vapulare multa.*

Id. *Sursum te condere voluit ille. Ergo in terra condens, paratus esto vapulare multis.*

Ibid. *Dicis quod tibi facit Dominus.*

Id. *Dicis quia quod facit Dominus.*

N. 10. *Ut tu fluas, ille mentiatur.*

Id. *Ut tu defluas, ille vero mentiatur.*

Ibid. *Iniquitatibus nostris, murmuri nostro.*

Id. *Iniquitatibus nostris et murmuri nostro.*

Ibid. *Pœnitentiæ iram exercet in se.*

Id. *Pœnitens iram exercet in se.*

Ibid. *Quia si tu tibi parcis, ille tibi non parcet; quia si et ille tibi parcat, peris.*

Id. *Quia si tu tibi parcis, ut ille tibi parcat, peris.*

Ibid. *Sicut enim scriptum est.*

Id. *Sic enim scriptum est.*

Ibid. *Vidit felicem peccatorem, quotidie mala facientem, et nihil mali patientem, et in Spiritu sancto* (in margine *suo*) *horruit, et doluit, et dixit. Irritavit,* etc.

Id. *Vidi felicem peccatorem, vidi quotidie mala facientem, et in Spiritu sancto blasphemantem; horrui, dolui. Irritavit,* etc.

Ibid. *Provocat Dominum; pro magnitudine iræ suæ non requiret. Ideo non exquiret,* etc.

Id. *Provocavit Dominum; pro magnitudine iræ suæ non exquiret. Hoc sequitur : irritavit Dominum peccator; pro magnitudine iræ suæ non exquiret. Ideo non exquiret,* etc.

Ibid. *Nam si exquireret, flagellaret; et fortasse emendaret.*

Id. *Nam si exquireret, flagellaret : si flagellaret, emendaret.*

N. 11. *Quid præstabat Petrus?*

Id. *Quod præstabat et Petrus.*

N. 12. *Dico charitati vestræ, torta sunt, torta sunt ex hoc viscera nostra. Fatemur vobis, non nobis placet talis diligentia. Scio quia zelo Dei fecerunt et Ecclesiæ. Putatis quia nihil factum est, quia hoc ad omnes sonuit? Rogo vos, hodie sonuerit vox ista, ut illud quod male sonuit, obruat ea res quæ bene sonuit. Hanc operam date, hoc sonet, hoc prædicemus, hoc prædicamus. Veniant, admittantur,* etc.

Id. *Dico charitati vestræ, torta sunt ex hoc viscera nostra. Fatemur vobis, non nobis placuit talis diligentia. Scio quia zelo Dei fecerunt; scio, non dubito, quia zelo Dei fecerunt, sed et illud debent attendere apostoli Pauli, quomodo plangit eos etiam qui zelum Dei habent, sed non secundum scientiam* (*Rom.* x, 2). *Ecce non est admissus hodie; cras morietur. De cujus manibus exigitur? Dicturus es : Sed fingit. Respondeo : Sed petit. Ego ostendo quod petit; tu ostende quia fingit. Christiane, jam volo doceas et me. Unde scis quia fingit? Quia rebus suis timet. Novimus multos timuisse rebus suis, et ideo factos catholicos; cum accepissent libertatem, redierunt ad illos quidam, quidam vero manserunt. Quamdiu non intraverunt, rebus sui timuerunt, et cum intraverunt, discendo manserunt. Unde scis ergo, ne iste qui timet rebus suis, inter illos erit qui ficti inventi sunt, maxime accedente tanta luce*

*veritatis, tanta convictione falsitatis? Quid vis de corde judicare, homo? Ideo sudavimus, ideo laboravimus, ideo veritas demonstrata est invicta, ut sit quærentibus inimica? Laboravimus ut veritas ostenderetur, falsitas convinceretur. Adjuvit Dominus: factum est. Forte pro quo factum est, quadam consideratione mutatus est. Quare de corde vis judicare? Ego video petentem, et tu accusas fingentem? Christiane, quod vides admitte, quod non vides Deo dimitte. Breviter caritati vestræ dico: pascendas oves Domini ab ipso Domino audivimus, et scimus quod de ovibus per Ezechielem dicat*: Ne ovis ovem impingat, ne ovis ovem impellat; ne fortis languidam premat (*Ezech.* XXXIV, 1 *seqq.*). *Attende quod Apostolus dicat*: Corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos (*I Thess.* V, 14). *Corripite inquietos, fiat hoc; Consolamini pusillanimes; fiat hoc; Suscipite infirmos, fiat hoc.* Patientes estote ad omnes (*Ibid.*), *fiat hoc*: Ne quis malum pro malo alicui reddat (*Ibid.*, 15) *fiat hoc. Tanta dicit. Non ibi attendimus, nisi*, Corripite inquietos. *Attendite*: Corripite inquietos. *Numerate*: Consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes. Videte ne quis malum pro malo alicui reddat. *Tu non attendis, nisi*, Corripite inquietos. *Vide ne tu sis inquietus, ne, et quod est pejus, et inquietus esse velis, et corripi nolis. Rogamus vos, per Christum, obsecramus, ne fundatis laborem nostrum. An putatis quia inde nobis habemus placere quia vicimus falsitatem? Victoria semper veritatis est. Nos quid sumus? Victa falsitas; olim victa est. Sed Deo gratias quia aperte victa est, et manifestata hominibus. Abundavit cultus, quare impeditur fructus? De cætero, fratres, ista non fiant. Nemo sic amet Ecclesiam, ut invideat lucris Ecclesiæ. Nudius tertia aut nudius quarta factum est hoc quod dico, et non levites sonuit ad omnes, quia non admittantur Donatistæ, quando veniunt ad Ecclesiam. Putatis quia nihil mali factum est, quia hoc ad omnes sonuit? Rogo, ideo sonuit hodie vox ista, ut illud quod male sonuit, obruat ea res quæ bene sonuerit. Date operam, hoc diximus, hoc prædicamus. Veniant, admittantur*, etc.

## SERMO CCXCVII.

Legitur in duobus codd. Cassin., nempe cod. VII, fol. 515, et cod. XXX, fol. 523. In hoc autem ultimo non habentur nisi duo numeri, quintus videlicet et sextus; cætera desunt.

Edit. N. 1. *Animam meam pro te ponam. Præsumptionem ferebat.*

Cod. VII. *Animam meam pro te ponam. Præsumptione fervebat.*

N. 3. *Petrus etiam senex mori nolebat. Mori quidem nolebat.*

Id. *Petrus etiam senex nolebat mori; alter eum cinxit, et abstulit quo ipse nollet. Mori quidem*, etc.

N. 4. *Respondebas, Volo. Cohibe linguam tuam a malo. Modo dic, Volo. Declina a malo, et fac bonum. Dic, Volo. Si autem hoc vis, quære opus, et ad mercedem curris.*

Id. *Respondebis, Volo. Cohibe linguam tuam a malo. Modo dic, Volo. Labia tua non loquantur dolum. Modo dic, Volo. Declina a malo, et fac bonum. Dic, Volo. Si autem hoc non vis, quæro quid velis? Opus prætermittis, et ad mercedem curris.*

N. 5. *Et donatorem gratiæ de vita sua confessione laudantem.*

Cod. XXX. *Et donatorem gratiæ debitæ sua confessione laudantem.* Melius legeretur *debita*, ut in var. Maur. quas videsis.

Ibid. *Sed plus omnibus illis laboravi. Rependisti ergo gratiæ Dei?*

Codd. ambo. *Sed plus omnibus illis laboravi. Quasi rependit gratiæ Dei. Gratia Dei, inquit, sum quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit; sed plus omnibus illis laboravi. Rependisti ergo gratiæ Dei?*

N. 6. *Quo juvante? Quid hic dicis? Cursum*, etc.

Cod. XXX. *Quo juvante? Quo? dic. Dico, inquit, cursum*, etc.

Ibid. *Primo quam fidem? quam tibi ipsi dedisti? falsum est*, etc.

Cod. VII. *Primo quam fidem? quam tibi ipsi dedisti? Si fidem tu tibi dedisti, falsum est*, etc.

N. 7. *Nam custodire te non sufficis. Si desertus fueris, dormitabis et dormies. Non autem dormitat, neque dormit, qui custodit Israel.*

Id. *Nam custodire te non sufficis. Custodis, sed si derelictus fueris, dormitabis et dormies; non autem dormiet, neque dormitabit, qui custodit Israel.*

N. 9. *Captivus ductus est ab homine. Libera me, Domine, ab homine malo.*

Id. *Captivus ductus est ab homine. Rem magnam psalmus optavit: Libera me, Domine, ab homine malo.*

N. 11. *Non respicientibus quæ videntur. Quæ enim videntur*, etc.

Id. *Non respicientibus quæ videntur, si dantur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur*, etc.

## SERMO CCXCVIII.

Legitur in cod. Cass. CIX, fol. 43 et 44.

Edit. N. 1. *Et ad nos ista verba venerunt, et ad sanitatem*, etc.

Cod. *Et ad nos ista verba venerunt, et Afros de somno excitaverunt, et ad sanitatem*, etc.

N. 4. *Qui non sum dignus vocari apostolus. Quare?*

Id. *Qui non sum dignus vocari apostolus. Non es dignus, et facit. Non ergo quid tibi debebatur, reddidit, quia dignum honore præstitit, cui supplicium debebatur. Non sum dignus vocari apostolus. Quare?*

## SERMO CCCIV.

Legitur in cod. Cass. CIX, fol. 94, ubi, n. 1, horum verborum loco, *intellexit hoc, fratres, sanctus Laurentius; intellexit ac fecit*, habetur, *intellexistis hoc sacramentum, fratres mei? Beatus Laurentius intellexit ac fecit.*

## SERMO CCCV.

Legitur in cod. Cass. XII, fol. 251.

Edit. N. 4. *Ne ergo desperatione frangerentur.*

Cod. *Ne ergo desperatione frangeremur.*

Ibid., ad calcem, *Christus teneatur.*

Id. *Christus teneatur. His vocibus excellentissimi Salvatoris, et gratia ejus, et Spiritu ejus inspirati* (Cod. *inspirat*), *amore ejus accensi sunt martyres. Tuba veritatis vicerunt, promisso felicitatis* (Cod. *i... tatis*) *pervenerunt ad gloriam æternitatis, per Dominum nostrum Jesum Christum.*

## SERMO CCCVI.

Legitur in cod. Cass. XII, fol. 253.

Edit. N. 3. *Nemo est tamen quocumque vitæ genere electo, qui non beatam vitam cupiat. Beata ergo vita*, etc.

Cod. *Nemo est tamen, quocumque vitæ genere electo, qui non beatam vitam cupiat, et ideo sic vivat, quia inde se beatum putat. Beata ergo vita*, etc.

## SERMONES CCCVII et CCCVIII.

Hi sermones, qui in duos dividuntur in textu Benedictinorum, sed unum tantum efficiunt in nostris codicibus, sicut et in var. Maurin., leguntur in cod. Florent. plut. XVIII, cod. XXIII, fol. 177 *b*, et in Bibl. Mugell., cod. XV, fol. 149 *b*.

Serm. CCCVII. Edit. N. 1. *Non sæviret. Honorabat.*

Codd. *Non sæviret, et honorabat.*

Id. ibid. *Quando autem parturiebat.*

Cod. XV. *Quando autem parturiit.*

Id. ibid. *Filiam saltantem. Et rex*, etc.

Id. *Filiam saltatricem. Rex*, etc.

Id. N. 3. *Locutus est ei angelus.*

Id. *Locutus est enim ei angelus.*

Id. ibid. *Per memetipsum juro.*

Cod. XXIII. *Per memetipsum juravi.*

Id. ibid. *Obaudisti vocem meam.*
Cod. xv. *Obaudisti voci meæ.*

Id. ibid. *Exhibet verax.*
Cod. xxiii. *Exhibetur verax.*

Id. ibid. *In psalmis de Domino.*
Cod. xv. *In psalmis vere de Domino.*

Id. N. 4. *Non est peccatum verum jurare. Sed quia*, etc.
Codd. ambo. *Non quia est peccatum verum jurare, sed quia*, etc.

Id. ibid. *Jurare, longe est*, etc.
Id. *Jurare. Longe est*, etc.

Id. ibid. *Sed Dominus juravit, inquit.*
Cod. xv. *Sed Dominus, inquis, juravit.*

Id. N. 5. *In ipsa luctatione.*
Id. *In ipsa lucta.*

Serm. cccviii. N. 1. *Temere juravit : quis nesciat ? Tamen lapsus est, juravit.*
Cod. xxiii. *Temere juravit, quia nescivit. Tamen lapsus est, qui juravit.* Vid. var. Maur.

Id. N. 2. *Hominis sanguine implere.*
Id. *Hominis sanguine implesse.*

Id. ibid. *Commemoro ergo charitatem vestram.*
Id. *Commemoro ergo charitati vestræ.*

Id. ibid. *Malam, malam, malam, et valde malam.*
Id. *Malam, malam, valde malam.*

Id. N. 3. *Quia dixit Dominus Jesus.*
Id. *Quid dixit Dominus Jesus ?*

Id. Ibid. *Quando a nobis exigeretur*, etc.
Id. *Quomodo a nobis exigeretur*, etc.

Id. N. 4. *Et falsum esse.*
Id. *falsum esse.*

Id. N. 5. *Et nonne melius erat, ut rem tuam quam exigebas perderes, quam animam hominis istius falsa juratione perimeres ?*
Id. *Melius rem tuam, quam exigebas, perderes, quam animam hominis falsa juratione perimeres.*

Id. ibid. *Abstuleriis.*
Id. *Abstuleritis præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.*

## SERMO CCCX.

Legitur in cod. Cass. xii, fol. 270.

Edit. N. 1. *Spiritus sanctus doceat nos in hac hora quæ oporteat dicere : dicturi enim sumus aliquid de laude Cypriani gloriosissimi martyris, cujus natalem hodie, sicut nostis, celebramus.*
Cod. *Gloriosissimi martyris Cypriani sacratissimam passionem in memoria nobis revocat hodierna solemnitas. Natalem quippe ejus hodie celebramus.*

Ibid. *Id est, Natales, ut Natales.*
Id. *Id est, ut Natales.*

Ibid. *Hoc nomen frequentat Ecclesia, ut*, etc.
Id. *Hoc nomen frequentat, ut*, etc.

Ibid. *Sed illum diem non celebraremus, etsi nossemus. Illo enim die*, etc.
Id. *Sed quando natus sit, etiamsi sciremus, non celebraremus. In illo enim die*, etc.

Ibid. *Isto autem die vicit omne peccatum.*
Id. *Isto die finivit omne peccatum.*

N. 2. *Ex occultissimo naturæ sinu.*
Id. *Ex occultissimo ac profundissimo sinu.*

Ibid. *Propter Natalem Cypriani bibit.*
Id. *In honorem Cypriani bibit.*

Ibid. *Et tanto dulcius.*
Id. *Et tanto jucundius.*

Ibid. *Cingatur ab obsequentibus.*
Id. *Cingatur a venerantibus.*

Ibid. *Ubi illa erecta est, ibi prostratus est.*
Id. *Ubi illa surrexit, iste prostratus est.*

N. 3. *Unde nos celebraremus.*
Id. *Quando* (aut melius *quomodo*) *nos celebraremus.*

[1] Vide serm. cccxvi, n. 3.

N. 4. *Et ad alia loca.*
Id. *Ad alia loca.*

Ibid. *Lectionis : alacres celebremus hunc diem, et ita omnes unanimiter supplicemus, ut in Ecclesia majore communem patrem audire et videre mereamur ; habituri et de sermone ejus gaudium, et de passionis ejus gloria profectum, per Dominum nostrum Jesum Christum. Amen.*
Id. *Lectionis. Alacres ergo celebremus hunc diem, et cujus triumphum honoramus in terra, meritum cognoscamus in cœlo.*

## SERMO CCCXVII.

Legitur in cod. Cass. xi, fol. 212, et cod. pariter Cass. xii, fol. 127.

Edit. N. 1, *Coronatus ; illas terras*, etc.
Codd. *Coronatus, factus est in martyrio primus, qui videbatur in ecclesiastico ordine esse postremus. Illas terras*, etc.

N. 2. *Cæcitas crucifigebat : et crucifixus eis de sanguine suo collyrium faciebat.*
Codd. xii. *Cæci crucifigebant, et postea quam crucifixerunt, de sanguine suo Christus collyrium illis fecit.*

N. 4. *Nemo accendit lucernam, et ponit eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt. Domus, mundus est.*
Codd. *Sic luceat lumen vestrum coram hominibus. Ecce lucet lumen Stephani, ut videant omnes qui in domo sunt. Domus, mundus est.*

Ibid. *Et ego mundo.*
Id. *Et ego mundo.* Cætera differunt, sed incuria amanuensium non fuerunt transcripta.

N. 5 ad calcem. *Domino commendavit.*
Cod. xii post hæc verba, *Domino commendavit*, addit quæ sequuntur : « Dilexit ergo Stephanus inimicos suos. Nam qui pro se rogans stetit, pro illis genua fixit [1]. Utique quod scriptum est, hoc implevit verus imitator dominicæ passionis, et perfectus est Christi discipulus approbatus, quia quod ex magistro audierat, in sua passione complebat. Dominus enim cum penderet in cruce, ait : *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* xxiii, 34). Et beatus Stephanus, cum jam pene lapidibus obrueretur, sic ait : *Domine Jesu, ne statuas illis hoc peccatum* (*Act.* vii, 59). O apostolicum virum, jam ex discipulo magistrum ! Oportebat enim primum martyrem Christi doctrinam sequi magistri. Rogat pro impiis, rogat pro blasphemis, pro lapidatoribus suis. Quia ergo difficile erat pro talibus exaudiri, accessit infirmitas, ut firmaretur charitas. Genua fixa extorsit. Putatis illum non exauditum, quando ait : *Domine, ne statuas illis hoc peccatum ?* Exauditus est, multi ex ipsis crediderunt. Sed non vos mitto longe. Saulus ille qui in omnium manibus lapidabat, qui lapidantium vestimenta servabat, exauditus est pro illo Stephanus. Postea sæviebat acceptis scriptis in Christianos, pergebat sæviens, sanguinem sitiebat ; cædes anhelabat ; et Dominus, qui pro illo exaudiebat Stephanum : *Saule, Saule*, inquit, *quid me persequeris* (*Act.* ix, 4) ? Quem occidisti, rogavit pro te, et eligo te, ut confitearis me, et moriaris pro me. Sancti ergo Stephani Natalem cum debita veneratione colamus. Celebravimus Natalem Domini, celebremus et servi ; frequentavimus Nativitatem Salvatoris, frequentemus et Natalem martyris ; Dominum enim nostrum peperit incorrupta Maria, et Stephanum gloriosum ad palmas martyrii sancta mater provexit Ecclesia. »

## SERMO CCCXXVII.

Legitur in cod. Cass. xii, fol. 34.

Edit. N. 1. *Cantavimus Deo, martyrum voce.*
Cod. *Natale beatissimi martyris Stephani cantavimus Deo voce martyrum.*

Ibid. *Victus est promittens mundus.*

Id. *Victus est promittens mundus magna munera.*

Ibid. *De gente non sancta, latronum, homicidarum, scelestorum omnium. Pati talia*, etc.

Id. *De gente non sancta. Latronum, homicidarum, scelestorum omnium gens est non sancta. Pati talia*, etc.

N. 2. *Discipuli mei dimiserunt me, discipuli mei desperaverunt de me.*

Id. *Discipuli mei dimiserunt me, discipuli mei despexerunt me.*

Ibid. Ad calcem. *Cum bona causa hinc exeamus.*

Id. *Cum bona causa hinc exeamus. Sanctus admirabilis martyr Stephanus, cujus hodie solemnitatem celebramus, quam bonam fidem habuit! Israelita mutavit causam, dimisit synagogam Satanæ, in Christo credidit, catholicæ ordinatus est Ecclesiæ diaconus, manus capiti ipsius imposuerunt apostoli; coronam in capite a Christo accipere meruit, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum.*

## SERMO CCCXXX.

Legitur in cod. Cass. XVII, fol. 315.

Edit. N 1. *Qui tribuit voluntatem. In hoc*, etc. Legitur in nota, ex edit. Maur.: Forte aliqua hic prætermissa, quæ supplentur ex cod.

Cod. *Qui tribuit voluntatem, et augens in cordibus nostris causam nostram, gratiam suam inseminet, nutriat, constabiliat charitatem. In hoc*, etc. Forte, legendum *virtutem*, aut aliquid simile pro *causam*, et loco horum verborum, *nutriat, constabiliat*, ponendum sic, *nutriatque et stabiliat.*

N. 3. *Populo dico, non uni homini; etsi omnes me audire possint, non dico uni, sed humano generi. Redi ergo*, etc.

Id. *Populo dico, non uni homini; non dico uni, sed humano generi; etsi me omnes audire possent, omnibus dico. Redi ergo*, etc.

N. 4. *Audistis, quid beatus Petrus responderit.*

Id. *Audistis, et, quantum existimo, meministis, quid beatus Petrus responderit.*

## SERMO CCCLII.

Legitur in cod. Cassin. XI, fol. 106 et seqq.

Edit. N. 5. *Miratur enim interrogari se a præscio, sed etiam toties interrogari.*

Cod. *Miratur enim interrogari se tertio, sed etiam tristatur toties interrogari.*

N. 6. *Mittentibus. Plane hostem* etc.

Id. *Mittentibus. Populus ille habuit hostem Amalech. Plane hostem*, etc.

## SERMO CCCLXX.

Legitur in cod. Cassin. CVI, fol. 151, et in cod. c, fol. 48 a tergo, ubi Præsentationi Domini accommodatur, quæ discrimina annotanda hic parvi duximus.

Edit. N. 2. *Mansit virgo post partum. Exsultent viduæ.*

Cod. *Mansit virgo post partum, et illibata post filium. Exultent viduæ..*

Ibid. *Et in senectute sua exspectabat infantiam Salvatoris.*

Id. *Octoginta namque gerens annos exspectabat infantiam Salvatoris.*

N. 3. *Quantum desiderium habebant antiqui sancti.*

Cod. c. *Quantum desiderium habebant antiquitus sancti.*

Ibid. *Putas hic me inveniet? putas isti oculi*, etc.

Codd. *Putas hic me inveniet ista nativitas? putas isti oculi*, etc.

Ibid. *Salutare Dei Dominus Jesus Christus. Annuntiate*, etc.

Id. *Salutare Dei, Dominus Jesus Christus. Ideo salutare Dei se vidisse gratulando non tacuit. Annuntiate*, etc.

N. 4. *Non invenit quemadmodum ad Christum pertineat.*

Id. *An inveniet quod ad Christum pertineat?*

Ibid. *Ad illum pertinuit propter nos nasci, ad nos pertineat*, etc.

Id. *Ad illum pertinuit pro nobis nasci, de quo Joannes in Evangelio dixit, Hic est agnus Dei, hic est qui tollit peccata mundi, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.*

## SERMO CCCLXXI.

Legitur in cod. Cassin. CVII, fol. 23 a tergo, et XCIX, fol. 34.

Edit. N. 1. *Hodie lux incrementum accipit; cum humano generi in hoc utique die vera lux venerit: ut recte dies tramitemque solis augeat, quo nobis hunc*, etc.

Cod. CVII. *Hodie lux incrementum accipit; quo nobis sol verus illuxit, recte tenebras noctis iminuit, qui nobis hunc*, etc.

N. 3. *Quomodo anima miscetur corpori, ut homo fiat.*

Id. *Quomodo animæ corpus, et anima corpori miscetur, ut homo fiat.*

N. 4. *Possit ascendere.*

Cod. XCIX. *Possit ascendere, per Dominum nostrum Jesum Christum, qui ex virginali utero carnem sumens hodie mundo apparuit, cui sit laus, honor, virtus, decus et imperium per infinita sæcula sæculorum. Amen.*

## SERMO CCCLXXII.

Legitur in cod. Cassin. CVI, fol. 117, ubi redintegratur dimidiata phrasis apud Benedictinos omissa, n. 1, ubi post verba *mortalitatis humanæ*, legitur *in hac autem*, etc. Deest hoc necessarium comparationis membrum : *in illa manens Christus, sicut de illo scriptum est, ipse est verus Deus, et vita æterna; in hac autem*, etc. Quanti momenti sit illa correctio attendat doctus lector.

## SERMO CCCLXXX.

Legitur in Bibl. Florent. plut. XIII, cod. VIII, secunda parte, fol. 187 *b*, et indicatur pariter in Bibl. Venet., cod. LXIX, calalog. fol. 50.

Edit. N. 1. *Quietis et parva vox sufficit.*

Cod. Florent. *Omnibus sanum sapientibus liquet quod quietis et parva vox sufficere potest.*

Ibid. *Hodiernum diem beati Joannis Baptistæ solemnitate illuxisse tradit et credit Ecclesia.*

Id. *Hodierno die beati Joannis Baptistæ solemnitatem illuxisse tradit et credit Ecclesia.*

Ibid. *Octavo calendarum januariarum die*, etc.

Id. *Octavo kalendas januarii esse*, etc.

N. 2. *Ut crearet temporalem; ut præstaret æternam.*

Id. *Ut crearet temporales..., ut præstaret æternas.* Vide var. Maur.

Ibid. *Sed tumor. Ut ergo generis humani istum tumorem sanaret*, etc.

Id. *Sed tumor. Quod autem tumet, videtur magnum, sed non est sanum. Ut ergo istum tumorem humani generis sanaret*, etc.

Ibid. *Et nondum erant homines qui Deum viderent in homine, nec poterant videre nisi hominem; nec tamen spem suam ponere debent in homine. Quid ergo fieret?*

Id. *Quia ergo nondum erant homines qui Deum viderent in homine, nec poterant videre nisi hominem, nec tamen spem suam ponere debebant in homine, quid fieret?*

Ibid. *Factus est homo. O homo*, etc.

Id. *Factus est homo. Igitur tu, o homo*, etc.

Ibid. *Vermis, non homo.*

Id. *Vermis, et non homo.*

Ibid. *Veritati non credimus de Joanne?*
N. 3. *Qui posset dicere ita.*
N. 4. *Ne sonus inaniter.*
Ibid. *Ecce ego prius tibi edidi terram.*
Ibid. *Subsecutus ait : Facta erat quidem*, etc.

Ibid. *Nunc vero audis : In principio erat Verbum. Quid quæris*, etc.
Ibid. *Vellem, si de imo loquereris, ut sursum cor tenderes.*

Ibid. *Quid de humana nativitate dicit Joannes? Et Verbum caro factum est. Dicat et Paulus.*
N. 5. *Si potero, dicam : si dicere non potero*, etc.
Ibid. *Quid est hoc, qui post me erat, ante me factus est?*
Ibid. *Non intelligis, nisi formatum esse qui non erat.*
Ibid. *Quoties factus? Et ipse fecit omnia.*
Ibid. *Ante me factus, secundum id quod Apostolus ait.*
N. 6. *Sequitur, quia prior me erat.*
Ibid. *Quid enim si diceret dignum?*
Ibid. *Sed Joannes homo, Christus Deus et homo.* Deinde inveniebatur transpositio plurium versuum, quos in locum suum retulerunt Benedictini.
Ibid. *Crescit enim aliquid ut proficiat.*
Ibid. *Referamus fortassis ad gloriam, et intelligamus.*
N. 7. *Vos estis lumen mundi.*
Ibid. *Testimonium veritatis de Domino suo, quod habebat a Domino suo.*
Ibid. *Tamen lucerna non sunt dicti discipuli. Attende, forte dicti.*
Ibid. *Tanquam cujus vox, vel quorum vox præcesserat.*
Ibid. *Quas tenebras in apostolis? Fuimus et nos aliquando*, etc., ubi plura deesse fatentur Benedictini.

Id. *Veritati credimus de Joanne.*
Id. *Cum posset dicere ita.*
Id. *Non sonus inaniter.*

Id. *Ecce ego prius tibi dedi terram.*
Id. *Subsecutus ait : Terra erat invisibilis et incomposita. Facta erat quidem*, etc.
Id. *Nunc ergo cum audis : In principio erat Verbum, cur quæris*, etc.
Id. *Vellem, quidquid sic* (cod. *sit*) *de imo loquereris, ut* (cod. *et*) *sursum cor tenderes.*

Id. *Quod de humana nativitate dicit Joannes, et Verbum caro factum est, dicat et Paulus.*
Id. *Si potuero dicam : si dicere non potuero*, etc.
Id. *Quid est hoc, qui post me venit, et ante me factus est?*
Id. *Non intelligis, nisi formatum esse quod non erat.*
Id. *Toties est factus, ipse qui fecit omnia?*
Id. *Ante me factus est secundum illud quod Apostolus ait.*
Id. *Sequitur quare, quia prior me erat.*
Id. *Quid enim si se dignum diceret?*
Ibid. Reperitur eadem interruptio, quæ verbis præcedentibus male alligabatur hac sententiola : *hic modo imminutus est, et crevit ille.*
Id. *Crescit enim aliquid ut perficiatur.*
Id. *Redeamus fortassis ad gloriam, ut intelligamus.*
Id. *Vos estis lux mundi.*

Id. *Testimonium veritatis Domino suo quod habebat de Domino suo.*

Id. *Tamen lucerna non sunt dicti apostoli. Attende forte dici.*
Id. *Tanquam cujus vox præcesserat.*

Id. *Quas tenebras* (Cod., male *tenebitis*) *Christus illuminavit in apostolis, et per apostolos in nobis. Fuimus enim et nos aliquando in obscuro loco. Quapropter necessarium videtur et justum, ut secundum apostoli Petri dictum, Attendamus prophetico sermoni quasi lucernæ lucenti in obscuro, donec dies elucescat et lucifer oriatur in cordibus nostris.* Deinde sequitur, ut in codd. Benedictinis, et leguntur numeri 2 et sequentes usque ad quinti mediam partem, nempe ad hæc verba *contempturus eras forte qui nasceretur.* Postea redit ad serm CCCLXXX, n. 8, *præceptum namque jam fuerat*, etc.

Ibid. Transpositionis verba prima sunt hæc : *Quomodo illius reprobi et blasphemi, qui prius fui blasphemus*, etc.
Ibid. *Hæc duo : Dominus et Joannes.*
Ibid. *Ut non obsit sibi.*
N. 8. *Joannem passum martyrium.*
Ibid. *Præceptum jam fuerat, ut si quis sine semine moreretur, qui magis propinquus esset, acciperet*, etc.
Ibid. *Suscitandum fratris ad fratris nomen.*

Id. *Paulus quondam reprobus et blasphemus, quia sicut ipse ait : Prius fui blasphemus*, etc.

Id. *Ecce duo : Dominus et Joannes.*
Id. *Ut non obesset sibi.*
Id. *Joannem passum martyrem.*
Id. *Præceptum namque jam fuerat, ut frater defuncti acciperet*, etc.

Id. *Suscitandum fratri ad fratris nomen.*

## SERMO CCCLXXXI.

Legitur in cod. Cassin. CIX, fol. 30, ubi, n. unico, loco eorum quæ edita sunt ab his verbis, *Non sanaretur inflatio superborum*, usque ad hæc : *cum quanta itaque lætitia*, etc., habentur sequentia : *Quam facile quippe ac proclivi morbo dives, si prius a Christo vocaretur, putaret ac diceret in se electam opulentiam, nobilis generositatem, senator dignitatem, rex potestatem! Quanto ergo nunc melius, tanto ordinatius. Prius erexit de terra inopem, et de stercore pauperem sublimavit, ut collocaret eum cum principibus populi sui, ut munus intelligentiæ et doctrinæ non solum Dei esse, sed etiam ex Deo esse appareret.*

## SERMO CCCLXXXII.

Legitur in cod. Cassin. XI, fol. 214, ubi n. 3, horum verborum loco, *Didicit legendo, perfecit implendo. Qui cum*, etc., habetur, *didicit legendo, implevit diligendo, quia cum*, etc.

## SERMO CCCLXXXIX.

Legitur in cod. Cassin. CLXXIII, fol. 74, *ubi* n. 1, horum verborum loco, *Ergo solus panis non eget pane;* melius habetur, *Deus ergo solus, qui est vivus panis, non eget pane.*

## SERMO CCCXCI.

Legitur in cod. Cassin. XI, fol. 172.

Edit. N. 1. *Mox enim ut homo sæculo nascitur.*

Ibid. *Venenoso dente serpentis.*
N. 5. *Nulla species vos terrestris.*
Ibid. *Nullus quarumlibet chordarum.*

Ibid. *Suavitas, nulli amplexus.*
Ibid. *Conversatio illius. Si amatores.*

Cod. *Mox enim, ut homo secundum Adam nascitur.*

Id. *Veneno suadenti serpentis*, minus bene.
Id. *Nulla species vel cœlestis corporis.*
Id. *Nullus quarumlibet faucium, quarumlibet chordarum.*

Id. *Voluptas, nulli amplexus.*
Id. *Conversatio illius, nec tædium convictus illius. Si amatores.*

## SERMO CCCXCVI.

Legitur in cod. Cassin. XVII, fol. 203, cum hoc titulo qui deest in editis, *De consolatione cujusdam episcopi ad plebem ejus, habitus* XV *calendas maias in basilica Florentia apud Hipponem Diarrytum.* De hac autem urbe et de basilica Florentia vide serm. CCCLIX,

n. 9, et notam Benedictinorum ad infimum paginæ marginem.

Edit. N. 1. *Qui fecit reficit, et recreat qui creavit.*
Ibid. *Nobiscum vivere volumus, et in hac asperrima vita a comitibus deseri nolumus; sed prævenientes nos*, etc.
Ibid. *Hortantur exemplo suo.*
Ibid. *Recte enim ibi non parum viritur, ubi cum multum dicitur, non finitur. Nam hic et quod*, etc.

Ibid. *Pro nihilo deputabitur.*
Ibid. *Quanti alii fortasse quod per multos annos non dimidiarunt.*
N. 2. *In hoc enim habemus.*
Ibid. *Sed quomodo audivimus lectionem divinam.*
Ibid. *Tempora longa. Ergo illic tempora computemus, sicut computatur dies.*
Ibid. *Ad laudandum et colendum.*
Ibid. *Memoria ipsius ornatissima vos eritis.*
Ibid. *Vivat sepultus in vivis sepulcris. Sepultura enim*, etc.

Cod. *Qui fecit, et reficit, et recreabit.*
Id. *Nobiscum vivere vellemus, at in hac asperrima via a comitibus deseri nollemus; sed qui nos prævenientes*, etc.
Id. *Hortantur et exemplo suo.*
Id. *Ivit enim ubi non parum viritur, ubi quod dicitur multum, non habet finem. Nam hic etiam quod*, etc.
Id. *Pro nihilo computabitur.*
Id. *Quantum alii fortasse per multos annos non mediarent.*
Id. *Nos ergo habemus.*

Id. *Sed quid audivimus de lectione divina.*
Id. *Tempora longa. Longa ergo illi tempora computemus, sicut computat Deus.*
Id. *Ad laudandum, ad faciendum.*
Id. *Memoria ipsius ornata vos estote.*
Id. *Vivit sepultus, si vivit sepultura. Sepultura enim*, etc.

A Ibid. *Vix loqui sineremur.*
Ibid. *Donavit nobis Deus.*
Ibid. *Ut funus ejus deduceremus.*
Ibid. *Et noster animus in recordatione tanti viri, etsi habet humanum mœrorem, non habet infidelem desperationem.*

Id. *Vix loqui permitteremur.*
Id. *Donavit nobis Dominus.*
Id. *Ut funus ejus comitaremur.*
Id. *Et vester animus in recordatione tanti viri habeat humanum mœrorem, sed non habeat infidelem desperationem.*

### FRAGMENTUM DE NATALI CHRISTI.

Legitur cum nomine sancti Augustini in cod. XII, fol. 31; quæsivi illud apud beatum doctorem nec inveni.

« Omnes Scripturæ, quas nunc audivimus, carissimi, lætitiam nobis publicam, et commune gaudium nuntiarunt. Psalmista enim dicit : *Exsultate Deo adjutori nostro* (*Psalm.* LXXX, 2). Apostolus vero : *Gaudete in Domino semper* (*Phil.* IV, 4). Evangelista B autem ait : *Evangelizo vobis gaudium magnum* (*Luc.* II, 10). O beatam diem hanc in qua juxta auctoritatem scripturarum gaudentes et exultantes natalem Domini nostri Jesu Christi et cum psalmista agimus, et cum evangelista colimus, et cum apostolis prophetisque celebramus. Magnum utique hodie Christiani populi exultatio quæ scripturarum sacrarum exemplo agitur, et ideo beatum est hoc die gaudium nostrum, quia hoc fecit gaudens populus, quod jubetur. Quam sancta esset plebs Ecclesiæ istius, si semper hoc faceret quod imperatur a Christo. Unde obsecro vos, fratres, ut semper jussionem Domini faciatis, ut possitis in omnibus in æternitate gaudere. Sicut enim hodie in hac festivitate natalis dominici læti sumus, sic qui voluntatem Domini sui fecerit in hoc sæculo, Semper festivitatem Domini cum angelis celebravit in cœlo.

# ENARRATIONES IN PSALMOS.

### ENARRATIO II IN PSALMUM XXXII.

SERMO PRIMUS.

Legitur a n. 10 ad n. 12 versus finem, in Bibl. Mugellan. cod. XVI, fol. 83 *b*.

Edit. N. XI. *Ne putetis autem, fratres, quia ista a se possunt*, etc.
Ibid. *Misericors est injustis? Numquid et judicium*, etc.
Ibid. *Beati, inquit, misericordes, quoniam ipsorum miserebitur.*

Cod. *Ne putetis autem, fratres, quia ista a se possint*, etc.
Id. *Misericors est et justus. Numquid aut judicium*, etc. Vide var. Maur.
Id. *Beati, inquit, misericordes, quoniam ipsorum miserebitur Deus.*

### ENARRATIO IN PSALMUM XXXVI.

SERMO PRIMUS.

Legitur a n. 1 versus finem, usque ad medium n. 3 in Bibl. Laur. plut. XIII, cod. VIII, et in cod. Venet. LXIX, fol. 154 *b*, catal. fol. 47.

Edit. N. 2. *Ex hoc apparet, quia de quibusdam hominum generibus, quæ per similitudines in Evangelio modo proposita audivimus, sic concluditur : Unus*, etc.
Ibid. *Professionem vident homines, cor novit Deus.*
Ibid. *Sed genera hominum duo dicit. Et si*, etc.
Ibid. *Sic in lecto, sic in molendino.*
Ibid. *Sed neque ego eo*

Cod. Laurent. *Ex hoc apparet, quia de quibusdam hominum generibus similitudinem in Evangelio modo propositam audivimus, quæ concludit : Unus*, etc.
Id. *Professionem vident homines, cor non vident.*

Id. *Sed genera hominum duo. Et si*, etc.
Id. *Sic de lecto, sic de molendino.*
Id. *Sed nec ego quod*

C *quod dixero præscribo alteri ad meliorem intellectum, nec ille mihi ad utrumque accipiendum, si utrumque cum fide concordat.*
Ibid. *Credo, quod hæc figura ad plebes pertineat : quia præpositi regunt, plebes reguntur. Et molendinum puto dici mundum.*
Ibid. *Sunt ergo qui de actionibus*, etc.
Ibid. *Quibus dicitur : Esurivi.... quibus dicitur ibi : Esurivi.*
N. 3. *Ipse tibi hanc, de quo ista murmuras, temperavit potionem : tantum ne recuses*, etc.
D Ibid. *Noli æmulari.*
Ibid. *Tanquam fœnum cito arescent.*

*dixero, præscribo alteri ad meliorem intellectum, nec ille mihi, aut utrumque accipiendum, si utrumque cum fide concordat.*

Id. *Credo quod hæc figura ad plebes pertineat, quæ a præpositis reguntur. Et molendinum puto dici mundum*, etc.
Id. *Sunt ergo in molendino, qui de actionibus*, etc.
Id. *Quibus dicetur : Esurivi.... Quibus dicetur : Esurivi.* Vide var. Maur.
Id. *Ipse tibi hoc, de quo murmuras, temperavit, tamen ne recuses*, etc.

Id. *Noli subæmulari.*
Id. *Tanquam fœnum velociter arescent.*

### ENARRATIO IN PSALMUM L.

Legitur in Bibl. Mugell. cod. XI, fol. 40, et in Bibl. Fesul. cod. XI, fol. 240.

Edit. N. 1. *Multitudinis*, etc., usque ad finem, *iste psalmus ostendit.*

Codd. ambo prorsus differunt, et tale habent exordium, quod in quibusdam accedunt ad edita et in pluribus ab iisdem recedunt : *Quotiescunque, fratres carissimi, aliquos ex filiis vestris ad spectacula vel furiosa, vel cruenta, vel turpia, quasi ad aliquod opus bonum currere vana persuasione et pestifero amore cognoscitis, vos qui jam Deo propitio ista non solum*

*luxuriosa sed etiam crudelia oblectamenta despicitis, castigare eos et abundantius pro eis Domino supplicare debetis, quia illos cognoscitis ire in vanitatem et insanias mendaces, et negligere quod vocati sunt. Qui si forte in ipso circo aliqua ex causa expavescant, et continuo se signant, et stant illic portantes in fronte unde abscederent, si hoc in corde portarent. Omnis enim qui ad aliquod malum opus currit, si forte pedem impegerit, signat os suum, et nescit quod includit potius dæmonem, quam excludit. Tunc enim bene se signaret, et diabolum de corde suo repelleret, si se ab illo opere nefario revocaret. Unde iterum atque iterum rogo vos, fratres carissimi, ut pro eis totis viribus supplicetis, quatenus ad ista damnanda intellectum accipere mereantur, et affectum ad fugienda, et misericordiam ad ignoscenda* (cod. male *ad agnoscendum*). *Opportunum erit* (sic cod. Fesul.; cod. Mugel. *erat*) *propter assiduam compunctionem pœnitentiæ psalmum quinquagesimum nobis* (cod. Fesul. *vobis*) *omni die cantare. Loquamur tamen et ad illos quos frequenter ab Ecclesiæ conventu spectacula voluptuosa subducunt. Rogo vos, tamen, carissimi, ut quotiescumque eos tale aliquid facere videritis ad vicem nostram severissime castigetis. Sit ad eos vox nostra memoria vestra. Corrigite arguendo* (cod. Fesul. *corrigendo arguite*), *consolamini alloquendo, exemplum præbete bene* (sic edit., vox ista deest in cod.) *vivendo. Aderiteis qui adfuit vobis. Non enim vobis ista pericula prætergressis fons misericordiæ Dei præcisus est. Qua venistis, venient; qua transistis, transibunt. Molestum est quidem et nimium periculosum, et pro certo exitiabile, quod a nobis frequenter admoniti, non ignorantes, sed scientes peccant. Aliter autem ille qui non novit quod fugiat. Sed nec de talibus desperari* (codd. *desperare*) *debere evidenter ostendit divinæ misericordiæ magnitudo, quæ non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Denique in beato David hoc manifestissime impletum esse cognoscimus* (sic cod. Fesul, cod. Mug. *cognovimus*) *cujus peccatum cum dolore quidem dicimus et tremore*, etc. Cætera sequuntur ut legitur in edit. initio num. 2.

N. 2. *Hujus mulieris uxoris alienæ pulchritudine captus*, etc.

Ibid. *Missus est ad eum Nathan propheta, missus a Domino.*

N. 3. *Non ergo cadendi exemplum.*

Ibid. *Si David, cur non et ego?*

Ibid. *Non imitaris ejus sanctitatem, sed imitaris ruinam.*

Ibid. *Alii vero audientes salubriter, in casu fortis metiuntur infirmitatem suam; et quod damnat*, etc. Vide var. Maur.

Ibid. *Devitare cupientes, ab aspectu securo abstinent oculos: non eos defigunt in pulchritudine*, etc.

Ibid. *Ut parvi nolint videre unde possint cadere. Reprimunt enim*, etc.

Ibid. *Non levant oculos faciles.*

Ibid. *Attende securus.*

Ibid. *Numquid tu fortior quam David? Admonet*, etc.

*tior. Si enim illos tam sanctos viros incauta familiaritas mulierum et perniciosa blandimenta vicerunt, quid de se cogitant illi qui cum extraneis mulieribus non solum conversari, sed etiam in una domo manere, convivio earum aut frequenter, aut semper interesse nec metuunt, nec erubescunt. De talibus et potest et debet dici, quod de vidua deliciosa dixit* [Cod. Fesul. *dicit*] *Apostolus, quia vivens mortua est. Admonet*, etc.

N. 4. *Hoc peccatum non fecit David*, etc.

Ibid. *Tanto in Deum intentior, quanto miserior videbatur. Utile quiddam est tribulatio; utile medici ferramentum, quam diaboli tentamentum. Factus est*, etc. Vide var. Maur.

Ibid. *Pressura caruit.*

Ibid. *Valet hoc ergo exemplum.*

N. 5. *Sed factum est: dixerim hæc eis qui non commiserunt.*

Ibid. *Si vero aliquis jam lapsus hæc audit, et aliquid in conscientia mali tenens; verba psalmi hujus advertati: attendat quidem vulneris*, etc.

Ibid. *Non desperet medici majestatem.*

Ibid. *Nemo ergo dicat, Si jam aliquid mali feci damnandus sum.*

Ibid. *Fruar hoc sæculo in voluptate, in lascivia, in cupiditate nefaria.*

Ibid. *Iste ergo psalmus, sicut cautos facit*, etc.

Ibid. *Audi flentem et lacrymas junge; audi correctum et condelectare.*

Ibid. *Missus est enim ad istum virum Nathan propheta: attende regis humilitatem. Non respuit verba præcipientis, non dixit: Audes mihi loqui regi? Rex sublimis Prophetam audivit; plebs ejus humilis Christum audiat.*

*Rex sublimis prophetam Christum audiat.*

N. 6. *Audi ergo hæc, et dic eum illo.*

Ibid. *Subveni gravi vulneri secundum magnam medicinam tuam.*

Ibid. *Iste David non posset dicere.*

Ibid. et 7. *Sed magnam misericordiam. Magis magisque*, etc. usque ad hæc verba *Vide enim quem invoces.*

Ibid. *Responderit David, responderint lapsi, responderint cum David, ut misericordiam mereantur.*

Iid. *Adulterium enim simul et homicidium non fecit David*, etc.

Iid. *Tanto in Domini misericordiam intentior, quanto miserior videbatur. At ubi factus est*, etc.

Iid. *Pressuris caruit.*

Iid. *Valeat hoc ergo exemplum.*

Iid. *Audiant hæc qui hoc malum non commiserunt.*

Iid. *Si vero aliquis jam lapsus hæc audivit, et nimio sceleris pondere oppressus desperare jam cœpit, attendat vulneris*, etc.

Iid. *Non desperet medici potestatem.*

Iid. *Nemo dicat, Ego si jam aliquid mali feci, damnatus sum.*

Iid. *Fruar sæculo in voluptate lasciva, in cupiditate nefaria.*

Iid. *Deus enim noster, sicut cautos facit*, etc.

Iid. *Audi flentem, et collacrymare; audi correctum et collætare.*

Iid. *Missus est enim ad David regem Nathan propheta. Ille autem non consideravit regni sui sublimitatem, sed humilis et mitis non respuit verba præcipientis. Non dixit ad prophetam: Tu cum sis pauper et humilis, quomodo ausus es loqui mihi regi? audivit; plebeius humilis*

Iid. *Audi ergo hæc, quicumque aliquod crimen capitale fecisti, et dic cum illo.*

Iid. *Subveni gravi vulneri secundum magnam misericordiam tuam.*

Iid. *Hoc David non posset dicere.*

Iid. *Sed magnam misericordiam. Dic ergo, Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Sed vide quem invoces.* Cætera, desunt.

Iid. *Respondeat David, respondeant lapsi, respondeant cum David, ut misericordiam consequantur.* Sic cod. Fesul.; cod. Mugel. ut in edit.

N. 8. *Quando ad me missus est propheta, et de ove pauperis*, etc.

Ibid. *At ille profert iratus sententiam.*

Ibid. *Et ovem reddendam in quadruplum. Severissime atque justissime. Sed peccatum*, etc.

Ibid. *Ferramentum fecit de lingua ejus. Hoc fecit*, etc.

Iid. *Quando ad me missus est propheta qui de ove pauperis*, etc.

Iid. *Profert ille iratus sententiam.*

Iid. *Et ovem reddendam in quadruplum. Severissime atque justissime judicavit. Sed peccatum*, etc.

Iid. *Ferramentum fecit Deus de lingua ejus.* Cæterorum loco, quæ desiderantur in codice habentur sequentia : *Et nos ergo, fratres carissimi, agnoscentes iniquitates nostras, quantum possumus, contra malas concupiscentias repugnemus : jejuniis, vigiliis, orationibus et largioribus eleemosynis mala quæ fecimus redimamus, et cum Dei adjutorio ita bonis operibus studeamus insistere, ut nos ad peccata pristina non possint concupiscentiæ nostræ retrahere; sed perseverantes in omni opere bono, cum propheta Domino gratias referentes dicamus : Dirupisti vincula mea; tibi sacrificabo hostiam laudis.*

## ENARRATIO IN PSALMUM LXXXIII.

Legitur ejus pars aliqua, nempe numeri 16, post exordium ex sermone CCLXXVIII eductum, in Bibl. Mugel. cod. xv, fol. 22, ubi hoc solummodo annotandum occurrit, quod horum loco : *Ecce habes misericordiam. Noluit tunc Deus*, etc. habetur utrum melius, judicabit lector : *Ecce habens misericordiam, noluit tunc Deus*, etc.

## ENARRATIO IN PSALMUM. CXV.

Legitur in cod. Cassin. CLXXVIII, fol. n. 3, post hæc : *Proinde verissime dictum est : Omnis homo mendax*, additur : *In tantum enim non erunt mendaces, in quantum non erunt homines; quoniam dii erunt et filii Altissimi.*

## DE SERMONE DOMINI IN MONTE.

### LIBER PRIMUS.

Pars ejus legitur, nempe a n. 2 ad n. 15, versus medium, in Bibl. Mugell., cod. xv, fol. 248 et 249.

Edit. N. 2. *Per prophetam dicitur, Justitia*, etc.

N. 7. *Quoniam ipsorum miserebitur.*

N. 10. *Quibus nodis per carnalem consuetudinem ac peccata tenentur.*

Ibid. *Sexto gradu est cordis munditia.*

Ibid. *Postremo est septima ipsa sapientia.*

Ibid. *Octava tanquam ad caput redit.*

Ibid. *Itaque in prima et in octava nominatum est.*

Ibid. *Cum jam dicitur, Quis nos separabit?*

N. 11. *Ut dimittamus sicut nobis dimitti volumus*

Cod. *Dicit Propheta, Justitia*, etc.

Id. *Quia ipsorum miserebitur Deus.* Vide var. Maur, et sic deinceps, n. 12.

Id. *Quibus nodis* [cod. male *modis*] *per carnalem consuetudinem, ac peccati laqueis teneatur.*

Id. *Sexto autem gradu est cordis munditia.*

Id. *Postrema est septima ipsa sapientia.*

Id. *Octava vero qua dicitur, Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, tanquam ad caput redit.*

Id. *Itaque in prima et in octava sententia nominatum est.*

Id. *Cum jam quæritur, Quis nos separabit?*

Id. *Ut dimittamus aliis sicut nobis dimitti volumus.*

Ibid. *Tanquam purgato oculo quo cerni possit.*

N, 12. *Mitibus hæreditas data est.*

Ibid. *Quod invalidioribus exhibent.*

Ibid. *Pacificis Dei similitudo tanquam perfecte sapientibus formatisque*, etc.

N. 14. *Cum maledicere, hoc sit malum dicere.*

Id. *Tanquam purgato mentis oculo quo cerni possit.*

Id. *Mitibus hæreditas competit.*

Id. *Quod ipsi invalidioribus exhibent.*

Id. *Pacifici dicuntur filii Dei, ad similitudinem, tanquam perfecti sapientes, formati*, etc.

Id. *Cum maledicere hoc sit quod malum dicere.*

### IDEM LIBER.

Pars ejus iterum legitur a fine n. 21, ad finem n. 28 in Bibl. Laurent., plut. XVII, fol. 220.

Edit. N. 22. *Et ideo si levius est reum esse judicio quam reum esse concilio; item levius*, etc.

N. 26. *Et vade, prius reconciliare fratri tuo.*

Cod. *Ideo sicut levius est reum esse judicio quam reum esse concilio, ita levius*, etc.

Id. *Et vade prius reconciliari fratri tuo.*

### LIBER II.

Legitur quædam ejus pars, nempe a n. 46 versus finem usque ad penultimam sententiam n. 58, in Bibl. Laurent. plut. XVII, cod. XXXVI, fol. 235.

Edit. N. 49. *Non habere sollicitudinem animæ vestræ.*

Ibid. *Et ad ipsa conquirenda nostra detorqueatur intentio.*

N. 52. *Nec Salomon in omni gloria sua sic vestitus est.*

N. 56. *Nolite cogitare de crastino.*

N. 57. *In illis autem diebus descenderunt ab Jerosolymis.*

Ibid. *Famem magnam futuram in universo mundo, quæ et facta est sub Claudio Cæsare. Discentium autem ut quisque abundabat, statuerunt unusquisque eorum in ministerium mittere presbyteris habitantibus in Judea fratribus, qui et miserunt per manum Barnabæ et Sauli.*

Ibid. *Ut habeat unde tribuere cui opus est.*

Ibid. *Respicite volatilia cœli.*

Cod. *Non habere sollicitudinem in animam vestram.*

Id. *Et ad ista conquirenda detorqueatur intentio.*

Id. *Nec Salomon in omni gloria sua sic coopertus est.*

Id. *Nolite ergo solliciti esse de crastino.*

Id. *In illis autem diebus supervenerunt ab Jerosolyma.*

Id. *Famen magnam futuram in universo orbe, quæ et facta est sub Claudio. Discipuli autem, prout quisque habebat, statuerunt in ministerium mittere habitantibus in Judæa fratribus, quod et fecerunt mittentes per manus Barnabæ et Sauli.*

Id. *Ut habeat unde tribuat cui opus est.* Vid. var. Maur.

Id. *Respicite, inquit, volatilia cœli.*

## IN JOANNIS EVANGELIUM.

### TRACTATUS PRIMUS.

Legitur in Bibl. Laur., plut. XXX sinist., fol. 60 *b* a n. 1 versus initium usque ad n. 11 versus medium.

Edit. N. 2. *Quæ est justitia quam colles excipiunt?*

Ibid. *Ab ipsa sapientia illustrarentur.*

N. 3. *Quo quisque navim cum impulerit, solvitur.*

N. 4. *Non valentibus percipere quæ sunt Dei.*

N. 7. *Sed forte hoc dicetis.*

Cod. *Quæ est ista justitia quam colles excipiunt?*

Id. *Ab ipsa sapientia illuminarentur.*

Id. *Quo quisque navim cum impulerit, solvetur.*

Id. *Non valentibus percipere quæ sunt Spiritus Dei.*

Id. *Sed forte hoc dicitis.*

Ibid. *Quale cor levet, videat ; quia ad Dominum levat.*

Id. *Quale cor levet videat, et quo levet ; quia ad Dominum levat.*

N. 8. *Ergo et Dei Verbum sonuit et peractum est ? Quomodo omnia*, etc.

Id. *Ergo si et Verbum Dei sonuit, et peractum est, quomodo omnia*, etc.

Ibid. *Manet, hoc transeuntibus sonis.*

Id. *Manent hæc transeuntibus sonis.*

N. 9. *Videtis quæ taceam, ne diu*, etc.

Id. *Jubetisque ut taceam, ne diu*, etc.

TRACTATUS IV.

Legitur in Bibl. Laur., plut. XXX, sinist., cod. 1, fol. 97, a n. 10 usque ad finem.

Edit. N. 10. *Peccatum mundi. Jam intendite.*

Cod. *Peccata mundi. Unde jam intendite.* Vid. var. Maur. Codex noster habet semper *peccata* pro *peccatum*, quod habetur in edit.

Ibid. *Sed quis innocens ? quantum innocens ?*

Id. *Sed quis innocens, aut quantum innocens ?*

Ibid. *Omnes ex illa traduce.*

Id. *Omnes ex illa radice.*

Ibid. *Carnem tantum sumpsit.*

Id. *Carnem tantum assumpsit.*

N. 11. *Cum sit homo ipse plenus peccato.*

Id. *Cum sit ille homo plenus peccato.*

N. 12. *Intendat modicum charitas vestra.*

Id. *Intendat modo charitas vestra.*

N. 14. *Ut quia ille suscepit a servo.*

Id. *Ut quod ille suscepit a servo.*

Ibid. *Quis nostrum potest ex aliquâ parte comparari Christo ?*

Id. *Quis vestrum potest exaltari, aut ex aliqua parte comparari Christo ?*

Ibid. *Ne melior baptismus Joannis videretur.*

Id. *Ne major baptismus Joannis videretur.*

N. 16. *Si enim non noverat eum a quo vólebat baptizari.*

Id. *Si enim non noverat eum a quo voluit baptizari.*

Ibid. *Si jam baptizatum cognovit.*

Id. *Si jam baptizatum Dominum cognovit.*

TRACTATUS XII.

Legitur in Bibl. Mugel. cod. XVI, fol. 57, a n. 11 versus finem usque ad sermonis terminum.

Edit. N. 11. *Exaltavit serpentem in eremo, ita* etc.

Cod. *Exaltavit serpentem in deserto, sic* etc.

Ibid. *Hic autem ait ut habeant vitam æternam.*

Id. *Hi autem ut habeant vitam æternam.*

N. 12. *Sanare venit ægrotum. Ipse se*, etc.

Id. *Sanare venit ægrotum. Sed ipse se*, etc.

Ibid. *Quid dicturum speras nisi, judicatur ? Jam, inquit, judicatus est.*

Id. *Quid dicturum speras, nisi, judicetur ? Additurus erat ; jam, inquit, judicatus est.*

Ibid. *Novit enim Dominus qui sunt ejus ; novit*, etc.

Id. *Novit enim Dominus qui sunt ejus, quos ad vitam prædordinavit æternam ; novit*, etc.

Ibid. *Quare judicatus ? quia non credidit.*

Id. *Quare judicatus est ? Quia non credit.* Vid. var. Maur.

N. 13. *Quomodo quidam opus bonum fecerunt, ut venirent.*

Id. *Quomodo quidam bonum opus fecerunt et venerunt.*

Ibid. *Eos sanat qui morsi fuerant.*

Id. *Ægros sanabat qui morsi fuerant.*

Ibid. *Si et tu accusas, conjungeris Deo.*

Id. *Si et tu accuses, conjungeris Deo.*

Ibid. *Non te adulas.*

Id. *Non tibi adularis.* Sic et veteres editi. Vid. var. Maur.

N. 14. *Paulatim per sentinam intrat.*

Id. *Paulatim fluctus per sentinam intrat.*

Ibid. *Ne obruant peccata gemendo, jejunando.*

Id. *Ne obruant peccata gemendo, pœnitendo, jejunando.*

Ibid. *In rebus prosperis ne extollat.*

Id. *In rebus prosperis, ne te extollat.*

TRACTATUS XVI.

Legitur in Bibl. Laur. plut. XVII, cod. XL, fol. 121, et plut. XVIII, cod. XXIV, fol. 139 *b*, a n. 3 versus medium usque ad finem quoad cod. XL ; cod. enim XXIV concludit ante hæc verba num. 7, *In illa enim conditus est*, etc.

Edit. N. 3. *Cor diffidentis non videmus.*

Cod. XL. *Cor diffidentis non vidimus.*

Ibid. *Et invenit ea hora sanatum.*

Id. *Et invenit eum ea hora sanatum*

Ibid. *Et domus ejus. Ad solum sermonem*, etc.

Id. *Et domus ejus tota. Ad solum ejus sermonem*, etc.

Ibid. *Appellatum est quasi porrodicium.*

Id. *Prodicium ;* cod. XXIV *porrodigium.* Vid. var. Maur.

Ibid. *Nisi secundum carnem quam accepit in terra.*

Cod. XL. *Nisi secundum carnem quam accepit a nobis.*

Ibid. *Denique illi ambulantem Dominum Jesum in terra facientemque miracula..... viderunt, et vix*, etc.

Codd. ambo, *Denique illi viderunt ambulantem Dominum Jesum facientemque miracula..; viderunt et vix*, etc.

Ibid. *Tam multi credidimus, quæ signa vidimus.*

Cod. XXIV. *Jam multi credidimus, de signis non satagimus ; de signis non conquerimur ; aut quæ signa vidimus ?* Et deinde subito, cæteris omissis, *Evangelio credidimus*, etc.

Ibid. *Nulla signa vidimus, nulla exigimus.*

Codd. ambo, *Nulla vidimus signa, nulla exigimus miracula.*

N. 4. *De gente scilicet Domini.*

Cod. XL. *De genere scilicet Domini.*

Ibid. *Et quod Dominus ante laudavit, et in nobis implere dignatus est.*

Codd. ambo. *Et quod Dominus ante laudavit, in nobis implere dignatus est.*

N. 5. *Ego venio et curabo eum.*

Codd. ambo, *Ego veniam et curabo eum.* Vid. var. Maur.

Ibid. *Quod dixit huic regulo: Vade*, etc.

Cod. XXIV. *Quod dixerat huic regulo : Vade*, etc.

Ibid. *Et ubi isti ? In requie.*

Codd. ambo. *Et ubi sunt isti ? In requie.*

Ibid. *Ut in Abrahæ sinum adjutus ille*, etc.

Cod. XL. *Ut in Abrahæ sinum justus ille*, etc Vid. var. Maur.

N. 6. *Quia multi ab oriente et occidente.*

Codd. ambo, *Quia multi ab oriente et occidente venient.*

Ibid. *Doce quia præcidentur.*

Id. *Doceo te, quia præcidentur.*

N. 7. *Quidam homo, mediator Dei et hominum homo, mater Sion dicit. Quare*, etc.

Cod. XL. *Quid homo ? mediator Dei et hominum. Homo, mater Sion dicet ? Quare*, etc.

TRACTATUS XVII, XVIII ET XIX.

Legitur eorum pars in Bibl. Laurent., plut. XVII, cod. XL, fol. 209, et in Bibl. Ædil., cod. CXL fol. 185 *b*. Incipiunt versus initium n. 15, tract. XVII, et quibusdam assumptis ex n. 3, Tract. XVIII, transeunt ad n. 8, perguntque usque ad finem. Legitur pariter in quinque aliis codd., nempe Bibl. Laurent., plut. XVIII, cod. XLI, fol. 191 ; plut. XXI, cod. X, fol. 167 *b* ; plut. XXX sinist., cod. 1, fol. 230 ; Bibl. Ædil., cod. CXXXVIII, fol. 211 *b* ; et ibid., cod. CXLII, fol. 155 *b* ; sed ita ut alii longiores sint, alii breviores.

Codd. XLI, et CXXXVIII principium sumunt versus finem n. 13, et, omisso tract. XVIII, transeunt ad tractatum XIX, unde sese extendunt usque ad n. 19. Quædam etiam passim habentur in cod. XXXVI, plut. XVII, fol. 116, Bibl. Florent.

| | |
|---|---|
| Edit. Tract. XVII, n. 13. *Sed qui turbat.* | Cod. X. *Sed quod turbat.* |
| Ibid. *Tamen sanandus est turbata aqua.* | Cod. XLI. *Tamen sanus est turbata aqua;* cod. I *sanatus est;* cod. X, ut edit. |
| N. 14. *Verum est quod requievit Deus ab operibus suis.* | Cod. XLI. *Verum est quod requievit Deus ab omnibus operibus suis.* |
| N. 15. *Dominum salvatorem nostrum.* | Codd. I et X. *Dominum et salvatorem nostrum.* |
| Ibid. *Sabbati dies vobis ad significationem præceptus est.* | Cod. I. *Sabbati die vacare vobis ad significationem præceptus est.* |
| N. 16. *Et inde hæresis est pulsa de Ecclesia.* | Codd. omnes, excepto CXXXVIII, *Et inde hæresis pulsat Ecclesiam.* Vid. var. Maur. |
| Ibid. *Qui Patrem indicabat Deum.* | Cod. XL. *Quia Patrem indicabat Deum;* cod. I et X, *dicebat Deum.* |
| Ibid. *Si se ipse æqualem faceret Deo.* | Cod. XL et XLI. *Si seipsum æqualem faceret Deo.* |
| Ibid. *Esse æqualis Deo.* | Cod. XLI. *Esse se æqualem Deo.* |
| Ibid. *Sed erat in illa in qua natus erat. Et nos,* etc. | Id. *Sed erat in illa in qua natus erat æqualis Deo. Et nos,* etc. |
| Tract. XVIII, n. 10. *Redimus forte ad nos.* | Cod. XL. *Redeamus forte ad nos.* |
| Ibid. *Quid itis solitudinis vias? erratis vagando.* | Id. *Qui aditis solitudinis vias, erratis vagando?* |
| Ibid. *Dimitte et corpus tuum, redi ad cor tuum.* | Id. *Dimitte corpus tuum, redi et ad cor tuum.* |
| N. 11. *Propinquasti, intendisti, palpitasti.* | Id. *Propinquasti, intendisti, palpasti.* |
| Ibid. *Si curari destiteris.* | Id. *Si curari restiteris.* |
| Tract. XIX, n. 1. *Quid demonstrari Verbo. Omnia quippe dicta sunt hic; quæ si intelligantur,* etc. | Cod. XLI. *Demonstrari res Verbo non potest; omnia quippe, ut dictum est, per ipsum facta sunt. Hæc si quis intelligat* (cod. male *hic quis intelligatur*), etc. |
| Ibid. *De pectoribus christianis.* | Cod. XLI. *In cordibus;* cod. CXXXVIII, *de cordibus christianis.* |
| N. 3. *Antequam faciat, demonstrat Filio.* | Codd. ambo. *Antequam faciat, demonstrat ei.* |
| N. 5. *Multum movet; intenti estote.* | Id. *Multum me movet, intenti estote.* |
| N. 6. *Qui enim aliud tibi videtur ita sentienti.* | Id. *Quid enim aliud tibi videtur ista sententia.* Sic et XXXVI. |
| N. 9. *Et mortui in Christo resurgent primo.* | Id. *Et mortui in Christo resurgent primi.* |
| N. 10. *Nam ista resurrectione, si recte credidimus.* | Id. *Nam si istam resurrectionem recte credimus.* |
| Ibid. *Non, inquit, quia vivunt, audiunt.* | Id. *Non, inquit, quia vivunt, audient.* |
| Ibid. *Non omnes qui audient, vivent.* | Id. *Non omnes qui audiunt, vivunt.* |
| N. 11. *Nunc percipit quod amiserat.* | Id. *Nunc recipit quod amiserat.* |
| Ibid. *Remotum ab igne torpescere.* | Cod. XLI. *Remotum ab igne tepescere.* |
| Ibid. *Sed in luna, in lucernis.* | Codd. *Sed in lumine, in lucernis.* |
| N. 12. *Pascua mentis sunt.* | Id. *Pascua mentis summus.* |
| Ibid. *Qui est illi sapientia, justitia, claritas.* | Id. *Qui est illi sapientia, justitia, charitas.* |
| N. 14. *Amicus sponsi stat, et gaudio gaudet.* | Cod. XLI. *Amicus sponsi qui stat.... gaudio gaudet,* sine *et.* |
| Ibid. *Fidem de resurrectione carnis.* | Codd. *De fide resurrectionem carnis.* Vid. var. Maur. |
| Ibid. *Quem opponemus contradictoribus?* | Id. *Quæ opponimus contradictoribus?* |
| Ibid. *Quæ se aliquam religionem hominibus inserere præsumpserunt.* | Id. *Quæ se aliqua religione hominibus inserere præsumpserunt.* Vid. var. Maur. |
| N. 15. *Nam scio esse corpora in monumentis jacentia.* | Id. *Nam scio sine vita corporum, corpora in monumentis jacentia.* |
| N. 17. *Animæ non sunt in monumentis, nec justorum, nec iniquorum.* | Cod. XLI. *Animæ sunt in monumentis, nec justorum, nec iniquorum.* |
| Ibid. *Superius quando ait.* | Codd. *Superius quomodo ait.* |
| Ibid. *Sed non omnes obaudiunt Evangelio.* | Cod. XLI. *Sed non omnes obediunt Evangelio.* Et sic deinceps, bene. |
| N. 18. *Et erit diremptio.* | Codd. *Et erit discretio.* |
| Ibid. *Non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo.* | Id. *Non rapinam arbitratus esse se æqualem Deo.* |
| N. 19. *Non meam quæ resistat Deo.* | Cod. I. *Non meam, non quæ resistat Deo.* |
| Ibid. *Non faciunt voluntatem suam, quamvis quod volunt faciant.* | Id. *Non faciunt voluntatem suam, quamvis volentes faciant.* |

TRACTATUS XX.

Legitur in tribus codd. Florentinis, nempe Bibl. Laurent. plut. XVII, cod. XL, fol. 169 *b;* ibid. plut. XXX sinist., cod. I, fol. 206; et Bibl. Ædil. cod. CXL, fol. 150 *b;* sed alii longiores, alii breviores. Quædam etiam passim reperiuntur in cod. XXXII, plut. XVII, fol. 116.

| | |
|---|---|
| Edit. N. 1. *Quod amando biberat, evangelizando ructaret.* | Cod. I et XL. *Quod amando biberat, evangelizando eructaret.* |
| Ibid. *Ita secreta sunt et profunda intelligentiæ.* | Codd. *Ita secreta sunt et profundæ intelligentiæ.* Vid. var. Maur. |
| Ibid. *Quod eum audistis modo dicere.* | Cod. XL. *Quod eum auditis dicere.* |
| N. 2. *Commemorandi estis.* | Id. *Commemorandum est.* |
| Ibid. *Post laborem fabricati mundi.* | Cod. XXXVI. *Post laborem fabricæ mundi.* |
| Ibid. *Nisi cum redieris ad similitudinem in qua factus est.* | Codd. *Nisi cum redieris ad similitudinem Dei in qua factus est.* |
| Ibid. *Qui dixit et facta sunt.* | Cod. XXXVI et XL. *Qui jussit et facta sunt.* |
| Ibid. *Cui attestatur et psalmus.* | Cod. I. *Cui rei attestatur et Psalmus.* |
| Ibid. *Qui in jubendo nunquam laboraverat.* | Id. *Qui jubendo nunquam laboraverat.* |
| N. 4. *Et quasi coruscatione magnæ lucis horrescens.* | Id. *Et quasi coruscationem magnæ lucis horrescens.* |
| N. 6. *Sed per maceriam cecidisti.* | Id. *Sed per maceriam descendisti.* |
| N. 7. *Secundum intelligentiam tuam tardam et grossam.* | Id. *Secundum intelligentiam tuam tardam et crassam.* |
| N. 9. *Et averteret mentem.* | Id. *Et everteret mentem.* |
| Ibid. *Et alia Filius similia.* | Id. *Filius similia et alia.* |

N. 10. *Percusso aere transiit.*

Ibid. *Si fecit Deus cœlum, quod manet.*

Ibid. *Pater enim fecit per Filium.*

N. 12. *Attende et ipsa ; volvuntur*, etc.

Ibid. *Compara ipsum animum primo.*

Ibid. *Cito potuisti cogitare quod facturus est sol. Ab oriente*, etc.

N. 13. *Ipsa ratione animi sui.*

Ibid. *Quid separationem quæris in opere?*

Id. *Percussit aerem et transiit.*

Cod. XXXVI. *Si fecit Pater cœlum quod manet.*

Id. *Pater enim fecit et Filius.*

Id. *Attende et ipsa, velut fulgura volvuntur*, etc.

Id. *Compara corpori ipsum animum primo.*

Id. *Cito* (forte *citius*) *potuisti cogitare quod facturus est sol, quam ille facturus est. Ab oriente*, etc.

Id. *Ipsam rationem animi sui.* Vid. var. Maur.

Id. *Quid separationis quæris in opere?*

TRACTATUS XXII et XXIII.

Leguntur aliqua ex parte in quinque codd. Florentinis, nempe Bibl. Laurent. plut. XVII, cod. XXXVI, fol. 90 *b;* ibid. fol. 116, quem indicamus XXXVI *b;* Bibl. Ædil. cod. CXLII, fol. 101 *b;* ibid. fol. 103, et eadem Bibl. cod. CXXXVIII, fol. 179 *b.*

Edit. Tract. XXII, N. 3. *Moto corde, non moto corpore, moto in melius.*

Ibid. *Apprehendenda est vera? migrandum est a falsa. Et qua migrandum? quo?*

N. 6. *Nec potest evacuari divina sententia.*

Ibid. *Modo interim fac transitum vitæ.*

N. 7. *Una erit hora de duodecim horis unius diei.*

N. 9. *Particeps factus vitæ, non eras quod accepisti.*

N. 10. *Proinde quia in te tenebræ erant, cum illuminaberis.*

N. 13. *De monumentis autem, audient vocem et procedent qui bene fecerunt*, etc.

N. 14. *Quod audis, hoc dicis.*

Ibid. *Ergo judicium meum justum est.*

Ibid. *Qui est de Patre, non est de se. Si de se Filius esset*, etc.

N. 15. *Voluntatem Filii.*

Tract. XXIII. N. 2. *Non ad satiandos amicos.*

Ibid. *Ibi utique Deus perhibuit testimonium.*

N. 3. *Omnis ergo prophetia ante Domini adventum.*

Ibid. *Non potest civitas abscondi supra montem constituta.*

N. 5. *Verbum Dei unicus Patri.*

Ibid. *Propter consortium quoddam animæ et*

Cod. XXXVI *b. Motu cordis, non motu corporis; motu in melius.* Vid. var. Maur.

Id. *Si autem apprehendere veram, migrandum est a falsa, et quia migrandum est, quo?*

Id. *Nec potes evadere sententiam divinam.*

Id. *Modo interim fac transitum, vive.*

Id. *Una erat de duodecim horis unius diei.*

Id. *Particeps factus vitæ, non eras, quando accepisti.*

Id. *Proinde qui in tenebris eras, cum illuminaberis.*

Id. *De monumentis autem audient et procedent. Quo? qui bene fecerunt*, etc.

Cod. CXLII. *Ut quod audis, hoc dicas.*

Id. et XXXVI. *Ergo judicium meum justum est, verum est.*

Iid. *Quod est de Patre, non est de se. Sic non est de se Filius. Si de se Filius esset*, etc.

Iid. Cum omnibus manuscriptis *voluntatem Christi.* Vid. var. Maur.

Cod. CXLII. *Non ad saturandos amicos.*

Id. *Ubi utique Deus perhibuit testimonium.*

Id. *Omnis ergo propheta ante Domini adventum.* Sic et XXXVI.

Codd. ambo. *Non potest civitas abscondi supra montem posita.*

Codd. CXXXVIII et CXLII. *Verbum, Dei unicus Patris.*

Cod. CXXXVIII. *Propter consortium quoddam animæ et corporis in hac vita atque complexu.*

Ibid. *Quæ Deus est.*

Ibid. *Superior enim anima.*

Ibid. *Præstat aliquid inferiori.*

N. 6. *Contemptis cæteris vel etiam transcensis.*

Ibid. *Non rapinam arbitratus est esse æqualis.*

*mæ et corporis in hac vita atque complexum.*

Codd. ambo. *Quod Deus est.*

Cod. CXXXVIII. *Superior est enim anima.*

Codd. *Anima [illegible]tat aliquod inferiori.*

Iid. *Contempti cæteris vel etiam transgressis.*

Iid. *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem.*

TRACTATUS XXV.

Legitur, nempe a n. 10 usque ad finem in Bibl. Laurent. plut. XXI, cod. X, fol. 142 *b*, et Bibl. Ædil. cod. CXLII, fol. 133 *b;* brevior autem habetur in ejusdem Bibl. Laurent, plut. XVII, cod. XLI, fol. 175.

Edit. N. 10. *Quod in consequentibus illucescit.*

Ibid. *Si scires qui petit a te bibere.* Et sic postea.

Ibid. *Cum illa diceret : Unde tibi.*

N. 11. *Verbum Dei commendat humilitatem suam.*

Ibid. *Quod non confundatur cum cæteris.*

N. 13. *Sed Pater meus dedit vobis panem de cœlo. Verus*, etc.

Ibid. *Qui significabatur contemnitis.*

N. 15. *Ipsa. Quid quærimus utrum ipsa sit?*

Ibid. *Aliud suspicari quam loquitur.*

N. 16. *Cura superbiam et nulla erit iniquitas.*

Ibid. *Tota humilitas tua ut cognoscas te.*

N. 17. *Fons vitæ. Non foris extra te*, etc.

Ibid. *Ille juste vivit et laborat.*

Ibid. *Iste Deum habet, qui perire non potest.*

Ibid. *Sed si sit rectus corde.*

Ibid. *Ideo ille quid dicebat?*

Ibid. *Et lapsus est per eum qui ante ceciderat.*

Ibid. *Auditui meo dabis exultationem et lætitiam.*

N. 18. *Humilitatem doceo.*

Ibid. *Non mittit foras nisi superbia.*

Ibid. *Quomodo exit foras... a veritate?*

N. 19. *Geminam illam resurrectionem delineet.*

Cod. X. *Qui in consequentibus illucescit.*

Id. *Si scires quis petit a te bibere.* Et sic postea.

Cod. CXLII. *Cum illa diceret. Unde tibi aqua;* cod. XLI, *Unde tibi aquas.*

Cod. XLI. *Verbum Dei commemorat humilitatem suam.* Sic et CXLII.

Cod. XLI. *Quo non confundatur cum cæteris.*

Codd. XLI et CXLII. *Sed Pater meus dedit vobis panem de cœlo verum. Verus*, etc.

Id. *Quod significabatur contemnitis.*

Cod. CXLII. *Ipsam quidem quærimus utrum ipsa sit?*

Id. *Aliud suspicari, quam quod loquitur.*

Codd. X et CXLII. *Curata superbia, nulla erit iniquitas.*

Cod. CXLII. *Tota humilitas tua est, ut cognoscas te.*

Id. *Fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen. Non foris extra te*, etc.

Codd. *Iste juste vivit et laborat.*

Iid. *Iste et eum habet, qui perire non potest.*

Cod. X. *Sed sit rectus corde.*

Cod. CXLII. *Ideo ille dicebat.*

Codd. *Lapsus est per eum qui ante ceciderat.*

Cod. X. *Auditui meo dabis gaudium, exultationem et lætitiam.*

Cod. CXLII. *Humilitatem ego doceo.*

Cod. CXLII. *Non mittitur foras nisi superbia.*

Cod. X. *Quomodo non exit foras... a veritate?*

Codd. *Geminam illam resurrectionem declaret.*

TRACTATUS XXVI et XXVII.

Legitur mutilatus sive in Bibl. Laurent., plut.

XVII, cod. XXXVI, fol. 197; sive in Bibl. Mugell. cod. A XVI, fol. 60 *b* et seqq.

Edit. Tract. XXVI, N. 1. *Qui esurit hunc panem, esuriat justitiam.*
N. 5. *Ut qui cogitat*, etc.
Id. *Ipsum trahit Pater et Filium.*
Ibid. *Non, inquit, Deus verus.*
Ibid. *Homo solum est Christus.*
Ibid. *Quem Pater traxit, Tu es, inquit, Christus*, etc.
N. 6. *Manducabit quod esurit, saturabitur eo quod sitit.*
N. 7. *Intus datur, intus coruscat.*
N. 8. *Illum doceo qui audit verbum meum; illum docet et Pater*, etc.

Ibid. *Si illum docet Pater*, etc.
N. 9. *Sed nunquam vidimus Patrem.*
N. 10. *Nam compendio dicere potuit.*
N. 11. *Numquid nos non morimur?*
Ibid. *Quemadmodum nos sumus morituri.*

Ibid. *Quantum autem pertinet ad illam mortem, de qua* TERRET *Dominus.*
Ibid. *Peccata etsi sunt quotidiana, vel non sint mortifera. Antequam ad altare*, etc.
Ibid. *Dimittis, dimittetur tibi.*

Ibid. *Novit ille quid agat.*
Ibid. *Patres autem istorum*, etc.

N. 12. *Omnes in Moysen baptizati sunt.*

Ibid. *Quomodo autem eumdem potum spiritualem? Bibebant*, etc.

V 15. *Fieri enim potest ut senio.*
N. 17. *Rediguntur ex multis. Namque aliud in unum ex multis granis confit; aliud in unum ex multis acinis confluit.*
N. 18. *Procul dubio nec manducat* [*spiritualiter*] etc., usque ad n. 19.

Tract. XXVII, N. 3. *Si hæret, ut non deseratur.*

Cod. XVI. *Qui esurit hunc panem, esurit justitiam.*
Cod. XVI. *Et qui cogitat*, etc.
Id. *Ipsum trahit Pater ad Filium.*
Id. *Non est, inquit, Deus verus.*
Id. *Homo solus est Christus.*
Id. *Quem Pater traxit, dixit: Tu es Christus*, etc.
Id. *Manducabit id* (cod. male *eo*), *quod esuriit, saturabitur eo quod sitiit.*
Id. *Intus dicitur, intus coruscat.*
Id. *Illum doceo qui audit verbum meum; si ego, cum homo sim, illum doceo qui audit verbum meum, illum docet et Pater*, etc.
Id. *Et si illum docet et Pater*, etc.
Id. *Si nunquam vidimus Patrem.*
Id. *Nam compendiose dicere potuit.*
Cod. XXXVI. *Numquid et nos non morimur?*
Id. *Quemadmodum et nos sumus morituri.* Sic et cod. XVI.
Cod. XXXVI. *Quantum autem pertinet....* TERREBAT *Dominus.*
Id. *Peccata et si sunt quotidiana, vel non sunt mortifera, antequam ad altare*, etc.
Cod. XVI. *Si dimittis, dimittitur tibi.* Cod. XXXVI *dimittitur*, sed non habet *si.*
Cod. XVI. *Novit ille quid agas.*
Cod. XXXVI. *Patres ergo istorum*, etc. Vid. var. Maur.
Id. *Omnes in Moyse baptizati sunt.* Cod. XVI *per Moysen.*
Cod. XVI. *Quomodo autem eumdem potum spiritualem biberunt? Bibebant*, etc.
Cod. XVI. *Fieri enim potest ut vel senio.*
Id. *Rediguntur. Ex multis namque granis unus panis conficitur; et ex multis racemis unum* (deest hæc vox in cod.) *vinum confluit.*
Id. Hæc omnia habet, etiam quæ clausulis includuntur, ut in veteribus editis. Vid. var. Maur.
Id. *Si sic habetur, ut non deseratur.*

TRACTATUS XXXI ET XXXII.

Legitur finis tractatus XXXI a n. 7, et principium tractatus XXXII usque ad finem, in Bibl. Laur., plut. XVII, Cod. XXXI, fol. 230 *b.*

Edit. *Tract.* XXXI, n. 9. *Semper enim ibi erat Christus, quo fuerat redditurus.*
N. 10. *Unde nunquam discedit unigenitus.*
Ibid. *In obauditu auris obaudivit mihi.*

N. 11. *Sed cum impiis judicatus.*
Tract. XXXII, n. 2. *Quando Evangelista exposuit.*
Ibid. *Magisque indicant seipsos.*
N. 7. *Absit ut ista perfidia tentetur cor nostrum.*
N. 8. *Sicut ipse idem dicit.*
Ibid. *Livor separat, sanitas jungit.*
N. 9. *Quid significavit? Ut in resurrectione nostra charitas nostra flagret, et ab amore sæculi separet, ut tota*, etc.

Cod. *Semper enim ibi erat Christus, quo fuerat rediturus.*
Id. *Unde nunquam discessit unigenitus.*
Id. *obauditu auris obedivit mihi.* Cod. non habet *in*, sed male.
Id. *Sed cum impiis deputatus.*
Id. *Quoniam Evangelista exposuit.*

Id. *Magisque judicant seipsos.*
Id. *Absit ut ista perfidia tentet cor nostrum.*
Id. *Sicut ipse item dicit.*
Id. *Livor separat, charitas jungit.*
Id. *Quia significavit ut in resurrectione nostra charitas flagret, et ab amore sæculi separetur, et tota*, etc.

TRACTATUS XXXIII.

Leguntur ejus duo primi numeri in quinque codd. Florentinis, nempe Bibl. Laurent., plut. XVII, Cod. XXVI, fol. 137; ibid. Cod. XL, fol. 228 *b;* Bibl. Ædil., cod. CXXXVIII, fol. 237; ibid. cod. CXLII, fol. 185 *b*; et denique Bibl. Sanctæ Crucis, plut. XXX sinist., fol. 138 *b*; in iis autem nihil singulare reperitur, quo emendetur textus a Benedictinis editus, nisi quod n. 2 pro his verbis *de Nazareth civitate*, multo melius habetur in cod. CXXXVIII, *de Nazareth Galilæa civitate.*

TRACTATUS XL, XLI ET XLII.

Legitur ultima pars tractatus XL a n. 8, et plura longiora aut breviora sequentium fragmenta in Bibl. Laurent., plut. XVII, cod. XL fol. 147; in cod. XLII ejusdem plut. XVII; in ejusdem plut. XVII, cod. XXXVI, fol. 68 *b;* in ejus quoque bibl. plut. XXX sinist. cod. I, fol. 196 *b*; et in Bibl. Ædil. cod. CXXXVIII, fol. 161, et cod. CXLII fol. 59 *b.*

Edit. Tract. XL, N. 8. *Cognitio, et immortalitas, et æternitas non habet humilitatem.*
Ibid. *Quomodo nec in arboris radice, non apparet.*
N. 9. *Nummus a thesauro oberravimus. Errore.*
Ibid. *Venit qui reformet.*
N. 10. *Quod audis et laudas.*
Ibid. *Quod intrasti, iter agis.*
Ibid. *Germina tua intrent in horreum.*
*Tract.* XLI, N. 1. *Veritas panis est, mentes reficit*, etc.

Ibid. *Latebat in carne: latebat autem non ut negaretur*, etc.
N. 2. *Et captioni vestræ vos ipsi*, etc.

Cod. XL. *Cognitio, et immortalitas, et æternitas non habent humilitatem.*

Id. *Quomodo nec in arboris radice apparet.*

Id. *Nummus a thesauro. Oberravimus; errore*, etc.

Id. *Venit qui reformaret.*
Id. *Quod audisti et laudasti.*
Id. *Quo intrasti, iter agis.* Vid. var. Maur.
Id. Id. *Germina tua intrent in horreum tuum.*
Codd. XXXVI, XL, CXXXVIII et CXLII. *Veritas panis est mentis; reficit*, etc.
Codd. I et XXXVI. *Lateba? in carne, latebat autem in carne, non ut negaretur*, etc.
Cod. I. *Et captionis vestræ laqueo vos ipsi*, etc. Sic et XL et XXXVI et CXXXVIII et CXLII.

Ibid. *Sic quærit Deus in homine suam.*

Id. *Sic quærit Deus in homine imaginem suam*, excepto quod in quibusdam legitur *hominibus*.

N. 3. *Dominus autem quid responderit*, etc.

Iid. *Dominus autem quid* (cod. male, *quod*) *eis responderit*, etc. (cod. I, *responderat.*)

Ibid. *Servus est, utinam hominis*, etc.

Cod. XL. *Servus est, sed utinam hominis*, etc. Cod. XXXVI *servus est; servus esset utinam hominis*, etc.

Ibid. *Cum potuisset dici : Verum dico vobis.*

Cod. I. *Cum potuisset interpretari et dici, Verum dico vobis.* Sic et XL, et CXXXVIII, et CXLII.

Ibid. *Nec semel tamen, sed bis*, etc.

Cod. XL. *Nec semel saltem, sed bis*, etc.

Ibid. *Ex ipsa geminatione cognoscite.*

Cod. CXLII. *Ex ipsa geminatione cognoscitur.*

N. 4. *Quid dicens? Amen, amen dico*, etc.

Id. *Quid ait, Amen, amen dico*, etc.

Ibid. *Contra peccatum, Deum liberatorem interpellemus.*

Cod. XL et CXLII. *Contra Dominum peccatum, Deum liberatorem interpellemus.*

Ibid. *Sine pretio, sed vestro, quia meo.*

Cod. CXXXVIII. *Sed sine vestro pretio, quia meo.*

N. 5. *Solus enim in hac carne venit sine peccato.*

Cod. I. *Solus enim in hanc carnem venit sine peccato.* Cod. CXLII pariter, *in hanc carnem.*

Ibid. *Tanquam vos Christus obsecret. Quid? Reconcialiari Deo.*

Cod. XL. *Tanquam vos Christus obsecret pro me, reconciliamini Deo.* Cod. CXLII, *per me.*

Ibid. *Necesse est servi sint.*

Cod. XL. *Necesse est ut servi sint.*

Ibid. *Quomodo autem reconciliamur, nisi*, etc.

Id. *Quomodo autem reconciliamur Deo, nisi*, etc.

Ibid. *Ait enim per prophetam.*

Id. *Ait enim propheta.*

Ibid. *Eum ipsum, inquit, Christum Deum*, etc.

Id. *Eum ipsum, inquit, id est Dominum nostrum Jesum Christum.*

N. 7. *Diabolum significans venturum in Judæis.*

Cod. XXXVI. *Diabolum significans futurum in Judæis.*

Ibid. *Quia si nollem, nec passus essem.*

Cod. XL et XXXVI. *Quia si nollem, nec paterer.*

N. 8. *Ne de peccati solutione diffideremus.*

Cod. XL. *Ne de peccati absolutione diffideremus.*

Ibid. *Audi spem tuam; Filius manet in æternum.*

Cod. XXXVI et XL. *Audi spem tuam : Filius manet in domo in æternum.*

Ibid. *Cum servi essetis peccati, liberi eratis justitiæ.*

Id. *Cum servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ.*

N. 9. *Æger levetur; sic Deus*, etc.

Cod. XXXVI et CXLII. *Æger relevetur : sic Deus*, etc.

N. 10. *Aliqua immunditia fornicationis.*

Cod. CXXXVIII. *Aliqua immunditia, fornicationes.*

Ibid. *Non enim quod volo ago; sed quod odi illud facio.*

Cod. XXXVI. *Non enim quod volo, hoc ago.* Cod. CXLII, *sed quod odi malum, illud facio.*

Ibid. *Quidquid peccatum est a nobis.*

Cod. CXLII. *Quidquid peccatum est nobis.*

Ibid. *Quamdiu adhuc servus facis, non te delectat.*

Cod. XXXVI. *Quandiu non te delectat, adhuc servus facis.*

N. 12. *Non ait : Non sit, sed : Non regnet.*

Cod. CXLII. *Non dicere audet : Non sit, sed : Non regnet.*

Ibid. *Teneat arcem im-*

Cod. XXXVI et alii, *Teneat arcem in tempore interior.*

*perator interior.*

Ibid. *Perficere autem non.*

Cod. XXXVI. *Perficere autem non invenio*, sic et CXLII.

Ibid. *Noli te dare concupiscentiis.*

Cod. CXXXVIII. *Noli te donare concupiscentiis.*

N. 13. *Quando nullæ inimicitiæ, quando*, etc.

Cod. XXXVI et alii. *Quando nullæ inimicitiæ erant, quando*, etc.

Ibid. *Absorpta est mors in victoriam. Ubi est, mors, contentio tua?*

Iid. *Absorpta est mors in victoria. Ubi est, mors, victoria tua?*

Ibid. *Jam vivemus, jam non moriemur in illo qui*, etc.

Iid. *Jam vivemus, jam non moriemur; vivemus in illo qui*, etc.

Ibid. *Stabulario commendavit. Cui stabulario?*

Cod. CXXXVIII. *Stabulario commendavit. Cui commendavit, stabulario?*

Tract. XLII. N. 1. *Quæritis me interficere. Agnosco carnis originem.*

Cod. CL. *Quæritis me occidere. Agnosco carnis originem.*

N. 2. *Dominus autem patrem Deum vult intelligi.*

Id. *Dominus autem patrem suum Deum vult intelligi.*

Ibid. *Quis sit eorum pater, tunc intelligemus.*

Id. *Quis esset eorum pater tunc intelligemus.*

N. 4. *Ante Abraham ego sum.*

Id. *Antequam Abraham fieret, ego sum.*

N. 6. *Nos sumus; in parentibus nostris*, etc.

Id. *Nos enim in parentibus nostris*, etc.

N. 8. *Nunquam Deus sine Verbo fuit.*

Id. *Nunquam Deus sine Verbo suo fuit.*

Ibid. *Per quem factum est cœlum et terra, non quod præteriit*, etc, Pessime et contra grammaticam.

Id. *Per quod factum est cœlum et terra, non quod præteriit*, etc.

Ibid. *Divinitas ejus, quo imus, humanitas ejus qua imus.* Hæc absque sensu.

Id. *Divinitas ejus qua manemus, humanitas ejus qua imus.*

N. 10. *Omnia quæ fecit non habuit unde faceret.*

Id. *Et omnia quæ fecit non habuit unde faceret.*

N. 11. *Ecce unde filii ejus; quia talia*, etc.

Id. *Ecce unde filii. Filii ejus quia talia*, etc.

Ibid. *Ille homicida erat ab initio. Ecce quod est*, etc.

Id. *Ille homicida erat ab initio. Et unde erat homicida ab initio? Ecce quod est*, etc.

Ibid. *Ergo ille erat homicida ab initio. Videte genus*, etc.

Id. *Ergo ille erat homicida ab initio, quia primum hominem occidit. Videte genus*, etc.

Ibid. *Homicida dicitur diabolus non gladio armatus, non ferro accinctus; ad hominem venit*, etc.

Id. *Homicida dicitur diabolus, non gladio armatus, non ferro accinctus, ad hominem venit*, etc.

N. 13. *Ille; quis? Diabolus; homicida*, etc.

Id. *Ille, inquit, diabolus homicida*, etc.

### TRACTATUS XLV.

Legitur a n. 2 versus medium usque ad n. 8 versus finem, in Bibl. Mugell., cod. XVI, fol. 58 *b*.

Edit. N. 2. *Dicant ergo Pagani : Bene vivimus.*

Cod. *Dicant ergo Pagani, vel Judæi, vel Hæretici, Bene vivimus.*

Ibid. *Quid eis prodest unde gloriantur?*

Id. *Quid eis prodest? unde gloriantur?*

Ibid. *Vel per cæcitatem nesciunt, vel inflatione contemnunt.*

Id. *Vel per cæcitatem nesciunt, vel per inflationem contemnunt.*

Ibid. *Nisi agnoscat vitam, quod est Christus.*

Id. *Nisi agnoscat vitam, quæ est Christus.*

N. 3. *Ratiocinationes acutissimas concludentes.*

Id. *Ratiocinantes, acutissimos syllogismos concludentes.*

Ibid. *Suam sapientiam buccis crepantibus ventilantes.*
Ibid. *Si vultis beate vivere.*
N. 4. *Videamus illos, si forte intrant per ostium, qui*, etc.
N. 5 *Sed si Filius, non est Pater.*
Ibid. *Nomen habes, rem non habes.*
Ibid. *Non solum Christum verum prædicet.*
Ibid. *Nam multi quærendo gloriam suam*, etc.
Ibid. *Oportet humiliet se.*
N. 6. *Ille, inquit, fur est et latro. Oves suas*, etc.
Ibid. *Quod sit ostium, et qui sit pastor.*
N. 7. *Quid ergo interest inter illos et nos?*
N. 8. *Absit. Non præter illum venerunt.*

Id. *Suam sapientiam buccis concrepantibus ventilantes.*
Id. *Si vultis bene vivere.*
Id. *Videamus illos, si forte intrant per ostium in ovile, qui*, etc.
Id. *Sed si est Filius, non est Pater.*
Id. *Nomen habet, rem non habet.*
Id. *Non solum autem Christum verum prædicet.*
Id. *Nam multi quærentes gloriam suam.*
Id. *Oportet ut humiliet se.*
Id. *Qui non intrat per ostium, ille, inquit, fur est et latro. Oves suas*, etc.
Id. *Quid sit ostium et quid sit pastor.*
Id. *Quid ergo est inter illos et nos?*
Id. *Absit. Non ante illum venerunt.*|

### TRACTATUS XLVIII.

Legitur in Bibl. Laurent. plut. XXX, cod. 1, fol. 237 *b*, ubi incipit ad n. 2, et concludit versus finem n. 6.

Edit. N. 5. *Ingressi sumus credendo, egredimur moriendo.*
Ibid. *Solet quædam herba dici semper viva.*
N. 6. *Quid dedit Filio Pater majus omnibus? Ut ipse illi*, etc.
Ibid. *Quia ita natus est. Et non est ut dicas*, etc.
Ibid. *Qui sapit, sapiat; qui non capit, credat.*
Ibid. *Nutriatur, et capiet.*

Cod. *Ingressi sumus credendo, et egrediemur moriendo.*
Id. *Solet quædam herba dici semper vivit.* Vide var. Maur.
Id. *Quid dedit Filio Pater majus omnibus, nisi ut ipse illi*, etc.
Id. *Quia ita natus est ut semper unigenitus Patris esset. Et non est ut dicas*, etc.
Id. *Qui sapit, capiat* (cod. male *capit*); *qui non capit, credat.* Vid. var. Maur.
Id. *Nutriatur ut capiat.*

### TRACTATUS L ET LI.

Legitur in Bibl. Ædil. cod. CXLII, fol. 199 *b*, explanatio plurium versuum capitis XII sancti Joannis, quæ in multis accedit ad tractatus L et LI sancti Augustini, in multis autem recedit; hinc illum integrum referendum hic credimus, quamvis nihil aliud complecti videatur, quam sancti Augustini centones, sed non sine grato ordine dispositos.

## HOMILIA.

In verba Evangelii secundum Joannem : *Ante sex dies Paschæ venit Jesus Bethaniam, ubi fuerat Lazarus mortuus quem resuscitavit Jesus* (Joan. XII, 1 et seqq.). *Et reliqua.*

### SYNOPSIS.

I. Cœna Christi apud Lazarum suscitatum. — II Maria unguento ungit corpus Christi. — III. Judæ murmur et Mariæ encomium. — IV. Lazari resurrectionem ægre ferentes Judæorum principes, ipsum volunt occidere. — V Ramis palmarum et populi clamoribus honoratur Christus. — VI. Jesus super aselum sedens quid significet. — VII. Christi verba ad populum. — VIII Ejus clarificatio facta de cœlo. — IX. Princeps mundi ejectus foras. — X. Christus exaltatus omnia trahit ad seipsum. XI. Ambulandum in lumine, non in tenebris.

A I. Qui sex diebus omnia fecit, qui sexta die hominem condidit, sexta ætate redimere venit, sexta feria, sexta hora moriturus. Ante sex dies Paschæ venit Bethaniam ut Lazari resuscitatio arctius memoriæ traderetur omnium, et inexcusabiles Judæi confunderentur, de morte tractantes tanti suscitatoris. Petit etiam a nobis obedientiam hinnulus cervorum, semper obediens Patri usque ad mortem, dum sua presentia sublimat Bethaniam, quasi agnus ad victimam venturus Jerosolymam, ut verum Pascha habeamus. *Fecerunt autem ei cœnam ibi, et Martha ministrabat. Lazarus vero unus erat ex discumbentibus cum eo* (*Joan.*, XII, 2.). Lazarus interfuit cœnæ, ne putaretur esse phantasma quod mortuus resurrexerat. Licet omnes virtutes, quas in terris Dei
B Filius majestatem suam proditurus implevit, mirari tantum (Cod. male *non*) valeant homines, non (*Id.* male *ut.*) verbis definire possint, excedit tamen omne miraculum, quod circa Lazarum fecit, quem ab ipso inferni inquilino (Sic cod., forte *inquilinio*), ab ipsa sede pallente, destructa lege tartarea, mancipium mortis redire ad superos jussit. Et ut miraculum divinæ virtutis accresceret, dum discumberet in convivio, convivis interrogantibus eum tristia loca pœnarum sedesque alta nocte obscuras indicavit Lazarus, diligenti narratione per ordinem, et ita inferi, longis temporibus ignorati, tandem invenerunt proditorem. Mystice Dominica cœna fit in fide et devotione justorum. Martha ministrat, dum quilibet fidelis opera devotionis Domino impendit. Lazarus, id est suscitati
C de gravibus peccatis cum his qui manserunt in justitia epulantur, læti de præsentia Domini.

II. *Maria ergo accepit alabastrum unguenti nardi pistici* (Cod. male *spicati*) *pretiosi, et fracto alabastro effudit super caput Jesu recumbentis, et unxit pedes ejus, et extersit capillis suis, et domus impleta est ex odore unguenti* (*Joan.* XII, 3). Alabastrum genus est marmoris candidi, variis coloribus intertincti, quod ad vasa unguentaria cavari solet, et incorrupta servare unguenta dicitur. Nardus est frutex aromatica gravi, ut aiunt, et crassa radice, sed brevi ac nigra fragilique, ac cypressum redolente, folio parvo densoque, cujus cacumina in aristas se spargunt. Pigmentarii nardi spicas et folia celebrant. Unde Marcus unguenti nardi spicati (*Marc.* XIV, 3) pretiosi. Unguen-
D tum enim illud quod attulit Maria Domino, non solum de radice nardi, verum etiam, quo pretiosius esset, de spicis et foliis confectum erat. Ferunt autem physiologi de nardo, quod principalis sit unguentis. Sunt quidem multa ejus genera, sed omnia herbæ (*sic*) præter Indicum, quod pretiosius est. Joannes autem determinate scripsit, libram unguenti nardi pistici. Pistici a loco dicitur, et interpretatur fidelis, non alia scilicet admixtione corrupti. Mystice autem hæc devotio Mariæ, fidem significat Ecclesiæ, loquentis in Cantico canticorum : *Dum esset rex in accubitu suo nardus mea dedit odorem suum* (*Cant.* I, 11.). Quæ verba et manibus complevit Mariæ, et spiritualiter quotidie implet in suis membris : *Deo autem*

*gratias qui semper odorem suæ notitiæ per nos in omni loco manifestat; quia Christi bonus odor sumus Deo* (*II Cor.* II, 14, 15). Est enim unguentum suavissima gratia sancti Spiritus suaviter redolens, effusa in cordibus fidelium. Libra autem unguenti ex nardo pistico, justitia est ex fide pura. Pistis enim græce, Fides dicitur latine, et nardus redolens confessionem fidei suaviter redolentem significat. Alabastrum unguenti, corpus est fidelis animæ; fractum vero alabastrum, carnale est desiderium quod frangitur ad caput, *ex quo omne corpus Ecclesiæ compaginatum est* (*Ephes.* IV, 16). Cum ergo Ecclesia potentiam divinitatis Christi prædicat, caput recumbentis unguento perfundit (Cod. male *profundit*) pretioso. Recumbentis dicit, id est humiliantis se ut eum tangeret fides Ecclesiæ. In majestate enim sua non intellectus, per formam servi visibilis est factus. Qui ergo assumptam humanitatem, sacri eloquii pia prædicatione veneratur, in pedes Domini fundit unguentum : capillos (Cod. male *capitis vero*) vero tingit qui rationabili verborum compositione ab Incarnatione Verbi omnes hæreses procul pellit. Sicut enim natura corporis ad ornatum sui congruo moderamine capillos profert; sic et ratio competentem verborum ordinem dictat in suum decorem. Domus impleta est ex odore, id est mundus ex bona fama.

III. *Dicit ergo unus ex discipulis ejus, Judas Iscariotes, qui erat eum traditurus : Quare hoc unguentum non veniit trecentis denariis, et datum est egenis? Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat et loculos habens, ea quæ mittebantur portabat* (*Joan.*, XII, 4-6). Sub prætextu avaritiæ, mysterium loquitur fidei. Etenim nostra fides sensibus decem per corpus et animam et spiritum triplicatis, quasi trecentis emitur denariis. Hoc enim designatur in decem triplicatis, quod in trecentis. Nos ergo sicut Gedeon tanquam trecentorum virorum numerum assumentes, Allophylorum castra, pauperes spiritu, fractis lagunculis nostris, cum tubis et lucernis destruamus, et sicut Abraham cum trecentis viris spolia ad vesperum dividamus. Ubi dicitur Judas fur fuisse, admonemus fures et sacrilegos tolerare. Quare habuit Dominus loculos, nisi quia Ecclesia loculos habitura erat? Quare furem admisit, nisi ut Ecclesia fures toleraret? Peculatus dicitur furtum de republica. Qui aliquid de Ecclesia furatur Judæ proditori comparatur, de quo solo per synecdochem, sub plurali numero, dictum credunt, quod Marcus ait : *Fremebant in eam. Erant autem quidam indigne ferentes intra semetipsos et dicentes : Ut quid perditio hæc unguenti facta est* (*Marc.* XIV, 4, 5)? Alii propter pauperes indignati sunt, quod forsitan verbis Judæ persuasum est eis; Judas vero propter lucrum. *Sciens autem Jesus, ait illis : Quid molesti estis mulieri? Opus bonum operata est in me; nam semper pauperes habetis vobiscum, et cum volueritis potestis illis benefacere; me autem non semper habebitis* (*Matth.* XXVI, 10, 11, *et Marc.* XIV, 6, 7.). Bonis et malis loquitur de præsentia corporis sui. Sedet enim ad dexteram Patris postquam ascendit in cœlum, et secundum corpus non est hic (*hæc non recte dicta videntur*), qui præsentia majestatis semper est hic. Si tamen ad bonos pertines, semper habes Christum in præsenti per fidem, per signum, per baptismatis sacramentum, per altaris cibum et potum. Unde alibi dicit eis : *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20). *Mittens enim hæc mulier unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit* (*Id.* XXVI, 12). Non est perditio unguenti, sed officium sepulturæ. Patientia Domini non arguit Judam avaritiæ et non pauperum causa dixisse quod dixit, sed obsequium Mariæ commendat. Quod Joannes ait : *Sine illam ut in die sepulturæ meæ servet illud* (*Joan.* XII, 7), tale est ac si dicat : Sine illam facere quod facit, ut custodiat illud factum in corde suo usque in diem sepulturæ meæ, et tunc sciet, quia istud obsequium est præventio corporis mei sepeliendi. Unde secundum Marcum dicitur : *Quod habuit*, id est potuit; *hoc fecit. Prævenit enim ungere corpus meum in sepultura* (*Marc.* XIV, 8), subaudi (Cod. male *subaudis*, et sic infra) ponendum; ac sic dicat : Sine illam modo ad sepulturam præparare me, more Judæorum, dum potest; quod tunc volet facere, et non poterit : *Amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur et quod hæc fecit in memoriam ejus* (*Id.* 9); subaudi et quod Judas contra locutus est, dicetur in contumeliam ejus. Hæc enim laudabiliter expendit, quod sibi pro odore suæ carnis turpiter adhibuerat (Cod. male *turpitur adhibuerit*), illicitis actibus intenta, priusquam Domino familiaris fieret. *In toto mundo*, non tam mulier ista, quam Ecclesia prædicatur. Attende notitiam futurorum, quod passurus Dominus post paucos dies, sciat Evangelium suum toto orbe celebrandum. Notandum quia quantam famam Maria adepta est, tantam infamiam Judas est adeptus : sed Dominus bonam laude dignam remunerans, futuras impii contumelias tacendo præteriit.

IV. *Et cum esset Bethaniæ Jesus in domo Simonis leprosi* (*Marc.* XIV, 3), *cognovit turba multa ex Judæis quia illic est, et venerunt non propter Jesum tantum, sed ut Lazarum viderent, quem suscitavit a mortuis* (*Joan.* XII, 9). Curiositas eos adduxit, non charitas. Simon quondam fuerat leprosus, sed tunc erat mundus, quia a Domino sanatus, manente adhuc ei pristino nomine, sicut Matthæus etiam nunc appellatur Publicanus, licet desierit esse publicanus. Quidam per Simonem intelligunt fideles a Domino mundatos a peccatis. Interpretatur enim obediens vel mundus. Per peccatum autem primi hominis facta fuit terra domus Simonis leprosi. *Cogitaverunt autem principes sacerdotum, ut Lazarum interficerent, quia multi propter illum abibant ex Judæis, et credebant in Jesum* (*Joan.* XII, 10, 11). O stulta cogitatio, et cæca sævitia! Qui (mortuum) suscitare potuit Lazarum, non posset suscitare occisum? Quando Lazaro inferebatis necem, numquid auferebatis Domino potestatem? Sed aliud vobis videtur mortuus, aliud occisus,

Ecce utrumque Dominus fecit, et Lazarum mortuum, et se suscitavit occisum.

V. *In crastinum autem turba multa, quæ venerat ad diem festum, cum audissent quia venit Jesus Jerosolymam, acceperunt ramos palmarum, et processerunt obviam ei, et clamabant : Hosanna! benedictus qui venit in nomine Domini Rex Israel* (*Joan.* XII, 12, 13). Rami palmarum laudes sunt significantes victoriam, qua erat Dominus mortem moriendo superaturus, et trophæo Crucis de diabolo mortis principe triumphaturus. Vox autem obsecrantis est Hosanna; sicut nonnulli dicunt qui hebræam linguam noverunt, magis affectum indicans quam rem aliquam significans; sicut sunt in lingua latina quas interjectiones vocant, velut cum dolentes dicimus, heu! vel cum delectamur, dicimus vah! vel cum miramur dicimus, O rem magnam! Tunc enim O nihil significat, nisi mirantis affectum; quod ideo credendum est ita esse, quia neque græcus, neque latinus, hoc interpretari potuit, sicut illud, *qui dixerit fratri suo Raca* (*Matth.* v, 12). Nam et hæc interjectio esse perhibetur, affectum indignantis ostendens. *Benedictus autem qui venit in nomine Domini, rex Israel.* Sic potius accipiendum est, ut in nomine Domini, in nomine Dei Patris intelligatur, quamvis possit etiam in nomine suo, quia ipse Dominus est. Unde alibi scriptum est : *Pluit Dominus a Domino;* sed verba ejus melius nostrum dirigunt intellectum, qui ait: *Ego veni in nomine Patris mei, et non suscepistis me. Alius veniet in nomine suo, hunc suscipietis* (*Joan.* v, 43). Humilitatis enim magister est Christus qui *humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (*Philip.* II, 8). Non itaque amittit divinitatem, quando nos docet humilitatem. In illa Patri est æqualis, in hac nobis similis. Per quod Patri est æqualis, nos ut essemus creavit; per quod nobis est similis, ne periremus redemit. Has ei laudes dicebat turba : *Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini, rex Israel.* Quam crucem mentis invidentia principum Judæorum perpeti poterat, quando regem suum Christum tanta multitudo clamabat! Sed quid fuit Domino regem Israel esse? quid magnum fuit regi sæculorum, regem fieri hominum? Non enim rex Israel Christus ad exigendum tributum, vel ferro exercitum armandum, hostesque visibiliter debellandos; sed rex Israel quod mentes regat, quod in æternum consulat, quod in regnum cœlorum credentes, sperantes, amantesque perducat. Dei ergo Filius æqualis Patri, Verbum per quod facta sunt omnia, quod rex voluit dici [Deest *dici* in cod.] Israel, dignatio est non promotio : miserationis judicium est, non potestatis augmentum; qui enim appellatus est in terra rex Judæorum, in cœlis est Dominus angelorum.

VI. *Et invenit Jesus asellum, et sedit super eum* (*Joan.* XII, 14). Hic breviter dictum est. Nam quemadmodum sit factum apud alios evangelistas plenissime legitur. Adhibetur vero huic facto propheticum testimonium, ut appareret quod maligni principes Judæorum cum non intelligebant, in quo implebantur quæ legebant. *Invenit ergo Jesus asellum, et sedit super eum, sicut scriptum est : Noli timere, filia Sion; ecce rex tuus venit, sedens super pullum asinæ* (*Ibid.* 15). In illo ergo populo erat filia Sion : (ipsa est Jerusalem, quæ Sion) ; in illo, inquam, populo reprobo et cæco erat tamen filia Sion, cui diceretur : *Noli timere. Ecce rex tuus venit super pullum asinæ.* Hæc filia Sion cui divinitus ista dicuntur, in illis erat ovibus quæ vocem pastoris audiebant; in illa erat multitudine quæ Dominum venientem tanta devotione laudabat, tanto agmine deducebat; ei dictum est : *Noli timere, illum agnosce qui a te laudatur; et noli trepidare cum patitur, quia ille sanguis funditur per quem tuum delictum deleatur, et vita redditur.* Sed pullum asinæ in quo nemo sederat (hoc enim apud alios evangelistas invenerunt), intelligimus populum gentium, qui legem Domini non acceperat ; asinam vero, quia utrumque jumentum Domino adductum est, plebem ejus quæ veniebat ex populo Israel non indomitam plane, sed quæ præsepe Domini agnovit. *Hæc non cognoverunt discipuli ejus primum, sed quando glorificatus est Jesus,* id est quando virtutem suæ resurrectionis ostendit, *tunc recordati sunt quia hæc erant scripta de eo* (*Joan.* XII, 16) ; recolentes quippe secundum scripturarum (eloquia) quæ ante passionem vel in Domini passione completa sunt, ibi et hoc invenerunt quod secundum eloquia prophetarum in pullo asinæ sederit.

VII. *Testimonium ergo perhibebat turba quæ erat cum eo, quando Lazarum vocavit de monumento, et suscitavit eum a mortuis. Propterea et obviam venit ei turba, quia audierunt eum fecisse hoc signum. Pharisæi ergo dixerunt ad semetipsos : Videtis quia nihil proficimus, ecce mundus totus post eum abiit* (*Ibid.* 17, 18). Prophetabant, sed nescientes. Quid mirum si post eum vadit mundus, per quem factus est mundus? *Erant autem gentiles quidam ex his qui ascenderant, ut adorarent in die festo : hi ergo accesserunt ad Philippum qui erat a Bethsaida Galilææ, et rogabant eum dicentes : Domine, volumus Jesum videre. Venit Philippus et dicit Andrææ..... Andreas rursum et Philippus dixerunt Jesu. Jesus autem respondit eis dicens : Venit hora ut clarificetur Filius hominis* (*Joan.* XII, 20,-23). Ideo ita respondit Dominus, ut insinuaret plenitudinem crediturum post passionem suam, eo in cœlis glorificato. *Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert* (*Ibid.* 25). Se dicebat granum mortificandum infidelitate Judæorum, sed multiplicandum fide populorum. Et quia grano frumenti specialiter se comparat, mos cœpit Ecclesiæ de hoc solo grano confici corpus Domini. *Qui amat animam suam perdet eam, et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam* (*Id., ibid.*). Hortatur nos ad sectanda vestigia suæ passionis, quasi dicat : *Si cupis vitam tenere in Christo, noli mortem timere pro Christo; noli amare animam in hac vita, ne perdas in*

*æterna vita*. Mirà sententia, quemadmodum sit hominis amor in animam suam, ut pereat; odium, ne pereat! Si male amaveris, tunc odisti; si bene oderis, tunc amasti. Felices qui oderunt custodiendo, ne perdant amando. Sed vide ne te ipsum velis interimere, ut quidam perversi male hunc versum intelligentes. Cum autem causæ articulus venerit, ut proponatur tibi, aut faciendum esse contra Dei præceptum, aut moriendum, tunc potius elige te mori, quam vivere, ut in hoc mundo habeas odio animam tuam, et in vitam æternam eam custodias. *Si quis mihi ministrat me sequatur* (*Joan.* XII, 26); hinc Petrus ait : *Christus pro nobis passus est relinquens nobis exemplum ut sequamur vestigia ejus* (*Petr.* II, 21). *Et ubi ego sum illic et minister meus erit* (*Joan.* XII, 26). Præmium ministrandi illi est esse cum ipso, sine quo nunquam est bene, et cum quo nunquam est male. Unde apertius subdit : *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus* (*Id. ibid.*). Quo honore, nisi ut sit cum Filio ejus non æqualis divinitati sed consociatus æternitati? Cum auditis, fratres, illic *et minister meus erit*, nolite tantum modo bonos episcopos et clericos cogitare, sed vos etiam pro modo vestro ministrate Christo eleemosynas faciendo, et ejus doctrinam quibus potueritis prædicando. Unusquisque enim paterfamilias debet in suos exercere disciplinam monendo, docendo, corripiendo, benevolentiam impendendo.

VIII. *Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam? Pater, salvifica me ex hac hora* (*Joan.* XII, 27). Prædicta passione et ad eam supposita exhortatione, quasi data voce fortitudinis suæ, subaudit affectum infirmitatis nostræ, quam vere suscepit, sed ex voluntate pro nobis, ne de hac infirmitate desperemus. In qua etiam docet quid dicere debemus, et quo confugere si [Cod. male, *quasi*] conturbetur anima. Quid dicam? quem invocem? quo fugiam? in quem sperem? In Patrem qui salvat, cujus voluntatem meæ præpono [Id. *propono*], quia propterea ut hæc patiar veni in horam hanc. Unde clarificatio sequitur et mihi et membris meis. Et hoc est quod dicit : *Sed propterea veni in horam hanc. Pater, clarifica tuum nomen* [*Id.*, 27, 28]. Salvum me fac ex hora passionis, peto, sed passionem non recuso. Ergo clarifica me suscitando, quod est gloria nominis tui. *Venit ergo vox de cœlo : Et clarificavi, et iterum clarificabo* (*Id., ibid.*). Clarificavi antequam facerem mundum, id est clarum genui, et in creaturis rationalibus clarificare proposui. Vel ita : Clarificavi cum de virgine natus est, a Magis adoratus est, a sanctis agnitus est, a specie columbæ declaratus est, in monte transfiguratus est. Clarificavi [Cod. male, *clarificavit*], cum multos sanavit, cum de paucis panibus multos pavit, fluctibus imperavit, mortuos suscitavit. *Et iterum clarificabo*, cum resurget a mortuis, cum cœlos ascendet, cum judex ab universis cognoscetur, ut ei omne genu flectatur. *Turba ergo quæ stabat et audierat, dicebat tonitruum factum esse. Alii dicebant, angelus ei locutus est. Respondit Jesus et dixit : Non propter me vox hæc venit, sed propter vos* [*Id.*, 30]. Ostendit hanc vocem non sibi indicasse quod sciebat, sed eis quibus indicari oportebat.

IX. *Nunc* (Cod. hic homiliam dividit, sed manifesta est cum præcedente conjunctio) *judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras* (*Joan.* XII, 31 *et seqq.*) et reliqua. Judicium hic dicit discretionem redemptorum, non damnationem quando in die judicii damnabit impios. Per principem mundi exponit de quo judicio dixit. De justis veteribus ejectus quidem diabolus fuerat, sed quod tunc in paucissimis factum fuit, nunc in multitudine, prædicantibus apostolis factum est.

Merito illuminatio Christi principem tenebrarum de homine expulit, quia nullum jus in eo habuit. Neque enim quia eum fraude maligna decipiendo a Domini sui subjectione alienavit, aliquam potestatem super eum debuit accipere; potius, si quam prius haberet, debuit amittere. Qui enim concessa sibi potestate abutitur, ejus privilegium perdere meretur. Item nec Deus mancipavit illi hominem, nec homo se ei mancipare potuit. Quanquam enim aliquis servus a Domino fugiat suo, non tamen alteri se jure tradere potest. Quod ergo diabolus, velut mundi princeps, ab Adam usque ad crucem Christi regnasse dicitur, id est quia filii Adam, gravi jugo peccati pressi, diabolicis tentationibus facile consentiebant, hostia autem crucis grata Deo Patri ex dilectione quam infudit humano generi, servitutem peccati removit, ut vere liberi simus, quia Filius nos liberavit. Unde diabolus plus homini invidens, et ideo magis puniendus tentare tamen non cessat, sed aliud est intrinsecus regnare, aliud forinsecus oppugnare. Nam aliud est civitatem captam intus possidere, aliud telis eminus jactatis oppugnare. Cum dicitur diabolus princeps hujus mundi, non creditur esse dominus cœli et terræ; sed mundus intelliguntur mali homines toto orbe diffusi. Sic enim solemus vocare malam domum, ubi sunt mali homines; bonam, ubi sunt boni. Nam et mundus dicitur de [Cod. *in*] bonis in mundo diffusis. Unde Apostolus : *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi* (*II Cor.* V, 19). De quibus ejicitur diabolus.

X. *Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum. Hoc autem dicebat significans qua morte esset moriturus* (*Joan.* XII, 32, 33). Quæ omnia, nisi ex quibus diabolus ejicitur? Non dixit omnes, sed omnia, quia non hoc retulit ad universitatem hominum, sed ad creaturæ integritates, id est ad spiritum, et animam, et corpus quo intelligimus, quo vivimus, quo visibiles sumus. Qui enim dixit, *Capillus de capite vestro non peribit*, omnia trahit post se. Aut si omnia homines intelliguntur, omnia prædestinata ad salutem possumus dicere. Aut certe omnia genera hominum trahit ad se ut caput, sive in linguis, sive in ætatibus, sive in gradibus honorum, sive in diversitatibus ingeniorum, sive in professionibus licitarum artium. *Si exaltatus fuero*, id est, cum exaltatus fuero : non enim dubitando loquitur. Exalta-

tionem dixit passionem in cruce, et respicit ad hoc quod dictum est superius, granum mortuum multum fructum afferre. Respondit ei turba : *Nos audivimus ex lege, quia Christus manet in æternum. Et quomodo tu dicis, oportet exaltari Filium hominis? Quis est iste Filius hominis* (*Joan.* XII, 34)? Memoriter tenuerunt quod dixerat Dominus : *Venit hora ut clarificetur Filius hominis.* Nam hic non ait : Si exaltatus fuerit Filius hominis, sed ait : *Ego si exaltatus fuero.* Putant ergo contraria esse Christum manere in æternum, et exaltari in cruce.

XI. Dixit ergo eis Jesus : *Adhuc modicum lumen in vobis est ; ambulate dum lucem habetis, ut non tenebræ* mortis *vos comprehendant* (*Joan.* XII, 35) ; tenebræ sunt, si sic crediderit is Christi æternitatem, ut negetis mortis ejus humilitatem. Ambulate ergo ex fide in fidem, totum intelligendo, et moriturum Christum, ut redimat, et victurum in æternum in cœlo, quo perducat. *Ambulate, inquit, dum lucem habetis,* id est, proficite credentes quæ dico, dum lucem verborum meorum ministro vobis. Tenebræ enim ignorantiæ et mortis perpetuæ erunt, non credere mihi. *Et qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat* [Cod. *vadit*]. *Dum lucem habetis credite in lucem, ut filii lucis sitis. Hæc locutus est Jesus et abiit et abscondit se ab eis* (*Id., ibid. et* 36). Non ab eis se abscondit qui credere incæperant, sed ab eis qui eum occidere cupiebant, consulendo nostræ infirmitati, non derogando suæ potestati.

TRACTATUS LI.

Legitur pars quædam ejusdem in Bibl. Laurent., plut. XVII, cod. XXXVI, fol. 277, et ibid. plut. XXX sinist., cod. II, fol. 145 *b*, a n. 8 versus medium usque ad finem.

Edit. N. 9. *Se autem dicebat. Ipsum erat granum.*
Cod. II. *Se autem dicebat ipsum esse granum.*

N. 10. *Redi retro, Satana.*
Id. *Revertere retro, Satana.*

N. 11. *Relinquens nobis exemplum, ut sequamur.*
Id. *Relinquens vobis exemplum, ut sequamini.*

Ibid. *Ut operis quo ministratur illi.*
Codd. II et XXXVI. *Et operis quo ministratur illi.* Vid. var. Maur.

N. 2. *Hinc est illud quod,* etc.
Cod. XXXVI. *Hinc est enim illud quod,* etc.

TRACTATUS LII.

Legitur in Bibl. Mugell., cod. XV, fol. 162 *b*, a n. 6 ad 11 exclusive.

Edit. N. 7. *Quod sciebat, post passionem et glorificationem suam.*
Cod. *Quod sciebat, post passionem, et resurrectionem, et glorificationem suam.*

N. 8. *Sic et illud quod dictum est.*
Id. *Sicut illud quod dictum est.*

N. 9. *Admonet Apostolus, unde non lædant ; commemorat,* etc.
Id. *Admonet Apostolus, unde non lædant, commemorans.*

Ibid. *Ne nos inferas in tentationem.*
Id. *Ne nos inducas in tentationem.*

Ibid. *Ejectum diabolum intro iterum revocare.*
Id. *Ejectum diabolum intromittere, iterumque revocare.*

N. 10. *Sed quando mores vel bonorum hominum vel malorum.*
Id. *Sed quando detestamur, vel probamus mores bonorum hominum vel malorum.* Deest in cod. vox *probamus*, quam requirit sensus.

TRACTATUS LIII.

Legitur in Bibl. Laurent. cod. XLII, fol. 277 *b*.

Edit. N. 1. *Quo Christum æternum esse didicissent.*
Cod. *Quo Christum in æternum didicissent manere.*

N. 2. *Brachium ejus Verbum ejus esset. Sed Dominus,* etc.
Id. *Brachium ejus Verbum ejus esset ; quia Verbum ejus non est cogitabile vel sonabile. Sed Dominus,* etc. Vid. var. Maur.

Ibid. *Dei Verbum erat.*
Id. *Deus erat Verbum.*

N. 3. *Quomodo verba de rebus aliis ad res alias transferantur.*
Id. *Quomodo verba de rebus aliis ad res alias transferantur.*

N. 4. *Accipite quod potuerimus.*
Id. *Accipite quod dicere potuerimus.*

N. 10. *Fides autem Christi est.*
Id. *Fides autem Christi, ut sacramenta, est.*

Ibid. *Quia ergo ignorans Dei justitiam.*
Id. *Qui ergo ignorans Dei justitiam.*

TRACTATUS LXXVIII.

Legitur in cod. Cassin. VII, fol. 163, et in Bibl. Laurent., plut. XVII, cod. XXXVI, fol. 322, ubi hoc unum deprehendi, quod n. 3 pro his verbis, *humanam qua major est Pater*, in duobus codd. uno consensu habetur, *humanam qua minor est Patre.*

TRACTATUS CXX.

Legitur in Bibl. Laurent., plut. XIV, cod. II, fol. 195, ubi multo diversus est ab editis.

Edit. N. 1. *Ut frangerentur eorum crura, et tollerentur, non crura tollerentur. Sed hi,* etc.
Cod. *Ut frangerentur eorum crura et tollerentur. Sicut enim dies illa sabbati in lege magna erat, sicut et hic evangelista Joannes commemorat, ita et dies redemptionis Domini magnus fuit universo humano generi. Quod vero dicit roguverunt Pilatum ut frangerentur crura et tollerentur, non ut crura tollerentur petierunt, sed hi,* etc.

Ibid. *Diem festum sui diurni cruciatus,* etc.
Id. *Diem festum sui diuturni cruciatus,* etc. Vid. var. Maur.

N. 2. *Ut non diceret, Latus ejus percussit.*
Id. *Ut non diceret, Latus ejus unus militum percussit.*

Ibid. *Et appellata est vita materque vivorum.*
Id. *Et appellata est Eva materque vivorum.*

Ibid. *Magnum quippe significavit bonum, ante magnum prævaricationis malum. Hic secundus,* etc.
Id. *Magnum quippe significavit Adam bonum ante magnum prævaricationis malum in habitu jacentis ac dormientis. Et hic secundus,* etc.

N. 4. *Ferens mixturam myrrhæ et aloes quasi libras centum. Non ita distinguendum est,* etc.
Id. *Sicut mos est Judæis sepelire. Joseph iste occultus discipulus Domini Jesu Christi, qui ab Arimathea castro erat, figuram castimonialium gerebat ; quia sicut ille corpus Domini meruit bajulare et in sepulcrum suum ponere, ita et illi qui castitatem corporis atque animæ habent, ipsi merentur corpus Christi et sanguinem accipere juxta Paulum apostolum : Probet ergo se homo, et sic de pane Domini edat, et de calice bibat* (1 Cor. XI, 28). *Quia qui unum ex his indigne acceperit, reus erit judicii. Et quia dicit : Venit Nicodemus qui venerat ad Jesum nocte primum ferens mixturam myrrhæ et aloes quasi libras centum, non ita distinguendum est,* etc.

Ibid. *Ventilasse autem postea.*
Id. *Venisse autem postea.*

Ibid. *Fere omnibus gentibus declaratur. Acceperunt ergo* et sequentia usque ad hæc verba n. 5, *Erat autem in loco*, etc.

Id. *Fere omnibus gentibus declaratur. Hoc loco Nicodemus figuram sanctorum gessit prædestinatorum, qui ante baptismum in ignorantia fuerunt, sed veniunt ad Dominum cum mixtura myrrhæ et aloes, id est cum se recognoscunt, mortificant se a vitiis et concupiscentiis, atque præsente sæculo, et abnegant semetipsos, et sequuntur Christum. Et quia hic libras centum, et mixturam myrrhæ et aloes secum Nicodemum detulisse Evangelista dicit, (hic enim* [Cod., *quia enim*] *centenarius numerus perfectus est, et integritas numeri in eodem comprehenditur), perfectum numerum angelorum et hominum designavit. Erat autem in loco*, etc.

N. 5. *Quando jam propter parasceven, quam cœnam puram Judæi latine usitatius apud nos vocant, facere tale aliquid non licebat. Una autem*, etc.

Id. *Quoniam propter parasceven, quam cœnam puram Judæi, Latini usitatius apud nos præparationem vocant, facere tale aliquid non licebat. Quid enim aliud per hortum nisi Ecclesia Christi intelligitur? Hortus quippe clausus et fons signatus* (Cant. IV, 12) *ipsa est Ecclesia Catholica. Quid vero per sepulturam, nisi conscientia uniuscujusque hominis habitantis in Ecclesia Dei designatur, ubi reponitur corpus Christi? Et quia, sicut diximus monumentum novum ideo dictum est* [cod. *esse*], *quia nullus alius mortuus in eo fuerat, ita et anima in qua Christus inhabitat, a peccato mortifero, velut a vitiis, esse aliena debet.* Cætera desunt.

TRACTATUS CXXIII.

Legitur in quatuor codd. Florent. nempe Bibl. Laurent. plut. XVII, cod. XXXV, fol. 54; plut. XVIII, cod. XXIII, fol. 144; ibid. cod. XXIV, fol. 162 *b*, et plut. XXX sinist. cod. I, fol. 147 *b*, quos habemus transcriptos a n. 4 ad finem. Reperiuntur iterum plut. XVII, cod. XLIII, fol. 138 *b*, et Bibl. Ædil. cod. CXLI, fol. 125 *b*, et fol. 133. Sed horum ultimorum tenorem nobis non transmiserunt Italiani scriptores.

Edit. N. 4. *Animam suam positurus pro suis omnibus.*

Cod. I. *Animum suam positurus pro suis ovibus.* Vid. var. Maur.

Ibid. *Quia vivit quem mortuum dolebas.*

Cod. XXXV. *Quia vivit quem moriturum dolebas.*

N. 5. *Si me diligis, non te pascere cogita.*

Cod. XXIV. *Si me diligis, non tuas pascere te cogita.*

Ibid. *Erunt enim homines seipsos amantes.*

Codd. XXIII et XXXV. *Erunt homines seipsos amantes.*

Ibid. *Quo mori nolumus, et quando cum Christo vivere volumus.*

Cod. XXIII. *Quo mori nolumus, et quo cum Christo vivere volumus.*

Ibid. *Nam crucifixus non quo nolebat abiit.*

Id. *Nam vinctis manibus crucifixus non quo nolebat abiit.*

## LIBER DE DOCTRINA CHRISTIANA.

Legitur pars quædam lib. I, nempe a n. 9 ad 15 exclusive, in Bibl. Laurent., plut. XII, cod. XIV, fol. 220 *b*.

Edit. N. 9. *Omnibus ad contemplandum*, etc.

Cod. ita incipit verbis aliunde assumptis. *Hæc dicimus et hæc docemus, charissimi, quod Deus lux est mentium, non corporum. Beati, inquit, mundo corde, quoniam ipsi Deum videbant; omnibusque ad contemplandum*, etc.

N. 11. *Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.*

Id. *Quod infirmum est Dei, fortius est quam homines.*

N. 13. *Humilitatem adhibuit ad sanandum.*

Id. *Humilitatem exhibuit ad sanandum.*

## LIBER DE DIVERSIS QUÆSTIONIBUS OCTOGINTA TRIBUS.

QUÆSTIO LIX.

Legitur quæstio LIX in Bibl. Mugell, cod. XI, fol. 98 *b*.

Edit. Quæst. LIX. N. 2. *Quid autem significat oleum, mirum videtur. Item quod sapientes petentibus non communicant.*

Cod. *Quid autem significat oleum? Mirum videtur quod sapientes petentibus non communicant.*

N. 3. *Propter autem se homo, inquit.* Sic edit. Gaume. Benedictini ut nos.

Id. *Probet autem se homo, inquit.*

Ibid. *Et eis vana gaudia tanquam fatuis conciliando.*

Id. *Et eis vanam gloriam tanquam fatuis conciliando.*

QUÆSTIO LXII.

Legitur in eadem Bibl. Mugell., cod. XI, fol. 100.

Edit. Quæst. LXII *Domine, memento mei, dum veneris in regnum tuum.*

Cod. *Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum.*

Ibid. *Quomodo ergo ineffabili potestate dominantis Dei atque justitia deputatum est*, etc.

Id. *Quomodo ergo ineffabili potestate dominantis Dei ad justitiam deputatum est*, etc.

Ibid. *Qua omnes divinæ actiones locorum temporumque ordine ac distinctione pulcherrima peraguntur.*

Id. *Qua omnes divinæ actiones, locorum temporumque ordines, distinctione pulcherrima peraguntur.*

## SERMO

*De urbis excidio.*

Legitur in Bibl. Fesul., cod. XX, fol. 45 *b*.

Edit. N. 1. *Per quos tria hominum genera significat Deus.*

Cod. *Per quos tria hominum genera signat Deus.*

Ibid. *Quomodo ergo poterant de imminente tribulatione liberari.*

Id. *Quomodo ergo potuerint de imminente tribulatione liberari.*

Ibid. *Sed in Noe significantur boni præpositi.*

Id. *Sed in Noe signati sunt boni præpositi.*

N. 2. *Utrum si decem justos in civitate compererit.*

Id. *Utrum si decem justos in civitate repererit.*

Ibid. *Nec viginti, nec decem? Si autem incredibile est, quare non Deus*, etc.

Id. *Nec viginti, nec decem saltem? Hoc incredibile est. Quare non Deus*, etc.

Ibid. *Hoc ipse Dominus prophetarum et apostolorum.*

Id. *Hoc ipse Dominus prophetarum et apostolorum Jesus.*

N. 5. *Multa in hac urbe esse commissa.*

Id. *Multa sub hac dissolutione in illa urbe esse commissa.*

Ibid. *Putrescens ulcere, sanie fluens.*

Id. *Putrescens ulcere, sanie effluens.*

Ibid. *Quod erat gravius? hocne an illud bellum?*

Id. *Quid erat gravius? hoc an illud bellum?*

Ibid. *Sed ideo minor pœna, quod absens anima.*

Id. *Sed ideo minor pœna, imo ideo nulla pœna, quod absens anima.*

Ibid. *Sed quæ moneret blasphemiam.*

Id. *Sed quæ moveret blasphemiam.*

Ibid. *Aperte malum suadet inimica.*

Id. *Aperte malum suadet amica.*

Ibid. *Mala non sustinebimus?*

Id. *Mala quare non sustinebimus?*

N. 4. *Sed nescio utrum minor gloria fuit sancti Job.*

Id. *Sed nescio utrum minor gloria fuerit sancti Job.*

N. 5. *Quicumque Romæ*

Id. *Quicumque Romæ*

*qui se audeat justum dicere, a me non audit*, etc.

Ibid. *Ut tibi adhiberet curandi diligentiam.*

Ibid. *Mortui sunt enim in bona vita, et vera justitia.*

N. 6. *Qualis civitas est humilium quæ, ista dicit?*

Ibid. *Et perniciem illius ignis evaserat.*

N. 7. *Quod dico audiunt nonnulli forsitan qui noverunt, et sunt in hoc populo.*

Ibid. *Missis qui renuntiarent, sollicita quæ prædicta fuerat*, etc.

N. 8. *Utrum ista ira Dei, an potius misericordia fuit.*

N. 9. *Et caducæ omnes sæculi vanitates.*

*qui si audeat justum dicere, a me audiet*, etc. Vid. var. Maur.

Id. *Ut tibi adhiberet curationis diligentiam.*

Id. *Mortui sunt enim in bonâ vita et vera, et justa.*

Id. *Qualis civitas est humilium, civiumque sanctorum?*

Id. *Et periculum illius ignis evaserat.*

Id. *Quod dico audierunt nonnulli, et forsitan noverunt, et sunt in hoc populo.*

Id. *Missis qui renuntiarent sollicite, quæ prædicta fuerat*, etc.

Id. *Utrum ista ira Dei, an potius misericordia fuerit.*

Id. *Et caducæ omnes sæculi voluptates.*

## LIBER

### DE NATURA BONI.

Legitur in Bibl. Laurent., plut. XVII dext., cod. III, fol. 127 *b*.

Edit. Cap. III. *Hæc ergo tria, modus, species, ordo.*

Cap. V. *Natura quæ cum præsto est.*

Cap. VII. *Peccantes igitur in suppliciis ordinantur.*

Cap. X. *Quocumque ordine sunt, quia Deus est*, etc.

Cap. XII. *Et in Deo tanta mala.*

Cap. XV. *Et apertissime veritati repugnantes.*

Cap. XIX. *Sic ab illo est omne quod naturaliter est, quoniam omne quod naturaliter est, bonum est.*

Cap. XXI. *Quia modus in eis aliquis restitit.*

Cap. XXIII. *Quia sunt aliena et incongrua.*

Cap. XXV. *Quod enim revera est aliquid, quid interest.*

Cap. XXX. *Et maximorum et minimorum.*

Cap. XXXIX. *Æternus autem ignis, non sicut Deus æternus, quod etsi sine fine sit, non est tamen sine initio; Deus autem etiam sine initio est. Deinde quia licet perpetuus*, etc.

Ibid. *Cum possit mutari.*

Cap. XLI. *Ac fecunditates habuisse.*

Ibid. *Et dimensis membris atque habitationibus.*

Ibid. *Aut quodlibet aliud sine aliqua societate.*

Cap. XLII. *Nihil omnino, sed si aliarum*, etc.

Cod. *Hæc tria, modus, species, ordo.*

Id. *Natura quæ cum præsto sit.*

Id. *Peccatores igitur in suppliciis ordinantur.*

Id. *Quocumque ordine sunt, sunt quia Deus est*, etc.

Id. *Et in summo bono tanta mala.*

Id. *Et apertissime veritati resistentes.*

Id. *Sic ab illo est omne quod naturale est, quoniam omne quod naturale est, bonum est.* Vid. var. Maur.

Id. *Quia modus in eis aliquis resistit.* Vid. var. Maur.

Id. *Quod sint aliena et incongrua.*

Id. *Quod enim est, revera est, nec aliquid interest.*

Id. *Et maximorum et minutorum.*

Id. *Æternus autem ignis, non sicut Deus æternus, dicitur, primo quia, etsi propterea dicitur æternus, quia sine fine fit, non est tamen sine initio; Deus autem sine initio est. Deinde quia licet perpetuus*, etc. Vid. var. Maur.

Id. *Cum tamen possit mutari.*

Id. *Ac fecunditatis habuisse.*

Id. *Et diversis membris atque habitationibus.*

Id. *Aut quodlibet aliud sine aliqua satietate.* Vid. var. Maur.

Id. *Nihil omnino, si aliarum*, etc. Vid. var. Maur.

Cap. XLIII. *Et inimicæ existerent sanctæ luci.*

Ibid. *Hoc quam nefas sit dicere qui videt, anathemet.*

Id. *Et inimica existerent sanctæ luci.*

Id. *Hoc quod nefas sit dicere naturæ Dei a natura Dei sic subveniri, qui audit anathematizet.* Vid. var. Maur. Cod. habet semper *anathematizare* pro *anathemare*, quod legitur ubique in edit.

Cap. XLIV. *Hoc genus nefandissimi erroris.*

Ibid. *Suæ vitalis substantiæ.*

Ibid. *Virginum intemeratam similitudinem.*

Ibid. *Hac occasione laxata evadit.*

Ibid. *Et caloribus diversis inficitur.*

Cap. XLV. *Vitalem illam substantiam, partem Dei.*

Cap. XLVI. *Id quod postulabantur præbere.*

Ibid. *Idem lumen jugiter retenturos.*

Ibid. *Ex fera genitorum gente.*

Ibid. *Nihil etiam ipse adjiciens.*

Ibid. *In eadem enim construebantur.*

Ibid. *Æternamque præponant.*

Id. *Hoc genus nefandissimum erroris.*

Id. *Sua vitalis substantia.* Vid. var. Maur.

Id. *Virginum intemperatam similitudinem.* Vid. var. Maur.

Id. *Hac occasione laxata evanescit.*

Id. *Et coloribus diversis infigitur.* Vid. var. Maur.

Id. *Vitalem illam substantiam, quam partem Dei.*

Id. *Id quod postulabatur præbere.*

Id. *Idem lumen jugiter recepturos.*

Id. *Ex fera genitorum mente.* Vid. var. Maur.

Id. *Nihil etiam ipse adducens.*

Id. *In eadem enim constituebantur.*

Id. *Æternamque præponant, te præstante qui vivis et regnas per omnia sæcula sæculorum. Amen.*

## LIBER

### DE HÆRESIBUS AD QUODVULTDEUM.

Legitur in cod. Cassin. CCCCLVI, fol. 64 a tergo.

Edit. Cap. XI. *Esse profundum et silentium quod profundum*, etc.

Cap. XXIII. *Tam falsa de Christo sensisse, ut diceret eum.*

Cap. XLII. *Isti sunt nefanda facientes.*

Cap. LVII. *Nescio quam phantasticam et ridiculam fabulam narrare.*

Cap. LXV. *Qui dicebat Deum non facere mala.*

Cap. LXXXVIII. *Nec unde possit accipi, scimus. Quod si tu scieris*, etc.

Cod. *Esset profundum et silentium matrem, quod profundum*, etc. Vid. var. Maur.

Id. *Tam fabulosa de Christo sensisse, ut diceret Christum.*

Id. *Sunt isti inenarrabilia facientes.* Vid. var. Maur.

Id. *Nescio quæ phantastica et ridicule fabulosa narrare.* Vid. ibid.

Id. *Qui dicebat Deum non creasse mala.*

Id. *Nec unde accipi* (corr. *decipi*) *scimus. Certissimus homo studiosus*, etc. *Sicut* legitur in var. Maur. quas videas.

Sequuntur autem in codice duæ aliæ hæreses, Nestorianorum scilicet et Eutychianorum, sicuti in cod. Benedictinorum sancti Mauri. Vid. var.

## LIBRI

### CONTRA SECUNDAM JULIANI RESPONSIONEM.

Leguntur in cod. Cassin. CLXIV, fol. 1, ubi multa menda occurrunt, sed inter illa quædam occurrunt variantes lectiones quæ non videntur respuendæ.

Edit. Lib. II, cap. XV. *Prævaricatione primi hominis in naturam verterit.*

Lib. III, cap. LXXXII. *Unde ergo non exsufflatam, non exorcizatam imaginem suam.*

Cod. *Per prævaricationem primi hominis in naturam verterit.*

Id. *Unde ergo non exsufflatam, non exorcizatam, non baptizatam imaginem suam.*

Ibid., cap. CXI. *Catholica sanitate fulgentes.* Id. *Catholica sanctitate fulgentes.*

LIBER DE DIVERSIS QUÆSTIONIBUS.

Reperitur inter chartas D. Frangipane una quæstio quæ supplenda dicitur fol. 4, tom. VI, Benedict., sed locus aliter non indicatur, nec recta videtur vaga illa indicatio. Hanc autem quæstionem apud sanctum Augustinum invenire non potui. Sic autem se habet in cod. Cassin. CLXII, fol. 20 a tergo.

DE MAGIS PHARAONIS

Non oportet moveri cum magicis artibus miracula fiant plerumque similia miraculis, quæ fiunt per sanctos Dei servos, sicut scriptum est in Exodo, quod magi Pharaonis fecerunt nonnulla similiter, sicut fecit Moyses. Non ergo hæc oportet mirari, quia omnia, quæ visibiliter fiunt, etiam per inferiores potestates aeris hujus non absurde fieri posse creduntur. Sed hoc interest, quod cum sancti talia faciunt, in nomine Dei Domini omnium rerum de sublimioribus partibus jubetur inferiori creaturæ. Cum autem mali homines magicis artibus operantur similia, in manus suas dantur, cum exaudiuntur a dæmonibus. Digni sunt enim, qui tali exauditione decipiantur, ut pœna illis fiat hoc quod videntur impetrare beneficium, cum eis exhibent quasi privatim inferiores potestates quædam miracula, ut eos habeant subjugatos, permissu tamen divinæ providentiæ, ut pro meritis animarum sua cuique tribuantur.

EX LIBRO DE SUSANNA.

Hæc excerpta sunt ex libro de Susanna in Com. Bedæ sancti Augustini; attamen pervoluto D. Augustini opere hujusmodi librum haud reperi; duxi ideo hic exemplari.

Quid Hebræi reprobant historiam Susannæ, dicentes eam in Danielis volumine non haberi? Debemus diligenter inquirere nomina schini et prini, quæ latine ilex et lentiscus interpretantur, si sint apud Hebræos, et quam habeant etymologiam, ut a schino scissio, et a prino, sectio, sive serratio dicatur lingua eorum. Quod si non fuerit inventum, necessitate cogemur et nos acquiescere eorum sententiis, qui græci tantum sermonis hanc volunt esse pericopen, quæ græcam tantum habeat etymologiam, et hebraicam non habeat. Quod si quis ostenderit duarum istarum arborum scissionis et divisionis, et in hæbrea, etymologiam, tunc poterimus etiam hanc scripturam recipere.

QUÆSTIO DE PROVIDENTIA DEI.

Legitur cum nomine sancti Augustini in cod. CLXVIII, fol. 112 a tergo, nec illo indigna est, licet merum esse videatur fragmentum.

Hinc maxime credendum est, quod pietas prædicat, manifestum futurum esse judicium, quia nunc videmus humanas felicitates et clades indiscrete bonis et malis, velut sine ullo judicio, esse communes, cum Dei justitia, cujus sic eminet in rebus exiguis providentia, nullo modo relinquat sine ullo judicio passim fluitare majora. Quid autem majus est non solum in ista humana, verum etiam in angelica creatura, quam ut mali juste miseria puniantur, boni vero beatitudine perfruantur? Quod ergo nunc malo homini quasi bene est, occulta pœna est, felicitas falsa. Quod autem homini bono male [cod. *malo.*] est, non præmium pietati negatur, sed ad majora præmia patientia pietatis augetur. Item quod aliquando, et in hac vita malo homini male est, aut emendatio est, aut afflictio peccatorum; quando autem bono homini bene est, non est illius supernæ patriæ certissimum gaudium, sed hujus periculosæ peregrinationis qualecumque solatium. Hæc atque hujusmodi si cogitaret infidelis impietas, in gubernandis et ordinandis rebus humanis divinam providentiam non negaret. Nec in suis tenebrosis et mortiferis viribus, contra lumen et vitam sapientiæ perduraret. Illud ergo attendat homo infidelis, quod dicere non potest ab hominibus institutum, ne Deum neget rebus humanis ordinem dare, qui docuit apiculam cellas favorum tam mirabiliter ordinare. Ipsi quippe homini quis dedit inordinatis rebus offendi, et rerum ordine delectari. Nonne hoc in suæ animæ natura invenit, quæ sibi ipse non fecit? Nam quare ordine non invento in rebus humanis, Deum res humanas gubernare non credit, nisi quia rebus inordinatis ordinata [cod. *inordinatas*, nec deinde *ordinatas* habet] præponere naturaliter novit. Ergone homo judicat ordinationem potius quam perturbationem operibus convenire divinis, et Deus ordinatum judicium non habet de hominibus universis, qui ordini sensum creavit in singulis? Stabit plane, habet; non dubitat pietas, etsi non comprehendit infirmitas. Opera fabrorum ea nempe laudamus, quæ inspicere possumus, mechanicorum autem stupemus, et nisi aperta atque monstrata fuerint, eos impossibilia potuisse miramur. Cur ergo de judiciis Dei temere judicamus, et divini operis ordinem, ubi non potuerimus videre, festinamus negare, laudantes providentiam Creatoris in arborum foliis, et eam non putantes esse in rebus humanis; nec potius investigabiliter et latenter ordinem rerum humanarum currere credimus, quem vel immensum comprehendere, vel occultum inspicere non valemus? Sed rerum divinitus institutarum ordines manifesti, ex quibus conjiciuntur occulti, feriunt etiam oculos impiorum.

QUÆSTIO DE REBUS QUALITER UTATUR SAPIENS.

Legitur in cod. CLXVIII, fol. 113, cum nomine sancti Augustini, apud quem similia quædam videas Quæst. Evang. lib. II, n. 11.

Quisquis autem rebus prætereuntibus restrictius utitur, quam sese habent mores eorum cum quibus vivit, aut intemperans, aut superstitiosus est. Quisquis vero sic eis utitur, ut metas consuetudinis bonorum inter quos versatur, excedat, aut aliquid significat, aut flagitiosus est; in omnibus enim talibus non usus rerum, sed libido in culpa est. Quid igitur locis, et temporibus, et personis convenit diligenter attendendum est, ne temere flagitia reprehendamus.

Fieri enim potest, ut sine aliquo vitio cupiditatis vel voracitatis pretiosissimo cibo sapiens utatur, insipiens autem fœdissimæ gulæ flamma in vilissimum ardescat. Et satius [Cod. *sanus*, et deinde *vesci*] quisque more Domini pisce vescitur, quam lenticula more Esaiæ nepotis Abraham, aut herbis [in cod. habetur vox quæ legi non potest; divinando posuimus *herbis*] more jumentorum. Non enim propterea continentiores nobis sunt pleræque bestiæ, quia vilioribus aluntur escis. Nam in omnibus hujusmodi rebus non ex earum natura, quibus utimur, sed e causa utendi [Cod. male *attendi*], et modo appetendi, vel probandum est vel improbandum, quod facimus.

## APPENDIX.

### SERMO LVI.

Legitur in cod. Cassin. XI, fol. 92, ubi n. 4, habetur ut in prioribus editis post hæc verba *fortiter vicerit*, quæ sequuntur: *Erubescit siquidem despici, nisi superet hostem forti victoria.* Vid. var. Maur.

### SERMO LXXII.

Legitur tum in cod. Cassin. XI, fol. 58, tum in cod. Florent., Bibl. Sanctæ Crucis, plut. XXX sinist., cod. II, fol. 132.

| | |
|---|---|
| Edit. N. 1. *Audivimus, et quodam modo.* | Cod. II. *Audivimus Evangelium, et quodam modo.* |
| Ibid. *Navicellam periclitantem.* | Id. *Naviculam periclitantem.* |
| Ibid. *Periclitantibus subvenientem.* | Id. *Periclitantibus succurrentem.* |
| Ibid. *Miraculum exspectavimus.* | Id. *Miraculum spectavimus.* |
| Ibid. *Mysticæ significationis exscalpere.* | Id. *Mysticæ significationis scrutari.* |
| Ibid. *Abstrusis favorum cellis.* | Id. *Obstrusis favorum cellis.* |
| Ibid. *Ascendit ergo Dominus noster Jesus Christus, ut lectum est, in montem solus.* | Id. *Ascendit ergo, sicut audistis, Dominus Christus solus in montem.* |
| Ibid. *Quid enim in hoc mundo*, etc.? | Id. *Quid autem in hoc mundo*, etc.? |
| Ibid. *Quis vero in cœlum ascendit.* | Id. *Quis vero in cœlum ascenderit.* |
| Ibid. *Cur autem solus ascendit? Quia*, etc. | Codd. ambo. *Cur autem solus ascenderit, si requiras* (cod. XI male *recurras*), *cito respondeo quia*, etc. |
| Ibid. *Nunc autem solum caput.* | Cod. XI. *Nunc tamen solum caput.* |
| N. 2. *Quia insurgunt fluctus, potest ipsa navicula.* | Id. *Quia insistunt fluctus, potest navicula.* |
| Ibid. *Navicellam quippe istam.* | Id. *Naviculam quippe illam.* |
| Ibid. *Turbulentum mare.* | Id. *Turbatum mare.* |
| Ibid. *Quando aliquis impiæ voluntatis.* | Id. *Quando rex aliquis impiæ voluntatis.* |
| Ibid. *Ut suspensa arbori.* | Id. *Et suspensa arbori.* |
| Ibid. *Et non deficiat, quia*, etc. | Id. *Et non deficiet quoniam*, etc. |
| Ibid. *Dicit etiam beatus Joannes.* | Id. *Dicit et alius testis ejus.* |
| Ibid. *Et pura confessio.* | Id. *Et pura conversio.* |
| Ibid. *Vestisque tendatur.* | Id. *Ventisque tendatur.* |
| Ibid. *Dum eam huc atque illuc circumferunt.* | Id. *Dum jactando eam per diversa circumferunt.* |
| Ibid. *Et tamen oportebat Christum.* | Id. *Et tamen oportebat Christum, a t ipse Dominus Christus, oportebat Christum.* |
| Ibid. *Incipientibus ab Jerusalem.* | Id. Quæ sequuntur, et fuerunt a Benedictinis restituta concordant cum nostro codice. Vid. var. Maur. |
| N. 3. *Deo donante sollicita.* | Id. *Christo docente sollicita.* |
| Ibid. *Sed etiam ipse dicit.* | Id. *Sed etiam ipse nobis præcepit dicens.* |
| Ibid. *Gubernanti, inite navigium.* | Id. *Gubernate navigium.* |
| Ibid. *Si tribulationis procella consurgit.* | Id. *Sed si tribulationis procella consurgat.* |
| Ibid. *Obtrectatores omnino contemnendi sunt.* | Id. *Obtrectatores omnino vitandi et contemnendi sunt.* |
| Ibid. *Quid est, quamdiu in navi sedes? Quamdiu crucem Christi*, etc. | Codd. ambo. *Quid est quamdiu in navi sedes? Quamdiu in ligno hæres, quamdiu crucem Christi*, etc. |
| Ibid. *Ab ejus navicula non recedis.* | Id. *Ab ejus navicula non recedens.* |
| Ibid. *Diabolus aspirans bacchatur.* | Id. *Diabolus archipirata bacchatur.* |
| Ibid. *Resistite firmi in fide, exercentur*, etc. | Id. *Resistite fortes in fide, exerceantur*, etc. |
| Ibid. *Campi doctor.* | Leg. *Campi ductor.* |
| N. 4. *Venit ergo Christus in navem suam quarta vigilia noctis.* | Cod. II addit *et visitavit eam.* |
| Ibid. *Vigilia una tres horas habet.* | Codd. ambo. *Sicut enim una nobiscum soletis audire, vigilia una*, etc. |
| Ibid. *Per singulas vigilias distributis.* | Cod. II. *Per singulas distributis.* |
| Ibid. *Hoc est, pene jam nocte, finita. Sic veniet*, etc. | Id. *Hoc est peracta jam nocte, jam consumpto tempore tenebrarum, venit Christus ad discipulos, qui turbabantur in mari; sic veniet*, etc. |
| Ibid. *Venit enim nunc, sicut audistis, valde mirabiliter ambulans super aquas.* | Id. *Venit enim modo valde mirabiliter, sicut audistis, id est ambulans super aquas.* |
| Ibid. *Cum vero appropinquaret naviculæ.* | Id. *Cum ergo Dominus naviculæ suæ appropinquare cœpisset.* |
| Ibid. *Et exclamaverunt, putantes phantasma. Quibus Dominus ait: Habete fiduciam.* | Id. *Et putaverunt phantasma. Continuo Dominus: Habete, inquit, fiduciam.* |
| Ibid. *Agnoscite quem videtis. Ad hanc vocem exsiliit Petrus et ait: Domine*, etc. | Id. *Agnoscite quem videtis. Audiant Manichæi, audiant ut erubescant, confundantur ut corrigantur, mutentur ne dammentur. Habete, inquit, fiduciam, ego sum, nolite timere. Ad hanc vocem continuo audax ille Petrus exsiliit, et ait: Domine*, etc. Sic et cod. XI. |
| Ibid. *Super aquas. Si tu es, non miror quod solidam carnem super liquentis elementi terga suspendis. Quid enim mirum, si*, etc. | Cod. II. *Super aquas. Non miror quia ambulas super aquas; non miror quia suspendis solidam carnem super liquentis terga elementi. Quid enim si*, etc. |
| Ibid. et N. 5. *Fac quod mirer, ambulet Petrus. Fac quod mirer, jube me* | Id. *Fac quod mirer, ambulet Petrus. Jube me venire ad te super aquas.* |

*venire ad te super aquas. Scio enim*, etc. Phrasis integra usque ad textus evangelici iterationem deest hic in cod., et deinde ponitur post hæc verba *ut unda me portet. Si tu es, jube me venire ad te super aquas.*

N. 5. *Quomodo enim mihi in mari non erit via, si tu jusseris, qui propter nos factus es via?* Id. *Commodat enim mare mihi viam, si hoc jusserit via.*

Ibid. *Quasi mors fidei fuit : sed ubi exclamavit*, etc. Id. *Quasi mors fidei fuit. Sed cum cœpisset mergi, exclamavit ad Christum. Ubi exclamavit*, etc.

Ibid. *Non titubaret, nisi crederet, sed nec clamaret, nisi crederet.* Id. *Non titubaret, si plene crederet, sed nec clamaret, si non crederet.*

Ibid. *Posset te ventus elidere.* Id. *Posset te flatus elidere.*

Ibid. *Fluctus operire. Plus erat*, etc. Id. *Fluctus operire. Quare ergo? Plus erat*, etc. B

Ibid. *Ut si nos in aliquo tentationum ventus conatur subvertere, vel unda submergere, clamemus ad Christum.* Id. *Ut si nos in aliquo, dum in his fluctibus ambulamus, navigamus, vel conatur unda subvertere, vel ventus impingere, clamemus ad Christum.*

Ibid. *Porriget ille manum.* Id. *Porriget enim manum.*

Ibid. *Et continebit nos dextera ejus.* Id. *Et tenebit dextera ejus.*

SERMO CI.

Legitur in cod. Cassin. XI, fol. 9, ubi loco horum verborum n. 5, *quatuor lineæ quibus vas illud dependebat*, habetur : *quatuor ergo lineæ quibus vas connectebatur.*

SERMO CXVII.

Legitur in cod. Cassin. XI, fol. 202.

Edit. N. 1. *Qui contra se pugnant. Aperiant*, etc. Cod. *Qui contra se pugnant. Itaque pugnent ut se expugnant, et sic expurgant. Gaudemus, lætamur, monemus, hortamur, ut aperiant*, etc.

N. 7. *Delectationem infert, non potestatem.* Id. *Delectationem inferre potest, non violentiam.*

SERMO CXIX.

Legitur in cod. Cassin. XII, fol. 31, ubi hæc ad finem superadduntur.

*Alacres celebremus hunc diem, ut cujus nativitatem colimus in mundo, ejus consortium desideremus in cœlo. Scio enim hoc omnes homines desiderare, ut Dominum et Salvatorem nostrum in æterna gloria* D *cum gaudio mereantur aspicere, sed si opera non dissentiant, ubi vota concordant. Ipse enim cum secura conscientia præsentiam ejus videre potest, qui ejus præcepta compleverit, sicut ipse dixit : « Si quis diligit me, mandatum meum custodit. » Et ideo, fratres carissimi, justitiam faciendo, castitatem servando, eleemosynas largius eroçando, præcepta ejus fideliter impleamus, ut ad gloriam illius feliciter pervenire possimus, quod ipse præstabit, qui cum Patre*, etc.

SERMO CXXI.

Legitur in Bibl. Laurent. plut. XXXIII, cod. IV. Deest principium usque ad hæc verba *Prædicamus*, etc. Vide notam a Benedictinis principio affixam.

Edit. N. 1. *Præbeamus, et Simeoni*, etc. A Cod. *Præbeamus.* Reliqua, nec male, desunt usque ad verba : *hodie ergo*, etc.

N. 2. *Qui Deo filios faceret.* Id. *Quæ Deo filium faceret.*

Ibid. *Et hunc fudit forma servi in terris.* Id. *Et hunc fudit fœmina virum in terris.*

Ibid. *Mortali alvo.* Id. *Mortalis alvo.*

Ibid. *Imperatorem suscepit.* Id. Melius propter rythmum, *suscepit imperatorem.*

N. 3. *Christus vobis hodie.* Id. *Christus nobis hodie.*

N. 4. *Nullo humano pollutus amplexu. Vide miraculum matris Dominici corporis. Virgo concipit, virgo gravida, virgo cum parturit, virgo post partum. Præclara ergo illa virginitas, et gloriosa fecunditas.* Id. *Nullo libatus amplexu. Spiritum sanctum castus venter excepit, innocens corpus egessit. Gloriosa virginitas, et præclara fecunditas.*

Ibid. *Fas enim erat*, etc. Id. Quæ sequuntur ita differunt, ut satius visum fuerit integre excudere :

« Fas erat, ut Domino nascente merito cresceret castitas, nec per ejus adventum violaretur integritas, qui venerat sanare corrupta. Deus ab angelis proditur, et agnus pastoribus demonstratur. Nulla parienti Mariæ ex humanitatis officiositate solatia. Ibat exonerata felicior Maria, et matrem se lætam cognoscit, quæ se nescit uxorem. Sed infantis genus fœta miratur ; Spiritum sanctum suscepisse congaudet; nec quia peperit innupta terretur, sed quæ genuerit confisa lætatur. Ergo magna credimus, quæ C magna virtute generantur. Recte in ejus adventu cœlestia veneramur, quem de [Deest *de* in cod.] cœlo venisse cognovimus, quem creatum Dei Patris et Spiritus sancti virtute comperimus, ut firmaretur Divinitas in utero castitatis. Quæ est virgo tam sancta, nisi ista per quam Deus venire dignatur? Quæ tam speciosa, ut Deum quærat sponsum? Quæ tam fortis, ut tantam possit generare virtutem? Quæ tam casta, ut sit virgo post partum? Nonne in figura Mariæ habitum vidimus Ecclesiæ? Hæc parit non dolorem, sed gaudium; hæc nutrit non corporis ubere, sed lacte doctoris [Cod. male *doctrinis*]. Vident primi pastores nostræ lucis auctorem, atque omnium credentium redemptorem. Obvolutum pannis, humanæ conversationis mirantur tolerare jacturam. Oportuerat hæc in nativitate [Cod. *nativitatibus*] pati, qui se per hominem passus est nasci. Probant omnes angelorum nuntium, inoffensam fidem publicant, cunctis clamant, non solum esse quod cernitur, sed esse majus, quod Deus in homine videretur. Currit passim fama ista per populos, et universorum aures extensæ nativitatis fidelis penetrat sermo. Loquuntur omnes testimonium veritatis, nec ambiguum ducitur, quod pastorali eloquentia [Cod. *indulgentia*] divulgatur. Et novum Domini nostri Jesu Christi venturæ nativitatis miraculum in sæculo prius [Cod. *primis*] est pastoribus annuntiatum. Ad hoc autem, dilectissimi, Dei Filius humanæ fragilitatis dignatus est corpus assumere, ut de eadem carne, quæ superba

erat, diabolum vinceret Deus. Nihil ergo tua profuerunt, inimice, consilia. Ecce sumus liberi, ecce manemus in Christo securi. Captivitas tua nobis attulit dominatum. Dum quæris nos perdere, dignatus est Dei Filius sua nos divinitate salvare; quos sic defendit, ut redderet fratres, sic amavit, ut faceret cohæredes Christus Dominus noster qui vivit et regnat cum Deo Patre, et Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO CXXIII.

Legitur in cod. Cassin. CVI, n. 6.

Edit. N. 1. *Nulla tristitia parturienti.*

Cod. *Nulla cruciamenta ingerit parturienti.*

Ibid. *Pondus habere non poterat. Facta est*, etc.

Id. Inter. verba *poterat* et *facta est*, repetit prima sermonis præcedentis, nempe CXXI, verba *prædicamus*, adjunctis quæ in editis n. 1 leguntur, et in præcedenti codice deesse annotavimus, excepto quod pro *Joannis purgationi*, habetur *Joanni baptizanti*, additurque *et Jordani purgato.*

SERMO CXXVIII.

Legitur in cod Cassin. XCVIII, fol. 10 a tergo; in cod. pariter Cassin. CXVII, fol. 48, in quo habetur exordium quod Benedictini indicarunt in admonitione; in cod. Cass. CVI, fol. 320; et partim in Bibl. Mugellan., cod. XV, fol. 23.

Edit. N. 1. *Hodie natus est sine patre in terris.*

Cod. XCVIII. *De te, Dei genitrix, natus est sine patre in terris.*

Ibid. *Mater facta, sed incorrupta.*

Id. *Mater fœta, sed incorrupta.*

N. 2. *Dicamus sanctæ virgini, Mariæ matri Domini nostri Jesu Christi; dicamus*, etc.

Id. *Dicamus sanctæ virgini Mariæ matri Domini nostri Jesu Christi: ave, gratia plena; dicamus*, etc.

N. 3. *Nunc, Domine, dimittis servum tuum.*

Cod. XV. *Et nunc, Domine, dimitte servum tuum.* Et sic inferius.

Ibid. *Qui plenus erat pietate. Simeon senex*, etc.

Cod. XCVIII. *Qui plenus erat pietate. Rogo, fratres carissimi, quid sit iste senex Simeon, qui magnitudinem sentiebat in parvo; quod videbat, quod intelligebat, mundum regebat; ipse ferebat, et Christus regebat. Simeon senex*, etc. Cod. XV *quia plenus erat pietate...* et deinde *quod videbat, mater portabat; quod intelligebat, mundum regebat. Ipsa ferebat, et Christus regebat. Simeon senex*, etc. Sic et CVI, et CXVII.

Ibid. *Christus regebat Simeonis senectutem. Dictum ei fuerat*, etc.

Cod. XV. *Christus regebat Simeonem in senectute. Quid ergo dixit Simeon? Audite. Nunc, Domine, dimitte servum tuum in pace; in pace inquam; quam commendaturus es discipulis tuis: Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis. Dictum ei fuerat*, etc. Sic et cod. XCVIII, excepto quod habet *dimittis* pro *dimitte*, male tollit *quam* post *inquam*, ponit *commendatus* loco verbi *commendaturus*, et adjicit *dicens* ante *discipulis*. Ita et CXVII, et CVI.

Ibid. *Natus est Christus et impletum est desiderium*, etc.

